Quo ſanè factum, ut ipſe quoq́ idem mihi petendum decus, conſtituerim, ſed reuerenter tamen: & quod Parthorum regibus patrij moris eſt, non citra munus, quod eſt non abſq́ literario commercio. Sic enim concipio, Virtutem inenarrabili morum integritate conſtipatam, quæ te omnibus ingerit admirandum, & amabilem præcipue, uiciſſim me tibi parte ſaltem aliqua conciliaturam, quoniam hæc ſemper animo tuo, capaci omnium, numinis cuiuſdam loco fuerit. Nec ſanè fruſtratum iri me, aut uoto prorſus excaſurum, opiner, quando etiam ſi in illuſtri humanarũ rerum faſtigio conſtitutus, & (quod omnia exuperat) maximi regis intimus, ac Inſubrum quæſtor, cuncto paulominus terrarum orbi conſpicuum te præſtas, eniteſcuntq́ mentis altiſſimæ germina præclara, nihilominus præmiti eſſe ingenio diceris, ac inter Gallorum ſplendidæ nobilitatis uiros clementia & affabilitate tanta, ut nunquam non uel ſortis poſtremæ hominibus pateas, renidens perpetuò: nec ferè hilarior, quàm ubi te adeat quiſpiam tua uſurus munificentia, & naturæ diuinioris largitate incõparabili. Nec aquulam (quod dicitur) uino unquam ſic infundas, ut alicui ingratitudinem regeras, uel collatam gratiam commemoratione præſtes dilutiorem. Quippe imbibiſſe altius uideris, eſſe hominem homini deum, uel (ut Græcè dicam) ἄνθρωπον εἶναι ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, haberiq́ hanc ad felicitatem uiam cæteris omnibus munitiorem: quippe non aliam tenuere tot Galliarum uiri principes, ſed in primis tot, tantiq́ tuæ gentis proceres longe clariſſimi: quo argumento illis gloriæ cognomen adoptatum, haud ambigam. Quòd ſi reluere conatur aliquis, in aliena laude, quàm par eſt, ingenioſior, ſuppetit tamen ex eminentiſſimis animi tui, omnia ſupereminentis dotibus, nitidiſſimo quodam ſplendore perfuſis, coniectatio euidens. Illud, quicquid eſt, in humanis rebus uideri auguſtiſſimum, unde tam omnibus abſoluta numeris propagata uirtus ſit. Qua nunc & ipſe compulſus, imò (ut ſyncerius agam) blandiſſimè allectus, tibi me non quidem amicum exhibeo (neq́ enim tua hoc patitur amplitudo) ſed clientulum planè, & hunc quoq́ humilem. Quod uero in rerum fieri commercijs à negociantibus ſolet, parario utimur, & eo utiq́ iuſto, qui tibi me & doctiſſimo, & omnium ferè nobiliſſimo conciliatum pergat. Nec alius eſt omnino hic futurus, quàm uti præſtruximus, Muſarum initiatus ſacris, & ex ſciẽtiæ theſauris profluens. Etenim quum

nuper Antiquarum Lectionum libellos, quod maturuiſſe iam uiderẽtur ſatis, unguium incurſus diu perpeſſi, necubi impolitiæ obreperet labecula, ſtilo digna cenſorio, formis cuſos publicam facere materiam ſtatuiſſem, tu mihi Vir præcellens, unus ex omnibus ſelectus maximè es, cui noui operis, arida modò (ut ait ille) pumice expoliti, munus ob latum uellem. Quod ea res in primis tibi nobilium ſciẽtiſſimo, & ſcientum nobiliſſimo animi mei ardorem in tui nominis propagationem, quod mihi infularum loco eſt, abunde uidebatur explicatura. Equidem in ſanctarijs humanis animorum fœtura maius, ac indicaturæ grauioris cenſuerim comprimi nihil, aut ſeruari. Simul & nuncupatione iſtiuſmodi prorſum animaduertebam fore: tum ut ex amplitudinis tuæ quadam maieſtate noſtris libellis quippiam accederet autoritatis & gratiæ, ac omnino eximerentur numero, ſiquidem pleraq; ideo credi pretioſa, quoniam ſint templis dicata: tum etiam, ut tanquam deo quodam præſide ac ſenatus literarij principe, gloria inſigni, & in literatos meritis, communiti aduerſus omnem uirulentiæ reflatum, præſentia plurimum ijdem geſtirent tua, ſibiq; in eo placerent inſignitius: quando, uti à Peripateticorum principe traditum nouimus, in humanis rebus nil ferè cogitari gratius queat excellentioris amici ac patroni fide præſenti. Quæ quidem ratio hanc mihi nuncupationẽ, uelut neceſſariam, plane uidetur expreſſiſſe. Quanquam à Platonicis forſan hic decretis aberrarim, quod neceſſitas nulla magis cenſeatur uoluntaria, nec uoluntas neceſſaria magis, quàm amatoria. Primus hic, & idem ſummus, ac perpetuus uoluntatis affectus perficit omnino, ut nõ amare nolimus, & nil ſit prorſus amore magis neceſſarium. Te autẽ uir clariſſime, quis nõ amarit impenſius? quando non inde modò agnoſceris felix, quòd tota ſe ui ingeſſerit tibi fortuna in hac opum & potentiæ, ac honorum amplitudine: quibus & decentior quidam accedit corporis habitus, cui adeſſe planè aduertitur maieſtas quædam tacita, ut interim Seculianorum, ſeu Lugdunenſium tuorum præſignem non attingã nobilitatem: quando eminentiſſimis autoribus Lugdunum dici prouinciarum ornamentũ, ab Planco deductum, noſſe uidemur. Sed hinc grauius multo, quòd ſapientia prædítus ſingulari, ſic uitam attemperas, ut quicquid animo concipis, quicquid re obeundum proponis, ab optato haudquaquam excidas fine, quæ demum hinc inde abſoluta, plenaq; & eſt, & cenſetur felicitas. Quippe illos deniq; beatos arbitramur, quibus plurima adſint quidem bona, ſed ita, ut inde manifeſta profluant emolumenta, quod utique citra uſum haudquaquam contigerit: hoc enim exuta poſſeſſio, felicitatem quánam iuuerit parte? At hunc ex formula, utq; dictat ratio, præter ſapientiam, quod ualeat præſtare, non ferè compereris. Hac porrò rationali naturæ cũ Deo eminens paratur ſimilitudo, qui eſſe ſapientia ipſa creditur. In aſſimulatione autem eiuſmodi ſummum beatitudinis gradum uideri dubio procul conſtitutum, ſemper diuinus & ſenſit & docuit Plato. Sed & ſcientiſſimi ex noſtris animi uirtutem cenſuere longè clariſſimam & hominis peculiarẽ, de principe rerum deo bene coniectare, indeq; inter compares de illius agere præſcripto: Qua ex re illud colligunt ueriſsime, Niſi à ſeipſo, lædi poſſe neminem: quando in id bonum ius nulli ſuperſit extimo. Cæterum nec in tam ſuperba tuæ uirtutis cenſura, ſubblandiri me, uelim ſuſpicetur aliquis, aut ad tumulum nouercæ (quod dicitur) flere, uel eſſe Logodædalum aliquem, ac mutantem Protea formas: neq; enim apud ingenij uirum perſpicaciſſimi ſupereſt mendacio locus, ut qui uerborũ phaleras, & pictæ tectoria linguæ callide internoſcat: quòd ſi ſuperſit maximè, ſeruiliter adeo tibi illuſiſſe, haud facile concoquat animus. Sed uera ſciunt omnes, qui tantæ indolis admiratione attoniti ſubinde inſuſurrant ſibi Græcanicum illud, ὅτος ὅδιμ ὁ δεινὸς ἐκεῖνος καὶ πανσοφός. In tantum ab ijs reuulſus agnoſceris, qui & Sophocles uerbo Græco, Latinè autem dici ſolent laodicœni, uelut cœna oblata, laudibus efferri ſe paciſcentes. Conductis apud te, ac redemptis mancipibus eſſe locus poteſt nullus, in cuius mẽte altioris præfloreſcunt uirtutis propagines, nil niſi heroicum, nil niſi diuinum redolentes. Quamobrem ſalue clariſſimum Lugduni tui decus, ſalue Galliarum ſpecimen auguſtiſſimũ, ſalue inquam uirtutis aſſertor unice, ac hominum in omni uſu ſumme. Quodq; inſigniter facis, patriæ uirtutis, eminentiſſimo cuique celebratæ, pomœria profer latius, iam hinc ut perdiſcãt omnes, nõ ſcientia belli modò, quod creditum quandoq; ſcimus, Gallos præcelluiſſe: uerum, uti nunc

eſt

eſt,in omnem bene inſtituti animi decuriam uenire, deterſo prorſus uetuſtatis ſordidæ omni ſqualore.Illud ſingulare ac nitidiſſimum fuerit eminentioris naturæ argumẽtum, nullius te in diſceptãdo elogium,nullius te faciem inſpectare: ſed Areopagitarum quodam ueluti more noctu, ac in tenebris aduerſum ea, quæ tui ſunt fori, ſententiam ferre, tanquam afflatu non quidem Delphico, quod Gentilicium eſt, ſed diuino inſtinctum. Senſit hanc animi tui capaciſſimam fertilitatem longè clariſſimus Gallorum rex Franciſcus,ſenſere Galliarum eminentiſſimi proceres: nam ſi quid ingerat ſe ambagioſum in ijs,quæ functionis ſunt tuæ,ac tu quid in ea re cenſeas, prompſeris, quod inſita præcelſi tamen animi moderatione rarenter obtingit,omnium mox approbatur calculis, uel citra ſententiæ rationem, quando in uniuerſorum mentibus irroboraſſe amplius animaduertitur, ſummum eſſe integritatis examen, ſi inſuſurraſſe contingat, αὐτὸς ἔφη, ipſe dixit. Quare & ſi eminentiſſima ſemper conſectaris, nunquam non cœleſtia cœleſtis ipſe ſuſpectans:nihilominus noſtra hæc minutula ne reieceris,ac prædiuites imitare, nam πολύ τὸ περίεργος ἔχων τίθησι κὰν λαχάνοις. Verum nos præfari deſinamus,teq; iterum ſupplíciter apprecemur,qua ſoles,frontis erugatione,hoc quicquid eſt libellorum excipias lætus:ut te præſide, adeant & cæteri, liuore poſito.

Vale.

NATVRAE PRINCIPI AC INTELLE-
CTVALI SAPIENTIAE NECNON AMORI SACRVM SPIRITALI AF-
flatu quorum trino & uno aſpirante uberius, hæc publico ſtudioſorum bono condita
nobis ſunt: nam ſicuti materiæ actum exhibet forma, corpori uitam anima & motum,
itidem animæ uirtutem intellectus, principium intellectui actum uitalem
intellectualemq́, ac lumen inenarrabile.

LODOVICI CAELII RHODIGINI
IN LIBROS ANTIQVARVM LECTIONVM AD bonarum literarum ſtudioſos omneis, Præfatio.



PICVRVM philoſophum uno uoluptatis nomine pleriſq́ infamem, ſæpe uero etiam grauiſſimum, dicere ſolitum accepimus, Collatum beneficium accepto non pulchrius modo & ſpecioſius uideri, ſed iucundius quoq́, ac mira quadam ratione ſuauius: quando χαρᾶς ὀφείλειν ὅτως γόνιμόν ὄντι, ὡς χάρις. gaudij nil æque ferax eſt, ac gratia. Proinde prudentiæ multæ ac ingenij perſpicacis cenſeri poteſt & debet, qui omnium princeps eam Gratiarum excogitaſſe nomenclaturam uidetur, ut unam diceret Aglaiam, Euphroſynem alteram, poſtremam denique Thaliam, uelut in benefica natura purius ampliusq́ fœcunditate præſigni progerminet gaudium, exuberetq́. Nam & in Oedipode tyranno Sophocles, ἄνδρα δ' ὠφελεῖν ἀφ' ὧν ἔχοιτε τὰ δίκαια, κἀμὲ καὶ πόνων. Quibus de cauſis quum uitæ pro innato captu ſolertiæ curriculum totum (nam, quod dicitur, nec puero quidem feriæ, nedum Saturnalia) ad procinctum remis uelisq́ dum tendimus, in literarum, & interiorum utriq́, ſtudijs tranſmiſerimus, nulla ſubijt pridem grauior cura, nullum eminentius ingeſſit ſe propoſitum, quàm ut maturius, quantum hoc nomine principi naturæ primum (hoc eſt, diuinæ) debeamus, teſtatiſſimum toto terrarum orbe facere mus: quippe ab inenarrabili, ac infinita ſemoti abiunctiq́ clementia unum modo, & uix id quoq́ ſcimus, Nihil nos ſcire prorſum, aut poſſe: mox uero ut quicquid tot noctium euigilati emenſiq́ labores, & hauſtæ lucernarum fuligines, dierumq́ ſudor nobis peperiſſent, in album publico captantium ingenij cultum bono promere pergeremus: eo quidem procliuius, quod elegans eſt M. Catonis oraculum, Nihil agendo, homines male agere diſcunt. In hunc etenim uſum duriſſima ſumus perpeſſi: ut, quod diuino ex fonte in nos eſt perductum, benigne in alios itidem corriuaremus, reiectis omnino inauſpicatis neſcio quibus, in arcana protinus, quicquid eſt illis paulo acriore ſtudio comparatum, intrudentibus, imò etiam contumulantibus. Quod in ſenatuſconſultis, quæ tacita uocãt, quandoq́ factitatum nouimus. Mihi ſanctarium exquiſitius nullum fuerit, quàm artium bonarum ingenia candidata: quibus ſumma hilaritate, uelut in Platonis diuini rempublicam tranſcriptus, quod mihi eſt, impertior. Argumentum huius ſtomachi mei habebunt eruditi omnes, quòd eos, quibus exploratius comperta hæc meditataq́ ſunt, pecularius appellare operis initio, non ab re eſt uiſum: non ut fluentis largiſſimis aridus ipſe aquas ingeram, ſed indidem potius ut deriuem, quo retorrida rigentur inuenta, imò uero, ne ſi forte (ut aſſolet) præſidibus nullis in aciem prodierint, tanquam αὐτοκάβδαλα, ut Ariſtotelico utamur dicendi more, id eſt, rudia impolitaq́, nec unguibus impetita diu, protinus impreſſionem faciente male feriatorum ſciola manu, alliſa uel diſpalata pereant. Quamobrem parte hac Euripidion illud facile reiecero, quo is Archelaum fertur alloquutus, ὃ βάλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πόνης, μᾶλλ' ἄφρονα λειμῆνος, εἰ δίδοὺς ἀυτεῖν δόλῳ. Siquidem uobis doctiſſimi uiri, quibus & rerũ innumerabiliũ, & luculentiſſimæ orationis ſuppetunt diuitiæ, noſtrum hoc qualecunq́, forteq́ etiam ſimplarium offero munuſculum, non auri uim à quoquam, non id genus alia uiciſſim repetiturus: ſcitum

tum enim eſt Græcanicum illud, πᾶσι δ' ὁ λαὸς πάντα πρὸς ἀργύριον: ſed animum præcipuè in legendo mitem, benignũq́; qui eſſe doctis omnibus germanus debet, nullo liuoris fuco, nulla feſtinantius lacerandi labecula maculoſum obſcuratumq́: mox uero & aduerſum noctuinos oculos & frontes obduratas, ac neſcio quos ἐπιτριόδλα edentu los, ſemper ueſcentibus uirulenti quippiam allinentes, ingenuam propugnationem: nec precarium, ſed iuſtum auxilium: ut toto ſtandum putetis pede, ne quid tetræ prorſum rubiginis affricent inauſpicatiſſimi tritagoniſtæ: ut Demoſthenis in Aeſchinẽ protinus uerbo utar. Quos ſat ſcio, ſi ualeant, nulla non hora Philoxenum nobis, & Gnathonẽ Siculum gulæ proceres, ac cupediuoras infames exhibituros: quibus id fuit perfamiliare genuinumq́, ut uocati in pultaria narium mucoſam excuterent ſuperfluitatem, ut rei fœditate auerſantibus cæteris, ſoli uel ultra uota ſaburrati epulis abunde diſtenderentur. Quanquam in male conceptas uoculas, apalæſtrorum (ut ſic dicam) ad uenena natas, nec conatu ita multo uideo eſſe opus, toto præſertim organo inſtructis. Nunquam (mihi credite) intra teli iactum progredi, permittent ſibi: ſatis illis ſuperq́ eſt terroris ac tumultus omnia implere, oſtentare magis quàm bellum gerere: ut quibus amatoria Bucolicorum uerſuum uerba modo recinere, ſit frequentiſſimum. Sed nec clauum rectum tenentibus, regiaq́ incedentibus uia, magnopere Theoninus dens uidetur reformidandus. ἀείδω ξυνοῖσι, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι Diras aues, ac uelut Scironis prærupta letalia, nil moror, doctiſſimo cuique controuerſa ſemper, ſilentio demum prudentibus eluctanda. Nam ut protinus de me iam ordiar dicere, id eſt in opere hoc condendo adhibitum temperamentum, ut temporis ſpatium longius ab exorſo eo decurſum, uice iudicũ planè perfunctum uideatur: quibus noua fœtura prodituros mox in publicam materiam libros ſubijci, uirgula Ariſtarchi perpendendos, in præclara legum illa concinnatione diuinus ſanxit Plato: ut commoniti hinc decoris huius ſtudioſi conformatos acrius, iterumq́ ac ſæpius recoctos proferrent. Pictorum certe inſtitutum memorabile narratur, ut per interualla ſubinde tabulas peruiſerent: credo, ut partus amore quadamtenus refrigerato, perinde ac ſpectatores, perpenſione acri uel minuta diſpicerent, in quibus perpeti aſſiduitate hebeſcit plerunq́ generantis acies. Id nos in hiſce libellis, non tam in noſtrum euigilatis nomen, ac ut famæ publicæ tympana pulſaremus, quàm ut ad procinctum tendentibus præſidio forent, omnino pro uirili ſequuti ſumus: ut recognitione interuallata identidem penſitati concoctiq́, ac uelut caneſcentẽ ſuamq́ indepti maturitatem, in manus hominum citra inſcitiæ labem prodirent. Nam & Agatharcho ſibi nimium placente, quòd tabulas depingeret celerius: ἐγὼ δὲ πολλῷ χρόνῳ, Zeuxis inquit. Et Cinnæ Smyrnam nouem annis ſcriptam, proditum eſt: Iſocratis Panegyricum, etiam decem. Qua tamen in re, ut obiter Catoniano caueam ſupercilio tumentes, & hiſtriculos neſcio quos, ac liuidos, quorum ſemper in obelo mens, & Feſcenninum uirus: non ita ijs quæ promuntur nobis omnium requirimus aut paciſcimur aſſenſum, perinde ac loquatur quercus: ſicq́ dicamus, tanquam ambroſia nos ali deceat. Noſtra non adeo amamus, ut ſi uſus ferat, uel cum famæ diſpendio non alliſuri uideamur. Maius eſt in publico bono momentum, cui à diuini cultus obſeruantia mancipati obſtrictiq́, interdiu noctuq́ allaborauimus. Me autore primum in ſpongiam incumbet, ac una circumducetur litura, quicquid parum integra fide, aut ſcitè minus docteq́ in literas promptum, fuerit animaduerſum: etiamſi eum paſſim adhibuimus modum, ut quæ traduntur, omnia ferè claſſicis ac maiorum gentium obfirmata ſuffultaq́ autoribus, ueluti ſtatuminibus qui buſdam rigidioribus, citra uitij aut ruinæ metum ſtent ualidius, reflatum paulo etiam uehementiorem facilè contemptura. Et ſciant philologi omnes, mancipio nos permittere, ac euictionem præſtaturos, ſi quis litem intendat. Proinde ſiquid exierit, quod geniũ habeat, nec ſit quarta natum luna, ſeligat id lector accuratus, quo auctior fiat, & cultior literaria ſupellex: ſiquid tamen excitatam opinionem, quæ aduerſaria ingens plerunque proponitur nobis, implere potuerit minus, ac πλήρωμα uidebimur quandoq́, & ſentietur alicubi Lacratidæ frigus, aut (quod Galenus inquit) φιλοσοφίαν magis, quàm ueritatem animaduertemur captantes, meminerit unuſquiſq́, homines eſſe nos, quibus conniuere in pluribus, inſitum eſt: nam & ueterũ ſapientiſſimi multa quidem ſciſſe dicuntur, omnia uero haudquaquã. Alius alio plura inuenire poteſt, nemo unus omnia. Quã-

obrem desinant acutis naribus, subductisq; supercilijs, & caperata fronte, striataq; scioli, quibus putet sæpe unguenti plena alabastrus, nostra quocunq; concepta sydere sint, immitius conuellere: memores, nemini unquam uitio datum, diuinam bonitatem, quo melius ualeat, coluisse. Bene sentiēti non erit partus hic Hypenemios omnino, aut quod Plato inquit, γόνιμον ἀνεμίαιον, uel ὀρθεσιον ὄναρον: quando ad quingenta plus minus ex autoribus electissimis opinatissimisq;, perpensione accurata, repastinantur loca parum alijs animaduersa: ne quis claudi more nos pilæ arbitretur inhærere, alienisq; cernere oculis, nec ex ingenio quicquam promere. Verum in hoc eum seruamus modum, ut omnium ferè parcamus famæ, neq; enim infectam cruore gloriolam captamus, aut satyram condimus. Quod si quis proscissum se traductumq; ac digito monstratum suspicabitur, uelim expendat acrius iniunctam promendi ueri necessitatem: neq; enim parietem linere propositum est, aut puluillum cubito iacentium subdere. Porrò & animi candorem ab omni prorsus æmulatione, & figurati præconis morsu, ac uirulentia secretū. Ego magnis nominibus, quando proferunt se (ut nunc est) mira fertilitate disciplinarum omnium studia, libenter assurgo, inuenta, & in scribendo curam approbo, exosculorq;: sic enim exolescet quàm primum barbaries, cuius (ut sic dicam) uitiliginibus sordescēs Latinæ linguæ claritas diu, uelut mucore, iacuit adobruta. Quod si uestra insequutus uestigia doctissimi uiri, ceu in eandem harenam uocatus pugnatum, dolium ipse quoq;, sicuti ille fecit apud Lucianum, uersare sum adortus, nil est quod isto nomine cuiquam frontem contraham: quippe notissimum est, delicatam esse doctrinam, ictus pugnanti dictare de muro. Obscurior quidem mea forsan fama est, fictilibus tamen prolibatum simpulis commeminimus: ac inter uina & epulas, non spretum sæpe aquæ potum. Notum & illud est, summa persequentes, honeste uel in secundo conspici fastigio. Quæ immensis laboribus sunt comparata mihi, quanquam summe districto uarijs curis, ea nec ferè prætrita, uel oblita pridem in album promuntur, & scientissimorū decuriæ adnumerantur, ne uelut ἐν κωφῷ θεάτρῳ diutius adblandiamur nobis. Quod si fallimur, nec plausum expectare nostra ualent, succinam illud ipse mihi, κεκύλισται ὁ πίθος ἐν κρανίῳ. Cæterum quo certiore cubito hosce libellos metiri, etiam in uestibulo, ualeat unusquisq;, uelut per tesseram edicto itinere, iam operis rationem exequi pergam. In quo sanè commonitos harum Lectionum studiosos uelim omnes, non intra grammatices pomœria contineri, quæ bonorum iuuenum emolumentis elucubrauimus: neq; ἀτρέμας, quod aiunt, ἐν ἰδίοις μύθοις Λημνίοις: siquidem omne studiorum ferè attentatur genus, precipue uero Platonis, ac Platonicorum rimamur arcana: ut quum ab illis amentatas hastas acceperimus, eas nostris euibremus lacertis: quod ad illorum aliquandiu lucernam peruigilauimus, propter rerum nobilium eminentissimam in philosophia sublimitatem: quæ uetus illud Pythagoreorum symbolum, ex diuinitate profluens recipit fertilissime. Ex quo inter legendum, si modo assequare quæ dicantur: nec transeunter, ut Nilum canis, quod ait Galenus, delibes: mire animos afficit, ac in summum à terrena sequestratos humilitate prouehit, inenarrabilem diuinorū amorem ingenerans. Et ab Aristotele traditum scimus, præstare paucula ex nobiliore scientia prægustasse, quàm de ignobiliore multa. Nec tamen negliguntur interim Peripateticorum placita, subtilitate immensa naturalium arcana extra omnem aleam perscrutantia. Quin, ut nostris nil cessatum horis, sciant omnes, nec uelle nos, quod dicitur, ἐνὶ καλόποδι πάντας ὑποδεῖν, Medicorum ingressi scholas, & uireta præcipue iucunda, quæ interuisimus accurate, ut Christianæ ueritatis theologos taceamus: quos utiq; uigilare solos recte dixeris, somniantibus cæteris, ac profunde omnino: uersuram inde facimus, & excellens præfloramus argumentum, quoniam sortem usus pariat, etiam si raptim, & uelut per transennam prætereuntes. Quo factum est, ut à naturæ principe initia ducentes, quo ab intelligibilium profunditate inenarrabili ad sensibilium mox declinaremus certitudinem, siquid tamen certi scire licet, aut habere, quum uera hic haudquaquam sint, sed uerorum imagines & umbræ, in mundi contemplationem, nullo unquam satis eloquio explicitam, uela fecerimus propansa, consequente dæmonum natura, in qua multiplex retegitur subtilitas rerum, alioqui poeticis adumbrata figmentis. Statimq; ingerente se nobis humanæ excellentia potestatis, quam esse miraculum ingens, & diuinum quoq;, uetus comprobat Theologia, multum

parte

parte hac ſtilo indulſimus, lateq; animalium principi, & in uniuerſi meditullio planè regnanti proprias & animi & corporis dotes extra omnem admirationis captum, regeſſimus: ut rationale animal infinitæ bonitatis eſſe delicias ſe, animaduertens, illi rebellem minus agere, tandem condiſcat: ſi Tyanei aures nõ ſpreuerit, quibus ille ab ſenſu interim ſecretus, inenarrabili concentu Apollinem diuinum mire uniuerſa contemperantem audiebat: quando eam nobis peccati peſtifera uis inuſſit labem, ut homine nil ferè comprobetur fragilius: quod atrociſſimi belli interſita hiſtoria, manifeſtum facimus. Ab hac uero argumenti altitudine, multis fortè caliginoſa, in uarios digredimur linguæ utriuſq; flores: ſubinde tamen, quæ philoſophiam reſipiant, interſerimus. Qua in parte ab Academicorum ueſtigijs non reuellimur, & Socraticorum: quibus frequentiſſimi fuit moris, quæſtione digeſta, diuerſas ad id quod agitaretur, ſententias afferre ac rationes: ut pluribus propoſitis, inuicemq; collatis, inde ſecerni facilius poſſet, quod rationi conſonum magis uideretur. In alijs uero Græcos plurimum autores ſequimur, non quidem ut interpretes, ſed ex eorum perenni uelut fonte iudicio noſtro, utcunq; eſt uiſum, haurientes: ſæpius etiam uel in luto quærentes aurum, ut dicitur, quod eſſe prudentiæ multæ creditur. Nec noſtros tamen retundimus inſigniter cultos, ac luminibus multis nitescentes: uelutq; emblematis quibuſdam mire gratos: aut ſpatioſa, eruditaq; Iureconſultorum uolumina, quando & hi aduocantur ad partes: quorum eſt anima Dei cultus, at ſpiritus patriæ legis cura, cor uoluntas recta, manus rectæ uoluntatis effectus, totum æquitas & grauitas. Atque, ut paucis rem complectar, quicquid lectione collectum eſt, ſtilus in unum rediget corpus, & inde ANTIQVARVM LECTIONVM titulus hiſce libellis eſt adoptatus: nam & Pomponium libros Variarum lectionum, concinnaſſe legimus: ſed & Commentaria Lectionum Antiquarum, à Cæſelio Vindice compoſita, Gellius aduocat. Siquidem adhibita ingenij noſtri aura, quæcunque ea eſt, in ſaporem unum, imagine quadam apum, mire diuerſa confudimus libamenta, uti ex ſuccis odoraminum uarijs, reliquum tamen fiat ſpiramentum unum: adſeruato, quantum euaſuimus, breuitatis modulo, ne prorſum nimio plus excreſcens fieret ἑκατονταβιβλιοπραγμάτεια. Indicem porrò præpoſuimus, ſed triplicem, primo quid ſingulis opere toto capitibus contineatur, paucis explicamus: mox, quæ in diuerſis autoribus exactiore lima perpendantur, expolianturue: poſtremò, uocabula, & ſcitu digna complectimur ferè omnia: ut indulgenter, ac beneuole cum poſteris actum à nobis, iam hinc perdiſcant omnes. Id quod, uelut principem addecet, commonuiſſe obſcurius Cæſarem accepimus, qui peregrinos quoſdam, & fortuna opulentiore contemplatus canum, ſimiarumq; catulos ſinu circumferentes, ac mire confouentes, amanterq;, quærere perrexit, εἰ παιδία παρ' αὐτοῖς ἔτιτίκτουσιν αἱ γυναῖκες.

ELENCHVS SIVE INDEX BREVIS EORVM QVAE CAPITIBVS SINGVLIS TOTO CONTINENTVR VOLVMINE.

CAPITA LIBRI PRIMI,

AN deo congruat nomen aliquod, obſeruata ex Theologumenon libris. Cap.I

Quo pacto mundus ſit congeries malorum, & terra improbitatis prouincia, quum multi deum eſſe mundum dicant, & Moyſes quoq; ac ſanctæ literæ miris efferãt laudibus. Cap.II

Humana natura aſtruitur non uilis, nec contemnenda. Hominis cauſa omnia eſſe à deo quodammodo producta. Hominem futurum fuiſſe immortalem, ſi non peccaſſet. Ante peccatum, an noxium quippiam produxerit terra. Incorruptibile quot dicatur modis. Cap.III

Terram eſſe mundi chorum medium, quæ ſit Muſarum chorea, quid Apollo. Terram eſſe ſtellam unam ex Pythagora. Cur dea à Platone dicta. Terræ nomen non eſſe uile. Cur firmamentum dicatur. Item cœlum quomodo unitas omnium. Aquarum cœleſtiũ ratio. Terræ pręconia plura, & quæ ſit eiuſdem forma. Cherſos quid, item cherſæa. Zedoros terra cur. Cap.IIII

Mundus quid ſit. Natura continens mundum quibus cenſeatur nominibus. Inibi de ſphæro breuiter. Quid ſit illud Timæi, Mundum conſtare ex mente ac neceſſitate. Mundi principia tria. De Anaxagora, cur diceretur νοῦς. Cap.V

Mundus, ſiue coſmos unde dicatur. Quid coſmius & coſmetor. Cur pulchra fiant in mundo. Vnde colligatur mundi pulchritudo. Cœlum eſſe picturatum, & cur dictum ſit ouum. Belus quid. Interim animam eſſe organum dei. Foſſa quæ dicebatur mundus. Seueri hiſtoria. Cap.VI

Vacuum in mundo eſſe nequit. Vtrum uiſus ſine aere intermedio poſſit perfici. An extra mundum eſſe poſſit uacuum. Mundus an ſit unus. Cap.VII

Vtrum eſſe poſſit corpus extra mundum. Quòd ſi concedatur, utrum poſſit à nobis uideri. Cur pede affecto afficiantur inguina. Cap.VIII

Quo tempore anni creatus ſit mundus. Cur Aries ſignorum primus. An demonſtrari queant mundi primordia. Cap.IX

Quæ ſint in mundo antica & poſtica, dextra & ſiniſtra, ſurſum & deorſum, declaratur Lucani locus, & Ouidij alter. Sacrificandi mos. Cur in Oriente naſcantur gemmæ, & aromata, leones, elephanti. Papinij locus illuſtratur. Cryſtalli ratio. Item pauonum, pſittacorum, meleagridum. Cap.X

Quam rationem in animalibus dextra, uel ſiniſtra pars, necnon antica & poſtica: item ſuperna, infernaq; habeant. Plantarum radices eſſe oris uice. Senſuum alios dici naturales, animales alios. Cur uirorum ſuperiora craſſiora ſint, in fœminis contraria eueniant. Cur in lateribus ſint crura, alæ, pedes. Ambulandi ratio. Cap.XI

Cœlum an ſit animatum, ex Peripateticorum doctrina. Rurſum quæ ſint in eo dextra & ſiniſtra, antica, poſtica, ſuperna, inferna. Item quæ orbis longitudo. Expenduntur Virgilij loca duo. Cur cœlum moueatur ab Oriente in Occaſum. Templa cur Orientem ſpectent. Quintum corpus nec grauitatem habere, nec leuitatem. Cœlum eſſe abſq; materia. Cyttarus quid. Cap.XII

Mundi figura. An cœleſtia nutriantur. Cardinum cœli diſtinctio ac poteſtas. C.XIII

Quot ſint omnino ſphæræ. De Manichæis obiter & Gnoſticis, ac Agnoitis & Chiliaſtis. Recondita de Parcis tribus. Cap.XIIII

An quæ uiſuntur, ſint planè ſyderum corpora. Item an ſtellę ſuo luceant lumine. Quid ætheris nomine intelligendum. Cur in planetis uarij cernantur colores. Cur luna macu loſa.

Ioſa. Aſteriſcus quid, diacodion, aſteriace, ſyderatio. Stichiomatici qui ſint. Cap. XV

An planetæ afficiantur uaporibus terræ. Prius, qualis cenſeatur in literis Ptolemæus. ἀποχὴ quid. De trigono, quadrato, hexagono, diametro. Hæreticus planeta. Caput XVI

Elementorum colores, ſaporesq;. Item an planetæ colores habeant: unde colligi eorum poſſit natura. Elementa cur dicantur στοιχεῖα. De Proteo ſcitu digna: item Idothea. Terra aphoratos quæ. Cap. XVII

Planetarum poteſtas maior ſit, an fixarum ſtellarum. Quæ in utriſq; nominum, & in motu diuerſitatis ratio. Chaldæorum placita de planetis, item diis conſiliariis. Heſperides quæ ſint. Planetæ piſces, item in re militari. Sol & luna an inter planetas. De planetis quoq; plura. An cælum initialis ſit generationis cauſa. Cap. XVIII

Mundum, ſphæras, ſtellas ſentire, ac preces exaudire. Sphæram maximam eſſe mundi oculum, terram item anima & ſenſu præditam, ex Platonicorum doctrina. Origenis placita de ſtellarum animis. Quas intelligi oporteat Neptuni ſtellas, uel Iouis. Cælorum concentus. Mundus an finitus. Græcorum in motu terræ ſuperſtitio. Cap. XIX

Dignitas cæli ex hiſtoria, item ex phyſicis rationibus. In cælo eſſe trinitatis myſteriũ. Cur dicatur οὐρανὸς. Si ſtaret cælum, nihil moueretur. Si calor cæleſtis deficiat, nullibi erit calor, uel frigus. Creatis omnibus ineſſe trinitatis ueſtigium. Cap. XX

Mundi colores tres. An ſint in cælo colores, ex Peripatetica ſchola, an item calor. In quota ſignorum parte cõtingant dierum mutationes. Aſtra unde dicantur. Cælum quot modis dicatur. Cap. XXI

Regio apud Platonem terreſtri paradiſo aſſimilis. Item ubi ſit paradiſus is. Paradiſus quid. Arriani hiſtoria ad id mirabiliter faciens. De habitatione ſub æquinoctiali. Item an ibi ſit mare. Antiſcij qui. De hemiſphæriis duobus, non ingrata. Item de Olympi uertice. Cap. XXII

CAPITA LIBRI SECVNDI.

Simulacra duo nobis eſſe propoſita, mundum & Chriſtum: mundum eſſe tanquam rempublicam, & dei templum. Angelos à deo præfectos humanis rebus, qui mox euaſerint dæmones, & immundi ſpiritus. Angelorum numerus, Platonis & Ariſtotelis ad id ſententia. Caput I

Dæmonis nomen fuiſſe ueteribus honeſtum, nobis non ita. Cur Ariſtoteles dicatur dæmonios, & Plato diuinus. Qui à ueteribus dæmonij dicantur. Cap. II

Rationalis naturæ gradus eſſe tres, deorum, dæmonum, hominum. Dæmones cur. Item eoſdem dici lares, ac genios. Dæmonum deſcriptio. Qui medioxumi, patellarij, ſemones, heroes, manes, Pluto ſumanus, ſangus, popi, diopi, ſtenopos, ſtenoparchæ. An angeli omnes ſint ſpeciei unius. De Dionyſio Ariopagita carptim. Caput III

Eſſe item in ſphæris quorundam ſententia dæmonum ordines. Prouidentia triplex. Quomodo à dæmonibus afficiamur. Qui dæmones naturales, quicq; aduentitij. Dæmonum præfecturæ. Item dæmones eſſe tanquam paſtores. Cap. IIII

Dæmones an habeant corpus, item angeli. Corporum genera quinq;. Nereides quæ ſint. Qui, & ubi uiſibiles dæmones. De Glauco interim. Cap. V

Dæmones eſſe ſemine fœcundos, & coire, angelos bonos minime. An angelus dicatur de homine. De gigantibus interim. Dæmones qua ratione uarias exhibeant figuras. Quæ ſint Naiades, dryades, onoſceli. Cur quidam dæmones ingerant ſe puerperis. Mirum peſtilentiæ genus Conſtantinopoli. Cap. VI

Dæmones mali, dæmonum è cælo lapſus. Quem Ates nomine intelligat Homerus. Trygodæmones qui ſint, & ſorodæmones. Couali. Soroadios dæmon. An dæmones ſint naturaliter mali. Cap. VII

Dæmones an ſentire doloris uim poſſint. Spiritum eſſe, qui ſenſum efficiat. Cur enſes offerantur dæmonibus. Virgilij locus explicatur. Theologica ſententia de ſupplicio dæmonum. An corruptioni ſubijciantur angeli. Exorciſtæ qui ſint. Caput VIII

Dæmonem pluribus modis dici. Animum noſtrum etiam dæmonem nuncupari. Locus Virgilij declaratur. Genituræ loca in cœlo. Cap. IX

Dæmonem eſſe unicuiq; proprium, cuſtodem, teſtemq;. Quæ ſint ab eo emolumenta. Quando fiat dæmonis ab anima electio. Dæmonium Socratis quale foret, & cur diceretur deus. Dæmonius uir. Item de Auguſti & M. Antonij dæmonio. Zabulus. Malleus terræ. Dæmonum bonorum & malorum nomina. Cap. X

An mutato loco mutetur & dæmon. Cur quis alibi fortunatior. Dæmone illuſtrante, mira ſæpe à nobis fieri. Theologorum de angelis bonis placita. Parangeliarchus. Ca. XI

Oracula fuiſſe à multis comprobata, à multis item damnata. Oraculorũ origo. Theologiæ genera tria. De Taciti & Floriani ſtatuis. Annum milleſimum expectare quid ſit. Thulis rex. Thule unde. Statuæ dæmonicæ. Vnde habeant uaticiniũ dæmones. Ca. XII

Dæmonum bonorum malorumq; diſtinctio ex Porphyrio. Dæmonum deſcriptio ex Auguſtino. An dæmones ſint hominibus præſtantiores. An illis fomenta ſuggerentibus ſemper peccatis obretiamur. γνεγούμενοι qui dicantur. De Serapi. Quos facile arripiãt dæmones. Cerberus qui. Dæmonas non poſſe diuitias dare. Animas defunctorum à dæmonibus effingi. De Arreptitijs plura An humanis animis illabi poſſit immundior ſpiritus. Terniſtratores qui ſint. Item paredrus, exhedrus Cap. XIII

Afferuntur ex Auguſtino rationes aliæ, quibus poſſint dæmones futura prænoſcere. Crœſi hiſtoria. Futura noſcendi modos eſſe duos. Cordis arcana modis cognoſci duobus. Cap. XIIII

Origenis opinio de corpuſculis ęthereis atq; aereis: Item de reſtituendis dæmonibus. Origenis excellentia. Cap. XV

Euchetarum & Gnoſticorum impia ſacra dæmonibus concipiendis, curq; Euchetæ dicantur, & Gnoſtici. Cap. XVI

Anacephalæoſis ſuperiorum. Hominem eſſe miraculum magnum: ac quodammodo omnia, & dei ſimulacrum æmulum. Item quid ſit homo, quomodo miraculum. Trinitatis ueſtigium animæ impreſſum. Homo cur rerum mẽſura, & ſecundus deus. Anima cur dicatur ψυχὴ ex Origene. Cap. XVII

Mundos eſſe tres, Hominem dici quartum mundum, in quo ſimulacra ſint reliquorũ trium: item eſſe ueluti Proteum. Pyramis, Aether quid: & æthra. mundos eſſe innumerabiles ex Origene. Cap. XVIII

An ex terra fortuito generari homo queat. Mira de animalium quorundã ſpontali generatione, Venenatorum, & morſu oblædentium origo. An eſſe poſſit uniuerſale diluuium ex Auerroe. Cap. XIX

Homo duobus modis ab Hebræis dicitur, Enos & Adam: ſed Adam, idem eſt ſimpliciter quod homo. Vnde ſit coniectatio, hominem rectè ab humo dici. Animantium interſtitia compoſitionis ratione. Cap. XX

Quibus item probetur, homo ſimilis mundo. Apocataſtaſis quid. De ſtellis in quatuor mundi cardinibus. Hominis laus ex Cicerone. Cap. XXI

Omnis noſtra dignitas ab anima eſt, quæ uehiculum eſt ad deum, & imago mẽtis. Spiritus corpora præparat ad animę ſuſceptionem. Auguſtini, Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis opinio de anima. De entelechia quæpiam. An per accidens corpori inſinuetur anima. Item an fuerit ante corpus. Cap. XXII

Animæ diſtributio ſecundum potentias. Mentem eſſe uice luminis, & inſtrumenti, & uiſus. Qui ſit Ianus biſrons. De mentis capite, ſiue flore. Animæ officia tria. Quid ſit animam è corpore ſegregare. Animus & anima quo diſcernantur. Plinij locus declaratur. Cap. XXIII

Quod ſit animæ idolum. Item quæ imago, & umbra. Ex quibus fiat animal. Adam & Euæ myſtica interpretatio. Cap. XXIIII

Vegetatricis animæ munus triplex. Altricis facultatis organa duo, item munia quatuor. Epeleuſtice motio quid. Cap. XXV

De animali uirtute, item naturali & uitali, ex Auicenna. De ſyntereſi, ac conſcientia. Virtus in ijs quid. Cap. XXVI

Senſuum commoditas, & neceſſitas. Quatuor eſſe, quibus rerum apprehenditur cognitio

gnitio. Quibus inſit ſenſus. Origo eiuſdem. Neruorum paria ſeptem. Spinalis medulla. Cur anima uires ſuas magis in parte iſta promat, quàm illa. Cap. XXVII

Ariſtotelis ſententia de ſenſuum origine. De medio duplici, quo ſenſus producitur in actum. Olfactum eſſe minus alijs neceſſarium, & quæ utilitas eius. Cap. XXVIII

Senſus cur tantum quinq;. Quatuor neceſſaria ut ſentiamus. Animæ progreſſus nouem ad ſcientiæ plenitudinem. Cap. XXIX

Senſus interiores quatuor. De ſenſu cõmuni præcipue. Inibi locus Plinij declaratur. Senſati qui intelligantur. Senſitiuum dici non Latine. Cap. XXX

Qui præſtantioribus ſit ſenſibus præditus, habere item inferiores, ſed non ediuerſo. Senſibus abuti omnibus hominem tantum. Cap. XXXI

Senſum non eſſe idem cum intellectu. An Homerus animã putarit corpoream. Item an ſcierit eſſe præditam ratione. Spiritus & anima an differant. Cap. XXXII

CAPITA LIBRI TERTII.

Intellectus agens, & poſſibilis. Illum dici à Platonicis mentem, hunc uero rationem. Mens cur dicitur. Scanſilis ad deum ratio ex Theologumenon libris. Caput I

Auerrois de intellectu agente ſententia. Quid Auerroem, quandoq; in Ariſtotele interpretando fefellerit. Quam eſſe opinent eruditiores Ariſtotelis in ea re ſententiã. Ca. II

Humanæ ſpeciei laus exquiſita ab ingenij, memoriæ, uaticiniorum, loquutionis pote ſtate. Animam eſſe dei ciuitatem, Chriſti ſponſam, ſpiritus ſancti templum. Interim cur homines dicantur alpheſtæ. Cap. III

Ineſſe animis humanis ſcientiarũ theſauros latẽtes, iuxta Platonem. Cur Muſæ Iouis & Memoriæ dicant filiæ. Quomodo ab quibuſdam reluatur Platonis opinio. Cap. IIII

Hominem unum neſcire imperium pati. Item affectare, ut ſit deus. Qui cõquiſiuerint honores diuinos. Quid ita humana ſpecies credatur, tum ſolaris, tũ Mercurialis. M. Antonij hiſtoria, item Caligulæ, ac Pompeij Magni. Spudarchæ qui. Cap. V

Animæ humanæ potentia mira. Corpus noſtrum poſſe ab anima fieri luminoſum. Animam eſſe ad totius ſapientiæ imaginem factam Cap. VI

Connumerantur, quibus excellentia rationalis naturæ poſſe deprimi uidetur. Mox refelluntur. Plinij locus reſtitutus illuſtratur. Debere unumquenq; ipſum ſe cognoſcere. Animam à deo pingi. Morborum cauſæ. Senectutis laus. Cap. VII

Hominum genera tria pro uitæ inſtitutis. Terræ filij qui dicantur, item cœli, aut dei. Actiuos & uoluptarios haberi tanquam exules, quia contemplantes iam ſint in patria. De uoluptate. Cap. VIII

Felicitatem eſſe duplicem, naturalem, ſupernaturalemq;. Quo calle hanc conſequamur. Corporis deſcriptio grata. Cap. IX

Humanis corporibus nil deeſſe ad perfectionem. An corpora noſtra ſint cœleſtibus nobiliora. De ſimia iucundum ſcitu. Corporis humani nuditatem non eſſe probroſam, contra Plinij ſententiam. Quid reſponderi poſſit præponentibus homini bruta. Cur infantia quadrupedibus nos ſimiles faciat. Curq; uirorum cadauera fluitent ſupina, fœminarum prona. Pumilionum ratio. Cap. X

Cur ſit erectæ ſtaturæ homo. Cur plantæ contrario nobis modo ſe habeant. Piſcis qui dicitur cœli inſpector. Cap. XI

Quàm multa ſint in corpore humano admiratione digna. Quæ ſit in corporibus pulchritudo. De humoribus quatuor humani corporis. Quid ita functos fato dicamus Alibantas. Segniciei in motu ratio, item animoſitatis & contentioſæ naturæ. Idioſyncraſia quid. Medicina uera cur diis attributa. Cur ingenioſi aliqui, aut obliuioſi. Cur triſtes, aut hilares. Item de ſanguine, ac bile atra. Plinij locus reſtituitur libro ſecundo. Cacochymia & Plethora quo differant. Ichores quid, & Enhæmum. Cur ſanguis dicatur ἔαρ. Lac quid. Cap. XII

Spiritum plura ſignificare. Branchus quid. De animali ſpiritu, uitali, naturali. Ingeniorum diuerſitas unde ſit. Cap. XIII

Quid arteria, & quid uena, origo utriuſq;. Vena an dicatur de arteria, cõtra Gellium.

Hæmorrhagia quid. Anaſtomoſis. Diapedeſis. Parocheteuſis. Antiſpaſis. Iſchæmon. Arteriæ tunica an coeat ſoluta. Colletica. Epuletica. Cirſos. Varices. Cap. XIIII

Pulſus quid. Item de ratione pulſuum digna ſcitu. Qui ſit formiculans percuſſus, et uermiculans. Plinius declaratur. Microſphycti qui intelligantur. Cap. XV

Quæ ſunt partes in animalibus ſimilares & diſſimilares: item de neruis. Quæ membra organica. Quoq; ab iis differant, quæ animalium dicuntur partes. Cap. XVI

Oſſium ratio. Cornei cur dicantur, quibus ſunt oſſa concreta. Quot in humano corpore. Interim quæ oſſa dicuntur ſimenia, uel cynolopha: item ſeſamina, lambda, hyodea, catagma, helcos, rhegma, ſpaſma, apoſpaſma, teredon, lygyſmos. Poros quid. Cap. XVII

Carthilaginis natura quo ab oſſibus differat. Chondros, chondracantha, medulla notiæa, ſpondylion, moſchion, medulla lanæ, medulla auium. Cap. XVIII

Neruorũ ratio, & unde oriantur nerui. An ſentiendi organũ ſit caro. Anthrope quid: item epidermis, rhacodes, lacernoſa cutis. Cap. XIX

Carnis ratio ex Platonis doctrina. Carnis ſpecies duæ. Qui ſint ines, & qui uilli apud medicinæ peritos. Pulpa, in Plinio quid. Parenchymata, adenes, inion, inis, inulus, hinni. Sarcotica pharmaca, cephalica, cathæretica, hyperſarcoſis, euſarcon. Cap. XX

Humanum corpus ſumma partium proportione conſtructum. Phyam quid uocent Græci. Rotundum & quadratum ſchema reperiri in corporibus noſtris. Menſurarũ indidem eſſe deprompta nomina: item denarium numerum. Quibus conſtet corpus. Retrimenta quot excernantur modis. Vlcerum ſuperfluitates haberi generum duorũ, ichora, & rhypos. Corpora perittomatica & plethorica. Cap. XXI

Humani corporis partes. Membrum quid. Monocola quæ. Nouem haberi perpenſione digna in quolibet membro. Motus actiui & paſſiui. Cur naturam dixerit iuſtam Hippocrates. Membri cuiuſq; ratio triplex. Cap. XXII

Capitis ratio: cur ibi ſedes animę. Codia quid, & unde. Crera, hemicrera, ſincipita. Cur magnis uiris caput aperire, inſtitutũ. Cerebri item ratio. Encar quid ſit. An cerebro abſtinuerint ueteres. Obiter iurandi mos per caput, ſalutem, genium. Adriani hiſtoria, engiſſomata, camaromata, oſtagra, encopei, auliſci, phacota, xyſteres, trypana, abaptiſta. Cædis expiatio. Cauere capite. Epidij hiſtoria. Diploa quid. An capite præciſo poſſit quis progredi aut loqui. De craneo, & ſuturis: item de capillis. Interim adnotabis quæ dicantur Thria. Qui dicantur Phoxi: & quid phoxa, & phoxichili. Itẽ cymbe, cymbachus, cymbæum, xylocymba, corymba. Capitis reſectio honorifica ueteribus. Cap. XXIII

Capillorum ratio. Cur defunctorum capilli durent, aut etiam augeſcant. De Tulliola Ciceronis. Lophos quid, & lopheum, lophiumq;. Lyſoma. Polylopa quæ. Interim cur aquatica inobſepta pilis. Cur collum minime piloſum. Cap. XXIIII

Barbitij ratio. Myſtax. Hyporrhinion, propogonion quid. Pogon, tragopogon. Cur mulier barba ſit exuta: curq; in nonnullis uiſatur. Pappos, hypene, aruncus, cryngus. Adrianus Cæſarum primus barbam nutrire eſt exorſus: cur quibuſdam barba nunq; ſubnaſcatur. Maſtaces locuſtæ. Cap. XXV

Frontis ratio. Metopoſcopi qui ſint. Itẽ quæ ſtellæ ſecundę. Cur quandoq; nequeat aperiri oculus. Sudoris in fronte ratio. Scardamytici. Atenes. Oſculum frontis. Tetanos frons. Cap. XXVI

Supercilia quam habeant rationem: item Cilia. Giſſa quid, & giſſomata, giſſipus, giſſipodiſma, ſuggrundia, uel ſuggrundæ. Supercilia hoſtiorum. Anaphalantiaſis, ſiue ſaltium. Palpebra quid, & gena. Cap. XXVII

Oculorum conſtitutio mira. Cæcitatis malum. Oculi faciles, à Virgilio cur dicantur. Glaucopis Minerua unde appellata. Vidẽdi ratio breuis. De ſpeculis erudita nonnulla: curq; ab menſtruis inficiantur. Plinianus ſoluitur nodus. Quæ dicantur ὑπώπια, & ὑπώπια: item ὀφθαλμια, φολκὸς qui, & βλεφαρίτις: item ἰλὸς, & inde corriuata uerba. Viſores, Paſſiuæ oculorum cupiditates. Hypopyon. Vnguis oculi. Procopij hiſtoria. Optili, monopodij, lucinij. Cap. XXVIII

Aurium, & audiendi ratio. Scaphus quid. Amara, & ſamara. Aerem ictum moueri in orbem. Adriani hiſtoria. Cochliæ. De aurium humoribus. Item de ſordibus. Cypſelides. Lobus quid. De Faneſiis. Amphotides quæ ſint. Epotides, & Anterides. De auribus ex hiſtorijs

hiſtoriſs nonnihil. Qui dicantur Oti. Auribus an ſpirent capræ. Aurium uermes, eulæ. Caput XXIX

De naribus, & earundem muniſs. Sanguinis è naribus profluuium unde ſit. Mirum de elephanti nare, quæ dicatur promuſcis. Rhinocolura. De coluris, ac mitylo, & colo, & ficis coluris, ac colyridibus, coluriſq; item colophuris, & colobotis. Quid cothuri, mutica. Quid collyriſſare: item myſſare, myxa, myxus. Itē quid nares in architectura: & quid æſtuaria, & mygme, myttotos, ſimon, plagion, loxon. Cap. XXX

Labiorum & linguæ, munus duplex. Philtron. Typos, uel nympha. Prochilon. Proſtomion. Item de ore. Microſtomus, chelyne, chelynide, chelya, chelyſma. Stoma unde. Aſtoma quæ: item euſtoma, ſtomatica. Mirones, miracula. Cap. XXXI

Linguæ, & orationis laus præcipua. De imitatione nonnihil. Saporum ſenſus ubi percipiatur. Saliuæ fontes. De guſtu, & pſittaco mirū. Meropes qui, & unde dicantur. Tryſſare quid. Trygon cur. Ancyloglosſum, ancylotomon. Siculi cur trilingues. Cap. XXXII

CAPITA LIBRI QVARTI.

Dentes cur attributi animantibus. Dentibus an inſit ſentiendi uis, atq; item oſſibus. Dentium diſtributio, & uocabula. Quid gelaſinus. Gingiuarum nomina. De Pyrrho, & Hercule, ſuis Calidoniæ dentibus, & Zenobiæ. Odontiaſis quid, & odaxyſmus. Gomphiaſis, gomphiaſmus, pladara, epulides, parulides, chauliodonta, carcharodonta. Cap. I

Proſopon, id eſt facies, quid. Coros quid. Commodi hiſtoria, & Fuluię. Colli ratio. De ſphondylis. Ancteres quid: item anthereon. Corræ, corſæ, corſoterium, corſoteus, dire, byſſauchen. De oſſibus humerorum. De iugulis. Clides, clidia, guttur, gula, pharinx, larinx, aſparagus, & aſpharagus. Gylius, & gyliauchen quid. Gyrini, ginni, gygenij. Iſthmus, unde pariſthmia. Orthoſtade. Orthoſtadia ueſtimenta. Strangulationum ratio. Cynanche, paracynanche, paraſynanche, angina, ſynanche, metaphrenum. Antiades quæ, & cur. Tonſillæ, cion, decollare, murenula, fuca, capitium, ſtruma, pappa, prolobum, pro boli. Cap. II

Manuum laus præcipua. Scribendi bonum. Dextrā cur in fide porrigatur. Tendines, toni, dactyli idæi unde. Ambidextri, & ambilæui ratio: gyia, gyalas, cyllos. Pygmæi unde: ancon: maſchalæ, ſeu alæ in harundinibus: carpus, carpæa: Carpiæ ciuitates. Brachij partes, & uocabula. Manuum, digitorū partes, ac partium nomina. Chirurgia. Oſculandi mos. Spithame, lichas, ulna, thenar, cotyle, condylus, condylion, gronthus, ſcytalides, phalanges. Brachium calefacere. De Martio, & Claudio. Agrorum nomina diuerſa. Xanaon. Cap. III

Pectoris ratio, & uocabula partium. De coſtarum numero. De uberibus, & partium nominibus. Rhoæ. Thorax. De oſſe ſacro, & ſphondylorum meatu. Item coſtarum uocabula. Quid pleuritis, arthritis, nephritis. Pectus uinciendi mos. Terentij locus explicatur. Cardia, cyamos, chondros, ſpathæ, plateæ, copia, orrhopygium, coccyx, ſolen, fiſtula ſacra. Cap. IIII

Ventris partes, & uocabula. Cœliacus morbus. De umbilico, & partium circumiectarum uocabulis. Etron, abdomen, peritonæum, ſyringotoma, echinus, cecryphalus, apocriticus. Strophi dolores. Gangamon, græa. Preſagium ex umbilici nodis. Cholera quid. Ilia, ceneon, lagon, lapara. Qui ſint uerſus Procœlij, ſphecodes, lagari, myuri, acephali, phrycocælium. Cap. V

Pubes, epiſium, ephebæum, hebe, phallouitroboli, acylos, orrhon, taurus, pipinna, lipodermi: peos, ac pœos. Item penis, eius uocabula plura. Faſcinum cur. Pudendorum Liberi patris cultus. Taurus, & dactylios. Cōgylia. Capros, capreæ. De nanis. Nonos quid: & uepene. Onos, onobelus, monobeles. Tentum quid. Cap. VI

Teſtium ratio præſtantiſſima. Membra dominantia quæ ſint. Didymus panniculus. Muliebrium pudendorum partes, ac uocabula. Sacandrus, lanuuini, clitorini. Peſſus, & peſſulus. Porta, & hoſtium, pro genitali. Dupondius. Locus ex proœmio Digeſtorum reſtituitur. Item Propertius explicatur. Cremaſteres. Lytæ qui dicantur, & prolytæ. Dipondium. Chlunem entomiam quid uocent Græci. Monij ſues qui: item mellina, uidulus

dulus,uidularia,meſoſcelos,apocopi,cochone,deteſtatio,cremor,cremium,ſuperamenta,crimnon. Crimnodes urinæ. Monolia. Heliogabali hiſtoria. Phimoſis, periphimoſis. Cap.VII
Lumbi,& umbilici,pro genitalibus.

Nates,apogluti,glutos,ephedrana,pyga. Hypoliſpæ quid: item liſpa, liſpi. Cur Athenienſes Depyges. Theſei petra. Virgilij locus. Cur cædantur nates potiſſimum. Callipygos,catapygon,pygoſtolus,anorrhopygia,urrhopygium. Syracuſanarum puellarum hiſtoria. Venus callipygos cur. Pygargi notiones aliquot. Melampygus, leucopygus. VIII
Caput

Ani ratio & uocabula. Sphincter,phicteris,ſtephanus, dactylios, archus, archolipa-ros,aniſchia,liſpi,hedra,ſedes,coryphe,chiliarchus,archontes,cimeliarchus,cimelia,arceuthus. Anarchias annus. Sedis procidentia. Exomphali. Hedrica uitia. Peritonæum, Cap.IX
polemarchus.

Teſticuli muliebres quam habeant rationem. An conferat mulier ſemen ad generationem. Semen quid. De menſtruis. Cur fœmina minor uiro. Cap.X

Crurum ratio. Item uocabula plurima ad imum uſq; Plixis,plix, pligmata, acetabula, cotyla,cotyledon,iſchion,bubon. Lycophronis taxatio. Coxendix, callimerus, patella, coxa,molæ,ſphyros,rhæbi,uari,uarica. Tarſus ciuitas cur dicatur. Cotyla item chimetla. Marcellion,ganglion,ſarapus,chœrapus,eumarides,aſceræ,artaria,periſphyria. Pes magnus. Pedem poſuiſſe. Podia,pedicinus,petiolus. Tenax quid. Periſcelides quæ ſint. De Cap.XI
Pittaco.

Inferiorum proportio cum ſuperioribus. Quoſdam pedibus mira efficere. Pedum ratio. Cur inferna mulierũ craſſiora. Apodes,cypſeli, trogletes. Elephantos genua non flectere. Adoleſcens ſine humeris ex India Romam miſſus. Colon. Iphiclus unde: item Colias Venus. Scarthmus. Chiræ quid,& Chiropodes. Chirodota. Cap.XII

Hypoglottides,antiades,pariſthmia. Μῆλα, id eſt mala. Columella. Staphyle, id eſt uua. Carotica pharmaca,uel anodyna: item trigona. Nocar. Larynx,pharynx,laryngus,aſpharagus,ſpharaga,corruda, epiglottis. Toni nerui. Stomachici qui ſint. Aſa ſtomachi quid. Carotæ nerui. Caroticæ uenæ,& ſphragitides. Celſi locus reſtituitur. Sphragitides nymphæ. Hyoides os,ſiue paraſtates. Fiſtula colli duplex. Stomachi ratio. Cardia,cardiogmos. Plados ſtomachi. Stomachi præcordia. Cap.XIII

Inteſtinorum ordo,& uocabula. De lactibus choladibus & meſenterio. Meſarchus, meſochorus. Omentum quid: item enterione,& enterionis: ecphyades, paraphyades. Allium cur ruſticorum theriace. Haliamenta. Peritonæum. Syntexis inteſtinorum. Ileos morbus,ſeu uoluolus,aut chordapſos. Splanchna. Chordæ. Orya. Cap.XIIII

Pulmo,qua naturæ prouidentia factus. Cur Latini & Græci pulmones quandoq; dicere malint,quàm pulmonem. Sitis ratio naturalis. De branchijs piſcium. Qui pneumonici,ſeu pulmonarij. Brachea,id eſt breuia. Pulmonea. Pulmones cur dicantur rudes,& inſulſi. Aer peſtilens cur cibis inficiat grauius. Brucorum feſtum. Cap.XV

Cordis ratio. Item de uentriculis cordis diſceptatio non inelegans. De ignea ui promente ſe ex corde,unde effingantur ſenſus. Thalami. Diribitoria. Plinij loca expenduntur nonnulla de ratione cordis. Accipiter ab Aegyptijs cur dicatur Βαϊνόλ. Cor paruum cur audaciæ ſignum. Cap.XVI

De iecore,pancreo,holcymo, olco, holco, ac felle. Plinij locus explicatur. Item ratio longioris breuioriſq; uitæ. Auguſtini Barbadici hiſtoria. Fiſſum iecoris quod ſit. Cicero explicatur. Hepatici qui,& unde fiant. Fellenus deus. Hepatus piſcis. Hepation. Lucilij Cap.XVII
locus perpenditur.

De liene,& riſus immoderatiõe. Plinius,Cicero,Quintilianus declarant. De Caunijs lienoſis. Aſplenon medicamentum quid. Cur Traianus fiſcum appellarit lienem. Splenici,tuſſici. Canum furor unde ſit. Splenia emplaſtra. Interim quomodo mortuus Zeuxis. Cap.XVIII

Cuíuſmodí ſit íllud Plínianum ex líbro octauo,cantharus ſub bouís língua,quem uocant Apín. Tollítur ex Auſonío obſcuritas, ubí Marcum pullarĩam emígraturum mox ín ſcarabeum fíngit. Cap.V
Cur Plínius laſcíuíentes delphínos tempeſtatís ſtatuat præſagíum. Cap.VI
Vítruuíj locus aperítur de thymelícis. Quo ſenſu dixerit Plautus in Amphítryone,

Síue

Siue ambissent qui palmam histrionibus, siue cuiquam artifici.
Item cur poeta idem inferat mox, Quiue quo placeret alter, feciſſent minus.
Quid ſignificarit illis uerſibus Martialis:
Raptus abit media, quod ad æthera taurus harena,
Non fuit hoc artis, ſed pietatis opus. Cap. VIII
Proſcenium meretrix, quam habuerit nominis rationem, præter quàm opinentur alij. Cap. VIII
Plutarchi ex cauſis, locus explicatur de theoria, interpretis inſcitia adnotata. Palintocia uerbum libro eodem prætermiſſum negligenter, reponitur. Cap. IX
Plutarchi tralatio in Pericle locis duobus emendatur de theoricis, & nauibus, quæ ſtratiotides uocantur. Cap. IX
Item Plutarchi locus reſtituitur ex Alcibiade de Salaminia naue. Cap. IX
Engaſtromantes uel engaſtrimythi qui ſint, extra quàm opinatus ſit Hermoleos. Tollitur mendum ex Canonicis decretis, de pythonibus: & qui Pythones. Cap. X
Babylon, cur purpurata meretrix apud Hieronymum. Cap. XI
Quo intellectu de rerum natura, libro quarto Lucretius dixerit, Babylonia fiunt. Aureus Babylonis calix apud eundem Hieronymum qui intelligi debeat. Cap. XI
Græcus Theophraſti codex emaculatur, crocum habens pro crico: in cuius expoſitione uocabuli pleraq; aperiuntur in noſtris, & Græcis auctoribus. Cap. XIII
Cuiuſmodi fuerit Delphicus tripos, præter quorundam recentiorum ſententiam. XV
Cur monogrammos deos dixerit Epicurus apud Ciceronem de natura deorum ſecundo. Cap. XIX

EX LIBRO NONO

Quintiliani locus de tibicine incinente Phrygium ſacrificanti, in materia declamantium, copioſius explicatur. Quo intellectu pronuntiatum ab Horatio ſit:
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor: grammatici certant. Cap. III
Qui ſint apud Quintilianum ſpadices. Cap. IIII
Quid ſignificarit Quintilianus libro primo in ratione legendorum Carminum, ubi Cæſarem dixiſſe refert, Si cantas, male cantas, ſi legis, cantas. Cap. V
Ciceronis locus ex ſecundo De oratore, de ſpondalijs, quæ ſint ea, & cur dicantur. VI
Papinij locus ex Thebaidos ſexto explicatur apte:
Quum ſignum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes, Lege Phrygum mœſta. Cap. VII
Penſitatur Auguſtini ſententia, qua is ſuper lani caſtitate falli uidetur. Cap. VIII
Quid ita in Bucolico ludicro Virgilius, Arcadum in muſicis peritiam ſubinde laudibus efferat. Cap. IX
Male percipi Tranquilli ſenſum in Nerone, ſe aliquid ſufferti cantaturum, & quæ ſit eius uerbi notio remotior. Seruius in Bucolici ludicri enarratione explicatur de Titis columbis. Cap. X
Plutarchi locus reſtituitur in Alcibiade de cirrjs. Cap. XI
Græcorum error ſuper Apicio refellitur. Cap. XI
Quo ſenſu enuntiatum ueteribus ſit, Amazonum ἄσματα, id eſt cantilena: quod ex doctis aliqui ingenue fatentur, à ſe minus percipi. Cap. XII
Ciceronis obſcuritas illuſtratur ex epiſtolis ad Atticum de Cononis patre. Cap. XVII
Lucretij locus ex primo libro explicatur in Religionis mentione, quæ (ut ipſe ait) caput à cæli regionibus oſtendebat. Cap. XIX
An ex uero dictum Maroni ſit Aeneidos quarto:
Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes,
Quas uelit, aſt alijs duras immittere curas. Cap. XXII
Martialis dictio reſtituitur ex ueteri lectione,
Inter quadrupedes mattya prima lepus. Cap. XXXI
Galeni uerbum interpellatione reponitur de monte Veſuuio, Therapeutices quinto. Capite XXXI
Lapſus interpretis Plutarchi fœdior ex Pelopidæ uita ſuper Iolai hiſtoria. Cap. XLI

Martialis nodus explicatur: Bellus homo & magnus uis idem Cotta uideri?
Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt. Cap. XXIII

EX LIBRO DECIMO.

Cuiuſmodi ſit Ciceronis illud ad Q. fratrem, Operas à Græcoſtaſi, & gradibus clamorem ſuſtuliſſe. Cap. V
Quæ furta in ueteribus monumentis conciliari dicantur per lancem & licium. Cap. VI
Reſtituitur dictio apud Vlpianum Digeſtis de furtis, ubi qui ſit fur manifeſtarius, explicatur. Cap. VI
Legendum apud T. Liuium ab Vrbe condita primo libro, Lex erat horrendi carminis: non criminis, uti mendoſiores præferunt codices. Cap. VII
Tollitur ex Plinio nodoſa difficultas in Præfatione, Suſpendio arborẽ eligendam. VII
Quæ ſit apud Plautum litera longa, quam ſuſpendioſi faciant. Cap. VIII
Cur Aeneidos ſexto Virgilius, in inferorum ueſtibulo ſomnia ſtatuerit uana. Cap. IX
Cur ab eodem dictum: Quę gratia currum, Armorumq́ fuit uiuis, quę cura nitẽtes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos. Cap. IX
Explicatur copioſe Quintiliani illud, Et natura tenaciores eorum ſumus, quæ à teneris annis imbibimus. Cap. IX
Plutarchi locus reſtituit̃ ex uita iunioris Catonis, de memoria & reminiſcentia. XIIII
Maronianum perpenditur carmen ſcitiſſime:
Oblitus' ue ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto. Cap. XV
Puteal quid ſit apud Perſium, & Horatium. Cap. XVII
Declaratur Senecæ uerſiculus ex Thyeſte:
Timentq́ ueterem nobiles Argi ſitim. Cap. XVII
Ageſilaum recte legi apud Lactantium inter Plutonis cognomenta. Cap. XVIII
Quid ſit apud Varronem poſtulio, ſeu poſtulatio. Cap. XIX

EX LIBRO XI

Olidum ueternum cur dixerit Catullus. Cap. III
Gellianus emaculatur codex libro decimoſexto, capite duodecimo, ubi lucum ſcribunt, pro eo quod eſt elucus: item mutata g in c, quum reponendum ſit a in e. Cap. IIII
Plutarchi loca duo ſuæ reſtituuntur luci, qua parte hallucinantur interpretes in uerbo ἁλύειν, & quid halys. Cap. IIII
Apuleij locus perpenditur in magia, ubi pro maſthlis, machi leguntur modo. Cap. VII
Qui ſint apud Senecam ordinarij & poſtulatitij gladiatores, præter doctorum quoq; ſententiam. Pararios non dici gladiatores apud Senecam, ſed gladiatorum paria. Cap. X
Conſumatos gladiatores quos intelligat Naturalis hiſtoriæ libro octauo Plinius. XI
Samius gladiator qui ſit apud Ciceronem Thuſculana ſecunda. Cap. XI
Quid à Seneca ſignificatum ſexto Controuerſiarum, ubi Paſſieno, prima ſyllaba in Græcum mutata, obſcœnum nomen impoſitum ſcribit. Cap. XIII
An ex hiſtorica fide Plinius Catonem prodiderit ſolum quater & quadragies cauſam dixiſſe, abſolutum ſemper. Cap. XIIII
Plinij locus illuſtratur de Archilochi interfectoribus. Cap. XIIII
Enarratur prouerbiũ à Callipide productũ, in quo doctos hæſitaſſe, animaduertit̃. XV
Plutarchi locus ex Alcibiade male tralatus reſtituitur ſuper eodem Callipide. Ca. XVI
Senecæ obſcuritas illuſtratur ex tertio ac ſexto De beneficijs, ſuper Amphinomo & Anapia. Cap. XVII
Nemeſis quo ſenſu accipienda apud poetas tum Græcos, tum Latinos. Cap. XIX
Perpenditur Ciceronis locus de paricidarum ſupplicio. Cap. XXI
Cur dictum à Cicerone, mari, quę uiolata ſunt, expiari. Cap. XXII
Enarratur Catullianum carmen, Nec genitor nympharum abluit oceanus. Cap. XXII

EX LIBRO XII

Appiades apud Plinium quæ ſint. Item an hippades potius legendum. Cap. I
Arborum dijs dicatarũ quę afferri ratio poſſit: unde illuſtrantur auctores multi. Cap. I
Quare dictum à Plinio, Sergium ut debilem, à ſacris arceri ſolitum. Cap. II
Plutarchi codex Latinus emaculatur de Teleſtrio. Cap. II

Plinius explicatur in lachrymarum ratione Cap.III
Hieronymi locus explicatur, de Laodicensi indumento. Cap.V
Interpretis Plutarchi adnotatur error pudendus super pyræi lema. Cap.VI
Cronicæ lemæ cur dicantur, etiam extra quàm opinentur Græci. Cap.VI
Quid fasces submittere apud T. Liuium. Cap.VII
Maior consul apud Plinium qui nam intelligi debeat: & qui prætor primus in Marci Tullij oratione. Cap.VIII
An ex uero Plinius Balbum Gaditanum scripserit solum externorum consulari usum dignitate. Cap.VIII
Dies senis horis non fuisse ueteribus contentos, quod quidam nihilominus prodere sunt ausi. Cap.IX
Tollitur difficultas ex Epistola Seruij Sulpitij, de hora decima. Cap.IX
Plinij locus restituitur ex libro secundo, de horis æstus marini. Cap.IX
Quæ, aut qualis sit Noctium Atticarum primo gnomonica, quam mathesi ascribit Gellius. Cap.IX
Quos intellígere oporteat apud Lucianum horos. Cap.X
Quid sit apud T. Liuium, sacrare cum bonis caput. Cap.XI
Pensitatur Gellianus codex libro Noctium Atticarum secundo, ἰχθῶ ἰερόν: ubi astruitur lectio genuina, ueraq;. Cap.XII
Aristophanis interpretem fœde lapsum super scholij etymo. Cap.XV
Vitiose legi in epistola M. Tullij ad Fabium Gallum, Citius, opinor, non omnibus dormio. Cap.XVI
Sardiniam pestilentẽ cur dixerit, epistola eadem Cicero, extra quàm opinentur enarratores. Insuper & de salacone pluscula. Cap.XVI
Sequentis epistolæ enarratio integra ferè, ubi præter multorũ sententiam magistrum dici de dictatore pluribus astruitur. Cap.XVII
Emendatur locus ex epistola Seruij Sulpitij, supra Maias. Cap.XVII
Defenditur à calumnia Hermolaus Barbarus super Zetæ uocabulo, quod inter recepta quidam non habent. Cap.XVIII
Plinij sensus obscurior illustratur de capitis iudicio primo apud Areopagum. XIX
Lactantij grammatici locus ex Thebaidos duodecimo, à uitio uindicatur super Eresione, ac hicteria. Cap.XIX
An oleastro in Olympia coronarentur uictores, quod Latini sentiunt ferè. Cap.XIX
Tollitur ex T. Liuio difficultas de nexorum ratione. Cap.XX
Explodítur error interpretum Salustij in tabularum nouarum mentione, quas insciti nimis & hebeti iudicatu pro picturis accepere. Cap.XXI
Quid sit illud Iuuenalis præter interpretum sententiam,
Et longi relegit transuersa diurni. Cap.XXI
Quæ intelligantur nexorum iura in primo De oratore, apud Ciceronem. Cap.XXI

EX LIBRO XIII

Quintiliani placita de oris multiplici uitio, explicantur copiosius. Cap.I
Quid ita lasciuire in heroicis suis Ouidium, statuerit Fabius. Cap.I
Astruitur lectio uera in Quintiliano, de glossematis. Cap.III
Quod sit apud Diomedem glossematicum dicendi genus. Cap.III
Plinij locus illustratur ex libro septimo, de arcanorum proditione in Augusti historia. Cap.V
Quæ fuerint Erechthei filiæ, quidq; de ijs traditum ueteribus: unde Ciceronis explicatur nodus ex Thusculanarum primo. Cap.VII
Leocoræ puellæ quæ intelligi apud Demosthenem debeant in funebri quadam oratione. Illustratur & in deorum natura Cicero. Cap.VII
Quo sensu à Valerio Martiale dictum: Quid barbam uellis mortuo leoni? in quo plerique omnes toto (uti aiunt) cælo aberrarunt. Cap.VIII
Hieronymi locus restituitur de geranopipa. Cap.XI
Plinij locus de Annulo fluuio in elephantorum historia. Cap.XVIII

Plautinus exoluitur nodus in Amphitryone ex literis plane literatis, de Saturni hoſtia Cap.XXIII
Cur in fabula eadem dictum à poeta eodem, Fames & mora bile naſum cõciunt. Item in Curculione, Os amarum habeo, dentes plenos, lippiũt fauces fame. Ca. XXIIII
De tyrotaricho quid ſentiendum apud Ciceronem. Cap.XXVI
Cur dictum à Perſio: Saperdam aduehe ponto. Cap. XXVI
Quum à naturalibus ferè traditum ſciamus, hominem unum ex omnibus caneſcere, an recte Plinius in equis idipſum agnouerit. Cap.XXVIII
Qui intelligi apud Quintilianum Pancratiaſtæ debeant, præter omnium hactenus ſententiam. Cap. XXX
Quos eſſe analectas grammaticos, ſtatuendum ſit, apud Senecam. Cap.XXXI
Plutarchi ſenſus item ad ſaniorem reuocatur intellectum ex uita Aemylij Pauli de apocartereſi. Cap.XXXIII
Plutarchi loca duo reſtituuntur ex Demoſthenis uita, de Prytaneo, & Demoſthenis ſtatua. Cap.XL

EX LIBRO XIIII

Frigidam ſuffundere apud Plautum in Ciſtellaria, eſſe omnino aliud, quàm opinentur multi. Cap.II
Cur ex ſententia Heſiodi uiros hyeme auidiores Veneris prodiderit Plinius, fœminas æſtate. Reſtituitur Tranquilli locus ex Tiberio de imperato ſchemate. Cap. IIII
Saluſtium parum integra fide à Gellio inceſſi, ſuper Sertorio, quem corporis dehoneſtamento lætari ſolitum, ſcribit. Cap.V
Ludere de alieno corio, in Apuleij fabula Mileſia prouerbium unde profluxerit, extra quàm uel doctioribus uideatur. Quo intellectu dixerit in Amphitryone Plautus, Eius ornamenta, & corium uti conciderent. Cap.VII
Ariſtotelis interpres refellitur Ethicorum quinto, ſuper proagogia. Cap.VIII
Tollitur ex Cicerone nodus in epiſtola ad Brutum de liberis Themiſtoclis. Strabonis interpretem fœde lapſum libro primo ſuper Midæ hiſtoria. Cap.XII
Pherecydem nõ fuiſſe ex prouincia Syria, ſicuti male interpretantur plerique. XIII
Quis fuerit Siculus, quem Cicero in ſecundo De oratore, dixiſſe ſcribit: Da mihi ex iſta arbore, quos ſeram ſurculos: inſimul & Quintiliani tollitur obſcuritas, eadem referentis. Illuſtratur amplius Plinij locus ex ſeptimo Naturalis hiſtoriæ de Liuia. XIIII
Phrynen cur dictum ſit, lecythum in maxillis ferre, præter Græcorũ ſentẽtiam. XV
Reſtituitur in integrum Plutarchi problema uel perperam tralatum, uel incuria corruptum, mendumq; T. Liuij codex ex libro ab Vrbe cõdita tertio, emaculatur, ubi modo ſcribitur, Deiectis honore per concionem duobus Quintijs. Cap.XVI
Peplographia Varronis in epiſtolis ad Atticum quæ nam intelligi debeat. XVIII

EX LIBRO XV

Quid ita Aeneidos quarto, optimus maximus poeta Boream dixerit Alpinũ. Plautinus nodus in Epidico enodatur egregie, ubi ait, Auſtrum pertuli. Cap.VII
Quintiliani locus ex libro quinto, reſtituitur, ac enarratur. Cap.VIII
Error Plutarchi apophthegmatum interpretis ſuper orpheoteleſtis. Ariſtotelis tralatio ex Politicis mutila interpellataq; reſtituitur in integrum. Cap.IX
Tragica proſopa quæ intelligi debeant apud Ariſtotelem, præter Theodori ſententiam. Cap.X
Præcidere quid ſit, & unde loquendi figura credi poſſit corriuata: enarratur Martialis illud: Os tibi præciſum, quanto non ipſe Latinus
Vilia panniculi percutit ora ſono. Explicatur item doctius carmẽ Martialis illud: Inuaſit medicus ſica phreneticus Euclí,
Et præcidit Hylam: hic, puto, ſanus erat. Cap.XI
Non recte à grammaticis enucleari Maronianum illud ex Bucolico ludicro: Nuper me in littore uidi, Quum placidum uentis ſtaret mare. Cap.XII
Ouidij interpretem fœde lapſum in Faſtis in eius carminis enarratione: Adde, quod arcana fieri nouus ignis in æde, Dicitur. Papinij carmen ex

quarto Syluarum, explicatur illustrius per interpretis silentium. Cap. XIIII

Quid intellexerit Halicarnaseus Dionysius Antiquitatum secundo, ubi ait, Vnicuique triginta curiarum Vesta collocata, ubi sacrificarent. Apud Tranquillum in Tiberio legendum, Coactis qui ea tenebantur superstitione, religiosas Vestas cum uestimẽto omni comburere: non autem Vestes, sicuti doctissimo interpreti est uisum. XVII

Supplices Vestæ, qui intelligendi apud Plutarchum in Commentatione de mulierum uirtutibus, magno interpretis errore. Ephestij qui sint apud Plutarchum eundem in causis Græcanicis, adnotato interpretis lapsu. Emaculatur Plutarchi codex ex libro qui est πρὸς πρώτου ψυχρόν, ubi terram à ueteribus dici clitta scribit. Cap. XVIII

Martialis illustratur epigramma ex libro decimo:
Si nimius uideor, seraq; coronide longus
Esse liber, legito pauca, libellus ero. Cap. XIX

Sanna frequens Latinis, uerbum de Græco ueteri deflexum, præter grammaticorum placita. Cap. XXI

Macrobij de ascensu descensuq; animarum doctrina, perpensione acri explicatur, tenebrosa alioqui, & à uanitate non procul. Cap. XXII

Cur Virgilius animas plures in Anchise intelligere sit uisus. Aeneidos quinto. Maronis locus exponitur ex Georgico quarto:
Ipse ego te, medios quum sol accenderit æstus,
Quum sitiunt herbæ, & pecori iam gratior umbra est,
In secreta senis ducam. Cap. XXIII

Aenos, id est αἶνος, quid sit apud Quintilianum libro quinto. Cap. XXIIII

EX LIBRO XVI

Cur à Propertio dictum: Cum Tyberi Nilo gratia nulla fuit.
Ex historia comprobatur, eum locum hactenus esse minus perceptum. Cap. III

Massilienses mores in Plauto, an pro euiratis & molliculis capi recte possint, quod ex doctioribus prodidere nõnulli. Inibi diluitur Athenæi quoq; auctoritas. Cap. VIII

Plutarchi locus suo restituitur candori ex Pelopidæ uita, de seruis, qui dicãtur Serotæ. Cap. IX

Quid sit ab Horatio significatum, ubi in Arte poetica scribit,
Quæ facerent, agerentq; peruncti fecibus ora. Cap. X

Erudita in Domitium disertatio, cur tauris phœniceæ obijcerentur uestes. Cur dictum ab Ouidio: Rubræ pauidos formidine pennæ. de ceruis, qui locus in scitissime solet explicari. Simul & illustratur Ausonius super eadem re. Cap. XI

Platonis apologia aduersus Lactantium de gallo, quem Aesculapio moriturus Socrates immolari iussit. Cap. XII

Lucani locus ex libro tertio explicatur:
Aethiopumq; solum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli. Cap. XV

Pythagoræ symbolum, Super chœnice sedet: quo pacto uideatur explicandum præter multorum sententiam. Cap. XVII

Aliud Pythagoræ symbolum, Stragula obuoluta seruari debere. Item aliud, Imaginem dei annulo non inscalpendam. Xenophon restituitur, & declaratur. Quintilianus de Pythijs. Cap. XVIII

An apud Vlpianum Digestis de ædilitio edicto, legendum sit aphthiphus, sicuti eruditorum nonnullis placet. Cap. XX

EX LIBRO XVII

Catulli sensus explicatur erudite illis uersiculis:
Non est sana puella, nec rogate, Qualis sit, solet hæc imaginosum.
Cornelio Celso lux infertur plurima, ubi ait, Quidã imaginibus, nõ mẽte fallunt. III

Lucretij locus ex libro secundo, de luce recta uel obliqua declaratur amplius ex matheſi. Cap. VII

An Iuuenalis ille uersus, Horrida quale facit residens in codice pellex:
ad robur carcerarium referri ullo modo possit. Item illud Propertianum,
Codicis

Codicis immundi uincula ſentit anus. Cap. VIII
Columbæ geminæ,ſexto Aeneidos ex Platonicis rationibus quid ſignificent. XV
Quid ſibi uelit Virgilianum illud ex quarto Aeneidos:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago. Quo ſenſu Homerus Herculis animã in cælo ſtatuerit,ſimulacrum apud inferos. Cap.XVI
Expenduntur Thucydidis loca duo, in quibus uideri poteſt labi interpres. XVIII
Plinij locus perobſcurus explicatur libro ſecundo, Terra nos à reliqua natura abdicatos,tum maxime,ut mater,operit,nullo magis ſacramento, quàm quo nos quoq; ſacros facit. Cap. XIX
Declaratur Virgilij carmen Aeneidos ſexto: Aut tu mihi terram Inijce.
Inſimul & Horatius illuſtratur: Licebit,iniecto ter puluere,curras. Qui fuerint Metelli liberi,apud Plinium libro ſeptimo. Hieronymi locus expenditur ad Pammachium,de anteria. Cap.XX
Diadematis legendum ſit apud Plinium,an Dalmaticis. Cap. XXII
Aleij campi,an recte uacui Latine dicantur. Plutarchi locus reſtituitur ex Agidis & Cleomenis uita,de Thalamarum ciuitate. Cap.XXIII
Quid ſit apud Liuium,conditionem filiæ quærere. Item apud eundem quæ ſit uindiciarum ratio. Martialis epigramma feſtiuiſſimum explicatur, quod eſt in Fidentinum:
Aſſertor uenias,ſatisq; præſtes. Aſſertiones ſecundæ apud Quintilianum quæ'nam intelligi debeant. Cap.XXIX

EX LIBRO XVIII

Martialis locus explicatur de Lacedæmone libidinoſa. Lactãtij grammatici ex octaua in Papinij Thebaida enarratione codex emaculatur,de Bomonicis. Quintilianus illuſtratur libro tertio,ubi ait,Minus Lacedæmone ſtudia literarum, quàm Athenis merebuntur:quibuſdam rapto uiuere honeſtum. Iuuenalis locus:
Qui Lacedæmonium pædemate lubricat orbem. Cap.I
Qui ſint apud Appiani interpretem Ciuilium bellorum quarto, aptatores. Epiſcopus qui nam intelligatur apud Ciceronem ſeptimo epiſtolarum ad Atticum. Plutarchi locus reſtituitur ex Alcibiade,de harmoſtis. Cap.III
Quintiliani uerbis lux infertur aliqua de Aeſopeis fabulis. Cap.VII
Groſſos non dici tantum multitudinis numero,ſicuti arbitrantur Grammaticorum nonnulli. An pro caprificatione in Plinio reponenda ſcarificatio ſit, ut doctis quibuſdam eſt uiſum. Martialis locus de ficedula. Cap.IX
Perperam arbitrari quoſdam,focalia dici uibrandis capillis deſtinata inſtrumẽta. X
Spartiani & Papinij locus de trichoris. Cap.XI
Quintiliani locus reſtituitur ex libro primo,de geometria. Cap.XV
Quadrãtaria Clytẽneſtra apud Quintilianũ ex Cęcilio, quæ demũ ſtatuẽda ſit. XVI
Reſtituitur candori ſuo Quintilianus libro tertio,ubi legitur modo, Quale libidinis exemplũ,ut Perſes in muliere Samia inſtituere auſus dicitur primus. Cur inſtituta Perſarum Parthis aſcribat Lucanus. Cap.XVIII
Martialis carmen libro undecimo explicatur,ubi ait:
Claudia ceruleis quum ſit Rufina Britannis
Aedita:cur Latiæ pectora plebis habet? Cap.XXI
Hieronymi locus de Caſſio Longino critico. Cap.XXVI
Quod ſit fanum locupletiſſimũ à Cicerone pro lege Manilia ſignificatum. XXIX
Plutarchus explicatur in Themiſtocle de Lauriotico prouentu. Cap.XXXVII
Item Plutarchi locus alius explicatur ex Demetrij uita, quid ſit diametrum debere. Ariſtotelis obſcuritas illuſtratur ex primo De animalium hiſtorijs, quid ſit per diametrum moueri. Cap.XXXIX
Enarratur locus ad hanc diem nõ intellectus ex epiſtola Cælij, de aquarijs. Ca. XL

EX LIBRO XIX

T.Liuij,& Plutarchi codices emaculantur ſuper Pallade Chalcioeco. Cap.VIII
Leſche quid ſit apud Plutarchum in Lycurgo. Quid ſentiendum ſuper eo Quintiliani loco,in cubiculo nola. Cap.X

Quo pacto intelligenda Pollucis uerba, ubi ait, epiglottis eſt ſimplicis organum uocis, lingua uero articulatæ. Cap.XII
An recte Albertus dici arteriam putarit, quaſi artam uiam. Cap.XIIII
Antiphona in Plutarchi Moralibus, quæ intelligenda ſint, quæq; ſit uocabuli eius ratio. Cap.XIIII
Scruta in carmine Horatiano quænam ſint. Cap.XV
Aegypti regem cur Cybiotatem cognominatum in Veſpaſiano ſcribat Tranquillus. Cap.XVII
Fabulam ætatis peragere quid ſit apud Ciceronem. Cap.XXI
Martialis epigramma explicatur ex libro duodecimo: Inde tragus, celeresq; pili.
Plinij loca duo ex undecimo Naturalis hiſtoriæ de pubertatis ratione. Cap.XXI
Tranquilli locus reſtituitur & explicatur ex Auguſto de Mimo uitæ. Cap.XXI
Enarratur ſimul & Apuleianum illud ex Magia: Inueſtem puerum accepiſti, ueſticipem ilico reddidiſti. Cap.XXII
Horatij locus explicatur ratione phyſica: Nigros anguſta fronte capillos. Cap.XXII
L. Florus explicatur de ſatyra aue. Cap.XXV

EX LIBRO XX

Cæleſtium rerum ſtudioſi quo pacto explicandum cenſeant illud Maronianum ex Georgico primo: Septima poſt decimam felix. Cap.III
Multiplex affertur enarratio carminis Virgiliani, ex Aeneidos quarto:
Tergeminamq; Hecaten tria uirginis ora Dianæ. Cap.VI
Virgilij ex Bucolicis locus: Neſcio quid certe eſt, & Hylas in limine latrat. Cap.VI
Ciceronis locus explicatur Diuinationum ſecundo, quum ex L. Tarutij ſententia dicit: Romam, in iugo quum eſſet luna, uideri natam. Cap.VII
Virgilij locus alius ex tertio Aeneidos perpenditur diligenter:
Qua ſe plena per inſertas fundebat luna feneſtras. Cap.VIII
Tranquilli hiſtoria de Domitiani edicto, ut in prouincijs uineta ſucciderentur, uberius illuſtratur. Cap.XI
T. Liuij ex primo ab Vrbe cõdita, locus diligẽter explicatur in Numæ hiſtoria. XII
Plutarchi ex Solone locus explicatur, præter interpretis fidem de plæſio. Cap.XIX
An manu geſtu ue ſolœciſmus fiat, de quo addubitaſſe Quintilianus uidetur. XXI
Pterophori qui ſint, apud Plutarchum in Othonis uita, quòd multi nõ tam neſciunt, quàm negligunt. Cap.XXII
Plutarchi locus reſtituitur ex Pyrrhi uita, de apteræo. Cap.XXII
Terræ filij qui dicantur, contra omnium hactenus opinionem. Ouidij locus explicatur Metamorphoſeos primo: Iuppiter è terra genitam mentitur, ut auctor
Deſinat inquiri. Cap.XXVIII
Hypomochlion quid ſit apud Vitruuium, & unde ducatur dictio eiuſmodi, quanquam in codicibus nonnullis legitur uitioſe hypomodion. Cap.XXIX
Icadiſtæ qui intelligi debeant apud Athenæũ Dipnoſophiſtarũ ſeptimo. XXXII
Plinij locus illuſtratur ex tertiodecimo Naturalis hiſtoriæ libro de plantarum ſexu utroque. Cap.XXXIIII

EX LIBRO XXI

Maronis locus explicatur ex quarto Aeneidos:
Nam quia nec fato, debita nec morte peribat. Scuti Argiui ratio quæ ſit, extra quàm animaduerterit Zenobius, ſeu quiſquis libri auctor fuerit. Sagma legi oportere apud Lactantium grammaticum, nõ ſacconiam, quod ex doctis reponunt aliqui. Sagma iumentorum quid ſit apud Pollucem libro decimo, & Philippicorum quinto. Plutarchi locus explicatur de ſagmate, in Arati uita. Cap.XIIII
Iouem lapidem iurare, quid ſit apud Gellium Noctium Atticarum primo. Explicatur Ciceronis locus libro epiſtolarum familiariũ ſeptimo: Is quum iurare cœpiſſet, uox eum defecit in eo loco, Si fallo ſciens. Cap.XV
Ceryx apud Senecam quid ſit, pluribus explicatur. Plutarchi eiuſdem locus item reſtituitur ex Pelopidæ uita, de Alexandri Pheræi haſta. Cap.XVI

Magiſter

Magiſter in locationibus & uenditionibus qui ſit. Ciceronis obſcuritas illuſtratur in epiſtolis ad Atticum, duobus locis. Adiuuatur in eadem re Quintilianus quoq;. XVII
Colonarij qui ſint, in epiſtola Cælij: item colonarium in epiſtolis ad Atticum. XXI
Oedipus cur dictus coloneus: inibi Apuleij codex emaculatur in magia. Cap. XXII
Pliniani loci perpenſio de hippagis nauibus. Cap. XXIII
Strabo illuſtratur, ubi de rhopo mentionē habet, ac de Aegina. Aetnæi fratres apud Virgilium quam rationem habeant. Cap. XXIIII
Neſæi equi an dicantur inſulares, quod quidam male ſunt ſuſpicati. Cap. XXV
Plutarchi locus de Neſæis equis expurgatur à uitio, ſimul & interpretis arguitur inſcitia. Cap. XXV
Corinthus ſupercilioſa, prouerbium quam habeat rationem. Cap. XXVI
Iouis Corinthus, quo ſenſu in prouerbium ueniat, præter Græcorum quorundam ſententiam. Cap. XXVII
Plinij locus explicatur de Tutilina dea, libro decimooctauo. Cap. XXIX
Emaculatur Iulij Pollucis codex onomaſtici primo, ubi anhippos, pro amphippis poſitos inuenias. Cap. XXX
Plutarchi locus perpenditur de acroterio domus Cæſaris. Cap. XXXIII

EX LIBRO XXII

Statoris etymon unde ducatur, præter q̄ opinentur uel grammatici uel hiſtorici. III
Iuuenalis locus de Memnonis ſtatua crepante copioſius enarratur, & latius quàm ſit ab interpretibus proditum. Cap. V
Maronis locus Aeneidos primo: Vnde per ora nouem uaſto cum murmure montis
It mare proruptum. Cap. VIII
Item cuiuſmodi ſit ex Bucolico ludicro Maronianum illud:
Numero deus impare gaudet. Cap. IX
Perpenditur exactius quoq; Maronis illud ex primo Aeneidos,
O terq; quaterq; beati. Cap. XII
Epitheca quid cenſeatur apud Iuriſprudentes. Inibi uitiatus duobus locis Digeſtorum codex reſtituitur. Cap. XIII
Gellius uindicatur à uitio ſuper nominibus Parcarum. Cap. XIII
Virgilius cur in ſupplicior ratione centenario utatur, & millenario numero. XIIII
Analogia geometrica & arithmetica in Plutarcho quæ nam intelligenda. Cap. XVI
Sortitus es literā m, in prouerbio, quē habeat ſenſum extra q̄ opinent Græci. XVII
Mendoſe legi apud Plutarchū & Latinos pleroſq; Artaxerxem Memnona: quum is non Memnon, ſed Mnemon, id eſt memor, ſit cognominatus. Cap. XX
An lunaribus radijs effici poſſit Iris: refellitur Plinius. Emaculatur Plinij eiuſdem codex, aſtruentis ex Ariſtotele luna triceſima Irin uiſitari. Cap. XXVII
Senecæ locus reſtituitur ex Naturalium primo. Cap. XXVIII
Qua ratione dixerit Virgilius Georgico primo, Et bibit ingens arcus.
Inibi cum Plauto Propertius illuſtratur. Cap. XXIX
Plinij locus perpenditur ex decimoſeptimo Naturalis hiſtoriæ, an ex iride producatur in terra odor, uel in plantis omnino. Cap. XXXI

EX LIBRO XXIII

Aſtarte, an ſit Venus, qua in re addubitarit uir doctiſſimus Hermolaus. Cap. V
Hieronymi locus reſtituitur ad Pammachium, de mammis. Cap. V
Virgilianum carmen ex primo Aeneidos, qua ratione affectatam habeat aſperitatem: Fremet horridus ore cruento. Item quo artificio prolatum id:
Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Cap. VII
Quo pacto inficerentur Scytharum ſagittæ, illuſtratur Plinij conciſa breuitas. Ca. X
Iuſtam tellurem cur appellauerit Propertius eo uerſiculo,
Et tellus hoc ita iuſta ſinat. Cap. XIX
Plauti locus ex Amphitryone explicatur: lacent rationes, ſilet iudicium. Cap. XIX
Quintiliani ex libro tertio illuſtratur obſcuritas, de iuſti & legis interſtitio. Plinij locus de uipera diſcutitur. Cap. XXVI

INDEX EXPLICATORVM

EX LIBRO XXIIII

An mouere affectus Athenis liceret: Quintiliani ad id ſententia perpenditur. Cap.I
Quæ familia Buteonis fuerit cognomento inſignis. Plinij locus declaratur. Plutarchus item reſtituitur. Gracchũ & Pulchrum flatilem admittere, quod pernegant aliqui. IIII
Chryſeis quo nomine ſit appellata proprie, quod eſt à multis prætermiſſum. Cap.V
Quintiliani locus ex libro primo, de pythijs. Cap.V
Venocis uocabulum unde ſit corriuatum: quod pauciſſimi admodum nouere. VI
Ciceronis locus ex epiſtolis ad Pætum de pene. Cap.VI
Quintiliani locus ex primo altius illuſtratur, ubi ait: Ne ſtudia qui amare non poteſt, oderit. Cap.VII
Quo ſenſu à Iuuenale pronuntiatum, Et cui per mediam nolis occurrere noctem. IX
Cur dictum à Virgilio, Iamq; iugis ſummæ ſurgebat lucifer Idæ. Cap.XII
Ouidij locus de Eridano. Cap.XII
Virgilij locus de omnipotente Olympo. Cap.XIII
Plinij, & Felicis Capellæ nubilum diſcutitur de lubrico, ac tenero cœli corpore. Cur Ariſtophanes in Nebulis, humorem, id eſt ὑγρόδλα, pro intellectuali animæ potentia poſuerit, quod ab interpretibus deſyderabatur præcipue. Cap.XV
Ouidij carmen ex primo De ponto, amplius perpenditur:
Vt ſolet infuſo uena redire mero. Cap.XXI
Tollitur ex Plinio difficultas, quo pacto quæ non reſpirant, odorentur. Cap.XXIII
Cur à Martiale dictum, ieiunia Sabbatariorum male olere. Cap.XXIIII
Expenditur item quadantenus poetæ eiuſdem illud:
Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet. Cap.XXV
Catullianum carmen acrius excutitur, quod eſt de amore,
Dextra ſternuit approbatione. Propertius item illuſtratur amplius, quum ait:
Aridus argutum ſternuit omen amor. Cap.XXVII

EX LIBRO XXV

Qui ſit immortalis uir, cui platani curam à Xerxe delegatam, ſcribit Herodotus. I
Quid ab Horatio ſignificatum, ubi ait in Arte poetica,
Et fortaſſe cupreſſum ſcis ſimulare. An ex uero dictum ab Herodoto,
pinum ſolam arborum reciſam non ſuccreſcere. Cap.II
Hieronymi locus reſtituitur de Socratis uxore Myrtone. Cap.IIII
Virgilij carmen illuſtratur ex ſecundo Georgico, de frigore ſcelerato. Cap.VII
Expenditur locus ex obſcœno carmine: Ductor ferreus inſularis æque
Laternæ uideor fricare cornu. Cap.XIX
Plinij felicißima breuitas ſuper muli hiſtoria libro octauo amplius illuſtratur. XX
Pragmaticus ſtatus qui. Perpenditur Quintiliani ſententia. Cap.XXI
Illud Columellæ, de lapide noxium, quo ſenſu accipiendum, extra quàm opinentur pleriq;. Cap.XXI
Item Quintiliani obſcuritas illuſtratur ex libro tertio, Adoptato in familiam redire liceat. Cap.XXII
Vicarium ſeruum quem intellexerit Martialis Epigrammatum ſecundo. Enarratur item ex Seneca illud poetæ eiuſdem: Vrbanus tibi Cæcili uideris:
Non es, crede mihi: quid ergo? uerna es. Cap.XXII
Plinianum prouerbium, Multa Syrorum olera, quo ſenſu accipiendum. Cap.XXIIII

EX LIBRO XXVI

An caninus appetitus idem cenſeri debeat, qui & bulimos, uelut ex noſtris ſunt opinati quidam. Cap.I
Cornelius Celſus illuſtratur in hydropiſeos generibus, ex Hippocrate ac Galeno. III
Senecæ locus ex primo De clementia, in integrum reſtituitur: ubi apatrum legitur, quum aratrum, debeat. Propertij locus explicatur:
Mœnia cum Graio Neptunia preſſit aratro, Victor Palladiæ ligneus artis equus. V
Maronis locus explicatur ex Bucolico ludicro,
Si canimus ſyluas, ſylua ſint conſule dignæ. Plinio lux infertur multa libro uiceſimo-

tertio, in ratione biæi uini, cui marina permiſceretur aqua. Cur à Varrone proditum, Libero patri Delphinas aſſiſtere. Cap. VIII

Plutarchi locus reſtituitur ex Catonis Vticenſis uita, de pſyche. Cap. IX

Virgilij carmen ex Bucolico ludicro expenditur exactiſſime:
Nuper me in littore uidi, Quum placidum uentis ſtaret mare. Cap. X

Cur nauſeabundos fieri iter mari agentes, & Iuuenalis ſignificarit, & experimentis docti ſciant omnes. Cap. XIII

An uera prorſum cenſenda ſit Plinij ſententia, mari ſalis incoqui ſaporem, ſole quod potabile ſit, inde hauriente. Cap. XV

An item ab eodem ſcienter ſatis prolatum ſit, ſummam æquorum aquam dulciorem profunda. Cap. XVI

Illuſtratur Plinij eiuſdem locus de ſolis bobus prope Meſanam & Mylas. Cap. XVII

Explicatur inſigniter Maronis carmen ex Aeneidos ſexto:
Hi dominam ditis thalamo deducere adorti. Cap. XVII

Iulij Pollucis nodus ſuper uerbo ἀρκτόυ ἐσθαι, explicatur. Cap. XIX

Ouidius Faſtorum quarto explicatius enarratur, ubi canit:
Tot fuerant illic, quot habet natura colores,
Pictaq́ diſſimili flore nitebat humus. Cap. XX

Plutarchi locus enarratur de pylaicis, ex uita Pyrrhi. Cap. XXI

Plutarchi interpres coarguitur in Catonis apophthegmate ex Homero, de Scipione. Cap. XXII

Plinij ſententiam de naſturtio eſſe medicorum ſcholis diuerſam. Cap. XXIIII

EX LIBRO XXVII

Quæ ſit ratio prouerbij, Lepus dormiens. Cur ueſcentes carne leporina dicantur formoſiores fieri: cuius rei mentio eſt apud Plinium, nec præterijt Martialis. Cap. I

Tranquilli locus de urbe lutea & lapidea, in Auguſto. Cap. III

Quid ita dictum ab Horatio ſit Carminum primo:
Nunc ad aquæ lene caput ſacræ. ſimul & lux plurima infertur Senecæ. Cap. V

Comata perperam ſcribi, Digeſtis de extraordinarijs criminibus: item qui ſint inibi diacopi. Cap. VI

Cur ab eodem Sermonum primo, ſomnia poſt mediam noctem oblata pronuntientur ueriora. Cap. IX

Qui nam ſint apud Plinium libro decimo, qui ſomniarint nunquam. Cap. XVI

Ariſtotelis defenſio à calumnia de ouis oblongis, rotundis'ue aduerſus Albertum. Capite XVII

Perſii carmen illuſtratur, Et noctem flumine purgas. Cap. XVI

Oua ex catharſio quæ dicantur in Luciano. Cap. XVI

Maronis carmen acrius perpenditur Aeneidos ſecundo:
Catuliq́ relicti Faucibus expectant ſiccis. Cap. XVII

Plutarchi perpenditur locus ex Pyrrhi uita, de cothone. Cap. XXVII

Cur lactucis ueſcerentur in fine cœnæ antiqui: abſoluitur Martialis quæſtio. Plinij locus perpenditur de raphano. Cap. XXVIII

EX LIBRO XXVIII

Apomagdalia quid ſit apud Plutarchum in Lycurgo, quam uocem Latinam facere ſuperſedit interpres. Cap. II

Seruij grammatici opinio perpenditur, an elixis carnibus uſi ſint priores heroum temporibus. Cap. III

Plutarchi locus declaratur in Sympoſiacis: quid cottabiſin redolere. Cap. V

In ratione bibendi aperitur Horatij locus in Carminibus. Cap. VI

Virgilij ex primo Aeneidos locus illuſtratur,
Adſis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno. Cap. VI

Baſilicam habere quid ſit, Ciceronis locus inibi explicatur. Cap. XI

Quintiliani locus ex libro primo de roſtrata columna Duillio in foro poſita. Cap. XII

Plutarchi locus male tralatus in Demetrij uita ſuæ reſtituitur luci, ac integritati. XX

Ciceronis

Ciceronis locus exponitur ex libro ſecundo ad Q. fratrem: ſimul & indidem mendum tollitur, ubi legitur modo, ab Arria Syra. Cap. XXIII

Quid ſit latiar apud Ciceronem in epiſtola quadam ad Q. fratrem. Latiarum corruptè, inſciteq; legi apud Macrobium in pleriſq; codicibus, pro latiar. Vnde ſit tractum illud Catullianum, O hymen hymenæe ó Hymen ó hymenæe. Cap. XXIIII

Reſtituitur uox Iureconſultorum Digeſtis de gradibus affinitatis, de inateribus, ubi ianitrices ſcribitur modo. Cap. XXIIII

Cur dictum in Syluula quadam tertij libri à Papinio,
Duc & ad Aemathios manes, ubi belliger urbis
Conditor, hybleo perfuſus nectare durat. Cap. XXVII

Iuuenalis locus explicatur, Vinum quod ſuccida nollet lana pati. Cap. XXXV

Quod ſit apud Galenum in libro de anhelitus iuuamento, uinum quod ad ignem utribus appenſum obdureſcit. Ariſtotelis ex Meteororum quarto ſententia illuſtratur, excuſſa interpretum uanitate, etiamq; Alberti. Cap. XXXVI

EX LIBRO XXIX

Theocriti locus explicatur in Bucoliaſtis, ὅπου νικασεῖς, ὃδ' ἐὰ ἀμβρακιάς. Cap. III

Plinij locus ex ſeptimo in integrum reſtituitur, fiſco æris X. Cap. V

Plutarchi locus ex Demetrij uita, quæ dicantur pharmacode. Cap. X

Plauti obſcuritas illuſtratur ex Pſeudolo, Quaſi ſolſtitialis herba, pauliſper fui,
Repente exorſus ſum, repentino occidi. Qua ratione dictũ à Quintiliano libro Oratoriarum inſtitutionum tertio, ſermonem ab ipſa natura genitos protinus homines accepiſſe. Cur Plinius ſeptimo Naturalis hiſtoriæ, nudum dixerit hominem in nuda humo natali die abijci. Quo ſenſu à Papinio dictum Syluarum primo, in Stellæ epithalamio, & Violantillæ: Tellure cadentem Excepi, fouiq; ſinu. Sed & libro quinto:
Tellure cadentem Aſpexi, atq; unctum genitali carmine foui. Cap. XIII

Ciceronis locus illuſtratur pro Flacco, de Mithridate. Cap. XVI

Cur Ouidius Metamorphoſeos duodecimo, Mopſum dixerit Ampycidem.
Quo ſenſu dictum à Seneca in Medea: Idmonem, quamuis bene fata noſſet,
Condidit ſerpens Libycis harenis, Omnibus uerax, ſibi falſus uni,
Concidit Mopſus. Excutitur & Senecæ locus alter, ex Tragœdia eadem:
Orpheus tacuit torpente lyra, Ipſaq; uocem perdidit Argo. Cap. XIIII

Papinij locus expenditur ex Syluarum ſecundo de perdice:
Quiq; refert iungens iterata uocabula perdix. Cap. XXV

Illuſtratur medicorum doctrina Iuuenalis illud: Iam letifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam ſperantibus ægris. Cap. XXVII

EX LIBRO XXX

Ceruchi qui ſint omnino apud Valerium Flaccum. Cap. I

Occultam uideri hiſtoriam illo epigrammate ſignificari à Martiale:
Si patiens, fortiſq; tibi, duruſq; uidetur, Abderitanæ pectora plebis habes. Cap. IIII

Tranquilli locus explicatur in Tiberio de oculis amore tumentibus. Cap. VIII

Emaculatur Senecæ locus ad Lucilium, apud quem in balneorum mentione epitoma mendoſe legitur, uel epitonica, pro eo quod eſt, epiſtomia. Cap. XVIII

Reſtituuntur in integrum apud eundem dictiones aliæ fœdius corruptæ: nam quadratoria res dicitur, quum quadrantaria debeat: pellicrepus quoq;, pro pilicrepo: alipedum, pro alipilo: deniq; librarij, pro libarijs. Cap. XIX

Senecæ item lectio reſtituitur de pſychrolute, ubi modo ſicholutra in quibuſdam legitur codicibus. Cap. XX

Quid ſignificarit Naturalis hiſtoriæ ſecundo Plinius, ubi ait, ex dijs alios dici atri coloris. Cap. XXI

Quo ſenſu à Cicerone dictum octauo epiſtolarum ad Atticum, Domitius, ut audio, in Cæſano eſt, paratus ad nauigandum: ſi in Hiſpaniam, non probo, ſi ad Cneum, laudo, quouis potius certe, quàm ut Cercum uideat. Cap. XXXII

BIBLIOTHEQUE D'ORLEANS

FINIS

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI PRIMVS.

EXORDIENDI RATIO

Ex deo esse omnia, de trinitate carptim, religiosa mox, & reuerens apprecatio.



PLATO philosophiæ pater, & diuinioris scientiæ auctor longe clarissimus, in libro De mundi constitutione, scriptum reliquit, Omnes, qui modo mente constent, in rei cuiuslibet exordio ad numinis opem decurrere consueuisse. Necnon & alibi epistola quadam, In omnibus inquit, quæ uel dicimus, uel cogitamus, à deo ducenda initia sunt. Et rectissime id quidem, quoniam ut tragici cothurni princeps Sophocles prodit, Principium rectum compar item consequitur finis. Propterea felicius auspicaturis argumentum, mox futurum publico bono, inuocandus est omnium pater: quo prætermisso, sicuti comprobat in Philosophica consolatione etiam Boethius, nullum rite fundatur exordium. Siquidem est uita quædam una, regina unius mundani corporis, potentia, sapientia, bonitate præcellens, mundi magnitudinem singulari prouidentiæ munere ab initio, & serie nusquam interpellata perducens ad optimum. Hanc esse summum, & principem deum, constanter asserimus, de quo diuine cecinit Orpheus, πάντων γὰρ ἐθλ', ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελοῦσα, hunc esse uniuersorum patrem confessus originemq́, ac denicq́ finem. Ad hunc in arcto constituti, tanquam in harenam defugimus: huic inuisum nihil, nihil inauditum. Omnia summa sapientia, & inenarrabili consilio distributa librantur, regunturq́. Quod ipsum nec Orpheus idem ignorasse uidetur eo uersiculo, qui augustissimam naturam omnia introspicere, atq́ audire, ac dispensare profatur, πάντ' ἐσορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, & πάντα βραβεύεις. Nec me fallit, uideri eundem tribus illis nominibus, consilio, luce, uita, trinitatem etiam præmonstrasse quodammodo. Nam quod in libris Antiquitatum Minar Sissennios scribit, unitatem adorasse in primis, uir sua ætate auctoritatis inconcussæ Pythagoras, unitatem illam esse trinam astruebat, adorandam, colendamq́ præcipue. Est siquidem unitas omnium prima, mox æqualitas, inde connexio. Hæc uero Christianæ ueritatis doctores ex imagine quadam ad hæc nostra patrem dixerunt, ac filium, & sanctum spiritum, siue amorem. Nam in patre & filio quædam agnoscitur naturæ communio, quæ una est, ita quod natura ipsa æqualis patri demonstratur filius, & inter eos certa concipitur connexio: quippe naturalis amor alteri alterũ conciliat, connectitq́: ut uero ad simplicissimam hanc, & abstractissimam conscendamus intelligentiam, quæ sensu, uel imaginatione, aut ratione cum naturalibus pertinguntur appendicibus, necessario seiungenda abiiciendaq́. Propterea docte Martianus philosophiam refert, ad trinitatis cognitionem scandere affectãtem circulos euomuisse, ac sphæras. Equidem ita sentio, ut se habet uisus ad solis lumen, ita prorsum habere hominis ingenium, ac rationem ad diuinæ bonitatis radium. Proinde absque illius illustriore lumine nil facile à nobis animaduerti, aut cognosci. Ipsa uero gratia diuina illuminatio est, & dona gratiæ lumina sunt, eos illuminantia qui in eius uocantur participatum. Quin gratia omnis ab uno profluit fonte, & illuminatio omnis ab lumine uno. Multi utiq́ radij sunt, sed lumen unum. Spargit se quoque lumen unum, ut multos illuminet. Lucent illuminati multi, nec tamen uidetur, nisi lumen unum, & fiunt lumen unum in lumine uno. Ita unum se bonum multis præbet participandum: ut cum illo coalescentes unum sint, qui unam ducunt ex illo similitudinem. Propterea theologorum ueterum plerosq́ scimus ingenio perspicacissimo, bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo collocatam tradidisse. Nam centri nomine deum esse intelligendum, prudentioribus insinuarunt. Circulos uero in ambitu assidue circumactos, mentem significare, animã item,

ac naturam & materiã. Id quòd Plotino placuit in primis. Siquidem deus potenter omnibus ineſt unus penitus ſimplex, ac immobilis. Omnia uero indidem emanantia aliquo modo cõpoſita, ac motus non inſcia. Immo uero ſicuti profluunt ab eo, ita refluunt in eundem, ut in circulo lineæ. Deus itaq; centrum omnium, unitas ſimpliciſſima, actus puriſſimus ſeſe inſerit uniuerſis, nec præſens modo eſt, uerũ & omnibus à ſe creatis potentiam intimam, ſimpliciſſimam, præſtantiſſimam indidit, quam rerum uocant unitatem, à qua propendent omnia, & ad eandem redeunt, caligantq; prius, quàm ſuo inhæſerint creatori. Igitur bonitas quidem rerum omnium ipſe deus, per quem cuncta ſunt bona: pulchritudo autem eſt dei radius, à quo rerum omnium ſpecies effinguntur, rurſumq; ab eo, ut luminum patre, deſcendit datum omne optimum, & omne donum perfectũ: proinde qua poſſumus mentis puritate, immo uero illa ipſa unitate, quam uocant mentis caput, & florem quoq;, ſicuti Zoroaſter, qua ſola ſuper animæ, mentisq; proprietatem extante, putat Iamblichus inter Academicos cognomento diuinus & ſacerdos magnus, unitatem poſſe attingi, integre, ſynceriter, ſancte, ſupplíciter ipſum hunc omnia ſuperemi nentem, infinitum, inenarrabilem, maieſtate auguſtiſſimnm, ſplendore micantiſsimum, uirtute incomprehenſibilem, tantæ rei exordio, cui ſumus genuina impares debilitate, ſic apprecemur uenerabundi: quando & clariſſimus medicæ ſcientiæ ſcriptor Auicenna, etiam ſi falſis obancillatus ſacris, maximi operis, & conquiſiti exordio diuinitati gratias agendo, auſpicatius ſe tantarum rerum initia ducturum eſt opinatus. Qui cuncta inenarrabili bonitate producis, totius rerum naturæ cauſa, & origo initialis, qui ſapientia infinita, & prouidentia perſpicaciſſima regis, roboras, uiuificas, lenis, mulces, excitasq;, Summe animorum pater, animantum ſoſpitator, iuſtitiæ fons perennis, ſuper omnem conſtitutæ mentis captum, tibi ſoli cognitæ, & cui ſe largius uaſtiſſima tuæ clementiæ flumina infudere: uita totum, quod eſt in me, ſalua lux totum illumina: uerbum tuum me regat: ſapientia emendet: ſpiritus creator repleat, accendat amoris ignem, ſenſus collustret, infirma noſtri corporis uirtute firmans perpeti. Tu qui ſolus trinus, unus es Deus, benedictionem à me non ſeuocaris, adiuua benigne, miſerere ampliter: da tuæ maieſtatis idolo, quoniam in nullo falli diuinum eſt, primum quidem in uoluntate acquieſcat tua: deinde, ut quæ mox dicentur, tibi placeant omnia, ſintq; (quod dicitur) ſancta tectaq;, laudes tuas recinant: quando es auctor omnium, & ſine te Cimmeriis offuſi tenebris caligamus altius. Studioſorum deſeruiant emolumentis: qui & facile aſſequantur, quæ uaria nobis, te illuſtrante, lectio ſuggeſſerit. Ipſe uero, qui diu iam hoc uoluto ſaxum, & incudem eandem interdiu noctuq; tundo, ex mentis propoſito totũ opus tranſigam, mihiq; ipſi conſtem perpetuo, exumbratili nunc primum meditatione in puluerem inſtructu meo, & ornatu prodiens, & forenſem (ut ſic dixerim) aciem, noſtris iuuenibus modo ſint φιλαλήθεις, Latinæ rei uelut ſeminarium comparaturus. In quo diuerſiſſimorum generum depactis ſeminibus, inde ſibi in agellos ſuos ſuccretas uiuiradices transferat, qui hiſce legendis otium, ac ſubſecundarias impartiri horas non cenſuerit inane, ac citra operæpretium. Quando in iis, quod olim in templo Pacis factitatum Herodianus ſcribit, quicquid eſt nobis opulentiæ ad hanc horam, reconditum uoluimus, ut theſauri fierent, non libri, ac ne intus modo caneremus, quod factitabat citharistes Aſpendius, ſed & foris, quoniam in ſudata ueſte duraſſe abunde uidemur. Cęterum legentes uniuerſim hic commonuero, quod in Moralibus eſt ab Ariſtotele traditum, eſſe quidem eruditi, exactum ipſum eatenus in uno quoq; genere flagitare, quatenus ferat ipſius natura rei. ſimile nanq; cenſetur, mathematicum ſuadentem probare, & ab oratore demonſtrationes exigere.

An deo congruat nomen aliquod, obſeruata ex Theologumenon libris. Cap. I

Si uero parte hac ſtudioſius quærat aliquis, ecquid de principis, ac rerũ parentis dei nomine monumentis prodẽdum ſe ingerat ex ueteribus memoriis, reſpondere breuiter, apteq; ambiguitati propoſitæ ſic propemodum poſſe uideor, Maximum illud, & maximum quidem ſimpliciter, cui oppo natur nihil: ſic demum noſtræ mentis captum ſupergredi, ut nomenclaturæ rationem exſuperet prorſus omnem: quippe ab humani ingenij ſolertia rationis quadam ſingulari ui indita ſunt nomina, ut unius ab alio euidens fiat diſcretio, ubi uero

unum

unum ſunt omnia, obſecro te, quodnam inibi nomen excogitaris proprium. Mercurij utiq; profundior nos ſententia latere haud poteſt: Quia, inquit, rerum uniuerſitas eſt deus, proprium eius eſſe nomen haud ullum poteſt, quoniam aut omni nomine deum, aut omnia eius nuncupari nomine, foret neceſſarium: quando is ſimplicitate ſua rerum omnium complicat uniuerſitatem: at quod ineffabile nos dicimus, tetragrãmaton Græci, ideſt literarum quatuor, ioth, he, uau, he: proprietatis tamen ſubire uim creditur, quia Deo nõ coaptetur creatorum ratione aliqua, uerum eſſentiæ ui propriæ. Id uero tralatũ dici unus ualet, ac omnia, ſeu omnia uniter (ſic enim mihi nunc dicere permittant Latinæ rei ſtudioſi) uel proprie adhuc magis unitas. Nec tamẽ ſic unitatem hic inaudias uelim, ut loqui homines aſſueuere: nã ſicuti intellectum omnẽ ſupereminet Deus, ita & nomen omne. Siquidem per rationis motum, qui intellectu longe inferior eſt, rebus indunter diſcernendis nomina. Verum quia contradictoria reclinare nequit ratio, hinc nullum dare nomẽ colligas, cui non opponatur aliud eiuſdem rationis motu: quippe unitati pluralitas opponitur, ac multitudo. Hæc autem deo haudquaquam cõgruat, ſed ea uerius, cui pluralitas ſeſe nulla obiectet, uel (ut ſic dicam) alteritas. Hoc utiq; intellectus menſum excedit: quis enim infinitam intelligat unitatem, per infinitum oppoſitionem quæ omnem excedat? Inibi omnia citra compoſitionẽ ſunt in unitatis complicata ſimplicitate: nec aliud ibi agnoſcitur, uel diuerſum. Quod ſi quis eam cõcipere unitatem queat, quæ etiam ſi unitas eſt, nihiloſecius omnia eſt, dei nomẽ is attingat plane. Et ipſa tamẽ unitas, quamuis propinquius cenſeatur nomẽ maximi, ab uero tamen maximi nomine, quod eſt ipſum maximũ, per infinitum diſparatur, reuellituriq;. Liquet igitur hinc, deo haud quadrare, niſi diminutiſſime, particularia, diſcreta, oppoſitum habentia. Quare Areopagita Dionyſius affirmationes eſſe incompactas pronunciat, quippe ſi Deum eſſe autumas Veritatem, obiectat ſeſe falſitas: ſi uirtutẽ, occurrit uitium: ſi ſubſtantiam, obiicitur accidens: quod & in reliquis fit. Attribuũtur deo tamen iſta per tralationem ab creatis quandã ex perfectione, quam præferunt nomina ipſa. Quod ipſum & in trinitatis auguſtiſsimæ nũcupationibus dilucet: nam quia unitas eſt Deus, gignẽs dicitur, ac pater. Ex eo autẽ quod unitatis æqualitas eſt, genitus, ſiue filius: ex eo quod utriuſq; cõnexio eſt, ſanctus ſpiritus. Quod ſi perpendis exactius, à patre filium gigni, hoc fuit omnia in uerbo creare: quo argumẽto uerbum & artem, ac ideam, creatorũ reſpectu, affirmat Aurelius Auguſtinus. Nam creatura, quia deus pater eſt, eſſe incipit: ex eo quod filius, perficitur: quod uerò ſanctus eſt ſpiritus, uniuerſali cõgruit ordini, coapturiq;. Quæ ſunt in re qualibet trinitatis ueſtigia, quod Aurelius idem comprobat ſanè, Geneſeos caput enarrans primum. Illud porro nec omiſero, cuius mihi auctor eſt magnus Baſilius in Hexaemero, ſanctum ſpiritum ab Moſaica dici ſapientia, Dei ſpiritum: ut quum ſcribitur, Et ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. Quod ſi amplius quæſieris, quonam hic pacto ſuper aquas ferebatur: reſpondebimus ex ſapientis Syri doctrina, quando Hebraicæ ueritati propior ſit gentium illarum lingua, Ferebatur, exponendum pro fouebat, uitalem aquis fœcunditatem exhibens. Ex quibus dilucet illud quoque, de quo indagine nõ incurioſa quæſitum à multis eſt, nec ab creandi actu ſanctum abiungi ſpiritum.

Quo pacto mundus ſit congeries malorum, & terra improbitatis prouincia, quum multi Deum eſſe mundum dicant, & Moyſes quoq;, ac ſanctæ literæ miris efferant laudibus. Cap. II

QVoniam uerò ab dei maieſtate immenſa, & inenarrabili recte, ſicuti decuit, auſpicati ſumus, quãdo & initijs omnibus ueteres præfari ſolitos, Pauſanias ſcribit, captandi gratia ominis boni, θεὸς, θεὸς, quod Aelius quoque comprobat Dionyſius, & principium omne Plato ſcribit, ac repetit Proclus, eſſe diuinum: non inſcite opinor, nec improſpere, aut, quod ille, ait, inſubide ſecundum operis inſtituti caput mundo dicabitur. Quem in libro de uniuerſi natura Plato deum beatum appellare nõ dubitauit: animam quoq;, ut Plotinus interpretatur, ab opifice bono ideo eſſe traditam, prodens, ut mundus poſſet intellectualis euadere, quod quidem neceſſarium fuerat: ſed citra animam, inquit, id uerò effici non poterat. Verum ante hos longe in ſermone, qui Pimander inſcribitur, Mercurius nil, inquit, eorum quæ in mundo ſunt,

interit:si enim secundus est Deus ipse mundus, necnon immortale uiuens:impossibile est,immortalis animantis partem aliquã interire. Quæcunq; mundo insunt, mundi sunt membra:homo præsertim,animal rationale.Primus omnium uere sempiternus,immortalis,ingenitus est Deus,omnium auctor.Secundus uero deinde ad illius imaginẽ mundus,semperuiuens,non sempiternus: nam quod sempiternum est, ab altero factum non est.Quinimmo in Naturalis historiæ initio Plinius, Mundum credi numen,par esse putat,sed æternum,immensum,ingenitum,nec interiturum unquã. Cæterum quod fatendum sit,ego quidem non utiq; mundum,ut deum contenderim esse uenerãdum: at uerò tanquã inenarrabile summi dei opus suspiciẽdum, facile censuerim, etiam si somniantis hoc putat Epicurus,non philosophãtis, quicq; ne primoribus quidem labijs physiologiã gustarit,idest naturæ rationem. Quãdo & Astronomicon primo M.Manilius sic scribit.

At manet incolumis mundus,suaq; omnia seruat:
Idem semper erit,quoniam semper fuit idem.

Bonum item,multiformi imaginum uarietate distinctum, concinnatumq;, necnon circumflexu complectentem,quicquid uenerationem,laudem,amorem,pulchritudinis excellentia,aut dignitatis amplitudine cumulatum parere potest.Nec enim frustra in libro ueritatis & uitæ Moyses ait,nunc singula in mundo bona,nunc cuncta ualde bona exartifice summo propagata.Nam nec aliorsum pronuntiatum & illud,Cæli enarrant gloriã Dei,& opera manuum eius annuntiat firmamentum. Deprehensum certe ab peritioribus est, in mundi creatione principem deum arithmetica esse usum, geometria item ac musica:siquidem arithmetica ratione compacta,cõnexaq; creduntur elementa:geometria uero figuras effinxit,ut inde firmitatem consequerentur,stabilitatem, ac pro naturæ ui mobilitatem. Proportiones adnexuit musica,ne terræ plus in terreno sentiretur elemento,quàm aquæ in aqueo,& in aereo aeris, & ignis in ignea natura: nec elementorũ ullum omnino in aliud resolui ulla quiret ratione. Vnde colligi posse,mundi molẽ haud perire. Proinde quum audis, à deo esse uniuersa in numero creata, & pondere ac mensura: intellige, ad arithmeticam numerum referri, pondus ad musicam,ad geometriam uerò mensuræ adiectum nomen:quippe astringente grauitatem leuitate, confouentur omnia,fulciunturq;: in meditullio nanq; ignea potestate cohibetur terra, sed & huic ignis innititur.Ita profecto est,magnitudo exquisitissimi, nec laudati unquam pro dignitate operis,necnon late patens uis,& motus mirabilem opificis præ se fert potẽtiam.Di spositio uerò excultissima mirificã ostentat sapientiam . Vsus uerò ad optimum ubique conducens latius exuberantem nobis ingerit bonitatem.Proinde summi Platonici uniuersum hoc,ceu augustissimam dei statuam eximie uenerati sunt:& quę in eo cæteris maiestate naturæ præstare uidentur , tanquam idearum (ut ipsi uolunt) certiora simulacra. Cæterum in tanta rerum gloria,quonam pacto id dissimulauerim,quod in ueteris Theologiæ libris uideor legisse? Ipsum hunc, quem tantopere admiramur, mundum, malorum appellari congeriem: terram uerò, eadem insectatione, improbitatis prouinciam dici.Quod & uulgo ita subinde iactatur,ut planè adagij uicem obtineat. Nam ab Platone quoq; dictum est in libro de scientia,Mala omnino deleri non posse, uerum ea necessario euenire,nec tamẽ apud deos esse, sed apud mortalem naturam, inferioremq; hunc locum assidue circumuolui. Hisce quin item Ambrosij sententia concinit bracteata, Mala inesse mundo, quis omnino sapiens audeat inficiari, frequenti adeo ad mortem in hoc seculo lapsu? Hoc tam dissentaneum, tamq; pugnans, sic tamen antiquorum rationibus confouere, atq; tueri possumus. Bonum,inquit Mercurius,in uno tantum deo est, immo ipsum bonum deus ipse semper:nam & in Euangelio Matthæi CHRISTVS, οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰμὴ ὁ θεὸς. Quum bonum dicimus,bonum id, quod omnia continet bona, & quod bonum semper,intellige. Hoc uero uni adest deo, nullius unquam inopi, iniuriæ non obnoxio,qua in iram præcipitetur, numen eius late dominatur, nil eo sapientius.Sicuti uerò malorum nullum inest illi, ita nusquam alibi reperias bonum, ne in ipso quidem mundo, qui utiq; passionibus genita replet, ut pertrito scholis uerbo interim citra sciolorum morsum utamur: nam & generatio ab passione non sequestratur: ubi autem passio,nullo modo bonum: ubi bonum,nõ habet ibi locum passio. Sicuti uerò materiæ omnium concessa est participatio, ita & boni participatione mundus bonus: bonus

nus,inquam,quatenus & ipſe omnium effector:at miníme in alijs bonus, paſſibilitatis, & motus ratione.Nuſquam in eo pulchrum compereris, nuſquam bonum. Siquidem, quæ modo titillant ſenſus,ſimulacra ſunt,& miraculorum uanitas.Ipſa quippe natura,ui tacq; mundi,ut placuit Plotino,quaſi maga,imagines ipſius boni, ueri, pulchri ubicq; fingit,uelut eſcas,quibus animas huic mundo per auaritiam, uoluptatem,inanem gloriam mancipatas fallit.Deum cogita,circa pulchritudinem demum uerſaberis.Certe libro octauo Enneadis quartæ de animę deſcenſu in corpora, Plotinus idem conſtanter aſſeruit, ſenſibile totum à Platone contemni,& commercium animæ cum corpore damnari, qui & arcanum illud ueneratur oraculum,quo traditur, Animam hic in cuſtodia quadã, & carcere diſtineri.Quin,inquit,ſpelunca apud Platonem, ſicut & antrum in Empedocle,apud quem ψυχοπομποι poteſtates inquiunt,ἀλύθομεν ζοὸ ἐπ' ἄντρου ἐπόσεγον, uniuerſum hoc nobis ſignificat.Solutionem è uinculis, & ex ſpelunca aſcenſum, ipſam accipi puto animę ad intelligibile progreſſionem. Vanitas uanitatum,& omnia uanitas,inquit Eccleſiaſtes.Sed ait Hieronymus,ſi creatura omnis bona eſt, ut quæ ex boni creatoris fontibus profluxerit,quo nam pacto uniuerſa uanitas? Si terra uanitas,nunquid & cœli, & angeli,throni,dominationes,poteſtates,cæteræq; uirtutes? Sed quæ per ſe bona ſunt, melioribus collata uanitatis aſciſcunt nomen. Stellam lunæ confer, cæca eſt:lunam ſoli iunge,non rutilat:ſolem CHRISTO ſi componas, tenebræ ſunt. Adde quod ubi Plato ait, Mala in mortali natura uerſari:id exponens Plotinus, eſſe inquit neceſſario aliquid ſubcontrarium bono,ideſt ſub boni imperio collocari aliquid, ab eo maxime diſtans,ac penitus diſſimillimum, ideſt infimam mundi materiam. Hoc autem loco monendi ſumus,contrarietatem ab hoc philoſopho, ut eius doctrinæ ſtudioſis placere animaduerto,accipi,non repugnantiã duarum in eodem genere qualitatum,ſed diſtantiam rerum undicq; maximam,oppoſita facientem,ferentemq;,quomodo eſt materia ſubcontraria deo:hæc namq; eſſentia non eſt,ille uero eſſentiæ principium: hæc malorum origo,ille bonorum. Salus una,uia item una,pietas cognitioni adnexa. Tunc humana mẽs recta concipit,& meditatur:ubi ab principe natura infuſum exceperit radium. Quòd ſi immundorum ſpirituum afflata prauitate ſubdiderit colla iugo,ſuccreſcunt inde,progerminantq; adulteria,ſtupra,homicidia,id genus alia cõplura. Quo forſan argumento Luciferiani uniuerſum mundum eſſe diaboli aſtruebant, & factum de eccleſia lupanar. Illud neutiq; ſilentio inuoluendum,ubi ex ſacra pagina hoc aduocauimus, Cæli enarrant gloriam dei: ſic ab eruditis intelligi,ut cælorum appellatione,ſpiritalia ſignificentur entia:quia Hebraice articulus adijciatur,ha:uelut in Geneſi,In principio creauit Deus haſamaim:quod ſi dematur,tunc cœlos accipi uiſibiles.

Humana natura aſtruitur non uilis,nec contemnenda. Hominis cauſa omnia eſſe à deo quodammodo producta.Hominem futurum fuiſſe immortalem,ſi non peccaſſet.Ante peccatum,an noxium quippiam produxerit terra.Incorruptibile quot dicatur modis. Cap. III

Aeterum poſteaquàm huc prouecti ſumus,ut rationalis naturæ gradum oſtendere aliquo modo uideri poſſimus humilẽ, infauſtum, & nullo ferè cũ cæleſtibus communicatu, quum illic uiuacitas ſit æterna, & indefecta, hic caduca,& ſubciſiua ingenia,pręſtò ſit & mira ſublimitas, tanta faſtigij inter capedine interuallata ab infimis:Putemur interim oratorio more,hominis patrocinium ſuſcepiſſe,aut certe Academicorum ſcholas ingreſſi opinationes illorum interdum amplexari,qui ueriſimilitudinem captantes, & inde Sceptici nũcupati,nil omnino aſtruebant.Enitamur ergò iam hinc promere,quæ hominem, & illius terrenum locum faciant anguſtiorem,ſuo metientes omnia modulo:&, ut Pindarus inquit, κατ' αὐτω, ut ſimul Plinio occurramus,tradenti,Hominem nõ ideo eſſe proximum deo genitũ, ut uilitate iuxta belluas eſſet,uelut ſuillæ nari aureum plane inſertarit annulum deus.Simul etiam Platonicis ſatisfaciamus,ſalamandra quandoq; frigidioribus,à quibus proditum ſcimus,Mundi partem,quæ ſupra lunam ſit conſtituta,eſſe mutationis neſciam,genuina luce perſpicuã,perpetua tranquillitate beatam,dicicq; agentem: quoniam quę hic ſunt,cæli uultibus (ut ſic dicã) ſint obnoxia.At infra lunã diuerſa omnia,ubi ſit uitę mortiſq; collimitiũ,tumultuentur elementa,cooriantur procellæ,omnia quodãmodo præci-

pitentur in interitum: ideoq; recte patiens mundi portio cenſeatur, immo uerò inferorum locus: quoniam animæ malum ſit, ad materiam ſe deflectere, quam in Theæteto nominat Plato diſſimilitudinis regionem, hoc eſt diuinitati undiq; diſſimillimam: dicatur & Lethæus, ſed profundus: & terræ tartara, in quę anima deiecta, in cœnum creditur corruiſſe tenebroſum. Mors, inquiunt, animæ eſt, dum corpore mergitur, in materiam labi, ipſaq; repleri. quod ſi ſuſpectet nuſquam, ſed in cœnum identidem reuoluatur, etiam inde fieri, ut apud inferos dicatur dormitare. At ſi ueritatem, reiecta omni ueſica, & ambitionis tumore paulum compreſſo, amplius libeat perpendere, comperiemus primum, quicquid eſt naturæ corporeæ, hominis cauſa eſſe productũ. Nam quis neſciat, elementorum illuc rationem ſpectare, ut inde compoſita confingantur? Compoſita uerò inanima nónne propter animata, ut imperfecta propter perfecta? Plantæ utiq; animalibus deſeruiunt: at hæc, immo uerò omnia ſimul, humanis uſibus ſunt deſtinata. Sed quid in humili uerſamur? cur non ſurrigimur? & quæ tam miranda uidentur, nobis item obſequium præſtare comprobamus? Expende radiantis deos, ut inquit Apuleius, quibus cæli chorum comptum, & coronatum ſuda tempeſtate uiſimus, pictis noctibus, ſeuera gratia, toruo decore. Suſpice, inquam, in hoc perfectiſſimo mundi, ut ait Ennius, clypeo miris fulgoribus uariata cælamina: quorum ex aſſuetudine ſpeciem quandoq; mirari deſinimus, nónne noſtris emolumentis iſta deſtinantur? Mihi certe ita compertum, quantumuis illa inenarrabili ſint ordine diſtincta, quantumuis dignitate humanum captum excedentia, tamen quodammodo propter hominem uideri creata. Nam & in Phyſicis pronuntiat Ariſtoteles, hominem eſſe aliquo modo finem: etenim ſecundo De generatione & corruptione idem ſcribit, à deo uniuerſum eſſe repletum, quia generationem fecerit continuam. Hæc uero non eſt, niſi ex cælorum motu: unde conſequutione quadam colligi, motus eſſe generationis cauſa factos, quin & mobilia, & motores quoq; modo quodam: quippe motuum finalis cauſa generatio eſt, & cæleſtium quoq; corporum, ut mobilium, non ut corporum, & ſubſtantiarum. Porrò generatione ceſſante, ceſſabit motus quoq;. Quæ ſi ceruicoſior aliquis etiamnum putat irridenda, apio (quod dicitur) uix ſatis inſpecto, uelut Palladi felem coaptare connitamur, audiat (quæſo) patienter, quæ in ſanctis literis obſeruata, ſubnotanda cenſuimus, ſic uerò Deuteronomij capite quarto, legimus: Ne forte oculis eleuatis in cælum, ſolem uideas, & lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas: quæ creauit deus tuus in miniſterium cunctis gentibus. Homo itaq; in mundi meditullio conſtitutus, ueluti rex planè, dominusq; cunctorum, huc illuc porrectis, expanſisq; poteſtatis ſuæ uiribus, fruitur omnibus, omnibus imperat. Id non ſacris modo literis celeberrimum eſt, ſed dictat ratio, & rerum ordo mirus. Id uero imperium ac regimen ex prudentia eſt, quæ propria cenſetur hominis, in quo uirtus ea generalis eſt, quum in brutis per partes uideatur, ſicuti in aranea ad contexendam telam, quamobrem iure homini ſubijciuntur. Confirmat hæc, ut de Plinio interim ſileam, Mercurij auctoritas, qui diuiniſſime multa quidem, ſed & illud peruidit, Pater, inquit, omnium intellectus, hominem ſibi ſimilem procreauit, atq; ei, tanquã filio ſuo, congratulatus eſt, propterea forma delectatus propria, opera ſua omnia uſui conceſſit humano. Amplius & in literis noſtris M. Tullius aptiſſime colligit, Mundum uideri effectum eorum animantium cauſa, quæ ratione utantur, qui ſunt dij & homines, quibus, inquit, profecto nihil eſt melius, ratio namq; omnibus excellentior. Iam, ut alia miſſa faciam, quis non uidet tum magni ſacerdotis ſentẽtia, tum ſummi oratoris propheticum illud confirmari ferè: Dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quod ſi inferat aliquis, male à me ita colligi: & inanes flari gloriolas, quoniam nuſquam non imperium hominis pernoſcatur proſciſſum, conuulſum, extritumq;: ac rem omnino ad manticam, quod dicitur, & incitas relapſam: Reſpondebunt Chriſtiani patres, ſupplicium eſſe ex admiſſa noxa, non rerum ordinem, quippe quo ſibi iure poteſtatem uendicet, qui uix dum in uitalem productus lucem, protinus ſe Deo rebellem præſtitit: ut penè cum nutricis lacte, ut ſic dicam, flagitiorum ac ſuperbiæ ſemina hauſiſſe uideri poſſit? Quod adeo uerum eſt ut auctor nobis ſit Beda, Ante hominis peccatum nil noxium ab terra progerminaſſe, non herbam ueneno peſtilẽtem, nõ arborem ſterilitatis inutilem uitio, ſequeſtrata item natricum uirulentia, & uiperarum. Quanquam quod ad hoc pertinet, etiam ſi uel antea

pullu-

pullulatu ſuccreuiſſe iſta, non inficiemur, minime tamen ſuperſit querelis locus. Nam tum perinde ſit, ac ſi terram inſimules, quod non omnes homines boni. Amplius, quod uel in cælo non omnes angeli boni. Equidē ſolis ardor præualidus ſpicas torrendo concoquit: idem tamen gignentium exordia perurit. Ita profecto eſt, eorum quæ de terra ſeſe promunt, ſpecificam ſingula rationem præferunt, ac pro uirili creaturæ complent uniuerſæ pulchritudinem: alia ſiquidem eſui adnaſcuntur, uſibus alijs alia. Quod tibi inutile cenſes, quibuſdam cōfert inſigniter. Quod gulam minus prolectat, nec in menſam admiſeris, medendi ſalutarem ſuggerit uim: eonio libidinū furores compreſſi emarcuerunt plerunq; helleboro affectiones corporum inueteratæ interdum ſolutæ comperiuntur. Quare ex ijs ſuggillatio creantis dei nulla, ſed gratiæ incrementum potius. Quod cum magno Baſilio in Hexaemeri libellis comprobat Ambroſius. Verum, ut uideo, moriendi neceſſitate urgemur præcipue. hæc nobis infeſtos maxime facit, qui hominis ſtatum hoſtiliter infectantur: aſtruentes id etiamnum uſu uenire, uti optimum quenq; & ſtatim & præcipue pigneretur deus: nam & Caſſius Hemina, Quæ nata ſunt, ea omnia denaſci aiunt. Nec uident primum illum noſtri generis patrem, tanquam Cæciam quendam, ipſum ſibi calamitatū adſciuiſſe nubila: etenim ſi non peccaſſet is, quodnam foret nobis cum morte commercium? An Apoſtolum non audimus dicentem, Corpus eſſe mortuum propter peccatum? non dixit, Mortale corpus ex peccato: ſed mortuum. Id quippe ante peccatum mortale fuerat, & immortale, quia poterat mori, & non mori. Aliud eſt autem non poſſe mori, aliud poſſe non mori. Mortalis erat homo conditione corporis animalis: at conditoris beneficio immortalis. Confirmat doctrinam hanc Nicolaus theologus, comprobat in Ciuitate diuina Aurelius Auguſtinus, docens propter peccatum naturæ principem intonuiſſe: Terra es, in terram ibis. Sed & Gregorius ampliſſime aſtipulatur, quum aſſerit, Ita fuiſſe conditum hominem, ut manente illo, decederent tempora, nec cum temporibus tranſiret. ſtabat enim in momentis decurrētibus: nec ad uitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Poſteaquam uero conditor eſt offenſus, ire cœpit cum tempore, & tabernaculum mortis eſſe humanum corpus. Ac uti ſcienter prodidit Pindarus, ἐφάμεροι, τί δὲ τίς, τί δ' οὔτις, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Et apoſtolus Paulus ad Romanos: Per peccatū intrauit mors in mundum. Beatus item Thomas incorruptibile modis dici tribus aſtruit: Primo materiæ abſentis ratione, ut in angelis: uel quia non ſit materia in potentia, niſi ad formam unam, ut in cœleſti corpore. Altero modo ex parte formę, ubi rebus ex ſe corruptibilibus adnexa diſpoſitio eſt, qua prorſum ab corruptione uendicētur, quod quidem ſecundum gloriam incorruptibile aſſeritur: nam in epiſtola ad Dioſcurum Auguſtinus ait, Tam potenti natura animam à deo factam, ut ex eius habitudine redūdet in corpus ſanitatis plenitudo, & uigor corruptionis neſcius. Tertio dicitur modo incorruptibile cauſæ efficientis ratione, ſicq; in innocentiæ ſtatu incorruptibilis fuiſſet homo, & immortalis. Quod in libro quæſtionum Noui & Veteris teſtamenti aſſeruit Auguſtinus. Nam quia naturæ corporeæ proportionem rationalis anima ſupereminet, congruenter uirtus ei eſt initio contributa, per quam ab interitu corporea aſſeri poſſet materia. At huius theologiæ ignarus Plotinus, etiam ſi eſt inter Platonicos tanquam maiorum gentium, de humanis agens animis: Pater, inquit, miſericors mortalia illis uincula impegit, ne ſemper huius uitæ miſerijs teneantur. Quod ſi auctoribus noſtris non præſtandam fidem, contendant Platonici: ueluti ad paruulam Cynoſuram, qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto, uti eſt ab Arato proditum, non ad Helicen, & Septentrionum claritatem aciem intenderimus: reſpondeo, ex ipſorum doctrina, eſſe in primis credendum, Quoniam mentes diuinas illa præ cæteris præſagia indicant, ut in Phædro ſcribit Plato, quæ arte nulla, & conſilio fiant: qualia ſunt, quæ de Diotima uate, & Socrate, & Epimenide, idem Plato refert: quæ de Sibyllis Varro unà cum Platone: quæ de diuinis philoſophis Hebræi tradunt. Horum omnium mentes tum orbis remotiſſima obibant, ſecretiora pandebant, quum à corpore ſeiunctæ, in unitatemq; ſuam collectæ deo maxime inherebant: quod Mercurius non negabit: ſed Auguſtinum, Gregorium, & antea multo apoſtolum Paulum, quem, & Barnabam mirati adeo Lycaones ſunt, ut louem putarent, ac Mercurium: quis in eo ſtatu conſtituendos audeat inficiari, qui diuinum ſentirent afflatum, & præter doctrinæ profunditatē, quæ illis aſſulſit

ampliſſime, etiam ſtupenda præcinerent myſteria? Vitæ ſanctitas, miraculorum numeroſa ſeries efficacius me in fidem pertraxerint, quam Platonem Socrates, aut Epimenides, quos ueluti quintæ claſſis, in hac præſertim cenſura ne dignos quidem arbitror qui nominentur, ne quis hoſce adeo Coryphæos ducat, ut iuſto cum eis ſacramento contendere non ſit, ac interdicto certare. Addamus hoc amplius, ut peruicacium impudentiam reuincamus, Hominem primum, ſi non peccaſſet, fuiſſe immortalem futurum, non Chriſtiana modo aſtruit ueritas, ſed & Magi unà cum Platone carminibus ſuis parari immortalitatem poſſe aſſeuerabant. Zoroaſtris magiam nil aliud in Alcibiade putat Plato, quàm dei cultum. Et alibi idem Plato, non carminibus modo ſancit, uerum philoſophicis item rationibus & temperari animum, & corpus uel ſemper, uel diu ſaltem à morte procul poſſe ſeruari. Hoc nec Auicenna negauerit, qui animo in ſeipſum reſtituto in corpora quæuis mirandam conceſſit poteſtatem. Zoroaſtris porrò, & Hoſtanis ſectatores non inficiantur, ob ueterem quandam humanæ mentis infirmitatem omnia nobis infirma, difficiliaq; contigiſſe. Quòd ſi quis animæ temperamentum reſtituerit, compoſitiora mox futura omnia. Ex Pythagoreorum arcanis & illud eſt, animam idcirco in ſenſibili mundo tot occurſantem malis conflictari, quia ſenſibilium bonorum auiditate illecta intelligibilis mundi bonis fuerit exuta. Sed in re confeſſa nimis multa. Quòd ſi laboriosa item obijciatur uita, refelli id ratione poteſt eadem. Nam ut ait Nicolaus theologus, Ante peccatum, & ſuperbam hominis deſignationem, terra ſponte alimenta ſuggerebat accommoda: propterea poſt offenſam apud Moyſem deus, In ſudore uultus tui ueſceris pane.

Terram eſſe mundi chorum medium. Quæ ſit Muſarum chorea, Quid Apollo. Terram eſſe ſtellam unam, ex Pythagora. Cur dea ab Platone dicta. Terræ nomen non eſſe uile. Cur firmamentum dicatur, Item cælum quomodo unitas omnium. Aquarum cœleſtium ratio. Terræ pręconia plura, & quę ſit eiuſdem forma. Cherſos quid, item cherſæa. Zedoros terra cur. Cap. IIII

POrrò num tibi uilior homo eſt, quod ſit quaſi in imum, hoc eſt in mundi cardinem, centrumq; relegatus, abiectusq; ? Ego quidem fateor, quod ex Ariſtotelis ſententia Auerrois primo cæli confirmat, Terram inter elementa ignobiliorem haberi, ignem uero nobilitate præſtare. Quæ rerum ſeries non modo, inquit, in ijs uiſitur inferioribus, ſed in corporibus item cæleſtibus: nam in libro de animalibus dixit Ariſtoteles, Lunæ naturam per ſimilem uideri terreſtri naturæ. Scribit in libro de ueritate Thomas etiam, cæli corpus eſſe humano corpore nobilius, quia cæleſtia quidem agant, noſtra uero corpora patiantur: nam & ignis ut actu calidus in noſtrum agit corpus, potentia modo calidum. Cæterum ſicuti ignis naturæ ſuæ mobilitate, raritate, luciditate in mundi ratione, qui ambiret, maxime contulit: ita & terra ſolidítate inſita ad media mundi compingenda perutilis ac neceſſaria fuiſſe uidetur: unde & ἰσόῤῥοπον, id eſt æquinutantem, appellant Græci. Eam uero optimum maximum deum, tanquam chorum aliquem diuini templi medium conſtituiſſe, amplius animaduertenti patet: ut prætereamus quod Aſtronomicon primo Manilius ſcribit:

Quod niſi librato penderet pondere tellus,
Non ageret curſus mundi ſubeuntibus aſtris
Phœbus ad occaſum, & nunquam remearet ad ortus,
Luna'ue ſubmerſos ageret per inania curſus.

Nam quum mundum, ut Platonici uolunt, ubiq; conſtrueret rationis pleniſſimum, quo clarius ſuum referret auctorem: in ſphæra qualibet uiuentia pleraq; collocauit, quæ non templum modo redderent excultiſſimũ: ſed ſummi opificis laudes aſſidue concinerent: quod ipſum humanas itidẽ mentes in meditullio poſitas facere uoluit. Hæc uero eſt illa ueteribus celebrata Muſarum chorea, quæ ad Apollinis ipſius imperium recinit perpetuò, ſaltatq;. Ipſe uero, ut ait Orpheus, πάντας πόλῳ κιθάρῃ πολυκρέκτῳ ἁρμόζει. id eſt cælum uniuerſum cithara temperat canora. Apollo uero hic non alius eſt, q̃ deus, quẽ uniuerſalem uocat Pythagoras, dictumq; uult quaſi ἁπλοῦν, id eſt ſimplicem, ac unum, uel ἀπὸ ἄλλων, id eſt ab aliis ſequeſtratum, & multitudinis neſcium: quo argumento in Palatini Apollinis templo pependiſſe lychnos inſtar arboris mala ferentis, planè contende-

rim

rim. Et quoniam Pythagoræ incidit mentio, quem Plato eximie ueneratur, in quoq; ingenium effulsisse diuinum, grauissimi auctores prodidere: succurrit, quod ex doctrina promitur eiusdem, pertinetq; ad nostri huius elementi præconium. Hic enim, sicuti accepimus, & meminit in libris de cælo & mundo Aristoteles, Terram è stellis unam esse prædicabat: quod in cõmentatione de Platonis doctrina comprobat Alcinous, & forte significauit Plotinus, ubi ait, Terram, si uniuerso comparetur, esse ueluti punctum, uel quasi stellam quandam, minimam reliquarum. Propterea si concipias, esse te in sublimi quopiam mundi loco, unde oculis subijciatur terræ moles, aquis circumfusa, & solis, syderumq; radijs illustrata, non aliam profecto uisum iri probabile est, quàm qualis modo uisatur lunaris globi species. Verum hoc quæso, cuiusmodi putas, quod in spatij medio æquilibrata, per ambitum tanta cælorum maiestate obuallatur, quorum rotata uertigo motu, ut Varro dixit, orbito, immensam illi confert salubritatem, dum noctis dieiq; custos ita annum attemperat, ut alimentorum omnis generis nec copia desit, nec bonitas? Illa uero cælestium radiorum in unam eam coniectio, ac ueluti dilectorum aggregatio qualem non modo splendoris excitat micantissimam claritatem, sed comparat inde uirtutem? quanquam non me fallit, Plotinum scribere, eam radijs contemperationem non posse obuenire, ut coalitu, cumuloq; nouam sibi cõcilient uirtutem, aut mirabilis aliqua inde forma dissultet. Illud inficiari potest nemo, cælestia maris functionem quodammodo subire, infima uero hæc fœminæ. Nam sicuti & caloris, & uitæ fons, ac propago est cor, ita & cæleste cor, ipse sol, nostra hæc pro caloris potestate mouet, afficit, adq; uitam prolicit, adnuente stellarum item errantium ui: adeo ut mundi uterus uideri terra queat, in quem coeant in generationem prodeuntia, cælesti fermentata uirtute. Principes dei, inquit Varro, cælum & terra: hos Aegyptus Serapin dicit, & Isin. Terra & cælum, ut Samothracũ initia docent, dei sunt magni. Quid uero ibi asserendum, quum Plato terram uocat deam antiquissimam deorum omnium, qui cæli ambitu cludãtur? Putat Plotinus hoc loco, terræ ab Platone animam esse contributam: quæ quum animantia progignat innumera, sitq; animalis maximi, id est mundi membrũ, tum in primis non absq; necessitate, tum nec aspernabile, Censendum est, inquit, animal esse, sed intellectuale atq; diuinum, & sensu quoq; pollens: nam quum anima uim iudiciariam habeat, habet & facultatem, per quã dum spectat in corpus, de passionibus illius ualeat iudicare. Sed hæc ille uiderit. Chalcidius in Platonis Timæum, antiquissimam deorum opinatur dici, uel quia est animaliũ capax locus, qui præcogitetur ijs quæ in loco sunt, necesse est: uel quia puncti rationem habet terra, quod sanè omni est magnitudine antiquius, atq; omni quantitate, naturali quadam mentis conceptione: uel etiam quod quæ stant, ijs quæ mouentur, mente præeunt, quando motus omnis post statũ sumit initia. Nobis certe ex ijs quæ hactenus deprompta sunt, iamiam minus uidetur mirum, cælestem patrem rationales animas conditoris lumine obsignatas, ubi late dominentur, hic occludere, rursumq; præscripto ambitu peracto, canere receptui. Quod si quem peruicacius terræ nomen, ut uile offendit, is mihi haud ita multa uidetur lectitasse, quum & scientissimi philosophi lunam ætheream terram appellare non dubitarint, nam & Mercurio aquam attribuerunt, aerem Veneri, ignem soli. Sed amplius ordine submutato, ignem item ascripserunt Marti, aerem Ioui, Saturno aquam: sphæram uero quæ procul ab errore constituta, aplanes dicitur, dixerunt esse terram, in qua celeberrimi apud poetas Elysii cogitentur campi. Quod ne quis risu explodere pergat, nõ absimile est quod in sanctis habetur literis: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. & in thesauris eisdem, nónne terram legimus uiuentium? Nónne Moyses & Dauid aquas per cælestia fundunt? Et Nicolaus theologus, Aquæ dicuntur, inquit, æquiuocè: nam quæ sunt super firmamentum, cælestis sunt naturæ, quæ sub firmamento, elementaris. Augustinus in Geneseos enarratione, Saturni stellam esse frigidam contendit, ex aquarum supercælestium uicinia. Quod quia mirum accidit, audi ex libro Hexaemeri secundo doctissimi Ambrosii sententiam: Nónne, inquit, diuina prouidentia prospexit necessariò, ut intra orbem cæli & supra orbem redundaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret? Quin & mox paulò, Quis igitur ambigat, quin æther ignitus, & magno feruens uapore, omnia fuerit exusturus, ni lege quadam sui prohiberetur auctoris, ut nec flumina, nec lacus, uel ipsa maria uim eius

ualeant

ualeant reſtinguere? Proinde deſuper impetu quodam deſcendens aqua in tantos plerunq; imbres exundat, ut flumina & lacus repente oppleantur, & redundent maria. Quo nomine ſolem ſubinde madidum uidemus, ac rorantem: ex quo euidens promitur indicium, ex aquis illum ſibi alimentum ad ſui temperiem haurire. Verum quibuſdam tantum ineſt ueritatis impugnandæ ſtudium, ut ſolem ipſum naturæ eſſe calidioris inficientur, quod albus ſit, nõ rubicundus, aut rutilans ignis ſpecie. Ridenda uerò parte hac Origenis doctrina tradentis, Aquas ſuper firmamẽtum nõ eſſe aquas, ſed fortitudines quaſdam poteſtatis angelicæ: rurſumq;, ſub firmamento, ideſt quæ ſuper terram ſunt, eſſe uirtutes cõtrarias, ideſt dæmones. Soliditatem uerò quaſi terrenam adeſſe cœlo, ratione cõiectari, Plotinus putat: nam terræ naturam opacam, proindeq; lucí aduerſam, & denſitate immobilem, brutamq; ab cœlo abeſſe lõge arbitratur, micantiſſimo, & ad motum maxime pernici. Rurſus & aquam, quæ inſita frigiditate in primis cælo aduerſetur, quod eſſe cõſtat calidum primum. Noſtri, ut Solomon Hebræus interpres innuit, Firmamẽtum ab firmitate dictum autumant: quoniã ut in Iob legimus, Cæli quaſi ære, ſolidiſſimi fundati ſunt. Hinc & apud Homerũ, χάλκεος πολύχαλκος dicitur, ideſt æris multi cælum: quod ad ſoliditatem refert Euſtathius: proinde, inquit, alicubi σιδήρειον, ideſt ferreum nuncupatur: aut quia mythicorum eſt, eſſe inibi χαλκοβατῆ δώματα, ideſt æneas domos, ab artifice ſubſtructas Vulcano. Et Seneca ſcribit, In quæſtione eſſe, ſolidum ne ſit cælum, ac firmæ concretæq; naturæ, an ſubtili tenuiq; nexu, agatur, an agat. Cæterum ſcribit in Phyſiogonia Heſiodus, Tartaro circuniectum eſſe æneum ſeptum, ideſt χάλκειον ἕρκος: quo nomine putãt eruditiores, aerem intelligendum διὰ τὸ διηχὲς, καὶ δύηχον, quod per ipſum feruntur ſonitus, beneq; ſonet. Scribit tamẽ Heſaias, firmatum eſſe à Deo cælum, ſicut fumum: quod, inquit cum Baſilio Ambroſius, extulit propheta, ſubtilem cæli naturam, nec ſolidã, cupiens declarare. Sciendum & illud, Cælorum nomenclaturã communem cenſeri, quando cælos plures ſanctior comprobat ſcriptura, ſpeciei uero appellationem eſſe firmamentum: quippe ita legimus, Et uocauit Deus firmamentum cælum. Illud enim ex genere profertur, ubi in principio cælum enuntiat factum, omnis namq; cæleſtis creaturæ fabrica comprehenditur. Addamus hoc amplius, quo noſtri loci nobilitas inſignitior fiat & plauſibilior, Cælum eminentiſſimi auctores unitatem eſſe dicunt omnium corporum: id ita intelligi uolunt, tanquã cæli pars quælibet totus ſit mundus inferior, quia ſit in ſtellæ cuiuslibet uirtute omnis caducorum corporum uirtus. Id quod ſymbolicè Pythagoras ille ſapientiſſimus ſignificaſſe uidetur, ubi in luna, reliquiſq; ſyderibus elementa quatuor, montium ſupercilia, uallium cõſtituit humilitatem, quinimmo ſtirpes quoq;, & quæ apud nos uiſuntur omnia: neq; enim ſtellarum in cælo ulla eſt, quæ non ambiat totum, quod ſublunaris complectitur mundus. Ex iſs opinor, conſtare iam bene ſentientibus poſſe, terræ elementum haudquaquam uideri contemnendum. Sed audi Platonis Timæum: Diuini, inquit, decoris ratio poſtulabat, talem fieri mundum, qui & uiſum pateretur & tactum. Conſtabat autem, neq; uideri aliquid poſſe abſque ignis beneficio, neq; tangi ſine ſolido, & ſolidum nihil eſſe ſine terra: unde mundi omne corpus, igni & terra inſtruere fabricator incipiens uidit, duo conuenire ſine medio colligante non poſſe: inde aerem & aquam inter ignem terramq; contexuit. Qualem igitur eſſe mundi cardinem remur hunc, tanta prouidentiæ maieſtate conſtitutum? nónne regium uere? nónne animalium principe dignum? Vtinam tam grate beneficam in nos, ac propenſiſſimam conditoris bonitatem recognoſcamus omnes, quàm non pigebit æqua modo lance expendentes, in ſede media tam auguſti, tam diuini templi, ueluti ſacerdotes locatos, qui iugiter tanti artificis laudibus perſonemus. An non & illud miraculum auget inſigniter, quod propheticum eſt? Terram fundauit ſuper firmamentum eius, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Qua ſanè in parte, non tanquam artifex efferri animaduertitur Deus, ſed omnipotens uerius: qui non centro quodam terram, ſed præcepti ſui firmamento ſuſpenderit: neq; enim hic artis menſura eſt, ſed poteſtatis. Propterea quum ex nube alloqueretur Iob inenarrabilis maieſtas, Vbi eras, inquit, quum terrã fundarem? Indica mihi, ſi ſciẽtiam tenes? Quis poſuit menſuram eius, ſi noſti? Aut quis eſt, qui ſuperinduxit menſuras ſuper eam? Aut ſuper quid confixi ſunt circuli eius? Quibus oſtenditur liquido, diuinæ amplitudinis potentia ineffabili in numero, põdere, atq;

menſura

menſura, ut diximus, conſiſtere omnia: nec quod in medio ſit terra, quaſi æqua lance ſuſpendi, ſed quia dei maieſtas ſuæ uoluntatis lege ampliter illam cõſtringit arctatq; robuſtius, ut quamuis inani obſepta, ſtabilis tamen perſeueret. Hanc Heſiodium carmẽ ἔδος appellat ἀσφαλὲς cæleſtium deorum & ſubterraneorũ, quoniam cæli eſt firmamentum, & partium eiuſdem, hoc eſt ſyderum, quæ ſuperna tenent, quæq; inferna, καὶ πᾶν κινούμενον πρὸς τὸ ἀκίνητον ἐρείδεται, id eſt omne quod mouetur, circa immobile obfirmatur. Iam eram coronidem huic parti impacturus, quum illa ipſa ueluti munificentiſſima parens, terra lacinia retractum commonuiſſe eſt uiſa, ac ornamenta ſua ingerere perrexiſſe: Satis, inquit, me in mundi ſede media conſtitutam, ſolidam, & undiq; in me nutibus meis, aut diuinis uerius, conglobatam contemplatus es. Cæterum quæ ſpecies rerum eſt, quæ uarietatis maieſtas, ſic me inenarrabili herbarum, florum, fruticum, arborum, frugum copia conueſtitam, & ut Apuleius tuus inquit, cæſariatam conſpici? Quid Arabum odoramenta recenſeam? quid nata deo thura? quid Orientis aromata, & medicamina numeroſa, ſine quibus (ut nunc eſt) uix uita conſtiterit? quid tot, tantorumq; animalium & mitium, & ferorum, ac cicurum agmina ſubijciam? quid tantorum marium uaſtitatem, quid gelidorum fluminum ac fontium perennem iucunditatem, lauacris abundis & collucentibus mire gratam? quid piſcium portentoſam molem, temperatam, modicam, puſillam, ac penè magnitudinem nullam memorem? An non cernis hic me ſpeluncis uſq; ad delicias excauatam? illic accliuem, ac ſuperba montium proceritate ſurrectam, & quodammodo ſcanſili ſupercilio cælum affectantem, ac humano generi dictantem uitæ leges? Alibi ſum depreſſa uallibus & campeſtri planicie ſpacioſa, culta, incultaq; dulciſſima uobis ſuggero alimenta. In uiſceribus nec homini quidem ſterilis: ibi uero recondita ſeruantur, auri, argenti, æris, ferri, aliorumq; metalla. Nec ſatis, marmora produco omnifaria, molibus fulciendis, conueſtiendis, incruſtandisq; parietibus excidenda, & in ſtatuas tantum non ſpirantes conformanda. Nec gemmarũ defuerit ſuppellex pretioſa, quibus ueſtri niteant articuli. Sed & maris conchylia margaritas fœminis ſuggerunt. Nec lanificæ Serum ſyluæ luxui ueſtro molliſſimam abnegarint ueſtem: Taceo auicularum muſicos cantus, Quid ſubſtructiones magnifico impendio nobiles repetam? quid urbium tantarum ſplendidiſſimam claritatem? Sed quod omnem exceſſerit admirationis captum, Ego te animal prouidum, ſagax, memor, plenum rationis & conſilij natum ſuſtineo: uagientis fletum excipio prima, adultũ educo etiam delicioſe, opibus te contego meis: quicquid mihi eſt, ſumma hilaritate condonatur tibi, quia magni conditoris lumen in animorum claritate ſignatum animaduerto. Vnde à poetis tuis Homero, Heſiodoq; ἡέλιος nuncupor, uti Ioannes grammaticus ſuſpicatur, quoniam ὑπ' ἠοῦς ἕλεσθαι καὶ θερμαίνεσθαι, id eſt dum ſole inferueſco ac incaleſco, uobis omnia condonantur: nec zea tantum, quod multi opinantur, & non præterijt Plinius. Iamiam ab reliquis naturæ partibus abdicatos in ſinus uos admitto meos, plura etiamnum, & largius impertitura, ni principem naturæ deum rebelli animo atq; inteſtabili nulla non hora conuelleretis: ut in uos poeticum illud de Helena regeri queat, uel in matris funere nimis quàm delicate comis ſuis parcente, ἦσιν ἁπάντων λυγρή, hoc eſt, mulier eſt quæ ſemper fuit. Illud uero hic ſubijciendũ protinus, terram ab Homero dici apirona, ſiue ἄπειρον, id eſt infinitam, quia ſit σφαιροειδὴς, ac στρογγύλη, id eſt orbicularis: quanquam nec latet, philoſophum Poſidonium ac Dionyſium, terram dicere σφενδονοειδῆ, id eſt fundæ ſimilem, id eſt concauam, quando deſcendere imbrem dixere telluris in gremium: quod aſtruunt & Chaldæi, ut ſcribit Diodorus. At Democritus oblongam ſtatuit, βαρυειδῆ uero Hipparchus, & diſci diffuſioris poſitioni aſſimilem. Ariſtoteles Meteororum ſecundo, tympani forma terram eſſe prodit, quando habitabilis portio in latum deſinita extẽdatur, nec ſit in orbem globata. Illud grauius multo, ad ignem ita ſe habere terram, uti mundus ad deum: quippe multis inſigniter ignis ſimilitudinibus ad deum in terræ reſpectu: nam potentiæ illius finis non fere eſt, omnia operantis in terra, penetrantis, illuſtrantis, diſtinguentis, formantisq; per aeris & aquæ media, ut quicquid ex terra ſuccreſcit, progigniturq;, nõ magnopere aliud ſit, quàm alia & alia ignis operatio, ut rerum forma multiplex ex ignei ſplendoris conſurgat uarietate multiplici. Immergitur tamen rebus ipſis ignea potentia, deum uero abſolutum intelligimus, & claritatem quoq; abſolutam

ſolutam: in cuius participatum nitantur cuncta, quod in aſtris perſpicuum fit. Hoc uero nec prætereamus, quod aliud agentibus ſe ingeſsit, incultiorem terram Græcis uocari cherſon ferè, quo argumento quæ illi cherſæa, nos ſylueſtria dicimus.

Mundus quid ſit. Natura continens mundum, quibus cenſeatur nominibus. Inibi de ſphæro breuiter. Quid ſit illud Timæi, Mundum conſtare ex mente, ac neceſſitate. Mundi principia tria. De Anaxagora, cur dicetur νοῦς. Cap. v

VErum quia multa diu iam de mundo uerba facimus, perſequamur & flores rerum ex ſummis auctoribus: illud præfati, nos ipſum hoc toto opere præſtaturos, ut ſi nil aliud, uarietatis iucunditas, & inde genius aliquis non abſit. Id igitur huic potiſſimum inſeratur loco, quænam ab doctiſſimis mundi definitio afferri ſoleat, quod initio ſtatim fuerat efficiendum. Igitur in libro de orbium cæleſtium contemplatione Cleomedes ita finit: Mundus eſt conſtitutio cœli & terræ, & naturæ rerum, quæ intra cluduntur: hic omnia continet corpora, nullo penitus relicto extra, haud infinitus quidem, ſed terminatus, argumẽto, quod à natura gubernatur: nullius enim infiniti natura eſſe poteſt, quum id continere, & ei dominari naturã oporteat, cuius ſit natura. Quod uero adminiſtrantem habeat naturam, liquet: primo quidem ex ordine partium: deinde earum rerum, quę oriuntur inde: tertio ex partium inter ſeſe conſenſu, mox & ex miro, quod hinc profluit, emolumento. Naturã eſſe Ariſtoteles cenſet, principium motus, & quietis, in quo primo eſt, & non per accidens. At naturam efficientem, gubernantem, continentemq; Plato δημιουργὸν uocauit, hoc eſt opificem. Sunt tamen Achæorum magiſtratus, item Demiurgi. Empedocles Sphærum, ut primo Phyſicorũ Themiſtius ſcribit, & meminit de generatione & interitu priore libro Ariſtoteles: quanquam & Sphærus quidam de Lacedæmoniorum republica libros condidit, quorum utatur teſtimonio Athenæus. Ariſtoteles uero θεὸν etiam, id eſt ſpeciem: qui & in libro de mundo, poſtea quàm eum finem quem poſuimus eſt complexus, infert, λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως κόσμος, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε, καὶ διὰ θεοῦ φυλαττομένη. hoc eſt, dicitur & aliter mundus uniuerſitatis ordo ac exornatio, à deo & per deum cuſtodita. Chriſtiana ueritas à deo mundum dependere ſancit, nec id natura, ſed uoluntate, à quo dogmate haud aberrare Ariſtotelem, ex eruditis ſunt qui probare adnitantur. Finis uero ipſa eſt bonitas: etenim quia bonus eſt deus, imò uero ipſum bonũ, creata producit ac conſeruat. Quem autem latet, quæcũq; agat quis, quoniam ſit bonus, ea, uoluntate fieri, non natura? Bonum ſiquidem uoluntatem mouet, ut uiſum color. Publica ferè philoſophorum omnium ſententia eſt, uti ab Algazele proditũ ſcimus, ſummo etiam Auerrois aſtipulatu philoſopho, Mundum ab æterno deo tempore nouum eſſe productum, abſolute cenſeri impoſſibile: ſiquidem cur non prius? an quia inclinante carebat ad eſſe productum? An affuit liuor aliquis? an non potuit? Quæ ſi abſurde aſcribuntur deo, liquet ab æterno fuiſſe mundum. Sed, inquit, hic nec in agente poſſibilitatem cõperias, neq; item in patiente: quanquam in naturalibus & artificialibus effectum agens præcedat, & patiens: mundi productio eſt omnino alia. Nanq; patientis excogitari nequit poſſibilitas, quando ſubiectum eſt nullum: minus etiam multo in agente, quod enim hic ſit agens præter deum? Quum uero poſſibilitas, potentia ſit quædam: deus autem eſſentia omnino actualis & ſimpliciſſima, locum in eo non habet poſſibilitas. Proinde aſtruendum, mundi productionem non præferre in deo mutationem ullam, neq; exitum de potentia in actum, ſed diuinæ potentiæ potius incognitum nobis modum: propterea haudquaq; diuinis naturalia uideri conferenda. Putat Origenes in libris περὶ ἀρχῶν, non ideo factum mundum, ut producerentur bona, ſed ut reprimerentur mala: nam initio creatas à deo animas peccati labe ab eius præſcripto receſſiſſe: quo nomine ad inferiora detruſas, diuerſis pro delictorum ratione corporibus inſinuatas, tanquam uinculis: hunc uero eſſe mundum, & mundi cauſam. Mundum duobus conſtare dixit in libro de uniuerſitatis natura Timæus Locrus, mente, & neceſſitate. Tu intellige, ex actu formali: qui ſanè eſt in diuinæ mẽtis uoto præcipuus, mentisq; imago. Item ex neceſſitate, id eſt materia: quæ non tam intentione propria, quàm neceſſaria quadam conditione ad hoc opus accipitur. Mundi principia tria ab Platonicis colliguntur: ipſum ſcilicet τἀγαθόν, id eſt bonum, ſiue deus: intellectus, eiuſdem filius, ex paterna luce luminis more manans: atq;

inſuper

ſuper mundi anima, ex intellectu diuino, uelut ſpiritus per omnia profluens. Sed ea cõ ditione inferioribus prouidens, ut interim ab diuinis nulla ex parte declinet. Quod de intellectu diximus, quia admirationem habet, ſententia Plotini eſt & Ammonij eiuſdẽ præceptoris. Sed & Iamblichus inter Aegyptiorum dogmata cõtineri ſcribit. In Academicis quæſtionibus Cicero ſentientem naturam, qua cõtineantur omnia, nunc mundi animum appellari ſcribit, nunc mentem ſapientiamq; perfectam, quem deum uocant: ſed & neceſſitatem quandoq;, quia nil ſecus effici poſſit, quàm ab ea ſit conſtitutum: nõnunquam etiam fortunã, quod multa efficit improuiſa nobis, nec opinata, cauſarum obſcuritate atq; ignoratione. At noſtræ religionis auctor ſummè grauis Ambroſius illuc proiectam quorundam hominum audaciam miratur, ut aſſertione parum perſpicaci aſtruere ueriti haud ſint, eſſe tria omnino principia, deum, exemplar, materiam, & hanc utiq; incorruptibilem, & increatam, initijq; prorſus neſciam: ut intelligatur deus nõ creator, ſed artifex planè: qui in exemplar, hoc eſt ideam, intendens ex materia mundum compegerit, quam dicunt hylem, quæ uniuerſis gignendi cauſas contribuerit. Quod, inquit, cum aſſectatoribus ſenſiſſe animaduertitur Plato. Quod quum præuidiſſet diuiniore afflatus ſpiritu Moyſes, ut retunderet, in ſacri operis exordio ſibi ita præfandum cenſuit, In principio fecit deus cælum & terram: rerum initia, mundi auctorem, creationem materiæ mira breuitate complexus. Quæ omnia Propheta nobilis approbãs, quum de cælo, terra, mariq; loqueretur: Omnia, inquit, in ſapientia feciſti. Pythagoras ſymbolicè tria indicauit rerum principia, infinitum, unum, & duo: ideſt deum, formam, & materiam: quæ alterationis (ut ſic dicam) creditur mater, ſicuti deo congruit infinitas, formæ uerò unitas. At Orpheus Iouis nomine formam uoluit intelligi, unde dicitur ἀρχὴ πάντων: Iunonis autem materiam, quam nuncupat Διὸς σύλλεκτρον, παντογένεθλον, id eſt Iouis cõtoralem, omniparentem. Tertium porrò principium adijcit, legem naturæ, id eſt φύσεως βέβαιον, in Hymnis ab eodem nuncupatam, οὐράνιον νόμον, σφραγίδα δικαίαν, id eſt cæleſtem legẽ, ſigillum iuſtum. Dignum uerò quod parte hac non prætereatur, Anaxagoram philoſophum nobilem fuiſſe appellatum νοῦν, id eſt mentem, uel ob prudentiæ in ijs quæ ad phyſiologiam ſpectant, magnitudinem, quam inſigniter ſint admirati priores: uel quod rerũ exordijs non fortunam appoſuerit, non neceſſitatem, ſed mentem omnium princeps ad iecerit, καθαρὸν καὶ ἄκρατον, ideſt ſynceram impromixtamq; miſcellaneis omnibus homœomerias diſpertientem.

Mundus, ſiue coſmos, unde dicatur. Quid coſmius, & coſmetor: diacoſmus. Cur pulchra fiant in mundo. Vnde colligatur mundi pulchritudo. Cælum eſſe picturatum: & cur dictum ſit ouum. Belus quid. Interim animam eſſe organum dei. Foſſa quæ dicebatur mundus. Seueri hiſtoria. Cap. VI

QVem uero Latinè ex abſoluta perfectaq; elegantia, ut ait Plinius, mundum nuncupamus, ratione Græci eadem κόσμον uidẽtur appellaſſe: nam & Mercurius, quod omnia uarietate generationis exornet, ita quoq; dictũ refert, aut quod in diuinæ maieſtatis ornamentum initio ſit expreſſus, uti Florens Septimius inquit. At in Gorgia Plato: Tradunt, inquit, ſapiẽtes cælũ & terram, deos & homines ſocietate quadam & amicitia, modeſtoq; ornatu & temperãtia & iuſtitia cõtineri. Atq; id uniuerſum propterea mundũ ornatumq; nominant, nõ immunditiam atq; intemperãtiam. Ab ordinis uerò præſtantia dici mauult Euſtathius: quem illi cõtribuerit prouidentia. Omnino ineſſe dictioni laudis multum apparet, quando uirũ rationis tum honeſtæ, tum moderatæ κόσμιον appellare Græci ſolent: comem dici Latinè, arbitrantur eruditi. Duces autem Homerus etiam κοσμήτορας, uelut multitudini ordinem præfigentes. Auctor in libro de philoſophi hiſtoria Galenus eſt, & Plutarchus non omiſit, Pythagoram primum ὠνομάσαι τὸν τοῦ ὅλου πρόσοχλον κόσμον, ἐκ τῆς ἐν αὐτῷ τάξεως, quod Latinè ſic eſt, Ob abſolutiſſimam quæ in ipſo eſt ſeriem, uniuerſi continentiam κόσμον, id eſt mundum appellaſſe. Nam & mundi ordinatam conſtitutionem διακόσμησιν uocant. Diacoſmum, Strabo accipit pro inſtructione, aut etiam catalogo: ut quum Homerum prodit, meminiſſe in Paphlagonico diacoſmo: & Demetrij Troicus diacoſmus, ab Athenæo aduocatur. Coſmophthora, Varronis lucubratio intercidit, argumento (ut uidetur) περὶ φθορᾶς κόσμου. Nec ſanè mirandum magnopere, inquit Ana-

charſis in ſeptem ſapientum conuiuio, ex diuina uoluntate decentiſſima & pulcherrima perfici in mundo, ſi in maximis quibuſq; partibus eius, ut Thaleti placuiſſe animaduerti tur, & præcipuis anima ineſt: ſiquidem animæ organum corpus eſt, dei autem anima ipſa. Et ſicuti ex ſe motus pleroſq; corpus habet, plurimos uerò & pulcherrimos ex animæ ui: itidem anima partim quidem ex ſe agit, partim uerò uerſandam dirigendamq;, ut collibuerit, ſe deo exhibet, quum ſit omnium inſtrumẽtorum aptiſſima. Mundum uerò eſſe pulcherrimum, ex quatuor maxime colligimus, ut putant ex ueteribus nõnulli: ex orbiculari figura, quæ omnium prima eſt ac maximè capax: ex colore item, qui cyaneus eſt: ex magnitudine: poſtremò, ex tot tantorumq; ſyderum uarietate. Quippe argumentis facilè comprobatur, cælum nõ eſſe (ut multis ferè placuit) leue, nullisq; picturatum imaginibus, atq; diſtinctum, ut in uolucrum cernimus ouis: quo nomine etiam inoffenſum, lubricum, & tenerum uocabant. Democritus & Pythagoras primi uidentur oui nomine cælum appellaſſe. Sed & Plato ex Ciceronis interpretamento: Deus, inquit, cælũ ita tornauit, ut uel nihil uel parũ aſperitatis haberet, nihil offenſionis. Quin hominẽ quoq; cælum eſſe dictum, comperimus: quia ſit cæli ſimulacrum quoddam, etſi paruum. Sunt ex prioribus, qui Belum, id eſt Βηλὸν, eſſe aſtrorum, ac ætheris ambitum prodant: alij ſupremum, omniaq; circumplectentem aera: nõnulli ſecundum Dryopas etiam olympum: Chaldæi, cælum prorſus eo nomine intelligunt. Signat & Belus pauimentum, παρὰ τὸ βαίνειν, ideſt ab inceſſu, ſicuti placuit Euſtathio. Inueni & pro ianuæ limine dici Belum, quem etiam φλίαν uocant. Sunt qui Phœnicum lingua ſolem dici opinentur Hel, unde ducatur helios: qui mox & Belus. Colebatur, inquit Dion, apud Syriæ Apamcam Iupiter cognomento Belus, qui Seuero adhuc intra priuatum ſe habitum cõtinenti Homericè ita reſponderit, ὄμμα τε καὶ μέτωπον ἐκτελὲς ἀϊεὶ τοῦ πικρόνυφ,
ἄρρεϊ δὲ ζώνῃ, σθένος δὲ ποσειδάωνι. Mox uerò iam imperium adepto, ita:
Σὸς δ' οἶκος πᾶς βάσιτα δι ἄμματος. Auctor & libro tertio Diodorus, Iouem à Babylonijs Belum dici. Ardorem denicq; cæleſtem alicubi legiſſe uidemur, qui æther nominetur, uel cælum: ſed & Subijces, pro aere alto, qui cælo ſubiectus eſt. Fuit & in Comitio foſſa, quam mundum uocant, in quam orbicularem, Vrbe condita, omnium primitias, quibus lege ut honeſtis, natura ut neceſſarijs utebantur, conijci iuſſit Romulus. Mox item terræ portiunculam, unde quis eſſet profectus, conferri: credo ut ſic in ciuitatis unius, ac patriæ populum facilius coaleſcerent animi.

Vacuum in mundo eſſe nequit. Vtrum uiſus ſine aere intermedio perfici poſſit. An extra mundum eſſe poſſit uacuum. Mundus an ſit unus. Cap. VII

ILlud uero ſcitu dignum eſt, in mũdo ratione nulla eſſe poſſe uacuum, quod ferè cõprobatur ex ijs, quæ ſenſibus manifeſta ſunt: etenim niſi nexibus mutuis colligaretur uniuerſitas, nec mundum natura contineret, nec regeret, nec partium inuicem ulla foret ſocietas. Porrò ni uno loco ſit mundus, ac nuſquã interpellatus profluat ſpiritus, probabile Cleomedes habet, tũc nec uiſui, nec auditui locum omnino fore. Qua in parte operæpretium arbitror Plotini inſerere placita, aſtruentis, corpus per ſe neceſſarium minime eſſe ad emicantem ex oculo radium ſuſtinendum, atq; perferẽdum: qui nullo fultus tibicine, aut ſubſtrato in rectũ ſuapte natura fertur, nec metuẽdum, ne radius ipſe decidat, qui naturam habet luminis. Inter uiſum, & uiſibile medium per ſe neceſſarium eſt lumẽ, uel externum, uel propriũ oculi, ſeu obiecti ualde lucentis. Ariſtoteles uero, & eum ſecuti omnes, ne extra mundũ quidem uacuum relinquũt. Neq; locus, inquit, primo cæli, neq; uacuũ, neq; tempus eſt extra cælum, quo argumẽto nec cõſeneſcunt ibi exiſtentia. Plato item, ut inquit Plutarchus, neque intra mundum, neq; extra, uacuum cõceſſit. Pythagorici extra mundum eſſe uacuũ autumant, in quod inquiunt, & ex quo reſpirat mundus. Hos ſecutus Cleomedes in contemplatione orbium cæleſtium, ita eſſe, argumentis nititur peruincere: putatq;, negare uacuum perinde abſurdum uideri, ac ſi quis ita colligat, quia in humore carentibus locis aqua eſſe non poſſit, nec uas, quod eam ſuſcipiat, eſſe poſſe. Sciẽdum uero eſt, uas corporis dupliciter dici: alterum, quod corpus tenet, ab eoq; impletur: alterum, quod capere poteſt corpus. Quod autem dicunt, ſi uacuum extra mundum foret, per ipſum mundus ferretur, nihil habens ubi conſiſtere atq; inniti poſſet: Scire oportet, inquit, impoſſi-

bile

bile id uideri: uergit enim ad medium, & id ſibi tenet imum quo nuit. Nam niſi ſui medium, atq; idem imum mundus teneret, profecto per uacuum agitaretur mundus. Dicitur hoc quoq; ab illis, ſi extra mundum uacuum eſſet, profuſa per ipſum ſubſtantia in infinitum iam diſſipata foret: ſed hoc fieri nequit, habitum enim quendam habet, ipſam tenentem, & conſeruantem. Inepte quoq; afferunt, ſi extra mundum uacuum eſſet, id infinitum eſſe oporteret: quod ſi infinitum eſſet uacuum, corpus quoq; infinitum eſſe oporteret: non enim ſequitur, ut ſi infinitas ſit uacui, ſit etiam corpus infinitum: nam infiniti notio nullibi deſinit, at corpus continuo terminis includitur: quare qui extra mundum nihil eſſe contendunt, nugantur. Id enim ipſum, quod nihil uocant, haud quidem profuſæ ſubſtantiæ obſiſtere poteſt, quo minus rapiat aliqua expanſa, & quod ſubinde naturaliter ab ea apprehendetur, ab eadem implebitur, locusq; fiet ipſius, quare oportet eſſe ſubſtantiam aliquam uacui. Eſt enim ſimpliciſſima ipſius uacui notio, quippe incorporei, & tactum negantis, nec figuram habentis, nec recipientis, nec quicquam agentis, aut patientis, ſed abſolute ad corpus ſuſcipiendum idonei, & apti: ſiquidem quod impleri, deſeriq́ue à corpore poteſt, uacuum eſt. Stoici, Plutarcho referente, & Galeno, extra mundi ambitum conſtituebant infinitum: in quod, conflagratione, quam uocant ἐκπύρωσιν, obueniente, poſſet reſolui, Poſidonius non infinitum, ſed quantum reſolutioni ſufficeret. Ariſtotelem Plutarchus idem & doctiſſimus uir & prudentiſſimus, prodit, quod mirum eſt, extra mundum conſtituiſſe inane, ut cælum reſpiret. Sed ubi hoc aſtruat philoſophus is, parum comperi. Etenim in omni uita pretioſiſſimum eſt, intelligere, & neſcire quod neſcias. Mundum uero eſſe unum, euidens dictat ratio: nanq; ordine uno, & ad unum inſtrui debent omnia. Proinde ſecundo Metaphyſices ait Ariſtoteles, ex ordinis unitate in rebus exiſtentis unitatem colligi gubernantis dei. Sed & exemplaris unitate mundi unitatem probat Plato, uelut ad exemplum producti. Porrò ex ſua conſtat, & tota materia mundus. Neq; enim fieri queat, uti terra ſit alia ab hac: quia quæcunq; cogitetur ea, naturæ ſuæ nutu ad hoc delabetur medium: quæ ratio & de alijs pronuntiari itidem ualet.

Vtrum eſſe poſsit corpus extra mundum. Quod ſi concedatur, utrum poſsit à nobis uideri. Cur pede affecto afficiantur inguina. Cap. VIII

SI corpus ſit extra cælum, & mundo huic ad illud oculus dirigatur, nihilo prohibente diſcernere, dubium eſt, inquit Plotinus libro quinto Enneadis quartæ de dubijs animæ, utrum illud uidere poſſit. Et re uera quum mundi ambitu omne, quod ſub ſenſum cadere poteſt, apprehendatur, concipere nequit animus, ſenſibile quippiam aſtitui extra mundum. Si tamen eminiſcaris eſſe ibi corpus aliquod, ſed quod nihil habeat cum noſtris corporibus commune, non ſentietur utiq; mundano ſenſu. Si uerò corpus id noſtris ἀναλογον effingas, iam ut internũ cenſebitur, haud quaquam externum. Si cauſatio ſeſe oſtenderit in pede, confeſtim afficiuntur & inguina: cur non genua potius, tanto præſertim propiora? Nempe quia illa inter ſe ſympathiam habent maiorem, & naturæ in animali eodem ſimilitudinem. Conſimiliter ſenſibilia longe ſequeſtrata, etiam ſi leuiſſime moueantur, nec patiatur medium: præſentiuntur tamen, id efficiente mundi continuata natura inter hæc, ſicuti ſi ſummam partem intenti funis agitare perrexeris, mox & infima ſentit motum: hinc etiam fieri putant, ut uenturos ad nos ſenſu occulto, ſed non ſine admiratione præſentiamus.

Quo tempore anni creatus ſit mundus. Cur aries ſignorum primus. An demonſtrari queant mundi primordia. Cap. IX

TOrte uerò uacantis operæ non fuerit, breuibus hac parte explicuiſſe, quo anni tempore prima effulſerit genitalis mundi hora, ac (ut Lucretius inquit) primigena: quando certum temporis principatum non diffitemur habere hunc, qui cernitur & tangitur, & eſt corporatus undiq;. In quo mire diſceptant Hebræorũ interpretes: nam Ioſue cum pleriſq; ſectatoribus, mundum Martio factum menſe nititur probare, tum quia ſuccreſcant è terra tunc pubentes herbæ: tũ quia Exodi duodecimo, menſis hic dicatur anni primus. Eliezer autem, ac nonnulli, malunt Septembri mundi initia contribuere, quoniam tunc matureſcentibus fructibus cum incluſis ſeminibus, abſolutius fuiſſe uideatur dei opus. Quæ ſententia maxime præſtitiſſe uidetur,

ut probabiliór: quia & in Deuteronomij capite triceſimo ſecundo, ſcriptũ legimus: Dei opera perfecta ſunt. Proinde in eam item ſententiam pedibus eunt omnes, Hominem primum in ſtatu ætatis perfecto productum, quo poſſet generationem perficere: tunc enim unumquodq; uideri perfectum, quum ſimile ſibi ualet progignere. Quod ipſum & in fructuum ratione aſtruendum eſt, qui ſuis ſunt ſeminibus grauidi. Quod uerò Martius dicatur menſium primus, non ad mundi primordia referendum arbitrantur: ſed ratione ſolennitatum celebrandarum dici uolunt, ſimul propter ſingulare dei beneficium, quo de Aegypto ſeuocati Hebræi fuerant. Quod & innuere ſcriptura uidetur, quum ait, primus erit in menſibus anni, tanquam inſinuet, antea non fuiſſe primum. Priorem tamẽ opinionem etiam tueri uidetur Strabus. Sed & Ambroſius: Inde, inquit, mundi oportebat exordium capi, ubi erat opportuna omnibus uerna temperies: unde & naſcẽtis mundi imaginem annus exprimit, ut poſt hybernas glacies, & caligines hyemales ſerenior ſolito uerni temporis ſplẽdor eluceat. Sed & illud affertur commode, calorem genitalem requiri omnino temperatum, quo argumento reijcitur cum capricorno cancer: quin & libra, quod in frigidum ab ſicco deuergens, mortis eſſe uidetur præſagium potius, quam generationis aptum exordium. Propterea poeta nobilis,

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumúe habuiſſe tenorem
Crediderim: uer illud erat, uer magnus agebat Orbis.

Aiunt porrò quum primum in ordinem hunc, & nitidiſſimam claritatem facta, expurgata, compoſitaq; elementa ſunt: quem diem mundi eſſe natalem prædicãt, arietis ſignum media cæli tenuiſſe: qui locus ceu quidam mundi uertex intelligitur. Proindeq; factum ut principem in ſignorum duodecim limbo locum aries habere credatur: quippe in genituris omnibus cælum medium, principem habet locum: nam & ex hoc totius genituræ fundamenta colligunt. Inde concinne admodum ex hoc ſigno reliquis omnibus initium factum, præſertim quum ſtellarum pars maxima, ſed & lumina utraq; ſol ac luna radios ſuos in hoc collimarint. Aſtipulatur & Manilius Aſtronomicon primo,

Vt ſit idem mundi primum, quod continet arcem. Et mox,
Aurato princeps aries in uellere fulgens.

Auctor tamen eſt Theon, ab ariete ordiri Aegyptios, quod ſigna omnia cum membris reſponſum habeant, ac analogon: quippe eſſe caput arietem, coniectant, quoniam in capite ſit animæ principatus, & ouium dux ſit aries. Porrò, quia in eo ſigno æquinoctium contingat. Quo argumento mundanæ originis coniectant plerique, aſtrologos ab ſolis in arietem introitu de totius anni fato pronuntiare. Mundum denique eſſe natum factumq; de Platonis ſacrario promi, auctor in Apologetico Septimius Florens. Quamobrem Aeſculapium ſequuti in libro qui μυεσγώδης appellatur, mundi thema ſic concipiunt, ut eo exoriente, ſolem leonis pars geſtarit decima & quinta: cancri uero eadem lunam: capricorni Saturnum, Iouem ſagittarij, Martem uirginis, Venerem libræ, Mercurium uirginis: Horoſcopum cancri item decimaquinta: tunc quoq; Saturnum lunæ coniunctum intelligunt, quia ſit lunæ ſecutus naturam, quando in ſigno conſtitutus fœminino, lunæ in fœminino item poſitæ per diametrum radios exceperit. Verum præſto ſunt qui nullam eſſe mundi genituram tradant, qui nec certum habuerit ortus ſui diem. Quin mundi originem facili haud poſſe concipi ratione, præſertim quum trecentorum millium annorum maior apocataſtaſis, hoc eſt redintegratio per ecpyroſin, aut per cataclyſmũ, ſpatio perficiatur. Commentos uerò eſſe hæc præcelſi ingenij uiros, ut eſſet quod in hominum geniturís exemplum mathematici ſequerentur. Lunam itaque Saturno iunxerunt primum, quæ & temporum traderet principatum, quod prima origo mundi inculta fuerit, & horrida: cuius habitum demutarit Iupiter, qui poſt temporum acceperit principatum, nam huic ſecundo loco coniungi lunam. Aduertenda uerò parte hac doctoris eminentiſſimi Thomæ ſententia. Non neceſſe, inquit, eſt, deum uelle mundum ſemper fuiſſe: neq; enim neceſſario quippiam uult deus, ni ſeipſum, abſolute ſi loquimur. Eatenus uero eſt mundus, quatenus illum eſſe, inter dei placita eſt, quando inde ſuſpenſus eſt, ut ex cauſa. Quamobrem per demonſtrationẽ probari nequit: nec quas ad hoc promit Ariſtoteles, ſunt ſimpliciter demonſtratiuæ rationes: uerum ſecundum quid, ut ueterum retundantur

tundantur argumenta, quibus inefficacius mundi exordia nitebãtur comprobare. Quid quod liquido Topicorũ primo traditur, Quædam esse problemata dialectica, quorum rationes minus teneamus, sicuti æternus ne sit mundus. Adde quod Homilia Ezechielis prima Gregorius: Prophetauit Moyses, inquit, de præterito, dum ait, In principio creauit deus cælum & terram. in quo mundi traditur nouitas, quam reuelatione tantum discimus, proindeq; demonstrari nequit, nec sciri. Quod quidẽ perpendisse, perutile fuerit, ne quispiam forte fidei propria demonstrare adortus, rationes inducat non necessarias, unde irridendi nos infidelioribus ansa porrigatur.

Quæ sint in mundo antica & postica, dextra & siniſtra, ſurſum & deorſum. Declaratur Lucani locus, & Ouidij alter. Sacrificandi mos. Cur in Oriente nascãtur gemmæ, & aromata, leones, elephanti. Papinij locus illustratur. Crystalli ratio. Item pauonum, psittacorum, meleagridum. Cap. x

QVæstio autem de mundi partibus ac declinationibus aliquid & ipsa contemplationis habet, præsertim in tanta opinionum diuersitate, mire dissidentibus etiam primæ notæ auctoribus. Aduocabitur ergo ad partes, cuius etiam supra commeminimus, Cleomedes, quo ueluti anteſignano, poeticæ tortuositates rectitudini suæ restituentur, ac nitori. Igitur quia, inquit, mundum esse corporeũ liquet, in eo superna cõcedamus, propemodum necesse est, atq; item inferna: sed antica quoq;, & postica, necnon dextra & siniſtra. In globoso mundo locus imus intelligitur, qui medius, in quem nutu suo uergant omnia. Supernus uero, qui undiq; medio incumbit. Antica mundi dicimus, quæ ad occiduas orbis partes proclinantur: quoniam illuc adnuit motus. Posteriora Orienti relinquuntur, quia inde feratur ad Occasum. Ex ijs porrò consequitur liquido, ut dextras habeat Septentrio, siniſtras meridies. Ex hac Cleomedis distributione, quam ab Aegyptijs uidetur accepisse, sicuti in libro de Iside discimus ex Plutarcho, tollitur planè ex Lucani carminibus nubilum, quod etiam si auctor Sphæræ illustrare conatus est, nihilominus auribus acri lotis aceto parũ satisfecit, mihi certe ad hanc diem hæsit interpretatio. Agitur ergo de felici Arabia, cuius pleraq; portio inter æquinoctialem circulum, & tropicum cancri statuitur ab cosmographis. In quibus regionibus solem gestante cancro, umbra planè in meridiem, hoc est in siniſtras mundi partes nutat. Poetæ uersus hi sunt:

Ignotum uobis Arabes ueniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire siniſtras.

Cæterum ex hac obseruatione expendant eruditi locum item Ouidij ex Metamorphoseon primo, Vtq; duæ dextra cælum, totidemq; siniſtra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis.

Quod eo impensius commonuisse uolumus, ut sciant iam nunc bonarum literarum studiosi, interpretum fiducia nunquam esse in utrãq; aurem dormiendum. Sed redeo unde sum digressus. M. Varro sexto linguæ Latinæ fragmento diuersimode orbis hasce constituit partes: Quocirca, inquit, cælum qua tuimur, dictum templum, eius templi partes quatuor dicuntur, siniſtra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. Eandem sententiã amplexatur & Plinius, quum ait, Errantia sydera contrarium mundo agere cursum, id est læuum, semper illo in dextram præcipiti. Hæc uero obseruatio ab disciplina profluxit Thuscorum: sed quam etiam comprobat Alcinous in libro de Platonis doctrina, quod mirum est. In Græcorum monumentis adnotatum nobis est, morem sacrificandi seruatum diu, ut circumcurrerent aras, cursum auspicati ab læuo dextrorsum, zodiaci quadam imagine, cuius motio sit mundo diuersa ad exortũ uergens: mox uero ab dextris læuorsum procurrerent, quo motu cælum rotari, manifestum. Hanc autẽ scientissimorũ esse hæresim, astipulatur magnus auctor Galenus, apud quem ita legimus, πυθαγόρας, καὶ πλάτων, καὶ ἀριστοτέλης δεξιὰ τοῦ κόσμου εἶναι τὰ ἑῷα, ἀφ' ὧν ἡ κίνησις ἄρχεται· εὐώνυμα δὲ τὰ ἑσπέρια. ἐμπεδοκλῆς δὲ δεξιὰ εἶναι τὰ πρὸς θερινὰς τροπικὰς, ἀριστερὰ δὲ τὰ πρὸς χειμερινάς. quæ ut Latinè potius loquamur, pleriſq; fortasse Græcè nescientibus: Pythagoras, inquit, & Plato, necnon Aristoteles mundi dextras ad ortum partes esse dixerunt, à quibus sit principiũ motus, siniſtras uero occiduas: Empedocles autem dextras quidem in æstiuũ tropicum, siniſtras in hybernũ reiecit. Et T. Liuius

ab Vrbe cõdita primo: Augurum scientia dextras ad meridiem partes statuit, ad septentrionem sinistras. Quòd si dextra cæli pars Oriens est, significat uero ipsum hoc grammaticorum ratio, Scæas portas astruentium dici, quod occidentales forent, id est Ἀνλικὰς: nam scæa intelligi sinistra, occidentaliaq́, patet (opinor) inde efficaciorem quoq́ esse ibi solis uirtutem, quam in occidente. propterea multa quoq́ inibi prouenire, quæ in alijs orbis partibus nusquam comperiantur: cuiusmodi sunt gemmę, aromata, & id genus plura, quæ ampliorem expetunt caloris copiam, ut sunt leones, tigrides, elephanti, quæ omnia in ijs locis, quæq́ ad Austrum innuunt, affatim succrescunt. Quin & crystallum esse quidem lapidem Diodorus scribit, ex aqua concretum pura, non tamen frigore, sed diuini caloris ui. Cuius item potestate rerum euarient colores, saporesq́, constipat siquidem calor, comprimit siccitas, splendor illuminat. Hinc pauonum in Babylonia distinctior picturatis pennis grata diuersitas. In Syriæ parte psittaci, porphyriones, meleagrides. Ex ijs uero quæ astruximus, liquere arbitror boui etiam septimo, cur Papinius Thebaidos primo, orientales domos dixerit primas:

Primæq́, occiduæq́ domus, effusa sub omni
Terra; atq́ unda die.

Quam rationem in animalibus dextra uel sinistra pars, necnon antica & postica, item superna, infernaq́ habeant. Plantarum radices esse oris uice. Sensuum alios dici naturales, animales alios. Cur uirorũ superiora crassiora sint, in fœminis contraria eueniant. Cur in lateribus sint crura, alæ, pedes. Ambulandi ratio.

Cap. XI

QVoniam paulo ante Aristotelis facta mentio est in ratione mundi partium explicanda, nunc operæpretium facturum me sum ratus, si Alberti cognomento Magni, placita ex eadem schola huc transposuero, sed comptiora multo, & magis Latina, quando auctor is, quod fatendum sit, in dicendo Goticum sapit, & Barbarum: oratione squarosa prorsum, & illepida, inter peripateticos tamen nominis celeberrimi. Igitur in secundo librorum, quos de cælo ad Aristotelis lucernã concinnauit: Omnino, inquit, Pythagorici uidentur omnium primi cælum scrutando tradidisse in eo dextrum & sinistrum: quod esse animatum putarint, corpusq́ animatũ, & ad locum mobile, hæc habere partium discrimina, animaduerterent. Equidem in contemplando animalium motu, dextrum utiq́ perpendimus & sinistrũ: sed illa prius summum & infimum, ante, ponè, quippe in pluribus ista comperiuntur: nam in quibuscunq́ dextrum fuerit & sinistrum, in eisdem necessario summũ erit ac infimum, nec tamen ediuerso. Igitur illa, dictante natura, prima erunt: secundo loco, ante, ac ponè: postmodum quæ dextra dicimus, & sinistra. Probantur uero ista, inductione ac sensu: nec enim animantibus cunctis omnia hæc insunt discrimina, sed ijs tantũ quæ perfecta uisuntur, quæq́ sensibus prædita sunt omnibus, præterq́ locali motu. Pluribus uero ineſt ante ac ponè, sursum & deorsum, nec tamen dextrum aut sinistrum, ut quæ gustum modo habent & tactum, & motu priuantur locali, quoniam non moueantur, nisi cõstrictionis motu & ampliationis, sicut ostrea, spongiæ, id genus alia pleraq́: in quibus, quod sæpe iam repetimus, summũ est ac infimum, aut (quod quidam sibi dicere permittunt) sursius & dehorsius, quæ mihi tamen exauctorata solent uideri uerba, propter nutrimenti motum. Ante uero & retro ex sensuum item motione: qui tamẽ in illis non fiunt ualde perspicui, quod nulla sint sentiendi organa expressa. Quo argumento traditum fortè ab Aristotele est, in eiusmodi esse, quod retro dicitur: de eo autem, quod ante, tacuit. Nullo autẽ pacto in ijs dextrum est aut sinistrum, quando nec localis motus: & natura non inducit uana, redundantiaq́. In plantis id modo est, quod uocãt summũ & infimũ: est enim ibi crementi motus. In tractatu de communi animalium gressu Aristoteles inquit: Summa pars omnibus uita prædítis est, per quam cibus recipit: infima, ad quam postremò accedit. In stirpibus tamen modo contrario habere se res uidetur: sed quanquam similitudine uniuersi idem minime respondeat, munere tamen quo funguntẽ, idem omnino respondet: radices enim stirpibus pro summa parte sunt, quia succus ijs, quæ è terra oriuntur, inde dispensetur, & illum ipsum radicibus perinde trahant, ut animalia ipsius hiatu oris. Scribit porrò philosophus Isaac in libro de elementis, Plantas duobus esse præditas sensibus, gustu, & tactu. Sed

ctu. Sed tunc dicẽdum, alios eſſe ſenſus qui dicantur animales, alios qui naturales. Senſus naturales uocauit uirtutes congruas ad alimentum ſuſcipiendum: animales autem eos, qui cum alimento etiam ſenſibilium intentiones percipiũt, iuxta animæ quodcunq; iudicium. Cæterum ex ijs quę hactenus aſtruximus, & illud cõſecutione quadam noſſe debemus. Summum eſſe principium lõgitudinis in corpore animato, per hoc quod eſt crementi exordium. Id uerò eſt ab calore cordis intimo: proinde tamdiu lõgitudinis durat extenſio, quouſq; calor is poteſt pertingere, radicale humidum extendendo. In quo illud obiter commonendi ſumus, Nutrimentum animatorum omnium eſſe commixtũ, propterea grauiores partes, magisq; terreſtres ad inferiorum delabuntur alimentum: tenuiſſima uero quæq; intimi caloris uirtute ad ſuperna confouenda ſurriguntur. Argumento eſt, uirorum portiones ſupernas caloris redundantia cõnutriri amplius, & craſſeſcere magis: quod in mulieribus cõtrà fit. Ideoq; mares feruntur in caput ex alto, at fœmina inferioribus excipitur. Dextrum uerò latitudinis eſt principium, nõ quidem mathematicæ ſed informatæ potius latitudinis uirtute mouente per locum. Motus nanq; is, licet oriatur à corde prius, mox uerò à poſteriore parte cerebri, uel ab eius uicario, quam modò uocant nucam, per ſphondylia dorſi deſcendẽs: tamẽ nõ effunditur, nec explicatur per motuum organa, niſi in latere, quod eſt latitudinis initiũ, quod dextrum eſt: propterea in lateribus inſtrumenta motus producta ab natura ſunt, crura, alæ, pedes. Et ad eum quidem motum per ſe refertur caloris copia dextrum latus, tum etiam ob cordis ad eam partem uentriculi reuertentiam maioris. Proinde omne perfectum animal dextrũ prius profert pedem inter ambulandum. Siniſtrum uerò latus nõ refertur ad motum, niſi per accidens: trahitur enim pes ſiniſter ad corpus ſuſtinendum, ne decidat, Ante uerò eſſe dicitur profunditatis principium. Nam motus ſenſilium uirtutum ab anterioribus orditur: ubi ſunt ſenſuum organa, pertingitq; uſq; ad primum tangendi organum, quod eſt cor. Atq; ita fiet motus, ab eo quod ante, in profundum. Siquidem hæc in corporibus profunditas intelligitur, ab anterioribus in poſteriora. At in ijs, quæ inanima ſunt, haſce differentias nõ comperimus, ut in elementis & lapidibus. Dicimus tamen dextrum terræ latus, quod ſit nobis à dextris, quod idem in captãdis dicimus augurijs, auſpicijsue. Conſimiliter & ſtatuas, imagine quadam rerum, hæc habere diſcrimina pronuntiamus. In libro de communi animalium greſſu Ariſtoteles animalium uocat dimenſiones, quibus diſtinguantur, quæ ſex quidem numerentur, ſed tria conficiant paria.

Cælum an ſit animatum ex Peripateticorũ doctrina. Rurſum quæ ſint in eo dextra & ſiniſtra, antica, poſtica, ſuperna, inferna: item quæ orbis longitudo. Expenduntur Virgilij loca duo. Cur cælum moueatur ab oriente in occaſum. Templa cur oriẽtem ſpectent. Quintum corpus nec grauitatem habere, nec leuitatẽ.

Cælum eſſe abſq; materia. Cyttarus quid. Cap. XII.

SEd quorſum hæc tam multa, tamq; conquiſite de animalium partibus ex Peripatetica ſchola? nempe ut latius exſequamur ſuſceptã quæſtionẽ ex eiuſdem decretis. Neq; enim tibijs minutioribus hic ſaltem inſpirabimus. Si ſit animatũ cælum, cuius materiã Dionyſius Areopagita primã uocat, ideſt optimã, puriſſimamq;: tunc dubio procul principia motuũ animæ in eo concedenda, ea uerò ſunt, ſummum, infimum, dextrum, ſiniſtrum. Quum uerò cælum habere animam dicimus, & terreſtre animal item habere animã, ſumetur æquiuoce animã: nã quæ dicitur in cælo anima, ſubſtantia intelligitur ſeparata, quę nõ ſit alicuius actus corporis, nec actũ habeat in corpus aliquẽ, niſi localis motus, quẽ infundit. Proinde ab eminentiſſimis traditum ſcimus, cælum nullatenus habere animã: quando ſubſtantia ſeparata rationẽ animæ nullã habeat: neq; enim eſt obligata corpori ſic, ut actio eius ſit nõ libera. Sed nec Plato, quantum ex decimo legum colligimus, globis ita animas includit, perinde ac corporibus humanis alligantur animæ: ſed tanta inſigniri poteſtate ſcribit, ut diuina contemplatione perfrui ualeant, interim iniunctum ſibi cæleſtium orbium mouendorum obeuntes munus. Quam ob rem Plato, Dionyſiusq; non tam ſententia diſcrepant, quàm uerbis: quando hic angelos uocat, animas ille. Ptolemæi uerò ſentẽtia eſt, & mathematicorum aliorum, Cæleſte corpus non moueri, niſi uoluntate ac nutu cauſæ primæ. Verumtamen nec ideo dextrum, ſiniſtrumq; negare in cælo debe-

mus,quod orbiculare,globoſumq́ ſit, ac uniforme: neq́ enim illa figuris modo diſtinguuntur, ſed & uirtutibus. Igitur dextrum erit in cælo, unde eſt motus eius: quia ſit in omni animato motus ab dextra. Quod approbat in Timæum Platonis Chalcidius, & in libro de communi animalium greſſu Ariſtoteles: Argumento, inquit, ſunt omnes qui ſiniſtra ſolent onera baiulare: ita enim gerulus ſoluto motore, ac diſiuncto facile moueri poteſt: quare ſiniſtra ſe ſuſtinentes facilius unctos ſuperſiliunt utres, quoniam dextra mouere, ſiniſtra moueri apta eſt: hinc onera non parti mouenti, ſed mobili imponi debent. Sed ad cælum redeo. Etenim quum motus reuolutionis unius non ſit tempore infinitus: nam nec circumferentia eſt ambitus infiniti: neceſſarium eſt, inter cæli partes eſſe aliquam, unde fiat uertiginis exordium: omne enim, cuius una reuolutio incipit poſt aliam moueri, habet proculdubio initij locum. Omnis uero motus ordiens à parte, & conſtitutis locis: habeat oportet principium aliquod naturale, quod cauſa ſit, cur initium ſumatur à parte illa. Hoc uero eſſe non poteſt, niſi dextrum. Proinde cludamus, dextrum ſiniſtrumq́ in cælo concedi neceſſario. Longitudo autem orbis, cuius principia ſunt ſummum & infimum, eſt ſpatium in quo diſponuntur orbes ſecundum motum diurnum ab polo in polum ſuper axem æquinoctialis circuli. Quo modo colligendum relinquitur, antarcticum polum eſſe mundi partem ſuperiorem, arcticum uero inferiorem. Hæc autem ita diſtinguimus, quo ad habitabilem noſtram, quæ quarta eſt ſeptentrionalis hemiſphærij ſuperioris. Qua ratione caloris fons eſt dubio procul ab meridie, & meridianis ſtellis, immoq́ ea portio ſuperior recte ſtatuitur: ſicut eſſe in animalibus iam dictum eſt. Nec tamen diſſimulandum parte hac, Pythagoram philoſophum nobilem putaſſe, ſeptentrionalia, ſiue aquilentana (ut neotericorum uerbo utamur) eſſe mundi partem ſuperiorem: forte, quia inibi ſtellæ uiſuntur plures, & ſtellarum imagines, & proinde uirtus quoq́ eodem loco maior concipi debeat. Id uero refelli hoc modo poteſt. Sunt certe planetæ ſeptem, quorum uirtutem ſtellæ omnes conſequuntur: quoniam ita demum ſe illi habeant ad ſtellas alias, ut ſe habet ad corpus anima, ceu comprobant mathematici; at planetæ ſolem ſequuntur maxime, ad cuius interualla nunc directi ſunt, nunc ſtationarij, aut retrocedentes: quandoq́ etiam radijs eiuſdem occulti, rurſumq́ emergentes. Igitur & ſtellas omnes ſolem ſequi, aſtruendum eſt. At ſol meridianæ propior terræ ſine dubio eſt, ergo & portio illa merito iudicari ſuperior debet. Sed nec illud ignorandum, dici quandoq́ alio item modo ſupremum, uel infimum in cælo ex ſtellarum curſu: nam cæli medium in meridie uocatur ſupremum, & medium in hemiſphærio inferiori uocatur infimum. Atq́ ita ab metaphyſicis capi, ſciunt eruditiores. Hæc ſcrupuloſius paulò conſectari collibuit, tum quia mira hominum naturæ capacium ſubtilitas arriſit plurimũ, tum ut interioris doctrinæ candidatos amplius cõmonerem, quid aſtrui poſſit ſuper illis doctiſſimi poetæ carminibus ex libro Aeneidos primo:

Et iam finis erat, quum Iuppiter æthere ſummo
Deſpiciens mare ueliuolum, terraſq́ iacentes,
Littoraq́, & latos populos, ſic uertice cæli
Conſtitit, & Libyæ defixit lumina regnis.

Sed quis non uidet illud quoq́, quid ad ea quæ attulit Aurelius Macrobius, auctor excellentiſſimus, addi poſſit in carminũ illorũ expoſitione, quæ primo Georgico legũtur,

Hic uertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra uidet, manesq́ profundi.

Platonis tamen ſententia fuiſſe uidetur, in mundo ex ſe non dici ſupernum, orbicularitatis ratione, quoniam ſit hæc undiq́ uniformis: dici tamen in eo ſurſum deorſumq́, quo ad nos qui ſuperna nuncupamus ſupra caput ſurrecta: ediuerſo autem inferna, quæ pedibus ſubijciuntur. Quin & ex communi formula loquẽdi hiſce utitur appellationibus Ariſtoteles, ſicuti multis placet. Nam ut ſecundo Topicorum ipſe ait, Vtendum nominibus ſecundum plures: proinde cõſenſu uniuerſo, mundi ſuperna dicit, ac inferna. Quæ tamen non ſolũ quo ad nos diſtingui, palàm eſt, ſed (uti diximus) & naturæ ui. Vt enim in nobis dextrum diſtinguitur & ſiniſtrum, ex habitudine ad animalem motum, qui localis eſt: conſimiliter ſuperna, infernaq́, ex habitudine in mundo conſtituuntur ad ſimplicium item corporũ motus, quæ mundi ſunt uelut præcipua membra: proinde ſupernum

num ſancitur, quò feruntur leuia. Infernum, quò nutu ſuo tendunt grauia. Et leuia utiq; nobiliora, quia formaliora. Non tempero mihi parte hac, quin multo riſu excipiam tyrunculi cuiuſdam uanitatẽ, qui patris emendationes, ac (ut ſubolet) annotamẽta in ſuos in Catullum commentarios, ut ipſe ineptis uideri uult, regerens, omnium ſe principem de cæli partibus hiſce in literas aliquid prompſiſſe, leuiſſime gloriatur: quum tamen noſtra æditio prior multis annis illius præcurrat nugas. argumento eſſe poſſunt Catulli à nobis explicatæ difficultates, quas impudentiſſime, autore diſſimulato, plagiarius ſibi uendicat: nil aliud, quàm aliena laſciuiens plumula. Sed hic quærat fortè aliquis, cur cælum uertillabundum (nam & uertillantem rotam legimus apud priores) ab oriente moueatur in occaſum, nec ediuerſo. Hic uero ſciendum, naturã, quatenus fieri poteſt quod agat, nobiliſſime ſemper ac præſtantiſſime agere. Quæ quum ita ſint, nouimus equidem in animalium ratione ſuperiora inferioribus nobiliora cenſeri: ſic antica poſticis, & ſiniſtris dextra. Ergo cæli motus debuit uertiginis inde initia ducere, ubi portio eſt excellentior: & motoris primi uirtus, templorum etiam argumento, quæ omnia ferè exortum ſpectant. Cælo item motus congruit præcipue ſimplex, perpetuus, id eſt circularis & uniformis. Hic uero, ut diximus, ab loco qui in eo præſtantiſſimus eſt, ineipere debuit: non alius uero eſt is, quàm dexter. Hic obiter commonuero perpetuum rebus accommodari fluentibus, cuius eſt modi tempus & motus, æternum uero ſtantibus: Græci aidion, pro ratione utriſq; apponunt. Quintum uero corpus nec grauitatem habet ullam, aut leuitatem, quando nec à medio mouetur, nec ad medium: quod inde ſi abſcindatur quippiam, nec ſuperna omnino petet, uel inferna, quoniam eadem ſit partiũ ratio quæ totius. Proinde colligendum, corpori huic, & partibus uel ex natura, uel præter naturam motum non congruere alium, quàm orbicularem. Poſtremo id quoq; norint ſtudioſi, neceſſarium uideri duplex concedere dextrum. Alterum ſphæræ ſuperioris, & inferiorum alterum. Illud uero Ariſtotelicum hic attendendum magnopere, materia omni carere cælum, quoniam ex Auerrois calculo, Materia quum ſit natura ſua informis, & proinde æque ſe ad quamlibet habeat, & uniuerſas queat capere, à formis iugiter in formas fluit: unde cooritur id, ut quod materia conſtat, formam quandoq; amittere ſuam ualeat. Cælum autem non amittere, quod illi nuſquam contraria comperiatur qualitas, ueluti motui orbiculari diuerſus non reperitur, ſed & quia motu potitur citra digreſſionẽ perpetuo æquali, infatigabiliq;. Propterea colligi ex iis, cælum eſſe formam per ſe à materia ſeiunctam, exiſtentem. Hinc Platonicis quoq; ſpiritale quiddam eſſe uidetur cælum. Quid erit ergo circularis lux, orbisq; lucidus ſine materia: ſicuti eius oppoſitum terra ima dicitur ſine luce materia. Quod ſi inferatur, cæli partes denſiores lucis amplius profundere, præſtò erunt Platonici, portiones raras aſtruentes lucere quidem uberius, ſed tenuitate nimia & luce uideri minus. Reſpondebunt & Peripatetici, Aliud eſſe ex ſe, aliud ex alio coruſcare. Quippe elementa, quia aliunde fulgorem aſciſcunt, quo rariora ſunt, eo concipere facilius, Cæleſtia uero ex ſe ſplendicare: proinde quo denſiora ſunt, eo micare largius. Sed de hoc plura mox: nam parte hac uix ſibi auctores conſtant. Interim nos ad alia non iniucundiora hinc iam digrediamur: ſi leuiculum illud ex grammatica ſupellectile inſeruerimus, ſublimem cæli partem dici Cyttarum, quanquam & eo uerbo cauitates ſignentur in fauis, & quibus inſident glandes. Sed & in piceis pani, ſeu paniculæ, aut nucamenta, callo ſquammatim compactili eodem cenſentur nomine. Nam in pinuſtro bilia primum florentia, Theophraſtus cyttara nuncupat proprie.

Mundi figura. An cæleſtia nutriantur. Cardinum cæli diſtinctio, & poteſtas. Cap. XIII

IXpetit fortè aliquis, afferam hoc potiſſimum loco, quid de mundi figura ſentiendum: quando Stoici, ut auctor eſt Galenus, globoſum eſſe mundum prodidere. Quia ut ab ſcientiſſimis proditur:

Hæc æterna manet, diuiſq; ſimillima forma,
Cui neq; principium eſt uſquam, nec finis in ipſa,
Sed ſimilis toto remanet, perq; omnia par eſt.

Alij conicæ figuræ: alij etiam ouí. Epicurus uero, qui dum palato quid ſit optimum, iudicat, cæli palatium (ut Ennius ait) non ſuſpexit ſatis: nil prorſum affirmat, contingere nanq; omnia. Etenim globoſum eſſe, & alijs contineri figuris. Nos uero conſenſum in

eo

eo mortalium ſequamur, orbem appellantium: credamus & argumentis rerum, quibus reuincitur abunde inſcitia parum perſpecte, parumq; explorate ſacris philoſophiæ initiatorum: quibus rectiſſime illud extritum inſuſurraris, quandoquidem ab Syris longe diſſitus es, μὴ σύριζε, ne Syrum agas: ne planè fias, ὄνος ἐν μύρῳ, ideſt in ungento aſellus. Sed & ſcitè admodum in Adrianum, necdum imperatorem, architectus Apollodorus, quum is per imperitiam de operibus diſſereret: Abi, obſecro te, ac cucurbitas depinge: nihil enim horum recte noſti. Nam is tunc ex maxime placebat artificio. Id forte hac parte expendiſſe præſtiterit, An ullo modo cœleſtia nutriantur: quod magnos auctores ſenſiſſe, uel hinc liquebit. Sed ut pugnam tutius indipiſcamur conſpiratu magno nitibundi, ab Peripateticorum coryphęo inſtruere aciem ordiemur: quo procliuius hoſtiũ procinctæ claſſes moueantur gradu, & mox territæ ac diſpalatæ proterantur, ueluti effuſe immiſſo equitatu. Ergo Ariſtoteles inquit, ſi paſcitur mundus, etiam corrumpetur: uerum nullo eget alimento, propterea æternus eſt. Plinius uerò Naturalis hiſtoriæ libro ſecundo: Sydera, inquit, haud dubie humore terreno paſcuntur, quia orbe dimidio nõnunquam maculoſa cernatur luna, nondum ſuppetente ad hauriendum ultra iuſta ui: maculas enim non aliud eſſe, quàm raptas terræ cũ humore ſordes. Et alibi, in dulcibus aquis eſſe alimentum lunæ prodit: ſicut in marinis ſolis. Ab hac ſententiæ uanitate non ita ferè abeſt Ptolemæus in ἀπoτελεσμάτων libris, quos nunc quadripartitos uocant: ubi lunã ideo humectiorem credit, quia humidus uapor à terra ad eam, ſyderibus alijs terræ propinquiorem, affatim conſcendat. Quæ ratio Saturnum efficiat liciorem, quod ab hiſce uaporibus longius abierit, de qua re mox plura. Manilius Aſtronomicon primo:

Ignem flatus alit uicinis ſubditus aſtris.

Ambroſii ſententiam iam antè paulo memorauimus. Cæterum cui non ſit uenia poſt M. Tullium De deorum natura libro ſecundo, quanquam ſub aliena perſona inſtrui diſſertationem, non me fallit, ideſt opinor Stoica. Sunt, inquit, ſtellæ natura flammeę, quo circa terræ, maris, aquarum uaporibus aluntur his, qui à ſole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renouataq; ſtellæ, atq; omnis æther refundat eadem, & rurſum trahat in idem, nihil ut ferè intereat, aut paululum. Ex quo euenturum putant, ut ad extremum totus mundus igneſcat. Idem porrò & Naturalium ſexto Seneca tradidit. Sed & Stoici reliqui, ut comprobat in libro de Iſide Plutarchus. Verum diſtincte agunt, ſiquidem ex Porphyrij theſauris ſolem maris euaporationibus alí: fontium autem ac fluminum, lunam: aſtra uerò ex terræ anathymiaſi alimentum ſibi adſciſcere. Iam poetæ omnes ferè in eam ſententiam pedibus eunt. Sed quantum ex mutis (quod dicitur) magiſtris, compertum nobis eſt, ab Aegyptijs ſacerdotibus opinio hæc orta primũ, mox propagata in multos eſt. Ab illis enim traditum, Oceani humore cælum ali, ſtellasq;, ubi humorem conceperint, deſcendere, ac retrogradas fieri, donec humore iterum percocto, digeſtoq;, aſcendant, exaltenturq;, ac dirigantur. Quæ ſententia ne profluat longius, & ſerpat in plures, circunſcripta reprimatur tum rationibus, tum magni nominis auctoritatum obijcibus: atq; Auicennæ in primis, apud quem in libris De cælo & mundo legimus, nullo id pacto phyſicam pati rationem, ſiue nutrientis proprium expẽdas, ſiue cõnutriti: necnon crementi notionem, quod ex alimento recipit corpus dimenſionibus tribus, ita ut æqualitas inſit portioni cuilibet diametrorum trium: quibus corpus metimur, nec amplius ſit parte una, quàm reliqua, ſiue intima ſit ea, ſeu extima, citra ullam corporis permutationem ab propria diſpoſitione, ac figura. Si enim dicamus augeſcere digitum, & incidantur diametri eius, factum reperietur augmentum parte qualibet ex æquilibrio inter duo puncta. Proinde ſi ratione hac cælum augeri contenderimus, fieri nequit id, niſi omnino cõcipiatur, adijci quippiam. Id uero aut intimum erit, aut extimum: ſi extra, tunc moueatur, neceſſe eſt: ac motus is uel proprius erit, uel peregrinus: ſi proprio motu agitatio fiet, ad cælum, uti ad locum ſibi cognatum feretur: & inde colliges, eſſe leue: ſi ima petierit, graue. Quo modo neceſſe erit, cælum quoq; uel eſſe graue, uel leue: quod ipſum peripatetica non admiſerit ſchola. Si uero attrahatur ab alio, ut ab igni, aut eiuſmodi quopiam, tunc profecto hæc fiet attractio, ut cælo infundatur: ſicuti ingeritur animalibus cibus, ut quod perierat, reſtituatur. id quod ſi dederis, conſequens erit, cælum eſſe corporale, quod eruditorum ſchola plurimo riſu excipiet. Quod ſi intimum

mum dicatur, ueluti eſt in animali ſanguis: tunc neceſſario ſequitur, ut digeratur nutrimentum, muteturq; ex eo quod cælo diſſimile eſt, in id quod ſimile ſit: quo poſito, cælo uidebitur aliquid eſſe cõtrarium, quod eſſe abſurdum liquet. Adijciamus aliquid ex Platonicis item ſcholis. Plotinus in libro de cælo, ſic ferè ſcribit, Alimoniam cæleſtia nõ requirunt, neq; enim ex inopiæ noſtræ affectione ad eandem libram ſublimia reuocare debemus: neq; animæ ratio ibi compar, nec regio, nec ibi cauſa ulla, ex qua infima hæc profluentia continue nutrimentum appetunt neceſſario. Abſit ergo permutatio ab illis, quę noſtris corporibus dominans ex habitu naturæ deturbat. Adde gentium cõſenſum, quãdo cæleſtem locum deo, & ſubſtantijs diuinis attribuunt omnes, ueluti immortalem locum immortalibus, & diuinis rebus coaptantes, ut dei habitatio ſic intelligatur in cælo ex ſimilitudine ac coaptatione: quoniam inter corpora reliqua cæleſte corpus ad ſimilitudinem amplius accedit ſpiritualium ſubſtãtiarum: neq; enim fieri queat, ut alia ratione cæli habitaculum deo contribuatur. nanq; corporalis loci haud quaquam indigus eſt. proinde colligi debet, mundi partem illam nil prorſum pati. quippe in tam numeroſa astrorum ſerie quippiam in ea cõmutatum, non eſt qui obſeruarit. Suffragatur & ipſum ætheris nomen, quod ſupremo congruit loco, ab rotatæ uertiginis perpetuitate. Sunt porrò in cælo cardines quattuor ab mathematicis inſigniter enotati: eos uerò Manilij uerbis exponemus potiſſimum, Si commonuerimus, hoſce à nõnullis angulos dici, ac cuſpides cæli: nam & Græci, centra uocant: loca uerò his ſuccedentia, epanaphoras. Igitur ſic Manilius:

Vnus ab exortu cæli naſcentis in orbem,
Qua primum terras æquali limite cernit,
Alter ab aduerſa reſpondens ætheris ora.
Tertius excelſi ſignat ueſtigia cæli,
Quo defeſſus equis Phœbus ſubſiſtit habenis,
Declinatq; diem, mediasq; examinat undas.
Ima tenet quartus fundato nobilis orbe,
In quo principium eſt reditus, finiſq; cadendi
Syderibus.

Ex ijs autem primum ſtatuunt, qui ſummum cæli culmen tenet, à quo gloria & honores profluunt, ac rerum faſtigia. Proximus eſt qui imam tenet ſtationem, ab eo rerum fundamenta ſunt, ac cenſus ratio. Tertio cõcinnatur loco cardinis poteſtas orientalis, è quo manat horoſcopi adnotatio, uitæ arbitrium, morum moderamenta. Occidentali quartum contribuunt calculum: hic autem, uti ferunt, pertinet ad rerum ſummas & finem laborum.

Quot ſint omnino ſphæræ. De Manichæis obiter, & Gnoſticis, ac Agnoitis, & Chiliaſtis. Recondita de Parcis tribus. Cap. XIIII.

COnſentaneum fortè ſtudioſi cenſuerint, ut hic uellicatim attingamus globorum cæleſtium, ſiue orbium hiſtoriam aliquam, ut ne omnino uideãtur aſymboli noſtro beneficio. Iſta quidem diutius conſectari, non eſt omnino noſtri inſtituti: quo tamẽ pleniori obſequio demereamur bonarum literarum candidatos, quæ uaria nobis lectione comperta ſunt, non grauabimur figura quadam & typo, ac breuiſſime ſuperioribus aſſuere. In primis uerò Peripatetica obſeruanda eſt ſententia: Sunt, inquit, corpora circularia plura, quia generationem eſſe, neceſſe eſt. Si eſt cælum corpus diuinum, motum eſſe illius perpetuũ, & circularem oportet: ſi eius talis eſt motus, neceſſe eſt terram eſſe: ſi terra eſt, ergo & ignis. ſi duo hæc conceduntur, oportebit aliqua item eſſe intermedia. quod ſi eſt, generationem eſſe, neceſſarium eſt: ſi generatio eſt, motus in cælo haberi diſſimiles oportet, ac quod conſequens eſt, mobilia plura. Proinde ſciendum, ſuper octauam ſphæram, quæ uerius firmamentum dicatur, locari cęlorum globos duos ab Chriſtianis doctoribus, Strabo & Beda: & unum quidem empyreum uocant, ideſt igneum, uel intellectualem, gloriæ contemplationi aptum, & quietum. Nominis uerò rationem duci non ab ardore, ſed ab ſplendoris exuberantia potius. Quod ipſum ſyderibus ſuis, hoc eſt angelis, ſit inſigne. proinde in Iob legimus, Vbi tu eras, quum me laudarent aſtra matutina? Et hunc immobilem intelligũt, quoniam ſi moueretur, eius motus per motum apparentis corporis deprehenderetur. Quum uerò Porphyrius

phyrius diſcerneret ab dæmonibus angelos, ſtatuens in aere dæmonas, per loca empyrea angelos, non utiq; cælum hoc intellexit, ut auctor eſt Thomas, ſed ſydereum potius globum, quem more Platonis igneum arbitrabatur, & ideo empyreum nuncupabat. Quod ideo dictum uelim, ne quis Porphyrij ſententiam legens apud Auguſtinum decimo Ciuitatis diuinæ, incidat in errorem. Baſilius, quod ſcitu dignum eſt, induxit empyrei cæli cõſtitutionem, ne uideatur ſimpliciter deus opus ſuum à tenebris inchoaſſe, quod Manichæi calumniantes, deum Veteris teſtamenti, deum tenebrarum nominant. Sunt uero inter hæreticos Manichæi, ab Perſa quodam appellatione ducta, cui nomen Manes, uel Manichæus, ut habent alij, qui duas introduxit naturas & ſubſtantias duas, bonam, & malam. At Gnoſtici itidem hæretici ab ſcientiæ magnitudine ita uidentur nuncupati, ſicut Agnoitæ ab ignorantia, quod eſſe nouiſſimam horam Chriſto ignotam, opinentur. Chiliaſtas appellarunt ſe nonnulli, propter illud ex ſacra pagina, Vna dies apud dominum, ut mille anni, & mille anni, ut una dies: hoſce miliarios interpretatur Auguſtinus. Sed ad rem. Orbem uero alterum cryſtallinum cenſent appellandum, atq; item aqueum, ex ſimilitudine quam cum elemento habeat in diaphani ratione, nomen aucupati. Poſt quem ſubſequatur firmamentum. Hinc eſt illud Hieronymi ad Oceanum: Inter cœlum & terram medium extruitur firmamentum: & iuxta Hebraici ſermonis etymologiam, cælum, id eſt ſamaim, ex aquis ſortitur uocabulum: & aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, in laudes dei ſeparantur: unde & in Ezechiele propheta, Cryſtallum ſuper Cherubim uidetur extenſum: id eſt compactæ, & denſiores aquæ. Illud uero ſingulari dignum obſeruatione, ab ſanctiſſimis proditum uiris: Triplicem uideri lucis ſubſtantiam, & eſſe primam utiq; cæli, quod firmamentũ diximus, cuius beneficio & ſingulari uirtute plantis inſeratur uegetatrix potentia. Sequentẽ uero cryſtallini eſſe cœli, præſtantioris etiam poteſtatis, unde ſit anima brutorum ſenſilis. Tertiam porrò haberi eminentiſſimam empyrei cæli, à qua non ſit quidẽ rationalis anima, cuius artificẽ ſolum agnoſcimus deum, uerum animales uitalesq; ſpiritus, quibus uelut præcurrentibus, intellectualis anima tanquam proprio congruoq; domicilio excipitur. Aegyptiorum ſchola & Chaldæorum ſuper octauum globum nihil agnoſcit. Quorum ſcita Plato item, necnon Ariſtoteles, & Hipparchus amplexi ſunt. Et, quod mirum uideri poteſt, Ptolemæus quoq;. Apud eum quippe ne uerbum quidem ullum fieri comperies de ſphæra nona, quam luniores cæleſtium rerum ſtudioſi, aut deprehenderint, aut effinxerint: ſicuti item alij, occaſione hinc ſumpta, decimam commenti ſint. Hæc uero orbis noni ſententia inde potiſſimum agnoſcitur profluxiſſe, quod eius auctores opinati ſunt, omnes qui octauam ſphæram ad orientem ab occaſu moueri non inficientur, etiam nonam ſphæram neceſſariò admittere. Quod quum profiteatur Ptolemæus, dubioſum non ſit illis, quin hic quoq; orbem eundem concedat. Parmenides cõmenticium quiddam coronæ ſimilitudine effeciſſe creditur, σεφανλω appellans: continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum, quem deum dicit. Sed non prætereamus reconditum illud parte hac: Motũ, per quem eſt formæ connexio & materiæ, ſpiritum quendam inter formam medium ferè ac materiam dici à quibuſdam. Quem in aplane intelligunt profuſum, & planetis ac terrenis rebus. Primũ quidem Atropon nuncupant, uelut citra conuerſionem: quoniam aplanem motu ſimplici ab ortu ad occaſum moueri, coniectarunt. Secundum Clotho, id eſt conuerſionem: quoniam planetæ aduerſus aplanem ab occaſu in orientem ferantur. Tertium Lacheſin, id eſt ſortem: quia terrenis rebus dominetur caſus. Et motus quidem planetarum euolutio, eſt motus primi: at temporalium motus, & terrenorũ euolutio, eſt planetarij motus. Porrò in terrenis rebus latere quaſdam euentuum cauſas produnt, uti in ſemine lateat ſeges. Propterea colliguntur item, quæ in mundi anima, uelut in glomo agnoſcuntur complicata, eiuſmodi explicari motu, atq; extendi. Etenim ſunt arbitrati, mentem, ſiue mundi animam, rerũ in ſe exemplaria geſtare, perq; motum eadem in materia explicare. Hunc autem motum eſſe in aplane, ac planetis, & terrenis rebus, quaſi fatum deſcendens, & in ſubſtantia fati explicationem. Spiritum porrò huiuſmodi per omnia propanſum, & diffuſum, eſſe naturam interpretantur: quæ dicatur omnium complicatio, quæ per motum fiunt: uerum motus hic, ſiue ſpiritus, à ſpiritu profluit diuino, à quo per motum ipſum mouentur cuncta.

An quæ

An quæ uiſuntur, ſint plane ſyderum corpora. Item an ſtellæ ſuo luceant lumine. Quid ætheris nomine intelligendum. Cur in planetis uarij cernantur colores. Cur luna maculoſa. Aſteriſcus quid: diacodion: aſteria: ſyderatio. Stichiomatici qui ſint. Cap. XV



Vpereſt de ſtellis aliquid carptim quoq; cõſcribere, ut mox ad alia tranſeamus. Occurrebat autem hac parte in Phædone Platonis opinio: Non eſſe quæ uideamus, ſyderum corpora, ſed radiorum quaſdam reflexiones in aere, ſimilem ſyderi ſpeciem referentes: ſicut in profundo agentes piſces uideant in aquæ ſuprema facie non ſydera, ſed imagines ſyderum, & (ut ſic dicam) radioſas umbras. Verum illud grauioris operæ ingerit ſeſe amplius, luceant ſuo ac genuino ſtellæ lumine, an ſicuti luna, id ab ſole mutuentur. Mira ſiquidem inter auctores diſceptatio eſt. Macrobius uir reconditiſſimæ ſcientiæ primo Rerum naturalium ſtellas omnes ſuo propterea lucere lumine prodidit, quod ſupra ſolem locatæ in puriſſimo ſint ęthere, in quo quicquid eſt, lux naturalis ſit, & ſua. Lũnã uerò, quia infra ſolem ſola ſit, & caducorum iam regioni luce ſua carenti proxima, lucem, niſi deſuper poſito ſole, non habere. Denicq; quia mundi pars ima, terra eſt: ætheri autem ima pars, luna eſt: lunam quoq; terrã, ſed æthereã dixerunt. Idem ferè Cleomedes approbaſſe uidetur, quum lunã ſcribat, corpus eſſe nactã cum aere permixtum, atq; tenebricoſum, quia in puro æthere non uerſatur, ut aſtra cætera. Aetheris autem appellatione, inquit ex Ariſtotele Apuleius, cælum ipſum, ſtellæq;, omniſq; ſyderea compago intelligitur, non (ut quidam putant) quod igneus ſit, & incenſus: ſed quod curſibus rapidis ſemper rotetur. In Platonis Timæum Chalcidius: Summatem, inquit, locum ignis habet ſerenus, proximum ætherius, cuius corpus æque ignis eſt, ſed craſſior. Nicolaus uerò theologus, ab ſolis luce illuſtrari ſtellas ſcribit: & propterea ſecundo De anima, ſolem dici patrem uirorum ac deorum, quoniã ab eo ſydera, quæ antiqui deos putabant, ſapientiaq;, & æterna cæli inquilina animalia, lucem mutuentur. Idem & Metrodorus ſenſit apud Plutarchum. Succinere uidetur & Plinius, quum in laudibus ſolis, inquit, Hic ſuum lumen cæteris quoq; ſyderibus fœnerat. Sed alibi ait, Supra lunã pura omnia, ac diuturnæ lucis plena. Albertus ſecundo cæli, Ariſtotelis ſententiã ſecutus, ſtellã quãlibet eiuſdem eſſe naturę ſcribit, cuius ſit corpus, in quo eſt. Ea uerò eſt, inquit, eſſentia quinta, ab quatuor ſimplicibus corporibus, hoc eſt ab quatuor diſtincta elementis. At primo Aſtronomicon Manilius:

Ignis in æthereas uolucer ſe ſuſtulit auras,
Summaq; complexus ſtellantis culmina cæli
Flammarum uallo naturæ mœnia fecit.

Ariſtoteles ipſe (ſi tamen Ariſtoteles eſt) de proprietatibus elementorum & planetarũ, apertius perdocet, ſtellas omnes ab ſole illuminari, ſicuti lunã. Cui aſtipulatur in libris compoſitionis magnæ Ptolemæus: quin & eiuſdem interpres: ſed & Auicenna. Albertus quoq; ſecundo Cæli: Cum illuſtribus, inquit, uiris ſtellam quamlibet aſtruimus ab ſole illuminari: ſed aliam plenius, aliã minus pro naturę nobilitate: ſiquidem puriſſimas eſſe quaſdam, manifeſtum eſt: proinde lumine excepto, perfunduntur protinus ab ſuperficie ſoli aduerſa uſq; ad auerſam, ut ſtellæ corpus integrum illuſtret omnino claritas, nihil ab cãdore degenerãs intimo. Quod in Ioue uiſimus, & pleriſq; aliis. Ille uerò ipſe candor in ruborem uergere incipit, ſicuti in Marte, ſi ab corporis nobilitate quippiam fuerit declinatum. In quibuſdam etiam palleſcit, ut in Venere. In Saturno obſcurior eſt. At in lactei circuli ſtellis albeſcit. Luna uerò, quæ terreſtris eſt naturæ, ut docuit Ariſtoteles, non eſt adeo pura. quamobrem mutuatum ab ſole lumen non quit admodum intima penetrare, quæ ratio illius reddit maculoſam faciem. At fabuloſus ſcriptor Diodorus, in Hyperboreorum inſula lunam haud ita à terra diſtantem uideri, palàm tradit, terreſtribus uelut tumulis ſupercilioſam. Orbis ſubſtantiam, ut nonnullis placet, eſſe à ſtellarum & ſolis ſubſtantia diuerſam, illud eſſe argumento uidetur, quoniã ſplendore ſolis non illuſtratur, ut ſtellæ. Triplex igitur ibi ſubſtantia, orbis, ſtellarum, ſolis. Verum parte hac prorſum abſurde fecero, ſi nobilem Hippocratis ſententiam præteriero, cuius in libro De iudicijs, auctor mihi Albumaſar eſt, Niſi noctu ſtellarum luce aeris craſſitudo ac denſitas rareſceret, diſſecta animantia cuncta fuiſſe peritura. Illud ex grammatica

fuerit ratione, ſtellam ſignare plerunq; claritatem, congruentiamq;, quod aſteriſci comprobat appellatio. Id uerò eſt ſtellæ ſignum, in angulis quatuor interpunctum, hoc modo ⁂ Apponi ijs conſueuit, quæ optimè ſe habent in carmine, quæq; cuiuſdã ſtellæ imagine colluceant, quoniam appoſite omnia & opportune promãtur. Aſteriſcos item Græcis, ſicut codia, eſt papaueris caput: unde inſigne medicamentum uocari diacodion cœpit, ac aſteriace. Syderationem Firmicus appellat ſyderum in genitura coaptationẽ, quippiam innuentem euenturum. Hæc tamen (inquit) omnia, licet à malo ſignata fuerint talis ſyderationis influxu, beneuolarum ſtellarum ut plurimum teſtimonijs minuuntur. At quinto De cauſis, Theophraſtus ſyderationem ſphaceliſmum dicit. Verum de hoc alibi plura. Cæleſtes imagines, ſiue ſigna uocant aſtrologi, ὀράνια στοιχία, unde στοιχειωματικοί, qui cæleſti ratione imagunculas concinnant, euentu ſæpe mirabili.

An planetę afficiantur uaporibus terræ. Prius, qualis cenſeatur in literis Ptolemæus. ἐποχή quid. De trigono, quadrato, hexagono, diametro. Hæreticus planeta. Cap. XVI

PTolemæum aſtrologorum principem, & in mathematicis ingenij eminẽtiſſimi, inceſſere plerique non deſinunt, tanquam parum philoſophiæ peritum, ut qui ſæpe tot admittat errata, quot ſuper re aliqua enuntiet uerba. Sed nos huius rei cenſuram ad alios reijcimus: & tanquam parum liqueat controuerſia, amplius pronuntiamus. Interim placita eius uiri de planetis, ſiue dici errones debent, uti Nigidio placuit, apponã. De quibus is, ueluti ex elementis conſtent, aut elementorum paſſionibus, ac inuicẽ calore, uel frigore ſe permutent, quin terræ quoq; uaporibus afficiantur, ita ſcriptum reliquit: luna, inquit, humectior eſt: quoniã quum ſit extima cælo, citima terris, illarum uicinia aſcendentis humoris concipit copiam. Saturni ſydus frigidum eſt in primis, ſiccum uero modice: frigoris ratio eſt, quia ſit ab ſole remotius, aridi-tatem parit longius ab terra interuallum. Martem ſolis propinquitas torret, ac areſcere facit. Iouem temperatum reddit hinc Saturni frigus, illinc Martis incendium, præcipue tamẽ calefacere, quia Martis & ſolis incũbat globis. Venus, ut luna, humecta eſt, quod & ipſa luminis copia terræ aſciſcat uapores, recipit tamen ex propinquo caloris uim. Mercurius ſemper ſoli adnexus arefaciendi poteſtatem inde comparat, humoris autem copiam, tum ab luna, tum ab terra. Hactenus ex primo ἀκριτλεσμάτων Ptolemæi. Quæ omnia, ut parum penſitate, immo per inſcitiam maximam ab homine ex mandragora (quod dicitur) conſopito pronuntiata, Peripatetici exibilabunt: inter quorum decreta illud eſt, Cælum ab hiſce affectionibus eſſe penitus abiunctum. Sed nec ultra menſum ſtadiorum ſexdecim, uapores ſurrigi, phyſica docet ratio: quo nomine altior deprehenditur luna, ut de Venere ac Mercurio taceam, tanto ſublimioribus, quàm ut illuc ex terra uapores poſſe pertingere, concipiamus. Adde, quòd potentius multo in Venerem ſolaris aget propinquitas, quàm terreſtris humectatio, tanto ſequeſtrata interuallo, ut hac ratione nullo pacto intelligi poſſit humida. Illud uerò nec relatu indignum, ἐποχάς, dici gradus, in quibus deprehendantur planetæ in zodiaco, cuius unaquæq; pars in triginta diſtribuitur gradus, μοῖρας uocant Græci: mox & mœra in ſexaginta dirimitur portiones, quas πρώτας dicunt λεπτάς, ideſt prima minuta: deinde & minutum primum in ſexaginta δευτέρας λεπτάς, id eſt ſecunda minuta. Mœram quoq; Aratus zodiaci partem accipit duodecimam. ἔποχον tamen inter equi inſtrumenta legiſſe uideor alicubi. Quin & cæli ſtatum in thematibus, poſitumq; ſyderum epochas dicunt eruditiores. Quia uerò in planetarum ratione trigonum, & quadratum nuncupat Plinius: Sciendum, Diametrum in cælo nuncupari ſignum, ad aliud quod fuerit ſeptimum, quæ maligna ſemper radiatio eſt, ac minax. Trigonum eſt à ſigno, à quo initiamus ſignum quintum. Nam ab ariete uſq; ad leonem trigonum eſt. Scire autem conuenit, dextrum appellari trigonum, quod ab eo ſigno à quo incipimus retro eſt: ſiniſtrum uerò, quod ante: utputa arietis dextrum eſt trigonum ſagittarius, ſiniſtrum uerò leo. Quadratum eſt, ab eo ſigno à quo inchoamus, quod quartum fuerit ſignum: & in hoc dextrum intelligimus, & ſiniſtrum, uti in trigono. Hexagona, idem ſunt quod trigona, ſed minoris poteſtatis: eſt autem ab eo ſigno à quo ſumptum initium eſt, tertium. Sed & in hoc dextrum cõcipe, ac ſiniſtrum: uti ſuprà. Triangulum recentiores triplicitatem uocant. Trigonocrator belle

à non-

à nõnullis triangulator pronuntiatur. Hęreticum planetam conditionarium intelligunt: ſiquidem quam Græci cæleſtium indagatores, hæreſim dicunt, conditionem appellat Iulius Maternus.

Elementorum colores, ſaporeſq;. Item an planetæ colores habeãt, unde colligi eorum poſſit natura. Elementa cur dicantur στοιχεῖα. De Proteo ſcitu digna: item Idothea. Terra aphoratos quæ. Cap. XVII.

IT quia cum aſtrorum peritis negotiari cœpimus, pergamus porrò breuibus quædam illorum ſcita contexere: qui in philoſophos aciem dirigentes, coarguere illos enituntur, qui ſanciant, Elementa nec coloris, neque item ſaporis partem habere ullam. Aquæ uerò ipſi colorem attribuunt album, ſaporem dulcem, terræ fuſcum eſſe colorem, amarum ſaporem. Quod tamen elidunt alij, dulcem intelligendum potius aſtruentes: quoniam ſi amarum contendas, ex terra nil admodum egerminaturum ſit. Ignis utiq; nullum confitentur eſſe ſaporem, cæterum rubro inſici colore. Aeris apud eos nullus eſt color, nullus item ſapor, multos tamen peregrinos aduentitioſq; colores excipere. In commentatione tamen de coloribus ſcriptum comperias, aeris & aquæ naturam per ſe albam cenſeri: at ignem cum ſole rubrum: terram quoq; natura eſſe albam, cineris argumento, qui albet, humido exuſto. Lixiuium tamen rubere flammæ ui ac fumi, qui & aliquo modo cinerem inficit. At in planetis, etiam ſi exactiſſimi ſint palati, nullos etiamnum ſapores præguſtando animaduertere ualuerunt. Varios tamen ineſſe colorum modos, non diffitentur, unde etiam natura queat indicari. In Saturno, inquiunt, præmonſtrat fuſcedo terreſtrem proprietatem, & bili atræ congruam. Mars rubens igneæ qualitatis argumentum eſt, & rubræ bilis teſtimonium dictat. Venerem croceo & albo radiantem, tum calidam intelligunt tum humectam, & naturæ indicare temperamentum. In Ioue coniectant modo ferè eodem. Lunam albicantem, eſſe humiditatis indicium: quod uerò inſit nigricantis quippiã, frigoris ſignum habent. Mercurij non unam eſſe faciem, ut qui uirorem quandoq; præ ferat, nunc fuſcedinem, nunc aliud quid, ſæpius tamen nigroris oſtentare quiddam: proinde cum terrena ſiccitate analogum habere. Hæc dici quidem, ſed præter omnem prorſus rationem, nõ neſciunt, paulum modo philoſophia imbuti. Nam prout elementa inuicem promixta fuerint, ita colorum enaſcitur uarietas: ſed ea in cælo eſſe permixtio nulla poteſt, propterea ibi eſſe colorem, planè inficiabitur Ariſtoteles: niſi quia lumen, color quidam eſt, quod tamen luminoſi corporis naturam haudquaquam indicarit. Quin, ſi maximè ibi ueros conceſſeris colores, ad examen ſyncerum in tanta ſpatij uaſtitate, non uſquequaque ſibi conſimili, reuocari, excutiq; haudquaquam poterunt. Elementa uerò prima fuiſſe in libro De philoſophi hiſtoria Galenus ſcribit, ut à cælo digrediamur parum, obſcuram informemq; ſubſtantiam, quam dicant nonnulli, ἄποιον ὕλλω, Entelechiam alij nuncupẽt, ac στέρησιν, ideſt priuationem. Vocantur autem à Græcis στοιχεῖα, uti interpretatur in noſtris literis Ambroſius, quod inuicem conueniant, & concinant ambitu quodam, & cõcordiæ ſocietatiſq; choro. Nam quum ſit aridæ terra & frigentis naturæ, aquæ connectitur frigoris qualitate: aeri congruit aqua humoris ratione: ſic, ut brachijs uelut duobus, frigentis ac humectæ uis, altero terram, aerem altero ſibi cõſciſcat. Rurſum aer inter duo compugnantia medius, aquam, ignemq;, mire utrunq; conciliat, aquis humore connexus, igni autem calore. Porrò ignis calens, areſcensq;, hinc aeri, illinc terræ ſeſe adoptat, inq; naturæ illius participatum uenit. Non prætereundum uerò quod Ponticus ſcribit Heraclitus, informem rerum materiam dici poetis Proteum ſymbolice, operteq;. Nam πρώτισα λέων γίνετ' ἀϋγένειος, αὐτὰρ ἔπειτα δράκων καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς. γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον. Et leo quidem αἰθέριον ζῷον ætherem indicat planè: terram draco, quia ſit αὐτόχθων, καὶ γηγενής: arbor omnia quæ ex terra augeſcunt. Idotheam uerò Protei filiam dici, prouidentiam arbitratur εἰδωλοπλασάσασαν ἕκαστα. In inſula Pharo traditur fuiſſe Proteus, quia φάρσαι ſignat τὸ γυμνῆσαι: nam & terram ἀφάρωτον, ſterilem accipit Callimachus.

Planetarum poteſtas maior ſit, an fixarum ſtellarum, Quæ in utriſq; nominum, & in motu diuerſitatis ratio. Chaldæorũ placita de planetis. Item diſs cõſiliarijs. Heſperides quæ ſint. Planetæ piſces: item in re militari. Sol & lu-

na an inter planetas. De planetis quoq; plura. An cælum initialis sit generationis causa.

Caput XVIII

STudiosi porrò cæleſtium rerum, pręſcientiam futurorum ex natura poſituq; ſyderum pro uiribus conſarcinantes, dum in diſquiſitionẽ uocant quodammodo fixas ſtellas & planetas, non ſatis ſibi conſtare animaduertuntur, nunc enim ſtellis non errantibus uim aſcribunt cæteris eminentiorem, nũc autem ediuerſo. Et plurimũ quidẽ cõmunẽ felicitatẽ pro naſcentis modo mẽſuraq; ab proſperiore planetarum ſtatu contribui ſanciunt: ab fixis uero παραλλοξον quandam εὐτυχίαν, hoc eſt incomparabilem, & extra quàm opinetur aliquis, fortunæ benignitatem. Quæ ſententia uel Ptolemæo auctore comprobatur. Alij omnino planetas ui effectuq; præpotentiores oſtendere conantur, tum Procli ſententia, tum rationibus id euidenter monſtrantibus, accedente item ueterum teſtimonio, qui planetas κοσμοκράτορας dicebant, uelut quoſdam mundi principes intelligerent. Quo autem diſcerniculo certo re iſta teneant bonarum literarum ſtudioſi: Aſtra, inquit ſecundo Cæli Ariſtoteles, nequeunt per ſe & propriis moueri motibus, aut locum mutare: ſed orbi infiguntur, uelut in tabula nodus. Itaq; orbis motu feruntur, cui inhærent. Hæc ſcribit Algazeles diſſertationis tertiæ ambiguitate uiceſimaſexta, ni erratum in numeris eſt, duodecies mille, ducenta uigintiduo ferè cenſeri. Cæterum planetas deprehenſum eſt, diuerſo ferri inceſſu, ac tum uelocitate, tum tarditate plurimùm diſcrepante, atq; ſitu etiam. Quoſdam nanq; exortum petere, in occaſum alios remeare: porrò in auſtrũ deiici hos, in ſeptentrionem protolli aliquos: ideoq; ex motus inæqualitate nomen quoq; indeptos. Ex qua item certius coniectatum, orbibus eos diſtinctis ferri. Fixas uero globi octaui ſtellas dicimus, non quod non moueantur, nam duplici ſaltem circumagi motu, animaduerſum iunioribus eſt: quibus & globus in quo ſunt, motibus rotatur: altero ab ortu in occaſum, reliquo ab occaſu in exortum ſuper zodiaci polis: tantæ tamen tarditatis, uix ut percipi uel annis centum queat: Nec item fixas dixeris, quod orbis modo circumferantur ambitu, nam eſt hoc illis commune cum planetis, quod ſecundo cæli (ut dixi) aſtruitur: ſed ita dicuntur, quia eandem perpetuo ſeruant figuram, ſitum, propinquitatẽ, diſtantiam. Diuerſitas planetarum in motu, dum uel propiores nobis fiunt, uel remotiores, cauſa eſt (ſicuti Philoſopho complacitum eſt) præpotens, ut uariį producantur effectus. Vniformis autẽ & conſtans motus mobilis primi id agit, ut diuerſitas hoc genus perpetua ſit, ac uniformi pergat periodo. Ego porrò in literis inuenio, Chaldęos cæli ſcrutatores eximios cenſuiſſe, Planetas quandoq; dici ἑρμηνεῖς, hoc eſt interpretes, quoniam ex alijs aſtris quæ tum minime errant, tum certum ſeruant & ſtatutum meatum: ſola hæc inceſſu proprio ſuoq; nitentia res futuras inſignitius oſtendant, ac ueluti deorum mentem interpretentur. Eſſe autem hoſce, Saturnũ, Martem, Venerem, Mercurium, Iouem. Mox ſub horum curſum eadem Chaldæorum obſeruatio ſydera conſtituit triginta, quos eſſe dicit conſiliarios deos: quorum quindecim ea tueantur loca, quæ noſtro continentur hemiſphærio: reliqui, res ſimul humanas, & quæ in cælo ſunt. Deos autem quibus uis principatusq; ſit, duodecim numero eſſe dicunt, quorum ſingulis ſingulos attribuant menſes: per hos autem, quorum ex animalibus nomenclatura eſt, meare ſolem ac lunam, & quinq; errantia ſydera. Poſt zodiacum, ſtellas quatuor & uiginti numerant: ex quibus duodecim ad meridiem locatas tradunt. Et harum quæ apparent, duodecim uiuis aſcribunt: reliquas quæ non uiſantur, mortuis. Has præterea rerum uniuerſarum iudices appellant. Obſeruatũ id quoq; in Græcorum monumentis, Aegyptios appellaſſe quidem zodiaci ſigna, θεοὺς βαλαίους, id eſt conſiliarios deos: planetas uero ῥαβδοφόρους, ueluti ſceptrigeros quoſdam intelligi uoluerint. Vbi uero poetarum princeps, deorum cuiq; ab Vulcano ſubſtructam domum canit, intelligendas planetarum domos interpretantur eruditi, quas induxerint recẽtiores, in quibusq; illos οἰκοδεσποτεῖν, id eſt dominari aſtruant, ueluti nouitio inuento anſam uetuſtiſſimus poetarum præbuerit. Illud ex doctorum calculo, præter quæ dixímus, adijciendum: falſo uideri errantes dici, quando errare poteſt nihil, quod in omni perpetuitate progreſſus conſeruat & regreſſus, reliquosq; motus conſtantes & ratos. Etiam ſi apud Hippocratem planetæ uocantur piſces, & cymatopleges ſaxatilibus diuerſi, tanquam errones ac fluctiuagi. Dignum relatu, quod

Græci

Græci explicant interpretes, Heſperidas λιγυφώνας, id eſt canoras, aſtra ſignare, uelut ἐν ἑσπέρᾳ φαινόμενα, καὶ οἷον γηγνώμενα, id eſt ueſperi uiſitationē facientia, ac uelut naſcentia. Sunt qui nocturnas horas Heſperidum nomine malint intelligere, mala uero aurea ſtellas ipſas. Dici uero λιγυφώνας, quia enharmonius ſeſe inde promat ſonus, quoniam probabile non fiat, dum agitentur, minima quidem inſonare corpora, maxima uero & præſtātiſſima, cuius prorſum modi cæleſtia ſunt, tacita omnino rapi uertigine. Muſicam uero indidem ſuauiſſimam edi ſimile ueri habet ἁρμονικῷ tertio Ptolemæus. Sed & alij, de quîs mox paulo. Nos autem præterit ea, quod auditus noſter eius non uideatur capax. Illud porrò non habendum inſuper, Solem lunamq́ in errantium albo non cenſeri Ptolemæo, ac Theoni, ut Chaldæis: quam hæreſin ſequatur Plinius quandoq́. Sed nec inter cælo hærentes recenſueris, quod inuicem interualla non ſeruent, neq́ item figuras. Inter errantes uero non ſunt, inquit Theon, quia ſtationes non faciant, nec recurrant quidem. In planetaria quoq́ poteſtate ab eminentiſſimis proditū auctoribus eſt, ubi ſe mortalium corporibus diuinæ mentis ſpiritus infudit, eorundem formam pro curſus ratione ab luna confoueri. Quando ad eius luminis aucta, uel damna corporibus afficimur, increſcentibus præſertim medullis augeſcente luna, rurſumq́ lumine deſtituta, tenuati corporis fatigatione elangueſcentibus. Singulis porrò planetarum ab priſcis ingenijs metallorum dicantur ſingula, uelut ſoli quidem aurum, lunæ argentum, Martí ferrum, Saturno plumbum, Ioui electrum, Mercurio ſtannum, Veneri ęs. Chronocratorem dicunt Græci temporum dominum: eorum autem initium in diurnis geniturís ſol accipit, ac cæteris diuidit: in nocturnis luna. Quum itaq́ ſol temporum dominus fuerit, annos decem, principatum obtinet, menſes nouem. Modo eodem & luna quum temporis domina fuerit, annos tenebit decem, menſes nouem. Vitæ datorem intelligunt οἰκοδεσπότην, & geniturae dominum, cuius & paulo ante commeminimus. Hunc uero eſſe tradunt eruditiores, cuiuſcunq́ ſignum poſt natum hominem luna, relicto ſigno, in quo eſt, fuerit ingreſſa: etenim ſi quis prima natalis hora lunam in ariete habuerit, quia poſt arietem ad taurum ſecundo loco tranſitum facit, Venus geniturae dominium poſſidebit, eo quod taurus Veneris ſignum eſt. Id quod in cæteris conſimiliter intelligendum. Ex grammatica penu id nec prætereundū: planetas item dici Græcis in re militari hac illac temere abeuntes: quos quandoq́ λειποταξίας, id eſt deſertoris affectos pœna inter legendum ſubnotauimus. Nam Heraclius imperator λειποταξίας ποινὰς οὓς πλανήτας ῥωμαϊλιῆς ἀνυμένους ἀστρολογικοὺς ὅσοι τῷ πόνῳ χάρειν ἀπόντες, πλανωμένους ἀδύρο καλεῖσι πόδι φόσσω, βασάνοις ὠδὶ σωφρονιζόμενος μετήγαγε. Planeten porrò ἀνὴρ ξένος, id eſt pro hoſpite poſitum quandoq́ inuenias. Planen uero, id eſt πλάνην, dicunt τὸ σκοποῦ ἀποτυχίαν, id eſt ab propoſito, & ſcopo fruſtrationem.

Mundum, ſphæras, ſtellas ſentire, ac preces exaudire. Sphæram maximam eſſe mundi oculum. Terram item anima, & ſenſu præditam, ex Platonicorum doctrina. Origenis placita de ſtellarū animis. Quas intelligi oporteat Neptuni ſtellas, uel Iouis. Cælorum concentus. Mundus an finitus. Græcorum in motu terræ ſuperſtitio. Cap. XIX

Libet parte hac cum Platonicis confabulari: in quorum ſacrarijs quum alia pleraq́ non abſque admiratione ſæpius lectitamus, tum id quod ſubnotabo ſtatim, Mundum quum ſit animatus, ſentire, ac per ampliſſimam ſphæram præcipue, ueluti per oculum intus omnia cōtueri: nam ſi nos per oculū noſtrum, quoniam ſit animatus, & diaphanus, & lucidus, multa perſpicimus, & radio etiamnum in ſublime ſurrecto, cæleſtia apprehendimus: Cur non, inquiunt, mundi cæleſtis oculus, uiuus, perſpicuus, lucidus, radioſq́ ſuos in omnia propagans, itidem ſenſibilium concipiat modum? Amplius mundi globos, ſtellas ſenſu item non carere, aſſerunt conſtantiſſimē: quoniã, ut Plotinus aſtruit, uota cognoſcant noſtra, exaudiant quoq́. Cæleſtibus ineſt quidem uiſus, ſpecie tamen ab noſtro diuerſus, uerum in eo non diuerſus, quia uiuit, perſpicuus item eſt atq́ lucidus. Auditu item prædita ſunt, ſed noſtro diſſimili. Inter omnia, quæ ambitu cæli cluſa cōtinentur, uiget communio quædam, & ueluti nexus: cuius quinq́ uidentur rationes. Prima eſt, omnium materia una: inde, qualitatum concordia: mox, ſpiritus ubiq́ unus: nam ſicuti cælum unus eſt ſpiritus in excelſis, pariter intra cæ-

lum unus itidem ſpiritus,uel cæleſtis omnino,uel cælo ſimillimus, omnibus eſt infuſus, noſtro conſimilis.Quartum habet locum natura genitalis una, fouens omnia per ſpiritum mutuo copulata.Quintum poſtremò mundi anima, omnibus connexa. Sed cur nõ & terram,inquit Plotinus, ſentire dicamus? Obſtat uerò nihil, terram eſſe ſenſu prædi-tam,ut humana commodius rectiusq; diſpenſet,quæ eius ſunt muneris. Certe nil admodum impedimento eſſe poteſt, quin preces audiat adnuatq;, nec tamen ea qua ſolemus ipſi,ratione.Neq; enim cuncta animantia ſenſoriis ſunt eiſdem communita,nam & quędam aures habere non nouimus, nouimus autem ſonos ab iis concipi. Omnino ſciendum,Terræ animam non cenſeri abiecti cuiuſpiam eſſe corporis animã,proindeq; intelligere,atq; inſuper eſſe deam. Cæterum in hoc eminentiſſimarum rerum tractatu, quonam pacto doctiſſimi Origenis placita prætereamus? Putare nanq; ſe primo περὶ ἀρχῶν ſcribit,Cæleſtia prorſum corpora eſſe animata, quoniam ab deo mandata dicuntur accipere,quod rationali tantum naturæ contingere,conſentaneum eſt. Scriptum enim legimus,Mandatum ego ſtellis iniunxi omnibus.At quænam ſunt, inquit, mandata hæc? nempe ut aſtrorum ſingula ſuo ordine, ſuisq; meatibus indultæ ſibi quantitatis mundo ſplendorem præbeãt. Qua in re id omnino colligi uidetur liquidò, Corporum illorum motum abſq; animæ functione poſſe haudquaquam effici. Nec rurſum citra motum futura unquam, quæ animantia ſint.In tanta uerò ordinis ac motus ratione atque conſtantia,nónne ſtolidiſſimum fuerit,rationis auferre poteſtatem? Apud Hieremiam ſanè,regina item cæli luna memoratur.Quinimmo ab peccati labe non ſeiungi ſtellas omnino, conſenſiſſe aduertitur Iob.Ita enim ſcribitur, Stellæ quoq; in conſpectu eius,mundæ nõ ſunt.Id quod ad corporis fulgorem nõ utique referri poteſt. Verum hæc ille uiderit.Ex theologorum muſeo ſunt qui aſtruant,etiam ſi cunctanter,Stellas,ſicuti cælorum quoq; globos, ſuapte ui, hoc eſt ſubſtantiæ ſuæ natura moueri,uelut elementa. Non ignorandum & illud,ueteribus Neptuni ſtellas dici conſueſſe,quibus hyems indicaretur,uel ſerenitas:Iouis autem,quę agricolationi cõferentia præmonſtrarẽt:ex quo elegãter Aratus,

οἵ τε ποσειδάωνος ὀρώμενοι, ἢ διὸς αὖτε
ἀστέρες, ἀνθρώποισι τέλυγμένα σημαίνουσι.

At multo id grauius,mundum neceſſario eſſe finitum: nam omne quod duabus claditur extremitatibus,finitum eſt:rurſum, cui extremitas una eſt, neceſſariò adeſt item ſecunda. Cæleſte autem corpus medio non carere, in cuius ambitu uertigine rapiatur aſſidua ſuper polis duobus,palàm eſt: quod propter Plinij caput primum libens attexui. Sphærarum autem rotatam uertiginem, quum ambiens ac circumiectus æther motibus ſcindatur diuerſis,iucundum, qualemq; exactior perficit muſica, inenarrabili ſuauitate ſonum ædere,interuallis iunctum imparibus, ſed pro rata partium ratione diſtinctum, Pythagoricis & Platoni præcipuè proditum eſt,approbauit Boethius quoq;:irriſit cum Ariſtotele in Hexaemero magnus Baſilius.Quod uerò de terra multum,ac diu,facta nobis uerba ſunt,ad rem forſan & illud ſpectarit, ubi terram mouiſſe foret nunciatũ, Græcis fuiſſe antiquiſſimi moris,conclamare uaſa,ceu ingruens malum inde cõiectantibus.

Dignitas cæli ex hiſtoria,item ex phyſicis rationibus. In cælo eſſe Trinitatis myſterium. Cur dicatur ὁρατὸς. Si ſtaret cælum,nihil moueretur. Si calor cæleſtis deficiat,nullibi erit calor uel frigus. Creatis omnibus ineſſe Trinitatis ueſtigium.

Cap. xx

CAeli dignitatem eximiam,uel inenarrabilem potius, cõtemplanti mihi ſubit quandoque: quod de Arabibus ſcriptum reliquit Arrianus,coli ab illis duos modò deos,cælum, & Liberum patrem:ac cælum quidem, quia cernatur, & ſyderum collucentibus oculis præcellenter contextum, ſolem præferat utilitatis immenſæ auctorem incomparabilem. Neq; item excidit quod de Anaxagora philoſopho proditum ſcimus, qui interrogatus, Curnam ſe natum arbitrarctur: reſpondit, Cæli ac ſolis uidendi cauſa. Quam quidem uocem ab philoſophis ſumma exceptam admiratione,riſu proſequitur Lactantius,putans,neſcientem quid reſpõderet,in hæc prorupiſſe.Ego uerò,ni me quid ſecretius fallit,facile contenderim, non temere id omnino effuſum: ſed ut ab ſapientiæ ſtudioſo, penſiculatè admodum & excuſſe. Nam qui exactius penſitarit rem totam, comperiet liquidò, cæleſtem claritatem adeo præcellere natu-

ræ

turæ quadam præſigni maieſtate, ut in perenni ac uitali luce illa auguſtiſſimum diuinitatis myſterium ſit facile deprehenſurus. Siquidem uertiginoſus ille motus ampliorem nobis indicat poteſtatem, lux nitidiſſima ſapientiam, calor ſuauiſſimus amorem. Quibus ab principe rerum deo mouentur, illuſtrantur, perficiuntur omnia atq; ſeruãtur, primo, inquã, inter ſeparatas atq; ſpiritales formas, ſicut inter corpora longe clariſſimo cælum principatu cenſetur. Extra hæc, quí plura in clariſſimo putat globo requirenda, is planè quæ ſit corporeæ naturæ perfectio, parum perſpexiſſe deprehenditur. Quicquid alia partiario ac diuiſim poſſident, in unum id eſt ampliſſime congeſtum. Sine hoc nec inferius generabitur quippiam, nec genitum ſuas exercebit operationes. Et quidem ſicuti intimus, & uitalis noſter calor corpora confouet ac ſeruat, eiuſq; fomẽto quæ agunt in nos, non fruſtra agunt: ita ſi non adſit cæleſtis ille calor, corporum uirtus omnis, præſertimq; ille ipſe tam uitalis tamq; familiaris nobis calor, proſlictus depereat neceſſe eſt. Cælum utiq; naturale corpus eſt, omnium corporum naturalium perfectiſſimum. Corpus naturale tam motus, quàm ſenſilis qualitas conſequuntur: perfectiſſimo igitur corporum naturalium perfectiſſimus quoq; motus, & ſenſilium perfectiſſima congruunt. Nullus motus perfectior orbiculari, nulla qualitas ſenſu perceptibilis luce perfectior: quare hæc cæleſtis corporis propria ſint, neceſſe eſt. Quoniam uerò perfectiſſimum corpus eſt, comparem quoq; locum, ideſt ſupremum habere, ex rerum dignitate conſequens fuit. Propterea Apuleius cum Chalcidio dici ὄραν Græcè interpretatur, quia ſit altitudinis finis: & uti in Deorum natura ſcribit Phurnutus, ὃρ῾ ὧν ἄνω πάντων, καὶ ὀείζων τὴν φύσιν: aut ab ὀρέγειν, quod eſt φυλάττειν τὰ πάντα, quia cuncta ſeruet cuſtodiatq;. In libro De mundo ſcribit Ariſtoteles, ſiue is fuerit Theophraſtus, Vranon dici, quoniam ſupra ὄρεα, ideſt montes, exiſtat. Etiam ſi in Hexaemero Ambroſius ſic appellatum opinetur, quia ſit uiſui peruius. Scitũ illud Ariſtotelis eſt ex libro octauo auſcultationis phyſicæ, Motum primi cæli uitam eſſe omnibus, quandoquidem euidentiſſima eſt & communis operatio uitæ intimus motus. Ceſſante autem cælo, nec cætera mouebuntur. Sicut in minore item mundo, ſi ceſſet motus cordis, omnes animalis motus perire neceſſe eſt. Nec lapis itaq; deorſum moueretur, neq; aſcenderet ignis, quod mirum utiq; eſt, ſed uerum rationibus oſtenditur, ſi motus quieſceret primus. Eſt autem quod primum in uno quoq; genere, cauſa reliquorum quæ ſub ea continentur ſerie, licet non omnia eandẽ cauſæ habeant rationem. Porrò quod de motu aſtruimus, patet in caloris item ratione. Nam ſi cæleſtis intereat calor, nec ab frigore profluet frigiditas nec ab caliditate calor. Siquidem non eſt frigori contrarius calor ille ſydereus, ſicuti calor igneus: ſed omnes continet elementares qualitates eminentia ſimplici, ſicut lux omnes colores. Quæ uniuerſa diſertiſſimè colligit Picus Mirãdula, uir omnifariam doctiſſimus. Verum quia de Trinitatis ueſtigio in cæleſtibus facta mentio eſt, amplius ſciendum, quod equidem memoratu non indignum eſt: In omnibus creatis extare trinitatis ueſtigium, quod ſexto De trinitate comprobat Auguſtinus. Quippe in unoquoq; eſt, quod ad diuinas referri perſonas, ceu ad cauſam, neceſſe eſt. Ineſt ſiquidem ſubſtantia, necnon forma ſpecieſq;, item ordo. Et patrem utiq; indicat ſubſtantia: uerbum autem forma, ut quæ ex artificis conceptione proueniat: ſpiritum item ſanctum nobis ordo præfert, quoniam amor eſt, ac ordo effectus ad aliud quippiam ex creantis profluit uoluntate. Ad hæc porrò tria reuocantur illa, numerus, menſura, & pondus: de quis mentio fit Sapientiæ undecimo. Nanq; ſubſtantiam indicat menſura, ſpeciem numerus, ordinem denique pondus. Hæc item ab Auguſtino ſignificantur in libro Quæſtionum octogintatrium, ubi ait: Quod conſtat, quod diſcernitur, quod congruit: conſtat enim aliquid per ſubſtantiam, per formam diſcernitur, congruit per ordinem.

Mundi colores tres. An ſint in cœlo colores ex Peripatetica ſchola. An itẽ calor. In quota ſignorum parte contingant dierum mutationes. Aſtra unde dicantur. Cælum quot modis dicatur. Cap. XXI

SVnt ex Platonicis non ignobiles, qui tres eſſe uniuerſales præcipuosq; mundi colores arbitrentur, uiridem, aureum, ſaphyrinum, tribus cæli Gratijs dedicatos. Et uiridem utiq; Veneris eſſe uolunt, atq; item lunæ: aureum ſolis, ab Ioue tamen, Venereq; non alienum: ſaphyrinum uerò Ioui maximè accom-

modatum prædicant, cui & ſaphyrus dicatur conſecratus. Hinc formulam mundi compingentibus præcipiunt, expedire ad Gratiarum cæleſtium munera capeſſenda triſpotiſſimum hos contueri colores frequentiſſime. Atq; ſaphyrinum quidem mundi ſphæris inſerere: aurea uerò ſphæris ad ipſam cæli ſimilitudinem addere ſydera. Ipſam porrò Veſtam ſiue Cererem, id eſt terram uiridi prorſum excolere indumento. Quanquam in planetarũ mẽtione paulo antè, nõ eſſe in cæleſtibus colorem ullum aſtruere, uiſi abunde ſumus, nec grauabimur Peripateticorum fuſius hic argumẽta explicare, ne quis ipſum hunc, cuius modo commeminimus, oculis deceptus ſaphyrinum eſſe cæli putet colorẽ, quamuis οὐρανοχρώματα Græcis uocare mos ſit, quæ cæleſti colore tincta cõuiſimus. Cælum igitur, inquiunt, coloratum nõ eſt, quia cõſurgat ex elementorum qualitatibus color. Cælum autem nec elemẽtum eſt, neq; item ex elemẽtis compactum: nõ elementum quidem, quoniam ſit elemẽti proprium, habere in ſe cõtrarietatem, agereq; in contrariũ: ſi ei cõiungatur, id ipſum corrumpendo: ſi peruincat, ſpeciem quoq; ſuam in materia generando. Proinde, ſi cælum eſſet elementum: quũ elemẽta omnia ſe ad cælum habeãt, ſicuti ad uniuerſam terræ molẽ pũctus: diu iam deperiſſent uniuerſa, eſſentq; omnia cælũ, quod nõ fit. Itidẽ nõ eſſe ex elementis cõcinnatum, aſſeueramus, inquiunt. Nã quod huiuſmodi eſt, minus eſt ſuis elementis, ex quibus conſurgit, connectiturq;. At maius eſt elementis omnibus cælum: igitur non ex elementis. Argumentantur item ratione motus qui in elementis rectus eſt. Nam uel ad imum feruntur, uel euolant hinc ad ſuperna, Sed cælum eiuſmodi motum neſcit: uerum conuertitur aſſidue in ambitum: igitur conſecutio manifeſta. Addunt porrò illud quoq;, non eſſe ibi elementarias qualitates, caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humectandi uim, & propterea non conſeneſcere. Quod ſi dicat aliquis, ſolem dici utiq; calidum, & lunam humectam, Saturnum frigidum, reſpondent, ex effectibus prodiiſſe nomenclaturam hanc. Quamobrem Ariſtotelem ſcribere in libro De elementorum proprietatibus: ubi planetæ coierint in piſcium ſignum, contingere mox, ut aquis diluantur omnia. Quod ſi in geminis fiat coitus is: futuram uniuerſi conflagrationem. Sed iis addunt patrum noſtrorum ſcita diuinæ uoluntatis iudicium: quod tam fallere, quàm falli neſcit. Quod uerò ad calorem attinet, ut de alijs interim taceam, non omnes idem ſentiunt. Platonici cælum eſſe igneum fatentur omnes, & lucere quidem propriè, ſed & conſecutione quadam calere, ſed non urere. Calor certe lucis proprietas quædam uidetur, ſicuti eſt lux cæli qualitas propria. Cæterum ſuper hac re fuſius alibi. At prius quàm inde digrediamur, illa uelut corollaria adiecero, Miram fuiſſe ueteribus uarietatem, in quibus ſignorum partibus contingant dierum mutationes. Hanc uerò M. Manilij carminibus exprimemus, potiſſimum ex Aſtronomicon tertio:

Has quidam uires octaua in parte reponunt:
Sunt quibus eſſe placet decimas: nec defuit auctor
Qui primæ momenta daret, frenoſq; dierum.

Cælum ex poetis nonnulli Acmonis, ideſt ἄκμονος, filium tradidere: circumlatæ uertiginis τὸ ἄκμονον innuentes, uel quia ſit corruptionis neſcium. Nam functos fato τετελευτηκέναι pronunciamus. Aſtra uero ex lationis, ac motus aſſiduitate dici coniectant, uelut ἄστατα, οὐδέποτε ἱστάμενα, ἀλλ' ἀεὶ εἰνόμενα. Proditum quoq; à memorabilibus eſt auctoribus, Multos perſuaſum habere, longo æui ſitu cæli qualitatem mutari & ſtatum. Quin credidit Hipparchus quoq; futurum quandoq;, ut mundi cardines emouerentur loco. Quod inter noſtros approbauerat agricolationis auctor Saſerna, & ab Columella relatum ſcio: Cælum denicq; uno modo ſubſtantiam dicimus extremæ circulationis, aut naturale corpus, quod in extrema eſt totius circumferentia, & in quo diuina omnia locata credimus. Alio modo dicitur cælum extremæ circumferentiæ cõtinuum corpus, in quo ſol & luna, hæc nãq; in cælo eſſe prædicamus. Tertio modo uocatur cælum, ab circunferentia extrema contentum corpus: propterea ubi unum eſſe cælum, pronunciatur, de mundo intelligendum.

Regio apud Platonem terreſtri paradiſo aſſimilis. Item ubi ſit paradiſus is. Paradiſus quid. Arriani hiſtoria ad id mirabiliter faciẽs. De habitatione ſub æquinoctiali. Item an ibi ſit mare. Antiſcij qui. De hemiſphæriis duobus nõ

ingrata

ingrata. Item de Olympi uertice. Cap. xxii

MVndi rationes quidem omnes, quas lectione uaria auſpicati ſumus, in unum hunc locum, ueluti in molem unam corporis cõgerere, non fuit conſilij, neq; item operis inſtituti, in quo congeſtitiam quandã rerum dignarum cura ſyluam pollicemur, potius quàm naturæ ordinem. Ita ſubnotantur omnia ferè, ueluti inter legendum ſeſe obtulere, niſi quatenus libro hoc, qui omnium prodibit primus, & deinceps aliquamdiu, delectum quendã habuimus, ut ſic auſpicio proſperiore reliqua impetu quodã miſcello conſequerentur. In quibus pleraq; recognoſcentur hunc ipſum reſpectantia locum. Interim ingerit ſeſe mihi Plato ſua illa philoſophi, aut theologi potius maieſtate uenerabili, atque aurem peruellens: in Phædone ſuo ait ſe quiddam mandaſſe literis, quod huic loco congruat uel maxime. Eſſe uidelicet terrarum regionem quandam prominentem, adeo ut imbres neſciat, neq; item flaminum ullos perſentiat impetus. Summa, præſignisq; ſit aeris temperies, proindeq; inibi perfectiſſima quæq; uberius enaſcantur, nec deſit exactiſſimum genus hominum, quorum æuum ſit longe noſtro diuturnius. Eorum corpora ſunt qui opinentur, ex æthere plurimum compacta, & aere, aquæ, & terræ utiq; habere minimum, necnon compari fructuum modo ueſci, atq; alit: adeo uti more Peliæ uelut recocti, iuuenili gaudeant flore perpetuo. Hæc eo ex ſcripſi libentius, quod non ita magnam cum deliciarum horto in ſanctis literis celebrato diuerſitatem habent, ut intelligamus uere dici, ac prædicari, Platonem demutatis paucis fore Chriſtianum. Sed occurrit hac parte aliud, nec minus admiratione dignum. Legimus Geneſeos caput tertium, in quo excuſſo Adam ab delicijs ob peccati atrocitatem ſcribit Moyſes, collocatum à deo ante paradiſum uoluptatis Cherubin, & flammeum gladium atq; uerſatilem ad cuſtodiendã uiam ligni uitæ. Vbi aſtruit interpres, eſſe qui opinentur, paradiſum hunc uideri ſub æquinoctiali circulo ſitum: abs quo decuſſari cælum, ac terram nouimus: proindeq; flammei gladij nomine zonam reddi torridam, quæ propter ſolis conuerſiones uerſatilis nuncupetur. Quæ uerò ad hoc maximè pertinentia, aut certe mira, & relatu digna in primis, obſeruauimus, ab nullo (quod equidem ſciam) antehac animaduerſa, pergam in literas promere: ut ſi nil aliud, utique ſint poſt difficultates auocamenta, quibus laſſeſcens forſan lectoris animus relaxetur molliaturq;. Arrianus inter Græcos hiſtoricos tantæ eſt in ſcribendo integritatis, ut φιλαλήθης, ideſt ueritatis conſectator, ſtudioſusq; ſit uulgò cognominatus, atque ita etiamnum honeſtetur in libris. Hic in parte poſtrema Indici commentarij, ueluti ipſe quoque Moyſi ſuccineret, ita ſcribit: Hanno Carthaginienſis prouectus claſſe ab columnis Herculeis in Oceanum, relicta ad læuam Libya, diebus triginta enauigauit occidua petens, mox ubi in meridiem diuertiſſet, plurima ſeſe illi obiecere impedimenta. nam præter ardores feruidi ſyderis, ut in peruſta regione mundi, aqua potabili deficiebatur: audiebatur porrò creber de cælo fragor, interim late promicantia in ſublimi fulgura oculos perſtringebant. Viſebanturq; ueluti flammarum riui è cælo præcipitantes, quanquam Cyrene ad extrema Libyæ in tanta camporum uaſtitate herbis nuda non ſit, neq; item aquarum inops. Quid, quod Auicenna tanquam Platonem, Moyſemq; interpretaretur, primo canonis in craſeon, ideſt temperaturarum ratione, temperatiorem ſub æquinoctiali, commodioremq; eſſe ſcribit habitationem, quàm ſit uſquam terrarum. Quod Eratoſthenem quoq;, & Polybium ſenſiſſe, Straboni credimus. Nec ignoro tamen quæ ſit in ea re inter doctiſſimos diſceptatio. Et Damaſcenus ſcribit in paradiſo fuiſſe regionem diuinã, & prorſus eo dignam, qui dei opificis geſtaret imaginem. Illud animaduertendũ quod & Thomas adnotauit, & Conciliator non omiſit differentia ſexageſimaſeptimã. Quoſdam tradidiſſe, Paradiſum hunc uideri ſitum in oriente, quæ portio mundi nobilior eſt, quia dextra ſicuti ſecundo Cæli comprobat Ariſtoteles. Sed eum tamen locum itidem ſub æquinoctiali Conciliator intelligit. Et rei ambiguitatem retegit in primis idem beatus Thomas articuli ſecundi in fine, quæſtionis eiuſdem. Quicquid autem ſit, credendum (inquit) paradiſum in loco conſtitutum temperatiſſimo, ſiue is ſub æquinoctiali ſit, ſeu alibi. Quid, quod in libro Hebraicarum traditionum in Geneſim, ſcribit Hieronymus, Prius quàm cælum & terram faceret deus, paradiſum ante condidiſſe. Nam in Hebræo legitur, Plantauerat autem deus paradiſum in Eden à principio: ſignat uerò

Eden

Eden delicias. Pro quo Symmachus transtulit paradisum florentem. παράδεισον Græc hortum intelligunt: sed primo ἀναβάσεως Xenophon, prope Celænas Cyri fuisse regiã scribit, & agrestibus feris differtum paradisum. Obiter illud hac in parte subnotarim, ab erudito (quod aiunt) puluere nõ ita disparatum, Macrobium secundo Naturalium, Oceani legitimum, uerioremq; alueum sub perusta collocasse, abs quo profluentes sinus, qui ambitu suæ flexionis orizontem imitentur, omnem ait terrã quadrisidã diuidere, & habitationes singulas efficere insulas: ac propterea Ciceronem scripsisse, Omnem quæ incolatur à nobis terram, esse paruam quandã insulã. Quod ipsum Eratosthenes, Polybius, & Strabo quoq; approbasse uidẽtur. Sed hos Ptolemæi ratio refellit, & meminit Cõciliator. Quod de sublimi terrarum parte pluuijs inconcussa scribit Plato, id ipsum & de Olympi uertice antiquioribus proditum, & repetit Eustathius. Sed liquidius in Odyssea Homerus quoq;, etiam si recẽtiorum obseruatio secus deprehendisse uidetur, elusa ueterum ingeniorum sedulitate in pensitandis naturæ arcanis, & (quod dicitur) cornicum oculis confossis. Apud Meroen Aethiopiæ partem, æquinoctiali proximam circulo illud dicitur euenire, ut per nonaginta dies umbræ nostræ in contrarium cadant, un de Antiscios eius incolas tractus nuncupant. Neq; illud ignorandum, ab rerum peritis duo statui hemisphæria, ab æquinoctiali unum ad Septentrionẽ, ab eodem æquinoctiali alterum in meridiem. Quorum permeet quidem utrunq; sol, uerum dispari ratione, etiã si sectionis utriusq; signorum haud dissultet numerus: nam solstitiale obit diebus centũ octoginta quinq;, adnexo diei noctisq; quadrante: quod uerò brumale est, centum modò & octoginta diebus absoluitur. Quod eo fieri argumento peruincitur, quoniam orbi solis eccentron statuunt terram cælestium non incuriosi.

CAMILLI RHIDERII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros Lodouici Cælij patrui ad reuerendissimum episcopum Phil. Rouerellam Præfatio secunda.

SOlebant qui apud antiquissimos Parthorum reges, gratiorem gratiam aucupabãtur, nõ nisi aliquo suffulti munere, eorũ atria spatiari, rem quidem etsi Barbaricæ initiaturæ, ad nostrorũ tamẽ temporum præsentiã nõ illaudabiliter delapsam: ut quæ de selectiori benigniorís frontis animo, submissa interioris suæ mentis deiectione, uadimonium aucuparetur: quo ductus impulsu, ad te reuerendissime præsul accessurus, diu multumq; dubitaui, quo præuio munusculo te ueneratus obseruarem: qua defatigatus mentis ambitione uaria peragratus, in Lodouici Cælij mihi olim patrui meritissimi laboriosissimas Antiquarum lectionum lucubrationes incidi, opus etsi ab ipso antea æditum, nouissimè tamen ab ipso tanta castigatione elimatum, tantisq; additionibus suffultum, ut non quidem doctius elaboratum, aut elimatius expolitum, sed altius reformatũ noui operis nomenclaturã adipisci meritò censeatur. Quod cum pluribus ipse iam impartiendum destinasset, mortisq; sæuæ præuentus sæuitie, sua frustratus opinione, aliquas eius partiunculas gratioris patroni tutelæ frustratas reliquerit: earum unicuiq; patrocinium destinandum mihi iniunctum cognoscens, tibi eiusdem operis libellum hunc ordine quidem, expolitione autem primum dicandum decreui. Quod iure quidem, nõ minus quàm debito, faciẽdum mihi uisum fuit, ut qui amplissimam Rouerellam familiã, tot, tantisq; magni culminis decoratam insignibus tanto affectus uinculo obseruatã habuerim, ut in ipsius famulitium ascriptione mirè oblectatus cõgaudeam, eoq; maxime quod nobilissimi tui fratris, uiri nõ minus ingenij solertia, quàm doctissimæ eruditionis cultura expolitissimi, magnis in me collatis meritis, talis euaserim, ut de tãta familia preconia promulgare pro uirili semper tenear. Eoq; magis, quo mutuæ inter nos dilectionis talem nouerim obseruantiã, ut mei in te solo affectus nutu gratiorem eius intuitus benignitatem mihi satis uidear uendicare. Hoc igitur ad te destinatum munusculum, hilariori quam eius tenuior exigat genitura, alacri illa tua ingenij promptitudine, mentis perspicacia, animi magnitudine, eo gratius accipies, quo libentius ad te id destinatum adscribo, meq; magnificæ tuæ familiæ perpetuò affectum æquis respicere oculis non dedignaberis. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI SECVNDVS.

Simulacra duo nobis esse proposita, mundum, & Christum. Mundum esse tanquam rempublicam & dei templum. Angelos à deo præfectos humanis rebus. Qui mox euaserint dæmones, & immundi spiritus. Angelorum numerus. Platonis & Aristotelis ad id sententia. Cap. I

AETERVM ne quis nostra hæc putet, uelut hirundinum musea, & Archytæ crepitaculum, si diutius ijs immoremur, re in immensum quodammodo recasura, palæstra utemur ea, quã nobis præscripsimus in hoc uelut præfloramẽto, ac mox huic parti coronidem impingemus, si prius in hac mundi historia, quæ Christiana ueritas obseruarit, contexuerimus. Duo scilicet fuisse proposita mortalibus simulacra, quibus ad inuisibilia mire prorsum surrigeremur, attolleremurq; unum quidem naturæ, alterum uerò gratiæ. Et naturæ quidem simulacrum, esse mundi huius speciem: at gratiæ, humanitatẽ uerbi. In utroque præmonstrari utiq; deum, sed nõ intelligi in utroq;. Siquidem natura specie utiq; sua, uelut digito præferebat artificem, sed contemplantium oculos illuminare non poterat. At præpotentis & inenarrabilis saluatoris humanitas, lux unica, uera, bona, de unico, uero, bono manans lumine, medicina fuit, ut cæci lumen reciperent, & doctrina quoq;, ut uidentes agnoscerent ueritatem. Hæc singularis profecto est mundi excellentia, hoc præconium eximium: quod & ueterum scientissimi nõ omnino uidentur ignorasse, quãdo etiam Senecam scimus nono epistolarum ad Lucilium dixisse, Mundum sapiẽtis esse rempublicam. Quamobrem nõ uideri illum extra rempublicam, etiam si recesserit, immò fortasse, unum si reliquerit angulum, in maiora atq; ampliora trãsiturum, ac cælo impositum tunc demum intellecturum, quum sellam aut tribunal ascenderet, quã humili sederit loco. Nunquam, inquit, plus agit sapiens, quàm ubi in conspectum eius diuina humanaq; uenerunt. Idem alibi, ingens dei templum mũdum uocat. Idipsum & M. Tullius facit: quod interpretatus uir doctissimus, Bene, inquit, uniuersus mundus dei templũ uocatur, propter illos qui existimant nil aliud esse deum, nisi cælũ ipsum & cælestia ista quæ cernimus. Ideo ut summi omnipotentiã dei ostenderet, posse uix intelligi, nunquã uideri: quicquid humano subijcitur aspectui, templũ eius uocauit, qui sola mente concipitur, ut qui hæc ueneratur ut templa, cultũ tamen maximum debeat cõditori: sciatq; quisquis in usum templi huius inducitur, ritu sibi uiuendũ sacerdotis. Scribunt porrò theologorũ nõnulli, Ab initio deum quum fecisset mundum præposuisse illi quasdam cælestium uirtutum potestates, quibus regeretur ac dispensaretur mortaliũ genus. Quod etiã indicare uidetur Moyses in Deuteronomij cantico, ubi legimus: Quum diuideret excelsus gentes, statuit earum terminos secundũ numerũ angelorum dei. Sed horum nõnulli, sicut & ipse, qui princeps appellatus est mundi, datam sibi à deo potestatem, non ijs quibus acceperant legibus temperarunt: nec humanũ genus diuinis obedire, sed suis parere prœuaricationibus docuerunt, unde aduersum nos peccatorum chirographa composita: nam, ut Propheta testatur, peccatis nostris uænundati sumus, siquidem animæ suæ pretiũ capit unusquisq;, ubi uoluptatum titillationes expleuerit. Hosce uerò tum immundos spiritus, tum Christianis detestando nomine, dæmonas nuncupamus. De quibus lucubratione sequenti in medium promere pergemus, quæ de ijs ueterum ingenia prodidere, additis & nostrorum placitis, ut sese ostentarit occasio. Sed interim illud minus hic prætereundum, Angelorum numerosam uideri à deo seriem productam: quia Danielis septimo ita dicatur, Milia miliũ ministrabant ei, & decies cẽtena milia assistebãt ei. Verũ hic amplius attendendũ, In angelis non dici numerum, ut est discreta quantitas, ex continui diuisione

diuiſione producta, ſed ex formarum diſtinctione potius, quando inter tranſcendentia cenſetur multitudo. Sed enim & parte hac cum antiquioribus aliquandiu confabulari, haud operæ fuerit uacantis. Subſtantias quidem ſeparatas cenſuit Plato, eſſe rerum ſenſibilium ſpecies, ueluti ſi naturam concipias humanam eſſe diſparatam. Quo poſito, con ſequens eſt, ſubſtantias utiq; ſeparatas rerum ſenſibilium aſſequi numerum. Id quod Ari ſtoteli improbabile fit, quoniam ſit materia de ſenſibilium ſpecierum, ut ſic interim loquar, ratione. Proinde non poſſe ſubſtantias ſeparatas cenſeri ſenſibilium exemplares ſpecies, uerum eſſe eminentioris cuiuſdam naturæ. Idem tamen Ariſtoteles, naturas haſce perfectiores ordinem ſtatuit ſenſibilium reſpicere, mouentis ratione, ac finis. Propterea ex numero motuum primorum ſubſtantias coaptat ſeparatas. Quod noſtrorum patrum decretis, & ueritati inconcuſſæ fidei diſſentaneum ſancimus omnino.

Dæmonis nomen fuiſſe ueteribus honeſtum, nobis non ita. Cur Ariſtoteles dicatur dæmonios, & Plato diuinus. Qui à ueteribus dæmonij dicantur.

Caput II

DAemonis nomen in Chriſtiana religione odioſum ſanè, infeſtumq; eſt, non ita ueteribus: quippe quod poſtea patebit amplius, eiuſmodi nomenclatura deus quandoq; ſignificatur, & pro admirabili & immenſo dæmonium uſurpat Græcorum natio: ſed quibuſdam quoque, ut Ariſtoteli, adhæſit dæmonij cognomentum: nam quod non inſuper habendum utiq; eſt, Platonem ſingulari ſapientia philoſophum omnibus ferè calculis ab ueterum ſcientiſſimis ita approbatum, ſummisq; elatum præconijs legimus, ut diuinum uirum appellare non deſinant, præſertim in ea philoſophiæ parte, quæ diuinorum rationes cõplectitur. In qua & operæ multum, nec olei minus ab eo impenſum, compertius eſt quàm ut demonſtrari res debeat. Quin in ijs quæ ad naturæ modum ſpectant, plures quoq; in eius ſententiam procliuius feruntur, quàm Ariſtotelis. Et ut arbitri honorarij, quanquam noſtrum non ſit onus, uice fungamur, Omnino in philoſophia prima, & in ijs quæ mathematicas requirunt demonſtrationes: in oratoria item facultate, ac in morum diſciplina plericq; omnes ueluti omnium principem ſuſpiciunt Platonem, ueneranturq;, etiam ſi flumen orationis aureum fundi ab Ariſtotele, auctor M. Tullius eſt. Proinde inſtitutum, ut ab utriuſq; conſectatoribus diuini ſymbolũ Platoni, dæmonij uero Ariſtoteli affigeretur: ceu innuerent operte, tanto Platonem uideri Ariſtotele præſtantiorem, quanto naturalibus diuina cenſentur auguſtiora, amplioraq;. Vt præteream quod Græci ſcribunt, & repetit Seneca, Athenis raptim Ariſtotelem profugiſſe, ueritum ne impietatis nomine in uincula cõiectus ultimo afficeretur ſupplicio. Appellationis autem ratio profluxiſſe uidetur inde, quod naturalium ſcientiam in primis complexus Ariſtoteles eſt, quorum ratio ſublunari ferè continetur mundo, qua in parte (ſicuti mox liquebit) dæmonibus præſcripta putabant loca. Plato uero altius ſeſe ſurrigens intelligibilium contemplationi addictus comparem uitæ, morumq; normam eximia integritate conſecutus eſt: ſpretisq;, quæ cæteri uſq; ad inſaniam demirantur, quod in nobis diuinum eſt, ad id diuinum, quod ſolum uereq; eſt, redigere omnibus (ut dicitur) remis uelisq; adnitebatur. Hinc diuini cognomentum longe clariſſimum, uulgò celebratum illuxit. Auctor allegoriarum Heſiodi Ariſtotelẽ nuncupat δαιμόνιον. Plutarchus tamen in libro De liberorum inſtitutione, Platonem quoq; dixit δαιμόνιον: ſed in artibus item Dionyſius Homerum δαιμονιώτατον appellare ſibi permiſit. Adnotatum ab rhetore ſcientiſſimo, dæmonium à diuino apud oratores differre nihil, ſed dici ἐλλ παραλλήλου, ſicut Olynthiaca ſecunda apud Demoſthenẽ. Sciendum uero, dæmonij appellationem ἐπαμφοτερίζειν, id eſt capi nunc in bonũ, nunc in malum, præcipue apud Homerum, abs quo reges dici dæmonios nouimus, uelut eudæmonas. Plebeios item, priuatosq;: ſed ut δυσδαίμονας, infelicesq;, quoniam mediæ poteſtatis ſint dæmon, & fortuna. Sed iam de dæmonibus plura.

Rationalis naturæ gradus eſſe tres, deorum, dæmonum, hominum. Dæmones cur. Item eoſdem dici Lares, ac Genios. Dæmonum deſcriptio. Qui Medioxumi, Patellarij, Semones, Heroes, Manes, Pluto Sumanus, Sangus, Popi, Diopi, Stenopos, Stenoparchæ. An angeli omnes ſint ſpeciei unius. De Dionyſio Areopagita carptim.

Cap. III

Illud

ILlud uerò in primis teſtatum uolumus, in negotiatione (ut ſic dicã) iſta Platonem ipſum Platonicoſq; plures nos eſſe amplexuros, quoniam inter cæteros hi maxima curæ indagine dæmonum rationem ſcrutati ſunt, non diſcluſis tamen, aut reiectis, quæ apud alios comperta legendi appetentiam conciliare, aut laſſeſcentem ſtomachum excitare ac reficere poterũt. Igitur Platonem animaduerto rationalis naturæ gradus feciſſe tres, non dignitatis tantum maieſtate interpunctos abiunctoſq;, ſed etiam locorum intercapedine. Ergo immortalibus diis ſummatem attribuit ſedem, ideſt cæleſtem. Sed horum alios dici, & eſſe intelligibiles, ab omni materiæ contubernio ſemotos: quorum parens princepsq; is ſit, quem rerum conditorem opificemq; ueneramur, maieſtatis amplitudine ultramundana, ſanctum & humano ſermone inenarrabilem, ac ne mente quidem facile apprehenſibilem. Quiſquis eſt is, aut quantuſcunque, unus eſt: uerus, bonus: ueritas una, bona: bonitas una, uera. Cæteri non tam dij, quàm miniſtri. Viſibiles deos intelligit cæleſtia corpora. Atq; hic gradus utique unus, qui & primus. Imum uerò tenet, numiſma præcelſæ diuinitatis eximium, homo. Cuius eminentiſſimam naturam, cælitibus ferè comparem paulo poſt latius explicare ingrediemur. Medium uerò inter hoſce extremos gradum, ab lunæ collimitio ad nos uſque expanſum iam habent quos ab ſcientiæ magnitudine priſci dæmonas uocarunt. Sed M. Tullius Lares, etiam ſi in eo ſatisfacere uix ſibi uidetur. Apuleius nunc Lares, nunc Genios nuncupat. Hos tanquam interpretes quoſdam, & ſalutigerulos arbitrati ſunt priores: qui concepta à nobis uota ad deos deferrent, & illinc ad nos diuina munera, ueluti μεσίτας quidam, & pararij. Ad hos item magica excantatio, & præſagiorum ſpecies referebantur: quod in Sympoſio docuit Plato. Romæ uicus fuit larium ruraliũ, quod docuit P. Victor. Verum & L. Aemylius Regillus Antiochi claſſe profligata, laribus permarinis ædem uouit, quæ annis quadraginta poſt dedicata eſt. Plutarchus in libro De philoſophorum decretis, nimis præciſe, cuiuſmodi forent dæmones, deſcripſit, quum ait: Thales, Pythagoras, Plato, Stoici dæmonas eſſe ſanxerunt ſubſtantias animales: ſicuti heroas, ab corporibus amotas animas. Floridius multo Apuleius: Dæmones, inquit, animalia ſunt ingenio rationabilia, animo paſſiua, corpore aeria, tempore æterna. Mox adijcit, Paſſiuos dici, quoniam ijſdem quibus nos, perturbationibus ſint obnoxij. Hoſce Romani ueteres Medioxumos item nuncuparunt, quod interſiti ex ſui ratione, ac loco, & poteſtate diis ſummis ſint minores, hominum natura, uelut complacitum antiquis eſt, utiq; maiores. Propterea Plautus in Ciſtellaria:

Ita me dij, deæq; ſuperi atq; inferi & medioxumi.

Apud eundem quin etiam Patellarios dici comperias deos, qui patellis, ſacrificio uaſis accommodis, placarentur. Propterea in Faſtis Ouidius:

Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos. Plautus:

Dij me omnes magni, minutiq; & patellarij.

Vt ſalinum, inquit Liuius, & patellam deorum cauſa habere poſſint. Semones dici putant, eos qui ab aeris meditullio quicquid interpatet ad terram uſq;, habent. Quos credit Martianus, ἡμιθεὸς dici, hoc eſt ſemideos: heroas quoque, ſicut Iamblichus item ſignificat: quoniam, inquit, ἥρων ueteres dicebant terram. Ibiq; manes, ideſt corpori humano præſules attributi, qui parentum ſeminibus manarunt. Heroas fuiſſe iracundos, & occurſantibus infeſtos, cuiuſmodi κακοῦχους uocant Græci, Menander ſignat, proinde prætereuntes heroa ſilentium mire ſeruabant. Hoſce tamen κρείττονας dicebant, ideſt meliores: forte diritatem ſic mollituri. Scribit Ioannes grammaticus, heroas illos credi patre deo natos, mortali uerò matre, qui theoretica & rationali ſint uirtute præditi. At qui opifice actiuaq; pollent uita, hoſce dea prognatos uolunt. Porrò nuncupari item heroas, ἀπὸ τῆ ἀρετῆς, quando ita canit Orpheus: μητρὸς δ' ἡρώων ἀρετῶν κλυόντες. Porrò quicquid ab luna ad terram interſtitij eſt, Plutonis imperio aſcribitur: qui inde Sumanus dicitur, quaſi ſummus deorum manium. Sed lunam in uicinia conſtitutam, Proſerpinam appellarunt. Semones Fulgentius non omnino malus auctor, eſſe deos opinatur, qui cælo digni non cenſerentur ob meriti paupertatem: cuiuſmodi eſſet Priapus, Hippo, Vertunnus. Nec terrenos tamen putarent per gratiæ uenerationem: ſicuti in Myſtagora ſcribit Varro, Semoneq; inferius derelicto, deum depinnato attollam eloquio.

In ciuitate diuina Augustinus Semonem dici Ianum sentit, quod seminio præsit, dum concipitur infans. Semonis Iani meminit ab Vrbe condita libro octauo Liuius, quanquam alij expuncta lectione ista, substituant Sabino Sangi, ex Dionysio, qui Antiquitatum secundo, Sabinorum genti inditum nomen scribit ex Sabino Sangi diui gentilis, quem Sangum quidam Pistium uocent. Sangi sacellum Vrbis regione septima statuit P. Victor. Sunt qui Dryopum lingua Popos dici dæmonas arbitrentur. Omnino qui Homero posteriores sunt, etiam deos ea uoce significari putant, ut sint Popi quasi Ipopi, ex ueterum doctrina, ὡς τὰ πάντα διοπτεύοντες, id est omnia dispicientes. Sicuti indidem corriuatur & Diopos, quæ dictio apud Aeschylum ducis est peculiaris, id est ἡγεμονική. Stenopos autem angiportum signat, unde Stenoparchos dici, auctor est Dion, qui aduersus incendia constituebantur ex plebe, quibus uestę uti permissum est principali, & duos habere lictores in locis sui iuris. factum hoc imperij stationem tenente Augusto. Apud Græcos πόποι παπαῖ, commiserationis censetur uox. Sed Appion dæmonas intelligit. Hinc sanè admoneor Varronis lucubrationẽ titulo æditam πόποι παπαῖ. Etiam si in Nonij codicibus passim legitur, papia papæ. Nec obstrepat hic argutior aliquis, rideatq; ineptius ueterem hanc dæmonum diuersitatem, quando & in angelis peruincere eandem possumus. Siquidem in ijs quę speciei censentur unius, haud prius inuenias & posterius: quod ex Metaphysices tertio amplius dilucet. In angelis autẽ uel decuriæ unius, & primos comperias & medios & postremos: quod ex Areopagita Dionysio est, Angelicæ hierarchiæ capite decimo. Proinde colligendum, non esse speciei unius omnes angelos. Quod Dionysium aduocauimus, sciendum amplius, doctis ambagiosum fieri, ecquid ex Areopagitæ officina prodierit lucubratio ea, quando tres leguntur Dionysij.

Esse item in sphæris quorundam sententia dæmonum ordines. Prouidentia triplex. Quomodo ab dæmonibus afficiamur. Qui dæmones naturales, quiq; aduentitij. Dæmonum præfecturæ. Item dæmones esse tanquã pastores. Ca. IIII

Sed in hac dæmonum distinctione id utiq; minus ignorandum, Ex ueteribus pleroscq;, præter quæ hactenus collecta nobis sunt, etiam singulis planetarum globis peculiares ascripsisse dæmones, ueluti stellas, ita planetæ illi famulantes, in cuius orbe sunt, ut in firmamento stellæ minores ab illustrioribus gubernantur. Inde Saturnij leguntur dæmones, aut Iouij, & deinceps. Immo uerò inter Saturnios esse, qui præstent alijs in globo eodem. Quod & in cæteris intelligunt, quemadmodum inter homines nõ omnium eadem ratio agnoscitur fortunæ. Orphici terrestres etiam dederunt dæmones: sicuti etiam aquei dicuntur, & ignei. Tradunt porrò qui hæc curiosius peruestigant, esse ab summis ad infima ueluti catenas quasdam extensas. Nam stellarum quælibet dæmones suos tanquã asseclas certis afficit modis. Sed eadem item ratione ab dæmonibus animæ afficiuntur, ab suis utiq; suæ. Id ut facilius percipiatur, prouidentiam Platonica schola in tria distribuit, Vniuersalem, minus uniuersalem, & demum particularem. Et uniuersalem quidem ad tria refert principia, quorum & superius facta nobis mentio est, Bonum, intellectum, animã mundi: qua omnibus, & omnia prouideant. Minus uniuersalem, ad sphærarum, stellarumq; animas: quando harum una quæq; omnium quidem rationem habet, sed non in omnibus tamen. Particularem uerò dæmonum esse uolunt, qui quædam non omnibus, sed quibusdam gratificentur. Quanquam & in humanis animis prouidentia particularis est ad inferiora. Igitur pro loci ratione nobis non uno modo fomenta adijciunt: siquidem ignei dæmones contemplandi excitant potentiam, aerei uitæ fauent actiuæ, aquei uoluptuosæ. Hos Plato scribit à primordio, malorum plurimis uoluptatem immiscuisse. Porrò dæmones quidem omnes esse affectu passiuos: superiores uerò, mediosq; etiam immortales: infimos duntaxat longæuos, qui ex terræ uicinia terrena etiam titillentur libidine, nimiamq; habeãt cum sylua communionem, quam sanè malignã animam ueteres dictitabant. Asseritur & illud, Dæmonum alios esse (ut sic dixerim) indigenas, aduentitios alios: & indigenas quidẽ uolunt, qui sint initio sic producti: aduentitios autem, qui ex humana ratione mox inter dæmonas sint centuriati, ac nihilominus humana curent. Quod uerò ad dæmonicas attinet præfecturas, alij latissima procurant terrarum spatia, alios detinent angustiora: quidam

dam urbibus modò præponuntur,aut ex hominibus ſingulos tantum amplexãtur. Atq́ hinc Saturnium alius, ille Iouium, hic quemuis alium dicitur dæmonem ſortitus:ſicuti etiam unumquenq́ noſtrum credunt ſuo(ut ſic dixerim)ſyderi mancipari: quæ utiq́ dæmonica ratio atq́ cæleſtis,non in homine tantum efficax putatur, ſed & in cæteris naturæ partibus. Nam ſæpe animal hoc uel illud ſolare dicimus,aut Iouium: ſic & in plantis, lapidibusq́. Certe Plato dæmonicam poteſtatem, ut conciliatricem in Sympoſio, & Legibus admiratur. Propterea in Protagora & Politico,dæmonas ut paſtores recognoſcit:in Critia, etiam gubernatores. Quibus nos diuina prouidentia commendandos cenſuerit, ueluti moderatoribus, qui nos tum diuinationibus plurifariam, tum oraculis adiuuarent.

Dæmones an habeant corpus:item angeli. Corporum genera quinq́. Nereides quæ ſint. Qui,& ubi uiſibiles dæmones. De Glauco interim. Ca. v

AN uerò dæmones huiuſmodi,ſiue bonos intelligas, ſiue malos, habeant corpus, poteſt uideri quæſtione nõ indignum:ac ſi Apuleium audimus,non omnes habent,ſiquidem in Socratis dæmonio ita ſcribit, Genus aliud auguſtius animo dæmonum,qui ſemper à corporeis compedibus,& nexibus liberi procurantur certis precatibus:quorum è numero Somnus atq́ Amor. Vbi uerò ſtatuit Heſiodus dæmonas,hominum cuſtodes, ἀέρα ἐναμμένους, ideſt aere conueſtitos: inquit Proclus ideo dictum,quia nos lateant,ſintq́ inuiſibiles, ſicuti aer:uel quoniam aerea ſint eorum corpora,ſicut deorum αἰθέρια, ideſt ignea,hominum autem terrena. Pſellus dæmonum naturam non putat eſſe ſine corpore, quando (inquit) ſunt qui fateantur, dæmones ab ſe cum corporibus uiſos. Quin & magnus Baſilius non dæmonibus modo,ſed puris etiam angelis corpora tribuit,ueluti ſpiritus quoſdam tenues & aereos atq́ puros. Cui Dauid aſtipulari uidetur,quum ait,Qui facit angelos ſuos ſpiritus,ac miniſtros ſuos flammeos. Sed in Ciuitate dei Auguſtinus ait, Qui facit angelos ſuos ſpiritus: ideſt eos qui ſpiritus ſunt natura,facit eſſe angelos. Eandem quoque aſſerit Pſellus idem apoſtoli Pauli fuiſſe ſententiã,quoniam ſic commodius locum permutent, quieſcant, item ſine fallacia ſenſibus ſe offerant. Sicubi uerò in ſcriptura legantur incorporei, reſpondendũ, eſſe moris,corpora quidẽ craſſiora corporea nominare: quæ uerò prætenuia ſunt,quæq́ aſpectum tactumq́ effugiunt,incorporea dicere. Non idem tamen uidetur angelicum, & dæmonicum corpus. Illud enim radiat, & nequit oculis ſuſtineri: dæmonicum uidetur aliquando fuiſſe eiuſmodi,quoniam Eſaias angelum nominat Luciferum, qui lapſus eſt. Nunc certe obſcurum tenebricoſumq́ eſt. Angelicum quidẽ corpus, omnis expers eſt materiæ. Etiam ſi in libro Fontis uitæ Auicebron angelos prodit ex materia concinnatos & forma:quoniam ubicunq́ proprietates inueniantur materiæ, ibi inſit & materia. Proprietates autem materiæ ſunt,recipere,ac ſubſtare. Propterea in libro De trinitate Boethius,Forma ſimplex,ſubiectum eſſe nequit. Sed in angelo compertum hoc eſt, quare conſecutio manifeſta. Niſi quod modus idem non eſt, quo recipit intellectus, & quo materia. Formam ſiquidem recipit materia,ut ex ea in ſpecie conſtituatur aliqua uel aeris,uel ignis,uel rei alterius. Verum ratione alia formam intellectus recipit: alias uerum probaretur quod prodit Empedocles, Terram terra cognoſci, ac igne ignem. Intelligibilis forma in intellectu eſt ſecundum ipſam rationem formæ. Ita enim ab intellectu cognoſcitur,proinde receptio eiuſmodi,materiæ haudquaquam receptio eſt,ſed immaterialis ſubſtantiæ. Verum ad rem. Dæmonica corpora quodammodo materialia cenſentur,& ſubiecta paſſioni,præſertim quæ ſub terram intruſa ſunt. Itaq́ pulſata dolent, & igne admoto exuruntur,cinere item conſpicuo, quod in Thuſcia quandoq́ factum, proditur memoriæ. Sed,ut hæc expendantur exactiore libra, Corporum (quod ad hanc ſpectat rationem) inuenio ſpecies quinq́. Eſt quidem corpus unum,& id primũ, quod igne tãtum conflatur. At ſi ignis ille uiſui ſubijciatur,ſydereum corpus dicitur: ſi uiſum non patiatur,dæmones ſunt:quos igneos dicit Orpheus,aut cæleſtes. Altera ſpecies corporum eſt,quæ ignis aeriſq́ nexu attemperata ſunt: & hi ætherei uel aerei nuncupantur dæmones,eodem Orpheo docente. Quod ſi aqueum quiddam,ueluti tenuius ferrumen acceſſerit,tertium conſurget genus dæmonum, qui nominantur aquei: qui quandoq́ etiam percipi poſſunt uiſu, ſi denſius paulò ſubactum corpus ſit. Vbi autem terræ

aliquid addatur, ſed non adeò craſſum, terreni iam efficiuntur dæmones. Poſtrema ſunt iam humana corpora, ſpiſſitudine craſſiora obeſioraq;. Aqueos dæmonas in Perſide atque Aphrica uiſitari præcipue, Zoroaſter exiſtimat: eos Nereidas uocauit Orpheus. adijcit tamen Porphyrius, illos dæmonas ſolum uideri, in quorum corporibus præter aquæ uaporem, ignis abundet. Idq; in Oriente contingere, atq; meridie. Glaucum quoq; eſſe marinum dæmona Græci ſcribunt, hunc eſſe Melicerten interpretatur Nicanor. in primo Aetolicorum ſcribit Nicander, Apollinem ab Glauco diuinandi ſcientiam eſſe conſecutum. Porrò, quod obſeruatione dignum eſt, Auguſtinus aſtruere uidetur, Angelos omnes ante confirmationem, uel lapſum corpora habuiſſe aerea, ex puriore ſuperioreq; aeris parte conformata. Cæterum ad faciendum idonea, non item ad patiendum. Taliaq; etiamnum bonis angelis conſeruata, quæ uiſum tamen non patiantur, ni craſſamenti quippiam fuerit inductum. Malis uerò angelis in lapſu demutata fuiſſe corpora in aeris ſpiſſioris qualitatem, ut igne poſſent torqueri. Super Geneſin Auguſtinus idem ſic fermè prodit, Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura uigent, nec per mortem diſſoluuntur, quoniam prævalet in eis elementum ad faciendum aptius, quàm ad patiendum. Patientiæ quidem, humor terraq; congruunt maximè: ad faciendum uerò, aer ignisq;. Verum ne quid diſſimulem: in ſecundo Sententiarum adnotatum animaduerti, hæc de aliorum ſententia fuiſſe Auguſtino conſcripta: quoniã Chriſtianæ ueritatis ſectatores complures conſpiratu cõſono prodiderint, Angelos eſſe incorporeos, aſſumere tamen quandoq; corpora, ut exequantur ab optimo maximo deo iniuncta, quibus mox exuantur. Beatus item Thomas quæſtionis propriæ articulo primo, Auguſtinum ſcribit Platonicorum opinionem explicuiſſe. Origenem quoq;, ut in alijs item, eſſe deceptum, ubi in libro περὶ ἀρχῶν Deũm patrem modò tradit, & filium, ac ſanctum ſpiritum, nullum habere cum materia commercium. Quòd ſi Gregorius angelũ uocat rationale animal, id per metaphorã dictum exponit, ex rationis ſimilitudine. At Damaſcenus angelum ſcribit ſubſtantiam eſſe intellectualem, ſemper mobilem. Nihil autem mouetur, niſi corpus: ſicuti Auſcultationis phyſicæ libro ſexto probat Ariſtoteles. Verum ita prorſus aſtruendum, In angelo motum ita accipi, ut intelligere, ac uelle, motus quidam ſunt. Ex quo angelus ſubſtantia finitur ſemper mobilis: quia ſemper actu intelligit, non quandoq; actu, quandoq; potentia, ut nos. Porrò circunſcribi terminis localibus, eſt corporis quidem proprium, ſed terminis circũſcribi eſſentialibus, creatis promiſcuum eſt omnibus. Propterea in libro De ſpirituſancto Ambroſius, Licet quædam locis non contineantur corporalibus, circunſcriptione tamen ſubſtantiæ non carent. Vbi uerò Bernardus ait, ſpiritus creatos indigere inſtrumẽto corporeo: intelligendum, non naturaliter adglutinato, ſed ad aliquid aſſumpto. Denique in diuinis nominibus Dionyſius, incorporeos eſſe angelos, conſtanter affirmat. Amplius adnotanda nihilominus ex ſecundo Moralium Gregorij uerba: In hoc, inquit, eſt nunc natura angelica ab noſtræ conditionis naturæ proprietate diſtincta, quod & nos loco circunſcribimur, & cæcitatis ignorãtia coartamur. Angelorum uerò ſpiritus loco circumſcribuntur quidem, uerum eorum ſcientia longè ſuper nos propagata differtur: interius quippe, exteriusq; ſciendo diffuſi ſunt, quia ipſum ſcientiæ fontem cõtemplãtur. Quid enim de his quæ ſcienda ſunt neſciant, qui ſcientem omnia ſciunt? Eorum itaq; ſcientia noſtræ quidem cõparatione exuberãtius excreuit. Quæ tamen ſi diuinæ componatur, arctius euadet anguſta. Sicuti & ipſi illorum ſpiritus corporum utiq; noſtrorum cõparatione ſpiritus ſunt: at ſummi cõparatione, ac incircunſcripti ſpiritus, ſunt corpus. Mittuntur igitur, & aſſiſtunt: quia per hoc quod circunſcripti ſunt, exeunt: & per hoc quod inter quoque præſentes ſunt nũquam recedunt. Faciem ergo patris ſemper uident, & ueniunt ad nos tamen, quia & ad nos ſpiritali præſentia foras exeunt: & tamen ibi ſe, unde receſſerunt, per internam contemplationem ſeruant.

Dæmones eſſe ſemine fœcundos, & coire: angelos bonos miníme. An angelus dicatur de homine. De gigantibus interim. Dæmones qua ratione uarias exhibeant figuras. Quæ ſint Naiades, Dryades, Onoſceli. Cur quidam dæmones ingerant ſe puerperis. Mirum peſtilentiæ genus Conſtantinopoli.

Cap. VI

Marcum

MArcum quendam in Cheroneſo, Græciæ contermina fuiſſe legimus, qui genus ſuum in Meſin fluuium referebat, homo ſolitudinis præcipue amator, & dæmonũ cultor eximius, quo nomine de illorum natura pleraq; perſecutus, aliis etiã eſt impertitus, ſicuti illud, Dæmonas non pati ſolum, ſed ualde utiq; pati. Quin eſſe item ſemine fœcundos, idq; generandi ſtudio effundere, ſuccreſcereq; inde animalia quædam modi non magni: habere enim genitalia, ſed neutique noſtris ſimilia. Porrò quia excrementitium quiddam effundant, connutriri quoq;: alios quidem inſpiratione, alios etiam humore: uerum non ore, ſicuti nos, immo uero ut ſpongiæ atq; oſtrea. Nec tamen dæmones hoc omnes pati, ſed qui materiæ coniunctiores ſint, quiq; lucifugæ intelligantur, aquatici atq; ſubterranei. Hinc Auguſtinus multos tradit, experientia magiſtra didiciſſe, Syluanos & Faunos, quos uulgò Incubos uocent, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, earumq; appetiſſe, ac peregiſſe concubitus, & quoſdam dæmones, quos Galli Duſios nuncupent, hanc aſſidue fœditatem tentare. Adijcit tamẽ, ſe hic nil admodum temere auſum affirmare, Angelos uero dei ſanctos ea turpitudine inquinatos, non credere. Sunt qui affirment (de Chriſtianis loquor) genitalem humorem à dæmone profuſum, haudquaquam ipſius percoqui natura, quod animantibus obtingit, ſed excipi à uiro, cui ſe ut fœmina ſubiecerit: qua ratione uatem Merlinũ eſſe genitum, Britannorum hiſtoriæ memorant. Quum uero legimus Geneſeos ſexto, Angelos dei uidentes filias hominum quòd eſſent pulchræ, accepiſſe uxores ſibi: non accipiendum (inquit) eſt, ita illos eſſe angelos dei, ut homines non eſſent, ſicut putant quidã: nam homines fuiſſe, ſcriptura ſine ambiguitate declarat, quando dixit deus, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus his in æternum, propterea quod caro eſt. Sed & homines dei angelos fuiſſe nuncupatos, ex eiſdem literis teſtatiſſimum eſt: nam de Ioanne legimus, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Et Malachias propheta angelus item dictus eſt. Fallit autem quoſdam, quod ex illis qui dicebantur angeli dei, nati, ac propagati feruntur gigantes, ueluti hoc humanum non ſit. Quum tamen paulo ante Goticam uaſtitatem Romæ uiſa ſit fœmina, quæ corpore quodammodo giganteo longe cæteris præeminebat, quod eo mirabilius eſt uiſum, quoniam uterq; parens nec ſaturoſorum quidem hominum proceritatem aſſequebatur. Sed redeo unde ſum digreſſus. Nullus, inquit Marcus idem, dæmon mas cenſendus eſt, uel fœmina: hæc enim interſtitia, & ſexuum diſcernicula ad compoſita pertinent: dæmonum uero corpora ſimplicia ſunt, ductu, flexuq; facilia, ad omnemq; configurationem apta naturaliter. Etenim ſicuti nubes nunc hominum, nunc cuiuſcunq; uiſitationem faciunt, conſimiliter & dæmonum corpora, ut collibuerit, uarias concipiunt figuras, qua ratione uirum modo præferunt, modo etiam fœminam. Infremunt quandoq; ut leones, ſaltant ut pardalis, latrant ut canes. Nec tamen tot ac tam uaria, unumquodq; dæmonum genus perfecerit. Nam igneis aereisq; facile huiuſmodi ſuppetit facultas: ſiquidem in id ſe nullo negotio conformant, quod imaginatio conceperit. Tenebricoſi uero dæmonis phantaſticum anguſtijs fluctuans eam neſcit diuerſitatem: corpore item inagili, minimeq; actuoſo. Aquei, necnon terreſtres in horum meditullio cõſtituuntur. Sed qui in aquis agunt plurimum, ex elementi mollicie aues ferè ac mulieres aſſimulant. Ex quo genere ſunt celebratę poetis Naiades, Nereides, necnon Dryades. Qui uero inaquoſa & arida frequentant, corporibus areſcentibus: cuiuſmodi onoſceli pernoſcuntur, qui ſunt aſininis cruribus, hi ſe ſe mares plurimũ exhibent, interdum quoq; leonem ac canem induere uidentur. Quare non ita mirum, ſi quandoq; puerperis fœminea ſpecie ingeratur dæmoniũ, quod adulterum ſit, & impuris humectationibus afficiatur plurimum. Cæterum id hac parte haud prætereundum utiq;, debacchari amplius quandoq; Conſtantinopoli cœpiſſe nouum inopinatumq; peſtilentiæ genus. Quod apud Peluſiotas Aegyptios inortũ primo, craſſari mox latius adortum eſt. Eius mali hæc ferè habebantur initia: Dæmonum terriculamenta ſpecie humana miſeris ingerebant ſeſe ita, uti ab hominibus incuti ſibi plagas opinarentur, quibus occurſaculi id genus obijciebatur: erantq; ea orientis mali uelut procœmia. Quibus aueruncandis nullis prorſum amuletis opus erat, uel (ut aſſolet) myſticis, ſacriſq; uerbis: ſed uelut lymphati, ac arreptitij, uocantes nec audiebant, etiam ſi in arcto aſſeruarentur. Per quietem obtingebant hæc quandoq;, inhorreſcebat febris, ſed

ta,uti nec color demutaretur,neq; inſitus item calor:nam nec inflãmatio, ut fit, perſentiebatur,uerum tuſſis infeſta erat, nulla diſcriminis ſpecie. Tubercula ſeſe oſtentabant, ſed non eodem tempore omnibus,nec eodem loco. Quibuſdam profundior obrepebat ſomnus:aliis dementia cum rerum omnium obliuione, ut in cibi neglectu conficerẽtur, ac furentes è lecto ſeſe proriperent,ut ſe daturi in præceps, aut ſitis ardore flumina petituri. Morbus tamen hic contagioſus haud fuit.

Dæmones mali. Dæmonũ è cælo lapſus. Quem Ates nomine intelligat Homerus. Trygodæmones qui ſint,& Sorodæmones. Couali. Soroadios dæmon. An dæmones ſint naturaliter mali. Cap. VII

DAemones quidem omnes, CHRISTI cultus, tanquam malos (ut diximus) abdicat:illorum commercio nullatenus utendum cenſet: quando,ut in Apologetico teſtatum reliquit Florens Septimius, Dæmonum operatio,eſt hominis euerſio. Græcia non ita multos dæmones damnandos putat. Addit,nec hos quidem eſſe ex propoſito tales. Sed quod ab condito æuo rerum diſpenſatio ea ſit ratione inſtituta, ut animæ impuræ carnificina (ut ſic dixerim) iniungeretur. Cuiuſmodi dæmonum opera magica uanitas impendio uti aſſueuerit, aduocans in aſpectũ imaginarium,& multa itidem imaginaria ſpectantibus obijciens. Verum de boni malicq; dæmonis diſcerniculo plura mox. Nos in literis interim antiquioribus ab Pherecyde traditum obſeruauimus, Dæmonas olim cælo lapſos, quod noſtra continet doctrina, Ophioneumcq; nuncupatum,hoc eſt dæmonicum ſerpentem, qui anteſignanus fuerit agminis, ab diuinæ mentis placito deficientis. In myſterijs exploratum illud quoq;:Iouem quandoq; dæmones inferiores ad inferna deturbaſſe. Adde, quod & Pythagorica doctrina hoc ipſum ferè opertius referre animaduertitur,dum fractis alis animam labi è cælo fingunt:incq; nouem diſtribuunt gradus,tanquam nouenarium angelorũ chorũ. Quin & in ſermone,qui eſt de fœnore, Plutarchus, Empedoclem eiuſmodi dæmonũ lapſum nouiſſe,ſignificat,ubi ait,Semel fœnore illaqueatum euadere nõ poſſe,uerum oberrare, perinde ac dæmones à deo fugati, eq; cælo dati in præceps apud Empedoclem. Quos æther ad maris ima deturbarat,illo ad terram reiectante,hacq; rurſus extimulante inaltum,qui illinc mox aliò contruderentur. Verum & illud ſingulari dignum admiratione, poetarũ principem Homerum, Beſſarionis calculo,dignitate cardinalis,doctrina uerò & claſſici & eminẽtiſſimi: Ates,ideſt ἄτης,nomine, quam interpretamur noxam uel detrimẽtum, Luciferi de cælo lapſum,uel naturæ eminentioris ſublimitate, uel quod Moſaica introſpexiſſet modo aliquo ſacraria,neſcientibus prẽmonſtraſſe,quum Iliados undeuiceſimo ita canit de ipſa hac Ate,

ὣς ἐπὼν ἐξίνιψεν ἀπ' οὐρανὸς ἀστερόεντος
Χερὶ ποδὸς ἑλκήσας, τάχα δ' ἵκετ' ὀξὺ ἀυτήσας.

Platonici arbitrantur,ſeptentrionales dæmones eſſe malos:idipſum & Hebræorũ aſtronomi comprobant,qui Martios,noxioſq; in Septentrione locatos tradunt:propitios autem,& Iouios in meridie. Iamblichus porrò ſcribit,Imaginum fictores à dæmonibus malis occupari ſæpius,atq; falli. Ex quo,ut feſtiuius aliquid interim appingamus: Trygodæmones, apud comicum Ariſtophanem in Nebulis, dicuntur poetæ, quod fecibus quas Græci τρύγας uocant,faciem collinere conſueti in uijs curribus inſidentes, ne cognobiles fierent, poemata concinebant, cauillis probriſue laceſſentes qui præterirent: quod erat ſuum Comicorum. Proinde (inquit interpres) inſtitutum, ut quiſquis impudenter nimis cõuitiando iniurius eſt,de curru loqui dicatur. Plutarchus in ratione liberorum inſtitutionis, Senes hiſce cõuitijs proſciſſos tradit, ut χρονόλεροι uocarentur, ideſt ætate deſipientes:& Sorodæmones, hoc eſt ſepulchrales laruæ. Erant & dæmones quidam Dionyſiaci,quos nuncuparunt κωβάλους, aſperi & immites:quanquam & Coualos dicebant,qui luſu aſſimulato fallerẽt:ut ſcribit Harpocratio, meminit Philochorus: ſed & Ariſtoteles octauo De animalium hiſtorijs,Otum eſſe ſcribit Coualum, etiam ſi luxatis (qui modò circunferuntur) Græcis codicibus,& imitandi ſtudio teneri,atq; ita ſaltantem capi. Plinius paraſiticum tranſtulit, Theodorus blateronem hallucinatoremq; ſed & eo uerbo ſignant Græci prædonem aut ſicarium, ab genere gladij quem κοπίδα uocant. Apud Indos colebatur dæmon Soroadios, quod in linguam Græcam tralatum

uerbum

uerbum,cœnopœum ſignat, ſeu οἰνοποιὸν, ideſt uini factorem. Cæterum id forſan quæſtione uideatur dignius:Sint ne dæmonum aliqui naturaliter ac ſuapte ui omnino mali, quando ſcribit Porphyrius,Eſſe genus dæmonum fallax natura, quod deos effingat, & defunctorum animas.Porrò ſicuti à deo creati ſunt angeli, ita & homines: uerum ex ijs quoſdam naturæ ui eſſe malos, palàm fit. Nam hinc eſt ex Sapientia illud: Erat eorum malitia naturalis.Proinde angelis poſſe ipſum hoc obtingere, probabile fit. Sed Areopagita Dionyſius in nominibus diuinis, Non eſſe dæmones naturaliter malos, aſtruit conſtantiſſime. Auguſtinus præterea Porphyrium refellit, quia uoluntatis propriæ ui dæmones probentur mali. Porphyrius autem inde falli aduertitur, quoniam dæmones animalia credidit ſenſilia: quæ quidem bonum reſpectant particulare, cui adnecti ualet per accidens malum, uelut igni accidit, uti reliqua exurat. Sed uniuerſali bono malum coaptari quit nullum.Manifeſtò autem dilucet, intellectualem naturam in bonum tendere uniuerſum,quod ualet apprehendere,ac uolũtatis eſt obiectum.In hominibus malitia & prauitas creditur naturalis,uel conſuetudinis poteſtate, quam eſſe alteram uelut naturam,exploratum eſt:uel ex naturali inclinatione, ſenſilis naturæ ui. Sic enim quoſdam uidemus iracundos, aut in cupiditates ac lubentias proniores: uerum intellectualis potentiæ ratione haud fit.

Dæmones an ſentire doloris uim poſſint.Spiritum eſſe,qui ſenſum efficiat. Cur enſes offerantur dæmonibus. Virgilij locus explicatur. Theologica ſententia de ſupplicio dæmonum. An corruptioni ſubijciantur angeli. Exorciſtæ qui ſint. Cap. VIII

NEc paruæ illud quoq; diſceptationis cenſeri ſolet, Doleantne dæmones, ac excarnificari pulſariue ullo pacto poſſint: & multi adnuunt quidem, & nos paulo antè commeminimus:ſed qua id efficiratione poſſit, non eſt obtritum ualde:eo utique amplius,ſi nec ſolido,nec cõpoſito prædiți ſunt corpore. Nã ad compacta ex pluribus uidetur ſenſus pertinere. Cæterum quonam modo infligatur dolor,exactius perpendendum. Aſtruunt quidem multi, eſſe neruos qui ſentiant:ſed nõ id efficit neruus,uerum ſpiritus potius neruo inſitus. Nam quod ſpiritus expers eſt, ſenſus item expers ſit,neceſſarium eſt. Ergo ſpiritale dæmonum corpus magna parte, ubique ſenſile eſt natura,& abſque medio tangit,uidet,audit: ſed & tactum patitur, & perinde ac ſolida, diuiſum dolet:eo tamen interſtitio, quod ſolida interciſa ac reuulſa, aut perſanantur nunquam, aut uix contingere id poteſt. Reſectum uerò dæmonicum corpus coit rurſum,recreaturq; aeris modo aut aquæ.Et id quidem celeritate incredibili.Interim tamen dolet inſigniter,dum peragitur diſſectio,quo fit,ut ferri aciem reformident reclinentq;,quantum poſſint maxime.Propterea qui exagitare dæmones moliuntur,enſes,ac tela ſtudioſe prætendunt.Ex qua ueterum,& quidem Platonicorum doctrina Platonicus ipſe poeta Aeneidos ſexto ita ſcribit:

Procul ò procul eſte prophani,
Conclamat uates,totoq; abſiſtite luco,
Tuq; inuade uiam,uaginaq; eripe ferrum.

Eum uerò locum quàm apte excuſſerint interpretes, iudicabũt uolentes.Nam ſatis habuit Seruius dicere,uoluiſſe Aeneam habere cõtra umbras enſem conſecratum. Spiritum uerò primò uiuere atque ſentire,argumento eſt (ut dixi) quod eo ab membris reuocato,mox illa & ſenſu & motu defecta commoriũtur. Animas uerò eiuſmodi item prætenuia corpuſcula habere præter ſolidum hoc & craſſum, in quibus pariter ſint,in quibusq; potiſſimum ſentiant, & perſeuerent longe diutius, quàm in ſolido, alibi ex ueterum ſententia docebimus, unde lux multa Maroni inferetur. Sed poſtea quàm antiquorum placita in his recenſuimus, adnectamus & theologici doctoris ſententiam. ſcribit beatus Thomas,timorem,dolorem,gaudium in dæmonibus eſſe non poſſe, ut ſunt paſſiones,uel (ut Latinius loquar) perturbationes,quoniam ſint hæ appetitus ſenſiui propriæ,qui uirtus eſt in organo corporeo. Vt uerò intelligũtur ſimplices uolũtatis actus, ſic in dæmonibus eſſe poſſe: etenim hoc modo dolor eſt obluctatio uoluntatis, ex eo quod eſt,uel non eſt. Multa enim ſunt, quæ non eſſe dæmones mallent, & econuerſo. Ideoq; dolorem cooriri,neceſſe eſt.Sed quum dicat CHRISTVS, ignem æternum ſupplicijs

plicijs hominum eſſe attributum, & dæmonum, quonam modo eſſe queat in eo ſpirituum immundorum diſcruciatio? Diſcedite à me (inquit Veritas) maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius. Sed ſunt, inquit iterum Auguſtinus, ſua etiam dæmonibus corpora, ſicut doctis hominibus uiſum eſt, ex hoc aere craſſo & humecto: quod genus elementi, ſi nil poſſet perpeti, non ureret feruefactum in balneis. Si autem quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeuerat, non eſt de hac re aut laborandum inquiſitione operoſa, aut contentioſa diſputatione certandum. Adhærebunt igni corporeo ſpiritus, quamuis incorporei, ut crucientur modo utiq; miro, & homini nequaquam explicabili, ſed tamen uero. Cur enim hoc cenſeatur impoſſibile, ſi fieri potuit, ut ſpiritalis anima corpori alligaretur. Adnexa uerò huic loco quæſtiuncula eſt, Corruptioni ſubijcianturne angeli. Et certe non corrumpi, probabile fit, immo & neceſſarium: neque enim corrumpitur quippiam, niſi quia ab materia diſparatur forma. Quum uerò angelus ſubſiſtens dicatur forma, fieri nequit, ut admittatur ibi corruptio: quod enim alicui conuenit ſecundum ſe, ab eo reuelli nunquam poteſt. Propterea in diuinis nominibus Areopagita Dionyſius, Intellectuales ait ſubſtantias uniuerſæ corruptionis expertes, mortis, ac materiæ. Quòd ſi de angelo pronunciat Damaſcenus, eſſe intellectualem ſubſtantiam, gratia non natura immortalem: intellige immortalitatis nuncupatione mutationem ſignari, quæ Auguſtini aſtipulatu mors quædam eſt: ubi uerò in Timæo ait Plato: O dij deorum, quibus ego opifex & idem ſum pater, hæc attendite, Quæ à me facta ſunt, me ita uolente, indiſſolubilia ſunt: ad cæleſtia corpora referendum, putant eruditiores, quæ ex elementis concinnata, uidetur adcredidiſſe philoſophus is, ac perinde ſuapte ui ſolubilia. Denique id corruptibile dicitur, quod in ſeipſo corruptionis initia continet: propterea illud Gregorij contrarium non eſt, In nihilum omnia recaſura, ni à deo ſeruentur. Notandum illud porrò, exorciſtas uulgo nuncupari, qui ſint dæmonibus formidabiles, quiq; aduentu ſuo illis plurimum incutiant terroris, quo nomine confeſtim mandant fugæ præſidium, & conſpectum reclinant: eoq; uel ſolo citra ullam uerborum uim obſeſſa deſtituunt corpora, Siquidem quantumlibet uiolentus fuerit dæmon, eorum præceptis & cum ueneratione terretur. Eiuſmodi uerò naſci uirum prodidere cæleſtium ſtudioſi, qui loco nono Martem habuerit uel in domo propria, aut Iouis, aut in altitudine peculiari, nec in horoſcopo fuerit Iupiter.

Dæmonem pluribus modis dici. Animum noſtrum etiam dæmonem nuncupari. Locus Virgilij declaratur. Genituræ loca in cælo. Cap. IX

SCribit autem Proclus, Dæmonem non uno modo dici: alius enim ipſa eſſentia dæmon eſt, comparatione alius, alius item habitu. Vbiq; enim quod proximè præeſt ac prouidet, appellare dæmonem conſueuerunt: ſicuti apud Orpheum, Iupiter Saturnum dæmonem uocat. Sed & Plato, deos qui generationem è propinquo diſponunt, dæmonas nuncupauit. Comparatione utiq; dæmon eſt, qui proximè unicuiq; prouidet, etiam ſi deus ſit. Habitu uerò dæmon dicitur animus, qui ſimilitudine quapiam ad genus dæmonicum mirabiliores, quàm ſecundum hominem actiones ædit, totamq; uitam ſuam ſuſpendit ex dæmone. Qua ratione in Republica Socrates dæmones animos appellauit, qui uitam benè tranſegerint. Dæmon uerò eſſentia hanc per ſeipſum proprietatem eſt ſortitus, uiribus propriis, modisq; differentibus actionum diſtinctus. Anima rationalis omnino in Timæo dæmon animalis eſt appellata. Dignum ſcitu quod cum Proclo Apuleius inquit, Quodam ſignificatu animum humanum etiam in corpore conſtitutum nuncupari dæmonem: unde & apud Virgilium,

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale, an ſua cuiq; deus fit dira cupido?

Ergo & bona cupido animi, Deus eſt: unde eudæmonas dici beatos putant, quorum dæmon bonus, ideſt animus uirtute perfectus eſt. Intellectū item noſtrum poſſumus recte dæmonem nuncupare: nam Timæus inquit, Deum nobis ſupremam animi partem tanquam dæmonem contribuiſſe. In Sympoſio uerò, ipſe mentis amor ad diuinam pulchritudinem contemplandam dæmon cognominatur. Porphyrius etiam, ut ſcribit Iamblichus, Dæmonem proprium non eſſe alium, quàm intellectum putabat, & inde eum eſſe eudæmona, qui ſapienti ſit intellectu præditus. Sed Iulius item Pollux, Homero auctore, dæmo-

re, dæmonas ſcribit deos uocari: quando etiam Plato omnium moderatorem magnum dæmona nuncupare ſibi permiſerit. Demum in cælo dicuntur ſecundæ poteſtatis loca in genituræ ratione ijs ferè nominibus illuſtria, deus, dea, bona fortuna, bonus dæmon, id eſt (ut Græce dicam) θεός, θεά, ἀγαθὴ τύχη, ἀγαθοδαίμων. Deam intelligunt ab horoſcopo ſignum tertium, cui per diametrum obiectum uocant deum, id eſt ab horoſcopo nonum ſignum. Bona fortuna, quintum ab eodem habet ſignum. Bonus uero dæmon in diametro ſigni huius conſtituitur, id eſt in undecimo ab horoſcopo loco.

Dæmonem eſſe unicuiq; proprium, cuſtodem, teſtemq;. Quæ ſint ab eo emolumenta. Quando fiat dæmonis ab anima electio. Dæmonium Socratis quale foret, & cur diceretur deus. Dæmonius uir. Item de Auguſti, & M. Antonij dæmonio. Zabulus. Malleus terræ. Dæmonum bonorum, & malorum nomina.

Caput X

IX ſublimiore autem dæmonum genere Platonis ſententia eſt, animis in uitalem hanc prodeuntibus lucem contribui dæmonem, qui ſit actionum inſpector omnium, & cogitationũ quoq; diligens explorator: quiq; corporeo exolutis nexu aſſiſtat ſemper, raptetq; ad iudicem protinus, ſingula teſtimonio approbans ſuo, uel diluens, quod in Phædone confirmat Socrates, & repetit Proclus. Poſtea ipſe hic dæmon, ſi religioſe colatur à nobis probitate ac ſanctitudine, quod Socratẽ feciſſe ſcimus, putant Platonici, mire ab eo nos iuuari tum ſomnijs tum ſignis, mala auertendo, bona auctius ſoſpitando: poſſe nanq; humilia, iacentiaq; ſurrigere, nutantia tibicinibus offulcire, obſcura illuſtrare, demumq; improſperum ſydus reſtituere. Hoc non è philoſophorum modo ſcholis eſt, ſed & Menander approbaſſe uidetur, ubi ait, Δαίμων ἀνδὶ ἑκὶ συμπαρίσταται βίους γινομένῳ. adeſt, inquit, ſtatim naſcẽti unicuiq; dæmon. Inde in φαρμακεύτρια Theocritus, σὺν δαίμονι τάκω, ex Interpretis aſtipulatu intellige, cum ſuo ipſius dæmone. Nec mirum eſt, additum nobis auguſtiorem ſanctioremq; præſidem, quando non ferè ſit aliud homine imbecillius: qui ab cæleſti tranquillitate ſemotior, diuerſisq; fortunę telis obiectus, uoluptatũ pernicioſiſſimis circumfuſus delinimentis, quæ aſſidue aduerſus animam ſtipendia facere ſentiuntur, ut inſcitiæ malum præteream, quo ab ineunte ætate, tanquam teterrimo cœno obuolutus, & demum ab hoſte uigilantiſſimo aggeribus, foſſa, uallo q; circumſeſſus, & nulla non hora pulſatus ariete, & paulo minus ſolo æquatus, clariſſimæ illius prouidentiæ, ab benefico munere nuſquam ceſſantis, opem ſumma ui ad extrema redactus implorabat, quo adminiculatior pleniorq; ſpei deſtinatam gentibus metam poſſet contingere. Proinde appoſiti nobis hi, quos diu iam more ueterum dæmones dicimus, tanquam paſtores, ut placet Platoni. Ea uero ſi diſplicita eſt nomenclatura, nuncupemus iam, ſicuti patribus Chriſtianis appellare moris eſt, angelos bonos, quod Areopagita Dionyſius comprobat, nec ab Platonis mente diſſentaneum eſt. Qui preces noſtras etiam optimo maximo deo exhibere, ab Platonicis creduntur, & confirmat Caſſiodorus in Pſalmorum enarratione. Et in tertio De trinitate Auguſtinus, Corpora omnia per uitæ ſpiritum rationalem regi pronunciat. Libro quoq; Dialogorum quarto Gregorius, in mundo uiſibili nil, niſi per inuiſibilem creaturam diſponi aſſeruit. Cæterum Ariſtoteles quanquam cæleſtibus corporibus ſubſtantias aſſignarit ſpiritales, quarum rationem ex motuum cõcipiebat numero: nullas tamen inferioribus præſidere corporibus tradit, ni forſan humanas animas. Et id quia non alias in inferioribus excogitabat operationes præter naturales, quibus cæleſtium corporum ſufficeret motus. At Chriſtianæ ueritatis aſſectatores, quum hic multa fieri aſtruant, quæ naturæ menſum excedunt: ideo neceſſarium arbitrantur, immediate nobis præſidere angelos. Nam uelut angeli inferiores, quibus adſunt minus uniuerſales formæ, à ſuperioribus diriguntur, quibus uniuerſalior ineſt ſcientia, ſic & ab angelis corpora regi inferiora, compar fuit. Quod & philoſophorum aſſerunt plerique. Nam humanis in rebus, quin & naturalibus quoq;, ab uniuerſali poteſtate particularis gubernatur, & regitur perpetuo. Auicenna unam modo immaterialem ſubſtantiam uniuerſis præſidere inferiorum corporibus probauit, quam agentem nuncupabat intelligentiam. At ſancti doctores ab Platonicis haud diſſentanei, diuerſis corporeis rebus ſpiritales præſidere ſubſtantias diuerſas, prodidere, docente in libro octogintatrium quæſtionum

Auguſtino

Auguſtino, Rem unamquanq; uiſibilem in mundo præpoſitam ſibi habere angelicam poteſtatem. Damaſceni quoq; proditur monumentis, Diabolum ex ijs unum fuiſſe, qui terreſtri præeſſent decuriæ. Origenes Numerorum capite uiceſimoſecundo, Mundo eſſe opus angelis ſcribit, qui beſtijs præſint & animantium generationi, item uirgultorum ac plantarum, & id genus cæterorum incrementis. Quidam præterea, ſicuti in Matthæum tradit Origenes idem, ab tempore baptiſmatis humanæ aſſignari cuſtodiæ angelum ſanxere, ſed ab natali luce maluerunt alij: quod arriſit Hieronymo uehementer, & diuinæ bonitati amplius congruit, ut quæ homini conferuntur beneficia, ſtatim in uitalem adſint lucem producto. Zabulum obiter pro diabolo poſitum apud Hilarium obſeruauimus, ni forſan mendum exemplarium eſt. Aliàs tribus Zabulon eſt in ſanctis literis. Sed apud Sudam Zabulos dicitur, qui uehementer uult, ὁ πάνυ βουλόμενος. Satanam item malleum terræ uocat capite quinquageſimo Hieremias, & ad Lætam Hieronymus. Sed redeo ad inſtitutum. Sunt qui opinentur, animam non tunc creari primum, ubi corpori adnectitur, ſed uixiſſe diu ante. Horum item ſententia eſt, animas iamiam de ſcenſuras ex dæmonum numeroſa ſerie cuſtodem naturaliter ſecernere. Putant alij iſta perfici, quando iam electione uti cœperit anima, ſiquidē dum ſibi mores induit hos aut illos, optare item uitæ ducem latenter. Nec abſurdum rentur, dæmonem eundem ab pluribus ſecerni. Adijciunt illud quoq;, morum ratione eadem non manente, non manere item dæmonem. Item ſicuti dæmonis optio nobis datur, ita nos ab dæmonibus uiciſſim optari. Hi uerò non alij ſunt, quàm malefici quidam, prauitas quorum ab diuinis noſſe iungendo in materiam penitus adobruat. Aegyptiorum doctrina traditum eſt, ab dęmonum præſide deo pro ratione propoſitæ uitæ dæmonem aſſignari, non ab aſtro, nec ab planeta: quod ſenſiſſe Porphyrius exiſtimatur, ut auctor eſt Iamblichus. Quare concinentes Pythagorici, ita louem apprecari conſueuerant: ut uel ipſe à malis abduceret, uel à quo dæmonum id poſſet præſtari, monſtraret. Iamblichus refert, eatenus ab dæmone nos dirigi, donec ſacris expiati deum ſubeamus ducem pro dæmone, cui poſthac dæmon ita cedit, ut uel uacet eo præſente, uel ad idem conducat. Hinc Plotinus nos exhortatur ad deum pro dæmone conſequendum, quamuis ad excellentiorem dæmonem id retulerit qui Plotino multum intulit claritatis: quoniam excellentior dæmon quandoq; dicatur deus, qualem Plotinus habuiſſe creditur, atq; item Socrates. Nam & inferiores dij, ſicuti præſignificatum nobis eſt, quandoq; dæmones dicuntur. Qua ratione Apuleius librum De deo Socratis attitulauit potius, quàm De dæmonio Socratis, etiam ſi rubore quodam uerius id ab Apuleio factum, octauo Ciuitatis diuinæ interpretatur Auguſtinus. Dæmonem Socratis deum quoq; appellatum ratione quam dixi, auctor eſt Proclus, idipſum Platonis auctoritate in Apologia, & in Alcibiade primo, quem interpretabatur, corroborans. Erat uerò dæmon hic Socraticus tum igneus, quia ad cōtemplationem cæleſtium rerum Socratem inflammabat, tum etiam Saturnius, quoniam abductum à ſenſibilium cura, intellectu plurimum uiuere hortabatur. Hunc ſenſu percipiebat, ſed nō corporis huius: uerum, ut Platonici perſuaſiſſimum habēt, ſenſu ætherei corporis intra hoc deliteſcentis. Qua item ratione ab prophetis uideri ſolitos, audiriq; angelos, credit Auicenna. Feruntur quidem paſſim dæmonum uerba, inquit in libro De Socratis dæmonio Plutarchus: ſed illis modo inſonant, qui tranquillam ſeruant animā, nec tumultuantem perturbationibus: quos ſacros nuncupamus, & dæmonios uiros. Refert idem, redditum patri Socratis oraculum, Ne quam illi omnino uim adhibere tentaret, aut porrò inducere ſuaſionibus pergeret, ſed ſuo ipſius arbitrio permitteret, fuſis Ioui Agoræo precibus, atq; item Muſis: habere enim præceptoribus uniuerſis, aut etiam pædagogis ducem auguſtiorem. Dignum ſcitu & illud, Putaſſe quoſdam Socratis dæmonium fuiſſe παρεμβύ, hoc eſt ſternutamētum, quo dextra in parte obueniente, ad agendum concitaretur, in ſiniſtra uerò auerteretur. Sed quoniā uolentes in Plutarchum incidimus, ſuccurrit ex libro eiuſdē de Romanorum fortuna exemplum illuſtre, quod quia arriſit plurimum, etiam apponendum curaui. Tradunt, inquit, M. Antonium & Auguſtum ſingulari amicitia & beneuolentia iunctos, quum ſuppeteret otium, ſæpe luſibus inter ſe diuerſis tranſmittere tempus ſolitos. Verum in ijs, quum ſemper uictus abiret Antonius: quidam apud eum, diuinādi peritia clarus, audacter ita ſubmonere perrexit,

O Antoni

O Antoni, quidnam tibi cum adoleſcente iſto? Refuge ipſum, & uita. Tu quidem illuſtrior es, natu item grandior: ſed plurium quoq; imperator. Bella multa exanclaſti, peritia rerum præſtantior es. At neſcio quo pacto huius ipſius dæmonem dæmon reformidat tuus. Quin tua quidem fortuna ex ſe ampla eſt, ſed fortunæ adoleſcentis ſubblandiſtur. Quod ni abieris procul, ad illum defecturam apparet. Hinc uero traditum eruditioribus eſt, non deos cæleſtes, uti apud Homerum eſt, cum fortibus uiris collocutos: nec affuiſſe pugnantibus, uel iuuiſſe, ſed cum illis familiares genios eſſe obuerſatos: quorum adminiculis præcipuè Pythagoras enituerit. Nam de Socrate dictum iam eſt. Dæmones nocumenta auertentes, ἀλεξίκακοι dicebantur à ueteribus, & Apopompæi, Apotropæi, Lyſii, Phyxij. Approbantes uero, ac rata firmaq; ſancientes, Aliterij, Proſtropæi, Palamnæi. Nam & apud Aeſchinem in oratione πρὸς τὴν πρεσβείας, Proſtropæum dici pro ſcelere nefario obſeruauimus.

An mutato loco, mutetur & dæmon. Cur quis alibi fortunatior. Dæmone illuſtrante, mira ſæpe à nobis fieri. Theologorum de angelis bonis placita. Parangeliarchus. Caput XI.

AN uero, ſi locum, regionem'ue mutes, ſimul mutetur & dæmon, non ferè inter eruditos conſtat, abſurdum ratis quibuſdam, dæmonem unum ueluti in mancipium uenerit, à nobis ne latum quidem unguem aut culmum (ut dicitur) reuelli, quantumuis longinqua terrarum ſpatia obierimus. aliis uero uni cum eſſe dæmonem, & eſſe ubiq; ſancientibus, quod Iamblicho placet: propterea non cogi demigrare. Quod ſi non eſt ubiq; ſimul, non dæmon tantũ unus, id eſt unus numero, ſed etiam ſpecie unus in ſingulos accipit præfecturam. Qua ratione ſolares homines ſolaribus ſubijciuntur dæmonibus. Qui ſi commigrarint, nihilominus in ordinis eiuſdem dæmonum incidunt ducatum. Quod de ſolaribus dico, de cæteris item intelligendum. Quoniam uero in qualibet dæmonum decuria plura ſunt dignitatis & uirtutum diſcernicula, ſicuti etiam Venerij homines aut Saturnij fortuna inter ſe diſparantur, hinc efficitur ut uariantibus locis, uarij ſint etiam rerum noſtrarum euentus. Nam cõmodiores ſæpe nanciſcimur duces, aut ediuerſo. Accommodatiſſimos uero, qui unici ſunt in regione certa. Ex iis autem cõſequitur, ut idem alibi fortunatior pernoſcatur, quàm ubi erat prius, adeptus uidelicet potentiorem dæmonem. Quin huius illuſtratione præſtanti fieri quoq; putant: ut ſæpe doctore nullo res excogitentur miræ, perducanturq; ad exitum feliciter præter opinionem, quæ noſtrarum uirium excedere uidebantur menſum. Porrò ut noſtrorum quoq;, id eſt Chriſtianorum patrum ſcita non prætereantur, quæ ex parte quoq; attigimus: colligit beatus Thomas (quod & ſuperius eſt comprobatum) di uinæ prouidentiæ congruentiſſimum fuiſſe, angelos bonos noſtræ addixiſſe cuſtodiæ, quibus ad bonũ perduceremur, à quo ſæpius inſita imbecillitate declinemus, noſtrumq; ſit proprie, conniuere in pluribus. Recte enim Sapientiæ nono legitur: Cogitationes mortalium timidæ, & incerta prouidentia noſtra. Hieronymo humana arriſit dignitas parte iſta plurimum illud exponenti, Angeli eorum in cælis: Magna, inquit, eſt animarum dignitas, ut unaquæq; habeat ab ortu in cuſtodiam ſui angelum delegatum. Vni homini unus debetur cuſtos, ſed interdum deſtinantur plures. Quæ curæ ratio ſpectare uidetur ad infimum angelorum ordinem, quorum munus eſt, Gregorio docente, minima nuntiare. Minutum uero uidetur, uni tantum homini ad ſalutem neceſſaria procurare. At humanæ reipublicæ protectio altiorem exigit decuriam, cuiuſmodi principatus ſunt uel archangeli. Nam parangeliarchum uidentur appellaſſe Græci, quem noſtrorum aliquot officiorum dicunt magiſtrum.

Oracula fuiſſe ab multis cõprobata, ab multis item damnata. Oraculorum origo. Theologiæ genera tria. De Taciti, & Floriani ſtatuis. Annum milleſimum expectare, quid ſit. Thulis rex. Thule unde. Statuæ dæmonicæ. Vnde habeant uaticinium dæmones. Caput XII

DE oraculis fortè curioſior aliquis à nobis expetat, compertius quippiam in literas promi: quæ tametſi uaniſſima ſunt deprehenſa ſæpius, nihilo minus theologos ueteres, & Platonicos ſumme illa uenerari ſolitos, exploratiſſimum eſt: conatosq; etiamnum rationibus corroborare. Teſtatur in Phædro

hocipſum

hoc ipſum Plato, teſtatur & in Timæo, ubi ea demum de diuinis aſtruit aſſerenda, quæ oracula comprobarint. Immo uero etiam ab oraculis & uaticinijs Socratis orditur apologiam, quin & Socraticos mores ex Apollinis reſponſo concinnatos ait. Verum quum tria haberentur priſcis theologiæ genera, unum fabuloſum, quod & hiſtoricum nuncupabant, poetis maxime attributum: naturale, quod myſticum eſt, & ab philoſophis ſuſceptum: ciuile, quod in ſingulis ciuitatibus conſuetudine inoleuit, ac mox legibus eſt ſancitum, Hoc genere poſtremo continebantur oracula atq; item reſponſa. Quod ſi unde irrepſerint oracula primum, indagine curioſa ſit ſcrutandum, uideor lectione iugi cõperiſſe, non ab dijs, non ab dæmonibus inſtituta, uel propagata: ſed ab uafris quibuſdam, & quæſtuarijs initio inchoata. In quam ſententiam celeberrimi è Græcorũ ſapientibus iere pedibus, Peripatetici, Cynici, atq; Epicurei. A quibus non ſolum ſcriptis oraculorum uanitas eſt palàm facta, ſed cõmonſtratum quoq;, quæ malorum ſoboles inde pullularit. Argumento ſunt reſponſa improborum hominum, & ad impoſturam & carnificinam auaritiæ fomitibus exercitatorum nimio plus, ad utrumlibet euentum ſolertiſſime coaptata, quæ ita demum conſarcinabantur, uel (ut ille ait) conſutis dolis attexebantur: ubi ſolicite ciuitates oberraſſent emiſſarij, ac uelut Corycæi quidam, quos haud parum multos, ſcelerum adminiſtros ac partiarios habebant. Hi ſiquidem intentiſſime, quid cuiq; opus foret, perſequebantur, renuntiabantq;. Mox ad hoc deſtinati in adytis obſcurioribus, aut ſpeluncis illatebrati, uenientibus reſponſa dabant. Quos multum adiuuabat inſita homini futura pernoſcendi auiditas, inſcitiæ ſæpenumero combinata. Eſt & hinc euidens indicium: quippe expreſſum per quæſtiones aruſpicum & uatum pleriſque, ut totum diuinandi pontificium ſuis ipſorum necti fraudibus faterentur. Quid, quod Demoſthenes, uti accepimus, Pythiam tum Φιλιππίζειν dicebat, id eſt quaſi cum Philippo facere. Quod nimirum illuc ſpectabat, ut ab Philippo corruptam diceret. Quo ſanè commonemur, ut eſt Diuinationum ſecundo ſcriptum, in id genus oraculis, etiam num Delphicis alijs quippiam fuiſſe non ſynceri. meminit hiſtoriæ contra Cteſiphontem Aeſchines. Exemplum uanitatis inſigne nequeo præteriſſe, quando & ipſum oraculis eſt affine. Nam Taciti & Floriani imperatorum ſtatuis Interamnæ diſiectis fulmine, ab aruſpicibus reſponſum, ex eorum familia proditurum imperatorem poſt annos mille: qui terram omnem, quæ Oceano ambitur, ſuam faceret, moxq; ſenatui reſignaret imperium, antiquis legibus uicturus, ac poſt centum & uiginti annos moriturus hærede nullo. Diuq; ſic à poſteris expectatum hoc, ut in prouerbij faciem uerti res poſſit, annum milleſimum expectat. Qui felicitatem concipit nunquam futuram. Illud admiratione non caret: Fuit Aegypti totius rex Thulis, à quo propagatis ad Oceanum imperij limitibus, Thule inſula habere nomen creditur. Hic ſecundioris fortunæ afflatu extumeſcens, Serapin ita cõſuluit: φράσον ἡμῖν πυριδφὲς, ἀγλαὸν δῶμα μάκαρ ὃ χρυ ἀιθέριον μετεκλίνων δρόμ), τίς πῶ τ' ἐμῆς βασιλείας ἐδωάθη ζῶντα, ἢ τίς ἔσται μετ' ἐμέ. Reſpõdit deus: πρῶτα θεὸς, μετ' ἐπεῖτα λόγος, νὴ πνοῦμα σὼ αὐτῆς. σύμφυτα δὲ πάντα, νὴ εἰς ἓν ἰόντα. ὅ κραίπος ἀιώνιον, ὠκέα ποσὶ βαλλέ θνητὲ, ἀδάλλον δρανύων βίον. Quibus pronũciatis, quum è templo exiſſet, à ſuis mox eſt iugulatus. Nec me tamen fugit, Lactantium ſcribere, & Apuleius confirmare uidetur, & nos ſuprà attigimus, aſtrologiam, auſpicia, auguria, & oracula eſſe dæmonum inuenta, quorum ſit, tenebras offundere, & ueritatẽ caligine obducere. Quòd ſi quis miracula obiecerit, ſcire licet, herbarum potentia, & lapidum uirtutibus, nobis non perinde manifeſtis, multa item perfici poſſe, quæ nos per inſcitiam dæmonibus, aut cælo accepta referimus. Omnino non abſque dæmonum participatu hæc tractabatur negotiatio, ut quicquid ſenſero, promam ingenue. Nam Mercurius ſcribit, ex propriis certisq; rebus certo cuidam dæmoni congruentibus compoſitam rite ſtatuam confeſtim per dæmonem congruum animari. Id quum Auguſtinus legiſſet, repetendum apponendumq; cenſuit Ciuitatis diuinæ octauo libro. Quòd ſi qua'nam ratione dæmones futura præno ſcere ualeant, putet quis amplius eſſe quærendũ, reſpondebit Porphyrius in libro quem de oraculis ædendũ putauit, Quæcunq; à dijs futura prædicentur per oracula, ea ex cæleſti obſeruatione prædici omnia. Sed aduertant obſecro Chriſtianæ ueritatis cultores, quæ ab eodem ſubijciantur Porphyrio: Sciendum, inquit, deos quoq; ſæpe mentiri: nam explorata, certaq; futurorum perſpicientia non hominibus tortuoſa modo, ſed & dijs

ipſis

ipſis incertiſſima, plurimiſq; referta ambagibus eſt. Quin ſi cui deo contingit, non tamen omnibus contingit horis. Adijci uero & illud poteſt, Velocitatem ſæpe in illis diuinitatis loco cenſeri, quoniam omnis ſpiritus ales eſt. proinde momẽto ubiq; ſunt, nam totus orbis locus illis unus eſt, quid ubiq; geratur, tam facile ſciunt, quàm enuntiant. Cæterum obſeruatione dignum, quibus interſtitijs, quibus'ue diſcerniculis diuinatio hæc de mundo ex mundi concinnata ſignis, ablataq; hominibus, conceſſa dæmonibus ab Origene, atq; Porphyrio, tandem diſpenſaretur. Dæmones qui ætherei nuncupentur, quiq; aeris colant ſuperna, cæleſtibus futurorum indicijs, uti uetus tenet opinio, addicuntur amplius, quàm terrenis. Qui uero infima hæc frequentant, dicunturq; aquei dæmones, non tam cæleſtia ad hunc uſum ſuſpiciunt, quàm noſtra obſeruantes præſcientiam ſibi aucupantur aliquam. Medios uero putabant certius ex ijs, quæ utrobiq; eueniant, prædictionum argumenta captare, proindeq; iſtorum operam in diuinationibus expeti conſueſſe in primis, & fuiſſe præcipuam, ut qui hominibus quandoq; præſagijs præſto fuerint, ut prodit Origenes. Quæ tamen ſiue ab ijs accepta, ſiue acri obſeruatione deprehenſa, confuſanea fuerint, & multa rerum caligine hallucinantia.

Dæmonum bonorum malorumq; diſtinctio ex Porphyrio. Dæmonum deſcriptio ex Auguſtino. An dæmones ſint hominibus præſtantiores. An illis fomenta ſuggerentibus, ſemper peccatis obretiamur. ὠφρονύμενοι qui dicantur. De Serapi. Quos facile arripiant dæmones. Cerberus qui. Dæmonas non poſſe diuitias dare. Animas defunctorum à dæmonibus effingi. De arreptitijs plura. An humanis animis illabi poſſit immundior ſpiritus. Terniſtratores qui ſint. Item Paredrus, exedrus.

Caput XIII

Porphyrius in libro De cauſis ad intelligibilia nos ducentibus, dæmones bonos à malis ſic fermè diſtinguendos putat. Animæ, inquit, quæ ſub luna plagas gubernant latiores, quæq; ſpiritali innituntur corpori: ſi rationis uſu id exuperant, boni dicuntur dæmones, à quibus ampliter eorum quibus præficiuntur, emolumenta procurantur. Fieri uero nequit, ut detrimenta ab his inferantur: ijs autem connumerandi, quos Plato Internuntios dicit. Cæterum animæ, quæ coniuncto ſpiritui minus dominantur, ſed ſuccumbunt ſæpius increſcentibus perturbationum incentiuis, & uoluptatum titillationibus: hæ uero iam malefici dicuntur dæmones. Sunt autem tam boni, quàm mali dæmones ferè inuiſibiles, quod corporis indumentum minus ſolidum, minusq; ſit compactum. Dæmones mali libaminibus, & carnium nidore oblectantur plurimũ, ſiquidem ſpiritale corpus ijs craſſeſcit, obeſiusq; euadit. Etenim uaporibus uiuit, & fumigationibus. Aurelius Auguſtinus hos illosq; malos arbitratur, atque etiamnum ita ſcitiſſime deſcribit, deformatq;, Eſſe uidelicet ſpiritus nocendi cupidiſſimos, à iuſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidẽ aere habitent, quia de cæli ſuperioris ſublimitate deiecti merito irregreſſibilis tranſgreſſionis in hoc ſibi congruo uelut carcere prædamnati ſint. Nec tamen, quod ſupra terram, & aquas aeris locus ſit, ideo meritis ſuperiores nobis cenſendi. Nec quia corporibus ſint prædíti melioribus, alioqui etiam beſtias multas nobis uidemur prælaturi, quæ nos & acrimonia ſenſuum, & motu facillimo, atq; celerrimo, necnon uiribus, & firmitate corporum animoſiſſima exuperant. Sed ut omnibus ratiocinando intelligendoq; meliores ſumus, ita etiam dæmonibus bene & honeſte uiuendo præſtantiores eſſe debemus. Qui nec loci ſublimitate antecellunt, alias etiam uolatilia notæ melioris arbitrabimur. Verum illis uel ex hoc longe præponendi homines ſumus: quod ſpei piorum nequaquam illorum comparanda deſperatio. Adde, quod quamuis aquas Plato terris præponat, nemo tamen neſcit, eſſe aquatilibus hominem præſtantiorem: ut intelligamus, non eundem ordinem tenendum, quum de meritis agitur animarum, qui uidetur eſſe in gradibus corporum: fieri enim poteſt, ut inferius corpus anima inhabitet melior, deteriorq; ſuperius. Non negligendum porrò, quod Porphyrij eſt, malignorum dæmonum principes Serapin dici & Proſerpinam: quum ſacræ literæ Beelzebub prauitatis primarium ſoleant nuncupare: & δαιμονάρχην Lactantius. Eſt autem apud Aegyptios Serapis, qui apud Græcos Pluto. Hic ſymbola hominibus dedit, quibus exagitentur dæmones. hic ſupplices docuit, quo modo brutorum aſſumpta figura, dæmones ho-

minibus inſiliant: quibus maxime obnoxij fiant, qui cibis ſubinde lautioribus diffe-
dantur. Idcirco inquit Porphyrius, ieiunium & caſtitas laudantur maxime, non quia ijs
placatior in primis efficiatur deus, ſed ut retro agantur, qui ſanguine ac immunditia gau
dentes, ut perfrui poſſint his, utentium corpora inuadunt. Horum ſymbolum triceps eſt
canis: ille ſcilicet qui in aqua, terra, & aere uerſatur pernicioſiſſimus dæmon. Nam &
exitiales dæmones operte canes uocantur atri. Hominem uero ab impuris infeſtari dæ-
monibus, etiam apoſtolica Pauli comprobat ſententia: Non eſt, inquit, nobis aduerſus
carnem ac ſanguinem colluctatio, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mun-
di rectores ac tenebrarum. Aut enim ad peccatum, diuina permittente iuſtitia, nos pro-
liciunt: aut ſupplicia irrogant, ab deo immiſſi, etiam ſi diuerſa puniant intentione, quàm
mittantur. Nec ſanciendum tamen, horum prolectatione peccare nos ſemper: quoniam
ut eſt in libro Eccleſiaſticorum dogmatum. Non omnes noſtræ cogitationes malæ à dia
bolo excitantur, ſed ex arbitrij motu ingeniti emergunt quandoq;. Quod ſi Diuinorum
nominum capite quarto Dionyſius ait, Dæmonum multitudinẽ eſſe malorum omnium
cauſam, tum ſibi, tum alijs: & Damaſcenus, malitiam omnem pronunciat & immundi-
tiam ex diabolo excogitatam: quo ad primi hominis lapſum, id planè intelligendũ. ſcri-
bit nanq; Origenes, etiam ſi non ſint dæmones, nihilo ſecius ituros homines quandoq;
præcipites in Veneris & gulæ prolubia. Scribit porrò Pſellus, quod adnotatu digniſſi-
mum cenſui equidem, dæmonia ſæpe diuitias nobis, uel addictis ſibi potius polliceri, nec
non gloriam quandoq; oſtentare: quum tamen nil prorſus tradere ex ſe poſſint, quippe
qui imperium nullum habeant. Cæterum uiſu inania quædam ſuis mõſtrare cultoribus:
quæ tamen impij diuina opinentur ſpectacula. Tradit etiam Auguſtinus, ab hiſce dæ-
monijs deos effingi, & animas defunctorum. Vnde irrepſiſſe uulgò cõtenderim, ab quo
rundam flagitioſorum animis corpora obſideri: quæ etiam beatus Thomas, cuius eru-
dita uolumina, uelut per tranſennam prætereuntes ſtrictim quandoq; proſpectamus, in
Compendio theologiæ uocat arreptitia. Et mentio eſt in Canonicis decretis diſtinctio-
ne trigeſimaquarta. Verum & σφριγούμενοι dici quandoq; uidentur ab dæmonibus ob-
ſeſſi, puto ab ἔργειν, quod detineri ſignat ac impediri, quanquam & lunatici eo intelli-
guntur nomine, uelut in eos agat luna, id eſt μήνη. In quo illud egregie mirandum, ru-
ſticos Latine ac Græce plerunq; loqui. Quum tamen lingua dæmonum propria, nulla
queat inueniri: nil enim ipſis uoce opus eſt. Sed quum ueluti etiam angeli, alij alijs gen-
tibus aſſiſtant, ſinguli ſingularum gentium idiomata exprimunt: quamobrẽ apud Græ-
cos ratione heroica profari oracula conſueuerant. Sed qui nam maxime extra iam di-
ctos dæmonum patent incurſibus? Nempe ubi per atram bilem, uel alio quopiam eiuſ-
modi, imaginationi prorſum mancipatur animus, facile tunc immundorũ ſpirituum fit
conceptaculum, à quibus inſigniter uexatus debacchari non deſinat. Quòd ſi philoſo-
phicis expiatus myſterijs totus euadat rationalis, à media dæmonum corripi decuria,
Platonici putant, tuncq; illi miras rerum humanarum naturaliumue explicari rationes.
Quòd ſi altius iam ſurrigatur humanus animus, ſola mente uiuens, tunc fieri arbitrantur
ſpiraculum quoddam dæmonum ſublimiorum, uel angelorum uerius, quibus illuſtran-
tibus, admirandis diuinorum inſinuetur arcanis. Quoniam uero etiam theologorum po
mœria ingredimur quandoq; numeroſis lita ſententiarum luminibus, ſcientiæ profun-
ditate micantibus, indeq; nobis ſpicilegium facimus, ne tranſeamus quidem locũ hunc
ſine illorum aduocatione: eſt enim apud eos conſideratione digniſſimum, an dæmones
ſeu corporei ſint, ſiue etiã incorporei, ſubſtãtialiter (ut interim ſic nobis permittamus lo
qui) humanis ſeſe inſerant corporibus, animisq; illabant: an uerius, non ingredi, aſtruen
dum ſit: etiam ſi malitiæ ſuæ ibi effectum exerceant, deo permittente, opprimendo atq;
uexando eas, ac ſubinde in peccatum præcipitando. Et ueritas quidem euangelica com
probat quandoq; dæmonia quibuſdam inſinuata, atq; inde per CHRISTVM excuſſa.
An uero per ſubſtantiam dicantur ingreſſa, an propter mali effectum, non adeo perſpi-
cuum eſt. Gennadij quidem ſententia eſt in Definitionibus eccleſiaſticorũ dogmatum,
Dæmonas per operationem non credendum ſubſtantialiter illabi animæ. Cæterum ap-
plicatione, ac oppreſſione uniri. Illabi autem menti, deo tantum eſſe poſſibile. Sed & Be
da illud exponens ex Actibus apoſtolorum, Cur tentauit Satanas cor tuum? ſic ferè ſcri-

bit

bit: Notandum, inquit, mentem hominis per ſubſtantiam nihil implere poſſe, præter creatricem trinitatem. Implet uerò Satanas cor alicuius, nõ quidem illud ingreſſus, ſed callida & fraudulenta deceptione in malitiæ affectum animã trahens per cogitationes uitiorumq; incentiua: quibus ille per diem, perq; noctem ſcatet. Igitur Ananiæ cor Satanas impleſſe narratur, quia malitiæ ſuæ uirus infudit. In libro De ſpiritu & anima, ſic item ſcriptum inuenias, ſiue auctor ſit Auguſtinus, ſiue alius: Non enim naturæ participatione uel ſubſtantiæ, ut rentur nonnulli, animum implet diabolus, aut eius efficitur habitator: ſed per fraudulentam deceptionem atq; malitiam in eo creditur habitare, quem implet. Solius enim Trinitatis eſt, intrare ac naturam implere, ſiue ſubſtantiam quam creauit. Scitu dignum, & huic loco maximè accommodum, quod tradit Origenes: Per figuram omnes qui in carne ſint nati, dici equos, & habere aſcenſores ſuos: ſunt quos dominus aſcendit, & circumeunt omnem terram: propterea Abacuc tertio, Equitatus tuus ſalus: alios aſcendit diabolus & angeli eius, qui terriſtratores dicuntur, quoniam triplici calle ad animæ properant interitum, uerbo, cogitatione, opere. Adnotauit Euſebius, dæmonicam uirtutem dici Paredrum, cuiuſmodi fuerit in Simone mago. Dicitur & paredrus aſſeſſor. Ariſtoteles in Politia: Capiunt, inquit, paredros binos Archon & Polemarchus, quos uoluerint. ad quod reſpexiſſe M. Tullius uidetur ad Tironem libro decimoſexto: Paredrum excita, ut hortum ipſe conducat. Sunt qui regi aſſidentes, ac uelut cuſtodes, paredros interpretentur. Quod in Pericle Plutarchus ſignificat perſpicue: At in Lycurgo, quicunq; cuſtodiæ cauſa aſſideant. Quin erant Athenis quoq; σωφρονιστὴς παρεδροι. Ab Procopio Perſici belli primo, Proclus celebratur imperatoris Paredrio magiſtratu inſignis, quem Romani quæſtorem nuncupant, Iureconſultum interpretantur hunc Latini. Exedrum intelligimus conſternatum, ac mente excuſſum: item auſpicium non bonum.

Afferũtur ex Auguſtino rationes aliæ, quibus poſſint dæmones futura prę noſcere. Crœſi hiſtoria. Futura noſcendi modos eſſe duos. Cordis arcana modis cognoſci duobus. Cap. XIIII

VErum quod ad dæmonum attinet uaticinia, uideo præter quæ nobis paulo antè ſunt prodita, recte quoq; adiici illa poſſe quæ ab Auguſtino in libello De dæmonum natura ſcitè admodum & acutè appoſita ſunt, quorumq; uel in Canonicis decretis mentio fit. Nam ſumma pleriſq; dignum uidetur admiratione, Illos prædamnatos ſpiritus, omnicq; circumfuſos impietate, tam appoſitè interdum futuri perſpicientiam uendicare. An ergo æternas temporum cauſas, & quodammodo cardinales in dei ſapientia cõtemplantur? Minime. Quid ergo? An uerum illud eſt, eos corporis aerei ſenſu terrenorum corporum longe ſentiendi præcedere poteſtatẽ? Certe eiuſdem incomparabili quoq; pernicitate nõ hominũ modo celeritatem & ferarum, uerum etiam uolatus auium mire exſuperãt. Quibus duobus multo antè cogitata nuntiãt, quæ nos pro ſenſus terreni tarditate mirari nõ deſinamus. Vnde eſt redditum Crœſo reſponſum de teſtudinis carne, quam cum agnina is in æneo uaſe periclitandi gratia percoqui iuſſerat. Quo argumento in ſermone de deo Maximus Tyrius illum deformat, ut regum ſtultiſſimum, & coquorum infeliciſſimum. Accedit & diuturnioris uitæ beneficio comparata inſignis rerum experientia, cuius nos momentanea uita, ut quæ bulla propemodum ſit, compotes eſſe nequimus. Aduertendum item, dæmones nonnunquam quæ facturi ſunt ipſi, nuntiare. Nam ſæpe poteſtatem accipiunt, incognito nobis modo, graſſandi in homines & bruta peſtilentiæ ui, aut aliud quiduis id genus perpetrandi. Sæpe quin etiam cõtingit illud, ut exactius peritiuscq; naturali ſignorum obſeruata ratione, quam ipſi nequimus aſſequi, præcinant mox paulò uentura. Quid, quod cõceptus animorum, promentibus ſe inde quibuſdam in corpus notis, ualent aſſurè deprehendere? Quanquã in Retractationum libro idem Auguſtinus, audaciori aſſertione rem occultiſſimam eſſe prolatam, ingenuè queritur. Nam prænoſcere iſta dæmones, ferè compertum eſt. Sed an ædantur in corpore ſigna, illis ſenſibilia, nos uerò latentia: an alia quauis ſpiritali diligentia iſta diſpiciant, aut difficillimè, aut nulla prorſum ratione diſcuti humano ingenio poteſt. Quo autem iſta colligãtur certius, ſciendum modis duobus futura prænoſci. Alter ex cauſa eſt, qua ſolem cras oriturum neceſſariò prænoſcimus.

Cauſæ uero quæ ſunt ut in pluribus, per coniecturam præmonſtrant, quo modo ægri ſalutem præſagit medicus. Quæ uero ut in paucioribus, ignorantur omnino, cuius ſunt modi caſu euenientia & fortuito. Angelis autem ratio hæc futura præcinendi adeſt prorſum. At quum in ſeipſis præcognoſci uentura pronunciamus, iam alter hic modus uni tantum deo congruit: qui in æternitate ſpeculatur uniuerſa, qui omnibus adeſt temporibus, quia ſimplex eſt, eaq; amplexatur. Proinde per omnia, ceu præſentia, unus fertur dei intuitus. Quod ad cordis attinet arcana, aduertendum duobus ea perſpici modis, aut ab effectu, ſignis in corpore comparentibus, aut prout cogitationes in intellectu ſunt, & in uoluntate affectiones. Qui poſterior modus dei tantum eſt, quoniam rationalis creaturæ uoluntas uni ſubiacet deo. Propterea apoſtolus Paulus ad Corinthios: Quæ ſunt (inquit) hominis, nemo nouit, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Quod autem dei proprium eſt, angelis haud congruit. Vnde propheticum illud Hieremiæ: Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego dominus ſcrutans: & quæ ſequuntur.

Origenis opinio de corpuſculis æthereis atq; aereis. Item de reſtituendis dæmonibus. Origenis excellentia. Cap. XV

CAeterum tranſituri mox ad mundi minoris modum, appingamus & Origenis placita breuiſſime de dæmonibus: Rationalis, inquit, creatura incorporea & inuiſibilis, ſi negligentior fuerit, ad inferiora labitur, & pro locorũ qualitate, ad quæ defluxerit, corpora ſibi aſſumit, uerbi gratia, ætherea primum, deinde aerea: quumq; ad terræ uiciniã peruenerit, craſſioribus circumdatur corporibus, nouiſſime uero hominem induit. Ipſi quoq; dæmones, qui proprio arbitrio cum principe ſuo diabolo ab dei miniſterio receſſerunt, ſi paululum reſipiſcere cœperint, humana carne circumdari incipient: ut hac deinceps pœnitentia poſt reſurrectionem eodem circulo, quo in carnem uenerant, ad dei uiſionem poſtliminio redeant, liberati etiam num æthereis aereisq; corporibus. Tuncq; genua deo curuentur omnia cæleſtiũ, terreſtrium & infernorum, & ſit deus omnia in omnibus. Sed & illud ex Origene eſt tertio περὶ ἀρχῶν, Huius mundi peccatores homines in alio mundo poſſe diabolum & dæmones fieri: & rurſum, nunc dæmones in alio mundo poſſe uel angelos uel homines procreari. Additur & id impium præcipue libro quarto: Pro dæmonum ſalute Chriſtum etiam in aere ac ſupernis locis eſſe paſſurum, ut conſecutione quadam fiat neceſſum, ſicut pro hominibus hominem induit, ſic & pro ſalute dæmonum deum futurum, quod ſunt hi. Omnia uero hæc citra admirationem, ac ſummam utiq; legi non queunt, quando hic eſt Origenes ex infantia magnus, martyris filius, uoluptates adeo auerſatus, ut dei zelo uel genitalia ferro demeteret, auaritiæ prorſum uictor, ſacrarum literarum ita ſtudioſus, uti perinde ac ungues, omnes noſſet, æderetq; ad eam rem tractatus mille, necnon commentarios qui inſcribuntur Tomi. Hic tamen tantus, taliſq; male de filio concipit, de ſancto ſpiritu peius multo. Quod non inficiabuntur, quibus exacte librorum eius ſaliua identidem reguſtata innotuit.

Euchetarum & Gnoſticorum impia ſacra dæmonibus concipiendis. Curq; Euchetæ dicantur, ac Gnoſtici. Cap. XVI

EVi ſſe præterea quoſdam, inuenio in libris, qui cõmuni nomine dicantur Euchetæ, quorum dogma nefarium ab Manente quodam ſit in Syria propagatum. ij ſimul cum Gnoſticis cõpari præſignibus impietate, ſceleſtiſſima quædam obire ſacrificia conſueuerant, non alia magis ratione, q; cum dæmonijs commercij amplioris. Coibant inſimul occiduo tempore eius diei, quo CHRISTVS crucí eſt ſuffixus: aderant puellæ, cum quibus peractis ſacris, luminibusq; extinctis, congrediebantur, nec ſororum ibi, nec filiarũ ulla omnino ratione habita. Moris uero erat, ut locum repeterent eundem nono menſe poſt, natosq; ex nefando concubitu infantes à matribus conuellerent: eorum mox corporibus diſſectis crudeliſſime, profluentẽ inde cruorem phialis excipientes. Illis autem concrematis, cineres cruori promiſcebant, quo poſtmodum epulas condirent, & pocula. Faciebant uero iſta, opinati ſic maxime diuinum, qui nobis ineſt, characterem, quoq; in primis retro agantur dæmonia, oblini, expungiq;: atq; inde dæmonibus aditum pateſcere prorſus liberum & impauidum. Euchetis, qui & Pſalliani dicuntur, nomen tradunt inditum de orationis aſſiduitate, quod incredibiliter

credibiliter (ut inquit Augustinus) perpetuo faciebant, adeo ut monachos fouẽdæ uitæ gratia quippiam facere, impium ducerent, quia interpellaretur orandi facultas. Horum fuit hæresis, posse humanam uirtutem ac scientiam, non ad dei modo similitudinem peruenire, sed perfectionem quoq; ac æqualitatem, adeo uti sit mox ἀναμάρτητος, id est (ut sic dicam) impeccabilis, quoniam ne cogitatione quidem, aut inscitia ubi perfectionis fastigium contigerit, queat delinquere. Gnosticis uero conciliatũ nomen de arcana mysteriorum scientia, quam sibi uendicabant: sed à turpitudine uerius dici Borboritæ debent, hoc est βορβορίται, id est lutulenti.

Anacephalæosis superiorum. Hominem esse miraculum magnum, ac quodammodo omnia, & dei simulacrum æmulum. Item quid sit homo, quo modo miraculum. Trinitatis uestigium animæ impressum. Homo cur rerũ mensura, & secundus deus. Anima cur dicatur ψυχή, ex Origene. Cap. XVII

Libros Antiquarum lectionum auspicaturi, quo felicius rerum difficultates omnes emensi, demum exoptatam contingeremus metam, ab summo rerum opifice, sicuti decuit & cõmonuit Plato, initia duximus, mox ueluti quibusdam scientiæ gradibus in mundum declinauimus, inenarrabilis illius agentis templum augustissimum, ut celeberrimi auctores dixere. Inde dæmonum rationem excussimus, quantum nostra paruitas tulit, Platonicos parte plurima secuti: sed ab nostris quoque, hoc est Christianis, flores modo rerum præcerpentes: ut quadam apum imitatione, ex diuersissimis (ut sic dicam) succis non incomparabilis quidem conflurgeret sapor, sed qui fastidientem modo stomachum reficere ac prouocare appetentiam posset. Nunc peraccommodum sanè uisum est, quæpiam de homine non exculcata quidem, & triualium quoq; ludis recantata sæpius, uerum ex secretioribus monumentis ueterum ingeniorum, quæ nobis suis acuminibus ac uigilijs lucem peperere, uellicatim quodam modo excerpta tendentibus ad procinctũ, qua possumus perspicuitate proferre. Quando propositum non est, quæ nobis laboriosissima suggerunt studia, intrudere in arcana quædam, ubi situ adobruta pereant, sed uolentibus benigne impartiri: quoniã ea quoq; lege, non ista modo, sed cætera quoq; omnia optimus maximus deus contribuisse uidetur, ut quod munificè ex illius immensa bonitate percepimus, munificè elargiamur, ac reddamus quodammodo mutuum. Igitur, ut præfari desinamus, uoluenti mihi nuper Mercurij libellum, qui est De uoluntate dei mirabiliter cõcinnatus, occurrit grauior illa sententia, & toto perpendenda examine, qua hominẽ miraculum magnum, animal adorandum & honorandũ diuiniore quodam spiritu concitus, & interiore instructus scientia nuncupauit, quod in legibus item Plato confirmat. Cæterum eundem hunc hominem idem quoq; Mercurius in naturam dei transire scribit, tanquam ipse sit deus. Quin in libro De sapientia & potestate dei, humanæ naturæ potentiam admiratus eximiam, audendum esse ait dicere, hominem quidem terrenum, deum esse mortalem, deum uero cælestem esse immortalem hominẽ. Hic profecto tam est eximius, ut quum ad duas res, quod Aristotelicum est, natus sit, ad intelligendum, & agendum, tam augustis, tamq; felicibus pernoscatur productus auspicijs, ut non elementis modo uelocitate misceatur, et acumine mentis descendat in maris profunda: sed omnia planè illi collucescant, nec cælum uideatur altissimum, non quidem stultitia (ut ille ait) sed uelut è proximo mentis sagacitate id suæ subijciat contemplationi, intueatur, miretur. Vt, ni forsan uidemur modestiæ transgredi mensum, sit homo uerus uel cælicolis præstantior, uel saltem pari sorte potiatur, sicuti uetus theologus prodere non dubitauit. Nam quicunq; cælitum descendit ad terram, cæli deserit limitem. Homo autẽ ubiq; simul esse uidetur: nec uidetur tantum, sed esse affectat omnia, & est quodammodo ratione mirabili, sicuti deus est omnia. An non in eo plantarum agnoscimus uitam, quatenus nobis item uegetalis ineſt potentia, qua alimur & augescimus? Nonne & brutorum: quando sensuum, ueluti satellitum, perfruimur ministerio? Secundum hominem uero tunc agimus potissimum, quando de humanis rebus rationis adminiculo fulti disquirimus perpendimusq;. Quòd si naturalia rimari indagine solerti cœperimus, heroicam præferimus amplitudinem. Si mathematicam certitudinem speculemur, dæmonicam subtilitatem consectamur, quantum more ueterum interim loqui licet. Vt uero mentis altitudine cælorum claustra supergressi di-

uinæ maieſtatis arcana penetramus, angelicam nobis induimus claritatem. Deum uerò ipſum rerum principem atq; patrem effingimus, dum immenſæ illius bonitatis contemplatione omnia operamur. Proinde ueritas euangelica, omnis creaturæ nomenclatura hominem intelligi uoluit, ubi prædicandum omni creaturæ præcipitur Euangelium. Tãta denicq; inquit Ambroſius, eſt in hominibus dignitas, ut dicatur homo ad dextram dei ſedere, non angelus: qui & ab angelis honoratur unigenitus, imago dei. Et quid mirum? Propheticum illud omnes nouimus: Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerũt me. Id uerò quanti demum cenſendum eſt, quod theologi ueteres præcipiunt, duo eſſe principis rerum dei ſimulacra, mundum, & hominem? Dicitur & hic propterea in Canonicis decretis charagma dei, ſiue ſignum, aut ſcalptura. Vbi pecuniæ nomine ſpiritaliter ſignificari hominem prædicant: nam ſicuti in nummo charagma Cæſaris, ita in homine conuiſitur charagma dei & obſignatio. Et, ut nummus abſque Cæſaris reprobatur imagine, conſimiliter & homo, in quo non pernoſcamus lumen impreſſum dominici uultus. Quod, ut inquit Auguſtinus, totum eſt, & uerum hominis bonũ, quo obſignatur, uelut nummus regis imagine. Proinde in templo nummulariorum ſubuertuntur menſæ, dum ſignificatur, in Dei templo ſpiritales tantum nummos eſſe debere: qui deum præferant, non diabolum. Quid, quod Plato rationales animos tanquam ſpecula putat quædam nitidiſſima, in quibus diuinitatis ſummæ explendeſcat diuinior imago? Quare deum in ſingulis acrius ſcrutando in animi ſpeciem ſubinde mentis aciem dirigit, oraculo monitus ueteri, quo ſignificatur debere, quiſquis deum apprehendere cupiat, ſeipſum noſſe prius. Inde Phauorinum recte laudari animaduerto, ubi ait, Nil in terris magnum præter hominem, nil magnum in homine præter mentem & animum. Sed audi myſterium: Refulget in homine interiore præcellens Trinitatis imago: nam ſicut ex patre generatur filius, tum ex patre ac filio procedit ſanctus ſpiritus, ita ex intellectu generatur uoluntas, & ex his item duobus procedit memoria. Neq; enim citra hæc perfecta dici anima, aut concipi ualet. Porrò ſicut deus pater, deus filius, deus ſpiritus ſanctus eſt, nec tamẽ tres dij ſunt, ſed deus unus perſonis excellens tribus: ſic & anima intellectus, anima uoluntas, anima eſt memoria, nec proinde animæ tres in corpore uno, ſed anima prorſum una, dignitate inſignis triplici. Propterea quum dicitur: Diliges dominum deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, ſic accipiendum, ex toto intellectu, ex tota uoluntate, ex tota memoria. Porrò nónne in plurimis ſeſe dei æmulum fateri uidetur homo? Quis neſcit ex Plinio, & alijs tum Græcis, tum Latinis, Zeuxin pictura nobilem tam artifici ingenio uuas pingendo repræſentaſſe, ut deceptæ aues ad eas, tanquã planè ueras aduolarent. Iam uerò Apelles quó nam ſilerimodo poſſit? cui tãtum ſuperfuit excellentis peritiæ, ut equam ſic ad uerum expreſſerit, & canem, ut prætereuntes equi adhinnirent, adlatrarent canes. Proditũ memoriæ eſt, marmoream Venerem arte tam mira ab Praxitele elaboratam, ut ſpectantes ſubinde libidinis titillarentur incentiuis. Quis Archytam neſcit Tarentinum ultra hominis captum adeo mathematicis rationibus progreſſum, ut è ligno columbam ſic affabre compingeret, libraret, inflaret, ut uerarum inſtar in uolatum ſurrigi uideretur? Id quod Phauorini, ueterum memoriarum exſequentiſſimi, monumentis proditum, & in Noctibus Atticis repetitum, ſcio. Aegyptios ſcribit Mercurius uirtute quadam inenarrabili deorum confinxiſſe ſimulacra, ut articulatam promerent uocem, necnon (ut nil admirationi deſit) progrederentur. Iam & Archimedis ingenium ſupra quàm ullo poſſit eloquio explicari, docile, perſpicax, & (ut uno omnia complectar uerbo) diuinum, in mundi opificio deum fere ipſum laceſſere uiſum eſt, quando tam concinne cælum conflaſſe æneum memoratur, ut inibi ſeptem uiſerentur planetæ, & ratione incomparabili etiam motus ueriſſime deprehenderentur, quando nec cæleſtis deerat uertiginis ſimulacrum. Nõ igitur miraculorum omnium maximum miraculum homo eſt? Sed audi quæ non inſcitè opinor, addi his etiamnum poſſunt. Homo quidem, ut Peripatetici aſtruunt, atque item Stoici, eſt quod anima conſtat & corpore. Pythagorici ac Platonici hominem eſſe putant diuinam quandam mentem terrenis uinculis alligatam. Apud illos itaque homin is pars animus eſt, apud hos totus homo animus eſt: Sed nil obſtat, quum dicatur corpore utens. Hoc ſignificaſſe uidetur ænigma magicum, quo dicitur, Eſt res undiq; lucida, eſt

res

res undiq; obſcura, eſt media quoq; tum lucis compos, tum caſſa. Mens ſiquidem eſt lumine plena, irrationalis anima prorſus uacua. In meditullio eſt, ac ueluti collimitio rationalis natura: quæ partem habet luminis intellectualis, parte caret. Anima immortalis, corpus morti addictum, quo quid admirabilius? Quod diuinum eſt, quod architecti obſignatum imagine eſt, uinctum (ut ſic dicam) catenis ab terreno, craſſo, obeſoq;, & re uera nugali pertrahitur corpore. Sed adeſt admiratio altera, quonam pacto in carcerem tenebricoſum intruſus animus afficitur ad diuina? Aut curnam Plato hominem nõ contentus miraculum appellaſſe, adiecit diuinum miraculum? An quia ex intimo prouidentiæ ſinu id ita profluxit? docuit certe Timæus, ab opifice mundi deo rationalis animæ ſubſtantiam emanaſſe. Hominem denicq; ne quid præteream ſciens, pronunciat Pythagoras, eſſe rerum menſuram. Id ænigmaticè prolatum ſic fermè intelligendum: ſenſu eũ utiq; ſenſibilia metiri, intellectu intelligibilia: quæ ultra intelligibilia ſunt, exceſſu attingi. Nam dum cognitiuam animam eſſe cognobilium ſcit finem, ex ſenſili potentia ſic ſe habere ſenſibilia ſcit: ut ſentiri ualeant. Idem & de intelligibilibus, ut intelligi poſſint. Excedentia autem ita, ut excedant. Quo fit, ut in ſe comperiat homo uelut dimetiente ratione, creata omnia. Hominem Mercurius etiam ſecundum eſſe deum uaticinatur, quãdo ſicut deus entium creator realium eſt, ac naturalium formarum, ſic & homo rationalium entium, ac artificialium formarum, quæ ſunt humani intellectus ſimilitudines, uelut creata diuini cenſentur intellectus imagines. Non prætereundæ parte hac Origenis præſtigiæ auſi prodere, quod & antè paulo attigimus, Animas fuiſſe in cælo angelos, ex peccati autem labe ad inferna deuolutas, & uelut in ſepulchra proturbatas. Siquidẽ corporibus coercitas ueterum delictorum ſupplicia luere. Nanq; corpus haud cenſendum CHRISTI templum, ſed planè damnatorum carcerem. Quo argumento animas Græcè ψυχάς nuncupari, ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι, quoniam priſtina exutæ caloris ui ad terrena ſint dilapſæ. Sicut uinculi ratione corpus eiuſdem linguę proprietate uocetur σῆμα, aut etiam ſepulchri, σῶμα.

Mundos eſſe tres. Hominem dici quartum mundum, in quo ſimulacra ſint reliquorum trium. Item eſſe ueluti Proteum. Pyramis. Aether quid, & æthra. Mundos eſſe innumerabiles, ex Origene. Cap. XVIII.

VErum eſſene putamus alia, quibus præcellens hæc, ueriſſimaq; miraculi ueritas poſſit amplius latiusq; comprobari? Audi, modo ne ſit faſtidio ſtudioſe lector rationalis naturæ peculiare ſymbolum noſſe, fateberis nil à me confictum, nil conquiſitum uiolenter, omnia ad uerũ appoſitiſſime cõgeſta: quæ artificis dei inenarrabile prædicent artificium. Cuius incomparabilis bonitas tam innumeris, tamq; immenſis inſtruxerat hominem ſuum dotibus, ut parentis ueriſſimã ſe inde imaginem recognoſceret, ni ita obbruteſceret quandoq;, ut cœno prouolutus teterrimo non iumentis modo, quod nec ipſum ferẽdum eſt, ſed planè reptilibus propinquior omnino fiat, quã luminum & claritatis patri. Sed nos interim querelis dilatis, agamus quod præſtat. Sunt auctores celeberrimi, qui ab maioribus mundos tres eſſe poſteris traditos, prodant. Eſſe enim primum, & quidem ſummum, in cuius contemplatione caliget mẽs, rerum adobruta magnitudine, hebeſcant ſenſus: nec ullo modo par ſit concipiendæ excellentiæ qualiſcunq; & quantuſcunq; ſit humanus animus. Vltramundanum hunc intelligimus, eximium, auguſtiſſimũ, incomprehenſibilem: quem ſcientiſſimis angelicũ, philoſophis uerò etiam Intellectualem mos eſt appellare. Cuius commeminerit Plato etiam in Phædro, illum aſtruens non poſſe pro dignitate uerborum copia ulla, uel ingenij præſtantia efferri, decantariq;. Proximum deinde locum habere, quem cæleſtem dicamus. Infimum uerò, poſtremumq;, quem ſublunarem nuncupemus mundum: qui ſit hominis maieſtati contributus, ſed quem etiam tenebrarum uocent conceptaculum, ſicuti claritatis incomprehenſibilis illum. Nam cælum mediæ cuiuſdam naturæ ex luce contemperatur, & tenebris. Nec me fallit doctiſſimos opinari, hoſce tres mundos eſſe mundum unum, quando ab eadem profluunt origine, & in eundem corriuantur fontẽ, & debitis numeris, harmonicaq; naturæ cognatione, & graduum ſerie colligantur. Adde, quod ſinguli ferè habent, quod in omnibus ſimul deprehendas: illo tamen diſcriminiculo, quòd quæ in mundo uiſuntur infimo, in ſuperioribus item pernoſcuntur, ſed am-

pliora auguſtioraq́. Siquidem noſtra hæc ab ſublimium excellentia abire longius & degenerare. Eſt apud nos elementaris ignis urens: eſt in cælo igneus ſol fouens uiuificansq́. Poſtremò ſeraphicus intellectus eſt ultramundanus ignis, amore ardens. Elementaris aqua calorem perimit adobruitq́ uitalem, alit cæleſtis. Supercæleſtis mens cherubica intelligẽtia ſupereminet. Sunt uerò qui quartum aſtruant mundum, in quo item recognoſcamus quæ in reliquis. Hic nõ eſt alius, quàm homo. De quo id extritum paſſiuumq́ circumfertur, eſſe utiq́ hominem mundum, ſed minorem: ſicuti cõmeminit etiam in Phyſica auſcultatione Ariſtoteles: cuius ſit corpus elementare, ſpiritus cæleſtis, uegetalis potentia, cuiuſmodi in plantis, ſenſus, perinde ac in brutis: adſit demum ratio, & mens angelica, & dei charagma inſignitius. Sed & mundus ipſe, magnus dicitur homo. Verum audi præſignem rerum excellentiã, audi quod admirari nõ deſinas. Tres eſſe mũdos, liquet. Sed eſſe in homine ſimulacra omnium, necdum fortè liquet. Atqui ſunt quidem argumento, quod nequaquam refelli aut dilui poſſit. Sic autem manifeſtò deprehendas, ſi hominem trifariam diſtribuas: ut ſit caput portio prima, quæ & ſumma: mox ſecunda, quæ media, ab collo ad umbilicum ſpatietur: reliquam habeant ima corporis. Hæc examuſſim ratione exactiſſima tribus mundis analogicè reſponſant. Caput rationis mentisq́ ſedes eſt. In pectore cor, motus, caloris, uitæ continet principia. Genitalis portio, ſeminarium productionis eſt. Mũdus itidem angelicus, ſiue intellectualem mauis nuncupare, intelligentiam habet, ut ſcopum. In mundo mediano, uita, calor, motus fontem habent: ubi cordis uice fungitur ſol, immoq́ cæli cor ſæpe appellatur. Noſter uerò mundus (ut palàm eſt) tum generationis, tum etiam corruptionis cõceptaculum. Iam arbitror, liquidò patet, eam eſſe hominis præſtantiam, immo uerò naturæ maieſtatem, ut meritò dici miraculum ualeat. Quod Barbarus quidam uerum nõ barbarè pronuntiaſſe, ſed ſcienter fertur: qui quum interrogaretur, Quid in hac quaſi mundana ſcena maximè putaret admirabile? Hominem, reſpondit, omnem planè admirationis captum excedere: ut qui non animalium modo princeps, & rationis ac mentis ſplendore diuino ſit, ueluti naturæ totius interpres: ſed tanquam Proteus aut chamæleon deſultoria quadam poteſtate ſeſe in quiduis ſubinde transformet. Cæterum illa omnium exactiſſima demutatio, qua mente ac intelligentia uiuens in animæ florem reuocatus tranſit in deum, quæ ſolida demum ac uera eſt humanæ excellentiæ admiratio. Inter placita Origenis eſt ex ſecundo περὶ ἀρχῶν, innumerabiles eſſe mundos: nec, ut eſt ab Epicuro proditum, uno tempore plurimos, & ſui ſimiles: ſed poſt mundi unius finem, alterius eſſe principium: nam & ante hunc mundum fuiſſe item alium. Scitu uerò nõ indignum, Pyramidem dici lucem igneam incorporei ac immaterialis mundi, qui uocetur Græcis αἰὼν, à noſtris æternitas, & æther: quando æthra quoq́ æternitatis indicet fulgorem, ubi non corpus uiſitur, non locus habetur, non uacuum, non tempus, ſed entia optimam uitam ducentia: ut ſcribit Peripateticorum Coryphæus. Aetherem hoc ſenſu accipit Pythagoras, quum ait: Si relicto corpore in ætherem liberum peruenieris, eris immortalis deus. Liberum dicit, ut qui ſit à materiæ potentia ſegregatus, caleſcat autem dei ardore, ac inſenſibili motu inferiora calefaciat: unde ſit æther nuncupatus, ἐκ τοῦ ἀεὶ θέρειν, ἤγουν θερμαίνειν.

An ex terra fortuito generari homo queat. Mira de animalium quorũdam ſpontali generatione. Venenatorum, & morſu obledentium origo. An eſſe poſſit uniuerſale diluuium, ex Auerroe. Cap. XI

SEd in hac rerum auguſtiore excellentia mirari ſuccurrit, quorundã parte hac parum perſpicacem, parumq́ excuſſam prudentiam, immo uerius oſcitantẽ planè, ac dormitantem ſapientiam: qui eximiam, ultraq́ quàm pro dignitate poſſit quis expendere, hominis amplitudinem nil prorſum ſuſpicientes, nec artificis ſtatera ſed trutina examinantes populari, eius productionem, & initialem originem incertis fortunæ flatibus mandare, nil ſunt ueriti. Phœnicum ſiquidem & Aegyptiorum theologia caſu homines, ac reliqua animantium genera prorepſiſſe è terra aſſeuerabat, nullum inter rationalem animam & irrationalem ſubſtantiam interſtitium opinata. Scribit enim Porphyrius, uiſibilis ſolis agente ui, animantes cunctas ex terræ profuſas uiſceribus, inter Aegyptiorum placita cenſeri. Quod ipſum nec Euripidi Anaxagoræ

goræ conſectatori diſplicuiſſe uidetur, aſſeruit & Archelaus cognomento Phyſicus. Verum inter alios mirari me plurimum ingenue fateor, ſingulari ſcientia uirum & ingenio exactiſſimo, ac ſubacto in primis, ideſt uſu, auditione, lectione ac literis perpolito cultoq; Auicennam, qui opere eo quod De diluuijs eſt, aſtruere eſt auſus: Poſt immenſas terrarum inundationes, humano ſemine nullo, tabidis tantum cadaueribus ſeminij ubertatẽ præſtante cæleſtium corporum affluentia, hominem & ſolere & poſſe reparari. Proinde colligit, nõ uideri ad generationis neceſſitatem uuluam requiri, aut locos, niſi ut melius formetur infans. Alias perraro admodum regionem inueniri generationi accommodã ob repentinas elementorum mutationes: Aſſertioni uerò ſuæ argumẽtum inde profert, nõ modo alicubi è terra mures progigni, qui mox per coitum mirè excreſcant: uerum ſerpentes quoq; ex mulierum præcipuè capillis concipi, quod productiores ſint, humectioresq; natura. Quin De animalibus item libro quintodecimo, ſibi amicum aſtruit fuiſſe, qui ſcorpionum generationem mirabili procurarit modo, à quibus mox alij plures propagati. Porrò, inquit, uideri quandoq; animalia produci capitibus longe à ſuo genere diuerſis, cuiuſmodi eſſet homo elephantino capite, aut aſinus canino. Id uerò fieri nõ poſſe, niſi cæleſtis cooperetur uirtus. Vnde coniectatio manifeſta, ineſſe illi formandi potentiam: Obſeruatum rurſus, ſtellarum quaſdam hominis generationem prepediſſe, quanquam cæteris ad generandum mire concurrentibus. Eſſe uero ſtellas haſce in arietis ſigno, quarum uirtute, monſtrifica ſuccreſcat ſoboles: diuerſa uerò ab ijs effici, quæ generationi ſint deſtinatæ, quod lapides probent natura producti ad membri uirilis muliebriſue imaginem. Vt uerò poetica item non omittamus, arbitratur in Theriacis Nicander, Venenata & morſu oblædentia ex Titanum ſanguine, hoc eſt Typhoei, eſſe cõcepta. Quin Heſiodum habere ſe auctorem fatetur. Sed apud illum hoc nuſquam compereris. Verum id genus animalia ex Typhonis cruore propagata, ſcribit Acuſilaus. Apollonius uero Rhodius in Alexandriæ conſtitutione, ex Gorgonis guttis ſanguine ſtillantibus. Sed ad rem. Huius denicq; ſententiæ, quæ Auicennã præfert auctorem, Auerrois item commeminit octauo Phyſicæ auſcultationis, ubi ait: Hominem ex terra generari, poſſibile arbitratur Auicenna. Cæterum aſtructio hæc infauſta, & ueritatis neſcia, cenſeri debet, niſi Moſaico intellecta ſenſu: auctor enim Auerrois eſt, ſufficere quidem ſtellas animalium generationi nõ perinde diſſimilium, quo in genere mures ſint, ueſpertiliones, talpæ. Ad perfectiorum uerò productionem, ut hominis & leonis, imparem eſſe cæleſtium corporum uim. Et de homine quidem cõſtare creditur, quoniam eius anima nõ educitur de potentia materiæ, ſed contribuitur ab datore primo, uel ex philoſophicis ſcholis: propterea q; ad eius productionem præexiſtere hominem, neceſſe eſt. Sed & in cæteris item perfectis aſtrui fere hoc ipſum poteſt. Eorum quippe generatio nõ parui eſt operis, ſicuti auctor Ariſtoteles eſt: ad eamq; plura concurrant, oportet. Aſſerit quoque tertio De anima Auerrois idem, diluuium ita nunquam inundaſſe terras pernicioſe, quin aliqua euaſerint animalia: nam quum ſtellarum diuerſa ſit poteſtas, ſi quarundam ui alicubi ſcaturiat inundatio, alias diuerſæ, ac interim contrariæ uirtutis aliud poſſe alibi efficere. Sed non inutile forſan uideatur Auerroica protuliſſe argumenta, quibus ſubuertitur Auicenna: Si fieri poſſet, inquit, hominem è terra generari, ut concipiuntur uermes, tunc aut foret id neceſſarium, aut maiori ex parte, aut minori. Quod ſi neceſſarium, tunc ab homine non omnino generaretur homo. At ſi maiori ex parte, tunc ab homine generaretur homo minori ex parte. Si & caſu hoc contingeret, minori utiq; eſſet ex parte, ideſt caſu: eademq; inueniretur ſpecies, natura & caſu. Quum tamen quod caſu fit, ei ſemper opponatur quod naturæ prouenit ui. Si uerò ſic detur, perierit comparatio cauſarũ, & reſpectus ad ea quæ ex cauſa profluunt, & inde neceſſarij tolletur natura. Et mox idem Auerrois: Nulla, inquit, ſpecies inuenitur caſu: at quæ huiuſmodi comperiuntur, monſtroſa intelligi utiq; debent, non naturalia. Et hoc totum per ſe manifeſtum fit. Illud omnino mirum, quibuſdam ex philoſophis traditum, quia reſpuat natura infinitum, uideri forſan non impoſſibile admodum, aliquem unum aſſignare hominem nullo æditum humano ſemine: quod duodecimo Metaphyſices Ariſtoteles innuit, eumq; τέλειον uocat, ideſt perfectum.

Homo

Homo duobus modis ab Hebræis dicitur, Enos, & Adam: ſed Adam, idem eſt ſimpliciter quod homo. Vnde ſit coniectatio, hominem recte ab humo dici. Animantium interſtitia compoſitionis ratione. Cap. xx

QVoniam uerò de homine nobis indago eſt propoſita, nõ inepte opinor, hic illud inſeruerimus, Eum in Hebraica ueritate duplici inſignitum uideri nomenclatura: aut enim dicitur Enos, aut Adam. Sed Enos Latino interpretamento nõ ferè ſignat aliud, quàm hominem uerum: & hunc nõ alium intelligunt, niſi qui deum uerum ſcienter cognoſcat & pie colat. Reliquos ab pecoribus nil admodum diuerſos opinantur, quoniam uelut beſtiæ ad terram proni, uentri obediãt & Veneri: quorum alios lupos, alios canes, alios porcos, uaria quadam uitiorum ſimilitudine appellant. Adam uerò eſt humani generis appellatio communis, quo nomine terra natus ſignificatur. Eademq; uoce utrunq; includi, marem, fœminamq;, probat Geneſeos quinto ſcriptura: Maſculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & uocauit nomẽ eorum Adam. Quo in loco teſtantur interpretes, & eſt cõtra louinianum ab Hieronymo cõfirmatum, ſed & in libro Hebraicarum traditionum in Geneſim, dictionem Hebraicam id ſonare quod apud nos homo. Nam & Caius ait, hominis appellatione, tam maſculum quàm fœminam contineri. Quamobrem Lactantium arbitror ad credidiſſe, uideri appellatum hominem, quòd ſit factus ex humo. Sed etymon id Fabio nõ admodum arriſit, Quaſi uerò nõ omnibus, inquit, animalibus eadem ſit origo: aut illi primi mortales antè nomen impoſuerint terræ, quàm ſibi. Cæterum quàm procedat Quintiliani ratio, perſpicuum arbitror ex ijs quæ propoſuimus. Hinc quum in ſanctis literis dicitur filius hominis CHRISTVS, Adæ filium intelligunt eruditiores. Quum uerò ex animalibus dicantur quædam ἀγελαῖα, ideſt gregalia: quædam μοναδικά, id eſt ſolitaria: nõnulla σποραδικά, quæ inciuilia dixeris, & ſparſim habitantia: hominis naturam ἐπαμφοτερίζειν apertum eſt, quod ancipitem ſignat ſocietatis & ſolitudinis. Putauit fortè Fabius, ex ſociali coitione nuncupari hominem, ex Græcis rationem aucupatus, apud quos ὁμοῦ inſimul ſignare manifeſtum eſt. Verum Hexaemeri ſexto Ambroſius, ab humanitate inflecti nomen eſt opinatus, ſicuti ab intuendi uiuacitate ἄνθρωπον à Græcis nuncupari. Vbi uerò in literis ſanctis legitur: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc uocabitur mulier, quoniam ex uiro ſumpta eſt, Non uidetur, inquit Hieronymus in libro Hebraicarum quæſtionum in Geneſim, in Græco uel Latino aptè reſpondere. Id uerò Hebraicè ſeruatur ratione etymologica integrum, nam uir appellatur is, & mulier iſſa. Propterea Græcè Symmachus: αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη αὕτη. quod Latinè haud exprimas aliter, quàm Vocabitur hæc uirago, quia ſumpta ex uiro eſt. Illud uerò huic potiſſimum loco impingam, ab inſtituto nil prorſus diſſentaneum, Ex animantibus quæ plus habeant aeris, ea eſſe prætenera: quæ uerò aquæ, lenta humoris ui: quæ terroſa, duritiem præferre. At quæ ignis exuberent copia, uideri utique fragiliora. Ex ijs porrò liquere poteſt, unde ſit, quòd ſi recipiat aquam & harenam calx, confirmatur ſtructura. Non diſſidet ab ijs illud quoque, uolucres in aere ſuſpenſas ideo perſeuerare, quod de leuioribus conſurgant principijs, quippe minus habent terreni atq; humoris, item aeris multum cum caloris temperatura. Aquatiles autẽ piſcium naturæ, quod à calido cõtemperentur, ex aere terrenisq; compoſitæ plurimum, humecti minimum habentes: proinde, quo minus è principijs habent humoris, facilius in humore perdurãt. Terreſtria uerò, quod è principijs ab aere caloreq; temperata ſunt, minusq; habent terreni, humoris plurimum, haud ita diu in aqua perſeuerare quiuerint. Empedocles nõ ſatis peritè animalia cenſet calidiſſima, & ſummam ignis uim habentia, eſſe aquatilis generis, quo caloris exuperantiam, quam in ſeipſis incluſam ſentiunt, euitent. At ſumma ratio eſt, inquit in libro De ſpiratione Ariſtoteles, ut quæ ex humore ac frigore conflentur, in humore locentur: quæ ex ſiccitate, in re omnino ſicca: unde fit, uti arbores non aquarum, ſed terræ, quaſi uernaculæ ſint. Porrò quæ calida in aere, ſi humor & ſiccitas, ut materia, omnibus ſubſternuntur corporibus.

Quibus item probetur homo ſimilis mundo. Apocataſtaſis quid. De ſtellis in quatuor mundi cardinibus. Hominis laus ex Cicerone. Cap. xxi

Quod uerò

QVod uerò attinet ad hominis cum mũdo aſſimulationem, id item adiici poſſe, animaduerto: nam inquit in Polyhiſtore Iulius Solinus, Quãtus manibus expanſis inter digitos longiſſimos modus eſt, tantum cõſtat eſſe ferè inter calcem uerticemq; ſummum: ideoq; ab phyſicis coniectatum, hominem eſſe planè mundum quendam minorem. Commeminit horum & affluentius quoque primo De animalibus magnus Albertus, aſtruens hominis membra ſitu ac poſitione cælo eſſe cõſimilia proportione ac mundo, ideoq; eſſe perfectiſſima. nam ueluti ſuperna mundi mouet intelligentia, & regit: ita humanum caput, in quo intellectuales ſunt uirtutes & animales, ſupernam obtinet ſedem. Verum ex quo cœpimus, ne prætereamus id quoque quod afferri ſcitiſſime poteſt: ſiquidem apocataſtaſis illa ueteribus obſeruata & prodita, imaginem hanc adiuuat eximie. Ea uerò nil eſt aliud, quàm reſtitutio ſiue redintegratio rerum, quæ certis temporum curriculis redeat ad metam. Fit autem uel per ἐκπύρωσιν, hoc eſt cõflagrationem: aut per κατακλυσμόν, id eſt inundationem. Id ipſum uerò quod in homine magno uſu uenit, nec à paruo item abeſſe, cõpertius eſt animaduerſum à peritiſſimis rerum, ubi tranſmiſſis uitæ ſpatijs, interuenit reſolutionis neceſſitas. Quãdoq; enim intimo calore auctius graſſante, incenduntur uitalia. Quandoq; uerò corpus nimis laxatum humorum inundationibus euaporat. Ita ſemper aut ignito ardore decoquimur, aut nimia deſudatione diſſoluimur. Nec aliter artis medicæ prudentiſſimi interpretes, ſubſtantiam humani generis naturali pronuntiant ratione compleri, niſi aut humore igneus contabeſcat calor: aut hoc amplius inualeſcente, humectatio exareſcat omnis. Sic omnifariam ad mundi imitationem artifex natura, ſiue deus potius hominem compegit: ut quicquid mundum ſeneſcentem perimit, uel inſtaurat nouum, id ipſum hominem quoq; aut natum foueat, aut adultum perducat ad interitum. Sed animaduerte quæſo, quæ ab peritioribus ſunt uſibus noſtris prodita: eſſe uidelicet per ſingulos mundi cardines à conditore ac principe deo ſtellas ratione mira cõſtitutas: quarum prima ſit, & orientalis ἀνατολή nũcupata: occidua uerò δύσις, quo nomine ſignificatur occaſus: nam & δυτικὰ ζῶα uocat Ariſtoteles, quæ demergi in aquam ſolent. at quæ ab Aquilone refulget, Arctos: in diuerſa uerò parte, quæ medij eſt diei, μεσημβρινός. Ex quibus, demptis modò elementis primis, coaleſcere ac conſurgere parentis primi nomen, nõ ingenioſius, quàm admirabilius excellentis doctrinæ uiri deprehendere. Nec fallimur parte hac, cæleſtium peritos, cardinalia intelligere loca, ortum, occaſum, meſuranema, ſeu apogæum, id eſt cæli medium, & hypogæum, ideſt cælum imum. Hęc ſi quis omnia intentius in digitos mittenda curarit, fateatur neceſſe eſt, auguſtiſſima quadam & prorſum inenarrabili ratione in uitalem hanc lucem hominis ſpeciem eſſe productam. In quo ſi quis etiamnum tam inſcitè pertinax eſt, ut ambigendum putet, Age perpenſione nõ ſopita conſyderemus amplius, quãtum ſingularis eminentiæ præpotens illud agens huic animalium principi benigniſſimè ſit elargitum, ut rerum inuolucris exſolutis, & ſacrarijs illuſtrius reſeratis, deſinat homo imprudenter, & proinde ingratè ſummi opificis fœcundiſſimam æſtimare bonitatem, quando paterno affectu ornauit præcelſe, & fouit ampliſſime, libeat modo munerum recte magnitudinem metiri. Ab ſummo quippe deo, ut M. Tullius inquit appoſitiſſime, ex tot animantium generibus atque naturis homo tantum factus eſt rationis particeps & cogitationis. Quid eſt autem, nõ dicam in homine, ſed in omni cælo atq; terra diuinius ratione? quæ quum adoleuit atque perfecta eſt, nominatur rite ſapientia. Eſt itaque, quoniam nil eſt ratione melius, eaq; in homine eſt & in deo, prima homini cum deo ſocietas, mox & hominum inter ſe eiuſdẽ lege cõciliatio, & ciuitatis communio ſub cæleſtis diſcretionis, ac diuinæ mentis & dei præpotentis imperio. Ciuitas uerò ea non alia, quàm mundus, ſpiritibus auguſtioribus, & homini communis.

Omnis noſtra dignitas ab anima eſt, quæ uehiculum eſt ad deum, & imago mentis. Spiritus corpora præparat ad animæ ſuſceptionem. Auguſtini, Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis opinio de anima. De Entelechia quæpiam. An per accidens corpori inſinuetur anima. Et an fuerit ante corpus. Caput XXII

Quo uerò

QVo uerò exploratius pernoſcantur quæ dicimus, iam hinc præcerpere quæpiam, futura (ut reor) ſtudioſis non ingrata de animæ ratione, non diſerentis philoſophi modo, ſed narrantis potius, quæ uaria nec incurioſa ſuggeſſerit lectio, ingrediemur. Siquidem omnis noſtra dignitas ab anima eſt. Orbati nanque anima, ſterquilinio abiectiores eſſe uidentur. Iam uerò, inquit Plotinus, propter ipſam hic mundus eſt deus. Sol quoq; deus eſt, quoniam animatus: ſtelleq; ſimiliter omnes. Quòd ſi animam ipſam admiraris in alio, admirare te ipſum. Quumq; ſit anima res tam ueneranda, tamq; diuina, confiſus iam tali quodam uehiculo ad deum te acceſſurũ, hoc ipſo ad illum aſcende. Nec tamen longius es uagaturus, ſi ſumpſeris quod eſt in hoc diuino diuinius, id eſt uicinitatem animæ ad ſupernum, poſt quod uicinum, & à quo eſt anima. Quando eſt anima imago quædam intellectus ipſius, quemadmodum uerbum in prolatione, uerbi exiſtentis in animo, ſic & anima mentis eſt uerbum, & tota eſt actus atq; uita, quam producit in alterius exiſtentiam. Sunt ex Platonicis qui aſſerant, præter uitas animantium proprias, ſubeſſe cunctis communem uim uegetalem, totam ubiq; uigentem, quæ & præparet materias propriis animis, & tempore certo cõſeruet, & in unum uiuentia cuncta cõciliet, Hunc Pythagorici referente Sexto Pyrrhonio, eſſe dicunt ſpiritum in modum animæ rebus cunctis interfuſum. Animum eſſe finiuit Auguſtinus, ſi modo ſubditiuius liber hic nõ eſt, cui De ſpiritu & anima titulum indidere, ſubſtãtiam quandam rationis participem, corpori accommodam regendo. Animus, inquit, ſapientia illuſtratus, principia reſpectat ſua, ſeq; ipſum agnoſcit: quamq; indecorum ſit, haud ignorat, ſi extra quæritet, quod in ipſo ſe continet. At ſi affectionibus cõſopiatur corporeis, & ſenſibilium illectatione formarum extra ſe feratur: quid ſit, aut fuerit, uolens obliuiſcitur, nilq; eſſe opinatur, præter quod uidetur. Quòd ſi per intelligentiam ab hiſce reuocetur, ſeſe ſurrigens ac colligens diſparatum, rationalis iam euadit. Eſt ſiquidem ratio animi aſpectus, quo per ſe ipſum uera cõcipit ac ſpeculatur. Nam dicitur ratiocinatio, rationis inquiſitio. Quo fit, ut ad uidendum, illa ſit opus: hac uerò, ad inquirendum. Anima porrò credi nõ debet dei pars, ſed creatura: nec de ſubſtantia dei producta, uel de qualibet elementorum materia, uerum ex nihilo creata. Nam ſi de ſe ipſo ab deo foret effuſa, nõ utiquè ſceleribus inficeretur. Quòd ſi ex elementis, tunc planè eſſet corporea. Pythagoram nõnulli ſcribunt, Animæ ſubſtantiam in animas diſtribuiſſe plures, quæ diuerſis contribuuntur membris, ita quod eorum ſingula animalia ſint: ut cor animal unum, item cerebrum animal, & deinceps: ut animal unum ex pluribus uideatur animalibus compactum. Putant & Platonem credidiſſe, Animam ex diuerſis conſtare ſubſtantijs iuxta eſſentiam & ſitum. Quia uerò congruant animando, unam dixiſſe animam unumq; animal conſtituere. Id & Ariſtotelem eſſe opinatum, ubi De animalibus libro decimoſexto ait, Ineſſe infanti primum uegetatiuam animam, mox auctiorem habere & ſenſilem, per quam dicitur animal. Ad quod ferè uidetur reſpexiſſe poeta diſertiſſimus Pontanus, ubi in laudibus diuinis de hominis fabrica, ſic ait:

Mox auram ætherio de fomite fundit in illum.
Viue ait, & proprio membra labore foue.
Arcanæ mox partem animæ de mente profunda
Libat, & erecti ſpirat in ora uiri.

Sed reuera cuiuſq; animati una eſt anima iuxta ſubſtantiam, ex poteſtatibus uerò plures. Quod uidetur ſenſiſſe Ariſtoteles primo De anima: Dicunt, inquit, diuiſibilem eſſe animam, & alio quidem intelligere, alio autem cõcupiſcere. Cæterum ſcire amplius cõuenit, apud Philoſophum hunc aliud eſſe mentem, aliud entelechiam. Quippe illã νοῦν uocat, & immortalem opinatur: hanc uerò animam intelligit, & mortalem planè. Proinde ſecũdo De anima, eſſe animam ait entelechiam corporis primam naturalis, potentia uitam habentis, cuiuſmodi ſit organicum quodcunq;. Entelechiam ſunt qui Latinè perfectihabiam ſint auſi interpretari: quando, ut Themiſtius inquit ex Ariſtotelis doctrina, eo nomine nõ aliud ſignificetur, quàm perfectionis habitus: etiam ſi M. Tullius Thuſculanarum primo, Motionem indicari perennem ſit arbitratus. Quum tamẽ ἀκίνητον τὸν ψυχὸν, ideſt animam immobilem, Ariſtoteles pronuntiet, omnis uerò auctorem motus. Subolet tamẽ eruditioribus interpretamentum illud de perenni motione

ſubditiuium

ſubditítium eſſe, nec de ſummi auctoris officina propagatum, ſed ab ſciolis & male feriatis inſertum, quod genus multa tum Græce agnoſcimus, tum Latine. Entelechiam porrò etiam in brutis accipi uolunt, nec in ijs modo, uerum & in plantis. Dici autem entelechiam, ueluti ἐντελοῦς σωοχλώ, id eſt corporis perfecti coaptationem, comprehenſio nemue. Sunt qui entelechiam intelligant duplicem: aut enim, inquiunt, anima eſt irrationalis, uel etiam phyſica, quæ à corpore diſparari prorſum nequit: aut rationalis eſt anima, quæ ſeiungi ualet à corpore. Scitu dignum quod Lucianus ſcribit in ſermone, cui titulus eſt δίκη φωνηέντων, Endelechiam prius dictam, mox in Entelechiam declinaſſe: accuſatur enim ibi τ, ubi ait, ἀκούετε φωνήεντα δίκας, τὸ μὲν Δ λέγοντος, ἀφέλετό μου τὸν ἐνδελέχειαν, ἐντελέχειαν ἀξιοῦν λέγεσθαι παρὰ πάντας οὓς νόμους. Animas porrò humanas ſunt qui per accidens corporibus autument inſinuari, ac eſſe modi eiuſdem cum ſpiritalibus ſubſtantijs, corporibus quæ non iunguntur. Proinde cum angelis ſimul omnes creatas produnt. Id quod Chriſtiana reſpuit ueritas. Si enim per accidens infundatur corpori anima, eſſet utiq; homo ens accidentale, uel animam eſſe hominem, daremus. Quod ab ueritate agnoſcitur diſſentaneum. Animam uero noſtram non eſſe cum angelis naturæ eiuſdem, liquet ex intelligendi ratione diuerſa. Neq; enim percipit angelus ab ſenſu mutuando, & ad phantaſmata ſe conuertendo. Proinde corporibus indigent animæ, ut ſenſilis perficiatur poteſtas. Adde, ſi animæ eſt naturalis corporeus nexus, nimirum corporis abiunctio præter naturam eſt, nec tunc perfectionis eſt compos anima. Quamobrem ab imperfectis deum eſſe exorſum, haud fieri probabile: ab ijsq;, præter naturam quæ ſunt, neq; enim manuum aut pedum exortem fecit hominem. Propterea citra corpus animam multo minus. Quòd ſi coniunctionem eſſe naturalem inficiaris, unde fiat amplius quærendum. An ex animæ ipſius uoluntate? Sed quo modo non abſurdum? Cur enim ſi corpore non indiget? Nam ſi indiget, naturale iam fit: neq; enim in neceſſarijs deeſt natura. Porrò cur poſt tantum ſpatij decurſum cõiunctionem expectant? Deinde caſu ita fieret, ut huic corpori inſinuaretur anima hæc: exigitur quippe aduentantis animæ uoluntas, & hominis generantis. Quòd ſi uiolenter adigitur, ſupplicium erit, ac euidens calamitas. Quod & Origenem magno errore opinatum, aduertimus, qui ob peccati pœnam in corpora intrudi animas, prodit. Quare ante corpus fuiſſe animam, haud ſentiendum. Auguſtini ſententia eſt, Dei nutu ad corpus animam uenire: ut ſi ex præſcripto uixerit, æterna conſequatur præmia: ſin aberrarit, dolore torqueatur perpeti, ſeu igne æterno.

Animæ diſtributio ſecundum potentias. Mentem eſſe uice luminis, & inſtrumenti, & uiſus. Qui ſit Ianus bifrons. De mentis capite, ſiue flore. Animæ officia tria. Quid ſit animam à corpore ſegregare. Animus & anima quo diſcernantur. Plinij locus declaratur. Cap. XXIII

TRaditur ergo ab eodem philoſopho Ariſtotele, Poteſtates animæ eſſe duas, alteram quidem rationis impotem, alteram uero compotẽ. Prior pars in duo diſſecatur: in nutritiuam, quæ rationem audit nunquam: ſenſilem appetitum, qui obtemperet quandoq;: & hic duplex intelligitur, concupiſcibilis & iraſcibilis. Poteſtas rationalis diſtribuitur item in duo, in rationem actiuam, & ſpeculatricem. Virtutes morales in uoluntate conſtituit, & appetitu, qui rationi obtemperet. Cæterum earundem principia uirtutũ in actiua ratione, uirtutes ſpeculatiuas in ratione ſpeculatrice. In ſexto Moralium Ariſtoteles item, rationem eſſe aſſerit humanæ animæ partem: duoq; agere, cognoſcere ſcilicet, & humana gubernare per prudentiam atq; artem. Naturalia uero, diuinaq; per ſapientiam contemplari, quæ intelligentia & ſcientia continetur. In libro item Encyclicarum quæſtionum, Ab natura, inquit, quæ omnium parens & auctor eſt, duo nobis inſtrumenta eſſe contributa, quorum maxime opera extrarijs uti ualeamus inſtrumentis: manum ſiquidem corpori eſſe inſertam, animo autẽ mentem: nam & hæc, inquit, inter ea quæ elargita nobis natura eſt, recenſeri debet, uice utiq; fungens inſtrumenti. In primo De moribus, Mentem eſſe inquit, in anima, ſicuti eſt in oculo uiſus: & Rhetoricorum tertio, Mentem inquit, ut lumen, accendit in anima deus. Vt uero Ariſtotelicum dogma exequamur plenius, Intellectiuæ potentiæ partes eſſentiales duas aſtruit philoſophus is, intellectum potentia, & intellectum actu. Sunt enim

inferiora ſuperiorum imagines: proinde à corporum compoſitione ſeparatarum item ſubſtantiarum animaduertitur compoſitio: quippe præter primum omnia pernoſcũtur compoſita. Illud autem in Metaphyſicis entelechiã eſſe ſolum, & actum pronuntiat purum. Reliqua uero quum à primo eſſentialiter diſparentur, neceſſario compoſitionem reſipiunt. Sicut autem ex materia & forma conſurgunt corpora ratione haud diſſita, intelligentiarũ coaptatio deprehenditur. Quæ eſt intellectus potentia, & actu intellectus. Neq; enim in ijs materiam agnoſcit, & formam: ſed his proportionales partes, intellectualibus accommodas ſubſtantijs. Et quando potentiam in corporea conſpicimus materia, & in forma actum: itidem ſubſtantiarum ſeparatarum eſſentiales portiones intellectum potentia, & actu intellectum conſtituit. Cæterũ ſuper re hac plura paulo ſequenti uolumine. Sed ne quem nominũ diuerſitas implicet, ſcire licet, apud Platonicos mentem intelligi duplicem: alteram inferiorem, quam rationem appellant: diuiniorem alteram, ſuperioremq;, quam intellectum nuncupant. Illa humana temperat, & moderatur: hæc diuina ſuſpicit, & contemplatur. Quæ ſanè mens ita diſtributa bifrontis Iani rationem complectitur. Auguſtini illud planè diuinum: Diſtribuitur, inquit, ratio in id quod ſuperius & quod inferius, in ſapientiam ſcilicet ac prudentiam: ceu dicas, in uirum ac mulierem: ut ſit ſuperior, uir, & regat: inferior, mulier, ac regatur. Vnde eſt illud: Melior eſt iniquitas uiri, quàm benefaciens mulier. Melior quippe eſt, qui cæleſtium deſiderio ſuflammatus carnem neceſſaria ſubtrahendo afflictat, quàm qui uoluptatibus delinitus ex aſſe illi ſatisfactum uult. Huius porrò ſpeculatricis mentis intimam uim Plato, mentis caput nuncupauit. Sed dicitur animæ item unitas, centrumq; totius animæ. Zoroaſter ille ſcientiſſimus, & ueterum theologorum fons, uocat ψυχῆς βάθος ἄμβροτον, id eſt animæ immortalem profunditatem: propterea inquit, Quoniam anima per potentiam patris fit ignis ſplendidus, domínetur in te animæ profunditas immortalis, & oculos omnes unà tolle in altum, tunc neq; item materiale corpus in præcipitio relinques. Ignem uocat, ut obiter hoc à me tuleris ſtudioſe lector, luminoſam claritatem, quam impertitur animæ deus: cui per unitatem ſibi impreſſam, quæ eſt unitatis diuinæ character, coniungitur: abs qua unitate animæ, tanquam à centro, profluunt uires aliæ. Oculos uero ubi ſurrigendos omnes ait, quæ in cognitione uerſentur, potentias intelligi uoluit. Præcipitij uero nomine mundi uocat partem infimam, magica loquendi conſuetudine. Porrò mentis caput hoc aliubi idem magnus auctor florem mentis appellat, ὅ τι νοητὸν, ὃ καὶ ἐστὶ νοεῖν νόος ἄνθος: eſt intelligibile aliquid, quod mentis flore apprehendendum eſt. Ex ijs uero quæ hìc prodita nobis ſunt, tria potiſſimum animæ humanæ collige munia: unum, quo agit in corpore: aliud, per corpus: tertium, per ſeipſam: & agit quidem in corpore per eam uim, quam uegetatricem Peripatetici, Platonici uocant naturam. Per corpus agit, ſenſibus utens, tum interioribus, tum exterioribus. Per ſeipſam uero, quum animæ uis mera, incorporea incorporeis intendit: quam quidem actionem intelligentiam nuncupant. Ad quam Plato reſpiciens, Plotino interprete, de anima noſtra ait, eam tum condere caput intra cælum, tum extra cælum caput attollere. Quum uero in Phædone, & Theæteto ſeparare animam à corpore iubet, non loco præcipit ſegregare. Sed monet, ne corpori animus adnuat, neq; imaginationi conſentiat, neq; ob corporis cõmercium alienetur à mente, conetur q;, quatenus effici poteſt, ſubdiuam ſibi animæ ſpeciem ſecum ad ſuperiora perducere. Porrò ſicuti traditum ſcimus in libro de Platonis dogmate, ac Hippocratis, Animæ potentias Plato animas nuncupat, propria cuiuſq; ſubſtantia excogitata. Et eſt una quidem animantium deſtinata nutricationi, plantis etiamnum promiſcua: cui uelut fons, iecur eſt attributum, unde tanquam fiſtulæ in corpus totum propagentur uenæ. Facultatem hanc nunc epithymeticen nuncupant, phyſicam quandoq;, nonnunquam & threpticen. Aliam uero animam in corde conſtituit, quod & ipſum eſt caloris innati cõceptaculum, ex quo ſeſe promant arteriæ. Huius item euariat nomenclatura, dicitur nanq; ζωϊκὴ facultas, & θυμοειδὴς. At quæ λογιστικὴ appellatur anima, capitis ſibi arcem uendicat, actionum ex propoſito, ac ſenſuum dux, cui ſubſeruiant neruí, uelut ſenſuum uehicula, & motuum, qui corpori affunduntur uniuerſim. Animum & animã, inquit Auguſtinus, pro eodem capimus: anima tamen uitæ eſt: animus autẽ, conſilij. Proinde ab philoſophis aſtruitur, ſine animo uitam perſeuerare: citra mentem, ani-

mam

mam quoq;,ut in amentibus.Et Plinius ipsum hoc innuit,quum deum sic describit:Totus est,inquit,animi,totus animæ.

Quod sit animæ idolum:item quę imago,& umbra.Ex quibus fiat animal. Adam & Euæ mystica interpretatio. Cap.XXIIII.

ANima,Platonici inquiunt (nam eorum præcipuè uerbis rem collibuit explicare,quod sæpe facimus,ut dictis auctoritas accedat maior: comparet, contendatq; qui uolet) substantia est,& uita. Actus hic eius inseparabilis,substantiale quiddam est,ac uiuificum: qualitas hinc tributa corpori accidens est, & quasi uitale.Actum illum appellamus animæ idolum, in quo sensus est uegetalisq; natura.Qualitatem uerò illam animæ dicimus imaginem & umbram, ex qua & corpore fiat compositum,in quo uoluptates doloresq; sint corporales:quarum perturbationum sensus ad idolum animamq; perueniant, perturbationes nequaquam . In ijs uerò aduertendum eximie,quo sensu Plotinus, Origenes & Ammonius Mosaica mysteria sint interpretati.Siquidem hominem ipsum, idest animam intelligunt,quasi Adam. Humanum uerò animal inde tractum,atq; degenerans, quasi Euam:tractum,inquam,ex anima dormiente:hæc enim tunc animal ex se propagat, quando ex pristina apud deum uigilia ad naturalia labens,diuinorum oblita iam dormit & somniat. Itaq; tum uitam corpoream generat,quasi Euam.Animaduerte hanc primò peccantem,illum deinde consentiẽtem. Sed intellectum illi quasi angelum præsidentem, & mox increpantẽ, & angelo deum. Denicq; duo in carne una,idest duas quasi in eodem corpore animas.Sed & magnus nostræ religionis auctor Augustinus super Psalmum quadragesimum octauum:Singulis, inquit,nostrum inest mulier hæc:quippe caro nostra, Eua est,quæ seducit uirum,idest rationem,per quam carnem labitur homo, quem lapsum calcanei nomine prophetica indicat sententia.

Vegetatricis animæ munus triplex. Altricis facultatis organa duo:item munia quatuor.Epeleustice motio quid. Cap.XXV

SEd age postea quàm in animæ officia uolentes procurrimus, adijciantur ijs ex Peripatetica schola:quæ tum sint usui legisse, tum uerò nostrã hanc sciendorum congeriem instruant, & exuberantius congerminare quodammodo faciant.Sciendum est, inquit Thomas in secundum Aristotelis De anima librum,& ex philosophi eiusdem sentẽtia Themistius ferè, inter uegetatricis animę operationes tres ordinem haberi quẽdam.Nam munus primum nutricatio est,qua seruatur aliquid,ut est,sequens est perfectius,dicitur q; augumẽtatio.Ea proficiũt enutrita in perfectionem ampliorem,tum quãtitate,tum uirtute. Tertium uerò perfectissimũ est, ac finale. Hæc generatio est,qua aliquid iam quasi in seipso perfectum existẽs alteri præstat, ut sit.Tunc enim unum quodq; maximè perfectum est,ut quarto Metaphysicæ comprobatur,quum producere quippiam eiusmodi potest, quale ipsum est.Proinde quia à fine nuncupari omnia,consentaneum est, & itidem definiri, finis uerò operum uegetatricis potestatis est,alterum generare quale ipsum, consequitur, esse illam primæ animæ congruam definitionem:Vegetatrix est,quæ alterum eiusmodi queat generare. Sciendum quoq; illud,quod Aristotelicum item est ex secundo De anima, esse organum duplex, quo altrix facultas perficitur,separatum,& coniunctum. Et alimentum quidem separatum intelligitur organum & inanimum:coniunctum uerò, calor intimus, quo ipsum id unde alimur,excoqui possit.Ex quo colligitur,Animatum omne quod connutritur,calorem necessariò requirere,qui sit concoctionis exordium.Cæterum altrix hæc facultas quadrifariam munus implet proprium:attrahit enim, aduocatq; primò cibum: mox aduocatum perficit,digeritq;:inde secernit, quod nutricationi sit accommodum,retinetq;: postremò retrimenticia,feculentaq; excernit, aut seceſſu,aut urina, aut sudore, aut alio quouis modo. Potestates uerò hæ in Græcis auctoribus Græcè ita nominantur,ἕλκτικὴ,ἀλλοιωτικὴ,κρατητικὴ,ἀφεκτικὴ uel ἀφεκτικὴ: at dicta eisdem Græcis ἐκκριτικὴ, nil ad propositum spectat negocium.Est enim Plutarcho tradente, motio in præcipua facultate animæ,qua propositis duobus eodem se modo habentibus, eiusdemq; potestatis, necessitate iniuncta alterutrum eligendi, quamuis euidens causa nulla sese promat, alterũ tamen adnuente malumus animo.Dicitur uerò epeleustice,quasi aduentitia, uel superueniens

ueniens,quod non uernacula rei ratione fiat electio, ſed extrinſeca noſtri animi proclinatione. Dicerem plura,ſed alieno loco ſatis multa: ne fiat planè quod ille ait, ἀκρόασις ἀκροατική, hoc eſt ſeſe oſtentans auſcultatio.

De animali uirtute,item naturali & uitali,ex Auicẽna.De ſyntereſi,& conſcientia.Virtus in ijs quid. Cap.XXVI

CAeterum quia medicorum ſcholæ ſuas habẽt in hac re diſtinctiones,ſua item uocabula,non erit moleſtum diuertiſſe paululum in Auicẽnæ hortulos,multis ſæpe doctrinæ floribus peramœnos,arridẽtesq;. Ergo doctrina ſexta Fen primæ primi:Omnium,inquit, operationum uirtus initium eſt:hac enim abiuncta,abſciſſaúe,nulla erit operatio. Virtutum uerò apud medicos genera tria ſunt, uitalis,animalis,naturalis.Sicuti uerò deus unus,trinus, uerus ac perfectus omnia complectitur,implet,fouet,ſuperexcedit,ambit: ita & anima tribus hiſce uiribus per totum inſinuatur corpus,non quidem locali extenſione, ſed intenſione uitali. Virtutem uerò hic dynamin intelligo,quam Latinè poteſtatem dicimus,ac uim, aut potentiam. Virtus, ad animum refertur potius:ſed nos conſuetudini indulſimus: uerum & arborum ac aquarum uirtutem Vitruuius dicit. Vnaquæq; porrò uirtus (ſicut philoſophorum pleriſq;, & medicis omnibus uideo placuiſſe, ſed Galeno in primis) membrum habet præcipuum in quo ſubſiſtat, abs quóque profluant operationes: quippe animalis in cerebro ſedem habet.Præterea naturalem eſſe aiunt uirtutem, cuius duo ſint munia: unum fouere animal nutriendo,cui rei hepar aſcribatur: alterum, generationi ſemen ſufficere, atq; informare ex ſummi patris inſtituto. Eius uerò facultatis fontem eſſe teſticulos uolunt. Virtus,quæ uitalis dicitur,ſpiritus conſeruat eſſentiam, qui ſenſus & motus uehiculum eſt:eius domicilium,cor eſt.Placet tamen,inquit Auicenna,ſummo philoſopho Ariſtoteli,Omnium iſtarum uirtutum principium in corde conſtitui:ita tamen quod operationum euidens argumentum in prædictis primum ſe principijs promat : ſicuti apud medicos ſentiendi fons ex cerebro profluit, nihilominus organum peculiare habet ſenſuum unuſquiſq;.Mox item paulò probabilior Auicennæ Ariſtotelis ſit ſententia, quàm medicorum.Auicennæ interpres hæc latius aperiens: Vitalis,inquit,uirtutis operatio eſt,laxare,& comprimere cor & arterias, ac uniuerſo corpori uitam præbere, ac uitalem ſpiritum cum ſanguine arteriali. Naturalis uirtutis opus eſt,generare,nutrire, augere cum cæteris quæ his ſubſeruiunt:hoc eſt,ut inquit Auguſtinus, appetendi potentia, retinendi,expellendi ac diſtribuendi.Animalis uirtus ſenſum producit,tum interiorem,tum exteriorem,atq; item uoluntarium motum.Huic quoque uirtuti cõcupiſcibilis pars,atque iraſcibilis attribuitur ab beato Thoma,quæ portiones ſunt ſenſitiui appetitus. Concupiſcibilis admoueri ſuadet, quæ neceſſaria uidentur, aut utilia, & id uoluptatis ratione. Iraſcibilis noxia repellit,ferturq; ad ultionem præceps. Forſan uerò ſcrutetur quiſpiam, ſit ne ſyntereſis animæ potentia peculiaris, ab cæterarum ratione ſeiuncta. Sed quum rationales potentiæ ad oppoſita ſe habeant, ex Ariſtotelica hæreſi, Syntereſis autem eiuſmodi non ſit,uerum ad bona proliciat tantum, non uidetur omnino eſſe potentia.Quoniam ſi potentia foret,nõ abſq; ratione utiq; foret: neq; enim in brutis comperitur. Proinde eſſe uidetur habitus potius, etiam ſi potentiam ratione prominẽtiorem, ſtatuerint quidam.Nõnulli uerò rationem ipſam,nõ ut ratio eſt,ſed ut eſt natura. Verum inculpabilium principia inſunt nobis naturæ ui neceſſariò, ita & operabilium:ac ut illa ad peculiarem animæ potentiam haud ſpectant, ſed ad habitum, qui principiorum dicitur intellectus,quod Moralium ſexto palàm fit: Sic & hæc peculiarem indicãt habitum,ſyntereſeos nomine celebratum. Ab ſyntereſi theologiæ periti conſciẽtiam diſpararunt,de qua idem omnino quæri poteſt.Nanq; Origenis illud notiſſimum eſt. Conſcientia ſpiritus eſt corrector,ac animæ pædagogus, abs quo reuellitur à malo, & bono aſſociatur. At in anima ſpiritus potentiam indicat,uel mentem utiq; ipſam. Vnde illud Apoſtolicum,Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ. Vel imaginationem quoque: nam imaginaria uiſio dicitur ſpiritalis.quod ex Auguſtino eſt, Geneſeos decimotertio. Proinde uideri potentiam,colligi poteſt. Cæterum quia ſeponi conſcientia poteſt, potentia non poteſt, conſecutio eſt manifeſta. Quare loquendi proprietate aſſeruata,erit actus,non potentia. Nam conſcientiæ uocabulum, ſcientiæ ordinem præmonſtrat ad aliquid.Eſt enim con-

ſcientia

ſcientia,cum aliquo ſcientia. Verum ad aliquid ſcientię applicatio per actum fit aliquẽ, proinde eſt actus conſcientia. Porrò quoniam actus principium habitui contribuitur, conſcientiæ nomen habitui primo naturali,ideſt ſyntereſi aſcribitur. Quod in Ezechielem comprobat Hieronymus.

Senſuum commoditas,& neceſſitas. Quatuor eſſe quibus rerum apprehẽditur cognitio. Quibus inſit ſenſus. Origo eiuſdem. Neruorum paria ſeptẽ. Spinalis medulla. Cur anima uires ſuas magis in parte iſta promat, quàm illa. Cap. XXVII

QVod uerò ad ſentiendi poteſtatem pertinet, equidem non uacat ſatis inenarrabilem artificis ſapiẽtiam admirari. Qui non contentus mentis nos ornaſſe celeritate: cuius eminentia paulominus cælitum dignitatem aſſecuti ſumus, ſenſuum quoq; claritatem munificè eſt impertitus: qui tãquam ſatellites quidam & interpretes,ac nuntij in capitis regia, & rationis conſpectu ſunt circumiecti, ut aptius multo intelligendi,ac perſentiendi ueritas mutuo nexu confoueretur. Quatuor enim ſunt,quibus rerum apprehenditur cognitio: ſenſus,imaginatio, ratio, intellectus. At ſenſus,figuram non citra corpus,ideſt ipſam concipit corpulentiam. Imaginatio, ab corpore figuram ſeiungens effingit. Ratio,figura item abiuncta,non formam ipſam, uerum uniuerſale,quod ex ſingulari figura materiaq; reundauit, altius ſpeculatur. Intellectus uerò etiam uniuerſale ſupergreſſus, ſimplicem formam momento uno formaliter diſpicit. Sunt qui cognitionum opifices quinq; ſtatuant, quod ſcribit Ammonius, νῦς, διάνοιαν, δόξαν, φαντασίαν, αἴσθησιν; ideſt mentem,diſcurſum,opinionem,ſenſum. Verũ ad ſenſus redeo,inter quos quid de oculis dicemus? quos tanquam ſpeculatores altiſſima conſcendiſſe,nõ decorum modo,ſed ex uſu uitæ maximè fuit: ut longius proſpectũ petentes,atq; plurima ſubiecta intuentes proprio fungerentur munere. Porrò quum ſonus omnis naturæ ui promicet in ſublime, eundem altitudinis ſitum auribus attribui, compar maximè fuerat. Quæ ratio & in naribus obſeruata eſt ad odorem percipiendũ, qui ſuapte ui ſcandit: demum ut in cibis potibusq; facilior quaſi foret indicatura, proinde ori eas fuiſſe admotas, peraccommodum cenſeri debet. Guſtus uerò non alium ſibi iure uendicare locum potuit, quàm in oris regione, qua eſculentis & poculentis ſemitam aperuit natura. Tactus dum certi habet nihil, totum facile occupauit, ac ſeſe æquabiliter per uniuerſum fundens corpus, quicquid præduri mollis'ue ſe oſtẽtarit, tota percipit facilitate, necnon caloris frigoris'ue appulſus. Vt hiſce ueluti militaribus obſtipati præſidijs, non decore modo, ſed & tranquillitate maxima datum uitæ curriculum perficere ualeamus. Cæterum quia de ſenſibus futura nobis hiſtoria eſt, eorum primordia & fontem, ut par eſt, rimabimur primum, ſecuti Platonicorum dogmata, ſed mox & Peripateticorum principis ſententia non dilata. Ante omnia, inquiũt, mortali tantum corpori ſenſus ineſt: nam diuina prorſum eo uidentur uacua, quanquam quid ſenſerit Plotinus, non excidit: indeq; multo magis anima, quæ ſit quocunq; corpore longe præſtantior. Huius tamen efficit poteſtas, ut conſtet homo, uiuat, ſentiat: hoc eſt, animal ſit. hæc enim mortale corpus alit, uiuificat, illuminat, dum adeſt utiq;, non ineſt. Sedes eius cerebro potiſſimum aſcribitur, propterea eſſe orbiculari figura inſignitũ caput, quoniam eiuſmodi ferè ſint cæleſtia omnia. Quamuis autem tam anima, quàm cerebrum omnino ſenſus ſint expertia: quia tamen abſq; eo animal eſſe nequit, ex animæ potentia fœcundiore, ſiue de effectibus in cerebri cauernas effuſum ſpiramentum eſt, quod ſenſus prouehit, dirigitq;. Cauernas eas inueni qui uentriculos uocent cerebri. Ex illis deprehenſum ab anatomicis eſt, necnon approbat Auicenna, doctrina quinta, Fen primæ primi, neruorum ſeptem produci συζυγίας, ueluti Latinè dicas coniugia aut cõiugationes, ſiue paria. Sicuti iambicæ, ac trochaicæ dicũtur Grammaticis ſyzygiæ apud Pindarum. Eſt enim ſyzygia neruorum, quum nerui bini pariter emergũt in conſtitutum corriuati locum. Quos fiſtularum uice fungi tradunt, & ipſum illud quod diximus, ſpiramentum ſenſificum ad deſtinatam ab natura metam, ueluti curricula deuehere, ut uicinis remotioribusq; paulò membris ſentiendi uis infundatur. Ex ijs ergo neruorum combinatio prima ad oculos profertur, unde illis comparatur ſpeciei cuiuſq; internotio, ac colorum diſtinctio. Secunda aures petit, quæ ſonos inde ualeant concipere. Tertia naribus inſe-

ritur,ut adſit poteſtas odorandi. Quarta in palatum deriuatur, unde ſit ſaporum diſcretio cum primore lingua.Quinta per totum effuſa corpus, illud ui ſua complexatur. Hoc expreſſit tangendi neceſſitas, ut oblæſura facilè declinarentur. Quæ uerò lenitate ſua confouerent,blandius permulcẽtia,admoueri poſſent. Sextam ſentit ſtomachus ob alimenti indigẽtiam, ut uitæ neceſſaria expeteret, redundantia reiectaret. Septima ad ſpinalem delabitur medullam. Quæ in animali id planè eſſe deprehenditur, quod in nauigio carina. Eius inde internoſcitur præſtantia, quod medicæ artis periti longioris cerebri nomine cenſuerunt nuncupandam. Nec uerò me fallit, Auicẽnam aliquo modo ab ijs diuerſa prodidiſſe,ſed ipſe nihilominus auctorem certum ſecutus ſum. Scribit Aurelius Auguſtinus, ratione hac ſenſus produci potiſſimum, Quod eſt, inquit, in corpore ſubtiliſſimum, & ob hoc animæ ſimilius ac uicinius quàm cætera, ideſt lux, primum per oculos ipſos effuſum promicat ad obiectorum perceptionem uiſibilium: mox cum aere puro permixtione quadam primò, atq; iterum cum caliginoſo ac nubium craſſitudine,tertiò cum humore qui iam ſit corpulentior, quartò cum terreſtri craſſamẽto ſenſus perficit quinq;.Qui quoniam prælocati in facie ſunt,ideo ſcriptum eſt, Dominum in faciem inſufflaſſe homini uitæ ſpiraculum,ut fieret in animam uiuentem. Quòd ſi quis nõ inſcius naturalium ſeſe obijciat,male à nobis iſta diſtingui, quum quælibet animæ uis ſit in qualibet corporis parte tota, ſicut anima,Reſpondeo, ita ferè adnuendo rem habere, ſed tamen dici animam ibi agere, ubi ei ſubſeruit organum, & ibi in primis unde initia ducant inſtrumenta. Hac itaq; ratione ſentiẽdi mouendiq; actus capiti aſcribitur, unde uidelicet corriuari neruos, liquet, organa ſenſus & motus. Sic iracundia, cordis ſedem ſibi uendicat,ubi ſanguis reſidet igneus. In iecore, concupiſcentia & nutritio dominari creditur,quia ibi aereus ſanguis eius eſt ueluti ſubſtratum.Ratio,etiam ſi nil habeat corpori commune, nihilominus capitis arcem inſediſſe,traditur à Platone:propterea quod imaginationis actus rationi eſt propinquus, eiusq; ſibi portionem aſſerit. Cæterum ne qua omnino ſubſit hæſitatio, corroborantur quæ diximus, magni nominis auctoritatibus.Nam Galenus De iuuamentis nono: Caput, inquit, eſt fons ſenſus,& ex eo motus eſt uoluntarius:origo item neruorum mollium & durorum. Sed & in libro De uirtutibus,mortale hominis corpus diſtribuentibus: ſciendum,inquit,haſce de tribus profluere particulis.Et eam quidem qua ratiocinamur, reminiſcimur, ſentimus, mouemur, ab cerebro:at ex corde,qua iraſcimur caleſcimusq;: etiam num præditi pulſu cognoſcimur in corde ac arterijs:ex hepate uerò,qua nutrimur, augemur, cibumq; appetimus,exceptumq; digeſtione perficimus.Et mox paulò:A cerebro,inquit, corporis particulæ omnes ſenſum habent ac motum, neruis ad organa ſenſuum prodeuntibus ad ſenſibilium conceptionem:alijs uerò ea mouentibus,quæ motui deſeruiunt. Cerebrum quidem inſenſile ipſum natura eſt,at ſenſuum tamen organum. Sed & libro quarto De accidenti & morbo: Palàm,inquit, eſt cerebrum ad omnia corporis membra uirtutem emittere, quoniam neruo præciſo,membrum ad quod is producebatur,ſenſus fit expers. Auicenna principium motus & ſenſus, eſſe quidem fatetur ſpiritum qui ſit in cerebro, ut in arca uirtutis quæ defluat ad membra continuata cum medulla: ſed uirtutem putat illuc à corde conſcendere cum ſpiritu.

Ariſtotelis ſententia de ſenſuum origine.De medio duplici, quo ſenſus producitur in actum. Olfactum eſſe minus alijs neceſſarium: & quæ utilitas eius. Cap.XXVIII

ARiſtoteles Peripateticorum doctor eminentiſſimus, & naturæ rerum indagator,ſi quis alius,ſolertiſſimus, & ferè primi nominis De partibus libro ſecundo:Nec ſenſus,inquit,ullius cauſam cerebrum obtinet, quod quidẽ expers omnino ſenſus, nõ aliter quam quoduis excremẽtum eſt. Verum quũ intelligere, quamobrem ſenſus nõnulli in capite habẽtur, nequeant, quod eam partem cæteris eſſe peculiariorem animaduerterint: ideo ſenſum cum cerebro coniungendum cenſuerunt. Sed enim principium ſenſus eſſe cordis locum, definitum iam eſt, quum de ſenſu ageremus,& quam ob cauſam duo, ideſt tangendi & guſtandi ſenſus ex corde aperte dependent. Vnus ex reliquis tribus,ideſt olfaciẽdi,medium tenet. Duo, ideſt audiendi & uidẽdi, maxime in capite poſiti ſunt propter ſenſoriorũ naturam. Viſum autẽ omnibus

omnibus quibus eſt datus, apud cerebrũ eſſe, optima ratio eſt: cerebrum enim frigidum & humidum eſt, uiſus aquæ naturam obtinet: hæc enim omnium perlucidorũ facillime conſeruari poteſt. Senſus etiam exquiſitiores per partes, quæ ſanguinem habent ſynceriorem, abſolui neceſſe eſt: ſanguinis enim calidioris agitatio ſentiendi officium intercipit, atq; refringit. Sed & Hieronymus ad Fabiolam de ueſte ſacerdotali: Senſus, inquit, in corde eſt, habitaculum cordis in pectore. Thomas item de philoſophi ſententia, in libro de ſenſu & ſenſili: Sentiendi principium, inquit, primò eſt in corde, ubi eſt caloris fons: nihil enim ſine calore ſentire poteſt, ut traditum eſt in libro De anima. Cæterum à corde uirtus ſentiendi in cerebrum ſcandit, & inde ad trium ſenſuum pergit organa, uiſus, auditus, odoratus. Tactus autem & guſtus referuntur ad cor per medium coniunctum, quod eſt caro. Nam ſenſus alij per mediũ fiunt extimum: tactus, & guſtus per intimum, quod eſſe carnem, iam aſtruximus. Confirmat porrò hæc idem auctor in expoſitione libelli De iuuentute & ſenectute. Sed curnam ita ab principe deo conſtitutum? an quia tactus guſtusq; ex ſenſibus neceſſarij amplius manifeſto deprehẽduntur? ſiquidem ciborum diuerſitatem inde pernoſcimus, quibus ad fouendam uitam maxime indigemus: & quæ corpus oblædunt forinſecus, tangendi uirtute refugimus. Ideoq; in duobus ijs medium habetur intimum, ne uitio eius unquam ab hiſce deficiamur ſenſibus. Nam reliqui ad bonitatem proficiunt. Quippe uiſus & auditus ad ſcientiam iuuant comparandam in primis, modo duplici, quo adſciſcitur doctrina: quod enim ſcimus, aut didicimus, aut inuenimus. Inter ſenſus uero omnes olfaciendi poteſtas minus longe uidetur neceſſaria. Sanitati tamen animalis conferre uidetur plurimum, quod aliubi opere iſto copioſius explicabitur à me, ubi per partes ſenſuum ſeſe ingeret tractatus. In eo uero odorandi ſenſus non negligendus, quod odoribus conſouetur cerebrum: id uero ita affectum ratiocinari præſtantius poteſt.

Senſus cur tantum quinque. Quatuor neceſſaria, ut ſentiamus. Animæ progreſſus nouem ad ſcientiæ plenitudinem. Cap. XXIX

SEd curnam ſenſus quinque tantum? Nempe quòd quinq; item ſunt, quibus mundus conſurgit: elementa quatuor, & ætherea ſubſtantia. Primum uero tactus terræ habet rationem: guſtus autem aquæ, quippe humectatione guſtabilium percipit qualitatem: aeris uero appulſus ex ictu, unde ſonus naſcitur aut uox, auditum perficit: olfactus ignem reſipit, nam & ex qualitate calida odores proueniunt: uidendi ratio ex æthere contemperatur, & lumine: ut in Moralibus docuit Plutarchus pleroſq; ſenſiſſe. Quid opinentur alij, oſtentante ſe latius occaſione, non negligetur, & paulo ante attigimus tamen. Non dilata ratione Ariſtotelica ex libro De ſenſu & ſenſili: Conſtat, inquit, quoduis ſenſorium ſuo elemento reddendum & aptandum eſſe, ut obtutrix oculi facultas aquæ aptetur, ſenſiua ſonorum aeri, odoratus igni, facultas tangendi terræ eſt: at deguſtandi uis, tactus quædam ſpecies eſt. Verum ut ſentiamus, hoc eſt ut ſenſus producantur in actum, quatuor omnino requiri uidentur: duo quidem ex parte ſenſus, organum uidelicet, ac ſpiritus: duo uero extrinſecus, obiectus, & medium. Proinde in abſtractione forma obiecti primò eſt in medio, deinde in organo, mox in ſpiritu, poſtremo animam attingit: quamobrem in medio primum fit immutatio, inde in particulari ſenſu. Iudicium uero conſequitur in ſenſu communi. Rurſum ſicuti uiſibilis mundus quinquepartita ordinatur diſtinctione: terra, aqua, aere, æthere cum firmamento, item cælo ſupremo quod empyreum uocant: ſic animæ in ſui corporis mundo peregrinanti, quinq; ſunt ad ſapientiam progreſſus, ſenſus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia: ſed ita & ad charitatẽ quatuor inſignita affectibus eſt, ut inde nouem conſurgant progreſſus, quibus ſpiritu uiuens anima ad Cherubin & Seraphin, id eſt ad ſcientiæ uſq; plenitudinem ſcandat & charitatis regnum. Concipe ſiquidem lector piiſſime, ſenſum qui animæ nuncius eſt primus, angelis quibus eſt ab nuntiandi functione aſcitum nomen, cõparari: archangelis imaginationem, odium mundi uirtutibus, odium ſui poteſtatibus, rationem principatibus, dominationibus amorẽ proximi, intellectum thronis, intelligẽtiam Cherubin, dei amorem Seraphin. Suppliciorum timor, & ex peccatis cooriens dolor, contemptum ſui conciliat, & mundi: ut cum uirtutibus peragantur miracula, & cum poteſtatibus exigantur dæmonia: proximi amorem, ac dei, promiſſorum ingenerat ſpes, & præmij gaudium.

Senſus interiores quatuor. De ſenſu communi præcipue. Inibi locus Plinij declaratur. Senſati qui intelligantur. Senſitiuũ dici nõ Latine. Cap. xxx

QVoniam uerò ſuprà duplices eſſe ſenſus ſignificauimus: interiores, exterioresq́; & iam hos qui manifeſti ſunt, breuiter expoſuimus, non inepte opinor fecerimus, ſi & alteros item occultiores exequamur. Ergo Auerrois inter eos qui Ariſtotelis interpretationes aggreſſi ſunt, longè ingenio eminẽtiſſimus, hoſce in quatuor diſtribuit ſpecies: primumq́; eum cõſtituit, qui omnes quæ ab extimis quinq́; ſenſibus hauſtæ fuerint, imagines colligat atq́; percipiat. Quare communem nũcupat ſenſum: altera deinde uis imaginandi dicta eſt, cuius officium ſit, quum ipſa nihil perſentiat, imagines quæ à prioribus ſenſibus acceptæ ſunt, retinere, easq́; tertiæ ſentiendi naturæ, quam exiſtimandi ac cogitandi uim dicunt, proferre: cuius eſſe opus arbitrantur, ut iſs acceptis imaginibus, quid, aut quale ſit id cuius illæ imagines ſunt, iudicet atque percipiat: eaq́; ipſa quæ diſcreuerit, ſiue coniunxerit, ſeu conceperit iudicando, poſtremæ cerebri ipſius ſenſusq́; particulæ, quam memoriam dicunt, ſeruanda commendet. Senſuum uterque, Auguſtinus inquit, bonum ſuum habet, in quo reficitur, ſenſus interior diuinitatis uegetatur contemplatione, ſenſus exterior humanitatis perpenſione aſſurgit. Propterea hominem induit deus, ut hominem totum redderet beatum, & eius integra fieret ad ipſum conuerſio. Quod uerò ad communem attinet ſenſum, ſcitu digna ſunt, quæ ab eruditis mandata memoriæ ſunt: hunc eſſe uidelicet, qui obiecta quinq́; ſenſuum ſentiat, & actiones eorum, atq́; uacationes. Ad quem etiam propriè ſpectet animaduerſio, quando ſcilicet animaduertimus nos uidere aliquid uel audire. Vnde fit ut ſæpe & uideamus & audiamus aliqua, nec tamẽ percipiamus nos ea ſentire, quoniam ſenſus communis imaginatioq́; interea uertitur aliorſum. Oportet, inquit Plotinus, hoc eſſe quaſi centrum: ſenſus uerò ſingulos undiq́; non aliter ad hoc ipſum, quàm lineas à circunferentia ad centrum uſque protendi. Atq́; uim eiuſmodi cuncta comprehẽdentem, re uera unum aliquid eſſe, neq́; eſſe humidum, aliàs ceſſaret memoria, neq́; durum, periret nanq́; docilitas. Et omnino ſi ſit corporeum, formæ ibi rerum ſe inuicem impedient atq́; confundent. In hoc præterea ſenſu intimo eſt uiſus & auditus & cæteri denique ſenſus: ſed hic una forma ſunt, poteſtasq́;. Hæc de communi ſenſu latius excerpſimus, non quidem oſtentandi cauſa, ſed lucem ut inferremus nobiliſſimo auctori, qui undecimo Naturalis hiſtoriæ, ubi de oculis agitur: Animo, inquit, uidemus, animo cernimus. Oculi ceu uaſa quædam uiſibilem eius partem accipiunt atq́; tranſmittunt: ſic magna cogitatio obcæcat, abducto intus uiſu: ſic in morbo comitiali, aperti nihil cernunt, animo caligante. Senſatos animaduerto prudentes dici, ac ſenſu ualidos, quod & uulgò uſurpamus ferè. Firmicus Matheſeos tertio: Mercurius, inquit, quum luna in parte horoſcopi partiliter conſtitutus faciet, qui per regum aut principum ſeruitia quotidiana ſibi ſubſidia quæritent, ſenſatos quidem & intelligentes, & quorum dicta & rationes ab omnibus comprobentur. Porrò ſenſiuum animal rectè dicimus, ſenſitiuum autem inſcitè ac barbarè, ſiquidem unde corriuetur, haud reperias. Illud ex epiſtolis Cæcilij elegans eſt: Sed contra, inquit, ſenſum quẽdam uoluptatemq́; percipio, ſi ea quæ mihi denegantur, amicis uideo ſupereſſe.

Qui præſtantioribus ſit ſenſibus præditus, habere item inferiores, ſed non ediuerſo. Senſibus abuti omnibus hominem tantum. xxxi.

ITa uerò in ratione facultatum animæ natura comparatum eſt, ſicuti obſeruate curioſeq́; perpendimus, ut qui eius quod nobiliſſimum eſt, & habetur, fuerit compos, etiam quæ infima ſunt, teneat. Quibuſcunq́; enim adeſt, quod λογικὸν dicitur, ideſt ratiocinandi uis: inſit & ſenſilis poteſtas, ac uegetatrix, neceſſe eſt, quam φυτικὸν uocant: cuius plantæ ſint maximè participes. Verum ediuerſo non fit, ſiquidem ſenſilia multa uiſimus, quæ tamen rationalia non dixeris. Id ipſum & in ſenſuum ſerie contingere, deprehenſum eſt, quando uiſu prædita, nec reliquorũ ſunt expertia. Quæ uerò tactum habeant & guſtum, non ſtatim etiam uidendi poteſtate cernimus inſignia, cuiuſmodi conuiſitur talpa. Spongiæ tactum quidem habere creditur, reliquorum tamen expertes. Sed enim prius quàm ab ſenſuum ratione abiungamur: illud perpenſione nõ indignum: inter animantes cunctas hominem unum ſenſibus abuti: quosq́;

quosq; optimus atq; indulgentissimus parens elargitus fuerat, tum ut necessitatibus natura duce pullulantibus paria facere possemus, tum ut comptiorem uitam & dignam prorsus dei numismate, transmittendi non abesset potestas, eos ingenij prauitate, & (ut plane dicam) in naturæ contemptum, ad scelerum fomenta uertimus. Nam bruta unam modo tactus uoluptatem sentiunt, dum furore libidinis agitata feruntur in coitū. In alijs fere intra naturæ præscriptum compescuntur. Nos uero diuini muneris exculcata lege, deliciarum seminaria sensus facimus; ueluti ad hoc nati, & ad unum hoc cum materno lacte feramur. Nec saltem succurrit, quòd scientissime M. Tullius pronuntiauit, Quum homini deus nil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono nihil esse uoluptate inimicitius, quando in uoluptatis regno nequeat uirtus consistere. Adde quòd cæteris animalibus, sicuti doctissime Plinius inquit, Stati sunt per tempora anni concubitus: homini, omnibus horis dierum noctiumq; reliquis, satietas in coitu: homini, propè nulla. In hominū genere maribus diuerticula Veneris, excogitata omnia scelere naturæ, fœminis uero abortus. Quanto in hac parte multo nocentiores quàm feræ, sumus? Hisce uoluptatum delinimentis, quæ sensuum germina sunt, ut carerent, quosdam sibi oculos eruisse, exploratissimum est. Alios in uastas solitudines coniecisse sese, ceu præstabilius foret cum feris immanitate insignibus conuiuere, quàm inter homines qui ferantur ratione præditi. Certe per quinq; sensus, ueluti per fenestras, ad animam usq; penetratur. Hæc defigunt humi (ut inquit Horatius) diuinæ particulam auræ. Nec enim capi mentis arx potest, nisi per hæc portarum obijcibus perfractis, & prorsum sublatis cataractis, hostiles copiæ fuerint admissæ, agminatimq; irruerint scelerum incentiua, quibus cælestis animæ fulgor retusus sordescat collutileturq;. Si Circensibus, inquit Hieronymus, quispiam delectetur, si athletarum certamine, si histrionum mobilitate, si formis mulierum, splendore gemmarum, & id genus alijs, per oculorum fenestras animæ capta libertas est: & impletur illud propheticum, Mors intrauit per fenestras uestras. Equidem sensus corporum recte quis dixerit, equos sine freno currētes. Animam uero aurigæ modo currentium frena retinere obnixius. Eximia est animæ exultatio, ubi multorum cura non anxie implicitus, paruo acquiescendum fueris arbitratus: mundum, potentiamq; eius omnem pedibus subieceris. Tolle epularum & libidinum luxuriam, nemo diuitias quæret: quarum usus aut in uentre est, aut sub uentre.

Sensum non esse idem cum intellectu. An Homerus animam putarit corpoream. Item an scierit esse præditam ratione. Spiritus & anima an differant.

Caput XXXII

PRius uero quàm subtexantur reliqua operis instituti, non fuerit (opinor) uacantis operæ perpendisse, quæ sint de hac re ueterum consulta, qui de natura conscribere aliquid sint adorti. Siquidem magna pars statuisse uidentur, sensum esse cum animo & intellectu idem: nam ita cecinit Empedocles, Consilium ad presens homini, & sapientia constat. Vbi, Themistio exponente, libro De anima tertio, ex Aristotelis sententia, nihil uidetur tribuisse supra sensum animo: quem prout quæq; res sensibus accidisset, uarie atq; incōstāter impelleret. Sed & Homerus quum dicat, mentem omnibus mutationes uarietatesq; ambeuntis nos corporis sequi, uidetur naturam animi habuisse corpoream, eumq; quasi idem cum sensu putasse,

Talem animum planè mortalibus esse, necesse est,
In lucem primo qualem deus extulit ortu:

Nam si sol & luna, spiritus ac corporis imperium habent, non item ipsos necesse est, qui spiritu consurgimus ac corpore, perinde affici, ut afficiuntur luminaria: quod uel ab Aristotele comprobatum scimus, uti à cælestium rerum peritis astruitur: uerum spiritus rationē forsan Homerus non habuit, Plutarcho enarrante. Sed non esse idem intellectum & sensum, efficacissimum id promptissimumq; monstrarit argumentū, quod quum animalia omnia sint sensibus prædita, solus homo præter eos & mentem obtinet, ac intelligentiam. Porrò quis non uidet alias esse differentias rationalis potentiæ, alias sensuum? Item affectus & opera quis possit negare alia sensibus iuncta, alia intellectui, & rationi tributa? Nam uirtutes animi uidentur hæ, recta opinio, scientia, prudentia: quæ certe ad sensum pertinere non possunt. Item uitia animi sunt, falsa opinio, inscitia, imprudentia:

quæ

quæ profecto ſenſibus nemo unquam tribuerit. Quòd ſi uſquã dictum reperias, animalia nonnulla quæ ratione careant, animum tamẽ & intellectum habere, ſcito abuſionem nominis in eo factam: nullum enim præter hominem animal compos & particeps animi eſt. Cæterum nonnulla ſpectris & uiſionibus ualent, quod genus phantaſiam & imaginationem appellant. Imaginatio autem quamuis ſit præſtantior & nobilior ſenſu, longe tamen inferior animo intellectuq́ eſt: utpote quæ tanquam in confinio utriuſque ſit poſita. Ita fit, ut ea uis ſenſum quidem ſequatur, ſed actionem animi antecedat. Proinde uiſa, ſenſaq́ ſimul illata animo ſunt, excitant adiunguntq́ ſibi cõmotionem illam quam ὑπόληψιν dicunt. Sed enim qui uberius noſſe iſta cupit, adeat eum cenſeo, unde hæc paucula mutuati ſumus. Adnotandum uero parte hac, ſpiritum & animam eſſe in homine idem, etiam ſi aliud indicet ſpiritus, aliud anima. Nam ſubſtantiæ ratione ſpiritus inditur nomen, anima uero uiuificationis uim complectitur. Eſt utiq́ eſſentia eadem, cæterum diuerſa ſit proprietas. Spiritus eſt, quia rationalis ſubſtantia: uerum ut eſt uita corporis, anima. In quem ſanè ſenſum illud uenit euangelicum, Qui perdiderit animã ſuam, ſaluam faciet eam. Dicitur tamen mens item rationalis ſpiritus, ubi ineſt ſcintilla quædam ceu animæ oculus, ad quem imaginatio pertinet, ac dei cognitio. Animæ oculus mens eſt. Mentem certe Apoſtolus ſpiritum uocauit, quum inquit, Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ: id eſt mente. Spiritus quin etiam animæ uis intelligitur mente inferior, ubi rerum corporalium exprimuntur ſimilitudines: nec ſpiritus ipſe corpus eſt, ſed corpori ſimilis. Quæ enim ſpiritu uidentur, corporalia non ſunt, ſed corporibus ſimilia. Facies nanq́ hominis & nobis forinſecus nota eſt, & in memoria noſtra imaginem habet, incorporalem utiq́, ſed corpori aſſimilem. Ille ſpiritus, inquit Auguſtinus, ad imaginem dei ac ſimilitudinem dicitur factus, cui ueritatis cognitio ineſt, & uirtutis amor. Siquidem in cognitione imago eſt, at in dilectione ſimilitudo: imago, quia rationalis: ſimilitudo, quia ſpiritalis. Sed illud amplius animaduerſione dignũ, ab Plutarcho probari, primum ab Homero animam credi immortalem: ſicuti ubi ait,

Ψυχὴ δ' ἐξ ῥεθέων πταμένη, Ἄϊδόσδε βεβήκει.

Euolans autem è membris anima inferos petijt. Porrò non aliud eſſe hominem, quàm ipſam animam, quod & à Platonicis exceptum eſt. Corpus item eſſe animæ carcerem, quod philoſophi ſtatuunt: proindeq́ corpus uiuens ab eo ſemper dici δέμας, quia ſit animæ uinculum, quod δόμον uocant: mortuum uero, ab anima ſequeſtratũ, σῶμα, quod ueluti ſepulchrum relinquitur. Nuſquam uero in poemate Homerico animam dici corpus. Quin & diſtributionem Platonicam, qua is philoſophus rationem capiti attribuit, iram cordi, concupiſcentiam iecori, ex uerſibus Homeri comprobat: nam ubi ſecum Achilles diſceptat, ulciſci ne præſtet, an iram ſedare: oſtentans ſeſe illi Minerua non aliud innuerit, quàm prudentiæ lumen. Sed nos iam animæ apicem contingamus. Quia tamen liber hic iam extumuiſſe ac ingranduiſſe uidetur ſatis, quæ ſuperſunt haud parum multa, ut lector, ceu interiuncto refectus itinere, hilarius reliqua perſequatur, in ſequens regerentur uolumen.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN LIBRVM ANTIQVARVM lectionum tertium Præfatio ad reuerendum in CHRISTO patrem D. Ioannem Mariam Mattarellum Rhodiginum ac epiſcopum Caſenſem religioſiſſimum.

ETiam ſi uniuerſim prodeuntibus hiſce noſtris libellis artium bonarum ſtudioſos cõpellare, non ab inſtituti operis genio, quicunq́ ſit is, diſſentaneũ cenſui: nihilo ſecius ſi in partibus laboris mei intima nobis iunctos beneuolentia conſalutauero, & quantum ualemus uindicias ſecundum immortalitatem pronunciauerimus, abſonum (opinor) uel quod Græci dicũt ἀπροσδιόνυσον, fecero nihil: quando in turbam coniectos ſe, queri non poterunt, & nil à me repenſum amicitiæ, uel inimicus iudex ne ſuſpicionis quidem indicium eſt habiturus ullum. Et ipſe porrò pleniore obſequio noſtris rebus fauentes uidebor

bor promeritus. Quoniam uerò ſequens libellus quod & prius eſt factum, optimi maximi dei opus admiratur inenarrabile: tu uerò Ioannes Maria reuerende antiſtes tum loco, tum moribus principi illi naturæ propior es factus, duce (quod aiunt) uirtute, comite autem, non fortuna, quæ prophanis modo utranq; paginam facit, ſed ipſa illa ſacerdotali luce, qua fulgurant uibratius ſanctorum mentes, dum labia eorum cuſtodiunt ſcientiam, & in ſupercilio montium excitatam ciuitatem ſciunt non poſſe latere: inde occurris mihi ſecundus: quẽ ad ſudoris noſtri partes aduocem, in quibus eminentiſſimi agentis immenſa in nos exequimur munera: nec id, quia teretes aures tuas, excuſſumq; iudicium fugiant hæc, qui multiplici ſapientia præcellis, Canonum quoq; decretis cumulatiſſimè imbutus: ſed ut inſtitutis tuis, & integritati clariſſimæ munuſcula proferremus peraccommoda, ne fieret illud ex triuio, ὦ φακῆ μύρου. Expreſſit hoc præterea nobis, ut ſanguinis coniunctionem præteream, & communes lares, communis item patriæ ratio: quæ bene ſentientes, honeſtiſq; præcipue initiatos literarum ſacris ita peruincit, quodamq; uelut ferrumine coaptat componitq;, ut non magnopere nexum cõperias arctiorem. Tuis ergo auſpicijs publicum indipiſcetur ſequens liber, cui tu ſanctis precibus progreſſus concipias fauſtos, uelim. Rimabimur autem philoſophorum ſacraria, uerum ſic, ut Latinè loquamur, ne theſauros à me quiſquilijs intelligi putes: quando, ut nunc eſt, ſapientiæ ſtudium Silenis ſimillimum dixeris, quorum imagunculæ hiſpido ferè uiſuntur ore, ac ingrato prorſum, intus contecta diuiniore forma, ſuo, ideſt incomparabili ornatu ſplendida: nobis uerò in tam læto eruditorum prouentu fuerit turpiſſimum iſta reticere. Nam Philoctetes turpè ſibi duxit, tacere cum barbaris. Et hunc Ariſtoteles imitatus, Iſocratem pati dicere.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI TERTIVS.

Intellectus agens & poſſibilis: illum dici à Platonicis mentẽ: hunc uerò rationem. Mens cur dicitur. Scanſilis ad deum ratio, ex Theologumenon libris. Cap. I

QVAE DAM ſunt, inquit Auguſtinus in libro De ſpiritu & anima, ſupra intellectum humanum, quædam iuxta, quædam infra: ſiquidem cognoſcit deum anima ſupra ſe, angelos iuxta ſe, at uerò ſe in ſe: quicquid cæli continetur ambitu, infra ſe. Igitur ad ea percipienda quæ ſunt ſupra ipſam, indigere uidetur omnino anima irradiatione ab ipſa luce ueritatis primæ, quæ dicitur mens uel intelligentia, quam prodit Auguſtinus idem, nulla interpoſita natura, formari ab ipſa ueritate. Proinde reſpectu ueritatis ſummæ, & eorum reſpectu intelligibilium quæ humanum excedunt intellectum, eſt intellectus agens Deus, & huiuſmodi illuminatio eſt gratiæ infuſio ad diuina contemplanda. Ad ea uerò pernoſcenda quæ prope nos ſunt, ut ſunt angelicæ eſſentiæ, indiget item anima reuelatione angelica, ſiue inſtructione: qua in re dicitur item angelus, intellectus agẽs. Ad eorum uerò perceptionem quæ intra animam ſunt, ut eſt ipſa anima, & potentiæ ipſius, habitus, ſcientiæ ac uirtutes, non indiget anima lumine extimo, ſed innato: & propterea Auguſtinus ait, animã cognoſci ab ſe in ſe, quia cognoſcit ſe eſſe, ſentire, ſcire aliquid. Idem aſtruitur de perceptione eorum quæ infra nos conſtituta deprehẽduntur, ad hoc enim lumẽ intimum ſufficere, hoc eſt intellectum agentem, uim animæ ſupremam, cuius operatio eſt (ut inquit Auicenna) illuminare, ſiue intelligẽtiæ lumẽ diffundere ſuper formas ſenſibiles in imaginatione exiſtẽtes: rurſumq; illuminando abſtrahere à materia, & abſtractas copulare ſeu ordinare in intellectu poſſibili. Proinde quando dicimus, intellectum poſſibilem ab agente formari, non intelligimus quod doctiſſimis placere uideo, accipere formas, ſed illo præſente, formis ſuis efficacius uti & copulatius

tius. Id exemplo patere quadamtenus potest. Sunt qui chartæ inscribant literas succo cæpæ, sed hæ non percipiuntur, nisi calefiat charta. Eiusmodi habet rerum formas, qui dicitur possibilis intellectus, quæ in cõspectum ueniunt, ignis diuini præsentia, sicut & colores lumine solis. Intellectus noster non est in potentia ad hoc, ut fiat intellectus atq; intelligibilia, sed ad ultimam intelligentiæ intelligibiliumq; perfectionem. Sciendum uerò obiter, quam in anima Platonici rationem dicunt, Peripateticos uocare intellectum possibilem: quam uerò illi mentem dicunt, hos intellectum agentem nominare. Scribit Auicẽna, quadrifariam dici possibilem intellectum. Nam dicitur primò, ut habens possibilitatem tantum, ut sit ueluti potentia materialis ad similitudinẽ materiæ primæ, quæ ex se formam habet nullã, sed est omnium formarum subiectum. Deinde est intellectus dispositus, qui est, ubi quis iam in intellectu principia continet, hoc est propositiones, quas credere contingit, quæ non aliunde, sed per se notæ sunt, ut quum proponitur esse totum sua parte maius. Postea est intellectus perfectus, qui iam conclusiones tenet eorum, quæ sequuntur ad principia, actu tamen ad eorum non cõuertitur speculationem. Postremò dicitur in actu intellectus, quum iam actu speculatur. Primus uocatur materialis intellectus, secundus in habitu, tertius adeptus, quartus accommodatus. Esse uerò intellectum agentem eisdem fermè rationibus Auicenna probat, ac diuus Thomas in Theologiæ compendio. In potentijs, inquit Thomas, sensitiuis formæ rerum sunt particulares, uerum non sunt actu intelligibiles, sed potentia tantum. Intellectus enim non nisi uniuersalia intelligit. Quod uerò in potentia est, non reducitur in actum, nisi ab aliquo agente. Esse igitur aliquod oportet agens, à quo species in potentijs sensitiuis existentes fiant intelligibiles actu. Hoc autem intellectus possibilis facere nequit, ideo necessarius est intellectus agens, qui species intelligibiles in potentia, faciat intelligibiles actu: sicuti lumen facit colores potentia uisibiles, esse actu uisibiles. Sunt qui apud Theophrastum, Iamblicho & Plutarcho auctoribus, intellectum possibilem esse nobis duplicem interpretentur: quorum alter, & idem primus semper in actu, dum semetipsum intelligit, sequentia sub se cuncta cognoscit. Alter secundus transiens de potentia in actũ, est ratio. Quum dicitur tabula nuda ab pictura omni & literis uacua, intelligendum secundum quãdam proportionem putant: nõ enim ita dicitur, quasi intellectus nullo modo species habeat, sed quia intelligibilia quæ in eo collocantur, intelligibilia quidem sunt, sed ita, ut sint à separatis intelligibilibus illustranda, ut syncere prorsus intelligibilia sint, propterea coloribus comparantur. Theophrastus absurdum putat, materialem intellectui naturam huic dare, atq; arbitrari materiæ modo nihil esse in actu, sed potentia omnia. De intellectu agente sic item reperio, esse intelligibile lumen ueritatis primæ nobis per naturam impressum, semper agens, sicuti lux semper irradiat: proinde est illud in Psalmo propheticum: Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Cæterũ parte hac commonitos legentes uelim, si cubi pugnantia uideor prodere, mirandum haud ita esse, quando ex diuersis racematio fit, & Platonicos consectamur parte plurima, sed & in alijs diuersitas ad suos regerenda auctores est, ne quis agrestis, ac indomitus certator protinus calumniam intendat. Illud quidem ex Christianis promitur fontibus, dici ab Mene mentem. Est autem Græco sermone luna, mene. Quam crescere modo perspicuum fit, modo deficere, ac uaria commutari uisitationis uicissitudine. In id tamen denicq;, quod fuit, nouitate quadam perfecta, uelut postliminio redire. Ratione consimili humana mens nunc summis caput inserit, nunc ad ima relabitur, quandoq; in sese collecta ueris falsa reluit, & corporeis interim intendit administrandis, sæpe æternas perpendit rationes ac speculatur. Sunt qui dici mentem coniectent, quod in anima præcellat & emineat, quia sit animæ uis præstantior, à qua exoritur intelligentia. Certè rationale lumen ac intellectuale, quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus, mentem nuncupamus. Quòd si scansili motu summa petere connitaris, primum ingerit se sensus, imaginatio mox, inde ratio, intellectusq; ac intelligentia. In apice uerò surrecta stat sapientia. Siquidem summa est sapientia Deus. Hominis sapientia pietas est, qui dei cultus intelligitur. Sensum autem dicimus, animæ uim corporearum rerum corporeas excipiẽtem formas præsentes. Sicut imaginatio absentes uersat, ex sensu propagata, proq; eius uarietate, diuersa ipsa quoq;. Ratio uis animæ dicitur, rerum naturas corporearũ, formas item, differentias

rentias, propria perpendens accidentia, incorporea quidem omnia, nõ extra corpora tamen, ni ratione ſubſiſtentia. Intellectus inuiſibilia percipit, uelut angelos, dæmones, animas. Intelligentia deo ſubijcitur immediate, potẽtia animæ & ipſa, ſummum uerum & incommutabile expendens ſpeculatione eminentiſſima. Quicquid percipit ſenſus, repræſentat imaginatio, cogitatio format, ingenium inueſtigat, iudicat ratio, memoria ſeruat, ſeparat intellectus, intelligentia comprehendit, ad contemplationem prouocans.

Auerrois de intellectu agente ſentẽtia. Quid Auerroem quandoq; in Ariſtotele interpretando fefellerit. Quam eſſe opinentur eruditiores Ariſtotelis in ea re ſententiam. Cap. II.

AVerrois eximius Ariſtotelis interpres mentem hanc humanam, ſiue Ariſtotelico more agentem collibeat intellectum nũcupare, æternam putat tam ex parte anteriore, quàm poſteriore. Eſſe quoq; mentium infimam omnium, & unicam. Nam ſicuti cæleſtes globi ſinguli ſingulas habere mentes uidentur, ita & orbis hic inferior unam, ut ipſe uult, habet, quæ non huius hominis ſit, uel illius: ſed humanæ ſpeciei mens ſit, & dicatur, ut ſpeciei unicæ unicus ſit intellectus in hoc orbe inferiori, ut plerique intelligunt, ubiq; totus. Compingi ſiquidem putat hominem ex corpore & ſenſiua anima, nam intellectiuam excludit prorſum. Arbitratur tamen inter ſenſiuas animas quiddam habere excellentius, diſtansq; à brutis plurimum hominis animam. Porrò hominum quenq; propria pollere anima, ſed mortali. Cuius præſtantior facultas uis nuncupetur cogitatrix, ſiue (ut dicitur Græcis) phantaſia. Ineſſe item concipit brutinis animis exiſtimatricem potẽtiam quãdam, qua duce utilia ſibi, & diuerſa cõfeſtim naturæ inſtinctu diſpiciant & appetant uel auerſentur. Differre ab humana, quia non naturæ ſequamur ductum, ſed ratione indagemus, cõſultemus, exſequamur. Ita tamen, ut uniuerſalibus ſequeſtratis, partibus tantum affigamur inhæreamusq;. Proinde rationem nuncupat particularem: intellectum uerò rationem uniuerſalem. Et in cerebri meditullio particularis eiuſmodi rationis ſedem ſtruit, imaginatione conſtituta proxime, & poſtmodum memoria. Nam ſenſum arbitratur communem, qui ſenſuum quinq; operationes aduocet in ſeſe, principem locum ſibi uendicare, mox ut ſubſequatur imaginatio, earum cuſtos imaginum, quæ in communem ſenſum coierant, Tertius facultati deſtinatur cogitatrici locus, quæ dijudicet in imaginatione compoſita. Poſtremò eſt memoria theſaurus, quæ proferuntur, iudiciorum. Cogitatrix igitur uis menti in primis proxima eſt, adeo ut mens illi adſit ubiq;, & intelligẽtiam ſuam per eius expleat adminiculum, dum ſimulacra rerum in cogitatrice uirtute lucentia mẽtem ad intelligendum mouent. Occaſionem præbet homo intellectui ad ſpeculãdum, ut coloratum lumen oculo ad uidẽdum. Intellectio nullatenus in homine eſt, ſed in mente ſola, quam cogitatio noſtra pulſet. Cogitatrix anima unitur puero ſtatim, at multo poſt mens, quum ſimulacra in cogitatione adeo ſunt pura, ut intellectum moueant. Hæc magni interpretis placita, quæ ſuis nituntur rationibus, apud philoſophos latius expoſitis. Mihi illas apponere, & acrius cõſectari, non eſt uiſum. Illud modo dixiſſe, ſatis ſuperq; fuerit: omnia quæ de mente ſenſit Auerrois explodi, ut falſa, ab ſcientiſſimis uiris, longè ab CHRISTO ſeiunctis, ne dum ab Chriſtianis patribus poſſe probari putes. Cur autem Commentator tam ſæpè ab Ariſtotelis ſui ſentẽtia uideatur deuius, inde factum uolunt, quod is in Hiſpania natus, & Arabum idiomate imbutus, quum Græcæ literaturæ ne apices quidem imbibiſſet, Ariſtotelis libros in barbarum ſonum nõ tralatos quidem, ſed mutilatos, decurtatos peruerſosq; quum lectitaret, in ijs quæ altioris ſunt ſcientiæ, & interioris ſenſus, auctorem eminẽtiſſimum ſtudio breuitatis ita ſæpe conciſum, ut ſenſuum acumina ſudantes philoſophos diſtineant diu multumq;, minus minusq; conſequi ualuit. Quod ita eſſe, comprobat Plethon, & inde argumẽtum euidens, quod Græca Ariſtotelis uerba interpretem quandoq; confodiunt. Auctor uerò eſt idem Plethon, apud Ariſtotelem animos humanos eſſe multos, & quidem ſempiternos, quanquam Alexãder ſcribat, mortales eſſe animos, ab Ariſtotele iudicatum. Sed ipſe in Naturalium quæſtionum libro, ſi tamen in familiam recipitur, animam eſſe fatetur immortalem, in corpus tamen mortale cõtruſam mortalis ſpeciem præbere. Sed & alibi cæleſtes, diuinosq; hominum animos uocat. Themiſtius item putat, mentem quidem agẽtem unicam: capacem uerò

multiplicem ab eo credi,& perpetuam utranq;. Sunt ex eruditis, qui ab Aristotele animorum immortalitatem in libris De anima, non poni quidem, quod facere Platonem, cauillantur,sed uelut per accidens demonstrari.Nanq; immortalem esse animam,si à corpore ualet seiungi.Separari comprobat planè, si operatio ineſt, à corpore disparata. Intelligendi actum organum haud exigere, opinatur. Quoniam organicæ uirtutis suum est tum rerum magnitudine,tum etiam numero lassescere.Quod in intellectu contrà omnino fit:nam eminentissimum quodq; ut intentissime speculatur,ita roboratur maxime, uegetiusq; cooritur ac erectius. Vegetatricem sanè animam,& sensilem mortalem ab eodem tradi,confirmant,utpote quæ de potentia materiæ prodeant. Addunt illud quoq;, intellectiuam animam esse,sensilis formam, uegetatricis uerò hanc. Vbi autem ait Aristoteles,intellectum forinsecus aduenire,exponunt,ideſt non de potentia materiæ.

Humanæ speciei laus exquisita ab ingenij, memoriæ, uaticiniorum, locutionis potestate. Animam esse Dei ciuitatem, CHRISTI sponsam, Spiritus sancti templum.Interim cur homines dicantur Alpheſtæ. Cap.III

SEd nos deniq; ab hisce rerum difficultatibus, forsan obscurioribus quàm ut facile percipi ab mediocriter eruditis ualeant,quibus nos ista euigilamus, te uulsi in ea diuertamus uireta,ubi inenarrabili uarietate floribus passim nitescentibus,coronam enta nobis compingamus, quæ non ornent modo,sed halitu fragrãtius,& succulentia quodammodo alant, impleantq; ratione mira:& sentiatur tamen in ijs austerior quædam suauitas, nõ dulcis, neq; decocta.Scitum est illud M. Tullij, Voluptatibus maximis fastidium esse finitimum.Porrò unguentis minus diu nos duci,summa & acerrima suauitate conditis,quàm his moderatis: & magis laudari quod cæram,quàm quod crocum olere uideatur. Sed enim quid hic primum mirer? quidue postremum? Ingẽs hic inuitat locus,libeat modo uagari, uerum cum delectu rerum modum seruabimus,ne inopia ieiuni aridi∫ue simus, aut ubertate nimia luxuriantes onerosi ad molestiam usq; legentibus nostra hæc qualiacunq;, protinus euadamus. Quanquam non me latet,Fabio astipulante, esse facile ubertatis remedium. Igitur in hominis contemplatione occurrit admiratio prima bonitatis diuinæ, quæ munera præcipue quatuor tanta est benignitate dilargita,ut nil ei magnopere carius, nil fuisse pensius uideatur. Primum est,ingenij aptitudo mira,cuius ui primo quoq; tempore numerosissimam rerum seriem percipere ualeamus.Mox & memoria,quam uerissimè auctores celeberrimi thesaurum quendam rerum arbitrantur. Non deest in plerisq; item fatidicus spiritus,& quæ deum modo deceat,futurorum perspicax inspectio. Addita postremò loquẽdi potestas inter cuncta summè mirabilis,& flexanima,ut Enniano interim uerbo utamur,atque omniũ regina rerum oratio, quæ nõ currẽtem modo succẽdere, sed & languentem possit commouere.Equidem ita statuo, esse in humanis rebus amplum abunde, si quis suppetente omnium quibus cõtingit indigere plurimis,copia,doctrinarum sibi uẽdicet gradum aliquem.id quod ueteres sapientes fecisse, ut comparatis necessarijs cœperint philosophari,tradẽti Aristoteli credimus.Quòd si externis destitutus omnibus, nihilominus quis ad procinctum tendat:quo tandem ingenio esse uirum eiusmodi censueris? Quid si mancus corpore? quid si cæcus? Mirum fortè uideatur hoc, aut impossibile potius.Atqui esse uerius uero,non coniectura ducimur, sed impellimur exemplis.Homerum uatem clarissimum eò prouectum auctoritatis nouimus,ut etiam literarum parens & doctrinarum fons à celeberrimis pronũtietur auctoribus. Oculis tamẽ captum Græca tradit historia,uel nominis argumento. Quin & summa omnium inopia preſſum,lustrasse insulas & urbes, corrogantem hinc inde fomenta uitæ. Quis obsecro in mendicabulo id genus eam scientiæ magnitudinem expectasset, quam in carminibus eius expendimus? Eam porrò dicẽdi facilitatem & inaffectatam Venerem: sed quam uix ulla consequi ualeat affectatio? Nónne Alexandrinum Didymum scribit Hieronymus, ab ineunte ætate excæcatum,scientiarum adyta secretiora tentasse præcelso animo,& consecutum felicissimè? Sed quod mirari satis non est, geometrica theoremata excellenter etiam tenuisse? Mortalis naturæ germina non sunt hæc, cælestem redolent maiestatem, unde se propagatam rationalis natura plurimis ostentat indicijs:nam & idem eminentissimus uates Homerus homines significanter ἀλφησὰς nuncupat, ideſt indaginis multæ,as

tæ, ac inuentionis. Quo argumento traditum Varroni ſcimus, artes intra mille annos compertas, abſolutasq́. Quòd ſi futurorum præcentionem latius hic exſequi libeat, pergamq́ non Aegyptiorum aut Chaldæorum præſcita plerunq́ ſtupenda recenſere, uerum propheticum potius afflatum, & auguſtiores animas, in ipſo diuinitatis ſinu planè diuerſantes, uehemẽter ſum ueritus, ne tanta quis maieſtatis amplitudine attonitus, non humanam animam, ſed deum ipſum putet humano in corpore hoſpitantem, arcana explicare obſcuritatis immenſæ, quæ liceat homini nec ſcire, nec eloqui. Expende apoſtoli Ioannis raptum ad Trinitatis intima, & recumbens caput in ſaluatoris CHRISTI pectus, è cuius nutu ſuſpenſa eſt uniuerſa rerum moles. Expende ſeculorũ ordinem, & caliginoſa futurorum inuolucra unius hominis patefacta menti: quam ibi maieſtatem concipies animo? Quid illa uerborum facundia, quæ tanta facilitate motus animi promit omnes lingua interprete? Et hoc quidẽ ſeu τὸν ἐν διαθέσει λόγον perpẽdas, ſeu τὸν ἐν προφορᾷ: utrobiq́ enim in animo & labijs eniteſcit humana laus. Quid huic adnexa ſcribendi ratio diuina? Quænam eloquentiæ fulmina? quod aureũ Xenophontis flumen? quæ Ciceronis copia, Romani eloquij arx eminentiſſima, pro dignitate adæquare magnitudinem queant? Homini laus hæc peculiaris eſt, atq́ immo diuina. Siquidem bruta corporei motus uarietate, etiam ſi maxime uaria, nunquam emolumentum eiuſmodi ne minima quidem parte conſequantur, etiam ſi uel Proteo celerius ſe agiliusq́ transforment. Porrò latrent licet, infremant, rugiant, ſibilent, infrendant, hinniant, quouis modo truculentum elidant barritum: una uox hominis clemens, ſedata, mitis explicat clarius, promit plenius, alit uberius, placat, excitat, impellit, euertit, retinet, ſurrigit. Omnia denicq́ perficit, quæ diuinus animus, tanquam interpreti diuino, linguæ plectris mandarit exponenda. Memoriæ uaſtam (ut ſic dixerim) capacitatem, & ſupellectilis omni auro promicantioris conditorium, non quidem oſſuarium, ſed diuinum, quo uelut ex breuiculo, nil non auditum integre pronunciatur, conſulto prætermittimus, quoniam ei rei latior deſtinatus eſt campus. Iam illa memoratu iucundiora, quæ promit Aurelius Auguſtinus: Anima, inquit, dei ciuitas eſt, quæ glorioſius prædicatur ad imaginem & ſimilitudinem dei facta. Ciuitas hæc Hieruſalem nuncupanda merito, quoniam ad ſummæ pacis fruitionẽ creata. Huius mens paradiſus dici ualet: in qua quum cæleſtia meditatur, agit planè in deliciarũ horto. Domus item ſummi patrisfamilias anima eſt, per morum unitatem: ſponſa CHRISTI, per dilectionem: ſpiritus uero ſancti templum, ſanctificationis intuitu. Ciuitas, inquam, æterni regis, concordiæ ciuium, ac pacis ratione. Sed ubi nam ciues? nempe naturales ac ingeniti uigores animæ. Quorũ diſtinguuntur gradus: ſunt enim ſupremi quidam, infimi alij, mediana tenentibus quibuſdam. In faſtigio collocatos ueneramur intellectuales ſenſus: in meditullio rationales complectimur: in imo animales non negligimus. Appetunt hi ſenſibilia, rationales diſcernunt & aſpernantur: ad diuina ſeuocant intellectuales ſurriguntq́, uelut conſiliarij cenſentur hi, ac ſeniores: militum uim obtinentibus qui rationi obſequuntur, quoniam obrepentes hoſtes allectatione ſenſili reprimunt, corpori neceſſaria, uelut ruſtici, ac opifices, ſuggerunt animales.

Ineſſe animis humanis ſcientiarum theſauros latentes, iuxta Platonem. Cur Muſæ, Iouis & Memoriæ dicantur filiæ. Quomodo ab quibuſdam reluatur Platonis opinio. Cap. IIII

ILlud uero quàm amplum, quamq́ in nobis magnificum eſt: quod Plato inſinuandum cenſuit, ineſſe mortalium animis uniuerſis ſcientiarum ueluti ſeminariũ quoddam & planè theſauros, qui mirabiles concitent amores ſui? Experimento id in ſe ipſo quiſq́ condiſcit, modo intendat: nam ſicubi recondítum quippiam uenamur anxie, poſtea quàm abiunctis ad tempus ſenſuum, & phantaſiæ moleſtis obicibus, mentis intima, uelut ſecretius quoddam penetramus adytum, inibiq́ ratiocinamur ſubtilius, rimamurq́ amplius, confeſtim tanquã obductam reuelamus lucẽ, effulgereq́ protinus quod uenabamur aduertimus. Propterea ſic canit Pythagoras:

ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θείου γένος ἐσσὶ βροτοῖσι,
οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα.

Quibus ſanè ſcientiſſimus auctor, homini concipiendam ſcribit fiduciam, quòd ſit no-

bis diuinum genus,& auguſtior natura promat in lucem, monſtretq; omnia. Porrò animus noſter, dum ſcholas frequentamus exhibemusq; nos conformandos decoquendosq;, nonnunquam dum dictat formator, necdum miſſa uoce, concipit mox enuntianda, præfagitq;. Sæpe uerò quæ imbiberit diſcendo, recoquit, refingitq;, multoq; præſtat meliora. Quinimmo parit ex ſe, præceptore nullo, tanquam ſcientiarum ſeminibus quibuſdam præfœcundus, ut ager, fruges parturiens. Proinde colligi poteſt, docentem non tam uideri præceptorem, quàm miniſtrum. Propterea q; in libro De ſcientia Socrates apud Platonem ſe obſtetricis aſtruit filium, nec eo contentus obſtetrici quoq; perſimilem ſe eſſe ait, ut qui adoleſcentibus erudiendis non tam ſcientiam induceret, quàm educeret: ſicut illa fœtum non utiq; concipit, ſed conceptum iam euocat. Quis oculis inſinuauit uiſum, uel aures ita inſtruxit, ut audire ſciant? Oculis certe uiſum nõ præſtat medicus, ſed uel ſuperinfuſas diſcutit caligines, uel in obiectum dirigit. Cõſimiliter diſcentium animis nõ infundit ſciẽtiam doctor, ſed obductum terrena caligine detergit ſitum, aut ſemitam monſtrat. Sicuti canibus uenatoria ineſt uis, leonibus elephantiſq; robur, itemq; ad pernicitatem equis innatam inſpicimus uirtutem: ita & humanis animis ſcientiarum lux ingenita eſt, paulum modo obnubilata & fuſcior. Cui ſi illuſtrator opportune adhibeatur, emicat inde claritas nitidiſſima: uelut animalium uis nõ ſæpe ſe promit, niſi exercendo intenderis, & ſopore ac ueterno (ut ſic dicam) excuſſo, actum induxeris peruigilem. Quod ipſum ferè uſu uenire in præceptore ac diſcipulo, locupletiſſimus teſtis ſeſe ingerit in libro De republica ſeptimo doctiſſimus Plato. Sed & in libro De ſapientia, Socrates inquit Theagi: Nemo unquam à me didicit quicquam, etiam ſi mea conſuetudine multi euaſerint doctiores, me tum exhortante, tum bono dæmone inſpirante. Sed cur nam Orpheus Muſas eſſe dicit Ioue genitas, ac Memoria? Opinor, quoniam ab origine ſcientiæ fons inſitus eſt nobis ab omnium patre, ſed non ſatis profluens, niſi quis corriuarit. Quin & Memoriam poeta idem contmere mentem ſcribit, excitareq; omnia ſinuoſis (ut ita dicam) animi anfractibus deliteſcentia, illatebrataq;. Poſtremò apud Platonem in Timæo traditum, ſcimus: Species rerum, & artium regulas mentibus noſtris prodeuntibus inditas, non ſecus ac angelica mens credatur inſignita. Sed iſta fuerint philoſophorum maximi decreta, ne omnino ſim alieni periculi ſuccidaneus. Nos & hic & alibi id demum uolumus ratum, cui calculum Chriſtiana adiecerit ueritas: ut abunde norint omnes, nobis in procinctu eſſe cuncta, uti araneæ ſuum linquamus uenenum. Scimus ab ſummis traditum uiris, poſitionem huiuſmodi parum cõgrue re: ac primò quidem, quia ſi adſit animæ naturalis, & inſita rerum notitia omnium, fieri poſſe haud uidetur, tãtam omnino obrepere obliuionem, ut neſciat prorſum huiuſmodi ſe ſcientiam tenere. Nam quæ naturæ ui inſunt, obliuiſcitur nemo, ſicuti eſſe maius ſua parte omne totum. Porrò ſi naturalis cõceditur animæ ac corporis nexus, quo nam fiat modo, ut ab naturæ ui tantum ſeſe promat impedimenti? Deinde an non aduertimus, ſenſu deficiente: rerum quoq; ſcientiam perire, quas illo percipias ſenſu? Quippe a natura cæcus colorum notionem haud aſſequitur prorſum ullam. Quod non fieret utique, ſi naturali eſſent ui inſitæ nobis intelligibilium rationes omnium. Quòd ſi in homiliis Aſcenſionis ait Gregorius, Hominem habere cum angelis intelligentiam communem, qui per inſitas formas naturali poteſtate norunt omnia, ex quo in libro De cauſis, Omnis intelligentia formis plena eſt: ſciẽdum, angeli intellectum eo ſupereminere, quia per intelligibilium ſpecies perfectus eſt naturæ ſuæ ui. At humanus intellectus ad hoc genus ſpecies in potentia eſt. Interrogatio autem concinna ex principiis progreditur communibus per ſe notis ad propria. Per eiuſmodi uerò progreſſum in animam diſcentis inducitur ſcientia. Proinde ubi iterum recte interroganti reſpondetur, non ideo fit, quia nouerit ea prius, ſed quoniam noua condiſcit: certior enim fit de poſterioribus per priora.

Hominem unum neſcire imperium pati. Item affectare, ut ſit deus. Qui cõquiſiuerint honores diuinos. Quid itẽ humana ſpecies credatur tum ſolaris, tum Mercurialis. M. Antonij hiſtoria, item Caligulæ, ac Magni Pompeij. Spudarchæ qui. Cap. v

Hactenus

HActenus quidem multiplici rerum dignitate ab optimo maximo Deo excultam uideri rationalem naturam, pro ingenij captu (ni fallor) monstrauimus. Cæterum superſunt'ne alia? Immo uerò nec erit finis, ſi omnia libeat amplecti. Nunc illud prætermiſſe nequeo, inter animantes cũctas unum eſſe hominem, qui ſeruitutis malum pati nequeat. Exemplis certe cognitiſſimum, & in ſe quilibet experitur: enitimur ſiquidem etiam in apinis tricisq; omnino exſuperare, ſuccumbere uel ludẽdo putamus ignominioſum, uincere autem ſpecioſum in primis, & naturæ conſentaneum, quæ ſublimior auguſtiorq; uideatur, quàm ut iugum ſubeat, digniorq; quam in rerum faſtigio ſtatuas. Celeberrimum eſt Agrippinæ dicterium, Nam cæleſtium rerum ſcientia quum pronuntiaret quidam, fore ut imperaret quidem Nero, ſed & matrem perimeret, uelut amens intonuit altius, ἀπκτεινάτω με, μόνον βασιλευέτω: interimat, inquit, regnet modo. Sed inſpice, obſecro, animi altitudinẽ & maieſtatem, quam ſatis demirari nequeas. Comparet aliquis mundi uniuerſi imperiũ: umbraticos enim prætereo quæſtus ac ſellularios, acquieturum ne illum putas? minime. Si mundum eſſe alterum perceperit, confeſtim & illum ſubijcere ſibi affectabit amplius, aliàs æſtuat infelix anguſto in limite mundi, ut Gyaræ clauſus ſcopulis, paruaq; Seripho. Hinc illa prorupit mox immenſa auiditas, & nimium ſeſe attollere geſtiens magnitudo, ueſana illa quidem, uerum ex magnifico profluens fonte, ut plericq; diuinos etiam honores ſibi arrogare ſint adorti: quoniam Dei tantum ſit, omnia ſibi ſubiecta deſpicere. Quo nomine ridendus quidem Empedocles, ridendus & Alexander, nobis præſertim CHRISTI doctrina imbutis, non tamen eatenus quàm quibuſdam uidetur. Omnes nimirum idem affectamus, ſed tacite. Si ex uoto rem ceſſuram opinaremur, uelis remisq; arriperemus omnes, quod minus explorate in illis uellicamus. Alexandrum ſcribit in hiſtorijs Ioannes Monachus, quum iaceret cõclamatus planè, uoluiſſe clàm in Euphratem ſe demergere, uti opinionem poſt ſe relinqueret, ceu morbo non foret abſumptus, ſed integer ad deos abijſſet. Græcorum commentarijs proditum, nouit eruditiſſimus quiſq;, fuiſſe in Libya uirum nomine Pſaphonem, qui nimio plus naturæ bonis inſtructus, quum intra cæterorum pellicullam ſe haudquaquam poſſet comprimere, inſita animi magnificentia latius ſeſe expandente, conſilio admodum ingenioſo & uafro diuinitatis opinionem adſciſcere ſibi adortus eſt, captisq; auiculis quæ ad humanum ſermonem pernoſcuntur dociles, ſubinde illas artifici conſilio inſtruere cœpit, ut articulate prorſum enuntiarent, μέγας θεὸς Ψαφων, magnus eſt deus Pſaphon. Quæ ubi dictatam fabulam expeditè perdidiciſſe ſunt uiſæ, emiſit eas Pſaphon. Illæ uerò paſſim, ut aſſolet, cantillantes eandem repetebant. Quod audientes incolæ, putantesq; fieri diuinitus, ut qui commenti forent neſcij, Pſaphonem ut deum ſunt uenerati. Antiochum Syriæ regem ſcribit Euſebius, eſſe uocatum θεὸν, ideſt deum. Caium principem inter deos à ſemetipſo relatum quis non nouit? qui & Iouis maximi nomine ſtatuas erigi ſibi imperarit? Diocletianum ſunt qui tradant primum ſe ut deum adorari iuſiſſe, quum gemmas ueſtibus & calciamentis inſeruiſſet, quanquam ante illum imperatores omnes ſalutari ut iudices cõſueuiſſent, & chlamyde tantum purpurea ab priuatis diſtarent. Sed id utiq; mirabilius, eũdem hunc Diocletianum apud Salonas in proprio uillæ palatio, ſtatu priuato morientem, mox in deum eſſe relatum, quod uni tantum cõtigiſſe putant chronographi. Haud hinc porrò diſſitum & illud quod in triumuiratu M. Antonius, quũ Athenis debaccharetur, Dionyſium ſe dici uoluit: quam rem non neglexit Dion. quin ſuper theatrum ſchediam ſuſtruxit, ut ſcribit Athenæus, uirenti ornatam materia, quod Bacchicis fieri antris aſſueuit, ac tympanis, nebridibusq;, & Dyoniſiacis id genus ludicris aliſs propendentibus, ab matutino cum amicis ad ebrietatem uſq; decubuiſſe, ſpectantibus Græcis omnibus. Perrexit & in Acropolim ad faces, λαμπαδηφορίας πόλεως ἅπάσης. Plura item de hoc primo Suaſoriarum Seneca. Addit Athenæus, Caligulam dici uoluiſſe Dionyſium, ſed iuniorem, ac Dionyſiace indutum iura etiam reddidiſſe. Ex ijs coniectant eruditi, Arabas aſtrologos humanæ ſpeciei proprietatem eſſe ſolarem prodidiſſe, ob ueritatis & gloriæ ſtudium, tum etiam ob ſtaturam erectam pulchramq;. Quin ex humorum item ſubtilitate ac claritate ſpiritus, & imaginationis præſtanti perſpicuitate. Sed addunt & Mercurialem proprietatẽ, ob ſtrenuum uerſatilis ingenij motũ. Miratur

tamen hiſtoricus Dion, tantam ſuperfuiſſe magno Pompeio animi claritatem, ut à bello rediens Mithridatico, quum magnis conſtipatus exercitibus & facile Italiam obtinere, & imperium ſibi Romanæ urbis poſſet uendicare, noluerit: ſed αὐτοπάγγελτος, nil ſuper ea re populo decernente, uel ſenatu, Brunduſium appulſus milites dimiſerit. Quod, inquit, eius factum μέγιστον καὶ κάλλιστον ὅτι πάντων. Dignum ſcitu, Spudarchas dici à Græcis, qui anxie dignitates affectant, & imperia: meminit uocabuli in Sympoſio Xenophon.

Animæ humanæ potentia mira. Corpus noſtrum poſſe ab anima fieri luminoſum. Animam eſſe ad totius ſapientiæ imaginem factam. Cap. VI

TRanſeamus illuc denique, ut quanta ſit in anima noſtra uis, pro uirili explicare pergamus: & quanquã adhuc non parum multa ſint aggeſta nobis, nihilominus & innumera ſuperſunt, quæ fateri planè cogant, ſi quando reſipiſcamus, ueriſſimè dictum, Hominem eſſe miraculum magnum, animal ueneran dum & adorandum. Legimus apud Auicennam, Platonicos multos, & Hippocratem, humanos animos tanta naturæ maieſtate pollere, adeoque ſupra materiam omnem ſeſe potenter attollere, ut ſibi ipſis, & ſuo uigori, ſemoto corpore, reſtituti poteſtate intima, mundi membra quælibet ualeant agitare, impellere, & utcunque libuerit, uerſare: ac corpori cuilibet latius dominari, tantoque potentius proprio. Cui mancipata anima, mundi parui elementa, id eſt humores quatuor uerſat ad libitum: quin frigus, humorem, ſiccitatem, calorem, coloresque ſuperinducit omnes, atque item ſapores. Quod tunc demum patebit, ſi uitales actus amplius conſideràuerimus, necnon phantaſiæ affectus. Vbi uero ab hiſce ueluti uinculis exoluta euolat in amplum, deo iam plena, animalis grandioris humores, id eſt elementa quatuor maioris mundi permouet, ut ſua, ſoloque affectu citat uentos Deo duce, ac cælo nubes inducit ſereno, easque cogit in pluuias. Quod quidem poſſe fieri, factumue fuiſſe, theologi Mauri & Arabes confitentur, Mauroi um princeps Auicebron, atque Arabum Auicenna, & non abnuit Hippocrates Cous. Nec me fallit, in animæ hiſtoria ab Ariſtotele traditum, corpus quodcunque non poſſe ab anima moueri, ſed proprium tantummodo. Cæterum liquere ait beatus Thomas, ſeparatam animam uirtute inſita corpus nullum poſſe agitare. Siquidẽ corpori iuncta id modo permouet, quod uitæ fuerit compos: nam præmortua membra haudquaquã animæ in locali obedire motu. Dilucet autem, ab anima abiuncta corpori prorſum nulli affundi uitam, proinde nullum item ad localem obedire agitatum. Sed inquit, aliquid ei ex diuinæ poteſtatis fontibus conferri poteſt. Arbitrantur Chaldæorum ſcientiſſimi, ab rationali anima id quo non fieri mirabilius quicquam, effici quandoque, ut radiorum ſplendore ab ipſa manantium illuſtratum diuiniore modo corpus etiam ſurrigatur in ſublime, ad id maxime conferente inſita radijs leuitate. Quod Zoroaſtri ueteris theologiæ ſcientiſſimo contigiſſe, proditum memoriæ ſcimus. Qua item ratione Heliam & apoſtolum Paulum dicerent raptos in cælum Platonici, eumque eſſe in corporibus ſtatum, quæ noſtræ religioni glorificata nuncupare, moris eſt. Contingere autem hoc potiſſimũ, ubi tota in deum patrem luminum conſurgit anima, & illinc amplißima luce perfuſa, colluſtrataque rapitur coruſcans, atque ſimiliter luminoſæ claritatis radios tranſmittit in corpus. Hæc eſt anima, quæ ſola mente uiuens euadit angelus, ac toto pectore deum concipit, de qua Magorum princeps ita cecinit, ad uerbum ferè tralata ſententia: hominũ anima deum quodammodo contrahit in ſeipſam, quando nil retinens mortale, tota diuinis hauſtibus inebriatur. Sed nos quidem dulcedine quadam capti, diu iam in humanas laudes procurrimus, & merſamur auidius, mira quadam rerum excellentia excuſſi ab itineris inſtituti rectitudine. Verum quia egregium eſt argumentum, quod non omnino tamen à propoſito abeat longius: etenim ſpicilegium facimus ex omnifariam utriuſque linguæ auctoribus, compingimusque in unum ueluti faſcem, quæ tum rerum diuerſitate, tum difficultate quoque nonnulla, nec breui, nec prompte, ab ijs quibus euigilamus, perlegi poſſent: dabunt ueniam adeuntes iſta aſſurgentibus quandoque, aut latius publico bono, ſed in primis ſummi opificis gloriæ, ſpatiantibus. Alibi certe quantum patietur ratio, preſſius compendioſiusque longe agemus, modo ne faſtidio ſit perlegere, quæ nobis alioqui diſtrictioribus per ſummas difficultates, nulliusque rei penuriam maiorem, quàm temporis, congeſta

congeſta ſunt. Hac modo parte laxari habenas noſtro iure depoſcimus, quando ſummam rerum nobilitatem attingimus. Cuius cauſa fatentur plericq; etiam gentium mancipati ſacris, reliqua eſſe omnia. Nec ſanè ita mirum, quando auctore Auguſtino, ad totius ſapientiæ ſimilitudinem facta eſt anima. Et ab philoſopho omnium definita eſt rerum ſimilitudo, ſiquidem eſt uiribus inſignita, quibus percipiendis omnibus ſufficit, ac ueſtigandis. Vniuerſis quoq; ſimilis euadit, quamuis una. Quando terræ per ſenſum agnoſcitur non diſſimilis, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, per intelligentiam cælo cælorum, lapidibus per eſſentiam, arboribus per uitam, animalibus per ſenſum & imaginationem, hominibus per rationem, angelis per intellectum, deo per intelligentiam. Porrò ſicuti in dei participatum ueniunt omnia, ſic omnium eſt capax anima. Deo fruũtur omnia per eſſentiam, qua ſunt: per ſpeciem, qua ſingulorum fit diſparatio: per uſum, quo congruè proficiunt ex eſſentia & ſpecie. Hæc uerò tria omnibus inſunt impreſſa ſummæ eſſentiæ ueſtigia, item imaginis & muneris, ideſt trinitatis. In patre ſiquidem æternitas eſt, ſpecies in imagine, uſus in munere, ideſt ſancto ſpiritu, qui patris eſt ac filij munus. Adde quòd ſicuti deus eſt ubiq; totus in toto mundo, & in omni creatura, ſic & anima ubiq; tota in toto corpore ſuo, uelut in ſuo mũdo: intenſius in corde tamen ac cerebro, quemadmodum in cælo eſſe præcipuè narratur Deus.

Connumerantur quibus excellentia rationalis naturæ poſſe deprimi uidetur: mox refellũtur. Plinij locus reſtitutus illuſtratur. Debere unumquemq; ipſum ſe cognoſcere. Animam à deo pingi. Morborum cauſæ. Senectutis laus. Cap. VII

VAnquam, quod & initio libri attigimus, occurri nobis ſinuoſius, ſolertiuſq; ita poſſe uideo, ſi tantam fateri neceſſe eſt hominis eſſe nobilitatẽ. ſi eius cauſa produxit omnia parẽs natura, unde nam ſit quòd infeſta omnia pernicioſaq; ſentimus? Primum non ipſa tellus dicta magnis auctoribus omnium mater, quicquã ferè citra labores ſudoresq; noſtros tulerit: parumq; fuerat, id exſequi pertinaciſſime, niſi in letiferis, & horæ momento animã hominis auferentibus, perbenignam ſe nobis uoluiſſet ingerere, ceu planè, quod uiuimus, exprobrare neſciẽtibus uelit. Nec mox reliquæ naturæ partes mitius nobiſcum agere comperientur. Taceo, quorum naufraga corpora ferarum auiumq; paſtibus iactantur, contonantibus procellis, tanquam rerum natura ſecum diſſidente, ac ſæpius bellicum canente. Iam quæ loca præfœcunda aſſilientis maris ui adobruta latent? Quàm floridæ ciuitates abſorptæ? Sed aeris pugnã quis pro dignitate deplorarit, ut ſæuientis peſtilentiæ rabiem prætereã? Cælum quoque ipſum ſæpe uidetur in noſtrum interitum properare. Iam omnia ferè animantia ex profeſſo infeſta homini, quis nõ nouit? Vbi ergo eximia rerum magnitudo? Vbi cælum exuperans hominis faſtigium? Quid, nónne homo ipſe homini lupus eſt? Inuulgatius illud Phalaridis eſt, ſiue is fuit alius, tutius ſe inter præſignes immanitate feras uicturum, quàm inter homines. Illa uerò quæ triumphãtibus ab tergo ingeritur commonitio, quid demum agit? Cuius meminit in apologetico Florens Septimius, & Barbarus Hermoleos ignoraſſe animaduertitur: Reſpice, inquit, poſt te, hominem eſſe te memento. Proinde libro uiceſimooctauo Plinius, Et currus triumphantium ſub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubetq; eoſdem reſpicere. Ita enim legendum uidetur, non recipere, quod in pleriſq; circunfertur. Meminit hiſtoriæ cõſolatoria ad Paulam epiſtola Hieronymus. Quid ergo tibi ſubblãdiris in malo? Excidit ne illud, optimum eſſe homini, nõ naſci: proximum, quàm ocyſſime aboleri? Quo ergo diuerſus abiſti? redi ad te, palinodiam recine, fatearisq; luctuoſa eſſe hominum primordia, luctuoſiores progreſſus, exitum uerò nullis poſſe lachrymis exæquari: præſertim quum pleroſq; tenebrarum illa cõceptacula, ſuppliciorum diritas, damnati infandiq; ſpiritus excipiãt. Proinde uiue quod es, ac noris quàm ſit tibi curta ſupellex. Equidẽ uera propemodum eſſe hæc, qui poſſim diffiteri? Sed audi, ſi tecũ ipſe diſcors ſis, quæſo, quo nam iure omnia querelis impleas, ſi à te cætera item diſſideant, infeſtent, cõuellant, lancinẽt? At, inquis, diuinum animal ſum. Agnoſce, obſecro te, nón plenè percipio, quid tu diuinũ putes, an quòd origine tãtum, an etiam quod uita? Si origine tãtum, falleris: brutum es, lupus, draco, etiam arbor.

Tui te mores exuunt diuinitate. Es'ne luxuriæ conciliatus, immo mancipatus, auaritiæ, ſuperbiæ: id genus innumeris alijs? Es, inquam, numiſma dei, an uerius Satanæ ſimulacrum, turba ſcelerum collutilatum adobrutumq; ? Quid geſtis? quid gloriaris terra & cinis? Corpus quidem ſurrectum eſt, cuiuſmodi uerum addeceat hominem: intus tamen fera eſt, Typhone multiplicior. Ad cælum tua te effigies reuocat: at inquinatiſſimis ipſe moribus ad iumenta te recipis. Depoſco mihi, inquis, uniuerſas ſubijci animantes. Dic quæſo, quo'nam iſtud argumento? aut quo illis excellentior? quo præclarior? Rationale, inquis, ſum animal. Audio: ſed ubi ſeſe oſtentat rationis lumẽ? aut quid omnino cum ratione uel cogitas uel facis? ſcortando ne, an expilando? ingerẽdo in uentrem, latrinarum medicatorium, quicquid in ulla naſcitur naturæ parte? An deum lingua exculcando petulantiſſima? nimirum hæc ſunt rationalis naturæ opera. Reſipiſce miſer, reſipiſce, exue brutum, ad hominem redi: cognoſce te ipſum diuinum genus, mortali obſeptum indumento, te ipſum (quæſo) nuda. Quantum uales, ſegrega & diſtingue: uales autem, quantum conaris: eluceſcet ſtatim aurum omni igne micantius, eniteſcet nubibus diſiectis aer ſerenior, ſubmittes oculos, ac tanquã diuini ſolis radium reuereberis micantiſſimum, protinus turpia deteſtabere, ac teſte te fœdum dictu, fœdum factu incepiſſe pigebit, aut cogitaſſe. Quando ſtella es terrena nube circunfuſa, quod quum ſciret Pythagoras ſapiens, uetus profudit oraculum, Te ipſum reuerere. At tu quum in honore eſſes, inter iumenta deputatus es. Vſque quo paruule diligis infantiam: ut in Prouerbijs Solomon inquit? Homini, ſed uero tantum homini in mancipatum ueniũt, quæ terra nutrit, animantia: adnuunt quæ in cælo ſunt, fulgentiſſima corpora. Nullum tibi cum his eſſe diſſidium poteſt, modo ipſe tecum non diſſideas. Improbè in alia imperium affectat, qui ſui compos non eſt. Id aſſiduè expendendum animo eſt, Ambulantibus in naturæ principis lege ſubſeruiunt omnia, uenerantur, colunt quodammodo. Vbi extra oleas tranſuerſus ieris, ubi ab præmonſtrata reclinaris orbita, ubi ab præſcripto receſſeris, domino rebellis, cuius placita proculcaris iugum detrectans, fruſtra per peccati fœditatem præuaricatus, illiq; tanquam ære ac libra mancipio traditus, aliorum genua requiris, irata omnia infeſtaq; ſunt. Et profectò conſentaneum omnino eſt, ut quemadmodum prauitate intima, & intolerabili petulantia omnia laceſſimus, in primis animarum patrem, ac uniuerſorum opificem, non detrectemus talionis pœnam. Et nequis ancipitem putet cauſam, adq; Areopagitas, ut ad iudices grauiores exercitatioresq; planè reijciendam, qui de re controuerſa diſceptent: hinc ille apud Mercurium Pimander, Amorem corporis, inquit, mortis eſſe cauſam ſcitote. Qui ſe ipſum cognouit, bonum quod eſt ſuper eſſentiam conſecutus eſt: qui uerò corpus errore amoris complectitur, is oberrat in mortis tenebris, mala ſenſu percipiens. Qui ſe ipſum cognoſcit, in deum tranſit, ut Dei uerbum tradit. Lux & uita deus eſt & pater: ex quo natus eſt homo. Proinde, qui ſe ex luce ac uita compoſitum deprehenderit, ad uitam rurſus, lucemq; tranſcendet: adſum enim ego ijs, qui boni, pij, puri, religioſiq; ſunt, præſentiaq; mea fert illis opem, ut ſtatim cuncta cognoſcant, patremq; pacatum & propitium habeant. Contrà uerò, impios arbitrio dæmonis permitto. Quod ad morbos attinet, quibus parte plurima afflictamur, ſcitu digna quæ Chryſippus tradit, Non eſſe eos κατὰ φύσιν, id eſt ex principali naturæ conſilio, quod foret inconcinnum: ſed κατὰ παρακολούθημα, ideſt per ſequelam contingere: quod genus ſunt alia plura, ut in aere procellæ ac turbines & fulmina. Adde, non propterea naturam uideri accuſandam, cui adglutinata ſint impedimenta, & quidem inſignia, ſenectus & infirmitas: quando eſt illa ætas animæ propria, moribus item bonis proinde dulcior, conſilijs paratior promptiorq;. Ad mortis autem terriculamenta etiam cõſtantior, ac inconniuens prorſum: libidinum uerò incentiuis retundẽdis quanto, bone deus, firmior? At imbecillitas, nónne ſobrietas eſt mentis? Nam Apoſtolica intonuit tuba, Quum infirmor, tunc potens ſum. Quin & oraculo ſalutari reſponſum illuxit diuinum, Infirmitate perfici uirtutem.

Hominum genera tria pro uitæ inſtitutis. Terræ filij qui dicantur: item cæli, aut dei. Actiuos & uoluptarios haberi tanquam exules, quia cõtemplantes iam ſint in patria. De uoluptate.

Cap. VIII

Ex hominum

EX hominum uero uiuendi inſtitutis factum eſt, ut prudentiſſimi triplex inter eos haberi genus cenſuerint. Eſſe quippe nonnullos, qui & dicantur, & ſint omnino terræ filij, quæ maxima turba eſt. Alios uero cæli: alios autem & dei uocant filios. Et poetica quidem fabuloſitas, Heſiodo principe, terra prognatos eſſe gigantes canit. Cui rei ſuggerit argumentum etiam nomen ipſum, quod ij demum terrena ſaperent, proni in paſtum & Venerem, Deum porrò aut negligentes, aut etiam negantes, unde natum, ut cum cælitibus bellaſſe dicantur, quod eſſe aliud non uidetur, quàm naturæ repugnare. At qui altius attollendum caput arbitrantur, & toto conatu uitæ cultum petunt, artium adminiculis fulti, & ſcientiarum amore flagrantes cæleſtia penetrant, ac mentis ſagacitate ſingula oberrant, intelligentia plurimum uiuentes, Hoſce tradunt cælo natos patre, quoniam cæleſti mente cæleſtia modo ſapiant & conquirant. Qui uero integritati uitæ, ac diuino tantũ cultui mancipati terrena omnia, tum inutile, tum moleſtum arbitrantur onus, in intelligibilem ſeſe mundum tranſcribentes, & in patriam dulcem (ut Plato inquit) confugientes, hoſce putant dei filios habendos, quæ uera demum & ſolida felicitas eſt. Nam actiuos uoluptuoſoſq́, tanquam exules habet Plotinus: ita tamen, ut actiuos facilius reuerti in patriam poſſe opinetur quàm uoluptarios, etiam ſi non deſint, qui eum à quo negligatur uoluptas, ἔμψυχον putent νεκρὸν, id eſt animatum mortuum. Porrò ſicuti uirtute, prudentia, uiribus præcellentes Ioue prognatos prædicant poetæ, ita feritate ac immanitate conſpicuos Neptuni filios credi uolunt.

Felicitatem eſſe duplicem, naturalem, ſupernaturalemq́. Quo calle hanc conſequamur. Corporis deſcriptio grata. Cap. IX

FElicitatem uero, quoniam huc prouecti ſumus, finiunt eruditi, & meminit in Geneſeos ſeptiformi enarratione undecũq́ doctiſſimus Picus, reditũ uniuſcuiuſq́ rei ad initia. Eſſe enim ſummum bonum felicitatem. Summum autem bonum id eſſe, ut primo Moralium Ariſtoteles, enarratoresq́ teſtãtur, quod omnia appetunt: quod autem omnia appetũt, id ipſum eſt quod omniũ eſt principium. Proinde finis omnium, quod omnium principium, Deus uidelicet. Verum duplici calle incedit felicitas: aut enim naturalis intelligitur, aut ſupernaturalis. Et naturalem quidem intelligunt, cuius res omnes ſint compotes, quatenus bonitatis, quæ ſumma eſt in deo, participes ſunt, & operatio ex naturæ præſcripto tendit ad bonum. Nam ignem, ut exemplo res fiat illuſtrior, diuinæ bonitatis habere partem, ita coniectamus: etenim primò eſt, & unumquodq́, quod eſt, participatu dei eſt, qui eſt ipſum eſſe. Quum ab igne promicat ignis, inibi fœcunditatis diuinæ ſimulacrum eſt, dum præſcriptas ſibi non egreditur metas, iuſtitiam exprimit, dum prodeſt, exuberantiam in deo benignitatis effingit. Ignis propterea dici felix poteſt, quatenus hæc præſtat, quatenusq́ in eum cadere felicitas poteſt. Cuius, ut perfectius quodq́ eſt, ita etiam capacius. Ideoq́ maxime omnium capax homo, quia etiam perfectiſſimus. Hęc eſt celebrata ueteribus felicitas, quam Ariſtoteles ſanxit in optima uerſari operatione. Nam M. Tullius felicitatem eſſe ait, fortunam conſiliorum bonorũ adiutricem, quibus qui non utatur, felix nullo pacto eſſe poſſit. Voluptatem, inquit ſeptimo Ethicorum philoſophus, felicitati adnectunt, nec id citra rationem. nulla nanq́ operatio perfecta eſt, ſi præpediatur, ſed actus eſt perfectus felicitas: quamobrem bonis qua quidem corporis, quaq́ externis, quin & ipſa indiget fortuna, ut non ingerat ſe obex aliquis. Qui uero aſtruunt, eum qui rota torqueatur, & magnis conflictetur malis, felicem eſſe, ſit modo bonus, nil profecto dicunt aut ſua ſponte, aut inuiti. Quòd ſi eſt, non homo tantum eſt ad felicitatẽ natus, quod ipſi tamen aſtruere uelle uidentur: nam unumquodq́ itidem felix eſt, aliquo modo, cuius finis eſt ex deſtinata ratione. Sed dicam amplius, Cætera non ferè naturæ ſuæ modulum tranſiliunt, nec limites egrediuntur obiectos: at homo nunquam non ab ſe ipſo recedit longius, & ſui oblitus aliud quiduis amplius agit, quàm hominẽ. Quo nomine colligitur omnium infeliciſſimus. Quamobrem adumbrata felicitas hæc eſt, non ſolida, nec ſuis nixa radicibus, quia non in ipſo eſt deo, ſed in nobis, cæterisq́. Proinde uera illa demum felicitas, quam ſupernaturalem dicimus, qua ad diuini uultus contemplationem ſurrigimur allicimurq́. Sic enim uerus ad principium reditus comparatur, & cum eodem unio, è quo

deflu-

defluximus. Ad quem ſi perrexerimus, haud ſanè quis facile retraxerit, nec tanquam Peliam, ut M. Tullius inquit, recoxerit. Hæc uero eſt angelicæ humanæq; naturæ communis felicitas: hanc bruta nec attingunt, nec affectant: hanc ut cõſequamur, non noſtra ui continget: neceſſarius eſt diuinus ille radius, quem gratiam diuinæ bonitatis nuncupamus & credimus. Hæc nos attollat oportet, ſurrigat, illuſtret: aliàs fallimur: eſt enim ſaluatoris præpotentis oraculum, Nemo uenit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Trahemur autem, ſi Mercurium ita exclamantem audierimus, O uiri terrigenæ, qui uos ipſos ebrietati & ſomno & ignorantiæ mancipaſtis, ſobrij uiuite, abſtinete à uentris luxu. Qui irrationali ſomno permulcti eſtis, cur præcipites in mortem ruitis, quum haudquaquam deſit immortalitatis conſequendæ facilitas: Reuocate iam uoſmet, qui laboratis inopia, ignorantiæ tenebris obuoluti, demigrate ab obſcuro lumine, aſciſcite immortalitatem, corruptionem fugite. Cæterum alibi quoq; apud eundem Mercurium euangelicam ſubnotauimus ſententiam: Niſi (inquit) ô fili, tuum corpus oderis, te ipſum amare non potes: quàm primum uero non te, ſed Deum ipſum dilexeris, mentem protinus conſequeris. Hanc denicq; nactus, eueſtigio ſcietiam cõparabis. Impoſſibile uero eſt, utriſq; ſimul intendere, mortalibus & diuinis. In primis uero quam circumfers ueſtẽ, exuere oportet, indumentum inſcitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis uinculum, uelamen opacum, uiuam mortem, ſenſiuum cadauer, ſepulchrum circumuertile, domeſticum denicq; furem: qui dum blanditur, odit: dum odit, inuidet: umbraculum inimicum ad ſe ipſum raptans deorſum, ne fortè conſpiciens ueritatis decorem, eius oderis prauitatem. Cæterum, quia ſatis iam ſuperq; humanæ naturæ admirationem, quod ad animalem attinet poteſtatem, quantũ noſtra paruitas tulit, uidemur exſecuti, conſentaneum equidem ſum arbitratus, excellentiam eiuſdem ſummatim in corporis conſtitutione pertingere, ut demum miraculi huius inter cuncta maxime miri æſtimatio iuſta impleatur, & deſinat homo ſe ignorare, reſpectetq; ad opificem ſuum, quo ut poſſet perfrui, ex bonitatis illius fonte exuberantiſſimo in lucem uitalem eſt emiſſus.

Humanis corporibus nil deeſſe ad perfectionem. An corpora noſtra ſint cæleſtibus nobiliora. De ſimia iucundum ſcitu. Corporis humani nuditatẽ non eſſe probroſam, contra Plinij ſententiam. Quid reſponderi poſſit præponentibus homini bruta. Cur infantia quadrupedibus nos ſimiles faciat: curq; uirorum cadauera fluitent ſupina, fœminarum prona. Pumilionũ ratio. Cap. x

ATque ut ab medicæ artis ſcientiſſimo primum initia ducamus: Corpora, Galenus inquit, ſunt animarum inſtrumenta, quibus illæ neceſſaria exſequi ualeant. Proinde unicuiq; animantiũ ſuæ congrua naturæ ab optimo maximo deo membrorum attributa diuerſitas eſt. Quæ item ratio unumquodq; præter hominẽ, armis inſtruxit accõmodis ꝓprijsq; ac genuinis. Hic uero quod inter omnia ratione polleat, ac intelligẽtia, organũ habuit, cui reliqua uniuerſa nequeãt comparari. Datæ nanq; manus ſunt, quæ armorum omnium uicem implent, præſtoq; ſunt mirabili diuinitatis prouidentia ad perficiendum, quicquid ratio dictarit. Sicuti nec anima ipſa demigrauit in corpus, ut omnibus ferè Platonicis exceptis, placuiſſe uideo, artis alicuius ſcientia imbuta, ut intelligentiæ ac cognitionis poteſtate cunctas perdiſcere ualeret. Quamobrem inanis eſt Plinij querela, & Plutarchi quoq; de humanæ naturæ infirmitate atq; inſcitia. Quoniã homo res eſt, quam natura cæteris intentius curioſiusq; amplexatur, producitq; ueluti quiddã abſolutius, & perfectius quauis creatura, quæ cæli ambitu contineatur. Adeo ut non defuerint, qui cælo item præſtantiorem opinarentur hominem, ſecluſa tamen intelligentia, præſertim dum ex formula ſua uiuit. Quanquam non me fallit, ſexto Moralium Ariſtotelem, & in ijs quæ ad regem Alexandrum De mundo ſcribuntur, ſi modo non ementita eſt attitulatio, cæleſtia corpora homine nobiliora facere ac diuiniora, tum animæ ratione ſeu intelligentiæ, tum corporis, quando & propiora ſint, & magis dei uirtute fruantur, gerantq; uicem optimorum magiſtratuum ciuitatis aut principum, omnia motu ſuo agentium gubernantiumq;. Quod comprobat Auerrois quoq;. Cæterum corporis cõſtitutio, ac membrorũ compactior diſtributio cuncta ſaltem excedit mixta, etiam animata. Tametſi non latet, animalium quorundam effigiem hominis expreſſiorem præferre imaginem: quod in ſimia conuiſitur.

Sed

Sed eam Galenus ridiculoſam uocat hominis imitationem. Aliquando autem inuẽtionem ludentium puerorum ridicularíam, in cuius confabricatione iuſta uidetur fuiſſe natura, ut dicere aſſueuit Hippocrates, quæ ridiculam animam ridiculo circunueſtiuit corpore. Propterea Therſitis turpitudinem expreſſurus graphicè Lycophron πιθηκόμορφον illum nuncupauit, ideſt ſimiæ conſimilem, quam etiam Arimum Tyrrheni uocent. Tatianus uerò orator eſt ſimiæ cognomentum indeptus, quod omnia ingenioſius imitando exprimeret. Nam quod humani corporis nuditatem, ueluti probroſam obijciunt Plinius & Plutarchus: ſciant auctores clariſſimi, nos ita naturæ rerum etiamnum patrocinari poſſe, hominem nudo maximè omnium, & intecto inobſeptoq; naſci corpore, unde & ὀλιγότειχον dicunt Græci, & μικρότειχον, ideſt paucis exiguiſq; cõtectum pilis, quoniam minimum in eo ſit terreni recremẽti. Quæ ratio efficere quoq; creditur, ut ungues item minimos proportione ſit ſortitus. Propterea rectius Ariſtoteles, uir in omni ſcientia ſummus: Qui autem, inquit, hominem non bene, ſed deterrimè omnium animalium conſtare aiunt, nudum enim improtectum atq; inermem creatum referunt, non recte ij ſentiunt. Cætera enim animalia unum auxilium habent: idq; nullo pacto ualent permutare, ſed quaſi calceata ſemper dormire, ac omnia agere, nec ueſtitum unquam deponere pleniorẽ. At homini multa habere præfultui auxilia licet, atq; ſubinde mutare. Quid quod Auicenna doctrina tertia fen primæ primi, Humani corporis cõſtitutionem, quã Græci uocant κρᾶσιν, nos etiam temperaturam, temperationem, fermẽtationem quoq;, ſemilatini complexionem dicunt, eſſe ſcribit, temperatiorem, quàm uel ſit uſquam, uel poſſit eſſe omnino, addita etiamnum uirtutum diſpoſitione cõgrua, quibus agat, patiaturq;. Quando contribuit deus cuiq; animãti, & membro pro dignitate, quod actiones innatas adiuuet, quantum patitur ratio, & naturæ decor. Adde, quod ab Auicennæ doctiſſimo interprete traditũ, adnotauimus: Si obduruiſſet, inquit, homo ut lapis, ore quidem eſſet inſignis: ſed nec loqui omnino poſſet, neq; item oculis uti: proinde ſimulacrũ foret uerius mutum, quàm homo: ſiquidem ſenſus quilibet, & uoluntarius motus organum molle requirunt, ac lentum. Queruntur, Seneca inquit, diuinorum munerum iniqui æſtimatores, & profeſſi quoq; ſapientiam, quod non mole corporis æquemus elephantes, uelocitate ceruos, leuitate aues. Vix ſibi quidam temperant, quin eouſq; impudentiæ prouehantur, ut naturam oderint, quod infra deos ſimus. At quanto ſatius eſt, ad contemplationem tot tantorũmque beneficiorum reuocare mentem, & agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio uoluerit parens deus ſecula ſortiri, quod terrenis præfecerit. Quicquid negatum nobis eſt, dari non potuit. Quanto ualentiora animalia ſub iugum mittimus? quanto uelociora aſſequimur? Quàm nil eſt mortale non ſub ictu noſtro poſitum? Tot uirtutes accepimus, tot artes: animum deniq; ſyderibus uelociorem. Circumeas licet cuncta, nihil inuenies, quod eſſe malis. Porrò ut ſcientiſſimè in Moralibus Plutarchus colligit, equi celeritas in noſtra cedit emolumenta, canum pugnacitas hominem tuetur, piſcium, ſuum, id genus cæterorum alimur corpulentia. Elephas terribilis eſt ille quidem & uaſtus corpore, ſed adeo nobis obnoxius, ut tantam molem in ludicra uerterimus, & ſpectacula panegyrica, quando ſaltationes condiſcit, & adorantium modo genua ſubmittere atq; etiam porrigere coronas. Quin id accepimus quoq;, neutiquam ſilentio inuoluẽdum: elephantũ literarum Græcarũ ductus perdidiciſſe, & ne quid admirationi deſit, etiã perſcribere ſolitum. Nam & equum ita edoctũ, in Traiano ſcribit Dion, ut regem adoraret. Quamobrem, ſi cui hoc nomine uilior eſt, ac putet hominis ſtatus, ſic fermè reſponderi poſſe uideo. Non ineſt quidẽ nobis leonis robur, non leporum pernicitas, non aquilæ uiſus, non piſcium in natando agilitas, non taurorum impetus, non canum ſagacitas: uerum ineſt prudentia, ineſt ratio, ineſt diuinior mens, qua unicuiq; iſtorum dominamur ad ſatietatem, uertimus ad delicias, excarnificamus, & utcunq; libuerit, uerſamus, ſeu patinarium uelis, ſeu aſſum malis, ut Plautino utamur ioco. Adijce, quòd ſocietas innata homini aduerſus uiolentiſſima quæque nos communijt ualidiſſimè, & in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, ac dominari etiam mari iuſſit. Cõqueritur quidem Plinius, primam roboris ſpem, primumq; temporis munus quadrupedi ſimiles nos facere. At efficit hoc naturæ potẽtia, quippe ſuperiora corporum ea ætate inferioribus, alioqui teneritudine inſigni præmollibus, tum magnitudine, tum

ne, tum pondere præſtant plurimum. Quæ ratio efficit neceſſariò, ut manibus pedum uice utatur infans, qui mox robur indeptus ſurrigit corpus, & hominis proprium agnoſcit ſtatum: donec ſenio areſcentibus ſupernis incuruetur plerunq́, infernis craſſeſcentibus, in muliere præſertim. Scribit idem Plinius, Virorum cadauera fluitare ſupina, fœminarum prona, uelut pudori earum parcente natura. Verum & hoc naturali prouenit ratione, quando mulierum antica poſticis longe pernoſcuntur ponderoſiora uteri reſpectu, & mammarum, quod in homine contrà fit omnino. Quæri hac parte & illud poteſt, Vndenam fiat, quòd uniuerſim inter animantia iuſtæ magnitudinis quibuſdam adſint corpora, nonnullis uero citra. Cæterũ ab phyſiologiæ ſtudioſis ratio ferè promi duplex aſſueuit: alteram ex loci promunt anguſtia, de alimenti inopia reliquam. Sed enim pumiliones arctior locus concinnat: latitudo nanque illis & profunditas laceſſita uiſitur haudquaquam. Verũ parentibus euadunt breuiores multo, ueluti rectis lineis in aduncas reflexis, cuiuſmodi agnoſcimus ferè tabernulis quæ inſunt picturas, breues utiq́, at latas tamen, profundasq́. Verum quibus alimenta ſuppeditarint parcius, his fermè prætenuia ac prorſum puerilia conſtant membra. Pumiliones alias & pumilos dici comperias: quanquam enerues quoq́, ac molliculi nuncupentur pumili. Quod Placiades ſcribit. De arboribus item pumilionem dici, Plinio credimus: quem horoſcopo in tertia ſcorpij parte conſtituto, naſci, Iulius Firmicus auctor eſt.

Cur ſit erectæ ſtaturæ homo. Cur plantæ contrario nobis modo ſe habeant. Piſcis qui dicitur cæli inſpector. Cap. XI

QVid uero ſibi uult ſurrecta hæc corporis figura? an non id oſtentat bonum, & ſubinde ingerit ingratis, cui cætera in brutis nequeant comparari? Equidem ſic arbitror, inde commoneri omnes, Non eſſe hic nos, ut incolas & habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atq́ cæleſtium, quarũ ſpectaculũ ad nullũ aliud genus animantiũ pertinet. Propterea Mercurius inquit, generatio hominũ ad diuinorũ eſt operũ cognitionẽ, teſtimoniumq́ naturæ, ad imperandumq́ omnibus, quæ cælo teguntur, ad cæleſtium diſcurſum ſuſpiciendum, ad poteſtatem dei & naturæ progreſſus: ut deniq́ ijs ipſis quæ in uita ſuſpexeris, mox feliciſſimè hinc emigrans perfruaris, cæli tranſmittens limites in diuinæ maieſtatis perpenſione, ſicuti noſtræ religionis placitis, & Platonicorum ſancitur. Et erectæ quidem figuræ ratio euidens hæc, quæ finem nobis præſcribit. Additur & humanæ formæ ratio conſimilis animæ cæli in receſſu ab contrarietate omni: ipſa quippe producta eſt in umbra intelligentiæ, ſicuti Iſaac dicere conſueuerat. Proinde dicitur homo collimitiũ, & orizon corporeorum & incorporeorum: cuius ſuperna ſunt ſuperna ſimpliciter, ſcilicet uniuerſi. Quæ uero ipſum hoc efficit ratio, in calore eſt, ac ſpiritu, quibus inter cuncta animantia fœcundior homo eſt, propriæ molis reſpectu, circa præcordia in primis, & ſpiritalia membra. Quo fit, ut erigatur corpus propulſione ſpiritus & ſanguinis ad ſuperna. Facit ad id & elementorum nexus, quibus humanum corpus eſt compactum, quando æquabili maxime pondere ad eius coiere compagem. Quamobrem libro De partibus quarto Ariſtoteles: Solus, inquit, animalium omnium homo erectus eſt, quoniam eius natura atq́ ſubſtantia diuina eſt. Officium autem diuini eſt intelligere atq́ ſapere, quod non facile eſſet, ſi uaſta corporis moles aſſideret: pondus enim tardiorem reddit mentem & ſenſum communem. Propterea concretione ac pondere grauiore opprimente, corpora uergere in terram neceſſe eſt. Accedit ijs & diui Thomæ auctoritas in libelli expoſitione qui eſt De iuuentute & ſenectute, qui aſſignaturus ex mente Ariſtotelis rationem, cur plantæ contrario nobis modo ſe habeant: Eſt, inquit, erectus homo duabus ex cauſis, ſimul quia eſt animaliũ perfectiſſimus, accediteq́ plurimum ad cæli æqualitatẽ, ſimul quia proportione corporis calidior eſt alijs omnibus. Calidi uero proprium eſt in arrectum tollere. Animalia reliqua medio ſe habent modo, quoniam minus ad cęli æqualitatem accedunt, minusq́ habent caloris erigentis. In plantis autem res omnino contraria eſt, quia immobiles ſunt, ſuperiorq́ in illis portio eſt, unde alimentũ recipiunt: id uero in radicibus contingere, manifeſtum eſt. Proinde Ariſtotelem dicere, illas habere oris proportionem. Plantæ item imperfectiſſimæ ſunt, minusq́ genuini etiamnum obtinent caloris, quàm bruta, nihilq́ quodammodo ad cæli æqualitatẽ accedunt. Ideoq́ quod

quod in illis ſupremum eſt, in uniuerſo imum agnoſcitur. Porrò ne quid per incuriam tranſiliamus, auctor Galenus eſt: ſic nos promptius & commodius multo manuum uti miniſterio. Quicquid enim contrectamus, uel ſtantes id agimus, aut omnino ſedentes, prorſum uerò nil proni, uel ſupini: ſiquidem poſitũ huiuſmodi ferè artes neſcire. Quod uerò de cæli ſuſpectione protulimus, multo excipit riſu Galenus idem: quando proceriorís colli auitia longe id facilius ualeant implere. Eſſe quoq; piſcem ait, ab re cæli inſpectorem nũcupatum, quod uel inuitus ſuſpiciat perpetuo. Addit, qui iſta tradant, non uideri Platonem intellexiſſe, à quo proditum ſit, ſuſpectari à nobis, nõ ubi quis caput reclinet oſcitans, ſed cum mente cæleſtium corporum, cælitumq; naturam attingat.

Quàm multa ſint in corpore humano admiratione digna. Quæ ſit in corporibus pulchritudo. De humoribus quatuor humani corporis. Quid ita functos fato dicamus Alibantas. Segniciei in motu ratio: item animoſitatis, & contentioſæ naturæ. Idioſyncraſia quid. Medicina uera cur diis attributa. Cur ingenioſi aliqui, aut obliuioſi. Cur triſtes, aut hilares. Item de ſanguine, ac bile atra. Plinij locus reſtituitur libro ſecundo. Cacochymia, & Plethora quo differant. Ichores quid, & Enhæmum. Cur ſanguis dicatur ἕμαξ. Lac quid.

Cap. XII

IN corporis uerò humani fabrica ingerunt ſe plurima ſingulari digna admiratione, quæ ſingillatim ac curioſe contenteq; ſi quis exſequi curet, uix reperietur finis ullus. Siquidem quæ communia nobis ſunt cum brutis, tanto exquiſitiorem in corpore humano rationem habent, ut impius omnino cenſeatur, qui artificis eminẽtiſſimam ſapiẽtiam iniqua perpenderit lance. Nec diſpicio nunc quo ingenio, qua rerum inſigni opportunitate corpora noſtra ſint oſſibus ſolidata, peruincta neruorũ ui, ad omnem motũ aptiſſima, ſiue procurras, ſiue retroagi aut circumagi opus ſit, nõ minore aſcendẽdi, uel etiam arrependi occaſione, utcunq; omnino libuerit, & quidẽ nullo ferè conatu, ut eos taceam qui agilitate incredibili per circulos corpora immittunt, & uitilium modo tam uariè inflectuntur, ut ne ceræ quidẽ ſequacior uideatur natura. Illa uerò cuiuſmodi laus eſt, in humana facie, uultuq; tantã agnoſci diuerſitatem, ut inter tot millia hominum indiſcretas effigies reperire nõ ſit, aut rariſſime admodum ſeſe occaſio oſtentet, nec ab miraculo res abſit? Quod ſolertiſſimum artificis ingenium in pauciſſimis prorſum aſſecutum fuerit. Quid illa loquẽdi uarietas? quæ quamuis initio terra uniuerſa eſſet labij unius, eò increuit, ut mirari ſatis nõ ſit, quũ præſertim diſſoni oris quiſpiam non ferè cenſeatur hominis uice, inde etiam nato prouerbio, Obſurdeſcere hominẽ in aliena lingua. Iam uero corporum pulchritudo quàm appoſita, quamq; uſui omni accommoda? Nec eam nunc intelligo, quæ ex colorum linearumq; concinnitate conſurgit, quãquam nec iſtam fruſtra deſyderaris. Sed hanc prudentes tum effictam, tum notham rentur pulchritudinem. Siquidẽ alia ἀνθρωποδιάφθορον, ſiue mango corpora laudabit, alia Hippocrates. Ille enim peregrinis nugis, & artificio omni uenuſtatem, ut Galenus docuit, adſciſcit: hic ueram adiudicabit pulchritudinem, quæ optima conſtet corporis conſtitutione, quam ex actu pernoſcimus, ſicuti De utilitate partium ſecundo, comprobat Galenus idem. Hanc uerò in membris extimis præcipuè attendunt peritiores, quãdo intimis, quia latitent, nõ utique pulchritudinem, ſed utilitatem attributam incredibilem uolunt. Eſt uerò conſtitutio optima, quæ omnes habet particulas, quæq; ex iis profluunt, emolumenta ad actus organorum peraccommoda. Corpus huiuſmodi bene habitum euphoron Græci uocant, ideſt εὔφορον. Illud uerò in corporis humani compage cuiuſnam modi eſſe creditur, quòd arte mirabili, ut mũdus, ita etiam homo quatuor conſtare uidetur elementis, uti decimo Simplicis medicinæ auctor Galenus eſt, ſanguine, pituita, & utraque bile tam atra quàm flaua: nam ſanguis aeri aſſimulatur, pituita aquæ, flaua bilis igni, terræ uerò quæ atra dicitur bilis. Siquidem horum ſingula elementorum habent qualitates, ut πτερωφόρημα quoddam poſſis dicere, ac ueluti moretum: nec tamen omnino modo eodem, hoc eſt non per minutiſſimarũm partium appoſitionem, ſed per tranſmutationem & unitatem ita cõcreta generantur corpora, ut ſeparari niſi ab eo, cuius iuſſu coiere nequeant. Quoniam uerò calens humectatio uitam prorſus continet, frigida autem arefactio mortem, hinc factũ

ut uita functos dicamus alibantas, ceu sint ἄνυδρον λιβάδος, ideſt citra humoris portiunculam. Sed illud grauius multo, quibus frigidior ſuccus in uentre, aut in toto corporis habitu collectus eſt, hos ad motum eſſe ſegniores, compertum eſt. Sic & qui plethorici uocantur, qui æquabiliter ſe habentibus ſuccis abundant nimium, & quos recens afflixit frigus. At illi impenſius etiam qui natura frigidiore ſint. Iam his longe inſignitius, ſi frigiditati humor acceſſerit. Quis uerò temperatura præſto calidior fuerit, hi prorſum & ſunt animoſi, & certaminis cupidiores, adeò; actionem prompti nimio plus. Nec illud prætereundum, dici pleriſq; medicorum idioſyncraſiam priuatam uniuſcuiuſq; temperaturam corporis, quam aſſequi coniectatione uel perfectum medicum exactius, rentur impoſſibile: quo nomine, Galenus inquit, ueram medendi ſcientiam Aeſculapio attribuunt, ac Apollini. Guſtu porrò ſanguis dulcis, pituita ſalſa, flaua bilis amara, atra uerò acuta. Fons ſanguinis eſt cor. Ex ſanguine ſpiritus. Sed per cordis partem dextram manat ſanguis, per ſiniſtram promicat ſpiritus. Flaua bilis ex iecore, atra ex ſplene, pituita ex cerebro. Eſt uerò ſanguis calidus & humidus, pituita frigida & humida, flaua bilis, calida ſimul & arida, atra denique areſcit cum frigiditate. Ex iſs uerò quatuor noſcuntur corporum conſtitutiones: uerum ante has intelligit medicorum ſchola, quam temperatam uocant, ſicuti Conſtitutionum ſecundo prodit Galenus, & quarto Colliget Auerrois, ut de Auicenna interim taceam, ſecunda primi, doctrina tertia. Quod autem hominum alij ſint hilares, triſtes alij: cauſa, ut inquit Hippocrates, in elementis eſt. Nam qui defecatiſſimi ſunt ſanguinis, ridibundi ferè ſunt, uiſu, corporeq; floridi, & quandoque coloris uenuſti. Homerus quoq; de caloris copia riſum profluere, inibi uidetur indicare, ubi γέλωτα ἄσβεστον, ideſt inextinguibilem dicit riſum. Quin & grammaticis ſuboluiſſe uidetur, à quibus γέλως deduci traditur ab ἕλη, quæ uox caliditatem nobis indicat. In quibus uerò flaua exuberat bilis, agiles hi, leues mente, ingenij celeris & iracundi. Qui atra bile abundant, inertes ſunt, puſillanimes, timidi. At pituitoſi, ſegnes & frigidi. Ex pituitæ dulcis affluentia ſomni copiam profluere, coniectant medicorum ſcholæ, uelut ex acetoſis famem, ex ſalſis ſitim, ex crudis ſitis interpellationem. Homini autem meminiſſe & ſapere ex temperamẽto aduenit cerebri, nempe cum medio modo habet, ut neq; calidum, neque frigidum ſit. Nam obliuio ex frigido gignitur cerebro magis, quàm ratione alia. Ideo morbus quod delirium nuncupatur, à febribus gigni traditur exurẽtibus: ſicuti redundãte humore frigido in cerebro, enaſcitur lethargus. Hinc commoneor, ut Plinij locum, nemini hactenus animaduerſum, quod ſciam, ad libram exactius reuocem libro ſecundo capite octuageſimo, ubi legitur modo, Truces uerò ex cæli rigore has & illas mobilitates habentes. Reponendum autem ſic, Truces uerò ex cæli rigore. ut hic diſpungas, ſicq; inferas demum, has & illas mobilitate hebetes: ut glacialem mundi partem incolentes, ac æſtu torrida, ingenio eſſe præpingui, percipiamus. Id quod liquidò comprobant ſequentia: quippe medijs terrarum ſpatijs molles enitescunt ritus, ſenſus eſt purus, ingenia fœcunda, totiusq; naturæ capacia. Quæ autem de affectionibus humorum quatuor adnotauimus, Scire oportet, nõ uideri ea omnino perpetua: eſt enim ubi ſub uirginea, & miti facie, barbara, atrox & ferina prorſum lateat immanitas. Sub aſpernabili uerò, & cruenta minante uultu latet quandoq; amabilis & exoſculanda clementia. Quibus uerò uenuſta frons & ridibunda, renidensq;, æſtuant ſæpe mœroribus, ac ſibi ipſis putent. Iam quoſdam inuenias ita lugubres aſpectu & inferio uultu & fronte obducta, inſtar uicti Marſyæ, ut Saturni mancipia planè uideantur. At quum attentaris, bone deus, quàm ſereno ſunt animo, quàm facetoſo, quanta comitate riſu omnia reſoluunt. Inter humores uerò ſanguis longè præſtantior cenſetur, ſiquidem eſt ſpirituum materia, quibus maxime ſtat uita, & uirtutis uegetatricis operatio, atque item animalis. Deinde, quia ad uitæ principia accedit amplius, quum ſit attemperati caloris, humectiq;: præterea alit efficacius, inſtauratq; quod intercidit, proinde naturæ theſaurus habetur: &, ut Plato inquit, carnium, & uniuerſi corporis pabulum, quo pereunte, confeſtim inſequatur mors. Bilem atram, ſeu μελαγχολίαν ueluti ſordes intelligunt feculentas, diſſitas plurimum ab uitæ principijs, lætitiæ hoſtes ac liberalitatis, ſenio & morti uelut cognatione iunctas. Ex medica illud eſt doctrina, ſi ex æquilibrio augeſcãt chymi, affectionem innaſci, quam πλῆθος dicunt, ac πληθώραν. Vbi uerò bile flaua, aut nigra uel phlegmate aut humoribus, quos ὀξυδόρκους uocant, offertum uiſatur corpus, caco

chymiam

chymiam nuncupant, non Plethoram: humorem pituitosum,ac frigidum.Praxagoras uitreum nominabat.Diocles monebat,Maio mense augescere in hominibus pituitam; & ἰχῶρας dulces: æstate uerò flauam bilem,& amaros ἰχῶρας, eo uticp uocabulo sanguini humores innuens permixtos.Scire tamen licet,Ichoras Græcis quandocp pro humoribus in corpore seu corruptis, seu integris accipi.Lego apud eruditos, quod equidem relatu dignum censui:pituitæ speciem ingenerari quandam gypso aqua macerato persimilem,sed membrorum nodis præcipue; Vbi decoquentis ui caloris sæpe fiat perinde ac gypseus lapis, mirabili etiam mulieris exemplo, quam diu molestum uexarat onus sphondylorum ac rhenum.Ea cum scabendo, pruritu titillãte, cutem lancinasset, lapilli exciderunt numero decem & octo,magnitudine quanta in tesseris usitur,colore planè gypseo.Cæterum ex quo cœpimus & miraculum ex sanguine subtexamus alterum. Vnde enim fiat,ut in uulneris auctorem, si superueniat intra horas plus minus septem, prosilire pernoscatur?Nempe qui uulneratur ac perimitur, in assilientem dolenter conuertitur,cogitatio ultionem expetit auide,ad id repente inardescit bilis, à qua mox succenditur sanguis,raptimcp tota ui sese ad uulnus proripit, tum fomenti causa,tum uindictæ.Conuolant spiritus insimul, qui insita leuitate mox auctorem circumsiliunt, cuius calore perseuerant,persistuntcp aliquandiu.Quo tempore,si uulnus inspiciatis cominus promitur in eundem sanguis,tum calore necdum extincto,tum quod nec agitatio quieuit interior,simul quia uel prius in illum sese concitarat.Porrò quoniam spiritus suos repetit sanguis,suumcp prolicium sanguinem spiritus. Sunt ex theologis, qui in deum refundant euentus causam,ut horridius fiat peccatum,ac detestabilius.Illud auctarij fuerit loco,inter medicamenta esse, quod uocetur enhæmon:quod ut ex Hippocrate quarto Therapeutices inquit Galenus,κωλύει διαπνεῖν, καὶ ἀναξηραίνει. Nam & primo Problematum Aristoteles,supprimi ab eo sanguinem scribit, ac materiæ inutilis cõfluuium reprimere.Ita enim effici,ut uulnus simul & inflammatione careat, & unitati sit opportunum.Porrò,quæ cruentis injicienda censemus, acria ex parte magna sunt, quo acerbita te sua astringere queant. Denicp medicamentis constant non pinguibus:ideocp Alipene nuncupantur. Cæterum & ulcus enhæmum dici Galeno quandocp obseruauimus, tanquam cruentum intelligas, καὶ πρόσφατον. Nec illud prætereo, in Alexipharmacis Nicãdri sanguinem dici ἔαρ, quoniam uere plurimum exundet. Certe eariten sunt qui hæmatiten dicant lapidem. Lac, ut physici produnt nonnulli, sanguinis spuma est, quo nomine,inquit Varro, nutricem oportet esse adolescentem, anuis enim ut sanguis deterior,sic lac.

Spiritum plura significare.Branchus quid.De animali spiritu,uitali,naturali. Ingeniorum diuersitas unde sit. Cap.XIII

Spiritum, siue πνεῦμα modis dici pluribus, non grammaticis modo notum, sed & medicis:uno enim modo de anhelitu pronuntiatur, ut apud Hippocratem,Galeno teste Prognosticorum prima: Spiritus si frequens sit, dolorẽ & succensionem significat in his quæ sunt super diaphragma. Et apud Quintilianum libro undecimo:Est interim, inquit, & longus & plenus & clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis: ideocp tremulus, ut corpora, quæ aspectu integra neruis parum sustinentur.id Græci βραδιχυν uocant. Alio item modo uentum indicat, deinde & substantiam incorpoream,rationalem.Nam sic angeli uel intelligentiæ,& anima,spiritus ab theologis nuncupari solent.Postremò autem est spiritus substantia subtilis,aerea,dilucida,ex tenuissima quacp sanguinis parte producta, ut deferatur uirtus à præcipuis membris ad reliqua, quo proprios ualeant actus exercere. Spiritus hic ad sanguinem ita se habet,ut ad ignem scintilla.Galenus libro De uirtutibus nostrum corpus dispensantibus,duo tantum facit spirituum genera, uitalem,& animalem. At Therapeutices duodecimo, naturalem etiam addit:ita uerò ut ambigens de eo uerba faciat,& per conditionem. Auerrois secundo Colliget (ut barbaro, sed scholis tamen pertrito utamur titulo) duos facit spiritus,in corde uitalem,at animalem in cerebro.Sed primo Canticæ addit etiamnum ipse naturalem,quem ex uapore gigni interpretatur depurato detersocp. Cuius sedem,inquit, statuit Galenus hepar, unde transmittatur in corpus reliquum.Aristoteles autem cor,in quo deprehenditur manifesto. Præcipuum uerò instru-

mentum quo uigent reliqua, eſt per neruos in cor & iecur deſcendens ex cerebro ſpiritus animalis. Vitalis autem ſpiritus ex corde profluens, multa eſt tenuitas quæ ad corporis membra inuehitur per arterias, cauſa cognati, inſitiq́, ac uitalis caloris exiſtens, & proinde etiam uitalis nominatur. Hic etiam per arterias ſeſe attollens ad caput materia ſpiritus fit in cerebro, quodamq́ moderamine ſeſe omnis ſenſus & imaginationis & memoriæ, appetitusq́ & motus, necnon in ratione utentibus opinationis & intelligentiæ inſtrumentum abunde ſuggerit. In primisq́ ſeſe animæ offert, & quò illa intenderit, irrumpit: quamobrem etiam animale nuncupatur inſtrumentum. Verum tamen iuxta eius temperiem uariam uarias ac diuerſas anima quoq́ perficit actiones. Vnde & ingeniorum naſcitur diuerſitas, quod & in brutis animaduertimus. Quædam enim rationi propiora uidentur, pro ſpiritus qui cerebrū occupauit qualitate. Quanquam & acutiora deprehenduntur ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum qui terras incolant eas, in quibus aer ſit purus ac tenuis. Quin & quibus ueſcare cibis ad mentis aciem intereſſe plurimum, coniectant.

Quid arteria, & quid uena: origo utriuſq́. Vena an dicatur de arteria, contra Gellium. Hæmorrhagia quid. Anaſtomoſis. Diapedeſis. Parocheteuſis. Antiſpaſis. Iſchæmon. Arteriæ tunica an coeat ſoluta. Colletica. Epuletica. Cirſos. Varices. Cap. XIIII

QVoniam uerò ſanguinis ſpiritusq́ facta nobis mentio eſt, quibus implendo deplendoq́ uitam reficit natura, uel perdit, congruum fuerit, hic potiſſimum uenarum, quas dicunt ſanguinis riuos, & arteriarum, quas ſpiritus uocant ſemitas, rationem paucis attigiſſe, primumq́ rerum ipſarum finitionem. Venā igitur ſanguinis eſſe conceptaculum dicunt, ſiue (ut medici nuncupant) uas, mixti confuſiq́ cum ſpiritu naturali, in quo ſanguinis plus ſit, ſpiritus autem minus. Arteriam eſſe uolunt ſpiritus conceptaculum naturalis mixti confuſiq́ cum ſanguine: in quo ſpiritus ſit plus, ſanguinis minus. Id uerò planè obſeruatione dignum ex Galeni doctrina, necnō Cordubenſis Moyſi, Aphoriſmorum particula prima: eum qui ſit in pulſantibus uenis ſanguinem uideri eſſeq́ modi non magni ac prætenuem, adq́ fumi naturam proxime accedentem. Rurſum qui eſt in uenis non pulſantibus, ſpiritum eſſe modicum item ac omnino nebuloſum. Venarum exortum omnes ferè à capite atque cerebro deducunt, ſed errore maximo, ut tertio De animalium hiſtoriis auctor Ariſtoteles eſt, qui earum naturam deprehendit huiuſmodi: duas uidelicet intra pectus uenas contineri, ſpinæ appoſitas: altera quarum maior ſit, minor altera: ſed maior, inquit, priorem partem adit, minor poſteriorem: & maior dexteram potius ſedem obtinet, minor ſiniſtram; quam ahortam nonnulli uocant, eo quod neruoſa eius pars conſpici uel in mortuis potuit. Ambæ ex corde originem ducunt, tranſigunt enim totæ cætera uiſcera, per quæ tendunt ſuam ſeruantes naturam. Deinde exſequitur Philoſophus, qua ratione illarum utraq́ in totum diſpergatur corpus, ea tranſponere ac uelut conuaſare uniuerſa, non fuit conſilij, ne pragmatia noſtra hæc de homine exeat in immenſum. Qui curioſius iſta perquirit, locum habet quem adeat. Auicenna item doctrina quinta fen primæ primi, Arterias eſſe corpora ſcribit ſinuoſa, in longum porrecta, neruoſa, ex corde propagata: quibus inſit motionis uirtus per diaſtolen & ſyſtolen, ideſt per diſparationem & contractionem, ut inde cordis euentatio comparetur, & ab eo fumidus ſegregetur uapor, & membris corporis diſtributim infundatur ſpiritus. Venæ autem, inquit, arteriis quidem perſimiles ſunt, ſed ab hepate manant ac quieſcunt. Earum munia ſunt, membris ſanguinem inſinuare. Scitu uerò non indignum parte hac, ab Hippocrate, ſicuti ab uetuſtioribus item aliis, duo genera uaſorum, quibus contineatur ſanguis, nuncupari uenas, non ut ab iunioribus, alterum tantum, cui non inſit pulſus. Id quod eſt ſecundo De morborum interſtitiis ab Galeno confirmatum, & A. Gellij ſententiam reuellit inſigniter, ſed & Quintilianus ſeptimi libri fine, uim appellat ſentiendi uenarum pulſus. Plinius quoq́ libro item ſeptimo, Venarum dicit formicantem percuſſum. Auicennæ eruditus interpres dubium uideri ſcribit, profluant'ne ab hepate uenæ, quum Ariſtotelis (inquit) ſententia ſit, uenas & arterias à corde initia ducere. Galenus quarto De utilitate partium, non pulſantes uenas, tunicæ unius ab hepate ortum habere ſcribit. Idem approbaſſe Auerrois uidetur prim

Coll

Colliget, capite De uenis. Etiam ſi in libro De diſpoſitionibus cordis, aſſererenon ambigat, Eſſe in corde cibalem uim, ſpiritus quoq; & uenarum ac neruorum propaginem. Ego uerò Galeni doctrinæ cẽſuerim inhærendum, quam niti experimento ſcimus. Apuleius in libro De dogmate Platonis: Exaduerſum, inquit, cordi uenarum meatus oriuntur, per pulmonis ſpiracula uiuacitatem trãsferentes, quam de corde ſuſceperunt, & rurſus ex illo loco diuiſæ per membra in totum hominem inuehunt ſpiritum. Cœlen, id eſt concauam dici uenam maximam, quæ ab corde initia ducat, auctor eſt Pollux. Illud adieciſſe, puto, nil obfuerit, Hæmorrhagiã dici ſanguinis fluorem, uenis uel ruptis uel conuulneratis. Fit autem Hæmorrhagia, quæ anaſtomoſis, ideſt ἀναστόμωσις nuncupatur, ex uaſis, ſeu conceptaculi imbecillitate, & impetu copioſiore affluentis ſanguinis ad eius os. At quæ dicitur διαπήδησις, hoc eſt diapedeſis, tunica confit rareſcente, ac ſanguine attenuato. In hæmorrhagijs ex Hippocratis inſtituto auertitur ſanguis aut parocheteuſi, aut antiſpaſi. Et parocheteuſin quidem intelligunt, ubi in propinqua corriuatur loca: antiſpaſin uerò quum in oppoſita: ueluti ex ſupernis demanante ſanguine per nares, fit ἀνταγωγὴ κατάσταση: at per inferna, uti per ſedem, ἀντίστασις. Sed & in occipitio, ſi per nares profluuium infeſtet. Hæc enim obiecta item accipimus. Iſchæma denique, ideſt ἰσχαίμα, ſunt, quæ ſanguinis comprimunt fluorem, medicamina. Porrò & id obſeruatione non indignum. A quibuſdam traditum, Arteriæ tuniculam unam eſſe duram adeo, & χονδρώδη, ut omnino ſit conſolidationis neſcia. Sic enim ſymphyſin interpretamur: quippe mollia tantum corpora adglutinationem admittere. Nam lapidi non concreſcit lapis. Experimento tamen ſe Galenus aduertiſſe prodit, coiſſe quandoq; : ac arteriæ naturam eſſe utiq; dyſphyton, ideſt quæ coaleſcat difficulter, non eſſe tamen prorſum aſymphyton, ideſt ab coalitu ſeiunctam. Quæ uerò conſolidant, ſymphytica dicuntur pharmaca: ſicuti colletica, quæ adglutinant: epulotica, quæ cicatricem inducunt. Cirſos dicunt ueteres Græci, ac medici præcipuè, quum toto corpore amplius uenæ dilatantur. Quum uerò in cruribus, ixias uocant: nonnulli ex alia ſcriptorum decuria, uarices uocant Latini.

Pulſus quid. Item de ratione pulſuum digna ſcitu. Qui ſit formiculans percuſſus, & uermiculans. Plinius declaratur. Microſphycti qui intelligantur.

Caput XV

RAm uerò ut ueluti per gradus quoſdam hominis nobilitatem attingamus ratione corporis, cui non uideatur diuinæ ſapientiæ miranda benignitas, quæ ſummo ſtudio peculiarius ſemper impertitur, quo à brutis inſigniter ſeiungamur? Siquidem pulſuum ratio quàm mira eſt? quàm uere diuina? Qui in cacumine membrorum euidentes ſunt morborum indices, in modulos certos legesq; metricas per ætates citati, aut ſtabiles, aut tardi. In ijs obſeruatio crebri aut languidi ictus gubernacula uitæ temperat. Quo quid parte hac præſtantius? aut quid æquè neceſſarium? Pulſum uerò, ſiue (ut Græci dicunt) σφυγμὸν, ſic fermè finiunt, Vt eſſe intentionem motus dicant, & remiſſionem in corde & in arteria, naturalis, non arbitrarij. At ueteres medici etiam ſic: Pulſus eſt diſparatio & contractio indiuiſibilis arteriæ ac cordis, uel ſubſultio & palpitatio uel ebullitio uenæ & arteriæ. Vnumquenq; uerò pulſum eſſe compoſitum, Auicẽna ſcribit, ex motibus duobus. Quibus duplex item accedat quies: nam inter motus duos, & quidem contrarios, neceſſe eſt intercedat quies. Neq; enim fieri poteſt, ut motui continuetur motus, quoniam unicuiq; præſcribitur meta ad quam tendat, quò ubi ſit peruentum quieſcat. Syſtoles uerò ſeu cõtractionis motus, à pleriſq; medicorum haud percipitur. Tunc enim à manu recedit arteria, tactus uerò non prouenit, niſi ſenſibile tangentem contingat. Galenus medicinæ ſcientiſſimus, cuius Auicenna ſe fatetur interpretem, proinde ſcribit, Remiſſionem huiuſmodi non obſeruaſſe diu: mox uerò curioſius ſolicitiusq; intendentem adeptum nonnihil: deniq; ita progreſſum, ut pulſuum ianua ſibi pateſceret omnino. Sed cur nam inſtitutum, brachiorum arterias obſeruare potiſſimum? Nempe, inquit Galenus idem in libro qui eſt ad pulſum Iſagogicus, quia paratior eſt pars ea, atque item prolatu honeſtior. Accedit, eius loci pulſum eſſe uniformem maxime atq; in neceſſitate perutilem. Nam & arterias eiuſmodi patentiores nouimus, quia pars ea minimè ſit corpulenta, nec abeſt ordinis rectitudo, qua in

eum locum à corde corriuatur arteria, nusquã ferè anfractibus sinuata. Adiuuat & propinquitas, præcipuè sinistri brachij, quo uberius se promit à corde uirtus. Quia uerò septimo Naturalis historiæ Plinius inter signa ingruentis mortis inæqualem formicãtemq; uenarum percussum apposuit: Formicantem pulsum Galenus capite tertio libri De tactu pulsus, intelligit minutum, densum, ac summe debilem, qui uelocitatis opinionem exhibeat, quum sit minime uelox. Rasis auctor & ipse fidei haud labefactatæ, nec dilutæ, decimo Almansoris, pulsui nuper æditi infantis esse similem tradit. Philaretus quærit, quo distet ab formicante uermiculans percussus: & hunc quidem putat quandoque conuerti demutariq; in melius, eius item amplius patere inæqualitatem. Formicantem uerò uirtute prorsum intermortua fieri, & interitum prænuntiare. Memorandum uerò Microsphyctos uocari quoq; Græcis, quibus pusilli sunt uenarum pulsus, longitudine, altitudineq; ac latitudine minima, uti ab Galeno proditum est, surrecta arteria.

Quæ sunt partes in animalibus similares & dissimilares: item de neruis. Quæ membra organica. Quoq; ab ijs differant, quæ animalium dicuntur partes. Cap. XVI

ANimalium partes, inquit Aristoteles, aut incompositæ sunt, quæ scilicet in similes sibi partes diuiduntur, ut caro in carnes, & ob eam rem similares, id est homœomeræ dicuntur. Aut compositæ, quæ aptæ secari in partes dissimiles sint, non in similes, ut manus non in manus secatur, aut facies in facies. Quapropter dissimilares, ideſt anhomœomeras nominamus. Eadem hæc Auicẽna ex Aristotele mutuatus doctrina quinta sen primæ primi cõscribit: sed addit, Dissimilares partes dici membra organica, quod sint animæ instrumẽta ad complẽdum motus & actus. Nam & Therapeutices primo Galenus aliud esse μόριον, seu μόριον, & aliud organum præmonstrans: Organum, inquit, ὀνομάζω μόριον ζώου, τελείας ψυχῆς ἀπεργασικόν, οἷον ὀφθαλμὸν ὄψεως. Qua sanè ratione oculus quidem animalis dicetur μόριον καὶ μόριον καὶ ὄργανον. At tunica ceratoides μόριον utiq;, ac μόριον: organum autem minime. Inter similaria principem locum habere ait Auicenna os, mox chartilaginem, postea neruos, qui sint corpora ex cerebro prodeuntia, seu ab nuca, alba, flexu mollia, & quæ non facile interuellantur, ea maximè ratione nata, ut eorum adminiculo membra & sensus non sint expertia, nec motus. Sciendum uerò hasce partes haberi ac dici simplices ex sensus tantum iudicio, quoniam & ipsæ ex elementis compactæ sunt: uerum quia in compositis non se actu promunt elementa, nec pernoscitur portio ulla, cui non cõgruat appellatio totius & diffinitio eadem, simplicia nuncupantur & homogenea.

Ossium ratio. Cornei cur dicantur, quibus sunt ossa concreta. Quot in humano corpore. Interim quæ ossa dicuntur simenia, uel cynolopha: item sesamina, lambda, hyodea, catagma, helcos, rhegma, spasma, apospasma, teredon, lygysmos. Poros quid. Cap. XVII

PLato in libro De uniuersi natura, humani corporis explicans rationem: Os, inquit, deus artifex ita concinnauit, terram atterens puram lenemq; miscuit, madefecitq; medulla, id postea in ignem iecit, mox in aquam mersit, rursus in ignem, iterum & in aquam: sicq; transferens sæpius in utrunq;, tale reddidit, ut liquari à neutro posset. Quibus natura concreta sint ossa, quos rarenter utiq; reperias, Cornei dicuntur, puto, quia cornui masculę nulla insit medulla. Ossium uerò distinctio est apud medicos appositissima. Alia siquidem basis uicem præstant, quoniam illis innitatur corpus, quo in genere sint sphondyli dorsi: propterea inquit Aristoteles, Initium in omnibus, quæ ossibus constant, spina est, quæ compacta ex uertebris à capite ad coxas porrigitur. Alia uerò clypei modum habent ad tutãdum, sicuti os cranei, quo tanquam sphæra ossea, ut Plato inquit, quasi tornata cerebrum est circunseptum. Alia item armorum loco sunt, quibus præpediẽtia protelentur, ut quæ trito medicis uocabulo ex curuitatis natura, ut ipsi interpretãtur, Simenia nuncupantur, ab Græcis κωνόλοφα dicta, ideſt canina prominẽtia. Hæc uerò super dorsi sphondylos locum habent. Alia sunt quibus iuncturarum siue compagum expletur inanitas: quæ, quod minutula sunt, uocãt sesamina, ut scribit Albertus, inter ossa digitorum reperta potissimum, ut in genu patella. Aliorum ratio est ad partium interpensionem, sicuti os quod ab literæ figura dicitur

lambda

lambda, abs quo gutturis ac linguæ musculi propendent. Id ab Galeno etiam uocatur hyodeum. Qui sic omnino distinguit, uti ossium alia motui subseruiant, quæ articulos uocant: alia motu careant, συνάρθρωσιν dicunt, id est articularem concretionem. Cuius forma triplex: aut enim futura est, ut in capite: aut uelut claui, ut dentes: aut symphysis, qua ossa cohærent, uelut insitio. Illud item obseruatione dignum: Ossa in homine comperiri numero exactissimo, & in summa (ut dicitur) summarum, ducenta quadraginta octo: sicuti in digitos misere diligentia præsigni Hippocrates, Galenus, Rasis, Auicenna, & Auerrois quoq;. Quanquam hosce, ijs mox singillatim recensendis, nonnihil dissidere animaduerterim. Albertus ducenta facit & septuaginta sex. In capite connumerantur nouem & quinquaginta: in thorace sexaginta septem: cui supputationi accedat quod in corde os reperitur: etiã si ab uniuerso id numero secludat Auerrois primo Colliget. Id uero Aristotele tradente, unam habet rationẽ, ut basis sit ac fundamentũ motus cordis. Nec id in omnibus repereris, sed in equis modo & bobus, certo genere, ut idem arbitrat. Albertus id se uidisse tradit in ceruis & in homine quoq;, & in multis præterea animalibus. Brachijs manibusq; duo ascribunt & sexaginta, pedibus sexaginta. Omento integri ossa omnia, dilucet: nam exempto eo, sideratio consequitur manifesta, & sensus amotio. Sciendum ex Therapeutices tertio, In osse id esse catagma, quod in carne helcos, id est ulcus. Vtrobiq; enim esse σωματικῆς λύσιν, id est continuitatis ac seriei interpellationem. Quam item rationem in corpulentis ex illato ictu habet τραῦμα. Citra plagam uero rhegma, id est ῥῆγμα. Nam in neruosis plane spasma est. Eiusdem porrò generis censetur & apospasma, sed in nodis, ac coniunctionibus. Fracturam consequitur sæpe, quam dicunt ἔκκυμωσιν. Obtingit uero frequenter per uasorum ἀναστόμωσιν, & eam quæ uocatur ἀπασώδησις, continuitatis interpellatio & ipsa. Catagmaticas denicq; leges dici, obseruauimus: sicuti ligaturas item catagmaticas. Teredon apud Græcos, perforationem indicat. Sed in nomine, litera e abundare uidetur: nam ab tremate, id est foramine inflectitur, ueluti tredon quędam, id est foratio, existens, quæ ab acutis humoribus fiat exedentibus. Lygysmon uocant Græci, ubi franguntur in cruribus aut brachijs ossa. Denicq; fracta ossa non per unitionem cohærere, tradunt nonnulli, sed per callum eum quem Græci poron dicunt, ceu glutino iungi.

Chartilaginis natura quo ab ossibus differat. Chondros, chondracantha, medulla notiæa, spondylion, moschion, medulla lanæ, medulla auium. Caput XVIII

CHartilago ab osse diuersa est pluris minorisue ratione, quum alioqui natura sit compar: siquidem præcisum os non succrescit amplius, nec chartilago conuulsa coit, restituiturue. Ad flexum lectisternij uicem præstat, χόνδρου Græci uocant. Ex nerui ossisq; natura conflatur, ut scribit Pollux, & tradit Galenus. χονδροκανθα dicuntur, quæ spinam habent chartilagineam. Terrestrium, quæ animal gignunt, nec exanguia uiuntur, chartilago foramine nullo cauatur, proinde etiam medullæ expers est, Aquatilium, quæ σκληχὴ dicuntur, id est chartilaginata, per dorsum quod est ossium ἀνάλογον, chartilago humorem habet medullæ modo. In grestilibus, ex quibus progignitur animal, auriculas & nares, nonnullam habere chartilaginem scimus. Medullam scribit Galenus, eam dici germana significatione, ossibus quæ occlusa distinetur, minus proprie dorsalem quoq;, notiæamq; Græcis appellatam, reliqua durioremq; ac siccioremq;. At quæ spondylis continetur, Polluci spondylionis censetur nomenclatura. Vituli medullam dici medicis moschiam, idem auctor est Galenus Simplicis medicinæ libro undecimo: sed qui uocabulo item eodem cæparum uocant semina, quin & tenellas plantas: nam & Plinius lanæ medullas uocat, tenuissimam quanq; in lanitio partem, sic & auium medullam nuncupabimus plumulam molliorem.

Neruorum ratio, & unde oriantur nerui. An sentiendi organum sit caro. Anthrope quid: item epidermis, rhacodes, lacernosa cutis. Cap. XIX

TAm uero neruorum naturam si ad perpensionem reuoces, qualis nam inde consurget opificis admiratio: ijs nodi corporum qui uocantur articuli, aliubi interuentu, aliubi ambitu, aliubi transitu tanta animantium utilitate, ac membrorum firmitate, & motus præstanti, & certa ligantur pernicitate, ut (adsit

modo æquus rerum æſtimator) fateri neceſſe ſit, eam fuiſſe diuinæ ſapientiæ in hac fabrica curam, ut ſingulis tantum eius attribueret bonitas, quantum emolumenti ac decoris ratio patiebatur. Ex qua alios uidemus teretes, nonnullos item latos, ut in unoquoque poſcere figuratio uidebatur. Neruorum naturam Plato ſcribit, ex oſſe ac carne non fermentata eſſe à deo cõtemperatam, & flauo infectam colore: indeq; neruos carne quidem tenſiores factos aridioresq;, oſſibus autem agiliores & molliores, quibus idem medullas & oſſa peruinxerit, omniaq; carnibus operuerit. Neruos porrò in corde habere ortum, Ariſtotelis ſententia eſt, quoniam id neruulos ſuo ampliore uentriculo cõtineat, & uena, quam ahortam dicunt, neruoſa ſit. Albenti glutinoſoq; humore neruos & naſci & ali, idem affirmat auctor, cuiuſmodi etiam humorem mucori aſſimilem eis circuniectum conuiſimus. Auicenna primo Canonis, ut medicus & Galeni interpres, neruos ab cerebro & nuca produci ſcribit. Libro tamen De animalibus tertio, hærendum Ariſtoteli eſt opinatus. Galenus locis aliquot ſententiam priorem fouet: quem adiuuat Auerrois primo Colliget, item Canticæ primo. utra uerò ſit potior ſententia, non cuiuslibet fuerit ſancire: præſertim quum grauis auctor in Aphoriſmis Damaſcenus ita pronuntiarit, Vbi diſſideant Ariſtoteles & Galenus, haud facilè internoſci uerum: at ubi Ariſtoteles ipſe pugnantia ſcribat, quid agendum? Nam in libris De animalibus, non ſemel ſentiendi organum carnem ſtatuit, aut ἀνάλογον, non (ut medici, & nos ſuprà commonuimus) neruos. At ſecundo De anima: Caro non eſt, inquit, ſenſus inſtrumentum, ſed medium potius, ſicut aer & aqua ſunt in uidendi, audiendi, olfaciẽdi ratione media: nam ſenſibilia ſuper ſenſile iacentia non mouent ſenſum, mouent autem ſuper carnem poſita. Auerrois aſſecla ubiq; ferè Ariſtotelis, & medicorum, ubi ſe oſtentarit occaſio, inſectator acerrimus, Galenum hac parte inſequi maluit, Ariſtotele relicto, Quod ipſum & duodecimo De animalibus Auicenna facit. Sed fortè carnem ſignificauit lacertoſam Ariſtoteles, cui tantum ſenſificæ ineſt potentiæ, quantum neruorum. Albertus uir doctior, quàm politior, neruos à cerebro diuidi tradit, dum ad pellem perueniunt cerebro obtentã, oriri autem à corde. Item alios dici ſenſuum uehicula, alios motuum. Hos quoque ab occipitio produci: ab anteriore parte illos. Hominis pellem Herodotus anthropen nũcupauit, ideſt ἀνθρωπίνην uel (ut in alijs) ἀνθρωπείαν. At Galenus Epidermida uocat, quæ ulceri demum perſanato inducitur, ὃ ἐπουλώσεως δόμενον ἕλκους ἀκριβῶς τελέως τὴν καλουμένην ἀδιάφορον, ex Therapeutices tertio. Sed alibi pellis ſuperficiem intelligere eo nomine uidetur. Eſt & in abſceſſibus cutis nuncupata rhacodes, puris uirulentia inſigniter attenuata, & τεῖλος, ideſt attritis linteis admodum aſſimilis. Lacernoſam autem Latinè appellant nonnulli, quia lacernæ inſtar rodatur. Aponeuroſis, neruea dicitur tenuitas. Amplius de epidermade Galenus Simplicium pharmacorum libro undecimo: Pediculorum, inquit, multitudo ſuccreſcit, in quibus copioſior fuerit cacochymia, & quidam uelut cortex abſcinditur à cute, diciturq; epidermis, qua craſſi uiſcoſiq; continentur humores, unde fit ſcabies, lepra, elephantia.

Carnis ratio ex Platonis doctrina. Carnis ſpecies duæ. Qui ſint ines, & qui uilli apud medicinæ peritos. Pulpa, in Plinio quid. Parenchymata, adenes, inion, inis, inulus, hinni. Sarcotica pharmaca, cephalica, cathæretica, hyperſarcoſis, euſarcon.

Cap. xx

CArnem ſcribit Plato, aduerſus frigoris & caloris iniuriam ab opifice deo tegumenti uice neruis oſſibusq; ſuperinductam, proinde inditum ei humorem caloris non immunem, ut æſtate quidem roſcida madidaq; extrinſecus, corpori uniuerſo domeſticam exhibeat refrigerationem, hyeme uerò rurſum igne proprio glaciem extrinſecus illatam repellat moderate. Quæ quum præclarus ille noſtri corporis fictor eſſet meditatus, permixtione quadam ex aqua, igni, terraq; cõtemperata, indito inſuper acuto ſalſoq; fermento, ſucci plenam ac mollem conflauit carnem. Huius uerò ſpecies duas agnoſcunt medicorum ſcholæ: aut enim uilloſa caro eſt, ut quæ in muſculis habetur: aut uillis nuda prorſum, ut hepar. Villos intelligunt, quos uocant Græci ἶνας. Etiam ſi non me fugit, Plinium quandoq; uenas fibrasq; conuertere, quod & Theodorus facit, non neruos. Cæterum tenuiſſima pars chartæ dicitur item ina. Eſt ubi Plinius idem, pulpam pro neruo accipiat, quam Theophraſtus etiam uocarit ina.

Quibuſ-

Quibuſdam, inquit, pulpa ſine uenis mero ſtamine ac tenui conſtat. Villum medici deſcribũt, corporis partem ſubſtantiæ tenacioris, ſolidam, gracilem oblongamq́, filo perſimilem, quæ motui ſubſeruiat, & carni robur adijciat. Villorum alios ſtatuunt neruoſos, uenoſos alios: & ſint etiam quos arteriales uocant aut panniculoſos, uel qui uitilium fungantur uice. Omninoq́ diuerſi euadant pro membrorum ratione, in quibus comperiuntur, aut à quibus propagantur. Quod Galenus cõprobat Craſeon ſecundo. Sed & Therapeutices decimo: In muſculis (inquit) eſt modo caro, in alijs hanc præter paucos agnoſcit nemo. Sed in hepate, renibus, ſplene, pulmone parenchymata uocant, id eſt παρεγχύματα. In inteſtinis uero & uentre ac ſtomacho uuluaq́, eſt pars hæc innominata. Sed & quartodecimo, Viſceribus, inquit, propria ineſt caro, quam plerique parenchyma uocant. Adenas eſſe Galenus finit, concretam in ſe durius carnem, conuolutamq́. Aſtruit Auicenna, ex motibus nullum, niſi per uillos fieri. Eſt, inquit Euſtathius, ἴνιον in capitis poſteriore parte, quo concidente ad inferiora, contractoq́ ad humeros, ἰσλνῶσθαι dicitur, hoc eſt incuruari qui id patitur. Alijs eſſe inion uidetur nerui cauitas, qui dicitur etiam τήνων. Inis apud Græcos, etiam infans dicitur. Inulos accipiunt nonnulli ceruinos pullos. Hinnos autem & hinnulos cum flatili ac duplici conſonante, ex aſina conceptos mares equi ſeminio. Ex Gregorio illud præterire nequeo: Carnis ſementinam trahere originem lac, caſeum, oua. Quia uero carnem Græci ſarca dicunt, inde pharmaca legimus ſarcotica, inter quæ ſit quod nuncupant cephalicum. Sunt uero hæc quibus internata caro ulcerum explet inanitatẽ. Sicuti quibus nimio plus excreſcens exteritur, uocant cathæretica. Nam uitium ipſum dicitur hyperſarcoſis, id eſt ὑπερσάρκωσις. Porrò ſicut nec nimis gracileſcens corpus laudem meretur, neq́ item obeſius factum: ſic habitudo media plauſibilis præcipue cenſetur: eam uero Græci εὔσαρκον nuncupant. Hyperſarcomata porrò nomine alio hyperochas in ulceribus Græci uocant ijdem.

Humanum corpus ſumma partium proportione conſtructum. Phyam quid uocent Græci. Rotundum & quadratum ſchema repériri in corporibus noſtris. Menſurarum indidem eſſe deprompta nomina: item denarium numerum. Quibus conſtet corpus. Retrimenta quot excernantur modis. Vlcerum ſuperfluitates haberi generum duorum, ichora, & rhypos. Corpora perittomatica & plethorica. Cap. XXI

QVod operis initio præſtaturũ me, non eſſem auſus polliceri, ut tam late hominis rationem perſequerer: ipſa tamẽ uberius ſeſe indies materia laxante, ingens nobis oſtentat quodammodo rerum ſylua, quæ uel cogitatione animum, quantumuis difficultatibus obluctantẽ, et ſi non fatigare, at ſolicitum anxiũq́ efficere ſaltẽ poteſt. Verumtamẽ durandũ eſt, quia cœpimus. Nã & dij faciẽtes adiuuant. Quod ſi legentiũ uotis per omnia minus ſatisfecerimus, aut ſi quippiam habuerimus derelictui, ut impolitiæ notari uideamur digni, Cogitandum erit, nemini unquam uitio datum, quod præfati ſumus, deos quoquo modo poſſe colere. Studioſis Latinæ rei euigilantur iſta, ſi quid ſenticoſi in tanta ſciendorum congerie ſeſe obtulerit, flores modo præcerpant, reliqua ſoli uitio ſuccreuiſſe putent, ubertate nimia interdum luxuriantis, ac prætereant: ſciantq́, hominis eſſe proprium conniuere in pluribus. Verum ſi condentis animum amplius reſpexerint, omnia plauſibiliter excipient, pariaq́ ſibi in rationibus fieri putabunt. Satis, opinor, hactenus artificis dei ſapientiam in hominum conſtitutione admirati ſumus: uerum quæ ſuperſunt, ſingularẽ & ipſa præferunt claritatem. Quod & eorum rationem ſummumq́ proſpectum idem habuit inenarrabilis conditor. Nam quale cenſemus illud, in corporis humani fabrica ſummam ſymmetriarum, ſiue commenſurationum rationem adeo ſeruatam, ut inde ab architecto rum prudentiſſimis analogæ ſuſtructiones ſint corriuatæ? Siquidem illud ita eſt ab natura concinnatum, coaptatumq́: uti proportionibus, quas Græci ἀναλογίας uocant, membra ad ſummam figurationem inſigniter reſpondeant: nilq́ omnino comperias, quod commenſu careat. Sicuti caput dicimus ab mento ad frontem ſummam, & radices imas capillorum, eſſe partis decimæ. Item manus palmam ab articulo ad extremum medium digitum tantundem. Caput à mento ad ſummum uerticem octauæ. Tantundem à ceruicibus imis, & reliqua deinceps: ut ſi attendere libeat, nil ſit non ab ſumma profectum

ratione

ratione. Hanc uero membrorum analogam rationem omnium Græci phyam uocant, id eſt φυλω, propter illud Homericum, Odyſſeæ ſexto:

Εἶλός τε, μέγεθός τε, φυλώ τ' ἄγχιστα ἰόσκω.

Quid, quod rotundationis ſchema in homine item compertum eſt? Quem ſi ſupinum ſtatuas, expanſis manibus, & fixeris in umbilico circinum, quia is locus centri rationem habet, circumagasq́, orbem conficies abſolutum, extrema digitorum in manibus pedibusq́ contingendo. Nec minus deſignationem in eo quadratam deprehendes, quando altitudo ab latitudine diuerſa non eſt, ſi menſum concipias inter expanſas manus. An non compertum & illud, Menſurarum rationes & nomina ex humano corpore mutuatos eſſe ueteres, digitum appellantes, aut palmum, item pedem, cubitumq́? Quinimmo & denarius numerus, quem perfectum dicunt & probant, ab digitorum ſerie depromptus eſt, quod Ariſtoteles adnotauit. Conſtare autem humanum corpus rebus numero quatuordecim inuenimus: neruis, uenis, arteriis, ſanguine, ſpiritu, carne, pingui, chondris ſeu chartilaginibus, unguibus, oſſibus, humoribus, medullis, pilis, tuniculis. Ad laudem pertinet illud quoq́: excerni retrimenta, ſuperfluentiaq́ à uiris quidem per aluum, urinam, uomitus, oculos, nares, ſputa, excreationes, aures, rem Veneream, per incerta item ſpiramenta, per pilos, & per ungues. Mulieribus adiiciuntur duo, lac, & menſtrua. Illud ſuperpondium fuerit, in ulceribus item ſuperfluitatum, quæ Græcis πύωματα dicuntur, duo eſſe genera: unum ἰχὼρ nuncupatur, id eſt ſanies: alterum autem ῥύπος, id eſt ſordes: illud tenue intelligitur, craſſius hoc: unde ῥυπαρὸν ἕλκος appellatur, ſicuti prius ὑγρόν. Porrò de ſuperfluentis materiæ argumento corpora uel dicuntur peritomatica, uel plethorica, diſcerniculo apud medicæ artis peritos manifeſto.

Humani corporis partes. Membrum quid. Monocola quæ. Nouem haberi perpenſione digna in quolibet membro. Motus actiui & paſſiui. Cur naturam dixerit iuſtam Hippocrates. Membri cuiuſq́ ratio triplex. Cap. XXII.

INuenio in monumentis, Aegyptios humanum corpus in quatuor tantum portiones diſtribuere ſolitos: caput: manus: thoracem, quem etiam clibanum uocat Albertus: & crura. Membra uero, ut finit Galenus, corporis particulæ ſunt, quæ nec omnino circumſcriptionem habent propriam: ſic enim particulæ non forent, ſed corpora per ſe, nec omnifariam coniunctæ ſunt aliis. Hinc & adpleraq́ transfertur uocabuli notio, ſiquidem domus partes membra item uocantur Columellæ, Vlpianoq́, & Cæcilius dormitoriũ membrum appellat, quod alibi cubiculum dormitorium. Nam & Græci monocola, id eſt μονόκωλα οἰκήματα, dicunt unimembres domos. apud Herodotum Valla diætas transfert ſingularias, quæ in Babyloniis ſuſtructæ mœnibus olim erant, & modo in arce Mediolani uiſuntur. In membri uero cuiuſq́ conſideratione accurata, nouem uideri perpenſione digna, docuit Commentator Alexandrinus in enarratione libri Hæreſeon. Quæ omnia inenarrabilem dei prouidentiam explicant. Subſtantia prima eſt: conſtitutio deinde, ſeu craſis: cui adnectitur etiam color, quo membri natura quouis modo ſignificari poteſt: ſicuti eodem totius item internoſcitur habitudo, quum ſicuti Pythagoras auctor eſt, docente in libro De ſenſu & ſenſili philoſopho, ſit color epiphania, id eſt ſuperficies uel ſuperapparitio quædam. Porrò inſpicienda item quantitas, figura, numerus, ſitus, colligantia, actus uel operatio, emolumentum, ſeu præcipuum id ſit, ſeu ut ſeruitus. Tot enim ſeruitutes uidentur, quot membra non principalia. In iis uero illud obſeruandum, actum membri ab utilitate diſtingui ex Galeni doctrina: nam actus motuum eſt effectiuus. Sunt uero & motus paſſiui nuncupati, qui aliis mouentibus fiunt. Vtilitas autem eſſe uidetur, commoditas quæ percipi nequit, niſi ex operationibus, quæ ſine doctrina proueniunt. Nec credendum omnino, particulam ullam adiectam temerè & fortuitò, uerum arte creatoris mirabili ac ſapientia, ſicut Galenus auctor eſt. Proinde ſummus artis medicæ Hippocrates, naturæ opera in hoc admiratus, non deſinit eam cognominibus honeſtare, iuſtam appellando, uti Ariſtoteles eſſe eam uelut οἰκόνομον ait ἀγαθὸν, id eſt œconomum bonum ac patrem familias. Quando iuſtitiæ diuinæ maieſtas neceſſaria ſapienter excogitauit, tribuitq́ uni cuiq́ pro dignitate, redundantibus omnino reſectis. Et ut ueriſſime dixit Haliab, Eſt ab natura animalis corpus conſtitutum ex membris multis ſubſtantia & qualitate diuerſis

pro

pro uniuſcuiuſq; neceſſitate, quo ad deſtinatam metã produci poſſet uita. Porrò in membri cuiuſq; compoſitione ratio uiſitur triplex: aut enim uiuendi gratia ſunt, cuiuſmodi membra ſunt principalia: aut bene uiuendi, ut oculus: aut ſufficiendæ cauſa proli:s, quo in genere habentur pudenda. In omnibus uerò deus opifex utilitatem reſpexit primum, mox uerò & decorem. Nam & Ciceronis illud laudatur De finibus tertio: Membrorũ, ideſt partium corporis, alia propter eorum uſum uideri ab natura contributa, ut manus, crura, pedes, uti ea quoq; quæ ſunt intus in corpore: alia autem nullam ob utilitatẽ, quaſi ad quendam ornatum, uelut caudam pauoni, plumas uerſicolores columbis, mammas uiris atq; barbam.

Capitis ratio: cur ibi ſedes animæ. Codia quid, & unde. Crærа, hemicræra, ſincipita. Cur magnis uiris caput aperire, inſtitutum. Cerebri item ratio. Encar quid ſit. An cerebro abſtinuerint ueteres. Obiter iurãdi mos per caput, ſalutem, genium. Adriani hiſtoria, engiſſomata, camaromata, oſtagra, encopei, auliſci, phacota, xyſteres, trypana, abaptiſta. Cædis expiatio. Cauere capite. Epidij hiſtoria. Diploa quid. An capite præciſo poſſit quis progredi aut loqui. De craneo, & ſuturis: item de capillis. Interim adnotabis quæ dicantur Thria. Qui dicantur Phoxi: & quid phoxa, & phoxichili. Item cymbe, cymbachus, cymbæum, xylocymba, corymba. Capitis reſectio honoriſtica ueteribus. Cap. XXIII

QVoniam uerò caput, arcis quodammodo locum habet in humanis corporibus: & Plato in Timæo, caput nõ principale ſolum, ſed etiam totum in corpore nuncupauit: ab eo protinus exordiemur hic aliqua perſtringere, quoniam alibi fuſius de ea re fiet hoc opere mentio à nobis: ut omnino citra radium, & faſtigiata ſit pragmatia hoc genus. Quod & in membris item alijs quandoq; facturum me, præfari libuit, ne quis male feriatus, aut naſutior in hæc incidens, quiſquis fuerit eorum genius, partum hunc noſtrum, ut exſuccum & male conceptum execretur protinus, atq; (ut ominoſum) auerſetur. Ergo caput præcipuum, excelſiuſq; in homine membrum, primo Regiminis acutorum Galenus, & Platonici omnes rationalis animæ ſedem nuncupant, ut rentur nõnulli, quoniam inibi cerebri eſt conceptaculũ, ac membrorum animalium. Quæ organa ſint, & principia uirtutis animalis, tam apprehendentis, quàm eligentis, ſeu uoluntariè mouentis, quibus potiſſimum conſtat animalium inter ſe diſparatio. Additur & capitis figura ſphærica, quam ſolam eſſe mentis capacem, aſſeuerate in libris traditum ſecretioribus comperi. Nec me fallit Bedæ ſententia ſuper Marcum: Animæ locus, inquit, principalis non iuxta Platonem in cerebro, ſed iuxta CHRISTVM in corde eſt. Hinc autumant eruditorum nonnulli, Codium, ideſt λώδειαν dici Græcis caput, παρὰ τὸ λείδειν γὰρ αὐτῇ τὰ φλεύματα, quoniam ſit rationis conceptaculum. Vel ab herbæ codiæ quadam ſimilitudine, quam inde credunt appellatam, quia deuinciat comate ueſcentes, ac ſopore: hypnoticam enim uim præfert, ideſt ſomniferam. Codiam, papaueris dicunt caput. Crærам pro capite accipiunt ueteres Græci: unde hemicræras porcorum legimus apud Athenæum: ſincipita intelligunt ex noſtris nõnulli. Portionem uerò hanc cæli ſimilitudine quadam poſſidemus ſublimẽ, ſicuti etiam interpretatur Ariſtoteles. Quin & uniuerſa in hominis corpore ſitum præferunt uniuerſi: quum cætera nullo eiuſmodi ſint conſtituta reſpectu, aut confuſo admodum. Porrò & in Quæſtionibus idem, Caput eum obtinuiſſe locum ſcribit, quia ſit diuiniſſimum membrum, ab eo enim ſternutamẽta quoq; proueniunt, quod eſſe ſacrũ augurium conſtat. Inde quoq; obrepſiſſe noſtris moribus opinor, ut quibus exhibeatur reuerẽtiæ cultus, iis caput aperiamus, etiam ſi Plinius, Varro, Plutarchus aliud uidentur ſecuti. Quid ſine capite, inquit Ambroſius, eſt homo? Si caput inſpexeris, agnoſcas hominem protinus: aliàs iacet truncus ignobilis ſine honore, ſine nomine. Sola ære ducta principum capita, uel marmore adorantur. Proinde, iure illi, uelut conſultori cætera famulantur membra, & ut numen ſeruili circumferunt geſtamine, quod cenſoria quadam poteſtate, ut collibuerit, omnia dirigit. In eo ſingularis eſt naturæ prouidentia. Eſt enim in homine macilentum, ac propè carne nudatum omni, idq; neceſſario. Nam ſi corpulentius eſſet cerebro circumiectum ſepimentum, res omnino in diuerſum recaſura fuit, ac membri eius

ratio

ratio exigit. Neq; enim refrigerandi uim haberet ullam: ſed carnis copia fotum intepeſceret amplius. Etenim aduerſus cordis ſedem & calorem natura cerebrum molita eſt, uimq; ex eo habuit aquæ terræq; communem, ut inferioris partis feruorem contemperaret. Fluctiones porrò è capite impetum capiunt, ſicuti cerebrum frigidius eſt, quàm exigat temperamentum, per uenas ſurſum reſpirante ciborum ſuperfluo, quod ſimile imbrium generationi uideri poteſt. Galenus poſt Hippocratẽ nobiliſſimus medicinæ auctor, Naturæ intentionem in capitis creatione non fuiſſe cerebrum ſcribit, neq; item ſenſum omnem aut ſenſoria, quoniam hæc comperiantur etiam in capite carentibus. At fuiſſe capitis ſuſtructionem potiſſimum ob uidendi excellentiam: qui ſenſus ad circumſpectum omnem, ueluti in ſpecula collocari debuerit, ſicuti autor item eſt Auicenna. Abs quo illud etiam proditum prima tertij, adnotauimus, Exploratoris uice oculos fungi. Idem porrò Galenus colligit, Cerebrum eſſe in capite locatum propter oculos, ſenſoria uero reliqua propter cerebrum. Opinari autem refrigerationis ergo cerebrum eſſe conſtitutum, putat ridiculum, ob remotionem nimiam: perinde ac ſi quis item calces cordis gratia factos aſſerat. Ediuerſo Ariſtoteles, oculos propter cerebrum in capite locatos prodit, quoniam ſit oculus aqueæ naturæ, ſicuti cerebrum. Verum ut cuique uiſum fuerit, accipiantur iſta. Commonendi uero parte hac diligenter ſumus, dici cerebrum ab ueterum pleriſque, ut eſt apud Lycophronem, encar. Et quia in cibis id auerſabantur priores, quod ſcribit Athenæus, perinde ac ominoſum opinati, præcipueq; Athenienſes: inde pronuntiatum aſtruunt ab Homero, uelut in Sympoſiacis meminit Plutarchus, πίω δ' ἐμὶν ἐγκαρ & ἄσιν, id eſt æque ipſum honoro ac cerebrũ: quod execrati priores, atq; abominantes reijciebant, in primis autem ſuillum. Sunt qui Homericum illud ſic intelligant, ἐν δούλου τάξει. Nam Caras ſeruiſſe perpetuo. Sed ad rem. Hinc Athenienſis Apollodorus nemini ueterum opinatur cerebri nomen admiſſum in libris, proindeq; in Trachiniis Sophoclem, λευκὸν μυελόν, id eſt albam medullam, dicere maluiſſe. Qua tamen in re longe falli Apollodorum, amplius curioſiusq; theſauros ueteres peruoluenti certo certius liquebit. Illa forſan ſubſcribet ratio antiquorum inſtituto, cerebro abſtinentium, quod rem prorſus eſſe ſacram, caput opinabantur, uel iuriſiurandi argumento: per id nanq; iurabant plerunq;. Sed & per ſalutem, quod innuit Hieronymus. Nam in Pandectis adnotatũ, etiam ſolitos plecti, per genium principis qui deieraſſent. Quin & in ſternutamentis caput adorare aliquo modo uidebantur, ut quod ſenſuum dicatur fons. Dicitur encar, genere maſculino plurimum quidem, ſed & neutro quandoq;. Encardion, in plantis medulla intelligitur, uel cerebrum: ſunt qui cor malint. An uerum omnino ſit, cerebro Athenienſes abſtinuiſſe, coniectabunt eruditi. Certe Iouis cerebrũ de ſcitiſſimo cibo pronuntiatur apud Pauſaniã. Cuiuſmodi ſint forſan apud Comicum cerebri θεῖα, elegantius ſcitiusq; condita, quibus utebantur Athenienſes. Erant uero cerebri portiones intra fici folia, quæ dicantur thria, curioſius percoctæ. Prædulce item cenſebatur palmæ cerebrum, etiam ſi capitis dolorem ſæpius grauiusq; concinnaret. Eo uero exempto areſcere palmam ferè, cognitum experimentis. De hac ipſa re plura paulo Athenæus, & nos alibi. Sed illud non prætereundum: Omnium bipartitum eſſe cerebrum, & in poſtremo eſſe quod uocatur παρεγκεφαλὶς, id eſt cerebellum. Nobis porrò illud parte hac non uidetur per incuriam tranſiliendum, quoniam (ut nunc eſt) in ijs nil omnino receptitij ſecernitur nobis. An capite præciſo, credibile ſit, corpus reliquum progredi poſſe. Quòd ne quis ridicule proponi putet, auctor Auerrois eſt ſeptimo Phyſicorum, commento quarto, arietem ſe uidiſſe, qui capite detruncato, huc illuc motaretur. Scribunt & Chriſtianæ ueritatis aſſertores celeberrimi, Dionyſium Areopagitam martyrio coronatum, poſtea quàm reſectum illi caput eſt, aliquandiu progreſſum, ſuum ſibi caput baiulantem. Scio, ridebunt hoc philoſophi, tanquam parum cõſtanti ueritate dictum. Nos CHRISTI ſaluatoris infinitæ potentiæ id aſcriptum uolumus ueriſſime ac ſynceriſſime. Nam ut Ariſtoteles docuit, corpus detracto capite, progredi quóquam non temere credi poteſt: quoniam ſimul abſcinduntur nerui, qui inſtrumenta ſunt, & ueluti duces localis motus: ſanguine tamen carentia, uel uiuere poſſunt diutius, truncata capite. Cuius euentus rationem ex libro De iuuentute & ſenectute, lector accuratus perdiſcere poterit. Cõſimile huic miraculum eſt, quod affertur ab nonnullis, Caput abſciſſum

ſciſſum loqui. A quibus & Homerus aduocatur teſtis:

φθεγγομένη δ' ἀρα κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.

Ipſeq; dum loquitur, miſcetur puluere uertex.

Non enim dum ipſe homo, ſed dum ipſe uertex, intelligi uolunt. Propterea ſcribunt φθεγγομένη, non autem φθεγομένου. Quin in terra Caria res adeo pro uera habita eſt, ut reum quendam ex incolis egerint. Nam quum Iouis Hoploſmij ſacerdos eſſet occiſus, nec à quo conſtaret, nonnulli audiſſe ſe retulerunt, capite præciſo dicentem ſæpius. Virum ſuper uiro Cercidas occidit. Itaq; hominem cui nomen Cercidas, per prouinciam amplius quæſierũt, compertumq; in iudicium perduxere. Sed certe fieri nequit, ut præciſa arteria, & ſine motu pulmonis loquatur: nec apud Barbaros, qui capita ſumma cum celeritate detrũcant, eiuſmodi quippiam euenisſe accepimus. Adrianum principem frigora & tempeſtates adeo tuliſſe patienter, legimus apud Dionem, ut caput tegeret nunquam. Os capitis uniuerſum, inquit Pollux, uocatur cytos: Latini, caluam & caluariam dicunt, ut Celſus item teſtatur. Ariſtoteles τειχωκὴν intelligit, quod capillis integitur. Anterior pars bregma uocatur, id eſt ſinciput, uti in Anatome Galenus ſcribit: poſterior inion, id eſt occiput. Quod interiacet, coryphe, id eſt uertex: unde dicoryphi, biuertices nuncupantur. Embregmata uerò Græcis inſperſiones uocantur, hoc eſt quæcunq; fronti aut temporibus ratione medica conſperguntur. Embrochas, per imperitiã multi dicunt. Sinciput interpretantur ſematum caput nonnulli, ut Diomedes, & antè paulò commeminimus. Hac uerò in parte id ſeſe intergerit haud prætereundum: Inter cranei fracturas eſſe uehementiſſimas, quæ engiſſomata uocantur: & camaroſes, ſeu camaromata. Ex quibus illa quidem parte ſui media, meningi, id eſt panniculo innituntur: camaromata uerò portione prominent eadem. Inſtrumenta porrò curandis hoc genus fracturis, aliiſq;, uaria excogitarunt ingeniorum acumina: nam ut oſtagra præteream, ſunt qui encopei nuncupantur caui, quos & cycliſcos dicunt. In quibus eſt, qui in fine habet phacoides, unde & phacota uocantur quandoq;: eſt autem prominẽs quiddam, hebesq; ac retuſum cum politura. Recenſentur & uſu eodem xyſteres, qui eſſe multiplices debent, ac ſchemate non uno. Sunt & trypana, inter quę habẽtur dicta ἀβαπτίσα, quoniam demergantur nunquam, circumcurrit nanq; orbiculata ityx, id eſt circumferẽtia, qualis in rota uiſitur. Hinc certè trypanatum os dicit pullatus circulus. Illud nec tacẽdum: Expiandæ cædis gratia ueteribus morem irroboraſſe, uti ad cæſi caput enſem abſtergerẽt, uelut ſic ſceleris aueruncarent labem, uel corporis totius extrema præciderent, præſertim ciuili cæde perpetrata, eaq; connexa ſibi ad alas applicarent, eo modo nocumenti uim auferre ſe arbitrati, quod ab eis μαχαιροβλῶτα dicebatur: quod in Helectra Sophocles indicat, & ab ſcholiaſtis eſt enarratum, ac repetitum ab Suida: ſed & innuit Apollonius, ἄχαρματα τίμνει θανόντῳ. De Iaſone ac Abſyrto. Cauere capite dicitur, qui non bona modo obligat, uerum & uitam. Epidium quendam olim in Sarni fluenta præcipitatum, mox cum cornibus extitiſſe, proditum annalibus eſt, ac momento euanuiſſe, ſed & numinis uice cultum. Moyſen quoq; de confabulatione dei cornutum, ex Hebraica ueritate Hieronymus ſcribit, quod Exodi capite trigeſimoquarto, relatũ ſcio. Diploam uocat Galenus, ſecundam caluariæ laminam. Ex futuris compacta calua eſt, quas Græci ῥαφὰς uocant, de quîs alibi plura. In paucis caluaria ſolida ſine futuris reperitur, præter quàm in æſtuoſis locis. Idq; caput firmiſſimum, atq; à dolore tutiſſimũ iudicatur. Ex cæteris quo futuræ ſunt pauciores, eo capitis ualetudo commodior. Hippocrates quod futuris careat, ſanum arbitratur caput. Paucis conſtat capillis, quum calidius. Capillorum multitudo capitis redundantiam humorum præmonſtrat. Capillorum flauus color ex flaua eſt bile. Quibus eſt proacuminatum caput, phoxi nuncupantur, uel ex faſtigatione quam uocãt ὀξύτητα, uel de figlinorum ſimilitudine, quæ ignium ui diſſiliãt, quod ueteribus ferè placet: ea uerò phoxa dicuntur, uelut phloxa, ex flammæ ui, quæ φλόξ appellatur. Eiuſmodi in Therſite caput, riſu Homerus excepit: ſed & in magno Pericle inuidorum uoculis eſt adnotatũ, nec ab Athenæo in Cilicibus prætermiſſum: ſed & in Atticis, Argiuiſq; mulieribus. Verum in ijs, ut auctor Simonides eſt, etiam labia animaduertuntur faſtigata, ex quo phoxichili uocantur. Porrò & ab Græcorũ quibuſdam cymbe dicitur caput, unde cymbachus nuncupetur, qui in caput ſaliens crura tenet ſur-

recta. Est cymbæum quoq; poculi genus, de quo in Lexico Pausanias: sed alij cymbium pronunciant, essecq; simile nauigio tradunt, quod cymbam uocant, unde forsan & nomen profluxit: id uerò xylocumbaram appellant nonnulli. Nam xylocymbam uirulento morsu dicunt mulierem, nec formosam satis, nec magnitudinis moderatæ. Cymbachum denicq; galeæ item summū dici inuenio. Sed & summa omnia dici corymba possunt, Homero astipulante. Alij acrostolia, & nauium uelut coryphas, hoc est uertices eo accipiunt nomine. Videntur autem prominentia in montibus præcipue sic dici, nam historia septima apud Herodotum montis legimus corymbum. Decentissimum porrò mortis genus fuisse capitis resectionem, scribit eloquentissimus auctor Xenophon ἀνα βάσεως secundo.

Capillorum ratio. Cur defunctorum capilli durent, aut etiam augescant. De Tulliola Ciceronis. Lophos quid, & lopheum, lophiumq;. Lysoma. Polylopha quæ. Interim cur aquatica inobsepta pilis. Cur collum minimè pilosum.

Caput XXIIII

QVoniam uerò summus artifex, eminens ueluti ædificij culmen, sic ornandum caput hominis censuit, non ab re uisum, huic parti impingere paucula quædam de capillorum ratione obseruata. Horum igitur materiam putant eruditi fumidum uaporem, crassum, humectum, glutinosum: quod secundo Craseon Galenus significat, etiam si putat Auerrois, pili materiam ex Galeni sententia, pure terrestrem. Quòd si esset, non tam sequax foret pilorum natura, flexibilis'ue, quo uelis modo. Efficiens ratio pilorum frigiditas est, tum intima in cute, ac ossibus capitis, tum extima aeris nos ambeuntis: quæ uaporem ab imo scandentem, ac in poris meatibusq; cutis retentum durius cogit densescere. Pilus non multus ac prætenuis caliditatem indicat temperatam, connexam siccitati immodicæ. Multus uerò & crassus, exuberantis indicium est caliditatis, qua multa prouenit euaporatio. Proinde uberius enasci pilos, iuuenta florescente, auctor Haliabas est. Atq; in uiris item, quàm fœminis. Capillus natura frigidus est, siccioreq; omnibus quæ in corpore sint, atq; etiã ossibus, ut sentit Auicenna. Flectitur tamen, quod illis non contingit, tenuitatis ratione & uiscosæ humectationis tenacisq;, accedente terrestri siccitate ex quibus consurgit capillus. Aquatica ferè uniuersa pilis cernuntur inobsepta: quod effici coniectatio est, quia meatus obstipet frigiditas multa uiscosioreq;, unde fumosæ prohibetur euaporationis scansio. Collum non ita pilosum creditur, quoniam uaporibus transitum præstet liberum ac citra interpellationem rectitudo. Sunt qui ex rotundatione causam item proliciant. Scythæ ac Thraces εὐθύτριχες sunt, id est promisso pilo & simplici. nam & ipsi humidi sunt, & aer eos ambiens. Aethiopes contrà, qui loca incolunt calida, οὐλότριχες, id est crispo sunt pilo. Siccum enim & cerebrum eorum, & ambiens cælum. Obseruatum est, pilos quandoq; horæ spacio aut etiam minore, canos effici. Hos in mortuorum succrescere corporibus autumant plerique, nec abnuit Aristoteles, tametsi non oriuntur noui. Quod item de unguibus traditur, ac Plinius enotauit. Nec incongruum arbitrantur, diutius in defunctis seruari capillos, humectatione in meatibus subsistente: quæ glutini denseat modo, obdurescatq;, ut sic longissime supersesse capilli ualeant, quæ ratio Conciliatori maxime arrisit. Dignum scitu: Quum pontifex Sixtus, eius nominis quartus, reipublicæ Christianæ præsideret, compertum Romæ in uia Appia è regione Ciceronis conditorij muliebre cadauer, quod ex inscriptione coniectatū est, fuisse Tulliolæ. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis iniuriam non sentiret. In eo uisebantur capilli aureo implicíti reticulo, summa omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti fere nil prorsus eualuissent. Cæterum cadauer in urbem delatum tridui mora computruit medi camine amoto aut uitiato. Incremẽti uerò capillorum in defunctis ratio est in calore uaporeq; in pororum angustijs retento. amplioris autem in senescentibus ægrotisq; ac decrescentibus etiam causa creditur excrementitia multitudo. Cur autem, si subsecentur tam capilli, quàm ungues, celerius increscãt, inde fieri tradunt, quod fumidus uapor ad radices scandens, præcisos facilius propellat. Capillorum autem ratio non est in decore præcipua: sed in eo fuit naturæ momentum maximum, ut extimum inde repelleretur frigus. Nec in eo emolumentum minimum, egestis hoc modo noxijs è corpore uaporibus

bus,unde eſt capillaris generationis argumentum. Vtcunq; tamen ſpecioſiſſima ſpectatur cæſaries,reuerenda in ſenibus,ueneranda in ſacerdotibus, in bellatoribus terribilis, decora in adoleſcentibus,in mulieribus compta,dulcis in pueris. Diſcrimen uerò & capillorum æquamentum Græci lyſoma dicunt,id eſt λύσωμα. In auibus, quod capiti ſupereminet, λόφον uocant Græci apicem noſtri. Nam primo De animalium hiſtoriis Ariſtoteles: Auium quaſdã plectra habere ſcribit,id eſt calcaria:quaſdam uerò lophon, non nullas minimè. Lophon item in galeis criſtas dicunt,unde lopheum,in quo reconderentur:ſed & ſpeculi theca,eo dicitur nomine. Lophion uerò eſt ab lopho deminutũ. Illud prius ſcribitur λοφεῖον. Lophiam capronas interpretantur. Lophias etiam dicũt in ſuum ceruicibus ſurrectas ſetas. Polylopa Græcis dicunt, quæ corticibus pluribus, uelut indumentis circumueſtiuntur, ἀπὸ τῶν λόπων.

Barbitij ratio. Myſtax. Hyporrhinion,propogonion quid. Pogon, tragopogon. Cur mulier barba ſit exuta: curq; in nonnullis uiſatur. Pappos, hypene, aruncus, cryngus. Adrianus Cæſarum primus barbam nutrire eſt exorſus: cur quibuſdam barba nunquã ſubnaſcatur. Maſtaces locuſtæ. Cap. XXV

BArbæ autem ratio,mirum eſt,quantum ad dignoſcendam corporum maturitatem,& ſexus cõferat diſcernicula, aut ad decorem etiamnum uirilitatis ac roboris. Auctor Haliabas eſt,Pulchritudinis & ornamenti argumentũ fuiſſe in barba potiſſimũ. Succreſcit hæc toto mento,quam μύσακα uocant. Quanquam non me fallit, Pollucem ſcribere, eam quæ ſub naribus habeatur, ita nuncupari: quæ ab re item dicatur hyporrhinion & propogonion, uelutí quæ ſub naribus enaſcatur,& quæ progerminet ante inferiorem. Pogon certè Græcis barbitium eſt: ſed & appellatione eadem Trœzeniorum portus, unde per iocum barba rariore hominibus inſuſurrabatur, ἐς γοιζλῶσα δεῖ βαλίζειν. Tragopogona uocant in trago piſce partem ſub gula nigricantem,ut ſcribit Athenæus. Dici myſtaca interpretantur, quia illuc deſtillet naſus,quem uocant μυλακῆρα. Sunt qui myſtaca etiã labrum putent,unde ducatur myſtacon. Inferiori labro adnaſcens barbitiũ,pappos nuncupatur:utrunq; ſimul hypene. Oritur etiam barba in mandibulæ inferioris parte ſuprema humoris caloriſq; copia illuc ab ſincipite demanantis, teſticulorum ui, inde prolificam materiam attrahentium: Argumento ſunt uenæ ab inferioribus illac cõmeantes,quas ex eo ſpermaticas uocant. Proinde deeſſe mulieribus barbam,imbecillioribus earũ teſticulis. Si qua uero uiſatur barba inſignis:hinc cõtingere,quod illi additum peculiarius ſit roboris aliquid & caloris: barbitio tamen tum rariore tum breuiore. Illud obiter adnotarim, in capris aruncum, ab Ariſtotele cryngum pronuntiari. Adrianus Cæſarum primus, quod ſcribit Dion, barbam nutrire exorſus eſt. Cæterum ex uiris quoq; barba per totam uitam nonnulli uiſuntur exuti. Quòd meatuum capacitate obuenire coniectant,quoniam euaporet antea fumus,quàm ualeat concreſcere: ni forſan inſitæ frigiditati acceptum ac ſiccitati malis referre: calorem nanq; illa interpellat,hæc pabulum oblædit. In mulieribus præter frigiditatem additur,teſticulis carere eas exterioribus, à quibus reflectatur uapor. Accedere menſtruam quoq; exinanitionem. Opera illud parerga non præteriero, quia de myſtace actum eſt: Locuſtas rodẽtes fata,bruchos appellari,& attacos, atq; item maſtacas, uti eſt apud Nicandrum. Alij tamen ſunt, qui uniuerſum locuſtas dici maſtacas uelint, idq; in Ambracia in primis. Scribit Ariſtoteles, magiſtratum ineuntes ephoros præcipere ſolitos, κείρεσθαι τὸν μύσακα, καὶ πρόσεχειν τοῖς νόμοις, ne cogerentur ſæuire. De barba uerò fit mentio, ut uel in minimis inſueſcerent πειθαρχεῖν.

Frontis ratio. Metopoſcopi qui ſint. Item quæ ſtellæ ſecundæ. Cur quãdoq; nequeat aperiri oculus. Sudoris in fronte ratio. Scardamytici. Atenes. Oſculum frontis. Tetanos frons. Cap. XXVI

QVid uero frontis artificem hic fabricam memorẽ? Qua ſapientia deus hanc homini tantũ contribuit,triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis indicem? Fuere qui ex partis huius ſignis potiſſimũ quibuſdam uaticinia aucuparentur: quos inde quoq; metopoſcopos dixere. Nam quibus ſic ſtriata rugoſiorq; frons,magna animo uerſare,eſſeq; melãcholicos. Quibus uero erugata exporrectiorq;, eſſe fallaces in primis: cuiuſmodi ferè Bononienſes haberi, cauillat Conciliator. Quam

rem Digeſtis de officio præſidis, adnotauit interpres quoq;. Ita enim phyſicas membrorum formas dictare, nulla tamen iniuncta noſtris moribus neceſſitate, ſed lubentia potius quadam & procliuitate, ex ſanguine ac ſpiritibus phyſicis. Quas phyſionomi ueteres ſtellas ſecundas uocabant, à ſuperioribus impreſſas, præmonſtrantes quæ ratione prudentiaq; reprimi queant. Sunt qui ſtellas putent ſecundas dici, quæ extra zodiacum à ſeptentrione ferantur, ac meridie, quod uiribus ſint præditæ imparibus, primas obtinentibus quæ ſignifero circunferantur. Ptolemæus eruditorum conſenſu elementa nomine iſto intelligit, quòd cæleſtibus ſtellis primæ aſcribantur cauſæ: at elementis ſecundæ, proindeq; ſtellarum nuncupatione inſignitis. Verum à diuerticulo fabulam repetamus. Frontis cutis conſilio memorabili laxior ſtructa eſt ac mobilis, ut commodius oculis ſubſeruiret uel cludendis uel reſerandis. Inſunt uilli ex hoc porrecti ab uertice ad palpebras. Propterea ratione chirurgica præcipitur, ſi abſceſſus in fronte ſe oſtenderit, aut cauſatio alia, ſitq; diſſectio neceſſaria, non eſſe ducendam ferri aciem per frontis longitudinem ab tempore in tempus, ne uillis præciſis deſinat poſſe oculus ſuo perfungi munere, procidentibus palpebris. Qui nimium conniuent, σκαρδαμυκτικοὶ uocantur. Qui rigent, ἀτηρεῖς. Sudat frons in primis, quia cerebro ſubiacet anteriori, ubi maxime ſcatet humectatio, quam eſſe nouimus ſudoris fomitem. Oſculi religionẽ quandam parte hac ſeruatam ueteribus, auctor Plutarchus eſt. Frontem τέτανον uocant Græci, rugis minime ſtriatam, ſed plenam & leuore ſplendicantem.

Supercilia quam habeant rationem: item Ilia. Giſſa quid, & giſſomata, giſſipus, giſſipodiſma, ſuggrundia, uel ſuggrundæ. Supercilia hoſtiorum. Anaphalantiaſis, ſiue ſalitium. Palpebra quid, & gena. Cap. XXVII

QVid illa quæ ſupercilia dicimus, quàm artifici ingenio ſuperpoſita oculis, ut demanantes aliorſum corriuarẽt humores, uelut imbricamentũ plane quoddam, ſiue grunda, uel (ut Græci dicunt) γείσωμα? Quanquã eſt proprie giſſon, id eſt γεῖσον, quod in ſuperciliis prominet: unde ἀπογεισῶσαι apud Xenophontem. Sed & in ianua quod ſuperiacet, hyperthyron dicitur, uel hyperthyrion: eius protuberans pars giſſon & giſſoma. Verum & in galea eodem modo. Giſſa, inquit Theon, ædificiorum eminentia eſt, uel quæ dicuntur ſcomia. Euripides,

Ῥῆξας παλαιὰ γεῖσα πετρόνων πόνων.

Aratus in prægnoſticis in graculorum mentione,

Ἐχόμενοι ἠδὲ γεῖσα τινάσσοντες πτερύγεσσιν.

Giſſippus & giſſipodiſma trabis nuncupatur prominentia, cui giſſon incumbit: unde γεισιποδίζειν, uerbum Polluci, quo id agere indicatur. Suggrundia, uel Suggrundæ prominentes in tectis partes dicuntur ſtillicidio deſtinatæ arcendo, ne uitientur parietes: hæc planè giſſa ſunt. Sed inſtitutũ repeto. Traditum Phyſicis eſt, ſupercilia in ſenibus fieri auctiora, quod ea ferè ætate loci eius oſſa diſcludant amplius. unde copioſior promi uapor poteſt. Id quod cogitabundis uſu uenire item, compertum eſt: quoniam caloris ui ad caput plus ſcandit uaporum. Supercilia hæc in homine tantum pariter, & alterne mobilia. Sed & in iis animi quoq; pars eſt, inquit Plinius, ſiue negemus, ſiue adnuamus, hæc indicant maxime. Faſtus aliubi conceptaculum, hic ſedem habere uidetur. In corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. Hinc Marcellini ſcitum illud, Supercilia erigens ut cornua, & de tragico (ut dicitur) cothurno ſtrepens. Supercilia Iunoni Lucinæ à mulieribus fuiſſe attributa, Varroni credimus: ibi enim maxime collocari Iuno debuit Lucina, ubi ab diis lux datur oculis. Caput & ſupercilia penitus abraſa olere malitiam, & clamitare callidꝭtatem uidentur, ueluti ne ullus quidem, ut M. Tullius inquit, inſit boni uiri pilus. Cilia uerò quæ ab palpebris prominent, nónne & ipſa utilitate mirabili ſunt cõſtituta? ut minutarum rerum ad oculos incurſum tanquam ſtipatores quidam repellant, ſimulq; uiſiuum dirigant ſpiritũ, uel etiam ab oculis promicantes radios, quibus uidendi rationem præcipue conſtare, perſuaſiſſimum Platonicis eſt: unde iis uel reuulſis uel quauis ratione procidentibus aut obliquatis, remotiora longe imbecillius internoſci uiſu, Galenus arbitratur in medicorũ lſagogico. Quid, quod pilorum illa nigricies lumen egregie fouet, atq; contemperat? adeo ne in minimis quidẽ deficit diuinæ prouidentię cura. Sed ingratitudinis uitio magna pars lance uel iniquiſſima beneficam penſamus clementiam, ne intelligentes quidem ignorantiæ nubilo, qua quid ratione ſit

compa

comparatum. Nam quotuſquiſque aduertit hoſce pilos nunquam ferè iuſto plus increſcere? ne inde præpediatur uiſus, immo uerò ne fieret, ſummo ſtudio cauiſſe naturam. Quæ palpebrarum ambitum, hoc eſt torulum ſolidiuſculo communijt corpore ac chartilaginoſo, tum ne uapori fumido, unde eſt pilorum materia, pateret exitus: tum ut duro innixi, obfirmatiq́ pili, ſtabiliores rectioresq́ redderentur: nam & ſolo innata molliculo producuntur facilius, & obliquantur, in quoduis latus: propterea feſtiuiſſimè Galenus, ab creatore ciliis iniunctum ſcribit, æqualem ſeruare magnitudinem: illa uerò diuinum uerita mandatum, omnino extra præſcriptum non uagari. Cæterum id commoneo, quas Græci βλεφαρίδας nuncupant, cilia me nũcupaſſe: quod item Theodorus facit. Nec latet, Plinium arbitrari, extremũ genæ ſuperioris ambitum ab antiquis cilium dici: nam et Lactantius oculos ciliorum tegminibus occultatos, prodit, unde eſſe dictos oculos, Varroni placet. Oculorũ integumenta hæc genas uocat Plinius, βλέφαρα Græci. Cicero in Deorum natura etiam palpebras. Sed & Plinius quandoq́: etiam ſi libro undecimo, pilos mauult eo nomine intelligere. Sed & in alijs diuinæ maieſtatis ſapientiam, ut cœpimus, admirari pergamus: ſi illud nõ omiſerimus, metaphora honeſtiſſima ἀπὸ θυρωμάτων, id eſt hoſtiorum ratione, in templis præcipue, dici item ſupercilia. Vitruuius, Super cymatium, quod erit in ſupercilio, collocandum eſt hyperthyrum craſſitudine ſupercilij. Porrò capitis læuitatem φαλακρότητα dicimus, id eſt caluitium. At in ſupercilijs ἀναφαλαντίασιν: quàm rem ſalitium interpretatur uticq́ Theodorus, ſed tantiſper, dum melius inuenerit.

Oculorum conſtitutio mira. Cæcitatis malum. Oculi faciles, à Virgilio cur dicantur. Glaucopis Minerua unde appellata. Videndi ratio breuis. De ſpeculis erudita nonnulla: curq́ ab menſtruis inficiantur. Plinianus ſoluitur nodus. Quæ dicantur ὑπωπτία, & ὑπώπια: item ὑποφθάλμια. φολκὸς qui, & βλεπιδλαίμων: item ἰλλὸς, & inde corriuata uerba. Viſores. Paſſiuæ oculorum cupiditates. Hypopion. Vnguis oculi. Procopij hiſtoria. Optili, monopodij, lucinij.

Caput XXVIII

IAm uerò quid de oculis ordiar dicere, ſtudio inenarrabili aduerſus occurſantia, uelut ſinuoſa reconditos conualle, prominentibus illinc ſupercilijs & fronte, tanquam uallo obſepiente, hinc malis protuberantibus, atq́ eximo coorientibus, ceu cluis, ad propugnacula partiũ toto corpore precioſiſſimarum? Hi profecto lucis uſu uitam ab tenebris & morte mihi diſcernere uidẽtur. Etenim quàm miſerum, quamq́ funeſtum eſt cæcitatis malum? Cæcum poſtulare non poſſe, Iureconſulti ſtatuunt, quod inſignia magiſtratus uidere ac reuereri nequeat. Senatorium tamen ordinem retinere, Appij cæci exemplo. Ad nouum uerò magiſtratum aſpirare, omnino prohiberi. Ita profecto eſt, carceris uicem planè ſubit corpus reliquum, ac tenebroſo horret ſitu, ni oculorũ affulſerit gratia, nitore iucundo totum illuminans. Quod in cælo ſol & luna, ipſum id ſunt in homine oculi. Sol & luna duo mundi lumina, oculi certiſſima in carne ſidera fulgent è ſublimi, ſplendore micantiſſimo inferna colluſtrant, perinde ac in ſtatione ſpeculatores interdiu noctuq́ nobis excubantes. Quibus mira uolubilitatis accedit celeritas, unde nobiliſſimo poetæ libro octauo, oculi nuncupantur faciles, etiam ſi uino id contingere nimio haud ita multum uidentes opinentur nonnulli. Certe Aſtronomicon primo M. Manilius ait:

Circumfer faciles oculos, uultumq́ per orbem.

Addunt ſcientiſſimi, oculorum ſplendorem ingenij præferre ſolertiſſimum acumen. Quod ipſum in pupillis color indicet glaucus. Quo argumento ſapientiæ Pallas dea Glaucopis creditur cognominata. Quod ad faciles oculos ſpectat, uticq́ in libro De uenatione Xenophon canum oculos faciles nuncupauit. Virgilij carmen eſt:

Miratur, facilesq́ oculos fert omnia circum Aeneas.

Quin etiam hi arguti nimis, quemadmodum animo affecti ſumus, ſubinde loquuntur. Nam, ut imago animi uultus eſt, ita indices oculi. Et propterea ab prudentiſſimis dictũ, Animum in oculis habitare, quoniam ardere uidentur quandoq́, incendi, humectare, cõniuere. Hoſce duos tantum cõtribuit diuina ratio, quod numerus is ſpecioſum quiddam complecti uideatur. Illud utique eximie mirandum: Quum eſſe particulas decem

quas uocant intimas, ex quibus conſurgit organum uiſui deſtinatum, ferè conſtet inter eruditos, ſeptem uidelicet tunicas continentes, & humores tres contentos: ſicuti primo Colliget auctor comprobat Auerrois, earum omnium utilitatem actumq; adeo eſſe ambagioſæ difficultatis, ut Galenus uir in medicina tantus, & rerum ſcientia non incelebris, reddere ſingillatim rationes non ſit auſus. Sed & Auerrois arbitrarium de ijs iudicium eſſe ſcribit. Oculos etiam Galenus idem nunc organum uocat lucidum, nunc ſolarem animalis particulam: & diuinum quoq; membrum, quia ſit eius præcipue inexplicabilis & mira ſubtilitas, ſi quid aliud in animantium natura. Et Stoici, uiſum, dei appellatione honeſtare non ſunt ueriti: ſicut formam Theophraſtus eundem uocabat, quoniam eo exuta facies, inquit Chalcidius, euadit informis. Oculi uero ſubſtantiam eſſe tradunt cryſtallinam ſpiſſamenti alicuius: quando uiſiua potentia, cuius oculus eſt organum, humiditatem exigit aquoſam, quæ ſuſcipere queat uiſibiles formas ex inſita perſpicuitate atq; humectatione. Aer uero perſpicuus & humidus inſinuari nequit, & (ut ſic dicam) incorporari, in propria dum permanet ſpecie: ut ſentit Albertus. porrò aer uia tantum eſt, qua uiſibiles obiectorum deferunt ſpecies, nec eas retinet. Quod eſt oculo neceſſariũ, qua diaphanus eſt ac luminoſus. Eſt enim uiſus lucis, ſicut obiecti præcipue, coloris autem tanquam cuiuſdam lucis. Inde, ut ſit actiui ad paſsiuum proportio melior, & unius in alterum tranſmutatio cõuenientior, neceſſarium fuit eſſe oculum luminoſum quadamtenus. propterea Galenus inquit, Senſum luminarem alterari (ut ſic dicam) ab coloribus, ut ab cognato conſimiliq;. Hæc uerò efficit ratio: ut ſplendore nimio facile corrumpatur uidendi facultas, quia nimis tranſmutatur oculus propter ſimilitudinem. Indicio ſunt lucis reliquiæ diu in ſenſorio reſidentes poſt clarioris ſenſibilis proſpectum. Additur illud quoq;, Oculo nullum proprium ineſſe colorem, alioqui difficulter alienos admitteret. Argumento eſſe icterici poſſunt, quibus omnia uidentur citrina. Cæterum in libro De ſenſu & ſenſili Auerrois eſſe negat connaturalem in oculo lucem, uerum ingredi forinſecus. Nam ſi ineſſet, inquit, uideremus in obſcuro. Nec qui oculos clauſos aperit, uidet prius quàm fuerint illuminati. Adde, quòd nec ira uehementius ſuccenſi ſatis uident, quia circunſiliant tenebræ, nec admittatur illuſtratio, uaporibus bilis uitio in oculos ſeſe ingerentibus. Ariſtoteles tamen libro eodem, eſſe oculum natura luminoſum aliquo modo, apertius ſentire uidetur: nam & quorundam animaliũ in tenebris oculi lucent. Recipi uero intimũ ab oculis lumen tradunt doctiores, per neruorum ſpiracula, qui dicuntur πορικοὶ, quiq; uiſiuum ſpiritum ad oculos deuehant. Quibus abſciſſis accepto in temporibus uulnere, pereat uidendi facultas tanquam lucerna interextincta. Quinimo nec neceſſario lumen ab oculo extimum recipi uolunt, ut uideamus: quum tenebris obuallati denſioribus, nec luce prorſum ulla oculum cõtingente, è longinquo multa uiſu apprehendamus, ubi comperiatur lumen retegens obiecta. Quod autem nullum oculo ineſſe colorem uolunt, ſciendum tamen, uidendi rationem fuiſſe periturã, ni artificis ſapientia poſt id quod mire pellucet, nigricans quippiam appinxiſſet, ſicuti ſpeculis retrorſum allinitur plumbum, ut obſcurior illa denſitas ſit imaginũ ueluti ſuffiamen ac infrenatio, quæ per uitri dilapſæ tralucidum leuorem, ac denſiore obiecto non ſuppreſſæ euaneſcerent. Inde uulgo irroborauit, ut dicatur oculus naturæ ſpeculum, ſicuti ſpeculum artis nuncupatur oculus. Sed cur nam in oculo & ſpeculis omnibus aduerſa ſeſe oſtentant omnia, nulla uero auerſa: quod amplius dictare uidetur ratio? Nempe, quòd ſpecies ab obiecto per medium profluens ad oculi aut ſpeculi ſuperficiem, eiuſmodi eſt diſcriminũ neſcia: ſed ſimplex quiddam eſt, ac purum. Propterea, nil ibi prorſum agnoſcas, nil ue retrorſum. Eſt uero illud huic cognatum loco, uiſum non habere modo patiendi uim inſitam, ſed & agendi quandoq;: ſiquidem ſpeculorum præfulgens nitor hebeſcit mulieris inſpectu, cui eant menſes. Repente nanq; uelut ſanguinis prætenditur nubecula: ſicq; recens paratũ ſit ſpeculum, haud temere eluas: at ſi uetus, facile. Splendida quippe mouendi poteſtate inſignia ſunt, in quo genere oculos haberi, palam fit. Vbi igitur ingruunt menſes (ſunt uero etiamnum ſua uiris menſtrua) ſic afficiuntur oculi, perinde ac corporis reliqua, quę menſtruorum quadam uelut aſpergine rigari nouimus. Cæterum lumina quum primis, quibus foraminulenta eſt natura & uenoſa. Quamobrem genitali profluuio infeſtante, cui cauſam commotio præbet

bet,ac ſanguinea inflammatio,primũ quidem aer inficitur à ſanguine, ac mouetur, qui oculis ſuffuſus animaduertitur:porrò infectus aer proximum inficit, indemox ſpeculo oblinitur inquinamentum. Hæc autem eo appoſuimus, ut ſcitius id ex ſeptimo Plinianum perciperemus, quo ſpeculorũ fulgorem aſpectu ipſo hebeſcere prodit,dum menſtrua promitur expurgatio. Quo autem modo uiſus perficiatur,multaq; ad oculos ſpectantia copioſius alibi perſcribemus.Interim commonitos uelim bonarũ literarum ſtudioſos,Eſſe qui in uidendi ratione ſimulacrorum illam per aeris media delationem reiiciant,quamuis ab Peripateticorum prorepat ſcholis.Atq; item radiorum ab oculis profluxum:quod Platonicorum placitis ſancitur.Quoniam ſi ita eſſet,radium quoq; ipſum cerneremus,quem oculis aduertimus,donec ad obiectũ produceretur. Quũ uerò temporis momento uniuerſa ſubiiciantur uiſui,etiam nobis aliud agentibus, aſtrui probabilius poteſt:in eo qui uidet,eſſe utique uidendi munus, non in eo quod uidetur. Sed ita ut mens ipſa munere fungatur eiuſmodi, ac per oculi membranas humoresq; perinde, ac per uitrum,aut ſpecularem lapidem uiſibilia ſenſu apprehendat, Vnde etiam conſequi putant,ut mens ſæpe,atq; uoluntas,ex oculorum motionibus affectionibus ue deprehendatur.Cæterum utcunq; intelligamus iſta contingere,fatentur tamen iiſdem, in acie ipſa,qua cernimus,quamq; pupillam nuncupamus,ſcintillas luminum cõtineri occluſas cõſeptasq;. Quam etſi ſpaciis breuiſſimis arctauit natura ingenioſiſſima,quo minus foret læſuris obnoxia, nihilo ſecius integram hominis effigiem reddit, quod & ipſum non parua dignum admiratione eſt.Quanquam quid refert,tam ſolicite, tamq; circumſpecte ab opifice deo nobis cuncta dilargiri? Vertimus in perniciem uniuerſa, nec bonitate clementiſſima deſinimus abuti, Exculcantur naturæ iura,& ſcelerum fomites efficiuntur ſyderea lumina, ac oculi fiunt tota noſtra luxuria: iis per momenta in uitia præcipites imus,mirantur hi,adamant,cõcupiſcunt:nam inſatiabilis eſt humanus oculus,quod Salomon ſcribit. Apoſtolica uerò ſentẽtia eſt,Eſſe mœchationum oculos plenos. Propterea Cyprianus, In mulieribus ſemper defixa intentione deſideria explent oculorum. Tanta eſt,inquit Plinius,decoris affectatio,ut tingãtur oculi quoq; : unde eſt Satyricum illud,

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Sed & ſciẽtiſſimus Hieronymus orbes appellat ſtibio fuliginatos. At philoſophus Archeſilaus,quum diuitis oculos eſſet intuitus ludibundos,atq; illecebræ uoluptatiſq; plenos:Nil(inquit)intereſt,quibus membris cinædi ſitis,poſterioribus an prioribus. Porrò,ut operæ leuioris impingamus aliquid, ſinuoſam ſub oculis partem ὑπωπίαι Græci uocant.Qui uerò ſub oculis contingunt ex percuſſu liuores, dicuntur ὑπώπια: meminit in Nerone Dion.Quoniam ὤπεις uocentur oculi, quanquam & durior manuum cutis ex labore calloſa,nomine dicitur eodem.Ariſtophanis interpres,hypopia etiam cordylas à pleriſq; nũcupari ſcribit.Auctor eſt Pollux,Oſſa ſub oculis, quibus accumbant nares,dici quoq; hypopia,id eſt genas,& uoce alia ὑποφθάλμια: unde ὑπωπάζειν, pro cuſtodire:ex quo eſt illud Apoſtolicum,ὑπωπάζω μου τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ. Apud medicos hypopion,oculorũ intelligitur uitium,ubi in iride ſuppuratio ſeſe oſtentarit. Galenus in diffinitionibus nunc ὠνύσιν dicit,nunc etiã unguem ab ſimilitudine, uti ſignificat libro quoq; tertio Aegineta Paulus. φολκὸν dicunt Græci ſtrabonem, cui obliqua ſit oculorum acies,abiunctaq; ab naturali uenuſtate. Sunt qui eo nomine intelligãt miſerabilem quendam deridiculũq;, ut qui τὰ φάκη ἕλκει εἰς ἑαυτόν: id eſt in ſe omnium conuertit oculos. Vocatur & βλεπιδλάμων diſtortis oculis, ueluti ab dæmone percuſſus. Sic uerò nuncupari Socraticos conſueuiſſe, auctor Pauſanias eſt. ἰλλὸς etiam ſtrabo dicitur,accentiuncula in ultimo poſita,uel cæcus,unde ἰλλώπιον ſignat τὸ στραβοίζειν. Illades,inquit Porphyrius, contorta dicuntur lora:unde ἰλλίζειν, nictare indicat:id enim agentes, oculos inflectunt.At Aelius Dionyſius, ἰλλώπιον interpretatur, humectis fractiſq; oculis inſpectare. Pauſanias γιλλᾶν accipit, pro eo quod eſt oculis ſubſannare irridereq;. Eſt Ionicum item uerbum ἀγχιλίλλειν, quod circumſpectare ſignat,ac huc illuc ἰλλὸς,id eſt Illos uertere.Oculi,quos conditos dicimus,acutè traduntur cernere:at hebetius,quos prominentes uocant ac emiſitios. Viſores, pro inſpectoribus uſurpat Taci-

tus libro decimoſexto: Nec miſſis (inquit) uiſoribus, per quos noſceret an uera afferrentur, auget ultrò rumorem. Paſſiuas oculorũ cupiditates appellat Firmicus, ubi quis mulierum omnium concubitus cupiditate proiecta deſyderat. Procopium imperatorẽ adnotatum annalibus eſt, humum intuendo ſemper inceſſiſſe, perq́ morum triſtium latebras, ac ſimilem habitum Craſsi illius, quem in uita ſemel riſiſſe affirmat Lucillius. Oculos Dorici uocant optilos: unde optiletis Minerua, cui templum erexit Lycurgus, monumentum excuſsi ab Alcandro oculi. Monopodios & lucinios uocabat Commodus Cæſar, eos quibus aut ſingulos tuliſſet oculos, aut ſingulos fregiſſet pedes: quod prodit Lampridius. Illud grauius quod ſcribit Horus: Oculos ſanguine ſuffuſos haberi impudentiæ ſignum: quod approbat illo uerſiculo Homerus,

οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Aurium, & audiendi ratio. Scaphus quid. Amara, & ſamara. Aerem ictum moueri in orbem. Adriani hiſtoria. Cochliæ. De aurium humoribus. Item de ſordibus. Cypſelides. Lobus quid. De Faneſiis. Amphotides quæ ſint. Epotides, & Aterides. De auribus ex hiſtoriis nonnihil. Qui dicantur Oti. Auribus an ſpirent capræ. Aurium uermes, eulæ. Cap. XXIX

AVres uerò quarum iudicium, ut celeberrimi auctores dixere, ſuperbiſsimum eſt, quia ſonum recipiunt, qui natura in ſublime fertur: nõnne ſumma ſapientia ſunt in prominentibus corporum partibus conſtitutæ? In iis rectus ſimplexq́ meatus primum, euadit mox tortuoſus. Inde iuxta cerebrum in multa & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi eſt. Quin & in propinquo duo paruuli quaſi ſinus ſunt, ſuperq́ eos finitur os, quod tranſuerſum à genis tendens ab inferioribus ſuſtinetur oſsibus. Et iugale dici poteſt, quia Græce συζυγώδλον. Alij ζυγώμαϊα: cancros appellant alij. Auerrois primo Colliget, aurem in oſſe petroſo locatam ſcribit: & propterea (inquit) Arabum lingua dicitur agari. Quærat hic forte quiſpiam, cur meatus ille aurium (ſcaphum uocãt) anfractu ſit tortuoſo? Reſpondebit Auicenna, non ſine prouidentia id quoq́ excogitatum, ne ſubita aeris irruptio frigiditate uel caliditate cerebrum oblęderet: uel ſoni exceſſus neruum, quo perficitur auditus, conuelleret. Nam ſenſus omnis harmonia quædã eſt. Nunc uero ambagioſa obliquitas illa: moramento manifeſto temperamentum adijcit. Aerem porrò ſonum deferentem, undam uocalem appellat Auicẽna. Siquidem ſphærice mouetur aer, ſicuti unda ex lapilli proiectu: quod ſentit ſecundo De anima Auerrois, & primo De muſica Boethius: unde & Princeps in ratione pulſuum, quos cum muſica ratione ſimile quiddam habere prodit, circulos temporum nominauit, ſicut & caſus, arſin intelligi uolens, & theſin. Sciendum tamen, non perfici auditum aere tantum extimo ſeſe auribus inſinuante: uerum deprehenſum ab peritis eſt, ineſſe illis aerem quendam, quem uocant cõnaturalem: eſt autem uapor ad uſum hunc ab natura productus, ut motu quodam tremulo uocibus receptis, perficiat auditum. Sed cur nam in lateribus cõſtitutæ aures? An quia ſpeculatrix uidendi potentia, ſimul & olfaciendi, quam anhelitus ratione eſſe ori adnexam, commodiſsimum fuit, anteriora ſibi uendicauit? An quæ in cæteris omnibus, & parte iſta elucelcit diuina prouidentia? Auditus certe in humecta parte locari commode non potuit: at in latere potuit, ſimul quia poſteriora humani capitis inania ſunt: ſimul quia nerui ſunt ibi duriores, qui illuc uergunt: ſicuti & auditus. Melius enim perſonat, quod exaruit tympanum, obduruitq́. At in poſtrema non ſunt aures cõſtitutæ, ne ab ſenſu communi abſcederent longius. Scitu dignum eſt, quod de imperatore Adriano proditũ monumentis eſt. Eum, quod ſenſu hoc eſſet oblæſo, cõſueuiſſe, dum exactius excipere uoces cupe ret, cauam manum auribus apponere, quæ ueluti ſinu quadam ictum aerem colligens meatui copioſius infunderet. Aures, ſiue auriculæ uerius ſinuoſæ, quæ cachliæ nuncupantur, homini immobiles omnino, aut ſi moueãtur, tenuis prorſus, & hebetior eſt motus is. In quibuſdam tamen mire uidentur agitari. Ratio uerò eſt non ex auriũ motu intimo, ſed per extruſionem uel excuſsionem muſculi mandibulam mouentis, qui quandoq́ ita auribus admouetur, ut cõtingat. Qua uero fiat ratione, ut aure duplici ſimplex tamen hauriatur ſonus: diſpicientibus naturæ ingenium eſt euidentiſsimum. Siquidem ut in uidendi proprietate nerui optici coniunguntur, ne uiſiblis ſpecies delata fiat duplex

plex,ita & nerui ἀκουστικοὶ: quibus audiendi facultas perficitur, in origine concurrunt, & inde formarum audibilium consurgit unio. Aurium cauernas etiam uocant Amaras Græci,quanquam est in hortis amara quoq;, id est incile hortorum rigationibus destinatum,dictione hinc corriuata, quoniam marcescere prohibeat. Columellæ, amara est ulmi semen,samara etiam dictum. Humores aurium sub affectionum genere interlocauit Hippocrates in puerulis. Sed cur non pariter nasi, palatiq; excrementa? Nempe,inquit Galenus,quia natura per nasum & palatum excrementa cerebri transferri uoluit. Per aures uerò intermanare retrimẽta, præter naturam est. Verum infantile cerebrum etiam per hos meatus propurgatur, nam recens natis nimio plus humet corpus: cerebrum autem eo amplius,propterea pueris per emissacula omnia humoris nimietas extruditur. Quod uerò oscitantes,aut uchementius spirantes minus audiant, ratio est,quoniam sensorij auditus extremum partem contingit spiritalem, ac proinde quatitur, moueturq; cum eadem, ubi agitetur spiritus. Auribus capras spirare, credidit Archelaus, sicuti prodit Varro,& est à Plinio repetitum. Alcmæona opinionis eius auctorem aduocat Aristoteles,nec citra morsum,quando aure tantum audimus,nec ulla desideratur respiratio. Est enim, inquit, λεφαλῆς μόριον ἄπνουν. ἀλκμαίων γὰρ οὐκ ἀληθῆ λέγει φάμενος ἀναπνεῖν τὰς ἀκοὰς ἡμᾶς τὰ ὦτα. Porrò Græci ὦτα dicunt σκωληκιῶντα, id est uerminosas aures,aut uermiculantes,quæ uermes putrilagine quadam cõcipiunt: eos uocabulo proprio ὄυλας uocant illi: quales è uulneribus ferè promunt se, aut putrescenti cadauere. Aurum in auricula gestare, nobilitatis censebatur insigne, quod in Platone adnotauit Apuleius. Aurem cuiuspiam qui tetigit,inquit Vlpianus,Digestis de furtis, totum eum tetigisse uidetur. Id & Trebatius asseruerat prius. Legimus porrò, auriculas in tantum magnitudinis gentibus excrescere quibusdam,ut totum corpus ijs contegatur uestium modo,Fanesios uocant,siue Satmalos: ut Pomponius. Græci, ut auctor Strabo est, ὠωκοίτας dicunt: quoniam strati uice,quum dormiũt, auribus utantur. Est & in aure imaa dicatus memoriæ locus,nato inde more,ut rapturi in ius aduersarium testes facerent, alias iniectio manus non erat. Sic uerò faciebant, ut contingentes imam auriculam dicerent, Esto memor. Nec licebat hoc, ni futurus testis annuisset: ideo ita interrogabatur,Licet attestari? Aurium sordes Græci κυψελίδας uocant,unde κυψελόδυσα nuncupantur,quæ sordium altitudine adobruta latitant. Latini aurium marmorata dicunt,auctore Plinio: iuniores etiã cerumina. Quæ amarulenta sunt, quia non ferè aliud habentur,quàm sudor qui computruerit: putredo autem salsos incoquit sapores, Galeno docente secundo De febrium discerniculis. Quod uerò putret,& salsum est, mox amaritudinem concipit,consumpto humecto aquoso: Argumẽto sunt retrimenta & urina. Alij sentiunt, per aures eiectari bilioſas cerebri redundantias, & indicio esse colorem inde luteum. Sicuti excrementũ melancholicum,per oculos egeritur: pituitosum & sanguineum,per os. Aurium pars infima,quã nostri imam dicunt auriculam (unde apud Ammianum Marcellinum: Ima,quod dicitur,auricula mollior.) lobus nuncupatur: quanquam & portio superior eodẽ censetur nomine: nam summa omnia,lobos rectè dixeris: hinc iecoris lobi uocantur. Vnde in Nicandri Theriacis: ἥπατος ἀμφότερον κέρσας λοβόν, ὅς πραπέζης ἐκφύεται. ubi interpres,trapezam iecoris partem accipit,ex qua lobus prodeat. Trapeza(inquit)& pylæ,partes sunt iecoris,sicut onyx,machæra,caneon. Cimoni sacrificãti, Plutarchus scribit,à sacerdote ostensum lobum carentem capite. Pyrrho item sacra dicuntur aloba,à uatibus præmõstrata,quum Argos peteret: quod cuiusmodi sit,ex ijs quæ attexuimus (opinor) amplius liquet. Verum Plutarchi interpreti satis superq; fuit sic transferre: Ex sacris rite peractis,quo nil dici ualuit ineptius inscitiusq;. Ciceris item aut fabæ uas lobum dicimus: nam cortex omnis,intra quem latet semen, lobus dicitur. Hinc & rusticanum uas cõtinendis seminibus,uocatur lobus. Sunt inter legumina item lobi,seu lobia. Dolichos quoq; uocant Græci: sunt qui phasiolos interpretentur rubentes,qui & siliquæ dicantur. At milij panniculas Plinius appellat lobas. Quod in lobo prominet, πολόβιον nuncupatur. Aurium summa in flagitio deprehensis præcidere,ueteris fuit instituti,ignominiæ causa. Vnde apud Demosthenẽ ἀκρωτηριασμένοι. Dignum porrò memoratu,quod in Tagis Thusci libris est obseruatum: Tangẽdos mox fulmine adeo hebetari,uti nec tonitru,nec profundos fragores alios queant

persen-

perſentiſcere. Quod in Germanicis bellis Seuero, bellaciſſimo alias equitum magiſtro, uſu ueniſſe, Iuliano imperante legimus: qui acer prius, & induſtria inſignis, fato urgente, commacruit. Macrino imperatori aurium alteram fuiſſe perforatam, ſcribit Dion, Maurorum ritu, unde erat oriundus. Eſt intra aurem neruus nomine βάγος, è regione cuius eſt, quem uocant ἀντίβαγον. Ab auribus quæ dicuntur Græcè ὦτα, ἀμφωτίδα flexum habent. Ea uerò eſſe uaſa quædam prodit Euſtathius. Sed & indidem corriuatur otus, ueluti auritus dicatur, pinnulis circa aures prominentibus: ululam nõnulli interpretantur, alij aſionem. Scitũ eſt quod ſcribit Aelius Dionyſius: Auis hæc, inquit, laudata, & ſaltans capitur, uelut nyctícorax: unde otos item dicimus, qui nullo negotio decipiuntur, aut gloriæ uanitatem affectantes: id eſt κωφοπόξους. Otidas dici putant ſtardas, quaſi tardos anſeres. Scribit libro ſeptimo Thucydides, Deſectis nauiũ proris, impoſitas eſſe epotidas, id eſt ἐπωτίδας: à quibus anteridas produxerint ad muros. Epotidas, Laurentius roſtra nobis reddidit. Anteridas uerò ſublicas interpretatur. Sunt qui prominentia utrinq; ex proris ligna, epotidas opinentur dici, aurium imagine quadam. Et hac quidem uſos ratione Syracuſanos, Hiſtoricus tradit, aduerſum Athenienſes. Cæterum & Corinthios ad eum morem inſtructis nauibus, ad Naupactum depugnaſſe proditum eſt.

De naribus, & earundem munijs. Sanguinis è naribus profluuium unde ſit. Mirum de elephanti nare, quę dicatur promuſcis. Rhinocolura. De coluris, ac mitylo, & colo, & ficis coluris, ac colyridibus, coluriſq; item colophuris, & colobotis. Quid cothuri, mutica. Quid collyriſſare: item myſſare, myxa, myxus. Item quid nares in architectura: & quid æſtuaria, & mygme, mytotos, ſimon, plagion, loxon. Cap. xxx

NAres porrò nónne ratione ſcitiſsima & peculiari, quòd ea ferè ſit odoris cuiuslibet natura, ut ſuperna petat, in ſublimi & ipſæ ſunt collocatæ? Accedit, quòd cibi potusq; magnum in ijs examen quum ſit, non ab re in oris uicinia ſunt collocatæ. Sed cur occludendi nares facultas non eſt, ſicuti pro arbitrio claudimus oculos? In ijs utiq; peculiaris eſſe ratio uidetur, ſenſorij teneritudo & mollicies, minimo cuiq; expoſita nocumento: quod in naribus non fit. Deinde malis odoribus non oblæditur olfactus ſenſorium, ſed cor aut cerebrum: cui læſioni facilè occurritur, ſpiritu compreſſo. Narium uerò (ut Auicenna ſcribit) munus, eſt inſpiratio: neque enim os, eſt ſpirãdi organum: ſicuti opinati quidam ſunt: niſi affectio aliqua cogat. Item uocum diſtinctio in homine, deinde odorum internotio. Minimum uerò id emolumentum putant, quod ea item parte per θαλάμους, id eſt interna foramina, cerebri redundantia excernantur: nam in hominibus inculpatæ ſanitatis haud quaquam id uideri neceſſarium: & ſufficere opinãtur, quæ in palato habentur foramina, & in hoc uſu ſunt ueluti emiſſaria. Sanguinis è naribus profluuium cerebri nimiæ magnitudini in homine, achumectationi acceptum referunt: inde nanq; effici, ut eo tendentes per os, uenæ nimium repletæ per nares exonerentur: quando & indidem uitiatus ſanguis dilutior euadat tenuiorq;, qualem cerebri excremẽtis promixtum agnoſcimus. Summæ oſsium anguſtiæ ἐδμοειδεῖς dicuntur, ubi fœdiſsimum ulcus inoritur ozena, infeſtat cum carcinomate Polypus. Cæterum in elephantis mira & peculiaris narium ratio eſt, quippe implet ijs manus uicem: ea nãq; cibum tam ſiccum, quàm humectum arripiunt, & ori infundunt, nec non arbores complexu peruellunt. Quod Ariſtoteles tradit, & meminit libro ſecundo Philoſtratus. προβοσκίδα Græci uocant: nos etiam promuſcidem, ratione quab tranſit quandoq; in m: unde κύβινδιν illi, nos cymindim pronunciamus. Rhinocolura, ſiue ut Stephanus, rhinocurara: legit in Aegypto fuiſſe urbs inde ita nuncupata, quod incolæ forẽt mutilati nares, ut Stephanus idem interpretatur, & pluribus expoſuit Diodorus. Colura nanq; & coluria dicunt, quæ caudam non habent omnino, aut mutilatam præciſamq;: meminit ad Dardanum Hieronymus: ſed rhinocorura dicitur ab eo. Bouem κόλον intelligit Euſtathius, mutilatum cornibus, quem mitylum item dicas: κολόμαχλον appellant eruditi θ rapſodiam, id eſt κολοβὸν, quia res conciſæ nimis ac mutilatæ prorſum eo comprehendantur libro ab Homero. Apud Theophraſtum colophura, id eſt κολόφορα, animalia intelliguntur, boues, aſini, muli, quæ ſi ſimilen olfactarint, intermoriantur

riantur: quod & de hominibus intelligit Andreas, ſi indormiant. Colobotæ, id eſt κολοβῶτα ſunt, qui decurtata proferunt uerba & dimidiata. Cothuros Heſiodus fucos intelligit ſine aculeo, quem cauda uidentur occultare, id eſt κεύθῃ γὼ τῇ οὐρῇ. Mutica Latinè dicuntur, quæ cornibus carent: unde muticam uocamus ſpicam ariſtis uacuã. Sunt apud Athenæum fici, quas coluros uocant. Leuitici ſeptimo, colyrides leguntur panes, quos deminutos prætenuesq́ interpretantur. Sed & qui puerulis minutus offertur panis, collyra dicitur rectè: quanquam & colluria pro lalangijs ſeu laganis poſita inuenio, unde id genus in ſartagine coquere κολλυρίζειν dicũt, id eſt collyriſſare. Coluræam uerò petram apud Callimachum cauam interpretantur, uel globoſam, aut flexilem. Transfertur id uocabulum & ad panes, necnon ad medicorum pharmaca. Auctor Boethius eſt Arithmetices ſecundo, Coluron dici imperfectum, unde appellatos in ſphæræ ratione circulos uolunt coluros, qui duo ſint, ob imperfectam (ut Macrobius inquit) conuerſionem, neque enim unquam apparent integri: quod approbat Theon quoq́, & in Procli Diadochi ſphæra lectum eſt. Pars quippe in antarcticum uergens, aut non eſt, aut ſi eſt, noſtris ſe non ingerit obtutibus. Illud poſtmodum nec ignorandum, μύζειν apud Græcos, id eſt myſſare, nõ aliud ferè ſignare, quàm labijs occluſis, ſonum naribus elicere, unde & μυλαπίρα naſum dicunt. Sonum autem μυγμὸν, irriſioni plerunq́ dicatum, unde qui citra reprehenſionis morſum agit, ἀμύγμων dicitur. Sed & Homero ἀμύμων. Muris ſtridorem μύγμον uocant. Myxa uerò eſt, qui è naribus profluit ſubinde humor. Lego in Galeni theſauris, mucidum ſuccum è cochlearũ carnibus punctim percuſſis profluentem, dici myxam quoque. Nam myxus aliud omnino eſt, quod iactata diu epode indicat facile, Bibit gallus, nec urinam fundit, fundit myxus, nec tamen bibit. Sed & Dianæ ſacerdos traditur myxus: urbanus quidem ſatis, uerum & iactator, unde natum, ut id genus homines myxos dicamus plerunq́. Hinc criomyxi per conuitium dicuntur apud Cercidam & Galenũ Therapeutices ſexto. Myttotos autem ruſticum eſt pulmentarium, allio trito in oleo & aceto, uel addito caſeo, ex aſpernabili odore inflectitur nomen: ſunt qui placentã ex oleribus putent. Addamus illud quoque, Nares item dici fornaculæ ſpiramentum, quo protruditur fuligo. Vitruuius: Ante id ſit fornacula habens in Laconicum nares, eius præfurnium magna diligentia comprimatur, ne flamma extra diſſipetur: nam ignis poteſtas, dum uritur reſina, emittit per nares intra laconicum fuliginem. Narium ferè uſum habent in puteorum ratione, quæ uocant æſtuaria, dextra & ſiniſtra defoſſa, ut per ea diſſipetur ſpiritus fodientibus puteos deprimentibusq́ peſtilens. Rhinuchos eadẽ ratione dicũt Græci, & Strabo, id eſt emiſſaria. Quia uerò ſimum quandoq́ dici naſum, eſt omnibus compertiſſimum, adnectamus quæ in Galeni theſauris explorata ſunt nobis. Tranſuerſum enim Græcè ἐγκάρσιον dicit, quod eſt recto contrarium. Simon autem, quod ſubtranſuerſum nos appellamus, quod ab tranſuerſo paululum in partem utranq́ reclinat: plagion, id eſt ſubrectum, quod à recto utroque uerſus recedit non adeo. Loxon, ſiue obliquum, quod in recti tranſuerſiq́ meditullio eſt.

Labiorum & linguæ, munus duplex. Philtron. Typos, uel nympha. Prochilon. Proſtomion. Item de ore. Microſtomus, chelyne, chelynidæ, chelya, chelyſma. Stoma unde. Aſtoma quæ: item euſtoma, ſtomatica. Mirones, miracula.

Caput XXXI

QVid uerò labia, nónne & ipſa in homine præſignem ab cæteris rationem habent? In brutis quippe dentium modo hæc tegumẽta ſunt, & uelut procæſtria quędam. At nobis etiam in loquẽdi neceſſitate mirabile ſuggerunt adiumentũ: indeq́ mollia carnoſaq́ ab rerum natura efficta ſunt. Vt enim humana lingua duplici fungit munere, cõceptus animi enunciãdo, & ſapo rum uim preſentiẽdo, propterea q́ ab cęteris diſparat, nec ſimilis eſt: ita nec in labijs ſimplex functio eſt, ſed dentes quidẽ cum decore contegunt plurimo, tum locutionẽ magis præſtant articulatam: ea nanq́ conflatur ex literis, quarum enunciatio plurimũ obturbata, detruncata, nec intelligibilis præſtaretur, ni ad hanc rationẽ labra linguamq́ conformaſſet artificis infinita prouidentia. In labio ſuperiori, quæ ineſt cauitas, dicitur φίλτρου: eadem in inferiori τύπος uocatur, uel nympha. Labiorum prominens pars, πρόχειλον. Eorundem mutuus congreſſus πρόσομιον, uel προσομίδα. Deſinentia uerò maxillas

xillas reſpectans, τὸ χαλινὸν ſortitur nomen. Sunt porrò labra, ut ſciẽter colligit Auicenna, hoſtij uice adiuncta ori. Quod brutis cõparatum creditur, ad explendam uictus neceſſitatem. In homine, promptuarium eſt rectæ rationis, ut quæ prudentia corde conceperit, ea ſenſa promat oratio: unde eleganter Apuleius os eſſe dicit, animi ueſtibulum, orationis ianuam, cogitationum uerò comitium. Hominem, Græci ab oris exiguitate μικρόσομον dixere. Hac parte quæ carent, dicuntur inora: ſicut inaurita, quæ auribus. Labrum ſuperius inueni, qui chelynem dici arbitrentur: quanquam alij in ambitu poſitam partem eo uocabulo intelligere malunt. Vnde chelynidę nuncupentur, quibus ea grandior portio eſt. Teſtudinis operimenta uocant chelya. Nam chelys teſtudo eſt: ſed & pectus quoq;. Vnde ſit Nicandro χελύσσεσθαι uerbum. Quod ultimũ carinæ ſuffigitur, ne atteratur, chelyſma dicitur recte. Os autem Græcis ſtoma dicitur, παρὰ τὸ πέμπω, τὸ πίπτω, quod cibaria præcidat, præmandatq;. Aſtoma intelliguntur ori ingrata, & guſtui. Aſtomi, qui ſunt oris præduri. Euſtoma, quæ ſapiunt præcipue. Stomatica ſunt Galeno medicamenta oris uitijs accommoda: Perſonas oribus diſtortas & deformes legimus Mirones nuncupari: nam & miracula à miris dicuntur, id eſt monſtris.

Linguæ, & orationis laus præcipua. De imitatione nonnihil. Saporum ſenſus ubi percipiatur. Saliuæ fontes. De guſtu, & pſittaco mirum. Meropes qui, & unde dicantur. Tryſſare quid. Trygon cur. Ancyloglosſum, ancylotomon. Siculi cur trilingues. Caput XXXII

CAeterum leuia poſſunt iſta cenſeri, ſi conſideret quis humanæ linguæ incomparabile prorſus donum, in quo bonitas infinita inæſtimabili munificentia nos, ut legitimos filios, eſt amplexata: quid enim in tot tantisq; corporis dotibus æqua penſandum libra eſt? Huius ſiquidem facultate poſt mentem, quę nos ex æquo ferè cum cælitibus conſtituit, conſtat præcipuè illa, ut dictum ab Sophocle eſt, Regina rerum eloquentia: qua, ſicuti M. Tullius inquit, cohortamur, perſuademus, perterritos à timore abducimus, geſtientes comprimimus, cupiditates, iras reſtinguimus: hæc nos iuris, legum, urbium ſocietate deuinxit: hæc nos à uita immani & fera ſegregauit. Sed illud quantam demum in humanis rebus habet excellentiam? Vſu linguæ poſſe hominem, quæ minus intelligentia conſequatur, ab altero tota facilitate percipere, quæq; noris ipſe magna tua gloria alijs impertiri? Eximiũ eſt quod inde profluit emolumentum, parturiente ſemper animo, quæ uel obſeruaris intentiſſimè, uel ſummo excogitaris ingenio. Neſcire malumus magna pars, quàm in id tantis laboribus & curis profeciſſe, ut abdita illa tebrataq;, uelut in ſanctarijs, aut ſepulchro uerius tam preciosæ ſupellectilis munera ſupprimamus. Quid illa in calamitatibus, tanquam oneris præmoleſti alleuatio, cum amicis communicatio? Quid ſecundis rebus incredibilis, & geſtiens ille ardor animi eiſdem impartiendi boni? Denique ut rei pretium intelligamus, quæ nam aut quanta commolita natura eſt, ut decenter orationis euaderemus compotes? Omnium primum artifex illa in pulmonibus ſpirandi officina nobilitatis huius præſtat exordia: mox illa ſpiritalis fiſtula, quam etiam arteriam dicimus, ad os producta intimum uelut canali, à mente profectam uocem ita ſubuehit, ac excipienti linguæ ita affundit, ut artifici motu nunc illa in palatum ſurrecta, nunc alliſa dentibus, alioqui barbaricum inſuauemq; ſonum ſic moderetur effingatq;, ut auribus cõtingat iucundiſſimus: & uehemẽtia quandoq; detonans altius, immo uerò clarius fulgurans tam potẽter mouet, docet argutè, & ad delicias uſque ita delectat afficitq;: ut quod de Olympio dictum Pericle eſt, non Græciam modo, ut ille, ſed uniuerſa ferè ualeat permiſcere. Quod dictum ueriſſimè non inficiabitur, cuius dictionem ſic demum multiplex, ac interior fermentarit eruditio, utinare iam queat ſine cortice, quod aiunt, Quippe hominum extremos eſſe opinatur Plato imitatores. Cui calculum adijciens Latinæ princeps lyræ, ſeruum eſſe pecus pronunciat. Alioqui infelix fuerit ſupellex, tantum alienis inſtitiſſe uestigijs, nec fermentum ita percoxiſſe, ut genuina reſipiat prorſum, ac mellis more ex diuerſis uelut floribus inoriatur conſurgatq; nulli comparabilis ſuccus. Eſſe tamen in artibus neceſſariam imitationem, non inficier. Quando hac ipſa de re caput eſt in Fabij libro decimo. Et ſecundo De oratore Cicero: Ergo primum ſit in præceptis meis, inquit, ut demonſtremus quem imitemur; atq; ita, ut quæ maximè excellant in eo quem imitabimur

bimur, ea diligentiſſimè perſequamur. Tum accedat exercitatio, qua illum quem elegerit, imitando effingat. Cæterum parte hac unicuiq; altius inhæreat Quintiliani illud: Pigri eſſe ingenij, contentum eſſe ijs, quæ ſunt ab alijs inuenta. Nos uerò ab excurſu in ſemitam redeamus. Quid ubi in modulatum cæleſtemq; lingua exit cantum, nunc ſpiritu productiorem, nunc inflexo uarium, nunc diſtinctum conciſo, copulatum intorto. Et, quod nequeas admiratione cõſequi, eſt ubi promittit, reuocat, infuſcat, plenius edit aliquid, grauius, acutius, uibratius, ſummum, medium, imum. Propterea ingenioſe ac plauſibiliter mihi feciſſe uidentur, qui linguam plectri ſimilem prodidere, chordarum uerò dentes, nares cornuum, quis canenti accinitur. Nam & in Hexaemero Ambroſius ait: Plectrum loquentis lingua eſt. Hæc uerò omnia diuinæ maieſtatis recinunt amplitudinem & ſapientiam, tuba clarius inſonant, ac ingerunt ingratis, & periniquis tantorum munerum æſtimatoribus. Hæc quin ut poſſet munificentius lingua præſtare, eius carnem ſtruxit opifex deus raram, fungoſam & mollem, ut dicere maluit Auicẽna. Sed in corpuſculo tam paruo, non deſinit idem cum Auerroe neruorum admirari multitudinem, tam ad motum, quàm ad ſenſum ſpectantium: necnõ uenarum, arteriarumq;, quãdo omnium horum magnitudo numeroſa linguæ mẽſum longe uidetur excedere. Hæc uerò ita ſcimus ab optimo maximo deo cõſtituta, quia membri eius multiplex erat uſus futurus: nam ad ea quæ diximus, habere item munus aliud partem hanc, Lactantius putat, quòd contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos, ui ſua deprimit, ac tranſmittit ad uentrem: unde & Varro, à ligando cibo putat linguæ nomen impoſitum. Bruta uerò etiamnum lambendo potu adiuuat. Falli putat Lactantius idem, ſi quis ſaporis ſenſum ineſſe palato arbitratur: quoniam lingua ſit, qua ſentiantur ſapores, nec tamen tota: nam partes eius quæ ſunt ab utroq; latere tenuiores, ſaporem ſubtiliſſimis ſenſibus trahere. Plinius tamẽ: Intellectus, inquit, ſaporum eſt cæteris in prima lingua, homini & in palato: ſed & in guſtatu linguæ uice nouimus eſſe aquatilibus palatum. Scitu uerò dignum, ad hunc uſum oportere linguam eſſe quidem potentia humectam, actu autem minime. Indicio eſſe, quòd quibus nimio plus areſcat lingua, uel humeat, haud ita ſapores ualeant percipere. Et humectatio quidem inſita interpellat manifeſtò, quia ipſa primo linguæ tactum præſtat, quo occupante, nequit extima aduertere. Argumento eſt, quòd qui acrius quippiam guſtu apprehenderit, mox nõ ualet aliud ſentire. Scribunt eruditiores, in linguæ radice duo ineſſe orificia, quæ ſaliuæ dicantur fontes. Eorum munus eſt, humorem ſeruare, ueluti penu quodam intimo, quo ſubinde irroretur lingua, & os humeſcat uniuerſum. Eſſe autem tanquam aquoſam pituitam, tum in ſtomacho cõceptam ex tenuiſſima quaq; chyli parte, & mox ceu in caſtella corriuatam, tum ab cerebro defluam per eius oſſis meatus, quod colatorium uocãt medicorum ſcholæ: indicio inde concepto, ſaliuoſum eſſe illis os, quibus rheumate abundet cerebrum, quibus ue humeat ſtomachus, quod genus bibuli ſunt, quiq; nimio plus ueſcuntur pomis, aut conſimilibus. Illud uerò ad præſens inſtitutum eximiè accommodatum minus prætereundum eſt. Neruum quo tangendi ſenſus ad linguam deuehitur, non eſſe ab eo diuerſum, qui guſtus uectabulum eſt: Galeno tradente, quarto De morbis interioribus. Sed cur ſolertior eſt guſtandi uis in lingua, quàm tangendi? Ratio uerò eſt, quia guſtus exactior eſt ad perueſtigandum: tactus uero cæteris ſenſibus hebetior ac materialior, ut interim trito in philoſophorum ſcholis uerbo utar: ſicuti uiſus ſubtilitate ſenſus excedit omnes, poſtea uerò auditus. Denicq; placet Auicennæ, ad loquendum uideri præſtantiſſimam eſſe linguã, quæ ſuos tum lõgitudinis, tum latitudinis commẽſus habeat, quęq; in apice tenuis & acutior, in radice latior. Cæterum nec ſilebo parte hac miraculum inſigne noſtris uiſum temporibus: Pſittacus hic fuit Aſcanij cardinalis Romæ, aureis centum comparatus nummis, qui articulatiſſimè continuatis perpetuò uerbis Chriſtianæ ueritatis ſymbolum integre pronũtiabat, perinde ac uir peritus enuntiaret. Quod quia præclarum eſt, ac dictu rariſſimum, non fuit conſilium, tranſilire per incuriam. Auctor denicq; Euſtathius eſt: Meropas in carmine Homerico dici homines, quod eorum naturæ ui, diſtinguatur uox in dictiones, ſyllabas, elementa, quæ res animantium nulli contingit: quorum ſoni, neq; dici ὄνεις debent, neq; ᾠδαὶ. At diuinorum periti Meropas dici arbitrantur ab uocis diuiſione, quæ poſt Chalanes turrim facta narretur. Conſtat tamen

men & auium quaſdam meropas nuncupari. Sed & Coi, Meropes dicuntur, gentili nomine: quando inſula item Cos, Meropeis appellatur. Inuenies & proprium nomen Meropa. Cæterum nec illud inuoluendum ſilentio: τρύζειν, hoc eſt tryſſare, ab Græcis dici de inani obſtreperaq́ uerborum multitudine, unde corriuetur etiam trygon, ideſt turtur, quem & ſcommate ſcitiſſimo uſurpat parœmia, ſicuti auctor probat Euſtathius. Tritum uerò eſt quod Græci dicunt, oportere, γλῶσσαν μὲν εἶναι ἀργήν, χεῖρα δὲ ἐργάτιν. ideſt eſſe ocioſam quidem linguam, manum uerò operariam. Verum ſcioli trygodæmones diuerſos ſibi induunt mores: at hos nil aliud, quàm ut Spartiani utar uerbo, catamidiandos, ideſt ridendos conſpuendosq́ ſinamus ualere: ſed cum macaria item, ni reſipiſcant. Cæterum id non omiſiſſe præſtiterit: Ancyloglo ſſum Aeginetæ Paulo eſſe linguæ uitium aſtrictioris, nerui ſub ea, quod filum uocant, interdum blæſitate. Ferramentum quo perſanatur, ancylotomon uocant. Siculos ab Apuleio dici trilingues animaduerto, quod Barbarè initio ſunt locuti, Græcè mox, poſtremò etiam Latine.

CAMILLI RHIDERII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros Lodouici Cælij patrui, ad magnificum comitem Ioannem Rouerellam, Præfatio quarta.



Iberiori mentis intuitu, huius noſtræ peninſulæ primordia uagatus his proximis diebus, antiquioris inſcriptionis monimenta nõ pauca diſcurrens, Rouerellæ familiæ nobiliſſimæ antiquiſſimam genituram hinc ortam, non inſignitura minus, quàm & antiquæ domitionis poſitura & conſanguinei ſtemmatis neceſſitudine certius agnoſcens, aſtrictiori multo magis uinculo, quàm antea adligatus in tui obſequium perpetuò infixus detineor: nam etſi iamdiu tua in me collata beneficia, me tibi adeo euinctum fecerint, ut me tibi deditiſſimum ſcirem: nunc communis patriæ noſtræ congenitura me adeo adligatum inuoluit, ut tibi meritò, magis quàm mihi ipſi uidear deſtinatus. Qui eo ſis ortus ſtemmate, quod toto ferè orbe terrarum illuſtre noſtram hanc patriã adeo exornauit, ut ab eo quic quid in ea ſtudiorum, literarum'ue, aut ingenuæ probitatis adfuerit: id Rouerella familia aut præſtante, aut confouente, quale quantumq́ eſt, emicuerit. Quid enim quãtumq́ Bartholomæi reuerendiſſimi cardinalis, Philiæq́ patris tui, Laurentij, Nicolaiq́, atque aliorum è Rouerella genitura ſanctiſſimæ prælaturæ Rhodiginis conciuibus honoriuti litatiq́ profuerint, ſciunt qui non toruis perſpicientes ſupercilijs literatas noſtræ patriæ doctiorum elucubrationes nouerunt. Quo etſi omnes aſtricti, ego potiſſimè deuinctus, meæ in te obſeruantiæ famulitium tibi oblaturus non aliud arctiſſimæ meæ affectionis uadimonium tibi exhibere cognoſcens, portiunculam hanc laborioſiſſimarum lectionum à doctiſſimo Lodouico Cælio mihi patruo his proximis diebus doctiſſimè caſtigatam ad te deſtinandam curaui: munus quidem etſi tuæ amplitudini ualde impar, id tamen ut meæ in te maximè obſeruantiæ culturam præ ſe ferat. Quod te, eo lætiori ſuſcepturum animo, & gratiore perſpecturum fronte cognoſco: quibus te uirum doctiſſimum nobiliſſima genitura emanatum, munificentiſſimum mihi patronum & sciui, & certiori affectu ſemper cognoui: huiusq́ tenuiorem non aſpernatus exilitatem, hoc ſolo ſincerioris meæ mentis affectu, accipies. Quod ſalis ſalſi litatione turis carentiam multotiens emendatam audiuimus: idq́ doctioris tuæ Mineruæ cultura ſuffarcinatum fouens expolitioris frictionis patrocinij tui titulo aſcriptum, ut hilariori fronte ſecurius prodeat, curabis: Camillumq́ Rhiderium tibi deditiium, læto eo fouebis animo, quo ipſius in te ſyncerioris ancillatus famulitium præ ſe fert. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI QVARTVS.

Dentes cur attributi animantibus. Dentibus an insit sentiendi uis, atq; item ossibus. Dentium distributio, & uocabula. Quid gelasinus. Gingiuarum nomina. De Pyrrho, & Hercule, suis Calidoniæ dentibus, & Zenobiæ. Odontiasis quid, & odaxysmus. Gomphiasis, gomphiasmus, pladara, epulides, parulides, chauliodonta carcharodonta. Cap. I

DENTIVM potestatem quibuscunq; ij contigere, ideo communi quadam ratione contributam tradunt Naturales, ut cibum mollientes conficiant: quam esse ex digestionibus primam, statuunt artis medicæ periti. Sunt tamen quibus tum ad inuadendum, tum ad propulsandum, uim suggerant. Homini uerò ad cibi necessitatem adnexi aptissime uidẽtur, siue ad perpensionem reuoces primores, quorum est digerere mandenda, & dissecare, unde & temnici nuncupati, qui lati utiq; sunt, sed exacuminati quoq;, ut implere munus suum possint facilius. Siue item eos, qui cibum conficientes latitudinem nacti sunt planam ad hunc usum: nam ijs interlocatos nouimus, qui uocantur canini, partim acuti, partim item lati. Quinimmo & locutionis potissimum ratione dentes planè sortiti sumus homines: quando, ut uel paulo antè significauimus, ad literarum expressiorem enuntiationem dentes conferre plurimum pernoscuntur, præcipuè primi. Erumpunt uerò statutis temporum curriculis, sicuti etiam prodeunt pili, progerminat barba, generationis semen defluit: quoniam fœcundum corpus est, ac ueluti prægnans, ut Plato inquit: illi quippe suorum omnium spermata sunt inserta. Auibus hi attributi nõ sunt, siccitatis calidæ ratione, quæ nec præmansum cibum ualet cõficere. Adiuuat & stomachus prior, qui remollita spatio alimenta in alterum percoquẽda transmittit. Dentibus uerò ineſſe sentiendi uim abunde Galenus docuit, quia sint illorum radicibus adiuncti nerui, quibus sensus facultas comparatur: & uidetur Auicenna putasse, ui quoque propriæ substantiæ sentire, quoniam tertij septima dentes interdum dolere significat ex causa intima. Non esse uerò dolorem, cuius nõ sit sensus. Alij putãt eum esse gingiuarum dolorem, neruorũq;. Vtcunq;, calidi, ac frigidi sensus adesse dẽtibus creditur potius, quàm sensibilium reliquorum, cuiusmodi est humidum, siccum, durum, molle, asperum, lene. Hoc uerò efficit dentium nimia durities, nam pati nequeunt, ni agens fuerit præpotẽs. Caliditas uerò, & frigiditas agunt cæteris potentius. Et frigoris quidem rationem affert Aristoteles, Quòd dentium meatus prætenues sint, & caloris exigui, qui ab frigore superatus dolorem inducat. Ex physicis item sunt qui reliqua item ossa nec esse sensus expertia tradãt, etiamsi neruus assideat prorsum nullus: nam spiritus sensificos, qui poros penetrent, uim sentiendi posse suggerere. Sed nec hi constãter proposítum tuentur, propterea istiusmodi difficultatum studiosis relinquatur disceptatio hæc: quam tamẽ abunde excussit differentia quadragesimatertia Conciliator. ἀμφόδοντα dicuntur utrinq; dentata. Inesse præsagia dentibus credit Aristoteles: nam quibus rariores fuerint, haud ita diu uiuere, opinatur. Quoniam quæ dentium ordine sint prædita numerosiore, esse item uitæ productioris uideãtur, uirorum exemplo, quibus plures sint, quàm fœminis, quod ipsum & in cæteris cõuisitur. Dentium numerus in homine ad duos increscit & triginta: auctoribus Galeno, & Auicenna: nec tacuit primo Colliget Auerrois. Fœminis raro plures adnascũtur, quàm duodetriginta. In Græcis auctoribus hanc ferè dentium comperio distributionis nomenclaturã: quatuor anteriores, qui in meditullio constituti habentur, dici tomeos, & dichasteras, aut ctenas, atq; item gelasinos: uocabulo primo ab insectione ducto, alio ab diuisione, tertio, quod cõcidant: nam gelasinos uocant, quia inter ridendum retegantur: quãquam & eodem nomine corrugatio nuncupetur ridendo circa os expressa: propter illud Martialis.

Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.

Sed & Democritus de riſus petulantia, gelaſini cognomento eſt inſignis. Inſequuntur hos duo ὑωόδοντες appellati, ſiue canini, quoniam in acutum producti caninos præferant dentes. Adiacent qui dicuntur gomphij, ſeu molares: quibus adnumerantur, quos mylos nuncupant: poſt quos poſtremi ſophroniſteres, ſic enim eos Cleanthes uocabat: Auicenna, dentes ſenſus uel intellectus. Quos adnaſci arbitratur poſt genituræ profuſionem ante conſiſtentiam, quæ anno contingat triceſimo. Hos alij ὑφωτῆρας etiam uocant: ut Ariſtoteles, ἀπὸ τοῦ πεφύκεναι, quia ætatem perficiãt, ac compleant. Genuinos appellant Latini, quos Varro poſt annos ferè ſeptenos enaſci tradidit. Hæmodiã eſſe Galenus ſcribit, dentium ſtuporem, qui etiam gingiuas infeſtet. Molarium autem partem quæ affidet gingiuæ, momiſcum dicunt: ſuperiorem uerò qua conficiuntur cibi, trapezam, id eſt menſam: cauitates autem, holmiſcos, ueluti mortariola: utrunq; ſimul, phatnas, id eſt præſepia: gingiuas extimas uocant ulas: intimas uero enula: ſpatium interlocatum dentibus, harmum dicere mos eſt: ordo uero ipſe dentium ac ſeries, dicitur phragmus, tanquam ſepem appelles. Pyrrho Epirotæ tradunt unum fuiſſe os, dentium uice, lineis modo in ſuperficie ſuppictum diſtinctumq;. Et prodit Herodotus in Perſica ſtrage inuentos unius dentes μονοφυέας, id eſt oſſis unius. Herculem fuiſſe triplici dentium ſerie, Ionis Chij proditum monumentis eſt. Sunt in iumentis, qui uocentur pullini dentes: eos Græcis gnomonas, ab dijudicanda ætate, nuncupari aduerto: de quîs alibi plura. Odontiaſim uocant Græci, uel odontophyiam, dentitionem. At qui hanc præcurrit, pruritum, odaxyſmum dicunt. Gomphiaſis, molarium eſt dentitio, quos γομφίους appellant. Gomphiaſmos autẽ, dentium hæmodia, id eſt ſtupor. Gingiuas, πλαδώσας uocant medici, humectatione imbecilles nimia. Pladara enim dicunt, humore flacceſcentia. Illud demum haud præteribo, quod primo Gothici belli tradit Procopius: Beneuentum olim ab Diomede direptum, ac inibi ſuis calidoniæ dentes, quos acceperat Meleager uenationis præmium, reliquiſſe. Hi uerò ad noſtra, inquit, tempora perſeuerant, magnitudine uiſenda, quippe lunari ſpecie pedum trium explere perimetrum. Zenobiæ, quã Romani imperij inſignibus admouit numen, tantus inerat dentibus candor, ut margaritas eam plericq; habere opinarentur. Epulidas uocant Græci excreſcentem carnem ad intimos molares ex inflammatione, non citra dolorem, ac quandoq; febrem. Sunt & in gingiuarum parte parulides, ex inflammatione, qua ſuppuratio ſeſe oſtentat, ni maturè diſcutiantur. Chauliodonta uocantur, quæ dentes habent ex ore prominentes, ut elephas. Carcharodonta uerò quibus intus quidem ſunt dentes, ſed acuti, tanquam λιγαρογωνίοι, ut leoni, pardali, lupo, cani.

Proſopon, ideſt facies, quid. Coros quid. Cõmodi hiſtoria, & Fuluiæ. Collí ratio. De ſphõdylis. Ancteres quid: item anthereon. Corræ, corſæ, corſoterium, corſoteus, dire, byſſauchen. De oſſibus humerorũ. De iugulis. Clides, clidia, guttur, gula, pharinx, larynx, aſparagus, & aſpharagus. Gylius, & gyliauchẽ quid. Gyrini, ginni, gygenij. Iſthmus, unde pariſthmia. Orthoſtade. Orthoſtadia ueſtimenta. Strangulationum ratio. Cynanche, paracynanche, paraſynanche, angina, ſynanche, metaphrenum. Antiades quæ, & cur. Tonſillæ, cion, decollare, murenula, fuca, capitium, ſtrumæ, pappa, prolobum, proboli.

Cap. II

PRoſopon, ideſt faciem, appellant Græci, quod inter caput & collum hominis eſt, ab re nomine impoſito. Nam quia unus animantium cunctarum erectus homo eſt, ſolus anteuerſus proſpectat, uocemq; anteuerſus mittit. Mentum, in quo efflorecit barba, anthereon dicitur Homero, πρὶν ὄφρα ἀνθεῖ τὸ γένειον. dicitur quandoque & in muliere, ſed per catachreſin. Menti pars extrema, Galeno dicitur ather: quanquam eodem auctore, eſt in hordeo ather, propriè cuſpis ſpicæ. Quia uerò ab Græcis maxillas dici corras nouimus, & tempora etiam corſas: inde corſoterium in Athenæo, pro tonſtrina inflecti arbitror: apud eundem, corſoteus eſſe tonſor uidetur. In Ionicis ædium ſacrarum foribus nominantur item corſæ. Vitruuius: Corſæ, inquit, cum aſtragalis circumcurrant. Sed & Corſon cognominatum accepimus, eum qui barbam ſibi abraſit primus: quod Alexandri tempeſtate factum, auctor Chryſippus eſt

eſt. Coros autem, de ſtomacho dicitur quidem propriè, quum cibis oppletur: mox & de prædiuitibus pronuntiatur quoq;. Sed & in magnis honoribus dicitur coros, ac uniuerſim id genus alijs: ex quo ὕβριν κόρον μητρός nuncupat Pindarus: quanquam parum obſeruate forſan, quando diuerſum contingit potius. Nam ita Homero ingeniorum fonti propemodum tradenti aſſentimur:

Τίκτει τοι κόρον ὕβριν ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται. id eſt,

Iniuriam ſatietas profert, ubi nequam homini contingant opes. Scribit Lampridius, Commodum Cæſarem uultu fuiſſe inſubido, ut ebriosi ſolent. Fuluiam M. Antonij uxorem, cui buccarum altera eſſet inflatior, dixit Sex. Clodius acumen ſtili tentare. Strongyloproſopa dicuntur, quibus rotunda eſt facies: quam eſſe ſpeculum mentis dixit Hieronymus, quando & taciti oculi mentis fatentur arcana. Subeſt capiti collum, quod nec ipſum artificis expers prouidentiæ eſt. Id diſtribuitur primum in ceruicem & iugulum. Vltima colli uertebra, quia onus ſuſtineat, nuncupatur atlas, ut uideri debeat, caput ſpinam excipere. Quæ ἱερὰ σύριγξ dicta Græcis, ſacra ab noſtris fiſtula, uertebris conſtat quatuor & uiginti. Eas uertebras, ſeu nodos, Græci ſphondylos dicunt, & Ariſtoteles. Nam ſpina ipſa uocatur etiam rhachis. Quidam uerò ſphõdylos, ut Pomponius Feſtus ſcribit, cubos appellarunt. Sphondylum, piſcem intelligit cum Macrobio Seneca: eum dici uulgò ſchinalum, interpretantur aliqui. Ariſtoteles ſphondylen uocat beſtiolam, quam uerticillum Theodorus reddidit. Inter indicaturæ nobilis ſalſamenta utique eſt ſphondylos. Athenæus, in mugilis capite forma echinata, ſphondylum agnoſcit. Aliubi inter ſalſamenta horæa ſphondylum adnumerat. Collum ſeptem incumbere ſphondylis uolunt, quos Homerus aſtragalos uocarit, ac ſphondyliona, eam quæ ineſt medullam. Quod uerò circum eos fiat conuerſio colli, & ſtropheos nuncupant: ſicuti apud Phe recraten dicuntur ſtrophinges: aggregatio autem omnium dicitur gyes. Primum uerò qui cum collo circumagitur, uocant epiſtropheum ex Græcis plericq;: Hippocrates etiã dentem, ideſt ὀδόντα. Alterum uerò, quia ſit immobilis, axem: in quo catochi ſunt, ideſt proiectiones duæ: quarum altera cum præcedenti coit ſphõdylo, cum ſequenti reliqua: poſtremus (ut prætexui) appellatur atlas, ueluti achthophorus, ideſt onerum geſtator. At Plinius ordine mutato, primum atlantion ſtatuit, poſtremum uerò epiſtropheum. Ancteras nuncupant colli portiones, quibus maximè præfocationis occaſio ineſt. Sed in Medicina Celſus, & tertio Therapeutices Galenus, eo nomine fibulas uocant, quæ uulnerum oras impoſitæ paulum contrahant, quo minus lata pòſt cicatrix ſit. Harum uerò partium affectiones tres obſeruauimus, ὕβωσιν & κύρτωσιν, necnon λόρδωσιν. Ex quibus hyuoſis poſteriora capitis infeſtat ante ſpinam: cyrtoſis uerò, media ſpinæ: lordoſis autem, anterioris partis affectio eſt. Lordoſin Galenus interpretatur uertebrarum luxationem, quam excauationem intelligimus. Hyuon ſunt qui eum interpretentur cui ſit obtortum collum. Dignum ſcitu ex hiſtoria: Militari more in nomen imperatoris iurantes milites conceptis uerbis, gladios admouere ceruicibus ſolitos, diris ſeſe execrationibus deuouentes. A ceruice duo lata oſſa utrinq; ad ſcapulas tendunt: noſtri ſcoptula operta, omoplatas Græci nuncupant, nonnulli etiam epinotios & platas. Iugulum in ſummo coſtarum os recuruum, nec duriſſimis adnumerãdum oſſibus, quod brachij motu paulum cum lato oſſe mouetur. Iugulos uocant clidas & clidia, quorum pars omoplatas reſpectans uocatur epomis: ceruicem eò nomine Theodorus intelligit: quæ autem collum, paraſphagis. At cauum id, quo diſparãtur iuguli, ſphage: à quibuſdã etiam thymos. Hinc humerus excipit extremis utrinq; capitibus tumidus, mollis, ſine medulla, chartilaginoſus: medius teres, durus, medulloſus, leniter gibbus. Collum uerò guttur is, & gulæ cauſa ab optimo maximo deo attributum. Guttur, ſpiritus cauſa eſt, hoc ſiquidem halitum animantia trahunt reddunt q;. Proinde quæ pulmone carent, nec; item collum habent. Hinc gutturoſus dicitur Iureconſultis, & Celſo. Gula uerò eſt, qua cibus & potus deuoratur. οἰσοφάγον uocant Græci. Sed in quibuſdam Homericis gloſſulis ſic comperi, Pharynga nuncupari interhiantem inanitatem, in quam duo competant ora, œſophagi uidelicet, ac laryngis. Et eſt œſophagus quidem uti ſtatuunt medicinæ periti, cibaria qui excipit locus, quem ſtomachum uocant. Larynx autem eſt, qua concipitur ſonus. Verum de iſs alibi uberius paulo. βρόγχον interpretantur quidam guttur,

ſed eam tamen partem intelligunt, in qua ſeſe extrinſecus tumores promunt, quos bron chocelas nuncuparunt Græci. Guttur porrò à Græcis aſpharagus item dicitur: quanquam Attice aſparagum indicet, notum fruticem: etiam ſi eſt aſparagus in oleribus, quæ prima ſeſe promunt è terra foliis necdum egerminantibus: quod ab Paulo Aegineta eſt curioſius obſeruatum. Non prætereunda Græcorum item diligentia, tradentium, τραχηλον, indicare colli ambitum uniuerſum: quoniam ἀυχὴν, intelligatur in homine poſterior pars, in brutis uero ſuperior. Vbi autem ἀορτὴν audis, anteriorem in homine partem accipe, in cæteris imam. Quæ colli expertia ſunt, gulam manifeſtam non habent: ſed nec habere, neceſſarium. Et inſtrumentum ſpirationi accõmodatum longitudinem habere oportuit. Propterea Galenus octauo De iuuamentis, ob pulmonem eſſe præcipue collum ſcribit. γυλιὰν χῆνας Græci uocant prætenues homines, & colli oblongioris: nam eſt gylius, militare uas contextum, in quo caſeus ſeruaretur cum oliuis & cæpis, unde & militaris opſothece nuncupata. Herculem quoq; dictum fuiſſe gylium tradunt. Gyrini uero informes dicuntur ranarum partus, quod ſcribit Theon, id eſt ἀδιαπλαστα γεννήματα, καὶ ἄποδα: quando urſarum more pariant ranæ. Hinc in Prognoſticis Aratus:

Αὐτόθεν δ' ὕδατος πατέρες βοόωσι γυείνων.

Vnde apud Platonem, Nihilo rana gyrina prudentior, prouerbiali figura. Nec me fallit, eſſe qui expuncta ueteri lectione, gryneam ſubſtituunt: ſed utrum magis quadret, doctorum fuerit perpenſio. Ginni apud Ariſtotelem deminuta forma, equi dicuntur: quos & gygenios ab Strabone nuncupari, putant nonnulli: quanquam & mulorum genus ſic in Liguria uocet. Gyris, Dioſcoridi eſt farinæ pollen: gyritas panes uocant autopyros. Sciendum uero, nulla ſuperiorum habita ratione, Domitium, girrinos appellare informes exiguoſq; ranarum partus, Plinij lectione interpollata: quia oſtreorum cirri dicantur Martiali. Iſthmum Galenus apud Hippocratem interpretatur partem illam quæ os & gulam interiacet, per metaphoram. Et inde pariſthmia dici tonſillas arbitror, quæ contingunt in locis iis, quæ μῆλα item uocant. Eſt & affectio, quam orthoſtaden uocant, quia ſurrecti ſtemus, neruis poſterioribus cõtractis. Nam & ueſtimenta quædam orthoſtadia uocabant: quorum in Nerone meminit Dion. Sicuti quæ traherentur, συρτά. Si quid, inquit Albertus, in arteriæ deerrauerit tramitem, nec excuti ualeat, mors conſequitur, aut ægritudo chronica, quoniam modo ſtomachi peruius pulmo non eſt: ideo quod fuerit delapſum, aut paulatim conſumatur, neceſſe eſt, aut computreſcat. Porrò quia huc diuertimus, ſciendum, præfocationem omnem ex anguſtia contingere. Anguſtiam uero aut repleta intermedia regione fieri, quæ inter thoracem eſt, atq; pulmonem, aut pulmonis cauernis, uel aliqua inflammatione, quæ in uiſcere affligat uniuerſo, uel in aſpera arteria, uel in ea parte quæ eſt uelut caput eius, quam nominant guttur, quæ inflammatio fieri item in præiacente ſpatio poteſt, quod fauces appellant, & laxius eſt. Quum ergo fauces ſine tumore apparuerint, & ſtrangulatio ſuperuenerit, gutturis tantũ eſt affectio huiuſmodi. Aſperæ quidem arteriæ inflammatio difficultatem ſpirandi aliquam efficere poteſt, ſtrangulationem non poteſt, ob meatus magnitudinem in ipſa latioris, & tunicæ tenuitatem. Impoſſibile ſiquidem eſt, corporis adeo tenuis inflammationem per inſignem canaliculæ laxitatem replere. Reliquum igitur eſt guttur, quod ſubitã facere ſtrangulationem poteſt, quoniam in ipſo anguſtatur pulmonis meatus. Nominant autẽ medicorum pleriq; affectionem id genus cynanchen, quibus placet faucium inflammationem ſynanchen appellare. Vlpianus Digeſtis de ædilitio edicto, antianchen interpretatur inueteratos faucium tumores, quiq; diſcuti non ualeant, uelut dicatur antianche obluctans obſiſtensq; præfocatio, ni malis palæanchen legere. Sunt qui antiades malint, quod uerbum tonſillas indicat. Porrò alij paraſynanchen, itemq; paracynanchen appellitant: Paraſynanchen, inquam, ubi partibus quæ ſuperiacent faucibus, inflammatio affligit: paracynanchen autem, ubi extra guttur infeſtet. Anginæ uero nomine in Præſagiorũ libro uidetur Hippocrates appellare affectiones quaslibet, in faucibus ſeſe oſtentantes: quas & ſpirandi conſequitur difficultas. Cæterum anginæ ſpecies quatuor comperiſſe uideor: prima uero eſt, ubi fauces inflammantur: fauces intelligo locũ oris internum, in quo ſimul coeunt gulæ ac gutturis extremæ partes. Altera, quum neque fauces, nec oris portio ulla, aut quid extimum cernitur inflammatũ, ſuffocationis tamen in gut-

ture

ture seſe periculum promit. Tertia, ubi extrinſecus in faucium ambitu oſtẽtatur inflammatio. Vltimo ſtatuitur loco angina, gutturis tum extima, tum intima pariter afficiens. Eſt & affectio, quam dicunt ἄπνοιαν, ideſt apnœam, nulla (ut uſus indicat) ſpiratione facta: quod tamen fieri nequit, aut ea quæ per uniuerſum fit corpus, tranſpiratio ſuffice re tunc poteſt. Hanc uerò per arterias efficit cor ipſum. Antiadas, de quis dictum eſt, ex eruditis ſunt qui ſtatuant quatuor, duas parte dextra, ſiniſtra totidem. Imoq; ita dici, uelut ſint inuicem obiectæ. Nam cur Latini tonſillas appellarint, rationis planè uideri incompertæ. Antiadas finit Paulus, tumores ea parte præduros, ueluti adenes obdurati ſtrumæ fiunt. Collum anterius Græci, item λαιμὸν (ut dictum eſt) uocant: inde & ſimilitudine quadam in anguſtũ deſinens prominentia, ſupercilium'ue dicitur item dire. propterea in Homero polydirada Olympum interpretãtur, multas habentẽ exochas, ideſt eminentes partes. Quare dirades ſunt inæqualia loca & aſpera. Scribit Aelius Dionyſius, Byſſauchena, ideſt βυσσαύχενα dici, cui ad collum ſint humeri contractiores. Apud Pauſaniã eo appellatur uocabulo, qui collum comprimit, ſurſumq; protrudit humeros. Metaphrenum dicunt partem ab collo ad cinctum protenſam, aut uerius quod à tergo præcordijs obiectum eſt. Metaphrenon dici, Theon ſcribit, quia ſit μετὰ τὴν φρένα, ideſt poſt mentem, cuius in pectore ſtatuatur ſedes. In auium quibuſdam ingluuies eſt, cutis in amplum ſinuata, qua primum cibus continetur ingeſtus incoctusq;. πρόλοβον dicunt Græci. Plinius ſinum, & in onocrotalis uterum, pappam magnus Albertus. Probolium uerò uenatorum eſt telum, apris accommodum præcipuè. Proboli autem in mari ſunt petræ. Sunt ex Græcis, qui κίονα dici collum interpretentur, quoniam columnæ uicem gerat, dum caput fulcit. Sunt qui κίονα gurgulionem, ideſt γαργαρεῶνα ſignare opinentur. Alij partem quæ columella nuncupatur, uel communi loquendi uſu σταφυλὴ, ideſt uua. Dici autem κίονα uolunt, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἄνω μέρους τοῦ στομάχου μέχρι τοῦ ἔσω: ideſt, quia ex imo ad ſummum pertingat ſtomachum. Decollare uerbum in Ioannis Baptiſtæ hiſtoria, ſunt qui parum Latinè poſitum rentur: quum tamen Feneſtellæ ſententia notione ea comprobet accipi grammaticus Diomedes, etiam ſi ueteribus dictum legas frequentius, Securi cædere. Aliàs Ennio decollare, à collo & humeris deponere eſt. Sicuti Tranquillo ſuccollare, ſubiecto collo tollere onus. Apud Plautum pro decipere inuenias decollare. Sed & Lucillius ait, Quibus fructibus me decollaui. Murenulam colli aurum nuncupat uulgus, Hieronymo tradente, quod ſcilicet metallo in uirgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catena, contexitur, ex piſcis utiq; imagine uocabulo conformato. Fucas appellat Columella in facie maculas. Tetanothra, ideſt τετανώθρα uocant Græci medicamina cuti leuigandæ ac erugandæ, præſertim in facie. Capitium Hieronymus uulgò dici ait, ueſtis partem qua collo inducitur.

Manuum laus præcipua. Scribendi bonum. Dextra cur in fide porrigatur. Tendines, toni, dactyli idæi unde. Ambidextri, & ambilæui ratio: gyia, gyalas, cyllos. Pygmæi unde: ancon: maſchalæ, ſeu alæ in harundinibus: carpus, carpæa: Carpiæ ciuitates. Brachij partes, & uocabula. Manuum, digitorum partes, ac partium nomina. Chirurgia. Oſculandi mos. Spithame, lichas, ulna, thenar, cotyle, condylus, condylion, gronthus, ſcytalides, phalanges. Brachium calefacere. De Martio, & Claudio. Agrorum nomina diuerſa. Xanaon.

Caput III



Vis uerò eloquentia uel ingenij claritate maieſtatem, quæ ex manibus adeſt homini, digne ualeat exſequi? quàm aptæ hæ? quamq; ad omnẽ motum nullo labore faciles? Mira eſt artiũ numeroſitas, quam membri huius adiumento condiſcimus, & exercemus. Taceo hic pingendi, fingendi, ſcalpendi nobile artificium. Quid illa muſicorum cuiuſcunq; modi organorũ contrectatio ſcientiſſima, & maximè diuina? Quid illa ſuſtructionum ſublimitas, quàm elegans, quàm ſcita? Quid urbium ſtructura in omnibus, uel præſtantiſſima? Quid multiplex agrorum cultus, quo tot tantisq; ad uitam neceſſarijs inſtruimur? Quid illa indumẽtorum uarietas? Quid ornatus excellentia? Iis penetramus in uiſcera terræ, metallorum inde uim longe pretioſam eruentes. Immo uerò & rerum natura agitur in planũ, ſolo tantum non æquatis montibus. Admittuntur maria, repelluntur, certis quoq; limitibus, ueluti extra præ-

ſcriptum proferre pedem uetantur, obiectis molibus. Penetramus aquarum ima, naturæ ſupellectilem undiq; nobis uendicantes, totq; modis rerum facies mutatur. Camporum dominamur laxitati. Supercilia montium, & uerrucas (ut hoc interim uerbo utamur) quantumuis ſenticoſas nobis obnoxias reddimus: beſtias item omnes, terreſtres, aquaticas, aereas. Quicquid ferè mundi uaſtitas complectitur, manuum ſolertia noſtri fit iuris. Quid illa ſcribendi maieſtas, quæ tantarum rerum ſcientiam nobis comparat, ue tuſtatem propagat, nil ſinit interire, & quod omnia conterit, tempus noſtris cogitur manibus ſuccumbere? quid hoc magnificentius? quid æquè mirandum? id eſſe homini datum, in quod ne mortis quidem auida rapacitas ius ullum habeat? Quid tot, tantarumq; legum contexta uolumina, quàm demum ciuilioris uitæ præferunt eminentiam? Quid dictorum cõuentorumq; publicis tabulis comprehenſa fides aduerſus ingeniorum prauitatem? Auſim dicere, ſeiunctis manibus, fuiſſe nõ inermes modo nos futuros, ſed uel brutis infeliciores. Quem enim uſum rationis habeat lumẽ illud diuinum omni ope deſtitutum? Hinc recte mihi feciſſe uidẽtur, qui rationis ac ſapientiæ miniſtras eſſe manus pronuntiarunt. Anaxagoras uerò ille antiquior, ſicuti ab Ariſtotele traditum ſcimus, & in Moralibus ab Plutarcho repetitum, ideo ſapientiſſimum uideri hominem dixit, quia manibus foret inſtructus. Nã uti ego interpretor, quod cæleſte in nobis eſt, debile, mancum, nulli prorſum rei parte hac orbum erat futurum. Harum multiplex emolumentum, uel tritum Græcis explicat prouerbium, τί δῆτα χεῖρες ἂν οὐ δρᾶσαιεν. Quid enim non efficere ualeant manus? Dextram porrò in fide porrigi, quis uel ex Plinio non nouit? Cuius rei cauſam Varro Callimachum ſecutus eſſe ait, quòd omnis ueterum auctoritas dextræ manus uirtute conſtaret. Propterea, inquit, maiorum hæc fuit ſalutatio, ut hac potiſſimum ſe corporis parte uenerarentur. In Nebulis Ariſtophanes item ait: λῦσόν με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. At interpres, ἔθος δ' ἦν πίστεως, καὶ σωθήναι βεβαίως τὰς δεξιὰς δοῦναι ἀλλήλοις. Videor & ſuper hac re quippiam obſeruaſſe apud Plethonẽ Rerum Græcarum libro ſecundo. Id ipſum & Perſis ſanctiſſimum fidei pignus cenſeri auctor Diodorus eſt. Quid? quod inter agendum non ut cæteræ partes loquentem adiuuant, ſed ipſæ quodammodo loqui uidentur: ijs nimirum, ut Fabius inquit, poſcimus, pollicemur, uocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus: gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, tempus oſtendimus. Quin in tanta linguarum diſſonaq; uarietate, hic communis quidam gentium cunctarum ſermo planè poteſt uideri. Quid uerò artifex illa digitorum ſtructura, quod'nam ingenium admirando non fatigarit? Neſcias uenuſtatis inde maius ſit ſpecimen, an emolumentorum amplitudo clarior. Maximus eſt in numero decor, maximus & in gradibus ac ſerie. Digitorum contractio facilis eſt, protenſio nõ minus ex commiſſurarum mollicie ac concinnitate. Tendines uocãt nõnulli, quibus digiti moueantur, haud abſimiles his qui toni ab Hippocrate nominantur: orbiculatæ nanq; ſunt, eas ἀκροδρόσεις, ideſt à neruis prodeuntes nuncupant plericq;. Quam uerò opportuna eſt in apicibus ad apprehendẽdum globata caro, forinſecus unguium obuallata firmitate: quorum inibi augumẽtum inſignitius eſt, Alexandro Aphrodiſeo tradente: quoniam illis inſitum eſt in ſuperna deferri. Ad delicias, quin etiam & faſtum argutiasq; abijt pars hæc: & qui inſolentius faſtu tumentes quippiam ſubſeruientibus iniungerent, digitorum crepitu id ſignificabant, quod monſtrat quandoque Martialis: & Hieronymus adnotauit non citra ſugillationis fœditatẽ, aduerſus eum qui digituli crepitu ſilentium imperaret. Digitos etiam quibuſdam eſſe in manibus ſenos, ſedigitorum monſtrat appellatio: de quibus item quæritur Digeſtis de ædilitio edicto, an morboſi credi debeant. Diodorus Bibliotheces ſexto, dactylos putat idæos ob parem digitorum numerum appellatos. At Geographus, idæos dactylos in Ida Cretæ ferrum elaboraſſe ſcribit, & ab numero ita nuncupatos, quod repetit Euſtathius quoq;. Alij etiam aliter. Manuum porrò emolumentum duplex: alterum eſt ſenſus, alterum uerò retentionis. Proinde excogitauit optimus maximusq; rerum perpenſor deus molliſſimam palmam, quo ſenſus fieret ſolertior exactiorq;. Cutis præterea palmæ, ut auctor Auicẽna eſt, temperatior contigit omni alia cute, excepta tantum ea quæ in digitorum uiſitur extremitatibus, præſertimq; indicis. Galenus primo De conſtitutionibus, manum internam eſſe

aſtruit

aſtruit temperaturæ ſinceriter mediæ inter extremitates omnes, hoc eſt inter calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, ueluti ea ſit ſenſilium corporum regula & planè ſenſus inſtrumentũ homini, animaliũ ſapientiſſimo. Indeq; pars ea nudata pilis eſt, ne hirſuties tactus præſtantiam oblæderet. Illud uero nec admiratione caret, Viros utraq; manu utentes ſæpenumero eſſe uiſos: mulierem uero ambidextram non efficí, auctor grauiſſimus Hippocrates eſt. Retulit & ſeptimo Naturalis hiſtoriæ Plinius. Ratio uero eſt ex naturæ debilitate: ſi enim ambabus manibus ob neruorũ robur ac muſculorum, quidam uiri utuntur: optima ratione, nulla mulier utetur: ſed ſatis abundeq; habeat, ſi una dextra uel modice utitur. Non omittendum quod produnt Græci interpretes, ἀρετὴ σοφὰ dici, quę fatua ſunt, id eſt μωρὰ. δεξιὰ δὲ τὰ σωτικά, id eſt prudentia. Chirurgia, quod ſcitu dignũ eſt, non medicinæ modo partem indicat, ſed & de artibus item pronuntiatur aliis, unde eſt pictorum καλὴ χειρουργία apud Anaxandridẽ, Athenæo referente. Amazonidas quidem amburere dextrã ſolitas mãmulam, tradit hiſtoria: ut in proximã manum plus commeans alimenti ualentiam conciliaret ei, quæ etiam per naturam inualida habeatur. Circumdextrum, ut ſic nunc mihi dicere permittam, quem Græci amphidexion uocant, Aſteropæum Homerus dixit, manu utraq; pariter utentem. Ambilæuum uero Ariſtophanes hominem uocat, ambifariam læuum. Ambidextrum etiam nominat Hipponax. Eſt eius rei mentio apud Herodotum quoq;. Ambidextrum fieri hominem, illa produnt ratione phyſici, quòd affatim ſeſe promat in ſiniſtrum latus cordis calor, & hepatis in dextrum: ſi porrò in ima ſplen amplius delabatur. Quòd uero ſiniſtra utatur aliquis pro dextra, cauſam præbuerint cor item ac hepar, ubi eorum uiſcerum affluentior ſeſe uis in ſiniſtrum corriuet, dextra parte tantumnon deſtituta. Id uero contingere, ubi in ſiniſtris tam cor quàm hepar ſitum nanciſcantur: aut in dextra collocatum quidem hepar, obductis pannulis craſſioribus, ne quid uirtutis in dextrum refundat, præpeditur. Poteſt & perpeti conſuetudine ſiniſtra effici, ut dextra. Gyia Græcis dicuntur manus proprie, παρὰ τὸ γῶ, τὸ χειρῶ: id eſt ab excipiendi commoditate. Verum & abuſiue corporis membra reliqua uocantur gyia: ſunt qui de pedibus dici peculiarius interpretentur gyia, ἀπὸ τῆ γύης, id eſt γῆς, quæ terra eſt. Gyalus uero eſt quadrangulus lapis, & de cubo pronuntiatur. Gyalas Macedonibus poculum eſt. Cyllos ad manum ita refertur, Hieronymo interprete, ſicuti ad pedem χωλός. Nam cui manuum altera demutilata eſt, dicitur κυλλός. Brachium oſſibus conſtat duobus. Brachij prominens ſummitas dicitur acromia, aut humeri caput: item epomis, & acrocolia, apud Iulium Pollucem: ubi articulus obfirmatur, entypoſis, uel humeri acetabulum, extrinſecus muſculi, intus parolene. Sinus ſub ſummo brachio, axillæ, apud Græcos μασχάλαι, unde ducatur amphimaſchalos, quo nomine manicatam intelligi ueſtem uolunt, alij uero ſeruilem. Erat item heteromaſchalos, quo uterentur operæ. Moris fuit ueteribus, ut cognata cæde polluti, interfectorum ſummas quaſq; præſecarent partes, ac inſutas ſibi circumponentes ſub alis ferrent præcipue, opinati hoc modo interemptorũ uires contundi, ne quid in reliquum poſſint obeſſe: dicebatur uero hoc μασχαλιδᾶν: unde apud Apollonium, ὄφρ' ἀρτμαπὲ τέμνι θανόντω, de Iaſone & Abſyrto. Porrò ubi oſſa brachij componuntur, ancon uocatur: quanquam, ut obiter id monſtremus, plura ſignat ancon. Eſt enim eo nomine deteſtata nauigantibus Nili pars: unde & per euphemiſmum quendam, dulcis appellitatur cubitus. Eſt & in foribus pars, quam prothyrida uocant. Anconas montium ſummitates intelligunt apud Sophoclem. Erat item eo uocabulo perobſcurum Carthaginienſibus domicilium, in quod compingebantur quibus iratior factus eſſet tyrannus. Dicitur item cubitus pygon, id eſt πυγών: unde appellari pygmæos, Euſtathio credimus. Pyguſion certe cubitale intelligimus. Vocatur & pachys, id eſt πῆχυς, diſcriminatim ab ſuperiore tamen, ut Herodoto placuit. Ab alijs in idem corriuatur. Aduertendum uero quod de brachiorum ſinibus eſt dictum: ab eorum ſimilitudine in harundinibus, & pleriſq; alijs geniculos concauos, maſchalas item à Græcis dici, à Latinis etiam alas. Quæ utiq; caua nunc bina, nunc ſingularia uiſuntur, ſemper autem interuallata. Brachialia, ſunt brachiorum ornamenta, quæ chlidonas itẽ dicunt Græci. Nam chlidas uocant, delicias & molliciem: unde eſt Xenophontis illud, ὅτι ἐν χλιδῇ τεθράμμεθα, ἀλλὰ χωλιπικῶς. Et in Parallelis Plutarchus ait, ἀβρὰ καὶ χλιδῶσι βαδίζειν: quod eſt, delicioſe incedere. Sed ad rem. Extrorſus

trorſus prominens olecranũ uocatur: unde apud comicos ὠλεκρανίζειν uerbum. Os minus brachij nos radium appellamus, Græci κώλικα nuncupant, & parapechyon: maius uero cubitum dicimus, hoc eſt pechyn, ut docuit Pollux, uocatur & propechyon: finem eius uocant carpum, Plinius uero brachiale, oſſibus compactum octo. Cui quod præiacet, appellant procarpion. Manum mittere in carpum medici dicuntur, Galeno auctore, ubi arteriæ motiones explorant. Quòd ſi eſt, ridicule pro uola quidam interpretantur carpum. In ſanctis literis ubi legitur modo, Labores manuum tuarum manducabis: nonnulli Græci ambiguitate uerbi in tendiculam illapſi, καρπὸς interpretati fructus ſunt, non manus. Quum tamen καρποὶ etiam manus dicãtur, quod ſcribit Hieronymus. Sunt qui carpos, eſſe cenchramidas ficorum opinentur proprie, ac oliuarum ſanſas. Pericarpion uero, circumiectum iis humidum cum ambeunte corio. καρπῶσις δίκη in eos intenditur, qui fructus oblæſerint. Metacarpium uero expanſa eſt ante digitos pars. Encarpos apud Vitruuium inter Ionicæ columnæ ornamenta legimus. Baſi, inquit, ſpiram ſuppoſuerunt pro calceo. Capitulo uolutas, uti capillamẽto cõcriſpatos cincinnos propendentes dextra & ſiniſtra collocauerunt, & cymatijs & encarpis pro crinibus diſpoſitis frontes ornauerunt. Carpæa uero ſaltationis ſpecies Xenophonti ἡ ἀναβάσεις. Carpias, inquit Menander rhetor, ciuitates dicebant in præripijs fluminum ab Romanis ad Barbarorum impetum reprimendum conditas. Menſura ab magno digito ad minimum ſpithame nuncupatur. Si pollicem explices, & indicem, lichas nominatur menſuſis. Ab olecrano ad extremum medium digitum quod interualli eſt, cubitum dicas. Si digitos contraxeris, ab ancone ad ipſos dimenſio pychon dicitur. Si ambas manus explices à pectore in lineam rectam, ulna. Manus uero portio interior à magno ad indicem digitum uocatur thenar, à quibuſdam etiam ir. Sunt qui thenaris nomine ſpatium ab digitis intelligant ad carpum, ab uerbo θεῖναι. Apud Pindarum dicitur ararum thenar, id eſt latitudo, aut cauitas, qua excipiuntur ſacrificia: etenim manus concauum à multis nuncupatur thenar, ab θεῖναι, ut præmonuimus, aut ab θείνω, quo ſignatur uerberum incuſſio. Eſt & in pedibus thenar. Extima uero manus pars opiſthenar. Quam in dextra, inquit Plinius, auerſam oſculis appetimus. Catone de prouincia digrediente, Plutarchus ſcribit, milites manum reuerenter eſſe oſculatos. Quod genus, inquit, honoris imperatoribus modo, idq; perpaucis id temporis contribuebatur. Qui adorant, ait Hieronymus, manum ſolent deoſculari, & capita ſubmittere: quod ſe Iob beatus elementis, & idolis feciſſe negat. Et Hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem deoſculationem pro ueneratione ponunt. Seneca, Hos ego deprehendam alienorum ſeruorum oſculantes manum. Relatu non indignum id quoq; : Principes Romanos peregre profecturos, & mox urbem repetentes, ita condito more, ſenatores oſculo ſolitos excipere. Propterea in Nerone Tranquillus: Neq; aduenientes, neq; proficiſcens quenquam oſculo impartiuit, ac ne reſalutatione quidem. Quod ab indice ad minimum eſt ſpatij, hypothenar. Quod in meditullio eſt, thenaris, hypothenaris, ac pectoris, κοιλὸν manus, id eſt cauitas item appellatur. Alij cotylen dixere. Digitorum uero partes hæ: Quod prominet in commiſſura, uocatur condylus: dicitur & eodem uocabulo, percuſſus eò inflictus: & inde uerbum κονδυλίζειν. Sunt qui hoc nomine, pugnum intelligant. Hinc eſt illud Plutarchi in Iunio ris Catonis uita, forma prouerbij enunciatum: Erat, inquit, ei χαρίεις ὁ παιδαγωγὸς, καὶ λόγον ἔχων τὸ κονδύλου πρόχειρότερον. Martianus: Complicatisq; in condylos digitis uulnerabat. Hinc & digiti plerunq; monocondyli uocantur, aut dicondyli. Pollex monocondylus eſt: at reliqui, dicondyli. Condylum inueni, qui & gronthum interpretentur. Eſt condylion Aeginetæ Paulo indicum conchylium. Nam apud eundem, oſtrei genus dici inuenias condylon. Conchylij porrò indici teſtam onycem uocauit idem quoq;. Pedum uero digiti omnes monocampti, id eſt flexus unius. Qui ſubſunt articuli, ſcytalides nuncupantur, uel (ſicut Ariſtophanes) phalanges. Inſunt cuique digitorum tres, pollice ſequeſtrato. Condylo interemptum ab Hercule in Oenei conuiuio, puerum legimus, qui manibus aquam infundebat: quemq; Archiam Hellanicus nuncupatum ſcribit: Eunomium alij, Architelis filium: quo facto, Calydone exceſſit is, cæde quanquam non uoluntaria. At in ſecundo Phoronidos, Cheriam fuiſſe nomen, relatum ſcio. Therſitem quoque condylis ab Achille interemptum, Græci ſcribunt

bunt,quoniam Pentheſileæ ab ſe interfectæ oculum haſta percuſſiſſet. A brachio deinque id uſurpari prouerbiale poteſt,ex diſerto uiro Philippo natum, qui ad dicendum ita ſolebat ſurgere,ut quod primum uerbum prolaturus eſſet,neſciret.Dicebat tamen, Optimè quum brachium concalefeciſſet,ſe ſolere pugnare.Martium imperatorem Romanum in digitis neruos habuiſſe dicitur,non uenas:tanta ui, ut nullius manus ad ſcribendum aut impellendum præſtantior tradatur. Quippe uenientia carra ſalutari obnixus repulit: fortiſſimum quemq; uno ſic demum digito afflixit, ut perinde ac claua ferroq; icti torquerentur. Hic eſt qui ferrarij traditur fabri filius: propterea in concione, Ars mihi obijciatur ferraria, dum me ferrum tractaſſe ſuis ſentiant cladibus exteræ gentes, quæ populum Romanum ferratam gentem putent. Sed & Claudius imperator, non is de quo Suetonius,ſed alter,ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſit. Non prætereundum quod eſt in ueteribus memorijs traditum: Agri certum genus dextratum dici, ſicuti ſiniſtratum quoque: nam eſt ſubciſiuus ab ſubſecante linea, ut ſcribit Agenius Vrbicus, dicitur & citratus,ſicut ultratus: tetragonus item & teſſellatus, cultellatus, normalis,epipedonicus, triumuiralis,ſolitarius,Syllanus,Neronianus,podiſmalis,iugarius in quinquagenis iugeribus, meridianus, commutatus ex beneficio. Xanaon affectionem intelligunt muliebrem hyeme inortam, quando ſummæ digitorum partes ex lanificij labore uix moueri queunt.Et ξαναῦν eo modo laborare eſt. Vnimanum puerum manus unius dixit Liuius.

Pectoris ratio,& uocabula partium.De coſtarum numero.De uberibus,& partium nominibus.Rhoæ. Thorax. De oſſe ſacro, & ſphondylorum meatu.Item coſtarum uocabula.Quid pleuritis,arthritis, nephritis. Pectus uinciendi mos.Terentij locus explicatur. Cardia, cyamos, chondros,ſpathæ, plateæ,copia,orrhopygium,coccyx,ſolen,fiſtula ſacra. Cap.IIII

PEctus inter lacertos homini conſtitutum eſt,cæteris uerò in crurum priorum meditullio,quibus etiam carinatum ineſt,& uolucribus eo amplius, aquaticis autem uel maxime. At in homine laxitas admiſſa eſt, brachijs nil prorſum interpellantibus.In brutis coarctatio neceſſario eſt inſecuta, inter ambulandum protendentibus priora crura,propterea nec eodem loco illis mammæ: quas noſtri pectoris recipit carnoſa latitudo, quæ cordis foret tegumentum aptius. Coſtas homini octonas natura diſtribuit,reliquis aliquanto plures. Auicenna,Galenusq; ſeptenis componi oſſibus hominis pectus affirmant.Sed iuguli os coſtis adnumerat Ariſtoteles.Tenuiores molliores q; coſtas Græci ξῶκας uocant.Qua in parte conſyderãti amplius in hoc opificio rerum naturæ maieſtatem ſuccurrit: pectoris hanc laxam complanationem & utique ſublimem,oculisq; occurrentium expoſitam, mirabilem præ ſe ferre conformationis dignitatem. Ariſtoteles primo De hiſtorijs,& Galenus in Iſagogico nomine thoracis partem intelligunt, quæ collo ad pudenda protenditur, & dicitur alio modo holmos:huius ſuperiorem ad iugulos partem uocant Græci σπλῆν: unde & intima dicunt entoſtathidia.Inferiorem uerò nominant ſternon. Vnde & ſternomantis Sophocles dixit quæ dicatur etiam engaſtrimythos,de qua dictione alibi plura. Sternon autem dici putant etymologici, παρὰ τὸ, τὸ σεβόμενον τοῦ νοῦ εἶναι ἐν τούτῳ, quod hic mentis inſit firmitas ſolidior, quando eſt inibi cor, καὶ τὸ ζωικόν, ideſt uitalis portio: unde ſibi uim haurit mens. Verum haud prætereamus parte iſta Galeni ſententiam ex ſecundo De morborum interſtitijs:Et thoracis, inquit, parietes ab nutricibus plerunq; deprauantur, dum ipſos educatione prima nimium arctè extrinſecus uinciunt. Maximè uerò, inquit, quotidie apud nos fieri hoc intuemur in uirginibus:nam ijs dum ſtudent nutrices coxas augere ac latera,ut magnitudine thoracẽ exuperent,uittis quibuſdam totum comprehendunt,ac omnes ſcapularum partes,& thoracis cohibent uehementius, ac comprimunt. Quo fit,ut quum aliquando non æque omnes intendantur, aut pronum in anteriorem partem reddatur pectus,aut poſteriores partes,ad ſpinam quæ pertinent, gibbæ reddantur.Fit illud quoq;,ut uelut perfractum,ac ad latus adductum fiat dorſum, ita ut altera quidem ſcapularum non aucta,ſed parua,& compreſſa ſatis appareat.Ex ijs uerò pluribus paulò de medici nobiliſſimi ſententia repetitis Terentio in Eunucho lucem inferri multam,nemo non uidet:

Haud

Haud ſimilis uirgoſt uirginum noſtrarum, quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, uincto pectore, ut graciles ſient.

Pectus uero ut plurimum portionem oſſibus conſtipatam, communitamq́ accipiunt, uulgus, & Auicennæ interpres caſſum uocant, ab ſpatio (ut opinor) intus uacante, inaniq́. In eo ſingularis item pernoſcitur naturæ prouidentia: quæ non integro oſſe pectus communierit, ne uitio partibus illato, in totum graſſaretur mox uis mali. Affuit & laxitatis ratio, ut expanderetur facilius ad commoda membrorum anhelitus, ut ſenſit Auicenna. Pectoris ſummi medianas portiones uocant ſtathenia. Vbera autem maſtos dicunt. Ex quo & ſupercilia terrarum eodem dicuntur nomine. Titthia uero mammæ ſunt muliebres. Quod uberibus ſubeſt, procardion appellatur, in receſſu quodã & cauitate. Id molle eſt ac corpulentum, ita dictum, non tam quia præiacet cordi, quàm quod ſit ante ſtomachi os, quod dicitur Græcis καρδία. Eandem rationem habet hypocardion & anticardion, quod & ſphage dicitur. Vberum apex papilla uocatur, ſeu thele: de qua ſimilitudine fontium tubuli ab Varrone in Re ruſtica, papillæ uocantur: ſicuti ab Caſſiodoro, ubera. Nigricans circulus papillam ambiens uocatur φῶς, id eſt lumen. Prima uero lactis ſub eo πῆξις nominatur cyamos, id eſt faba. Quæ lac continet portio, colpos, id eſt ſinus, aut aſcoma. Vbera decoris gratia uiris contributa, uelut neuulos Damaſcenus ſcribit. Poteſt & euaporatio aliqua in ijs intelligi: laxa nanq́ inibi caro eſt. Sunt & apum ubera Palladio, quæ imitantur pendentes: uuas dicunt alij. Super procardion eſt os pectoris, ſeu chartilago dicta chondrus, uel xyphoides, à ſimilitudine capitis gladij: ut Galenus interpretatur: uocant & malum punicum ex corticis imagine quadam: prominet ſuper os ſtomachi, propugnaculi uice. Inter coſtas uero, quæ auctiores, dicunt γνήσιας, id eſt legitimas: at minores uocantur nothæ. Coſtarum quidem oſſa dicuntur ſpathæ, latiora uero platæ, anguſtiora autem copia, id eſt λωπία. Vbi uero deſinunt ſphondyli, ſacrum dicitur os: à lato incipiens, in anguſtum deſinens, ubi coccyx eſt, qui & ſphondylion & orrhopygium nominatur. Sub coſtis os chete, item ceneon, & zona, quam Romani faſciam. Coſtarum affectio pleuritis eſt, ſicuti articulorũ arthritis: & nephritis rhenum. Ligures heptapleuri nominantur in ueterum monumentis, quòd ſignificat coſtarum ſeptem. Sphondylorum meatus, qua reſidet medulla, σωλὴν uocatur, id eſt canalis, aut aquæ ductus: item σύριγξ ἱερὰ, id eſt ſacra fiſtula.

Ventris partes, & uocabula. Cœliacus morbus. De umbilico, & partium circumiectarum uocabulis. Etron, abdomen, peritonæum, ſyringotoma, echinus, cecryphalus, apocriticus. Strophi dolores. Gangamon, græa. Præſagium ex umbilici nodis. Cholera quid. Ilia, ceneon, lagon, lapara. Qui ſint uerſus Procœlij, ſphecodes, lagari, myuri, acephali, phricocælium. Cap. v

Pectore coſtis uenter ſubiacet, non cluſilis ob eã uidelicet cauſam, ne aut cibi tumorẽ, qui per calorẽ neceſſariò euenit, aut uteros plenos impediat. Imum uentrem appellat Hippocrates partem uentris imam, quæ umbilicum ac pudenda interiacet. Ita ut in hæc tria totum epigaſtrium, id eſt locus ſupra uentrem, diuidatur, in hypocondrion, id eſt ilia, & umbilicũ, & imum uentrem. Superiorem quoq́ uentrem dici ab eodem obſeruauimus, ſedem, quam thorax à pulmone occupatam circumſcribat, & ambeat. Hypocondrion eſſe ſuper umbilicum, Ariſtoteles ſcribit. ὑποχόνδρια uocant Græci uentrem: unde cœliacus, in uentriculi porta morbus eſt, ſub quo indureſcit uenter, dolorq́ eius eſt: & μονοχοιλία, uentris unius: uocant & gaſtera, ex quo & hypogaſtrium dicitur pars ſub umbilico ad pubem, quam etiam ἥτρον nominent: unde & etridia fruſta apud Comicos: & abdomen, aclactes quoq́, ut Probus. Etron item geniculum in ferula, uel umbilicum dicũt, uel enterionen. Etrion etiam hepar uocatur: unde eſt ἡτρεῖα ἱππάδια. Abdominis poſtremum aqualiculus. Abdomen porrò ab parte exteriore cutem habet euidentẽ, introrſum membranæ includitur leui: peritonæum dicunt quidam ex Græcis, mendoſa in Celſi codicibus dictione. Meminit poſt alios ſexto Therapeutices Galenus: qui & παρὰ πλευραῖς partem nuncupari ſyringotoma ſcribit, id eſt συριγγοτόμια, in gaſtroraphiæ pragmatia: quam uentris intelligi conſutionem uoluit, ubi ſit is uulnere diductus aliquo. Sciendum uero ab Græcorum doctiſſimis proditum, In bobus uentrem dici proprie echinum, etiam ſi de ceruo item pronunciari animaduerti.

Cæterum

Cæterum & triplicem haberi uentrem, tradunt: quorum primus, qui & ſupremus, dicatur cecryphalus, quia cibum occulit: ſequens, echinus eſt, ἀφ' ὃ ἐχεδνᾶι ἐκεῖ τῶν τροφῶν, uel ob aſperitatem: tertium appellant apocriticum. Alij in animalibus, quæ μηρυκώμενα uocant, uentrem ſtatuunt primum enyſtrum, id eſt ὠὐνυστρον: ſecundum uero echinum: tertium autem cecryphalum. Relatu uero non indignum: Strophos dici à Græcis dolores, quibus circa umbilicum infeſtamur. Sunt autem hi, morbi alicuius perpetuò uelut aſſeclæ, ac prorſus ſymptomata. Quod ſub uentre eſt, ſtachys item appellatur, id eſt ſpica. Medij uentris concauum, umbilicus dicitur, & meſomphalion. Ambiens uero locus, gangamon: quia ſit ibi neruorũ implexio, ſagenæ modo, quam etiam gangamona nuncupant. Mediana uero umbilici, acromphalia: ſicuti deſuper, epomphalion. Circũiecta umbilico cutis, uocatur γρᾶια, id eſt anus: quoniam corrugata, ſenectutis indicium eſt. Vmbilicus uero ad hoc naturæ prouidentia factus uidetur, ut per eum fœtus dum eſt in utero nutriatur: quod Ariſtoteles ſcribit libro De hiſtorijs nono, & ſecundo De animalium generatione. Dignum uero ſcitu eſt, quod primo Introductorij Albumaſar ſibi pro dendum putauit, Numerum ſuſcipiendorum deinceps liberorum ab puerpera, peritas obſtetrices facile concipere ex nodis ſpatijſq; umbilici eius, qui natus ſit infans: quot nanq; nodos obſeruarint, totidem deinceps parituram pronuntiant. Ilia imo uentre poſita ſunt, inter coxas & pubem, ut inquit Celſus. Græci, ab inanitate uocant ceneona: & quòd flaccida ſint, etiam lagona, ut ſcribit Athenæus. Ilia certe dicta ex tenuitatis ratione, imbecillitatisue: quando inanis eſt pars ea. Lagonem uulgus pullatum barbare galonem uocat: ſicut laparam Homerus. Cholera, id eſt χολήρα, inquit Medicinæ tertio Paulus Aegineta, immodica eſt uentris perturbatio, quum deiectione, tum uomitu, ex cibo rum perpeti cruditate, ob ingurgitationis nimietatem, aut humorum redundantem prauitatem. Cholerã pro bile accipi audias paſſim, & ita ſcribit Lampridius: cui tamen colaphum incutiunt noſtri. Verum & Hieronymus ad Furiam: Amariſſimam choleram tuæ ſenſere fauces. Quin Matheſeos ſecundo Firmicus: Quicunq; inquit, in genituræ horoſcopo arietem habuerit, ad ignem cholericamq; naturam declinabit. Sed & ab eodem leo ſignum traditur cholericum. Morbi duplex agnoſcitur genus: nam Hippocrati eſt quæ ſicca nuncupetur cholera, quæ rationibus quidem comparibus obueniat, uerum citra uomitum & alui deiectionem. Cholericam uero cauſationẽ pluribus exſequitur Celſus: ſed & in Iſagoge non prætermiſit Galenus. Illud uero impenſius obſeruandum, metaphora honeſtiſſima in Homeri carminibus, cœliacas dici affectiones duas, ſiue πάθη expreſſius enuntiandum eſt: altera, magnitudine fit & abundantia, indeq; procœlion nũcupatur pathos, ab animalibus quæ protuberanti ſunt uentre: altera ex defectu, id eſt eclipſi, coorĭtur: proinde ſphecodes appellatur, uel ſphecoides, tralatione ab ueſpis producta. Dicitur & lagaros, ab inanitate, quam in lagone monſtrauimus: cuius exemplum extat Iliados ſexto,

Μήμ' ἀχρηΐοσιν ὠὺτέῳ, ἀλκῆς τε λαθωμαι.

Quoniã pes quartus iambice trichronus eſt, qui tetrachronus eſſe debuerat per ſpondeum uel dactylum, heroici metri lege. At procœlij exemplum eſt,

ὦ ἀχιλλεῦ πηλέῳ υἱέ.

Quippe tertius pes tetraſyllabus eſt, ac proinde tumet tanquam uenter, ac metricam requirit ſyſtolem. Porrò ſunt & uerſus, qui uocantur acephali, ut qui à breui ducant initia. Nam myuri in poſtremis peccant ſubſultantq;: in medio delinquit lagarus procœlius ue. Quod uitioſe cludant, dici uidentur myuri: nam μύειν, claudere eſt. Obiter illud adiecero: fuiſſe item dialogos nomine Acephalos, ab philoſopho Aeſchine concinnatos. Frigus circa uentrem aſſiduum, phricocœlium uocant, id eſt φρικωκοίλιον.

Pubes, epiſium, ephebæum, hebe, phallou itroboli, acylos, orrhon, taurus, pipinna, lipodermi: peos, ac pœos. Item penis: eius uocabula plura. Faſcinum cur. Pudendorum Liberi patris cultus. Taurus, & dactylios. Congylia. Capros, capreæ. De nanis. Nonos quid: & uepene. Onos, onobelus, monobeles. Tentum quid.

Cap. VI

VBi uerò inhorreſcunt pili, pubes dicitur, hebe à Græcis atq; epiſium, hoc eſt ἐπίσειον: nam ephebæum, medicorum tantum eſt. Hebe tamen plura in Græcorum doctrina ſignare animaduertitur: quippe pilorum in pudendis ſuccretio prima eo cenſetur uocabulo; ſed & in quo id prouenit, locus ac tempus quoq; ſic nuncupatur. Prominens autem pudendum, penis, uel coles, ut Celſus: nam & Græcè, κωλός: à quibuſdam etiam, muto. Summa pars uocatur corone, ab Græcis: & quinto Therapeutices, à Galeno balanus: à nobis etiam glans, per ſimilitudinem. Tegumen balani, præputium: à quo, dempto & præfecto Iudei, apellæ dicti. Et uitium, phymoſis: ubi glans nudari nequit, & infra cutis incidenda præcipitur uſq; ad frenũ: de qua re mox item paulo. Eius foramen, urethra nuncupatur. Eſt quidẽ acylos, ſeu aculos Homero, glans ilignatuerum & pro pudẽdo poſitum inuenias, ea forſan ratione, quam de balano protulimus. Apud Strabonem libro decimoſexto, ex Artemidoro, aliquot apud Arabas & Aethiopas recenſentur populi κολοβοὶ τὰς βαλάνους, ideſt mutilati glandes. Sunt & in iſs uocabula plura, ſed alibi latius. Honor quidem in iſs præfandus erat, quando apud caſtas aures uix ulla eorum mentio fieri honeſtè poteſt: ac in prætextata ſæpe incidendum uerba eſt, nuptaq;. tamen quia ordo ipſe rerum, & naturæ contemplatio ſeſe nobis ingerebat, tam commentanda nobis ſunt uiſa, quàm neceſſaria creduntur ſuggerendæ proli, intra hominis ætatem alioqui defecturæ. Nec tamen hæc ipſa dixeris ſine prouidentia: quippe formas harum partium tales, neceſſariò ad officium propoſitum eſſe debere, quales iam ſunt, obſcurum nõ eſt. Augetur hoc etiam unum membrum, & minuitur ſine ulla morbi mutatione. Quorum alterum utile ad coitum, alterum etiam ad cæteros corporis uſus cõmodum eſt: nam ſi ſemper ſimili modo ſe haberet, impedimento foret non paruo. quod in priapiſmo dilucet amplius: id enim eſt colis accidens, ſicut gonorrhœa, inſtrumentorum ſeminis affectio eſt. Dicitur enim ſic ſeminis aſſidua excretio, cole haudquaquam extenſo. Priapiſmus uerò, quum coles & longitudine & latitudine totus augetur, nullo ſtimulãte ad libidinem aut deſiderio aut acquiſito calore. Cõſtat porrò eiuſmodi partibus, ut eorum quæ diximus, utrũq; poſſit euenire, partim ſiquidem neruum habet, partim chartilaginem: itaq; & contrahi poteſt, & extendi, atq; etiam flatus capax eſt. Verumtamen ubi hac in re neruum dicimus, non eiuſmodi intelligi debet neruus, qui ſic dicatur propriè, quales ex cerebro & dorſi profluunt medulla: quum quia nerui illi non adeo inſigni cauitate ſunt, quàm membro huic neceſſarium eſt, tum etiam quia nimium habent ſenſus: nam quum extumeſceret pars ea, non cõtingeret citra præſignem dolorem. Neq; item cuiuſmodi in colligationibus, quoniam duricies nimia officeret, neq; in muſculis, ob molliciem & ſoliditatem. Quæ ſi quis digne perpendat, miretur neceſſe eſt, ſingularem opificis ſapientiam. Etiam ſi Paternianos ſcio hæreticos, ab Paterno quodã nuncupatos tradidiſſe, inferiores corporis partes ab Antitheo cõformatas compactasq;. Quod ſi uenas, arterias, neruos ad eam corriuatos partem ad diſquiſitionem amplius reuocaris, longè magis auctor fiet mirus. Arterias certè in cole ac lingua maiores exiſtere, quàm in cæteris membris, docuit medicus nobilis Galenus in libello qui eſt De motibus liquidis. Proinde Auicenna quoq; particulam hanc componi ex membris uenoſis prodidit. Porrò adnotarunt periti rerum, tres eſſe in cole meatus: urinæ: ac ſpermatis, qui duplex dicitur: item meatum, quo profluit humiditas quædam ſemine tenuior, aut in meditullio ſeminis, & aquoſi ſudoris, Alberto auctore. Hæc uerò tunc prorumpit, ubi laſciuius puellam attrectarimus. Cæterum hoſce meatus facile uiſum effugere contendunt. Immoq; in diſſectionibus, quas uocant anatomas, nõ deprehendi. Ex quibus omnibus id colligi deniq; poteſt, partem hanc uenis, arteriis, meatibus ex toto factam cauitatibus peruiam: ut ſequax loci natura faciliorem ſe erectioni præberet: quæ citiſſima eſt, ſpiritu, uento, uapore inanitatibus oppletis. Hæc enim eſt naturæ intentio prior in membri huius conſtitutione, ſicuti Auerrois quoq; teſtatur. Sequens uerò, ut ſit meatus, quo ſuperfluitas egeratur aquoſa, ideſt potus effluãt retrimenta. Sed & illud dignum omnino relatu eſt: Excogitaſſe naturã, ut coles detumeſcens reſiliret in uentrẽ, ne prorſum frigore debilitaretur. Quo argumẽto, rigoribus nimiis pereuntes, genitalia tum ueſtibus, tum manibus confouere deprehẽduntur: in ea nanq; parte primus fit ſenſus frigoris mortificãtis, ut uerbo medicis utar pertrito. Pudenda in ma-

ribus

ribus etiam,ut eſt ab Hieronymo adnotatum,φύσιν Græci uocant,Latini uerò naturam. Phallouitrobolos in imperatorum geſtis rebus legiſſe me, ſum memor, eos intelligunt uitreos priapos.Strutheũ item ab paſſeris ſalacitate,dici uirile membrum, ſcribit Pomponius Feſtus.Nam eſt item ſtruthion,potorium uas. Sunt qui membrum hoc item faſcinum appellent:ut in carmine obſcœno & apud Horatium,

Minus'ue languet faſcinum.

Vbi Porphyrio,faſcinum pro uirili parte poſuit: quoniam faſcinandis rebus hæc membri deformitas apponi ſolet.Sed aduertant quæſo eruditi, an uerior ex hiſtoria elici ratio poſſit.Lectum ſiquidem apud Varronem eſt, in Italiæ compitis Liberi patris ſacra ſolita celebrari tanta turpitudinis licentia,ut in eius honorem uirilia colerentur pudenda,palàm exultante nequitia.Nam Liberi membrum per dies feſtos magna celebritate ploſtellis per agros prius,mox & in Vrbem uectabatur. Lauinij integer menſis Libero dicabatur.Quibus diebus unuſquiſq; ſpurciſſimis abutebatur uerbis , donec per forum id tranſueheretur membrum. Cui inſpectantibus omnibus, matremfamilias honeſtiſſimam,coronam neceſſe erat imponere. Sic deus is propitiabatur ad feminum euentus, ſic ab agris faſcinatio auerruncabatur. Vnde opinor,turpi membro impoſitum nomen, ab eo quod præſtabat. Appellabatur & uerpa:ut apud Catullum,

Nihilo minore uerpa Farti eſtis.

Nam uerpos dicunt Iudæos,ex illo Satyrico,

Quæſitum ad fontem ſolos deducere Verpos.

Sunt qui eodem nomine infamem intelligant digitum.Martialis de mentula:

Incipit in medios meiere uerpa pedes.

Quum uerò genitalia mutilare ab Adriano uetarentur Iudæi, uelut pro laribus & focis in bellum exarſerunt. Dicitur & capros. Capreæ uerò ſunt in natura cameli,prominentes carnes.Orrhon & taurum,ut ſcribit Ammonius,eam uocant portionem, quæ teſticulos interiacet:quam in auibus orrhopygium uocant,non orthopygion, ut imperitiores:unde orrhodiam,pro formidine interpretantur,quoniam in timore bruta eam obtegãt partem,inſerta cruribus cauda.Hinc ὀῤῥοπυγιστικὸν melanurum uocant. Dicitur id item perinæon & tramis,deſinitq; in ſedem quam dactylion dicunt. Quanquam Hippocrati ſunt dactylij,quibus in medendi ratione utimur,paſtilli,orbiculiue:nam globos pusillos,Galeno interprete, ac pilulas ſeu catapotia congyliorum appellatione intellexit idem:quod à noſtris ſcienter eſt obſeruatum. Peos apud Ariſtophanem ueretrum indicat:quòd ſi per οι ſcribatur uerbum id, ideſt ποιὸς, tunc ſignatur triticum: hinc ποιολογᾶν,eſt ſpicilegium facere.Sunt qui πόιον ſcribant, quo nomine annum quoque intelligunt.Ab tauro apud Tragicos formatur ἀταύρωτος ataurotos pro uirgine, quaſi ſine tauro.Tauros pro pincernis accipiebant Epheſii. Theophraſtus putat nanos dici, quibus uirile membrum ſit pregrande.Nanum inuenio apud Lycophronem dici Vlyſſem: ſed Nonon pronuntiant Tyrrheni, uocabulo erronem ſignificante, ideſt τὸν πλανήτην. Scribunt alij,Vlyſſem uel prius ſolitum dici Nanum. In tractatu hoc obſeruanda item Lampridio prodita in Commodo Cæſare:Habuit, inquit, in delicijs homines nominibus uerendorum utriuſq; ſexus appellatos,quos libentius ſuis oculis applicabat,Habuit & hominem cuius prominebat penis ultra modum animalium, quem onon appellabat, ideſt aſinum,ſibi chariſſimum,quem & ditauit, & ſacerdotio Herculis ruſtici præpoſuit:Hinc etiam onobelos dici coniectant:ſunt autem hi,qui uiriliores uidentur,ut in Heliogabalo ſentit Lampridius,uelut aſini telum præferentes. Obſeruatum apud Græcos eſt,præputia ſcitè admodum epagogia nuncupari,opinor,quia uti fuerit collibitum,inducãtur,retroq; agantur.Sunt tamen qui monobeles dici mutoniatos malint. Dignum relatu illud quoq;,tentum pro uirili poſitum membro apud Catullum:

Grandia te medij tenta uorare uiri. Item Horatium:

Tentaq; rumpit. Meminit & libro primo Diomedes.

Vepenem apud Martialem accipimus pro parua mentula:

Drauci nata ſui uocat uepenem,

Collatus cui gallus eſt priapus.

Quanquam interpres pipinnam legit,notione eadem, quia pipare ſit minorum pullo-

rum:unde & pipillare apud Catullum de paſſere:
Ad ſolam dominam uſq; pipillabat..

Λεπτοδίδυμος, Græci intelligunt, quos Latinis apellas dicere, moris eſt receptiſſimi.

Teſtium ratio præſtantiſſima. Membra dominantia quæ ſint. Didymus panniculus. Muliebrium pudendorum partes, ac uocabula. Sacandrus, lanuuini, clitorini. Peſſus, & peſſulus. Porta, & hoſtium, pro genitali. Dupondius. Locus ex procœmio Digeſtorum reſtituitur. Item Propertius explicatur. Cremaſteres. Lytæ qui dicantur, & prolytæ. Dipondium. Chlunem entomiam quid uocent Græci. Monij ſues qui: item mellina, uidulus, uidularia, meſoſcelos, apocopi, cochone, deteſtatio, cremor, cremium, ſuperamenta, crimnon. Crimnodes urinæ. Monolia. Heliogabali hiſtoria. Phimoſis, periphimoſis. Lumbi, & umbilici, pro genitalibus. Cap. VII

SVbſunt porrò genitali membro teſtes, de quibus ſententiam Ariſtotelis alibi hiſce commentatiunculis forte inſeremus. Interim medicorum ueſtigia inſecuti flores modo rerum inde præcerpemus. Inter illorũ uero placita eſt, quantum ex Auicenna & illius conſequimur interprete, non ſolum in ijs eſſe generationis adiumentum, ſed principatum ac neceſſitatem ſummam: adnumerant ſiquidem membris principalibus ſublimibusq; ac dominantibus & in corpus totum influentibus. Ea uero eſſe quatuor omnino, deprehenſum ab ſcientiſſimis eſt, cerebrum, cor, hepar, teſticulos. Hiſce uero tantum dignitatis attribuit Galenus, ut conſeruatione ſpeciei dixerit eſſe nobiliores membris omnibus ad id ipſum deſtinatis, quum quia caliditatem ac robur ſuggerunt animalibus, tum quoniam prolem ſufficiunt. Conſpicua eſt, inquit primo De ſpermate, cõmutatio, quam ſubtractis teſtibus contingere animali deprehendimus. Id enim reddi frigidius, certum eſt. Flacceſcit quoq; robur, non ſecus ac ſeneſcentibus: uenæ coarctantur, ſanguinis flos hebeſcit, minuuntur & arteriæ, pulſus relangueſcit. Ad hæc glabreta corpore ſunt toto, Venereorum reſtinguitur appetentia. Quanquam exectum ſacerdotem etiam coiſſe, ſcribit Albertus, ac genitalem profudiſſe urinam, ſicut taurum Ariſtoteles. Et Varro: Admirandum (inquit) accepi, exemptis teſticulis, ſi ſtatim uaccas admiſeris, concipere. Confirmat Columella, ratione non omiſſa: necnon Palladius: ſed ſanguinis fluore uitulum interire opinatur, etiã ſi generet certiſſime. Inde colligit idem auctor Galenus, eſſe teſtes bene uiuendi principium: cor autem, uiuendi ſolum. Bene uiuere autem, præſtantius longe eſt quàm uiuere ſolum: id uero teſtibus præſtatur: ergo & pars ea cenſeri præſtantior debet, quã optimus maximus deus produxit, ut poſſet concipi ſemen uirtute corpulentiæ teſtium: ſicuti docuit item Auicenna. Id enim ad cuſtodiam generis neceſſarium, dant quippe ſpermati formam, qua ipſum eſt id quod eſt, per quam meretur ut ſit uehiculum uirtutum, immutantis & informantis, deciſarum à toto corpore. Eſt præterea, uti attigimus iam, principatus eorum in redundantia uirilis cuiuſdam uigoris, qui ab illis in membra corriuatur. Hæc uero teſticulorum neceſſitas in ijs tantum quæ perfecta ſunt, abſoluta intelligitur: neq; enim omnibus adiuncti animalibus ſunt. Sed quo amplius excellentiusq; in ſe rationale animal, cuius cauſa hæc nimis diu fortaſſe muſſitamus, mox in publicam abitura materiam, diuinæ bonitatis exuberantiam recognoſcat: attendant, quæſo, harum obſeruationum ſtudioſi, quid auctor non incelebris Auenzoar, quem ſequi quandoq; pigitũ non eſt, quum pleraq; indidem opera minime inani liceat expiſcari, prodendum ſuper re iſta cenſuerit. Teſtes ambo, inquit, inter præcipua recenſendi membra ſunt, magna eorum uirtus, nec occulta: etenim prætenuem in eunucho uocem audimus, malos agnoſcimus mores: ſunt porrò imberbes, rationis item peſſimæ, nec ferè inuentus eſt exſectus aliquis bonæ legis aut intellectus non diminuti. Sed cur nam ea portione reſecta hebetatur calor? an quia ſeminaria ſuperfluitas retinetur? an quia non fit tanta ſpirituũ generatio, ut prius, deficiente iam fine, ob quem generabantur congregabanturq; ad teſticulos? An etiam abſentia genitalis ſpiritus, effectu ad generationem concurrentis? Verum recaleſcunt item membra ob teſtes quodam caloris repercuſſu: argumẽto id eſſe aiunt, animalia non exſecta pluribus moueri motibus: motus autem calorem excitat, & auget, quem hebeſcere cogat quies. Inuenio apud auctores, eſſe panniculum quendam qui dicatur didy-

mus

mus,quiq; duplici contineat teſticulos ſinu, & mutuos eorum contactus diſpeſcat: idq; maxima naturæ ſolertia,ne ſi (ut aſſolet) oblædatur unus, in alterum quoq; tranſeat uitium.Quidam ſeminaria uaſa eo nomine intelligere maluerunt. Galenus in libello Iſagogico,didymos teſtes uocat: unde illud eſt in Græcis relatum monumentis, Didymon tibicen in adulterio deprehẽſus ἐκ τοῦ ὀνόματος ἐκρεμάσθη, ex nomine ſuſpenſus eſt:quod ſignat, ἐκ τῶν διδύμων, ideſt ex teſtibus. Alachis uerò Longobardus aduerſus regem ſuum Cunipertum bello conflato, iurauit, Si poſtridie uictoriam adnuiſſet deus, puteum unum ſe clericorum teſticulis oppleturum. Cæterum uoto fruſtratus impietati ſatisfecit. Hos Auicenna ſimilitudine quadam etiam oua nuncupare ſolet. Dicuntur & colei ab eruditis, atque item lanuuini & cliternini: ut eſt in Ciceronis epiſtola ad Pætum. apud quem tamen arriſerit magis,ſi clitorinos legas, potius quàm cliternínos: dictione ab Græcis producta,apud quos clitorium eſt muliebre pudendum, quod & ſacandrus dicitur: unde & λιχεμαζειν, turpiter membrum id attrectare ſignificat. Pollux per ν ſcribere mauult, ubi ait libro ſecundo Onomaſtici, Totum in uirginali, ſiue interfœmineo uocatur λτές, ideſt pecten,aut epiſion.Rima uerò dicitur ſchiſma, quod arctum illatenus quandoq; eſt,ut mulier fieri nequeat:ſicuti commeminit Vlpianus. Quæ interiacet ſubſultans caruncula, nympha nuncupatur,aut myrton, ſiue epideris, aut λληθὶς, ideſt cletoris.Eſt & λητώειον, hoc eſt cletorium,apud illos:ſed id uerbum quandoque menſam indicat regiam,quandoq; etiam gloriam. Iam opinor reſtitutus eſt candori ſuo M.Tullius;apud quem cuiuſmodi interpretamenta hactenus ſint excogitata,neminem arbitror paulò humaniorem, & à Muſis freto non ita magno diſiunctum latere. De lanuuijs autem,ſeu lanuuinis, arbitror Propertium intellexiſſe quadam ultimi libri Elegia,his uerſiculis:

Cantabant ſurdo,nudabant pectora cæco,
Lanuuij ad portas,hei mihi,ſolus eram.

Significat poeta ſe inter ſubblandientes meretriculas iacuiſſe ita, ut Veneria obire nuſquam eualuerit, quamuis ſcortilla cantillarent,quãuis ad prolectandam concubitus appetentiam,& libidinis pruritum papillas retegerent, quãuis & ipſe inſcenderet, ac iam mutonem & coleos genitalibus admoueret, quæ poeta feſtiuè portas dixit: nihilo minus potuiſſe nihil,& iacuiſſe perinde ac ſolum. Nam muliebria naturalia nunc portam, nunc hoſtium dici, indicant pleraq;:quando ueteribus traditum ſapientibus eſt, Portam ingredi nefas,qua exieris.Et Terentianus ille adoleſcens,peſſulum hoſtio obdidit, non fores occludẽs,ſed quod acutè ſolertioribus excogitatum eſt,genitalibus immiſſum mutonem præmonſtrans:quoniam ſunt medicis peſſi,auctore Celſo qui fœminarum naturalibus ſubijciuntur,ſiue lana,ſiue aliud quiduis teres ſit,digiti forma, quo medicamenta (ut Paulus inquit) contineantur.Alluſum autem puto,ad Græcum uerbum μίσγεσθαι, quod miſceri ſignat,id eſt coire:etiam apud Paulum Aeginetã libro primo. Vnde Virgilius,Mixta deo mulier. Id & apud Homerum uel frequentiſſimum. Hoc quia non uiderunt interpretes, imagine quadam oculorum per interualla media paulò productiora caligantium,cenſuerunt eam elegiam præcedenti adnectendã, in qua de lanuuio fit mentio,contra fidem ueterum codicum:in quibus,quod nec inficiãtur interpretes, diſparantur,ſeiunctimq; leguntur. Sed hæc quidem dictaueram adoleſcens: nunc forſan aliud ſequar.Sicut fuit quando apud Senecam Diuiſionum ſexto, dupondios dici teſticulos,ſim opinatus,ueluti bilibres: propter illud Satyrici poetæ,

Ergo expectatos,& iuſſos creſcere primum
Teſticulos,poſtquàm cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.

Nunc animaduerto,dupondios ibi capturam & quæſticulum diobolarium meretricum ſignificare. Dupondius,inquit Priſcianus, à duobus ponderibus: quod unum pondus, aſſipondium dicebatur,quod as erat libræ pondus. Verba Senecæ ſunt ex Controuerſia de lenone,qui decem iuuenibus denuntiarat,ut in lupanar accederent,& foueam igne repletam terra ſuperiecta obruit, in qua adoleſcentibus conſumptis, accuſatur reipublicæ læſæ.Ita'ne peribunt, inquit, decem iuuenes propter dupõdios tuos? Omnino dupõdius minutum quid nobis indicat.Seneca ad Lucilium: Tunc, mihi crede, Lucilli

exultabis, dupondio ſatur, & intelliges, ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna. Hieronymus quoq; eleganter: Quis te, inquit, dupondio ſupputabat? Et Cicero pro Quintio: Si dupondius tuus ageretur Sex. Neui, ſi in paruula re captionis aliquid uererere, nõ ſtatim ad Aquilium, aut ad eorum aliquem qui conſuluntur, concurriſſes? Etiam ſi ſunt, qui iſta non uidentes, de prædijs tuis legere malint. Hinc arbitror factum, ut olim ſtudioſi ſcientiæ luris, primo anno dicerentur dupondij, friuolo ac ridiculo cognomine: ſicuti quarto anno dicebantur lytæ, quinto autem prolytæ: quod emenſi iam ſcientiæ anfractus, tantum non ex difficultatibus ſe abſoluiſſent, exſinuaſſentq;. Hanc uero ſcripturam præter Politiani ſententiam ex priore noſtra æditione mutuatus quidam, uti alia innumera, in ſuos regeſſit libellos, auctore diſſimulato, quod plagiarium eſt. Dipondium apud Columellam duorum pedum eſt menſura, etiamſi alicubi dupondium item legimus. Sed redeo, unde in hæc diuerti. Relatu dignum eſt, quod Arrianus Iureconſultus ſcribit Digeſtis de re militari: Syllam & Cottam uno tantum fuiſſe teſticulo inſignes: auctor item Vlpianus eſt Digeſtis de ædilitio edicto: Sanum uideri, qui unum teſticulũ habeat, quoniam poſſit generare. Teſticuli ſimile quiddam medullis habent, nam ſanguinem non emittunt, & omni ſenſu carent. Dolent autem, inquit Celſus, in ictibus & inflammationibus tunicæ, quibus hi continentur. Dependent uero ab inguinibus per ſingulos neruos, qui cremaſteres dicuntur Græco uerbo: at cremor Latinum eſt, Græce nanq; crim non dici uidetur, etiam ſi qui tradunt, haud aſſeuerate comprobent. Vtiq; Galeno interprete, Crimnodeas nuncupauit urinas Hippocrates craſſamento denſiores, quando accipitur pro ſucco crimnon, cremorue. Sunt qui eo nomine lac intelligant ex grano expreſſum, ubi amplius aqua immaduerit. Apud Iureconſultos Digeſtorum trigeſimo ſecundo, aduertimus ligni appellatione cremia contineri, & ſuperamenta materiarum. etiam ſi legitur gremia quoq;. Cremia, inquit Columella, uocãt ruſtici tenuia ligna. Deteſtationẽ, nouator opifexq; uerborum Apuleius uocat teſtium abſciſſionẽ. Sciendum uero in hoc genus pragmatia, chlunem dici ab Græcis χνοτόμιαν, id eſt exſectum, eunuchumq; aprum. Id quod Aeſchyli doctrina cõprobat, atq; item Aeliani in libro De prouidentia. Sed meminit Ariſtoteles quoq;. Fiunt uero eunuchi attritis arbori, aut ſaxo teſticulis, infeſtante uſq; ad affectionem prurítu. Sunt qui chlunem dici ſuem putent libere in agris paſcentem, uelut χλόεωσον, id eſt in herbis fœno'ue dormientem. Alij magnitudine uiſenda chlunem accipiunt. Ariſtophanes grammaticus in libro De ætatum nomenclatura: Sunt ex ſuibus, inquit, qui dicuntur monij, quibus ſimilis forſan fuerit, quem uocant chlunẽ, fœuitia, & uiribus. Sunt ex eruditis, qui illud ex Truculento Plauti, Cluinum pecus, hinc putent chlunium legi oportere. Monium ſunt, qui monolycon interpretentur. Alij ſuem ferum, qui cum alijs minime aggregetur. Cyrillus in Oſeam prophetam, aſinum eo nomine intelligit. Thomas Magiſter in Atticis elegantijs, chlunem ac monion & chauliodonta eſſe putat poeticas uoces. Alexandrũ Macedona Demoſthenes monolycon appellabat, uti ſcribit Plutarchus: lupum modo interpres reddidit. Monolia ſcriptoribus haud ita ueteribus, ac perinde non Latinis admodũ, pro monilibus uidentur accipi. Sed hæc Græci monia item uocant. Cynomorion appellarunt orobanchen herbam, de canini genitalis imagine. Apocopi, ab Iulio Materno uocantur exſecti. Cochone dicitur pars infra pudenda, quæ coxis interiacet. Vtuntur municipes mei in coitus ſignificatione uerbo eiuſmodi. Græcorum communi lingua uocatur μεσοσκέλιον, quia ſit inter crura medius locus, quæ uocant σκέλη. Obiter uero, & tanquam ſuperpondium adijciatur illud: Operimentum pudendorum dici quandoq; mellinam, quandoq; uero etiam uidulum: unde & uetus Plauti fabula Vidulariæ titulo circumlata olim eſt: ſed & nummariam thecam ſignat uidulus. Verum ab hoc genus prætextata pragmatia reſiliendum protinus, ne in nobile argumentum obrepſiſſe Meleſia credi poſſint. Niſi quod illa prętereſſe nequeo: Principem Heliogabalum, ingenij hominem portẽtoſiſſimi, medicos ingenti allectaſſe pretio, uti in muliebrem ipſum naturam conformarent, ſectione pudendo ſexus illius expreſſo. Phimoſin, id eſt φίμωσιν Græci uocant, ubi præputio ſic obtegitur glans, ut renudari non queat. Quod ſi deducatur præputium, ita ut reduci denuo minime poſſit, periphimoſin dicunt. Eſt uero Græcis phimos priuatim peræ, aut ſacculi obligatio, quum funiculo nectitur os. Lumbos, & umbi-

licum

licum accipit Hieronymus pro uiri mulierisq; genitalibus: ubi de diabolo sic pronuntiat Iob, Virtus eius in lumbis, & potestas eius in umbilico. In Ezechiele item legimus de Hierusalem: Non est præcisus umbilicus tuus. Babylonem Assyriamq; reliquam tributi nomine Persarum regibus exsectos pueros, ideſt ἐκτομίας, numero quingentos per soluisse, prodit Herodotus.

Nates, apogluti, glutos, ephedrana, pyga. Hypolispæ quid: item lispa, lispi. Cur Athenienses Depyges. Thesei petra. Virgilij locus. Cur cædantur nates potissimum. Callipygos, catapygō, pygostolus, anorrhopygia, urrhopygium. Syracusanarum puellarum historia. Venus callipygos cur. Pygargi notiones aliquot. Melampygus, leucopygus. Cap. VIII

IN postrema thoracis parte retrorsum nates sunt, à quibus nec abest admiratio, quando nō sine prouidentia homini tantum sunt hæ, & quidem cōglobatæ decentissimè, ac sedendi munijs peraccōmodæ, solidiore tamē quàm in cæteris membris, carne, ne premēte corporis mole, ossibus cederet. Quadrupedes stare diu infatigatis uiribus possunt, quoniā quasi facere uidentur, quum quaternis innitantur fulturis: at homines non facile surrecto corpore stantes perseuerant, sed requiem subinde requirunt. Porrò quia caruit rationale animal cauda: quæ partem eam, qua reddi ciborum onera saluberrimum est, obtegat obducatq;: ideo artifex creatoris sapientia carnosas etiam esse uoluit nates, ut extumescentes idem implerent munus. Quibusdam tamen tum natura tum laboris genere attenuantur adeo partes hæ, ut inde apud Græcos cognomina inuenerint: nam ἀγλουτοὶ dicuntur, quia glutos signet ischion, ideſt coxarum uertebram apud Homerum Iliados quinto. Sed & prominentia in ijsdem locis eodem censentur nomine, quæ & ephedrana dicantur ab sedendi usu. Sunt qui sic statuant, ischia dici, quæ utraq; ex parte ilibus subiacent ossa, quibus incumbat quod sacrum uocatur. Ischijs porrò inesse cauitates, quibus coxarum insinuentur capita: nuncupari autem caua id genus gluta, & cotylas. Scribit Eustathius gluton signare sphæroma cotyles in coxa. Pygas & gluton pro eodem à quibusdam accipi, prodidit Rufus, inde ab mollicie impositum nomen, hoc est ab γλοιὸς. Vocantur & hypolispæ, quia eo nomine dicta sunt attrita & usu depolita deminutaq;. Vnde lispa etiam lingua: & astragali in medio pertusi, lispi. Athenienses præcipuè comicis salibus ex hoc aspergunt, quòd nautici magna pars quum essent, ob sedendi assiduitatem depyges reddebantur. Additur & fabella: Theseum cum Perithoo inferos petētem, in petra quadam Proserpinæ imperio coactum sedere: à qua quum ab Hercule auelleretur, affixas petræ natium partes reliquisse: quamobrem honoris eius ergò, cæteris item Athenienſibus hæsisse cognomentum. Ad eam uerò petram alluſisse credi Virgilius potest: ubi Aeneidos sexto ait: Sedet, æternumq; sedebit Infelix Theseus.

Cædi pueros parte hac, ideo receptum aiunt, quòd sint nates sensus obtusi ob cutis crassitudinem, cui insit callosum quiddam, & solidius duriusq;, quàm reliquo corpore, præsertim superno. Tradunt peritissimi artis medicæ, tantam esse natibus cum toto affinitatem, ut in illis scarificatio facta dicatur phlebotomiæ uicaria. Nates quidem Græci pygę uocabulo significant, ut dictum est, magno errore grammatici cuiusdā, scrotum, siue (ut ipse ait) byrsam testiculorum eo nomine accipientis. Probant id uoces inde productæ: nam & callipygos ab natium uocatur pulchritudine, & catapygon scortillum signat, sicut & pygostolus, & Athenienses digitum in manibus medium catapygona dicunt. Anorrhopygia uocāt, quæ inter uolandum nullo reguntur caudæ gubernaculo. Vrrhopygium, seu orrhopygium, inquit in libro De communi animalium gressu Aristoteles, perinde uolucribus ad dirigēdos uolatus affigitur, ut nauigijs gubernacula. Hinc apud Syracusanos, puellas quasdam ex partis eius insigni specie callipygos nuncupatas, scribit etiam Cercidas iambicus poeta, ὦ καλλιπύγων ζώνη θ' ἣ συρακούσας.

Fuere autem sorores duæ in agris educatæ, pulchritudinis uisendæ. Has sæpius inter se disceptantes de natium præstantia, demum iudicio adolescentis urbani rem permisisse, tenet fama: qui utraq; inspecta, grādiori natu calculum adiecit, moxq; eandem sibi uxorem allegit, fratre etiamnum alteram gratè excipiēte, quo ex facto Veneri templum sub structum, quam dixere Callipygon. Pygargum esse aquilæ speciem, sciunt omnes: inde

Græcis rapacem quoq; indicat uox ea. Sed & in Venerea procliuior ſic item dicitur, ueluti cui minimè ſit pyga ocioſa: nam ἀπύγου uocant Græci ceſſantem. Quin & timidum rectè pygargum dixeris, quod albicans ei ſit pyga: cui diuerſum eſt prouerbium, Melampygo necdũ occurriſti. Hic enim uti Hercules, robore intelligitur inſignis: proinde leucopygi imbellia infames cõcipi ferè ualent. Melampygus lapis in Thermopylarũ monte legitur apud Herodotum hiſtoria ſeptima, ubi deſinit Anopæa uia, qua graſſantes Perſæ pylas occuparunt, Epialte duce.

Ani ratio & uocabula. Sphincter, phicteris, ſtephanus, dactylios, archus, archoliparos, aniſchia, liſpi, hedra, ſedes, coryphe, chiliarchus, archontes, cimeliarchus, cimelia, arceuthus. Anarchias annus. Sedis procidentia. Exomphali. Hedrica uitia. Peritonæum, polemarchus. Cap. IX

POrus uerò excrementis addictus, quem Latini tum podicem tum anum uocare cõſueuerunt, ab Arabibus phicteris nominatur, fortè quia Græci σφιγκτῆρας nuncupant, ab arcendo conſtringendoq;, ut docuit Galenus. Id uerò Græcum indicat uerbum σφίγγειν. Appellant item ſtephanum & dactylion, ideſt annulum, atq; item hedram: unde & Plinius, ſedem. In eam decumbens os, uocatur coryphe, ideſt apex. Porus hic cutis ratione frigidus eſt ac ſiccus, quo nomine illi maximè infeſtum frigus eſt, ſicuti etiam pudendis & ueſicæ ac uuluæ, ut auctor Hippocrates eſt: ſiquidem neruoſus plurimum eſt, & ideo reſiſtere obnitiq; minus poteſt. In imo poſitus eſt ingenioſe, quoniam nutu ſuo excrementitia, grauisq; materia illuc feratur. Proinde Auicenna finit, eſſe anum ſemitam quandam & callem feculentiæ craſſioris, & humorum malorum, qui illam cõſectantur. Inuenio etiam archum dici, unde lepidus prorepſit iocus in quendam, qui appellabatur chiliarchus: nam & princeps nominatur archus ex quo archoliparos, qui cõſequendæ dignitatis cauſa prehenſat omnes. Nam archontes ſummi erãt, ut inquit Pollio Treuellius, Athenienſium magiſtratus, dici Latinè principes ualent. Sed & pro magiſtratu ſimpliciter interpretatur Priſcianus. Archõta fuiſſe Athenis Adrianum, ſcribit Spartianus: & Galienum Pollio. Cimeliarchium uerò luſtiniani principis peculiare uerbum eſt: eo ſignari animaduertitur rerum pretioſarum auguſtius conditorium: quando κειμήλια Græcis theſauri ſunt, & ſepoſitæ opes. Sunt qui cimeliarcham interpretentur ſacrorum uaſorum, quæ diuino deſtinantur cultui, cuſtodem. Cimilia eccleſiarum nominantur Paulo Diacono libro ultimo. Arceuthus autem cedri fructus eſt, uerum & arbor ipſa ſic dicitur quandoq;. Sunt qui eo nomine plantam accipiunt ſpinoſam, cuius odorem auerſentur reptilia omnia. Anarchiã legimus in Græca hiſtoria dici annum Athenis: quo impoſiti ſunt tyranni triginta. Nam etiam ſi tunc princeps foret Pythodorus, quia tamen oligarchiæ tempeſtate fuerat electus, nominare non ſuſtinent. Polemarchi, inquit Polybius, claudendarum portarum urbis curam habebant, ac noctu claues ſeruabant, interdiu ad portarum cuſtodiam commorabantur. Sed ad inſtitutum. Porrò procidit anus, ſicut & uulua, ſedis procidentiam dicimus, uel ſedem conuerſam, quam ſtypticis repercutere officinæ ſolent. Aniſchia, ſiue liſpa, ut ſignificauimus, dici inuenio, quæ clunium tumore uacant, cuiuſmodi aues ſunt. Meatus porrò hic quibuſdam coaluit beſtijs, quas Græci ἀτρήτους uocant. Nam & uaccam fuiſſe Perinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per ueſicam trãſmittebatur, diſſectusq; anus denuo coaleſcebat propere, nec reſecando euinci potuit uitium. Puerum eiuſmodi natum in patria mea Ioãni Lodouico Stellę uidimus, qui diſſecta parte obducta, etiãnum ſuperſtes eſt. Illud nec omiſerim parte iſta, in Galeni obſeruatum libris, piſcatori cuidam inter piſcandum uſu ueniſſe, ut ſedi ac ueſicæ incumbẽtia tãto corriperentur frigore, ut eo quamuis obnitente, ſimul alui, ſimul ueſicæ effluerent retrimentitię ſordes: ſed mox calidis remedijs maturè muſculis refotis, qui fuerãt oblæſi, in integrum eſt reſtitutus. Sunt qui monumentis prodãt, ab excellenti excretionis niſu, præcurrente inſigni dolore, lapides calloſos à quibuſdã deiectos, ijs qui in ueſica ſuccreſcunt, haud ita abſimiles. Id ego, inquit Galenus, nec uidi, nec alium qui uiderit, audire cõtigit. Poſtremò ἑδρικὰ ἕλκη dicuntur Aeginetæ Paulo, quæ ſedi adnaſcuntur: αἰδοϊκὰ, quæ pudendis. Sedis procidentiam, de qua dictum eſt, in Plinij Medicina legimus quandoque, ſicuti & locorum muliebriũ procidentia dicitur quoq;, quum ad naturalia & eorum ho-

ſtium

ſtium delapſa uexant mirifice. Apud Græcos, ὑστερικὰς πτώσεις dicunt: legimus & exomphalos uocari procidentes umbilicos. Quod pluribus de cauſis malum obtingit, una eſt, ubi membrana perrumpitur interior, quæ interaneis obtenta peritonæum appellatur.

Teſticuli muliebres quam habeant rationem. An cõferat mulier ſemẽ ad generationem. Semen quid. De menſtruis. Cur fœmina minor uiro. Cap. x

AEterum prius quàm abeamus longius, & crurũ ingrediamur explicationem, id minime diſſimulandum, Galeni medicorum principis poſt Hippocratem, celeberrimam eſſe ſententiã, Ineſſe mulieri quoq; teſticulos, ſed internos, unde nobilis exorta ambiguitas inter medicos ac philoſophos, An ex muliere ſecernat ſemẽ generationi cõgruẽs: nã eſſe teſticulos generãdi cauſa, conſentaneũ eſt. Verumtamen Auerrois ſecundo Colliget, capite De iuuamentis teſticulorum, hos dicit nullum in generationis ratione effectum habere. Placetq; item pleriſq;, non aliam eſſe teſtium in fœmina rationem, quàm uberum in uiro. Quoniam argumentis peruincatur, fœminam ſemen ad generandum non excernere, Siquidem ſemen ſit ſuperfluitas digeſta, craſſior, uiſcoſa, tenaxq;, & albicans, ac calida. Mulierem uero eſſe frigidam, & proinde digeſtionis non bonæ, unde & redundantijs ſcateat aquoſis, inconcoctisq;. propterea colligit Auerrois, ſemen muliebre eſſe excrementũ aquoſum, indigeſtum, ex quo membra progigni ſit omnino impoſſibile. Additur etiam, pleraſq; concepiſſe abſq; ulla ſeminis ſecretione. Porrò uuluã ita naturaliter affici, ut ſuum euomat ſemen, attrahat autem quod uirile eſt. Addit Auerrois, nouiſſe fœminam in uicinia cohabitantẽ, probis moribus & fidei integræ, quæ iureiurando confirmaret, concepiſſe infantẽ ſemine ex balneo attracto, quod profudiſſet laſciuiens maſturbator. Infert Ariſtoteles, Menſtrua eſſe in fœminis, quod ſit in maribus genitura: nec fieri poſſe, ut duæ ſimul ſecretiones ſeminales agantur. Ideo ſemen à fœmina non conferri ad generationem: nam ſi ſemen eſſet, menſtrua non eſſent. Sunt uero hæc planè excrementa, ſicuti ſemen. Nam eſt ſemen excrementum concoctum alimenti ſanguinei, quod ultimũ in membra digeritur, & propterea ab ſanguine fit diuerſum. Proinde incoctũ, aut per uim emiſſum, quum quis præter modum in Veneria fertur præceps, cruentũ iam aliquibus prodijt. Sed quum infirmioris plus excrementi, minusq; concoctum fieri, idq; copiam cruenti humoris eſſe, neceſſe ſit: infirmius autem ſecundum naturam ſit, quod minus caloris adipiſcitur, taliſq; fœmina ſit, hinc ſecretionem illam ſanguineam fœminæ excrementum eſſe, neceſſe eſt. Talis autem eſt eorum eiectio, quæ menſtrua uocantur. Argumento eſt, ætate eadem maribus genituã fieri, & erumpere fœminis menſtrua: uocem item mutari, intumeſcere mammas, necnon deſinente ætate, aboleri maribus gignendi facultatem, fœminis profluuia menſtruorum. Ad hæc indicium illa faciunt, eſſe excrementum huiuſmodi ſecretionem fœminarum, quod non mariſcæ, non confluuium è naribus ſanguinis, non uarices, non eiuſmodi alia fœminis ferè obueniunt, quamdiu profluunt menſtrua, & ſi quid tale accidit, deteriores fiunt purgationes, tanquam materia menſtruorum in ea abierit. Minus etiam uenoſæ ſunt mulieres, quàm mares, lautiores porrò, læuioresq;: corporibus item minores, pallidæ quoq;, ac uenis obſcurioribus. Aegyptiæ gentis ſanctio fuit, ſolum patrem cenſeri generis auctorem, nam matrem nutrimentum modo, & locum infanti, uelut ſubſtratum exhibere. Galenus uero ſecundo De ſpermate libro, & decimoquarto De utilitate particularum, ſecerni à muliere ſemen ad generandi rationem, nititur probare. Idem ſentit Auicenna doctrina quinta fen primæ primi. Quo in loco eiuſdem interpres multa ad refellendum profert Auerroẽ. Qui noſſe concupierit, locum habet quem enotauimus.

Crurum ratio. Item uocabula plurima ad imum uſq;. Plixis, plix, plígmata, acetabula, cotyla, cotyledon, iſchion, bubon. Lycophronis taxatio. Coxendix, callimerus, patella, coxa, molæ, ſphyros, rhębi, uari, uarica. Tarſus ciuitas cur dicatur. Cotyla item chimetla. Marcellion, ganglion, ſarapus, chœrapus, eumarides, aſceræ, artaria, periſphyria. Pes magnus. Pedem poſuiſſe. Podia, pedicinus, petiolus. Tenax quid. Periſcelides quæ ſint. De Pittaco.

Caput XI

Crura

CRura ſequebantur quæ cum femoribus & ſuris, ut edocuit Ariſtoteles, homini carnulenta ſunt, quum animantes cæteræ non uiuiparæ modo, uerum quæcunq; cruribus conſtant, uacua carne hæc habeant: neruoſa enim ſunt, oſſulenta, ſpinoſa, rigida. Cauſa uerò omnium propè una eſt, quòd homo ſolus animalium erectus eſt: ob idq;, ut facile ſuſtinere ſuperiora poſſet, natura parti ſuperiori corpulentiam dempſit, inferiori addidit. Ob id item cauda caret, nam alimentum, quod caudam adit, in hæc ipſa abſumitur. Os in meditullio coxarum uocant plixin, ſed & uocabulo eodem interuallum intellígunt inter pollícem ac índicem. At Dorici plicas, ídeſt τὰς πλίκας, cuius uocabuli rectus eſt plix, uocant gradus. Sed & proculcationes ſtigmata nuncupant. Circa ilia ſinuoſa oſſa uocantur acetabula, quæ coxarum capiti accommodãtur, cotylas Græci uocant. Caput autem coxæ dícitur cotyledon. Vbi fit commiſſura hæc, plectrum coxæ uocatur. Neruus, quo eiuſmodi colligatio fit, nuncupatur iſchion, nomine eodem quo & uertebra. Adnotatu digna parte hac, quæ ab Lycophronis produntur interprete: nam ubi bubonis tormas nũcupat poeta, ipſe peripherias exponit: & addit, bubon eſt, ἰσχίου τόπος, ídeſt uertebræ locus. Quid autem ſapientiſſimus Lycophron, inquit, bubona intelligat, non percipio, uel quia barbarè multa profert, ac nugatur, uel quia ipſe inſcitia labor: nam hic quidem Angæi bubonẽ percuſſum ſcribit, mox autem paulò adnectit, πλήξας ἀφύκτως σφυρόν: ego ſphyrum ſcio aſtragalo circunſectas partes, at bubonoſphyron non noui. Cæterum in hiſtoria mentiri plura, inſitum illi eſt. Nec ab aliis ſolum diuerſa tradere, ſed & pugnantia loqui. Coxendíces interpretãtur aliqui, quæ Galeno ſunt iſchia. Quo nomine oſſa duo is intelligit in poſteriore hominis parte oſſi ſacro, in anteriore mutuo ἧβῃ σύμφυσιν, ídeſt per conſertionem cohærentia. Carnes ab iſchio ad inferiora defluæ, hypoglutides, quaſi ſub gluto, ídeſt uertebra. Coxa tota ad genu pertendit, à Græcis dícta merus, unde ex coxarum pulchritudine callimerus: & lacænæ phænomerides nuncupatæ, quod inceſſu partem hanc retegerent. Intra coxas femora ſunt, parameria dicta: nam quod coxas interiacet, meſomerium eſt. A pectinis oſſe femina oriuntur, Inferiora coxarum capita media ſinuantur, quo facilius excipi à cruribus poſſint. Quæ commiſſura oſſe paruo, molli, chartilaginoſo tegitur, patellam uocant. Suffragines ſinus curuaturarum dicũtur. Vbi crus coxarum cõmittitur extremitati, dícitur cruris caput. Ibi eſt genu, cuius oſſa Pauſanias uocat molas. Poſterior incuruatio, poples: unde & uigeſimo octauo Plinius, Poplites (inquit) alternis genibus imponi. Apud Herodotum eleganter dici obſeruauímus, ἐς γόνυ ἔβαλε, id eſt in genu deiecit, pro eo quod eſt profligauit, depreſſit. Ipſum autem crus oſſibus cõſtat duobus: alterum ab exteriore parte ſupra poſitum eſt, & uocatur paracnemium, paraſtata uerò in iumentis, Vegetio tradente. Ab priore alterum, cui tibiæ nomẽ eſt, Græcè autem κνημίον dicitur. Sub crure pars uocatur σφυρόν, unde nomẽ calcaribus lingua uídetur dediſſe uernacula, encentrídas nuncupant Græci, ſicuti meminit Pherecrates, & auctor eſt Iulius Pollux. Vtrinq; prominent aſtragali, quanquam nõ ſunt in homine tali, in quos peronæ deſinunt. Sunt uerò oſſícula, quæ ítem paracercídes nuncupantur, quia propè eſt cercis, ídeſt radius. Sic enim ítem dícitur os maius, quod totum fert crus. Peronas etiam ſteringas appellant nonnulli: hinc datum peronibus nomen. Nerui lati à poplite orſi, ac in calcem producti uocantur tenontes. Sphyron alio uocabulo pezam dícunt, unde Argyropeza Thetis apud Homerum, ueluti argento ſímiles habens pedes. Quibus introrſum obtorta ſunt crura, auctore Polluce, nuncupãtur rhæbi: uaros dícunt quandoq; Latini. Ouidius tamen Metamorphoſeos nono:

Tenuiq; à pectore uaras In ſtatione manus.

Apud quem uarica item legítur fœmina in Amoribus:

Ambulat, ingentes uarica fertq; gradus.

Quibus uerò extrorſum, blæſſi. Cruris uniuerſi pars anterior anticnemion, poſterior gaſtrocnemion, ídeſt cruris uenter, nos ſuram nominamus. Totum uerò ex coxa conſurgens, & crure, ſphyro, pede, ſcelos nuncupatur. Coxa cum crure tantum, dícitur colon & colyma. Calcaneum autem ſcelis, & pterna, quaſi patera, quoniam πατεῖ φῶν, id eſt proculcat terram, ut probat Euſtathius, unde & pterna ciuitatis apud Lycophronẽ pro baſi. Obiter notandum, hinc periſcelídas dici, quæ uulgò gremialia uel trauerſias dictitant

tant: nam & Menander puellas geſtare periſcelidas ſcribit. Quod propter illud Horatij ex Epiſtolis inſertum uolumus:

Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis.

Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam: Quæ Græci, inquit, περισκελῆ uocant, noſtri feminalia dicunt, uel bracas uſq; ad genua pertingentes. Sunt & codices in quibus periſcelidas, ſcriptum comperias. Periſphyria in Herodoti libro quarto, fimbrias intelligit Valla. Pes autem, totum id uocatur quod aſtragalis ſubeſt. Talum in homine agnoſcit in Epiſtolis Seneca, quin & Herodotus libro tertio: negat cum Ariſtotele Plinius. Eſt autem eo nomine rectum in articulo pedis os, uentre eminens cõcauo, in uertebra ligatũ. Eius intima uocant Græci cola, quod Venerem interpretantur: extima, dicunt iſchia, hoc eſt canem: capita uerò ceræas, Theodorus antemnas quoq;. Mons pedis ante digitos oſſibus conſtat & neruis. Montis anterior pars ab digitis, tarſus dicitur etiam apud Homerum. Vnde & ciuitatem Tarſum dici, opinatur Dionyſius Thrax in ijs, quæ de Rhodo ſcribit, ab Bellerophontis caſu, & claudicatione. Aut quia inibi plantam fregerit Pegaſus, & errarit Bellerophon. Quod in Periegeſi probabile fit Dionyſio Aphro. Sunt qui ab diluuio ea primum loca exaruiſſe prodant, unde ab ταρσῷ ἀνθλιώσει ciuitatem nuncupari, quæ & Terſos ſit dicta, ut Stephanus. hinc apud Lucanum poſſe legi augurantur, Terſeaq; Tarſos. Inferna pedis portio uniuerſim quidem tyloma: quod digitis prominet, pedis pectus, uel proſthetis dicitur: mox eſt concauum pedis. Pelmata Rhazes interpretatur dorſa pedum, alij plantam. Cauitates autem cotylas uocant nõnulli. Sub digitis quæ fit ſciſſura, chimetlon nominatur, quo uocabulo etiam locum ipſum putant aliqui intelligendum. Chimetla, ideſt χίμετλα, inquit Medicinæ tertio Paulus, ἕλκώδεις ἐσὶ διαθέσεις, ideſt ulceroſæ affectiones in manuum digitis ac pedum, hyemali tẽpore. Marcellion medicamen ad hoc genus celebre Græcis eſt. Cõtingit malum in pleriſq; partium corporis, ſed in ijs quæ motui ſubſeruiũt præcipuè. Neruorum reuolutionem ex percuſſu uel labore, ganglion uocant, ideſt γάγγλιον. Pes uerò etiam baſis uocatur. Scribunt Græci, Pittacum ab Alcæo appellatum ſarapoda, quod latos pedes traheret; necnon chœrapoda, quod ulcera in pedibus ſentiret, quæ uocant chœradas. Hanc quoq; partem unguentis linere, luxuria Athenis excogitauit. Addamus & ſuperpondij aliqui d. Eumaridas calciamẽta uocant ab inducendi facilitate. Aſceras uerò propriè pilia in pedibus, ideſt uelut pileolos, quæ & artaria dicunt: quia uerò ſtandi fundamentũ pes eſt, dicitur in ædificijs area pes magnus, & qui negocium inſtituit, pedem poſuiſſe. At Columella libro ultimo: Vuis proculcatis, muſtum quod defluxerit, ante quàm prelo pes eximatur, ſatis de lacu in uaſa defrutaria deferamus: id eſſe uidetur pes, quantum ſemel prelo ſubijcitur: unde uinaccorum pes circunciſus legitur. Pedem à pedo dici, ideſt ſolo, putat Ariſtoteles in libro De communi animalium greſſu. Podia, Græci uocãt pedum inuolucra. ſcribit Athenæus ex bulbis lanigeris podia intexi, & indumenta alia. Sed & craticijs podijs granaria diſtingui debere, lectum alicubi eſt. Dicitur & podium ſuggeſtus lapideus per totum apiarium extenſus, apum aluearia ſuſtinens. Sunt & ſua in calcatorijs podia. Pedicinus menſuræ nomen Catoni: Silicem, inquit, longum pedicinis duobus, craſſum pede uno ſtatuito. Petiolus pomorum, uelut paruus pes: tenax etiam dictus Palladio.

Inferiorum proportio cum ſuperioribus. Quoſdã pedibus mira efficere. Pedum ratio. Cur inferna mulierum craſſiora. Apodes, cypſeli, trogletes. Elephantos genua nõ flectere. Adoleſcens ſine humeris ex India Romam miſſus. Colon. Iphiclus unde: item Colias Venus. Scarthmus. Chiræ quid, & Chiropodes. Chirodota. Cap. XII

CAeterum ſingulari dignus admiratione tanti operis artifex infinitus, qui ut ſuperna mundi minoris affabre, ac ſumma cõpegit perfectione, ita ne in imo quidem eius deſyderari eſt paſſus quippiam. nam hæc utiq; ad progreſſionis motum contributa potiſſimum agnoſcimus: ſed tamen ita, ut cum ſuperioribus pleraq; magnam habere cognationem intelligantur. Quippe manui cum pedibus inſignis proportio ineſt, quanquam adſunt pedibus digiti ad figendum fortius, manui

uerò

uero ad apprehendendum: tanta prominet tamen ſimilitudinis uis, ut quoſdam natura manibus mutilos pleraq; pedibus exſequi, quæ manibus ſolent alij, maxima omniũ qui inſpectarẽt admiratione, uiſos à ſe, ſint qui prodant. Etenim pedibus ſcripſiſſe, ligna con ſcidiſſe, atq; etiam neſſe, ac id genus impleſſe multa. Cuius rei ita demum ſolida contin get admiratio, ſi fuerimus exactius contemplati, crura, brachia, manus, pedes, membra eſſe laxarum compagum, muſculis ſuffulta ad motus tres, arrectionis, contractionis, circumductionis. Non eſt ab Dione prætermiſſum inter munera Auguſto miſſa ab Indis, fuiſſe tigres Romæ tunc uiſas primo: & adoleſcentulum ſine humeris, qui tamen pedibus manuum functionẽ obiret: nanq; arcum intendebat, ſagittas etiam excutiens. Quin & tubas, inquit, inflabat, ὅλα οἷδ' ὅπως, γράφω γὰρ τὰ λεγόμενα. Hominis uero pes ſingularẽ præfert naturæ in eo quoq; prouidentiã: nam hic corporis reliqui ratione analoga uidetur amplius excreuiſſe, ſed id, ut poſſent duo incumbenti oneri ſufficere, proinde longio res aliquanto cæteris, latioresq; facti. Inter polypoda nullum eſt, quod uicenum excedat numerum. Vno tantum pede nullum item moueri continue poteſt, unde Monoſcelorum hiſtoria conuincitur uana, ſicut & Sciopodum: qui ſi comperirẽtur, inutili prorſum onere præpedirentur, quum robur in pedibus requiratur, & leuitas. Digitorum quoque ratio ſeruata eſt ſumma: nam nec oblongi æque ſunt ac in manibus, quarum in eo præcipuum munus, ut apprehendant. Sed breues non tam ad ſpeciẽ, quàm ad uſum aliquem, ut niſu concitatos in curſum iuuarent: etenim preſſis in humum digitis, mirum eſt, quanto tutius totũ propellatur corpus. Adde, quod pedis in partes non diſiecti portione affecta, totus conſentiret: id quod minus modo fieri poteſt. breuitas etiam adminiculo eſt non paruo, ut oblædi poſſint minus. Sciendum & illud quod antea quoq; attigimus, Inferna mulierum magna parte craſſiora eſſe, in uiris autem ſuperna. Ratio uero in frigiditate eſt & calore: nam frigidiore muliebri natura, alimenti, unde augeſcit corpus, portio minima ſurrigitur, quod efficere calor poteſt. Reſidens uero in imo, id corpulentius efficit & auctius. In maribus autem cõtrarium euenit: ſiquidem caloris copia delata ſurſum nutrimenti pars magna, ibi effectum oſtendit ampliorem. Biſulcum Græci nunc δίχηλον uocant, nunc δίχιδα. Quæ uſu pedum carent, apodum uocabulo ſignificantur, & inde auiculis inditum nomen, quas alij cypſelos uocant, hirundinum ſpecie. Pſellus in libro De uictus ratione trogletas nuncupat, quia in foraminibus & cauis ferè latitent. Genua elephanti non flectunt, uti Ambroſius prodit: quia rigidiore crurum uſu opus fuit, quo uelut columnis tanta poſſet membrorum moles fulciri. Calcaneum modo leuiter inflectunt, rigent cætera pedum à ſummo ad imum. Pedem Græci πόδα uocant à quieſcendi ratione, ἀπὸ τοῦ πάδω: uel ab πόρος, quod meatũ ſignat, eliſa litera ρ, & contractione duplicis uocalis in ο, qui mos Græcis frequens. Ariſtotelis opinionem recenſuimus. Vocatur & pars ea κῶλον proprie: unde etiam Iphiclus dicitur, quaſi iphicolus, ex pedum celeritate. Sed & Colias Venus non aliunde corriuatur, cui templum & cognomentum conſtituit adoleſcens Atticus, puellæ Tyrrhenæ beneficio compedibus exſolutus, quibus tenebatur captiuus. Pes item dicitur quandoq; σκαζόμενος, ut inquit Eu ſtathius, quanquam uox ea & curſum ſignat, ac baſin. Eſt ab parte hac prouerbium elegans, ab citharœdo uſurpatum Stratonico. Minnaco ſiquidem ſuper muſica cum eo diſſertare ingreſſo: Non intendo, inquit, quoniam ἀνώτερον τοῦ σφυροῦ λέγεις, id eſt ſupra talum dicis. Denicq; in pedibus quæ fiunt rupturæ, uocantur chiræ, unde ita affecti chiropodes nuncupati, uelut rhagopodes. Chirida uero manicam Græci uocant: quo uerbo utitur Galenus quoq; unde chiridota indumenta dicuntur manicata.

Hypoglottides, antiades, pariſthmia. Μῆλα, id eſt mala. Columella. Staphyle, id eſt uua. Carotica pharmaca, uel anodyna: item trigona. Nocar. Larynx, pharynx, laryngus, aſpharagus, ſpharaga, corruda, epiglottis. Toni nerui. Stomachici qui ſint. Aſa ſtomachi quid. Carotæ nerui. Caroticæ uenæ, & ſphragitides. Celſi locus reſtituitur. Sphragytides nymphæ. Hyoides os, ſiue paraſtates. Fiſtula colli duplex. Stomachi ratio. Cardia, cardiogmos. Plados ſtomachi. Stomachi præcordia.

Cap. XIII

Cæterum

CAeterum opinor, diu iam multumq́ in extimis humani corporis elaborauimus, proinde peraccõmodum uidetur, eiusdem intima, qua poterimus breuitate, recẽsere: ut quum subiecta oculis omnia fuerint, agnoscamus deniq́ quæ sit diuinæ maiestatis ratio in struenda qualibet particula. Igitur summa repetentes, ab collo ordiemur, quoniam de capite satis multa compegimus. Sub lingua ergo sunt, quæ uocantur hypoglottides, quibus cohæret. Ab ijs à lateribus quæ prominent carnes, antiades nũcupantur, & paristhmia. Subiacent rubedine quidem consimiles, uerum auctiores orbiculatioresq́, quæ dicuntur μῦλαι, id est mala. In oris parte intima, inquit Aristoteles, portio uisitur staphylophoros nuncupata, id est uuigera, Columellã dicunt. Hæc humoris ubertate si contumuerit, staphyle uocatur, id est uua. Apud Celsum Corneliũ uuam appellari & locum & uitium obseruauimus. Traditum ab Alexandro est in Quæstionum natura, Columellam, ideſt cionida dici ex figura, ubi humoris affluxu productior euaserit: quod si in orbem globetur, staphylen. Sunt & in collo nerui utrinq́ ualentes, sine quibus sustinere caput non possent ceruicis uertebræ, tenontes uocantur ab rigore. Celsus libro octauo, cerotas nũcupat. Qua in parte Hermolaus Barbarus, uir singularis ingenij, & doctrinæ multifariæ deluxatam, subdititiamq́ dictionem arbitratus, ea expuncta substituit ipse tenontas pro cerotis. Ego & si primæ notæ uiris semper assurgo, publico tamen bonarum literarum emolumẽto, non tenontas sufficiendum puto, sed carotas, aut caroticos: & id magnis fultus auctoribus. Siquidem in libro De iuuamento anhelitus, auctor Galenus est, Caroticas appellari uenas quæ in collo sunt, quas si quis comprimat, corruat homo dormienti assimilis, sequaturq́ corporis totius immobilitas, unde & inditum nomen. nam κῶφος Græce soporem signat, ac ebrietatem. Sed & apud Apollonium in argonauticis uertiginem, ut alibi probabimus. Chalcidius in Platonis Timæum, inde dici caroticas opinatur, quod uulnere impacto mortem afferunt soporiferam, perq́ eas spiritum ad caput ferri, unde sint sentiendi initia. Caroticas item uenas non ignorauit tertio De animalium historijs Aristoteles, & qua scindũtur primũ sphragitidas appellari scribit, ideſt iugulares, ut Theodorus uertit. Adde, quod libro quarto idem Celsus ita scribit: In dextera sinistraq́ circa guttur uenæ grandes, quæ sphragitides nominantur: itemq́ arteriæ, quas parotidas uocant, sursum procedentes ultra aures feruntur. Vt quis interpretari possit, corruere hominem non tam uenarum compressione, quàm etiam neruorum istorum oblęsione, quando eadem habentur parte ac situ. Aut si non ab affectu, ab conuicinia factam sciat nomenclaturam. Erat & in Citheronis uertice uno Sphragitidum nympharum antrum cum oraculo. Spiritu afflabantur diuino incolarum multi, quos nympholeptos uocabant. Caro tica pharmaca legimus item, quæ anodyna uocant, & sensibus stuporem inijciũt, cuiusmodi esse Philonis dicitur, & quæ trigona nuncupantur, id est τρίγωνα. Nicandri interpres nocat, inquit, id est νῶκαρ, est caros, siue sopor, quasi νῶ κάρωσις. Sed redeo unde sum digressus. Antiadibus subest os, quod ὑοειδὲς uocant, ab literæ imagine. Herophilus, quia assistat antiadibus, parastatem nominauit. Eodem nomine testiculos dici, probat Athenæus. Sunt porrò itinera duo, alterum asperam uocant arteriã, alterum stomachũ, ut putat Celsus. Arteria exterior ad pulmonem pertinet, stomachus interior ad uentriculum, qui dicitur ἡ κάτω κοιλία, illa spiritum, hic cibum recipit. Lactantius spiritalem, & cibalem uocat fistulam, sed gurgulionem etiam canaliculam alij, qua commeat spiritus. Quem Celsus uocat stomachũ, alij gulam, sicut arteriam guttur, Hæc corpore constat chartilaginoso: neque enim spirandi tantum causa est, sed etiam uocis. Quod autem sonet, leue ac solidum esse oportet. Gula uerò ex neruo constat, & carne: ex neruo quidem, ut extendi possit, ingesto cibo: ex carne, ut mollis sit & cedat, nec lædatur defluentis cibi asperitate. Arteriæ item caput larynga uocãt Græci, hoc est guttur, quod approbat Theodorus quoq́, & antea docuerat Galenus, partẽ uerò ante larynga & œsophagum pharynga nuncupant Græci ijdem: in quo significato, Galeno tradente, dicatur Homero quoq́, ubi per pharynga uinũ & humanas carnes eructatas cecinit. Pharynx, inquit Thomas magister, est qua commeat uox. Larynx, qua cibi, ut ex Aristophane liquet in Batrachis. Laryngizo tamen non ad cibos refertur, sed ad sonantiorem uocem, Quin stultus loquutor, Laryngus uocatur. Sunt qui guttur item aspharagum uocẽt: sed

ſpharagum ſcribere maluit Apion grammaticus. Nam Theophraſto aſparaga eſſe uidetur aſparagorũ locus, quem corrudam dixerit Cato. Spongias holitores uocant aſparagi radiculas illigatas & connexas. Epiglottida uocant minorem linguam, nunc conniuentem, nunc reſurgentem, quæ duabus ſit interpoſita fiſtulis duplici opere: nam inter epulandum operit arteriam, ne ſpiritu ac uoce illac meante, ſi cibus potus'ue in alienum deerrauerit tramitem torqueat. Vbi uerò ſpiritus tantum, aut uox cõmeat, gulam integit, ne reſtagnatio intempeſtiua alui obſtrepat. Stomachi nomine Plinius poſtremam gulæ partem accipit, cui mox adnectatur uenter. Nerui in ſtomachi lateribus uocantur toni. Vbi cohæret ſtomachus uentri, dicitur os uentris magnum. Oeſophagus etiam ſtomachi appellatio eſt, de quo dictum eſt. Sed iuniores barbare iſophagum uocant, quo nomine gulam intelligunt, qua defluat in ſtomachum cibus, ubi etiam conficiatur. Lactantius hanc partem aluum appellat. Plinius alui nomine accipit eam portionem, in quam medio adnexam umbilico delabãtur cibi iam in uentre percocti. Qui ſit terreſtrium quibuſdam denticulatæ aſperitatis, alijs cancellatim mordacis. At Galenus, Os uentriculi, inquit, ut ueteres κραδίαν appellabant, ita noſtra tempeſtate ſtomachus uocatur, id eſt gula. De eo, libro De animalibus decimo, ſic prodit Auicenna: Stomachi ima eſſe carnulenta, ut inde ad concoctionem uberior ſuppetat caloris uis. Os uerò neruoſum haberi, ut exactior ſit ibidem ſenſus: illuc uerò ab medulla commeare neruos magnos, ut ſentiatur fames, & inanitio, qua obueniẽte, expergefaciat animam. Perficit uerò cibos ſtomachus, tum inſiti caloris poteſtate, tum aduentitij, adiacentibus ſplene ac iecore. Vbi uerò inciſos ferro uictimarum ſtomachos, Homerus canit, non utique pars quam præſtruximus intelligẽda, ſed eius tempeſtatis more, infima gutturis, bronchiq. Stomachi θύμεθλα quũ audis, gulæ intima intellige, aut uentris os. Auctor Paulus Aegineta, ſtomachicos dici non continentes cibum. Aſam ſtomachi, & ſtomachum ἀσώδη uocant rei medicæ periti, quum cibi nimietate inoritur alimoniæ faſtidium, ab uerbo ἄσαι, quod ſatiare indicat. Quia uerò ſtomachi hoſtium cardiam uocant Græci, in ſtomacho eroſiones factas cardiogmos nuncuparunt: etiam ſi non deſunt, qui eo nomine cordis tremores malint intelligere. Stomachi pladon accipimus lentores ea parte putres, aut ſimplicius humores aquoſos: ſic & in ulcerum ratione Therapeutices quarto pladon intelligit Galenus, quo præpeditur curatio, ſi περίττωμα, id eſt excrementum producat. Idem Galenus libro quarto De accidente & morbo ſcribit, os ſtomachi præcordia nuncupari. Plinius multa ſtomachi præcordijs prodeſſe tradit. Stomachum pituitæ lacunam eleganter uocat Meſue, de copia humoris eius, inibi affatim ſuccreſcentis.

Inteſtinorum ordo, & uocabula. De lactibus choladibus & meſenterio. Meſarchus, meſochorus, Omentum quid: item enterione, & enterionis: ecphyades, paraphyades. Allium cur ruſticorũ theriace. Haliamenta. Peritonæum. Syntexis inteſtinorum. Ileos morbus, ſeu uoluolus, aut chordapſos. Splanchna. Chordæ. Orya. Caput XIIII

AB uentriculo excipiunt inteſtina, ex quibus pleraq; multis implicantur orbibus, ne ſemper adſit cibi appetentia, ne'ue alimenti inopia perpetuò fameſcamus. ideo cauit artificis prouidentia, ut inibi moram duceret nutrimentum, donec iecur neceſſaria ſeuocaſſet, ſicuti docuit Auicẽna. Alioqui edendi deſiderijs ſemper infeſtaremur. Ergo ima uentriculi pars paululum in dexteriorem conuerſa partem, in ſummũ inteſtinum coarctatur. Id pylurum Celſus uocat, quoniam portæ modo in inferiores partes, quæ excreturi ſumus emittit. Græcè apud Pollucem ſcribitur πυλωρός. Galenus pylorum eſſe ita nominatũ ſcribit, ſiue pro ima uentriculi parte, ſiue pro inteſtino huic adnexo accipiatur, ut ueluti ianitor iuſtus nihil permittat exire, quod non fuerit prius in chylum conuerſum atq; concoctum. Talem autẽ chyli bene concocti ſubſtantiã certum eſt per pylorum ad inferiora deduci, non ut excernatur, ſed potius ut intra corpus retineatur, ui hepatis in ſanguinem tranſmutanda, ex quo omnia membra debẽt nutriri. Quo nomine libro De utilitate partium quinto, aperte pronuntiat, inteſtina non eſſe ſuperfluitatum excretionis, ſed alimentorum potius inſtrumenta. Illud ſciendum: ab Galeno & Auicenna, pylorum, ſeu portonariũ, ut recentiores uocant, inter gracilia non numerari inteſtina. Sed ex illis primum uocat Galenus, ἔκφυσιν, id eſt

id eſt exortum, quia ex pyloro primum exoriatur, aut dodecatylum, ſeu (ut nunc dicimus) duodenum ab digitorum menſu duodecim. Omnino pylorum in imo ſtomacho foramen accipiunt, cui primum adnectatur inteſtinum. Ieiunum quod uocant inteſtinum, dictum Græce neſtis, id eſt νῆσις: quoniam minus implicitum nūquam quod accipit continet, ſed ad inferiora protinus tranſmittit. Inde tenuius ſequitur inteſtinum in ſinus uehementer implicitum, qua ex cauſa uocatur à Græcis ἕλιγμα, quia ἑλίσσειν ſignet circumuoluere. Helicem Ariſtoteles dicit, id eſt clauiculam. ἕλικα uero dicunt Græci reuolutum pampinum, hederę ſpeciem Dioſcorides. Nam ἑλίκχυσον hederæ uocant florem, ἄνθος ἑλικχύσου γαλίγκιον. Hæc tria Plinius lactes uocauit, in homine & oue: quanquam Suetonius in Vitellio, murenarum lactes etiam uocat: ſicut Spartianus, in lupis quoq; quibus ruſticos pauerit Heliogabalus. Quidem lactium nomine, pinguia intelligunt inteſtina, ut inquit Probus: unde apud Perſium, Lactes uncti. Quidam etiam membranas, quibus mutuo nexu implicentur inteſtina, quæ χολάδες item dicuntur Græcis, quoniam in ea corriuetur χολή, id eſt bilis, quam uocant xantham, id eſt flauam, quæ ex calfaciens acrimoniaq; iritans, uelut pruritu ad ſuperfluitatū excitet egeſtionem, ut ipſi interpretantur. Porrò ieiunum inteſtinum Varro hilam ſiue hiram uocauit, ab hilo, hoc eſt minimo: ſic enim uocatur, quod grano fabæ adhæret. Meſenteriū dicitur, quo lactes inuoluuntur, ne contactu ſpinæ duro lædantur. Pollux autem ſic: Meſenterion pellicula eſt ex uenarum, neruorumq; complexu, rhenibus ac uentri proxima, alimentū in hepar emittens. Macrobius meſenteron pro inteſtino accipit, ita diſtribuens, Inteſtina principalia tria: unum diſſipium uocatur, quod uentrem & cætera inteſtina ſecernit: alterum medium, quod Græci μεσεντέριον dicunt: tertium, quod ueteres hiram uocarunt. Cuius auctoritatis fulcro communitus miror minus, Theodorum lactes pro meſenterio accepiſſe, etiam ſi ab Hermolao plurimum uellicetur. Dici uero meſenterion in Anatomicis libris Galenus ſcribit, quod in medio ſit inteſtinorum collocatum. Sicuti & meſarchon uocant item Græci, quoniam omnes quæ ad ipſum ex hepate uenas feruntur, una cum adiacentibus arteriis circunquaq; ambit & complectitur. Meſenterion Latinè mediannum recte dixeris. At meſochorum intelligimus, qui in turbæ medio ſtans reliquis ſignum proponit uel laudandi, uel quidlibet agendi aliud. Apophyades apud Ariſtotelem ſunt inteſtinorum appendices. Sed & ecphyades dicuntur quandoq;. Sunt & in pedibus plerunq; paraphyades, quas uelut ſurculos dixeris, & propagines. Sunt qui affectionem quandam ad meſareū pertinere autument, uocentq; ita laborantes meſaraicos, quod cibum animaduertāt per uenas meſareo & meſenterio intextas tranſmitti de more haud poſſe. Iecur quippe meſarei uenis perinde utitur ac manibus: quæ ex uentriculo ſuggerant ei cibum. At ij falli uidentur, ſi medicis credendum eminentiſsimis eſt, ueluti ſi manus eorum, quos ſyncope proſtrauit, cordis aut gulæ uitio, affectas arbitrere, quod conſueta ceſſet functio. Sed ad tenue inteſtinum redeo, id in duos deſinit fines: alterum uocāt colon, & uentrem inferiorem, quem Homerus nięram nominat, hoc eſt νειαίρω: iacet autem dextra potiſsimum parte ad hypocondrium, & quia ibi ſit maxima dolorū cauſa putant grammatici inde λοιμάζεσθαι uerbum deflecti, quo ſupplicij ſignificatur irrogatio. Quod uerò tenui cohæret inteſtino, cæcum uocatur inteſtinum: ideo ſic nuncupatum, quod à dextra parte incipiens, in ſiniſteriorem peruium & longum eſt, in dexteriorem non eſt. At id quod peruium eſt, late fuſum atq; ſinuatum poſt multos anfractus denicq; dextra recuruatum in imo dirigitur qua excernit: & proinde ibi rectum uocatur inteſtinum. Plinius parte infima colon cōſtituit, quod Latinè uocetur ile. Longanonem dicunt aliqui inteſtinum, quod ἀπόνθισμόν uocant Græci, nos etiam rectū, ut diximus, id craſsiori inteſtino ſubeſſe, Pollux ſcribit, quod colon uocant, ac in ſedē deſinere. Omnia uerò hæc cōtegit omentum, id eſt ἐπίπλοον, ex interiore parte leue ac ſtrictū, ex ſuperiore mollius: cui adeps quoq; innaſcitur, qui ſenſu item ſicut cerebrū & medulla caret. Omenti nomine membranā quoq; cerebro circūiectam intelligit Macrobius, quam & ueſtitū uocat. Tunica, inquit Pollux, ab renibus ad omnia quæ digeritur inteſtina, nuncupatur peritonæū. Deniq; inteſtina Græce dicuntur γάστραι: unde enterione, lignorum quorundā medulla, quæ tibijs faciendis, aut id genus alijs eximi plerūq; ſolet. γαστεωνίς apud Ariſtotelem γυαίλια ſignat, id eſt nauium interna: aut ligna, quæ ab carina conſur

gunt: ἐντερόνδαι pronuntiant alij. Entera ἕλμινς dicuntur terreſtres uermiculi quidam. Dyſenteriam Galeno interprete dicimus, non modo ubi exulcerantur inteſtina, ſed & eam quæ cruenta ob excretorum ſpeciem nominatur. Splanchna uocant Græci interanea, extorum nomine Latinis celebrata, cuius eſt modi cor, pulmo, iecur, & ſi qua porrò fuere uaticinijs deſtinata: hinc ſplanchnica leguntur medicamenta. Dignum relatu: Quadrupedum interanea chordas dici quandoq; Græcis, ſed & ouium craſſius inteſtinum: unde eſt apud Alexim chordarium, Athenæo referente, forma deminuta. Haſce chordas etiã oryas dixit Epicharmus, cuius fuit drama item Oryæ titulo. Syntexis inteſtinorum eſt morbus, ubi ſeſe promunt excrementa, cibo minus percocto: ut ex Aegineta Paulo dilucet. Nec ab inſtituto diſſentaneum ita fuerit, ſubnotaſſe illud quoque: In ſublimioribus inteſtinorum partibus euenire quandoq; dolores eminentiſſimos, grauiter uomitu infeſtantes, nõnullis deniq; ſtercus etiamnum reiectantibus, ut uix unquam euaſerit quiſpiam: εἰλεὸν, hoc eſt uoluolum, uocant: nonnulli etiam χορδαπὸν, quum ſe tumor oſtentat aliquis in tenuium inteſtinorum portione, ut uideatur ſpiræ imaginem præferre inteſtinum. Ab inflammatione autem uel aridi ſtercoris obſtructione uſu uenire id, deprehẽſum ueteribus eſt. Meminit poſt alios etiam Paulus Aegineta, mortem huiuſmodi uocans οἰκτίσλω, Medicinæ tertio. Et quia de colo actum paucis, non inſuper habenda quæ ad id ex Græcorum prompta theſauris nuper ſunt: Ruſtico intentum operi, ubi colica grauius affectio infeſtare adorta eum eſt, remedio uſum hoc genus: nam extra morẽ ſe primũ præcinxit, mox & cum pane allium eſitando uentri ſatisfecit, ac malo intulit leuamentũ: ſic, uti ex ijs quę adſuerat, nil omnino interpellatũ omitteret. Interdiu uero bibebat nihil, in ueſpera autem meracius, ac ſomno fuſim nocte tota perfruebatur, ita ut mane conſurgeret ἀνώδυνος, id eſt citra doloris ſenſum. Ex quo, inquit duodecimo Therapeutices Galenus, ἐγώ γε τὸν ἀγροικῳ θηριακὸν ὀνομάζω τὸ βρῶμα. id eſt, ego agreſtiũ theriacen nuncupare ſoleo cibum hunc. Et ſi Thracas quis, aut Celtas, uel omnino frigoribus obſeſſa incolentes eſu eiuſmodi auertat, inſigne prorſum intulerit nocumentum. At, inquit Ambroſius, mirum eſt, allio delectari homines, quod fugit leopardus: nam ſicubi parietes litu infeceris, exilit protinus, nec reſiſtit. Cuius tamen uenata fera odorem non patitur, in menſam admittunt plerique, ac internis infundere uiſceribus non deſinunt. Sed doloribus, dicat aliquis, medetur quandoq;: ſit ergo medicamentũ, non cibus. Condimentorũ haliamenta legimus apud Hieronymum. Scribunt Græci, lege cautum, uti qui allio ueſceretur, ſacrarium Matris deûm ne ingrederetur. Eo neglecto quum intraſſet Stilpon, per quietem oblata eſt ei deæ ſpecies coarguentis quòd legem exculcaret, & philoſophum profeſſus. At is inſuſurrare eſt uiſus, Da quo ueſcar, & allijs abſtinebo.

Pulmo qua naturæ prouidẽtia factus. Cur Latini & Græci pulmones quandoq; dicere malint, quàm pulmonem. Sitis ratio naturalis. De branchijs piſcium. Qui pneumonici, ſeu pulmonarij. Brachea, id eſt breuia. Pulmonea. Pulmones cur dicantur rudes, & inſulſi. Aer peſtilens cur cibis inficiat prauius. Brucorum feſtum.

Caput XV

Dilcebamus in præcedentibus, meatuum quos in collo recognoſcimus, unum ad uentrem produci, ad pulmonem alterum. Et iam prioris ratione cum inteſtinis omnibus, ut noſtra tulit imbecillitas, executi ſumus. Nunc conſentaneum uidetur reliqua perſequi, ordientes ab pulmone, quod eſt aeris conceptaculum, & ſpirandi artifex officina, unde alitur anima, ſicuti cibis corpus. Eſt igitur deſtinato muneri ita contemperatus pulmo, ut eſſet natura ſpongioſus, & fiſtulis inanibus cauus: ideoq; ſpiritus capax. A tergo ſpinæ ipſi iungitur, atq; in duas fibras ungulæ bubulæ modo diuiſus: propterea Cordubenſis Moyſes Aphoriſmorũ particula prima, Eſſe pulmonem ex ijs ſcribit, quæ duplicia ſunt, quamuis unitatis ſpeciem præferant. Et primo De animalium hiſtorijs Ariſtoteles, eſſe (inquit) bipartitus pulmo omnium expetit, uerum in ijs quæ animal generant, diſtinctio nõ æquè apparet. minimeq; in homine. eſt enim hic ſimplicior, nec ita multifidus, ut nonnullorũ procreantium animal eſt. Cæterum ad pulmonis media delabens panniculus, quem iuniores mediaſtinum uocant, manifeſto diſtributionẽ eius in duas quaſi alas indicat, ut auctor Albertus uidetur comprobare

probare. Ratio autem est, corporis in dextrum sinistrumq; partitio: utrunq; enim sibi simile exposcit. Addit Auicenna, datum eum ab naturæ ingenio sagaci, ut si in parte una sese ostentarit affectio, nihilo minus citra noxam altera corpus anhelitu recreet ac confoueat. Quæ causa, inquit, etiam duplicauit aures, oculos, nares. Proinde alterutram partem pulmonis bifariam etiamnum, si attendas, distribui, ac duos præferre lobos, ut affecto uno, supersit alter incolumis. Ex ijs quæ astruximus, manifestum fieri arbitror: cur Plato in Timæo, & Aristoteles quandoq; pulmones multitudinis numero dicere malint, quod & Plautus in Curgulione facit, & De natura deorum libro secundo M. Tullius. Sed grammatici intra pelliculam se continentes, ista minus pensitarunt. Sicuti uel Sophoclis interpres in Trachinijs, qui πνεύμονας à poeta pro πνεύμονα dictum pronuntiat, obseruationis huius incuriosus. Qui pulmonem sanguinis expertem dicunt, ex me dicorum sententia falli uidentur, quia in dissectionibus nusquam appareat: sed perire illum, certissimum est. Contineri uerò sanguinem, quum uenis magnis, quæ in eo deprehendantur, tum substantia ipsius, eo tamen interstitio, quod qui à uenis pulmonis profluit sanguis, fluitantem modo spumam habeat: qui autem ex substantia demanet, ubiq; sit spumosus, summo, medio, imo: quoniã propior est alendo pulmoni, qui omnino spumosus est, atq; inde bene digestus, quiq; mox in pulmonis transeat substantiam aptior. Spumosus uerò pulmo est, simul aeris copia, simul quia bilioso sanguine cõnutritur plurimum. Quæ pulmonem, inquit Aristoteles, sanguineum habent, caloris excessu, qui in eo ipso membro continetur, sitibunda præcipuè omnium animalium sunt. Quæ uerò non sic, parum bibunt, quoniam fungosum pulmonem habeant. Porrò philosophi pulmonem cordis uocant flabellum ac uẽtilabrum, quo calorem cordis refrigerari, necesse sit. Omnia quę spirant, tradente Aristotele, pulmonẽ habent: ideoq; piscium nulli pulmo inest, sed pro eo branchiæ. Quanquam non me fallit, ab Aristotele Plinium dissentire, dum posse piscibus ineſſe scribit uiscera alia quæ sint pulmonis analoga. Sed in libro De morte & uita, philosophus idem probat amplius, nullũ esse animal, quod pulmonem simul habeat & branchias: quoniam sit pulmo respirandi organum ad cordis euentationem, aere attracto. Branchiæ uero instrumentum aduocandæ destinatum aquæ ad idem opus: cui unum per se membrum sufficiat. Et enim quia ab natura nil frustra produci consueuit: quum una sit satis omnibus euentatio, aut ex aere proueniens, aut ex aqua: unum tantum ad hoc constitui debet membrum, non duo simul. βραγχια, id est breuia, ad branchias pertinent nihil. meminit uocabuli, ut cæteros faciam missos, historia secunda Thucydides, αἱ δὲ ἐς βραγχια χωρίων ἀπωσείας ὠκείλαν. id est, nauium aliæ per imperitiam locorum in breuia sunt impactæ. Breuia legimus apud Melam Pomponium. Addamus etiam illud ex Agricolationis libro Græco: Brucorum festum ueteribus celebratum octauo calendas Decembris, id est Ἡ Βρυκῶν ἑορτὴ. Ab hoc uero spirandi usu apud Græcos pulmo nomen habet, dictus πνεύμων: unde & pneumonia, siue peripneumonia nuncupatur pulmonis inflammatio. Qui ita affecti sunt, pneumonici uocantur à Plinio & Celso. Pulmonarios nõ inscite interpretari possumus, Columella docente. Ex spirandi autem ratione id internoscimus quoq;, infectum aerem corruptumq; magis longe nocumentum inferre ac conficere celerius, quàm ingesta alimẽta itidem non syncera. Hæc enim uitalibus non insinuantur protinus, ni concoctione mutata, unde mi tescere prauitas potest. Aer autem ad cordis & pulmonis euentationem pertractus recens assidue, ac inde per latentes meatus uniuerso obrepens corpori uim afferre letiferam confestim ualet. Quoniam uero pulmonem esse cordis culcitram, scribit Auicenna, iure caput sequens illi dicabitur, si illud commonuero prius, Esse inter mala, quæ pulmonea dicantur stolide tumentia, ut inquit Plinius, quo argumento factum opinor, ut rudes insulsiq; homines, pulmones item dicantur.

Cordis ratio. Item de uẽtriculis cordis disceptatio non inelegans. De ignea ui promẽte se ex corde, unde effingãtur sensus. Thalami. Diribitoria. Plinij loca expenduntur nonnulla de ratione cordis. Accipiter ab Aegyptijs cur dicatur βαιήθ. Cor paruum cur audaciæ signum. Cap. XVI

COr in utero naſcentibus formari primum, traditum ab naturæ prudentibus eſt: ſemen quippe maris in uulua conceptum reſoluitur in ſpiritum: hic uerò menſtruo ſeſe inſinuat humori, atq; ibi domicilium quodāmodo ſtruit, quod eſt cor. Sed & ibidem mox reliquorum conſurgit generatio. Eandem porrò & exanguium eſſe rationem uolunt, in quibus non cor quidem, quod illis abeſt, ſed cordis analogon producitur primo. Auctor nobis Aurelius Auguſtinus eſt: Humanū corpus ex quatuor compingi elementis: in carne uerò & oſſibus terram præcipue fieri perſpicuam ob terræ ſoliditatem: in humoribus aquam: aerem in pulmone, proinde in motu eſſe perpetuò, quoniam cordis ſit uentilabrum calori contemperando, ne inde illud amburatur: ignis in corde ſiquidem domicilium eſt. Quo argumento infra latum eſt, ſuperioribus ſeſe faſtigantibus, quæ ſua eſt ignis figura: ex corde uerò ignea uis aere temperata cerebrum ſcandit, ceu noſtri corporis cælum, inibiq; expurgata et percolata quodammodo per ſenſuum ſeſe organa promit, ac extimorum cōtactu formata quinq; corporis ſenſus effingit. Cæterum uis eadem ſic in ſenſoriis conformata, naturæ potentia introrſum reuocata, cellam petens phantaſticam imaginatio efficit, quæ ab capitis priore parte in mediana tranſiliens rationalis animæ ſubſtantiam contingit, ac diſcretionem excitat attenuata eatenus, ut ſpiritui mox coniungatur, uere nihilo ſecius corporis naturam ſeruans, & proprietatem. Eſt uerò cor, ut Galeno tradente condiſcimus, omnium uiſcerum & membrorum corporis radix prima, uitæ, caloris innati ac uitalis fons. Id, ut Peripateticis placet, ita ſe in humano corpore habet, ſicuti in orbe intelligētia prima, & eſt ueluti quidā microcoſmi rex nobilior. proinde eſt illius ſubſtantia ſolidior duriorq;, quum ut affectionibus nocumētisq; minus foret obnoxium, tum ne ſpiritus calorq; uitalis omnino euaneſcerent nullo cohibiti ſolidamento, ſed raritate mollitieq; efflati. Quod tamen non contigiſſe, fatendū eſt, ex terreſtris firmitatis redundantia, tunc enim nimio plus areſceret: neq; ſanguinis concretione ſola, ut in aliis, nimis nanq; ſic remolliretur, quod in hepate perſpicuum fit ac ſplene: ſed caloris præpotentis ui globantis denſantisq; mutuo partes eius. Locus uerò ac ſitus eius ſedem obtinet principalem, in medio nanq; poſitum eſt, ad ſuperna tamen amplius, quàm ad inferna, itemq; in antica uergens, magis quàm in poſtica: quippe nobilibus nobilem quoq; ſedem elargitur natura, ni grauius quid offecerit præpedierit'ue. Venarum eſſe principium cor, liquet ſimul ratione exuberantis ibi caloris, ſimul quia cum per cætera uiſcera uenæ tranſigant, nulla per cor tendit. Porrò mediana cordis ſpiſſa cauaq; ſunt, plena etiam ſanguinis, ueluti ducant inde initia & uenæ: ob idq; excauatum intus, ut ſanguinē contineat, utq; caloris ſeruare principium queat. In hoc abſq; uenarum cōceptaculis ſubſiſtit ſanguis: in reliquis ferè ſinu uenoſo continetur. Sed recte utiq;, nam ex corde corriuatur in uenas: at in cor necunde profluere, perſpicuum eſt, qua quidem exanatome, qua quod in generatione cor conſiſtit primum, ſtatimq; ſanguis ſcatere animaduertitur. Motus etiam triſtitiæ ac lætitiæ, denicq; omnium ſenſuū hinc oriri, eodemq; deriuari, Peripatetica conſentit ſchola. Præſtò eſt & ratio, quoniam principium eſſe unum oporteat, quatenus fieri ualeat. Aptiſſimus uerò inter omnia locus eſt medianus, mediū quippe unū eſt. Extrema cordis in mucronem turbinantur firmiſſimum. Homini tantum paulò uergit ad læuam, ut eius partis frigus cōtemperet. Huic ſiquidem inter cuncta maximè frigent ſiniſtra. Copia item neruorum in corde eſt: hinc enim motus oriuntur, qui intenſione remiſſioneq; conſtant. Cor ſine oſſe eſt in omnibus, equis modo & bobus exceptis. Magnitudinis id exprimit ratio, ut ſit adminiculi loco, cui innitantur. Vētriculus ineſt triplex animalium cordi prægrandiorum, duplex minorum, unus poſtremo. Dexter ſanguinem habet plurimum & calidiſſimum, quamobrē pars item dextra calidior. Siniſter modicum, eumq; frigidiſſimum. Medius tum copia, tum calore mediocrem, ſed puriorem. Cæterum commonendi parte hac ſtudioſi omnes, Iulium Pollucem ſecundo Onomaſtici, uentres tantum in corde duos agnoſcere, quos ipſe κόλπους uocat, id eſt ſinus: item κοιλίας, id eſt uentres, quibus ſanguis inſit & ſpiritus: ſed ille exeat per uenas, per arterias hic. Verum qui in ſiniſtra, inquit, craſſior eſt, ut qui ſpiritus ſit conceptaculum: dexter uerò tenuior quidem, ſed ſpaciis latior, unde ſanguinis profunduntur riui. Quid ergo, dicetur'ne hic ut grammaticus, toto (quod aiunt) cælo aberraſſe? eumq; cum Philoſtrato in Cerītum tabulas

bulas reiiciemus? Minime uero: nam Celsus idem quoq; ait, & primo Colliget Auerrois, cordis statuit cauitates tantum duas, & utiq; amplas: in dextra unam, in sinistra alteram, inter utranq; uero meatus solum. Quin & Rasis ad Almansorem duos modo finit uentriculos. Sed nec Galenus in meditullio cordis uentriculum recipit, sed meatum, uel foueam. Immo uero & in libro De anhelitus emolumento, apertam aduersus Aristotelem dirigit aciem, qui tres statuerit uentriculos, quum sensu sit deprehensum, duos modo esse: à quorũ altero uena propagetur magna, ab reliquo arteria. In paruis autem animalibus unum tantum esse. Propterea miror Plinium scribere, In maiorum animalium corde triplex uisitari specu: in nullo autẽ non geminum. Hosce uentriculos in libro De sensu & sensili Aristoteles etiam thalamos uocat. Nos decenti metaphora, & diribitoria possumus nuncupare. Illa uero digna prorsus quæ non prætereantur: Quæ hebeti sensu sint, cor habere durum & spissum: quæ autem sensu ualent, mollius. Et quia cor, ἀπλαγχνίαν Græci ueteres dicunt, ἄπλαγχνον legimus apud Sophoclem pro timido & abiecte frigido: sicuti contra, εὔπλαγχνον pro uirili ponitur, ac strenuo. Audacia, inquit Plinius, creduntur, quibus paruum: pauida, quibus prægrande. Sed cur nam sic? Nempe, quòd affectus quem producit metus, iam ijs ineſt, quoniam calorem proportione cordis non habeant. Verum caloris parum in magno exolescit cõceptaculo: proinde sanguis frigidior item comperitur. Idem in uenis & uentriculis cordis obuenire fere liquet. Sunt enim frigidiores uenæ ampliores, & eodem modo uentriculi. Porro alieni motus calidum refrigerant. Plus autẽ spiritus in amplioribus est, magisq; ualet: quam obrem nullum uenis grandioribus, aut uentriculis obesum, opimũq; euadit. Approbantur hæc ferè ab Auicenna, tum in Canone, tum De animalibus tertio & decimo uolumine. Opinantur Aegyptij, animæ conseptum esse cor: qua ratione quum accipitris nomine indicari animam putent, illum uocabulo gentilitio Βαιήθ nuncupant, quod animam signat & cor: siquidem Βαϊ anima est, ηθ uero cor. Hieroglyphico argumento adijciunt, accipitrem aquam non bibere, sed sanguinem, quo & cõnutriatur anima. Idem porro cor signare uolentes, ibim exprimunt, quæ Mercurij creditur propria, cordis domini, ac λογισμοῦ. Sed & per se ibis, cordis imaginem præfert. Cor inter uiscera omnia nullam prorsus affectionem sentit: & iure id quidem. nam quod principium est, ipsum citra noxam seruari debet, ne illo uitiato, corruant reliqua. Scribunt Græci, Hermogenem, cuius De rhetorica libri extant, multum præferentes ingenij lumen, cor habuisse hirsutie ac magnitudine extra mortalium reliquorum rationem insigne. Idipsum ferè de Leonida in Parallelijs Plutarchus prodidit. Idem de Aristomene Messenio Plinius. Repetitum quoq; scio ab Maximo Valerio memorabiliũ primo. At periti naturalium risu id excipiunt, fabulosum opinati. Propterea in carmine Homerico λάσιον ἦτορ, non densum pilis cor accipi putat Eustathius, sed prudens, ὃς τὰ λασιὰ βλασάνει βουλύμασι, uti est apud Aeschylum. Quanquam, inquit,, ex historia in quibusdam repertum sit pilosum cor, ut in Lysandro necnon in Alexandri cane. Illud uero Platonis, ἔχων τὰς ἀνδραποδώδεις ὧν ἡ ψυχὴ τρίχας: id est habens in anima seruiles pilos: in fatuitatem rudem scomma est, quod de seruorum ducitur tonsu, qui appellatur Thrix seruilis. Sicuti rident item, quod duplicatum in quibusdam animãtibus dicatur reperiri cor, quod Plinius recẽsuit: principium etenim unũ modo esse debet, ut ante docuimus. Aut quod quibusdam defuerit uictimis: hæc enim citra possibilitatem dici. Quando, ut Peripatetici s traditum scimus, corde carens nullum unquam animal ortum est. Sicuti neque item iecore: quanquam quod non totum haberet, iam innotuerit. At, ni mendum exemplarium est, hoc carens uiscere cõpertum quandoq; pronunciat Auicenna. Aeque dictari inepte putant, augeri id per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis accedere ad quinquagesimum annum, ab eo detrahi tantundem, & ideo non uiuere homines ultra centesimum annum defectu cordis. Quam rem Aegyptiorũ doctrina contineri, Plinius idem auctor est.

De iecore, pancreo, holcymo, olco, holco, ac felle. Plinij locus explicat. Item ratio lõgioris breuioris q; uitæ. Augustini Barbadici historia. Fissum iecoris quod sit. Cicero explicatur: Hepatici qui, & unde fiant. Fellenus deus. Hepatus piscis, Hepation. Lucilij locus perpenditur. Cap. XVII.

OMnibus igitur quæ ſanguinis expertia non ſunt, duo comperimus neceſſaria in primis, cor, & iecur, & cor quidem caloris ratione: locum enim adeſſe aliquem, quaſi lares focumq; oportet, quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur ſeruenturq; eundemq; tutum eſſe, ueluti arcem corporis totius, neceſſe eſt. Iecur autem membrum (ut Plato inquit) nobiliſſimum, concoctionis cibariæ gratia contributum eſſe, dilucet. Illud uerò ex Galeni doctrina eſt, Ex ſpiritu reſoluto ab hepate in toto effici corpore appetentiam oblectantium ſeruantiumq;. Hinc parti huic præfici Veneris ſtellam, ueteribus eſt traditum: dici quoq; iecur, quod iuxta cordis uires poteſtatem exerceat ſuam, uelut illi aſſidens in excitanda ui appetitionis, quæ ad uitæ pertinet fomenta. Nec citra appetitionẽ animal eſſe ſentiens queat. At animato ſpiritu exhalante ab felle, indignationem ubique cooriri. Vnde prodit Plinianum illud ex libro undecimo: Ex felle, inquit, & in mores crimen bilis nomine, adeo magnũ eſt in hac parte uirus, quum ſe fundit in animum. Sed quid bilis uocabulo propriè intelligendum, in capitis fine inſinuabimus. Auenzoar eo libro, quem ſuprà aduocauimus, prodit, Hepar eſſe per ſe membrum maximè præcipuũ, cuius maximi pernoſcantur effectus, non aliunde deducta uirtute, ſed ex ſeipſo propagata. Quòd ſi uita nobis cõtingat optabilis, et optima, iecoris id uirtute fieri, auctore Hippocrate. Galenus & medicorum ferè uniuerſa ſchola, iecur eſſe præcipuum ſanguinis organum ſtatuunt, & uenarũ principium: ſiquidem meatibus ſtomachũ & iecur interiacentibus aſcendens chylus ad ſanguinis formam diſponitur, mox ubi hepar paratum exceperit chylum, ac uelut ſubfigurationem quandam obtuſam, ſanguinis modo ſpeciem à ſubſeruientibus ei meſeraicis adeptum, ſuperinfert ornatum, uimq; ad perfecti ſanguinis percoctionẽ cum ſuperfluitatum excretione. Habet item iecur principatum uirtutum circa nutrimentum operantium, quoniã ſit naturalis uirtutis fons. Admirabile eſt, quod hac parte referendum cenſuimus: Quum Venetijs Auguſtini ducis ex Barbadica gente diſſecaretur defuncti cadauer, ut eximerẽtur interanea, in hepate inuentus eſt lapis propè cyſtin fellis, magnitudine grandioris oliuæ, coloris ſerpentini in nigredinem tendentis. Iecur porrò intrin ſecus cauum, extrinſecus gibberum, quod prominens leuiter uentriculo inſidet: & in quatuor diſtribuitur fibras. Quanquam uerò quandoq; repertũ ſit animal liene carens, uel duplicem habẽs, item altero uacans rhene, quod tamen toto careat iecore, necdum eſt compertum, etiam ſi partem deeſſe, ſit adnotatum: cuius rei auctor Ariſtoteles eſt libro De animalium generatione quarto, uti paulo antè commeminimus. Hinc ueterum ſuperſtitio peſtifera nuncupabat auſpicia, ubi caput in iecinore non fuiſſet, eo nomine ſummitatem eius intelligentes, quæ uocant Græci κυρτὰ, id eſt gibba: ſicut inferiora dicunt σιμά. Fiſſum tamẽ iecoris appellat in Diuinationibus Cicero, quia ſint ut tradunt aliqui duæ fibræ, Fiſſum, inquit, familiare tractant, & uitale: caput iecoris ex omni parte diligentiſſimè conſiderant. Idem alibi apertius, fiſſum iecinoris dicitur. Lucanus primo Pharſaliæ:

Ecce uidet capiti fibrarum increſcere molem
Alterius capitis: pars ægra & marcida pendet,
Pars micat.

Quod autem familiare fiſſum ait, illuc ſpectat, quoniam pars una inimici dicebatur, familiaris altera. Lucanus:

Venasq; minaces
Hoſtili de parte uidet.

Maximum, inquit Pollux, iecinoris munus eſt, alimentum in ſanguinem digerere ac fel, quam χολὴν appellant: & hanc quidem cõceptaculo affundere, quod maximo eius inhæret lobo, idq; humoris nomine cholen item dicunt, unde & acholon felle carens dicitur. Sunt & in iecinore quæ uocantur pylæ, id eſt portæ, à Græcis, quibus ſanguinem excipit, quem unius uenæ opera reliquis infundat omnibus. Non omittẽdum, quod curioſa ueterum ſedulitas nobis prodendum cenſuit. Siquidem locorum captantes ſalubritatem, pecoribus immolatis quæ in ijs paſcerentur, ubi oppida conſtituere, aut ſtatiua habere concepiſſent, ex iecinoris habitu aeris modum coniectabant: nam ſi liueſcens, uitioſumq; in pluribus compertum foret, inſalubritatis uideri argumentum arbitrabantur, pabuli & aquarum ratione. Sciendum uerò, ſi cauſatio ſe in iecinore oſtenta rit, qua imbecillius factum ſuas minus obeat functiones, effici inde hepaticos, ſeu iecinoroſos. Tametſi non me fallit Galenum ita ſanxiſſe, Hepaticos cenſeri, qui longiore

inſe

infeſtentur iecinoris dolore, cũ tumiditate ſolida,& corporis uitiato colore,unde æſtuoſa ferè ſuccendatur febris lingua inareſcente amplius. Iecoris pinnulas nominat ad Fabiolam Hieronymus:Pinnula,inquit,iecoris offertur ſuper altari. Durat etiamnum appellatio hæc apud Rhodiginos meos. Sunt uerò in eo uiſcere prominentes pinnulæ, quas & fibras dici opinantur. In Athenæi tertio, hepatia legimus: unde illud Lucilij apud Nonium ita emendari poteſt:Gigeria ſunt,ſiue adeo hepetia,ut hepatia legamus, etiam ſi ab alijs aliter legitur locus is. uidentur autem hepatia non aliud quàm iocinora, quando Attici probaton dicunt & probation pro oue, ut apud Ariſtophanẽ, Pluto. Pancreon inter carnes & adenes, id eſt glandulas,medium lieni adiũgitur, & ſtomacho ac iecori.Ab carne nomen eſt ſortitum. Dignum ſcitu:Hepatis dolorem ab Archigene dici holcymon, id eſt tractorium & inhærentem & torpidum, atq; atrocius moleſtum. At uerbum id,inquit Galenus,inuſitatum Græcis.Sunt tamen qui admittãt, ſed pro uiſcido accipiunt, cuiuſmodi uiſcum eſt, ut cuius una parte tracta, inſequatur illi cohærens altera. Sub hac uerò notione hepatis dolor dici holcymos nequit. Sunt qui holcymon hepatis interpretantur dolorem,quum hepar uel induratum uel inflammatum detrahere iugulum uidetur.Alij quum diuturno laborat morbo. Alij cum mediocri afficitur dolore.Sunt qui tardum intelligant,ut qui acuto aduerſetur.Nonnulli urgẽtem, alij uehementem. Holcos nauium apud Thucydidem hiſtoria tertia, phalangas interpretantur. Eſt eo item nomine apud Sudam aquæductus, id eſt ἀγωγὸς ῥόυματος. & cauda quoq;, uerum ſic dicitur propriè draconũ tractus, abuſiue autem carina per totam procurrens nauem:ſic enim eſt δρακοντοειδὴς. Holcos quoq; dicimus tum lora, tum homines de poteſtate trahendi. Olcia uerò aurea apud Athenæum libro quinto,crateras accipio magnos,aut pelues.Deniq; dura hepatis diſpoſitio nuncupatur ſcirrus, quod ſcribit Paulus Aegineta Medicinæ tertio. Ex inferiore autem parte aſſidet fel, cuius folliculus ab Græcis dicitur choledochus,qui flauum cõtineat humorem,palleſcentẽ quandoq; ab Galeno uiſum,uel coloris cyanei, aut iſatis herbæ.Eſt uerò aliud nil, quàm purgamentum peſſimi ſanguinis. Iecur tamen magna ex parte, maximoq; animalium numero felle caret, quod inſpectis uictimis innotuit. In parte quadam agri Chalcidici Eubœę fel nullum pecori eſt, at in Naxo quadrupedibus ferè omnibus adeo grande,ut qui ſacris incumbant, ſatis aduenæ nequeant mirari. Qui fellis naturam ſenſus alicuius rationem habere,ſunt opinati,tota errant uia:idcirco enim eſſe contributum ratiocinãtur fel,ut morſu animæ partem excitet in iecore ſitam,rurſumq; exhilaret laxando. Anaxagoras item per errorem acutorum morborum cauſas inde profluere, nobis perſuadere uoluit, quoniam eo redundante inſpergatur pulmo & uenæ,atq; item coſtæ. Nam ferè accidunt ea uitia felle carentibus. Sed enim ut bilis, quæ qualibet corporis parte gignitur,excrementitium quiddam eſt:ſic adiunctum iecori fel nulli delegatur muneri, ſed rimentum tantum eſt. Quibuſcunq; iecur adeſt ſalubre,& ſanguis id ſubiens dulceſcit, ea uel fellis ſunt expertia,aut id habent quàm minimum. Sanguinis impuritas fellis tum præſentiam,tum magnitudinem facit. Quia uerò ſedimen fel eſt,& exuperans inutiliſq; materia,inde ueterũ nonnulli,uitæ longioris,ac (ut Græcis dici aſſueuit) polychroniæ, rationem ſcrutati,ex fellis uacuitate demanare id ſunt ſuſpicati,argumẽto ex ceruorum uita deducto.Sed & delphinus,qui fellis expers item eſt,longæuus eſt.Iecoris enim natura pro qualitate ſua parum multumq; uiuendi rationem habere innexam poteſt. Medicorum ſcholæ ita ſanciunt, adiumentum ex felle haberi non poſtremum, ut excalfaciat, proindeq; concoctionem foueat ſecundam, hepatis innatum calorem fulciendo. eſſe nanq; iecori ſubiectum fel ratione feruescentis humoris,perinde ac ignem ſub cortina ſuccenſum.Porro ab eodem profluere non negligendam in eo utilitatem,dum uim ad inteſtina tranſmittit, qua extimulante, celerius feculentæ materiæ fiat ſecretio. Eius uero præfarcto præcluſoq; meatu,morbũ obrepere regium deprehendere periti, quem ictericum quoq; dicunt aut arquatũ,toto corpore felle ſuffuſo. Submonendi tamen amplius parte hac legentes ſunt,quod & paulo antè indicauimus, apud Latine loquentes, uti obſeruatum eruditis eſt, bilis nomine intelligi corpore toto humorem ſparſum, diſiectumq;:fel autẽ eſſe,quod folliculo concluſum in iecoris uiſatur materia, etiam ſi χολὴ Græcis utrunq; indicet, parum diſtincte. Quidam nihilominus ex medicorũ præcipue

decuria

decuria, bilioſos humores χολώδεις nuncupant, χολὴ haud quaquam. ubi uerò cholen dicis ſimpliciter, inquit libro decimo Simplicis medicinæ Galenus, flauam intellige: alias enim cum adiectione pronuntiamus. Fellenus cum felle cõmercij habet nihil, fuit eo nomine Aquileienſium deus. Dignum ſcitu: Haberi piſcem nomine hepatum, uti commeminit Athenæus poſt Ariſtotelem, cui abeſſe fel creditur. Propterea Eubulus ex paroemiæ forma, Rebaris felle carere me, nec mecum aliter quàm cum hepato piſce loquebaris. Lesbiam hunc dicit Archeſtratus cœnarum λοχαγός, & gulonum Heſiodus, Theognis'ue.

De liene, & riſus immoderatione. Plinius, Cicero, Quintilianus declarãtur.
De Caunijs lienoſis. Aſplenon medicamentum quid. Cur Traianus fiſcum appellarit lienem. Splenici, tuſſici. Canum furor unde ſit. Splenia emplaſtra.
Interim quomodo mortuus Zeuxis. Cap. XVIII

TEQuidem dum magis magiſq; mecum repeto diuinæ maieſtatis in hominis fabrica exuberantem prouidentiam, nequeo tantæ bonitatis amplitudinem mirari ſatis: quæ omnino intactum nil liquerit, quod uel neceſſitas requireret, uel etiam uſq; ad delicias foret optabile, nedum ad ornamenta profeciſſe nobis, ſatis habuerit. Sed nimia hæc indulgentia ſæpe per inſcitiam, ne quid grauius dicam, allidítur, quandoq; etiam, ueluti puerulos mollius in ſinu parentum educatos prouehit ad querelas, quod non hoc uel illud cõtribuerit noſtri corporis artifex, ceu parua ſint quæ modo accepimus. Nam quale eſt, quod nunc ſubtexendũ eſt, lienis emolumentum: Quod parte læua ſitum aduerſus iecur, ideo laxum molliuſq; eſt, ſpongiæ quadam imagine, ſicuti à Cordubenſi Moyſe proditum ſcimus, ut facilius ſanguinis craſſiorem ſecernẽdo alliciendoq; repurgaret feculentiam. Sunt ex auctoribus, qui ioci intemperãtiam huius uiſceris amplitudine arbitrentur conſtare, quod in naturali hiſtoria relatum non me fallit. At M. Tullius quãuis ſub aliena perſona, miratur: quod mutuatus ab hoc & Quintilianus facit: unde affluentiſſimus quandoq; proueniat riſus, qui ſæpe ita erumpat, ut etiam ſi maximè adnitaris, nequeas tamen comprimere, quin & latera, os, uenas, oculos, uultum occupet. Zeuxin pictorem riſu emortuũ prodidit Verrius, dum anum à ſe pictam ridet affluentius. Auctor Auicenna eſt, lienis uirtute ex iecore prolici melancholici humoris uim quum naturalis, tum accidentalis, id eſt aduſti: nec ratione canonica prouenientis, quemq; non intendat natura. Euenit id ui duplici, hepatis exigentis à ſe redundantia, lienis uerò excipiẽtis perlicientisq;. Vnde prouenit ſanguis benignus, clarus, copioſus, lucidus: quem eſſe riſus cauſam, naturæ rerum periti tradunt: ex ſanguine quippe ita affecto conſurgit ſpirituum multitudo & claritas animam exhilarantiũ. Proinde traditum quoq;, meracius uinum moderatè hauſtum frõtem exporrigere, ac lætos reddere, quia inde ſanguinis profluit bonitas. Siquidem humor is egregiè dicitur humanæ naturæ accommodatus. Scribunt item medicorum ſcientiſſimi, Cordis ardores temperari plurimum atræ bilis frigore ad lienis conceptacula ſubductæ, Id uerò fieri, ut læua ſint dextris frigidiora, quod locali cõferre motui plurimum, rationibus colligunt. Ex ijs uerò omnibus mirari ſuccurrit Eraſiſtrati prudentiam, à quo promptum in literas eſt, Lienem fruſtra uideri productum, quando nulla prorſum in eo ſe promat uel operis uel utilitatis ratio. Ariſtoteles quoq; ab ſententia eadem uidetur non abijſſe longius, quum tertio De partibus, lienem per accidens eſſe neceſſarium ſcribit, ſicuti retrimenta tum alui, tum ueſicæ, unde fit ut in nonnullis magnitudine deficiat. Lien uapores, inquit, uacantes diuertit, & attrahit ex uentriculo, & cõcoquere eos poteſt, ut qui ſanguineus ſit: quòd ſi plus excrementi adfuerit, parumq; inſit lieni caloris, corpus immodico langueſcit alimento, & humoris cõfluuio fit, ut lienoſus quis euadat, & obdureſcat uenter. Splenici quoq; nũcupantur ſic affecti. Firmicus Matheſeos quinto: Si uerò, inquit, luna fuerit minuta luminibus, animo pariter & corpore languidos faciet, alios tuſſicos, alios ſplenicos efficiet. Dignum relatu, quod prodit Horus: Splenicos πλείους nec odorari, nec ridere, nec ſternuere item poſſe ullo modo: quin canis ſeu in mortẽ incidit, ſeu in furorem, ex ſplene promi cauſationem. Nec reticendũ, hoc uiſcere uolatilia non præmuniri, quoniam pennarum uis recrementũ abſumat melancholicum. Quare homini, & quadrupedibus præcipuè, ſplen neceſſarius fuiſſe uidetur. Cæterum id non in poſtre-

mis

mis dignum occurrit admiratione: Esse quædam terrarum parte hac discernicula, siquidem in terra Caria prope Rhodum Caunij pestilẽte cælo sunt, & lienosi, uulgato apud Strabonem aliosq; Stratonici citharœdi sale: qui illos intuitus colore admodum uiridi, dixit hoc illud esse quod poeta Homerus cecinisset:

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Quumq; illum incusarent, quòd urbem ut morbidam carperet: Ego, inquit, eam morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulant? Prope Cortynam in Creta apparentem splenem pecora non habent: quod amplius medicorum scrutantes scholæ, in illis enasci herbam locis, deniq; compertum prodidere, qua uescentia pecora lienes imminuerẽt: unde & lienosis curandis medicamen excogitatum, quod ex re asplenon Cretenses dicunt. Elegantissimum est & illud quod in Iuliano Sextus Aurelius prodidit: Traianum exactiones improbantem detestantemq; solitum dicere, Fiscum esse ueluti lienem, quod eo excrescente, artus reliqui contabescerent. Prius uerò q̃ hinc digrediar, Platonis quoq; sententiam collubuit apponere: Proximus, inquit, iecori locatus est lien, ut purum hoc semper, clarumq; reddat, & modo speculi nitens atq; perspicuũ, ad imagines exprimendas accommodatum. Crassissima uerò in liene portio dicitur uisceris caput, nominatur & splenium. σπληνιᾶν apud Græcos, est splenis uitio, seu lienis laborare. Sunt & in genere emplastrorum splenia, de lienis forma nomenclaturam indepta, uidelicet in longitudinem producta, fronti plerũq; arcendis doloribus solita impingi. Græci sic finiunt: ἐπίμηκη ὀθόνια. Galeno hæc quandoq; σπληνῶδη uocantur, id est splenes. Dicitur & lebeti subiectus capreolus, id est helix splen.

De rhenibus. Perinephra. Grammaticorum defensio in rhenum etymo aduersus philosophos. Rhenum uitia, & uocabula. Nephritis, nephritica. Matulæ intercus. Diabetes. Dipsacos. Stegna uitia. Astrictæ febres. Osphys. Ixys.

Caput XIX

RHenes uerò quo nam & ipsi ingenio producti? aut quàm mirabili usu? hilum bis, ut credit Celsus, sub imis coxis adnectuntur, parte quadam resimi, parte globati. Venosi porrò sunt, & uentriculos habent, ac conuelantur tunicis. Rhenes nulla haberi necessitate Aristoteles putat, sed ut melius & locupletius sit. Humoris enim excrementitij gratia, qui confluit in uesicam, adiũctos esse ex sua natura, in quibus plus eiusmodi sedimenti fieri solet, ut uesica melius suo munere funge retur. Dexter in omnibus, sicuti repetit Auicenna in Animaliũ historia, superiorem obtinet locum, minusq; pingui obducitur, & siccior est. Habent sinum exiguũ, à quo meatus duo insignes ad uesicam defluunt. Alij etiam ex ahorta frequentes perueniunt. Rhenum igitur munus (inquit Galenus) est, quod in sanguine serosum est, ab hepate attrahere, ut exuperantia humoris aquosi sequestrata, corruptionis absit discrimen: quanquam sunt etiamnum, qui ab tota substantia eiusmodi fieri attractum putent, suffragante iecoris ui expellente. Diuersum uerò in corpore sunt sortiti locum, non absque prouidentiæ ratione, uerum ne aliter constituti sibi inuicem officerent, minusq; ob id destinatum implerent munus: Fuit & in sinistro ratio peculiaris, ne si altius assurgeret, ab liene comprimeretur, qui sinistris maximè accumbit. Ita in structuræ huius ratione nil se ingerit fortuitum, nil quod sapientiæ summæ maiestatẽ non præferat amplissime. Sicuti quod uisceris huius caro densior, compactior solidiorq; est, ne quid exsugeret, præter serosam sanguinis tenuitatem. neq; enim bilem atram aduocat, non pituitam: quibus crassescentibus oblædi posset præfarctis occlusisq; meatibus. Porrò soliditas alterum quoq; parit propugnaculum, ne potus retrimenta acuta mordaciaq; quid ualeant labefactare. Sic denicq; ualidius suo defungi munere potest: nam rarescẽte uiscere, aut aliquo modo exaffectione facto imbecilliore, impurior profluit urina, carnium recẽtium loturæ consimilis. Id ipsum & affecto hepate prouenire exploratissimum est, quum sanguinis uis maior in rhenes defertur. Duo porrò sunt, tum ratione quam in alijs antea protulimus, tum quia defluentis humoris copiæ par non fuisset unus. Quod si forma ampliorem natura produxisset, non paruo statura fuit magnitudo ea corpori, non ita late patenti fusoq;. νεφρὸς dicunt Græcorum scientissimi, quæ rhenum obesitate opplentur. Grammaticos incessunt ex philosophis nonnulli, qui rhenum etymon scrutati, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, id est ab defluxu

fluxu obſcœni humoris nomen deflecti opinantur. Non rectè inquiunt, quippe riui humoris eiuſmodi ſpinæ cohærent, & ſunt ab inteſtinis ſeparati. Cæterum uiri doctiſsimi, aliud eſt de natura diſertare, aliud diſcendi perpendere rationes. Vos humoris obſcœni appellatione genituræ accipitis, nos urinæ ſedimenta. Docere uos id Lactantius potuit, ſic ſcribens: & uelut de ſcripto antecedens aberrare, aut præpoſtere quippiam enuntiari haud patitur. Vena, inquit, in maribus, quæ ſeminum rationem continet, duplex eſt, paulò interior quàm illud humoris obſcœni receptaculum. Et ne addubites, paulo antè mentionem de ueſica fecerat. Ex caloris poſtremo redundantia urinæ cõſequi incontinentiam, ſtillicidiaq; traditur. Rhenum morbus dicitur utiq; nephritis, ſæpe lapide magnitudinis uiſendæ, uel in rhenum altero, uel in ureteris inorto impactoq;. A quo proue nit colico haud abſimilis dolor. νεφρίτικά inde dicuntur φάρμακα. Extat apud Paulum ad rhenum uitia compoſitio, quæ uocatur διαπεπλίγμ. Eſt & rhenum affectio, quam matellæ intercutem nonnulli uocant: urinæ profluuiũ alij, aut diabetẽ, & διψακόν quoq;. Verum rara eſt hoc genus ægritudo. Sitim parit extra modum, unde dicitur dipſacos, uti auctor eſt Medicinæ tertio Paulus Aegineta, ut reſcribamus ſtatim, quod mutuo ſumimus. Diffinitur ab eo, ταχεῖα τὴν πινομένων διέξοδος: unde & διαβήτης nuncupatur, uelut tranſitus, ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν. Eſt tamen apud Aetium dipſacos, quam uoce alia ſonchon dicunt lactucæ ſimilem. Auctores ſunt exiſtimationis haud dilutæ, à quibus rhenum uitia quædam uocantur στεγνά, id eſt aſtricta, quũ præpedita uel non fluit urina, uel difficulter fluit: nam & aſtrictas febres dixit Celſus, ſicut & in diffinitionibus Galenus, ubi retrimentitiorum omnium impetus inhibetur, ſudoris, urinæ, pituitæ, alui. Quippe uaſa Græci στενά uocant, humoris per rimas nil remittentia. In rhenum meditullio qua cingimur, partẽ eam Galenus ὀσφῦν dicit, & ἰξύν: noſtri, lumbos uocant, ſed apte parum.

Vreteres uenæ, ſiue uranæ. De ueſica, & ueſicæ affectionibus. Opiſthuretica, emproſthuretica, uretici. Galeni hiſtoria. Iſchuria, dyſuria, ſtranguria, immeiere: urinã facere: incõtinentes urinæ. Orionis hiſtoria fabuloſa. Thrombus, grumus, pareſis, pityriaſis, lithiaſis, uretica, chalaſtica, catoterica, anoterica, emetica.

Caput XXI

A Rhenibus autem ſingulas uenas colore albicantes delabi, compertum eſt, ad ueſicam. Eas ab re ureteras, ſiue οὐρανὰς Græci uocant, quod per eas in ueſicam, quam cyſtin dicunt, deſtillare urinam, conceperint. nam opiſthuretica dicuntur retro urinam mittentia: ſicut quæ ante, emproſthuretica. Qui uerò frequentius mingunt, uretici appellantur. Scribit Galenus, ſibi ipſi accidiſſe dolorẽ uehementiſsimum, ut uideretur in uentre intimo terebra perforari, in eo potiſsimũ ſpacio, per quod à rhenibus ad ueſicam ureteras ſcimus extendi. Quod eo libentius appoſui, ut eorum coargueretur uanitas, qui uixiſſe Galenũ prodere ſunt auſi, ſine corporis incommodo prorſum ullo. Quæ uerò attulimus, ex libro ſunt De locis affectis ſecundo, ubi infert, mox excretum à ſe grauiſsimo cum dolore humorem, uitreum à Praxagora nuncupatum, quod ſit uitro fuſo ſimilis, aut ob frigiditatem. In uiris autem ueſica recto aſſidet inteſtino, ad ſiniſtra uergens. In fœminis, in genitale procũbit, ſubiectamq; uuluam habet. Vrinæ iter in uiris ſpacioſius & cõpreſsius, ab ueſicæ ceruice colem petit: in fœmina breuius pleniusq; ſuper uuluæ ſe ceruicem oſtẽdit. Hãc prouida, ſagaxq; natura neruoſam compegit, duram, tenuem quoq;, ut urinæ mordacitati ſufficeret ex bilis permixtione: item, ne præter uoluntatem profluueret urina. Sunt qui ex tunica duplici concinnatam tradant, tametſi Galenus, & alicubi Auicenna, ſecus literis mandarunt. Sed circuniectũ ueſicæ indumentum ſpeciem præbet tunicæ duplicis: uerum id ueſicam ipſam non componit. Iſchuriam, id eſt, ἰσχουρίαν, urinæ integram uocant retẽtionem. στραγγουρίαν uerò urinę ſtillicidiũ: id eſt (ut inquit Cato) ubi lotium ſubſtillum eſt, id eſt ſtillatim fluit. Id & δυσουρίαν dicunt. ſed proprie, ubi lotium ægrè it. Ariſtophanes: στραγγουρεῖν, χθὲς γὰρ ἔφαγον καρδάμωμα. Siquidem urinam ſupprimit cardamum: uel, ut Græce dicam, οὐρῶν. ὅτι ὑδροχολικόν. Sed & πλύματος. Sunt & qui urinæ nuncupantur incontinentes Plinio. Luxatio muſculi ceruicis ueſicæ, id eſt χάλασις τοῦ βραχήλου τοῦ κύστεως μυός: ut Aegineta inquit Paulus, uitium progignit: hi à Græcis ὑγροῖν dicuntur ferè, id eſt immeiere, etiam ſi Perſio aliud ſignet uerbum id. Vlpianus hoſce urinã facere dicit. De urinæ uocabulo,

conciliatum

concíliatum ítem Orioní nomen, quem Candaona dícunt Bœotíj, ſciunt omnes. Nam quum Orieo ex Clonía non naſcerentur líberi, Iupiter, Neptunus, Apollo ſuſcepti hoſpitío in bouís corium urína emiſſa, Oríona produxerunt, quo argumento Trípatrum appellauit ín Alexandra Lycophron. Inſunt ueſicæ ítem, quos medici θρόμβους, íd eſt grumos dícunt: ſed hi tamen & ínteſtínis, uentrículo atq; thorace nonnunquam contínentur. Eos animi defectío & color ínſequi fœdus ſolet. Eſſe autem non aliud uídetur, quàm globatus ſanguís ex uaſis ſuís effuſus, qui ueſicæ meatum obſtruit offarcitq; quandoq;. Eſt enim grammaticis grumus, terræ prominentía tumulo mínor. Veſicæ ítem affectiones Galeno ſunt hæ, πάρεσις, ſíue reſolutío. Nam & παρετὸς reſolutos dícimus. Fortè uero hæc fuerit urínæ incõtínentía. πιτυρίασις, quippe πίτυρον furfur eſt. λιθίασις, quia λίθος eſt lapis. ἕλκωσις, íd eſt ulceratío, præcípue ín collo, hoc eſt, πρὸς τὴν βραγχηλην. Dyſuríam à ſtranguría díſpeſcuit Galenus ídem, quoníam ílla modo ſít, ut præmonuímus, δυσχέρεια τοῦ οὐρεῖν: hæc uero ἡ ἐπὶ σφιγκτῆρα ὄρεξις. Vretica pharmaca tertiodecímo Therapeutices legímus dící ſæpícule, pro íjs quæ urínam prouocent. Qua ín parte Chalaſtica ítem dící quædam animaduertas, modice excalfacíentía, & præfarcta corporum atteníuantía, & ínflandí compotem ſpíritum mínuentia: ínſuper & factam dígerentía ínflammatíonem. Catoterica ín líbro eodem uídentur dící, quæ purgant per ínfernũ uentrem: ſícuti anoterica, quæ per uomítum, unde & emetica uocantur.

Præcordíorum, ſíue díaphragmatís ratío, & nomína plura. Phrenes. Prapídes. Plíníj obſcurítas íllúſtratur. Hypocondría. Chartílago quíd. Cap. XXI

VVum díuína prouidentía ín hominís ſtructura ſcíenter omnia confingeret, thoracís capacítatem ad ſummum ſapientíæ æquílíbrium conformare ſíc adorta eſt, ut quum ín pectore, ſícutí Plato uult, mortale genus animę foret collocatum, quumq; ínibí quod melíus, quodq; natura deterius eſt, uíſeretur, locum ita díſpararít, ut díſcernículo clarióre ſedes altera ſecerneretur, ut uírílis à relíqua, quæ ueluti fœmínarum foret. Chartílagínem quíppe mediam ínterlocauít, quæ animæ portíonem fortítudínís & íracundíæ partícipem cõtentioſamq; parte contíneret ſuperna, ut ratíoní obtemperans hæc concupíſcíbílem pariter coerceret, tanquam uí íllata, ſí quando ratíonís ímperia detrectaret. Eſt uero membrana hæc tenuíſſíma medío ſub pulmone tranſuerſa, uelut pectorís ſeptum, coſtís & ſubchartílagíneís, & ſpínæ adnexum, parte media tenue, membraneaq; exílítate contextum, atq; ítem uenas habens. Muſculum tamen, non membranam nuncupat Galenus. Eſt autem muſculus non aliud ferè, quàm neruís íntexta caro. Septum hoc Plato, Hippocrates & Galenus phrenas ítem nuncupant, quod uerbum nobís mentem índícat, tanquam ín prudentíæ partícipatum ueníant: uerum id haudquaquam fít. Sed íta dícuntur, quía adíacent íjs quæ facultatís eíus expertía non ſunt, ut placet Peripateticís. cordí nanq; prætenduntur, ex quo à nobís præcordía uocãtur: & à Græcís quandoq; πρόκαρδια, ſed & περίζωμα, quod cínctum Theodorus transfert. Appellatur & διαφραγμα, quanquam & ín naríbus ínterſeptum eodem cenſetur nomíne. πραπίδα etiam poetæ uocant, ut ſcríbít Euſtathíus, deflexo uerbo ab πρὸ καὶ ἰδεῖν, ut ſit προβλεπτικὴ καὶ προγνωστικὴ τοῦ μέλλοντος φρονῶ. íd eſt præuídens, ac futura præcípiens mens. In præcordíjs, ínquit Plínius, fuit peculíarís cauſa, uícínítas aluí, ne cíbís ſupprímeretur anímus, Intellíge, ut animæ ſentíentís origo ínoffenſa ſeruetur, nec facíle cíbí exhalatíonibus díſtringatur, & caloris aduentítíj copía. Nam & ſíc quoq;, ubí ex conuícínía attraxerínt præcordía humorẽ calídum atq; excrementítium, contínuo mentem ſenſumq; perturbant. Quamobrem parte ſuí media tenuía ſunt, ut mínus uaporís excípíant: nam ſí carne pleníore conſtarent, copíam uaporís & haberent & traherent. Porrò & partem hanc, ínquit Arıſtoteles, calefactam celeríter, ſenſum mouere, índícat id quod títíllatu euenít: díffluunt enim rísu, quos títíllarís, quía motus celeríter ad eum locum peruenıat, qui quanquã leuíter calefacít, tamen mouet etíam præter uoluntatem díffuſo ſpíritu ac reſoluto. Facit autem cutís tenuítas, ut homo unus omnium títílletur, ſímul etíam quía rídet unus. Ictu ín prælíjs traiecta præcordía rísum attuliſſe, proditum eſt, ob calorem quem moueat uulnus. Meminít doctrínæ huius Auícenna quoq; ín Animalíum hiſtorijs líbro decímotertío, ſed obſcurius. Ex íjs uero lux Plínio ínfertur nonnulla líbro undecímo. Et hæc quídem ſunt de díaphragmate obſeruata

ueteribus, qui balbutisse quodammodo uidentur, si spectes ea, quæ mox ingeniorũ acumina excogitarunt, quando exploratũ est obseruatione acerrima & scientissima, inspirationis & uocis, & omnium uirium corporis initia referri accepta oportere diaphragmati. Etenim corporeas potestates expansu imbecilliores effici, experimẽtis cõmonemur, sicuti contractu constipatuq; iuuari in primis. Hinc sese promit singulare præcordiorum emolumentum: quod Galeni principis artis medicæ prudentia compertum creditur. Quippe horum facultate præcipua aeris in spiritali reciprocatione comparatur ingressus, atq; item egressus: quod Cordubensi non displicuit Moysi ex Galeni doctrina in libro De lacertorum motibus. Nam lacerti facultate proprij contrahente, ubi retrahitur diaphragma, influit spiritalis aer. Rursum ubi eiusdem uirtute diuersa expanditur, egreditur spiritus. Huic inuento suo in tantum Galenus applausit, ut in lucubratione De motibus liquidis prodendum putarit: Eam in medendi scientia indaginem uideri cæteris præstantiorem, qua perueſtigetur, quo instrumento clibanus moueatur, id est pectoris concauitas, per quam spiritus ultro citroq; commeat. Quin Galenus idem περὶ διαγνώσεως τῶν πεπονθότων τόπων quinto, terminum quo thoracis pars finitur inferior, antiquiores (inquit) phrenas appellauerunt, siue simpliciter, siue quia eo inflammatione affecto, mens item oblædatur. Verum qui Platonis tempora sunt insecuti septum ipsum nominare instituerunt, etiam si Plato ueterum more phrenas uocitat. Hypocondria Græcis dicta, uelut subchartilagia, Latini præcordia item uocarũt, id est uno nomine exta in homine, sicuti interpretatur Plinius. Chartilaginem uero anatomici in anteriore hominis parte locum dicunt.

Spermatis uasa esse quinq; numero. Varices. Quæ dicantur præparatoria. Maris, & fœminæ ratio. Seminis à cerebro defluxus. Gone, id est genitura quid. Cap. XXII

QVoniam uero seminis rationem paucis attigimus, illud commonitos uelim rerum naturæ contemplationis studiosos: Conceptacula spermatica, quæ genituræ gratia sunt comparata, ex anatomicorum obseruationibus accuratis uideri quinq; numero. Et principem quidem locum habere uenas arteriasq; multifariã implicitas obuolutasq; ad testiculos tendentes, ex quo imagine quadam uarices quandoq; uocantur. Postea habentur testes ipsi, quos σπερματικοὺς, hoc est cauernosos cognominat Galenus. Tertium habet locum epididymon incumbens testiculo sub uase, quod seminarium dicunt. Et quartam obtinet sedem, quod in uiris capax est oblongumq; ac uelut sinuosum, ubi mutonem adit, in imo tamen angustius breuiusq;. Postremo est parastata seminarium interiacens & uirgam. Comprobantur hæc primo De genitura apud Galenum. Conceptacula primo à nobis loco constituta uocant παρασκευαστικὰ, tanquam tu dicas præparatoria, quoniam seminarium humorem ad testes deferentia præfingere, & (ut sic dicam) delineare uidentur. Duo uero sunt hæc pro testium numero. Origo autem ista: Seminarium uas dextrum à parte superna ducit initia ex aduerso rhenis dextri, ab uena concaua & arteria. Quarum altera ab hepate, à corde altera exordium sumit. Sinistrum uero non adeo ex alto profluit, sed ab uena sinistra emulgente, & ab arteria. Cæterum hac in parte illud singulari admiratione dignum, uim illam seminariam, quæ lumbari dextro, sic nanq; iuniores hosce item nuncupant meatus, inferta dextrum adit testem, hinc effici calidiorẽ, magisq; spiritosam, quoniam uenæ eiusmodi atq; arteriæ directe ab magna propagantur uena magnaq; arteria, quo fit ut sanguinem protinus concipiant depuratum, egregieq; percoctum. In sinistris uero aliter obuenit, siquidem non protinus defluit uena uel arteria ab magna itidem, ut dextra: sed ab ea quæ ad rhenes delabitur. proinde sanguine oppletur non expurgato, sed aquoso plurimũ. Quæ ratio creditur potenter efficere, ut pro decurrẽtis modo seminis, nunc mas producatur, nunc fœmina: cui calculum adijcit Galenus, à quo longius abire, in ijs præsertim, summè delirantis uideatur. Cæterum plura de hoc genus quæstione libro De animalium generatione quarto Aristoteles. Nonnihil & Lactantius. Astruunt porrò medicorum sagaciſſimi, seminariam uim in huiuscemodi uasis in album demutari colorem ex sanguineo. Fieri uero ista, non in uenarũ principijs, sed in portionibus iamiam testiculis se insinuantibus, quando morula certa indigeat cõcoctio hæc, Genituræ autem modum præ-

signem

ſignem ab cerebro ſecerni, à Galeno traditum ſcio, quando cuidam ſalaciſſimo ab obitu capite diſſecto, eius partis deminutio comparuit manifeſta. Adnotandum uero quod in principe philoſopho eſt obſeruatum, γονὼ, id eſt genituram, ſpermatis indicare corpulentiam. At ſperma generatiuum ſpiritum formatiuumq́, qui genituræ potentia ineſt, & in quem genituræ corpus reſoluitur.

De utero muliebri. Item an matrix barbarè dicatur parte iſta. Hyſtericæ mulieres. Geminorum ratio. Didymi, & didymaones quo differant. Didymæus Apollo cur. Item obiter de Branchidarum oraculo, & Phileſio Apolline. Gone quid. Vnde ſit ſexus diſparilitas. Fœtus multiplicis exempla prodigioſa. Vteri uocabula, & partes. Item de mulierum teſticulis. De Eugio, & Hymene. Pſyllis, & pſylleis. Metrenchytæ quid. Catheteres, clyſteres, otenchytæ, chorion. Ecbolia medicamina, & phthoria: atocia, ecryſis, ectroſmos, utriculi. Rhoicæ mulieres. Locarium quid. Loculatæ piſcinæ, ac Laciniatæ. Locularis reſina. Cap. XXIII

FOeminis uero intus eadem ferè omnia, præterq́ ueſicę iunctus utriculus, unde dictus uterus, quod alio nomine locos appellant, quoniam inibi naſcendi conſiſtunt initia. Hoc inquit Plinius, in reliquis animalibus uuluam. Ariſtoteles uero ex interpretatione Theodori, pars, inquit, uuluæ interior loci, & uterus appellatur, unde uterinos dici fratres, ſcimus. Oſtium autem, & ceruix, matrix. Extrema plurimarum uuluarum, quæ cornua appellant, inuolui perſpectum eſt. Græce uero Ariſtoteles ſic, καλεῖται δὲ τούτων τὰ μὲν ὑστέρα καὶ ἀδελφὺς, ὅθεν ⸗ ἀδελφὰς προσαγορεύει μήτρα δὲ ὁ καυλὸς καὶ τὸ σύμαφῦ ὑστέρας Hyſtericas mulieres intelligunt eruditi, ab utero ſuffocatas. Sunt & ſymptomata, quæ nuncupantur ὑστερικά. Obiter, ne ſcioli ac naſuti, uel me, uel Theodorũ conuellere audacius pergant, non barbare matricem hac uſurpari parte, quod plericq́ rentur, commonemus, quando & Iulius Solinus matricis nominat penetralia, capite tertio. Aliàs Matrix ciuitas nuncupatur, quæ metropolis Græce. Apud Tranquillum matricem arborem intelligimus, ex qua ſtolonum repullulat ſoboles multa. Sic boues dicuntur matrices Varroni: quas & fructuarias recte appellaris. Apud Palladium, matrix idem eſt planè quod mater. Vterus ergo hic in duos funditur ſinus, qui in diuerſum diffuſi ac reflexi circumplicantur modo arietinorũ cornuum. Quę pars in dextram retorquetur, maſculina eſt, inquit Lactantius: quæ in ſiniſtram, fœminina. Horum ſinuum ita diſtributorum auctor item Auicenna eſt. Qui & uiceſimoprimo, tertij. Cauſa, inquit, geminorum ſeminaria prouenit copia, quando uteri ſinus uterq́ fuerit oppletus, & dextra quidem parte, ut plurimum, concipi mares uolunt, ſiniſtra uero fœminas. Cui ſententiæ ſuffragari Hippocrates uidetur, ſententiarum libro quinto. Hinc porrò contingere arbitrantur ſexus diſparilitatem. nam ſi in læuam uteri portionem maſculinæ ſtirpis genitura profundatur, marem quidem gigni, ſed uolſis euiratisq́ corpore ac moribus. Ediuerſo quoq́ comparem ſortiri euentum, quod fœminini ſexus ſemini dextrorſum ſe proclinarit. Enaſci quippe fœminam, quæ uiri ſpeciem præferat in multis. ὑστέρας δικέρας uuluam uocant biſidam. In cæteris animantibus tot eſſe in uulua ſinus, Auicenna probat, quot proferantur uberum papillæ. In homine autem, ſicuti totum corpus didymum eſt, ex dextris ſiniſtrisq́, ſic & uterus. Sunt tamen quibus ſeptem in utero cellulæ placeant, ternis dextra, ſiniſtraq́ conſtitutis, una modo in meditullio compoſita. Totidemq́ poſſe fœtus concipi, tradunt. Serapiam Alexandrinam ſcribit Caius Digeſtorum libro triceſimoquarto, quinq́ liberos uno enixam partu. Prodigioſa ſunt, nec ſine cunctatione proferenda, quę magnus Albertus cenſuit prodenda, ut prę teream quæ ſcribit Iulianus iureconſultus, atq́ item Paulus Digeſtis ſi pars hæreditatis petatur, ubi & ſuperfœtationẽ admittere uidetur. Scribit inquam Albertus, mulierem quandam in Germania, configuratis conformatisq́ iam in utero duorum & uiginti infantium corpuſculis, aborſum feciſſe: aliam uero etiam ſeptuaginta: immo, ut amplius increſcat admiratio, aliam etiamnum eieciſſe in peluim embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuſcula centum & quinquaginta. Cuius rei facta fides eſt, tunicis quibus obuoluebantur, conſciſſis. Addit quoq́, pluribus eorum affuiſſe dilatationis & conſtrictionis motũ, & ſigna alia uitæ complura, oculis tamen imperfectioribus.

Manuum uero,& pedum digitos fuiſſe ueluti capillares. Geminos Græci nũc didymos dicunt,nunc didymaonas,eo tamen interſtitio, ſicuti in rhetorico adnotatum lexico eſt, ut ſint didymaones diuaricatis ſeiunctiſq; corporibus, didymi autem coniunctis connexisq;. Cuiuſmodi fuiſſe Actorionas, traditum fabulis, ſcimus. At Didyma locum dicunt,& manteum Mileti, ſacrum Ioui & Apollini, qui inde cognominatur Didymæus: uti planius iam & Plinium intelligas, & Melam Pomponium: ſed & Papinio feramus opem,Thebaidos octauo:

Nec Clarias hac luce fores,Didymæaq; quiſquam
Limina,nec Lycia ſupplex conſultor adibit.

Quod autem oraculum id Branchidarum quandoq; nuncupatum, ſcribunt ijdem: lego quidem Didymorũ incolas dictos olim Branchidas fuiſſe, qui Barbaris templum prodiderint,quo nomine pœnam ueriti demigrantes in Aſiam longius Branchidas,ciuitatis id eſt nomen,condidere,quam ueteris odio flagitij rerum potitus Alexander ſolo exæquarit.Branchum eſſe Apollinis filium,prodidere grammatici,qui fuerit ipſe quoque futuri ſcientiſſimus:unde & Papinius Thebaidos tertio,

Patrioq; æqualis honori Branchus. Sunt qui eo prægnantem matrem uidiſſe perquietem memorent, per fauces ſolem inſinuaſſe ſe, qui per uentrem mox eruperit. Vnde ſit conciliatũ infanti nomen. Eſt qui putet, ab Apolline adamatum, ac ex pueri oſculis Apollinem eſſe Phileſium appellatum, unde & Phileſia templa, ſiue à puerorum certamine.Sed ut ab diuerticulo fabulam repetamus, illud neutiq; prætereundum: In uteri lateribus introrſum haberi muliebres teſticulos, paruos quidem, nec orbe pleno, ſed inſtar ſphærulæ à polis compreſſæ. Iacent autem initio colli uterini, panniculis ſeorſum colligati,non ut in uiris,ſcroto uno contenti. Horum ratione uidetur Auicenna pronuntiaſſe,uterum eſſe generationis principium effectiuum,quoniam Galeno aſtipulante,ac certatim medicis omnibus, gutta mulieris actiue ad generationẽ concurrit, qua ratione fortaſſis Auerrois quoque uterum ita laudibus extulit,ut membrum diceret principale quodam principatus modo. Verum,ut ab grammaticis aliquid item mutuemur,uterum dicunt etiam delphyn,unde ἀδελφὸς uocant fratres, qui utero prodierint eodem. Hippocrates etiam γονὼ appellauit, quod uerbum illis gentibus partim quidem fœtum ſignat, partim uero genitale profluuiũ: ut antè paulo prætexuimus. Vteri ſupernas quaſdam portiunculas obliquatas, nuncupant ceræas, id eſt antemnas, & plectanas, hoc eſt retia. Vtrinq; uero habentur ὦμοι, ſiue humeri: poſtea eſt collum, uel trachelus, cuius os uocatur porus primus. Celſus canalem interpretatur. Quæ mox ſequitur inanitas, κόλπος, id eſt ſinus dicitur muliebris. Vuluam deniq; Græci nunc μήτραν dicunt, nunc ὑστέραν. Vnde ſunt μητρευγχύται organa, cuiuſmodi & catheteres, id eſt καθετῆρες, atque item clyſteres,quibus in uulua cauſatione ſeſe oſtentante, intro medicamina infunduntur.Ex forma eadem nuncupantur otenchytæ, id eſt ὠτευγχύται. Catheteras proprie fiſtulas in directum foratas intelligunt,quibus in ueſicam medicamenta infundimus.Deſcribitur à Galeno uulua, ἀγγεῖον ἐνυπτίεσθαι. id eſt uas fœtũ conſeruans. Inſignis eius affectio eſt,ubi σκιῤῥᾶται, id eſt obdureſcit.Scirrhi ſimile eſt,quod in uuluæ collo nuncupatur ſcleroma,id eſt σκλήρωμα. Habetur apud Paulum hyſterica pnix,ſiue πνιξ, quam uere ſuffocationem poſſumus. ἐμπνευματῶται quandoq;,id eſt tumeſcit ſpiritu, ex frigiditate interdũ,aut ἐκ δυσκίας, hoc eſt partionis difficultate: ore præfarcto obſtipatoq;, uel etiam θρόμβῳ παρασφιγγθέντος ἐν αὐλῷ, hoc eſt, thrombo ſiue malis grumum dicere, in eo amplius concreto. Inuenies item ὑστέρας πρόπτωσιν, quam recte procidentiam uuluæ dixeris.Fit in ore interdum & ῥίμος. Sunt eadem quoq; parte ῥαγάδες ex partione uiolenta:nam & ῥαγάδιος impetuoſus dicitur.Ipſam uero pariendi moleſtam difficultatem δυσκίαν, ut ſignificauimus uocant, uel parientis ratione, uel infantis, aut τὸ χωείδες, craſſi nimis aut prætenuis. Oblædit aer extimus quoque, caloris ui, aut frigoris. Appellatur uero χώειον, quia ſit χώρημα, id eſt infantis alueus: aut quia χωρηγεῖ, id eſt ſuppeditat ei cibum. Embryon porrò duplex ambit tunica: interior, quæ & tenuior eſt, ac mollior:Amnion ab Empedocle appellatur, ut auctor eſt Pollux: exterior uero chorion.Intra muliebre pudendum eugion eſt,ſiue hymen integritatis argumentum.Ea uero neruoſa intelligitur exilitas, quam primus conuellat congreſſus. Ecbolia dicunt medicamina

dicamina,eiſciendo fœtui comparata,phthoria item uocant:nam atocia cõceptum præpediunt.Apud Ariſtotelẽ comperias,ecryſin nuncupari partus effluxum intra diem ſeptimum.At ad quadrageſimum ectroſmos dicitur.Illud ſanè admiremur licet,quod prodit Dion,Pſyllos eſſe omnes uiros,neq; enim compertam eſſe Pſyllam fœminam.φύονται δέ, inquit, ἐξ ἀμάλων.Natos experiundi gratia ſerpentibus obiectant.Hinc doctè admodum,& ſcitè Pſylleos nuncupamus,qui pſyllos agunt quodammodo,obtrectatorum occurſantes ueneno.Rhoicas mulieres uocant Græci,quibus è locis diſtillationes contingunt,toto ſe illac expurgante corpore,menſium omnino ratione diuerſa.Locarium ad locos muliebres attinet nihil,ſed ea uoce intelligimus,inquit Varro,quod datur in ſtabulo & taberna ubi conſiſtant:unde Martialis illud liquidò explicatur,Hermes diuitiæ locariorum.In quo fluctuat Domitij ſententia.Loculatæ areolæ pictorum.Et loculatæ piſcinæ,ubi diſcluſi habentur piſces diſpares,ſunt apud Varronem.Dici & laciniatæ poſſunt,ex Columellæ octauo libro,qui lacinias uocat partes diuiſim ſeiunctas.Locularem reſinam legimus in Palladij libro tertio.Vtriculos dixit Plinius frugum tuniculas,quæ ſi exterantur,gluma iam nuncupatur,uel acus.

Septenarij ratione,intima corporis cõſtare:item extima.De ſeptenario paucula. Cap.XXIIII.

ADiſciamus porrò Macrobij ex Naturalium priore libro ſententiam præclaram,qua comprobat is,humani corporis tam intima,quàm extima numeri ſeptenarij ratione conſurgere.Septem,inquit,ſunt intra hominem,quæ à Græcis nigra membra uocantur,lingua,cor,pulmo,iecur,lien,rhenes duo: ſeptem item alia cum uenis & meatibus quæ ſingulis adiacent,ad cibum,& ſpiritus reciprocrationem deſtinata,guttur,ſtomachus,aluus,ueſica,& inteſtina principalia tria, diſſipium,meſenterion,hira.Septem ſunt quoq; gradus in corpore,qui dimẽſionem altitudinis ab imo in ſuperficiem complent,medulla,os,neruus,uena,arteria,caro,cutis. In aperto item ſeptem ſunt corporis partes,caput,pectus,manus,pedesq;,& pudẽdum. Item quæ diuiduntur,nõ niſi ſeptem compagibus iuncta ſunt,ut in manibus eſt humerus,brachium,cubitus,uola,& digitorum nodi terni.In pedibus uerò,femur,genu,tibia, pes ipſe ſub quo uola eſt,& digitorum ſimiliter nodi terni.Et quia ſenſus eorumq; miniſteria,in capite natura,uelut in arce conſtituit,ſeptem foraminibus ſenſuum celebrãtur officia,oris,deinde oculorum,narium,aurium binis.Quare numerus hic totius fabricæ diſpenſator eſt,ac dominus.Sed occurrat fortè nunc aliquis,ecquid iſta corporis humani ſtructuram faciãt auguſtiorem?Reſpõdendum uerò,facere utiq;,quoniam numerus hic perfectionis plenitudinem cõtinet.Nam & Cicero ſeptenarium eſſe rerum omnium nodum pronũtiat: quippe geminam uim obtinet uinciẽdi,quia ambæ partes eius uincula prima ſortitæ ſunt,ternarius cum una medietate,quaternarius cum duabus.Porrò is eſt perfectus numerus,qui ex pari cõſurgit atq; impari: nam impar numerus mas,par uerò fœmina creditur.Sed & numeralis ſcientiæ ſtudioſi patris appellatione imparem cenſent,parem uerò matris.At dicat quis,ineſt uirtus hæc alijs item minoribus numeris.Ineſt quidem,ſed ut ſeptenarij partibus.Poſſem hoc loco argumentis peruincere,totam in utero infantis fabricam iſto diſpenſari numero,necnon totam hominis uitam:ſed ſupereſt de hac re pragmatia,ubi pleraq; attingemus.Quæ modo allata ſunt,præmonſtrant,dum ne cæcutiamus,diuinæ maieſtatis ſapientiam,à qua tot tantisq; inſigniti bonis ſumus,ut in delicijs eſſe nos,fateamur neceſſe ſit,modo ſuccinat unuſquiſq; ſibi,Noſce teipſum.Nec Origenis delyramenta recipiat,Adam peccante,imaginem dei perijſſe,quam ſententiam,ut alia præteream,quæ non omiſit Epiphanius,illud facile ſubruit apoſtoli Pauli,qui euangelicam doctrinam ſua prædicatione compleſſe creditur,Vir comam nutrire non debet,quum gloria & imago dei ſit.

Summum hominis bonum eſſe in deo,non in uoluptate aut potẽtia uel uirtute.Impietatis humanæ taxatio. Cap.XXV.

HAec habui de hominis præcelſa natura,quæ in literas commẽtatione iuſta promerem.Ea labore nõ paruo ex diuerſis cõgeſta,ſi exactius quis paulò humanior uocarit ad librã,fatebitur (opinor) quod initio aſtruximus,Hominem eſſe miraculum magnum atq; diuinum:ſed tum equidem maius

etiamnum miraculum, ſi tanta diuinitatis cura & prouidẽtia inenarrabili & creatus & ornatus, & ſingulis momentis connutritus, defenſus, ad uitam uerè uitalem tota ui prouocatus, ut plerunq; fit, ſenſibus mancipatus obbruteſcat diro peccatu prorſum, nobilitatis, & finis oblitus. Ac ſacrum illud numiſma non concidat modo exculcetq;, ſed aggere adobruat altiore, ut ſcelerum labe preſſus altiſſima uix dici arbor queat, iuxta illam ueterum ſapientium animarum tropologicam tranſmigrationẽ. Eſt profecto, ut ab noſtræ religionis patribus aſtruitur, & nos ſuprà attigimus, ſummum hominis bonum, etiam ſi in zonula ſuperſit nihil, æterna, & ultramundana uita, Summum malum antithei conſortium impĳſſimi, & mors prorogata in infinitũ. Præclare ſiquidem ut omnia, decimo Ethicorum philoſophus: Oportet, inquit, non quod monent nonnulli, humana nos ſapere, quod ſimus homines, nec mortalia, quia mortales, ſed quoad effici poteſt, immortalitati ipſos nos aſſerere, cunctaq; efficere, ut ea degamus uita, quæ ab eo profluat, quod in nobis eſt præſtabiliſſimum. Qua ratione Homerico more nuncupãtur homines θεοειδεῖς, ideſt deo ſimiles, ſicut mali nunc ceruis aſſimulantur ab eodem, nunc tygribus aut leonibus. Verum diuerſi abeuntes in terrenam deuergentia quadam reflectimur naturam, hanc tractamus unam fallacioſis illecti oblaqueaticq; ambagibus, hanc cogitamus, huic inhæremus affixi, efferamurq; adeo ut perſæpe quod M. Cato dicebat, Succidias humanas faciamus. Sed imperitiores miremur minus, quoniam (ut dicitur) nec Falernum canes. Inter eos qui ſibi ſapiẽtes uidentur, mira eſt de felicitate diſceptatio. Nec illud perſpiciunt ſaltem, utcũq; bellicum canant, inferãt ſigna, diuerſam aciem impreſſione ualidius facta, fundant fugentq;, commori omnes perinde ac bruta. Bonumq;, ni pernicioſior ſupereſſet animæ interitus cum æternis pœnarum cruciatibus: quãdo (uti fertur) dei ſummatis teſſeræ nunquam nõ recte cadunt, ac illius iudicio præcipue excuſſo fieri impoſtura nequit, quoquo nos torſerimus, uel Proteo multiformes magis. Nil ſuſpici animaduertas, rapi omnes calle quidem diuerſo, errore tamẽ uno, quo ab parẽte reuellimur, ueluti hac una ratione naſcamur, ut uel uoluptatibus irretiti, in earum titillationes ſcylleum renidentes caput animamq; demergamus. Aut ui craſſemur in proximum, omnia nobis corrogantes uendicantesq;: aut ſcientiæ inanis gloriolam captemus. Erumpere agminatim maxime uideas, qui uoluptate cuncta metiantur, nilq; habeãt ratum, nil penſum, niſi quod ex illius fuerit decretis. Siquidem eò paſſim ab mortalibus cõcurritur, ut Seneca inquit, ubi uoluptatis laus inſonuerit. Sed pullatos nil moremur. Eudoxus philoſophus, nec aſtrorum inſcius, eſſe ſummum bonum uoluptatem, ut illi uidebatur, inde colligebat, quod eam affectarent omnia. In quam ſententiam toto pede Philoxenus iuit, & ut Ariſtotelis monumẽta teſtantur, γεράνου λαρύγγα ζηλῶν, gruis collum ut haberet, exoptauit, quo diutius bibẽdi edendiq; titillatione poſſet perfrui. Iam paſſim commonentem audias,

Ite (ait) ô pueri, pariter ſudate medullis
Omnibus inter uos, non murmura ueſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non uincant oſcula conchæ.

Et Perſarum rex Xerxes nouæ uoluptatis repertori præmium conſtituit. Hinc eſt & Epheſiorum nobile decretum, qui (Strabone tradente) cum ſingularis modeſtiæ ac frugalitatis uirum Hermodorum eieciſſent: Nemo, dixerunt, apud nos frugi ſit, nemo unus excellat, uel ſi excelluerit, abeat. Quo nomine dignos fuiſſe qui ſtrãgularentur omnes, pronuntiauit Heraclitus cognomento σκοτεινός, ut planè impudicos, expatratores, fures, perperos, appetones, tenebriones, ut mihi ſic interim loqui permittam, nec tamen ſine exemplo. Plericq; etiamnum ex philoſophis ita uoluptatis imaginem concipiunt, ut illã in ſolio ſtatuant regio, ueluti humanarum planè reginam rerum. Quod uerò ferendum minus ſit, uirtutes ei ſubĳciunt ut famulas, nutum quoq;, ne quid indignationi deſit, obſeruantes, ut eueſtigio, quicquid uiſum illi fuerit, exſequantur, tanquam illuc demum productio hominis ſpectet, ut cibum potumq; delectamentis implicitus percolet: utin Quæſtionibus Seneca dixit ſeueriſſime: ac libidine omnifaria diffluat conturbetq;. Quum tamen ſciant, ab Antiſthene pronuntiatum, inſanire ſe malle, quàm uoluptate deliniri. Et recte ille quidem: nam quintodecimo Punicorum apud Silium ita legimus,

Quippe nec ira deũm tantum, nec tela, nec hoſtes,

Quantum

Quantum ſola noces animis illapſa uoluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus & atris
Circum te ſemper uolitans infamia pennis.

Alij uero Liuianũ illud aſſidue mente repetunt, & uerbis identidem ingerunt. Regnum res eſt inter deos homines q́ pulcherrima. Reges putant deos eſſe terrenos, qui ab exili tenuiq́ initio coorti ad præcelſæ maieſtatis inſtar excreuerunt emicueruntue. Quod & Anataricum dixiſſe quandoq́, proditum memoriæ eſt. Hinc & illud Cæſaris tyrannico ſpiritu tumentis in Alpium tranſitu: Mallem hic eſſe primus, quàm Romæ ſecundus. Equidem præfici gentibus, longe lateq́ ſummotis omnibus, imperitare, honeſtiſſimum cenſeri poſſet, ni ita nos inſtrueret Seneca, Simul iſta poſuit cõditor mundi deus, odium & regnum. Proinde & rex ille, ubi amplius diadema expendiſſet: O nobilem, inquit, potius quàm felicem pannum: quid enim, ut inquit Catullus, ſolutis eſt beatius curis? Partim ſunt qui reſectis abdicatisq́ omnibus, uirtutẽ modo amplexentur cõfoueant q́, ueluti ſapiens ſit planè omnia, & ut Horatius inquit,

Vno minor Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denic q́ regum.

Profecto non abnuerim eſſe uirtutem altum quiddam & eximium, multa undiq́ ſplendoris luce circumfuſum, ſi modo recta inſiſtas uia, nec quod multis uſu uenit, ἄνδρ τῶ πρώτων philoſopheris, ac μέχρι τοῦ λέγειν: etenim adnexum uideo ſuperbiæ ſtuporem, & quod grauiſſimum eſt, inſcitiam aut negligentiam eius, qui omnium eſt uirtutum pater & largitor. Quanti demum ſcientia eſt impietate conſtipata? Immo quid inauſpicatius, uel ut κωμικώτερον dicam, quæ eſſe fœtutina ſpurcior poteſt ac fœdior? Expende conſpectius, Tument colla ſapientium, riget ceruix, os obſignatur: dum intra ſe neſcio quid cornicantur, uel ſtupentibus in terram oculis, ut inquit Hieronymus, tumentia uerba trutinantur, Vt ſi præconem addideris, incedere præfecturam putes. De deo nulla, aut rara prorſus fit mentio. Quid cum Platone mihi, quid cũ Ariſtotele? ſi laudibus perſtrepunt ſcholæ, reſonat forum, animam ſuppliciorum diritate diſtrahi audituri, ac uiſuri ſunt inferi? O felicitatis infeliciſſimum genus. Quid porrò cum felicibus æui tam breuis, immo uero nullius? Quid quod præciſa combinationum ratio in corporeis rebus, & noti coaptatio ad ignotum ſcita, congruaq́ humanum ſupergreditur captum? Quo ſanè argumento expreſſum Socrati eſt, uti ſe unum modò prædicaret ſcire quod ignoraret. Quando & aſtruit Solomon, cunctas res difficiles, ac ſermone inexplicabiles. Et alius diuini uir ſpiritus abſconditam eſſe profatur ſapientiam, & intelligentiæ locum ab cunctorum oculis uiuentium. Quin & ſcientiæ profundioris Ariſtoteles in prima philoſophia, eiuſmodi nobis difficultates oboriri ſcribit, in natura manifeſtiſſimis, quæ nycticoraci offundantur ſolem inſpectare tentanti. Hinc eruditorum nobilis eſt illa coniectatio: quum ſcire expetant omnes, nec fruſtra omnino eſſe appetitus queat, deſyderare quenq́, ut ſe ignorare ſciat. Quòd ſi plene, affatimq́ aſſequamur, doctã prorſus nos aſſecuturos ignorãtiam: quo nil magnopere perfectius poſſe homini obtingere, quàm ut in eo quod eſt illi genuinum, comperiatur doctiſſimus. Qua in re tanto item quis cenſetur doctior, quanto ſe recognorit indoctiorem. Quæ quum ita planè ſint, expergiſcere infelix anima, reſipiſce: quid ueneris, amplius ad examẽ reuoca: quid ſis, metire. Miraculum eſſe, te docui, & quidem diuinum, addidimus uenerandum & adorandum: docuerat, addideratq́ prius Aegyptiorum regalis ſacerdos Mercurius. Tu uero diuini adiectionem exhorreſcis, ſarcinale brutum ſponte & conſulta opera amplexaris, & perficis: uelutq́ graui libramento plumbi recellis ad ſolum. Maximũ dici miraculum mauis. Quid enim maius quàm diuinam imaginem, immortalem, tot, tantiſq́ luminibus illuſtratam, tam lato, tamq́ numeroſo bonorum agmine obuallatam, cœnoſa ſemet ac rediuiua fœditate circumlinere, glomerariamq́ ac ſanguinariam, & uirgilianum Vcalegonta ſubinde referentem, ingruentis ſecuram mali, brutum induere: dictum enim ueteribus eſt, hominum effigies habere animos ferarum: Illum uero omnia ſupereminentẽ, luminum, ac bonitatis patrem, qui nos ab angelis paulo minus deminuerat, qui uultus ſui lumen ſignauerat ſuper nos, aut ruditer neſcire, aut per ſummam impietatem conſertis (ut dicitur) manibus negligere? Hac ratione eſſe cœpit bulla hominis uita, humana omnia pul-

uis atq; umbra, Magiſtratuum inſtar, quos dicunt codicillares, qui dignitatis contenti nomine, à re abſunt procul. Nec tot fuerint notariorũ puncta, quot noſtrorum ſunt detrimenta temporum. Nos tamen nil omnino Neuianum illud attendentes,

Pati neceſſe eſt, multa mortalem mala:

eum qui ſolus eſt, fuit, erit, liquimus, ad imaginoſa reclinamus. Vitalis lux nobis erat contributa, ut per illius eſſentiam ueram, unicam, fœcundiſſimam, & nos aliquid eſſe inciperemus uere, unice, fœcũdiſſime. At nos terrena reſpectamus, quum animas noſtras eſſe uoluerit præpetes deus, non inferas, uel tanquam chryſomallas oues, ceu cum Epicuro ſuccinentes, Quod ſupra nos, nihil ad nos: mentis inſtantia et uigore hebetato. Nec aduertimus, mortalem eſſe hanc, & per momenta euaneſcentis naturæ prouinciam. Sed utinam unicus ille, uerus bonusq; ſummi patris, ſummus filius, humanæ impietatis diuino & pretij incomparabilis ſanguine, in terrarum conſpicua altitudine ineffabiliter profuſo, expiator infinitus, ita quandoq; mentes omnium ſuæ claritatis fomite incendat illuſtretq;, ut nouum hominẽ induamus omnes, & quod abſtulit peccati labes, reſtituat pietatis candor, qua efficiamur una uelut argentum purum putum ac emaculatũ & candefactum, nullaq; ſit dies μυρία, ἀλλὰ μητέρες πᾶσαι: ubi iuxta prophetici afflatus proloquium in domini montem conſcenderimus, in ſemitis eius ambulantes. Quibus etiam ſi fuerint uti coccus peccata noſtra, dealbabuntur tamen, perinde ac nix. Deus omnipotens mirabilia facit ſolus, dei inſtrumentũ homo eſt, ad magnifica perpetranda accommodum. Sed tamdiu mirabilia exſequitur feliciter, quamdiu diuino morigerum ſe præſtat artifici. Proinde bracteatum illud recinendum ſæpius, Viuendum eſſe hodie, quando qui cras uiuit, nunquam uixit. Quòd ſi hodie expetis uiuere, deo utique uiuendum, quippe in uno eo heri & cras non prorſus aliud ſunt, quàm hodie. At hominũ plericq; male uiuunt hodie, cras ſolum bene. Cæterum iam hinc nos ad Muſarum noſtrarum guſtum & ſaliuam conferemur. eo tamen præſcripto, uti reſpicere liceat, ne prorſum refugæ credamur, dum Cleanthis reclinemus ſpinas, & contorta etiam Chryſippi.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN LIBROS ANTIQVARVM lectionum Præfatio quinta, ad præcellentem philoſophum & medicum Nicolaum Leonicenum.



Cis, opinor, uir eminẽtiſſime, in ſtudiorum meorum (ut ſic dicam) infantia, Ferrariæ prima moralis philoſophiæ ſtipendia tuo me ductu & auſpicijs feciſſe. Quàm uero ex eo tibi multiplex eruditio tua & lectio tantumnon infinita, ingenium feraciſſimum, & omnium capax memoriæ theſaurus: addo etiam Græcæ Latinæq; facundiæ ſcientiam præſignem, quam eruditus ita es, ut excellas: hæc inquam omnia, quàm tibi me affecerint addixerintq;, ſum ipſe mihi teſtis uel locupletiſſimus. Sed animaduertere potuiſti tu quoq;, nec enim tibi defuit unquam obſeruantia mea: quæ auctior reddita in dies facturo nunc mihi publicam materiam, quicquid in literarum quaſi palæſtra peruigilatum ad hanc horam eſt, amplius expreſſit, aurem quodammodo peruellens, ut te ueluti clariſſimum artium bonarum lumen in huiuſce gloriæ, quantulacunq; ea ſit, participatum clementer aduocarem. Ita enim futurum, ne officij tui & meritorum in me dilapſa uideatur memoria. Eſſe quidem repenſionem hanc operæ leuioris, ac pedariam, nil me fallit: etiam ſi ſcruta ut uendat, ſcrutarius laudat: ſed & quæ nec uerti uitio poſſit, aut debeat, quando falſa tamen mola litare creduntur, quibus defuerint thura. Te quoq; in excelſiſſimo doctrinarum faſtigio ſurrectum ſtare, dilucet arbitror, & norunt omnes. Quo ſanè nomine temeritatis agi poſſe mecum, animaduerto, ut qui nugalibus forſan inuentis altitudinem tuæ contemplationis ineptius obſtrependo auocandoq; uidear interpellare. Etenim ſcitum illud eſt, Muſcas ab aquila non cerni. Et quis agat in ſcæna geſtum, ſpectante Roſcio? Cæterum uir præcellens præſto mihi parte hac Platonis ſententia diuini eſt, qua ſcribit is, reſponſum quandoq; ab Ammone, Pluris ſe Lacedæmoniorum aptam facere orationẽ, quam aliorum munera uel opulentiſſima. Quæſtum tibi laudis ac gloriæ compendium

pendium ijs magnum nõ prẽmonſtramus, ſed pectoris intima proſpicienter reſeramus, ut gratum memoremq́ me iam hinc noris agere diſcipulum, cordiq́ ac memoriæ inſigniter habere, qua me hilaritate, quàm miti oratione adeuntem, etiã ſi à ſole occaſo ſæpius, hærentemq́ exceperis aſſidue, Quod phaleras nil moreris, & nomina uana Catonũ, patefactis ingenuè facundeq́, quibus uelut moramentis moleſtioribus tenerer implicitus. Quo fit, ut quum immenſa ſint quæ inde tibi debeãtur, inſita uerò imbecillitate pauca uel prorſum nulla queam præſtare, in hoc reclinarim diuerticulum, ut procliue ſaltem, nec (opinor) ingeneroſum animi propoſitum ingererem tibi, inq́ memoriã cæteris darem: & quod ille apud Senecã facit, Ipſum me oblatum uellem, etiã atq́ etiã comprecatus, munus iſtiuſmodi, quale id cunq́ ſit, boni conſulas, putesq́ cæteros, etiã ſi ampliſſima contribuunt, plura tamen multo ſibi relinquere. Qui ipſum ſe tradit, reliqui ſibi facit nihil. Et fuerint hæ quidem ἀντὶ ἀγαθῶν ἀραβίδες.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI ET QVINTVS.

Hiſtoria iucunda belli in Venetos geſti, qua tempeſtate nobis iſta elucubrabantur. Cap. I

QVIDEM ſi alias unquã res hominum eſſe omnino nihil, & ſtatu incerto, quam dicunt πραγμοσύνην, rotari omnia, concipere licuit, id clariſſimum diuina potentia, nobis iſta prodentibus effecit: ut ſi quando in dubium uenerit, Eſſet'ne prouidentia ulla, nunc luce conſtiterit clarius, uigere præpotẽs numen, cuius nutu uel minima quæq́ dirigantur diſpenſenturq́. Quo enim tempore commentabamur iſta, exortum eſt atrox in Venetos bellum, conſpirãte in eos uniuerſo occaſu. In primis uerò Romanæ eccleſiæ pontifex longe clariſſimus Iulius, eius nominis ſecundus, aduerſum præpollens terra mariq́ imperium ſpiritus erigere auſus eſt, reuocaturus ciuitates eccleſiaſtico imperio ſuperioribus annis ui ademptas. Sed ad tantam belli molem prætenues erant animi ingentis uires: peregrinis ergo auxilijs opus uidebatur, ne uana fieret ſine robore indignatio. Adiunctus igitur Maximilianus primum imperator, mox & potẽtiſſimi reges duo, Gallus, Hiſpanusq́. Aderant in Italia parati ad partes reguli aliquot, Alphonſus Ferrariæ dux, cui pater Hercules fuerat, ſingulari prudentia uir, & in bellicis rebus cuilibet ferè ueterum comparandus. Eum nos uiuentem uidimus ſæpe, nec ſine admiratione præſigni, quum prouerbij uice paſſim tota Italia uſurparetur Herculis ducis callidĭtas, cui plus ineſſet ingenij, quàm cæteris omnibus, quotquot bellandi uſu cenſerentur ab Alpium radicibus ad fretum. Eum Veneti annum uigeſimum ſeptimum ante quàm nos hæc promeremus in literas, illato bello ex contẽtione de finibus, bona principatus parte exuerant: ademptum enim Rhodigium metropolis regionis eius, quam inter Padum Ateſinq́ poſitam Polĭcinum uulgò dictitant, Cheroneſum Græci, ſed & Latini nuncupãt. Interluit Plinij teſtimonio nobilis Tartarus. Apparent multis locis Philiſtinæ foſſæ ueſtigia, cuius eſt apud eundẽ mentio. durat etiamnum nomen, ſed paulum modo luxatũ, qui uetuſtatis mos eſt, Piſtrinam dicunt. Adempta & oppida duo iuris Rhodigini Lendenaria, & Abbatia, ademptus & agrorum numerus magnus, qui fertilitate ac frugum bonitate certant cum optimis quibuſque, ut non minus uerè dici poſſint Italiæ ſumen, q̃ olim Roſeæ campos dixerat Vopiſcus Cæſar. Iniuriæ tam inſignis memoria perurgebat filium: qui paternæ uirtutis hæres quoq́, ac multis nominibus Veneto infenſus, ſumma ui affectabat, reuulſas ab corpore uelut particulas pro uirili in integrum reſtituere. Affuit & Franciſcus Mantuanus marchio, ut nunc loquimur, cuius maiores ijdem Veneti male mulctaſſe uidebantur. Affuerunt & alij, qui omnes tanquam ad commune incendium reſtinguendum coorti conſpiratu mirabili, Venetum undiq́ infeſtare cœperunt

runt. Gallorum rex Lodouicus Italiam ingreſſus copijs egregiè ad belli uſus ſimul armis, ſimul ductoribus ac bellandi peritia inſtructis, ad quadraginta fuere hominum millia, citra Abduam fluuium ferè millibus paſſuum duobus conſedit. Pontificis exercitus Fauentiam Rauennamq; inuaſit. Venetorum copiæ ad quinquaginta hominum millia Gallis ſeſe obiecerant. Defecerat oppidum nomine Triuilium ad Gallum. Id ſitum eſt in Abduæ ripis. Aduam uocat Polybius. Eo nomine inflammatus ira Venetus, & indignatione præceps ſumma ui id oppugnare adortus cepit. Vbi nullum non crudelitatis genus in oppidanos æditum, quanquam ducibus inuitis. Ciues interfecti omnes cum puberibus. Patuerũt ad libidinem uiliſſimi cuiuſq; infeliciter natæ uirgines mulieresq;. Viceni triceniq; miſeras etiam in propatulo conſtuprabant. Nec ſacris corporibus ira pepercit uictoris. Oblatam audio CHRISTI ſuffixi tremendam imaginem, additis, quas tempus exigebat, luctuoſis precibus. Sed cæca rabies, in ſuamq; ſurda perniciem exculcat omnia, æquatq; ſolo. Dictu nefas eſt, quod ſequitur, & ipſe narraturus contremiſco, quod militaris impietas perficere non expauit. Conditorium ſacroſancti corporis, in quo reſtituti omnes ſumus, rapturus auariſſimus miles, ineffabilis myſterij panem dicam, an uerius dei præpotentis filium profudit, ut uilius neſcioquid, ac gaudio geſtiẽs, quem ſupercæleſtis natura reformidat, laudant cęli, ueneratur quicquid eſt, humi etiam, ut opinor, liquit iacentem. Sed audi quod inſecutum eſt, Haud ita multo interiecto tempore, diſcordi ab hiſce belli primitijs exercitu Veneto, pars una Gallum, Prandinũ oppidum haud ita ab flumine diſſitum inuadere cogitãtem, ducentis fermè ab fluuio paſſibus audacius adorta eſt inter Caſſianum, Triuilium & Riuoltam ſiccam, id loci nomen eſt. Ibi commiſſo prælio acri, uictor Gallus, tum conſilio & uiribus, tum bellicis tormentis, quæ inter uepreta mirabili arte defixerat, ad decem millia hominum confecit ex hoſtibus. Machinas omnes, quæ innumerabiles erant & pretioſiſſimæ, cepit. Captiuorum numerus, & ſpoliorum immenſus. Tantus uerò Venetum terror inceſſit, ut equitatus omnis turpiter ſeminudus fugæ ſe mãdaret, tam præcipiti curſu, ut per multa millia paſſuum munimenta equorum, hominumq; abiecta paſſim uiſerentur. Nec tamen incruenta ſtetit uictoria tunc Gallo: quinq; ferè milia deſyderata. Quod ſi, ut prædicant pleriq;, ambitione reſecta, Bartholomeo Aluiano, qui in hoſtes impreſſionem fecerat, comes Petilianus opem ferre non recuſaſſet, non mediocri clade conſtaturam fuiſſe Gallo putant eius diei pugnam. Cæterum utcunq;, ab eo prælio tam improſpero, tamq; ominoſo, ut mox euentus docuit, inſigne ſpectaculum cunctis gentibus de ſe præbuit Venetum imperium. Siquidem ueluti acciſæ forent omnino uires urbis paulo antè florentiſſimæ, exercitum militibus conſcriptis reparare, ciuitates confirmare, ualido impoſito præſidio, Venetus negligere eſt uiſus. Scires altius, quàm pro ſpecie infixum uulnus ſtare. Nec id ferè latuit. Nam quum accepta foret clades quartodecimo Maij, ſalutis anno milleſimo quingenteſimo nono: intra diem tertium & uiceſimum amiſit Venetus Italiæ principatum nõ paruũ, ad lacunas ſuas tãtumnon infeliciter redactus. Mira certe res fuit, tam breui ſpatio exui imperio, quod deſudantes maiores uix annis centum, maximis artibus domi belliq; adminiſtrata republica, ciuitati omnium nobiliſſimæ adiecerant. Admirationem augent urbes munitiſſimæ, quæ ueluti dato ſigno, ad hoſtem nulla prorſum ui expectata defecerunt. Arripuit ergo Gallus Cremonam, Bergomum, Brixiam, oppida multa, quæ in regionibus illis uiſuntur. At imperator ſedens etiamnum domi, & (quod aiunt) poſt principia conſtitutus, nec uiſa omnino Italia, Vincentiam, Veronam, Patauium, ubi tunc nos iſta euigilabamus, Goritiam, Tergeſte, totum Iulij forum, Vtino excepto. Alia ex parte Pontifex ad uexillum reuocauit eccleſiaſticum Rauennam, Fauentiam, Ariminum, Ceruiam. Ferrarienſis dux Rhodigium, & reliqua eius loci ſumma alacritate recepit. Cedit hoc in laudem Cheroneſi noſtræ plurimam. Ab ea intercepta prius non deſiiſſe Italiam Herculis ducis ingenio agitari motibus, dum poſſeſſione Venetos deturbare ſtudet. Quin & ipſum hoc tam funeſtum bellum illinc parte plurima pullulaſſe conſtans opinio eſt. Adiecit imperio Alphonſus Montem ſilicis & Atteſte: unde principes Atteſtini creduntur cognominati, quos Eſtenſes dictitat imperitum uulgus. Id poſtea quàm reſciuere Veneti, negotio ad ſenatum relato, credo, alia ſuper aliam nuntiata clade, principes alioqui prudentiſſimos, & Leonardum in primis

mis Lauretanum tunc Venetiarum ducem adeo concepta uicit indignatio, ut ueſtigio decerneretur, copijs omnibus quum terreſtribus tum naualibus petendum eſſe Rhodigium, atq; ita æquādum ſolo, ut deinceps Rhodigium quæreretur Rhodigij. Cæterum ubi id amplius perpendētibus mox eſt uiſum irati potius ſenatus conſilium, quàm principum electiſſimorum ſententia, antiquata ſtatim res eſt. Porrò utcunq; imperatore nimio plus ceſſante, quum ſine præſidio eſſet omnino Patauium, Venetus, qui paulo antè de ſalute publica deſpondere erat uiſus, oblata rei benè gerendæ opportunitate, ad ſextumdecimum calendas Sextiles, ad ſolis emerſum cum delecta manu equitum leuis armaturæ prius, mox & peditum, qui cladi ſuperfuerant, Patauium irrupit. Adeoq; inopinata res fuit, ut in foro prius diui Marci uexilla ſint uiſa, quàm ullus omnino hoſtium præſenſerit aduentum. In quo mirari licet Venetorum illuſtrem clementiam, capta erat ui quodammodo urbs Italiæ clariſſima, ſuperfuit illis tamen altitudo animi tanta, ut citra ullam omnino cædem tranſacta res ſit, etiam ſi defectione fuerant uehementer commoti, quod Venetæ urbis eſſe ueluti cor, Patauium uideatur. Ceſſere in prædam Iudæi modo, necnon domus omnes eorum, qui nouis rebus ſtuduiſſe uidebantur, in quorum aliquot Venetias miſſos ſæuitum amplius eſt, & certe Patauina nobilitas inſequentibus temporibus, atrociſſimo ex defectione conflato odio, tantumnō ad extrema dilapſa eſt. Vidimus ipſi per ſummum terrorem milites auide propoſita diripientes bona, clamores diſſonos hinc inde audiebamus inuicem ſe uulnerantium prædatorum & fœminarum ſeſe afflictantium, impuberumq; miſerabiliter fortunam deplorantium ſuam. Affuit & ruſticorum uis magna, quibus connitentibus maxime confecta res erat. Proinde in prædæ partem irruebat efferata illa quoq; multitudo: unde, ſicuti neceſſe erat, tumultus obſtrepebat intolerabilis, inſueto præſertim, quando & incognitum erat, quo'nam progreſſura foret uictoris ira, expectante unoquoq; cædem, incendia, rapinas, ſuſpendia nobilitatis Patauinæ. Sed clementius mox acta omnia. Ex Veneto exercitu uiolentius, & præter inſtitutum graſſantes pleroſq;, rapientesq; uidimus gula fracta paſſim tota urbe propendentes, ſeueriſſimè pœnas exigente Andrea Grito, quem tum copijs Venetus præfecerat, quiq; annis aliquot pòſt dux eſt Venetiarum creatus, & nos patriæ nomine gratulatorium illi Panegyricum diximus. Inſequenti die capta arx quoq;, deditionem faciente Leonardo Dreſano Vincentino nobili, qui Imperatoris nomine Patauium fuerat ingreſſus. Capti ibi quoq; ciuium multi, omnes Venetias miſſi. Paulo pòſt & Patauini alij, qui modo ſuſpicionem aliquam de ſe facerent. Eodem impetu recipitur Mons ſilicis, Atteſte, Montagnana. Contigit & mira res: plebs omnis, nō Patauij ſolum, ſed alibi quoque pro Veneto imperio ſtare, ruſtica turba eōdem tendente. Qua etiam latenter graſſante, Mantuanus marchio Franciſcus rei militaris peritiſſimus, & imperatorijs artibus inſigniter perilluſtris apud Inſulam Scalæ, id in Veronenſi agro loci nomen eſt, interceptus Veneto traditur, ductusq; Patauium diui Laurentij die, qui eſt Auguſti decimus, confeſtim & ipſe Venetias mittitur. Iuſſu deniq; Pontificis diu pòſt liberatus, in patria ſe in poſterum continuit. Eodem ferè tempore affuit Imperator exercitu numeroſiſſimo Patauium expugnaturus. Erant in caſtris præualidarum gentium peritiſſimi ac fortiſſimi milites, Germanus in primis, deinde Gallus, & quum ab rege tum ab Pontifice miſſi Hiſpani. Nec Italicæ uirtutis flos deerat, Hippolytus Atteſtinus, & idem Alphōſi Ferrariæ ducis frater, uir animi excelſi, uirtutis expertæ, ingenij ſemper in numerato, & rerum nouarum auidiſſimi eos ductabat. Erat hic quidem honore Cardinalis ac Pontifici gratiſſimus, ſed Herculi patri ſimilior, quàm eius loci ſacris uiris, Veneto infeſtus in primis ex antiquarum iniuriarum memoria. Quamobrem paternis odijs nimio plus imbutus uim magnā tormentorum ad belli uſus in caſtra conuexerat, quibus mœnia Patauina ſic quatiebantur, ut ſtadiorum ferè trium ſpatio, ea urbis parte, quam Caudam uocant longam, non procumberent ſolum muri, ſed penitus extererentur. Cæterum miro ingenio & celeritate inenarrabili Venetus introrſum militarem excitauit aggerem per totum ferè urbis ambitum, qua modo uiderentur hoſtes impetum daturi, die noctuq; opere cōtinuato. Adiacebat aggeri extrinſecus foſſa pedum altitudine quatuor, in imo ſubſtratus erat puluis ad apprehendēdum ignem, & omnia fumo incēdioq; momento complenda mirificæ naturæ; ſarmenta puluerem conuelabāt: ſi quādo inſurgeret

geret hoſtis mœnia inuaſurus,ſumma alacritate deuolabãt delectiſſimi pedites lanceis inſtructi,ac introrſum inſidentes imo aggeri,qui ab ea parte accliuis erat, maximo contemptu irruptionem operiebantur. Tantam uerò præ ſe ferebant animi altitudinem, ut ſibi pollicerentur identidem,nihil unquam auſurum hoſtem quamuis audaciſſimum ſe rociſſimumq́,& (quod maximum eſt) miro fortunæ afflatu elatum. Quin & feles lancearum apicibus,orbe ligneo ſuffixo,alligabant,ſurrectisq́ in proceſtrijs (ſunt hæc munimenta caſtrenſia) lanceis,iocis militaribus & inconditis hoſtem ad felium uenationẽ prolectabant. Vidimus nos uniuerſa hæc, quumq́ arderent bello omnia, & ænei globi tormentis excuſſi noctu magis,ſed & interdiu ſæpe circumuolitarent aures, & ſingulis horis pro aris,focis uitaq́ dimicaretur,tamen etiam ſi terrore tum præſentium, tum iam iam ingruẽtium malorum æſtuaret mẽs,omniaq́ nõ ſimulacris, ſicuti aſſolet plerumq́, atq́ imitamentis,ſed ululatibus ueris ac ſpirantibus quaterentur, iſta commentabamur. Durauit ſeſquimenſem ferè obſidionis calamitas. Nam repente Octobribus callendis nulla euidenti cauſa,conclamari uaſa iuſſit Imperator,ac re infecta raptim tranſmiſit Alpes. Quo tanto ſucceſſu Venetus, de quo pauloantea conclamatum uidebatur,gloriari plurimum cœpit,ut qui peditum quindecim millibus,equitum leuis armaturæ millibus quatuor,grauis,ſeu cataphratorum non octingentis amplius, quas uires ſub obſidionem ipſam mira celeritate contraxerat, hoſtiles copias, in quibus ferebantur peditum ad octoginta millia,equitum uiginti, ſumma uirtute præter omnium ſpem reiecíſſet. Fuit ea æſtate ſiccitas adeo æſtuoſa, uix ut perennes ſuffecerint amnes. Ea res plurimum iuuiſſe hoſtes credebatur,ita ut paſſim militari iactaretur ioco, Deum eſſe Germanicarum partium. Commeatus haud ita arcti habebantur. Quòd ſi diutius oppugnata urbs foret, in tanta hominum multitudine haud dubiè tandẽ uentum eſſet ad inopię ultima. Sed hoſte demigrãte,confeſtim laxior rediit annona. Omnino toto eo tempore terrores urbi inferebantur atroces,tanta Barbarorum multitudine circumſtrepente,acſub inde aſſultante. Nuſquam tamen armis mœnia inuadere adortus eſt tam formidoloſus hoſtis. Nec unquam ad certamiuis aleam uentum: ſemel tantum Hiſpani quidam,trecentos fuiſſe conſtat,munimẽta inuaſere,quibus ferro igniq́ abſumptis, plus deinceps minarum,quàm uis apertæ fuit. Cæterum Venetus iamiam ſibi fidens animoſius, ueluti interceptas urbes repetiturus per magnos imbres Vincentiæ ſigna intulit. Aqua nullo negotio deditione facta,belli peſtis Veronam petere eſt uiſa: ſed ibi maior ſe rerum moles oſtentauit: quamobrem deflexit Venetus,Rhodigina Cheroneſo recepta,uelut ſumma ui Ferrariam oppugnaturus, paſſim per edicta euocatis omnibus ad urbis opulentiſſimæ prædam. Aderat claſſis item inſtructiſſima,triremes ad uiginti, aliarum nauium numerus non paruus. Iam progreſſus erat nauticus exercitus aduerſo Pado ad locum, quem uulgò dicunt Guardiam: uicus is eſt flumini adiacens, diſtat Rhodigio ſeptem millibus paſſuum. Ac in Padi ulteriore ripa, quæ agri Ferrarienſis eſt, militaria excitarat munimenta,tormentis omnifariam inſtructa. Promptiſſimus quiſq́ miles locum tuebatur. Galli uerò,qui Brixiæ, ac paſſim in citerioris Galliæ urbibus hybernabant, Venetorum impetu excitati Veronam citatiſſimi petunt, protinusq́ Vincentiam inuaſuros ſe,comminantur. Quo terrore Venetus ab inſtituto retractus,Leonicum petere cogitur,agri Vincentini id eſt oppidum. Claſſis interim quamuis terreſtris exercitus præſidio deſtituta,nihilo minus ſuum obtinebat gradum. Præerat Angelus Triuiſanus. Munimento tantum erant equites ferè mille armaturæ leuioris, & pedites totidem. Nauticus miles nulla non die Ferrarienſem agrum peruagatus,ferro & igni omnia deuaſtabat. Bellicis terroribus ſqualebant uniuerſa. Inſederat ea res altius Alphõſo duci, quàm tum præ ſe ferret. Sed rei bene gerendæ opportunitatem opperiebatur. Quæ ubi adeſſe eſt uiſa,contractis Gallorum Hiſpanorumq́ millibus aliquot, ſuis nimio plus ad omne facinus animo paratis,miro ſtratagemate manipulos aliquot emiſit, qui munimenta inuaderent quidem,ſed mox ſimulata fuga,retrò cederẽt,ſinerentq́ leuioribus ſe tormentis ſpoliari. Factum id per biduum aut triduum. Veneto inde ſpes creſcere, hoſtisq́ eſſe contemptui. At is mox infra munimẽta, ex aduerſo ſtantis in Pado claſſis machinas robuſtiſſimas capaciſſimasq́ ad fluminis aggerem impegit, ea arte, ut eo perforato,pilæ ferreæ ponderis maximi ad æquilibrium aquæ excuti poſſent. Adiuuabat negotium flu

minis

minis incrementum, quo altiores factæ naues machinarũ ictibus facile ſcopi cuiuſdam modo exponebantur. Igitur ad arbitrium compoſitis omnibus, quicquam eorum Veneto ne ſuſpicante quidem, dato ſigno, hinc munimentis ſigna noctu inferuntur: hinc claſſis impetu inenarrabili tormẽtorum ictibus peti, confringi ac comminui cœpta eſt: tantus uerò ſiue ex re inopinata, ſiue periculi magnitudine timor nauticos corripuit, ut paſsim deſilirent in Padum, nec cogitatio ulla uerſaret animum, præter quàm de fuga. Omnibus ergo attonitis, naues aliquot deprimuntur, inter eas inſignis fuit etiam Prætoria triremis, auro ſplendida, & ornamentis alijs regiæ inſtar exculta. Eam tamen mox ducis Ferrarienſis induſtria reuocauit in ſiccum, cõcinnatamq; cum quatuordecim alijs Ferrariam perduxit. Captæ item naues aliæ non paucæ. Munimenta in fluminis ripa ſtatim expugnata. Fuit ea res Alphonſo magnifica omnino, ac neſcio an cuilibet ueterum par, ſiue ingenium cogites ipſius ducis, ſiue rem ab eo perpetratam, quam ex Atteſtinis nemo unquam ſperare eſſet auſus. Quippe Venetum paulo antè late terra mariq; pollentem, ne torue quidem ſpectare ſuſtinuiſſet. Accedit ornamento, hoſtis confeſsio. Palam ſiquidem Venetus prædicare, tot bellis mari aduerſus Turcarum gentem ualidiſsimam geſtis, non ferè unquam atrociorem cladem uno prælio reipublicę inflictam. Etiam ſi in Crotoniate ſinu bello in Mauros ſiue Sarracenos triremes ſexaginta cum bellatoribus tantum non abſumptas, proditũ annalibus ſit, quin Liguſtico bello etiam multo plures. Geſta uero res eſt undecimo calendas Ianuarij, milleſimo quingenteſimo nono. Inſequens annus miteſcente demum ira Pontificis, Venetum ab diris liberat imprecationibus. Verum cum Gallis perſeuerante nihilo minus bello, Liniacum alioqui munitiſsimum ab illis per proditionem intercipitur. Situm id in Ateſis præripijs eſt. Venetijs uero remittitur dux Mantuanus, pontifici prius Federico filio obſidis nomine tradito. Hoc eodem tempore copijs eccleſiaſticis quati cœpit Ferrariæ dux, conſpiratu in Venetos iam dilabente, ac ciuitatem nobiliſsimam Pontifice repetente, quæ iuris foret eccleſiaſtici. Inſuper & in eundem exertum anathema eſt. Sacrum ductabat exercitum Franciſcus Maria Vrbini princeps, à quo milite infeſto Mutina occupatur, mox & Ferraria oppugnari cœpta, quarto ab urbe lapide caſtris locatis. Regium quoq; Lepidi per deditionem captum. Obſidione premebatur & Mirandula. At quum ſegniter agi res uideretur, ingentis animi Pontifex Bononia digreſſus, contempta frigoris, ac niuium atrociore ui, caſtra petit, confeſtímq; facta deditio. Iam circumegerat ſe annus: quum q; munimentũ Pado adiacens ab copijs obſideretur eccleſiaſticis, Baſtiæ nomen loco eſt, expugnatis iam Lugo, Cotignola, Bagnacauallo, ex inopinato irruente Alphonſo, inſignis ibi accepta clades. Eodem ferè tempore Gallis ſuffragantibus, quod ab Pontifice diſsidere cœpiſsent, Bononiam ingrediuntur Bentiuoli, multaq; in Pontificis dedecus excogitata. Præterq; ruſticorum ſimul & Gallorum impetu afflictæ Venetorum copiæ cum eccleſiaſtico exercitu. Qua rerum proſperiore fortuna, Bentiuoli audacius Bononiæ arcem miro ingenio, & Pontificis cura haud ita pridem ſubſtructã oppugnare adorti, captam deniq; ſolo æquarunt. Paulo poſt initum fœdus eſt à Pontifice cum Aragonum rege Ferdinando & Venetis. Qui tota ui coorientes, ut amiſſa recuperarent, biennio ferè poſt Brixiam Gallo extorquent, atq; item Bergomum. Sed nec dum aſpirante Veneto fortuna, omnibusq; in diuerſum cedentibus, mox ui recipitur ab hoſte Brixia, & diripitur crudeliſsime per maximam cædem, in ſacra prophanaq; ira belli graſſante. Repetitũ & Bergomum, grandi pecunia mulctatis ciuibus. Cæterum, quia hiſtoriam ſcribere, non eſt noſtri inſtituti, iam ſequeſtrati ab terroribus bellicis ad noſtra regredie mur ſtudia, benigne ſtudioſis impertiẽdo, quæ per tot annos, quibus in hoc deſudamus puluere, ſunt intentiſsime obſeruata nobis. Proinde initum poſt tanta mala cum Gallo ab Venetis fœdus prætereo: atq; item prælium atrox prope Rauennam inter Gallos Hiſpanosq;, quo tempore ita acciſæ res Gallicæ ſunt, ut paulo poſt accepta clade altera ab Heluetijs, Italia prorſum exigerẽtur, & hoc pontifice Iulio etiamnum ſuperſtite, cui fuerat id in uotis uel maxime. Verum prius quàm hinc diuellar omnino, patriæ meæ cladem non reticebo, quam ab Hiſpano milite occupatã inuadens Bartholomæus Aluianus Veneti dux exercitus, leuis armaturæ equitibus non multis, ac peditatu perexiguo cõſtipatus, nocturno itinere hoſtibus eluſis diripuit, moxq; inde ſeſe proripiens Hiſpa-

nis iterum deuaſtandam reliquit. Quando nullum crudelitatis genus, quod edi in ciues poſſit, eſt omiſſum, tectis parte plurima exuſtis, ut agrorum depopulationem tranſeam, & iniunctam omnibus cõmigrandi neceſſitatem, ne militarem diutius feritatem & hoſticam rabiem pati cogerentur, eò progreſſam impudentiæ, ut à miſeris ſaccarum rubens & auſterum parari ſibi exigeret. Ac ſunt hæc quidem bellorum ſtipendia, quibus pro dignitate explicandis Thucydides mutus ſit, ac eo magis Saluſtius. Hi diſcordiarum inteſtinarum euentus, quarum atrocitate Italiæ uires conuulſæ Barbararum gentium cruentæ immanitati conterenda omnia permiſere. Verum hæc non Catonis animo ferenda, ſed Ciceronis potius, ac temporibus inſeruiendum, petendaq́ ex ſtudijs malorum lenimenta.

Digeſtionum ſpecies, & ſecretionum. Obſeruata multa de ſudore. Virgilij locus explicatur. Pilorum origo. Cutis ſordidæ ratio. Stegnoſis quid. Pſammiſmus. Aſſa ſudatio. Helioſis. Xeraloephia. Interibi adnotatur quid chylus, chymus, chilus, chloe, chelæ, hemitymbium, ardalia, ardanium, hemitybium. Hemiolæ fibulæ quæ dicantur. Caput II

QVi medendi ſcientia imbuti aliquid in ea facultate poſteris elaboratius, ſoli citiusq́ procudendum cenſuerunt, non unum eſſe perficiendi alimenti modum animaduerterunt. Nam cõcoctionem primam in ore quidem incipere, uerum in ſtomacho fieri, peragi tradunt in inteſtinis. Secundam exordia in meſeraicis ducere, fieri in hepate, perfici in craſſioribus uenis. Tertiam in minutulis uenis initium habere, fieri in capillaribus, cõpleri in earundem extremitatibus. Quartam denicq́ addunt alij in membrorum poris, ſeu meatibus. Cæterum digeſtione prima ex cibo fit chylus. In ſequenti ex chylo, chymus. Ex Theophraſti Ariſtoteliſq́ ſententia ſcribit Simplicis medicinæ libro primo Galenus, chymum intelligi, qui guſtu deprehẽditur: chylum uerò, quod ex elemento eſt humido & ſicco, caliditate iam percoctum. In tertia porrò ex chymorum globo humiditas quædam, nomine quidem proprio inſignis nullo, uerum ἀνώνυμος dicitur, id eſt innominatus humor. Percoctioni autẽ poſtremæ ſuus eſt locus, ubi quem diximus, humor membrorum ſeſe meatibus inſinuans maturatur, eisq́ perfectius aſſimulatur. Quam rem ſciẽter anadoſin uocat Galenus, quum intelligatur digeſtio ſolum, ubi in ſtomacho perficitur cibus. Apud Ariſtotelem quarto Meteororum lego digeſtionũ uocabula tria, πέπανσιν, ἕψησιν, ὄπτησιν. Pepanſin efficit per ſe ſumptus calor, epſeſin calori combinata humectatio, opteſin areſcens ſiccitas. Iis uerò opponuntur tria, homotes, molynſis, ſtateuſis. Cæterum uocabula hæc non ad ſtomachi rationem ſpectant, uerum ad fructus & carnes uel elixas uel aſſas, ſuper quare multa philoſophus. Admonendi uerò amplius tyrunculi ſunt, Chylum, ſi per υ pſilon ſcribatur, ab chilo differre plurimum. Eſt ſiquidem chilus per ι, herba uel fœnum, quod ſcribit Aelius Dionyſius, apud quem tamen per ει diphthongum comperi ſcriptum χειλός: unde apud Pauſaniam, ἐκχειλοῦσθαι, quo ferè neglectus ſignificatur. Chilos porrò dicitur item chloe, quanquam eſt & Cereris cognomẽtum, cuius in Attica uiſebatur templum. Chelas uerò, quod relatu dignum eſt, in primis lapides nuncupant marinis obiectos fluctibus, ne undarum impetu uiolentiore perpetim aſſultante conuellantur aggerum munimenta, uel id genus cæterorum. Dicuntur autem ſic, quòd boum ungulis ferè ſint aſſimiles. Platamonem Hippocrates ſaxum è mari prominens uocat, ac leuigatius. κραύεια χηλοῦτα, in Hiſtoria ſeptima Herodoti caſſides intelligunt forcipiculatas, nimirum ungularum imagine quadam, quod genus uerbo uno χηλώματα uocant, ac intextu fiunt: nam χηλοῦσθαι implicare eſt. Sed redeo ad inſtitutum. Digna relatu ſunt, quæ ſententias Hippocratis explicans Galenus ſuper iſs prodidit: Cibus, inquit, non it in corpus, neq́ alit, ni omni exuatur qualitate exuperanti extraneaq́. Proinde neceſſariæ digeſtiones ſunt, quarum ratio triplex pro ſuperfluitatum ratione: eſt enim redundantia quædam craſſior & feculentior, quæ ſecretio eſt concoctionis primæ in ſtomacho: alia uerò aquoſa eſt, quam ſequeſtrat digeſtio ſecunda in urinam, eſtq́ hepatis & uenarum, quod idem docuit De uirtutibus naturalibus ſecundo, & prima primi Auicenna: tertia porrò exuperantia ſubtilior etiamnum, quam efficit digeſtio tertia, ſeuocaturq́ per ſudores: qui propterea ſalſi ſunt, quod pars quidem dulciſſima leuiſſimaq́ tota ad corpus

nutrien

nutriendum aſſumpta eſt, pars autem alieniſſima, maximeq́ inconcocta tantum abſoluitur, quæ partim deorſum collapſa, & ſubſidens in hypoſtaſi uocatur urina, partim in corporis ſumma emergens ſudor eſt, utraque tamen ſalſa ob eandem cauſam prodeunt, quoniam portiones aqueæ terreſtribus admiſcentur, quod in ſalſis omnibus contingere, deprehenſum ab eruditis eſt. Quòd ſi terreſtris portio redundarit, ſapor reſilit amarus, ſi uero aquoſa, inſipidus. Adnotanda obiter medicæ ſcientiæ ratio inſuper non habenda: quorum ſit conſtitutio excellenter calida, quorumq́ ſtomachus bilis citrinæ affluxu redundantior, hoſce craſſioribus alendos cibis, minime uero tenuibus, ac concoctioni obuijs, quoniam bilis poteſtate facillime corrumpantur hi, quod in diuerſis fieri nequit. Inde minus accidit admirandum, Eſſe qui bubulas carnes nullo perficiant negotio, pullinas minime. Sed exorſa repeto. Hic uero non id abſque perpenſione tranſeundum, ſudorem non eſſe perpetuo eiuſdem ſaporis. Sudor certe capitis aut nullum emittit odorem tetrum, aut minus quàm reliqui corporis. Eſt enim locus capitis ſpirationibus opportunus, quia laxior eſt, etiam capillorum indicio. Loca, & quæ locis continentur, grauius nares offendunt, ſi præfarctis meatibus euaporationi nulla præſtetur libertas. Eſt tamen excrementum aliud fere innominatum, quippe quod multis haud ſit percognitum, quando & nimia ſui tenuitate uiſum effugiat. Ab ſcientiſſimis tamẽ, quibus referat arcana omnia ingenium maxime excuſſum, ac ut poeta inquit, capitale, ἀδηλοφάδεσα διαπνοὴ finitur, id eſt ſenſum latens expiratio: cui tamẽ inſit craſſioris retrimẽti nonnihil: proinde ampliorem caloris requirit uim, & fluoris impetum uiolentiorem, ne ſubſiſtat. Inde pilorum origo creditur, & cutis ſordidæ ratio. Illud inſigni perpenſione dignum, uocari Græcis ſtegnoſin, id eſt στέγνωσιν, meatuum cutis uitium, quo tranſmittere ſuperuacua prohibetur: cooritur affectio id genus aut meatibus præfarctis aut conſtipatis addenſatisq́. Denſationem myſin appellant Græci, uelut conniuẽtiam. Obſtructio exlentis contingit, craſſisq́ retrimẽtis, ſi forte confertius ad cutem fuerint dilapſa. At prouenit denſitas tum ab ijs quibus adeſt obſtringendi poteſtas, tum ab ijs quibus refrigerãdi. Ex ijs quæ de ſudorum aſtruximus ratione, amplius (opinor) innotuit, quo maxime argumento eminentiſsimus poeta, non rerum modo, literarumq́ ueterum doctus, ſed ſecretioris item doctrinæ abſq́ oſtentationis odio peritus, falſum alicubi ſudorem defluxiſſe, canat. Illud uero Dioclis ſane abſurdum uidetur, tradentis, Sudores eſſe præter naturã: ni medico haud ignobili efficax maxime ſuffragetur ratio, quippe ſi ſuo defungatur munere innatus calor, rectèq́ ab natura ingeſtus peruincatur cibus: ita exſuperans diffiatur humor, ut neutiq́ ſenſu percipi ualeat. Quæcunq́ uero uel balnei ratione uel exercitationis uel æſtiui etiamnũ caloris ſecernimus, ex uiolentis proueniunt cauſis. Certe in commentatione De uiribus naturalibus, ita Galenus ſanxit: Quanto ualidius intenſiusq́ comperiatur intimum calidum, eo amplius effugit ſenſum diffiatio. Nec illud in hac ſudorum diſertatione contemnendum: quod uſu quidem uenire compertius eſt, quàm ut probatione indigeat: ſed cur ita, ambiguũ ſane poteſt uideri. Quanto curioſius intentiusq́ ſudorẽ abſtergere perrexerimus, tanto is demanat profluẽtius. Ratio uero eſſe poteſt, quoniam refrigerari extrinſecus contingit, ſi non abſtergatur: fit autem id contingentis nos aeris frigore, qui quantumcunq́ ſentiatur caleſcens, dici tamen frigidus ualet noſtrorũ comparatione ſpirituum. Suppetit ratio item altera, quod qui iam profluxit ſudor cuti adhuc adiunctus, ita meatus præfarcit occupatq́, uix ut nouo pateat ſecretio. Promitur uero amplius in tergo ſudor, quàm ante, argumẽto illo maxime, quòd in parte quidem priore intus eſſe cõcauum locum animaduertimus, parum ab extimo ſecretum, in quem corriuari ſudor ualet: id in tergo fieri nequit, ſed foras obtrudatur oportet. Addunt, poſtica diutius ſeruare ſudorẽ poſſe, quia frigefiant minus, qua ratione in alijs maxime redũdat item ſudor, quod frigefactari nequeãt. Quid, quòd terga item corpulentiora habẽtur, proindeq́ & hument amplius: neq́ enim aliud caro eſt, quàm denſatus ſanguis: ut comprobat ſecundo De animalium generatione Ariſtoteles, ex frigiditate ac humiditate. Nam oſſa ex ſiccitate ac caliditate uolunt generari. Præſto item eſt humentis in tergo carnis ratio ex medullæ admotione, quæ per ſpinam delabitur. Ea item humectandi uim habet præcipuam. Nec id contemnẽdum, quòd in poſtica decũbimus magis, quàm innitamur pectori ſtantes, maior item ibi ex brachio-

rum iactatione motus. Porrò ſi per ſe profluat ſudor, ſpontaneus nuncupatur recte: ſi arte, tunc aut per harenam fit, paraturq́; : unde & Aeginetæ Paulo uocatur pſammiſmus, nam ſabulum pſammos dicitur: aut eſt clibani deſudatio, ſeu concamerata, qua ignis incluſi æſtu prolicitur ſudor, cuiuſmodi aſſa item dicebatur: aut eſt inſolatio, quam helioſin dicunt. Aridum ſudorẽ, id eſt ξηρὸν ἱδρῶτα dici putat Euſtathius, qui non balnei prouenìat ui, ſed exercitatione aut labore: ſicuti xeralœphiam intelligimus citra lauacrum obunctionem factam. Sanguineum ſudorem efficit conſtitutionis prauitas, corpore laxiore, ſanguine præterea humecto, aquoſo ue, ex inſiti caloris imbecillitate, cuius poteſtate decoqui debuit, ac denſere. Hanc uerò cibi plerunq́; præſtat exuperãtia. Sudarium uerò eſt, quod Græcè hemitybium uocant: id Aegyptiũ arbitratur Pollux, & in comœdia quam mediam appellant, capſidrotium inuenio nuncupatum. Hemitybij meminit Ariſtophanes in Pluto. Exponit interpres, dici ita ῥάκη ἡμιτριβῆ λινᾶ, id eſt ſemitritum lineum pannum: uel ὑπόστομον φακιόλιον, id eſt utrinq́; fimbriatum phaciolium. Videtur eſſe mendum Pollucis exemplarium: ſcribitur enim modo hemitymbiũ, quo uocabulo dicitur Græcis paruum ſepulchrum. At hemiolias fibulas Hiſtoria quinta nuncupat Herodotus, dimidio alijs maiores. Congruit huic loco uel præcipuè quod Pherecrates ſcribit, quendam inducens è febre extergi ſe iubentem, interimq́; inſuſurrantem, ſudorem mihi, & ardaliam σπόγγιον, id eſt ſpongia perſiccato. Ardanium uerò figlinum eſt, inquit Pauſanias, unde potant bruta, quod ante ianuam proponebatur, ab ἄρδω, quod rigo ſignat: ſed & uas, unde aſpergimur aqua templum ingreſſi, dici Ardanion ualet.

Saltationis laus, & origo de Græco penu. Hymnorum genera. Proſodion, hyporchema, ſtaſimon, proſodiacum, apoſtolicũ, parthenion, ſpaſinum. Aethiopum mos. Merionæ, Pyrrhi, Syracuſanorum hiſtoria. Pyrrhichium. Elephantes ſaltationis periti. Virgilij locus enarrat. De Proteo pauca. Cap. III

Saltationis rationem non fuiſſe ueteribus uulgarem aut contemptibilem, argumento eſſe multa poſſunt, id uerò in primis, cærimonias nullas, aut teletas paulò antiquiores fuiſſe, quibus non adhiberetur ſaltatio, quam rem eo grauiorẽ animaduertimus quod à magnis profecta auctoribus uidetur, Orpheo uidelicet, ac Muſæo, qui ut honeſtiſſimum quiddam ſanxiſſe traduntur, cum rhythmo initiari, et ſaltatione. Quo factũ eſt, ut qui myſteria prodidiſſent, eos dictitarent plerique ὀρχήσασθαι, id eſt deſaltaſſe: ad quod aduerſus Androtionem alludens Demoſthenes, ὀρχησάμενον pro eo, qui uertiſſet terga, poſuiſſe uidetur. In Delo certe ſacrum obibant nullum abſq́; ſaltatione, ac muſica: prodibant autem puerorum chori, tibijs, ac cithara præcinentibus, è quibus ſelecti peritiſſimus quiſq́; ſaltabant. Eorum item cantilenæ ab ſaltationis uſu dicebãtur ὑπορχήματα. Erant autem hymnorum genera tria, proſodion, hyporchema, ſtaſimon. Proſodion λιτανεία, ſiue ſupplicatio dicebatur cum hymno, ubi deos adirent, ac ſacrificium ad altare proferrent. Sunt qui cantum putent modo, qui dei hymnum contineat: nam & Athenienſes Demetrio aduentanti pæanas concinebant, & proſodia. Genere autẽ fœminino proſodia cantus eſt, ſi muſicum accedat inſtrumentum. Hyporchemata uerò concinebant ſaltantes in altaris ambitu, ubi iam igni admota forent ſacra. Celebrantur cretica hyporchemata, ex Cretenſium ſaltandi ſtudio, uti ſcribit Athenæus: illis enim ſaltatio erat patria, κατὰ λυβιστῶν. Hyporchematicẽ ſaltant apud Pindarum Lacones. Communis uidetur uiris, mulieribusq́;. Modi eius cenſentur præſtantiſſimi, proſodiaci, apoſtolici, qui & parthenij dicũtur. Dici hyporchemata putant, quod inter ſaltandum ferè generoſum quiddam ſeruarent, ac uirile. Mox autem, quum quieſcentes canerent, uocabantur ſtaſima. Spaſinum uerò ualli nomẽ eſt, ijs qui Tigrin accolunt, ut ſcribit Dion. Cæterum ubi aram ſaltantes obibant, ita more condito ſeruabant, ut ab ſiniſtris dextrorſum pergerent prius, zodiaci quadam imagine, cuius motus cælo diuerſus appareat, ab occaſu ad exortum: inde à dextris læuorſum, pro ratione cæleſtis uertiginis. Hæc uerò eo appoſui gratius, quod ijs Maroniana ſenſa proferuntur in lucem, quæ illotis pedibus adeunt plerique omnes, uerſus ſunt Aeneidos quarto,

Delon maternam inuiſit Apollo,
Inſtauratq́; choros, mixtiq́; altaria circùm

Cretes

Cretes, Dryopesq́ fremunt, pictiq́ Agathyrsi.

Proditur memoriæ, Theseũ quoq́ in Delum insulam appulsum ex Creta, inibi saltationem inisse cũ pueris, quæ Labyrinthi præferret errores, orbibus orbes impediens, apud aram κέρατωνα, ex sinistris modo compactam cornibus. Cæterum de saltatione id genus mox item aliqua. Ne uero quispiam hæc Græcis tantum in more fuisse opinetur, inuenimus Indorum gentem, quod uel Arrianus significat, quibus oriẽtem solem uenerari consuetũ est, non arbitrari plenam perfectamq́ esse numinis cõsalutationem, ni adhibita saltatio fuerit: quod & suprema tẽpestate facere, instituti ueteris fuerat, sed cum taciturnitate dei, ut opinantur ipsi, effingere conabantur choreã. Græcis uero pluribus preces tum demum perfectæ uidebantur, si inter eas manum exoscularẽtur. At Aethio pes, cum iam cecinere bellicum, inferunturq́ signa, saltant uenerabundi, nec apud illos citra saltationem excuteret aliquis sagittam, quæ tela capiti, pro pharetra instar radiorum circumponere, gentium illarum mos est. Quin eo modo inijcere sese hosti formidinem opinantur. Sed & propinqua Aegyptus saltationis mirata excellentiam, sub fabellæ inuolucro sententiam & ipsa suam uidetur non occuluisse, quando Protea illum in uarias se demutantem rerum facies, non fere alium intelligunt, quàm saltatorem eximium, ad effingendum in primis docilem, ut nunc humectam liquidamq́ exprimeret aquæ uim, nunc ignis celeritatem motus uehementia, nunc leonis feritatem, aut etiam pardalis impetũ, furoremúe: postremo etiam uirgulti flexum, & quicquid omnino collibuisset ueluti Empusa quædam, cuius ipsius decantatæ poetis deformationes. Sed rogo te, audi, quid ex Homerica item lectione ad negotiũ præsens uenati simus: hic nanq́ poetarum longe clarissimus, & literarum etiam parens, quum iucundissima homini in digitos mitteret, somnum, amorem, cantum, postremã addidit saltationem, sed præclaro distinxit epitheto, dixitq́ ἀμύμονα, ut quæ reprehensionis morsum nesciret. Sed & alibi, huic quidem à deo contributam bellandi rationem, uimq́ scribit: illi autem saltationis artificem modum & optabilem cantum. Versus Homeri sunt hi,

ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν τε, καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Ceu plane innuat, eam esse prædulcem musicam, quæ non sit à saltatione abiuncta, dicaturq́ deorum pulcherrimum donum. Vbi & illud attendendum amplius, quum bifariam res distribuerit, in bellum & pacem, duo hæc tantum, ut pulcherrima, bellicis apposuisse negotijs. Verum & Hesiodus speciosissimæ laudis loco protulit, quum de Musis ita cecinit Theogoniæ initio,

Καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα ποσσὶν ἁπαλοῖσιν
ὀρχεῦνται, καὶ βωμὸν ἐειδέα κυκλώσαντες.

Quod circa fontẽ nigrũ molliculis saltant pedibus, in aræ paternæ tripudiantes ambitu. Quin Apollinẽ Pindarus orchesten dicit, id est saltatorẽ, quod & Homerici comprobarint hymni. Quinimmo etiã alicubi saltantẽ comperias Iouem, deorum, ut ueteres intelligi uoluere, principem. Propterea Socrates ille sapientissimus tantum abfuit, ut saltationem duceret uituperandam, ut inter illius documenta legamus, hanc quoq́ esse perdiscendam, uelut multum insit uenustatis in apto, concinnoq́ motu, & corporis afformatione cõposita, nec erubuit iam magno natu uir inter disciplinas serias habere saltationem. Cæterũ inquit secundo Legum Plato, reliquæ animantes sensu ordinis, inordinationisq́ suorum motuum uacant, quibus bene compositis nomen inditum est numeri, & concentus. Nos autem deos nostrarum celebritatũ comites habuimus, qui sensum numerosum, concinnum, suauem, periucundũ nobis dedere, modulos saltandiq́ genera docuere. Choros ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id est à gaudio nominauerunt. Itaq́ primam eruditionis rationem effici Musarum & Apollinis opera, perspicuum est. Inerauditumq́ hominẽ esse, qui choreæ Musarum expers sit, eruditũ uero, qui compos eius est. Totumq́ id genus in choream, saltationemq́ & cantum distribui declaratur. Quo fit, ut qui bene eruditus est, bene cantandi saltandiq́ peritiam habeat. Ex quibus utiq́ omnibus amplius perpendenti liquere potest, saltationem haudquaquam facilium, expositorumq́ artificem uideri. Immo sicuti grauissimis proditum auctoribus est, disciplinarũ excellentium apicem attigisse, nec musices modo, sed & rhythmices, necnon geometriæ, in primis uero phi-

rò philoſophiæ tum phyſices, tum ethices: ſed nec rhetorices expers cognoſcitur, quã tenus mores indicat, & affectus quos rhetores permouẽt. Verum nec à graphica ſeiungitur, aut plaſtice, quoniam harum cõcinnitatem eurhythmiamq; ſibi uendicat. Sed in primis memoria præcellens in ſaltatore exigitur. Immo uero iuxta Calchantem Homericum ſcire ſaltatorem oportet, τὰ τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα: quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur, ut nil prorſus eum lateat. Caput autem ſummaq; ſaltationis eſt, imitationis ſcientia, eorum quæ conceperit enuntiatrix, obſcurorum latentiumq; illuſtratrix. Et quod de Pericle pronuntiauit Thucydides, præcellens eſt ſaltatoris laus, noſſe quod deceat, & id ipſum poſſe explicare. Quoniam uero imitatrix eſt ſaltatio, prima in ea uirtus perſpicuitas, quam σαφήνειαν uocant, quæ in oratore deſyderatur in primis, ut eorum quæ exprimũtur geſticulatione ac motu, tanta ſit claritas, ut nullis prorſum ſit opus interpretibus. & quod Pythicum cecinit oraculum, ſaltantis ſpectatorem decet, non loquentem etiam, omninoq; mutum quodammodo audire ac intelligere. Proditum memoriæ eſt, quod ad præſens negotium mire facit, Cynicum Demetrium, cui uilior erat ſaltatio, dicere ſolitum, id genus artificij tibiarum uideri & fiſtularum parerga quædam, quando ipſum argumento cõferret nihil, motum modo adhibere uanum, & ab intellectu ſeiunctum omnino. Id quum inaudiſſet Neronis tempeſtate celebris ſaltator, & (ut uidetur) non imprudens, nec rudis quiſpiam: ſed multa hiſtoriarum memoria præcellens, & ſaltandi artifex mirus: Quæſo (inquit) Demetri, ne ſit oneroſum, me ſaltantem tua præſentia honeſtare: idq; nullis incinentibus tibijs, aut cãtibus prorſum demulcẽtibus: mox ſi uideretur, id artificij exploderet allideretq;. Adnuit Cynicus. Saltauit ille Veneris adulterium & Martis, Vulcanum à ſole commonitũ utriq; ſtruentẽ inſidias, illos claudi artificis fabri technis irretitos, aſſiſtentes ſpectaculo deos, ſuffuſam rubore Venerem, timidius ſupplicantem belli deum, ac quæcunq; fabella continet. Omniaq; tam ſubtili, tanq; artifici geſtu, tanta rerum (quod difficillimum eſt) perſpicuitate, tanta deniq; uenuſtatis gratia, tamq; plauſibili ingenio, ut exclamaret Demetrius, iam (ut uidetur) hilarior, plurimumq; negotio oblectatus, ἀκούω ἄνθρωπε, ἃ πιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν: Audio, ó homo, quæ facis, nec uideo ſolum, ſed etiamnum ipſis manibus mihi uideris loqui. Confirmarunt hæc ab Cynico pronũtiata barbari regis apud Neronem non inſcita uerba. Is ex Ponto ob neceſſitatem quãdam petierat Romam. Forte ita accidit, ut ſaltator idem neſcio quid ſaltaret tam perſpicue, tamq; (qui mos illius erat) concinne, ut ſpectans modo, nec eorum quæ dicerentur quippiã audiens percipiensúe, nihilominus intelligeret omnia. Igitur quum mox diſceſſurum Barbarum benignius amplexaretur Nero, ac petere iuberet, ſi quid futurum uſui arbitraretur, elargiturum ſe munifice: Plurimum me, inquit, iuueris, ſi ſaltatoris illius mihi copiam feceris. Miratus Nero, quum amplius quæreret, quid ita petere inſtitiſſet: aut cui inde rei futurum emolumento artificem duceret: Sunt, inquit is, accolæ mihi Barbari, lingua & moribus diuerſi, interpretum haud fere ſuppetit facultas. Quòd ſi præſto mihi fuerit hic, & re quapiam ab illis fuerit opus, nutu ac renutu, cæterisq; ſui artificij modulis, ſaltator mihi omnia conficiet, ut in reliquum ualere iubeam interpretes. Tantum docilis imitatio, & artifex peritia cõcinnusq; ac peragilis motus geſtusúe auctoritatis adeptus erat, ut nec immerito Pantomimi nomẽ Italiæ irrepſerit. Lesbonax quidem Mitylenæus, honeſtus plane uir & bonus, ſaltatores χειροσόφους, hoc eſt manu ſapientes ſolebat nuncupare, pergebatq; ſubinde ad ſpectacula, tanquam ex theatro melior reuerſurus. Equidem inter ſtudia reliqua hoc utiq; oblectationem ſpondet, illud uero emolumẽtum: at ſaltatio, ſi recte perpendas, utrunq; complectitur. Quin utilitas tanto inde uberior locupletiorq; eſt, quanto plauſibiliorem adnexam habet uoluptatis titillationem. Propterea multa mihi uariaq; rimanti, illa uidetur ratio ueriſsima, una cum mundi generatione, & amore illo uetuſtiſſimo diuina quadam ui in lucem prodijſſe ſaltationis primordia. Hanc quippe cœleſtis illa præmonſtrauit, & longe clariſſima ſtellarum ſyderumq; chorea, errantiumq; cum inerrãtibus complexio, ac concinna prorſum ſocietas, harmonicusq;, ac mirus ordo. Hæc ſi quis ſaltationis putet incunabula, ac exordia prima, ut reor, ab ueritate aberrarit non multum. Ea uero per ætates incrementis adaucta iuſtis apicem ſummũ attigiſſe pridem uidetur, ut uaria quædam res cen-

ſeatur

ſcatur, & omnifariam coaptata, congruenſq́, & bonum quoddam πολύμικτον, hoc eſt ſcientiæ multiplicis. Principem uero omniũ Rheam aiunt, oblectatã artificio, in Phrygia quidem Corybantas, in Creta uero Curetas ſaltare iuſſiſſe. Affuitq́ inde mox emolumentum, ſi fabulatores libeat audire, euidens. Hæc enim illi ratio Iouem præſtitit incolumem, proindeq́ is arti præſtantiſſimæ σώτειρα debet, id eſt ſalutis contributæ præmium: ſic enim paternos euaſit dentes. Ea ſaltatio armata fuit, quam à Curetibus excogitatam primo, Euſebij quoq́ tempora teſtatiſsimum faciũt. Erat uero gladiorum cum ſcutis colliſio, ſaltabantq́ bellicum quiddam & entheon. Mox uero optimus quiſq́, ut maxime in Creta nobilitate putabatur excellere, ita ſaltandi artificem haberi, pulcherrimum honeſtiſſimumq́ cenſebat. Id ne quis ambigat, Merionem Homerus non uticq́ ſuggillaturus, uerum honeſtare meditatus, ὀρχηστὴν, id eſt ſaltatorem nũcupauit. Qua in re is adeo celebre iam indeptus erat nomen, ut non Græcis modo nota forent ea, ſed & Troianis hoſtibus, forte quia inter bellandum non tacita quædam agilitas & concinnitas, quæ ex huius artis peritia inoleuerat, ſeſe ſubinde oſtentabat. Homerica uero carmina, ſi quis exhiberi ſibi protinus expetat, hæc ſunt:

Μηρίονη, τάχα δή σε καὶ ὀρχηστὴν περ ἐόντα
ἔγχεϊ ἐμῷ κατέπαυσα.

Sunt qui Syracuſis ſaltationem primo exortam prodant, à tyranni Hieronis immani ſæuitie: qui inter alia dictu immitia, Syracuſanos etiã mutuis uti colloquijs uetuerit. Quæ uero neceſſaria forent, pedum, manuum oculorum nutibus indicijsq́ iuſſerit petere, unde mox ſaltationi exortũ peperit neceſſitas. Pyrrhus uero ille tantus Achillis filius, quo bellante corruiſſe Ilium creditur, alioqui inexpugnabile, celebratus hoc artificio uſq́ adeo eſt, ut quum ſpeciem illi pulcherrimam adieciſſet, Phyrrichium ſit ab eo nuncupatum, de quo tamen plura mox. Sicuti etiam in metro pes, quanquam ab præceleri, & proinde ignea mobilitate inflecti malint alij. Nam & à pedum celeritate ipſi quoq́ cõciliatum nomen Pyrrho aſtruunt nonnulli: quo argumento etiam Cineſias ſit cognominatus. Apud Lacędemonios, qui inter Græcos diu habiti præſtantiſsimi ſunt, ſaltandi ſtudiũ non erat incelebre, quando ephebi non accuratius ὁπλομαχίαν, quàm ſaltationem perdiſcebant. Ab Caſtore uero ac Polluce acceperant καρυατίζειν, id eſt caryatiſſare. Species uero ea ſaltationis erat, uocabulo à Caryis ducto, quæ eſt in Laconia ciuitas, ubi maxime exerceretur. Eiuſdem porro rei ſtudium eo uſq́ progreſſum in Theſſalia, legimus, ut ſtrenuos uiros, & in dimicãdo principes, quos uocant πρωτάτας καὶ πρωταγωνιστάς, illi πρωορχηστῆρας appellarent, hoc eſt planipedes primos. Manifeſtum id ex ſtatuarum item titulis: quas ijs, quorum ſtrenua fuiſſet opera, excitabant, πρὸ νεὼ πρωορχηστῆρα ἡ πόλις. Et alibi, ἐλαπίωνι τὰς εἰκόνας ὁ δῆμος ὑπὲρ ὀρχησαμένῳ τὰν μάχαν. Non paruo quoq́ argumento fuerint epitheta item uaria, quibus ſaltator eximius diſtinguebatur apud Græcos. Ea ut propria ipſorum lingua habentur, ideo apponere conſilium fuit, quoniam uix citra faſtidium audiri tralata poterant. Sunt uero ex multis hæc præcipua, cuphos, elaphros, pedeticos, haltícos, euarmoſtos, eurhythmos, euſchemon, hygros, epidictícos, pantadapus, eutreptus, demagogicus, demoterpes, prochiros, tachychir. Apud Indos Arrianus ſcribit, elephantes quoq́ ſaltationem doceri, & exercere. At Sybaritæ in conuiuia equos introducebant ita imbutos, ut incinentis tibiæ cantu audito, ſtatim arrigerentur, ac pedibus ipſis prioribus, uice manuum, geſtus quoſdam chironomiæ, motusq́ ederent ad numerum ſaltatorios.

Saltationum ſpecies: podiſmus, comus, pyrricha. Quintiliani obſcuritas illuſtratur. Pyrſurides, pyrimachos. Virgilij locus explicatur ex Georgicis. Saltationis partes. Siciliſſare quid. Pan chororum proxenus. Cap. IIII

Saltationum uero non unum fuit genus prioribus, erat ſiquidem in primis à cantu nuncupata emmelia, quæ tragica cenſebatur, ſicuti cordax comica, de qua mox item paulo. Eius commeminit Arrianus in commentario Indico: ſed ſatyricam putat, & à Libero patre in India inſtitutam. Sicinnis ab alijs, ut ſcribit Athenæus, ſatyrica intelligitur ſaltatio, unde & Satyri Sicinniſtæ nuncupati, quam Sicinnus excogitarit Barbarus, quãquam Cretenſem intelligunt alij. Saltatores enim fuiſſe Cretenſes, auctor Ariſtoxenus eſt. Alij à uerbo σείεσθαι, primumq́ Therſippum eandem ſaltaſſe. Has ſunt qui à Dionyſiacis miniſtris excogitatas, & item nuncu-

patas prodidere. Enopliæ ſaltationes, ſiue armatæ, fuere pyrrhicha, theleſias item, quæ ab ſaltatoris nomine ſic nuncupata fertur: fuit item xiphiſmus, podiſmusq́, nec non κῶμος, id eſt comus, & tetracomus Herculi ſacer, & bellicoſus. Nam quæ comaſtice dicebatur, non pugna modo erat inſignis, ſed etiam plagis. Armatos in Panatheneis pueros ſaltare ſolitos, traditū eſt. Quin & Mineruæ ſacrum maxime id habebatur genus, quod & catenoplion dicitur. Opla uero dici arma, nemo eſt qui neſciat. Interim de pyrrhicha illud non ſiluerim, inuētam à Laconibus uideri, nam & à Lacone Pyrrhicho inflecti nomen, Ariſtoxenus ſcribit. Bellicoſa uero ſaltatio eſt, quoniam & Spartani bellaces diu ſunt habiti, quorū filij ἐμβατήρια μέλη, id eſt embaterios perdiſcebant cātus, quos & enoplios dicunt. Spartani quoq́ ipſi in congrediendis hoſtibus Thyrtæi repetebāt poemata, uti eurhythmos cōcinnaq́ fieret motio. Deniq́ pyrrhicha Laconibus belli progymnaſma fuit, à quinto ætatis anno condiſcentibus ſingulis πυῤῥιχίζειν, id eſt pyrrhicham exercere. Hinc autem aperitur Quintiliani locus ex Oratoriarum inſtitutionū primo, de geſtus inſtitutione prima: Nam inquit, Lacedæmonios quidem etiam ſaltationem quandam, tāquam ad bella quoq́ utilem, habuiſſe inter exercitationes, accepimus. Auctor Ariſtoxenus eſt, gymnopædicam exercentes (pueri in ea ſaltabant nudi) mox ad pyrrhicham ſolitos emigrare. Sunt ut meminimus, qui Curetas primum enopliam induxiſſe ſaltationem opinentur, rurſum ab Cretenſi ordinatam Pyrrhicho. Et in ea Thaletem primum hyporchemata concinnaſſe. At hyporchematicos cantus omnes, dici creticos, auctor probat Soſibius. Lectum apud Ariſtotelē eſt, omniū principem, in Patrocli pyra uſum pyrrhicha Achillem, unde & inflexa nominis ratio ſit. Apud Cyprios autem Prylin hanc nuncupari. Pyrrhicham dici & chironomiam, Græci ſcribunt. Sunt qui à Pyrrho inuentam pyrrhicham prodant, ut diximus: à qua purrhicharij recte ablu reconſultis nuncupantur, Digeſtis de pœnis libro quadrageſimooctauo, quem tamen locum Græcę ignari literaturæ inuertere ſibi permittunt. Sunt qui arbitrentur, Pyrrhicham, ἐκ τοῦ διαπυρου εἶναι, eſſe uocitatam, id eſt quoniā ſit ignita quodāmodo ſaltatio Σωφρονος. Eſt & πυῤῥίχη χλαμύς, ἡ πελτάριον, id eſt eſt chlamys, uel pelta parua. De Pyrrhi autem Epirotę nomenclatura Pyrrhiadę nuncupati, quos nunc Moloſſos appellant. Pyrſurides, ad præſens inſtitutum pertinent nihil: ſunt tamen militares eo nomine phani, id eſt lampades, aut obeliſcolychni, etiam apud Ariſtotelem. legimus enim ὅτι πόρσις ὁ μακεδὼν, ἧ πᾶσαν τὴν μακεδονίαν κατασκευάσμενος πυρσουχίδας, ἀφ᾽ ὅτου ὀξέως ἐμάνθανε τὰ παντα χῆ γινόμενα Pyrimachon dicūt in pugna ἀνίκητον, id eſt inſuperabilē. Sed à diuerticulo fabulam repeto, ne ſit ſuperpondij nimium. Aſcoliaſmus ſaltatio erat Bacchi dicata feſtis, quæ uocant aſcolia. Quod theatri medio utres, quos uocant ἀσκούς inflatos obunctosq́, uno tantum inſilirent pede, ut delabentes riſum excitarent. Hoc agere apud Græcos dicitur ἀσκωλιάζειν. Ad quod apertiſsime Virgilius reſpexit Georgicon ſecundo, illo uerſu:

Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

quod inerudite nimis, καὶ ἀναγώγως, id eſt ineducate non perpendunt interpretes, negligentia prorſum fuſtuario digna. Aduertendum quoq́, qui uni tantum innitentes pedi ſaltant, quod uel tempeſtate noſtra frequentiſsimū eſt, dici item ἀσκωλιάζειν, & ſaltandi modum, aſcoliaſmum. Sed nunc non ab utre inclinatur uocabulum, uerum ab ſcolon, quod impedimentum itineris ſignat, quod claudicantibus euenit, atq́ ſurrectum palū. Apud Ariſtophanem, θερμοφοιτάζουσαι eſt oclaſma, ſaltatio Perſica, quam & ὑπώρχημα nominant. Fuit & Dionyſio ſacrum genus Phalicum, ſicut Herculi Callinicus: nam Thraciæ gentis & Carum colabriſmus. ſed armata item fuerat ſaltatio hæc: forteq́ fuerit ea, cuius meminit ἀναβάσεως ſexto Xenophon, dum ita ſaltantes prodit, ſe inuicem πυκνῶς admodum ſolitos ferire, demumq́ qui alterū exuiſſet armis, exiſſe Sidalca incinentem, illo perinde ac mortuo plane elato. Fuit & armata ſaltationis ſpecies carpæa nomine: in qua, poſitis armis, buſſequa iactabat ſemina, reſpectans ſubinde uelut formidine. accedebat prædator, id animaduertens buſſequa, correptis armis depugnabat. Hæc uero fiebant omnia rhythmice prorſum, præcinente tibia, demumq́ à prædatore colligatus ſator cum bobus abducebatur. Quandoq́ illum hic, uinctis à tergo manibus præ ſe agebat. Inuenimus & Bauciſmum ſaltatoris Bauci, Comon cognominabāt: ſed mōl-

licula

licula fuit, delicatiorq; ſaltatio. Inter laſciuiora genera bactriaſmus eſt, ac apocinus, apo ſiſis, ſtrobilus. Mothon uerò nautica res erat, ac oneroſa. Fuit & geranos ſaltatio: quam noſtris literis dicere gruem licet, numeroſa erat ſaltantium turba, quadam uolantium gruum ſimilitudine. Inſtituta primum ſaltatio fertur à Theſeo apud aram Deliam, dum exitum de Labyrintho imitatur. Dipodiam legimus Laconicam ſaltationem: nam quæ tibijs præcinẽtibus exercebatur, gingras dicta eſt, puto quia ſint tibiæ quas nuncupant gingrinas. Fuerunt item ſaltationes quæpiam enixiores, hecaterides & thermaſtrides. Verum hecateris manuum potius opera conſtabat: pedum uero thermaſtris, ſaltu quip pe exercebatur. Eclatiſmata muliebres erant ſaltationes. Apud Laconas erat item bibaſis, in qua etiamnum proponebantur præmia non pueris modo, ſed puellis quoq; ſaltu erat opus, interimq; nates pedibus contingere. Pinacides cur maxime dicerentur, non ſatis conſtitutum Pollux habet, an quod ſuper tabulatis fierent, an quod tabellas manu tenerent. Balliſmum dici inuenio ſaltationem tympanis crepitantibus, uel etiam cymbalis. Cuiuſmodi Parilibus fieret Romæ, quæ mox Romæa dici cœpere, ciuitatis fortunæ templum ſtruente Adriano. In Sicilia Ionicum ſaltationis genus erat Dianæ ſacrum. At angelicum habitum præferebat nuntiantis aliquid. In morphaſmo diuerſorum animalium erat imitatio. Erat item ſcops ſeu ſcopias ſaltatio, ex colli circumlatione, quadam imitatione auis. Leo autem formidoloſa fuit ſaltandi ſpecies. Erat ſua idiotis ſaltatio anthema nomine, quam ſaltantes ſic fere pronunciabant, Vbi nam mihi roſæ? ubi uiolæ? ubi apia florentia? Fuit & ſaltatio dicta κόσμου ἐκπύρωσις, id eſt mũdi deflagratio. Quæ uero dicebatur hormus, ephebis cõſtabat, ac uirginibus plane hormo ſimilis, hoc eſt ſegmento. Præcedebat quidem ephebus iuueniliter, & (ut mox in bello facturus erat, ſaltans: ſequebatur puella decenter admodum, ut hormus is uideri poſſet ex modeſtia connexus & fortitudine. Fuit quandoq; ſaltatio dicta Phrygia, conuiuijs dicata & ebrietatibus. Bacchicam ſaltationem in Ponto & Ionia tantæ fuiſſe uoluptati gentibus illis Lucianus ſcribit, ut ſtatutis temporibus oblíti omnium aliorum, deſiderent dies totos ſpectantes Titanas, corybantas, ſatyros, bubulcos. Quod uero mireris amplius, Exercebant id genus nobiliſsimi quiq;, ac ciuitatum maxime principes, ad præcipuam id opinati gloriam ſpectare. Dicas inde Italicas Carniſpriuij debacchationes prorepſiſſe. Nyſias item ſaltationes Dionyſiacas interpretantur, ab Nyſa. Eaſdem & Berecynthiacas credunt. Porro ne quid prætereatur, quo hi qualeſcunq; Lectionum antiquarum libelli fiant adminiculatiores, legimus haud ita pridem rhetoris Vlpiani commentatiunculas in Demoſthenis Olynthiacas, ubi ſic adnotatum inuenimus: Cordaciſmus, ſaltationis eſt ſpecies turpis indecentisq;: nam ſaltationum aliæ quidem bellicæ ſunt, ut pyrrhicha: nonnullæ uero ridiculariæ, quibus modo conciliatur riſus. Iis autem in conuiijs utuntur & theatris. Verba Vlpiani Græca ſunt hæc: κορδακισμός ἐστιν εἶδος ὀρχήσεως ἀσχήμονος καὶ ἀπρεποῦς. Φησὶ γὰρ ὀρχήσεως, ἡ μὲν ἐστι πολεμικὴ, ὡς καὶ ἡ πυρρίχη, ἡ δὲ γελαστικὴ, ἣ χρῶνται θεάτροις καὶ πότοις. Harpocratio autem in uerbo cordaciſmus, cuius meminit in Philippicis Demoſthenes: Cordax, inquit, comicæ ſaltationis ſpecies, ſicuti Ariſtoxenus tradit in libro De ſaltatiõe tragica. Reperiť nomẽ & in ueteri comœdia, ut apud Nicophontem. De cordace idem fere Ariſtophanis interpres quod Vlpianus, κορδακίζειν Græcis turpiter ſaltare ſignat. Sunt qui putent, duo ſaltatorũ genera Homerum nouiſſe, cybiſtateras, & ſphæriſtas. qui ſphęra uterentur ſiue pila, unde & ſphæriſtica dicatur, ſicuti meminit Athenæus quoq;. Ariſtonicum Caryſtium Alexandri fuiſſe ſphæriſten, prodit hiſtoria, quem ob artis excellentiam ciuitate donarint Athenienſes, ſtatua quoq; erecta. Cybiſtateres uidentur eſſe, qui in caput ſaltant, quod κυβίσασθαι dicunt in caput mittere. Scribit in Moralibus Plutarchus, Saltationis eſſe partes tres, φορὰν, σχῆμα, καὶ τὴν δεῖξιν, lationem, ſchema, demonſtrationem. Siquidem cõſurgit ſaltatio ex motibus & habitibus: ſicuti melos ex phthongis & diaſtematibus, hoc eſt ex uocibus & interuallis. Hic uero manſiones motuum fines ſunt. Ergo φορὰς uocant motus: ſchemata uero habitus, ubi Apollinis, aut Panos, aut cuiuſpiam figuram, & modum effingentes, graphice formam ſeruant. Tertia uero res, quam δεῖξιν nominauimus, non imitationẽ habet, ſed rerum ſubiectarum demonſtrationem: indicant enim cælum quandoq;, aut terram, aut etiam ſpectatores ipſos. Androna Catanæũ ſcribit Theophraſtus, incinentem

tibijs

tibijs primum omnium motiones corporis & rhythmos excogitasse, unde natum, ut σκελίζειν, id est sicilissare, positum inuenias pro saltare. Celebrantur ab Athenæo saltationes ethnicæ, Laconicæ, Trœzenicæ, Epizephyriæ, Creticæ, Ionicæ, Mantiniacę. Est & saltatio quam modo Mauricã dicimus, cuiusmodi fere antiquis fuerat chironomia. Pana denique chororum proxenum credebãt priores, ut est apud Sophoclis scoliasten.

Iphicli in currendo agilitas mira. Hyginus uindicatur à uitio, Iphicratides quid. Iphiæ oues cur. De Melampode relatu non indigna. Perpẽditur etiã Plinij locus. Cap. v

IPhiclus, inquit Apollonij interpres, Phylaci creditur & Clymenes filius. Eum cecinit Hesiodus, tanta fuisse corporis agilitate, ac pedum celeritate, ut curreret ὐδὶ πνείνων ἀθρώων, hoc est super triticeas aristas, nec oblæderet. Demaratus uero etiã per mare incessisse prodidit, inde natus adagio, ut Iphicli agilitatẽ pro celeri, inexsuperabilique usurpemus. Meminit Iphicli huius Argonauticon primo Apollonius eo uersu,

οὐδὲ μὲν ἰφικλῆος φυλοδκὴς γυῖα λαφοὺ ἔλειπεν.

Porro adnotatu non indignum, Iphiclum ab Apollonio tradi Iasona fuisse affectatum, in Colchos cum Argonautis properantẽ. Id uero Hesiodus non scribit, non item Pherecydes. Commeminit quoq; Iphicli Hyginus, sed dictione luxata decurtataue: nam de Orione sic ferme scribit: hunc Hesiodus Neptuni filium dicit, ex Euryale Minois filia natum. Concessum aũt ei, ut super fluctus curreret, perinde ac in terra, quemadmodum Phiclo datum, ut supra aristas curreret, nec eas comminueret. Tu scribe, Iphiclo, Cui inditũ ex currendi potestate nomẽ, ueluti diceretur Iphicolos, nam ἰφι potenter signat, unde & Iphicrates quoq;, & ab eo Iphicratides, attica calciamenta, quorum in philosophica historia cõmeminit Damascius. Iphicli filios tradunt Protesilaum & Podargen. Oues Iphias ab Græcis per ὐφυμισμὸν dici inuenias, quæ debiles sint, καὶ οὐκ ἰχυράς. Non prætereunda parte hac in sanitatis ratione, Galeni post Hippocratẽ medicorum principis placita, nostrum iuuantia propositum uel præcipue: Omnes, inquit, imbecillio re sumus cernendi potestate, si aquilarum, & lyncis acuminibus conferamur. Confusaneus quin & hebetiorq; ineſt auditus nobis, si Melãpodi. Pedibus quoq; subsultamus, si Iphiclo. Et manibus ualemus haud multum, si Milo nobis cõponatur. Quod de Melampode scribit auctor nobilis, obsecro te lector humanissime, cum Plinio conferas, libro Historiæ naturalis decimo, sic prodenti: Qui credit ista, & Melampodi profecto aures lambendo, dedisse intellectum auium sermonis dracones, non abnuet.

De Palma scitu digna. Nicolai cur dicantur. Nicolaitæ hæretici. Spadix unde. Lunã amatoribus præesse. De palmæ cerebro, & Tegyra ciuitate. Item palma, & oliua fontibus. Sudæ error, & interpretis Philostrati ac Plutarchi. Psen quo distinguat à Balano. Iouis balani. De Phraote pauca, cum enarratiõe Horatiani loci. Encephalos, encardios, elate, fusterna, sapinus. Palmam Aegyptijs annum indicare. Batis quid. Perirrhacides. Cap. VI

PAlmam in Syria, & Aegypto balanos producere tanta aspectus iucunditate, ac suauitate gustus, proditum est, ut tragemata omnia, bellariaq; præcellere facile tradantur, quamuis in Græcia fructus is feratur incoctus, nec esui proinde satis gratus. Inter Phœnicobalanos autem eximie præstare, tum magnitudine, tum etiam pulchritudine, quas uocant Nicolaos, obseruatum est, de quibus ex Plinio pauca hæc ascripsimus: Sicciores, inquit, in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorũ longitudinẽ efficiunt. Sed cur nam dicuntur Nicolai? Quæsitum id quidem diu, sed inuentum in paucis, ni Grammaticorum commenticias, & inde inanes sequi opiniones malumus. Nuper Græcum uersans exemplarium, quod uenabar, deniq; sum uisus assequi, Sic enim cõperio, Fuisse Nicolaum quendam disciplina Peripateticum, patria Damascenũ, moribus suauissimis, ac prædulci quadam iucunditate, corpore procero quidem, sed non indecoro, facie paulo pleniore, interlucente grato rubore. Bene doctus quoq;: nam historiam polybiblum concinnauit, id est centum ac triginta quatuor librorũ. Quo quũ maxime oblectaretur Imperator Augustus, ut scribit Athenæus, eiq; afficeretur plurimum, similitudinis argumẽto, balanos magni

tudine

tudine præcipua, & pulchritudine Nicolaos dici inſtituit. Adijciunt quidam, ex Syria balanos id genus, quibus præcipue oblectaretur Imperator, Romam aſſidue mitti ſolitas. Et Xenophon prodit, Selectas Dominis balanos fuiſſe tum pulchritudine admirabili, tum magnitudine, uti aſpectu ab electro nil prorſum differrent. Nicolaitę in ſanctis literis, & Canonicis decretis ad præſens nil attinent inſtitutũ, quando eo nomine hæretici fuere, quorũ & Hieronymus commeminit, ab Nicolao, qui fuit cum Stephano Diaconus. Eorum fuit dogma, Vxorum communio. Sed ad diuerticulum. Ineſt omnino arbori eiuſmodi decor non ingratus, quando poetarum princeps puellæ Phæaciæ uenuſtatẽ palmæ ramo aſſimulare ſibi Homerus permiſerit. Propterea fuere qui ita arbitrarentur, In certaminibus ſacris uarias quidem ſingillatim coronas dari, uniuerſim tamen ex palma ſolenni quodam more conſecrari, una ea de cauſa. Etiam ſi ab foliorũ æquabili ordine, inſtitutum opinentur alij, ceu certatim cooriantur, & quodammodo ſimul currant quadam cõtentionis imagine, idq; tacito naturæ conſenſu. Nam & uictoriã Græci inde dici putant νίκλω, παρὰ τὸ μὴ εἴκειν, à non cedendo. Alij uero, quod ſit palma inter arbores cunctas macrobia maximè, id eſt longioris æui, ſicuti Nicephororum, ſic enim uictores dicunt, gloriam addecet eſſe perpetuã, nec unquam conſeneſcere. Quod de palmæ uita diximus, Orphicum illud uidetur comprobare, ζῷον δ' ἴσον ἀκροκόμοισι φοινικωσι δρυσὶ, animal æquale longicomis palmæ ramis. Epitheta porro illa ἐμπεδόφυλλον, καὶ ἀείφυλλον, quæ firmiter, ac perpetuo uirentẽ foliis ſignant, huic congruere uel maxime. Inter cæteras nanq; arbores nullam planè uidemus eadem cuſtodientẽ folia, ſed decuſſis prioribus, ſuccreſcunt alia. At palma nil, inquiunt, abijcit, & proinde conſtanter cognominari ἀείφυλλος poteſt. In rebus porro Atticis adnotatum legimus, Theſeum in Delo primum poſito certamine, ab ſacra palma ramum auulſiſſe, qui & Spadix inde ſit dictus. Neq; item in hac palmæ mentione illud prætereundum, in Babyloniorum literis compertum, eſſe palmæ arboris trecentas & ſexaginta utilitates. Nec omittenda priſcæ uanitatis ſuperſtitio, quia ſit balanorũ nucleus non modi unius. alijs enim longior, his mollior, illis durior, quibuſdam etiam oſſeus lunatusq; : hunc potiſſimum quadam religione politum dente contra faſcinantes arbitrabantur pollere. Quum uero lunatum dicimus, curuatum arcualemq; intelligimus, cuiuſmodi in luna à coitu cõuiſitur ſchema. Cur autem ea maxime figura expeteretur, luxuriantis fuerit otij quærere, ac ſuperſtitionis potius, quàm eruditionis: niſi quòd in libro De Iſide Plutarchus auctor eſt, quia ſolem appetat ſemper luna, & perſequatur: inde argumento eo ab amatoribus aduocari lunam. Et amatoria ab Iſide diſpenſari, Eudoxus ſcribit: quæ non alia omnino ſit, quam luna. Scribit tamen Pindarus: Ex amantibus ſoli quidem uiros uota concipere, lunæ autem fœminas. Quod inde Hippolyto apud Euripidem facit Phædra, & in Pharmaceutria ſignificat Theocritus. Rationem aucupantur nonnulli, quoniam amori furtiuo congrua ſit nox: proinde Menander, ὦ νὺξ, σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖσον ἀφροδίτης.
Vel quod amatoriæ affectioni obnoxia quandoq; fuerit luna, uel quia ſicuti amor διάπυρος & ἀθεός. Inuenio in monumentis, & Plutarchi in primis in Pelopida, fuiſſe in Bœotia montem cognomento Delum. Nam Stephanus in Tanagra, regionis eiuſdem fuiſſe urbem paruam nomine Delium ſcribit. Apud montem erat Apollinis templum, poſt templum duo mirabili ſuauitate fontes, copia aquarum ac frigiditate inſignes: alterum φοίνικα, id eſt palmam uocant: reliquum oleam, ſicuti commeminit in libro Cur oracula defecerint, Plutarchus idem. Vbi & natum Apollinem narrant. Ad quod reſpexiſſe Catullum uolunt, eo uerſu de Diana ſic canentem, Quam mater prope Deliam
Depoſuit oliuam. Quanquam & de arbore poſſe intelligi, auctor Ouidius eſt Metamorphoſcos ſexto. Aduertenda uero Plutarchi interpretum inſcitia ex Pelopidæ uita: Fontium, inquit Plutarchus, alterum palmam, oleam alterum, nunc quoq; nominamus: non quòd inter plantas duas peperit dea, ſed in fluenti duplicis meditullio, id eſt ἐν ῥεύθρῳ. At interpres, Sed quia fluuium dea peperit, quoniam Græci ferè codices ῥείτρου præferũt accuſandi caſu. Sequitur Plutarchus: In propinquo Ptoum eſt, ſiue πτῷον, dea conterrita repentè uiſo apro. Nomen prætermiſit interpres. Quidam ex eruditioribus, eſſe in Laconia Tegyram tradidere falſo, ubi natus Apollo ſit. Id ut uere à me dici, intelligant ſtudioſi, audiant quid Stephanus: Tegyra, inquit, Bœotiæ ciuitas, in qua genitum

genitum Apollinem dicũt. Samus autem Delius Apollinis, inquit, natalicia in Lyciam referunt aliqui: in Delum alij, aut in Zosterem terræ Atticæ, nonnulli ad Bœotiæ Tegyram, unde & Tegyreius Apollo. Sed lectum & illud est. Ephesios Tiberio imperante Romam uenisse, memorãtes, non (ut uulgus crederet) Dianam atq; Apollinẽ in Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, locum Ortygiam, ubi Latonam partu grauidam, & oleæ quæ tum etiã maneret, adnisam, ædidisse numina ea, deorumq; monitu sacratum nemus: quin & ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iouis iram uitauisse. Meminit post alios Strabo γεωγραφουμένων libro quarto & decimo. Ex ijs porrò quæ de palmis Syrijs & Aegyptijs attulimus, liquet opinor, cur poetæ palmiferas quandoq; in Aegypto Thebas nuncupent: curq; palmarum fructus Thebaides item Plinio dicantur, & à Papinio Thebaicæ, quod illo ex Syluis uersiculo libri quarti fine ad Plotium liquet, Chartæ, Thebaicæ ue, Caricæ ue.

Quoniam uerò de palmis agitur, scribit Plinius, in palmarum cacumine medullam haberi dulcem, quam cerebrũ uocant, meminit secundo De alimentis Galenus. Et in Præceptis sanitatis Plutarchus, prædulce quidem id tradens, uerum esse κεφαλαλγές, id est inducere capitis dolorem. Adnotandus hac parte error Sudæ manifestarius, qui in uerbo πῶρος ita scribit: Porum hunc de uictus ratione interrogauit Apollonius: at is, Ego (inquit) uini tantum haurio, quantum soli prolibo, captis in uenatione uescuntur cæteri, mihi exerceri satis est, alimenta mihi sunt ex oleribus, & palmarum cerebro, ac fructibus. Hæc quidem apud Philostratum leguntur libro secundo: sed non de Poro, ut retulit Sudas, nimis hercle incuriose, nimisq; inscite: incuriose quidem, quia de Phraote Indorum rege hæc prodit Philostratus: inscite uero, quoniam per maximam temporum ignorantiam lapsus misere est, quando uixit Apollonius Domitiani tempestate. Porus autem quem fatetur ibidem Sudas cum Alexandro depugnasse, multis seculis antea, sicuti temporum historia præmonstrat apertissime. Sudam fefellit, quod paulò ante fit de Poro apud Philostratum mentio, & parte ista regem Indum nominat, qui quum sit congressus Apollonius, putauit Sudas esse ad Porum ea quoq; referenda: quum tamen paulò ante ea quæ exscripsit, testetur Philostratus Phraotem illum fuisse, Porum minime. Philostrati interpres reprehensionem nõ euadit: nam ubi Græcè scriptum ita est, τὰ δὲ ἐμὰ σιτία λωτὸς καὶ φοινίκων ἐγκέφαλοι, ⟨καρπὸς τῶν φοινίκων⟩: id est cibus uero meus est olus, & palmarum cerebrum, atq; item earundem fructus. Interpres de palmarum cerebro tacuit, puto, quia inusitatum uidebatur dici in palma cerebrum. Etiam si commeminit uel Xenophon ἀναβάσεως secundo, ubi ait, Græcos milites Cyro perempto cum quo expeditionem inierant aduersus Artaxerxem, tunc gustasse primum ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος. Ac plerosq; demiratos uoluptatis inusitatam speciem, propriamq;. Stabonis interpres libro decimoquinto, palmæ ἐγκέφαλον pro medulla putauit accipiendum. In ijs uero si cui mordax uideor ac uirulentus, putent eruditi mulctam dici à nobis discepiandam mox, certandamq;. Palmæ cerebrum Galenus, encephalon appellauit: encardion Dioscorides. Lectum uero apud Palladium est, Palmarum plantam dici cephalonem: elatem accipit Galenus, palmæ prætenerum germen: at fructus integumentum eo nomine intelligere Dioscorides maluit. Scire autem licet, arborum plerunq; partes distingui appellationibus. Nam ecce abietis superior portio, fusterna dicitur, ab nodorum duritia: inferiorem, sapinum uocant, siue sapineam. Vmbriam dici tribum sappiniam, auctor T. Liuius est Macedonici belli primo libro: meminit eiusdem quoq; tertio. Adnotatum Hori monumentis est, apud Aegyptios expictam palmam annum indicare, quoniam hæc arborum sola per singulos lunæ exortus unam producat Bain, ut anni fine duodecim fiant. Quo argumento & Bain præmonstrare mensem prædicant. In Collectaneorum ad agricolationem spectantium libro secundo, adnotatum comperi, castaneas dici διὸς βαλάνους: quod & libro decimo repetitum aduertas: ubi & nucem basilicam dicit auctor, quæ nuncupatur κάρυον, nucem uero Ponticam, quæ λεπτοκάρυον: cocymela, quæ Damascena: Armeniacon, quod Bericoccon. Illud aduertendũ quoq;, palmæ quam marem intelligunt, fructus ψὼν dicitur, sicut fœminæ balanus. Pœnas Aristoteles ficarios dicit culices, uelut galbas: sic enim poetæ caluos glabrosq; nuncupant, quod expositum Sudas. Sunt & nomenclatura eadem pisces. Porro unde propendent ba-

lani

lani,uocatur πτάθη, meminit cum Xenophonte Herodotus, ex ſpathe arcus ſibi nonnullos confeciſſe prodens. Quod de palmæ cerebro ſcripſi, confirmatur Euſtathij auctoritate, qui ita dici prodit partem in ea arbore excelſiorem, quæ dulciſſima ſit, proindeq; exempta ueſcantur indigenæ, quod Athenæi monumenta teſtatiſſimum faciunt. Quia uerò de Phraote facta nobis mentio eſt, dignũ perpẽſione uideri poteſt, ecquid Phraotem illum ſignificarit Horatius Carminum ſecundo:

Redditum Cyri ſolio Phraoten
Diſſidens plebi, numero beatorum Eximit uirtus.

Quando illius reſtitutionem in principatum, abs quo pater fuiſſet excuſſus, & uiri præterea ſingulares animi dotes, frugalitatemq;, ac in primis liberalitatem copioſe exſequitur Philoſtratus libro ſecundo. Verum diſcrepant nõnihil tempora, quæ in digitos mittere, nunc minus uacat: iudicabũt uolentes, quando interpretum cura non ſatis conſtat ſibi. Phraatem Parthorum regem legimus apud T. Liuium libro quinquageſimo nono, cum quo ab Antiocho Syriæ rege ſit bellatum, Gracchanis temporibus. Perirrhacidas palmæ ramos dicunt propriè, ſed ramum quemlibet accipit in Theriacis Nicander.

Laurus tacita cur: item cur lauro uterentur uaticini. Tibullus explicatur. De puella Daphne, quæ Paſiphae. Lauri contra uenenũ uis. Corydus auis. Laureum baculum geſtare quid. Vbi comperta primum laurus: & cur dicta tempis, daphnides, myrta. Turiones quid. Daphnatum. Cap. VII

QVoniã uerò paulo antè poeticas perſtrinximus amœnitates, in quibus multiplex interiorq; deliteſcit rerum ſcientia, quam ſæpe ingenium acre, lectio uaria, iudiciũ excuſſum emũctumq; promit in literas, quo ſtudioſiſſimus quiſq; accuratius exerceatur, nec concepta ſemel facilitate, in utranque aurem dormiat, hic illud potiſſimum ſubnotabimus: quid ita laurus tacita ſæpicule ab poetis nuncupetur, leuicula quidem res, ſed non inconcinna: uerum ne abſinthij plus inſit huic lucubrationi, quàm decoqui poſſit, ac confici ſtomacho paulò inualidiore, ac nunc primum reſumente uires ab inſcitiæ diuexatione, ut adſit & mellis aliquid, ſimplaria non reclinabimus quandoque. Laurum igitur Apollini uaticino deo ſacram, futurorum habere præſenſionem quandam, creditum uulgò eſt. Siquidem nil crepitantius uritur, ſicuti à Lucretio proditum quoque nouimus. Sed eo prior etiamnum Theocritus canit. Nam & hinc Daphne dici uidetur, uelut Euſtathius interpretatur, etenim δὰ intentionis uim habet, φωνεῖν uerò loqui eſt, ac canere. Igitur euentus rerum ex crepantis modo ueteres aucupabãtur: quod nec Porphyrium latuit: nam ſi creptiſſet abunde ac ſonantius, haud dubie portendi felicitatem rebantur. Quod ſignificat illo uerſiculo elegiographus nobilis Tibullus:

Laurus ubi bona ſigna dedit, gaudete coloni.

Ediuerſo ſi tacita deflagraſſet, inauſpicatiſſimum infeliciſſimumq; arbitrabantur: quod approbat etiam Propertius:

Et tacet extincto laurus aduſta foco.

Nam & Claudianus, uenturi præſciam laurum dixit: niſi quod opinantur plerique, lauri folia, ſi noctu puluillo ſubijciantur, ueritatem ſomniorum conciliare. Quod non omnino malus auctor Fulgentius non omiſit. Scribit Heſiodicæ Theogoniæ interpres, Laurum φορητὸν πρὸς τὸν ἐνθουσιασμόν, id eſt efficacis eſſe auxilij in numinum afflatu: propterea in Caſſandra Sophocles, δάφνῳ φαγὼν ὀδόντι πρίστο σῶμα. & Lycophron, δαφνηφάγου φοιβάζοντ' ἐκ λαιμῶν ὄπα. Hinc aperitur Tibulli locus de Sibylla.

Vera cano, ſic uſq; ſacras innoxia laurus
Veſcar, & æternum ſit mihi uirginitas.

Ex hoc & Latinus item poeta dixit, Laurumq; momordit. Certe δαφνηφάγος dici uaticinantes ſcimus. Et Aphthonius, diuinationis ſymbolum eſſe laurum teſtatur. Dionyſius item in Panegyricorũ ratione, laurum μαντικὸν φυτὸν appellat, id eſt uaticam arborem: ſicuti Euſtathius quoq;, qui & Apollinis corollam fuiſſe lauream ſcribit, quam ſecum tulerit Chryſes in Græcorum exercitum ueniens. Lycophronis interpres in Alexandra, dici omnia putat fabuloſe, niſi quod chreſmologi & uates futura præcinebant lauro coronati, ut quæ uireat ſemper, ac ſit alexicaca. Vorare autem inde dicti, quoniam

diuinationum capturis alerentur fere. Quibus uero cogerẽtur numina uel recedere uel accedere, illis maxime uersibus commonemur, qui appositi à Porphyrio ita ferme Latine sonant:

Soluite serta, pedes liquidis & spargite lymphis,
Eq; manu ramum, lauros auferte uirentis,
Linea sitq; omnis deleta, omnisq; character.

Quod uero ad laurum etiamnũ attinet, scitu dignum illud quoq;, Daphnen puellam in arborem hanc deformatam, sicuti Mythicis placet, & cecinit Ouidius, à Spartanis fuisse diuinis cultam honoribus: sed mutato nomine Pasiphaen nuncupatam, à qua certissima æderentur oracula, quod in Agide Plutarchus scribit. Credebatur item laurus efficax aduersus uenena. Inde iactatum, ut qui se tutum approbare uellet, δαφνίνῳ diceret φορῶ βακτηρίαν, id est laureum gesto baculum. Cui fere consimile prouerbium est de corydo aue, nido gramen inserente aduersus animalium noxia, ὑπὸ κορύδου κοίτῃ σκολιὰ κάρυπτε ἄγρωσις. Creditur & laurus sanitatem conciliare, quo argumento lauri folia ineuntibus magistratum, calendis lanuarijs à populo dabantur cum ischadibus, de quis suo loco. Neq; enim obturbat sacer morbus, aut dæmon, ubi affuerit laurus: sicuti nec fulmen, ubi adsit ficus. Quod ex undecimo est ἐλλογᾶν πρὸς γεωργίας. ubi & illud comperi: Daphnem, id est laurum, dici palatium: quod quum Latinus acropolim sustrueret, inibi compertã laurum ferant. Acropoles uero nũcupabant ueteres regum κατασκωφάσεις, quod ὑπὸ ταῖς ἄκραις excitarentur tutelæ causa. Enotatum & id, Apollini sacram uideri arborẽ, id est soli igneo, quia igne arbor plena sit: qua ratione illam auersantur dæmones, & in uaticinijs exuritur. Daphnatum dici genus cinaræ comperi, ubi lauri fructum perforaris, & cinaræ immissum semen ita seueris. Lauri turiones quum legis, sum mas partes intellige, ac præteneras: idem in plantis item alijs. Aristophanis interpres: Lauro, inquit, sacerdotes coronabantur, & diuinaculi ἐκ γνώσεισμα ἡ τέχνης: quia esset id artis indicium, ac uelut insigne. Lauri fructus, daphnidas uocant: sicut myrrhines, id est myrti, dicunt myrta. Laura uero, id est λαυρὰ, uicum signat angustum impurumq;, & sordentia omnino loca sic nuncupantur. Nam Laureum, hoc est λαύρειον, in Attica locus erat, metallorum ferax. Diuinationem postremo ex foliorum crepitu, dum urerentur, fuisse ueteribus celebrẽ, nec idem tacuit Eustathius, sicut ex pilis quoq; quibusdam. Laurum τυμπίδα in Alexipharmacis nuncupat Nicander, quoniam in Thessalia comperta fuerit primum.

Leuctrica monumẽta quæ sint, & Leuctricæ puellę. Vindicatur à uitio Plutarchi codex. Leuctra unde. Leuca quid. Alphi quid. Leuron. Leuca Gallorum quid. Cap. VIII

Leuctrica monumenta, & leuctricas item puellas in Gręca historia legimus quãdoq;. Id cuiusmodi sit, aut quam habeat rationẽ, ne quis forte solicitius quærat, opera nostra reuelabit. Scedasum, id est Σκεδάσου, inuenio in libris quẽdã, qui fortuna pauper Leuctra habitabat. Vicus is est prope Thespias in Bœotia. Huic filiæ aderãt duæ Hippo & Miletia. uel (ut alij scribunt) Theano & Euexippe, à quibus nuncupata Leuctrica monumenta, quæ cauenda Spartanis, præcinuerant oracula. Siquidem puellas ibi sepeliri ex iniuria contigit, quoniam ab iuuenibus Spartanis constupratæ, moxq; interemptæ in puteum quendam sunt deiectæ. Aberat tunc Scedasus pater, à quo paulo ante comiter Spartani, rei non bonæ homines perfidiarumq; prudentiores, quàm moderationis, aut fidei hospitalis, excepti hospitio fuerant. Reuersus factum mirabatur. Salua domi erant omnia, filiæ tantum aberant. Forte domi alebatur canis. Ea, reuerso domino, subinde cursitabat ab eo ad puteum, à puteo ad dominum, uellicabatq; interim, eratq; planè similis trahenti: suspicatus is quod erat, ad locum pergit, puellarum comperit cadauera, profusus in lachrymas, ac sese afflictans cognoscit ex uicino, bonos illos hospites pridie uisos domum ingredi. Facinus perpetratum Scedasus coniectat, Spartam confestim petit, querelas apud Ephoros depositurus. Eo quum excidisset & conatu & iudicatu, illis, atq; item regibus, quos etiamnum adierat, nil magnopere intendentibus, per urbis media cursu ferri cœpit, porrectis ad sole manibus, ac percussa tellure ἀνεκαλεῖτο τὰς Ἐρινύας, id est Erinnyas aduocabat, mox

ad

ad filiarum tumulos ſeipſum confecit. Inſequentibus annis, ita ducentibus fatis, in regione eadem Spartana uirtus concidit, Græciæ imperio amiſſo, Thebanis uictoribus, Pelopida duce ac Epaminonda, ut celeberrimum poſteris nomen Leuctrica monumenta dederint. Hæc eo libentius recenſui: quoniam in Plutarchi tralatione multa ſubſultant, & deluxata ſenſum non recipiunt. Nam ut præteream quod pro Scedaſo Cedaſus modo ſcribitur, quandoq; etiã Scedaphus: illud cuius nam modi eſt? Exercitationibus, inquit, Spartanis laceſſitis, Quum hiſtorici ſenſus ſit apud Græcos, prolatas in Spartanos execrationes diras. Meminit hiſtoriæ Hieronymus quoq; in Iouinianum libro primo. Sed puellas amiſſæ pudicitiæ nolentes ſuperuiuere, mutuis concidiſſe uulneribus ſcribit. Leuctra uerò ab Leuctro indigena eſſe nuncupata, ſcribunt Græci. Leuca autem aliud eſt, nam eo nomine medicorum ſcientiſſimi affectionẽ intelligunt, qua in album, uel (ut Græcè dicam) ὡὶ ὸ λευκότερον, demutatur color, ex uiſcido glutinoſoq; humore pituitoſo. Quædam uerò leuca, id eſt λευκὴ, dicitur θεραπευτή, hoc eſt ſanabilis, quædam ἀθεράπευτος, quæ curam non recipit. Internoſcitur uerò hoc τῇ τὸ αἵματος παραχωρήσει, id eſt cutis perforatione: nam ſi inde prompſerit ſe ſanguis, adhiberi medela poteſt. Si humor lacteus, inter cõclamata recenſetur. Sunt in ratione eadem alphi, id eſt ἄλφοὶ, niſi quòd merſat ſeſe altius leuca, ut inficiantur item pili. Quanquam & alphi χονίζοντες, id eſt diu perſeuerantes, ima penetrant ipſi quoq;, ut hic etiam albeſcant pili ex pituitoſo humore: nam ex melancholico nigrent alphi. Legimus in ſyncerioribus Herodoti codicibus, Apud Perſas ſi ciuium quis lepra cœperit affici, aut leuca, ad urbem eum minime cõmeare, nec aliis promiſceri: obtingere autem iſta, quod is in ſolem quippiam deliquerit: ſi uerò in haſce cauſationes incidat peregrinus, illum cæteri hinc inde extrudunt. Quin & hoc argumento albas columbas nemo non abigit. Leuron, id eſt λευρὸν ξίφος, apud Pindarum in Nemeis, ſunt qui enſem interpretantur latum: at præſtiterit, obliquum in plagæ impactione intellexiſſe. Quod ad leucam ſpectat, prodit Ammianus Marcellinus, non millenis paſſibus itinera Gallos metiri, ſed leucis. Quantum uerò complectatur leuca, ex uerbis eiuſdem alibi dilucet: Ad uallum, inquit, barbaricum quarta ſignabatur leuca, & decima, id eſt unum & uiginti milia paſſuum.

De Eſſæis, ſiue Eſſenis: item de Phariſæis, ac Saducæis. Aurum Iudaicum quod ſit. De phylacteriis, & proſelytis. Prophylace. Prophylactica medicina. Philetæris. Iudaicæ immanitatis exemplum. Marci principis dictum in eoſdem. Caput IX

IOſephus Iudæus hiſtoriarum cõditor, & in eo genere auctoritatis non dilutæ, immo uerò Græcus planè Liuius, libro decimo octauo Antiquitatũ, quas ab mundi exordio repetit, fuiſſe Iudæis tria genera philoſophorum ſcribit: Eſſæorum, Saducæorum, & poſtremo Phariſæorum: ſed quos primo loco poſui miris effert laudibus, quòd uxoribus, uino, carnibus ſemper abſtinerent, ac ieiunium quotidianum uertiſſent in naturam. Philo etiam Iudæus in libro quem pro Iudæis concinnauit: Præter cæteros, inquit, quos penè innumerabiles ſanctio Moſaica ad benè uiuendum concitauit, Eſſæi ſummi omnium, atq; maximi ſunt, ἀπὸ ὁσιότητος, hoc eſt à ſanctitate, ſicuti mihi uidetur, nuncupati, qua ratione flatilem recipit dictio. Quorum ſecta non genere, ſed uirtute, atq; humanitate diſcernitur. Itaq; nemo puer, nemo adoleſcens propter ætatis inconſtantiam, ſed uiri omnes, aut ſenes ſunt, qui nullo corporis morbo, nulla animi perturbatione feruntur: ſed hominũ ſoli uera perfruuntur libertate. Nemo propriũ aliquid poſſidet, omnibus in medio poſitis cõmuniter utuntur, habitant ſimul, & conueniunt quaſi ſodales, quumq; pro communi utilitate faciant, alia aliorum negotia ſunt, quę impigre ſubeuntes peragunt certatim, non frigus, nõ calorem, non aliquam mutationem aeris formidantes. Quum à laboribus mercedem ceperint, apud quæſtorem deponunt, is omnia diligenter procurat, quibus egent. Idem Philo in cõmentario, cui titulus eſt, Omnes ſtudioſos liberos eſſe, ſcriptum reliquit: eſſe quidẽ dogmatis eius homines ſupra quatuor milia, Qui nec ciuitates colant, uulgi conuerſationem animo plurimũ obeſſe, opinati. Qui ſeruos habeant, odere, tanquam naturæ leges tranſgreſſos, quando omnes, uelut mater, eadem genuit natura. Rationalem philoſophiam uitæ non neceſſariam rentur. Naturalem uerò altiorẽ, quàm ut eam humana conſequi ualeat na-

tura. Illam modo portionem conſectantur, quæ de diuinis, & omnium agit creatione. Morali inuigilant præcipue. Triplici regula uitã tranſigunt, amore in deum ardentiſſimo, uirtutis cultu diligentiſſimo, charitate in proximum feruentiſſima. Sunt qui Eſſęorum nomen θεωρητικὸν, id eſt contemplationis ſtudioſum ſignificare putent. Qui mundi ſitum terrarũq; expingere adorti ſunt, Eſſenos in Occidentali Iudææ parte ſtatuunt, ab Eſſæis (opinor) non diuerſos: nam eos ſic appellat Hieronymus quoq;. Quos fugitẽt nocentes uſq; quaq;, quiq; orbe toto præter cæteros maxime ſint miri, ſine fœmina, omni Venere abdicata, ſine pecunia, palmarum ſocij. In diem uero ex æquo conuenarum turba renaſcantur, longe frequentantibus, quos uita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctibus agitat, ita per ſeculorũ millia gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur, Tam fœcunda illis, inquit Plinius, aliorũ uitæ pœnitentia eſt. Porro inuenimus apud auctores hiſce philoſophis ita eſſe libertatis inſitam auiditatem, ut principem unum ſolumq; fateantur deum. Argumentum uero euidens, quod ſpeciem mortis formidoloſæ ac tetræ nullam expaueſcant, cognatorum negligant ſupplicia, amicorum interitus faciant non magni, modo ne quenquam, ut dominum cogantur agnoſcere. Animas putant immortales, & de æthere ſubtiliſſimo commeantes quaſi carceribus, ita corporibus implicari: ad quæ tamen, ut Chæremon narrat apud Porphyrium, ξύμπ id eſt impetu & inſtinctu naturali trahuntur. A corporibus uero abſolutas, tanquam è longa & proinde graui ſeruitute, lætitia perfundi maxima, & ferri ſublimes, ultraq; Oceanum degere in locis peramœnis, quæ nec imbribus pulſentur, neq; item niuibus, aut omnino ulla infeſtentur intemperie, quando ex Oceano ſuboriens Zephyrus ſuauiſsima perflet ſalubritate. Nihilominus pollutis animis procelloſas hyemales q; deſtinabant regiones. Cæterũ quia abunde multa de Eſſæorũm inſtitutis uidemur ingeſsiſſe, quærat forte lector curioſus, quid de Phariſæis ex mutis magiſtris compertum nobis ſit. Proinde ut breuiſsime, quantum ratio patitur, omnium deſyderia impleamus, de huiuſmodi philoſophis hæc fere obſeruauimus. Molliciei ac delicijs quàm minimũ indulgẽt. Quod ratio dictarit, id demum perſequuntur. Grandiores natu eximie uenerãtur, ut ne uerbo quidem læſos uelint. Fato geri omnia credunt, nihilominus arbitrij liberi poteſtatem non auferunt. Iudiciũ dei ſentiunt futurum, nam animas aſtruunt immortales, ſed bonas etiam in aliena emigrare corpora, improbas ad ſupplicia tranſmitti æterna. Ob hæc ipſorum dogmata populis mire grati: adeoq; de eorum uirtutibus irroborauit opinio, ut magno ſtudio numero ſa multitudo, immo uero ciuitates ad eos quandoq; confluxerint. Phariſæos nuncupatos uolunt de uitæ inſtituto, ut ſcribit Hieronymus in libro Hebraicarum traditionum ingeneſim: quod à cæteris abiuncti ac ſequeſtrati puriſsimæ cuidam uiuendi rationi, accuratiſsimæq; ſe mancíparint. Nam Phares ex Hebræorum idiomate ἀφορισμὸς interpretatur: id ualet Latine ſegregatio. Mores eoſdẽ ſequebantur καὶ οἱ γραμματεῖς, hoc eſt qui dicerentur Scribæ. Propriæ illorum uirtutes erant, continentia, uirginitas, νηστεία δὶς τοῦ Σαββάτου, id eſt bis in ſabbato ieiunium. Phariſæorum placita apoſtolus Paulus uehemẽter extuliſſe uidetur, quam ait, ἰσραηλίτης εἰμι, φυλῆς βενιαμὶν, ἑβραῖος ἐξ ἑβραίων, κατὰ νόμον φαρισαῖος: Iſraelites (inquit) ſum, ex tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, lege autem Phariſæus. Porro quies ſoporq; ijs erat ſuper anguſtis tabulis, aut etiam ſpinis uel lapidibus ad comprimendas corporis ac ſenſuum titillationes. Horum tamen proprium fuiſſe, Chryſoſtomus ſcribit, & in Euangelio ſignificat Matthæus, ut decalogum in membranulis ſcriberent, ligarentq; in fronte, ut religionis intimæ ſpeciẽ præberent. Eas uero membranulas Hebręorũ uocabulo dici philateria, idem Chryſoſtomus prodit: quo innuitur legis cõſeruatio. Meminit etiam Hieronymus. Dicuntur & ariolorũ, ac excantatorum philateria in Gregorij Iunioris decretis: & philateria facere, legimus in Laodicenſi concilio. Prophylacæ uero in medendi uſu nuncupantur præmunitiones aduerſus mali uim ingruentẽ, unde eſt Prophylactica medicinæ pars. Sicut Therapeutice tractat præſentia, quæq; iam ſe promunt. Philetæris autẽ planta eſt ſpinoſior, quam & rhamnum dicunt, ſuperius nomen Lydis frequens, ac Myſis. Sunt qui ex hoc impactam CHRISTO coronam uelint. Phylacteria ſcribunt alij, ut Græca cenſeat dictio. Saducæos uero, ut de ijs quoq; aliquid promamus, à loco ita nuncupatos putant. Horum nefaria dogmata inuulgantur hæc, Eſſe mortalem animã, ſimulq; cum corporibus

interire

interire. Si quis eorum ſcitis renitatur amplius, obluctetur q́, putant id plauſibile in primis glorioſum q́. Eorum qui in eiuſmodi philoſophia profecerint, mira paucitas eſt, diſcrepant inter ſe moribus feris, inuicem q́ ſunt, perinde ac in exteros, inhumani. Fatum omnifarium negant. Deum extra omnem mali patrationem inſpectionem q́ cõſtituũt. Hæc de Iudæorum ſapientibus, quæ uaria ſuggeſſit lectio, habui in præſenti, quæ dicerem. Poterant & plura, ſed propoſitum inſtitutum q́ temperamentum fuit tenendum omnino. Cæterũ Iudaicæ immanitatis exemplum illuſtre ex Dione præteriſſe nequeo. Nam ſub Traiani extrema, qui Cyrenem incolebant Iudæi, Andrea duce, Romanos, Græcos q́ indiſcriminatim inuadentes ita excarnificarunt, ut etiam ad mẽſam producerent, humanis in uiſcera ingeſtis cibis. Nec ſatis, ſanguine adhuc ſtillantibus inteſtinis præcingebantur. Cutes pro indumentis erant. Pleroſq́ ab imo ad ſummum interſecuere. Plures beſtijs obiecti: alijs inter ſe compugnare, ac digladiari coactis. Ducenta & amplius hominum milia is abſtulit furor. Qui & in Aegypto itidem eſt graſſatus, ac Cypro, contrucidatis inibi, Artemione duce, ducentis & quadraginta hominum milibus. Vnde mox legibus ſancitum, uti quauis ratione in inſulam appulſus Iudæus capite plecteretur. Quum uerò Adriano item imperante defeciſſent, cædibus, fame, morbis, igni deſolata eſt Iudæa omnis. Quoniam uerò quæri poſſe ſcio, cuiuſmodi aurum ſit quod in hiſtoria quandoq́ celebratum nouimus, Iudaicum nuncupatũ: non grauabimur & hoc obiter explicuiſſe. Erat autem, quòd Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus prouincijs Hieroſolymam exportari ſoleret. Propterea Flaccum Cicero ſcribit, edicto ſanxiſſe, ne ex Aſia exportari liceret: quod laudans etiamnum, Barbaræ ſuperſtitioni reſtitiſſe, ſummæ ait fuiſſe ſeueritatis. Proſelytum uerò, quum audis in ſacra pagina, intellige à gentilitijs ritibus ad diuinam legem tralatum tranſcriptum q́. Dauid: καὶ προσήλυτον ἐφόνευσαν, id eſt & proſelytum peremere. Hieronymus Aquilam uocat proſelytum, ac interpretem contentioſum: meminit in Euangelio Matthæus quoq́. Adnotandum uerò hoc potiſſimum loco Marci principis antiqui dictum. Nam Palæſtinã quum tranſiret, Aegyptum petiturus, fœtentium Iudæorum (uti Marcellinus inquit) & tumultuantium ſæpe tedio percitus, dolenter fertur exclamaſſe, O Marcomani, ó Quadi, ó Sarmatæ, tandem alios uobis inertiores comperi. Iudæorum uerò cognominis ratio unde prorepſerit, incognitũ ſibi fatetur Dion. Multa uerò, ſed uaniſſimè, Tacitus ſcribit.

Cur noctu ſonantius audiantur omnia. Quid palmus. Tylæ, thibe, tylas, illas, ſigmos, clytos. Cur uox intro delata melius audiatur, quàm ediuerſo. Aradus quid. Satyriaſis. Palmare quid. Cap. x

STrepitus omnes nocturno tempore eſſe manifeſtiores, ac uocem omnem ſonantiorem, non ferè quiſquam eſt adeo impolitus, adeoq́ hebeti iudicatu, qui non planè intelligat, dictante ratione, aut magiſtra ſaltẽ experiẽtia percipiat. Cur tamen ita contingat, abditam quandam perobſcuramq́ cauſam promit Epicuri ſchola, dum ab atomis ſuis reuelli nequit. Eam uerò apud Plutarchum in Sympoſiacis Boethus recenſet, docens, rareſcente aere, ac ſeſe latius fundente inter atomos non ferè uacuum comparere. Conſtipante uerò ſe, atq́ amplius coeunte, denſari perinde atomos quoq́ extimumq́ uacuum fieri ſpacioſum & uelut hians. Id quod noctu obuenire, exploratiſſimum eſt, Si coniectemus, frigus cogendi arctandiq́ uim habere efficaciſſimam. Ediuerſo calorem proferendo expandere ac laxare, argumento certiſſimo ex ijs quæ colliquata intuemur, amplius multò ſibi loci uendicare, quæ concreſcentia compingũtur in anguſtum. Profuſus igitur ſonus, ſi obiectis corporibus occurſet numeroſioribus, hebeſcat prorſum, neceſſe eſt, reiectus aut conuulſus tardior euadat. Quòd ſi obicibus aut paucis aut nullis morantibus exſpatietur, pertinget inoffenſus auditum. Indicio eſſe poſſunt inania uaſa, quæ percuſſa crepant ſonantius, præfarcta uerò colliſa incuſſa'ue quodãmodo ſonum deuorant. Compari modo & ſolidiſſima quæq́ nõ ferè ſonum ædunt. Quod ſpiraculis haud ita abundent, per quæ commeet ictus aer. Quale ſentimus aurum, & ſaxa: quæ proinde uocantur & ſunt ἰχνόφωνα & ἄυσηχῆ, hoc eſt uocis prætenuis, & ſonantia male, quod nimia prouenit denſantis ſe corporis ſoliditate. Aes uerò βύφωνόν καὶ λάλον, id eſt ſonorum garrulumq́, quia ſit πολύκωφον, hoc eſt inanitatis multæ. Cæterum ſententia hæc male tibicinibus præfulta, nullis concuſſa arieti-

bus,leui modo agitata impulsu ruit. Neq; enim recte ad uocis rationem inanitas adducitur. Ibi silentij altitudo est, & quies profunda,ubi uacuum est,quod utiq; nec tãgi nec agitari potest: uocem autem esse nouimus sonantis incussum corporis. Et est aer uocis ipsius substantia,ac facultas.Putauit Anaxagoras,solis potestate aerẽ concitari, & quodam tremulo uibrari motu,quem παλμὸν Græci dicunt. Quãuis est Palmus quoq; neruorum & cordis,ac ægrotantium uenarum motus. Nam corporis motus cum exercitio & dolore aradus dicitur. Palmare uerbum in Columella,nil ad institutum præsens attinet, indicat tamen materiam alligare. Palmarem scrobem Palladius palmi amplitudine liquido intelligit.Palmatus paries, in Quintiliani declamatione dicitur manibus pollutis contactus,insignitusq;.Sed Anaxagoram repeto:Id uero,inquit, liquere ex minutie illorum, quæ in lumine uisuntur corpuscula,quæ uocant nonnulli τύλας. Nam tylada scimus turdorum uocari speciem minutam, quam illada dicunt alij. Est & thibe, apud Athenæum libro quarto, argentea: quo nomine intelligunt eruditi, ueluti arculam uasis reponendis,quæ plurimum erat plexilis. Quum hæc igitur obstrepant, insonentq; agitata & propulsa,& sonum eum efficiant quem dicunt σγμὸν, præpediri uocem obscurariq;, quo minus synceriter liquidoq; ab sensorijs excipiatur. Suppetit & ratio alia, sed grauior multo & plausibilior, Interdiu agitari omnia proturbariq;. Tunc enim cuncta mouet Iupiter, ut ille ait, λαὸς ἀὴ ὄρνυ ἐγείρων, populos excitans ad opus. Qui consurgunt,uelut ex palingenesia & regeneratione quadam noua quotidianaq; meditãtes, ut Democritus inquit. Proinde non illepide Ibycus, diluculum appellauit clyto, quod eo tempore κλύειν, hoc est audire iam, & loqui liceat.Contra uerò noctu euenit, ut interquiescant omnia, nec ullo fluctuent motu, sed compressa consopiantur. Propterea ictus propulsusq; aer integer sensorium adit, atque ita purius audiendi perficitur actus. Adnexa est huic cognata quodammodo quæstio. Nam usu uenire obseruatum fere est, qui extimi sint,si loquantur, facile ab ijs qui intus agant, audiri. Quod ediuerso non fit. Ambiguitatis huius commeminit apud eundem Plutarchum Ammonius, sed ab Aristotele exsolutã tradit, apud quem ita lectitamus: Vox,inquit,eorum qui occlusi tenentur, si extra deferatur,in amplum diffunditur,ac uelut absorpta deuoratur:quæ uero intro perducatur, non ita. Siquidem ex amplo corriuata in arctum conseptumq; seruatur contineturq;,& ueluti conualle delata sensum perspicue attingere animaduertit.Quod de palmo dicebamus paulo ante, scire obiter licet,recentiores Græcorum medicos statuisse,genitalis palmon intelligi satyriasim:quod malum,Galeno in Diffinitionum commentario tradente obtingit,mutone arrecto intentoq;,necnon particulis adiacentibus, cum seminis quandoq; uoluptaria profusione, quandoq; uero & mentis consternatione,ac distentione neruorum.

Iulææ uoces in Lactantio quæ sint.Iulos quid,& ulos, ule: epuletica, & iuli des. Hycca quid,& melos.Melici poetæ.Item qui harmonici,& qui canonici:canon,ac canonium.Stathmides.Concentuum species aliquot. Antletæ qui:item himonia,himeum,tenellus,niglaros.Tributorum genera,collecta talea,indictio,oblatio. Tenerus.Tenericus campus.Ismeniũ manteum. XI

QVando uero de uocibus agitur, ecce succurrit mihi Lactanij carmen, Phœnicis argumento, non utiq; inamœnum, sed quod scriptoris eius genuinam sapiat facundiam, ingenijq; præferat facilitatem haud aspernabilem. In eo Iulæas uoces, ut præsuaues ac prædulces nominari obseruauimus: sed cur ita, non fere perspicuum puto:nisi quod ad Simonidem cognomẽto Melicum ex carminis iucunditate,ut Sudas arbitratur, referri posse non inficiabitur, qui hoc genus scitamentis aures habeat pertritas,cuiq; non sit cornea fibra. Siquidem fuit Iulis insulæ Ceæ oppidum, in quo Simonides feratur natus. Quod ex Strabone didicimus,& antea cecinerat Theocritus.Sed coactũ nimis ac uiolentum forsan rebitur id, cuius item auris acriori lota aceto sit. Magisq; multo arrisurum putabit, quod scribit Apollodorus: Cantilenam in luctibus celebrem dici Ialemon, in hymnis uero Iulon. Quæ de hominibus sic nominatæ comperiantur:sicuti à messoribus usurpabatur Iytierſas. Habitauit autem Celænas Phrygiæ Lytierſas,Midæ quidem filius, sed nothus, ex quo ut messor præstãs celebretur in Phrygia: meminit Theocritus, & exposuit interpres. Sed nec præterijt Pol-

lux

lux,qui & iulon itē recognoſcit.In libro De Pæanibus auctor eſt Samus Delius, hordei manipulos per ſe ſolos ἀμάλας nuncupari,congeſtos autem ex alijs compluribus ulos dici & iulos: Cererem quoq; nūc quidem uocari Chloen,nunc autem Iulo, id eſt ἰουλώ, Proinde ex Cereris inuentis,& fructus ipſos,& in deam concinnatos hymnos, ulos appellant,& iulos.Sunt qui lanas tractantiū eſſe cantilenam putent. Vle obiter, id eſt οὐλή, cicatrix eſt:unde epulotica & ſynulotica medicamenta,quis inducí cicatrix ualet. Iulos etiam Proſerpinæ congruere arbitrantur.Nam iulides, apud Oppianum primo ἁλιθυπικῶν, inter piſces recenſentur ſaxatiles. Meminit in libro De piſcibus Dorion, ut ſcribit Athenæus.Iulos uerò etiam dicunt inteſtina terræ.Sunt qui iulidas item hyccas opinentur dici,unde & Siciliæ ciuitas nomen ſit mutuata,quòd illuc delati primum, id piſcium genus fœtum cōpererint. Lycophronis interpres iulon uermem dicit πολύποδα, qui parietibus arrepat: ex quo naues iulopezas nuncuparit Lycophron, ex remorum ſimilitudine,qui nauium uidentur pedes. Iulon item myriopoda dicunt. Sunt qui ſcolopendras eſſe iulos coniectent. Inteſtina uerò terræ, id eſt τὰ τῆς γῆς ἔντερα, ſic nuncupantur,inquit Theon: quoniam longitudinis ratione inteſtinorū imaginem præferant, & quia in terræ uiſuntur profunditate.Hinc in Prognoſticis Aratus:

Καὶ πλαζόμενοι σκώληκες
Κεῖνοι, οὓς καλέουσι μελαίνης ἔντερα γαίης.

Cæterum quia in cantilenas uolentes incidimus,ſubnectamus aliqua,quæ uoluptati ſit legiſſe,& uſui meminiſſe: Melos quod præcipuè uſurpatur in muſica, propriè quidem apud Græcos membrum corporis indicat. Sicuti uerò numeroſa in corporibus membra,quamuis diuerſum ſortiantur & ſitum & motum, diuerſoq; perfungantur munere, nihilominus ad unum tantum opus cooriuntur,unumq; habent finem, ueluti ſcopum: ita etiam ex uocum diuerſitate qui conſurgit concentus, melos uocatur. Quod in libro De muſica Plutarchus ſcribit.Latini modulum appellant. Et hinc dici melicos poetas, auguror,quos Therapeuticos primo lyricos ferè Galenus intelligit.Id eo libentius adnotatū,quod etiam doctiſſimi melicos,& melopœos,aut melocertas eſſe poetas quoſdam,ex Cicerone De optimo genere dicendi,pronūciaſſe ſatis ſuperq; habent. Aut certe melos uocare in muſica ideo inſtitutū, quia μέλει Græcè ſignat curæ eſſe,ceu nil muſica antiquius homini eſſe debeat, nilq; quod curet impenſius. Nos uerò etiamnum ſuo loco de muſica commentaturi plura ſumus.Interim adijciamus pleraq; non indicta quidem, ſed quæ in paucorum peruenere ſcientiam,ut prætereantur quæ Gellius ſcribit. Muſicæ ſtudioſos aut harmonicos dicimus,aut canonicos. Harmonicos nuncupamus eos,qui auribus contribuunt auctoritatis plus,quàm rationi: eiuſmodi fuiſſe Ariſtoxeni conſectatores nouimus. Canonicos autem, qui rationis perſequuntur examen: ſicuti ab Pythagoreis factitatum palàm eſt,quos tamen genere nec ab harmonicis abduxeris. Canonium uerò obiter eſſe uidetur ſacris uiris deſtinatus locus, ac canonice uiuētibus. Sed in nauibus quæ,cataphractæ uocantur,& cataſtromata habent,id eſt pauimenta ſuperiora,uel tabulata, ligna quibus tabulæ incumbunt,canonia nuncupantur, & καθμίδα. Aſconius Pedianus, tributorum genera facit tria: canonem,ut in portorijs & uectigalibus: oblationem,ut in uini diſtractione: indictionem,quæ uulgò dicitur talea, Latine item collatio,ſeu collecta: ut apud Ciceronem libro ſecundo De oratore. Taleam nummariam ſunt qui ex T. Liuij octauo libro clarigationem appellari putent. Erant & canones chronici,in quibus temporum ratio tractabatur. Apud Spartianum in Seuero ita legimus: Rei frumentariæ,quam minimam repererat,ita conſuluit, ut excedens ipſe uita ſeptem annorū canonem relinqueret. In Heliogabalo, canon dicitur fructuarius pro alimentis in tot annos paratis. Omnino uidetur canon,id frumentum quod in uſum cedit annuum, uel quod annis confertur ſingulis,unde Aegyptius canon in hiſtorijs. Ptolemæi inſtituta mediam quandam rationem inſecuta ſunt. Tantum enim ſenſorio attribuit,quantum Ariſtoxenij: rurſumq; rationi,quantum Pythagorei. Etenim tum demum enaſci iudicium putat ſyncerum ueraxq;, ubi ſenſus & ratio conſpiratu nituntur conſono. Quod ipſum & in aſtronomia comprobauit, quum rationis libra ab oculis non abit diuerſa. Vt uerò ad melos redeam,unde digreſſus in iſta ſum, inuenio apud auctorum opinatiſſimos,himæum nuncupari melos ſolitum,quod concinerent ἀντλῶ

ται, id est aquarum hauſtores. Himonia uero aliud est: nam sic funiculum dicunt, quo ex puteo attollitur aqua: unde festiuius ἱμωνιαῦ dicitur, pro μακρὰ χρῆσις, id est temporis non parum in excernendo absumere. Himæi uero meminit Callimachus:

ἀείδει καί πθ τὶς ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖος.

Concinit iam & hauſtor aquæ aliquis himæum. Tenellum uero, id est τλωέλλου, Aristophanis interpres nunc lyræ harmoniam accipit, nunc pulsatiunculam, id est ἁρμάτου, quæ in uictoria æderetur, Omnino uidetur ab sono conformata uox. Eleganter uero Aristophanes: ἀλλ', ἐὰν μόνον γε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλ' ἔφη.

Si utiq; exuperas uoce, tenellus es: id est maximus musicus: aut nicephorus, hoc est uictoriæ compos. Erat & niglaros, musicum melos exhortationibus aptum. Tenerum uero Melia, Oceani filia, & Apolline natum fuisse uatem ferunt, qui apud Ismenum uaticinaretur, ubi & manteum fuerit, quod Ismenium appellarunt. Sed & Thebis campus uisebatur Tenericus. Epilenium melos in Ptolomæi pompa à satyris ad tibiam decantatum, Bacchium intelligo.

Prouerbij origo quod est, Habitus monachum non perficit. Hieronymi locus. De Iside multa. Quæ linostoliæ. Sacerdotum munia. Item pauca de Osiride, Tiphone, Anubi. Acephali sacerdotes qui. Lini ratio, item salis. De apide pauca. Vitis unde nata. Ebrietatis detestatio. Sphinx cur apponeretur templis. Piscem apud Aegyptios signare odium. Maris detestatio apud Aegyptios. Nephthys, sothis, astromyos. Nonnus quid. Albarum uestium luxuria. Archimandritæ, archigerontes, synoditæ. Cap. XII

TErtritum exculcatumq; Rhodigínis meis, etiam pullato circulo prouerbium est, Habitu monachum non perfici. Id quo uideri grauius possit, sibiq; in eo municipes nostri applaudant: uetus est, & quidem ex Græcis corriuatũ fontibus: cuius rei auctor mihi Plutarchus est: eius uerba subieci, ὅτι γὰρ φιλοσόφους ὠνομάσθαι καὶ τελεσιουργοὺς ποιοῦσι, ὅτι ἱματίων καὶ λινουργίαι. id est Non, inquit, philosophum facit promissior barba, nec uestis pertrita: non item isiacos linostoliæ, id est amictus linei. Faciunt ad hæc Gellij uerba ex Noctibus Atticis, ut præteream quod in canonicis Decretis relatum scio, distinctione quadragesimaprima: Non cathedra sacerdotem facit, sed cathedram sacerdos: nec locus hominem sanctificat, sed locum homo. Video, inquit Herodes, barbam & pallium, philosophum necdum uideo. Veluti mores & scientia genuinum, non insititium, non fucatum philosophum ostentent. Id tamẽ quantumuis sanctum prioribus nomen, & uenerationis summæ, plerique homines erratici, & æruscatores, ac nulli rei, tantum non incolæ sordentiũ sæpe ganearum magna sibi doctissimi cuiusque indignatione, arroganter uendicare sunt ausi. Id ipsum & de Isiacis astruendum, quando moribus integer ac castus, sanctus, uirtutis exemplum singulare, Isiacus demum uerus censeri debeat: quiq; diuinæ ueritatis anxius sit scrutator, atque ei deniq; rei philosophando tempora impertiat. Id quod deæ ipsius comprobat nomẽ ex priscorum theologia, quam in primis σοφὴν καὶ φιλόσοφον θεὰν intelligunt, id est sapientem & philosophum, nominis argumento, quod ab Græca origine inclinatum, scientiæ noticiam significare aiunt: unde & sacrariũ eiusdem, ἴσειον nuncupetur, quod uideamur εἰσόμενοι τὸ ὄν, ἂν μετὰ λόγου καὶ ὁσίως εἰς τὰ ἱερὰ παρέλθωμεν τῆς θεοῦ: id est cognitionem consecuturi eius quod est, si cum sanctitate ac ratione sacra deæ adierimus. Proinde narrant Promethei filiam, alij uerò Mercurij: quorum alter sapientiam monstrat & prouidentiam, Mercurium uerò grammatices ac musices statuunt repertorem. Quamobrem Hermopolitæ Isin probant musis priorem, ut quę diuina hieraphoris ueris ac hierostolis legitimis præmonstret: hi uero sunt, qui sacram diuinorum rationem ab omni expurgati superstitione, ac nimia uacantiq; sedulitate, in anima gestitant, perinde ac in capsula quadam. Quod sanè felicitatis summæ quodammodo uideri potest. Nam qui recte syncereq; sapiunt, bona quidem cuncta à deo deposcunt sibi: sed in primis, quantũ capax est humana ratio, ueritatis diuinæ cognitionem, qua maius nil capere homo potest, nec deus sua precellenti bonitate impertiri. Neq; enim argento aut auro deus esse opulentus creditur, nec tonitruis aut fulminibus prępotens, sed scientia & prudentia: quod ipsum egregie significauit illis uersibus Homerus,

ἦ μὰν ἀμφοτέροισιν ὁμὸν γένος, ἀλλ' ἴα πάτρη,
ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει, καὶ πλείονα ἤδεα.

Verè unum utriſq; genus, & patria una,
ſed Iupiter natu grandior erat, ac norat plura.

Propterea elaborandum ſacerdoti præcipue, ut tanquam peſtem, ignorantiam abijciat. Siquidem ait apoſtolus Paulus: Qui ignorat, ignorabitur: præſertim intelligere ſi neglexerit, ut bene ageret. Proinde in Quæſtionum libro Auguſtinus: Non omnis qui ignorat, ab pœna immunis eſt. Sacerdos utiq;, ſal terræ dicitur, & mundi lumen. Hinc Malachias: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius. Hinc ab docendi ac nunciandi proprietate ſacerdotes etiamnum angelos dici, in Cæleſti hierarchia comprobat Areopagita Dionyſius. Certè ita propemodum cenſeo, cognitione ſequeſtrata, & abiuncta rerum ſcientia, immortalitatẽ non recte uitam dici, ſed eſſe uerius tempus quoddam. Scitum eſt illud Hieronymi ſuper Malachiam: Sacerdotẽ indoctum eſſe cæcum animal. Et Typhona Iſidis inimicum, quem eſſe alium opinamur, quàm ſtupidam imperitamq; multitudinem, errore deuiam, quæ conuellat, lancinet obſcuretq; ſacram rationem: quam congreget Iſis, componat, contribuatq; recte initiatis, & latriam deo ſummam uitæ caſtitate, mentis affectu puro, abſtinentia uoluptatum omnium exhibentibus: horum nanq; finis omnium, intelligibilis primi cognitio. Equidem ſacerdotis officium ac uirtus eſt, ſapientia quædam pietate feruens, & pietas ſapiẽtia collucens. Verum illud Hieronymi quo'nam tranſeamus piaculo? Monachi, inquit, uirtus prima eſt, hominum contemnere iudicia, & Apoſtoli ſemper recordari: Si adhuc hominibus placere uellem, CHRISTI non eſſem ſeruus. Nec diuerſum eſt illud dominicum ad prophetas, quo ſe poſuiſſe aſtruit eorum faciem uelut urbem æneam, & adamantinum lapidem, ac ferream columnam, ne populi expaueſcerent iniurias, ſed ſubſannãtium impudentiam frontis rigore contererent. Quoniam uerò Iſiacorum ritus attingimus, & ſi alibi ſcio futuram nobis de hac ipſa re mentionem, proſequamur tamen interim, quæ ex Græcis auctoribus ſeſe nobis oſtentant, uelut cella quadam proma, neq; enim aliud cenſeri debet gentis eius doctrina: ita eſt omnifariam copioſa, & tanquã quoddam bonorum mare. Quod igitur capillitio denudetur caput ab Iſiacis, & totũ corpus deniq;, eam plerisq; arbitrantur rationem, quod is eſſet lugentium mos. Ferre autem lineas veſtes, coloris eius ratione, quem floreſcens linum emittit, æthereæ, ac gratæ pulchritudini mundum continenti perſimilem. Cæterum ea uerior cauſa: Purum, inquit Plato, impuro attingere nefas. at ciborum ſuperfluitas nulla pura ſyncera q; eſt: lanas autẽ, uillos, ungues, eſſe pullulareq; ex ſuperfluitatibus quis non nouit? Proinde nónne ridiculum foret, tondentes reſecantesq; ac leuigantes quodãmodo corporis proprij partes uniuerſas, aliena circũponere, ferreq; ſuperfluitatum (ut ſic dicam) germina? quum ſint itidem impura, & proinde diuinis inepta? Quod adeo uerũ eſt, ut Heſiodus, quum ita cecinit,

Μὴ δ' ἀπὸ πρωτόζοιο θεῶν γόνυ δαιτὶ θαλείῃ,
Αὖον ἀπὸ χλωροῦ τάμνειν ἀλδῶντι σιδήρῳ.

Non ab manu ramorum quinq; in deorum cœna celebri
aridum ab uiridi reſecare ſplendido ferro:

non ferè aliud præcepti obſcuritate uideatur inſinuare, quàm repurgatos ab ijs ſacra feſtaq; adire oportere, nec inter ſacrificia ritusq; ſolennes redundantia deſecare. In noſtra quin etiam religione Apoſtolo præcipiente, ut eſt in canonicis proditum Decretis, comam nutrire prohibentur clerici, caputq; in ſphæræ modum radere coguntur, id ipſum Gregorio item ſanciente, ut ſic faſtigij præeminentis coronã quoq; præferant: quo forſan argumento apud Tarſum Herculis ſacerdos ſtephanephoros dicebatur, dignitate præſigni, qua honeſtatus à ciuibus Lyſias philoſophus tyrannidẽ arripuit, ueſte protinus animum indicante, quam fuiſſe purpuream μεσόλευκον, id eſt albo diſtinctam, ſcimus. Linum autem diuinæ rei maxime idoneum inde iudicatur, primum, quod ex immortali, ut ueteres loquebãtur, terra prodit. Fructum quoq; eſui non ineptum ædere uidetur. Veſtem autem puram omnino præbet, & frugi, nec geſtanti oneroſam, ac tempori cuilibet peraccommodam, nec φθειροποιὸν, id eſt pediculos producentem. Adeo uerò ſuperfluitatũ omnium naturam abhorrebant, ut non ſolum pluribus leguminibus

abſti-

abſtinerent, ſed nec ouillas aut ſuillas eſitarent carnes, quod multũ ex ijs fiat ſuperfluentis materiæ. Quin ſanctimoniæ item ratione ſalem cibis non adhibebant, cauſis quidem pluribus, ſed illa præcipua, quod cibi potuſq; copioſioris appetentiam facit. Nam quod dictitat Ariſtagoras, ſalem ab illis cenſeri non purum, quod pleraq; animalium intercepta dum denſet concreſcitue immoriantur, fatuum omnino eſt, ac relatu indignũ. Illud certe memorabile eſt, ac ubiq; ſæpius recinendũ: Apidi nãq; ſuo ex puteo peculiari ſuggerunt potũ, etenim Nili aqua prorſum putant abſtinendũ, ut quidam cẽſent, ob crocodilos, aut uerius quod pinguefacit aquæ id genus, inducitq; πολυσαρκίαν, hoc eſt carnis copiam uberiorẽ. Apim uero ita ſe habere, prorſum cauent, immo uero & ſeipſos. Sed expedita omnino agiliaq; corpora circumponere animæ ſtudent, ne præualente quod morti obnoxium eſt, diuinum comprimatur, & moleſto nimisq; inutili exteratur pondere. Scitum quippe Græcanicum eſt illud, quod in noſtrum ſi transferatur ſonum, addubitat Hieronymus, an æque reſonet, Pinguis uenter non gignit mẽtem tenuem. Græce autem ſic: παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Vino utuntur quidem, ſed præparce. Tam etſi in Heliopoli rei diuinæ incumbentes templo nequaquam inferunt uinum, ceu dedeceat interdiu bibere, domino ac rege inſpectante. Omnino ſæpe abſtemios agunt, & philoſophantes de diuinis aut docent aut diſcunt. Reges ſi ſacerdotio fungerentur, bibebant quidem ad præſcriptum ſacrarum literarum. A Pſammeticho tamen id agere orſi ſunt: prius enim abſtinebant, neque prolibabant, ut gratum deo, ſed ut cruorem eorum qui bellare cum diis affectaſſent: quibus concidentibus, ac telluri immixtis, uitem enatam opinantur. Proindeq; ebrietatẽ, amentiam inſaniamq; parare, ut progenitorum ſanguine imbutis. Et hæc quidem ab ſacerdotibus iactari, auctor Eudoxus eſt in ſecunda Periodi. A noſtro autem auctore ita proditũ eſt, quod ſi abſq; uino ardeo adoleſcentia, inflammor calore ſanguinis, & ſucculento ualidoq; ſum corpore, libẽter carebo poculo, in quo ſuſpicio uenenĩ eſt. Veteres porro delicatiorẽ molliorem q; uictum ita dete ſtatos memorant, ut proditum ſit, apud Thebas in templo fuiſſe ſurrectam columnam, qua execrationes ſcalptæ continerentur aduerſus regem Menin, qui mollicie luxumq; inuexiſſet primus. Adnotandum hic illud Hieronymi in Iouinianum: De ciborum, inquit, ſibi placent abſtinentia, quaſi non & ſuperſtitio gentilium coſſum Matris deum obſeruet, & Iſidis. Qua tamen id parte haud diſſimulandum arbitror mihi, locum inſigniter interpellatũ uideri, primum orationis ſtructura: cur enim dicatur Matris deum coſſus, uel Iſidis: ſi eum in cibis aſpernantur dearum ſacris mancipati? Porro nec conuenit, ſi ſacrum intelligas. Quid enim Aegyptijs cum coſſo? In Ponto & Phrygia quidem uermes albos & obeſos, qui nigello capite ſunt, & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit. At, inquit mox Hieronymus, Coge Syros Aphros, Arabas, ut uermes Ponticos glutiant, ita eos deſpicient, ut muſcas, millepedes & lacertos. Quod ſi ad Iſiacos Romanæ urbis referendum putes, quoquo te torqueas, frigebit excellenter. Alicubi ſcriptum comperias coſtum, non coſſum. Mendo non caret hoc quoq;, ſed ad uerum gradus eſt: nam ſubolet à Hieronymo Græce ſcriptũ ἄγοῦσον, id eſt ciborum abſtinentiam, uelut ieiunium, ubi nil uel parum præguſtes, ac uilius. Extat uerbum apud Pollucem, exponitur ab Suda. Cybeleios uero & Iſiacos luctus ratione cibis abſtinuiſſe propter Atym & Oſirim amiſſos, euidens coniectatio ex Auguſtini libro ſexto Ciuitatis diuinæ, & Lactantio libro primo. Quod igitur deſyderio concupitæ rei factitarunt deæ, imitabantur ſacerdotes, aut quiſquis ſacra coleret. Proinde dicit recte Ageuſton Matris deum & Iſidis. Ieiunia in ueteri religione ſeruata, in libro de Oſiride ac Iſide Plutarchus docet, ac in deorum natura Phurnutus. Idem porro & mox error irroborauit, quum ſic ſcribit Hieronymus: Quomodo autem uirginitati ueræ non præiudicat imitatio uirginum diaboli, ita nec ueris ieiunijs coſtum Iſidis & Cybeles, & quorundam ciborum in æternum abſtinentia, etiam ſi coſſum hic quoque repoſitum in nonnullis comperias. Scitu uero dignum illud eſt: Ante Aegyptiorum templa ſphingem aſtitui ſolitam, quo argumento indicarent, theologicam ipſorum ſapientiam obſcuriorem, fabulisq; ita ſæpe conuelatam, ut ueritatis ueſtigia uix interlucerent. In Sai Pallados erat templum, quam Iſin etiam arbitrantur, eiuſmodi præſcriptione, ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, ⓒ ὄν, καὶ ἐσόμενον, κὴ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν:

Ego

Ego ſum omne quod fuit, eſt, erit: meum peplum mortalis reuelauit nemo. Sunt tamen qui alia ratione ſenſum in iſs promant allegoricum. Nam Oſirin non alium eſſe opinantur, quàm Nilum, qui Iſidi coniungatur, id eſt terræ. Typhona interpretantur mare, in quòd illapſus cõuellatur Nilus, ac pereat: propterea ſacerdotes deteſtari mare, quòd & Typhonis uocant ſpumam. Nec nauticos affatu dignos cenſent, quia mari utantur, & inde uictitent. Piſces indidem auerſantur, quumq; ſignificare odium uolunt, piſcem appingunt. Inueni item, qui mundi partem infra terram, incognitam nobis Nephthyn uocent: ſupernam uerò manifeſtamq; Iſin. Qui autem in meditullio utriuſq; orizon eſt, dicatur Anubis: quem canina facie deformãt, ex animalis natura, quod interdiu noctuq; oculis utatur æquè. Hanc uerò apud Aegyptios Anubin habere uim, quam apud Græcos Hecate habet, terreſtrium pariter & cæli particeps credita. Sunt tamẽ quibus Anubin dici tempus placeat. Videtur pleriſq; Iſis eadem, quæ apud Græcos Io, quam Telegono nuptam, quum in Aegyptum perrexiſſet, Epaphum genuiſſe fabulantur. Scribit Horus, Iſin Aegyptiacè dici Sothin, quæ Græcis uocetur Aſtromyon. Eſſe uerò ſtellam quæ cæteris dominetur, nunc plenior exoriens, nũc defectior, quandoq; ſplẽdida, quandoq; minus. Habuit Iſis Romæ item templum, quod ſolum in urbe Aegyptius ſacerdos purum ſe reperiſſe dicebat, quum Plotino ſuaſiſſet, illuc ſecum accederet, familiarem ſibi dæmonem eo aduocante confeſtim inſpecturus. Cui quum eſſet obſecutus facile Plotinus, quumq; in aſpectum dæmon accerſeretur, pro dæmone acceſſit deus: quo factum eſt, ut exclamaret Aegyptius, Beatum eſſe Plotinum, qui haberet pro dæmone deum. Scribit tamen uigeſimo Antiquitatum libro Ioſephus: Iſidis phanum ſolo æquatum ab Tiberio principe, patibulo ſacerdotibus ſuffixis, quòd eorum opera Paulinam forma exquiſitiſſima, ab adoleſcente conſtupratam comperiſſet, ſub ſpecie accedentis per tenebras numinis. Scribunt Græci, ex deſtinato per Iſim iurantes morbis ſolitos cõflictari: quod Philemon indicat, & ſignificauit Iuuenalis. Quod ad ſacerdotalem attinet integritatem, in noſtris comperi auctoribus, id eſt Chriſtianis, Acephalos nuncupari ſacerdotes, qui ſub nullius epiſcopi diſciplina uel prouidentia gubernentur, uelut ſine capite intelligi debeant, ſicuti priſca ſanxit conſuetudo. Sunt inter hæreticos Acephalitæ, item nuncupati, quod eorum auctor lateat, nec unde prorepſerint ſciatur magnopere. Apud Aegyptios Acephali homines obambulantes expicti, rem quæ fieri nequeat indicare traduntur. Acephalorum fit hæreticorum mẽtio Codice De hæreticis & Manichæis, lege Idem eſt. Nec id omittendum ex Thucydide obſeruatum, moris fuiſſe Argiuis, uti ab ſacerdotibus tempora ſupputarent, unde eſt hiſtorici illud, ὧν χρυσίδου, id eſt Chryſidis tempore: fuit enim apud Argos Chryſis ſacerdos. Scitu dignum quoque, Apud Aegyptios, ſanctimonia præſignes monachos dici Nonnos: monachas uerò & uirgines, Nonnas. Meminit uocabuli Hieronymus: Caſtæ, inquit, uocantur & nonnæ. Ex eodem Hieronymo in Iouinianum primo palam fit, luxuriæ datum olim monachis, ſi ueſtibus uterentur albis, quòd ea res lautitiam reſiperet, ac triumphalem ſuperbiam. Archimandritæ codicis primo, ſacrorum monaſteriorum eſſe uidentur ſacerdotibus præpoſiti, uti abbates. Legimus Archigerontas quoq; titulo De epiſcopali audientia, quin & Synoditæ mox nominantur.

Super Demoſthene adnotata quæpiam non ingrata. Quid ad aquam ſcribere. Quid Batalus. Corrigitur error interpretis Plutarchi. De Calauria inſula. Item Ouidij locus. Batus piſcis. Batiõ, nitarion, batyle, batylos, bater, batia, apobatos. Fracti qui intelligantur. Embates, embata. Cap. XIII

IEoſthenem, proditum memoriæ eſt, quum magnitudinem, uim atq; ſplendorem Demoſthenis in dicẽdo ſatis mirari non poſſet, ſolum ex oratoribus dixiſſe, animatas planè, non malleo cuſas, id eſt σφυρηλατους, orationes exhibuiſſe: quanquam non me fallit, M. Tullium quodam loco ita ſibi ſcribere permiſiſſe, Vſq; eo, inquit, difficiles ac morоſi ſumus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes: qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamẽ non ſemper implet aures meas: ita ſunt auidæ, & capaces, & ſemper aliquid immenſum, aliquid infinitum deſiderant. Sed alibi tamen ſuo teſtimonio ampliſſimè Demoſthenem ſubleuat Cicero idem, ubi ait: Nemo eſt orator, qui Demoſthenis ſimilem ſe eſſe nolit.

Quin

Quin propter hunc unum Athenas item magis Atticas putat. Sed enim quàm incredibile ſtudium, quàm inenarrabilem prope laborem adhibuerit, ut ſuperatis naturæ impedimentis, id teneret eloquentiæ culmen, quod eſt cumulatiſſime cõſecutus, quis adeo à muſis longiore diſcluſus interuallo, quem lateat? Maximus certe Valerius, alterum ab natura Demoſthenem, alterum ab induſtria factum prodidit. Ab eius porro immenſa atque incomparabli ad dicendum cura adagium effingi nobile, nulla non hora idem ingerendum inculcandumq; rhetoriſcis neſcio quibus, poteſt: de ijs, qui non citra puluerem, quæ ſint habitura genium, & teretibus omnino auribus futura non inſcita, nec putida, peruigilant, Ad aquam ſcribunt: quando tantus mox futurus orator, non utique uino madens luculentiſſimas orationes ex fœcundiſsimo pectore prompſiſſet. Quod de Aeſchylo mordaciter retulit Calliſthenes, quem ubi uino ſatis incaluiſſet, ac ſe largius bibendo excitaſſet, tragœdias eo calore concinnare ſolitum, ſcribit. Igitur urbanius in hanc Demoſthenis hydropoſiam luſiſſe Demadem ferunt, ſicuti Lucianus auctor eſt: Cæteri quidem, inquit, ad aquam dicunt, Δημοσθένης δὲ πρὸς ὕδωρ γράφει. Demoſthenes autem ad aquam ſcribit. Nam Pytheas nimiam oratoris diligentiã præmonſtraturus, τὸ κρότον τὸ δημοσθενικὸν λόγων ἀποζέμ τὸ νυκτερεινὸν λύχνε pronuntiauit, id eſt Demoſthenicæ orationis ſonum lucernã reſipere nocturnã. Deniq; uis in Demoſthene peculiari inſigniq; modo celeberrima, ſicuti in Iſocrate ſuauitas, ſubtilitas in Lyſia, in Hyperide acumen, ſonitus in Aeſchine, in Platone copia. Scribit tamen Libanius, Demoſthenis inimicos in illius mollitiẽ cauillatos, Batalum appellare eum conſueuiſſe: cuius rei ipſe quoq; mentionem faciat in Oratione contra Aeſchinem, ſiue pro Cteſiphonte. Nam & in prælio apud Chæroneam, quo acciſæ Athenienſium res ſunt, fuga ſibi ſalutem quæſiuit. Quòd quum ab inimicis illi acriter & contente obiectaretur, ita cauſam fouebat propriam, ut diceret, ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχέσεται. ſignificans, eum qui manſaſſet fugæ præſidiũ, poſſe denuo in pugnam cooriri. Batalus dicebatur apud Atticos pudendorum pars. Sic enim Plutarchus ſcribit Δοκεῖ δ' καὶ τὸν Δημοσθένη τι λεχθῆναι τὸ σώματος μοριον πρὸς τοῖς ἀπίνοις τότε καλεῖσθαι Βάταλον. id eſt, uidetur autem dici Batalus apud Atticos corporis portio, quæ honeſte ſatis nequit enuntiari. Sunt qui tibicinis infracti nomen eſſe Batalum putent, uel poetæ, qui laſciua & uinolenta carmine ſit complexus. Cæterum hic obiter lector ſtudioſus monendus eſt, ubi Plutarchus ſcribit, ἦν Βάταλος αὐλητὴς τῶν κατεαγότων: id eſt, Erat Batalus tibicen infractorum: quoſdam ad corpus referre, quod Plutarchi interpres uidetur ſenſiſſe: cuius uerba prætexuimus, tanquam is fuerit corpore diſtorto: quod neutiquam uerum eſt: nam, auctore Libanio, ad mores & cantus & habitum tibicinis Batali pertinet uerbum id κατεαγότων, id eſt infractorum: nam ſubintelligendum eſt, cantuum: quoniam etiam Latine, fracti dicuntur fluxi, molles & effœminati: ut apud Quintilianũ libro quinto: ut fortaſſe corpus uulſum, fractum inceſſum, ueſtem muliebrem dixerit aliquis, mollis, & parum uiri ſigna. Libanij uerba ſunt hæc, ἰσόργαι γὰρ ἦσαν Βάταλον ἐφέσιον αὐλητὴν ἡμιέθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ὠδὶ φλασκώδως ἐχρήσατο, καὶ μέλεσι κατεαγόσι, καὶ ὅλως τῷ τρόπῳ ἐμάλθαξεν, ἀπὸ τούτου δὲ οὗτοι ἐκλύτους καὶ ἀνάνδρους, Βατάλους ἐκάλουν. id eſt, narratur fuiſſe Batalum quendam Epheſium tibicinem, qui omnium primus in ſcena calciamentis uſus eſt fœmineis & fractis cantibus, & artem tibiarum remolliuiſſe prorſum uidetur. Ab hoc fluxos, exſolutos & parum uiros, batalos uocarunt. Porro in molles, batali nomen enuntiari ſolitum: Præter Thomam magiſtrũ, Hermogenes item ſcribit. Meminit Aeſchines in oratione πρὸς παραπρεσβείας. Eupolis uidetur batalum dixiſſe τὸν πρωκτὸν, id eſt podicem, unde & cinædos putarunt aliqui batalos dici, ἀπὸ τοῦ τύπτεσθαι γὰρ ὀρχοῦμενοι καὶ βαταλίζεσθαι, id eſt ictibus qui in re fœdiſsima inferuntur. Cæterum, ut ad Demoſthenem reuertamur, dignum memoratu quod proditur, Huic tam ſummo, tam omnibus fere numeris in oratorijs campis, & dicendi palæſtra abſoluto iocorum defuiſſe facultatẽ, quæ M. Tullio ſuperfuerit. Vt ſciamus, non modo eidem omnia non dari, quod Homerus inquit, & relatũ apud T. Liuium ſcio, uerum eſſe quædam, quæ nulla ars, nulla unquam uicerit cura. Circunferuntur tamen quædam illius non omnino illepida aut inficeta: Vt quum Pytheas dixiſſet mordacius, Orationes illius obolere lychnum, Scio, inquit, tibi moleſtam eſſe ardentem lucernam. Is enim ut fur, male nonnunquam audiebat. Id

uero

uerò adnotandum ὁδὸν πάροδον, Calauriam dici inſulam, Trœzenio littori proximam, in qua ſe ab Archiæ manibus ueneno Demoſthenes redemit: non Calabriam, ut modo in Plutarchi Latinis codicibus ferè circunfertur. Hæc enim eſt Italiæ portio. Diſtinctionem hanc agnoſcit Euſtathius. Inde apud Ouidium in Metamorphoſeon libris:

Inde Calaureæ Latoidos aſtat in arua.

Quãquam ibi modo legitur, Calareæ. Sciendum tamẽ in Periegeſi Dionyſium Aphrũ inſulam appellaſſe Καλαβείαν: unde & Rhemnius Fannius, Calabria dura colonis.

Quod de Batalis diximus, animaduertẽdum quodam loco Plutarchum dicere, Batalos eſſe Germanorum equites præſtantiſſimos, qui inſulam colant quam circunfluat Rhenus. Sunt qui batum interpretentur mollem, delicatum, cuiuſmodi ferè ſit batus piſcis: unde & nitarion & bation ſubblandientium puellis deminutas eſſe appellationes tradunt. Nam & Nitarus quidam morſu comico habetur mollicie infamis. Puſilli quoque corporis fœminas, batylos uocabant. Batyle uerò eſt Theopompi drama. Bater autem, hoc eſt βατὴρ paſtoricium nuncupatur baculum, cum quo paſcunt. Eſt & bater, principium caueæ Pentathlorum. Hinc profluit illud eruditius, ὡς ἂν λάβωμεν τὸν βατῆρα τοῦ λόγου. id eſt, ipſam pulſaſti orationis præcipuè tempeſtiuam, & primam partem. Pro uirga bater, Latinè dicetur pedum. Addamus & Pollucis interpretamentum, Vnde, inquit, proſilit Pentathlus, dicitur bater. Batiam, & apobaton uocant Græci rubis conſitum locum, Latini ſenticetum dicunt, uel dumetum. In ſanctis literis eſt item menſuræ genus rerum liquidarum batus, cori pars decima: unde in Euangelio illud, ſicuti legebat Hieronymus quoq; qui dixit ei, centum batos olei. Olus cordum, inquit Columella, quidam battin uocant: eſt uerò aculeata, ſponte naſcens, marina & hortenſis. Embata ſunt tragica Græcis calciamenta, ſicut embades comica, ſcribit Ammonius.

Lineam poſcere, quid: & quid in ſpectaculis linea. Item de longuriis, ac ramicibus, & uacerris, & cancris, ſeu cãcellis. Cinclides. Cinclidarij qui. Longis lineis facere quid ſit. Linida quid uocent Græci. Hiſtopedon. Hiſtodoce. Concædes quid. Cap. XIIII

QVintilianus libro undecimo ita ſcribit, Tranſire in diuerſa ſubſellia, parum uerecundum eſt: nam & Caſſius Seuerus urbane aduerſus hoc facientes lineam popoſcit. Quid ſit hac parte linea, uideri ambiguum, ſcio. Ego longurium accipio, ſic enim longiores perticas, aut robuſtiora ligna, quæ in ſtabulo equis interponuntur, ac ne conſurgant in pugnam, aut ſe mutuo feriant, appellari obſeruauimus. Varro in Rei ruſticæ libro ſecundo: Itaq; in ſtabulis & humore prohibere oportet humum, clauſa habere hoſtia & feneſtras, & inter ſingulas equas à præſepibus interjicere longurios qui eas diſcernant, ne inter ſe pugnare poſſint. Meminit & longuriorum libro primo, in ſeptorum ratione: Sepes, inquit, fit palis ſtatutis crebris, ac uirgultis implicitis: aut perforatis, & per foramina traiectis longuriis ferreis binis aut ternis. Cæſar Commentario quarto: Hæc directa materia iniecta contexebantur, ac longuriis cratibuſq; conſternebantur. Longurios etiam ramices dici, obſeruatum apud Columellam eſt libro decimo: qua in parte, uacerras item clatrorum genus interpretatur. Seruius Aeneidos quinto, ubi in ludorum celebratione Virgilius ait:

Signoq; repente Corripiunt ſpatia audito, limenq; relinquunt:

regulã interpretatur, quod dixit poeta limen, aut ſignum de creta factum. Ex cuius uerbis facile percipi licet, cur in ludis ab eruditis perſæpe linea nuncupetur alba, quam ſignificaſſe Martialis uideri poteſt illis uerſibus libro octauo:

Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

Sed & Ouidius primo De arte, circenſia attingens ſpectacula currentium equorum:

Et bene te cogit, ſi nolit, linea iungi,
Qua tibi tangenda eſt lege puella loci.

Etiam ſi modo lõgum ſedendi ordinem nonnulli interpretantur. Sicut & illud in Amoribus: Quid fruſtra refugis? cogit nos linea iungi.

Porrò, ut in carceribus uiſebatur linea, ſic & in meta, ubi uincentibus proponebantur præmia: ut Pindaricus tradit interpres. Vlpianus Digeſtorum nono, ad legẽ Aquiliam,

ita inquit: Si maritus uxori margaritas extricatas dediſſet in uſu, easq́ inſcio uiro perforaſſet, ut pertuſis in linea uteretur, tenetur lege Aquilia. Sed apertius idem Digeſtis De furtis, libro quadrageſimoſeptimo: Si linea margaritarum ſurreptā ſit, dicendus eſt numerus. Longis porrò lineis quid fieri, eleganter dicitur, quod è longinquo fit: uelut, extrema linea amare, apud Terentium Latinitatis obſeruantiſſimum. Linida uerò, id eſt λινίδια, uocant Græci hiſtopedam, id eſt cauum in naui locum, cui malus inſeritur: nam hiſtodocem, lignum in puppi prominens dicunt, in quod reclinatur arbor eadem. Adlineam præterea ſpectat illud Hieronymi quoq́, honeſta prolatum metaphora in Luciferiani & Orthodoxi dialogo, In gradum rurſus ac lineas regredere. Cancelli ab hoc propoſito non ualde ſeiunguntur, quando & hæc erant ueluti ſepta quædam ex lignis trāſuerſim iunctis obliquatisq́ ad defendēdam, hoc eſt repellendam turbam, preſſim agminatimq́ proruentem: quod Ciceronis lectio nobis ſuggerit, qui De oratore libro primo ita ſcribit: Nam ſi quis erit qui hoc dicat, eſſe quaſdam oratorum proprias ſentētias atq́ cauſas, & quaſi certarum artium forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiam, fatebor equidem in his magis uerſari hanc noſtram dictionem. Et pro P. Quintio: Et me facile ueſtra exiſtimatione reuocabitis, ſi extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipſi circundedi. Quin & pro P. Sextio, è fori cancellis plauſum excitatum ſcribit. Sidonius item Apollinaris quadam libri quinti epiſtola: Vmbram, inquit, ſtipitibus altatis, cancellatimq́ pendentibus pampinus ſuperducta texuerat. Cancellorum rationem graphice expinxit Varro Rei ruſticæ libro tertio: Præterea, inquit, è pertícis inclinatis ex humo ad parietem, & in eis tranſuerſis gradatim modicis interuallis pertícis adnexis ad ſpeciem cancellorum ſcenicorum ac theatri. Hinc cancellata elephantorum cutis dicitur Plinio. Hoſce cancellos item cancros dici, quanquam rarenter admodum, animaduertimus. Inde ſcitu dignum prorepſit adagium, ut inter Orci cancros adhæſiſſe dicatur, qui ita irretitus illaqueatusq́ teneatur, ac impeditus, ut nuſquam pateat effugium: quoniam Plutonis ſepta & Cocyti irremeabilem neceſſitatis uiam, ut cecinit Orpheus, in Mercurij terreſtris hymno, qui euadere iam tentet, prorſus Aethiopem lauat. Eſt qui cancellos pro abaco ſeſſili interpretetur. Sunt porrò, qui cancellos dici à Græcis κιγκλίδας putent. Nonnulli eo nomine coruum intelligunt ferreum, quo contineatur ianua: cinclum uerò auem motacillam. Pollux, cinclidas arbitratur ualuarum ſpecies. Ariſtophanis interpres in Veſpis, dicaſterij, hoc eſt ſtationis iudicialis ianuam dici putat cinclida, quam (inquit) etiam cancelotem dicunt, id eſt καγκελωτήν. Alij ex Græcis cinclidas intelligunt δικλίδας, id eſt ualuas duplices, aut etiam foramen quo immittitur clauis. Cinclidarios uocabant, quibus Archiuum foret curæ, præſertim ne quibuslibet ad libidinem pateret ingreſſus. Lego denicq́ apud Cæſarem, & Ammianum quoq́, concædes nuncupari firmiora quædam ex cæſis arboribus ſepimenta. Cornelius Tacitus libro primo: Frontem ac tergum uallo, latera concædibus munitus. Cinclidas, pro carcere accipit Plutarchus in Lucullo, ubi preſſos fœnore ab publicanis pati coactos ſcribit, χοινισμούς, κιγκλίδας, καὶ ἵππους. Theocriti interpres, Hyſplax, inquit, laquei ſpecies, proprie autem curſorum carceres ſic uocantur, quem nos cancellum dicimus.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN LIBROS ANTIQVARVM lectionum Præfatio ſexta, ad illuſtrem philoſophum & Venetum nobilem Nicolaum Theupolum Rhodigij prætorem clariſſimum.

POſtea quàm urbem noſtram, uir magnifice, iniſti prætor, mihiq; præter ſummam nobilitatem, multis inſignem imaginibus, doctrina haudquaquam extriuio, ſed interiore, ac inde admiranda præcipue, moribusq; philoſopho, & eo utiq; Chriſtiano dignis es fama cognitus, ita tibi ſum affici cœptus, ut uotorum illud eſſet maximum, tibi me arctius ac familiarius inſinuaſſe. Siquidem ex ſuauiſſima conſuetudine tua, ſi modo eſſem aſſecutus, ut certa ſic & præſignia perſpiciebam emolumenta percepturum: illud uerò grauiſſimum, ut abs te digrederer nunquam non rerum uſu peritior, philoſophica ratione ſolertior, integritate, fide, cõſtantia, omnifaria deniq; bonitate inſtructior expurgatiorq;. Quamobrem quum te huc primò appulſum adiſſem pro more ſalutaturus reuerenter, ea ſum à te benignitate, ac frontis exporrectæ lætitia exceptus, quum adieciſſes, tibi me fama, etiam ſi non de facie, factum Venetijs notiorem, quod pleraq; de rebus meis honore multo audiſſes, ut confeſtim non factam modo rem mihi ſim opinatus, ſed iam ſpei plenus maxima quæq; de tanta uirtute audacius mihi polliceri ſim uiſus. Nec ſanè conceptam de te opinionem uel minimum falli unquam aduerti. Non commemorabo pluribus, qua me accedentem uerborum & rerum munificentia ſis amplexatus, qua ingenuitate ac animi candore nonnunquam ſecretiora mihi ſis impertitus, quum de Inſubrium re ſolicitum me noſſes, quod in ampliſſima ciuitate quinquennium iam profitendi obiſſem functionem, eſſetq; bellorum interuentu ea interpellata cura. Scio quàm honeſtè cum meis ciuibus de me uerba feceris, & quidem non ſemel. Vbi inſita diuinitus animi minimè fucati ſimplicitate prætuliſti quoq;, quàm tibi eſſet præſentia noſtra grata: nec id ambitione ulla, quantum eualui diſpicere, ſed cupiditate ſynceriſſima de literis fabulandi, præſertim Græcis, quas uel ad ſatietatem imbibiſſe uideris, ſic ut qui te, ac rei tuæ publicæ curam peruigilem minus norunt, unam tibi eam fuiſſe prouinciam ſuſpicentur. Sum admiratus & ipſe non ingenium modo, nunquam non in numerato, ſed & memoriæ capaciſſimum theſaurum, cuius ui ſemper procincta, legentis modo Græcos exhibes auctores: ſed Homerum cum primis, quod illius præcipuè maieſtati, non Darij unguentorum ſcrinia, ut Macedo imperator, ſed animi tui diuinius conditorium compararis. Inſignem de me opinionem tuam uir clariſſime, palàm feciſti, quum abs te ſum inter eos allectus, qui Chriſtiano ritu filiolam recens natam de ſacro lauacri fonte tollerent. Quo quidem nomine tibi me ita deuinctum opinor, ac prorſum obæratum, & nexu iuſto addictum, ut quantalibet fuerit uita, rationem factum iri parem, iam hinc deſpondeat animus, ni me uadatæ fuerint literæ, quas unicè amas & amplexaris. Sentis'ne quos tibi exhibeam prædes, uir magnifice, uel qua uerius parte contractam alieni æris uim diſſoluere accingar? Iam ne tibi decocturum me ſuboleat, in rem præſentem manu conſertum te uoco, ut noſtrarum lucubrationum laborem hunc tibi ſecundum uendices, animi mei gratitudinem portiuncula ſaltem minima perſpecturus. Id quod tibi caſurum opinor gratius, quoniam dæmonum naturam eo fermè explicamus, & tu philoſophi eius ueſtigijs inhæres affixus, quem dæmonij cognomento honeſtatum à prioribus compertum tibi eſt. Simul & hominis faſtigium nobili cẽſura perpẽdimus, & animæ hiſtoriam ex Platone, Ariſtotele, ac cõſectatoribus cõpingere adorimur: dignã uiro philoſopho diſertationem, omnibus eo iucundiorem, quod is eſt futurus tanti ductor agminis, cuius typum graphicè nobis ueterum exquiſitiſſima ingenia expinxere.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI ET SEXTVS.

Salis poteſtas mira. Piſcatorum corpora cur cornea uideantur. Cutis craſſitudo cur hebetudinis indiciũ. Enarratur locus difficillimus Fabij, In malaco ſanum. Citta, cittoſis, picatio: item quid malacia. Tollitur mẽdum ex Seneca, & Cæſare. Quæ apud Herodotum ſit Perſarum Halia. Interim qui dicantur inexiſtimati, uel exiſtimati, Gethyllides, Portorium ſalis. Cap. I



ETVS ſententia eſt, à celeberrimis utriuſq; linguæ auctoribus, literis commendata, Totis corporibus nihil eſſe utilius ſale ac ſole: ideoq; piſcatorum corpora uideri cornea. Sentiri remedium in podagra præcipue, probant. Etenim aſtringit ſal, ſiccat, alligat, putreſcentia quoq; corpora ita uendicat, ut ea durent per ſecula, quod Aegyptiorum comprobant inſtituta, quibus mortuos ſale condire moris fuiſſe, planè Herodoto credimus. Inde conſuetudo inoleuit Græcis quandoque, ut uino madentes, & planè delyros etiam oleo perungerent, ſale admixto, ceu ſingulare id foret adiumentum. Quin & uino, nè ſtupeſcat, aut in acetum degeneret, ſalem indere cõſueuerunt. Ex hoc factum uidetur, ut facetiſſimus comicus in comœdia, cui titulus Nephele, ita ſcribendum ſit opinatus, ἅλσι δ' ἁσμυχθεὶς ὄναιτ' ἂν ὑποσί.

Sale perfrictus expurgatuſq; hic iuuaretur utiq;. Quem locum eius poetæ enarratores ita fermè explicant, ut addant id quoq;, Delyrantes oleo linebant & ſale, ac proderat. Vt craſſioris autem cutis, eum in quem iſta proferuntur ſubſannat: pelles ſiquidem pinguedine craſſiores, ſale ſi emolliantur, laxiores fiunt, & inde capaciores. Puto, quia ſalis uim nouimus pingue oneroſum perſiccare depurgareq;. Nam & in Medicinali ſylua quinto libro Dioſcorides, auctor in literis haud inexiſtimatus, ita enim intelligo, quem ἀδόξοῶτα uocant Græci. Nam & exiſtimatum accipit Gellius, qui ſit in pretio cenſeaturq;. Dioſcorides inquam, ſalis multiplicem uſum permonſtrans, potentiam habere memorat, ſmecticam, apocatharticam, id eſt purgandi & abſtergendi. Nimirum ſuſpicantur interpretes hi cutis craſſitudinem ſubtilitati innati ſpiritus officere. Nam & Plautini ſales illuc uidentur ſpectare:

Meus herus elephanti corio circuntectus, non ſuoſt,
Neq; plus habet ſapientiæ, quàm lapis.

Nam magnos ſtupidoſq;, elephantorum nomine intelligebant, uel Græco ſuffragante prouerbio. Legimus in Naturali hiſtoria, fuiſſe nonnullos qui ſubtilitatem animi conſtare non ſubtilitate ſanguinis opinati ſint, ſed cute operimentiſq; corporum. Et tunc magis aut minus bruta eſſe, ut oſtreas & teſtudines. Boum tergora, ſetas ſuum obſtare tenuitati innati ſpiritus, nec purum liquidumq; tranſmitti. Sic & in homine quum craſſior calloſiorq; excludat cutis. Cæterum perpenſio hæc digna ſatis, quam hic pro uirili excutiamus, nec tamen ſermone ita longo, aut laciniioſis periodis. Qua in parte introſpicienda planè, non ab limine ſalutanda modo philoſophorum uolumina, & adyta auguſtiora, in quibus naturæ placita cum rationibus ſuis ſolertiſſime explicantur: ne quis iſta nobis nummo, uti ſic dicam, putet addicta. Si illud inſeruero prius, inter militares animaduerſiones fuiſſe ueteribus ſanguinis miſſionem, quod irrogatum primò creditur militibus animi ſtupentis, atque à naturali declinantis habitu, ut non tam pœna uideretur, quàm medicina. Scribit in ſecunda Animæ hiſtoria Peripateticus nobilis ad hunc fermè ſenſum, Guſtum habet homo certiorem cunctis animalibus. Eſt enim guſtus, tactus quidam: hic autem in nobis exactiſſimus eſt ſenſus, in aliis exuperamur excellenter. Inde fit, ut ſit homo animalium prudentiſſimus. Signum eſt inter homines quoque iuxta ſenſum eſſe aliquos hebetes, alios ingenioſos. Quod in alio ſenſu non contingit, οἱ μὲν γὰρ σκληρόσαρκοι, ἀφυεῖς τὴν διάνοιαν, οἱ δὲ μαλακόσαρκοι, εὐφυεῖς. id eſt, duri quidem carne, inepti

inepti mente, molles autem ingenioſi: hactenus Ariſtoteles. Quæ quia fortè ambiguitatis habent aliquid, nec ſtudioſorum uota explent omnino, illud amplius expendendum, Bonitatem mentis ratione duplici tactus correſpondere bonitati. Prior eſt: Tactus ſenſuum aliorum fundamẽtum eſt: manifeſtum enim, quòd organum tactus late per totum corpus fuſum eſt, & quodlibet inſtrumentum cuiuſcunq; ſenſus eſt etiam inſtrumẽtum tactus. Et id, ex quo eſſe dicitur aliquid ſenſiuum, eſt tãgendi ſenſus: unde ex hoc, quod quis habet meliorem tactum, cõſequitur item habere eundem ſenſoriam facultatem meliorem ſimpliciter, & inde eſſe melioris item intellectus. Siquidẽ ſenſuum bonitas, diſpoſitio eſt ad intellectus bonitatem. Si uerò habeat quis auditum excellentiorem, uel uiſum, non infertur protinus, eundem ſenſoria poteſtate ſimpliciter præcellere, ſed ſecundum quid tantum. Altera ratio eſt: Quia tactus bonitas complexionis ſiue temperaturæ ſequitur bonitatem. Etenim quum inſtrumentum tactus ſequeſtrari nequeat à numero uel genere tãgibilium qualitatum, eo quod eſt ex elementis compoſitum, oportet id eſſe in potentia ad extrema, ſaltem per hoc quod eſt inter ea medium, ſiue media tãgibilium proportio: quantoq; illas qualitates minus habet excellentes, tanto efficacius mediocritatem ſibi uendicat, & tangibiles percipit qualitates. Bonam porrò corporis temperaturam ſiue conſtitutionem ſequitur nobilitas animæ: omnis enim forma cum ſua materia proportionem habet. Et ex hoc infertur id, Quibus præſtantior fuerit tactus, præſtantiorem quoq; ineſſe animam, atq; nobiliorem ac perſpicaciorem mentem. Verum hic fortè ingerat ſe quiſpiam, nõ uideri uſquequaq; uerum, Molles carne perſpicaciores haberi: quãdo ratione iſta, ſexus muliebris maſculino colligetur prudentior multò, ingenioſiorq;: ſiquidem muliebre corpus molliculum tenellumq; eſt, & cuniculi capillo, & anſeris medulla quoq; mollius: ut Catulli uerſiculis abutamur. Et ſcimus tamen in Politicis Ariſtotelem ſcribere: Puerum imperfecti eſſe conſilij, & fœminam inualidi, ſeruum uerò nullius. Verum ſcire decet, carnis molliciem modis intelligi duobus: ſiue ut eſt ex cõtemperationis bonitate, quæ rara ſit & bene diſpoſita, id eſt (ut Albertus inquit) ex humecto tenui, & ſpumoſo aereo, ac contemperato calido: nam & Plato docuit, formæ bonitatem inoriri pro materiæ meritis. ſiue ex phlegmatis exſuperantia: quo modo qui ſunt, nõ ferè dicuntur tactus boni, quia non inſunt qualitates ſenſibiles recte ad mediũ redactæ, & proinde nec mente intelligũtur apti ſatis: quo in genere mulieres ſunt, quiq; phlegmatici uocãtur. Ex ijs uerò quæ non omnino incurioſe, aut illotis pedibus ex ſummis & planè claſſicis auctoribus in mediam literatorum cohortẽ produximus, iam opinor illata lux eſt Herculano illi (ut ſic dixerim) nodo, Cimmerijs obuoluto tenebris, & Platonis numero item obſcuriori: in cuius enarratione, hactenus aqua hæſit. Et Hermolaus, lectionis uir incredibilis, ac in re literaria detritus planè & retorridus, & exactiſſimi iudicij, quem περὶ πόδα inſequi, turpe uideri poſſit nemini, adeo deſponſam deſtinatamq; uiris magnis gloriam obſcurare in animo non eſt: in eo tamen Fabij loco, In malaco ſanum: quid ſentiat, non ſatis conſtitutum habere, fatetur ingenue. Quum tamen non aliud ſignificetur ex Peripateticis ſcholis, quàm in carnis mollicie & raritate ſummam intelligi mentis ſanitatem, ideſt prudentiam & perſpicaciam: quoniam ita affectis facile item, quicquid eſt redundantis copiæ ac retrimentitiæ digeritur & euaporat, nec phantaſticum aut rationalis potentia perinde ſylueſtri tumultu obturbatur. Quod ita eſſe, id quoq; indicio eſt, quia fatuos ac rudes παχυδέρμους appellare Græcis mos eſt, ac ſi tu dicas, craſſipelles. Quid, quod Quintilianus id uerbum fuiſſe artis alicuius propriũ, apertiſſime dicit: Vbi philoſophos intelligere potes, aut quod amplius arridet, diuinaculos, qui phyſiognomones dicuntur: à quibus uſurparetur ſubinde, In malaco ſanum: ubi quem ita cõſtitutum contemperatumq; inſpexiſſent. Eſt autem phyſiognomia, mantices pars, ea quæ ex ore omniumq; corporis membrorum facie motuq; ac filo hominũ coniectat mores: de qua ut Ariſtoteles & Adamantius, ita multi alij tam Latini, quàm Græci ſcripſerunt. In eo genere ſunt item metopoſcopi, quos ex facie addiuinantes, Plinius interpretatur. Eorum & Tranquillus meminit, & ſatyricus poeta ſignificauit,

Frontemq; manumq;
Præbebit uati, crebrum poppyſma roganti.

De malaco autem ſi quis ambigit, ac Græcè neſcit, norit id uerbum ſignificare molle.

Nam malacia,prægnantium Plinio eſt mollicies quædam & defectio,quum languentes modo hoc,modo illud appetunt:adeo ut terram quoq; uorare appetant nonnullæ, carbones etiam extinctos,aut cimoliam,inquit Paulus Medicinæ primo: quæ res nuncupatur λιτη, id eſt pica. Nam & Gethyllidas Latonæ ſacras, ſcribit Athenæus, quoniam prægnans id cibi expetiſſet genus. Gethyllidas, ſunt qui cephaloton porrum interpretentur,ideſt capitatum:ſunt qui gethyum,ſeu getium. Prouenit incommodum id ab cõceptu menſe potiſſimum tertio,nequeunte fœtu interim delata in uuluam omnia ratione alimẽti abſumere,inſita imbecillitate,proindeq; in ſtomacho multorum facta redundantia.Ex qua etiam abſurdorum ſeſe promit appetentia: indidem quoq; nomen nacta affectio eſt, διὰ τὸ ποικίλου τῶ ζώου ἢ λιτῆυς: id eſt ex auis uarietate. Vel,ut ſcribit Paulus Aegineta,quod malo id genus corripiatur frequentius. Eſt & in ſtomacho malacia, id eſt debilitas.In Matthæi Euangelio, μαλακίαν interpretantur langorem: qui ſit leuior morbus,ac lentior: non quidem lecto affligens, ſed ualetudini moramenta obiectans, & quo minus uideamur ſanitate inculpata,præpediens.Corrigendus obiter error manifeſtarius in Senecæ Epiſtolarum libro nono:In otio inconcuſſo facere,non eſt tranquillitas,malicia eſt.Tu expunge inſitiuum uerbum, & genuinum ita repone, Malacia eſt. Apud Cæſarem Gallici belli libro tertio,Malacia item maris nominatur pro tranquillitate ac uelut mollicie,quanquam ſcribitur modo malachia, ſed indocte.Illud non tranſiliendum ex Græcorum theſauris, ob Paridis necem in morbum fœmineum mox Philoctetem incidiſſe,quo nomine is erubeſcens deſerta patria,ciuitatem cõdidit,quam ex re Malaciam dixit.Cittoſin præterea dicunt Græci, quum ab racemis dilapſi acini pereunt.In Plauti fabula dici legimus, Mœchum malacum, cincinnatum, umbratilocum, tympanotribam.Quod de phyſiognomia mentio nobis facta eſt,ſciendum ex Procli doctrina,morem Pythagoreis fuiſſe,per ſigna in corpore conſtituta uenientes ad ipſos perpendere ac penſiculare exactius, ad meliorem'ne uitam apti forent. Quoniam natura ipſa,quæ animis confingit corpora, inſtrumenta eis congrua ſubminiſtrat, imaginesq; animarum in corporibus indicat, per quas & illarum ingenia eius artis periti poſſunt deprehendere. Meminit Gellius Noctium Atticarum primo. Quod ad ſalem attinet, abs quo digreſſi ſumus, ἁλίζειν Græci dicunt ſale condire: quanquam & eo uerbo congregatio ſignificatur, unde halia Perſarum dicitur Herodoto, id eſt congregatio, ſeu concilium. Sunt & halides, ſeu haliæ, ſali terendo uaſa accommoda. Auctor M. Varro eſt,ad Rhenum locis quibuſdam nec foſſicium haberi ſalem, nec marinum, ſed lignorum quorundam combuſtis carbonibus pro eo uti. Portorium ſalis dici apud Liuium obſeruauimus.

Mos abluẽdi infantes ſale,aut frigida aqua. Enarratur Virgilij locus. Salis, fermenti,ac mellis nomine quid intelligendum in ſanctis literis. Chõdros, chondritis,hypocondria. Licnos quid,& unde. Infantum in uãnos depoſitio. Sal Indicus. Cap. II

ET quia ſalis emolumenta paulo antè perſtrinximus,nõ negligenda item ſunt uiſa,quæ à ſcientiſſimis medicorum inſinuantur nobis. Siquidem Galenus quodam loco,etiam ſi ambigunt eruditiores, ſit'ne de principis medici officina opus id,ſale aſperſos infantes obuolui faſcijs præcipit. Sed & prima primi Auicenna: Feſtinãdum,inquit,ut infantum corpuſcula perluantur aqua, in qua colliquatus ſit ſal,ut occalleſcat umbilicus, atq; item cutis: ita tamen ut non contingantur nares,aut os. Cur uerò ſic faciendum aſtruamus,ratio eſt, quoniam mox æditum infantem ob nimiam teneritudinem omnia infeſtant. Quo nomine ſemel biſq; ſale abluere perſalubre eſt, præſertim ſi exuberet ſordibus, & nimio plus ſeſe promat humectatio. Confeſtim uerò ab ijs tepidiore confouendus aqua. Adijcit Galenus,ſalis poteſtate cuti callum induci ſic,ut denſior ſolidiorq; ijs quæ intus ſunt partibus reddatur. Quibuſdam etiam myrti folia inſpergi arida,uerum ijs ſtatum non citra uitium eſſe. Cæterum more ſuo Auerrois iſta putat reijcienda, præpoſitis quæ minus acrimonia morſum, ut ſic dicam infigãt: cuiuſmodi ſit oleum balaninum ex glãdibus, effectu eodem qui in ſale ſentitur,ut credit Auenzoar. Cooriuntur in Auerroẽ magna ui Auicẽnæ interpretes,quoniam oleum id genus ſtyptica poteſtate efficax quidem habeatur, non tamen æque ſor-

dentes

dentes humectationes reſoluere, quibus inebrieť cutis ex uterina redundantia. Addunt etiam, unguine intimo non perinde ut ſalem, oleū poſſe callum inducere. In quem uſum pleriſq; item mos eſt, natum infantem in frigidam aquam merſare, ſicuti ſeptimo Politicorum cōmeminit Ariſtoteles, ſed Galeno De regimine ſanitatis primo, id non arriſit, additis etiam rationibus cur feciſſe inutile ſit. At confert, inquit Philoſophus, ſtatim à pueritia aſſuefacere, hoc enim ad ſanitatem & ad res bellicas utile eſt: quare apud Barbaras gentes irroborauit mos, uel amne gelido infantes abluere, uel tenui amiculo conueſtire, qui Gallis mos eſt: ad cuncta enim quæ poſſint, initio ſtatim inſueſcere, optimum eſt. Adiuuat autem pueros, innatus calor aduerſus frigoris uim. Iam ex iſs opinor, lucis plurimum inferri Virgilianis uerſiculis,

Natos ad flumina primum
Deferimus ſæuoq; gelu duramus & undis.

Cæterum Galenus inquit, ſi ab extimo frigore inſitus peruincatur calor, an non liquido ſequitur interitus? Quamobrem quis utiq; mentis compos, nec ferus omnino aut Scytha pignus proprium ſubire aleam permiſerit, in qua errorem ſine uadimonio conſequatur mors? præſertim quum ex diſcrimine non multum ſit, quod lucro aſcribas. Aſino forſan denſior contulerit cutis, rationali naturæ non ita: nam quum corporibus duplex ingruat incommodum, ab extimis unum, ab internis alterum occaſionibus, certè quorum rarior mólliorq; fuerit cutis, ab extimo facile oblæduntur malo, quorum dura conſtipatiorq;, ab interno. Propterea Hippocrates: Raritas corporis ad tranſpiratum iſs, quibus plurimum aufertur, ſalubrior: quibus minus, inſalubrior. Quare Germanos, agreſtesq; alios, aut Barbaros ualere ſinamus: illis (inquit) nō magis præcipimus, quàm urſis, apris, leonibus. Et quia de ſale producta pleraq; nobis ſunt non illepida forſan, ne illud quidem negligendum: In ſanctariis religionis noſtræ, ſalem pro apoſtolica ferè accipi ſapientia, propter illud Matthæi bracteatum, Vos eſtis ſal terræ. Ita enim Leuitici ſecundo ſcriptum inuenias, Quicquid obtuleris ſacrificij ſale condies, nec auferes ſal fœderis dei tui de ſacrificio tuo. Sed & apoſtolus Paulus: Sermo, inquit, ueſter in gratia ſit, ſale conditus. Neq; enim ſequeſtrato rationis ac diſcerniculi examine libratiore, deo placere quicquam poteſt. Quod autem paulo ante præcipitur, Omnis oblatio quæ offertur domino abſq; fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio domini: intelligi uolunt philoſophicum tumorem, & ciuilis eloquentiæ lenocinia, uoce quidem, non re prædulcia. Auctor autem in Craſſo Plutarchus, lentem ac ſalem ab Romanis πήθιμα credi, hoc eſt lugubria, & proinde apponi mortuis conſueuiſſe: hincq; ingruentium malorum præſagium Craſſo factum, quod militibus duo hæc prima in neceſſariorum diſtributione ſint data. Cæterum ab interprete miro ſunt hæc ſilentio præterita, etiamſi ueteris ritus non ingratam cōplectuntur memoriam. Salem Indicum Barbaro uocabulo ſaccharum dici animaduertimus. Illud denicq; adieciſſe, non fuerit otioſum, opinor, χόνδρος ἅλὼν dici à Græcis, de ſale qui craſſior ſit, uelut chondritis uocatur παχεῖα σεμίδαλις, quam ſiliginem interpretantur: χονδροκόπια uero dicunt loca, in quibus concidatur chondros. Galeno, & medicis, aliud prorſum chondros eſt. Venter, inquit in Pragmatia πρὸ ἀναπομπῆς Galenus, percoctioni deſtinatus orditur à chondri meditullio, ubi στόμα dicitur κοιλίας, id eſt uentris os. Alibi porrò idem auctor, hoc eſt in partium extimi corporis nomenclatura: Sub ore, inquit, uentris in ſuperficie exteriore congrue nominantur hypocondria, quoniam chondro recte ſubijciantur. Sunt autem peritonæo ſubſtrati muſculi, extra cute obuelati. ὁμωνύμως autem interna uiſcera ὑποχόνδρια uocantur, quando ſub chondris & ipſa ſunt τῶν νόθων πλευρῶν. Quia uero de infantum cura affatim tranſegimus, & illud non inſuper ex Græcorum commentarijs habendum, Licnon dici ab eis, τὸ κοιτίον, id eſt cunam, παρὰ τὸ λίαν κινεῖσθαι, quia moueatur ſubinde: aut licnon intelligamus, τὸ λικμητήριον, id eſt uannum, quoniam æditos primum infantes in uannos deponerent: quod alimentorum copiæ, ac bonitatis ſymbolum coniectabant.

Cur ſomniculoſi quibus anguſtæ ſunt uenæ. Item pumiliones. Cur in cogitatione profundiore obrepat ſopor. Cap. III

MVlta quidem & copioſe ſatis, ni fallimur, de hominis ratione conſcripſimus: poterant & plura, ſed nobis in uaſtiſſima rerũ congerie ſeruare temperamentum quoddam, uiſum præſtabilius eſt. Ne tamen cuiuſquam querelis detur occaſio, quod & præfati alibi ſumus, ubicunq; opportunum fuerit, omiſſa conſarcinabimus, poterunt à uolentibus iungi. Interim in alia diuertiſſe, non erit opinor, inamœnum ingratumq;. Diſceptabã mecum non ita pridem ſuper ſomni ratione, Mirum uidebatur, hominum pleroſq; ita in ſoporem ſæpe collabi, ut nil procliuius omnino faciant, cuiuſmodi ferè pumiliones ſunt, deminuti, decurtatiq;, ab reliquorum commenſu. Et quoniam iactatum in Græcis literis ſcio, Nil dulcius, quàm omnia ſcire: contuli me ad magiſtros (quod aiunt) mutos, qui me etiamſi aſymbolum ita ſcitè docteq; inſtruerent, ut naturæ rerum non omnino uiderer inſcius. Quod uero inde proruerim, etiam impertiendum aliis eſt uiſum, ne in ſanctariis reconditum pereat. Igitur ſic habet, Eſſe genera duo, ui inſita in ſomnũ prona maxime: alterum in iis eſt, quibus uenæ adeo prætenues ſunt, adeoq; latentes, uix ut deprehẽdi uiſu ualeant: alterum eorum cenſetur, qui nimio plus in caput excreuiſſe animaduertuntur. Anguſtia meatuum, quibus à capite refluit ſpiritus, nullo negotio præſepitur occluditurq;: minuta ſiquidem & propè nulla, quicquid acceſſerit, quantumuis modicũ puſillumq; obſtipat præfarcitq;. Vbi ergo frigus concipit uena, ſiquidem & infarctus uenter cõfrigeſcit, ſpiritus tamdiu ſuffrenatur, & moramento quodam compeſcitur neceſſariò, donec inualeſcens calor diſiectus alimentum ita conficiat, ut globatum alioqui dirimat ac diffundat. Quandiu uero is liberè commeandi facultatem non nanciſcitur, perſeuerat ſopor. Cæterum ſuggerit ars rei fortè obſcuriori exemplum euidens: nam tubulo anguſtiori infuſus liquor tardius lentiusq; profluit, quòd ſi laxior is & capacior fuerit, momento uis etiam maior dilapſa tranſmittitur. Id ipſum & in ſpiritu fit, qui anguſtè corpulentior ipſe commeans ac præpeditè, ſerius munere defungitur. Et hæc diuturnioris ſomni procliuioriſq; in meatuum gracilitate cauſa quidem fuerit. Somniculoſos uero eſſe, quibus caput extumuit, inde pernoſci poteſt: quo amplius eſt conceptaculum, eo plus item capiat, conſequens eſt. In nanis, ſiue pumilionibus uaporum multa uis ad caput ſurrigitur, quoniã grandius membrum alimenti amplius requirit. Quod uero copioſe ſcandit, copioſe item ac largius remeet, neceſſarium eſt, ſed & lentius, quia inſitus calor uim tantam ſublatæ euaporationis breui percoquendo nequit conficere. At quibus uenæ latiores apertioresq; fuerint, ſoporulenti eſſe nequeunt, niſi fortè quippiam obtigerit potentius aliud, quod rationem faciat diuerſam: neq; quos item atra infeſtet bilis: nam alſioſis, congelidisq; corporibus, caloris intimi copia non magna, uaporum paucitas caput ſcandentium obtingat, neceſſe eſt. Hinc illud fit quoq;, ut ferè genus hoc ſit edacitatis auidæ, quando eorum natura ſicca & retorrida eſt, nec hauſtis aluntur magnopere, infeſtante plurimum bilis atrioris frigore alimenti conceptacula: quæ ratio efficit potenter, ut parum omnino, aut nil ferè eat in corpus. Quia uero de ſopore agimus nunc, appingamus ueluti corollarium huic loco, quod intellectum ſtudioſis maxime arriſurum arbitror. In eadem nanq; harena, quod dicitur, uerſamur, & contingit ſæpicule, ut attentiſſima cura quid expendentibus ingerat ſeſe uel inuitiſſimis obnitentibusq; inſuperabilis dormiendi procliuitas. Inde uero hoc fieri, deprehenſum à peritioribus eſt, quis comperta ſunt naturæ arcana ferè uniuerſa: quod quum cogitatione profundius uerſante quippiam, ſuſpenſa mens ſolicitudine eſt, alimentorum percoctioni impedimẽtum affertur inſigne, proinde qui protrudantur in caput, uapores, dum minus excoqui poſſunt, craſſeſcere neceſſariũ eſt. Illud uero paulo doctiores ſciunt omnes: quoniam fit ſomnus, ſicuti exſequemur alibi copioſius, quum in cor ſeſe contraxerit calor intimus, quo in ima dilapſo, concipere palpebras frigoris uim, frigore autem concepto, defluere, ac denicq; comprimi, quando unus eſt, qui omnia in corporibus temperet, moderetur q; calor: frigus in ſopore ſuperna contrahunt, & extima, recaleſcunt inferna, pedum argumento, ſed intima eo amplius. Quia uero ex humecta quadam ui progigni, obrepereq; ſomnus uidetur, inde Homericè circumfundi doctè dicitur: ſed & ὑπνος ex hoc ſopor ab eodem nuncupatur, abs quo ueluti ex humiditate profundiore, emerſus facilis non eſt, uel ut Græcè dicam, ὅτι ἐστιν ἀναδυόμενα ὑγρῶ ἐκπωτὸν ἔοντα.

Sudoris

Sudoris ſpecies. Diphoreticus ſudor. Diphorumeni. Sudatores. Expaueſcentes. De ſudore frigido. Qui ſudores bono ſint. Caput IIII

Diluerteramus nuper in medicorum florentiſſima uireta, non ut transfugæ, uerum inſpectores, exploraturi ecquid inde præcerpi poſſet, quod hoſce libellos Lectionum antiquarum inſtructum adiutumq; iret, ac comptiores efficeret, non ut calenti ferro inuſtos, ſed ſolida ſynceraq; ſpectabiles uenuſtate. Lectitabamus Canonem Auicennæ primum, qui & in hominis ratione ſingularibus auxilijs obfirmauit aciem, ne quid trepidaret, aut moueretur loco. Incidimus in eam quæ ſudores aliquo modo perpendit doctrinam, atq; in ſpecies partiendos tacite prænonſtrat, quas & huic innexuimus parti potiſſimum: nihil enim prohibet, à quocunq; literarum anteſignano uerſuram facere, non quæ peculiares abditosq; loculos inſtruat, ſed ut in re publica bene inſtituta, qualem optauit Plato, cuiuſcunq; deſeruiat emolumentis. neq; enim eſt homo homini lupus, ut ille ait: ſed deus potius, quando & hæc ad æternam gloriam uia. Igitur, inquit princeps, ſudor qui contingit conſopitis, ex materiæ prouenit copia, quippe per ſoporẽ nulla euidenti cauſa qui ſudore diluitur, amplius ingeſſit alimenti, quàm pati poſſit. Galenus ad eandem rem, ſudor exuperans aut corpore obuenit rariore laxioreq;, aut materiæ abundantia, aut quia prætenuis ſubtilisq; admodum comperitur. Qui principis uerba latius fuſiusue explicant, quatuor ferè ſudoris ſpecies agnoſcere uidentur. Quidam enim naturæ profluit imbecillitate, uelut in ſyncope, in qua ſpiritus ſanguisq; in cor ſe contrahunt, extimis relictis: quæ naturę defecta regimine frigidi ſudoris humectationem promunt. Alius natura prouenit ualida, quod in criſi, & decretorijs euenire diebus aſſolet. Alijs occaſionem præſtat ratio euidens, uel exercitationis, aut balnei, uel æſtiui ardoris flagrantiæ, uel etiam alimenti ingurgitationis nimiæ, aut plethoricæ copiæ. Sudorem quo fuſius redundante, imbecilliores reddimur, diphoreticum nuncupant, quoniam διφορητικὰ ſit Græcis, quod digeri Celſo Cornelio in cardiaci morbi mentione. Sic uero affectos diphorumenos uocant, Plinius nunc ſudatores, nunc expaueſcentes. Imperator Maximinus, qui quandoq; uno ſudore lixas ſedecim uicerat, item ex militibus ſeptem ſuperarat fortiſſimos, ſudores ſæpe ſuos excipiebat in calicem miſſos, ut ſextarios implerent duos, nonnunquam & tres. Quod uero de ſudore frigido dicitur, amplius perpendi poteſt, & debet, eo quidẽ magis, quod poetas quoq;, quorum ſæpe multiplex eſt eruditio, & intercutanea, nec oculis ſpectanda caligantibus noctuinis ue, nonnunquam cõmeminiſſe eiuſdem, perſpicuum eſt, ſatisq; frigide, quia de frigore agatur, enarrarit: ita ut ambigas, ſerio ne & iudicato, an per iocum tam inepte pleraq; effutiant, καὶ παχυμερέστερον, ut quæ nullo concipiantur ſcientiæ fundo, plurimumq; arbitraria ſint ac profuſa temere. Quis enim illud ex Amphitryone non legit?

Hic homo ſocium ad malam rem quærit, quem adiungat ſibi:
Non placet, pro monſtro extemplo eſt, quando qui ſudat tremit.

Sed & quadam Elegia Propertius:

Quæ ſi forte aliquid uultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte manabat aqua.

Cornelius quidem Celſus in libris De medendi ratione concinnatis, ſudorem frigidum eſſe morbi indicem ſcribit. Solicite diu ſum ſcrutatus eiuſmodi euẽtus rationem, denicq; optimus naturæ interpres Ariſtoteles ita prodens ſe nobis ingeſſit. Cur, inquit, calidi ſudores frigidis meliores habentur? An quod ſudor omnis excrementi cuiuſdam ſecretio eſt? parum autem excrementi amplius incaleſcere, conſentaneum eſt. Plus autem non æquè, ſed minus. Itaq; ſudor frigidus excrementi multi indicium eſt, quo circa morbos quoq; longiores facit. Amplius Hippocrates libro Sententiarum quarto: Sudores, inquit, frigidi, ſi cum febre acuta accidunt, mortem ſignificant: ſi cum mitiore, longitudinem morbi. Certe ſumma dignum admiratione eſt, qui poſſit elici frigens ſudor, quum æſtuoſa ſit febris. Proinde neceſſarium uidetur (inquit interpres nobilis, cuius frequens eſt nobis aduocatio) aliam eſſe corporis portionẽ, quam amburat febris: aliam, ex qua humor profluat frigidus: quod enim ex caleſcente promitur parte, caleat oportet: cæterum ex cute, quam eſſe frigidam liquet, proliciuntur ſudores, quamuis ſubtercutanea ex æſtuent. Porrò acutas obrepere febres, patet, quibuſdam cõputreſcentibus humoribus.

Athi

At hi nunc quidem toto putrent corpore, nunc in conceptaculis tantum. Vbi uero duo ista simul fiant, ut in uasis cõputrescat humor, & quæ solidum corpus regit natura, quam naturalem esse calorem opinatur Hippocrates, uel perimatur prorsum, uel internetionem proximè adierit: quæ profluunt inde, planè frigent. Nil uero officit, quin ex putredine exoriens caliditas sit uehementissima, propterea & indicium exitiale: siquidem præmonstratur, eam humorum frigidam uim in corpore exuberare, quæ nec insita caloris copia recalescat, nec & item aduentitia, id est febrili. Quòd si quis expetat scire item, qui potissimum sudores bono sint, audiat Hippocratem ita sancientem, Sudores febricitanti si statim inceperint, bono sunt & tertio die & quinto & septimo & nono & undecimo & quartodecimo & uicesimo & uicesimoquarto & uicesimoseptimo & tricesimo & tricesimoquarto. His enim sudoribus morbi indicantur: qui autem non ita ueniunt, laborem significant, & morbi longitudinem ac recidiuam. Anchimolum & Moschum sophistas apud Elidem, tota fuisse uita hydropotas legimus, ac ficis modo solitos uesci, nec tamen alijs imbecilliores habitos. Cæterum aspernabilis adeo è corpore promanabat sudor, ut certatim in balneis ab omnibus reclinarentur.

Cur facies & superna desudent maxime. Cur item in trepidationibus idem patiantur pedes. Sudoris item frigidi ratio. Cerebrum ne, an iecur sit humectationis fons. Caput v

ACcidunt porrò in sudoribus nonnulla plerunq́, non paruam quæ præferant admirationem. Nam & usu compertum ferè est, in trepidationibus exsudare pedes, non faciem, quæ alioqui obnoxia sudori maxime est. Quippe quæ laxiora sunt, & abunde humectantur, ea sudore dilui congruum est. Caput autem esse planè certũ est, humoris fontem: indicio sunt capilli ea maxime parte ubertim succrescentes. Quin & uniuersim superna sudoribus amplius infestantur, quàm inferna, quoniã calori insitum sit conscendere, illucq́ itidem humectationẽ perducere: uel etiam quia sudorem mouet spiritus, qui in superna parte sedem habet. Adde, quod est sudor incoctus humor, cuiusmodi humore pars humet superior. Auicennæ id quoq́ auctoritas comprobat, nam secunda quarti: Sudor, inquit, maxime multiplicatur in superioribus, in capiteq́ in primis. Cæterum hæc ferè de sanis intelligenda corporibus: nam affectis illuc in primis decumbit sudor, ubi amplior concepta fuerit eius materia. Proinde Sententiarum quarto Hippocrates, Vbi sudor, illic ægritudo. Idipsum & ab Auicenna traditum scimus. Sudor uero ille pedum in trepidationibus, eam (ut Aristoteles inquit) rationem habet, quòd sit trepidatio metus quidam super re inchoanda. At metu superna frigescunt caloris fuga ad intima infernaq́. Quo nomine pallent item trepidantes, qui & maxime pedes agitant: indeq́ ea parte laborante elici sudorem, probabile est. Manus item assolent perfricare, seq́ modo inflectunt, modo extendunt, etiã sæpe exsiliunt, nec unquam quiescunt: sunt enim exciti propensiq́ ad negotium, quoniam calor eorum se collegerit in pectoris locum, qui corpulentior est. Quamobrem undiq́ tum ipso calore, tum sanguine turgescente efficitur, ut motu uario crebroq́ agitentur, sed pedibus maxime insudant, quoniam illi perpetuo teneantur labore, saltem corporis fulciendi. Propterea cum labore uehementi in primis agitetur calidum, inflammeturq́: & quod humectũ est, in tenuia dissoluatur, sudant illi, facies minime. Ex affluxu porrò caloris eiusmodi in metu maximo ad intima, sæpe alui funduntur, & profluunt uesicæ retrimenta. Siquidem extrema corporis spiritu, sanguine, calore destituta inalgescunt. Humor uero redundans caloris copia solutus retruditur, quoniam uis ea quæ comprimendi potestatem habet, & ab recentioribus retentiua nuncupatur, reprimere nequit. Inde consequitur, ut in æstuationibus grauissimis profluat emanetq́ frigidus sudor. Quod ne quis philosophis modo putet percognitum, optimus quoq́ maximus poeta libro Aeneidos tertio significauit illis uersibus,

Talibus attonitus uisis, & uoce deorum,
Nec sopor illud erat, sed coràm agnoscere uultus
Velatasq́ comas, præsentiaq́ ora uidebar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

Si cui uero ambiguitatem fortè mouet, quod modo caput humoris fontem diximus, quum

quum de hepate dici id rectius uideatur, quoniam in libro cui τέχνη titulus eſt, dicat Galenus in ſignorum tractatu: Ex corde ſicco totum areſcit corpus, niſi diuerſum efficiat hepar: ex humecto autem hepate corpus item humeſcit, ni effectum cor producat contrarium. Sed & Hali: Hepar, inquit, eſt humiditatum fons. Cæterum duplex humidum traditur à rerum naturæ peritis, humidum uerũ, & ut ipſorum utar uerbo eſſentiale, cuiuſmodi in iecore eſt, quod inde dicitur etiam cerebro humectius. Alterum accidentale uocant, utpote frigiditate inductum, affluxuq; extimæ humectationis. Hoc uero in cerebro agnoſcitur, proinde appellatur humiditatis fons: etenim quia eſt omniũ partium frigidiſſimum, ut Ariſtoteles inquit in Commentatione de ſomno & uigilia: in eo ſuperfluitatem concipi multam indigeſtionis ratione, neceſſarium eſt. Affluunt illuc & ab reliquis partibus euaporationes plurimæ, quæ loci frigore percuſſæ reſiliunt. Infeſtat aer quoq; per meatus multos.

De oleo ſcitu digna. Quæ dicantur præmiſſa uini & olei in Plinio. Emendatur locus Ciceronis ex Epiſtolis familiaribus. Olei officinã quis excogitarit primus. Oleũ uiride, ac conditũ. Oliuitates quatuor. Rudicula quid. Cap. VI

LEum Anacharſis Scytha inſaniæ pharmacum eſſe dicebat, quoniam eo perunctí athletæ inuicem magis inſanirent. Naturæ tamen prouidentia liquores duos humanis corporibus gratiſſimos contribuerat, intus uini, foris olei. Id quod ab Democrito pronunciatũ, Græci ſcribunt, quum ex eo quæreretur, πῶς ἂν ἄνοσοι, καὶ μακραιῶνες γίγνοιντο οἱ ἄνθρωποι. Olei poteſtatẽ utiq; tepefacere, ac contra algores munire. Epaminondam uero legimus, quandoq; collegis impenſarum rationem coquo reddente, olei multitudinem permoleſte tuliſſe, admirantibusq; illis: Non, inquit, impendij magnitudo me mouet, ſed quod tantum olei intra corpus receperim. Memorabile eſt quod Plinius ſcribit: Alpibus coercitas, & tam inexſuperabili munimento Gallias hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſeſe Italiæ, quod Elico ex Heluetijs ciuis eorum fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uuam, oleiq; ac uini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet. Verum hic protinus aduertendum amplius, quæ dicantur in Plinio præmiſſa olei. Hermolaus quidem emendans reponit promiſſa, publica lectione expuncta. Mihi autem mirè arridet uerbum, præmiſſa: ut intelligamus primitias quaſdam, ſicuti præmiſſa ſacrorum dicuntur. Vtitur eo uocabulo & M. Tullius epiſtola quadam ad Plancum: Et tuarum, inquit, literarum præmiſſa meminiſſem. Etiam ſi in uulgatis modo codicibus paſſim ſcriptũ inuenias promiſſa, non præmiſſa: ſenſu nullo, aut leuiſſimo. Fortè hoc ſit quod Feſtus ſcribit: Sacrima, inquit, appellabant muſtum, quod Libero ſacrificabant pro uineis & uaſis, & ipſo uino conſeruandis: ſicut præmeſſum de ſpicis, quas primũ meſſuiſſent, ſacrificabant Cereri. Apud Græcos, quod ad oleum ſpectat, ſic reperio ſubnotatum: Ferri glutinum, ſiue ferrumination-em Samium Glaucum excogitaſſe primum, enato inde adagio, de ijs quæ facile perficiantur: Glauci ars. Qui remollire ferrum cupiunt, oleo tingunt: at qui obdurefacere, in aquam merſant. Illud quoq; ex hiſtoria ſuccurrit: Auguſti temporibus, è taberna meritoria trans Tyberim oleum terra erupiſſe, ac toto fluxiſſe die, nulla intermiſſione: quo ſignificatam interpretantur CHRISTI gratiam ex Gentibus. Olei denicq; opificium, id eſt ἐλαιουργίαν, ſicuti μελιττουργίαν, id eſt mellis faciendi rationẽ, excogitaſſe Ariſtæum principem omnium tradunt. Ex quo ſcienter Agrea cognominatũ uoluere. Quanquam ſunt qui ex ctenotrophiæ, id eſt iumentorum educationis tradito modo, ac inſuper uenationis quoq;, quum Iouem dici agrea ferant & nomion, tum Apollinem ratione compari. Oleum uiride, ſunt qui recens interpretentur, ſicuti conditum pro inueterato. Ex Varrone dici uirens uidetur, ex olea expreſſum acerbiſſima: quod præcipuè creditur ſapere. Galenus & Theophraſtus omphacinum oleum uocant, item ὠμοτριβές, id eſt crudum. Sed ut iſta certiore metiamur modulo, ſciendum amplius, non unam priſcis fuiſſe oliuitatem: ſiquidem prima fuit, Columella tradẽte, in qua acerbũ exprimebatur oleum ex necdum matureſcentibus baccis: æſtiua dicebatur hæc. Sequens habebat Nouembris finem: inde oleum erat uirens, ex uiridibus manans oliuis. Tertia Decembri fiebat menſe: huius erat maturum oleum. Vltima fuit menſis Ianuarij: album oleum appellat Dioſcorides, ut à uiridi ſeparetur, cuius confectionem pluribus idem exſequitur. Ser-

uius

uius in ſecundum Georgicum illud enarrans: Et amara pauſia bacca. Amara, inquit, id eſt uiridi: nam de pauſia uiride oleũ fit, unde contrà dicitur dulce quod uirens non eſt. De oleo ſamico, acanthino, thurino Athenæus plura. De cibario etiam Columella. Rudicula, organum eſt oleo conficiendo, erectæ tribulæ ſimile. Porrò cautum decretis imperatorum nouimus, ad Barbaricum, uti ne quis uini, olei, liquaminis transferendi pontificium habeat, nec guſtus quidem cauſa uel uſus commerciorum. Ad quod ſanciendum hiſtoria productos arbitror Gallica.

Super Hercule ac Geryone pleraq; non extrita admodum. Larini boues, & Ceſtrini, ac Epirotici. Larimnus odor. Geren quid. Geria. Carduus. Cinara. Geranium lignũ. Celonium, celon, genys. Ceuæ uaccæ. Item Herculis cognomina. Liliorum origo. Herculis ſtragula quæ ſint. Balneæ calentes cur Herculi ſacræ, deq; Smintheo Apolline. Atabyriæ boues. Cornopion, cornopes, ipoctonos. Leo trieſperus. Erythibios. Pyrrhicæ boues, ac oues. Herculis filiorum interemptorum nomina. Ceramyntes. Cap. VII

IEgebamus nuper Arriani hiſtoriam, qua is Alexandri geſta complectitur. In ſecunda eorum ita relatum obſeruauimus, Herculem non fuiſſe unum: nanq; ſuum ſibi uendicant Tyrij, cuius etiam templum omnium, quæ memoria ſeruat utiq; humana, uetuſtiſſimum ſubſtruxerunt. Sed hunc non uideri Herculem Argiuum, Alcmena natum. Quod multis annis antea coleretur Tyrius, quàm Cadmus omnino Thebas condidiſſet. Cęterum Aegyptios quoq; alium item Herculem colere, diuerſum ab eo quem uel Tyrij uel Græci uenerentur. Auctor item Herodotus eſt, Aegyptios inter duodecim deos Herculem recenſere. Sed, inquit Arrianus, proximum uero eſt, Herculem qui Tarteſſi in Hiſpania colitur, ubi item uiſuntur colũnæ, quas Herculeas uocant, eum eſſe qui Tyri colatur, quoniam Tarteſſum condiderint Tyrij, & ritu Phœnicio conſtructum ibidem ſit templum quod Herculis dicitur, eodemq; ritu ſacra fiant. Quod uero ad Geryonem ſpectat, ad quem Argiuus Hercules, ut boues abigeret miſſus dicitur, nihil omnino ad terram Hiſpaniam pertinere, Hecatæus rerum ſcriptor memoriæ prodidit. Nec ad ullam unquam Erithiam inſulam Herculem miſſum: ſed loca circa Ambraciam, atq; Amphilochos Geryonẽ imperio tenuiſſe: indeq; abactas boues, quæ mira ſpecie in illis comperiantur locis, herbida regione, & paſcuis admodum læta. Nec omnino fieri ſimile ueri, ea tempeſtate nouiſſe Euryſtheum extra orbem terrarum poſitos populos, aut ſpecioſas quæ ibi naſcerentur boues. Vtcunq; quod ſcitu dignum eſt, ſcribunt Græci Epiroticos boues Larinos dici ab Larino paſtore, cuius meminit Athenæus quoque, qui ab Hercule, redeunte ab Geryonis nece, exceperit educaueritq; unde Epirotica mox armenta ſint celebrata, de quibus cõmeminerit Lycus Rheginus in ijs quæ ad Alexandrum ſcribit. Etiam ſi ſunt qui ab narium magnitudine dici larinos uelint, ut eſt ab interprete Ariſtophanis adnotatũ. Siquidem λα particula intendendi uim habet, ῥῖνες uero nares ſunt. Cæterum Ceſtrini quoque uocantur, qui Larini. Larimnum uero in Sabæis præſtantiſſimũ haberi odoris genus, in ſuffiendo præſertim, auctor libro decimoſexto probat Strabo: cuius autem ſit modi, parum comperi. Fuere in Epiro eadem Pyrrhicæ boues, quas atauros uocabant, intactas Venere, ut incrementum ampliter caperent, quaſi ſetauras dicas. Sic uero creduntur dictæ, ab ignea mobilitate, aut à colore: ſunt qui diminutiuum putent ex forma Aeolica. Alij pyrrhicas intelligunt Epiroticas, de regis Pyrrhi nomine. Altinas uaccas ab uernaculis dici ceuas, legiſſe uideor in ueteribus memorijs. Leguntur quandoq; & Atabyriæ boues, de montis Rhodij nomine ſic nuncupatæ. Cæterum æneæ fuerunt hæ, quas malo ingruente aliquo, ſolitas mugire proditum eſt. Theogoniæ Heſiodicæ interpretes, Herculis nomine ſolarem intelligunt poteſtatem: Geryonem uero, cuius boues ab illo orbi terrarum illatas fabulantur, hyemem eſſe uolunt, ἀπὸ τοῦ γαρύειν, τοῦτ' ἔστι βοᾶν: id eſt, ab uerbo γαρύειν, quo ſignificetur clamor, ob hyberni temporis tumultũ. Nam geren, hoc eſt γέρων, ad hoc ſpectat nihil, ut in parerga excurramus. Eſt enim eo nomine, ut inquit Aelius Dionyſius, grus fœmina. Geria, ideſt γήρεια, flores nuncupãt τῶν κινάρων in Nicãdri Theriacis. Eſt eodẽ nomine in India ciuitas, Stephano. Dicitur & gerium, annus antiquus. Nam & in Megaride promontorium uocatur Gerania, in mediterranea uergens, ac oblongum

longum, indeq; ab figura nuncupatum. Nicander,

Σκίλλαται ὡς γήρεα καταψυχθέντ' ἀκάνθης.

Eſt autem cinara carduus ſatiuus, meminit Columella:

Hiſpida ponatur cinara, quæ dulcis laccho
Potanti ueniat, nec Phœbo grata canenti.

Vulgus ferè arcoccum nuncupat, Liguribus pergratum in cibis, ac Mediolanenſibus. Cinaram ſunt qui arbitrentur uocari, quia ut ait Palladius, cinere gaudeat. Id autem quo pacto uerum fiat, cum teſtimonio Pollucis apud Doricos poetas id comperiatur nomẽ, & eſſe Græcã uocem teſtetur liquidò Athenæus. Cur autem flores cinaræ, geria nuncupent, forſan ea fuerit ratio, quoniã caneſcant celeriter, quamuis purpurei, abeantq; cum aura. Sed de ſylueſtri carduo hæc memorat Plinius. Geria ſunt & pappi, in Arati Prognoſticis: & Theon eſſe cinaræ flores interpretatur: ſed geramos item uocat, & geramata, id eſt γηράματα. Geranium uocant lignum, quo ex puteis hauritur aqua: celoneum item nuncupatum, id eſt κηλόνειον, uelut καλόνειον: ab calon, quo indicatur lignum, & νάω, adnuere. Celonium autem equum dicimus, quoniam κήλῳ ſignat in Venerem præferuidum. Genys uerò apud Sophoclem in Helectra bipennis eſt ſpecies. Sed ad inſtitutum de Geryone ſermonem redeo. Hyemem uerò ſol perimit ab hyemali tropico ad uernum conuerſus æquinoctium. At boum nomine tonitrua intelligunt, quadã ſoniſimilitudine, quæ Geryonis dicuntur, quod hyeme quidem nõ fiant, ſed illam ſtatim conſequantur: uel quia ex humecta eius natura mox hæc proueniant. Fabulantur item Græcorum plerique, Herculis ſtatuam effingi ſolitam ſiniſtra manu mala tria geſtantem, quæ claua conquiſiuiſſet dracone interempto, id eſt cõcupiſcentia ſubacta: ita enim comparantur tria poma, hoc eſt iræ comprimuntur ardores, & habendi cupiditas temperatur: ac denique uoluptatum ſedantur titillationes, ſinuoſique ac blandi ſuperantur laquei. Leonis uerò pellem non aliud fuiſſe, quàm generoſam uiri prudentiam, qua is circummunitus obſeptusq;, affectiones animi prærabidas exculcarit. Ita ſapientem quendam & ſummatem uirum Herculis nomine accipiendum putant. Quod & in Floridis non ignoraſſe Apuleius uidetur, qui animi monſtra ab illo philoſophica claua fuiſſe perdomita, nobis inſinuat. Significat etiam in Commẽtatione de ſomnijs Syneſius. Hæc ipſa tamẽ, ut ſunt, ridicula uidentur multis, quãdo uoluptarium in primis Herculem intelligunt. Vti de furore interim conticeſcam, à quo fertur ab Sicalo liberatus. Quo ſanè argumẽto inſtitutum ſit, calentes balneas Herculi ſacras dicere, & molliora ſtragula Herculis cubilia. Herculem Celtæ uocabulo gentis proprio uocãt Ogmion, imaginem eius, ritu ab alijs diuerſiſſimo, pictura exprimunt. Primum decrepiti ſenis facies eſt, capite prorſum incompto, pilis quotquot ſunt, canicie albicantibus, pelle autem rugoſa ſtriataq;, quin exuſtæ ſimili uſq; in nigredinem, quales ferè ſunt qui in mari expiſcãtur ſenes. Charontem diceres, aut Iapetum quendã ex Tartaro, & nulli nõ ſimilem potius, quàm Herculi. Adeſt tamẽ aliquid Herculis proprium, leonis circumiectum exuuium, dextra clauam tenet, necnon ex humeris propendet corytus, ſiniſtra intentum præfert arcum: omninoq; Hercules eſt, ac quãquam ſenex, numeroſam tamen multitudinem trahit auribus alligatam: funiculi uerò aureæ ſunt catenæ prætenues, aut ex helectro, monilibus affabrè connexis quàm ſimillimæ: & quãuis imbecilla ſit catella id genus, inſequuntur tamen nullo reniſu, nec de fugæ præſidio prorſum meditantes quippiam. Immo feſtini aſſectãtur, læti quoque atq; hilares, illum ſummis etiamnum extollentes laudibus, Quin etiam præcurrere geſtiunt, nunquã non laxiſſimo uinculo. Catella uerò quã diximus, ad Herculis linguã deſtinata conſpicitur, ad hunc uſum (ut uidetur) peruiã. Ille autem uultu renidens inſequentes reſpectat. Hæc quidem Celtæ. Quã uerò habeat rationem tã inuſitata ſpecies, ne nihil lector ſtudioſus ingenio ſuo debeat, inenarratum relinquimus: nec reprehenſus ferè quiſquã eſt, qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulã. Obſeruatum in Agricolationis libro apud Græcos auctoris incerti, Herculem in immortalitatis participatum ab Ioue admiſſum, quod dormientis Iunonis lac ſuxiſſet: quumq; interim diuini liquoris per cælum effuſa portio eſſet, galaxiam effecit, nonnihil uerò & terram rigaſſet, natum inde lilij florem, qui colore ſua præferat primordia. Scribit in Heroicis Philoſtratus, Iuſiurãdum per Herculem à Neſtore inſtitutum primo. De Hercule

uerò illud adijciamus, coli eum ab Oetæis ad Trachina cognomento cornopiona, id est κορνοπίωνα, quoniam cornopas fugarit, quo illi nomine locustas intelligunt, quas alij ἀκρίδας, aut πάρνοπας uocant. Adeò leuibus de causis indebantur cognomina uanissimis dijs: nam Herculem eundem nuncupant Erythræi Ipoctonon, quod Ipas repulisset ἀμφιλοφαγος, id est uitem arrodentes. In Alexandra Lycophron eundem λέοντα dicit τειρεσιφρονα, ex insiti roboris præstantia, & quia in eius generatione triplex in unam coiuit nox, uel quia triduum in uentre ceti transmiserit, à quo Hesionem liberauit: quũ ei immortales equos esset pollicitus Laomedon, quos illi pro Ganymede fuerat dilargitus Iupiter. Ab hoc item maxima quæq; dici Herculanea uidentur: sic Herculaneas machæras, in Pertinace appellat Iulius Capitolinus. Apollinem uerò dicunt Rhodij Erythibion, quoniam Erythiben appellant ipsi, quam ἐρυσίβην alij, id est rubiginem. Vanitas eadem Smintheum induxit Apollinem, sed qui tanti ueteribus fuerit, ut orationes etiamnum Sminthiacæ celebrarentur, conditis quoq; præceptis, quibus aptè cõcinnari possent. Smintheus enim dicitur, & Sminthius. Nominis ratio ab muribus ducitur, quos apud Chrysam sminthos uocãt, quum eos ubertim succrescentes fugasset is deus, quo argumento inibi statuæ subiecta uisebatur imago muris. Alij sminthen intelligunt apud Troiam ciuitatẽ, ubi coleretur, sicuti hylatem appellat eundem Lycophron à Cypri ciuitate Hyle, etiam si est & in Locris altera. Quod uerò Pyrrhicas recensuimus boues, sciendum & πρόβατα dici πυῤῥίκα, id est Pyrrhicas oues, de regis Pyrrhi nomine, sicuti & boues dictæ, Plinio auctore. At de Hercule id non ignorandũ, furore percitũ Megaram peremisse cum quatuor eiusdem liberis, quorum ex Græcis thesauris nomina subtexui, Onitem, Theremachum, Democoonta, Creontiadem. Quanquã octo perfossos, canit Pindarus. Alijs adijcientibus duos etiamnum Iphicli fratris. Herculem appellant Græci Ceramyntem, quasi fata reijcientem, id est κηραμυντῶ: ut sit, qui & Alexicacus. Dicitur & Palæmon, quia in Olympo sit obluctatus cum Ioue. Lucianus facetè, ut solet, triesperum uocat Herculem ab trinoctio illo, quod traditur in eo concipiendo insumptum.

Stuporis attoniti species, quem apoplexiam Græci uocant. Item quibus ex causis cõtingat. Quid paralysis. Catulli uersus declaratur. Sceletyrbe quid. Hæmodia quid. Cap. VIII

VAm Græci ἀποπληξίαν uocant, sunt qui Latinè stuporem dicant attonitum. In apoplexijs, inquit Galenus, totũ corpus sensu priuatur, ac motu, solus restat anhelitus, qui si & ipse prohibeatur, maxima est & acutissima apoplexia. Si uerò reciprocatio adsit quidẽ, sed ui magna, fortis uehemensq; fit stupor. Cuiusmodi item, sed minus, si neq; intentus nec uiolentus, at inæqualis atq; exordinatus interpellatusq; fiat anhelitus. Sicuti ubi seruatur ordo aliquis, debilior censetur: sicq; omnia pro necessitate fiant, primo quoq; tempore persanatur. Apoplexiæ omnes fiunt, ubi facultas animalis ad partes defluere nequit infra caput existentes, aut ob cerebri affectionem similem inflammationi, aut uentriculis ipsis pituitoso oppletis humore. Cæterum causæ magnitudinem affectionis, seu (ut nunc loquimur) passionis consequitur magnitudo. Magna uerò ex parte curationem nõ admittit ob respirationis læsionem. Auicenna sexta primi, ostensurus uitalẽ potestatem esse animali priorem: Licet, inquit, uis animalis membri alicuius intercipiatur, quæ sensum præstat, & motum uoluntarium: nihilominus uita non destituitur pars ea, ni pariter & uitalis destruatur. Membrum utiq; stupidum aut paralyticum diu quidem sensu caret, ac motu: uel ratione complexionis malæ, intensius frigidæ, non permittentis sensum motumq; recipi à membro, uehementius arctatis meatibus nerui, per quos commeant spiritus: uel oppletis neruis interiacentibus cerebrum uel nucam & paralyticum membrum, subsistente tamen interim uita. At intermortua pars nec sensu pollet, nec motu, computrescitq; ilico, interpellata uidelicet corruptaq; uitali potestate. Auicennæ interpres ita distinguit: Stupidum dicitur, quod sensu caret: paralyticum, quod & sensu & motu. Cornelius Celsus: Attonitos, inquit, raro uidemus, quorum & corpus & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, apoplexiam hunc Græci appellant. At resolutio neruorum frequens ubiq; morbus est, sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres auctores

auctores illud apoplexiam,hoc paralysin nominauerũt. Nunc utrunq; paralysin appellari uideo.Est sceletyrbe item,id est σκελετύρβη, paralysis quædam, quum rectum seruare incessum nõ ualemus,& crura,uelut ardua cõscendentes, attrahimus, ac in siniſtrum quandoq; dextra circunferimus,quandoq; ediuerso. Sciendum uerò illud, nullum esse morbum adeo senili ætati familiarem,ut est apoplexia, quoniã in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus.Ex ijs uerò,quæ de stupore collegimus,infertur Catulliano carmini lucis plurimum: Talis iste meus stupor nil uidet,nihil audit,

Stuporem dentium ex fructuum acerbitate Galenus ad Paternianum, hæmodiam scribit uocari.Id ex uisu item cõtingere,quin & auditu,apud Græcos alios est obseruatum.

Super comitiali morbo,quid sentiãt eruditi.Spumæ generatio. Suspendio sorum os spumosum unde sit.Melãcholicorum ratio.Cothurnicum,& caprarum natura. An homo tantũ huiusmodi affectione infestetur.Magmed historia.Lunaticus morbus. Cap. IX

COmitialis uerò morbus apoplexiæ germanus proximusq; quodãmodo est, quum idem locus in utroq; patiatur,& idem humor causam affectioni præbeat. Verum apoplexia propter omnimodam eius carentiam facultatis,quæ ad neruos demanat. Morbus autem comitialis ob incertã temerariamq;,& inconditam motionem consistit.Frigidus autem & crassus est humor ambobus. Proindeq; adolescentium ætas calidæ siccæq; temperaturæ maximum affert auxilium his qui comitiali morbo laborãt.Compari modo & locorum mutationes proportionales, quãdo ad calidiorem siciorem q; transmigrent.Eodem modo & uictuum. Comitiales morbos exsuperare in pueris,auctor Hippocrates est,propterea q; dici pueriles morbos qui & ætatis conuersione ac mutatione desistant. Accidunt & adolescentibus quandoq; ob uictus errorem,& quia humi cubant ac soli se exponunt,& imbribus, & eiusmodi alijs. Quum uerò spumæ generatio ex duarum subſtãtiarum mixtione perficiatur, altera spirituosa,altera humida:fiat autem earum mixtio,ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu paruis ampullis plerunq; ab ipsis effectis, Ventis quidem uehemẽtibus mare occupantibus,propter ictum fortiorem spumam fieri contingit: in lebetibus autem caloris ratione,sic & in corporibus animalium, quum adsunt ex morbo comitiali conuulsiones,uehementia motuum solet spumã generare:in capris uerò calor: in cursibus autem equorum utraq; causa uigorem habet. Qui spumam è uentre prodire, opinantur,deerrãt:neq; enim fieri potest,ut tota inde proueniat,quum neq; eo tempore animal euomat,neq; nauseam patiatur ullam.Quum uerò tenacem habuerit is qui perfringitur,humor,consistentiã,stabilis spuma perficitur, qualis conuisitur currentibus equis aut ira percitis apris. Vbi autem laqueus collo circunnectitur, necesse est quidem cordi atq; pulmoni,ut glutinosum exspirent retrimentum,quod in libro De respiratione Galenus edocuit:prohibente autem laqueo,totum uiolenter impellit, quo fit, ut pars propriæ humiditatis una expellatur.Sed ut ad comitialem redeamus morbum, quo planius expressiusq; cuiusmodi ea sit affectio percipiatur, Galeni sententiã subnotabimus ex tertio libro De locis affectis:Morbus,inquit, comitialis conuulsio est omnium corporis partium,nõ perpetua,ut in prosthotono & opisthotono atq; tetano,id est neruorum rigore:sed quæ ex temporum accidit interuallis.Ac neq; hac sola re,sed mentis quoq; & sensuum oblæsione ab iam dictis distat conuulsionibus:unde constat, in supremis corporum partibus,cerebro uidelicet,hunc affectum cõsistere. Cæterum uelox eius discussio,crassum humorem,spiritus meatum in cerebri uentriculis obstruentem, hunc maximè affectum peperisse,declarat,neruorum principio se ipsum quatiẽte, quo excutiat id quod noxium est.Deniq; à crasso semper humore hanc produci affectionem,argumẽto est, quod & subito fit,& soluitur confestim:nam subitariam meatuum obstructionem à crasso uiscoso q; humore fieri constat. Accedit ad hæc,ut is qui sic laborat, neque uideat neq; audiat,neq; ullo sensu quicquam percipiat,ac ne memoria quidem consequi possit quid factum sit,siquidem cum memoriæ uiribus ratio item læditur. Melancholici magna parte comitiales efficiuntur,siue caduci:& contrà, morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici. Atq; horum utrumlibet magis accidit, prout uel in hanc uel in illam partem infirmitas repit:si enim in corpus,epileptici;si uerò in mentem, melancho-

lici redduntur. Illud uerò ex hiſtoria memorabile, fuiſſe grãmaticum quendã ætate quidem præuiridi, qui ſi uehemẽtius in tradendis egiſſet præceptis, aut altius cogitaſſet, uel etiam inediã diutius eſſet perpeſſus, aut iram minus inhibuiſſet, mox comitiali corripiebatur morbo. Id uerò medicorum ſcientiſſimi amplius perpendẽtes, os uentriculi, utpote quod facile ſentiret, eſſe affectum, facile deprehenderunt, ac deinde per cõſenſum & cerebrum totum, ac corpus uniuerſum cõuulſione concuti. Quærens uerò Ariſtoteles, unde ſit quòd uni animantium cunctarum homini tranſuertuntur, ac per limitatem deprauantur oculi, poſtea infert, ἢ διότι μόνοι ὧν ἅπτ᾽ γῆν ἐπίληπτοι γίνονται τῶν ζώων, ἡ δ᾽ ἐπίληψις ἀμαυροῖ πως, ὅτε γίγνται, ὡς περ καὶ τῶν ἄλλων μορίων. id eſt, an quia ſolus ex omni animãtium genere morbo comitiali rapitur, quod genus morbi tranſuertere oculos, ſicut cætera etiam membra poteſt. Afferunt quinetiã Peripatetici nõnulli dictorum ab Ariſtotele rationem: quia hominis cerebrum prauis euaporationibus maximè ſit obnoxium, necnon frigiditate ſit atque humectatione præſigni. Addunt & motiones item eius eſſe exordinatas ualde. Plinius uerò Naturalis hiſtoriæ decimo, coturnices damnatas menſis prodit, comitialem etiam propter morbum deſpui ſuetum, quem ſolæ animalium ſentiant, præter hominem. Eadem ferè Iulius Solinus in Polyhiſtore. Plutarchus rerum naturæ haudquaquam imperitus, nec tam hiſtoricorum calendario inferendus, quàm philoſophorum albo, capram præter cætera animalia comitiali tentari morbo refert: propterea & ueteres ſacerdotes ea uehementer, ut morbida, abſtinuiſſe: quoniã guſtantibus aut tãgentibus modo aliquid morbi eius affricetur. Cuius cauſam afferunt, pororum ſiue meatuum anguſtiã, quibus obſeptis, ſæpiſſimè includatur ſpiritus, quod arguat uocis tenuitas. Nam qui eo affectionis genere tentantur, ſimilem capellæ uocem ædunt. Cæterum de hoc morbo aliqua & Alexander Aphrodiſeus. Obſeruatione dignũ quod Auicenna ſcribit ſecunda primi: Epilepſiam ſeptentrionalibus non ferè contingere, quia ſint introrſum ſani & calore exſuperanti: quod ſi eueniat, eſſe atrocem, quia cauſa ſit præpotens. Legimus porrò, Si caducis à dextro morbus occipiat, eorum difficiliorem eſſe uticq; medelam: ſiquidem dextra corporis ualidiora ſunt, eoq; minus ſpei ad ſanitatem relinquunt, quum & ipſa ægritudini accumbunt. Tuncq; dextræ auris crebriores fiunt tinnitus, morbo penitus adacto. Iucunda ſupereſt hiſtoria in morbi comitialis mentione, non indigna quam recenſeamus: ſiquidem Magmed, ſeu Maumet dicatur is, qui magnam Orientis partem religione pernicioſa implicuit, uti proditum eſt, huic erat affectioni obnoxius. Id quum animaduertiſſet uxor, & eo nomine plurimum indignaretur, ac rogaret ſubinde, quid eſſet in re: Deſine (inquit) mirari, morbus abeſt: ſed quum aduentantis numinis uim pati nequeam, mente collabor, ac ſtupent membra, Communis eſt hæc prophetarum affectio, quorum me eſſe unum, ſcias uelim. Hac fraude mulier delinita, quem odiſſe cœperat euentus atrocitate, commenti uerſutia, ut diuinum ſuſpicere uirum coacta eſt, quæ illuc denicq; prorupit fraus, ut moriens illum ex aſſe hæredem inſtitueret. Quæ res potentiæ, quam mox indeptus eſt ampliſſimam, exordia præbuiſſe narratur. Illud porrò ex Septimij Florentis apologetico eſt, In harena iugulatorum nocentum ſanguinem recentem de iugulo decurrentem auida ſiti ſolitum hauriri, quod ſic comitiali morbo remedia quæri opinarentur. Morbum hunc dici lunaticũ opinantur quidam, quod interlunio æditos, eo ferè corripi adnotatum ſit. Furioſum & lunaticum mancipium legimus apud Caium. In ſanctis literis lunaticos appellari animaduerto, quorum morbus lunæ aſcenſu increſcat, quod diabolus lunaria ſeruet tempora, ut creaturam infamet in creatoris blaſphemiam. Typicè uerò lunaticos accipiunt, qui per horarum momenta mutantur in uitia. In Matthæi utiq; Euangelio, ubi à ſaluatore præpotenti narrantur in integrum reſtituti δαιμονιζόμενοι, id eſt ab dæmonibus agitati, & σεληνιαζόμενοι, lunaticos intelligunt hoſce nonnulli. Quidam uerò etiam ſyderatos, ceu hæc dicatur lunicatorum explicatio. Alias Græcorum ſanctio eſt, furẽtium cauſationem in lunam regeri, διὰ τὸ νυκτερινῶν δαιμόνων φασμάτων: quia nocturnarum præſes apparationum ſit. Eſt & illud in literis compertum, frigenti naturæ ac humenti præeſſe lunam: quocirca cerebro male affectos, atque hinc concidentes crebrò, lunaticos uocari.

Animæ

Animæ natura qualis ſit per ſe. Vitia an extrinſecus inuehantur. Cur anima eadem parum introſpicienti mortalis uideatur. Curq; minus ueritatis lumẽ percipiat. Cap. x

QVoniam ab ineunte ætate Platonem ſecretioris philoſophiæ principem, dignumq; qui ſententiæ uniuſcuiuſq; fundus fiat ac ſubſcriptor, mirificè ſum amplexatus, ne incertè erraret animus, ac (ut inquit Ennius) præter propter uitam uiuerem, quod eius uiri facundia diuinius quiddam intonuiſſe uidere-
tur, uix mihi quandoq; ualeo temperare, quin ſeiunctis parumper noſtræ claſſis doctoribus, myſteria Platonicorum, tametſi cõniuentibus oculis, ab limine, ſi non datur ultra, pergã ſalutare, nec tamen id operæpretio nullo. Præfloramus ſubinde uireta lætiſſima, inſerimus hiſce libellis (ut ſic dixerim) congeſtitijs, quæ legentium deſyderia, & ſi non perficiant, at leniant ſaltem, & quoquo modo iuuent, ne bonæ prorſum otioſis pereant horæ. Nam uetus eſt, ab Ennio item obſeruatũ: Otio qui neſcit uti, plus negotij habet, Quàm quum eſt negotium in negotio. Quale eſt quod mox ſubnotauimus. Siquidem in lucubrationibus ijs collibitum eſt Ariſtotelicarum meditationũ exhibere imaginem quandam, ut nunc ἠθικὴν καὶ ἀκροαματικὴν diſciplinam perſequamur, nunc διαλεκτικὴν πραγματείαν, quatenus naturæ ſacraria introſpectamus remotiora, aut leuiora hæc non negligimus noſtratia. Animam igitur rationalem, qua maximè humanum genus præcellens eſt, eſſe diuinioris indeficientisq; naturæ, ueluti propaginem immortalem ipſam, non dei tamen ex ſubſtantia, indeficientemq;, multa quidem liquidò cõprobant, ut quæ nec corpus ſit, neq; item ulla ſit figura notabilis, nec colorem habeat, neq; molẽ, uel qualitatẽ ullatenus tractabilem. Cæterum abundè etiam id ipſum hinc licet intueri. Nam ſi diuinum omne, quodq; uere eſt, uita fruitur bono & ſapiente, coniectemus emineſcamurq; animæ cuiuſdam ſtatũ: quæ corporeis nexibus mancipata quidem, necdum tamen ita tenebris obuoluta adobrutaq;, ut inoleſcentes præter rationis dictamen concupiſcentias & iras, & id genus alia, quæ noſtri inuſitatius morbos, perturbationes, affectiones item rectè dicere ſibi permittunt, concipiat & admittat, uerum corporis quoq; contagia ſubeat eatenus, quatenus ſummè compellat ipſa neceſſitas. Hæc uerò procul dubio patefaciet, uitia & mala ipſius animæ additamenta quæpiam eſſe, ac extrinſecus inijci nobis: ſiquidem animo depurato & genuino candori uel reſtituto uel conſeruato ineſſe comperiuntur optima, ſapientia ſcilicet, ac uirtus reliqua, tanquã familiaria. Quòd ſi eiuſmodi recognoſcitur animæ nitor, & initialis pulchritudo, ubi reſipiſcit, & uelut ex altiore ſomno excitata redit in ſeipſam, cur nõ eodem ſit gradu ferè, quo diuina ſempiternaq; niti, non imus inficias? Neq; enim tantum cælo (quod dicitur) toto aberrauerimus, ut ſapientiam uirtutemq; ueram res dubio procul cæleſtes diuinasq; naturæ alicui uiliori, immortalitatis neſciæ obtingere audeamus aſtruere. Quinimmo, quicquid diuinitatis participatum nanciſcitur ex cognatione quadam & ſubſtantiæ communione, id eſſe planè diuinum haud diffitendũ omnino eſt. Quamobrem quiſquis numinis præſtantioris afflatu ita afficitur, exiguo ſanè interſtitio à ſuperno fulgore ſequeſtrari uidetur, hoc uno ferè inferior, quod etiamnum agit in corpore. Quòd ſi genus humanum parte ſaltẽ plurima ad ſe rediens talibus eſſet præditum animis, nemini unquam mortalitatis animorum obreperet opinionum uanitas. Cæterum quia maximis ſcelerum inquinamentis plerunq; inficitur cæleſtis ille & prænitidus animæ uigor, hebeſcitq; corporeæ peſtis contagio imago diuina, quæ non ciuilem plerunq; uim & feſtucariam, ſed bellicam meditatur & cruentam, nimirum hinc ſuboritur facile confirmaturq; nulla nõ hora, nil eſſe in homine diuinum, nil immortale. Sed enim quiſquis es infauſtæ opinionis aſſertor, expende amabo natales tuos, quo ad animam ſpectat, remetire eius ipſius intimam puritatem, corporis additamentum reſeca, quo ueluti inutiliore ſarcina grauamur, Intuere te ipſum. Iamiam immortalem te agnoſces & aſtrues, iamiam in mundo intelligibili, puroq; loco te habitare perſpicies, ueritatis ſplendore ab ipſo bono coruſcantis illuſtratum, conuerſusq; ad mortales cæteros incinendum ita putabis, Valete uos: ego uerò immortalis iam deus profectus ad diuinum, diuinæ ſimilitudini totus incumbo. Cæterum in peccati ratione non prætereunda temere Auguſtini libratior ſententia: Qui omnia, inquit, animæ mala, ex corpore, putant accidiſſe, in errore ſunt, etiam ſi

luculentis uerſibus Platonis ſententiam ſecutus Maro id comprobauit:

Hinc metuunt, cupiuntq́, dolent, gaudentq́, nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

Nam corruptio corporis quæ aggrauat animam, nō peccati primi eſt cauſa, ſed pœna: nec caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilē carnem. Quod tamen corpore obſepta rationalis anima modo mirandum ueritatis lumen percipiat minus, hinc effici, eruditorum cōiectatio eſt, quia minimam ad id habeat proportionem: quippe eſt anima, forma quædam corpori mancipata: lumen uerò illud forma eſt, ab corporum penitus diſſita commercio: propterea in Metaphyſicis Ariſtoteles, Intellectus noſter ſe habet ad ea quæ ſunt manifeſtiſſima in natura, tanquam noctuæ oculus ad ſolis lumen. Sed & in Metaphyſicis Auicenna: Quemadmodum paralytici lingua humore præpedita quodam, certum in præguſtādo ſaporis ſenſum minus agnoſcit, ſic & humanus intellectus ob mortalis nexum corporis quaſi paralyticus occæcatur in iſs quæ incorporea ſunt omnino ac æterna. Ad quæ forſan reflecti etiam Pythagoricum illud ualeat, Συμφορὰν τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα εἶναι πρώτην. Calamitatem animæ primam eſſe corpus ipſum.

Annulus Gygis: quiſq́ hic fuerit Gyges. Perſei uitreus clypeus, aut galea mira. Labidium. Tenax. Labradeus Iupiter unde dicatur. Quid labrys, & labarum. Pladara, plados. De annulorum ui, & lapillorum poteſtate mirabili adnotata compluſcula, quæ ſuggeſſit lectio uaria. Principum bonorum paucitas. Cap. XI

SAtis nobis, inquit M. Tullius, ſi modo in philoſophia aliquid profecimus, perſuaſum eſſe debet: ſi omnes deos homineſq́ cælare poſſimus, nihil tamē auare, nihil iniuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hæc Cicero tum grauiter, tum uerè tertio De officiis pronuntiauit. Cui & Peregrinus philoſophus cognomento Proteus aſtipulatur, Gellio referente. Sed enim libro ſecundo De iuſto, apud Platonem Glauco Socratem prouocaturus ad iuſtitiam acrius defendendā, iniuſtitiæ ſuſcipiens patrocinium: Quod, inquit, qui iuſtitiam ſeruant, inuiti id agant, quum ex imbecillitate iniuriam inferre nequeant, planè perſpiceremus: ſi tale quippiam animo fingeremus, iuſto licentiam, iniuſtoq́ permitti, quicquid collibuerit, agendi: deinde ſequeremur exploratores, quò rapiat utrunque libido. Inueniremus profectò iuſtum plus habendi auiditate compulſum ad eadem ſe, atq́ iniuſtum conferre. Erit autē licentia iſta, quam dico, ſi detur illis annulus, qualem aliquando fuiſſe ferunt Gygi Lydorum regi. Fuit autem annulus is mirandæ cuiuſdam & inuſitatæ naturæ. Si quidem ubi Gyges eius palam, ſiue fundam malis fuiſſe, nam σφενδόνην hanc Græci uocant, ad palmam conuerterat, à nullo uidebatur, ipſe autem omnia uidebat. Idem rurſus uidebatur, quum inuertiſſet annulum. Itaq́ hac opportunitate annuli uſus reginæ ſtuprum intulit, eaq́ cōnitente, regem dominum interemit, ſuſtulitq́ quos obſtare arbitrabatur, nec in iſs eum facinoribus quiſquam potuit uidere. Sic repente annuli beneficio rex ortus eſt Lydiæ. Hactenus ex Platone. Hæc uerò non eo produximus, ut de uirtutis ratione diſſertaremus, uerum ut liquidior annuli ratio fieret, ac Platonis ſenſus. Nam ex hiſtoria huiuſmodi id mihi magis arriſerit, ut Gygis annulum abiiſſe Græcis in adagij uſum putem de iis, qui uafriciis alios circunueniunt, quàm quod modo dicitur, in inconſtantes, aut in fortunatos. Quod oratione quadam indicat planè Libanius. Obſeruatum autem in ueteribus memoriis: Perſeum quoq́ ad Gorgonas profecturum ab Minerua clypeum accepiſſe uitreum, per quem uidere, nec uideri poſſet. Nec me fallit, tradere alios, galeæ uim fuiſſe hanc à Mercurio eidem oblatam. Orci nanq́ galea uſum, ſunt qui nō probent. Porrò hic eſt Gyges, is qui Barbarorum primus munera apud Delphos poſuit ſecūdum Midam Gordis filium, qui theſaurus dicitur à Delphis Gygadas. Nam & aurum Gygadas ſummè probatum ueteribus animaduerto, ueluti Daricum. Sed & Ariandicum argētum eodem modo planè exçoctum ac puſtulatum. Sicut illud obryzum. Sed & Gygen hunc ex opulentia uocitatum polychryſon, ex Plutarchi Moralibus uidemur didiciſſe. Gygis uerò ſepulchri commeminit in Theriacis Nicander, necnon eiuſdem interpres in Rhamni mentione. Scribit Athenæus, ante Gygen Pythium

thium fuiſſe ἀνάλγυρον καὶ ἄχρυσον, id eſt ſine argento & auro, quæ hic obtulerit primus. Legimus præterea Candaulem ab Gyge ſuperatum, rege opem ferente, qui dicebatur Arſalis. Qui mox in Cariam inter ſpolia reliqua etiã ſecurim retulerit, quod fuiſſet Lydiæ regum geſtamen, unde erectum ſit Iouis Labradei ſimulacrum, quoniam Lydorum uocabulo labrys dicatur ſecuris. Labarum uero inter uexilla connumeratur ante imperatorem ſolita geſtari, tantæ olim exiſtimationis, ut id adorationis cultu uenerarentur militaris turba. Fuit auro pretioſum, & lapillis intermicantibus ſplendidiſſimum. Meminit in Apologetico Septimius, ſed & in Epiſtolis Ambroſius. Labidium forficula eſt. Sunt qui, ut uulgo, etiam tenacem interpretentur. Sed redeundum nobis ab diuerticulo ad annulum, cuius naturã in primis mirificam, quando magicam ſum arbitratus, quando etiã fabuloſam, cuiuſmodi pleraq; deprehendas, in Græca præſertim hiſtoria, quæ profecto ſignificanter πλαδαρὰ dixeris, ſicut ſtomachi πλάδον nominat Galenus, imbecillitatem intelligens, & humectationem nimiam, unde & πλαδαρώματα nuncupantur. Et apud Polybium, τὰ μὲν ἄλλα καλῶς ἔχειν αὐτοῦ πρὸς τὴν χρείαν, τὸ δὲ δόρυ πλαδαρὸν εἶναι. Sed ad inſtitutum ἐκ παρεμβάσεως. Mox curioſius ſolicitiusq; rimandum opinatus, comperiebam ſcitu digna quæpiam, quæ & appoſui. Primum eſſe in Indorum tractu draconum uim quum multitudine, tum magnitudine mirandam. Eorum duo fermè genera dici. Quippe paluſtres pigri ſunt, tardiq;, & ſine criſtis: montani acriores, grandioresq;, ſed & criſtati. Horum capitibus ineſſe ferunt lapillos ſpecie aſpectuq; floridos ac iucundos, uiribus & potentia mirabiles, quod (inquit Philoſtratus) annulus teſtatur, quo eſſe potitum Gygem, cõſtans opinio eſt. Amplius Thebit philoſophus non aſpernabilis omnino, etiam ſi non ſæpe ita aduocatum inuenis, ad effectus miros, ſyderalem ſcientiam adhibendam putat, captataq; ſtellæ uirtute, accipi lapidem herbamq;, ſtellæ ſubiectã, mox & annulum conflari ſiue aureum uelis, ſiue argenteum, cui lapillum indas, herba ſuppoſita. Id uero potiſſimum fieri præcipit, ſtellam luna ſubeunte aut ſpectante aſpectu trino uel ſextili. Stella uero cæli medium percurrente, aut in aſcenſu conſtituta. Quin & in Chriſtianis literis longè ſcientiſſimus auctor diuus Thomas tertio contra gentiles uolumine: Herbas lapidesq; cælitus mirabiles quaſdam ultra elementarem naturam, nanciſci uires, non diffitetur: ſicuti hominibus item contingat in artium excellentia. Platonicorum uero ingenioſa eminensq; ſubtilitas ita fermè ratiocinatur, corporis noſtri portionem quamlibet, ſiue internam dicas, ſiue extimã, ut agat moueaturq;, uim ab anima indipiſci. Conſimili ratione & in mundo membra omnia ab ipſa mundi anima. Proinde, inquiunt, lapillorum, herbarum, metallorum nunquã ſpectata ſatis poteſtas & actio, extra quam natura pertingat elementaris, animam eſſe teſtantur in mundo, ex qua nihil non uel minimum potentiam ubiq; ſingularẽ conſequatur. Siquidem quod rebus multis peculiaris quædam, & admirabilis adſit uis, quam ad elementarẽ cauſam haud queas referre, non contingit omnino ſimpliciter, & ex multorum confluxu. Alias caſu quoq; ea poſſent euenire, aut certè firma non forent. Quamobrẽ ex animali & ſeminaria profluere ratione fatendum eſt. Quo nomine obſeruatum prudentioribus, Pæoniam collo appenſam comitiales adiuuare plurimum, Polypodium atram purgare bilem, timorem corallo pelli, laurum aduerſus fulgur amuletum eſſe uel præſtantiſſimum: Echeneida uero, ruant uenti licet, rabiem mundi perdomare, & infrenare impetũ, nauigia ratione mira ſiſtendo. Quia uero de annulis mentio eſt, non prætereamus ſcurræ dictum celebre ac uerum, principes bonos poſſe uniuerſos annulo inſcalpi, atq; inſcribi. Quod ex mira natum paucitate conuenit. Nam in Romana hiſtoria hoſce uix compereris, Auguſtum, Veſpaſianum, Titum, Neruam, Traianum, Adrianum, Pium & M. Antoninos, Seuerum Aphrum, Alexandrũ Mammeæ, Claudium & Aurelianum. Valerianum tranſeo, quia infelix. Reliquos uerius mõſtra dixeris, ac peſtes. Proinde ab Diocletiano dictum egregiè, Nil difficilius quàm bene imperare. Qui hoſce ſunt inſecuti, in digitos non mitto nunc.

Super annulis item non improſperè conquiſita quæpiam, & prompta in literas, non ſemotis omnino quæſtionum ſalebris. In primis qui Platonis annuli, & Iarchæ. Batti annulus, & ſilphium. Eudami annuli. Cur annulorum quidam dicantur phyſici. De magia relatu non ingrata. Iuuenalis locus ex-

plicatur. Qui ſint Pharmacitæ. Pharmaci. Apſicori. Pharmacum quid. Virgilij locus expenditur. Entomata. Symphyla. Catharmata. Catharſia. Peripſiarchi. Item quid Telia: necnon cur dicantur annulariæ ſcalæ. Qui dicantur item annuli leues lureconſultis. Obiter pannicularia, & pannarij, quid apud eoſdem intelligantur. Pronubus annulus. Oxythymia quæ ſint. Peripoli, hidrymeni, oxoſma, acares, corianos. Aeſtiui annuli. Hora æſtiua. Annulorũ ius. Antonij Muſæ hiſtoria. Coclium. Coclides. Annuli ſigillaritij, uel ſignatorij. Annulariæ ſcalæ. Caput XII

QVoniã aures delicatas radere ſumus ueriti, nimio plus excreſcens caput diſſecuimus, in partesq; digeſſimus, ut quod uno impetu fuerat abſoluendum, membratim quaſi diſtributũ minore faſtidio hauſtũ in uires abeat, & ſanguinem. Mitiora quoq; magna ex parte, & quæ iucũdius auidiusq; nõ ſomnicu loſus lector percurrat, iam hinc cõtexere pergemus, niſi q; celeberrimos & reconditiſſimæ ſcientiæ Platonis annulos, auream illam Homeri catenã referentes, à uiuaq; opificis uirtute, quaſi à uero lapide indomiti Herculis propenſos in tempus aliud miſſos facere nequimus. Sunt uero hi non aliud prorſus, quàm ordo, ſeriesq; rerum diuinæ deſeruiens prouidentiæ: ſeries, inquam, luminum partim quidem inuiſibilium, partim etiam uiſibilium. Et occulta quidem lumina intellectus ſunt angelici animalesq;, manifeſta uero ſunt cæleſtia lumina. Eſt autem inter hæc mutuus & mirabilis nexus, quem dicere catenã poſſis, Sed ibi utiq; intellectualis nuncupabitur & aurea, ac prouidentiæ. Hic autem naturalis & argentea atq; fatalis, prouidentiæ prorſum obnoxia, cuius quidem poteſtate purior anima ſequeſtrari ualet à fato. Quod eſt à Platonicis egregie confirmatum, nec magicæ diſplicet grauitati, ſancit & Hebræorum aſtronomia. Nam Areopagitæ Dionyſii placita uel ad minutiem rerum diuinitatis perducunt prouidentiam, ut ſuum tamen animis relinquatur arbitriũ, & ſit uotis locus. Sed enim ſubtilitatis immenſæ relictis quæſtionibus Iarchæ annulos minime differamus: de quis hæc fermè nobis obſeruata. Scribit etenim Damis, ſapientũ Indorum principem Iarcham tam ſcite, tamq; doctè annulos ſeptem cõpegiſſe, qui & ſtellarum ſeptem nominibus eſſent præſignes, ut Apollonium Tyaneum dono acceptos ſingulis diebus ſingulos, iuxta dierum nomina eos diſtinguentem, geſtaſſe proditum ſit. Amplius Iarcham id quoq; Apollonio inſinuaſſe, auum ſuum philoſophiæ myſterijs itidem initiatum, annum centeſimum triceſimumq; uiuendo attigiſſe. Id uero annulorũ beneficio contigiſſe, quamuis non ſatis conſtanter, grauiſſimi auctores interpretantur. Quinimmo Apollonium ipſum eodem munere iuuentæ nitorem prætuliſſe, quamuis annum iam centeſimũ exceſſiſſet. Batti uero annulus apud Cyrenæos gratitudinis habet, atque honoris argumentum, condita ab eo Cyrene, ex reſponſo, ſicuti Ariſtoteles quoq; commeminit. Quo nomine ciuitatis conſenſu conflatus eſt annulus, ciuium conditori ſuo, ueluti parenti, ſilphiũ offerentium nota, quod eſſe inter olera cõſtat pretioſiſſimum, comici ueteris aſtipulante uerſiculo, quo ille ait, Ne Batti quidem ſilphio adduci poſſe, ut faceret quod rogabatur. Sed & Ampeliotæ, gens Libyca, inter Delphicos theſauros etiam Silphium dicandum cenſuerunt. Calculum adijcit nummi item ueteris ſcalptura, quod in Cyrenæorum politia adnotatum Ariſtoteles reliquit. Inuenio in literis, Eudamũ quẽdam profeſſione philoſophum annulos quoſdam ſolitum conficere, quorum uis eſſet mira aduerſus dæmonia: item ſerpentium morſus, & id genus alia pleraq;: inerat ijs quoq; contra faſcinationem uirtus præclara. Cuiuſmodi poteſtatem ab iuuandi præſtantia Græci nuncupant ἀλεξητήριον. Hoſce annulos dici phyſicos, comperiet, qui Græcorum monumenta adierit quandoq;. Id cur ſic, ne quem fortè Lyncea minutiſſima quæq; expendentẽ torqueat, ex mutis magiſtris ita accepimus, eſſe in anima noſtra γνωστικὰς δυνάμεις, id eſt cognitiuas poteſtates tres: νοῦν, id eſt mentem: διάνοιαν, cogitationẽ, ſeu diſcurſum: δόξαν, id eſt opinionem. Rurſum, dum ſe naturæ æmulam anima facit: tria item exinde oriri, ὑπόμνησιν, τέχνην, ἐμπειρίαν, hoc eſt ſcientiam, artem, experientiam: quæ ſint tribus analoga uiribus, menti ſcientia, cogitatrici potentiæ ars, opinioni denicq; experientia. Nam ſicuti citra rationem ſeſe promit opinio: ita & experientia ſubiectarum ſibi rerum minus rationes tenet. Ex ijs uero illa conſequuntur, primum eſſe magiam quandam, quæ ſit actiua portio ſcientiæ

natu

naturalis. Eam aliud nihil omnino docere,quàm naturalium uirtutum adminiculo,ex mutua earum,& opportuna applicatione, opera ædere extra omnem admirationis captum. Quo genere Aethiopes maximè utantur & Indi, ubi herbarum cæterorumq; ad id ſpectantium facultas ſuppetat in primis. Eſt ſiquidem in rebus naturalibus cognatio quædam,& ſympathia,id eſt (ut ſic dixerim) compaſſio,aut conſenſus, uel contagio, ut Ciceroni placet: uel etiam contages, ut alijs: aliorum ad alia, & manifeſtorum ad uires occultas.Eſt & antipathia, ſiue contrapaſſio, & repugnantia. Rerum periti per mutuam cognationem conducebant in unum:per repugnantiam expellebãt, purificantes, ſicubi uſu ueniebat, ſulphure atq; aſphalto aqua aſpergẽtes marina:quod expurgandi uim obtineat ſulphur, propter odoris planè acumen:aqua uero marina propter igneam portionem.Ad quam doctrinam ſanè Satyricum illud ſpectare contenderim:

Cuperent luſtrari,ſi qua darentur
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

Nam quod laurum adiecit,illuc fortè tendat,quod eſt ab magiæ conſectatoribus peruestigatum, ſufficere nonnunquam herbam unam uel lapidem unum ad diuinum opus. Sufficit enim cnebiſon,id eſt carduus ad ſubitam numinis alicuius apparitionem,ad cuſtodiam uero laurus.Cæterum de hiſce rebus alibi hoc opere fuſius. Quod ergo uiribus naturalium rerum compingerentur annuli,factũ puto, ut ſcientiſſimi uiri phyſicos nuncupandos cenſuerint,hoc eſt naturales. Legimus tamen eoſdem Pharmacitas item uocitari,credo ab remedij præſtantia, quod pharmaci nomine intelligitur. Quanquã eſt ubi pharmacitem dici uentrem reperias, qui nunquam ferè cibis congeſtis expleri ſaburrari ue queat. Cuiuſmodi à noſtris collatiuus appellatur. Magnum quippe turgidumq; ex Plauti Curculione Pompeius interpretatur, quod in eum edulia congerantur omnia. Sicuti eleganter dixeris ediuerſo apſicoros, qui ſimulac cibum attigerint, exurgunt ſaturi. Sed & apſicoron,uitam intelligimus uariam, mutabilem ſubinde inconſtantemq;. Pharmacorum appellatione non uenena modo ueniunt,ac ueneno proxima,ſed excantamina quoq;,& imprecationes diræ, ac philtra, & quibus plerunq; contabeſcunt homines, unde ſunt Alexipharmaca. In medendi ratione pharmaca modo intelligunt, quæ uiolenter corpus extergunt perpurgantq;,alimenti uero afferunt nihil. Ad quam rei naturam reſpectans uates eminentiſſimus Aeneidos ſecundo ita canit,

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat
Nunc poſitis nouus exuuijs. Et quæ ſequuntur.

Verum & Homerus Iliados uigeſimo,unde mutuatus creditur Maro:

Βεβρωὼς λαικὰ φαρμακα, inquit. Quæ uero ea ſint, ex Plinio liquet, libro octauo, capite uigeſimoſeptimo. Nec me fallit, Homeri interpretem ſic exponere, ut mala pharmaca intelligat κακωλικὰ καὶ ἰοῦ ποιητικά, innui autem formicas & cantharos. Noſcendum tamen, fœniculum, de quo Plinius, inter ſymphyla recenſeri potius, quàm inter pharmacode.Sunt autem ſymphyla, quæ in quotidianum ueniunt uitæ uſum, ut menta, aniſum, origanus. Sed de ijs quæ pharmaci uim habent, intellexit nimirum Virgilius. Pharmacites dicebatur & uinum Pramnium, ita à petra in Icaro quam Pramnion dicunt, appellatum: quanquam apud alios uaria ſit eius uerbi etymologia. Pharmaci uero, ut obiter & hoc pergam appingere, in literis interioribus ferè uocantur, qui ad ciuitates ſuo interitu expiandas educabantur publice. Erant uero hi ignobiles quidam, & inutiles, qui graſſante in ciues peſte, aut id genus morbo alio immolabãtur, ut ſi quid in numen eſſet offenſæ, piaculo eiuſmodi paria facerent: ob idq; catharmata conſimiliter dicebantur, Græco uerbo expiationem ſignificante. Nam Catharſia ratione eadem porculos nuncupabant minutulos, quibus conciones & theatra luſtrabantur. Qui mos Athenienſium erat uetus.Id uero muneris obibant,qui ab re uocabantur Periſtiarchi,tanquam circitores dicas,ut teſtis eſt Harpocratio. Sicut Peripolos in re militari nuncupant, qui cuſtodiæ cauſa circueunt munimenta. Meminit Hiſtoria quarta Thucydidis interpres: nam Hidrymeni ferè intelliguntur,qui obſidentes nuſquã inde reuelluntur, ſed aſſident perpetuo. Sunt qui oxythymia pro catharſiis accipiant, quæ in triuium deferebant, quum expurgarentur domus. Sed Ariſtarchus oxythymia eſſe putat ligna, quibus ſtrangulabantur

bantur aliqui, dicta ἀπὸ τοῦ ὀξέως τοῦ θυμῷ χρᾶσθαι. Ea uero excidentes exterminabant comburebantq́. Oxoſma uero quid nam ſtatuendum apud Hippocratem, qui eo lichenas tolli pronuntiat, incompertum ferè eruditis eſt: Ni, inquiunt, ex aceto concinnata intelligatur compoſitio, quoniam lichenibus ex confeſſo adminiculetur. Catharſiorum meminit contra Timarchum Aeſchines. Catharmata Herodotus Hiſtoria ſeptima, etiam entomata nuncupaſſe animaduertitur, quum Boream à magis placatum ſcribit, factis entomatibus, quæ inſectiones modo interpres dixit. Cæterum ut ad annulos redeamus: Eſt in theſauris Iulij Pollucis, annulum qui minimo geſtaretur, ſolitũ nuncupari ob paruitatem acares, ſicuti coriamon, quo index ornaretur. Acaridion quippe breuiſſimum, minutiſſimumq́ Græci interpretantur, nata inde ſententia bracteata, ἀκαρεῖδιον ὀλυθρώπινον βίον, καὶ μετ' ὀλίγον πάντες ἐξεταλθμεν. Latini æſtiuum annulum materiæ leuioris intelligunt, quando leuiſſima quæq́, & ſubtiliſſima recte dici æſtiua poſſint, quanq́ apud Martialem æſtiua hora pro magna potius dicatur. Superiori uero expoſitioni ſuccinit in Menæchmis Plautinus ille ſeruus, quum ait,

Viaticati hercle admodum æſtiuè ſumus.

Sunt & Iureconſultis annuli dicti leues Digeſtis de damnatorum bonis. Nam ex Adriani reſcripto, inquit Vlpianus, pannicularia cauſa quæ intelligi debeat, ex ipſo nomine apparet: non enim bona damnatorum pannicularia ſignificare quis probè dixerit. nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi uendicare debebit: ſed ueſtem, qua is fuerit indutus, aut nummulos quos uictus ſui cauſa habuerit, aut leues annulos: id eſt qui rem non excedunt aureorum quinq́. Quod uero ad pannicularia attinet, obiter idem paulo mox: Pannicularia ſunt, inquit, ea quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia, quibus quis indutus eſt, quum ad ſupplicium ducitur. Pannarios dicunt Iureconſulti pannorum uenditores. Pronubum dici annulum à Septimio Florente obſeruauimus, quo ſponſæ digitum uir oppignerare conſueuit. Annuli pars qua gemma ſedet, pyelos uocatur, & pyelis: ſicut meminit Lyſias aduerſus Euphemium, & in Heroibus Ariſtophanes, Harpocratio etiam ſphragidophylacion appellauit. Noſtri palam ferè dicunt, ſicuti Cicero, & in Floridis Apuleius. At Plinius gemmas præſtantiores funda claudi prodit, id eſt patentes, nec præterquàm margines auro amplectente. Sed gemma carentem annulum ἀπείρονα uocari comperio, quaſi tu dicas, omni carentem fine. Qua in parte commonendi ſumus, emaculandum eſſe Pollucis codicẽ, ubi ſcribitur modo, apirona uocari λίθον δακτύλιον, tu repone ἄλιθον δακτύλιον, ut annulum intelligas citra gemmam cõcinnatum: cui ſint diuerſi apud Liuium in Sabinarum hiſtoria, gemmati annuli. Apiros uero aliud quandoq́ prorſum eſt, nam eo nomine tunicã quoq́ intelligunt exitu nullo. Quod ſcribit Horus, ut in Polyxena apud Sophoclẽ: & meminit in Oreſte Euripides. Eiuſmodi miſſam Agamemnoni, cõcinunt poetæ. Scribitur uero Græce ἄπειρος, uelut ſine fine. Apiron uero annulus recte intelligitur uelut infinitus, quia ſit rotundationis abſolutæ, nec appareat unde initium ſumas, uelut Homerus terram itidem dixit apirona, hoc eſt orbicularem, ut interpretatur Euſtathius: & approbat in libro de Homericis allegoriis Ponticus Heraclitus. Apyron uero dicimus incoctum, unde uinum apyron, cuius meminit Athenæus. Annulos porrò apiros non nouit modo Ariſtoteles tertio Auſcultationis Phyſicæ: uerum & qui intelligi deberent, expoſuit, καὶ γὰρ οὓς δακτυλίους ἀπείρους φασὶ, οὓς μὴ ἔχοντας σφενδόνην: id eſt annulos uocant apiros, quibus funda non eſt. Sermo autem ea in parte contexitur philoſopho de infiniti ratione. Auctor eſt hiſtoricus Dion, nemini ueterum Romanorum geſtare aureum annulum præter ſenatores ac equites, fuiſſe permiſſum. Propterea libertis annulorum ius ab iis modo datum, qui imperio forent potiti. Quo nomine, Sexti Pompeij libertum Menam ab Auguſto aureis annulis ornatum idem prodidit Dion. Erat uero is transfuga. Porrò quum idem Auguſtus cum uitæ periculo ægrotaret, iamq́ conclamatus uideretur, ſaluti ab Antonio Muſa eſt reſtitutus ψυχοποσίαις & ψυχολουσίαις, quo nomine pecunia eſt ampliter donatus, & annulo aureo, quoniam erat libertus. Conceſſum & idem iuris non præſentibus modo, ſed & futuris, qui medicos ſe profiterentur. Cæterũ Marcellus quum mox grauiter afficeretur, non eſt tamen ratione illa ſanatus ab Muſa: unde coniectatum, felicitatem priorem non hominis fuiſſe, ſed dei. Apud Iureconſultos ita lego, Etiam fœminas

nas ius aureorum annulorum impetrare posse: item eum qui aureorum annulorum ius impetrarit, ut ingenuum haberi. Ad annulorũ autem rationẽ, nil (opinor) spectat, quod apud Aristotelem legimus, Veteres medicos implicamentis quibusdam, id est (ut ipse ait) plegmatijs digitos inserere consueuisse, quæ contexta forent, uelut acetabula & cirramenta in piscium quandoq; pedibus. Apud Aristophanem comicorum facetissimum dicenti uetulæ, prę macritudine per annulum se posse trahi, irridens Chremylus respondet, Vtiq; si annulus foret Telia. Quo loco eruditi Teliæ nomine cribri circulum intelligunt, sicuti Horus. Quanquam eodem uocabulo dicitur item pegma, siue conseptum quadratum, in quo farina habetur uænalis: sed & tabulam, in qua tesseris, seu cubis ludimus, recte Teliam dixeris. Sed enim ut caput hoc iam nimio plus extuberans ad coronidem perducamus quandoq;, obseruauimus, Romæ iuxta forum fuisse locum, quem Scalas uocabant annularias: quas eruditiores pro ingeniorum captu ita nuncupatas augurantur ab annularijs officinis, uel à propendentibus annulis. Aliorum cõiectatio est sic eas dici, quæ in cocleæ formam effingantur, & orbiculata figura rotundentur: quod genus coclium dicitur, cuius commeminit etiam Strabo: siue coclides, quæ per circuitum scanduntur: sicuti & torcularia ad cocleæ similitudinẽ substructa, cocleæ dicuntur: & cochlea, lapis ex flumine rotundus. Coclis etiam capitis ornamentum uidetur, ab similitudine scalarum uel animalis uerbo corriuato. Pollio Treuellius in Zenobia: Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, media etiam coclide, uelut fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Qui uero annulis digitos onerant, unguesq; impense perpoliunt, coma item non neglecta, confragoso uerbo in Nebulis Aristophanes sphragidonycargocometas uocauit. Annulum sigillaritium pro signatorio, apud recentiores comperies. Qua in re sciendum amplius, Sphingis imagine Augustum signasse primò, mox Alexandri, postremo sua. Qua, ut prodit Tranquillus, & imperatores alij postea usi. At Galbam excipit Dion. Hic enim signatorium habuit annulum maioribus suis familiarem, cuius erat scalptura, canis è prora sese proclinans.

Quo sensu accipiendum illud ex Aegyptiorũ doctrina, Omnium rerum esse uicissitudinem. Prius cur plectantur posteri ex maiorũ delictis, ratione Platonica. De animarum transitu in corpora diuersa. Adrastia quid. Super uipera scitu digna enotantur aliqua. Et illud, Eam cum murena coire. Cap. XIII

TEgebam nuper Herodoti historiam primam super Crœso, qui ex rege, ut tum res erant, opulentissimo, Cyri seruus effectus, dum Persarũ principatum oraculo deceptus sibi uendicare pergit, ubi delusum se sortibus animaduertit, Lydorum quosdam Delphos misit, deum sciscitaturos, Nunquid puderet quòd ab eo seductus Crœsus tanto regno miserabiliter excidisset: ijs uero Pythiam sic fermè respondisse, Sortem fato destinatam euadere, ne deo quidem possibile: Crœsum quintæ retrò ætatis crimen luere, hoc est abaui: qui quum Heraclidis seruiret, qui Sardibus imperitabant, per fraudem dominum interemisset, principatũ uiolenter arripuisset, annuli potestate, uxore illius constuprata prius. Scrutabar anxiè, cuiusmodi foret suppliciorum hoc genus quibus plecteretur, qui ipse haudquaquam deliquisset, subesse uidebatur iniusti quippiam. Dum ista mussitarem, occurrit Platonicorum commentatio, à quibus, ut ipsi putant, tota facilitate quæstionis nubilum excutitur. Nos illorum sensa non grauabimur in hosce libellos, quisquis fuerit eorum genius, transponere, non ueritatis causa, sed eruditionis. Quod in alijs itidem facturum me uel nunc præfari libuit, ut Theoninos dentes & Catonianam frontem obiter reijciam, adhæsurus potius sanctissimis Christianorum patrum decretis. In primis ergo sciendum, placuisse id genus philosophis, quin & Homero uati, ut probare connititur Plutarchus: Animæ transitum in diuersa corpora pro ratione & meritis uitæ prioris, quanquam quid astrui ad hæc item possit, alibi tractabimus abunde. Eiusmodi ordinis institutionem adrastiam esse pronuntiant, id est diuinarum legum ineuitabilem potestatem, recq; uera iudicium & iustitiam, sapientiamq; prorsus mirandam. Quamobrem, inquiunt, non decet præsentia tantum obseruare, sed dilapsa iam ad calculum oportet reuocare, quin & futuris circuitibus acrius intendendum. Inde nanq; iuste rependi unicuiq;, facilis erit animaduersio. Nam qui prius principatu

patu potiebatur, mox, id est uita alia in seruilem relabitur statũ, si quid eiusmodi morum prauitate contraxerit, dum dominaretur. Porrò qui partis nimio plus incubauerint, ad proletarios transcribuntur. Qui manus à sanguine puras non custodierit, talionem mox cogitur subire. Nil horum temerè obuenire, firmiter astruendum. Qui olim matrem uiolarit, uicissim à filio contrucidabitur in fœmineam reuolutus naturam. Hęc uero ne quis fortè ridenda putet, ueluti ab imperitioribus tradita, sciant doctissimi, magnũ illum sanctarum literarum interpretem Origenem id CHRISTI euangelicum hac doctrinæ ratione enarrandum censuisse: Qui ferit gladio, gladio perit. Chabalistæ quoque in gente Hebræorum doctores celeberrimi placitis suis eiusmodi retaliationem sunt complexi. Sed animas in bruta non præcipitant. Quæ tamen penitus rationem excusserint, brutali affectui imaginationiq; relinqui non abnuunt. Ter quoq;, nec amplius, huc reuoluí animas astruunt, quoniam numerus hic probationi abunde sufficere uideatur, ut curabilia expurgentur peccata. Addunt, transformationes has mundani motus finem posse pertingere. Quem consecuturum sit felicissimum sabbatum, id est quies & beatitudo bonorum æterna, in quem sensum propheticum illud retorquendum opinantur, Immaculatorum hæreditas in æternum. Sed hæc illi uiderint. Nos uero ex ueterum scitis hoc genus colligamus, Esse hanc rerum uicissitudinem omnium, quam scientiarũ parens Aegyptus, uti olim loquebantur, præceptis est complexa, tradidit Pythagoras, retulit Plato, nec inhonoratam transmisit Platonicus nobilis Plotinus. Hæc illa est rerum uicissitudo, cuius argumentũ rerum natura nobis obiecisse uidetur in uipera. Quæ mirabili ratione ipsam hanc, de qua diu uerba facimus, talionem agnoscitur rependere, quoniam exeso parentis utero prorumpit fœtus, pœna, si credimus, iustissima. Nam coeuntis maris præ dulcedine fœmina caput prærodere narratur. Quo nomine quorundam coniectatio est, antiquarum legum scito paricidis id irrogari supplicium, ut culeo insuti cum uipera præfocentur. Quanquam scio à doctissimis Plinij doctrinam in bruti huius natura fortiter conuelli lancinariq;, etiam si in eo nec me fallit quos sequamur auctores haberi plures, & quidem quod miremur grauissimos præcipuè, & classis ferè primæ: sicuti in Theriacis Nicandrum, interprete quoq; adijciente calculum. Quos postea insecuti sunt, quorum nomini libenter assurgas, Plutarchus in libro quo loquaces taxantur, quos belonis uiperisq; persimiles autumat, quæ pariendo rumpantur. Nam dum tacenda curiosius, quæ effutiant, uenari hinc inde student, eroduntur persæpe, perduntur q; ab ijs quæ nequeunt cõtinere. Idem approbasse Apuleius uidetur in Magia, nec tacuit Hieronymus. Suppetit grammaticorũ astipulatio quoq;, astruentium Echidnam inde ratione etymologica dici, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὸν γονὸν ἄχει θανάτου, quod ad interitum usque fœtum intus contineat. Præsto est magni item Basilij in Hexaemero sententia: Viperas, inquit, utero deuorato, fama est, in lucem prodire. Comprobat & libro secundo Horus, Viperæ fœtum scribens ἐκβιβρώσκοντα τὸν γαστέρα τῆς μητρὸς ἐκπορεύεσθαι. Circũfertur & Græca sententia, sicuti uiperulæ arroso matris utero, lucem indipiscantur, ita & liuorem animam, in qua concipitur λαιμαναῦ. Tamẽ ne quid dissimulem, sed quicquid obseruatum mihi est, publico bono ingenue promam, Apollonius apud Philostratum uiperam esse uisam refert, serpentes quos peperisset lambentẽ quasiq; expolientem. Non enim assentior, inquit, imprudenti eorum sermoni, qui uiperarũ fœtum absq; matre autumant prodire. Id natura non patitur, nec recipit experientia. Obiter non insuper habendum quod in Theophrasti lectum monumentis est, uiperarum morsibus tibicinem scite modulateq; adhibitum mederi, adeo non ita multa comperias, quæ utilitati ex musicis sese promenti præuertisse uelis. De uiperis illud amplius ex Galeni doctrina sciendum: Animantia, inquit, quæ frigidiori sunt natura, per hyemem ob frigoris uim perinde ac si mortua essent, latitare solent: atq; tum uiperas quoq; uideas, si manibus tractentur deferanturq;, haudquaquam mordere. Nam per æstatem tum hoc animal, tum serpentes reliqui omnes, præsertim sub caniculæ feruore, quum uehementer æstuant, furorem præ se ferre uidentur, adeo ut ne exiguo quidem momento quiescere omnino possint. Id quod sciens optime Nicander, sic de Cenchride cecinit:

Non temerè offendas calcando Cenchridis artus,
Dum rabiosa furit.

Aulico præterea cuidam à uipera mordicus arre-

pto

pto contigiſſe, obſeruatum eſt, ut corporis totius color in porraceum demutaretur. Nec relatu illud indignum, quod & alibi non negligetur: uipera nequiſſimum genus beſtiæ, ac ſuper omne quod ſerpentini generis eſt aſtutius, coeundi incentiuis exæſtuans murenæ præcognitam ſibi copulam requirit, uel nouam inſtruit, progreſſaq; ad littus ſibilo præſentiam teſtatur, & ad complexum illam prolicit coniugalem: quæ illecta non deeſt, ac uenenatæ ſerpenti expetitos uſus ſuæ impertit coniunctionis. Quin ubi aduentare comparem ſenſerit uipera, uenenum euomere narratur, marito ſic reuerentiam quodã modo exhibens, ac nuptialem reuerita gratiam, quod tamen concubitu peracto reſorbeat mox. Viciſſitudinem denicq; hanc indicat uetus prouerbium ab Carthaginienſiũ pueris in luſu iactatũ: Gamma quãdocq; inſectari beta, & rurſum beta perſequi gamma.

Quæ ſit ratio tarditatis ſupplicij ex diuina prouidentia. Ariſtotechnam deũ cur dicat Pindarus. Item iuſte ne plectantur filij ex eo quod parentes deliquiſſe comperiãtur. Interibi cur Cecrops Diphyes. Circumpadanorum lugubres ueſtes. Cap. XIIII

INter artes omnes quæ bono aliquo præcellere conſpiciantur, animæ medicinam uideri maximam, non fere quenquam ex politioribus paulò eſſe opinor, qui non fateatur. Siquidem hac de cauſa Pindarũ animaduertimus deũ optimum maximum Ariſtotechnam nuncupaſſe: quo uerbo artificij ſignificatur excellentia, quòd is maximè omnium irrogandæ pœnæ opifex ſit, & inenarrabilis magiſter. Sunt tamen qui plerunq; in diuina prouidentia tarditatem nimio plus ceſſantem demirentur, prorumpentibus illuc etiam quibuſdam, ut hoc nomine ambigere ſibi permittant, prouideat ne humanis illud, quicquid eſt, altiſſimum. Cæterum amplius inſpicienti ratio potius ſumma uidebitur, quàm ceſſatio in ampliſſima & exuberantiſſima dei bonitate. Eſt uticq; ſummus artifex, iuſtitiæ fons perennis in puniendo, ut ita dicam, ſegnior: eiuſmodi enim eſt, ut inquit Euripides, ὁ θεῖον natura. Nam & ueteri adagio teſtatiſſimum fit hoc, quo dicitur, laneos pedes habere deos, quãdo Saturnus, ut ſcribit Apollodorus, teſtante in cœnis Macrobio, uiro memoriarum ueterum exſequentiſſimo nõ citra dicendi mundicias, per annum laneo uinculo alligabatur. Id hoc ſenſu eſſe interpretandum, & grammaticus Porphyrio comprobare eſt uiſus, ubi illud Horatianũ enarrat Carminum ſecundo.

Raro antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo.

Aſtipulatur & illud quo traditum eſt, Deorum molas tarde molere. Verum enimuero ſcire oportet primum, Nil eſſe omnino præſtantius homini, quàm ſi totum ſe ad diuini boni imitationem tradiderit. Etenim ſicuti Plato ait, deus in medio omnium ſe honeſtorum exemplar cõſtituit. Ipſa quoq; natura uiſum appẽdit nobis, ut quæ in ſublimi fiunt, ſpectantes, quamq; ordine ferantur, inſueſcamus incongrua fluitantiaq; odiſſe, apta uerò ordinataq; amplexari. Infligit ergo deus nocẽtibus ſupplicia lente ac moramẽto quodam, nõ utique pœnitẽtiam ueritus, aut in celeritate peccatum extimeſcẽs: ſed ad ipſum id prouocare nos ſtudet, ne ad puniendum indignabundi, animoq; amplius tumeſcente, ac ſeſe rationi furore ſuperinfundente proruamus, quum mentis lumẽ extinctum penè conticeſcit. Verum dato iræ ſpatio, clementer, lentoq; gradu illius imitati manſuetudinem dilationemq; ad pœnæ exactionẽ pergamus. Quippe turgidum ac impetu prærabido concitatũ raptim ad ultionem præcipitari, prius quàm ſedato motu in tranquillum redigaris, perinde eſt, ueluti Socrates dicebat, ac ſi per intemperantiã ne ab cœnoſa quidem, aut corrupta omnino aqua abſtinere queas. Neq; enim ultioni propinquior iniuriæ perpeſſio, ut Thucydides ſcribit: ſed interſtitio quopiam ſemotior diſiunctiorq; par recipit, ac conueniens. Porrò & illud diuinæ bonitati maximè congruum, pœnam aliquandiu proferre, ut ſit pœnitentiæ locus. Etenim rerum ille parens nõ neſcit, quantum potentiæ ad uirtutem habentes animæ, quãtumq; innatæ generoſitatis in generationem prodeant. Ex qua nonnunquam educationis conſuetudiniſq; prauitate præter naturæ rationem progerminent efflореſcantq; uitia. Quibus tamen ſi opportunam attuleris medelam, antiquus facile interdum redit habitus. Qua ex cauſa lentior eſt ad ultionem deus. Quòd ſi ita inoleuerit obdurata prauitas, ut manũ haud omnino recipiat medicam, ſitq; ſcelus inexpiabile, abſcindit protinus è uita, ne ita affecta anima ex diu-

turniore apud nos mora cæteris noceat multum, ſibi uerò quàm plurimum. Circunſpice, rogo te, quiſquis iſta qualiacunq; adeunda cenſueris, ex multiplici librorum & ueterum memoriarum aceruo, quàm multi tanquam iterum currente rota efficti, dum ſe melioribus recoquendos reformandosq; committunt, aut ſponte promicantibus quibuſdam naturæ igniculis, in bonam profecerint frugem. Equidem hac ratione Cecropa diphyen, ideſt naturæ duplicis ueteribus cognominatũ contenderim, nõ ut modo creditur, quòd ex miti rege ac bono in feram, agreſtem anguigenamq; abierit naturam, ſed e diuerſo potius: nam qui prius formidabilis incedebat omnibus ac truculẽtus, clementem induit principem, & ut Homerico utar uerſiculo, πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν. Ita profecto eſt, ingenia ſæpe magna clariſſimum mox æditura lumẽ multa prius abſurda promunt. Quamobrem, ſicuti ſancitam in Aegypto legem memorãt, qua caueretur, ne grauidam mulierem morte mulctatam prius quàm peperiſſet, ſupplicio afficerẽt, pariter animam grauidam, ac uirtutum nouarum ſemina cõcipientem ſubinde, iamiamq; parturientem tollere, improſperum nimis inauſpicatumq; cenſendum eſt. Quid, quòd hyænæ fel, & phocarum coagulum, & pleraq; ferarum fæuiſſimarum habent ſæpe uim medicam? Sic nonnullos emendatione indigentes hac ratione caſtigat deus, ut iniecta tyranni efferatioris uiolentia, aut magiſtratu amarulento, Scythicum Cyclopicumq; inſpectãte, ad iuſtitiam redigat, & uitæ integritatem. Talem exhibuit Agrigẽtinis Phalarim: Romanis uerò Marium. Nónne uel Chriſtianæ ueritatis aſſertores ita pronuntiant: Malos ſæpe ſupplicij ac incommodi omnis exſortes relinqui, ut per eos exerceantur boni? An non & Homerum ita canentem legimus, Sæpe ex malo patre naſci filium, uirtutum claritate præſtantem? Pericles ex ſceleſta prodijt domo, tantus Athenienſium imperator, ac eloquentiæ magnitudine Ioui, dijsq; cognomento æquatus. Iam uerò Strabonem Magni Pompeij patrem eiecit exculcauitq; defunctum ex odio populus Romanus. Nõ mirum igitur, ſi ueluti agricola, nõ excidat deus ſpinam prius quàm inde aſparagum præcerpſerit. Porrò ſi Heſiodum audiamus haudquaquam citra pœnæ diritatem abeunt inauſpicata monſtroſaq; ingenia. Aſtruit ſiquidem poeta is, non iniquitatis modo cõſecutricem eſſe ſupplicij grauitatem, ut ſtatuit Plato, ſed coæuam quoq;, eadem protinus parte, immo uerò radice pullulantem. Sic enim ait,

ὃς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἅπαντα τεύχει. id eſt,

Qui alijs meditatur malum, ſuo ipſius iecori malum ſtruit. Nam & cantharides ex antipathia quadam naturali antidotum habent in ſeipſis congenitum permixtumq;. Itaque mœror prauitatem iniuſtitiamq; non ſequitur, ſed cõcomitatur: nam ſyntereſis illa, ſiue conſcientia qualinam & quàm infeſto perurget flagello? quia ſe iudice, nemo nocens abſoluitur. Itaq; partem iſtam poſtremò ſic poſſumus colligere, impijs ſufficere ad pœnam ipſorum uitam aſſiduè fluctuatam turbulentamq;. Cæterum ab hoc genus quæſtione ne illud quidem diſſitum lõge eſt, quod nec tacuit Euripides, deos queſtus ſceleſtorum errata ſæpe filiorum ſupplicijs expiare. Quod ſanè ſi parum attendas minusq; perſpecte rem totam expendas, nõ ridiculum uidetur minus, quàm quod Syracuſanorũ tyrannus Agathocles Corcyrenſibus reſpondit, percontantibus quid ita ipſorum inſulam hoſtiliter depopularetur, Quoniam, inquit, ueſtri maiores hoſpitio Vlyſſem exceperũt. Rurſum quærẽtibus Ithacenſibus, quod eius milites per incurſiones pecora abigerent, At rex, inquit, ueſter claſſe in Siciliam appulſus etiam paſtorem occæcauit. An non abſurdum id item opinemur quod perficiebant Thraces, ſtigmata non parum diu mulieribus inurentes, ut Orpheo ſatisfacerent, quem ab illis olim fuiſſe diſcerptum, conſtans tenet fama. Riſu item excipiendum, quod Circumpadanis diutius factitatum legimus, ut pullis lugubribusq; uterentur ueſtibus ob Phaetontis pœnam in Eridanum fulmine deiecti. Bion certe philoſophus deum filijs ob parentum delicta mulctam irrogantem non uideri minus ridiculum aſſeuerabat, quàm ſi medicorum aliquis ob aui aut patris morbum filio potionem porrigat. Sed enim, ó philoſophe, ut protinus aliud ſequamur quàm præcedenti capite afferre uiſi ſimus, propémodum fatemur nos quidem, cauſariorum neminem, dum alium quemuis inungi aut confoueri emplaſtris uidet, perſanari. Verum aliam ſupplicíorum uideri rationem aſtruimus, quibus ſæpe palam afflictantur nocentes, ut dum torquetur unus, emendetur alius: quare ab Græcis tuis pœnas quaſ-

dam

dam dici paradigmata, comperies, à noſtris uerò exempla. Porrò nónne manifeſtum illud quoq; ſolertem medicæ artis profeſſorem filios plerunq; à parentum morbis auertiſſe, priuſquam cauſæ prognoſticum aliquod ſe promeret euidens, & iamiam graſſaretur malum, adhibitis opportune medicamentis, non neglecto corporis exercitio, & uictus moderatione, reſectis etiamnum, quæ procliuem in morbum conſtitutionem præcipitatura mox uiderentur. Quare non abſurdam rem facit, ſed neceſſariam, nõ ridiculam, ſed utilem admodum, qui epilepticorum, ſiue comitialium filijs, aut melancholicorum exercitationes inducit, aut diætas accommodas, non tanquam ægrotantibus quidem, ſed ne in ægritudinem omnino incidãt. Quippe ex male affectis nati nõ utiq; pœna ulla indigent, at medela digni ſunt, & cuſtodia. Quod ſi ita eſt, ſicuti nos rerum uſus perdocet, rogo te ó Bion nónne animis, tanto præſertim corpore præſtantioribus, idem remedium, eandem curam cenſebis adhibendã? An in adoleſcente progerminantem naturali ratione, ſuccreſcentemq; conſuetudine flagitiorum ſeminoſam tabem, latensq; malum augeſcere ſinemus, prompturum mox paulò peſtiferum mentis fructum, ut dixit Pindarus? Cæterum hęc ipſa internoſcere, clancularium q; uitiorum ſeminium occupare, non eſt profecto homini obuium. Diuinam iſta exigunt poteſtatem. Quamobrem optimus maximus deus intimorum inſpector, ſcrutatorq; eorum, quæ in ſenſum cognitionemq; humanã non facile reciderint, paulò pòſt eruptura flagitia non expectat: ſed medelæ gratia in adulteria procliuem, ad auaritiam, & plus habendi cupiditatẽ promptiorem, & in ſcelera id genus alia remis uelisq; currentẽ, ſed clàm, & inexplicabili modo, ratione q; ulciſcitur multò antè, perimitq;. Nos autem per ignorãtiam maximam ad diſquiſitionem quodãmodo deum uocamus, nullaq; non hora dicam illi impingimus, ac formulam ſcribimus, non perſpicientes ita uſu uenire interdum, ut futura ijs quæ facta iam ſunt, occulta item, obductaq; manifeſtis peiora multò, terribiliora q; ſint. Quod euenit ſanè, quia cauſas coniectare ratiocinando nequimus, quibus conſtet, quid ita prę ſtet, iniurios, malos ue ſæpe miſſos facere: quoſdã uerò ne iniuſte quidem agentes quippiam occupare ſupplicio. Nam & medicamenta quandoq; ægrotantibus nil profecerint, nullam uerò affectionem ſentientes, periclitantes tamen grauius, iuuerint.

Sententia diui Thomæ ad idem, ex prima ſecundæ quæſtione octogeſima ſeptima, articulo ultimo. Pœnarum genus duplex. Cap. xv

IT quia quæ adhuc diximus, ab gentium libris mutuati ſumus, tralatis ex Plutarchi Moralibus carptim, & commaticè quæ opportuna propoſito cenſuimus, ab ſententijs eius, & uerbis quandoq; non nihil abiuncti, ut cõmodius eſt uiſum: quod ipſum teſtari libuit, ne per imperitiam quis ad ſtruendam calumniam cernulus factum cauillaretur. Nunc, ut pro uirili ſtudioſis omnibus, quorum bono iſta cõmentamur, amplius paria faciamus, ſancti doctoris placita parti huic ſuppingemus, facturi operæpretium, ſicuti remur, ſolitis in aliena caſtra interdum tranſire, non ut transfugis, ſed exploratoribus, uerſurã hinc inde facturis, quo ex uſura mox fiat ſors. Quum ergo quæritur, iuſténe quis pro altero det pœnas, aut, inquit Thomas, de pœnis agimus, quæ medicinæ rationẽ habent, aut de ſpiritalibus. Si de prioribus, tunc aſtruimus planè, corporum intertrimẽta uel diuitiarum inter ſupplicia cenſeri, quæ medica ratione irrogentur ad animæ ſalutem: quamobrẽ non incongruũ eſt, ijs quempiam affici pro alterius peccato, uel à deo, uel ab homine, ſicuti pro patribus liberos: item pro domino ſubditos obnoxios ue, inquãtum bona illorum cenſentur. In ſpiritali uerò ſupplicio ſecus omnino eſt, neq; enim animæ bonum ad aliud præſtabilius diſponitur bonum. Quare in animali bono citra propriam noxam nemini pœna infligitur. In eiuſmodi nanq;, ut Hieronymus item aſtipulatur ad Auitum, uicariam pœnam nemo cogitur ſubire. Quippe quo ad animam filius non eſt res patris, quod illo prophetico abundè confirmatur apud Ezechielem domino pronuntiante, Omnes animæ meæ ſunt. Porrò puniuntur in filijs parentũ admiſſa, quia à flagitioſis nati, & educati ad delinquendum procliuiores, magisq; lubrici euadunt, tum cõſuetudine, tum exemplis allecti. Cõiunctos uerò ſanguinis uinculo ferè puniri aduertimus, quoniam propinquorum damna in eos modo quodam redundare uidentur, qui peccarunt. Sed & domeſtica exempla, domeſticæq; pœnæ permouent ualidius: nam innutritus ſceleribus patris uehementius

imitatur. Quòd ſi illius ſupplicio minus deterreatur à malo, ut pertinax amplius uidetur plectendus.

Obſeruata quæpiam de uipera legentibus futura non iniucunda. Maraſſus cur dicatur: itemq; de theriaca. Cuiuſmodi animal ſit, uulgò quod dictitant thirum. Theria quæ dicãtur propriè medicinã profeſſis. De Marſis duobus locis. An uipera coeat cũ muræna. Penſitatus Plinij locus de uipera. Ca. XVI



Voluentibus nuper Platonica quædã, ut eſt noſtri moris, ingeſſit forte ſe nobis Alcibiadis oratio, quæ pars ultima eſt ex Platonis Sympoſio. In ea quum alia pleraq; haudquaquam extrita, neq; (quod dicitur) ab triuio ſubnotauimus, quîs inſtructior fieret ſupellex noſtra: tum hoc non illepidum, aut inuenuſtũ (ut opinor) de uiperæ morſu, quod & tranſpoſui. Quæ, inquit, adhuc protulimus, omnino citra ullum ruborem paſſim enuntiari queunt. Quod reliquum eſt, non proferetur à me prius, quàm id uobis prouerbium ſubiecero, Vinum & cum pueritia & ſine pueritia eſſe ueridicum. Porrò non ſecus prorſum afficior, ac is in quem uipera mordicus incurrerit: hunc ſiquidem produnt, affectionem ſuam oblæſionemq; ijs tantũ uelle patefacere, quos eadem morbi ui quandoq; iactatos compererit, ceu hi demum, ut qui ægritudinis non ſint expertes, ignoturi uideantur: ſi quid dictum factum'ue ſit abſurdi, morbo uiolentius graſſante conuellenteq;. Quamobrem ego quoq; ſapientiæ ſtimulis cõuulneratus, quæ cæteris potentius ferit, inexplebiliter quodãmodo orationẽ eiuſcemodi expetens, quæ ualidius quàm uiperæ denticulus infigitur, omnia ſtatui conari, ut Socratem mihi aſciſcam, cuius è fonte ſiti areſcentia præcordia uberius queam rigare. Nec iſta nunc promerem, ni rem cum philoſophiæ myſterijs diu initiatis eſſe mihi animaduerterem. Hactenus Plato, tralata (ut potuimus) noſtris uerbis ſententia elegantiſſima. Iam uerò quod ad uiperam attinet, quo'nam piaculo tranſiliamus nunc ſcitiſſimam Cebetis doctrinam ſtudioſiſſimo cuiq; iucundiſſimè amplexandam? Nullo, inquit, infeſtari nocumento poteſt, qui uirtutis munimento ſeſe obuallarit conſepſeritq;. Ea eſt aduerſum uitia & mala, ceu antipharmacum potentiſſimũ, non ſecus ac uiperæ poteſtas uenenoſa contra id genus feras alias. Quippe ferunt οὓς ἐχιοδήκτους, hoc eſt morſu à uipera petitos, ab uenenatorum nullo attingi. Hæc Thebani philoſophi placita fidem ijs uendicant, quæ produnt naturaliũ aliqui. Eos qui aliquando uiperæ iecur coctum hauſerint, nunquam poſtea feriri à ſerpente. Rurſum, nec capiti, neq; item ueſtibus eorum qui uiperis alantur, noxia corpori ineſſe animalia. Sed fortè ex ijs quiſpiam, quos φιλομαθεῖς uocant Græci, nos diſcendi cupidos dicere poſſumus, Quærat ex me nunc, quòd nam eſſe genus ſerpentis putem, quæ paſſim dicitur Latinè uipera: in Græcorum uerò literis echidna: nam mas, echis nuncupatur. Ego quantum coniectura ducor, Víperam ſuſpicor uulgò dici maraſſum: quæ nomenclatura nec Barbara eſt, nec citra rationem excogitata, quippe à Marſorum populis interpretatione etymologica duci nomen uidetur: quia id genus maxime conſectarentur Marſi, circunferrentq;. Quod ne quis prolibidine confictum auctore nullo arbitretur, ſignificat id maximus artis medicæ magiſter Galenus, uolumine undecimo Simplicium pharmacorum, necnon ad Glauconem. Innuit & poeta nobilis illis uerſibus, quos & appoſuimus:

Quin & Marrubia uenit de gente ſacerdos
Fronde ſuper galeam, & felici comptus oliua,
Archippi regis iuſſu fortiſſimus Vmbro,
Vipereo generi, & grauiter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos, cantuq; manuq; ſolebat,
Mulcebatq; iras, & morſus arte leuabat.

Marrubios uerò eſſe Marſorum populos, nõ ferè eſt (in literis modò aſſiduior, ut Varronis utamur uerbo) qui neſciat. Plinius quoq; auctor eſt, Marſos à Circes filio ortos, ob idq; affuiſſe illis ingenitam uim contra ſerpentes. Quin & angitios putant nuncupatos, quod obluctantes angerent ſerpentes. Firmicus quoq; Matheſeos quarto, in lunæ decretis: Si, inquit, in Saturni domo fuerit iſta coniũctio, tortores aut carnifices faciet, aut Marſos tales, qui aſpides uenari cõſueuerunt. Nec me fallit, ex eruditioribus quendam ædito etiam libello, Maraſſum à uipera diſparaſſe: quo Nicolai Leoniceni uiri undecunq;

decunq; ſcientiſſimi placita uberius de huius animalis natura conuellat. Viperam uero Arabes ex Græcorum lingua, ut aſſolet, uocabulo detorto deluxatoq;, thiron uocant nomine generis ſpeciei impoſito: nam θηρίου, id eſt therion, fera eſt, pudendo Magni Alberti errore: qui & in pleriſque aliis huius ſcientiæ uidetur peccaſſe. Nam quos Galeno, Paulo q; trochiſcos, ſiue theriacos paſtillos appellare moris eſt: quoniam ex therio, id eſt uipera cõmiſcentur, Auicenna in mentione Andromachi Theriaces, trochiſcos Thiri uocat. Porrò quæ à Serapione ſunt de Thiro obſeruata, de uipera recte pronuntiari ex Dioſcoride, Galeno ac Paulo recognoſcimus. Adrianotheras in Myſia apud Spartianum, Adriani intelligimus uenatica. Quoniam uero medicorum pomœria aliquo modo ſumus ingreſſi, pergamus porrò in haſce commentationes congerere, quę uellicatim hinc inde præcerpſimus, ut uarietas ipſa iucundiorem præſtet, ac illicem magis, ſi Plautinè loqui non dedecet, noſtram racemationem. Igitur in eorundem uiretis amœnioribus theriacam obſeruauimus bifariam intelligi. Nam uno modo, ac proprie dici theriacam audies, quæ ex therio, id eſt uipera confici aſſueuit. Quod Therapeutices quartodecimo comprobat Galenus, & ad Glauconem ſecundo in elephantis cura. Id uero primus omnium excogitauit Andromachus Neronis Archimedicus. Alteram uero ſine permixtione id genus. Quando ſimplicia item Theriaces nomine uocari reperias: nam Auicenna ſecundo Canonis, capite de ſquilla: Theriaca eſt, inquit, aduerſum uenenoſa. Item de opopanace: Cum ariſtologia, inquit, pota theriaca eſt. In Collectaneis rei ruſticæ apud Græcos, libri ſecundi fine comperi, uitem dici theriacam, quæ πάντα τῶν θηρίων δήγματα perſanet. Quo autem fiat pacto theriaca uitis, aliubi in eiſdem traditur libris: ſed & Palladius commeminit libro tertio: antidoto uidelicet radicibus infuſa. Sic & catharticen uitem excogitarunt agricolationis apprimè experiẽtes, palmite ſciſſo, & helleboro mox iniecto. Quæ uberius exſequitur Florentinus Georgicorũ primo & ſecundo, qui & theriacam ficum nominat, ubi theriace linatur fructus. Sunt qui non ideo dici theriacẽ putent, quia therion, id eſt uipera, permixtionem ingrediatur: ſed quia aduerſus theria, hoc eſt feras ueneno imbutas præſentiſſimum ſit remedium. Obſeruatum certè peritioribus eſt, θηρία uniuerſim quidem beſtias indicare, ſed medicinam profeſſis capi modo pro uenenoſis, quo argumento θηριοδήκτους dici, non à beſtijs percuſſos, uerum ab uenenoſis oblæſos, qua in re labi quandoq; Plinium, eſt animaduerſum. Qui tamen libri uigeſimi capite ultimo, theriaces confectionem deſcribit, qua ſit uſus aduerſus uenenata omnia rex magnus Antiochus, nulla prorſum mentione uiperæ. At libro nono & uiceſimo, fiunt ex uipera (inquit) paſtilli, qui theriaci uocantur à Græcis, ternis digitis, ſiue quaternis, ut alij legunt (nam & Galenus ad Glauconem ſecundo, id approbat ferè) utrinq; amputatis exemptiſq; interaneis. Et mox paulò: Significandũ (inquit) uidetur, è uipera tantum hoc fieri. Alibi in eodem libro, Theriace uocatur excogitata compoſitio luxuriæ. Fit ex rebus externis, quum tot remedia dederit natura, quæ ſingula ſufficerent. Cæterum quod auctor hic de amputatione extremarum uiperæ partium tradit, id commentitium Dioſcorides putat. Theriacos tractatus intelligunt Græci, qui de iobolis, hoc eſt animalibus concinnantur, quæ uenenum ictu dentibus ue infundunt. Alexipharmacos autem, quibus letalium uenenorum ratio deſcribitur. Tradit Galenus libro undecimo Simplicium pharmacorum: Viperæ caput amputari ratione ueneni in eo contenti: in cauda uero nil eſſe eiuſmodi. Poſtremò cõmonendos impenſius ſtudioſos remur, ne quid omnino ueluti cõniuentes quod uſui ſit legiſſe, tranſiliamus, Eſſe qui Plinio negotium faceſſere pergant, in uiperæ natura libro decimo, ubi ſic legimus: Tertia die intra uterum catulos excludit, deinde ſingulos diebus ſingulis parit uiginti ferè numero. Ariſtotelicæ (inquiunt) ſententiæ, unde mutuatur Plinius, minus iſta conſentiunt. Cuius hæc fermè ſunt uerba ex libro quinto De animalium hiſtorijs: Vipera è ſerpentibus una, animal ædit, quum intra ſe ouum peperit: id unius coloris eſt, ac molle, ut piſcium, fœtus ſuperne conſiſtit, nec cortice cõtinetur, ut nec piſcium quidem: parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur. Euenit interdum, ut qui in utero adhuc ſunt, abroſis membranis prorumpant. parit una die ſingulos: parit autem plures quàm uiginti. Hæc aliquo modo inter ſe diuerſa non congruere ſatis, non ferè eſt qui non uideat. Siquidem naſci uiperulas philoſophus ſentit, membranis inuolutas, ueluti

infantes noſtri ijs, quas hyſteras tanquam poſteriores Græci, nos ſecundas dicimus, quibus triduí ſpatio à partu concerptis diſruptiſq; , tanquam ſenectute depoſita nitidæ tandem conſpiciantur. Nam (inquit) euenit quandoq; , ut ipſam hanc membranã abrodant exuantq; prius, quàm utero excidant. Plinius uerò membranæ illam diſruptionem intra uterum, non extra (inquiunt) fieri autumat, quod ex Ariſtotele nõ uidetur uerum. Ego uerò uerba illa, Tertia die intra uterum catulos excludit, nõ ad membranam refero Ariſtotelicam, ſed ad eruptionem ex ouis: in quorum ſuperiore parte fœtum conſiſtere, fatetur Ariſtoteles. Quod excludí, ſiue excudí, propriè recteq; à noſtris dicitur. At inquies, unde fit tertiæ diei cõputatio? Reſpondeo, Peragi excluſionem hanc ex ouis ante quàm promant ſe ex utero uiperulæ, ſiue echidia, per triduum, maturato iam partu. In quo nil ſanè abſurdum uidetur in tanto præſertim numero. Numerentur itaq; dies à momento quo adulti catuli promunt ſe ex ouis, ad id tempus quo mox ex utero erumpunt. Quòd ſi Ariſtoteles id nõ dicit, nil fuerit mirum: potuit alios ſequi Plinius: quod ut recipiam, illo ducor argumento, quod inibi infertur mox, Itaq; cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, occiſa parente. id quod apud Ariſtotelem nõ inuenias: & tamen à multis nõ dilutæ auctoritatis comprobatur. Et nobis non incurioſe locus hic paulò antè eſt penſitatus. Deniq; quia uiperam dici uulgò maraſſum docuimus, ab Marſis, quibus id genus multa contrectare, frequentiſſimi fuerit moris: hinc homines eos medicorum facile poſt Hippocratem princeps Galenus θηριοτρόφους nuncupat, & ἀσπιδοτρόφους, id eſt theriotrophos ac aſpidotrophos. Apud Firmicum ſic adnotatum item inuenias: Oriẽte autem ophiucho, inquit, nati qui fuerint, Marſi erunt, qui ſcilicet peſtiferos angues, ſopitis ac mitigatis aculeis opprimunt. Prodidit Archelaus, prodeuntes in ſiccum murænas cum echie congredi: uerum id coarguit Andreas, quando nec exeat muræna, nec in mari obuerſetur echis. Id & ambiguum fit Nicãdro in Theriacis. Quod ijs quæ antè paulò ſuper hac re commentati ſumus, adnecti debet: nec uitio nobis uertat naſutior quiſpiam per noſtras lineas incedentibus, id eſt eadem quandoq; iterantibus, modo lucelli accedat nõnihil. Auctor libro undecimo De ſimplicium pharmacorum poteſtate Galenus, in Aſia contigiſſe, uti quandoq; meſſoribus afferretur uas odorati uini, id teme rè poſitum arrepens uipera quum intraſſet, ac uino diſtenta periſſet, acceſſerunt mox & ruſtici ſitim expleturi: uiſa autem mortua uipera, rem auerſati, uinum cuidam in proximo elephantia iam computreſcenti ſunt elargiti, conclamatam eſſe hominis uitam arbitrati: at is nil eorum quum reſciſſet, ita ſeſe uino proluit hauſtu frequenti, ut morbi atrocitatem protinus euaſerit, cutis modo decuſſa ſuperficie, pellicula eiuſmodi ſubſiſtente, qualem in cancris uiſimus, teſta excuſſa. Id ipſum & prope Pergamum eueniſſe iterum, prodit idem auctor.

Comica facies apud Lucianũ quæ ſit. Comicus item riſus. Didaſcali. Enarratur interim locus Ciceronis ex Epiſtolis familiaribus. Perſarũ uoracitas. Item de Phania, & Comœdiæ ara, nec nõ Miſericordiæ. Perſonæ inuentor. Mæſon quid, & ſcõmata Mæſonica. Marmeſſus. Meſora. Tettix. De Anaxandride comico. Comicus apud Spartanos luſus. Dicelictæ. Phallophori, Autocabdali. Aram parare quid. Cap. XVII

COmicam faciem apud Lucianum, illum quidem cognomẽto blaſphemum, ut qui nec dijs nec hominibus pepercerit, quod inquit Lactantius, ſed doctiſſimum tamen atq; ingenioſiſſimum, inuenio poſitam pro exporrecta, iucunda hilariq; . Vbi frons nec mãtutina eſt, nec ſtriata, ſed renidens & læta. Eius uerba ſi quis forte requirat Latinitate donata ſubſignaui: Nil, inquit, iniuſtius opinor, uel omnino ſeruilius, quàm mordẽtem labra bilem ſubalere, & occluſum odium augere, unum quidem mente agitantẽ, aliud uerò proferentem, & comica facie hilariq; atrocem meditari concipereq; tragœdiam. Eiuſmodi figuræ rationem ex multis quidem licuit expiſcari: ſed à ſe nõ facile ambigentes dimiſerit Lucianus, apud quem alibi ſic lego propémodum: Comœdia, inquit, Dionyſio ubi ſe tradidiſſet, in theatro obuerſabatur, colludebat, riſum uenabatur, ſcommatibus non parcebat. Equidem Comœdiæ finis non ferè alius erat Græcis, quàm lætitia & hilaritas. Quod adeo uerum eſt, ut in libris obſeruatum ſit, & teſtis in Nebulis Ariſtophanes eſt, interpretis item accedente calculo, riſus

lo, risus gratia plerunq; scortea pudenda graphicè expressa, & id genus alia non pauca produci consueuisse: adeo ut comicum risum prouerbij uice usurpari quandoq; comperirim. Cui quoniam inesset sæpe morsus aliquis, & principum fœda sugillatio, comicorum sales uenenatos dicit Seneca. In Plauti milite, comœdicè positum uidetur pro suauiter & iucunde. Gellius Noctium Atticarum decimo, comœdiarum nuncupat festiuitates, quibus congruat breuitas orationis uenustasq; & mundicies. Theodorum tragœdiarum histrionem legimus, Comicum satyrum hoc dicto repercussisse, risum spectatoribus mouere non est res ita mira, sed fletum. Hinc prodit illud quoq; ex Plutarchi Moralibus: Videtur polypragmosyne, inquit, malis iam inueteratis non sanè lætari: sed recentioribus, ac (ut sic dicam) feruescentibus, & nouas grate tragœdias spectare. Comicis uero, & paulò hilarioribus non facile se immiscuerit. Addamus & eruditius aliquid ex Demetrio Phalereo: Ex hyperbole, inquit, in primis gratia, uenustas risusq; comœdijs comparatur: ridicula enim maxime ab impossibilibus uenamur. Sicuti in Persarum uoracitatẽ inexplebilem inuectus quidam, hyperbolicè dixit, eos in faucibus boues gestare. In eosdem Aristophanes, Cribanitas boues pro panibus assare pronuntiat. Ex ijsdem manat fontibus, φαλακρότερον εὐδίας, magis caluus serenitate. Colocynthe sanior. Idem Phalereus alibi de comœdiæ proprietate, ubi de glaphyro dicendi genere præcipit: Gratiarum, inquit, & uenustatum aliæ maiores sunt, ac grauiores poeticæ: aliæ humiles, ac magis comicæ scommatibus assimiles. Cæterum quæ de comico lepore ac uenustate diximus adhuc, ad Græcam rationem magis spectant, quoniã nostros inuenias sæpe trunca quædam ex Græcis transferentes & consarcinantes uerba tragici tumoris. Ita Græcarum, quarum effingere uirtutes nequiuerunt, facetijs atq; luminibus obsolescunt. Ita est, in comœdia maximè claudicamus, tametsi (ut Fabij uerbis utar) Varro Mussas Epij Stolonis sententia, Plautino dicit sermone locuturas fuisse, si Latinè loqui uellent. Vix leuem consequimur omnino umbram. Non recipit sermo Romanus illam Atticis concessam tantum Venerem, quando ne Græcos quidem potuisse, satis constet, alio linguæ genere eandem exprimere. Sciendum uero comicos poetas, item tragicos ac dithyrambicos à Græcis didascalos nuncupari, id est διδασκάλους. Nam & Antiphon ait, ἔλαχον ποιητικὴν διδασκαλον. Ex ijs quæ dicta hactenus obseruataq; nobis sunt, cõmonemur, ut iam hinc omnibus unguibus, totisq; cuneis Ciceroni opem feramus. Nam si, ut Luciani monumentis proditum est, claudos auersamur & bacelos & eunuchos, atque item simiam, si matutino prodeuntibus fortè occurrerint, quid statuemus in principe oratore, qui in arce stetit Romanæ eloquentiæ, extra omnem ingenij aleam positus, cuius familiares epistolæ candidatis eloquentiæ, & ad procinctum tendentibus, ceu prægustatio dulcior, initio ferè solent enarrari? Nonne si quid inauspicati, & ominosi sese ingerat, auertemur, & nihil ad nos pertinere, more seruantium de cælo præfabimur? Ecce in illis ipsis tam scitè, tam doctè concinnatis epistolis initialibus ita sæpe claudicantes, immo uero per prona deruptaq; labẽtes sese offerunt enarrationes, ut tam classici auctoris nomine, sit nulla non die quod erubescamus. At inquient scioli, nescio qui, ac tenebriones pullati, esse inibi nonnulla peritè admodum & appositè explicata. Sed ó bonæ lamiæ non illud Græcanicũ nouistis, Simiam quidem semper esse simiam, etiam si aurea habeat symbola? Sed redeo unde in hæc diuerti. Locus est ex secundo Familiarium epistolarum non enarratus ad hanc diem, sed omnino exculcatus, & offusa ea ligine, inscitiæ tenebris ita obuolutus, ut in Cicerone Cicero subinde quæratur. Verum oratoris uerba iam subsignemus: Mea uero officia ei non defuisse, tu es testis, quoniam ἰωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accedit Phania. Male feriati comicum testem Phaniam augurantur, ex uetere comœdia repetitum, in qua Phania testis introduceretur, referuntq; ad Cæliũ ipsum. Qui sensus, ut male conceptus, mirè friget, Ciceronis elegantia indignus: immo nec coit, etiam si uiolenter omni pede confabricatis inuentis nugalibus ad eam uerba retorqueas, pensitent modo legentes. Est quidem frequẽtissimi M. Tullio moris ex ueteribus pleraq; aduocare obscurius, cuius ferè modi est ad Cælium illud, Repente uero incessi omnibus lætitijs. In quo Latinæ quidem rei literatores, quid afferant, minus constitutum habent. Ex Cæcilio uero esse ea, liquet ex Ciceronis secundo De finibus: ut scias non esse hic arietini oraculi ambagiosam historiam. Inibi aduocatur & Trabea,

ut in Thuſculanis quoq́: de quo arbitror itidem ſenſiſſe Familiarium nono Ciceronem, etiam ſi grammaticis inſcita inauditaq́ eſt nomenclatura. Septimum habet inter comicos faſtigiũ, quod ex Volcatij Sedigiti apud Gellium uerſiculis liquidò agnoſcas. Verum ut à diuerticulo fabulam repetamus, ego in Menandri comœdia fuiſſe Phaniam, obſeruaſſe uideor apud Plutarchum in commentatione quæ eſt De tranquillitate. Cæterum id ad propoſitam modo quæſtionem nihil. Nam Phaniam hunc Ciceronianum non alium accipio, quàm Appij (de quo ibi intelligit Orator) libertum. Sicuti comprobant Ciceronis uerba epiſtola prima tertij libri: Quem hic comicum teſtem dicit, non uti opinor, quia uetus comœdia Phaniam habeat, ueluti fidei inuiolatæ numẽ ſanctius: id enim proculdubio commentum eſt uaniſſimum, & ad libidinem concepta diuinatio. Sed quod libertus is ingenio eſſet lætiore facetoſoq́, minime ſubdolo aut inuido, & proinde iucundo admodum & amœno. Expende Ciceronis uerba, ex ea quam modo aduocauimus epiſtola, in noſtram ſententiam remis uelisq́ eundum cenſueris. Is ergo apud Cælium æquiſſimè Appij naturam, Ciceronis in eum ſtudia & merita ſuauiſſimè & ueriſſimè aperuerat, quod ultro citroq́ creberrimè, ſicuti mos fuit temporũ illorum, & nil eſt notius, commearet. Quoniam uero in comica uerſamur pragmatia, relatu dignum haudquaquam omiſerim: Mæſona fuiſſe comicum hypocritem, patria Megarenſem: qui perſonam excogitarit primus, quam de eius nomine Mæſona item uocant: quod Byzantius Ariſtophanes prodit in commentatione De perſonis, ab eo inuentam ſcribens ſerui perſonam, necnon coqui. Scommata quoq́, quibus id genus homines præcipue ſcoptici mordacesq́ utuntur, Mæſonica uocantur. Ac ne quid omittam, Mæſona item dixere ueteres urbanum & elegantem coquum. Peregrinum uero & inurbanum tettiga, id eſt cicadam. Marmeſſus autem Mars eſt, Romanorum lingua, ait Lycophronis interpres. Barbarus autem hic, inquit, haud contentus alijs, etiam Romane ſcribit. Nam Romani & bellaces Marmeſſos dicunt, ſicuti memorant uel Diodorus uel Dion: neq́ enim ſuccurrit nũc ad fidem auctoritas. Meſora Græci, id eſt μεσώρα dicunt, quæ pedibus congruunt, arma. Fuit & comicus in ueteri memoria nomine Anaxandrides: erat is corpore ſpecioſus magnusq́: decori accedebat longior coma, nec purpura deerat auro fimbriata: uerum idem hic moribus inamœnus ferè amarulentusq́ animaduertebatur, adeo ut in commiſſione poetarum ni abijſſet uictor, non ad incudem reuocabat opus, qui pluribus mos eſt, recoquebatq́: ſed indignabundus medicinam factitantibus conſcindendas dabat male uigilatas chartas, & ſalariorum pueris cordillis obtegendis tunicu las. Fuit quod ſcitu dignum eſt, apud Spartanos comici luſus ſpecies, uerum ſtudij non magni, frugalitatem in eo quoq́ affectante ciuitate, dicendi prætenuis erat formula, argumentum non aliud ferè, quàm pomorum furta, & id genus pleraq́. Qui eiuſmodi ludos obirent, ab Laconibus Dicelictæ nuncupabantur, uelut Scenopœos dicas, & Mimetas, id eſt imitatores. At pro locorum diuerſitate conuariant horum appellationes. Siquidem Phallophoros Sicyonij dicũt: Autocabdalos alij: quidam item Phlyacas. Thebani, quibus frequens eſt diſparata ab alijs nomenclatura, Ethelontas. Erant in genere eodem Ithyphalli quoq́. Sed enim iamiam coronidem impacturus facturum me operæ pretium ſum opinatus, ſi auctarij quippiam adieciſſem huic lucubrationi. Id autem eſt de comœdiæ ara, cuius meminit Hieronymus, ad quam ſi quis confugiſſet, tanquam ab Cæſaris ſtatua, reuelli eum inde, nefas habebatur. Scribit Pollux, in ſcena aram fuiſſe, quæ Halieus diceretur ante fores: & menſam item, quæ bellaria, aut res aromaticas haberet, ac Theoris diceretur, ſiue Thyoris, quanquã ſit item Theoris uaticinatricis puellæ nomen, cuius meminit Demoſthenes contra Ariſtogitonem, quæ impietatis rea perierit. Eodem uocabulo nuncupabatur & nauis ab Athenienſibus, quæ quotannis Delum mitteretur. Noſtri produnt in Apollinis honorem aram conſtitui ſolitam ab ijs qui comœdiam celebrarent. Eum uero Apollinem à Menandro Caſſium dici. Sunt qui ſcribant, in ſcena duas poni ſolitas aras, dexteram quidem Liberi, ſiniſtram eius dei honori, cuius ludi celebrarentur. Hinc aram parare legimus in approbatiſſimis dici, ſicuti apud Terentium: Nemo te accuſat Syre, nec tu aram tibi,
Aut precatorem pararis. Ouidius id ipſum agnoſcit eo uerſiculo, ex quarto Triſtium,
Vnica fortunis ara reperta meis.

Aſtipu-

Astipulatur & M. Tullius pro Roscio Comœdo, aras fuisse sanctioris asyli loco: Sicut in aram, inquit, confugit in huius domum. Et in libro De superstitione Plutarchus: Est seruo ara, ad quam confugiat. hæc ab illo Græcè dicitur φόβιμον βωμός. Misericordiæ aram fuisse Athenis, in Rhetoricis testatur Apsinus. Sed & Libanius Declamatione secunda, ubi Demosthenis de ea tollenda effingitur actio. Meminit Lactantius grammaticus: decq; ea Terentium intellexisse, scribit. Papinius nec omisit,

Vrbe fuit media nulli concessa potentum
Ara deûm, mitis posuit clementia sedem,
Et miseri fecere sacram.

Qui sint apud eruditos Phanias, & Phanio: necnon quid Phanion, ac Panium, & Phanæ: item Phanos, siue Panos. Helana, lophnia, grauium, pharsos, grone, gronia, lophnis. De lychnuchis pluscula. Suetonij locus in Cæsare perpenditur. Lychnados ciuitas cur. Lychnitis. Murorum, seu mœnium sustructio, à quibus excogitata primum. Tyrsis quid. Tyrrheni cur dicantur. Mossyni quid. Candelabrum Tarentinum. Xylolychnuchi. Lychnocautia. Lychnocaia. Embaphia. Tyrrhenorum in artibus præstantia. Helene uas. Caput XVIII

QVia uero paulò antè pro ingenij captu, quantum nobis non incuriosa lectio adminiculabatur, enarrantes Ciceronis gryphum, super Phania orationem contexuimus, subit nunc, ut quæpiam non ita dissita uocabula explicare iam hinc pergam. Quod ne risu fortè Momi aliqui excipiant, quibus alabastrus unguenti plena putet: sciant eruditi, à Græcorum scientissimis esse in literas promptum, sapientiæ partem constitutam uideri in animi uirtute, partem uero in uocis usu, ut rem quanq; suo nuncupemus uocabulo, & uerborum proprietas minimè nos fugiat. Id quod illuc demum tendit, ut quæ conceperis animo, nulla hæsitatione ualeas enuntiare. Quoniam, Aristotele prodente, uoces sunt earum quę in anima reperiuntur, passionum notæ. Verum in ijs & omnibus quæ ædituri sumus publico bono, satis superq; fuerit doctorum trutinatio & examen syncerum. Vitilitigatores istos nihil moror. Sed nos interfari desinamus. Igitur Phanias inuenio dici omnes, qui inopes ipsi diuitias summas habere se tamen simulant, atq; ita credi uolunt, à Phania quodam, qui congestas se opes domi recondidisse ementiebatur. Quod ultimo Odysseæ libro testatum reliquit Eustathius. Phaniæ item Zenobius meminit, siue is sit Zenodotus, quem Damon fuisse scribit oboloſtatem. Quæ uox apud Hyperidem & Lysiam fœneratorẽ indicat. Sed in Zenobio scribunt aliqui Phanum, non Phaniam: sicuti Sudas. Eius uxor per tegulas admittebat adulteros, quod à uiro nimis cautè ianua obseruaretur. Phanionem Augustinus in Epistolis dictum prodit boni pedis hominem, cuius aduentus afferat felicitatis aliquid. Panium loci nomen est ad Iordanis initia: cuius meminit Egesippus, ubi mons altitudinis excelsæ ad latus umbrosum habet antrum, ex quo mephitis euaporat sæuior. Nam Phanos, siue Panos, à tragicis lampadas facesq; dici obseruauimus. Est & Phanos, qui res significat nuntiatq;. Pharsos ciuitatis portionem indicat, ut quum scribit Herodotus libro primo, Babylonis quam interluit Euphrates, esse δύο φάρσεα. Sed & fragmentum recte dicitur Pharsos. Apud Aristophanem in Auibus, phanæ dicuntur conciones, quod comica mordacitate in Athenienses prolatum est, qui in iudicijs assiduè comparerent, uterenturq; sycophantijs. Sunt & Phanæ in Chio regio quædam. Sunt ex glossographis, qui ab Athenienſibus lampadas dici phanos interpretentur, quas helenas quidam appellent quoq;. Nam quæ de corticibus cõpingitur, lophnia uocatur plerisq;, seu lophnis. Sicuti grauium, id est γράβιον, uocãt ilignum quernumue lignũ, quod conscissum succenditur, uti agentibus iter præluceat. Grone autẽ Græcis nunc petram indicat, nunc (sicuti Lycophroni) petræ cauitatem, παρὰ τὸ γρῶ τὸ ξέω καὶ σέω. Gronia uero, id est γρώνεια, Stephano, in Phocide ciuitas est. Porrò ab Lycophronis interprete dicitur lophnis, maior lampas, etymi argumento, λιοφνίς τις ἔστι, quod est λίαν φαίνουσα, ualde collucens. Deniq;, ut nil per incuriam prætereatur, sunt qui Phanon putent fasciculum ex lignis quibusdam concisis. Sicuti helanem calamorum fascem intelligere maluit Nicander. Illud obiter adnotasse, puto, nil obfuerit: Siciliæ tyrannum iuniorem Dionysium

nyſium in prytaneo Tarentino candelabrum dicaſſe, in quo totidem ſuccenderentur lychni, quot in anno numerentur dies. Xylolychnuchi apud Alexin conſimiles uidentur ijs quos obeliſcolychnos Theopompus dixit. Auctor Suetonius eſt, triumphantem Cæſarem aſcendiſſe capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra & ſiniſtra lychnos geſtantibus. Quod interpolantes nonnulli, lychnuchos legendum præſcribunt. Id ſum miratus: quando id agens, Dion quoq; ita ſcribit, πολλῶν δὲ ἐλεφάντων λαμπάδας φερόντων ἐπεμβάδα. Nec lychnuchus lucernam indicat planè, ſed ferculum cui affixa lucerna geſtatur: an, rogo te, ceruchus cornu ſignificat, ac non cornutum potius? Sic & ſceptuchus, non pro ſceptro capitur Homero, ſed pro rege ſceptrum ferente: quod ſcribit Sudas. Quòd ſi uetus lectio lychnuchos præferat, non damnem, modo ſuperſtitioſius nouitates non captemus. Lychnuchi meminit ultimo libro Athenæus: meminit & Pollux, qui quod phanon modo dicimus, lychnuchon item autumat dici apud Ariſtophanem. Phanon, ſunt qui laternam interpretentur. Omnino tam hic quàm Athenæus, uno uerbo res duas intelligi uoluit, ni legentes cæcutimus. Illud autem feſtiuius multò, quod epigrammate complectitur Chreſtodorus, Lychnadon Illyrij ciuitatem ab Cadmo eſſe conditam, unde ſit Lychnus heliconius: quoniam literarum lumen Græcis Cadmus intuliſſet primus. Lychnitida paludem in eiſdem locis agnoſcit Diodorus. In Armenia nomenclaturæ locum eiuſdem Stephanus. Lychnocaia, id eſt lucernarum ſuccenſio, feſtum erat Aegyptijs apud Sain, lucernis ſub dio tota nocte ardentibus. Lucernæ autem, inquit Herodotus, erant embaphia, id eſt ollæ profundiores: quod uerbum ab interprete neglectum miror. Lychnocautia eſt planè, quam lychnaſiam uocant, ubi accenditur lychnus. Scribit Dion, rediſſe ex Græcia Neronem, ac capitolium conſcendiſſe, coronata ciuitate uniuerſa, καὶ πάσης λυχνοκαυτόσης. Lychniæ, id eſt candelabra, Tyrrhenorum commendationis uidẽtur habuiſſe plurimum: quippe Tyrrhenos laudant Græci, ut φιλοτέχνας, id eſt artium ſtudioſos. Nam & mœnia ſuſtruere, id eſt τειχοποιΐαν, excogitaſſe omnium primi feruntur Tyrrheni: quod ſcribit Lycophronis interpres: unde factum, ut pro muro dicatur tyrſis. Quin, inquit Dionyſius, ab Tyrrhenis denſius extructæ domus uocantur tyrſes: quod obſeruarunt Græci quoq;. Sed & hinc conciliatum Tyrrhenis nomen, produnt nonnulli, ab tyrſium munimẽtis: uelut Moſſynœcis in Aſia, de turribus ligneis quas moſſynos dicunt. Tyrſes nominat Xenophon quoq;. Quod de helana diximus, aduertendum amplius, eſſe item helenen uas, quo continerentur ſacrorum arcana, in ijs quæ uocant helenephoria.

Coronarum duplex origo. Annulorum initia prima. Decertare drama ad corollas. Declaratur Plutarchi locus perperã tralatus. Apio indigere quid ſit. Timoleontis hiſtoria. Stephane cur dicatur corona. Choronos. XIX

QVi fabuloſa conſectati, ſuis ea uoluminibus complexi ſunt, coronarum in ludis eam fermè originem tradidere. Prometheum, quum Ioui Parcarum ſortem patefeciſſet de Thetidis filio, quem patre illuſtriorem amplioremq; futurum cecinerant, ab eo uinculis liberatum: ea tamen ratione, ut annulum lapide & ferro compactum geſtaret: ne omnino pœna uideretur exſolutus, quod & annulorum initium agnoſcitur primum. Simul etiam coronam habuiſſe ſcribunt, ut ſe uictorem impunè peccaſſe oſtentaret. Quo factum ſit, ut in maximis lætitijs uictores coronis inſignes uiſendum caput circumferrent. Id quod in ludis conuiuijſq; licet animaduertere. Initio ergo tam tenui illuc etiam progreſſa ambitio eſt, ut non ij modo qui in gymnicis certaminibus certarent ac uincerent, corollas acciperent: ſed & præcones, quum cæteris coronas impoſuiſſent uictoribus, eorumq; nomina magna uoce pronuntiaſſent, quum & ipſi ante ludorum miſſionẽ corollis itidem donari ſolerent, alium adhibebant præconem, ne ſua uoce ſe ipſi uictores pronuntiarent. Quin & ſcena quoq; honoris eius exſortem ſe non diutius eſt paſſa: quando & qui maximè placuiſſent, actores coronis afficiebantur. Id quod ſignificat etiam feſtiuiſſimus Comicorum Latinorum Plautus illis uerſibus ex Amphitryone:

Siue ambiſſent qui palmam hiſtrionibus,
Siue quoiquam artifici, ſeu per ſcriptas literas.
Verum quo nam hæc tam multa tamq; conquiſita curioſe ſuper corollis dandis? Nempe, ut

pe, ut Plutarchi locum reſtitueremus ciuitate Romana, uel iure Latij incurioſius donatum: qui ne deinceps peregrinitatis queat poſtulari, ipſum prius Græcè, mox me interprete Latinè ſonantem audiamus. ἠξίουν δὲ τὴν ἀρετα φίλαν συναρχεῖν καὶ συνδιοικεῖν τοῖς ἀρίστοις ἀνδράσιν τὴν πολιτείαν. ἡ δ' ὡς ποικίλον τι δρᾶμα, καὶ πολυμυθὲς ἀγωνισαμένη μέχρι σεφάνου δοκιμάσεως, ὡς ἐπεισε τὴν πόλιν ἐλευθέραν, εὐθὺς εἰς τὸν γυναικωνίτιν ἐνεδύσατο, καὶ τὸ πολυπραγμονεῖν ὅποιῶν παραβαλομένη, τὸν λοιπὸν χρόνον ἐν ἴσοις ἡσυχίαν ἄγουσα μετὰ τῶν φίλων καὶ οἰκείων διετέλεσεν. Exigebant (inquit) ciues ab Aretaphila, ut unà cum optimatibus rempublicam capeſſeret imperaretq; ea uero, ut quæ uariũ ac multiplex drama uſq; ad corollas ſe decertaſſe opinaretur, poſtea quàm liberam animaduertit ciuitatem, confeſtim in gynæceum ſe coniecit, ac ne curis in reliquum agitaretur, ad telam ſe cum familiaribus agens dedit. Hactenus Plutarchus. Ad hæc uero quàm aſpirauerit interpres, uolentium fuerit iudicium, mihi certè minus arriſit, propterea q; aleam non reformidauimus ſubſignando ſtatim auctoris uerba. Quæ acris iudicij lector expendens ſine ampliatione alterutrum damnet inſcitiæ. Nos certè quod ſcitu non cenſemus indignum, inde eruditum perelegans q; elicimus adagium, Ad corollas decertare: quo recte utemur, ubi quis in primo haudquaquam deficiens puluere, nec ueluti cantherius in foſſa, patienter integrum rei cuiuſpiam laborem ſubit, nec deſinit prius, quàm umbilico ſummam addiderit manum. Sicuti hiſtrionibus dramate iam abſoluto, datur poſtremo corona. Sed & metaphora honeſtiſſima idem Plutarchus in Parallelis: Demetrij uita iam abſoluta, decertato (inquit) Macedonico dramate, nunc commodum eſt Romanum inducere. Dicti autem ratio eſt, quia tragœdiæ imaginem quandam exhibuit Demetrij & M. Antonij rerum geſtarum ſeries. In hac autem coronarum mentione non prætereamus uanitatis priſcæ experimentum euidens. Auctor in Parallelis, ſed & in Sympoſiacis Plutarchus, ingruente periculi magna ui, ſolitum dici, Apio eſſe opus: quòd monumenta defunctorum ita cõſueſſent ornari. At ſcribit Diodorus: Timoleonta pro Syracuſanis in Carthaginienſes depugnaturum, quum fortè apij uis magna extruendis toris ſubuectaretur, uictoriæ omen inde concepiſſe, quoniam Iſthmiaca corona contexi apio cõſueſſet: proinde milites ſic iuſſiſſe omnes coronari, mox q; inſigniter hoſtium copias concidiſſe. Lego apud eruditos illud quoque: Ab Iano bifronte coronas excogitatas primum. In Græcia tamen earum auctorem primum fuiſſe Stephanum: quo argumento etiam Græcorum lingua, rei ſit conciliatum nomen. Nam in noſtris literis dici ab choro coronas rentur, quoniam & choronos Apion grammaticus à choro dictos putauit.

Quibus uitijs infeſtentur oculi, ex medicæ ſcientiæ hortulis floridioribus. Ptila. Ptili. Pennarum diſtinctio. Inſitionum genera. Tranquilli locus. Oculis tumentibus ſpectare, quid. Caput xx

OVum paulò antè curioſius medica uolumina inſpectarem, indeq; mihi ſeligerem, quæ haſce lectiones adiutum irent, inter alia ſanè haud parum multa, ingeſſerunt ſe de oculorũ concinnata uitijs, quæ protinus deflorata huic adglutinauimus loco: ut ſi quem ad legendũ prolectarint noſtri libelli, ne parte quidẽ hac abeat omnino inanis. Igitur ita habet, Oculũ utiq; uniuerſum hiſce diuexari affectionibus, quarum Græcè nomina ſint hæc: Taraxis, ophthalmia, epiphora, φλεγμονὴ id eſt inflammatio, οἴδημα, tumor, ἐμφύσημα, inflatio, ſcirrhoſis, chemoſis, id eſt χήμωσις, anthrax, ſtrabiſmus, ſpaſmus, palmus, myopiaſis, gangræna, ulcus, σηπεδὼν, ſiue putredo, σύριγξ, id eſt fiſtula, xerophthalmia, πρόπτωσις, id eſt procidentia, atrophia. Tunicularum uero intelliguntur affectiones hæ, ῥῆξις, διαβρωσις, διάτασις anaſtomoſis, παχύτης, id eſt craſſitudo, denſitas, ῥύσωσις, rugatio, ecſtaſis, raritas, ſiue ἀραιότης. At intra palpebras inoriuntur ferè hæc: Trachytes, id eſt aſperitas, pachytes, ſycoſis, ſiue σύκωσις, ſarcoſis, pyriaſis. Extra palpebras iſta: Hydatides, lithiaſis, phthiriaſis, meliceris, gangræna, phymata, φλυκτίδια. In ſtephane uero, id eſt corona: Crithe, poſthia, trichiaſis, diſtichia, triſtichia, pyroſis, ptiloſis, id eſt πτίλωσις, (de qua paulò mox, uti eſt Therapeutices quartodecimo: unde & affectos ita, ptilos uocant, ubi genarum excidunt pili. Quanquam uela, item ptila dici comperias, παρὰ τὸ πίλειν. Sunt & molliores plumæ, ptila: ex quo & deplume appellant aptilon. Vtiq; inter pennas aliæ nuncu-

nuncupantur ptila, aliæ uero ocyptera.) pſoriaſis, madarotes, paralyſis. Illa uero ad totas pertinent palpebras: Paralyſis, proptoſis, ectrope. At in canthis, hæ ſeſe affectiones promunt: Encanthides, ancyle, pterygium, rhyas, proſphyſis: exterius autem ægilops, anchilon. In alboris ambitu fit pſydracium, ulcus, hypoſphagma, apoſtaſis, χήμωσις, κοίλωμα, pterygium, phacoſis, icteros, πῶρος. Irin infeſtat argemon, nephelium, achlys, epicauma, ulcus, bothrion, phlyctis, myocephalum, ſtaphyloma, hypopyon, leucoma, κοίλωμα, proptoma, onyx, pyoſis, heloſis. Concipitur porrò in pupilla hypochyſis, glaucoſis, id eſt γλάυκωσις, mydriaſis, pthyſis, ſynchyſis, platycoriaſis, amauroſis, rhytidoſis, nyctalops, hemeralops, myopieſis, diapyeſis. Cæterum & in poris contingit ἀποῤῥηξις, paremptoſis, ſymptoſis, ulceratio, id eſt ἕλκωσις. Sciendum autem, epiphoram in oculo dici quidem propriè, ubi ſe oſtentat inflammatio, & fluctionis multitudo, inoriturq; tumor, ac difficilis eſt oculi motus: quandoq; & ſuper nigrum conſurgit, quod albens eſt. Communius tamen etiam in corporis parte reliqua dicitur epiphora, φλεγμονῆς σφοδρᾶς ὑπερφρομένης, καὶ ῥεύματων λάυρων ὑπορρεόντων. Vt uero protinus quæpiam explicemus eorum quæ tranſeunter prolibauimus, xerophthalmiã intelligunt, quando canthi ulceroſi aſperioresq; ſunt, ac pruriunt rubentq; palpebræ, demanat falſior lachryma aut nitroſior. Proptoſim dicunt, ſiue procidentiam, ubi oculus motus procidat cum inflammatione. Sycoſis eſt, ubi intra palpebras ſuccreſcit quippiam carunculæ imagine, ac protuberans, conſequitur & oculi totius difficilior motus. Mydeſis uocabulum omnibus congruit putrefactione enectis corporibus. Euenit ipſum hoc & palpebris, tumentibus quidem, ſed & manantibus aſſidue. Crithen etiam Poſthiam dicunt, ubi hordeo ſimile quiddam ſuppuratũ innaſcitur palpebrarum coronis. Sed & in mediis item palpebris conſurgit crithe, uerum grandior. Lithiaſis eſt, quum in palpebris gignuntur albicantia quædam, & aſpera lapidis modo, oculumq; perpungentia. διτειχιῶν dicitur oculus, quando ſub naturalibus pilis prorumpentes alij oculum pungunt, ac fluctionem proliciunt. Quòd ſi ſubnaſcantur quidem hi, defluant autem illi, aut fracti infeſtent, uocatur πτίλωσις. Phalangoſin, hoc eſt φαλαγγωσιν nuncupant, ſi ſubnaſcentium fiat διπλοχία, uel τειπλοχία, ſiue in ſuperiore palpebra, ſiue inferiore. Encanthida uocant, ubi ex ulcere ad nares caro protuberet: id quod patiuntur præcipuè οἱ θαλασσεργοὶ, id eſt in mari laborantes. At ſi lachrymas continere canthus nequeat, tunc rhyada uocant. χήμωσις intelligitur, quum inflammatione uehementiore ita afficiuntur palpebræ, ut oculum obtegere totum minus ualeant. Propriè tamen chemoſis eſt, ubi ab utroq; iridis latere albior accendatur, atq; inibi ſinuetur ad imaginem chamæ. Sunt uero eo nomine oſtrea. Sed & oſcitationem hiatumq; indicat χήμη. Nephelion ulcus, eſt ὠὸν πόλαιον, argemo maius paulò, albicansq;. Myocephalon dicitur, ubi ex ulcere tunica prima iam eroſa iridis loco, ſequens procidat tunicula, ut muſcæ caput præferre uideatur. Hypopyon uocant iridis ſuppurationem: unde hypopyos nuncupari oculos, in medicinæ libris obſeruatum. Mydriaſis eſt, quum pupilla præter naturam latitudinem accipit maiorem, colore nil prorſum demutato, uiſu autem hebetato. Paremptoſin intelligunt, ubi ἡ ἐπὶ ἀναῤῥώμωσιν, id eſt per uaſis apertionem profluat humor in meatum, à cerebri productum baſi, ut ſit uiſiuæ uirtutis uectabulum: ſymptoſis uero contingit meatu eodem arctato, ac concidente ex reſolutione, aut atrophia, eſtq; πάθος ἀνοίκτων. Inter oculorum medicamina ſunt quæ uocantur κολλύρια διαῤῥυνα, quoniam ferè myrrha conſtent. Illud poſtremo ex abundanti adieciſſe, nil puto obfuerit: inoculationẽ Græcis dici ὀφθαλμῶσμόν, ſicut alia propriè uocatur encentriſmus, ac rurſum alia ἐμφυλλισμός, quum inter lignum & corticem γύθεμα inſeritur. ἐμφυλλίζειν autem eſt id agere. ὀφθαλμιᾶν Græcis non oculis modo laborare eſt, uerum & amanter puellam inſpectare: neq; enim ſtatum ſuum ſeruant tunc oculi, ſed ſunt perinde ac amore ægri. Ad quod, ut alibi fuſius enarrabitur, forſan reſpexit in Tiberio Tranquillus, eum tumentibus oculis Agrippinam ex occurſu inſpectaſſe prodens.

Lodouici

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros ad clariſſimum philoſophum & medicum Hieronymum Florentiolam Bononiæ profitentem Præfatio ſeptima.



Ingularis tua me uirtus, & ingenium exactiſſimum, mox & morum probitas, in pauciſsimis alioqui animaduerſa, tibi ita deuinxit, quum ad me uiſeres ægrotum, & quod medici cenſetur proprium, non cito ſolum me in integrum reſtituiſſes, ſed iucunde quoq; cum ſecuritatis propoſito: ut nil mihi ad hunc diem fuerit antiquius, nil uotis expetitum magis, quàm ut quoquo modo meritis, officijsq; tuis, & ſi non paria, quippiam ſaltem rependere ualerem: ne omnino ab tam excellentis doctrinæ uiro ſentirer ingratus: quod huic generi omnia ineſſe uitia uiderer audiſſe. Nulla uero, ut nunc eſt, opportunitas ſeſe ingerit maior, aut aptior, quàm ut animi mei ſenſum uniuerſo retegam terrarum orbi, tui nominis amplitudini unum hunc laboris noſtri, ut ſic dicã, curriculum conſecrando. Sic enim fiet teſtatius tibi propoſitum meum: quo non uſq; ad aras modo, ſed uel ultra tuis me, dum hominem agam, emolumentis uideor, & dignitati, ac gloriæ accommodaturus. Et bonarum literarum candidatis omnibus hac palam ratione eſt futurum, in te non præcellere modo ingenium excuſſum præcipue in reſerandis explicandisq;, dum in celeberrimo, ac eminẽtiſſimo terrarum Bononienſi gymnaſio profiteris, quæſtionum inuolucris, uſq; ad tenebras uel cimmerias ſæpe impeditis: diſcutiendoq; ex philoſophis, medicisq; auctoribus nubilo, nũquam non fere caliginoſo, uerum eminentiſſimæ item ſapientiæ morum eximiam coaptari, connectiq; claritatem. Adulari neſcio: nec, ſi maxime ſciã, uelim. Sua ſit deprauatis ingenijs, & in malum obduratis coniectatio: animi tui ſpectrum effulſit mihi nitidiſſimum, ac conformatum ex preſſius longe, quàm ut ambiguitati reliquus fiat locus omnino, quum me pretium officioſiſſimi laboris offerẽtem reieciſti, teſtatus homini literato gratuitam, benignamq; præſtitiſſe operam: ſiq; uſu ueniat, præſtiturum etiamnum: proinde ne uererer, ſi quid obtigiſſet, accerſere. Quantum, rogo te uir præcellens, oneris mihi hac tua iniectum benignitate arbitrare? Equidem nunquã preſſum me grauius ſenſi. Nec id pecuniæ, quod foret ſordidiſſimum, nomine uno. Inexpectata bonitas, & incomparabilis humanitas tanti uiri ſic me tranſuerſum rapuit, demulctum, peruinctumq;, ut hac una tua uirtute ingratus uidear moriturus. Nec præſenti nuncupatione ulla in parte forſan paria fiunt, quando tuarum potius magnitudine uirtutum libellis meis uideo non parum autoritatis acceſſurum: quippe ideo pretioſa uidentur multa, quoniã ſunt templis dicata. Quid ergo ſit reliqui? Nempe ipſum id literarum nomen, quæ tibi inſularum loco ſunt, ut nullo præterea, quod Greci dicunt, ſchematiſmo eſſe opus uideatur, imbecillitatis meæ uicem ſubeuntes, quod poſſunt, id tibi demum rependant cumulatiſſime. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI ET SEPTIMVS.

Poetices laus. Poetarum apologia aduerſus Eratoſthenem. Fabularum ratio. Cur etiam theologia uetus fabulas admiſerit. Virgilianæ Aeneidos ſenſus allegoricus explicatur, ratione ab alijs diuerſa. Duos eſſe in nobis motus. Virtutũ diſtributio. Cur Ariſtarchus dictus ſit mantis, id eſt uates. Oratori poetam eſſe finitimum. Poeſin eſſe inſaniam quandam. Furoris ſpecies.

Caput primum.



POETICAM facultatem, non me fallit à pleriſque acrius conuelli. Nam ſecundo Legum, Athenienſis ille hoſpes apud Platonem multa perturbate, ac ſine ratione commiſcere dicit, ac riſum mouere, Ob idq́ Orpheus item ſignificat, poetas in primis delectamenti gratiam uenari. At qui ueteres diligentius euoluerit, omnino diuerſa recognoſcet, ac ſentiet. Certe doctiſſimum quenq́ ſic de poetica prodidiſſe animaduerto, ueluti ſit ea prima quædam philoſophia, quæ nobis ab incunabulis quodammodo uitę rationem commonſtret, quid agendum, quid'ue declinandum muſica iocunditate præſcribat: adeo ut nonnulli poſtea dicere minus addubitarint, poetam ſolum eſſe ſapientem, Quo nomine Græcorum nobiliſsimi ab ineunte ætate ſic inſtituebantur, non quia uoluptatem toto impetu captarent, ſed ut optimis ſtatim imbuerentur: quoniam eſſe ſemorum magiſtros muſici profiteantur. Idq́ cum Pythagoricis comprobat Ariſtoxenus. Sed & Horatius:

Os tenerum pueri, balbumq́ poeta figurat,
Torquet ab obſcœnis iam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis.

Aſperitatis & inuidiæ corrector, & iræ: & quæ ſequuntur. Nónne & Homerus literarum parens, ac tropæophoros, anteſignanusq́, cantores σωφρονισὰς, id eſt caſtigatores quoſdam putat in Clytemneſtræ cuſtodia? ut qui philoſophi ſint, ac ex Muſis omnia ſciant. Id quod pluribus comprobat Athenæus quoq́: quin & ſapientiæ magnitudine etiam uaticini cenſebantur. Certe in Græcorum doctrina ἀείδειν, id eſt cantare, inflecti uidetur ab α, particula intendendi uim poſſidente, ac εἰδέναι, id eſt cognoſcere, ueluti omnium planè ſcientiam ſibi uendicarent poetæ. Quod non inficiabuntur τῶν ἀβιβήλων ὑπὸ προφάντειῶν ἡγνισμένοι, ut Pontici Heraclíti utar uerbis: nec ſimplices adeo, ut Enniani poſſint cicures uideri. Diuinationis argumentum erat in Rhapſodorum manu laurea Apollinis uirga, dum cantarent. Significat & Pindarus quum ait, μαντεύεο μᾶσα. Ennius uerò etiam ſanctos appellauit poetas, quòd quaſi deorum aliquo dono atq́ munere cõmendati nobis eſſe uideantur. proinde minus mirum, ſi non alium eſſe poetam, quàm uirum bonum, ſtatuunt prudentiores. Adeo uerò multiplex poetarum eruditio eſt, adeo neceſſaria, ſummis coniuncta emolumentis, ut nec deſint qui ſolutam orationem poetices uideri imitationem, argumentis aſtruere nitantur: ceu poetæ prodierint primum, mox qui metrum ſoluerint, Cadmus, Pherecydes, Hecatęus. quod prima in Homerum commentatione ſcribit Euſtathius. Et quia genus id orationis magnitudinem habet ac ſublimitatem, eſtq́ ἔποχον, id eſt equo uehitur: inde quæ talis non eſt oratio, ex humilitate pedeſtris dicitur, ut quæ ex alto in ſolum ſit delapſa paulatim. Ita ut rhetoricæ eloquutionis, & artis dicendi fons, ſit ipſa poetica, uerum florulentior, ac (ut ſic dicam) picturatior. Sed & ille ipſe Plato tertio Legum, poetarum genus eſſe diuinum ſcribit, & dijs agi. Quo tamen loco Platonici peritiores poetis à philoſopho ſtimulos additos interpretantur ad diuina concinenda. Illud conſtat utique, Sophrona Mimorum poetam tanti à Platone æſtimatum, ut moriens libros eius capiti ſubiectos narretur habuiſſe. Iam illud quale eſt, quod apud eminentiſſimũ quenq́ poetarum ſub-

inde

inde legimus, in regum principumq; sympoſiis deorum, heroum, & omnino uirorum excellentium, qui lucem nobis ſuis uirtutibus peperere, laudes ſuauiter concini? Nonne præſignis eſt & efficax maxime ad bonam frugem exhortatio? An Iopas ille Virgilianus, quum canit errantem lunam ſolisq; labores, altiores item ſcientias, phyſicenq; totam carminibus inſertam, non perdocet manifeſte? Proindeq; non eſſe poeticen, uti ſomniauit Epicurus, ὥσπερ ὀλέθριον μύθων ἄλλεσθαι. Quod ſi fabularum inuolucris res profundæ conuelantur, obteganturq;, & fere ſanctariis ſecretioribus reconduntur, id ſcire conuenit, eſſe poetices germanum, & ueteribus quoq; illum inroboraſſe pridem confingendi morem: quem Plato adeo comprobauit, ut qui allegorice Platonem non putarit interpretandum, nunquam ſit futurus Platonicus. Quo fit, ut riſu ſonantiore ineptiſſima Eratoſthenis ſententia ſit excipienda, quem non puduit, Poeticen, γραώδη μυθολογίαν, id eſt anile quoddam fabulamentum definire. Neq; enim Ephecticos hic philoſophos imitabor, ut cunctanter quod ſentio proferam, aut quo iure, quaq; iniuria oberrantes toto (quod aiunt) cælo, tuear, Nam & Ponticus Heraclitus, ſi abſit allegoria, Homerum plane uiſum iri Salmonea ſcribit, ac Tantalum ἀκόλαστον γλῶσσαν ἔχοντα, ἀχρίσυμ νόσυ. Dignus uero Eratoſthenes, cuius amplexemur doctrinam, cuiq; tanto nomine aſſurgamus, qui ne illud quidem perſpicere quiuit, non poetas modo, ſed & clariſsimas ciuitatum quandoq; fabulis uſas: necnon legum latores multi imperitiorem multitudinem hac ratione ad bonum elicuiſſe deprehenduntur. Iis uero in primis tenerior ætas formanda delineandaq; (ut ſic dicam) uidetur: quoniam animal hoc prouidum & ſagax, rationis compos, quem uocamus hominem, intimo quodam impetu ſcire deſiderat, eſtq; cognitionis auidum, cuius fomentum primum fabula eſt, eo in primis argumento, quod indicta inſcitaq; alias profert. Sumus autem, ad id nos prouehente naturali quadam ui, nouitatis omnes perauidi, quod prædulcis hæc ſentiatur, & iucunda, nec admiratione careat. Quæ res quàm præpotenter ad diſcendum animos rerum imperitos prolectet, & ueluti heraclius quidam lapis perducat, neminem fere puto quem lateat. Hinc Africano eximie charum fuiſſe Ennium ſcimus, adeo ut marmoratas laudes ſibi cum poeta, cõmunes facile demum pateretur: Sylla etiam malum poetam præmio dignum putauit, quamuis ex præſcripto, ne quid poſtea ſcriberet. Quid quod cum AEtolis qui bellauit Fuluius Martis manubias Muſis dicaſſe, honeſtiſsimum ſibi eſt arbitratus? Adeo inanis eſt Epicureorum aſſultans uelitatio ſtatuentium, Eſſe in poetis ſolidæ utilitatis nihil, ac puerilem modo ſentiri oblectationem. Sed & apud ueteres Romanos paulo impoliti ores agreſtioresq;, dum bellica modo ſapiunt ſpirantq;, nullius prorſum dignationis fuiſſe poeticã, author eſt M. Cato in libro cui titulus Carmen de moribus: Nam, inquit, ſi quis in ea re ſtudebat, aut ad conuiuia ſeſe applicabat, graſſator uocabatur. Quærat hic curioſior aliquis, qua potiſsimum ratione, quæ de diis & de anima traderentur à prioribus & poetis præcipue myſteria, non fere uelamentis careant: ob idq; ita recondita, ut ad eorum ſcientiam paucorum poſsit peruenire curioſitas: tanquam in Heraclitι antro plane obſepta deliteſcant, ne quis, quod dicitur παρὰ πόδας, arbitretur poetica eſſe omnia, quæ nonnunquam ex aſſe incognita iacent. Nimirum eſt hæc naturæ maieſtas, cui nuda apertaq; nimis arcanorum detectio inimicatur. Quæ ſicuti inſcitæ multitudini intellectum ſui mirabiliter ſubduxit, operimenta rerum multarum obiiciendo: conſimiliter à ſcientiſsimis, quæ in eius potentia reconduntur, inuolucris figurarum promi in literas concupiuit: quibus arcanorum altitudo poſſet ab uilitate defendi, pauciſsimis modo, interprete ſapientia, ſubtilitatis immenſæ participibus. Deniq; Numenium philoſophum, memoriæ proditum eſt, offenſius numen ſenſiſſe, quod ſua interpretatione ſacra Eleuſina in uulgus dediſſet. Sed de re aperta nimis multa. Quod ſi ſpaciari libeat parte hac, facillimum fuerit oſtendiſſe, ſemina ſcientiarum fere omnium, & diſſidentia inter ſe pugnantiaq; philoſophorum dogmata poeticis numeris comprehenſa. Inoleuit tamen perniciosa ingeniis ſententia, ut prætexui, nil ſcitius doctiusq; extra fabulas & Hiberas neſcio quas nænias, à poetis tractari. Id uero ſciolorum culpa inſcitiaq; contingere animaduerto, qui illotis pedibus, Minerua pinguiore, animo ſtupido, & tantarum rerum ſplendore, noctuæ modo caligante, nobile opus ſuis nugamentis contaminant in triuiis. Nam quotus quiſq; eſt, qui Virgilianæ

Aeneidos ſecretiorẽ ſcopum intelligat? Satis interim ſuperq; eſt male feriatis iſtis, peſſimeq; iſto nomine de re Latina meritis, ut eſt illorum os, ſi pueris ſuis effutiant, Intentio Virgilij hæc eſt, Homerum imitari, Auguſtum laudare à parentibus. O inauſpicata ingenia, & ſupellectilem multo inauſpicatiorem. Nil malim ſcire, quàm in hunc uſum didiciſſe, ut tum ijs nugis uitæ tempus impendam, quæ triuialibus tamen trabali fixæ clauo creduntur, Sed quod dictum eſt olim, Similem habent labra lactucam: aſello carduos comedente: ac ut Hieronymi utar uerbis, Dignum patellæ operculum accedit: tum quod grauius multo eſt, reliquos ad meliora fortaſſis natos in eandem perducam tendiculam. Ego uero, ſi id nunc agam maximè, meusq; (ut aiunt) hic ſit ſtilus, tota facilitate probarim, doctis præcipuè, atq; aurem mordaci lotis aceto, Maroni ſcientiſſimo, & Platonicis myſterijs non leuiter imbuto, non aliud fuiſſe propoſitum, quàm Philoſophi definitionem ſuis uoluminibus facundiſſime, ac aliud agendo explicare. Quando hunc Plato non ferè alium, quàm Dei amatorem intelligit. Eius uerò in libro De philoſophia, eſſe officium ſcribit, diuina optimè, ac quantum ratio patitur, nouiſſe: mox uerò humana etiam non deſtituere, uerum interim diſponere, ac ad prudentiæ examen reuocare. Pars prior theoreticen habet: ſequens uerò practicen. In primis igitur ſapiens diuinam boni naturam, duce ſapientia, contemplationi ſubijcit: mox ad id bonum, uelut ad finem, humanos actus dirigens, hæc gubernat inferiora. Cæterum ipſa hæc diſpenſatio duobus indiget præcipue: alterum eſt, ut nouerimus, qualis nam ſit hæc humanior natura, quaq; ratione ad bonum queat perduci, & ab malo reuelli: alterum, ut noſtræ ſic contemperentur affectiones, ut ad bonum facile omnia prodeant. Quod morali uirtute conflatur clariſſime, quam uniuerſam uno luſtitiæ nomine intelligit Plato. Etenim duos comperies in nobis motus: primos intellige, externo impulſu quopiam coorientes, antequam rationalis anima ad rationis reuocet examen, uel per imaginationem aduertat, petendum ſit, an reclinandum: ſecundos autem accipe, ubi aſſenſum præſtat anima. Quæ igitur hoſce comprimit uirtus ad ſenſum procliues, politica eſt, ac dicitur. Quæ uerò non amputat modo, ſed conuellit radicitus, purgatoria nũcupatur. Demum quæ non hos perdomat ſolum, ſed & primos quoq;, quantum humana patitur ratio, aut tollit, aut contemperat, Animi iam purgati, uirtus appellatur. Ciuilem uirtutem Plotinus moderationem uocat, et menſuram. Quin & diſpoſitionem potius ad uirtutẽ, quàm omnino uirtutem. Cogita ergo, primis quinque libris non ferè aliud agi, quàm quo pacto ſapiens ab humanis interim ſequeſtratus animum politicis ac purgatorijs emaculet uirtutibus. Hoc ipſum ſignificat atrox in primo tempeſtas, Didonis conuiuium, in quo rationalis anima obbruteſcens corporeis fomitibus & uitiorum incentiuis rationis luminibus ſeſe ingerentibus, illa penè reſtincta ſui obliuiſcitur, & ad corporea reuoluitur tota. Aeſtuationes hæ ſunt animi ad procinctum tendentis, & ad originem properantis. Quod illa uerba abunde ſignificant:

Per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt. Ego Latij nomine, ſtatum purgati animi intelligo, qui defecatus & à mundana aſpergine preſſe pureq; deterſus eſt. Cuius illa ſunt munera præcelſa, ut docuit grauis auctor Plotinus, Sola noſſe diuina, cupiditatum obliuiſci penitus, perturbationes ignorare, Vt ſi fractus illabatur orbis,
Impauidum feriant ruinæ.

Poſtremò, cum mente diuina ita connecti, ut nulla fiat inde conuulſio. Sextus uerò liber tanquam Virgilianæ doctrinæ theſaurus longe clariſſimus, mortalis naturæ continet rationem, & ſub poetico figmento animi origo declaratur, & qualitas: nec ſine argumento: nam & Plato, dum per ueſtigia ſingula deum inquirit, in animi ſpeciem ſubin de diuertit, Quod in eo, tanquam ſpeculo, diuini uultus imago colluceſcat. Qui ergo deum noſſe cupit, ſeipſum antea nouerit, neceſſe eſt. Liber ergo is Aeneæ ad inferos deſcendentis ſpecie, animam contemplatur in mundi partem hanc, quam inferos & Ditis concaua Platonici putant, delabentem. Cui ſuffragantur carmina illa:

Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbras,
Perq; domos Ditis uacuas, & inania regna,

Veterum

Veterum quippe obſcurior theologia ſpeluncæ nomine mundum intelligi dedit, quod nos ſupra indicauimus, & ſignificat in antri Ithacenſis deſcriptione poetarum maximus: quippe humecta in antris natura, & ut Homerus inquit, ἠεροειδὴς, id eſt obſcura, eorum quæ mundo inſunt hyles ratione typum habet, ac ſymbolum. Nam & inuiſibilium poteſtatum antra indicium habere coniectant, quia ut hæc tenebroſa, ſic & ἀφανὲς ἧῳ δυνάμεως τὸ ἀσώδες. Animas ſpeluncam ſubire approbant Perſarum ſacra, ut Pythagoreos taceam. Antrum hoc λίθυρον Homerus dicit, id eſt bifore: ſic ut ianuarum altera Borealia reſpectet, Auſtrum altera. Per illam ſit animarum ingreſſus, per hanc aſcenſus: propter duas ſolis portas cancri & capricorni, de quibus alibi nos affatim. Reliqui porro libri philoſophicũ implent officium, quantum ad politicas pertinet uirtutes, quia ſociale animal homo eſt. Tumultuatur tamen etiamnum AEneas, quoniam à purgatorijs uirtutibus ad eas, quæ animi iam purgati dicuntur, commigratio ſtrueba tur. Humana uero deſideria, quæ militant aduerſus animam, extrudere uirum hinc conabantur. Hoc enim ſignificant orientia bella. Mox uero iam in Latio confirmatus animus Turnum perimit. Conticeſcere tumultus cogit, humana negligit, totus in deum ſeſe transformat, quod approbat Mercurius. Sed & Plotinus, Anima (inquit) iam purgata ſpecies, ratioq; euadit, ac penitus incorporea intellectualisq;, ac tota diuina, unde fons effluit pulchritudinis, cognataq; omnia talia. Et alibi Plotinus idem, Anima per uirtutem adeo particeps fit dei, ut fallat, deus apparens, ſuſpicionemq; inducens, ac tum dei hoc ſit. Propterea nil aliud uates diuinus cenſuit addendum, quia coronis perfectiſsima propoſito clariſſimo iam erat feliciter impacta. Hoc qui nõ uident, imperfectum uideri opus, ſubinde inſulſe pronuntiant. Troiæ autem nomine non infantiam intelligo, quod ſuſpicantur nonnulli, ſed regionem mundi inferiorẽ, propter illud Platonicũ ex Theæteto: Fieri non poteſt, inquit, uti mala extrudantur penitus. Nam eſſe aliquid bono obiectum ſemper, neceſſum omnino eſt. Illis uero apud deum haud eſſe poteſt locus. Quo nomine mortalem obuallant, conſtipantq; naturam. Proinde adniten dum, uti hinc illuc primo quoq; tempore confugiamus. Fuga uero eſt, ut pro uirili deo euadamus perſimiles. Hoc autem præſtiterit affatim prudentia primum, mox iuſtitia, ſanctitas denique. Ipſa quin hæc interpretatur, ut ſolet, Plotinus: Corporea, inquit, hæc imagines ſunt, ueſtigiaq;, & umbræ. Propterea ad illud confugiendum, cuius eſſe hæc noſcitantur ſimulacra. Nam ſi quis noſtra hæc, perinde ac uera, pergat capeſſere: quæ prorſum uelut imagines in aqua, uiſitationem faciũt, idem patietur plane, quod eſt ab mythicis proditum, illi obueniſſe: qui umbram captans, dum ſeſe in aquas merſat, male perijſſe traditur. Quam ob rem inclamare altius licet: Agite, abeamus hinc amici, in patriam confugientes dulcem. Cæterum inſuſurret forſan aliquis, Quæ nam ó Plotine fugiendi ratio? aut qua potiſſimũ uia Circes ueneficia, & Calypſus reclinabimus? An paranda claſſis? aut qua omnino fuga? Corporeo, inquit, uiſu clauſo, alter huius loco aſſumendus: quo præditi ſunt omnes quidem, utuntur tamen pauci. Eſt autem hic intimus animæ oculus, quem rationem dicimus cõtemplatricem. Cuius lumen intellectus eſt animæ proprius, ſicuti intellectus diuinus eſt luminis huius lumen. Bonum denique ipſum lux eſt, ac luminũ pater. Vnde in ſe conuerſa rationalis anima non euadit ſolum luminoſa, ſed plane lumen. Hinc præpotens Saluator, uigilandum monet, ne dormientes deprehendat nos Dominus. Quin perſpicue amplius: Surgite iam hinc, & abeamus. Expergiſci porro non fere aliud cenſendum, quàm agnoſcere, in ſenſibus ſe ſomniare. Hinc liberior exoritur coniectatio, non eſſe cuiuslibet, poeticam attentare doctrinam, quando & Ariſtarchum grammaticum Panætius philoſophus mantin uocabat, hoc eſt uatem, quod uelut uaticinans poeticos prorueret ſenſus: ut præteream eſſe oratori finitimum poetam, numeris tamen aſtrictiorem paulo, uerborum licẽtia liberiorem: at multis ornandi generibus, ut Cicero inquit, ſocium ac pene parem. Quanquam noſtrum id forte parum iuuerit argumẽtum, quod uelut aſtrologiæ ignarus Aratus, ut illi uiſum eſt, & Leontius non inficiatur, non exacte ueritati aſtruens reſpondere, Arato de Aſtris euigilata, quantum ex Hipparcho licet ac Ptolomæo perdiſcere. Aratus inquam, cultiſſimis uerſibus cęleſtia complectitur, & ſtellas: ſicuti ab agris remotior Colophonius Nicander ruſtica præcepta: ſic & orator de ijs eloquentiſſime pronuntiat, quæ ad tempus

cognorit. Totam porrò poesin esse insaniam quandam, Platonis produnt oracula, sed diuinam. Quanquam philosophos etiamnum quodammodo insanire, scribit in libro Problematum Aristoteles. Citra furorem non fieri magnum uirum, inter Democriti placita est. Furoris autem diuini nomine intelligit Plato animæ abstractionem à corpore, ac nisum quendam. Quo sanè deo plena ad superos trahitur, ac adnititur uehementius. Furoris species quatuor existimat, poeticũ, mysterialem, uaticum, amatorium affectum. Esse uerò à Musis poesin, à Dionysio mysterium, uaticinium ab Apolline, à Venere amorem. Poeticum furorem in Phædro esse sancit, quandam ab Musis occupationem, quæ lenem sortita animam & insuperabilem, excitat, & per cantilenas exagitat, aliamq; poesin ad humanum genus instruendum. Addit porrò, eum qui citra furorem Musarum poeticas adeat fores, esse inanem, ac eiusmodi poesin esse nullam: ueluti omnino tanti ea sit, uti sine dei propensiore radio possit haudquaquam comparari. Dei autem nomine Apollinem opinantur significari, Musarum uerò globorum mundi animas. Esse quippe Iouem dei, Apollinem animæ mundanæ mentem. Ab Ioue autem Apollinem & Musas, ab Apolline Musarum duci chorum: quoniam illa mens sicuti ab Ioue illustratur, ita & mundi animas globorumq; illustrat. Vaticas mentes extimulant Musæ, rapiuntq; inspirati uates suos afflant interpretes, ab ijs auditores excitantur. Constat nimirum, diuino instinctu ab interpretibus, quos & Rhapsodos nũcupant, alienam enarrari poesim.

Fingendi modum non esse unum. Velleris aurei allegoria. Chemia ars, quæ alchimia. In quo damnandos censuerit poetas Plato, Qui ne Homero quidem pepercerit. Poetarum laus exquisita. Refutatio negantium in Marone allegorias. Artem plerunq; placere, artificem minime. Cap. II

NVnc uerò posteaquam non parum multa dicta nobis sunt, quæ artis præclarissimę laudes habent, ipsa quidem re longè inferiores, pro uiribus tamen excogitatas ad uerum, descendendum illuc est, ut quia fingendi rationem ferè communem philosophis & poetis esse diximus, dispiciamus modo, sit'ne uni formis comminiscendi modus, an dissideant potius, longeq; abeant à poetico instituto sapientiæ studiosi. Vbi id quoque expendendum erit, ecquid Platonis calculo damnetur poesis: Vel, quod quidam prodere etiã est ausus, Homero ne pepercerit. Igitur quo fiat res tota illustrior, in classicis authoribus illud comperio primum, fingendi formam non esse unam, nec simplicem. Est enim ubi tota res fingitur, nilq; prorsum argumento inest ueri subsistentis. Est uerò ubi ueritas adest, sed figmentis conuestitur latetq;, quam uocant fabulosam narrationem, fabulam uerò minime: cuiusmodi sunt Hesiodica cærimoniarum sacra, et Orphei quoq;, quibus de dijs agitur, ac mystica Pythagoreorum explicantur. Cæterum ipsa hæc narratio fabulosa, uel honesto calle incedit, nec ulla turpitudine inficitur: sed res altas stola figmenti contegit, nugas omneis abdicat: Sicyonia nequaquam inducit, & id genus alia reijcit mollia, & decora parum. Quæ pars philosophicæ grauitati, ac sacrarum rerum magnitudini congruit sanè, quanquam & in eandem figmentorum rationem ueniunt leuiora quoq;, ueluti est Iasonis χρυσόμαλλου δέρας, id est uelleris aurei pellis. Quo nomine intelligi librum uoluere, ueterum more in pelle conscriptum, quo auri conficiendi scientia contineretur, arte quam χημείαν uocant: cuius libros quum diligenter conquisisset Diocletianus, exussit ὡς τὰ νεωτεριδήποτε ἀργυρίοις, πρὸς τὸ μηδέπω πλοῦτον ἐκείνοις ἐλπίδα τῆς τοιαύτης προσγίνεσθαι τέχνης. Artificium hoc genus, uerbo luxato alchimiam dicunt, uel archimiam, puto quasi ἀργύρου χημείαν. Sed ad poeticen redeo: Vel ita cõminiscendo fingendoq;, uera adumbrata refert, ut plurima insit fœditas, non absque maiestatis rerum sugillatione, quod suum esse uidetur poeticæ licentiæ, sed abdicatur ab sapientiæ sanctitate, idq; totum nescire mauult. Hoc autem eiusmodi habetur, si inter deos adulteria confingas, qualia sæpe poetarum celeberrimi suis inseruere uoluminibus. Item Cælio patri Saturnum pudenda abscidisse, quem mox eadem impietate regno exegerit Iupiter filius. Habent quidem hæc allegoricos sensus profundiores, fatemur. Sed pullatus circulus, in tanta præsertim enarrantium inscitia, eo quod audit, & se intelligere opinatur, afficitur, ac in errores labitur, aut ridet. Quam obrem animæ clarissimus expiator & medicus Plato, quamuis deorum filios poetas uo

cassel

caſſet libro ſecundo De republica, nihilominus in eodem poeticam deteſtatur impietatem, turpia de dijs fingentem. Sed recte fecero, ſi uerba Socratis appoſuero: Vincula, inquit, Iunoni à filio indita, proiectionemq; Vulcani à patre, quum is euerberatæ matri opitulaturus accurriſſet, aut deorum pugnas, quotcũq; Homerus ſcripſit, minime in ciuitatem recipere debemus, ſiue per allegoriam dicta hæc ſint, ſiue ſine allegoria. non enim adoleſcens internoſcere iſta poteſt. quæ uero ea ætate accipiuntur, inhærent altius, & difficillime poſt conuelluntur. quare danda opera eſt, ut hæ fabellæ quas primas audient, optime ad uirtutem inſtituantur. Rurſum quia concitatos affectus crebro imitatur poeta, in decimo De republica Socrates idem, eiuſmodi peſtem, iucundam quidem, ſed maxime uenenoſam perdit, ne ipſa nos perdat, quamobrem ne Homero quidem ſuo parcit: imo uero huic uel in primis derogat, ut principe poetarum deiecto, ne cæteros quidem putes ſtare. Quod ſi quis ambigit, adeat eum quem modo aduocauimus librum, ut iam ſciat, maximo riſu explodenda quæ prodidit neſcio quis, poetarum propugnatione ſuſcepta, aſtruens haudquaquam Homerum à Platonica ciuitate reijci. Confirmatur uero quod tradimus non modo Dionis Chryſoſtomi authoritate, ſed & Maximi Tyrij ſermone, hac ipſa de re concinnato, ubi edocet, laude uideri dignum Platonem: ſed ita, ne ſua careat tamen admiratione Poeta nobilis. Nam ſi cui minime ſit opus medico, non inde porro colligas, ridendum uideri Hippocratem. Sed in ijs illud impenſe animaduertendum, nec damnari prorſum à Platone poetas: ſiquidem quantum ubi perturbant, aut turpia fingunt, reijciendos putat, tantundem amplexatur, exoſculaturq;, ſi ad bonam frugem hortentur, laudibus heroum aut deorum hymnis eleganter facundeq; concelebratis. Sic enim eodem libro Socrates ait: Scito, inquit, hymnos in deos & in optimos uiros laudationes duntaxat ex poeſi in ciuitatem admittere oportere. Hinc in Lyſide adeo poetas admiratur, ut eos ſapientiæ patres nuncupet, ac duces. Et in Ione, uti attigimus, carminis excellentis poetam non arte fieri ſcribit, ſed afflatu diuiniore. Imo uero, inquit, Muſa diuino inſtinctu concitat poetas. Conciti poetæ alios furore corripiunt, ut fiat annulorum quodammodo mirus ordo, qualem creditur Magnes efficere. Addit & mox paulo, Nil eſſe aliud poetas, quàm deorum interpretes, dum afflantur furore. Quæ ratio facit, ut ineptiſsimi homines ſæpe ſtupendum effundant poema, imo uero etiam inſani: qualem fuiſſe Homerum legimus, aut Lucretium. Aut etiam rudes, quod in Heſiodo animaduertimus. Porro idem in Phædro ſcribit Plato, non hominum eſſe inuenta præclara poemata, ſed cæleſtia munera. Argumẽto illud eſt, quòd nemo, etiam ſi orbem illum doctrinarum obierit accuratiſſime, excellens euaſit poeta, ni cæleſtis ille uigor & concitatio acceſſerit feruentior: ut uera fiat illa aſſertio ex faſtorum ſexto,

Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Diuinitatem poeticã, quam & Democritus aſtruxit, id quoq; ampliſsime comprobarit. Poetas legitimos, quales credimus Orpheum, Homerũ, Virgilium, Pindarũ, ſuis libris innumerabilium prope artium, ſcientiarumq; ſemina inſperſiſſe, tanquam plane omnia ſcierint, etiam ſi in ſingulis artibus alioqui uix longa annorum ſerie ſinguli euadere celebres potuerunt. Adde, ne quid ſciens omiſerim, quod in Cratylo ſcrutatus Plato idem qui ſint uerorum nominum doctores, ſophiſtas irridens, poetas cenſet adeundos, nec quoslibet, etiam ex triuio, ſed diuinos. Ceu ab dijs hi plane didicerint nomina rerum uera, apud quos ea demũ comperiantur. Nec illud quæſo neglexeris, quod prodit idem Philoſophus, Homeri poeſin allegoricam eſſe, etiam ſicubi ab hiſtoria unguem latum recedere non uidetur, id quod in nominibus per allegoriam concinnatis ſignificatur euidentius. Hoc uero huic parti appinximus gratiſsime, ſiquidem inſigniter nobis arriſit, propter ceruicoſos neſcio quos, in literis parum Lynceos: qui, ſicuti audio, noſtram hanc in allegorico Maronis ſenſu curam, tanquam nimiam & inanem, explodendam arbitrantur: quum in Homero idem hoc tantus in doctrina uir conſtituerit. Sed ualeant Libitinæ infeſtiuiores. Nos exequemur reliqua propoſiti, ſi illud non contempſerimus, Natura ſic comparatum, ut operibus afficiamur quandoq;, artifices facile negligamus: uti in unguentis ac purpuris, quando ijs oblectamur plurimum, uiles tamen, ac

contemptibiles ducimus infectores unguentariosq̃. Nec ingenue imbutus quispiam Plutarchus inquit, Iouem intuitus Olympicũ, Phidias ut esset, expetiuit: aut Argiuam Iunonem, Polycletus. Non item Anacreon, uel Philemon, aut denique Archilochus, etiam si eorum poemata iucunditatis habeant plurimum: quare inquit, χρὴ διώκειν τὸ βέλτιστον, ἵνα μὴ θεωρῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τρέφηται τὸ θεωρῆν. Attamen apud Gallos tantæ habentur existimationis poetæ, ut inter consertas acies, ac uolantia tela, micãtesq̃ gladios irrumpẽtibus ijs, non amici modo, uerum & hostes à pugna confestim temperent.

Poetas quo pacto citra noxam legas. Interim quæ dicantur amethysta: & quid pædagogia. Pædagogiani pueri. Pædisca: pædiscium: pæderos. Item de polypo, deq̃ mãdragora scitu digna. Porro cuiusmodi sit poetica imitatio: necnon de crepidis Demonidæ claudi. Cap. III

SAtis superq̃, opinor, demonstratum ex ijs quæ diximus, in quibus poetica doctrina uideatur respuenda. Rursumq̃, in quibus admitti citra morum noxam possit tutissime. Et quia non sum nescius, iuuenes bonam ætatis partem sępe lectioni eiusmodi impendere, quod magna pars studiorum amœnitates quærimus: & inter philosophica, ea maxime expetimus, quæ minus philosophiam sapere uidentur: sicuti poeta Philoxenus dicere solebat, Ex carnibus eas esse iucundiores, quæ carnes non essent: & ex piscibus, qui non pisces: quia palatum illi, quàm cor longe esset sensilius, quemadmodum dictitare solitum Catonem accepimus: Operæpretium me facturum arbitratus sum, si iuniores, rerum non admodum peritos identidem summonuero, Non in conuiuijs modo decere nos seruare compositos, & id genus uoluptatibus alijs, sed impendio magis in audiendi legendiq̃ allectantibus delinimentis modestiam modumq̃ asseruare consentaneum fuerit. Quid enim ciuitatis portas summa cura occlusisse profuerit, uel etiam cataractas demisisse, si ipsi hostem admittere aliqua statuerimus? Itidem quid futurum tandem remur, si in reliquis eximiam adhibuerimus continentiam: aurium uero fores uoluptatum agmini perinde ac hostili manui patefecerimus? Vetus est non in itineribus modo, sed amplius in lectitandis, quæ priscis uiris sunt euigilata, ducatu nos, quem aptissime uocent Græci παιδαγωγίαν, indigere. Nam sunt obiter & pedagogiani pueri Ammiano Marcellino: In pędagogiani, inquit, pueri speciem purpureis opertus tegminibus. Apud Plutarchum in Pompeio, est pædagogium, pedagogorum ludus, & (ut sic dicam) harena. Sed de hoc mox paulo. Pædiscas uocant Græci ancillas, sed & prostitutas: hinc pædiscium, id est παιδισκεῖον, impudicarum locus. Pæderos, est unguenti genus, quo Demetrium uti consueuisse linendo faciem, Græci scribunt. Solent plerunq̃ discumbẽtes, dum largius sese inuitant, ne forte prouehãtur longius, ita ut nec pes, quod ille ait, nec manus satis officio fungantur, adhibere quædam ebrietatem prohibentia, quæ significantius consignantiusq̃ dicuntur ab eo quod præstant, amethysta. Eiusmodi quippiam excogitandum item nobis est, dum ingenium prolectat poeticum lenocinium. Habendumq̃ illud in animo semper, polypodum capitibus sicuti ille ait, unum ineſſe bonum, unumq̃ item malum: nam in cibis præsuauia sunt, uerũ somnos præstant turbulentos, occursantibus (sicuti aiunt) miris rerum imaginibus. Eodem modo de poetis asserendum est, Insunt pleraq̃ iucunda grataq̃, & quæ teneriorem animum alant plurimum. Cæterum nec pauciora sunt quæ obturbent, ac tumultu omnia impleãt, ac externent mẽtem, ni peritus assistat dux, præcauens ne quid impingamus. Eo quidem grauius, quod quo quis minus stupet, ac sapere plus uidetur, tanto irretitur facilius. Propterea Simonides quærenti, quid ita ex omnibus Thessalos non deciperet: Indoctiores (inquit) sunt, quàm ut falli à me possint. Et tragœdiam dixit Gorgias esse deceptionem, in qua non decepto sapientior sit deceptus. In canonicis porro Decretis relatum scio, non debere Christianum hominem poetarum lectitare figmenta, quia per oblectamenta fabularum nimis excitetur mens ad libidinum incentiua: non enim thura solum offerendo, dæmonibus immolatur, sed & eorum dicta libentius capiendo. Quam obrem intentissima cura ad procinctum tendentibus arbitror expendenda, quæ in hoc scriptorum ordine, uel fictionis impietate, uel affectionum, rationis lumen obscurantium, imitatione deprauata transuersum animum rapere ualeant, decurrendumq̃ ad philosophiæ non ignaros: qui anthipharmacũ propinent

pinent, explicatis per allegorias fabulamentorum uelaminibus, adhibitaq; præceptorum ſalubritate, quibus uoluptatum adlubentia quodam uelut ſufflamine reprimatur, atq; item deferueſcat perturbationum impetus, qui lectione tanquam exemplo propoſito, plerunque concitatior ingerit ſeſe rationi, & illa exculcata latius affectat dominari. Quo fit, ut ridendos cenſeam, qui à philoſopho uitandos putant poetas. Id præcipiendum fuerat potius, ut in poemate philoſopharemur. Nam ueluti mandragorã produnt rerum periti, uitibus adnatam trãſmittere in illas poteſtatem ſomnificam, ut uinum ex iſs bibentes facilius procliuiusq; in ſoporem collabantur, Nam & mandragoram potu hauſtam inſequitur caros, inquit Paulus, & cataphorica affectio prævalida: ſic & poeticis commentis permixta philoſophia tum lenem tum gratam amabilemq; efficit diſciplinam. Nam ſi his quæ abſurde finguntur, aſſenſum præſtiteris, tanquã ueris: ibi uero in præceps peſsimo pede nulla tardatus ſapientiæ ſuffrenatione prorſum fereris. Quod ſi memor fueris poeſin in mentiendo eſſe goetiam quandam, & machinamentum Lyncemagis uarium, nil graue patieris omnino, aut credes temere. Porro quum audis, poeticam eſſe artem imitatricem, & ſicuti picturam loquentem: nam picturam eſſe poeſin dicimus tacentem: id nunquam dederis obliuioni, Rem non laudari, cuius fiat imitatio: ut ſi exprimatur graphice Medeæ facinus perimentis filios, aut Oreſtis paricidium, & id genus apud poetas non pauca. Verum artificium parere admirationẽ, quo expreſſio congruenter uidetur pertractata adumbrandis informandisq; rerum imaginibus. Nam & eodem fere modo lacertam aut ſimiam commode ad ueritatem pictam laudamus, non utiq; ex pulchritudine, quam eſſe nullam in eiuſmodi animalibus ſcimus, ſed ob ſimilitudinẽ. Sic & ſuis uocem auerſamur. at ſi quis imitetur apte, lætamur, applaudimusq;. Imitationes poſtremo hæ, in quibus multa proferũtur non tanquam honeſta, ſed ut ſubiectis apta perſonis, propterea ſunt plerunque ueluti Demonidæ pædotribæ claudicantis crepidæ, quas quum furto amiſiſſet, imprecabatur extente, ut furis pedibus maxime congruerent. οὗτε φησιν ἐφαρμόσειαν τοῖς τοῦ κλέπτου ποσίν. Erant uero hæ non rectæ, nec accõmodæ: illi tamen pro pedum deprauatorũ ratione in primis aptæ. Præterea etiã ſi poeta effundit pleraq; ſumma laude digna, non tamen quicquid in poemate legimus, admiratione debemus excipere, alioqui impura uanaq; comprobare uidebimur. Neq; enim Platonis gibbum amplexamur, aut Ariſtotelis balbutiem. Credamus ergo eſſe inibi aliquid, in quo auditor uel lector citra damnum aliud agat.

An poeta naſcatur, orator fiat, ſicuti receptum uulgo eſt. Neminem unum poſſe in multis excellere. Poetices origo. Fabij lectio reſtituitur. Poetarum genera. Quid monodia. Monodica grammaticis quæ ſint. Poemata pro filijs. Noſocomi. Gerotrophi. De Lucano obiter. Maronis laus. Poeta unde dicatur. Vergilius dicatur, an Virgilius. Cap. IIII

SAEpe & anxie quæſitum inter doctiores ſcio, naturæ adminiculo clarior poeta fieret, an doctrinæ beneficio, accedente mox aſſidua & pertinaci ſcribendi conſuetudine. Vulgo certe iactatur, Naſci poetam, oratorem fieri. Nos uero non ſolicitius, quàm fortaſſis par fuerit, quæ ultro citroq; argumententur ingenioſi, indagabimus. Horatij ſententiam ex Arte poetica, & quorundam præterea paucorum, quia uni tantum teſti nec Catoni creditur, ſatis habuimus appoſuiſſe: primus ergo ſic,

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego, nec ſtudium ſine diuite uena,
Nec rude quid proſit uideo ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

Iam Ciceronis authoritatẽ nec differamus, qui pro Archia poeta ſic ſcriptum reliquit, Etiam illud adiungo, ſæpius ad laudem atq; uirtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine natura ualuiſſe doctrinam. Atq; idem contendo, quum ad naturam eximiam atq; illuſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatioq; doctrinæ, tum illud neſcio quod præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere. Paulo infra etiam ſic: Atqui ſic à ſummis hominibus liberaliſſimisq; accepimus, cæterarũ rerum ſtudia & doctrina & præceptis & arte conſtare: Poetã natura ipſa ualere, & mentis uiribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu

ritu afflari. Architectum ingenioſum exigit Vitruuius, & ad diſciplinam docilẽ. Neq; enim ingenium ſine diſciplina, aut diſciplina ſine ingenio perfectum artificem efficere poteſt. Apud Ciceronem in primo De oratore Craſſus: Sic igitur (inquit) ſentio, Naturam primum, atq; ingenium ad dicendũ uim afferre maximam. Iactata tamen quæſtio eſt in pluribus, iactata & in medicina. Cæterum ſi in poeta par eſſe momentũ ſtudij, & naturæ contenderimus, unde nam fieri aſtruemus, ut carminis Venus tam paucis contingat? Imo & indoctis plerunq;, tantumq; non elementarijs. Vel cur M. Tullium uaſtiſsima eloquẽtiæ flumina deſtituerint in poetica, ſicuti multis fere placuiſſe uideo. Nimirum in naturæ maieſtate recondita hæc ſunt. Nam quod in Cicerone mirari non deſinimus, imo uero ab riſu ſæpe non defendimus, publicum id eſſe infelicitatis genus, exactius introſpicientes agnoſcemus: quando ingenia præcelſa, & omnium, ut ſic dixerim, capacia in uno tantum opere gloriam uix indipiſci potuere. Expende Maronis felicitatem in ſoluta oratione, ridebis. Qualem putas in orationibus Thucydidem? Eius eloquentiam multi admirantur: & recte id quidem: ſed ad eum oratorem, quem quærimus (inquit Cicero) nihil. Orationes quas interpoſuit, multæ enim ſunt, ſoleo utique laudare: imitari neq; poſſim, ſi uelim: nec uelim fortaſſe, ſi poſsim. Iam in ſapientiæ ſtudio quantus eſt Plato? At eius apologia pro Socrate nec patrono magnopere digna eſt nec reo. Ita eſt, magnum quiddam & uarium eloquentia eſt: nec adhuc, ut Senecæ uerbis utar, ulli ſe ita indulſit, ut tota contingeret: abunde felix, & præclare actum cum eo uideri poteſt, cui portio contigit honeſta. Nec id putaris in hoc tantum genere ab natura datum, ſtatutumq;. Comœdia Pyladem habet eximie clarum, Bathyllum tragœdia. muta uices, neutrum noueris. Perſpectum id, obſeruatumq; & in corporis robore: ſiquidem legimus quoſdam corpore quidem ueſcos fuiſſe, ſed uiribus eximijs. Tritanum Varro prodit, itemq; eius filium, & rectos & tranſuerſos cancellatim toto corpore habuiſſe neruos, uirium elatione prodigioſa. Leontiſcus ex Sicilia Meſenius, ex argumento Acrocherſites cognominatus, ſummis aduerſarium manibus corripiebat, confractumq; non prius dimittebat, quàm deficientem ſentiret. Iam inter pyctas illi compar non reperitur, Alius carpenta manu comprehenſa retinet, obnixius etiam ſi contra nitantur iumenta. Ille pondera immenſa pedibus, manibus, humeris contra ſcalas fert. Age, bruta excute, hoc ipſum recognoris. Parua enim magnis, ut M. Tullius inquit, ſæpe rectiſsime conferuntur. Equos quantumuis celeres ac præſtantes ſint, putas ne omnes curriculis accommodos? Ex canibus alios nouimus uenaticos, nec tamen uſquequaq;: alius apro, ceruo aptior alius: ille lucernarius, hic moloſsicus. Attendenda uero parte iſta uehementer Origenis dogmata primo Contra Celſum libro, & περὶ ἀρχῶν tertio, Eſſe ſpiritales quaſdam energias, id eſt uirtutes latentes, quos dæmonas uel deos ſecundos nuncupent Academici, qui ſint uelut magiſtri. Siquidem id agere, quod proarbitrij ſui poteſtate ſibi delegerint, unde profluat inter homines ſapientiæ diuerſitas. Quippe eſſe energiam quæ poeticam inſpiret, item quæ geometriam, ac deinceps diſciplinas alias. Proinde uulgatum inter Græcos, iactatumq;, Poeſin citra inſaniam nõ contingere, ac afflatum quendam, quo diuinaculos ferme corripi etiamnum animaduertamus. Quin pueros, magica diſciplina dæmonibus aſcitis, poemata præcinere ſtupenda. Sed & hinc forſan Muſarum ratio prorepſit, etiam Platonicis approbata, & Auguſtino quandoq;: at Retractationum primo poſtea ſpreta, reprehenſaq;. Ptolemæi uero ſententia eſt in Centum enuntiatorum libro, Animam quæ ſit cognitioni apta, ueri plus aſſequuturam, quàm qui extra modum ſtudijs inuigilarit. Ea uero cenſetur, quæ à ſtellis concitatur, & inſita ſupellectile inſtructa in procinctum pergit. Calliopes inuentum eſſe poeſin, ſcribit Ioannes Grammaticus: nam & Clio hiſtoriam comperiſſe traditur, plantandi artem Thalia, tibias Euterpe, cantum Melpomene, choream Terpſichore, nuptialia Erato & ſaltationem, agricolationem Polymnia, aſtrologiam Vrania. Quo argumento & nunc inuentis claros dicimus Muſicos, mulieres autem Muſas quoque. Tametſi uocatur Muſa, non naturalis, & per ſe acquiſita cognitio, ſed ex inſtitutione comparata. Cæterum ijs omiſsis, redeo ad poetas, de quorum origine magnã eſſe quæſtionem aduerto. Ante Troianum bellum uiguiſſe quoſdam, hiſtorica fides abunde teſtatur. Celeberrimus è Græcorum authoribus Pauſanias, Olena quendam poetam primum

mum agnoſcere uidetur. Carmen tamen heroicum Pythio Apollini deberi, Plinius author eſt. Quod ipſum nec Pauſanias tacuit, & Plutarchus in Moralibus obſeruauit, nec prætermiſit Euſtathius, Phemonoen primam id genus cecinisſe prodens, quod per exochen dicatur epos, uel quod ἔπονται τὰ πράγματα τοῖς χρησμοῖς, id eſt quod reſponſa res conſequantur. At Fabius: Poema, inquit, nemo dubitarit perito quodam initio fuſum, & aurium menſura, & ſimiliter decurrẽtium ſpatiorum obſeruatione eſſe generatum, mox in eo repertos pedes. Verum, ut quod ſentio, quodq; obſeruatum mihi eſt, non dem in latebras, aut recondam in arcanis, quod bibliotaphi faciunt, ſed id totũ publicam materiam pergam facere, lego apud Quintilianum, Imperito quodam initio fuſum, ex Ariſtotelis doctrina: qui ubi poeſin ex imitatione natam primum oſtendit, quoniam imitandi ſtudium ſit ab ineunte ætate homini innatum, & eo ab brutis differat, mox ſubdit, Ad metrum natura procliues maxime, paulatim poeſin produxisſe, ac genuisſe ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων. Quod mihi non aliud profecto ſonat, quàm ex rudi principio. Ex hac uero imitandi ratione, unde poeſis ortum ducit, diuulſa, diſparataq; ars eſt, ac abijt quodammodo in membra plura. Nam pro cuiuſq; natura & moribus imitandi ſtudiũ proferebatur. Honeſtiores enim pulchras honeſtasq; actiones ſibi imitandas proponebant: tenuiores autem humiliores q; uiles itidem & ignobiles, & primo quidem uituperationem complexi, ſicuti hymnos alij & laudes cõcinnarunt. Ialemum nanq; & Hymenæum tradit Ioannes Grammaticus, creditos Clius filios, id eſt hiſtoricæ cognitionis, quoniam flebiles cantus alter excogitarit, epithalamios autem & iambicos Hymenæus. Poetarum itaq; quoſdam inuenio Monodos nuncupari, hoc eſt μονῳδούς. alios uero Lyricos, qui & Melici nuncupantur, quod alibi probauimus: ſicut epicum Cicero Ennium uocauit, id eſt heroicum, ut Diomedes probat, de quo genere mox. Aliquos comicos, quidam tragici uocãtur: aut alio modo alij. Sunt qui excellentiæ quadam proprietate, nullo utiq; peculiari inſigniãtur nomine, uerum communi appellantur Poetæ. Et Lyricorum quidem indicium, quo ab reliquis ſecernuntur, & dicitur à Græcis γνώρισμα, id eſt præcipuum, quod ad lyram eorum concinuntur carmina, ut Pindari nouem Lyricorum principis. Conſtabat ijs cyclicus chorus hominibus quinquaginta, quod Lycophronis interpres ſcribit, ijs item taurus fuit præmium. Monodorum uero peculiare eſt, ſub una tantum perſona argumentũ explicare quodlibet, quod illi dicitur μονοπροσώπως ἀφηγεῖσθαι. Proprij tamen horum epitaphij cenſentur cantus. Eſt enim monodia cantus lugubris: nam in tragœdia omnes è ſcena cantus, luctus ſunt: ſed monodia dicitur, quando unus aliquis ab ſcena cantum profert, & non chorus ſimul. Monodicum uero poema eſt, cuiuſmodi in Alexandra concinnauit Lycophron. Sunt & ſua grammaticis monodica, quo quidem uocabulo ſolitaria fere intelligunt nomina inflexus ratione, cuiuſmodi far, quod in obliquis ſolum R geminat: item cor, in genitiuo ſolum cordis faciens, D recepto: ſic & S geminato, as aſſis. Epigrammatographi, ſeu anathematici ſtatuis, aut id genus alijs templo dicatis, epigrammata aſcribunt: quod in phiala Homerus fecit. In hoc genere Simonides inclaruit antiquior, cuius commeminit Herodotus. Iunior Alcæus, Veſpaſiani tempeſtate, ac Titi. Athenienſis Proclus, Palladas, Agathias, innumeri alij. Aſmatographi, & ἀοιδοί, ad barbiton uel citharam, aut muſicum organum aliud cantica cõſcribunt, cuiuſmodi fuere (ut Phalerius prodit Demetrius) Automedes, Demodocus & Lares Corcyræi, ac Ithacenſis Phemius. Epithalamiographi rationẽ habent manifeſtam. Claruit inter eos Pharſalius Agameſtor. Sed & Heſiodus epithalamium cecinit Peleo & Thetidi:

Τρισμάκαρ ἀακίδη, καὶ τρὶς ὄλβιε πηλεΰ,
ὅς τοι δὴ μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις.

Comicorum riſus eſt proprius cum choris & perſonis, ſed apud Græcos tãtum: ut apud Ariſtophanem, Eupolin, Pherecratem. Tragicis familiaris eſt miſeria & calamitas, ſicuti Aeſchilo, Sophocli, Euripidi. Eos uero qui peculiarius inſignitiusq; Poetæ uocitantur, quatuor in primis cognobiles faciunt: metrum heroicum, fabula allegorica, hiſtoria, dictio cum dignitate ac heroica, metro in primis accommoda, non extrita, nec depreſſa. Hinc epos dictum carmen id genus, tametſi uocatur eo nomine ἔμμετρος λόγος proprie. Epica digne omnium primus ſcripſit Liuius, qui decem & octo libris Roma-

norum

norum res geſtas perſcripſit. Inter hæc ſciendum tamen, & repetendum ſubinde, propter quæſtionem de Lucano uulgatam, uiro utiq; cum pleriſq; dicendi honeſtamentis erudito concitatoq;, ac νεωτεικότροφον, id eſt iuueniliter ſubinde exultanti, & quodam uelut ferrumine fucatiori, id poetarum genus uere germaneq;, ſicuti Ioannes Grammaticus ſcribit, & Ariſtotelis ac Plutarchi in Homeri laudibus authoritate comprobatur, fabula internoſcitur allegorica. Hoc enim eſt horum χαρακτήρισμα, id eſt informatio: nam & character, Latine dicitur forma. Cuiuſmodi Homerum apud Græcos recognoſcimus, in noſtris literis Maronẽ ueneramur, colimus, in oculis geſtamus, ex æquo fere cum Homero ſuo ſtantem. Tantũ debet Latina res Mantuano cælo, ſub quo eloquentiæ ſpecimen longe clariſsimum & natum & parte quadam educatum eſt. Et quo uno poſt illa M. Tullij fulmina longe lateq; coruſcantia, aduerſus Græcæ gentis fremitum, nimio plus ſæpe inſonantem, coorimur, obſiſtimusq;. Poetæ uero nomen inde propagatum ſcribit Euſtathius, quod ποιεῖν ſignet, ἐμμέτρως cantare uel ſcribere. Virgilij meminit idem Euſtathius, in nauium catalogo apud Homerũ, ſed Vergilium inibi ſcriptum comperi. Ethnicographus Virgiliũ maluit, ſicuti & in Græcis plerunq; epigrammatis. Nam & Collectaneorum ſecundo, apud Græcos item in ruſticis præceptis ſic comperi adnotatum: Βιργίλιος inquit, quiſquis author fuit, ſemina nitro cõſperſa laudat, & aqua inſuper. In fragmentis Cæcilij Minutiani Apuleij, ueteris grammatici adnotatum comperi: Virgilium ab uirgis eſſe cognominatum, inter quas ſit natus: propterea primam habere I, non E. cui ſuffragetur illud Calui,

Et uates cui uirga dedit memorabile nomen
Laurea.

Huic ſententiæ Priſcianus item calculum adijcit. Fatetur tamen idem Apuleius, in alijs Vergilium ab uergilijs inflecti. Antheas Lindius poeſin ex compoſitis nominibus excogitaſſe dicitur primus, qua poſtea Aſopodorus Phliaſius ſit uſus. Poetam poſtremo animus ab omni cura uacuus excitat mirifice, nec ſine enthuſiaſmo & alacritate quadam. Poemata pro filijs etiam Græci accipiunt quandoque, quos item Noſocomos uocant, & Gerotrophos.

Quæ hymnorũ ſint traditæ ſpecies. Hyporchema. Proſodia. Cur Bacchus Dithyrambus. Dithyrambici poetæ. Cyclicus. Encyclia. Hymnos dici etiã ſoluta oratione. Epæni, & enconij diſcrimina. Periautologia quid. Picam eſſe Baccho ſacram. Thriambus unde. Cap. V

Inter ea quæ docte pieq; ſolent à poetis tractari, & eſſe faciẽda præcipit Plato, hymnos ſæpe legimus, tum ab Homero & Orpheo, tum ab alijs mirifice concinnatos. Vnde & hymnologi uocantur Firmico: nam hymnodici alij ſunt. Quoniam uero non aliud hymnus eſt, quàm dei cuiuſpiam laus: ſicuti rhetor definit Menander, etiam ſi apud poetas pro cantu modo dici hymnũ cõperias, ex quo & hymnopoli uocant, qui & acedopoli, Dũ ſcrutarer, ecquid ſcite docteq; ſuper his mandatum literis foret, quod haſce lectiones noſtras antiquas faceret locupletiores, in Græcorum penu, quod eſſe opulentius ſolet, & omnifariã rebus inſtructiſsimum, hæc ſunt comperta mihi. Cantus diuinis accommodatos laudibus dici quidem uniuerſim pæanas & hymnos, priuatim uero non unam eſſe eius rei nomenclaturam. Siquidem Dianæ hymnus dicitur hypingos: Apollinis hyporchema, uel pæan, qui maxime concinebatur, ut peſtis latius graſſantis reprimeretur uis. Vnde etiam factum nomen etymologici argumentantur, ὅτι καταπαύει τὸν λοιμόν, quia ſedet peſtem: quanquam & eadem ratione Apollo item dicatur Pęan, ſiue à feriendo quoque, quod παίειν dicitur, Veſtalibus ita indigitantibus, Apollo Medice, Apollo Pæan. Dianæ uerò & Apollinis hymnus, proſodia nũcupatur, Dionyſij Dithyrambus. Sed & ipſe Dionyſius Dithyrambus uocatur, ueluti Lythirambus, ut eſt apud Pindarum, quod Iupiter illum aſſuiſſet femori, ac mox eo in lucem prodituro, inclamaſſet λῦθι ῥάμμα, λῦθι ῥάμμα. quod perinde eſt ac ſi dicas, Solue futuram, ſolue futuram. Vel quod ſecreta promens os dithyron faciat: nam eidem loquacitatis ratione cittam, id eſt picam eſſe ſacram prodidere, ac baſarrheum dicunt, ἀπὸ τοῦ βάζειν. Et inde poetæ Dithyrambici nuncupati, quibus quum frequentiſsimi eſſet moris ita exordiri, ἀμφίμοι ἄναξ, inde Amphianactes facetiſsime dici cœpere, quin & ἀμφιαναξτίζειν pro eo quod eſt προοιμιάζεσθαι

ᾠδαι, usurparunt multi. Pericletus uerò Lesbius dictionem dithyrambicam cecinisse fertur primus. At Milesius Melampides dithyramborum libros scripsit plures. Ex ueteribus nonnulli ita de dithyrambis existimarunt, ut qui musicam corrumperent. proinde Callimachus de ijs, νόθοι δ' ἤνθησαν ἀοιδαί. id est, spurij floruerunt poetæ. Ipsorum peculiare fuit, uerbis uti compositis καὶ πολυπλόκοις, id est nodosis implicitisq́, sed & tumentibus: unde dithyrambicus intellectus de obscuro dicitur, nec cuiuis peruio. Dithyrambicos dici quandoq́ inueni cyclíodidascalos, quoniam encyclia doceant. Appellantur uerò sic interdum quæ hypothesin habent eandem. Dithyrambum item cyclicum nonnulli interpretantur chorum. Quem dixerit Pindarus βουλάτην, id est boelatem, quod uincenti præmium foret bos, uel quia cum clamore perficeretur, ἀπὸ τῆ βοῆς. In Naxo primitus compertum, cecinit alicubi idem Pindarus: at dithyrambum primò, apud Thebas: in Olympijs etiam Corinthi, Arione Methymnæo statuente initio, mox & Lasso Hermioneo. Thriambum credunt dici ab θρόῳ καὶ ἰαμβίζειν. quo nomine in bellicis triumphis cauillantes inconditis iocis & anapæstis plurimũ utuntur. Ab Arione primum esse concinnatum nominatumq́ dithyrambum Corinthi, historia prima author Herodotus est. Sed ad hymnos redeo. Cereris hymnum uocant Iulum. Linus uerò & Litierses, agrestium sunt cantilenæ. Venerios hymnos inuenio appellari eroticos, tanquam amatorios dicas. Nam est & suus uinolentorum hymnus, cuius Aristophanes commeminit in Ranis, dicturq́ cræpalocomos, quia cræpalen uocant uinolentiæ tremorem. Comon uerò comessationem, siue ebrietatis & intemperantiæ festum. Porrò hymnorum inuenire est amplius intuenti species multiplices uariasq́. Alij quippe cletici dicuntur, apopemptici alij, aut physici, mythici, genealogici, ficti, euctici, apeuctici: quidam uerò mixti. Cletici uerò appellantur, qui deorum habent aduocationes: cuiusmodi plures apud Sappho comperias, & Anacreontem. Productiores hi aliquanto, uberiusq́ apud poetas fusi, quàm oratione soluta. Apopemptici peregrinationem dei alicuius complectuntur, ut apud Bacchilidem. Cleticis subaduersi sunt hi, quoniam emittunt: illi uerò inuitant. Poetis quoq́ familiares tantum apopemptici, quibus argumentum suggerit locus, è quo migratur, & rursum qui petitur. Physici habentur, qui Iouis, aut Apollinis, aut cuiusuis naturam explicant, ueluti si ab sole non esse diuersum Apollinem ratiocinemur, quæq́ sit eius syderis uia edisseramus. Propterea si physiologicos item dixeris, non multũ aberraris. Eiusmodi reperias apud Parmenidem & Orpheum, & in primis Empedoclem. Vsus est Plato etiam in Phædro. Mythici, ut nomine apparet, fabulis constant, & per tenuem progrediuntur allegoriam. Genealogicos cum mythicis eosdem putauere quidam, discernuntur tamen interstitio certo. In genealogicis parentes recensentur, ueluti si Latonæ filium dicas Apollinem. Peplasmeni, siue ficti, quando confingimus deum aut deorum uel dæmonum prolem, quemadmodum Aurium dæmona Simonides uocauit: alij Ocnum, & quidam alium quempiam: & apud Platonem Porus & Penia: item Amor, nunc ante terram progenitus, nunc Veneris filius. Rursum Pausanias medicæ arti præsidere amoris uim prædicat. Item Aristophanes conducere in unum semifacta corpora. Euctici uotum habent, & preces. Sicut reiicientis deprecationem, qui uocantur Apeuctici. Sed duo hi postremi aliis ferè adglutinãtur. Nam qui unum aliquem ex diis collaudarit, mox decurrit ad preces. Exempla passim suppetunt ex poetis. Sed & apud Platonem, O amice Pam: & quæ leguntur in Phædro. Sed scitetur fortè ex me aliquis, Sint ne hæc concessa poetis solum, an ne reiiciantur quidem ab hoc genere laudis prosę orationis conditores? Verum qui Platonis non sciendi modo, sed dicendi etiam magistri eminẽtissimi sacraria quandoq́ adierit, illum comperiet, tum in Symposio, tum in Phædro his usum omnibus. Hactenus de hymnis. Quos quia laudes deorũ cõplecti diximus, adiiciamus auctarii loco id quoq́, laudem hominis in Grecorum doctrina dici quandoq́ epænon, aliàs encomion: sed disparantur à nonnullis hæc, ut in artibus docuit Menander. siquidem epænon uocitari aiunt testimonium, de aliquo ab singulari uirtute, ueluti quum Aristidem Iusti cognomento decoramus, Encomion uerò ex uirtutibus cõpingitur omnibus. In hoc per omnia excurrimus, genus commemorantes, necnon educationem, gesta, & id genus alia. Nonnulli sic discreuisse malunt, ut dicatur epænos, ubi quem ità laudamus, ut iu-

dicio consensuq; nostro laudandum censemus. Encomion uerò laudem habet, sed non utiq; assensum animi uerum: ueluti si ollam laudes: uel ut Lucianus, muscam: aut calculos, ut Polycrates: non quia hæc admireris, sed ingenij uegetandi exercendiq; gratia. Quidam ita finierunt, Epænon esse orationem uirtutis magnitudinem explicantem, encomion uerò gesta præclara illustrare. Encomion, id est ἐγκώμιον dici interpretantur, παρὰ τὸ ἄδεσθαι ἐν τοῖς κώμοις καὶ συμποσίοις, quod in conuiuijs concineretur, & Bacchanalibus, comessationibusq;, quas dicunt Comos. uel, ἀπὸ τοῦ ἐν ταῖς κώμαις ἄδεσθαι, id est quia in uicis caneretur: quod tunc uicatim habitaretur Græcia. Periautologiam uerò ista tuunt uocari, ubi quis seipsum laudat: ut est illud Achillis apud Homerum, οὐχ ὁρᾷς, οἷός ἐγὼ καλός τε μέγας τε. Nonne uides quàm pulcher ego, & quàm magnus? Sed & Maro noster,

Sum pius Aeneas fama super æthera notus.

Quia uerò multa hactenus dicta de poetis nobis, erat animus impingere capiti huic quiddam ex Dionysio olim obseruatum. Sed secreuisse præstiterit, ne planè fiat apologus Alcini, ut est apud Pollucem. Et qui subinde iter iungunt, serius quidem aliquanto, sed magis uegeti diuertunt.

Cuiusmodi sit in poemate uitium quod dicatur logoidia, id est λογοείδεια. Item qui sint etiã in Latinis literis logi. Interibi orationis genera duo. Nec nõ quid logopœus, logion, uel logia, logisterium, logistoricus. Oraculorũ uocabula. Gellij locus expenditur. Megabyzi. Logographi bis. Numerarij. Alogia. Alogistia. Logisteria mensa. Logodædali. Logarium. Tabularij Diribitoriũ. Diribitores. Pædagogia. Pædagium. Logades. Logij. Item obiter quid abacus, & abaculus. Poetam nõ dici nisi summum. Epiphyllides quid. Epiphyllocarpi. Rhyades quid. Cap. VI

Dionysius Halicarnasseus nõ historicus modo præclarus, sed eorum quoque quæ ad dicendi rationem spectant, obseruator nõ incuriosus, quum præcepta conderet, quibus metrica oratio compar solutæ euaderet, postmodum sic infert: Nec uerò suspicetur aliquis, ignorasse me, uitium quoddam in poemate nuncupari logoidiam. Neq; me ita rudem putet, uel imperitum, ut quod transuerso ungue sit dissecãdum, inter uirtutes poetarũ aut orationis censeam cõnumerandum. Audiat autem, quo pacto digna ab indignis arbitrer seiungenda. Orationum species duas nouisse uideor: loquacem unam, & prorsum nulli rei: alteram uerò politicam, siue ciuilem, quæ multiplici cultu splendida est, & artificiosa maximè. Quemcunque igitur ex poetis prius illud genus expressisse aduerto, ridiculum iudico. At qui, quod posterius, hic mihi & studio & æmulatione dignus uidetur. Hactenus Dionysius. Ex quibus perspicuum fermè arbitror dici logoidiam, non tam ubi uersus soluta ferè oratio uidetur, quàm quum futilem nugacemq; imitatur. Quod eo procliuius adnotatum uolui, quia & in nostris authoribus, & apud Ciceronem in primis, logos inuenio positos pro ridiculis cõtemnendisq; dictis. Nam in quadam oratione sic scriptum ab eo legimus: Ego te certè scio omnes logos, qui in ludis dicti sunt, animaduertisse. Logopœos utique uocant Græci, qui falsa comminiscuntur, & inuulgant. Hinc in Nicia Plutarchus, tonsorem scribit ad rotam alligatum, uelut λογοποιόν, quod Siciliensem cladem temere magistratibus obnunciare ausus foret, ab peregrino in tonstrina exceptam. Contrà megabyzij logi, intelliguntur magni & elati: de Persarum rege mutuata dicendi formula. Sunt qui Barbaros interpretentur. Duces quoq; regis Persici, Megabyzi nuncupantur. λογοποίημα certe confictum de re aliqua sermonem dici comperio. In Hephestionis enchiridio lectum est logaœdica, id est λογαοιδικά, nuncupari dactylica quædam, quæ in regionibus quidem alijs dactylos habeant, postremam uerò syzygiam trochaicam. Logia, neutro genere, uocant oracula quæ soluta æduntur oratione: nam quæ metrum habent, χρησμοί dicuntur. Logiam uerò in Epistolæ ad Corinthios interpretatione Chrysostomus conuentum uel cõgregationem exposuit. Quod si logion scribatur per ω diphthongum, id est λογῶον, ex Græca ratione, qua nomina in ειον producta à uerbis in ω, circunflectuntur in penultima, & diphthongum recipiunt: locum signat in orchestra, aut orchestram ipsam, in quam comicus induceretur chorus, quanquam est crateris item species, logion. Quin & eodem nomine dicasterium intelligunt, hoc est iudiciale

forum

forum. In ſanctis literis logion inter ſacerdotalia ornamenta, rationale interpretantur. Logiſtas Ariſtophanis interpres pro iſs accipit, quos prius agoranomos dicere, moris erat. At hinō alij ſunt, quàm ædiles. Putant alij logiſtas fuiſſe decem numero, ſorte lectos, qui Athenis expenderent, quæ in magiſtratu quiſq; geſſiſſet: cuiuſmodi nunc ſyndicos uocamus. Logiſterium uerò locus erat, ubi cōſiderent hi, ut Pollux etiam ſcribit. Nam ſupputandi peritiam, logiſticen Plato uocauit: ſimplex uulgus abacum dicit, puto, quia calculis uterentur in diſpunctione ac numerorum ſupputatione ueteres, quos Plinius uocari abaculos prodidit. Logiſtoricum dici Varronem, obſeruauimus apud Sidonium. Seruius in librum Aeneidos quintum: Salue, inquit, & uale, ſecundum Varronem in Logiſtoricis, ſynonyma ſunt. Et Macrobius in Cœnis libro tertio: Varro, inquit, in Logiſtorico qui inſcribitur Martius de fortuna. Inde forſan in Gellianos codices turpè irrepſit mendum libro ultimo: Sculnam autem ſcriptum eſſe in hiſtorico M. Varronis, qui inſcribitur Catus. Idem Leuinius admonet, reponendum, In Logiſtorico qui inſcribitur Capis. Erat autem de liberis educandis lucubratio, ex Gellio libro quarto, capite decimonono. Alogias, pro fatuitatibus uſurpat Seneca: Citius, inquit, mihi uerum, ne tibi alogias excutiam, dicito. Tabularium pro ſupputatore accepiſſe Vlpianus uidetur, ubi ait: Ego etiam aduerſus tabularium puto actiones dādas, qui in computatione fefellit. Sunt qui eo nomine tabelliones intelligant, aut ſcribas logographos, qui publicas conficerent rationes, qui & numerarij dicantur. Militare logiſterium inuenies apud Strabonem, quod an diribitorium dici Latinè queat, ambigunt eruditi. Id ex diribendi poteſtate nominatum uolunt, hoc eſt diſtribuendi: quia locus eſſet, in quo recenſeretur exercitus, & militibus ſtipendia numerarentur. quanquam eſt & diribitorium, miniſtratorium quoq;, id eſt locus in quo obuerſantur miniſtri. Qui quoniam Græcè dicantur pædes, pædagium Plinio item uocatur in Epiſtolis: Puer, inquit, in pædagio mixtus pluribus dormiebat. Dion in Caligulæ uita: Si acrior, inquit, ſolis incubuiſſet uis, diribitorio theatri uice utebantur. Ab eodem in Tito, deflagraſſe diribitorium, traditur. Diribitores, ſunt qui putent eos nuncupari, qui ſuffragia candidatorum in digitos mitterent. Pædagogia Vlpiano Digeſtis de fundo inſtructo legato, ſunt miniſteria planè: Si inſtructum, inquit, fundum legaſſet, ea pædagogia quæ ibi habebat, ut quum illuc ueniſſet, pręſtò eſſent in triclinio, legato cōtinentur. Diribitores nominantur quoque Ammiano Marcellino, ni fallor, decimo & octauo libro. Logographos interpretatur Sudas, qui δικανικὸς λόγος γράφσι, id eſt acta in iudicialibus cauſis perſcribunt: ſed & qui rationum libros, quibus præerant, quos logiſtas dicunt. Quanquam eſt hoc item nomine iudex & inquiſitor uel curator reipublicæ, ut primo Codicis. Logiſteriam menſam legimus apud Pollucem, ubi & Tarpen dicit ex uimínibus contexi ſolitam. Proagogia ſunt qui Græcè opinentur dici aquarum deductiones, uel poros, meatusq;. Alogiſtiam dicunt, ubi reddendarum rationum neceſſitas laxatur, remittiturq;: unde emendatur luxatum uerbum Iurecōſultis, Digeſtorum uigeſimoſexto, ubi tutores leguntur analogiſti, pro eo quod eſt analogiſtæ, uel alogiſtæ, qui rationis calculum non ſubeunt teſtatoris uoluntate. Apud Galenum Therapeutices primo, medicorum nonnulli analogiſtici uocantur. Logodædalos putat dici Hieronymus ſermonis ingenioſos architectatores: Reſpondeant, inquit, logodædali & faſtidioſi æſtimatores omnium tractatorū. Scio quid ex Platone ſuper eo uerbo proferant alij. Logotheta magiſtratus erat imperatorum Byzantij. Logades ſunt in Græca hiſtoria, quos inter milites Liuius delectam manum uocare ſolet. In Epigrammate, logadas oculos quidam interpretantur. Herodotus etiam apud Perſas fuiſſe ſcribit, quos appellat logios. Id uerbum Græcis tum prudentem, tum eloquentem ſignificat. Logarium, liber eſt domeſticarum rationum. Quia uerò paulò antè affines eſſe oratoribus poetas aſtruere ſumus uiſi, id utiq; non negligendum, In poetis requiri perpetuò magnificentiam, altitudinem ac excellentiam quandā præſignem. Proinde ſcienter Horatius,

Mediocribus eſſe poetis,
Non homines, non dij, non conceſſere columnæ.

Sed & M. Tullij laudatur illud doctiſſimè enuntiatū: Singulis uix ſeculis bonum poetam inuentum. Hinc facetiſſimè loquaces inceſſens poetas Ariſtophanes, ὠφυμίδης

(inquit) ſunt,ac σωμύλματα. Dicũtur uerò epiphyllides,botryunculi maioribus incumbentes,qui & botrydia nuncupantur. Calliſtratus tamen ab aliis ſequeſtratos intelligere maluit.Appellantur autem ſic quia foliis obtegantur. Alij quæ adnaſcuntur palmitum cacuminibus in ſuperna foliorum parte, hoc nomine accipiunt. Quod autem is ſit Ariſtophanius ſenſus quem prætexuimus,facilè quæ cõſequuntur declarant, χελιδόνων μυσεῖα, λωβητὰ τέχνης, id eſt hirundinum muſea,artis cõtumeliæ ac dedecora.Epiphyllocarpos autem arbores intelligũt,in foliis ferẽtes fructus,author Theophraſtus.Rhyades in uitibus dicuntur,quæ fructum cõtinent, ἀπὸ τοῦ ῥύεσθαι, ſicuti expoſitum inuenimus quinto ἐκλογῶν πρὸς γεωργίας. Sunt qui eo nomine pſinadas intelligant, hoc eſt debiles,fluentesq́.Pſinadis uocabulo utitur Theophraſtus. ψινωλζειν dicunt Græci ἀπὸ ῥεῦσιν καὶ φυλορροεῖν. Mali indicia ſunt,folia ſubſicca & albentia.

Temperantiæ nomẽ quàm late pateat.Zamolxidis doctrina de animę medela.Quid magica excantatio. Cur temperantia dicatur Græcis ſophroſyne.

Cap. VII

SCrutabar ſolicitè admodum & curioſe nuper, quid ita Ariſtoteles libro De moribus ſexto,& ante hunc Plato in libro quem Cratylum attitulauit,Temperantiam dici à Græcis σωφροσυνὴν, quia prudentiam ſeruet, literis mandaſſet. Quumq́ in hanc me quæſtiunculam totum cõieciſſem, comperi inter legendum nõ illepida, ut reor,nec ſordentia quæpiam, Ea, quod exploratis auribus arriſura ſum opinatus, etiam aſcribere non grauabor: ſic enim habet, Temperantiam præcipuè quidem in compeſcendis, inhibendisq́ & infrenandis quodammodo uoluptatibus uerſari,plurimumq́ in ea re inſumi operæ ab temperato, ut libidinum incentiuis corporeis obluctetur,obſiſtatq́,quas nobis cum brutis eſſe communes,traditum eſt. Verum amplius etiam fuſiusq́ id ſeſe nomen propagare: ſiquidem pulchritudinem rectè dixeris, ex lineis coloribusq́ aptè ac gratè contemperatis conſurgere: necnon corporis habitum naturalem ex membrorum & humorum cõſpiratu conflari moderato. Iam nec animum aliter quoque tantæ agnoſci cõpotem uirtutis, Temperatum eſſe hũc ſiquidem prædicamus, ubi coorientes aduerſus rationis modum titillationes ac impetus uiolentos ſedat. Imò uerò & in cognoſcendi potentia temperantiam concinnè locum ſibi uendicare,non latet:ubi attemperatè Intelligentia iis quæ intelligit, cohærenter adglutinatur,& ueluti conſonat. Vt commodè prorſum, & quodammodo diuinè Pythagoram dicere ſolitum legerimus,Inter uirtutes omnes habere temperãtiam principem in ſalubritate locum. Atq́ una ea tum priuatim, tum publicè humanam ſocietatem coaleſcere,ac ſtare. Apertius id noueris,ſi apud te ratiocinari uolueris, nec iuſtitiam quidem à temperantia reuelli, Quando eſt ea commutandi diſtribuendiq́ modus congruẽs. Iam & oratione eadem fortitudinem quoq́ in timoribus & audaciam rectè temperantiam dixeris. Nec ſecus de liberalitate. Imò uerò hac ſingularis & inenarrabilis potentiæ uirtute cuncta conſiſtere, fatendum eſt: quoniam diſponit parens ille rerum Deus cuncta ſuauiter,& in numero, pondere, menſura. Porrò ſcribit Plato, Zamolxidis Thracum regis doctrina traditum, Omnia uel bona uel mala in corpus ab anima demanare: proinde illam in primis, adhibita remediorum ſalubritate, curari oportere. Animæ uerò medelas eſſe incantationes quaſdam, quibus temperantiam ſibi uendicet anima, qua cõquiſita, aſſiſtenteq́, nullo negotio corpori uniuerſo contribui ſanitatem. Cæterum quænam aut quales ſunt incãtationes hæ? Nempe quod præcipit Socrates, Vis qua in ſeipſum conuerſio fit, omnium eſt efficaciſſima excantatio. Etenim quiſe, id eſt animum, iam cœperit accuratius cõtemplari, ſimul per ipſam temperantiæ ideam innatam menti,humanam recognoſcet temperãtiam: ſimul rationem illam intuẽs, qua ab optimo maximo Deo rationalis animæ uires inter ſe fuerint attemperatæ, paulò momento qua ui motiones poſſit aut debeat animorum inhibere, ne inſolẽtius efferantur aut proruant,peruidebit.Quamobrem impenſe obſeruãdum, quod lectum in libro De natura, noſtrum hoc propoſitum eximiè fulcit. Si modulatè cõſpirent inuicem animæ partes, rurſumq́ ipſa corpori contemperetur, futuros totius nos felicitatis compotes. Taceo quod grauiſſimi authores prodere ſunt auſi, Motibus tum corporeis, tum animalibus cõpoſitis & reſtinctis, fore ut perpetua utrique cõtingat ſanitas, corpori uerò

etiam

etiam uiuendi prolixius ſpatium. Id Pythagorici grate amplexantur, & cõprobat in noſtris literis doctiſſimus Cenſorinus. Plato itaq; magicam appellat incãtationem orationem, cui inſit uis à deo, & ab philoſophia ratio, ut audientibus temperantiæ amorem ingenerare queat. Hæc temperãtiæ poteſtas illud item parit incõparabile, ut animus extrita perturbationum uellicantium caligine, in ſeipſum cõuerſus uera in ſe omnia ſpeculetur: quoniam ut Platonici putãt, uerorum omnium lumina humanis animis inſunt ingenita, quæ ſolis diuini fulgoribus illuſtrata, & ſerena iam mente nitidius promicantia ſapientiæ uſum reſtituunt, mox & prudentiam pariunt. Propterea recte Plato ſophroſynem dici temperantiam autumat, ὅτι σώζει τὴν φρόνησιν, quia prudentiæ ſalus ſit, atq; conſeruatio.

Frugi uictus laus ex poeta Heſiodo. Alimos. Adipſos. De aſphodelo pauca. Exempla ad id Alexandri, Iuliani imperatoris, & Scipionis. Item de Antagora. Quæ ſint opſonia apyra. Apyrenon quid. Item quid pſycter, pſycteridion, pſygeus, pſychia. Apirocalos. Ineptus an Græce ualeat exprimi. Interim de ſiſyra carptim. Cap. VIII

Oſteaquàm de temperantia, cuius uim diximus ratione peculiari in cibi potus tactuſq; titillationibus uerſari, abunde actum à nobis eſt: nunc in quaſdam hiſtoricas amœnitates diuertere collibuit, ut legentium, ſi qui tamen hi fuerint, animi laxius indulgentiusq; tractentur, ne noſtræ lucubratiunculæ quocunq; genio prodierint, multum habere abſinthij credãtur, mellis parum, ſicuti iam interfati ſumus alicubi. Fiet autem ab poetæ Heſiodi uerſiculis initium ex agricolationis libro, quibus docuit ſapienter, Dimidium eſſe plus toto: magnumq; haberi emolumentum ex uictus parſimonia, ſi malua ueſcaris & aſphodelo, delicatiora uerò & ganeata, ac ſaliaria negligas. Heſiodi uerſus hi ſunt,

Νήπιε, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός,
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μεγ' ὄνειαρ,

Eum locum Proclus Diadochus nõ incelebris inter Græcos Grammaticus explicans: Viliſſimorum, inquit, commeminit parte hac Heſiodus, unde ali poſſumus, maluæ ſcilicet & aſphodeli: ex iis enim ſuccus exprimebatur, parabaturq; in cibi uſum: ex quo utilitas profluit maior, quàm ex ſumptuoſioribus per iniuſtitiam conquiſitis. Aut certè, inquit, ex obuio uictum ſignificauit. Epimenidem tertio Legum Plato ſcribit, modico, & interim uiliſſimo cibo interdiu fuiſſe contentum. Conſtabat is ex aſphodelo & malua, quæ illum ſeruabant alimon & adipſon, hoc eſt ab fame procul & ſiti. Hactenus Heſiodicus interpres. Quòd ſi quis noſſe amplius cupit, cuiuſmodi ſit aſphodelos, legat uigeſimumſecundum Naturalis hiſtoriæ Plinij. Græci putant Proſerpinæ ſacrum, & omnino inferis diis. Rhodij certè deam illam, & Dianam aſphodelo coronant. Sed quod polliciti ſumus, pergamus aliquid ex hiſtoria contexere, quod uſui ſit legiſſe, & lectoris frontem exporrigat. Siquidem memorabile id eſt, quod de Alexandro Magno clariſſimi rerum conditores tradidere. Nam quum illi Carum regina Ada ſcitiſſima ſubindè, ac adipata mitteret opſonia, & bellaria exquiſitius condita ab eius artificij hominibus, meliores peritioresq; habere ſe opſopœos & coquos pronuntiauit. Quippe ad prandij apparatum, quæ appetentiam conciliet, præſtò eſt nyctoporia, id eſt nocturnum iter. Ad cœnam uerò, quo fiat appetibilior, oligariſtia, quam prandium præparcum rectè dixerimus. Hinc uirtus illa promitur clarior, qua fretus Alexander, ænea cõcha brachio ſuppoſita, extra cubile protento, quum ſe quieti traderet, pilam tenuiſſe argenteam, ut quum neruorum rigorem ſopor laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus cœptam abrumperet quietem. At Iulianus imperator nullo adiutus inſtrumento, ubi uoluit, euigilauit: & nocte media (ut Marcellinus inquit) exurgens, non è plumis, aut ſericis ſtragulis, ambiguo fulgore nitentibus, ſed ex tapete, ac ſiſyra, quam uulgaris ſimplicitas ſuſurnam appellat, occultè Mercurio ſupplicabat, quem in mundo uelociorem ſenſum eſſe, motum mentis ſuſcitantem, theologica prodidit doctrina. Cæterum in hac mentione ingerit ſe mihi Antagoræ in poetica non ignobilis feſtiuiſſimum reſponſum: hic enim gulæ nonnihil impartiendum ratus, congrum intentius coquebat: admonitus ſuper ea re Antigonus, illicq; aſſiſtens retrò, leniter retractum interrogauit: Putas ne, in-

quit,ó Antagora, Homerum Agamemnonis & Græcorum rebus carmine celebrãdis diſtentum,quo pacto congrí melius ſaperent,penſitaſſe? Fuit illi ingenium in numerato:& regerens conuitium, An opinaris (inquit) ó rex, Agamemnonem, cui tantarum rerum onus incumberet, ſolicitius perſcrutatum, ecquis in exercitu congrum coqueret? Scipio autem Aphricanus iunior, ut inter noſtros hunc nec inhonoratum tranſeamus:quum in Romano exercitu apud Numantiam, milites luxuria diffluere ac delicijs comperiſſet,inſuper & ſuperſtitione corruptos,confeſtim diuinaculos inde & ſacrificulos omnes ac productores exigendos curauit:abſtulit & uaſcula omnia, ollis modo remiſſis,ac ueru, & fictili poculo, etiam argenteo, modo libras duas non excederet. Lauandi uſu interdixit.Qui ungi uellent,ipſos ſibi operam præſtare iuſſit.Nam, inquit,iumenta,quia manuum uſu diminuta ſunt,alterius opem indiga requirũt.Stantes quoque prandere coegit,cocti nil apponentes ex opſonijs quæ Græci ἄπυρα uocant, ut quæ igni non ſint admota.Ipſe ſagum fibula ſubſtrictum,ac pullum geſtans, exercitum luſtrabat,ſubmurmurans identidem,ob militum ignominiam eſſe ſe in luctu. Apyrenon obiter aliud,quàm apyron eſt:nam ſic malum uocant punicum, cui minimus adeſt nucleus, quem πύρηνα dicũt.Sunt ex ueteribus,qui dulce ſic malũt intelligere.Anguillam Archeſtratus apyrenon eſſe piſcium ſolam cecinit, uelut exoſſem ac ſpinarum exſortem ferè: quod retulit Athenæus, ἔγχελυς, ἣ φύσει ἐστὶν ἀπύρηνος, μόνος ἰχθύς. In Catone ſeniore apud Plutarchum, λάπυρον legimus ἀφελὲς καὶ ἄρισον ἄπυρον. Aurum apyron in Herodoto, rude, intelligit interpres. At Diodorus Bibliotheces quarto, ſuapte ui purum. Apiros,id eſt ἄπειρος,inexpertum indicat. Vnde apirocalos, inſolens: ac, ut uolunt, ineptus.tametſi non habere Græcos putat Cicero,quo modo ineptum exprimãt. Nõ temperabo mihi, quin adijciam illud quoque Scipionis eiuſdem: qui quum iumẽta Memmij tribuni militaris deprehendiſſet, pſycteras gemmatas, & thericlia ſubuectantia:Mihi, inquit, dies triginta, & patriæ: ſed totum tibi uitæ tempus,quum ſis talis, uanum & inutile prorſum feciſti. Eſt uerò pſycter, uas ad menſæ uſum celebre: meminit libro decimo Pollux, ſed citra nomenclaturam nihil. At nos uocabuli ratione etymologica, coniectamus id propemodum recte dici quod Sudas ſcribit, refrigerandi commoditatibus fuiſſe deſtinatum: cuiuſmodi uaſis etiamnum maximis æſtatis ardoribus utimur hac tempeſtate paſſim. Meminit in Sympoſio etiam Plato. Apud Alexin eſt item pſycteridion. Vocatur pſygeus quoque,ſed & pſycteria. Pſycteres tamen apud Nicãdrum, nemoroſa intelliguntur loca, & umbræ multæ, dicata dijs, quod in ijs frigus liceat captare. Pſychia nuncupat Athenæus, ſubterranea loca frigefactandæ aquæ æſtu anni accommoda. Apyrum uinum interpretatur Athenæus non coctum, quando & coctis uſos priores, annotatum ſcimus.

Intemperantiæ deteſtatio. Corpus humanum eſſe tartarum quẽdam & piſtrinum,ac mortuorum cõceptaculum. Microtrapezi. Centenariæ cœnæ. Italicæ menſæ quæ intelligantur apud Platonem. Item Italica philoſophia. Græcia magna quæ fuerit. Porrò de Tarentinis & Sybaritis paucula & uellicatim.Item Siritis,& Polieum ubi. Mitrochitones qui. Neceſſarij cibi in Plutarcho cuius ſint modi. Cap. IX

QVi intemperãtiam brutalemq́ prorſus gulæ explendæ uoluptatem amplius grauiusq́ inſectati ſunt, ij mihi appoſitiſſimè uidentur feciſſe, quo ab inſita fœdaq́ percolandi, ut Senecæ uerbo utar, eſculenta & poſculenta nos cupiditate ſequeſtrarent ſeiungerentq́: tametſi nil me fallit, nec pardum uarietates mutare, nec pellem ſuam Aethiopem: quum huic affectioni mãcipatum corpus eſſe ueluti tartarum ſcripſere: in quo fluctiones graues infeſtent, & perflatus tumultuentur nõ abſque æſtuoſis ardoribus: ſitq́ planè mortuorum conceptaculum, ac uerius ſepulchrum. ſiquidem uiuentes uiuis neq́ alimur,neq́ augeſcimus,uerum animalia perimentes,à quibus hæc nobis præſtantur, etiam iniurij efficimur, omnimodum illis afferẽtes interitum,quæ ab eo quod nata erant,in alimentum tranſmutantur alienum. Adijciunt & illud authores ſanctiſſimi, Multorum animas corpore, tãquam mylone quodam,hoc eſt piſtrino eſſe obuolutas occluſasq́. Quibus illud rectè inſuſurraris, dignas quæ tanquam ad Mithridatis literas planè omnes eradantur, ut in reliquum nemu quidem faciant

ciant. Inde fit, ut præclarè cum humanis rebus actum iri putem, si quantum naturæ ratio patitur, Aegyptium nobis institutum proposuerimus imitandum: etenim gentibus illis esse ueteris in re funerea moris accepimus, ut cadauera dissecantes, interanea eximant, eijciantq́; reliquum uero corpus iam quodammodo depuratum, abiectis quæ maxime feculenta sunt, condimentis curent, & odoramentis inferciant: etiam si uiros modo eos putant nonnulli, qui & uorare plurimum & bibere ualeant: sed hoc est Barbaris peculiare, ut inquit Aristophanes. Certe alimentorum hæc uix interuallata ingestio, dum Megarensium ritu obsonamus, perinde ac die crastina morituri, mihi uidetur non uitæ modo, ut ferè creditur, esse uiaticum: sed magis multo mortis ipsius. inde enim maxima ægritudinum uis, ut non minori sit nocumento explendi studium, quàm illa ipsa inanitio. Nos uero non secus uentri intendimus nullam non naturæ partem depopulantes, in qua modo comperiatur, quod intermorientem appetentiam excitet, ac si una hac dempta cura, consilij inopia uideamur otio immorituri. Nec illud saltem succurrit, edendi, bibendiq́; uoluptatem angustissimum in corpore locum habere, & dictum factumq́; (quod aiunt) transuolare. At bone deus, apparatus quantũ habet negotij, quantum molestiæ? Agnoscamus hoc licet, uel ex Homero, qui deos ideo immortales demonstrare uidetur, quia nec uinum bibant, neq́; item cibis uescantur.

οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ οἶνον αἴθοπα πίνουσ'
τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Veteres certe Græcos non fuisse in epularum apparatu ualde curiosos, argumento esse Antiphanes potest, qui non citra morsum μικροτραπεζους uocat eos: qui mox in deliciarum chaos sese demiserunt. uelut centenarias taxat apud nostros cœnas in Apologetico Septimius Florens, ab centum impendio sestertiorũ, quando & in lances etiam num tota producebantur metalla. Dum ista commentarer, occurrit mihi Platonis ad Dionis amicos epistola quædam, cuius & Thusculanarum quinto meminit M. Tullius. In ea quum alia multa uitæ in primis conducentia, tum illud obseruauimus, Non fore prius ut malis agitari desinamus, quàm si respublicas capessere cœperint philosophiæ innutriti & probè & rectè: aut qui iam administrationi manus admouerunt, uerè philosophari ingrediantur. Qua, inquit, mente Italiam Siciliamq́; mihi adeundam censui. Eò quum appulissem, uitam quam beatam uocant, Italicarum Syracusanarumq́; mensarum non potui non summopere improbare. Mos enim illis est iam receptus, bis die saginari epulis ac distendi, noctu uero libidinis socium adscisce re: & id genus alia perficere, quæ uitæ sunt eiusmodi ueluti propagines. Nemo enim omnium ita ab ineunte ætate connutritus, etiam si ingenio sit mirus, prudentiam sibi queat uendicare. Hactenus ex Platone, ut potui, est à me tralatum, in quo philosophi censuram iucundè sum exosculatus. Sed quòd Italicas mensas peculiarius taxat, quarum libro primo meminit Athenæus item, adnumerans Chias quoque, ut de Syracusanis taceam: etenim ciuitatis eius opes, uel prouerbio fuisse iactatas, Straboni credimus: fateor, mihi stomachum mouit: ac uelut redemptor & manceps, toto mihi standum pede pro locato, id est patrijs focis ariscq́; animaduerti. Suspicatus sum initio quidem, aliquid uirulenti, & dicacitatis Græcæ subesse uerbis illis. Mox ut me collegi, in eam ipsam gentem facile conuitium retorqueri, conspicatus sum. Iam omnium primum ueterem Italiæ frugalitatem passim ab Græcis & Latinis commemoratam, quis non nouit? Nullo magis argumento Barbaræ gentes, etiam tempestate hac, qua in summum luxus increuisse uidetur, in nos ueneno suo irruunt, proscissa subinde conuiuiorum tenuitate, quæ apud illas missuum numerositate mirè ganeata, & impendij magnitudine, & condiendi anxietate, delicijs diffluunt. Author ex Posidonio Athenæus est, Italos ueteres ita frugalitate insignes fuisse, ut ad Posidonij tempora, aquam ferè biberent: ac quicquid obijceretur, esitarent: sæpiusq́; filium interrogaret parens, Apios in cœna cuperet, an nuces? nec pluribus uescentes quieti se traderent. Adde, quòd Archestratus opsophagorum, Hesiodus Theognis'ue, lupum laudans Milesium, quem θεόπαιδα uocat, non admittendum ad id genus obsonium Italos monet, quoniam in condiendis piscibus insciti præcipuè habeantur: etiam si legimus bis die sumptuosius Tyrrhenos mensam solitos instruere, puellis etiam nudis administrantibus, ut prodit Timæus; & commeminit Diodorus parte

quadam. Taceo ueteres Romanos, de quorum continentia nemo non disserit in libris. Quid disciplinam tetricam ac tristem antiquorum Sabinorum commemorem? Quid transpadanam Italiam hac præcipue insignem uirtute, Plinij Cæcilij astipulatu? Sed testibus res non eget. An igitur tam grauem, tam sanctum, tam præsignem animorum medicum Platonem mentitum uideri uolumus? Absit id à me piaculum. Ego Italicas mensas apud eum non alias accipio, quàm Græcas: quòd si quis forte sciolus, aut Sallustianus Calphurnius risu excipiendum putat, ab derisu non abesse se intelligat. Nónne clarissimum est, philosophiæ quoddam genus Italicum dici? Vnde nuncupationem hanc credimus irrepsisse? An quia id excoluerint Itali? Atqui eius author fuit Samius Pythagoras, quod ex Augustino didicimus, & ante hunc Laertius docuerat. Amplius per Græcorum tantum capita uagata est, desiitq; in Epicurum. Cur ergo Italica? Audi Plinium ex tertio Naturalis historiæ: Græci, inquit, de Italia iudicauere, genus in gloriam sui effusissimum, quotam partem ex ea Græciam magnam appellando? Audi Trogum explicatius scribentem: Ab Græcis non partem, sed uniuersam fermè Italiam fuisse occupatam, urbibus multis post tantam uastitatem Græci moris uestigia ostentantibus. Quod ipsum comprobat Athenæus quoq; libro Dipnosophistarũ duodecimo, ni emendatus est librorum ordo & numerus. Quippe Adriam Illyrico mari adiectam, urbem esse Græcam. Item in Apulia Harpos. Postea oram ferè uniuersam à Græcis occupatam circumductu tantum non perpetuo Pisas usque, necnon intus quoq; partem haud contemnendam. Inde igitur nomenclaturam ducit Italica philosophia, ut quæ à Græcis in Italiæ parte celebrari cœpisset. In hanc se contulisse Platonem scimus, dum disiectam quodammodo sapientiam sectatur. Architam siquidem adijt Tarentinum, item Timæum ac Philolaum Pythagoreos in Locris. Iam Tarentinas delicias quis non nouit? quando & primo Legum apud Platonem Megillus ciuitatis uniuersæ uinolentiam in Bacchanalibus se uidisse, non inficiatur. Thurion, siue Sybarin eo tractu sinui Tarentino adiacere, ex Ptolemæo scimus omnes. Horum uero incomparabilem molliciem quis non legit? Sybarica certe uocant Græci omnia impendij maioris. Parthicam sybarim in Crasso dixit Plutarchus, & ab eo mutuatus Appianus, apparatum spectaculi lasciuum prurientemq; inter pellicum seriem numerosam, & id genus alia complura. Sybariticam mensam Zenobius glisceram intelligit, & ut Plautus inquit, ritu barbarico opiparam. Scribit in Moralibus Plutarchus: Illud fuisse ueteris apud Sybaritas moris, ut conuiuia celebraturi anno prius per uocatores fœminas inuitarent, quo luxuriosius gemmis, auro, unguentis, uestibus exquisiti impendij cultæ omnium in se ora conuerterent. Artes porrò, ait Athenæus, quæ sono constant, ab ciuitate reijciunt, ne qua ratione interpelletur quies, quin gallos quoq; in urbe connutriri recusabant. Habuere in delicijs & staturæ exiguæ homunculos & scopæos quoq;, ut inquit Timon, qui ab quibusdam stilpones uocantur: ac cynaria Melitea, id est catellos Melitenses, qui eos uel in gymnasia consectarentur. Iuniores æstiuos transmittunt ardores per delicias maximas apud nympharum antra, quas dicunt Lusiadas. Prædiuites si quando rusticationis subeunt desideria, curru quidem uehuntur, sed ita ut diurnum iter tribus uix diebus conficiant. Amidas excogitarunt primi, id est matulas, quas etiamnum conuiuijs intulisse gaudent. Hæc est Italicarum apud Platonem mensarum ratio. Quæ eo procliuius adnotauimus, quòd lamias audimus quasdam de Plautina (quod aiunt) familia, ad detrahendum modo sciola, de Platonis decreto, ut ipsi garriunt, nos uellicare, ut molliculos & gulones, ac pelusiotas nescio quos, & luteos, animalesq;, nil suspectantes prorsum, sed Saturnalia in infinitum extendentes. Sed & Maronis authoritas nostram approbat opinionem: sic enim Aeneidos tertio legimus, Heleno loquente, qui tum in Epiro constitutus proximam habebat Apuliam & Calabriam: sic uero Aeneam commonet,

Has autem terras, Italiq; hanc littoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Grais.

Fuere in eo tractu Siritæ prope Metapontum, quorum urbs dicta Siris est, cum nominis eiusdem fluuio. Sed & Polieum à Poliade Minerua, siue Poliucho apud Iliũ. Hosce non Sybaritis minus in molliciem collapsos, Græcis credimus: nam floridas illis tunicas

tas geſtare fuit moris, quas etiam mitris, hoc eſt cingulis impendij eximij præcingerent: quo nomine ab adiacentibus populis dicti Mitrochitones, quoniam diſcinctos Homerus amitrochitonas nuncupet. Siritarum denicq; felicitatem ampliter admiratur Archilochus. Impoſitum uero ciuitati nomen ab Siride muliere, ut Timæus inquit, ac ſignificat Euripides: quamuis ab flumine malit Archilochus. Neceſſarios cibos, id eſt βρώσεις ἀναγκαίας, dici in Plutarchi Parallelis obſeruauimus, homini inſuetos, & omnium penuria quæſitos. Denicq; inquit, præter famem craſſante morbo, uti aſſolet, ὧν βρώσεις ἀναγκαίας τρεπομένων, in reliquos qui ſuperfuerant, abduxit.

Voluptatis genera tria. Luxus Aſiaticus, & Ionicus. Enarratur locus Propertij & Horatij alter. Ionia, pro uiolarijs. Rhodonia. Crinonia. Anthos porphyrion. Papauerculum. Papauer. Cionia. Cion uas. Farraginaria. Olla rhoduntia. Ion, id eſt uiola, cur dicatur. Violam cur uocent Latini. Ionium mare. Mileſius ſermo, & fabellæ Mileſiæ. Læſtrygonas eſſe Leontinos. Attica bellaria. Siculorum mollis uictus, & Leontinorum. Vmbricæ cœnæ, & Homericæ. Anagogæ, & catagogia. Mirum de Syracuſanis. Caupones Italici.

Caput X

ALexis poeta Thurius, ſiue Sybarites, comœdias ædidit plures. In earum quadam, ueluti terrarū orbi ſanciret leges: Decere, inquit, modeſtiſſimū quenq; uoluptates conſciſcere. Eas uero eſſe tres, quæ dubio procul uitam poſſideant uitæ conferentem, τὸ πεῖν, τὸ φαγεῖν, τὸ τῆς ἀφροδίτης τυγχάνειν, hoc eſt potum, eſum, Veneria. Cætera uero omnia dicere, inquit, oportet πρόσθηκας: ac ſi additamenta dicamus. Huius uero comicæ, & adeo grauis ſententiæ, perinde ac ex diuiniore quopiam oraculo prodijſſet, admirari ſuccurrit, quam agminatim & confertim conſtipateq; mortalium plurimi conſectatores ſe profiteantur, & ueluti ſponte, Volonum inſtar, nomina dantes decuriandos ſeſe exhibeant, eiusq; unius fiducia conturbent. Aſiaticas illecebras & popinationes ex paulo politioribus non ferè eſt, qui non legerit. Quoniam lautitia inde, & immodici ſumptus, ac non neceſſaria uoluptatum genera ortum habuere, & fuſa mox latius, ac uelut incendium euagata non paucos in perniciem emollidis fluidisq; moribus pertraxere. Ioniam legimus omnium primam unguentis delibutam ornatamq; corollis in conuiuio decubuiſſe. Menſæ quoq; ſecundæ, inſigne luxus iritamentum, non aliunde irrepſiſſe uidentur. Vt minus mirer Sybaritas luxuriæ mancipatos, ſicuti in Sudæ monumentis proditur, inter mortales cunctos Ionas eximiè colere, ac exoſculari aſſueuiſſe, quod inter Græcos mollicie præſignes maximè forent. Nam & Plutarchus ſcribit: Alcibiadem, qui ferè polypi & chamæleontis miram exhibebat naturam, in Lacedæmonia fuiſſe ſeuerum & grauem, & quod illi plurimi faciunt, pugnatorem egregium. In Ionia uero inertem, mollem, uoluptarium, fluxum: pollucto nunquam non addictum, etiam ſi pollincto uideretur dignior. quod hæc adeo ſint eius gentis peculiaria, ut in comicis Græcis Ionicum pro molli & delicato poſitum inuenias. & Ioniam nonnulli callitrapezon uocant, ac trypheram. Hoc eo libentius apposui, ut Propertio ferremus opem, & poetæ illius ſtudioſos noſtris lucubrationibus iuuaremus pro uirili. Eum uero conuelli magis audio, etiam ab doctiſſimis, quàm enarrari. Propertij uerſiculi ſunt hi:

At tu, ſeu mollis qua tendit Ionia, ſeu qua
Lydia Pactoli tinguit aratra liquor.

Enarrantur & ijs Horatiani uerſiculi ex tertio Carminum,

Motus doceri gaudet Ionicos Matura uirgo.

Ioniam nunc Aſiæ regionem intelligo: cuius ciuitates numero duodecim celebrantur ab eruditis. Nam ſcribit Stephanus, Ioniam prius, quæ nunc Attica eſt, fuiſſe nuncupatam ab Ionio Apollinis & Creuſæ filio. Sit uero illud auctarij loco: nam ſtudioſorum emolumento libenter in parerga excurrimus. Ionia, ſi accentiunculam in poſtrema recipiat apud Græcos, locum ſignat, ubi uiolæ naſcuntur, quæ dicantur ia: quod probat Libanius: ſicuti rhodonia, ubi roſæ. Sunt qui plantā ipſam eo nomine intelligant: quanquam eſt & ganeati genus condimenti rhodonia, in Athenæi monumentis. Sed ῥοδωνία inquit λοπάς nuncupatur quoq;, id eſt olla rhoduntia: concinnabatur auium cerebellis

bellis ac porcorum in rosa decoctis numerosiore, addito item garo, oleo, uino, pipere, ouorum luteis, quæ is uocat τῶν ὠῶν τὰ χρυσᾶ. Obiter illud ex Græcis compertum mihi ἐκλογῶν περὶ γεωργίας undecimo, quod & nostri obseruarunt: Ion dici, quia quum foret in uaccam Io deformata, illius pabulo repens uiola prodijt, quæ à nobis uideri dicta potest, quasi uitula. Verum ad Ioniam redeo, ne uidear uelut de spatio ablatus. Ab alijs autem floribus, inquit in thesauris suis Pollux, an fiant id genus deriuationes, non noui. Cur non nouisti, uir doctissime? Crinonia in tuis authoribus locus nuncupatur, ubi crina habentur, id est lilia. Nam & Latinè farraginaria, pro loco dicitur ubi seritur farrago. Ioniæ, pro uiolario meminit in Pace Aristophanes. Sunt quibus ionia uideatur flos, is qui purpurarum ac buccinorum est proprius, ab Democrito nuncupatur anthos porphyrion, inter papauerculum & ceruiculam, quod in Athenæi relatum thesauris est. Dicitur uero papauerculum buccini pars ima esculentaq́. Est tamen eodem authore, callus pinnæ interior, & conchilij quoq́ papauer. Verum in Dioscoride non ionia, sed cionia legendum arbitratur Hermolaus Barbarus, ut columellam intelligamus: quando & uulgo cionion dicatur uitreum uas, seu cion. Rhodoniæ uero meminit Aristophanis interpres: meminit Demosthenes quoq́. Crinoniam Sudas non prætermisit. Ionium autem mare ab Ius nomine nuncupatum ferunt: etiam si ab Illyrio uiro Ionio, mauult Theopompus. Nam Archidamus etiam ab Ionibus, in eo qui naufragium fecerint. Milesius Apulei sermo, ex Ionum mollicie originem ducit, pruriens ac lasciuus: Nam & Milesias dici fabellas, norunt omnes. Iulius Capitolinus in Clodio Albino: Milesias nonnulli eiusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamuis mediocriter scriptæ sint. Et paulo pòst ex Seueri epistola: Quum ille nænijs quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas Apulej sui, & ludicra literaria consenesceret. Milesiorum figmenta in scholis solita decantari, scribit aduersus Ruffinum Hieronymus. Athenas nemo unquam pro dignitate laudasse satis uidetur: inde enim humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq́ in omnes terras distributæ putantur. Vera sunt ista propemodum, non imus inficias. Tu tamen tam exculta, tam grauis, tam philosophiæ consectatrix ciuitas Alexidis sententiæ & ipsa calculum adijcis in gastrismo, id est uentris indulgentia. Literis siquidem tuis proditum est, immo ne tergiuersari queas, ab tuis ciuibus mandatum memoriæ, Attica bellaria fuisse lauta admodũ & pollucibilia, quæ cupediarum excellentia frontem matutinam quoq́ prolectarent. Meminit tertio De republica Plato. Quid uero de Siculis dicam, etiam si acutis & controuersis natura? Mensas quidem Syracusanas, quarum meminit Lucianus, nec Zenobius pertransiit, ab philosopho iam damnatas taceo. Synesius in commentario De somnijs, Siculorum uidetur luxum nouisse: Mensam, inquit, Siculam parat: si placet, etiam medicam. Cæterum cuiusmodi forent eius insulæ mores, optimè omnium monstrasse uidetur poeta Philoxenus ex colonis unus, qui in Siciliam missi fuerant: nam quum inibi domum & agros sortitus esset feraces, unde ali abundè posset, indigenarum uero mores prælautos animaduertisset, ac nimio plus delicatos, & multam præferentes inconcinnitatem, Μὰ τοὺς θεούς, ἔφην, ἐμὲ τοῦτ' τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγώ τοῦτ'. Non per deos, inquit, hæc me in perniciem bona dabunt, sed ego ipsa potius. Et cum dicto relicta socijs sorte, enauigauit inde. Leontinos in eadem populos insula scribit Diogenianus, inter pocula obuersari assiduè cum maxima solitos fœditate, in quam calamitatem Phalaridis sæuitia uidebantur recidisse, à quo uicti bello & armis exuti, ne mox res nouas affectare possent, conuiuiorum hilaritatibus & uinolentiæ sunt relicti. Ab ijsdem quoque in Eryce populis religiose cultam legimus Venerem, cuius honori dicabantur anagogæ. Hæ uero intelligebantur, quum in Libyam inijsse peregrinationem credebatur dea, cum qua simul emigrarent columbæ, quæ mox catagogijs redirent nono die pòst, una primum è mari aduolante ac subeunte templum. Scribit Lycophronis interpres, Læstrygonas esse, qui nunc in Sicilia dicantur Leontini. Prodidit Stephanus, Læstrygonas cum Cyclopibus primos Siciliam incoluisse. At Plinius libro tertio: Formiæ, inquit, antiqua Læstrygonum sedes. Siculos, ut ingenio pingui, damnant Græci. Plutarchus de Timæo: Non Lydium, inquit, currum pedes assequitur, ut ait Pindarus: sed rudis est omnino, ac puerilis, &, ut inquit Diphilus, pinguis, ἀνθιλεμμόν σέ πα σκελικῶ, id est

λῶ, id eſt adipe fœdatus Siculo. Scribit Cicero, Siculam gentem eſſe acutam, & natura controuerſam: unde factum, ut Siculi Corax & Tiſias dicendi præcepta condiderint primi. Sed omnem excedit admirationem quod de Syracuſanis apud ueteres obſeruatum legimus: lege ſiquidem ſancitum illis fuit, ne mulier ulla pretioſius ornaretur, ni ſe conſtupratam prius eſſet confeſſa. Cæterum & uiris cautum quoq; ne ſumptuoſiorem ueſtem induerent, ni aduerſos auerſosq; impudicos ſe comprobaſſent. Vmbrica tamen ſympoſia paulò opulentiora uidetur Plutarchus accipere in Sympoſiacis: Ad cœnam, inquit, uenit unuſquiſq; proprium ferens uentrem, qui non expletur, eo quod æquale eſt, ſed quod ſufficit. Vmbrica autem conuiuia illa nil opus eſt ex militaribus & caſtrenſibus cœnis huc transferre: ſed & Homerica ualere ſinamus, ſubſamelica enim ſunt, ſiticuloſa: habent quoq; heſtiarchas, id eſt modiperatores reges, uel Italicis cauponibus difficiliores: qui inter pugnandum, ubi micant gladij, & atrociſſimus uiſitur Mars, obiectare non deſinunt, quantum quis apud ſe hauſerit. Hucuſq; Plutarchus: ex quo propter reconditiorem doctrinam, pluſcula transferre collibuit. Quod tamen de Italicis refertur cauponibus, ſcire conuenit, eſſe id haud perpetuo uerum, quod ex Polybio liquet Hiſtoriarum ſecundo, in Italiæ deſcriptione. Super Vmbricis uero conuiuijs ſcrutabar impenſe, ecquid in ueteribus memorijs reperire eſſet, unde qualiſcunq; demanaſſet luxus is, ac comperiebam in Ariſtotelis libro, ſi modo non inſititius eſt, πρὸς θαυμασίους ἀκουσμάτους, apud Vmbros animalia ter quotannis partum ædere: terram uero largiores ſemper fructus producere, quàm demeſſuerint prius: mulieres item eſſe πολυγόνους, id eſt præfœcundas, raro ſiquidem unum parere, duos uel tres ſæpius. Eſſe uero Vmbros Græci ſcribunt, in Padi meditullio, & Picentum. Sed & Simbros quandoque dictos, inuenio. Hoſce item ut delicatioris uitæ ac conturbatores in primis Abrodiætos ab Græcis inceſſi comperio, ac compari Lydis ratione uitam tranſigere conſueſſe. In Vmbris tamen parſimoniam laudat poeta Catullus. Terram uoluptariam ſignificantius à Græcis τέμπη, inquit Hieronymus, dici.

Victus frugi ex Platone. Menſa ſacra. Gulæ inſectatio breuis ex Porphyrio. Dioſcurorum prandium Athenis. Menſa Aegyptia, Democratica, ſatrapica. Rogatiani hiſtoria minus uulgata. Athletarum ſuggillatio fœda. Edacium catalogus. Addephagiæ templum, & Cereris σιτῶς. Megalartus. Megalomazus. Spheram habere bona ſua, quid. Terpſion gaſtrologiæ author primus. Voluptatem eſſe monochronon. Cur unus tantum homo ciborum appetat diuerſitatem.

Caput XI

HAec eſt Abronum uita, hic luxus omnia gulæ ſtudio prodigẽtium, ac ne in rutis quidem, & cæſis ſolum ſibi paternum omnino relinquentium. Hi ganeones, profligatoresq;, & quibus animam ſcias pro ſale datam, quorum uita ſagina eſt. Sed age: ex Platone eodem, unde exorſi ſumus, mutuemur uiciſſim, quæ ad ſanitatem Apitios, qui uiſuntur etiam hac tempeſtate plures, reuocent, menſarũ compreſſa ſuffrenataq; uoragine. Quoniam ſicuti aſtruebat Democritus, ambitioſam menſam fortuna, parcã uirtus apponit. Et Cenſorius Cato: Cultus, inquit, magna cura tibi, magna uirtutis incuria. Igitur conſtituturus philoſophus hic ſemper fere diuinus ciuitatem: quæ ſui prius, quàm aliorum compos fiat: quæq; non tam terrorem gentibus, quàm uenerationem ſui nominis auguſtiorem ſit iniectura, ueluti cæleſtis quædam res propioribus lineis expreſſa in terris: inter alia diuiniore ingenio excogitata, etiam quæ ad uictus rationem ſpectant, tam ſapiens, tamq; admirabilis conditor minus neglexit, ad retundendam helluantium, & familiam pecuniamq; ſuam mutitationum gurgitibus proluentium laſciuientem gulam. Nam libro ſecundo De iuſto, ſic fermè ſcribit: Aeſtiuis, inquit, temporibus parte plurima, neq; ueſtibus fulciẽtur, neq; item calceis. At hyemalibus utraq; ad cõmodum adhibebuntur. Panibus ueſcentur hordeaceis, aut etiam frumentaceis, quibus calamos ſubijcient, aut frondes puras. Ipſi uero ſubſtratis ex milace ac myrto lectulis, decumbent cum liberis, coronati interim, nec uino abſtinentes diuinas laudes concelebrando: ut ita hilarius uiuant, ac iucundius, nec filijs operam dabunt, præter rationem calculorum. Porrò opſonia non alia erunt, quàm ſal, oliuæ, caſeus, porrum, olera quoq; ex agris ueluti pulmenta. Adijcia-

mus

mus & bellariorum aliquid. Sint uero hæc, ficus, cicer, faba, myrti baccæ, quæ uocant myrta, necnon ex fago glans prunis tosta. In potu autem summum adhibeatur temperamentum, ut hac ratione salubriter conseneſcant, ac tranquille, uiuendi exemplum posteris relicturi. Hoc est nobile Platonis decretum: hic fundus, & esitandi fundamentum omne: quod quàm uerum, quàm sanctum est, utinam tam id festiuiter excipiamus omnes, ut mensam sacram & mitem, sicuti scienter inquit Synesius, turgidæ incipiamus, ac nuptijs repotijsq; anteferre: & Apitij, ac Paxami iura, ualere iam sinamus, ne dum fartura pergliscit, opimaturq; corpus, nubilum menti prætendatur cimmerium. Quod eo esset præstandum procliuius temperiusq;, quoniam doctissimus quoque Porphyrius uentri mancipatos homunculos, immundorum dæmonum uasa fieri scribit. Seruatum uero Athenis Græci tradunt, antiqui uictus exemplum, quum Dioscuris in Prytaneo apponeretur prandium: mensis enim inferebatur caseus, ac physte. Est autem eo nomine, mazæ species. Oliuæ quoq;, quas drypetes uocant: item porrum. Mensa uero Aegyptia cuiusmodi foret, nam neq; hoc ab proposito dissentaneum est, ex Philostrati uerbis licet coniectare in Dionysio sophiste, quem ab Adriano imperatore illis insertum tradit, qui in museo pascerentur. Museum uero, inquit, mensa Aegyptia, conuocans omnes in orbe terrarum eloquentia illustres. Adnotatum in Græcis authoribus, Democraticam uocari mensam, quæ sumptu modico plures alat, cuius fuit modi Athenensis Cimonis. Satrapicam uero, quæ impensa nimia ὀλίγους τρυφῶντας, id est paucos admittat delicijs diffluentes, qualis uisebatur Lucullea: unde illud in adolescentem, πλατῶν ὡς πρῶος ᾖν ὡς λύκυλλος, λέγων ὡς κάτω. Cæterum prius quàm inde digrediamur, succurrit exemplum frugalitatis nobile senatoris Rogatiani, cuius idem meminit Porphyrius. Is ergo sapientiæ studio egregie intentus, nil habebat antiquius, quàm ut quantum ratio pateretur, animum ab uitæ cogitationibus reuocaret, quamobrem nec bonorum curam omnino ducebat, quin & seruos à se reiecit, nec ullos unquam honores admisit. Nam proditurus quandoq; prætor, iam lictoribus illi apparentibus, nulla prorsus dignitatis habita ratione, nec prodire quidem sustinuit. Imò & propria domo relicta, apud amicos diuertebat, contentus semel interdiu dedisse operam cibo. Quæ uiuendi ratio tam incuriosa, tamq; sui negligens illuc demum profecit: ut quum podagra infestaretur prius, mox tanquam in multos annos impetratis inducijs, aut diffiso die, ita conualescerent, ut manuum pedumq; munere non uteretur secus ac quilibet maxime uigentium: qua quidem re factum est, ut uerè syncerite rq; philosophantis insigne esset, ac haberetur exemplar. At obsecro, Herculis polyphagiam, ut Græcè dicamus, & polyposiam, quis non nouit? Quin Vlyssis edacitatem, ac læmargiam, & luxuriæ efferuescentis æstum ex carmine Homerico aucupatur Athenæus. Iam Theagenes Thasius athleta taurum uorabat solus: quod in Epigrammatum libro prodit Posidippus. Milonem Crotoniatam scribit Theodorus, carnium minas deglutisse uiginti, & panis totidem, uini choas persiccasse tres: sed & in Olympia quadrimum solus per diem absumpsit taurum, per stadium antea humeris circumlatum. Astydamas Milesius ab Persa Ariobarzane uocatus quandoq;, quicquid omnibus destinatū foret, uoraturum se repromisit, impleuitq;. Sed de athletis non magnopere mirandum, quando ipsum hoc profiteri uidentur: propterea in Autolyco primo Euripides, Multa quidem inter Græcos mala uersari scribit, athletico tamen genere nil prorsum haberi peius, ut qui malarum seruí sint, ac uentris. Carmen ipsum quod arrisit insigniter, etiam apposui:

Κακῶν γε ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα,
οὐδὲν κακίου ἄθλητῶν γένους.

Cambleta Lydorū regem, scribit Xanthus in id uorandi studio euectum, ut nocte quadam uxorem quoq; absumpserit: quumq; summo mane illius manum in ore comperisset, semet iugulasse. Rhodij Timocreontis edacitatem, ac bibendi auiditatem, sepulchro insculptum declarat distichum:

Πολλὰ πιὼν καὶ πολλὰ φαγὼν καὶ πόλλα καὶ εἰπών
ἀνθρώπους, κεῖμαι πυόκρεων ῥόδιος.

Quid, quod in Sicilia Addephagiæ uisebatur templum, id est edacitatis: ac Cereris statua, quæ dicitur σιτώ? Velut apud Bœotiæ Scolum Megalarti, & Megalomazi. Alc-

man

man poeta pamphagum uocat ſemet. Ac ſunt hæc quidem patrimonia non deo pollucentium exempla, ſed gulæ: quid uero pollucentium dico, tanquã bonorum decumam contriuiſſe, putent ſatis: imo uero ſua omnia, & ſe denique deuoluentium in barathrum ſic, ut in pollinctura, ne ſuper ſit quidem quod funeri infundatur. Eiuſmodi fuiſſe Sippium, Plutarcho credimus. Eleganter uero id genus hominum dicũt poetæ, præſertim Græci, bona ſibi habere uelut ſphæram, quæ in uentrem facile deuoluerint. Diodorus, inquit Alexis, annis duobus σφαῖραν ἀπώλεσε τὴν πατρῴαν οὐσίαν. Terpſiona, Archeſtrati præceptorem, omnium principem gaſtrologiam conſcripſiſſe, compertum nobis ex Græco penu. Voluptatem Ariſtippus eſſe monochronon dicebat, id eſt temporis unius, quoniam præterita ad nos pertineat nihil, futura nec dum adſit. Sed enim quærat forſan curioſior aliquis, unde ſit potiſſimum, quod inter cuncta animantia unus homo ciborum expetat diuerſitatem, reliquis uel uno contentis, uel omnino longe paucioribus. Difficultati, & quæſtionis inolucro ſic ferme occurrunt naturæ uiri capaces: quod nobilitatis magnitudine, producta omnia humanis deſtinẽtur uſibus, id quod in aliis non ſit. Porro & conſtitutionum uarietas in uno tantum comperta eſt homine. hunc enim temperatum aſtruimus, ſanguineum illum, alium phlegmaticum, & deinceps. Nam in ſpecie ſua, bruta ſunt omnia, uel pituitoſa, uti ſues, pecudes: melancholica nonnulla, ut cerui, boues. unde fieri, ut homini alimentorum genus non unum uideatur neceſſarium. Denique animalem nos appetitum inſequimur, qui ideo uarius probatur, quoniam ad oppoſita ſe habeant eius potentiæ. In brutis appetentia uiget naturalis, cuius ratio eſt alia.

Qui ſit in Familiaribus epiſtolis, trapezophorus, contra omnium hactenus enarrationes. De trapezophoro item intellexiſſe Iuuenalem. Menſarum genera. Atlantes, telamones, magides, xylon. Troianorum menſæ. Monopodia. Meſa, quæ & menſa. Abacus. Cap. XII

VVum M. Tullij Epiſtolas familiares enarrarem Patauij maxima prouincialium frequentia, nec abdicatis tamen noſtratibus, incidi in Epiſtolam ad Fabium Gallum, ex libro (ni fallor) ſeptimo, in qua ita legebamus: Trapezophorum, ſi te delectat, habebis. Id uerbum tanquam obex moleſtior, multum iniecit moramenti, quod non ita frequens uideretur: & interpres, ut plerunque, auribus paulo erectioribus minus ſatisfaceret. Sed quum in Græcorum penu diuerſiſſem, uaſarijs omnibus (quod aiunt) excuſſis, tandem quod inquiſitioni diuturnæ & ſolicitæ fuerat, ſum uiſus reperiſſe. Siquidẽ in libro Iulij Pollucis decimo, ita legi: Licet porro menſam in qua pocula reponuntur, tetrapum dicere, aut etiam monopum: uel, ſi quis ambitioſe ne nouis quidem abſtineat, trapezophorum, uelut qui mẽſam geſtet. hæc Pollux. Qui & ſi non omnino uetus uerbum putat, trapezophorum: interpretis tamen refellit inſcitiam, in eo hallucinantis maxime. Nam etiam ſi in ueteribus Græcorum libris in ea notione trapezophorus non fere cõperiatur, quis tamen inficias eat, Ciceronis ætate in uſu fuiſſe. Pollux certe negare non uidetur. Nam alibi, menſam coquinariã ab iunioribus dici, epicopanon ſcribit: & tamen infert ſtatim, uerbum id extare in Menandri Meſſenia. Verum & apud Iureconſultum Florentinum, Digeſtis de ſupellecti legata, id uerbum reperias notione quam præſtruximus. Porro quis unquam uel legit uel audiuit, Sacerdotis, quæ dicta ſit trapezophoros, ſtatuam, ut rem plane uiſendam, ac uelut obryzatum omnino nummum, circunferri ſolitam? Quid tam præſigne in Palladis miniſterio uel fecit illa, uel excogitauit: ut non abſonum ſit, huiuſmodi honores illi fuiſſe contributos? Præter nomen uix aliud reperias quicquã de ea in literis. Quod ita eſſe, ſignificare uidetur Harpocratio, à quo exponitur ea dictio. Ego uero trapezophorum intelligo apud Ciceronem, ſtatuam, quæ poculorum menſam ſuſtineret. Nam ex Vitruuij doctrina manifeſto liquere omnibus puto, Imagines hominum exſculpi ſolitas, quæ columnas ſubiectæ fulcirent, aut tigna, uel id genus alia, quas Græci atlantas uocent, Latini telamones. Quo in genere habentur, quæ caryatides uocantur, necnon epiſtylia ſuſtinentes ſtatuæ Perſicæ: Quod & noſtris temporibus nullo non in loco conuiſitur. Sed in re confeſſa, nimis multa. De trapezophoro puto etiam Satyrum nobilem intellexiſſe, qui & noſtræ ſententiæ addit tibicinem:

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli ſex
Ornamentum abaci, necnon & paruulus infra
Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.

Si cui non triuialia placent magis, quod ab Luſcinia Coccycem nequeat diſparare: placeat, opinor, & Cyprij bouis merenda. Lego in noſtris monumẽtis, & apud Varronem in primis, fuiſſe apud Romanos uinariam menſam rotundam, quæ diceretur cylibantum, à poculis quæ κύλικας Græci uocant. Item menſam alteram lapideam quadratam oblonga columella ſuffultam. Hanc cartibum, ab gerendo appellarunt, mox & cartibulum. Tertium menſæ genus quadratum & ipſum, uaſis modo deſtinatum, dicebatur urnarium, quod urnas cum aqua poſitas ibi potiſſimum habebant in culina. In Iulij Pollucis Onomaſtico inuenias & hæc: Erant, inquit, menſæ primæ, ſecundæ, tertiæ. Tripodas dicebant, quibus illæ ſuperponerentur. Nam menſas ipſas etiam magidas nuncupabant, ut eſt apud Sophoclem. Menſam nummulariorum, Demoſthenes xylon uocauit, alij etiam pinaca. Fuit & menſa, quæ diceretur logiſteria. Illud adijciendum. Menſas Troianorum, de quibus eſt illud Virgilianum, Heus etiam menſas conſumimus, inquit Iulus, ab Græcis interpretibus tradi ſelininas fuiſſe, id eſt apiaſtras: uel ex panis portionibus præduris. Cæterum quæ menſa eſt apud Virgilium, citra N à Varrone dicitur meſa, quia media poneretur, originatione nimirum Græca. Scribit Liuius, Cn. Manlio Volſone de Aſiaticis triumphum ducente, luxuriæ peregrinæ originem primum inuectam in Vrbem. Inde lectos primo eratos, & ueſtem ſtragulam precioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectilis habebantur, monopodia, & abacos adduxere milites. Tunc pſaltriæ, ſambuciſtriæq́, & cõuiualia ludionum oblectamenta addita epulis. Tum coquus, uiliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu in precio eſſe. Et quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta.

Quid ſit apud Platonem, Narthecophoros eſſe multos, Bacchos uerò paucos. Bacchus quid. Ebrietas animæ duplex. Nectar quid. Bacchus cur Soter. Sphaltes. Enorches dæmon. Enorchus. Bacchus cur iuuenis & ſenex.

Caput XIII

QVi Socratica inſtituta Chriſtianæ integritatis eſſe idolum quoddam & imaginem, aut ſaltem umbram, ſcriptis prodidere: atq́ Inſtrumentum Vetus Platonica confirmari theologia: ex qua, ueluti ex equo Troiano, innumera prodierint doctrinarum lumina: nouum uero, Socratis moribus, & ſapientia: hi profecto, abſit inuidia uerbo, uel ſoli, uel cum paucis admodum, rerum altitudinem, quam illorum hominum ingenijs arcana ratione artifex Deus inſeruit, concepiſſe uidentur. Nam ut de alijs nunc diſcuſſio non fiat, nec examen acrius: quale obſecro illud eſt, quod ab Socrate in Platonis libro De anima, diſſeritur? Nam quum inculpati philoſophi meditationem in eo uerſari docuiſſet, ut animam ſeiungat diuellatq́ à corpore, quoniam uerè ingenueq́ philoſophantem ita prorſum ſentire neceſſariũ eſt, ſe non alibi purius ſapientiam comparaturum, quàm in futura poſt mortem uita, addidiſſetq́, uirtutem ueram in purificatione conſiſtere, quæ fortitudine, iuſtitia, temperantia & ſapientia demum contingat: mox infert, Quamobrem qui myſteria ſanxere, haudquaquã negligendi ſunt. Nam arcana quadam ratione impenſe nos uidentur admonere, quiſquis inferos petat, non ita expurgatus & initiatus, in cœno eum uolutari: quæ maxima turba eſt: at qui ſecus, cum diijs agere. Propterea inquiunt: Narthecophori quidem multi, Bacchi uero perpauci omnino. Sunt uero hi non alij, quàm recte philoſophiæ myſterijs imbuti. Quid his paucis uerbis ſanctius? Quid Chriſtianæ ueritati magis conſentaneum? Religionem, inquit, ſanctitatemq́ prætendunt quidem plures, ſed quotuſquiſq́ culpationibus reclinatis, quas uitæ deprecatur caſtitas, ſcopũ pertingit, aut induit perfectionem? paſſim quoq́ uocantur omnes, electorum tamẽ mira paucitas: nemine non diſcum potius audiente, quàm uerè philoſophantem. Nam & Chryſoſtomus: Multi, inquit, ſacerdotes, & pauci ſacerdotes: multi nomine, pauci re. Non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus eſt ſacerdos. Non ueſtis tenera, uti eſt apud Hieronymum, clericum facit, aut ſacerdotem: ſed caſta mentis intentio, humanæ proprietatis retinentiſſima, quæq́ peccatorum proluuium prætextu nullo exemptum purgatumq́ eat. Sed cur nam

nam Bacchus pro germano philoſopho aut uiro ad unguẽ facto, ut poetæ uerbis utar? Bacchum Platonici putant quandoq; principem ac ſummum quendam ſacerdotem. Hunc bis natum ab mythicis confingi tradunt, qui ſignificent futurum ſacerdotem, ſtatim initiatum renaſci oportere: uel ſacerdotis perfecti mentem deo penitus ebriam uideri iam renatam. Hoc ne quis miretur, ſcimus ab Muſæo tradi, mirum iuſtitiæ præmium perpetuam uideri ebrietatem. Quod ipſum antea per Dionyſii ſacra Orpheus inter ueteres theologos perilluſtris ſignificauerat. Cui propheticum illud non diſſentaneum eſt, Inebriabor ab ubertate domus tuæ. Ebrietatem in anima duplicẽ intelligunt periti: nam & potus eſt duplex. Quippe pars illa puriſſima altiſſimaq;, qua uel ſuſtentantur diuina, uel cõſtant, nectar uocatur, & deorum eſſe creditur potus. Inferior uero ac turbidior animarum potus nuncupatur: dicituríq; in ueterum doctrina Lethæus fluuius. Anima igitur in corpus iamiam lapſura, ubi ad inferiora defertur, ſylueſtrem tumultum, ut Plato uult, incipit ſentire, delibutaq; ac grauata uinolẽta (ut ſic dicam) alluuione, diuinorum obliuiſcitur, & circa terrena delyrat: dumq; corporeis amplius oblectatur & paſcitur, in corpoream degenerat naturã, totq; ac tantis offunditur erroribus, ut mentis acie hebetata, in ijs tantum ueritatem quærat, quæ imagines ſunt & umbræ, ut Plotinus docuit ſcienter. Deceptio uero hæc inter mala prorſum maxime noxia. Et hæc quidem ebrietas una eſt, grauis ac peſtilens, ob quam elegãter recteq; anima infra ſe & extra ſe conſtitui dicitur. Huiuſce uero ebrietatis initium ſtatuunt craterem Liberi patris inter cancrum leonemq; locatum, quia deſcẽſuris animis illic ſylua influat primum. Altera uero, quam nectaris conciliat potus, fragilioris naturę, labentisq; obliuionem inducit. Anima ita affecta diuinis intendit, illa contemplans ueneratur. Cæterum excellentium rerum fulgore coruſco quaſi hebeſcit primo, aut mirandæ dulcedinis ſuccum præguſtans ſuauiter, inſueto quodam ardore nouum induit habitum prioris oblitа: Sed poſt paulo præguſtatam diuinitatis iucunditatem iam largius clariusq; intuens inenarrabile ducit inde alimẽtum, extra ſe quidem, ſed & ſupra ſe poſita. Ex ijs opinor, liquet acrius intuenti, quid ita Bacchi nomine ſummatem ſacerdotem aut deo inhęrẽtem uirum latices nectareos haurientem Platonicorum ſecretior doctrina intelligendum dederit. Apud grammaticos eſt piſcis nomen bacchus, quem chellarem uocant & oniſcum. In oppido Herminthi taurus ſoli conſecratus colitur, bacchin cognominant: eius color in horas mutatus euariat: hirſutie mira in primis, in diuerſum ſetis abeuntibus, quàm ſit animantium cæterarum natura. Quod uero de nectare facta mẽtio, amplius ſciendum, eſſe qui nectar interpretentur uinum in Lydiæ Olympo concinnatum fauis promixtis & floribus odoratis. Anaxandrides non potum accipit nectaris nomine, ſed cibum. Succinit Alcman quoq;. Sappho etiam ambroſiæ craterem dicit. Sed nec Homerus eſſe deorum potionem nectar nouiſſe, creditur. Bacchum præterea legimus σωτῆρα nũcupatum Græcis, quod eos in Myſia, Telepho graſſante, ſeruarit, obiecta forte illi uite, quæ res ab dolo id genus dicta Sphaltes eſt. Soteris Bacchi commeminit Plinius, ſed ratione alia. Dæmon enorches apud Lycophronẽ Dionyſius intelligitur in Lesbo. Thyeſten nanq; cum ſorore Dæta coeuntem genuiſſe Enorchum memorant: à quo ſit conciliatũ nomen deo, ſed muto & fœdiſſimo: aut certe quoniam eius myſteria cum ſaltatione celebrarentur, id eſt μετ' ὀρχήσεως: uel etiam quia pudenda quandoq; ficulnea, & pelliceos ſibi aſſuiſſet phallos ceruorum. Apud Homerũ Iliados ↓, enorcha teſtes habentia intelliguntur, cuiuſmodi fluminibus immolari cõſueranr. Bacchum item nunc iuuenem expingebant, nũc ſenem, bibendi intemperiem ſignificantes, uel contra: addebatur & caluitij deformitas, quia uinolentorum eſt, arcana prodere. Nam & Alcæus inquit, οἶνος γὰρ ἀνθρώποις ἀλήθεια. Athenienſibus ſacra Liberi fuiſſe præcipua, ſcribit Dion. Ea quum Adrianus in ueſte indigena cõcelebraſſet magnifice, templum Liberi, quod Panhellinon uocant, conſtrui permiſit.

Tres eſſe principes ſupra mundum. Iouem eſſe mũdi animum. Quid Dionyſius. Itẽ qui Titanes. Qui Typhon. Cacoethes. Sporadici morbi. Endemi. Epidemi. Cur homines dicantur Dionyſiaci. Catacecaumene. Catacecaumenites uinum. Ceraunobolia. Virgilij locus quarto Georgicorum.

Caput.

SEd ne quem omnino fallam, pergamq́ porrò comperta mihi in arcanis ueterum libris in literas dare, admonendos censui studiosos omnes, non uno modo accipi Dionysium ab illis: uerũ quo apertior tota res fiat, sic reperio: Theologos antiquiores ita ratiocinatos, ut super mundum tres haberi principes, opinarentur: Oromasin, Mitrin, Arimanin: id est, Deum, mentem, animam. Nec ignoro, à grammaticis dici Arimanium, à bellandi furore. Dei propriam astruunt unitatem, mentis ordinem, animæ motum. à solo deo primam ipsam in mundo fieri unitatem partium, & totius: à mente, uirtute dei, ordinem unitarum partium: ab anima, superiorum uirtute motum fieri operis ordinati. Hæc anima prima in mundo, tanquam animali suo regnans, uitalem uirtutẽ, ut placuit Plotino, à centro, id est à terra, uelut à corde, per totum uidetur propagare. Sensualem uerò motricem à sphæris superioribus, uelut à capite inchoans, cæteris indè cõmunicare. Ab hac non aliter mundanum corpus alitur atq́ ducitur, quàm per uitam inde corpori addictam, quæ uita ab superiori substantia, quantum substantia est, habet ut alat moueatq́ alendo. In hac uita genituræ officium ita cum imaginatione concurrit, ut sese mutuo moueant. Sicut ad genituram parata est, sic prorsus imaginatur. Sicut uicissim imaginatur, ita fit ad gignẽdum promptior. Animam hanc Orpheus Iouem appellat, Sub eius uniuersali prouidentia, Dionysii constituit prouidentiam, id est naturam, seu uegetalem animæ mundanæ potentiam. Eius membra sunt rationes rerũ seminales in natura. Quæ quidem membra quãdo per generationem quasi procedunt in materiam, à Titanibus discerpti finguntur. Sũt uerò Titanes, genituræ præfecti dæmones, qui persuasi à Iunone, id est à processionis generationisq́ cura, laniare Dionysii membra traduntur, quasi Osiridis membra, id est uiuificæ prouidentiæ, ab Typhone cõcerpta, hoc est ab dæmonum geneficorum duce: quia cõmune illius in cunctis æquè gignendis & mouendis officium differentes inter se partiuntur in sortes, rerumq́ species ad singula generando deducunt. Quod uerò his adnectitur ex Orpheo item, Ob concerptionem eiusmodi deuorationemq́ fuisse ab Ioue tactos de cælo Titanas, eum ferè sensum habet, Illos ad cælestia esse conuersos. Quod illis ardentibus enati ferantur homines, significat ex diuina eorum cura homines in lucem prodijsse uitalem, qui ea de causa Dionysiaci nũcupentur, ut qui ex Titanibus uideantur nati, quos Dionysii membra pauerant. Si quis fortè, ut & hoc attingam obiter, solicitius quærit, quos nam dicamus genituræ præfectos dæmonas: legat is Platonis Timæum, ubi post mundi creationẽ inducitur princeps rerum deus iunioribus dijs inferiorum animalium generationem mandare, & hominis præsertim: Qui, inquit, cum immortalibus appellatione conueniat, diuinusq́ uocetur, habeat principatum, iustitiam colat, ac uos item. Ego uobis semen, & initium tradam. Vos cætera exsequi par est, ut faciatis generetisq́ animalia, & cõsumpta rursum recipiatis. Postremo addamus & aliquid ex Græco penu. Est regio sole perusta, quam Mysi possideant, & Lydi, exuta arboribus omnino uisitur, præter uitem. Catacecaumenen uocant, inde uinum habetur uirtute præstans, catacecaumenites οἶνος uocatur. Ex quo & nonnullorum perelegãs circumfertur iocus, Dionysiũ dici rectè πυεγγενῆ, id est ex igne natum. Catacecaumenen dici coniectant de fulminum frequentia, quam ceraunoboliam uocant: autor Stephanus. meminit Strabo. Est & eo nomine Erythræi maris insula. Denicq́ uinum hoc significasse Virgilius quarto Georgicon uidetur, quum ait Cyrenead Aristæum: Cape Mæonij carchesia Bacchi.

Etiam si id minus aduertunt interpretes. Quod ad Typhonem attinet, est quidem eo nomine uentus turbulentus, atq́ item πυρώδης ἀὴρ μωλ, id est igneus dæmon: sed apud Galenum etiam febris τυφώδης, sicut morbus κακοήθης, ut parergon hoc adnotemus: qui re quidem magnus est ac difficilis, nec crisin habens certam: tametsi facilitatis speciem præferat. Legimus item sporadicos dici morbos, qui quouis tẽpore obueniant, & loco: sicut ἐνδήμιος, qui in certis grassentur regionibus: ἐπιδήμιος, qui temporibus quibusdam plures eodem infestẽt loco. Epidemeticos sunt qui forriarios modo à Gallis opinentur dici.

Quæ, & quot significet Cora. Quo differat ab partheno, nympha, & gyne.

Coronomus. Cybolum. Cybitus, siue cubitus. Phlœa. Phlyax. Arrianus explicatur

plicatur,& emẽdatur.Item de Dionyſio plura ſcitu digna. Cur dicatur tau rus.Taurophagus.Tauropolos Diana,& tauropus. Dionyſius.Sabazius. Vnde ſabbata.An ludęi Bacchum coluerint.Ficorum inuẽtor,& fructuũ. Ceruorũ nomina plura. Vino aquam quis miſcuerit primus. Tripus Dionyſii.Itẽ quid baſſara.Scenophegia.De Anio pluſcula.Interim unde Tauromenium. Tauros cur dicant Græci omnia uiolenta.Problaſtus. Sabaia Scenophegia.Ceruæ an habeant cornua.Baſſus,cur pro humili. Cap. XV

QVod nam, dicat aliquis, propoſitũ tibi eſt? Nos quidem à te racemationem quandam ex paulo iucundiore uindemia expectabamus,qua ingenium fieret inſtructius,& uita comptior,morum ratio excuſsior,limatiorq;. Tu uero ſubinde Herculis cothurnũ tibi tentas inducere, nec te intra pelliculam contines ſupra crepidam iudicando, dum inſeris operi, quæ exactius requirant examẽ,& philoſophorum lucernam redoleãt.Fateor,præguſtata ſuauitas, illudq; Platonicorum ſymbolum τὸ θεῖον, tranſuerſum ita me rapit quandoq;, ut mihi ſæpe uidear ad Lotophagorum gentem diuertiſſe.Sed bene eſt,ſuppetunt,qui me oblitum reuocent,ac uelut ex locato mecum agant:ſed ita,ut reſpectare tamen liceat, & carptim,more bibentis in AEgypto canis,quo paſcatur animus,præcerpere. Ecce uero monitor primus Arrianus manum iniicit, ac fronte rugoſiore:Quid,inquit, differs? quin meo me candori reſtitutum pergis? Tu quidem de Dionyſio multa ex Platonicis expiſcaris.At Dionyſius meus,quem Latini tui in ſecundo Alexandri geſtorum Ioue ac Cora ſatum reddidere,qualis nam tibi uidetur? aut quam eſſe putas Coram iſtam? Ego uero tanti uiri authoritate commotior intentius circũſpectare cœpi, & amplius indagine latiore teſqua omnia & uepreta ac condenſa ſcrutari,ut quippiam uenarer, quod hiſtorico nobiliſsimo appoſitum leniret ſtomachum,demumq; reſupinata librorum ſylua, hæc proruiſſe ſum uiſus. Coram quidem uarie capi in authoribus: primumq; Moloſſorum gentem eo nomine puellas decenter forma conſpicuas nuncupare. Propterea eorundem rex Ades, ſiue Aidoneus,uti eſt apud Plutarchum filiam appellauit Coram, quam rapere adortus ſit Pirithous.Sed & pro uirgine capi Coram,adnotauit Euſtathius, ἀπὸ τοῦ κορεῖν,quod ornare indicat,ſed & repurgare, quorum utrunq; ætati congruit incorruptæ ac puræ:unde fiat forma deminuta,coraſion. Diſparari tamẽ ab cora & partheno nympham inuenias:quippe parthenon intelligunt,inſciam prorſus uirilis cõcubitus:nympham, quæ uiro ante paulo iuncta,necdum tamen pepererit: gynen uero dicunt, quæ partum iam ſuſceperit.uerum & coras,poetæ naues dicunt protoploos,id eſt primum in aquam coniectas,tanquam plane uirgines ſint. Coram item Græci pupillam in oculo uocant,quia ἐκ κοίλου ῥεῖ τὸ δάκρυον, ex concauo profluit lachryma, unde dicatur etiam collurium.Eſt item cora,impedimentum ſiſtens profluuium, & nummi ſpecies. Id uero inſigniter aduertendum, coras pro ueſtium manicis capi, aut eiuſmodi quopiam, quæ manibus plerunq; porrectiores comparantur: ob idq; impedimentum afferant,ſi in eas immittãtur manus,ne quid poſsit fieri.Proinde lectum in hiſtoria eſt: Ab Cyro ſororis Darij filios necatos, quod illi occurrentes, in coras non immiſiſſent manus,quod uni tantum regi aſſueuerat fieri. Ad hoc autem & Pollucis illud ſpectarit: nam quum interiorem cubiti cauitatem,olecranum dici pronuntiaſſet: extimam uero commiſſuram,ancona:coronomus,inquit,medicorum eſt.Dicunt autem hoc & cybolum,id eſt κύβωλον: ſed & cybitum dicas,ſicut Hippocrates. Nam eſt Dorienſium in Sicilia uocabulum:unde λυβιτίζειν, Epicharmo eſt cubito ferire. Corã uero dici puellam ex aliis quampiam,nec legi, nec audiui: ſed Proſerpinam ita ab Græcis nũcupari, nemo in literis tam feriatus,qui neſciat.Ita uero in Arriano fuiſſe trãsferendum, argumento ſunt pleraq;: & M.Tullius in primis, qui tertio De natura deorum, ex Dionyſiis unum Iouis & Proſerpinæ filium recognoſcit, Corę autem minime. Apud Xenophontem libro Rerum Grecarum ſexto,in oratione quadam, Triptolemus dicitur Cereris & Corę ſacra arcana primus communicaſſe hoſpitibus Herculi & Dioſcuris, qui & Peloponnenſibus Cereris ſemina ſit elargitus primum. Apud Plutarchum tamen in Græcis codicibus ſic adnotatum cõperias, Aidoneum uxori Perſephones indidiſſe nomẽ,filiam uero appellaſſe Coram. Lacones Corã deam uocant Phlœam: at Phlyax

dicitur uinolentus,ac ridicularius.Sopatrus apud Athenæum appellatur phlyacographos:de quo uerbo mox item pauca.Scribit Clemens, Iouem cõmutatum in anguem intuliſſe Proſerpinæ filiæ uitium,unde ſit natus Dionyſius.Quo argumento etiam Sabaziorum myſtica draconem præferunt in orbem complicatum.Hinc & poetæ draconem tauri patrem dum concelebrant,ſymbolicè operteq; Iouem innuunt,ex quo & filia,natus hic ſit tauri ſpecie.Quare ab Lycophrone taurũ uocari,ſcimus.Scribit Athenæus,tauro & pardali aſſimulari Bacchum ex ebriorũ uiolentia.Nam quod in tragœdia,cui attitulatio eſt Tyro,Sophocles taurophagum uocat Dionyſium,id interpretãtur,quia dithyramborum poetis in uictoria daretur bos.Alij crudelem & immitem accipiunt,quando & Ariſtophanes Cratinum ita infamauit. Sed ad uinolentiam magis referendum alij putant,quod philœnus eſſet is,hoc eſt uino indulgeret largius.Et Dianam tauropolon uocant,ſicut in Periegeſi Dionyſius Apher,non ab gente ſolum,ſed & ab animali,ut probat Euſtathius:quia armentis præſit,uel quia cum luna eadem ſit, quæ tauris uectatur,& Tauropus dicitur.Certè Martis & Dianæ ſacrificia apud Amazonas ſcribit Diodorus tauropolia nuncupari.Author porrò Diodorus in Philippi regis hiſtoria:Andromachum Timæi hiſtorici patrem coactis in unum qui cladi ſuperfuerant,ab Dionyſio Naxo euerſa,taurum urbi uicinũ collem diutius incoluiſſe:quare Tauromenij nomen loco conciliatum,quæ mox opulentior fuit ciuitas. Cæterum magna omnia & uiolenta,tauros Græci nuncuparunt ueteres,de Aſiatici montis natura, quem ita nominatum ſcribit in Periegeſi Apher Dionyſius,quia ſit ὀξυκάρηνον.

Cornua nam ſummus ſcopulis imitatur acutis.

ut inquit Rhemnius Fannius.Dionyſium uerò dictum ſcribit Heſiodi interpres,ueluti διδοὺς οἶνον, quia ſit uini dator.Id antea Plato quoq; prodiderat.Propterea in uindemijs faciem eius muſto tingere,ac ficis,conſuetudo fuit uetus:inde ab Siculis Bacchus dicebatur Morychus,quia μορύσσει ſignet polluere,ac fœdare.Problaſtum,id eſt πρόβλαστον uocant,quia egerminantibus uitium palmitibus,illi fieret diuina res,uel quum eaſdem forent putaturi.Dionyſium dici interpretatur Phurnutus,ab διάνειν ἡμᾶς ἀδύνως, quia iucunde ſuauiterq; nos irriget:uel quaſi διάλυσιν: nam & ratione eadẽ Alyſium quoq; uocarunt,quoniam curas ſoluat, uel quod ad montem Sitium enata primum tradatur uitis.Lyæum dicunt,non ſolum quia membra ſoluat, ſed amplius,quoniam ex intemperanti potu cooritur ſæpe diſcordia,ſoluiturq; hominum unanimitas. Sed & deridiculi gratia uocabatur Erebinthios,quæ uox tum legumen nobis indicat,tum pudenda uiri,ut eſt apud Ariſtophanem.Quod cõuitium paulo impudentiores etiamnum hoc tempore uſurpant. Sabazion uero appellatum uolunt,à tripudijs quæ ab furẽtibus fierent, quando id à Barbaris Σαβάζειν dicatur. Sabos autem dicebant ei deo conſecrata loca,quin & Bacchos eius eodem nunciabant uocabulo,id eſt Orgia celebrantes:ſic enim hi quoq; dicuntur,quamuis etiam Bacchus ſit coronæ ſpecies.Inde ſimplici uulgo irrepſiſſe opinor in pleriſq; Italiæ locis,ut pro agitare uſurpent ſauazare. Sabos inuenias uel apud Demoſthenem pro Cteſiphonte.Sabazium eſſe Dionyſium docuit libro ſecũdo Amphitheus.At Mnaſeas Dionyſii filium accipit Sabazium. Sabaia paupertinus eſt apud Illyricos potus,ex hordeo uel frumẽto colliquatus:unde Sabaiarius inflectitur, probroſum nomẽ.Lacedæmonios Soſibius tradit,Dionyſium colere Syceten cognomento, quia ficum ab eo inuentam opinentur. Quo argumento Milichius etiam dicitur quandoq;: nam milicha,pro ficis uſurpari animaduertimus. Apud Naxios certè ſimulachrorum facies nunc uitiginea conformatur,nunc ficulna,prout uel Bacchus dicitur,uel Milichius.Pomorum quoq; inuentorẽ Dionyſium ferunt, & Syracuſius ſignificat Theocritus,qui μῆλα διονύσου nuncupat, & illis eum coronari ſcribit Callimachus,unde mutuata Venus dederit Hippomeni, quibus & in amorem præceps ierit Atalanta,quod canit Philetas.Sunt qui augurentur dici poma Dionyſii,à loco qui ſit deo illi ſacer. Quin & omnium repertorem fabulantur, quæ ἀκρόδρυα uocãt Græci,quo nomine fructus intelligunt arboreos.Scitu uerò dignum quod in Sympoſiacis innuere Plutarchus uidetur:ſabbata Iudæorum ex huius uocabuli ratione nũcupari,quando ab Iudæis Bacchum coli ſolitum,inde coniectat, quod ea ſe die inuicem ad bibendum largius ſoliti eſſent inuitare.Mel porrò nec ſacris inferant, quod admixtum

tum oblædere uideatur uinum: ſed & apud illos ſupplicium haberi maximum, ſi cui mulcta ſic irrogetur, ut certum tempus uino cogatur parcere. Ducit item argumẽtum ex pontificis habitu, qui feſtis diebus mitrã geſtaret, nebrida indutus auro diſtinctam, & tunicam quoq; talarem, ac cothurnos, propendentibus ab ueſte codonibus multis, hoc eſt tintinabulis, quę inter eundum obtinniant, ſicut (inquit) apud nos. Putat porro Hebræorum ſcenophegia, quæ ſub tentoriis aguntur, menſis pomis omnifariam onuſtis, habere cum Baccho ſimilitudinem aliquam, quoniam ſcenæ illæ palmitibus, & hedera compingerentur, & uindemia inprimis uigente, feſtum ageretur, à quo non multis interiectis diebus, altera ſequeretur celebritas, Bacchi uero nomine inſignis. Quin & aliæ, quas craterophorias & thyrſophorias nominant, ab Thyrſis, cum quibus templum ingrediãtur. Cæterum quid intus faciant, neſcimus, inquit. Non aliud uero eſſe, quàm debacchationes, ueri prorſum ſit ſimile. Siquidem tubis utuntur modi non magni: ſicut & Argiui in Dionyſiis. Cum citharis accedunt alij, quos ipſi Leuitas uocant uel ab Liſio, uel ab Euio, Bacchi cognominibus. Additur id quoq;, ab ſue Iudæos abſtinere, quod ab eo genere ſit interemptus Adonis, quem eſſe Bacchũ fere cõſtat. Sed de hoc uarie traditur imoq; alibi plura. Hæc ſunt quæ ex Plutarcho recenſuimus: quæ quàm cõmentitia ſint, quantumq; habeant uanitatis, uel me tacente, nemini obſcurum puto. Quod uero de nebride facta nobis mentio eſt, amplius attendendũ, nebrida dici ceruinam pellem: quippe eſt nebrus inter ceruos, qui nunc primum βορᾶν ἐκδέχεται, id eſt alimentum admittit: proinde Anacreon nuncupat, νεοθήλεα γαλακτηνόν, id eſt nuper uireſcentem lactentemq;. Apud Philetam obſeruatũ Græcis eſt, primigenios ceruos dici procas, unde appellata Proconneſos: grandiores paulo iam dici cemades ualent. Perfecta demum ętate cerui, niſi eos item qui achæinæ nuncupentur, aut ſpathinæ, quædam ætatis eſſe diſcrimina, coniectet aliquis, uel etiam generum ex magnitudine, uel cornibus interſtitia. Græci ſcholiaſtæ in ijs ſatagunt egregie: ſed ita, ut nec ſibi admodum ſatisfaciant. Eſt & illud in ceruis adnotatum diſcrimen, fœminas in ijs cornuum carere inſigni, etiam ſi cornutas fingant poetæ omnes: nam in Olympijs Pindarus χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν dixit. Sunt qui habere aliquas, coniectent: quando & Libyci ac AEthiopici elephantes cum fœminis dentes habent prorſum: quod approbat Amyntianus. At Indicorum fœminæ ijs omnino carent. Nec illud relatu indignum ceruam Euryſtheo ab Hercule oblatam, in collo habuiſſe inſcriptionẽ eiuſmodi, τωγέτη ἱερὰν ἀνέθηκεν. Ariſtoteles cum Plinio mares tantum ceruos cornibus inſignes prodit: quod approbat libro quinto Pollux, Anacreontem coarguens, & Sophoclem, qui κεροέσσαν ἔλαφον dicunt, id eſt cornutam ceruam. quod ut inſcite dictum, ſentiens Zenodotus, ἐρόεσσαν legere maluit. Ad ea uero quæ dicta de ſcenophegijs ſunt, dignum relatu eſt, dici ab Ariſtotele ſcenopegiam nidi conſtitutionem, quam miro ingenio excogitant hirundines, implicito feſtucis luto ad lutariæ paleationis normam, quę ἀχύρωσις dicitur, id eſt achyroſis. Verum prius quàm ab hiſce reuellamur, quanquam nonnihil ueriti ſumus, uiſum iri quandoq; naſutioribus, Iliade longiora nos ſæpe contexere: adijcietur illud quoq;, Bacchum ab Euſtathio deduci, ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, ab inconcdito ululatu, quo furentes Bacchæ perſonent. Poſtea, inquit, inſertam literam κ, quo expreſſio fieret tetri immaniſq; ſoni. Quæ ratio item ex laco lacchum feciſſe uidetur. Bacchas, poſtremo Baſſaras uocabant, proprie quidem ſicuti Orion ſcribit. Sed hinc eſt etiam proſtituta mulier eodem dicta nomine, unde factum licet cõiectare, ut uulgo nunc in Ciſpadana Italia ancillas quoq; ſic fere nuncupent maſſaras, deluxato elemento primo. Baſſaras nominat & Lycophron. Baſſarica, pro Dionyſiacis interpretantur. Dicitur quandoq; Baſſaris meretrix in Epigrammate. Herodoto autem credimus, ab Cyrenæis, uulpem dici baſſarum. Quod autem paſſim pro humili & depreſſo baſſum imperita plebs uſurpat, illam (ut puto) originem habet, quod baſſos pro cauitate dicitur interdum Græcis. In tam multis uero quæ de Baccho texeimus, adijciatur illud quoq; ex Philochori monumẽtis: Amphictyona Athenienſium regem omnium principem ab Dionyſio edoctum, uino aquam adortũ promiſcere, quo nomine ſurrigi homines ſint uiſi, quos meraca prius incuruabat potio, unde Dionyſio erecta ara, quem ὀρθόν uocant, hoc eſt rectum, ſubſtructa proxime Nympharum quoq; in horarum ſa-

crario. Staphylus uini temperamentum Melampodi aſcribit. Ad hæc pertinet Varronis illud: In partu uinum, non ut in calice, quærit aquam, ſed ſolem. Tripoda Dionyſii quum audis, craterem intellige: nam ex tripode dicere, uera loqui eſt. Vino autem ueritas attribuitur: hinc Græci, οἶνος καὶ ἀλήθεια λέγεται. Superpondij uero id loco fuerit: Staphylum, Dionyſii filium, ἐροιώ, id eſt Rhœo, filiam ſuſcepiſſe, quam Apollo compreſſit: id ubi reſciuit pater, coniectam in arcam demiſit in mare. Illa uero diuinitus ad Euboeæ antrum appulſa, puerum peperit Rhœo, ac Anium dixit, ὅτι ἀνιαθῆναι δι' αὐτόν: quia ob eum multam ſenſiſſet triſtitudinem. Anium autem in Delum Apollo tranſtulit, qui & uxorem duxit Dorippem, ac genuit Oeno, Spermo, Elaida: quibus id impartiuit Dionyſius, ut quicquid tangerent, in triticum ſtatim uerteretur, & uinum, ac oleum: unde dictæ Cænotropæ, quaſi in nouas formas omnia uertẽtes. Scribit Pherecydes: Anium hunc Græcis illuc profectis perſuaſiſſe, inibi nouem annis permanere: quoniam ab diis ſtatutum foret ita, Ilium decimo tandem anno poſſe capi. Hæc eo repetita nobis libentius ſunt, quia mirum eſt interpretum Maronis ſilentium, ceu Oebalias habitẽt Amyclas, ut eſt apud Auſonium, & ora obſignarit Sigalion AEgyptius.

Dionyſiorũ ritus. Qui ſunt phalli. Phallogogia ſacra. Neurobatæ. Parado xopœi. Parodoxologi. Quid neuroſpaſta. Lucianus declaratẽ. Gellij locus emaculatur. Automata. Autocratores. Automatia. De phalacris, & phalãtho. Phalæna quid. Item qui ſint Phalari, & Phallophori Ithyphalli. Autocabdali. Phallica carmina, uel Ithyphallica. Item Oſchophorica. Enarratur Columella in Hortis. Hermata, & phalãgia quid. Item hilarodia, hilaria, ſimodia, magodia. Lylodi. Cinędologus. Ionicos logos. Sotades. Dicelictę. Sophiſtæ. Tarantula. Rutela. Phalangis fabella. Hermaces. Lithaces. Lyſiodi. Plutarchi locus perpenditur. Nephalia ligna, œnoſpoda, œniſpa. XVI

Dioniſia, inquit in Moralibus Plutarchus, ueteri ritu quum multa prorſum & feſtiua hilaritate agebantur: erat qui amphoram uini ferret, & uitem, aderat & qui hircum traheret: alius arrichum, id eſt ciſtam aut cophinum, in quo caricæ forent, geſtabat: omnes autem phallum. ſed nunc, inquit, negliguntur hæc, obſoleuerũtq; Hactenus ille. Quid uero phallus hic ſit, ſcio anxie quæſituros ex ſtudioſis multos. Herodotus quidem in Bacchi ſacris phallos agnoſcit, id eſt ficulna ueretra à collo propendentia. Nam & Phallagogia, Bacchi ſacra dicũtur Phurnuto: & ſi ſphalalogia modo ſcriptum comperias. Sed phallorum pompa, Periphallia nuncupatur. Author eſt Diodorus, Oſiridis pudenda in ſacris & cærimonijs phallon dici. Nunc & eorum loco ab AEgyptijs excogitatas ſtatuas cubitales, quas per pagos circunferrent fœminæ, mentula, quæ propemodum inſtar eſſet corporis reliqui, innuente, & præeunte tibia. Sed & Mercurij ſtatua ab eodem, ueretro porrecto celebratur. Verum & phallos duos in propylæis deæ Syriæ permagnos memorat Lucianus, quibus ita inſcriptum foret Græce quidem, ſed in hunc ſenſum: Hoſce phallos ipſe Dionyſius nouercæ Lunoni dicandos curaui. Poſtea hæc ſubdens: Phallos, inquit, Dionyſio Græci excitant. In quibus ex ligno deformatas hominum imagunculas geſtitant, pudendis magnis prominentibus, uocantur Neuroſpaſta. Sunt uero hæc obiter, ut lucem quoq; Luciano inferamus, quaſi tu dicas, neruis mouentia. Vtitur eo uerbo Athenæus, necnon in Sympoſio Xenophon, & in libro De mundo Ariſtoteles, quẽ locum Apuleius ſic eſt interpretatus: Aſtutia unius conuerſionis multa & uaria pariter adminiſtrant, etiam illi qui in ligneolis hominum figuris geſtus mouẽt, quando filũ membri quod agitari ſolet, traxerint, torquebitur ceruix, nutabit caput, oculi uibrabũt, nec inuenuſte totum uidebitur uiuere. Meminit etiam quodam loco in Noctibus Atticis Gellius, ſed maxime uitiato codice: nam modo legitur, neurobapha. Herodotus Hiſtoria ſecunda, in Dionyſii ſacris in AEgypto, excogitata ſcribit ſimulacra Neuroſpaſta, quæ uicatim circũferant mulieres. Laurentius ridicule, opinor, ex neruis compacta eſt interpretatus. Neurobatas comperi tamen apud Firmicum: Oriente, inquit, ingenículo, quem ἐγγόνασιν Græci dicunt, nati cum teſtimonio Martis & Lunæ, erunt funambuli, oribatæ, neurobatæ, & qui talia pertractent. Automata uero apud mechanicos dicũtur, quæ per ſe uidentur motari, non longe ab neuroſpaſtis diſsita. Nam & automati ſunt

ſunt,qui non uocati ad cœnam pergunt:ſicuti rhapſodía Iliados ſecunda apud Homerum dicuntur,& autocleti,id eſt αὐτόκλητοι, hoc eſt per ſe uocati. Automata porro appellantur,temere fortuitoq; euenientia.Ab neuroſpaſtis dicitur neuroſpaſtice ars, quã tamen non uideri ſeriam putat Euſtathius.Automata dicuntur miracula ab Ariſtotele De animaliũ generatione libro ſecundo. Sed & automata oua,quæ conſtiterint ſponte,nec ſuum mas inſperſerit ſemen. Autocratores dicunt,qui per ſe omniũ habent ius. Hinc legatos αὐτοκράτορας in Nicia nuncupat Plutarchus, qui plena funguntur poteſtate. Automatia uero fortuna eſt, cui quum benefacta omnia referret accepta Timoleon,domi Automatiæ ſacellum extruxit: quod ſignificat AEmilius Probus, ſed apertius expoſuit Plutarchus:ſic tamen,ut interpretatio Latina prorſum nulla ſit, aut mendoſiſſima.Scribunt Græci,in Chio uinum haberi aruiſium tribus generibus. eſſe enim auſterum,dulce,ac inter hæc medium quod autocratũ uocabatur.Automata leguntur Digeſtorum primo,titulo de legibus,lege tertia. Dignum obſeruatiõe quod è theſauris Galeni promitur Therapeutices decimo:Paradoxopœos nũcupari omnes,qui miranda,extraq; communem animi cõceptum faciunt,moliunturq;.Nam qui dicunt, ab eodem paradoxologi uocantur.Sed redeo ad phallos, de quibus alij ſic produnt, Eſſe oblonga ligna in ſummo habentia ex corio pudenda.Quidam tradunt,forma eiuſmodi è collo & femoribus pendula, ſolitos in Dionyſiis ſaltare. Phallum etiam dicimus. in galeæ fronte prominens ornamentum, ſiue clauí ſint prælucidi, ſiue ſcuta quædam breuia admodum,ut ſcribit Euſtathius. Phalon enim illuſtre ſignat, aut clarum, quia phaos dicatur lumen. Vnde & phalacri pro caluis, quia albicet iis caput, aut denudatum apertumq; ſit. Phalanthos etiam hoſce dici inuenimus apud Pollucem, quoniam albicans capillus uocetur anthos. Et phalarum nonnulli arietem album interpretãtur: Homerus λύματα φαληριόωντα dicit albeſcentes undas. Phalion uero album dici, indicio ſunt equi, phalij nuncupati, quibus albicet frons. Sed & hominem uocamus phalium,albis capillis in fronte.Palyn uocãt tenuiſſimum in farina,unde phalion pro albo dici opinantur alij:certe παλύνεσθαι, albeſcere ſignat.Quæ uero dicuntur φάλαρα,id eſt phalera,ſunt circi in galea ſiue annuli circa tempora malasq; : quas partes παραγναθίδας nuncupant.Phaleras uero eſſe frontis equinæ ornamenta,ſciunt omnes. Phalæna paruum eſt animal candelabris aduolans, quod pyraſtumuros nuncupatur, & pſora. Dici uero phalænam putant παρὰ τὸ εἰς φῶς ἅλλεσθαι, quia ad lumen aſſiliat. Phalænam item ἰδιωτικῶς candilosbeſtrium dicunt:ſunt qui Rhodiorum uocabulum phalænam putent.Erant & phallophori,ithyphalli, autocabdali, muſicorum ſpecies, ut eſt apud Athenæum. E quibus hi quidem ex hedera coronas geſtabant. Ithyphalli uero temulentorum perſonis cõtegebantur,habebant chirothecas affabre elaboratas,necnon talarem tunicam,producíq; uoluptatis cauſa ſolitos, Athenæus ſcribit. Phallophori autem papyraceo tegumento faciem conuelabant,hedera & uiolis coronati.Autocabdalon pro rate multi etiam interpretantur. Sed proprie ita uidetur dici utcunq; ſubacta iam farina.Qui uero phallos erectos in inguinibus tantũ ferebant, dicti ſunt Ithyphalli. Nam phallica uocantur carmina, quæ cum tripudijs ſtante phallo canebantur. Sed Pollux Ithyphallica nuncupat, ſicut Oſchophoria, quæ in Oſchophorijs canerentur, quod feſtum erat ab ramorum,quos oſchia uocant,latione ita dictum. Priapum quoq; Ithyphallũ uocant,ut ſcribit Diodorus. Sunt in eo genere,qui uocantur hilarodi,quos nonnulli etiam Simodos nuncuparunt, quod Simus poetas id genus præcelluiſſe ampliter uideatur,quod Ariſtocles ſcribit.Hilaria uero feſta erant,quibus læta omnia, uti ſcribit Flauius Vopiſcus, & fieri conſueuerant, & dici:celebrabantur, Macrobio authore, octauo calendas Apriles, quando iam productiores ſentiuntur dies. Deo Pani credebantur ſacra,quem ut omnium authorem coluit priſcorum uanitas.Erant & Magodi,qui fere Lyſiodi uocitantur. Videtur magodia inde nomen indepta,quod magica proferrentur, & pharmacorum poteſtates. Apud Plutarchum in Sylla nominatur Roſcius Comœdus, Sorix archimimus, Metrobius λυσιῳδός. Interpres Bacchanalium cantorem reddidit: forte quia Lyſii dicantur Bacchi ſacrificia, quod Bœotios à Thracum impoſtura liberarit is deus. Nam & Lyſios deos intelligit Pollux apotropæos. Vel quod à Naxijs uitem redemerint Thebani: quod probat Ariſtophanes.

Apud

Apud Athenęum Diogenes Epicureus amasse dicitur mulierem Lysiodon. Fuit & cinædologus, qui etiam Ionicos dicitur logos, & Ionicũ poema. In ijs Sotades uiguisse in primis commemoratur, qui Maronites fuit, uti Pergamenus prodit Caryſtius: & Phlyacas scripsit, id est cinędos. Apollonium habuit filium, qui de patris scripsit poemate. Suus erat Spartanis quoq; comicus lusus. Hunc qui obirent, apud Laconas uocabantur Dicelictæ, quãquam euariante apud alios appellatione. Phallophoros siquidem appellant Sicyonij, quidam autocabdalos, sophistas nonnulli. Iam opinor ex ijs, quæ de Ithyphallis obseruata tradidimus, lux multa Columellæ uersiculo accedit ex hortorum cultu:

Sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen uenerare Ithyphalli,
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minatur.

Quanquam trochaicum dimetrum, brachycatalectum dicitur quoq; Ithyphallicum: sicuti anapesticum dimetrum, catalecticum nuncupant parœmiacum. Nephalia uocabantur ligna, quæ uitea non forent, nec siculna, aut myrtea. Illa enim œnispa dicuntur, aut œnosponda, ut quæ urerẽtur, ubi non aqua, sed uinum prolibaretur. Non mittamus postremo, quæ proferri ex Eustathij thesauris ualent. Phalerídas Veneri coniunctas putari, non propter Ithyphallos modo, uel etiam Phallos, sed & ex albedinis ratione, quæ in animali uisitur semine. Cuius inesse similitudo pernoscatur in Phaleridum nomine. Phalium quippe, ut exposuimus, album dicunt, unde & phaleræ. Phalangia uero ad hæc prorsum faciunt nihil: sunt tamen eo nomine, subiecta nauibus ligna, uelut fulcimenta, quæ item dicuntur hermata, quasi ἑρέσμαϛα, ut author probat Eustathius, nec flatilis repugnat, regula dictante, Vocalem breuem in ϱ desinentem, illato mox μ, aspirari: ut hormos, horma, hormatos. Est tamen herma, inaurium genus muliebre: dicũtur & hormata dolorum quãdoq;. Imponitur & nauigijs herma, citra quod si fuerint, dicuntur anermatista, id est ἀσήρικϛα ἄοπλα, hoc est infirma, inermiaq;. Herma, saxum prægrande interpretantur grammatici: nam & Arrianus scribit, herma impositum puppi, ut eo pondere protolleretur prora. Hermaces autem loca dicuntur lapidibus frequentia, uel in Mercurij honorem accumulati lapides. Nuncupantur & lithaces asperiora loca. In Herodoti historia septima, inter Scyathum & Magnesiã herma statuitur, quod (inquit) myrmeca uocant, id est formicam. Ipse in mari petrosum intelligo locum eo nomine, fluctibus adobrui solitum: ex quo Anacreon, ἔρμαϛα uocauit ἄσημα. Phalangium uero ex araneorum decuria, solers recentiorum perpensio dici ab Arabibus Rutelam, animaduertit: collatis, quæ cum Galeno prodit Auicenna, uulgo autem Tarantulam: cuius exitiale uirus stuporem læsis inducat, genuum labefactationem, demumq; uniuersi corporis palmum, id est tremorem: qui in prouerbium usq; profecerit. Illud grauius multo, qua quis affectione morsus tempore distrahatur, eandem uel ad extrema seruare perpetem, Sic qui, uti assolet, per mentis hallucinationem regem se aut deum ementiatur, imaginario malo perdurante, regiæ claritatis aut diuinæ excellentiæ opinionem nunquam exuere. Scribunt Græci, fuisse in Attica Phalanga quendam, cui foret Arachne soror. Quum uero ab Minerua hoplomachiam perdidicisset Phalanx, & telæ artificium Arachne, matrimonio se inuicem obstrinxere: indignata dea, in reptile genus utrunq; deformauit: quæ ab fœtu uorentur suo.

De phellis, item phelleis, & phelletis. Qui phellopodes. Phelon, phellodrys, Phalerus. Neapolis conditor. Cap. XVII

LEgebam Iulij Pollucis Onomastici librum primum, ubi piscatorum instrumenta nominatim recensens, linum appellat, phellos, molybdænam. Quærebamus, cuiusmodi nam forent, qui nominãtur phelli. Nam alibi idem Pollux in ratione capiendarum purpurarum, ab porphyreis, quos eius piscis indagatores intelligit, cypselas ueluti nassas quasdam ex sparto uel iunco contextas & illitas demitti per funiculum scribit, ex phellis propendentem, ut emineat. Sed & Plutarchus in libro De Romanorum fortuna, Caium Pontium ab Camillo trãsiturum in Capitolium, quod ab Gallis obsidebatur, dum Tybrim transmitteret, φελλὸς πλατεῖς

ἐπιστερνίζεσθαι, hoc eſt phellos latos pectori ſubieciſſe ſcribit. Comperiebam in libello quodam, in quo rhetorum obſcuriora uocabula explicantur, phelleas dici apud Iſæum loca petroſa capris compaſcua: unde & Phelleus apud Ariſtophanem in Nebulis, eſt in Attica locus inæqualis & ſupercilioſus, aſperq́. Ex hoc & Dores pumicoſos lapides dicunt phelletas. Eſt & in libris operimentum extimum phellas. Sed hæc ad rem nihil. Phelidij, ſeu Phelidis inſula, nona urbis regione ſtatuitur à P. Victore. Phellos id eſſe uidetur Græcis, quod Latine ſuber: cuius eſt natura, ut mergi nequeat. Propterea Græci ἀβάπτιστον φελλόν uocant: quaſi tu dicas, immerſabilem phellum. Vnde elegantiſsime Pindarus, eum qui inſita uirtute, impenetrabilem ſe quodammodo ſeruat fortunæ telis, nec deijci nouit, aut dari peſſum, eſſe tanquam phellum pronuntiauit. Sic enim ait. ἀβάπτιστός εἰμι φελλὸς ὡς. Eſt & Arcadibus arbor dicta phellodrys, quod primo De hiſtorijs Theophraſtus ſcribit: quam eſſe aſtruunt quidam, ilicem fœminam. Sunt qui aquifoliam, ut Theodorus: quam dicat Theophraſtus Ariam, ſiue Agriam, ſiue Narycam. Phellopodas uero Lucianus quoſdam fingit, qui per mare currentes nō mergerentur, quoniam (inquit) phellinos haberent pedes, ex phelli, id eſt ſuberis ſimilitudine. Eſt apud Vitruuiū libro nono, in horologij aqualis ratione, phellos, ſiue tympanum, aut ſcaphum, quod ab aqua ſubleuatur. Sunt qui ita ſcribant, Phellum eſſe in Italia montem, in quo piceæ proceriores gignantur, ex quibus phellus, ſiue ſuber conficiatur. Phelleſſæos eſſe dicit Stephanus Vmbris adiacentes populos ad Iapygiam, ſicuti commeminit libro ſexto Eudoxus. Idem putat Phelleos de locis dici omnibus, quæ infra petroſa ſint, tenui ſuperiecta terra, ad olearum plantationem peracommoda. Phellum & Antiphellum in Lycia ciuitates recognoſcit Alexāder Polyhiſtor. Phelonem pro tunicula poſitum legimus. Adnotatum uero à grammaticis illud quoq́, nūc maſculino genere, nunc fœminino phellum dici. At Phalerus, uti apud Lycophronem comperi, Siciliæ fuit tyrannus, à quo in Italia creditur condita Neapolis: etiam ſi Diodoro & Opiano Hercules placeat inſtitutor: nam ubi in Cynegeticis Oppianus ait, νέον πόλιν ἡρακλῆος, Neapolim ſignificat.

Quam habeat rationem adagio, Camelus bactriana. Hybus quid. Pluſcula de camelis. Perpenſus Plinij locus, & Diodori. Camelus pro funе. Quid camelaucium. Camelaria, uel camelaſia. Dromedæ, uel dromedarij. Anchoralia. Caballariæ. Cap. XVIII

Amelum Bactrianam, καὶ διχρωμον ἄνθρωπον, id eſt bicolorem hominem, ueniſſe in prouerbium in AEgyptia hiſtoria animaduertimus: aduerſus eos quidem qui ea promunt, quæ admirationi putant futura, re autem ipſa uel meticuloſa ſunt uel plane ridicula. Adagium rationem habet eiuſmodi: Ptolemæus Lagi duo quædam inuſitata in AEgyptum induxit, camelum bactrianam inſigniter nigram, bicolorem item hominem, ita ut medietas quidem ex æquilibrio ſumme foret nigra, reliqua portio albedinem præferret eximiam. Conuenientibus igitur in theatrum AEgyptijs, alia utiq́ non pauca ſpectaculo digna exhibuit. Demum ſtuporem nouitate rei, ac inuſitata ſpecie iniecturus, camelum produxit, & ſemialbum hominem. Cæterum AEgyptij cameli aſpectu territi paulo minus proſilientes mandarunt fugæ præſidium, etiam ſi auro eſſet ornata egregie, ac purpura inſtrata, freno quoq́ lapillis interlucentibus conſpicuo, è theſauris Darij regis, uel Cambiſæ, aut ipſius Cyri. Ad hominis autem illius ita coloribus diſtincti, & (ut ſic dixerim) uariegati, intuitum partim fuſius riſerunt, partim ut monſtrificum quiddam auerſati ſunt. Hinc Lucianus, Δεδοικα δὲ, μὴ καὶ τὸ ἐμὸν πάμψηλον ἢ ἀγυιᾶτιδίοις ᾖ. Sum uerítus, inquit, ne libelli mei perinde fiant ac camelus apud AEgyptios. De camelis Ariſtoteles multa, & Plinius. Author in Georgicis Didymus, ex ſue ac camelo progigni tertij generis camelum δίκυφον, id eſt gibbi duplicis, denſiore pilo, uiribus præualidis adeo, ut duplicato onere incedant onuſtæ. Haſce uero dici Bactrianas, quod in Bactris natæ primum. Mendum uero exemplarium eſt Bibliotheces tertio apud Diodorū, ubi Ditili ſcriptum reperies pro eo quod eſt Dicyrti. Cameli in dorſo tuber uocant hybon, id eſt ὕβον: quanquam & eo nomine intelligitur collo qui eſt obtorto. Iulius autem Polluxita prodit: Ad belli uſum aſini, qui dicuntur ſceuophori, id eſt ſarcinas geſtantes perneceſſarij habentur.

Boues

Boues item qui currus trahant. Multi utrunq; præstant: camelorum quoq; gerula opera expetitur. Sed in his etiam bactrij pugnant, quod sint equis celeriores, & magnitudinis ratione formidabiliores etiam. Et quia non infestentur siti, utiq; laboris patientiores. Quibus longiore itinere fatiscunt pedes, carbatinas adhibere moris est. Herodotus author est, Camelum in posterioribus cruribus quatuor gerere femora, & genua totidem, & ueretrum inter posteriora crura, quod caudam spectet. Porro camelis iunctis Indos tendere ad auri furta, quod (inquit) custodiant formicæ, quæ uulpes excedant magnitudine. Adijcit Philostratus, Indos ad cursum camelis uti, hisq; uno die stadiorum mille iter conficere. Feruidum præterea animal est, proindeq; lasciuum, ex quo in Vespis Aristophanes festiuissime: Phocarum, inquit, odorem habebant, Lamiæ uero testiculos illotos, cameli autem podicem. Iurecõsulti titulo De muneribus, camelariam dicunt camelorum curationem, quæ publica pecunia alebantur, & camelarios curatores ipsos. Quod munus, inquit Arcadius, personale est. Sunt qui camelasia dici arbitrentur camelorum præbendorum munus tabellarijs publicis transmittendis: de quis etiam mox. Camelos quosdam T. Liuius dromedas nuncupat, & in Aureliano Flauius Vopiscus: alij uero etiam dromedarios. Caballarios uero in Creta dici animaduerto prædia, quæ militiæ equestris nomine emeritis contribuerentur. Excíderat pene, quod dissimulandum non fuit: Camelos in admirabilium relatione tradit Aristoteles, nunquã coisse cum matre. Obseruatum id & in nono Auicennæ libro, qui est De animalibus. Sed & Aristoteles in libris argumenti eiusdem, id ipsum confirmat. Hoc idem & in equis ex Plinio astruere conantur aliqui. Quod tamen falsum conuincimus ex Aristotele libro sexto: nam quum docuisset, salacissimum tum fœminarum, tum marium esse equum homine excepto: paulo post inquit, Equi uel suas matres & filias superueniunt, atq; tunc perfectum esse armentum uidetur, quum parentes suam ineunt prolem. Suppetit Ouidij authoritas ex decimo Metamorphoseos:

Coeunt animalia nullo
Cætera delicto, nec habetur turpe iuuencæ
Ferre patrem tergo, fit equo sua filia coniux.

Camelum usurpant quidam, literis nil immutatis, genere tantum diuerso, pro anchorario fune: ut illud euangelicum, quanquã de animante intelligere maluit Hieronymus, Camelum facilius est per foramen acus intrare, quàm diuitem in regna cælorum. Sed doctissimi grammatici, & Aristophanis interpres, & Sudas quoq;, per ι malunt scribere camilos. Camelos Ammianus Marcellinus Latine anchoralia nuncupat. Per anchoralia, inquit, quadrupedo gradu repẽtes in scaphas sese iniectabant. Camelaucium uero inquit idem Sudas, dictio Romana est: dici tamen etiam Græce potest, περὶ τὸ καῦμα ἐλαύνειν, quia calorem defendat. Est autem camelaucium, ut Aristophanij enarratores tradunt, quod prius dicebatur pilidion, id est galericulus. Camelasium est apud Ammianum Marcellinum: Factum, inquit, tunc est, & deinde unius animi firmitate, ut præter solita nemo Gallis quicquam exprimere conaretur camelasii nomine. Illud uero fuerit leuioris operæ quod præcipiunt etymologici, camelum inde uideri appellationem duxisse, quod exceptura onus humi, hoc est χαμαί, consídat, ueluti chamelus. Sed, inquiunt, uastioris soni litera in exilem transiit. Ex Strabonis tamen interpretamento Geographiæ decimoseptimo, coniectare licet, camelum esse Assyrium uocabulum: gamal enim dicunt illi, unde uico conciliatum nomen Gangamela, uelut domus camelí: quod est ab Dario impositum Histaspis filio, quum fatigatæ camelo alimentorum ratione locum contribueret. Gaugamela tamen pronunciant Græci, forte per inscitiam, quia gentium illarum proprietate, gan, locum dicunt munitum. Meminit loci ac interpretamenti in Alexandro Plutarchus. Scribit Onirocriticorum primo Artemidorus, ex Eueni sententia in Eroticis ad Eunonum, camelum dici uelut κάμμηρον, quia, μέσος κάμηλος ὢν μηρός. quo argumento præmonstratam cruris debilitatem somnianti, hospitio se exceptum in fuga, cui nomen foret Camelus. At Varro: Camelus, inquit, suo nomine Syriaco in Latium uenit. Sciendum porro, insignioris censeri notæ, si quis camelo insidens ac per urbem circunductus uisendum se omnibus præbeat. Quod contumeliæ genus Byzantij in Arsacem Armenium, proditionis conuictum

prompsit

prompſit quandoq; imperator Iuſtinianus. Artemidoro ſubſcribit Horus, apud Aegyptios camelum inquiens, indicare hominem inceſſu tardum: quoniam inter animalia camelus modo χθὲς μηδὲν κάμηλος. quo argumento & nomen eſt cõformatum, ut ſit uelut κάμηλος. Cameli in fabulis dictum circumfertur ex Libanij declamationibus, dum plura affecto, etiam ijs quæ habui ſum excuſſus.

Hominis & animalium ortus ex priſcorum theologia. Prometheus cur dicatur homines finxiſſe ex luto. Quo ſenſu dicatur, Prometheus es. Coroplathi qui. Quid Prometheus ex Plotino. Caput XIX

HOminem, quem Mecurius miraculum ingens eſſe dicit, ex limo terræ confictum, non ſanctæ modo perdocent literæ: ſed in Menexeno, Protagora, & Politico, atq; Critia teſtatur Plato, prouidentia diuinæ bonitatis id agente, ab terra olim propagatum, cum artificis ſui imagine, ob idq; Theoiden appellatum. Nec tamen inficiatur idem, exundante amplius humoris elemento, moxq; reſidente eo, ex humiditatis copia, & inſequentis æſtus terram tot tantaq; fœcunditatis ſemina concipere, ut cuiuſq; modi prorumpant inde animalia. A qua origine ſpontali, ne homo quidem abiungatur, ſicut Aegyptiorum doctrina contineri nouimus, atq; item Arabum: ſed Algazeles tradidit maximè, nec Auicennæ diſplicuit in tractatu De diluuijs. Et Maro comprobaſſe uidetur illo uerſiculo,

Terrea progenies duris caput extulit aruis,

Georgicorum ſecundo: etiam ſi modo ferrea legitur in uulgatis codicibus, ſuperioris ſententiæ auctore Lactantio, ſi modo emaculatus eſt codex. Et nos alibi ſuper re iſta copioſe diſſeruimus. Poetæ uerò, quorum doctrina multiplex, atq; interim recondita eſt, ab Prometheo de terræ luto effictum hominem prodiderunt, aut obſcuritatis inuolucro, aut inſcitiæ nubilo artificis ueri nomen ementiti. Aut quia, ut Annalium tertio meminit Aphricanus, nec tacuit in libro temporum Euſebius, eloquentia & ſapientia ſua brutam ducentes uitam, ad ciuilem reuocauit modeſtiam, & ſcientia transfigurauit: quanquam ut Auguſtinus auctor eſt, non oſtenditur quis nam illis temporibus ſapiens fuerit. Siue quòd primus omnium ſimulachrum hominis de pingui ac molli luto formarit, ab eoq; nata primum ars ſit, ſtatuas, ac ſimulacra fingendi: quoniam Iouis temporibus floruerit, quibus templa conſtitui, & noui deorum cultus obrepere cœperint. Cæterum utcunq; interpretari collibuerit: ex fabulæ, ſeu ueritatis argumento comminiſcitur Lucianus, appellatum ſe à quodam Prometheum, quod librorum eius ratio noua foret, & inſolens, ex dialogo concinnata, & comœdia, quæ inter ſe longe diuerſa ſint, & (ut aiunt) diametro diſparata. An me forte Prometheum inde arbitraris, inquit, quod inuenta mea lutea itidem ſint? Agnoſco ſimilitudinem, comparem illi me fateor, nec recuſo, peloplathon aut plaſtem ſiue figulum me uocari: quanquam uilius ſit lutum mihi, & extriuio, & ferè barbarum. Quòd ſi orationem perdignam laude inopinabilemq; arbitratus, ſapientiſſimũ ex Titanibus in ea miraris, uide ne ironiam aliquis putet, ac laudi naſum Atticum ineſſe. Vnde enim mihi inuentionis præſtantia? aut quæ demum ſapientia præcellens, uel prudentia in meis fuerit libellis? Proinde mihi ſatis ſuperq; ſit, ſi non terrea hæc, & prorſum digna Caucaſo iudicaris. Vos nimirum Promethei ueriores, quotquot in iudicijs cum laude uerſamini. Veſtrum enim opus uerum, ſpirans, animatumq; eſt, ineſt quoq; ignea quædam uis, quod ex Prometheo utiq; ſit, niſi quòd non ex luto fingitis, ut ille, ſed pleraq; auro conflantur. Nos ſimulacra quędam confingimus proponimusq;, argillam omnino tractamus, quemadmodum qui uocantur coroplathi, qui puppas neſcio quas pueriles, & id genus imagunculas quorumcumq; animalium ex luto parte plurima, ſed & ex alia interim materia fingant: uerum idem operi motus non adeſt, neq; item anima, riſum modo, & uoluptatem tota res habet. Proinde ſubit quandoq;, ne ita Prometheum me uoces ſicuti Cleona comicus poeta. κλέωμ προμηθέως ὅτι μετὰ τὰ πράγματα. Nam & Athenienſes ſuo illo Attico naſo, omnes χυτρέας καὶ ἱπνοποιοὺς καὶ πηλουργούς, quorum artificium eſſet non ſine luto & igni, Prometheos nuncupabant. Quoniam perinde ac ollulæ, friuola ſunt, & quaſſa noſtra omnia, & quæ uel lapilli iniectu tenui, comminui tota facilitate poſſint. Sed non hoc fortè ſenſu dicor Prometheus, at cum laude potius: nam quæ modo ſcribimus, non trita incedunt uia, nec

archetypa quæ imitemur, habent. Sicuti homines qui non extabant, excogitauit ille ac effinxit: cui adfuit Minerua inſpirans lutum, & faciens animatum. Hæc quidem Lucianus, carptim à me tranſpoſita. Sed ſi ducem magnum ſequenti honeſtus error eſt, uideo id quoq; nec minus docte adiici poſſe. Solent nonnulli male feriati, & de re literaria hoc nomine male merentes, ingenio nullo, doctrina ſi qua ea eſt, tenebricoſa, & nulli rei, manu (ut ſic dixerim) prurire, ita gloriolam quam libet toto (quod dicitur) pectore captare, ut ab condendi ſtudio, quo ut maximus quiſq; eſt ac ſcientiſſimus, ita terretur in primis & fatigatur, nulla ratione auerti ualeant. Sed quod Prometheum feciſſe memorant, omentum uix & pinguedinis neſcio quid oſſibus inducant, eo lenocinio exchartabula linientes, ut abſinthites lateat, & illecti ſtudioſi mellito guſtulo præcipitentur in laqueum, & ſub purpurato titulo de aureo Babylonis calice bibant. Conquirunt inſcriptionum miras uarietates, Cerion ille appellat librum ſuum, uel nugas meras potius, & fauum intelligi uult, alius κέρας ἀμαλθείας, quod Copiæ cornu, ueluti lactis galinacei ſperare poſſis in uolumine hauſtum, ut uerbis nobiliſſimi auctoris rem exprimam, & propter quod deſeri uadimonium poſſit. At quum intraueris, bone deus quàm pſyrica omnia, quàm omnino nihil, niſi oſſeum, nihil non ſimplarium. Hoſce ego Prometheos uere dici, & eſſe arbitror. Ferunt ſiquidē, qui iſta curioſius conſectantur, Prometheum carnium diſtributioni, quam uocant creonomiam, præpoſitum lepide admodum, & feſtiue Ioui adortum imponere, quippe nil ueritus diuinitatem ſummatis dei, ſibi quidem præpinguia & ſapida ſubduxit, Ioui autem oſſa modo appoſuit obducta ἀργέτι λιπῷ, ut Heſiodus inquit, id eſt pinguitudine candida. Quo nomine, ſimul quia homines finxiſſet, & ignem furto conciliaſſet hominibus, Vulcano & Mercurio dicitur ab Ioue traditus in Caucaſo ſuffigendus. Ex hoc item facto Lucianus in ſermone, qui eſt De mercede ſeruientibus, uice prouerbij uſurpat Προμηθέως μερίδα, id eſt Prometheï portiunculam, uidelicet ὀστᾶ κεκαλυμμένα πιμελῇ, id eſt pingui contecta oſſa. Nos uero quod cœpimus, adiiciamus coronidis loco, tāquam bellaria quædam ſcitius condita, quæ ſomniculoſum excitent lectorem, altius uellicando. Legimus apud Plotinum primo De dubijs animæ, Naturalem quandam prouidentiā in uitali animæ mundi parte regnantem ſub Promethei cognomento, ex luto, id eſt materia prima, ſtatuas, id eſt res naturales effingere, atque eſſe huic opificio partim quidem alligatam, partim quoq; ſolubilem, nec eſſe hic Epimetheo, id eſt temeritati locum. Sunt qui hoc nomine humanum animum intelligant: qui diuina Palladis ſapientia inſtructus, ignemq; cæleſtem, id eſt rationem conſequutus, hac cauſa in montis uertice, quod eſt in contemplationis arce ex perpeti auis morſu rapaciſſimæ, id eſt ex inquiſitionis cura conflictatur, ac inde infelix cenſetur tantiſper, donec eodem remigret, unde ignem fuerat indeptus, ut toto denique lumine oppletus eniteſcat tota perfruens felicitate. Quod ad fabuloſa ſpectat, Promethei in Caucaſo relīgati meminit libro quinto Arrianus, ſed & Q. Curtius rerum geſtarum Magni Alexandri libro ſexto.

Omnium quæ de Prometheo traduntur, enarratio allegorica. Delius natator, qui. Quid hepar, ſiue iecur Promethei. Quid aquila. Pādora. Obiter de Briario pauca. Epimetheus, Iapetus, ferula, ignis. Lycium forum ubi. xx

ET quia ſenſum allegoricum, qui in Promethei fabula ſcrupuloſo cluditur inuolucro, breuiter admodū attigimus, & (quod dicitur) uix ſummis labijs guſtauimus, ſuccurrebat mihi, ut fuſius, & campo latiore rem ipſam exſequerer. Sed quoniam non parum multa ſunt in hoc negotio, quæ Delio indigeant natatore, id eſt ſolertiſſimo reconditorum indagatore: nam imperitiſſimi quod ne nare quidem ſciant coarguuntur, uel paroemia teſte: ut quæ ex intima promantur philoſophia, proindeq; cimmerijs inuoluta tenebris: commodius eſt uiſum, monere omnes, ſi qui ſunt horum ſtitores (ut ita dicam) Platonicos adeant, in primis uero accurate Platonem ipſum in Ciuili, Protagora, & Gorgia. In quibus commentationibus uir ille multa promit ueteris theologiæ ſemina. Nos interim amœniores petemus ſeceſſus, edocturi harum lectionum ſtudioſos, quæ ab Græcorum grammaticis ad hoc pertinentia fuerint animaduerſa & prodita. Igitur, inquiunt, Agrœtas tertio & decimo rerum Scythicarum ſcribit, Aquilam Promethei iecur depaſci ſolitam, inde uideri receptum

ceptum uulgò. quod is præfœcũda potiretur regione, ſed quam tamen fluuius Aetos, id eſt Aquila, maximè infeſtaret. Scimus autem hepatis, aut uberis appellatione fertili tatem plerũq; ſignificari. Quum illuc acceſſiſſet Hercules, re perſpecta, fluminis impetum, & copiam alueorum crebritate exinaniſſe, atq; inde iudicatum, aquilam peremiſſe, & à uinculis ſoluiſſe mox Prometheum. Sic quod obuium erat, fabulæ inuolucro factum obſcurius, uelut in Briareo quoq;. quippe prodit hiſtoria, eſſe in Aſia tumulum Aegeonis nomine, abs quo fontium proſiliens multitudo circũiectos impinguet campos. Sed non tamen in hoc idem omnibus uidetur, Theophraſto magis placet, ſapientiæ ſtudioſum fuiſſe Prometheum, ac omnium primum hominibus philoſophiam eſſe impertitũ: unde inuulgatum fabulis, ignem ab eo diſtributum. Herodotus adijcit, Scytharum regem hũc fuiſſe: quumq; eius imperio obnoxia regio ſumma neceſſariorũ laboraret inopia, nec ſuccurri ab rege poſſet, quòd Aquila fluuius excreſcẽs nimio plus agros diluerit, ibi coortos homines in uincula Prometheum cõieciſſe. Herculem uerò illum liberaſſe, & fluuium corriuaſſe in mare. Ad Nilum, qui diceretur Aquila, rem deducit Siculus Diodorus. Duris autem ſcribit, ob Palladis amorẽ in Caucaſo eum fuiſſe colligatum, quo argumento Caucaſios nec Ioui nec Mineruæ rem diuinam facere, Herculem autem colere in primis. Cæterum nec id item omiſerim: auctor eſt libro ſecundo Pherecydes, Aquilam immiſſam Prometheo, ex Typhone & Echidna Phorcynis eſſe natam. Quodq; illa interdiu abſumeret, ſolitum noctu ſuccreſcere. Quod uerò ad oſſa Ioui appoſita pertinet, hunc reperio ſenſum, haud equidem aſpernabilẽ, ſi quis dogmata ueterum de anima, & Empedoclis præcipuè admittat, quibus animas placet eſſe apud opificem deum ante quàm in corpus delabantur, atq; illic proficere, ac perfectiores nanciſci gradus. Rationalis igitur animæ mens Promethei nomine ſignificata penes diuinam prouidentiam conſtituta, quam Iouis nomine intelligunt, ſortita incorpoream uitam cibi haud indigam, impetum concipit ad terrena hæc & corruptibilia, quo nomine confeſtim pœna conſequitur, ut illinc præcipitetur in corpus. Propterea Heſiodus prudenter peiorem ſcribit conditionem neceſſario amari ab hominibus ob irrationalem uitam quæ obuenit, delabente in corpus anima. Oſſa itaq; ueritatis inſinuant nobis tegumentũ. Oſſium ariditas, & perfecta nuditas uitam præmonſtrat extra carnem & cibi neceſſitatem. Nata inde uoluptas, & ſpiritale gaudium per pinguedinem oſſibus obuolutã ſignificatur. Mens igitur Ioui imponere tentat, ſubtractis ſibi adipatioribus: illi autem oſſeis appoſitis, quoniam ad inferiora reclinata corpoream uitam eſt amplexata, quæ carnem habet ac pinguedinem, deum ſpiritali ſtatui relinquit: quod ſanè primum apparet mentis peccatum. Ignis nomine, intellectualis oſtenditur uita: nanq; latet hæc, ſicuti ignis ante quàm in materia concipiatur. Ignis uerò furtum in concaua ferula manifeſtius aperit tranſitum ab intelligibili & obſcura latentiq; uita ad ſenſibilem & alienam. Ferula, nil planè aliud eſt quàm corpus: ut enim illa ignẽ operit, conſimiliter animam caro: porrò ſicuti ferula debilis, pari modo & corpus. Poſtea quam uerò electione propria mens affectare terrena cœpit, iubet diuina prouidẽtia ex elemẽtis quatuor compingi Pandoram, id eſt humanum corpus, fœmineo nomine ſignificatum, quod carnis debilitas minimo exſolui poteſt. Dicitur tamen dijs ſimile, quia humanum genus etiam ſi non numero, ſpecie tamen ſit idem, ſeruetur q; perpetuò ac uigeat, propterea uirgo fingitur Pandora. Ioannes tamen Grammaticus artium inuentionẽ Pandoræ nomine accipiendam putat. Aquam uerò ſubactam dici, & terram ob nauigationem excogitatam: aut per exochen quandam agricolationem intelligamus, à qua profluunt omnia, quibus alimur. Pithos autem, hoc eſt Pandoræ dolium, fati potentiam indicat, quæ prodeuntibus ad generationem animis bona diſtribuit, uel mala: unde multi dicantur εὐμοιροι, alij uerò κακόμοιροι, quod eſt boni fati, aut mali. Sed hoc ipſum fatum uocat Heſiodus, Διὸς νοῦ, id eſt Iouis mentẽ: idq; ex Stoicorum hæreſi. Cæterum de Epimetheo quid nam ſtatuimus? Mens noſtra dum diuinitate inſtructior inſita, exactiore libra rerum qualitatẽ prius quàm omnino quicquã capeſſat, expendit, peruidetq;, dicitur Prometheus, id eſt prouidens & præſentiens. dum uerò inſcitiæ nubilo obducta nil ſatagit, ſed incertis fortunæ flatibus uitæ rationes, tãquam uela expandit: tunc, poſt malum reſipiſcentis conſultantisq;, hoc eſt Epimethei nomen

accipit. Horum pater fingitur Iapetus, id eſt pernix & rotata cælorũ uertigo. Cum cælo præterea analogum quiddam humanum caput ex poſitu ſphærico habere cognoſcitur. Proclus Iapetum accipit θεὸν νοερόν, deum intellectualem, qui ſit cauſa cæleſtis motus: unde etiam dici à theologis Iapetum, παρὰ τὸ ἰέσθαι καὶ πέτεσθαι, ab inceſſu uolatuq́. Cæleſtem ſphæram eo nomine intelligi mauult Euſtathius. Ignem à Prometheo ſurreptum, νοῦν intelligit τεχνικόν, id eſt artificialem mentem: nam luminis cauſa, inquit, ignis eſt. Proinde icona habet artificialis mentis, qua uiuunt homines intellectualiter primum. Ferulam putat typum habere ſenſibilium: eſt enim Dionyſiaca, ut Dionyſii ſacris initiati monſtrant ναρθηκοφοροῦντόν, hoc eſt ferulam geſtantes. Qui deus creditur ſenſuũ auctor. Ignem fabula tradit, delatum primo in AEtoliæ ciuitatẽ, quæ ex eo argumento ſit dicta Pyrenia. Sunt ex Græcis, qui in agrum Argiuum cælo primum delapſum ignem ferant, diuq́ in Apollinis Lycoctoni templo ſeruatum, quod in Argiuo uiſebatur foro, quod in Electra Sophocles Lycium uocat: tametſi eſt gymnaſium Athenis Lycium.

Enarratur locus Propertij. Quale ſit pharmacum prometheum. Item Prometheï Theſſali hiſtoria: necnõ de Argiuo rege Lacyde. Ephippon. XXI

DIſceptatum diu inter eruditos arbitror, qui Propertium atterunt lectione aſſidua, ſuper illis uerſiculis ex libro ſecundo ad Tullum, ubi de Cynthia queritur, quæ in Baiano receſſu, notiſſimo uitiorum diuerſorio, in alterum uidebatur amorem ſuum corriuaſſe, ex quo indignanter poeta, atq́ ob id dolens acrius, illuc erumpit:

Inuidiæ fuimus, num me deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis.

Sum admiratus uirum alias doctiſsimum, & oleo multo, multaq́ opera bene, atq́ adeo inſigniter de re Latina meritũ, eum cõniuenter tranſiluiſſe locum, nec ſuppetiſſe quid peculiarius afferret, etiam ſi multus ſit harum rerum conquiſitor. Sed inter tot uigilias ſemel atq́ iterum obrepſiſſe ſomnum, minus fortaſsis mirandum. Verum amota omni ueſica, cõtenderim uel Attilio iudice, eruditum poetam ſignificaſſe, ex herba pharmacum, quod prometheum Apollonius Argonauticon tertio uocauit. Etenim uelut fiduciaria ſit facta uenditio, ut eſt apud T. Liuium, remancipamus citra liuoris labeculam. Cuiuſmodi porro foret ea, nec edocere quidem ſuperſedit. Scribit autẽ natam primo ex cruore ac ſanie in terram ſtillante, dum Prometheï iecur aquila roſtro lancinans in Caucaſo depaſceretur. Eius, inquit, flos prominet cubiti menſura, colore corycio aſſimilis croco, caule gemino, radix ſub terra caro uidetur recens inciſa, ſuccum nigricantem eſſe tanquã phagi. Nec uim item tacet: Si, inquit, Proſerpinæ re diuina noctu peracta, hoc corpus linias, ferro nullatenus oblædi poteris, neq́ item ignis incendia ſentire. Hæc nimirum ubi legiſſet Propertius, carmini inſeruit, ceu medicamẽto eodem ita Cynthię mens in eum obduruiſſet, ut nec igneos amoris afflatus perſentiſceret, ac nullos poetæ æſtus curaret. Hæc nos obſeruata illatebrare nõ ſuſtinuimus, publicam materiam fecimus non uellicandi libidine, tanquam conſerta manu in ius uocemus: neq́ enim theoninũ dentem ſubinde ſtringere, Chriſtiani hominis puto, ſed iuuandi conſilio. Expendant modo claſsici omnes, ſed cenſura miti, hoc eſt citra liuorem: ſi probarint, calculum non abnegent: ſin minus, allata ratione, nec ipſe unguem reformidabo, aut nares hoc nomine contrahã, patiarq́, uel utrunq́ Andabatam uideri. Poſteaquam uero de Prometheo ſatis multa cõgeſsimus, ſubnotemus illud quoq́, quod ex Ioanne Grammatico nouimus. Fuiſſe ab ſuperiore diuerſum ex Theſſalia Prometheum quendam, quem quum Lacydes uellet interficere, & tum forte is phymate laboraret, tuberculũ eſt id furunculo maius, rotundius atq́ planius, tranſuerberans enſe perſanauit. Eodem modo, inquit, Smicynthes Nicanora ephippo percutiens ſalutare intulit uulnus. Et Seneca De beneficijs ſecundo, Tuber tyranni quidam ferro diuiſit, qui ad eum occidendum uenerat. Theſſali Prometheï meminit Plutarchus in commẽtatione qua cõmonemur, Quo quis modo ab inimico poſsit iuuari: ſed Lacydem nõ nominat ibi: nominat autem extra hiſtoriam mox paulo, docetq́ fuiſſe Argiuorũ regem, comã delicatum & inceſſu quoq́ molliorem.

Scripti

Scripti & uoluntatis quæſtio triplex. Quid æquũ & bonum. Quintilianus enarratur. Lesbia regula. item Polycleti regula. Caput XXII

INter alia haud parum multa quæ in dicendi artificio ſolent ſeſe ueluti obices & moramenta legentibus ingerere: eſt & illa, Scripti & uoluntatis, frequentiſſima etiam inter Iureconſultos quæſtio, ut iuris pars non minima uideatur inde pendere, ſicuti elegãter ſcribit libro Oratoriarum inſtitutionum ſeptimo Fabius. Eius quæſtionis uis trifariam tractari ferè poteſt: nam eſt ubi ſcriptum & uoluntas ambiguitatem habent, ſi quid in lege ſit appoſitum obſcurius. Alterum genus eſt, in quo pars altera ſcriptũ aduocat, altera uoluntatem. Quo autem modo ab uoluntate ſtemus aduerſus ſcriptum, amplius exſequitur idem Quintilianus. Sed exemplo item appoſito: Peregrinus, inquit, ſi murum aſcẽdit, capite puniatur. Quum hoſtes murum aſcendiſſent, peregrinus eos depulit: petitur ad ſupplicium, contradicitur, quæriturq́, an ne ſeruandæ quidem ciuitatis cauſa liceat mœnia conſcendere? Ergo æquitate ac uoluntate pugnandum. Tertium genus eſt, quum in lege aliquid inuenias, quo non obſcura coniectatio fiat, conditorem legis diuerſa atq́ aduerſarij opinentur, ſenſiſſe. Huc uſq́ Fabius. Sed cætera quæ hic continentur, nec moleſtam nec reconditam interpretationem habent. At quod dicitur Aequitate pugnandum: nos torquebat aliquãtulum, uidebaturq́ omnino res uberius explicanda. Nam & ex multis Quintiliani locis tolletur obſcuritas, quæ plerunq́ Lynceis imponit uice Plani cuiuſdam: & aliis quoq́ ſcriptoribus qui ſtudioſorum lectionibus terũtur, opem tulerimus aliquam: ſed ad hoc præſtandũ non ferè illuſtrior Ariſtotele occurrit, qui abunde nos inſtruat, quid ſit quod æquitatem crebriter, ac bonitatem dicimus. Nec oberit illud iactatum uulgò: Vni teſti, nec Catoni quidem credendum: quando non occurrit, aduerſum ituros aliquos. Lego igitur apud illum libro De moribus quinto, id ab Græcis uerbo uno expri mi ἐπιεικείαν, quod nos æquum dicimus & bonum. Conſentaneũ, inquit, eſt diſpicere æquitas & bonitas quam rationem habeant ad iuſtitiam: neq́ enim omnino eſt idem, nec genere item prorſus diuerſum: nam eximiè quãdoq́ approbãtes adnectimus id, ex æquo & bono. Sed ſi rurſum rationem pergas diſpicere, abſurdi neſcio quid ſeſe oſtentat. Si præter iuſtum aliquid ſit bonum & æquum, quod laude dignum cenſeas. Nam aut iuſtum, res eximia non eſt: aut bonum & æquum, non iuſtum, ſed aliud: aut utrunq́ eximium, & idem eſt. Cæterum rectiſſimè omnia conſtituta, nilq́ in iis pugnans eſt: quippe bonum & æquum, cuiuſdam iuſti emendatio eſt, non tamen ab eo diſſentaneũ. Gignit autem ambiguitatem, quoniam bonum & æquum iuſtum eſt quidem: ſed non id tamen, quod ex lege eſt, ſed quod legem corrigit emendatq́. Ratio uerò huius hinc colligitur, Lex omnis uniuerſalis eſt: ſed enim ea ſæpe rerum natura eſt, ut de iis uniuerſim præcipi nec poſſit nec debeat. Vbi igitur neceſſariũ eſt uniuerſale præceptum, nec rectè afferri poteſt, lex id complectitur, quod plurimum eſt: nec eam fallit tamẽ, in quo deficiat, nec ideo non rectam dixeris: neq́ enim peccat lex, ſed rei natura, quæ præcepti capax non eſt. Quando ergo uniuerſalis eſt lex, uſu uenit autẽ, quod uniuerſale non ſit, tunc ſumma dictat ratio, ut quæ conditor legis, ui rerum cogẽte, omiſit, expleãtur emẽdatione, quod nec ipſe legis auctor abnuat, ſi adſit. Hæc igitur eſt boni & æqui natura, legis emẽdatio, qua quippiam fuerat omiſſum propter uniuerſale: quædam enim ſunt, de quibus lex ferri nõ poteſt. Itaq́ decreto opus eſt, nam indiffiniti indiffinita eſt regula. Cuiuſmodi eſt in Lesbo in ædificandi ratione regula plumbea. Hæc ex Ariſtotele. Vnde plura paulo mutuari, & trãſponere collibuit, quo ex ſummi philoſophi placitis res tota notior fieret, nemoq́ non dehinc uitro (quod dicitur) Sidonio, & electro lucidius ſciret, quid æquitas & bonitas ſibi uelint in maximis auctoribus. Vſurpat ſimplex plebecula crebrò æquitatem, nec tamẽ quid dicat, opinor ſatis intelligere. Quod autem de Lesbia dictũ regula eſt, ſcire amplius oportet, Lesbios plumbea uti regula, quæ ſuper lapides poſita per eorum inæqualitatem flectatur facilius: ſiquidem adeo duros in illa inſula eſſe lapides memorãt, ut ob naturam minimè ſequacem ſcalprum non ferè recipiant. Igitur eius ratione regulæ inter ædificandum, menſu lapidum quoquo modo concepto, iunctura atq́ colligatio mutua minus reddebatur impedita, rectiorq́ ſurgebat ſtructura. Erat & Polycleti regula, cuius meminit in libro De optima conſti-

tutione corporis Galenus. Et medici temperatam, ut ipſi dicunt, complexionem aiunt eſſe, nos temperaturam rectè nuncupamus, ueluti Polycleti regulam, ad eam quippe ſanitatis regimen diſponitur. Item ægritudinum curationes, cibi, potusq; ratio, necnon pharmacorum. Galenus ſanè inquit, Optimum corpus uelut Polycleti regula eſt. cui in noſtro ſitu, utpote probè temperato, non pauca uideas ſimilia. Porrò quod ad æquitatem ſpectat, ad id ipſum facit, quod Moderatus Columella ſcribit Agricolationis primo: Nec ſanè, inquit, eſt uindicandum nobis, quicquid licet: nam ſummum ius ſummã crucem putabant: nec rurſus in totum remittendum, quum uel bona nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe ſeueriſſimè, putetur.

Theſei honores Athenis. Semnæ deæ quæ ſint. Item quid Semneum. Tyrãneum, Laodiceũ, Martyrion. Procotta. Cottis quid. Cepus. Comana ciuitas unde. Oreſtis hiſtoria. Procomion multa ſignificare. Epicomia quæ ſint. Proconion. Plutarchi codex emaculatur. Theſeis quid. Comæ, barbæq; primitias offerre cur inſtitutum. Curotrophos Apollo. Tõdendi ſpecies. Penice coma: galericulus. Relicinus. Replaudere frontẽ. Threpterius, pentherium, & pentherius capillus qui dicatur. Pnyx quid. Pnycite. Ceroplaſtæ. Ceras pro coma. Ceram cur dicant Armoraciam. Xylon primũ quid. Pſiathia: Helenæ hiſtoria, & Iphigeniæ. Cap. XIII

THeſeum, qui primus Athenarum urbem cõſtituiſſe uidetur, quum uicatim prius habitaretur Attica: quamuis Quatrurbem credatur Accius appellaſſe Athenas, quod ex quatuor urbibus foret conflata, honoribus multis, ueluti tanti uiri attonita uirtutibus, proſequuta poſterior ætas eſt. mortuum ſiquidem ſacrificijs, ut heroem, cenſuit honeſtandum: aſylum quoq;, id eſt ſanctius templum, ut inquit Liuius, ad eius tumulum curauit dicandum, quod puto, Theſeum dicebatur: unde eſt Ariſtophanium illud in Equitibus, λαβῶν δαί μοι δρκῶ ἐς τὸ θησεῖον, ἢ πὰ τῶν σεμνῶν θεῶν. Sedere mihi uideor ad Theſeum, aut ad deas Semnas. id eſt Erynnias, ex Attica loquendi cõſuetudine, ἢ ἀντίφρασιν. Earum ſimulacra poſt Oreſtem excitarunt ad Ariopagum Athenienſes, uti honore exciperentur maiore. Semnarum meminit Thucydides libro primo. Earum ſacra obibant Heſychidæ Athenis, ab Heſycho heroe propagati, cui arietem ante rem diuinam immolabant. Semneum uerò monaſterium eſt, uel quaſi ueneratione dignum, aut magis, quia ſecreta & inacceſſa loca uocãt Semna. Apud Lycophronem tamen, etiam turpitudinẽ habet ea dictio. Semnas deas & Eumenidas putat diuerſas Philemon comicus. Dicitur autem figura eadem, qua τυραννεῖα Plethoni Gemiſto in hiſtorijs, tyrãnorum uocantur palatia. Sic & Thucydidi διοσκούρειον nuncupatur Dioſcurorum templum. Idem ſcribit, Mantinæos & Tegeatas in Laodiceo terræ Oreſtidis concurriſſe. Martyrion Hieronymo eſt martyrum ſacellum. Sed ad rem. Theſei templum & Erinnyarum aſyliam habebat, quoniam ex eo reuelli nullus poterat ſupplex. Quid quod auctores paſſim approbant, octauum menſis diem fuiſſe Theſeo ſacrum, ſicut Numeniæ dies, qui primus eſt, ſeptimusq; Apollini, quartus erat Mercurio ſacer? Erant eiuſdẽ honori feſta Theſea, in quibus dabatur populo congiarium, & conuiuia celebrabãtur. Frequens item tonſus nomen eſt Theſeis, ab illo producta. Etenim inoleuerat mos uetus, ut qui exephebi eſſent, capillum & barbam fluminibus, & Apollini primum tonderent, quem curotrophon uocabant. Sicut apud Homerum Achilles facit: & in Theſeo à Plutarcho eſt repetitum, eo argumẽto quod ex humecta feruidaq; natura conſtant animantium incrementa. Delphos itaq; profectus Theſeus comæ primitias obtulit deo, anteriore capitis parte abraſa. Nam alij temporum comam offerebant, alij poſteriorem, ut eſt apud Pollucem. Priora capitis tondendi more Abantas primum uſos, auctori Homero credimus. Quemadmodũ ediuerſo Thraces quoſdam appellatos ſcimus acrocomas, qui antias in frontem muliebriter demitterẽt. Nam Euboicos opiſthocomas uocari ſolitos, Polluci aſſentimur, quia comam per terga fuſam alerent, qualis ferè Hectorea dicitur cõma, ut auctor Timæus eſt. Nec Lycophron prætermiſit, ubi Caſandram inducit ſic nuncupare comam, uelut incederet eo modo Hector. Procotta uocatur, ubi anteriores nutriuntur comæ, quia Cottis apud Dores dicitur caput. Quãuis alij ante frontem capillos dici Procottam

tam putent. Ex uetere item inſtituto legimus, in Ponto Comana nuncupari, ab excisa inibi ab Oreſte coma: quod, ut ſcribit Procopius Perſici belli primo, & ſignificat Strabo, ex Tauris cum ſorore profectus in ualetudinem incidens oraculum accepiſſet, non deſiturum morbum, ni ædificato quale apud Tauros reliquiſſet, templo. Quare conſpecto in Ponti regione prærupto monte, ciuitatem condidit, illum tauro conſimilem arbitratus, ac Dianæ templum, lugubri coma præſecta, extruxit. Verum graſſante nihilo ſecius malo ui, rurſum in Cappadocia montem nactus Tauricis perſimilem altera excitauit Comana de Comæ rurſum præciſæ argumento. Morbum non alium fuiſſe augurantur, quàm inſaniæ qua ſit, enecta matre, correptus. Eſt & tondendi ſpecies dicta cepus, qua frons excolitur. Eſt & ſcaphium, ut Ariſtophanes ſignificat in Auibus. Eſt & indecora prorſus, ac cinædica tondendi ratio dicta mœchus, qua infamatur in comœdijs poeta Cratinus. Cuiuſmodi ferè apud Martialem epaphæreſis, etiã ſi pro tonſu ſimpliciter quidam intelligi epaphæreſim malunt. Vtitur eo uerbo Therapeutices quinto Galenus. Penicen comam dicimus inſititiam, non ueram, neq; cõgenitam. Eandem & procomion recte uocaris, & pilidion apud Demoſthenẽ, atq; item entrichon: at Latine capillamentum & galericulum, Tranquillo aſtipulante in Othonis uita. Procomion intelligit in libro πρὶ ἱππικῆς, Xenophon equorum iubas in frontem propendentes: quæ uiſum non præpediunt utique, uerum & infeſtantia ab oculis defendunt. Legimus & πρὸ κώμου dici hymnum: qui ante comon, id eſt κῶμον concinnaretur. Erat autem eo nomine cantus & uinolenta ſaltatio: unde quod comon præcederet, procomion recte dixeris, uelut procœmium. Sed & qui alios anteit hymnus, eadem non inepte cenſebitur nomenclatura. Quæ uero laudis ſuppeditant argumentum in comeſſationibus poſt uictoriam epicomia dicuntur ſcienter: Pindarus, ἴδμα ναυσολέοντες ὠὴ κώμια πιείλων ἀρότας. Proconium uero eſſe hordeum tradunt: ſed & toſtum triticum, ac ſuffimenti genus. Sunt qui ea appellatione, polentam ex recenti hordeo accipiant, ut Galenus. Relicinam in Alexandro frontem ubi in floridis laudat Apuleius, capillitio denudatã intelligit, & ueluti relictam. Replaudere frontem, eſſe uidetur percutiendo frontẽ capillos reijcere, quod aſſolet in luctu. Capillus porrò reſectus deorum honori, threpterius dicebatur, id eſt θρεπτήριος, ut eſt apud Aeſchylum. Reliquus uero pentheterius, id eſt πενθητήριος, puto ab luctu ita nuncupatus, quod uſitatiſſimi foret moris in Græcia, per luctum comam recidere: & inter nauigandum tempeſtate urgente peruellere item fuſis precibus: quod ſcribit in libro de ſua ipſius uita Libanius. Alio tempore omni cõnutrire, niſi ubi uigore ætatis præciſus, offerretur deo capillus, ut iam commonuimus, quem inde quoq; threpterium nuncupari ſolitũ coniectamus: nam & threptra cõnutricationis dici collata præmia, compertum eſt. Pentherium autem Thaſii dotem appellant. Illud obiter adnotarim, pnycen ad comam pertinere nihil, quando eo nomine conſilij locus Athenis ſignificatur. Alij concionem eo uocabulo intelligi malunt, ab hominum frequentia & denſitate deflexo uocabulo. Quod innuere hiſtoria octaua Thucydides uidetur. Sed ipſe πύκνα ſcribit. Pnycis meminit Plutarchus in Themiſtocle: Pulpitum, inquit, quod in Pnyce proſpectabat mare, ab triginta tyrannis in terram & continentem eſt cõuerſum. Sed Latini codices fœde interpolati, In pace, ſcriptum præferunt. Meminit in Theſeo idem Plutarchus, & contra Cteſiphontem Aeſchines. Verum Latinis codicibus maximè uitiatis. Apud Ammianum Marcellinum legimus, Diodorum eſſe exanimatum, quod dum ædificandæ præeſſet eccleſiæ, puerorum cirros licentius detonderet, id quoq; ad diuinum exiſtimans cultum pertinere. Ceroplaſtæ à nonnullis comæ ornatores uocantur, quoniam ceras etiam ſit coma, quod ante Plutarchum indicat Homerus, dum Parim κηρῷ ἀγλαΐῃ dicit: ſed & apud Sophoclem ὀρθόλοφος φρίκη nuncupatur, id eſt horror pilos ſurrigens, uelut ὀρθόθριξ. Sunt & cæroplaſtæ, qui cæram exercent: ſed tunc Græce κηροπλάσται ſcribuntur. Apud Theophraſtum obſeruauimus, Armoraciam, quæ ſylueſtris eſt rhaphanus, ut ſcribit Palladius, ab cornu imagine κόρυ nuncupari. Quod paſtinacis nomen eſt communicatum, Dauco tamen in primis, fortè ab radicis capillatæ argumẽto. Pnycen, de qua diximus, putant aliqui regionẽ ad Acropolin, antiqua cõparatam ſimplicitate, ubi archæreſia haberentur, id eſt principum electiones, ſeu comitia. Proin

de tumultum popularem,& concionum fluctus dici pnyciten ab Comicis. Obiter, ac parerga uelut opera adijciamus, primatem ſedem nuncupari ſolitam πρῶτον ξύλον, id eſt primum lignum,& in iudiciali ſtatione cathedram primam. Verum quæ iudicum ſellis inſternebantur, dicunt pſiathia. Illud poſtremo ad Theſeum ſpectans haud incurioſius tranſmiſero: quod Duris prodidit Samius, raptam ab eo Helenã annorum ſeptem, tamq; retentam diu, donec Iphigeniam ſuſcepit filiã, mox uero ea fuiſſe exutum. Propterea Lycophron Helenam dicit, λυσὶν πελιᾶν ὀρφανισμένων γονᾶν, raptã ab Paride. Traditur illud quoq;, Iphigeniam mox Clitẽneſtræ adoptatam. Eandemq; Græcis fuiſſe immolandam, ni Diana cõmiſerante, in urſam foret deformata: uel iuxta Nicandrum, in tauri formam, aut etiam in anum uel ceruum, etenim traditur id quoque. Sunt qui ex Agamemnone ac Chryſeide, Chryſen memorent natum, & Iphigeniam. Hanc uero poſt captum Ilium ab Tauroſcythis abductam Dianæ inſtitutam fuiſſe ſacerdotem, uel Lunæ.

Pyrrhi uotum. Sanitatis præſtantia. Antiochi ſomnium ad id. Pythagoricum item inſtitutum. Socratis cõprecatio inſignis. Aurum eſſe ſapiẽtiam: argentum uero naturalium notitiam. Cap. XXIIII

PYrrhum, qui Epirotis imperitauit, quiq; poſt Alexandrum rei militaris prudẽtiſsimus eſt adiudicatus, ferunt, ubi immolaturus templa inuiſeret, non regni ampliorem modum, non de hoſte uictoriam præſignẽ, neq; item gloriam illuſtriorem, aut diuitias, & id genus alia, quibus mortalium pleriq; attoniti inhiant: ſed ſanitatem modo à dijs comprecari ſolitum, ceu parte hac bene conſtituta, proſperius ceſſura uiderentur omnia. Nam ſi toto ſinu ſeſe affundat Fortunæ afflatus, abſit autem ualetudo recta, nullum illinc profluit emolumentum quod iuuet. Propterea Antiochum cognomento Sotera, prælio cum Galatis congreſſurum legimus, in quiete arbitratum, Alexãdrum ſibi aſsiſtere, monereq;, ut prius quàm in aciem milites produceret, non aliud proponeret illis ſignum, quàm ὑγιαίνειν, id eſt bene ualere. Quod quum is non neglexiſſet, nobilem de hoſtibus uictoriã eſt aſſequutus. Scimus porro mãdatorum librum ab imperatore dari ſolitum, in quo præceptum primũ erat de ſanitatis cura: Pythagoras quoq; in epiſtolis non alia eſt uſus conſalutatione, q; ut iuberet ὑγιαίνειν. Id inſtitutum & Pythagorici mox ſeruarunt, ucluti animæ corporiq; nil amplius congrueret, hocq; uno hominis bona uniuerſa comprehenderentur. Quin & ſymbolum, quo inter compares uterentur, dicebatur ὑγίεια, id eſt ſanitas. Socrates uero in Platonis Phædro, ſic uotum cõcipit: Amice Pan, & alij qui locum hunc colitis dij, date mihi, ut intus pulcher efficiar, & quæcunq; extrinſecus habeo, intimis ſint amica. Diuitem autem ſolum ſapientem exiſtimem: tantũ uero mihi ſit auri, quantum nec ferre, nec ducere queat alius, niſi uir temperãs. Hoc eſt philoſophi præclarum uotum, hæc oratio ad deum inſignis, hoc documentũ cunctis infigendum mortalibus. Quid enim ſolicitius petendũ à deo, quàm bonum? Sed cuiuſmodi nam bonum? Certe ut eum ipſum, ſummum, inenarrabilem rerum cõditorem aliquo modo cognitione pertingere ualeamus. Hæc uera eſt ſapientia, hoc bonum uerum, hoc præter eum, qui uere ſapiens eſt, nemo contribuerit. Sed nec alius acceperit, niſi intima pulchritudine nitidus, expurgatis ſcelerum fomentis: imo uero, quem incomparabilis illa bonitas, in ſita pietate, ſapiẽtia dignum præſtiterit, id eſt talem effecerit, ut lumen illud ferre paratus ſit, reſecta omni uitiorum per uirtutem labe, perturbationibusq; omnino iuſsis cõticeſcere. Huic ita affecto Pan & dij omnes, hoc eſt ſummus ille parens, conditorq; rerum ac miniſtri eius omnes ita aſpirant, ut aurum micantiſsimum non abnegent, id eſt diuinitatis notitiam impertiantur, poſtea quàm corporea nec tumultuantur, nec menti obſtrepũt amplius. Hoc illud aurum eſt omni cenſu maius, quo ab Hebræis AEgyptios fuiſſe ſpoliatos, ſanctæ produnt literæ. Etenm ſic auri nomine Chriſtianæ ueritatis aſſertores diuinorum cognitionem intelligunt, ut argentum ſymbolice ſcientiã rerum à deo conditarum ſignare tradunt. Porro in Apocalypſi Ioannes theologus, & diuinitatis intimus, & ſine pari cõtemplator, ac (ut ſic dixerim) à ſecretis: ubi aurum igni tum cenſet emendum, non aliud opinor, quàm ipſum hoc, de quo diu uerba facimus, intelligendum prudentibus reliquit. Sed & magicum illud aurum infanti oblatum Chriſto

CHRISTO non alium habuerit ſenſum. De Platonis ſacrarijs & illud eſt, ab Ariſtotele quoq; in Politicis repetitum, quibuſdam ſtatim in uitam prodeuntibus aurum affundi, nonnullis argentum, artificibus uerò & agricolis æs aut ferrum.

Adorationis præſtantia, & neceſſitas. An beſtiæ cæleſtia uenerentur. Votum quinq; rebus perfici. Caput XXV

DOſtea uerò quàm non temerè quidẽ, ſed conſilio certo huc producti ſumus, ut uotorum meminerimus, quibus infinitam lateq; exuberantem dei bonitatem ſimpliciter apprecamur, quod per momenta facit, bona nobis pergat cõtribuere, nequeo temperare mihi, quin ex ueterum philoſophorũ id cœtu ſeligam quoq;, Deo tota ui exhibendum adorationis cultum, quo euidentius multo rum, qui CHRISTI conſectatores ſe profitentur, & prædicant, & caua uerba, ac in modum ueſicarum tumentia buccis trutinantur inflatis, ſed lingua tenus, & factis procul, peruicax retundatur impietas. In primis uerò mihi ſe Iamblicus ingerit, ſacerdos magnus, & præcellens Porphyrij diſcipulus, à quo proditum ſcimus in libro De myſterijs, uoto adorationeq; ſacrificium perfectius fieri & abſolutius, & totam demum religionem effici firmiorem. Ea quoq; re eximiam conflari animarũ & dei connexionem. Frequens item adoratio alit intellectum, & perficit, animam ad diuina ſuſcipienda admodum efficit ampliorẽ, diuina nobis aperit: hac luminis diuini inſueſcimus ſplendori, cæleſtis augeſcit amor, quodq; in animo diuinũ eſt, ſuccenditur acrius, ſurrigiturq;, extergitur quicquid maculoſum, quicquid eſt animæ hoſtile. Spem elargitur eximiam fidem perficiendo circa lumen. Poſtremò adoratio frequens deo nos familiares facit, atq; (ut planè dicã) diſcipulos. Certè ab deo, ceu fonte perenni, manant omnia, nil tam tenue aut puſillum, quod eius ope cõperias deſtitutum. Vnitas diuina exuberat in omnibus: ea ſtat omne, quicquid eſt. Sed ut ab illa profluit, ita refluit in eandem circulari quodam & intimo motu. Alias opis indigum tota ui præcipitaretur in interitum. Hæc nos ratio ad piam prouocat adorationem, qua cum deo, abs quo prodiuimus, rurſum coniungamur, & (ut ſic dicam) coaleſcamus. Propterea diuinè Porphyrius: Quoniam, inquit, dei filij dicimur, & ſumus, ſed in hanc mũdanæ magnitudinis portionem ueluti in exilium quoddã amandati, & in Tullianum quodãmodo intruſi, ſupplicíter ac ſummis addecet uiribus adorare, ut ab hiſce educti tenebris, & teterrima ſede, unde profecti, patrem lætiſſimè repetamus. Certè quum uniuerſi partes ſimus, uniuerſo proculdubio indigemus: ſiquidem ipſa ad totum conuerſio partibus ſalutẽ præſtat. Quòd ſi uirtutis expetis ornamenta, eum uenerare, qui totius uirtutis eſt princeps. Qui enim eſt unitas uera, bona: idipſum, quod expetis, impartietur bonum. Si corporeum inſigne quodpiam conſectaris, ei te ſubijce. Illi uota cõcipe, cuius immenſa uis corpora omnia creat potenter, & ſalubriter continet. Qui eſſentiam præſtat, utiq; præſtat & ſalutem. Hoc ipſum nobis dictat hiſtoria, ex qua edocemur, Indorum Brachmanas, Perſarum Magos, ueteres Græcorum Theologos omni pede diuino cultui & uotis intendiſſe. Quippe quum ſit à brutis diſſitum humanum genus, conſentaneum eſt, ac prorſus neceſſarium, diſſitam, propriam, à beſtijs ſequeſtratam unam aliquam habere perfectionem, in cuius participatum inferiores non ueniant animantes. Hunc uerò eſſe ſermonem, non recte putatis. Pleraq; enim in brutali uita extant ſermonis ueſtigia. Neq; item rationem quãlibet: nam actiuæ rationis in beſtijs ſemina multa, quod operum & uitæ comprobat modus. Speculatio item quædam, & naturaliũ peritia nobis uidetur cum illis quadamtenus eſſe cõmunis: nam & remedia norunt, cibos diſtinguũt, futura præſagiunt, ingruẽtia uitant ſolertiſſimè, etiã ſi natura duce in hiſce potius uideantur niti. Vna uerò eſt diuinitatis contemplatio, cultus unus, qui extra hominem reijcit omnia. Neq; prona in paſtum animantia deum ſuſpicantur, aut ſciunt. Peculiaris homini eſt in naturæ principem deum mentis excitatio, quò etenim ſpectat ipſa hæc tam præſignis, tam regia humani corporis ad ſupera erectio? Quòd ſi ex Plinio obijcere pergas, & brutorũ aliqua cæleſtibus reuerentiæ cultum exhibere, inferam, non exactè ad uerum omnia narrari ab id genus ſcriptoribus. Quanquam & ex Platonicorum doctrina poſſum coarguere, beſtias aliud quidui's facere potius, quum cæleſtia uidentur honorare. Aut ſi honorant, neſcire tamen quid agant; uel ſi ſciant, eas item intelligẽtiæ ac immortalitatis

talitatis uideri participes, quod eſt ab omnium fere conſenſu diſparatum, reſipitq; Epicureum quiddam. Cui generi, ſi modo non ſit obdurata fronte, ferulas adhibuiſſe, non ſuperuacaneũ cẽſeatur. Verum, ut unde diuertimus, illuc demum reuertamur, putant ex adiuratiſſimis nonnulli, cultum abſolutum, & nulla ex parte ceſſantem, quinq; maxime perfici rebus. Primum, inquiunt, noſſe oportet eum ipſum, quem colere deſtinaris: mox qua ratione cultum hunc adhibere, ſit neceſſe. Secundo loco ſummarum excitatione uirtutum, caſtitate, integritate, mentis puritate ac ſanctimonia excuſſam depuratamq; uitam diuinæ uitæ, quãtum ratio patitur, coaptare, aſſimulatione religioſa. Tertium locum ex his habet contactus iam auguſtior, quo diuinam eſſentiam fere attingimus. Quarto loco diuinum ueſtibulum ingredimur iam. Poſtremo unitatem animæ noſtræ propriam unitati diuinę inſinuamus penitus atque connectimus. Demum prius quàm ad alia tranſeamus, illud utiq; admiratione dignum, & feſto plauſu excipiendum, quod Homerus tantæ uetuſtatis poeta duo potiſſimum in homine inſigniter eſt ueneratus, tum quod mẽte ornatus foret, tum quod coleret deos: ſic enim Vlyſſem commendat,

ὃς πόλιάς νόον ἔγνω βροτῶν, πόλι δ' ἱρὰ θεοῖσι
Δέδωκε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν

Scribit tamen Theodorus magnus, explorãdo curioſius ſingula, liquido compertum, mentes quidem & animas præcipue: ſed & quicquid omnino eſt, excepto uno, adorare, item atq; uouere. Nempe (inquit Proclus) cũcta precantur, hymnosq; cõcinunt ad ordinis ſui duces. Sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia uero ſenſibili. Vnde enim putamus plantas illas, quas helíotropias nominant, ad ſolis motũ ſolem uerſus moueri? Selinotropias uero ad lunam uerti? Sed uir tantum bonus ut in Legibus Plato docuit, deum decenter feliciterq; precatur. Poſtremo, inquit Iamblicus, adoratio, eiusq; uirtus nunc ſacrificium anteit, nunc medio inſeritur, interdum finem complet ſacrificandi.

Volutatio in cœno, apud Plinium quid ſit. Cæroma. Patos bis. Coniſalos. Alapatha quid. Lapathi. Conila. Pyriathos. Vnguentorũ genera. Chriſtæ. Coniatæ. Alima. Chrima. Coniſtra. Pandare. Canthelij qui ſint. Catheton, Catheter. Item locus Plinij expenſus. Bibendi leges. Conuiuiorum præfecti. Gynæconomi. Horatij locus declaratur. Amyſtiſſare. Commodi hiſtoria. Item tertij loci perpenſio in Plinio. Pauli prætorij hiſtoria. Quid admouere obſcœnis imaginem principis. Vini hordeacei proprium. Pinon uinum. Propomata, & bryton, ac parabia. Brutij unde. Cap. XXVI

PLinius Hiſtoriæ naturalis uolumine decimoquarto, ſupercilio (ut ſolet) cenſorio uinolentiam deteſtans: Ad hæc, inquit, pertinent peregrinæ exercitationes, & uolutatio in cœno, ac pectoroſa ceruicis repandæ oſtentatio. Sum memor, dum adoleſcẽs adhuc, tantumq; non etiam prætextatus, enarrarem nobile opus Antonio Boldu, nobili Veneto, Rhodigij prætoram gerenti, uiro in literis ſatis exercitato, quæſiſſe ex me per literas Veronenſem quendam, quid ſuper eo loco non aperto admodum ſentirem: uel quia minus percipiebat ipſe, uel ut ingenium meum periclitaretur, & doctrinam, arbitratus forſan in paluſtris ſoli craſſamẽto natos eſſe prorſum, quod Galenus inquit, ὄνος θεοδαλέστερος. Reſpondi tum pro tempore, quæ occurrebant. Nunc eadẽ, ſed excultiora, multoq; locupletiora hic apponere eſt uiſum, ſimul ut pro uirili proſim, ſimul ne pereat, quod laborioſe olim fuerat excogitatum. Igitur uolutationẽ in cœno luctatorũ intelligo meditationes: in quem ſenſum duxit me primum Valerius Martialis libro ſeptimo, in Philenen,

Et putri lutulenta de palæſtra
Vncti uerbere uapulat magiſtri.

Acceſſit mox & Senecæ aſtipulatio, apud quem ita legimus: Non adducor, inquit, ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quàm ſtatuarios, aut marmorarios, aut cæteros luxuriæ miniſtros: æque luctatores, & totã luto ac oleo conſtantem ſcientiam expello ex ijs ſtudijs liberalibus. Et ne qua omnino ſubſit hæſitatio, expendant quæſo Plinianarum obſcuritatum ſcrutatores, quę ad eam rem aptiſſime Lucianus

cianus ſcribat, cuius dialogus eſt, Anacharſis, ſiue de gymnaſiis: qui adeo ad Plinianos accedit ſenſus, ut prorſus ab eo quodammodo uideatur mutuatus. In eius igitur ſermonis initio ita poſitum inuenias, τοῦτα δὲ ἡμῖν, ὦ σόλων, τίνος ἕνεκα οἱ νέοι ποιοῦσιν; οἱ μὲν αὐτῶν πρὸς πλεονόμενοι ἀλλήλους ὑποσκελίζουσιν, οἱ δὲ ἄγχουσι, καὶ λυγίζουσι, καὶ ἐν τῷ πηλῷ συναναφύρονται καλινδούμενοι ὥσπερ σύες. Hæc inquit, ô Solon, cur nam iuuenes noſtri faciunt? Alij complexi mutuo ſe ſupplantant, hi præfocantur, uerberantur illi, & cœno ſeſe immiſcent, uolutanturq́, perinde ac ſues. Porrò & cæroma nouimus dici oleum, quo perungerentur athletæ, ad robur adijciendum membris, adhibito quodam terræ genere. Sunt qui paton dici putent cœnum cæromati, id eſt oleo, ut ipſi interpretantur, permixtum. Cui ſi ſudor acceſſerit, coniſalos Atticè dicatur, ſicuti auctor probat Galenus. Paton, pro coniſalo ferè accepiſſe Euſtathius animaduertitur: nam coniſalum pro puluere intellexit Homerus, ubi ait,

ἐκ δὲ πόδες ποσὶ πονίσαλοι ὦρνυτ' ἀελλής. id eſt,

Sub pedibus excitabatur puluis procelloſus. Alapatha Græci porrò inanitiones dicunt, unde lapathum herbam ſcribit Sudas nuncupatam, quia ſit λάχανον γαστρὸς κενωτικόν. Sunt & lapathi capiendis feris depreſſiores foſſæ: quod Democrito placuit, ac idem expoſuit Sudas. Coniſtram, pro palæſtra poſitam inuenimus: quia conis, ſit puluis: quod ſignificat Euſtathius. Quanquam erat Athenienſium item deus Coniſalus. Strabo: Nam, inquit, Priapum Heſiodus non nouit, & Orthanæ, & Coniſalo, & Trychoni, & eiuſmodi Athenienſium dijs perſimilis eſt. Auctor Ariſtoteles eſt, coturnices nidum non conſtruere, ſed coniſtram, id eſt aream, ut Theodorus interpretatur, quam & ſarmentis cõtegant. Conila uerò herba eſt, quam in Theriacis Nicander etiam Heraclium & Origanum dici arbitratur. In Ophiaco Petrichus ab Conilo inuentam tradit. Quod ad Paton attinet, ſciendum eo uerbo ab nonnullis intelligi retrimentitiam caprarum feculentiam: quæ & Pyriathos nuncupetur quandoq́. Vnguentorum eſſe porrò diſcrimina duo, adnotatum ab eruditis eſt, delicijs deſtinatum unum, quod chrima nuncupetur, ſeu chriſma, paleſtræ dicatum alterum, quod dicatur alima. Coniatæ autem, & chriſtæ unctores ſunt. Quæ autem peregrinæ dicantur à Plinio exercitationes, minus putò habere difficultatis: quando auctore Thucydide ſcimus, Omnium primos Lacedæmonios corpora in gymnaſio nudaſſe atq́ oleo perfudiſſe. Et M. Tullius libro ſecundo De oratore ſcriptum reliquit, Gymnaſia delectationis & exercitationis gratia primum ab Græcis inſtituta. Vbi uerò ait, pectoroſa ceruicis repandæ oſtentatio: intelligo membrorum cõformationem in palæſtrita ſignificari, in primisq́ collum procerius, quod in eo exigebatur maximè, uel Satyro atteſtante:

Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Sed & Martialis in Diſtichis id ipſum approbat illis uerſibus:

Hæc rapit Antæi uelox in puluere draucus,
Grandia qui uano colla labore facit.

Pectoris quoq́ latitudo roboris indicium eſt uel maximum: nam in tyronibus Vegetius primo De re militari, id item exegiſſe uidetur. Sed & erectam ceruicem nõ tacuit: Repandus uerò nunc retro patentem ſignat, nunc reflexum, unde repandiroſtrum concinnauit Pacuuius, quanquam durè, Quintiliano teſte. Sarcina item pandati dicuntur, qui oneribus nimijs ſuccumbunt ferè, & incuruantur. Plinius De apibus: Totæq́ onuſtæ remeant ſarcina pandatæ. Item libro decimoſexto, arbores, ſiue trabes pandari ſcribit, quæ incuruantur ceduntq́ ponderi. Cuius contrarium palmæ faciunt, quæ in diuerſum renitendo fornicantur, ueluti aſinorum genus id, quos canthelios Xenophon dici ſcribit, ſicuti in monumentis Sudæ relatum ſcio. meminit & Polybius, quanquam & in percipiendo hebetior eo dicatur nomine. Auctor ἐκλογῶν πρὸς γεωργίας, libro ſexto, Canthelios interpretatur cophinos maiores: hinc Strabo γεωγραφουμένων libro quartodecimo, Alabandam ſcribit faciem præbere κανθηλίου κατεγραμμένου, id eſt canthelij inuerſi. Lityerſem Celænarum regem Soſitheus ſcribit apud Athenæum, tres ſolitum canthelios totos uorare. Catheton uerò, id eſt καθετὸν dicunt perpendiculum. Catheter autem, ſeu καθετήρ, chirurgicum eſt inſtrumentum, imagine quadam s literæ,

quod

quod per urethram intrusum urinam prolicit. Cæterum postea quàm nodum hunc satis explicitum, non ut Alexander, ferri adminiculo, sed ingenio & indagine certa plane e-soluimus, addamus ex abundanti, quod in eodem capite legitur haud ita multo post. Alius, inquit, quantum alea quæsierit, tantum bibit. Concisa oratio, & impedita, sed Plitiana: uerum hoc sensu: Alij, inquit, tot exsiccant pocula, quot iniunxerit conuiuij dominus, qui talorum fortuito iactu eum sortiebatur locum: propterea Horatius,

Nec regna vini sortiere talis.

Quin ex eo licebantur modiperatores, ceu bibendi imperarent modum iuxta conuiuales leges, sic enim appellantur. Magistros Cicero uocat. Græci βασιλεῖς, hoc est reges. Meminit Legum septimo etiam Plato, necnõ in Cœnis Macrobius. Decreta porro conuiualia, quæ uocant νόμους, diligenti seruabantur scito. Sed quæ nam erant ea? Apud Græcos, inquit Cicero, lex in conuiuijs obtinetur. Aut bibat, aut abeat. Erat & cantio conuiualis, ὡς ἢ πίνε, τρεῖς πίνε, ἅμα τέτταρα. Bibe quinq, bibe tres, bibe quatuor cyathos. Nam Simonidis illud prorsus diuersum est, πίνε, πιν' ὦ συμφορᾷ, quippe συμφορᾷ, est τῇ μίσῳ. Proinde sic enunciant alij, πῖνε, πῖν' ἐπ' ἐλλοῖς. Gynæconomi conuiuia inspectabant cum Areopagitis, & cœtus alios in domibus ac nuptijs, & re diuina, lege ne præfinitus adesset numerus. Apud Romanos uero bibẽdi ars hisce fere constabat legibus, quod Plinius obseruauit & docuit, non labasse sermone, non leuatum uomitione, non altera corporis parte, plurimum hausisse uno potu, plurimum præterea addidisse alijs minoribus, optima fide non respirasse in hauriendo, neque exspuisse, nihilq; ad elidendum in pauimẽto summum ac postremum potum ex uino reliquisse. Hæc Plinius, quæ eo gratius apposuimus, quoniam quod extremo loco adiectum est, Horatio multum infert lucis Carminum secundo, quem locum conniuentes plerique transiliunt, in aurem (ut aiunt) utranq; prorsum sopiti.

Absumet hæres Cecuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbo,
Pontificum potiore cœnis.

In eo autem quod Plinius dicit, optima fide non respirasse in hauriendo, scitu dignum est, id Græce admodum uenuste uno exprimi uerbo ἀμυσί, quo significatur, inter bibendum ne fuisse quidem occlusum os, aut contracta labra: sed capaciter hausisse, aut magis quasi ἀπνευστί, quod indicat, sine respiratione: unde etiam producitur uerbum ἀμυσίζειν, eo modo bibere, quod nos Latine, nec inepte amystisare dixerimus, quando & Horatianam legimus amystidem. Celeberrimum illud est, Commodum Cæsarem in solicitudinibus & æstuationibus theatricorum certaminum, quando ex superiore loco ursos iaculis impetebat: quod refert Dion, ingens poculum dulcis uini solitum haurire ἀμυσί. In quo à spectantibus id in conuiuijs frequens succlamatum ferunt, ζήσεις, id est uiuas: sed amphibolice pronunciatum, grammatici contendunt, perinde ac dicatur, compleas uiuendi modum, id est morere. Est & tertius locus capite eodem habens & ipse inuolucri aliquid, ubi Plinius ait, Vulgoq; ueritas attributa uino est. Sed infert luminis non parum tertio De beneficijs Seneca, ut adagium uulgo frequens præteream, Vinum & cum pueritia, & sine pueritia ueridicum est. Sub Tiberio, inquit, Cæsare fuit accusandi frequens & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium, nihil erat tutum, omnis sæuiendi placebat occasio. Cœnabat Paulus prætorius imaginem Tiberij habens in gemma, matellam popposcit. Id factum Maro ex notis illius temporis uestigatoribus notauit: at seruus eius, cui nectebantur insidiæ, ebrio annulum extraxit, quum Maro conuiuas testaretur, admotam esse imaginem in obscœnis, & iam subscriptionem componeret. Hactenus ex Seneca, & quidem plusscula simul, ut Plinium illustraremus. Simul ut obiter perciperent studiosi iuuenes, quid esset principis imaginem obscœnis inferre. Porro Valerius Martialis locis aliquot nunc figurate, nunc apertius illorum temporum insectatur scelus, quibus poculo & uino extorquebantur hæreditates, & testamẽtorum falsæ subsignationes. Obiter id enotabimus, mirum esse quod in libro De ebrietate Aristoteles prodit; Vino hordeaceo temulẽtos retrorsum modo

decum

decumbere,ac ſupinos:quod in alijs haudquaquam fit. Vinum id genus uocat Philoſophus inibi pinon,id eſt ὁ οἶνος. Sunt qui etiã bryton,ut in Triptolemo Sophocles, ſed & in Lycurgo Aeſchylus.Arbitratur Paulus,quòd è lanarum ſordibus expurgatis efficiatur uinum,rectè pinon dici:etiam ſi nõ deſunt,qui ſic uinum uocari putent, quo ſordentes eluantur lanæ,quod ſeponatur mox cõditum.Verum ex radicibus item cõcinnari bryton,Hellanico credimus.Hecatæus in Europæ periodo auctor eſt, Pæonas ex hordeo brytum haurire,ac ex milio & conyza parabiam. Brutum uerò Latina dictio eſt,unde & Brutijs conciliatum nomen,ut ſcribit Diodorus, quod eorum plericꝙ omnes fugitiui ſerui initio fuerint,ac bruta gens, hominũ colluuione circa Lucaniam confluente.Brutides autem mulieres dicuntur,uelut ſibyllæ,ac prophetides. Brutios à Lucanis rebelles dici,auctor eſt Strabo.Sunt & propomata,uelut antecedentia pocula,ut ſint bibendi procœmia.Eſt apud Palladium caput, libro tertio, quo pacto ſponte naſcantur propomata,id eſt uina condita,cuius eſt modi roſatum & uiolatum.

Quam habeat rationem id frequens in libris, Non eſſe infundẽdum lenticulæ unguentum. De odoribus aliqua non ingrata. Item quid ſit odor. Dryinos animal. Melãdryon. Adranus deus. Rancor quid. Cap. XXVII

NOn eſſe promiſcendum lenticulæ unguentum, ex Varronis Satyra Gellius adnotauit.Monuerat diu antea in Epiſtolis ad Atticum M. Tullius: ſed & eo adhuc antiquior philoſophus Ariſtoteles,in commẽtatione quæ De ſenſu eſt,& ſenſili:ut Athenæum præteream: cuius libros, ſi prodeant quãdocꝙ mutilati minus,minuscꝙ (ut ſic dixerim) fide labefactata,uelut breuia,& quidem recõdita putaueris rectiſſimè,ac unguentũ, ſed amaracinum. Dignũ uerò arbitratus noſſe exactius,quæ nam foret eius ſentẽtiæ ratio,ſiquidem ſubolebat, ineſſe quippiam latẽtis doctrinæ,adij noſtri temporis Lynceos,qui ſummo conatu interpolatum Gellij codicem reſtituere adorti ſunt. Cæterum nil ibi cõpertum,quod ſitim expleret.forte illi, ut qui eſſent ingenio acri,doctrina excultiore,hæc tanquam tenuia neſcio quæ, ac nugalia,uel ſcholica cõtempſerint,ac uelut piſcium filij (quod aiũt) aquoſa petierint. At ipſi ſordentes,quaſi reguli & ſcorpiones,aridiſſima quæcꝙ conſectamur, & quod infra claſſem ſimus,ac notæ uilioris,nil opinamur negligẽdum,quod inſcitũ, & latens frontem cogat perfricare,nullo profectu.Sed uerius eſt,in puluerẽ prodire, quàm diu præfari,etiam ſi cõtentioſum trahere funem uidebimur. Igitur omnem (quod aiũt) lapidem mouẽdo ſic comperi,odorum ſpecies eſſe duas:alteram quidem ſaporis ratione, cui gratum ingratumcꝙ ineſt quidem,ſed per accidens, hoc eſt non quatenus eiuſmodi odora ſunt,ſed quoniam odor eorum nutrimẽtum ſignificat. Eſt enim odor quædam, ut ſic dicam,paſſio nutrimenti, ſicut & ſapor: ſiquidem per qualitatem eam aptum & congruum ſibi alimentum è longinquo percipiunt animalia, ſicut coniunctum per ſaporem.Ex quo animaduertimus,odores id genus ſaturis minus eſſe oblectabiles,at eſurientibus mirifice.Nam nec cibaria ipſa nõ indigi appetimus. Quo colligimus liquidò,hoſce odores alimenti tantum ratione oblectare,aut ediuerſo.Altera uerò odorum ſpecies per ſe dicitur,nanꝙ oblectant ſimpliciter,& per ſe,nullo nutricationis intuitu. Eiuſmodi ſunt florum odores,hi quippe nullam conciliarint appetentiam. Quinimò ſi cibarijs inſerãtur,inamœna reddunt ea,prorſuscꝙ aſpernabilia: quoniam odorata hæc ferè ſunt ſaporis non boni.Propterea,inquit Philoſophus, ſcitè admodum & ex uero dixit Stratis in Euripidem inuectus,Si lenticulam decoquas,unguentum ne indideris. Cui affine illud quocꝙ, ὁ ἐν λαχάνοις πέπων. id eſt, in oleribus piper. Sed & Hieronymi illud in Heluidium,Saltitans camelus. Varronis Satyra ex Marcello ſic uidetur inſcripta, ὠδὴ τῷ φακῷ μύρου, περὶ εὐετηρίας.Scitu porrò dignum id quocꝙ:Odores hoſce, qui per ſe odores à phyſicis nuncupantur, eſſe rationalis naturæ infimæ, hoc eſt humanæ proprios:eos enim homo diſcernit ſolus, ijſcꝙ afficitur plurimum. Quo nomine, quantum ad hoc,odoratus in nobis inter animantes omnes præſtantior exquiſitiorcꝙ eſt.At in altero odoratorum genere à brutis lõge excellimur. Euentus autem ratio eſt, ut contemperetur cerebri frigiditas. Id enim in homine maius ex corporis analogo, quàm in cæteris.Cerebrum denicꝙ ſuapte natura frigidum eſt,ob id & ſanguis, quem exiguæ ac prætenues uenæ cõplectuntur,tota facilitate frigus concipit. Propter quod

ex cibo resolutæ euaporationes,& arcem illam scandentes, ex loci frigore densiores factæ rheumatismis plerunq; præstant argumẽtum:ad quæ amolienda, uel aliquo modo mitiganda odores imbecillitatis nostræ natura memor suggessit.Quòd si odores hi cerebrum uidentur quandoq; oblædere non parum, ex indiscreto prouenire modo certum est.Nam si iusto plus id incaluerit,fit inde redundãs resolutio, quæ mox infert nocumentum.At qui alimenti rationem habent,odores sæpius multo caput infestant, ex humectationis nimietate aut siccitatis.Sed dicat aliquis, Tu quidem de odoribus satis multa:uerum ecquid doces,quid demum censeamus esse odorem? Nam sunt qui odoris nomine fumidam intelligant exhalationem, quam aeri & terræ cõmunem uolunt, ueluti mediam inter ea,quum sit quid resolutum ab sicco terrestri aeream non pertingens subtilitatem.Nam & Heraclitus literis mãdauit: Si omne quod est, in fumum resolueretur,naribus facilè cuncta discernerẽtur, quia uniuersa in odoris rationem ueni rent.Alijs uerò magis placuit, odorem dici humectam euaporationem, id est aqueam humiditatem resolutam.At alijs utrũq;, sed amplius inspicienti, nihil horum profectò tradi rectè uidebitur:nam si odor fumidum quiddam sit,quo'nam pacto in aqua fiat fumus? Atqui in aqua odores percipi, certè opinor liquere. Si uerò euaporatio dicatur humecta,relinquetur intelligendum,sentiri odores per effluxum quẽdam, quod item de coloribus pronuntiatũ est, sed utrũq; perperam:nam utrinq; colligitur, sensum effici odorum & colorum cõtactu. Adde, quòd odoratum corpus & uisibile planè imminueretur,& demum effluxu assiduo resolutum periret. Quod dictu perabsurdum foret,præsertim quum dissita longe sub sensum ueniãt tum uisus, tum odoratus.Effluxus nempe qua ratione in tam longinqua terrarum producatur? Cæterum id astruendum uerius,contingere hoc per spiritalem medij immutationem:siquidem liquidò constat, humectum,quod in spiritu est,id est in aere,quodq; in aqua,pati ab euchyma siccitate, atq; ita odorandi comprehendi rationem. Nam aer item humectationis est particeps. Alicubi tamen Aristoteles nõ inficiatur,odorem esse fumidam exhalationem: sed non ita,quia sit ipsa odoris essentia, quod secundo De anima falsum cõuincitur. Longius enim diffunditur odor,quàm aspiratio fumida.Sed id sentit, quòd hæc sit causa, ut sentiatur odor,quæ ab calidis profluit:quo fit,ut calidis temporibus, & locis flores maioris esse odoris pernoscantur.Sed ut obiter adnectamus aliquid, non ignorandum omnino,esse in quercuum radicibus animal ad perniciem adeo potens,ut supergressu tantum excidat pedum cutis,intumescantq; insigniter crura tota. Id uerò etiamnum mirabilius,si quis mederi uelit,manus itidẽ excoriãtur. Quòd si interimere adoriatur quispiam,pessimo inferi odore:itemq; odorari aliud nihil. Quod utiq; cunctãter appositum sem,ni ab auctore graui relatum scirem Paulo Aegineta quinto ἰατρικῆς πραγματείας. Nomen uerò animali δρύνου, ab loco ubi uictitat ferè. Dryinas nuncupatur ab alijs, atq; item chelydrus inter genera serpentum. Meminit in Theriacis Nicander. Melandryon uerò apud Theophrastum est exalburnatum robur, de nigricie cõciliato nomine.Sed & salsamenti genus,melãdryon est. Adranus uerò in tota colebatur Sicilia deus,cui sacra erat Adranum ciuitas, tradente in Parallelis Plutarcho. Illud submonuisse in odorum mentione nil (puto) obfuerit, Hieronymum sic epistola quadam scriptum reliquisse: Cincinnatulos pueros,& calamistratos,ac peregrini muris olentes pelliculas:de quibus illud Arbitri est,Non bene olet,qui bene semper olet:quasi quasdam pestes,ac uenena pudicitiæ uirgo deuitet. Versiculus quẽ Arbitro Petronio ascribit auctor hic scientissimus,apud Martialem legitur quoq;. Rancorem Palladius mucidum intelligit odorem:Canales,inquit,& omnia receptacula olei calida aqua prius lauabis, ut nihil de anni præteriti rancore custodiant.

Grati animi exempla Alexandri,Socratis, Furnij. Interim Archelai historia.Ingratitudinis fœda sugillatio. Actio ingrati Athenis cõtra Senecam. Hirundinem significare ingratum. Militis Macedonici historia. XXVIII

ALexandrum Macedonem ingẽtis spiritus terrarum principem legimus, inter alia haud parum multa, quibus eum natura, extra quàm mortales alios, excoluerat,honestaueratq;:& cælo quodam modo inseruerat, uirtutum,& laudis felici magnitudine; identidem magna sua gloria solitum prædicare,à nemine

nemine ſe unquam benignitate fuiſſe exſuperatum. Magnum id, & præclarum. Sed quod in participatum admittat & alios: uerum itidem magnos, præcelſos, omnium capaces. Archelaus rex, is qui in ſolis deliquio, rerum naturæ ignarus, & pauore attonitus feſtinantius occludi regiam imperauit, & quod aſſolebat in magno plerunq; mœrore, comam filio decuti iuſſit, Socratem impẽſe rogauerat, ad ſe iret: at ille, ſeu per eam figuram, quæ in ſermonibus erat ei perfamiliaris, ſeu animo ſerio, negare perrexit, eius beneficio futurum ſe auctiorem, cui paria facere nõ quiret. Sed age aduocetur ad hoc decus rerum Italica uirtus. Furnius uixit Auguſti temporibus, pater eius cum Antonio ſtipẽdia fecerat, ob id iure belli hoſtiliter Auguſto erat offenſior: adijt tamen imperatorem filius, patris ab eo ũitam deprecatur, ignoſcit ille: tũc Furnius, Hanc unam Cæſar habeo iniuriam tuam, effeciſti uiuerem & morerer ingratus. O feſto plauſu excipiendam uocem, ó præſignem animi ſublimitatem: effeciſti (inquit) uiuam, & moriar ingratus. Quod eſſe poteſt tam amplum gratitudinis indicium, quàm nulla ratione ſibi ſatisfacere, & dantis beneficentiæ imparem ſe perpetuò fateri? Quin, inquit in Metaphyſicis Ariſtoteles, non ijs modo quorum ſententiæ accedimus, ſed & ijs qui ueritatem non omnino attigerunt, teſtari gratias decet: nam & hi aliquid contulerunt, nos ſi quidem excitarunt, acueruntq;. Etenim ſi Timotheus non fuiſſet, tantam non haberemus canendi artem: quòd ſi nec præiſſet Phrynis, minor apparuiſſet Timotheus. At ſi æqua lance rem totam uoluerimus expẽdere, pauciſſimos eius notæ reperias. Etenim quotuſquiſq; gratum nouit agere? Hic quia ſe uel Codro nobiliorem putat, aut cõgeſtas opes ſuſpicit: & denicq;, quod publicum ferè hominum eſt uitium, ſe ſuaq; miratur, amat, nec nouit perdere: quicquid conferis, in ſolutum computat, bonumq;, ſi non & ultrò deberi ſibi opinetur, quod accipere ſuſtinuerit, Alium auiditas trãſuerſum rapit, natumq; inde illud ſæpe iactatum, Nil eſſe iucũdius, quàm capere. Sed & inuidia quãdoq; in ingratitudinis album nos tranſcribit, malum certè uehemens, & importunum, quo in digitos mittimus, nõ quantum rationibus noſtris ex amici largitate acceſſerit: ſed num idem in alios, aut eo amplius contulerit. Gregarius miles inuitus facit, ut coronam det ciuicam, quod in quadam oratione Cicero teſtatur, & ſe ab aliquo ſeruatum fateatur: non quia turpe ſit, protectum in acie hoſtium manibus eripi, nam id accidere niſi forti uiro & pugnanti comminus non poteſt: ſed onus beneficij reformidat, quod permagnum eſt, alieno debere quod parenti. Tribuni, inquit in commẽtatione de Romanorum militia Polybius, ſeruatos cogunt, niſi id ſponte faciant, ſeruatorem coronare. Colit uerò hunc præterea ſeruatus per omnem uitam, tanquam parẽtem, omnia ſanè exhibens ut genitori. Quòd ſi eſt omnium uirtutum mater gratitudo, quoniam ex huius profluat fõtibus in parentes pietas, in patriam charitas, in deos religio, inter homines amicitia, in educatores & magiſtros ueneratio: certè colligendum quod ad Atticum M. Tullius ſcribit, Ingratis omnia ineſſe uitia. Nil tam inhumanum, tam ferum, tam immane, quàm committere, ut beneficio nõ dicam indignus, ſed uictus eſſe uidea re. Hinc opinor factum, ut natura ipſa ad id nos prouehente, Ingratos nemo nõ uel uatiniano proſequatur odio: ſicq; facultas adſit, & patiatur ratio, primo quoq; tempore ultum eat, ueluti ſint tum beneficentiæ, tum cõmunes tenuiorum hoſtes omnium. Nec ferè alia ingrato irrogatur pœna. Crimen eſt paſſiuum quidem, & quo nullum frequẽtius, nuſquam tamen punitur, ubicq; improbatur. Odiſſe contenti ad ultorem reijcimus deum, Achillei memores uoti, quin & Furiani, quum eſt is comprecatus, ut ſi innoxio ſibi inferretur iniuria, deſiderium ſui quàm primum ingratæ fieret ciuitati. In declamãtium ſcholis creberrima fuit ingrati actio: in urbibus uerò, præter quàm in Macedonia, ſi Senecæ credimus, nullibi. Nos tamen in Latina hiſtoria obſeruauimus, Athenis item aduerſus ingratos actionem fuiſſe cõſtitutam. Quod ſignificat, opinor, in Declamationibus Libanius, & Pollux Onomaſtici octauo. Et Xenophon ſcribit, apud Perſas ingratitudinis cauſam agi intentiſſimè, pœna ſeueriſſimè irrogata ei qui in bene de ſe meritum deprehenderetur animi parum grati. Nam & ab hoc genus hominum irreuerenter deos haberi, colligunt: quin parẽtes etiam num, ac patriam, & amicos quoq;. Porrò ingratitudini præcipuè impudentiam adglutinari, abs qua in flagitia feramur præcipites uel fœdiſſima. Prodit Diodorus, Aegyptios credi, extra quàm ſit gentium

aliarum captus, erga benemeritos præcipuè gratos, quod magnum uitæ ſubſidium opinentur gratiæ retributionem. Sed cur nam cum ingrato ex formula non agimus? ne quod beneficium eſt, incipiat eſſe creditum. Et ne gratitudo honeſtiſſima res, incipiat honeſtatis nomẽ amittere, neceſſitatis iugũ ſubeundo. Alioqui & anguli omnes actionibus obſtreperent eiuſmodi. Pythagoras ablegandos reiiciendosq; ingratos, ex Plutarchi interpretamento, ſymbolicè uidetur monuiſſe, ubi præcipit, ſub idem tectum nõ admittendas hirundines, quoniam ingrati ac parum firmi ſymbolum auis ea credatur habere. Nam & in Rhetoricis ad Herennium edocemur, amicitiæ minus firmæ ſimilitudinem ab hirundinibus duci oportere. Succurrit prius quã hinc digredimur, dignum quod memoretur, ingratitudinis exemplum. Erat Macedonum regi Philippo manu promptus miles, expertæ uirtutis multis ſæpe bellis: ſed quo ſe præclarius geſſiſſet, eo frequẽtius à peritiſſimo duce qui in tractãdis militibus egregius eſſet artifex, ad prouocandam audaciam auctorabatur, frequẽter etiam ac inſignite donatus. Fortè is ex naufragio exutus omnibus, uix etiamnum ſpiritum ducens errabat, cõſilij inops. Eum conſpicatus Macedo quidam benignè amplexatur, iubet bene ſperare, ſemiuiuum in uillam ſuam perducit, fouet accuratè: lectulo cedit quoq;, nec patitur quicquã fruſtra ab eo deſiderari. Poſtremò digredientem uiatico etiam inſtruit, ſummurmurantẽ identidem, Nõ ſentiar ingratus, parem rationem faciam, liceat modo mihi imperatorem meum adire. Venit ille ad Philippum, miſeriam ſuam exponit: ſed hoſpitis benignitatem reticet, nec ſatis. Miſerantem illum inducit impudenter quidem, ſed militariter, donet ſibi Macedonis cuiuſdam agros. At is nõ alius erat, quàm ille ipſe hoſpes: qui tam inhumaniter, & ferè omnibus exutus, nil diſſimulando, per epiſtolã facti ſeriem Philippo inſinuat. Excanduit is, nec ualens tam inſignem ſæuitiem decoquere, improbiſſimo homini, beneficium raræ fortunæ inuſitata rabie retalianti, ſtigmata inuri iuſſit, reſtituto in integrum priore domino.

Virgarum apud ueteres uſus eximius in ſacris & uaticinijs. Pyrethi magi, & pyrethia ſepta. Pyriathes. Pyctes. Iuncatum. Palmarij cõflictus. Palmarium. Palmata toga unde. Dinos locus. Diuinaculorum ſpecies. Qui ſpecularij. Capnomantes. Saliatores. Palmicum augurium. Subſulus. Saliſubſulus. Vaticinia ex piſcibus. De myrica ſcitu digna. Itẽ de rhabduchis. Poemata uirgæ apta. Brabeutæ, brabei, rhapſodi, arnodi, rhabdi, ſtichodi. An uirgas in dracones potuerint dæmones mutare. Diuinatio à quibus cõtribuatur. Quæ ſit acæna, & areſcon uirga, item ſceptrũ, oſtrea rhabdota, & arhabdota. Oſtrea, penultima correpta, uel producta. Ciceronis locus ad Lentulum, Ne quid ſaluis legibus aut auſpicijs cum populo agi poſſit. Obnunciatio augurum. Auguratorium. Proictæ qui. Cap. XXIX

Virgas in rebus diuinis eximij cuiuſdam uſus fuiſſe ueteribus, ex pleriſq; cõiectare licet. Nam qui Perſicos ritus diligentius animaduerſos literis mandarunt, illorum Magos qui ſacrificijs præficiuntur, carnes ſuper myrto & lauro poſitas tradũt ſubtilibus uirgis adurere, mox oleum lacte melleq; promixtum conſpergere, ac comprecari, faſciculos ex myrica pertenues manu tenentes. Cappadocia magos ſuos ingenti numero, Pyrethos uocat: ſicut ſepta quædã pyrethia. Pyriathes uerò lac nuncupatur igni addenſatum, uti eſt ab Polluce obſeruatum. Quod autem coagulí poteſtate coit, pyctes dicitur: cuius eſt modi quod nũc uoce plebeia iuncatum dicitur. Pyramia Thyreatidos nuncupantur Plutarcho in uita Pyrrhi. Sed ad rem. In Pyrethiorum meditullio ſurrecta ſtabat ara, ubi inextinctus ſeruaretur ignis, fierentq; itidem comprecationes non ſine myricinis uirgis. Sicuti in Scythia quoq;, ubi uaticini traduntur plures, ſalignis uirgis diuinatio concipitur, quas diſſoluunt, ac ſeparatim ſingulis humi conſtratis, uaticinantur, interim uirgas prehendentes componentesq;. Narees uerò quos eſſe androgynos putat Herodotus, tiliam ſcindẽtes trifariam, digitisq; implicando ac reſoluendo præcinunt futura. Siquidem diuinatio, quæ malis iniungitur dæmonibus, ut aliud agentes hoc item ſubnotemus, foliorum intendit crepitaculis, pomorũ diſpicit ſemina, in ſublime iactata bacilla ſpectat: cortices, nomina, imagines, phialas, ſpecula, unde Specularios dici apud quoſdam comperi, & id genus alia

alia mille ſcrupuloſius obſeruat. Nam in Dídio Iuliano Spartianus inquit: Et ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri, in quo pueri prælígatis oculis, incantato uertice reſpicere dícuntur, Iulianus fecit. Sed & Capnomantes quidam ex re ita dicti, traduntur ex fumi diſiectione ſuper aras futura captare: propterea Papinius,

Thurea nec ſupra uolitante altaria fumo.

Sophocles in Oedipode tyranno: Iſmeni Apollinis uaticum cinerem uocat, id eſt μαντέων πρόδρῳ: quia rebus ignitis, hoc eſt ἀπὸ τῶν ἐμπύρων, uaticinia concipiebant ſacerdotes. Saliatores referuntur à nonnullis, qui ſalientes oculos intuiti, odorantur præſagium. Meminit rei ipſius in Amarylide Theocritus, ἅλεται ὀφθαλμός μου ὁ δεξιός. Salit mihi dexter oculus. Quãquam Plautus in ſupercilio id obſeruauit. Dicitur uerò augurium id palmicũ, de quo Poſidonius ſcripſerit, ab oculi uibrata ſubſultatione: quæ res dicitur Græcè πάλμα, Latinè uerò ſubſulum dícere queas: quando Saliſubſulus uocabatur Mars prioribus, à ſaliendo ſubſultandoq́: meminit Nonius ex Pacuuio. Nam apud Galenum & Aeginetam Paulum Medicinæ tertio, dicitur & καρδίας πάλμος, id eſt cordis tremor. Sed & ſatyriaſis à Paulo eodem, eſſe traditur ἀιδοιπάλμου, id eſt pudendorum ſubſultatio, quæ uaſorum ſpermaticorum conſequatur inflammationem. Id uerò ni ſedetur malum, in uaſorum eorundem mox præcipitatur πάρεσιν. Eſſe uerò affectionem raram, quæ & mulieribus contingat. Palmarium uerò aliud eſt. Ammianus Marcellínus, Erant (inquit) nobiſcũ legiones duæ ex Gallijs, uirorum fortium & pernicium, ad palmarios conflictus aptorum. In Eunucho Terentij ubi dicitur,

Id uerò eſt, quod mihi puto palmarium: Donatus, Palmarium (inquit) palma dignum. Vlpianus Digeſtis de extraordinarijs cognitionibus: Si palmarij, inquit, nomine cautum eſt. Palmatam togam dici ueteres arbitrantur, à clauorum latitudine. Fuere in Lycia quoq́ ex piſcibus uaticinia qui captarẽt (eos Ichthyomantes uocant Græci) ligneis obeliſcis cum aſſis carnibus, pane quoq́ & maza in aquam proiectis. Locum in quo iſta tranſigantur, Dinon appellat Artemidorus Geographiæ decimo. Sed redeo ad diuerticulum. Apud Nicandri interpretem in Theriacis ita legimus, ad uerbũ penè tralata ſententia: Apollo, inquit, uaticinos ſanxit myrica prænunciare mortalibus futura: propterea inſignem fruticem hunc Nicander, mantin uocat, id eſt uatem. Quin & magi item Scythæ, myricino uaticinãtur ligno. Etenim in pleriſq́ locis uirga, ut diximus, præſagiunt: quod in primo Cõpoſitionis tertiæ, Dion quoq́ confirmat. Sed & in Leſbo, Apollo myricæ ramos tenet: qua ratione, Myricæus quoq́ eſt cognominatus. Et Archæus prodit, quãdoq́ in ſomnis uiſum deum illum myricæ ramo decorum. Et Metrodorus retulit, antiquiſſimam eſſe plantam myricam: nam Aegyptij in Iouis pompa coronãtur myrica, id eſt tamarice, ut interpretatur Dioſcorides: ſicuti apud Medos magi. Porrò ad rationem uirgarum ſpectarit illud quoq́: Recitatores Homerici carminis uirgam ſolitos tenere, unde illis rhabduchorum adhæſit cognomen. Qua ex cauſa uirgæ apta Apuleius in Floridis, poemata uidetur dixiſſe. Quanquam & eodem nomine dicerẽtur, qui ludorum ſpectatores compoſitè reprimerent: Gymnicis enim ludis præficiebantur, quos uocabant Brabeutas, uel (ut Plato) Brabeos, item maſtigonomi, & rhabduchi. Legimus utiq́ Homeridas, ab Homero propagatos, initio illius poeſim per ſucceſſionis ſeriem concinuiſſe, mox excepiſſe qui nuncupentur Rhapſodi: quorum illuſtris præcipuè fuerit Cynæthus, Chius patria, qui & Syracuſis omniũ primus Homeri carmen concinuit, illi quoq́ de ſuo inſertis pleriſq́. Sunt qui rhapſodos opinentur dici, uelut ῥαβδῳδούς: ratione quam diximus. Sunt qui diuulſam ac diſiectam prius Homeri poeſin ab illis coaptatam, & uelut cõſarcinatam memorent: unde ſit cõciliatum nomen, ἐκ τῆς ῥαφῆς, id eſt ab ſutura. Cui ſententiæ aſtipulari Pindarus animad uertitur. Traditur illud quoq́, dictos antea Arnodos, id eſt ἀρνῳδούς, quoniam uictori præmiũ contribueretur agnus. Sunt qui etiam Stichodos, hoc eſt στιχῳδούς, nuncupari Rhapſodos uelint, quod uerſus quidam ᾠδὰς dicant. Fuerunt & ſuæ lictoribus Romanis uirgæ: nam & hi Rhabduchi ſunt, quibus poſt alia fores pulſarẽtur, quãdo Pompeius intraturus Poſidonij ſapiẽtiæ profeſſione clari domum fores percuti de more ab lictore uetuit. Quod Plinius ſcribit, & antea Liuius ſignificauerat: cõprobat item Papinius,

Et multa pulſantur limina uirga.

Quídam præterea quod in ſanctis obſeruatũ literis adnotauimus, uirgas coloris uarij in aquis recondebant, quò potum ducebantur oues, ut inibi ſalientibus arietibus, ex earum intuitu conciperent oues uariantis lanitij fœtus. Sed euentus eiuſmodi naturalis quiuerit reddi ratio. At quid ſit dicendum ibi, quum Aegyptios magos uirgas uertiſſe in dracones, legimus? Hoc naturæ ratio nulla prorſum admiſerit: quoniam corporea materia dæmonis non ſubijcitur potẽtiæ, quantum ad tranſmutationem ipſius ad formam: quod tertio De trinitate Auguſtinus docuit. Non eſt putandum, inquit, iſtis trãſgreſſoribus angelis ad nutum ſeruire hanc uiſibilium rerum materiam, ſed ſoli deo. Verum & ipſa dictare ratio uidetur: nam in compoſitis ex materia & forma, materia per ſe non fit, neq; item forma, ſed totum ſimul, immoq; totum tranſmutatur in totum, ut ex toto aere fit totus ignis, quando aeris fit in ignem cõuerſio, ſicuti in libro De generatione auctor Ariſtoteles eſt. Effectus porrò aſſimilis agenti eſt, & in eo præexiſtit ſaltem uirtute. Proinde ex materia & forma cõflatum naturali produci nequit, niſi ab itidem cõpoſito. Angelus uerò forma eſt ſimplex, propterea ſolus Deus præſtare hoc ipſum poteſt. Verum id non uticq; inficiabimur, potuiſſe dæmonas celeritate incredibili uirgis emotis, ſerpentes earum loco ſubijcere, uel aliunde allatos, uel agentis naturalis uirtute ibidem genitos, præſentium oculos præſtringendo, quod præſtigiatorum acceptabula comprobant. Adde, quòd abeũtibus ſenſibilibus phantaſmata remanent & imaginationes: ſicuti ſecundo De anima, proditum ab Ariſtotele ſcimus: & inde ex motu locali formarum ſenſibilium remanentium in uirtute phantaſtica cum humoribus in quibus ſunt, ut in ſubiecto apparent aliqua quæ nõ ſunt. Quare in libro De ſomno & uigilia, idem inquit, Deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſuum, ſimul deſcendunt formæ in imaginatione cõceptæ: atq; ita demum fit, ut quæ non ſunt, uideantur: quemadmodum ſomniantibus cõtingere, ſcimus omnes. Qua ratione poſſunt & dæmones humores commouere interiorum exteriorumq; ſenſuum, atq; ita ad organa formas aliquas inducere, perinde ac extrinſecus occurrerent, non ſolum dormientibus nobis, ſed uigilantibus quoq;, ut ſic putemus aliqua extrinſecus uel eſſe uel fieri: quæ tamen nec ſint, nec fiant. Qua ratione peruerſa immundorũ ſpirituum ſubtilitas & infatigabilis fraus eludens ſpectatorũ uiſus, uirgas in dracones deformatas potuit prætendere. Nam & dæmonum eorundem illuſionibus ſeductæ mulieres quandoq; ſe cum Diana credunt nocturnis horis equitare. Poteſt ratio item afferri alia, ineſſe rebus corporeis per omnia elemẽta occultas quaſdam ſeminarias rationes: quibus quum data fuerit opportunitas temporis & caſus, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus. Quamobrem angeli, uel dæmones dici nõ poſſunt, qui talia efficiant, animalium creatores: ſicuti nec agricolæ ſegetum, quamuis norint præbere quaſdam uiſibiles opportunitates & cauſas ut illæ naſcantur. Cæterum quod iſti faciunt uiſibiliter, hoc ipſum dæmones incognita nobis, aut inuiſibili ratione. Solus uerò deus creator eſt. Approbantur aliquo modo, quæ hactenus ſunt prodita nobis, ſententia doctiſſimi interpretis Auicennæ, apud quem ita legimus: Excantationes naturaliter effectum non habent, nec uim omnino ullam demutandi hominis ſanitatem in ægritudinem: quod qui arbitrantur, ipſi ſemet uidentur excantare, imaginatione corrupta. Vno tamen modo poſſe hoc euenire, fatẽdum eſt, ſi diuinæ cenſuræ maieſtas ita adnuat. Ego, inquit, deo fauente, nec ſortilegum aſſis facio, nec incantaminibus pollentem, qui inuitum nolentemq; tollere digitum cogat. Quinimmo nemo unquam me adijt, qui ueneficio ſe circumuentum diceret, quem non abſoluerim ab excantationis imaginatione. Quod ad uaticinia attinet, putant eruditorum nonnulli, elemẽtorum omnium ſpiritus, utpote corporũ perennium, præſentienti motu ſemper & ubiq; uigentes diuinãdi munus nobis impartiri, ex iis quæ diſciplinarum affectamus uarietate. Quin & ſubſtantiales poteſtates ritu mollitas non uno, uelut ex perpetuis fontium uenis uaticina mortalibus uerba ſuggerere, quibus præſit Themis: inde nuncupata, quod fatali lege decreta in poſterum ei prænoſſe ſit fas, in cubili ſolioq; Iouis collocata. Auguria uerò & auſpicia nõ uolucrum futura noſcentium arbitrio dirigi, uerum diuina cõponi agitariq; prouidentia. Sol porrò mundi (ut phyſicis ferè placet) mens, noſtras mentes ex ſeſe uelut ſcintillas funditans, uehementius accenſas futuri compotes efficit, quantum

ueteribus

ueteribus aſſentiri collibeat, unde mira ſibyllarum conſtent præſagia. Somniorum autem rata, inquit Ammianus Marcellinus, fides, ac indubitabilis foret, ni coniectura ratiocinantis fallerentur. Nam & M. Tullius: Ab iis, inquit, rerum oſtenduntur ſigna: in his ſi quis errarit, non deorum natura, ſed hominū peccauit coniectura. Auguratorium in Palatina regione fuiſſe uidetur, augurum uel inaugurandi locus. Cæterum poſtea & de uirgis multū diuq; ſcribimus, impingamus auctarij loco quippiam. Lenones in ſcenam prodibant amiculum geſtantes floridum, & uirgam, quæ dicitur areſcon. Erat & prioribus acæna, dicta uirga exagitandis bobus accommoda: ſed & eodem modo metiendis agris inſtrumentum dicebatur pedum decem: ut ſcribit Apollonij interpres, ab Theſſalis excogitatum. Ex quo & Callimachus:

ἀμφότερον κύντρον τε βοῶν, καὶ μέτρον ἀρούρης.

Quum ſtimulum ſignat, dicitur etiam bucentrum. Acæna agros metiri in Aegypto exorſus eſt primum Theſſalus quidam, nomine ab re indito, quia cognoſcentibus ſingulis agri ſui modum, ſublatæ ſunt cædes: unde nuncupata acæna, quaſi σφάξα ὠσῶν τῶν πάντων. Hinc & Pelaſgida uocauit Acænam Apollonius Argonauticon tertio, ueluti ab Pelaſgis compertam, id eſt Theſſalis. Sceptrum uero ab uirgarum ratione haud ita diſſitum eſt. Id ſignum ueteribus cenſebatur imperij, ſiue regni, necnon orationis & iuſtitiæ quoq;. Proinde Agamemnoni late imperitanti datur, ſed & concionanti Telemacho, uerum etiam Achilli. Qui iniuria item affectus per ſceptrum, uelut iuſtitiæ iurat ſymbolum: quanquã pro baculo etiam uili capitur quandoq; ſceptrum: ſicut in Odyſſea apud Homerum palàm fit. Aureum fuiſſe Apollinis ſceptrum, comminiſcitur Iliados primo Poeta idem: quoniam Soli ſacrum creditur metallum eiuſmodi, ſicut Lunæ argentum. Ex abundanti uero in uocabulo, R habetur, ab σλάπτω, quod ſignat innitor. Proinde σλάπτου, ex Doricæ linguæ proprietate legimus apud Pindarum. Virga in manu, in Hebræorum ritibus doctrinæ habebat indicium. Illud ſilentio minus præteundum, ex Athenæi monumentis: eſſe inter oſtrea, quæ dicantur ῥάβδωτα, perinde ac dicamus uirgata. Alia item, quæ uocemus ἀῤῥάβδωτα, id eſt minimè uirgata. Meminit Ariſtoteles quoq; : ſed ῥάβδωτα, pectinatim diuiſa Theodorus interpretatur. Obſeruatũ & illud ex Galeno eruditioribus eſt: Oſtrea, ſi producatur penultima, ſcribaturq; ὄστρεια, eſſe generis ad teſtacea quælibet nomen: quòd ſi eandem contrahas, ὄστρεάq; enuncies, ſpeciem indicare unam. Verum ne fuſius extra calcem, quod dicitur, mentis ardore quodam iuuandi prouehamur, hinc iam ad alia gradum ſtruamus: ſi prius, quoniam de diuinaculis facta mentio eſt, Ciceronis tenebras ad Lentulum illuſtrarimus. Sic enim ſcribit: Quod ad popularem rationẽ attinet, hoc uidemur eſſe conſequuti, ut ſaluis legibus, aut ſaluis auſpicijs, ne quid agi poſſet cum populo. In hũc ſcopulum impacti plerique doctorum aut cõſileſcunt, aut ineptias promunt. Ipſe ad obnunciationem augurum hæc opinor referenda: quod palàm ſum teſtatus, quum Mediolani Quintilianum profiterer, ſuper eo loco ſecundi libri De ratione infirmandæ legis: Aut, inquit, de rogationis iure queritur, ſiue non trino fortè nundino promulgata, ſiue non idoneo die, ſiue contra interceſſiones, uel auſpicia. Obnunciatione, inquit Pedianus, pernicioſis legibus reſiſtebat. Sicuti uero interceſſioni obtemperaſſe, neceſſarium cenſebatur, ita planè augurum obnunciationi: quod Diuinationum primo ſignificat M. Tullius, & in Craſſo Plutarchus. Scribit in Onirocriticis Artemidorus, forenſes diuinaculos dici ſolitos proictas, goetas, & bomolochos. Proictæ Græcis uocantur meri dici homines.

Philoſophum uerum eſſe dei amatorem. Philoſophiam non cõtingere abſque matheſi, ſed huius item finem eſſe intelligibilium contemplationem. Mathematicæ unde dicantur. Quid dialectica apud Platonem. Logices diſtributio. Dialogiſta quid. Inſuper de geometria ſcitu digna. Philoſophiæ laus. Quid puluis eruditus. Quid abacus. Locus Perſii declaratur. Capitulorum in columnis partes. Stereobatæ quid. Alueolatus. Alueati ſulci. Abax. Abacion. Catheti. Cymatium. Stylobatæ. Capitularij qui. Pulueratio.

Caput xxx

PHiloſophũ uerum Aurelius Auguſtinus ſcribit, non temerè haberi alium quàm dei amatorẽ, quia ſapientia Deus eſt, per quem facta ſunt omnia, ſicuti diuina auctoritas ueritasq; monſtrauit. Sed diu antea Platonẽ ſanxiſſe animaduertimus, Boni finẽ eſſe ſecundum uirtutẽ uiuere. Quod illi demũ cõtingat, qui deũ norit, & etiamnũ imitet? Nec enim de alia cauſa quis dici beatus poteſt: itaq; ſi ametur deus, hoc eſſe uel exactiſſimũ philoſophandi genus. Pythagoras autem, & cum eo multi, qui illo duce purius excitaſſe mentẽ uidentur, ampliſſime aſtruxerunt, abſq; mathematico quadriuio haud facile philoſophiæ apicẽ contingi, nec poſſe uerum percipi. Propterea qui illud neglectui habuerit, cogitare ſubinde debet, ſe philoſophari haud recte. Quoniam mathematicæ diſciplinæ ſubſellia quædam ſint, ac elementa, uel gradus, quibus cõſcendantur altiora. Eas uero ſic appellatas Anatolius putat, quod quum cæteræ diſciplinæ deprehendi, uel non docente aliquo, poſſint omnes, mathematica ſub nullius cognitionẽ ueniant, niſi præeunte aliquo, cuius ſolertia ſuccidantur uepreta, uel exurantur, & ſupercilioſa complanentur aſpreta. Vnde & mathematicũ in anima, ſicut theoreticũ nuncupat in Moralibus Plutarchus. Equidem & M. Tullius mathematicos in magna rerum obſcuritate, recondita arte, multiplicique ac ſubtili uerſari ſcribit. Sunt qui ex demonſtrationum firmitate dici mathematicas, opinentur. Cæterum initio geometria præcipuè, & arithmetica in mathematicarum album à Pythagora ſunt aduocatæ, quod ad omnem ſcientiam, omnemq; diſciplinam capeſſendam has cum primis accommodas perſpexiſſet. Hinc & illa feſtiua uox Socratici Ariſtippi profluxit, opinor, qui ex naufragio in Rhodiorum littus maris impetu, & uentis aſſilientibus quum foret excuſſus, ac ſibi mathematicas formulas eſſet intuitus, gaudio geſtiens proſiluit, & bene ſperare comites iuſſit, quoniam ueſtigia hominum noſcitaret. Sed enim mathematica ſpeculatio ad cogitationis acumen à Platone ſuſcepta eſt, quia ſurrigat animum, & ad rerum diuinarum intuitum aciem mentis exacuat. Quamobrẽ, inquit Alcinous, niſi finis iſtius gratia matheſin expetere perrexerimus, omnis noſtra indagatio recaſura in nihilum eſt nudior leberide, ac Cinclo pauperior. Etenim ab iis quæ ſenſui manifeſta ſunt, ad ea in quæ ſola mentis inenarrabilis celeritas, & diuina uis penetrare poteſt, aſſurgere decet. nam mathematicas ſpeculationes ueluti præludium quoddam ad diuinorũ perpenſionem ſtatuere conuenit. Arithmetica quippe, ac geometria, & qui eas colunt, eſſentiam ipſam uidere deſiderãt, uerum tamen circa illam ſomniare quodammodo uidentur, conferant quamuis ad id. Idcirco diſciplinas eas, nec ſcientias quidem eſſe appellandas putauit Plato. Dialecticam uero utiq;, quia ab geometricis ſuppoſitionibus ad prima principia conſurgit, & inde q̃ mathematica, efficacior eſt: nam circa diuina æternaq; uerſatur, immoq; præpoſita mathematicis ueluti arx quædam cenſetur, ac reliquorum cuſtodia. Quod ne quis fortè miretur, quoniam hæc non præſtet quæ uulgò noſcitatur dialectica, ſcire conuenit, metaphyſicam facultatem, quam & primam philoſophiam uocant, dialectices nomine à Platone celebrari: quæ logica utatur, tanquam inſtrumento: hæc enim circa dictiones, conceptus, propoſitiones, ſyllogiſmosq; uerſatur. In cuius non eſſe conſenescendum gyris atq; Mæandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos, traditum eſt. Omnis porrò logices diſciplina uel finit, uel diſtribuit, uel colligit. Collectionum ratio triplici calle incedit: aut enim ex ueris & neceſſariis nectitur probatio: tuncq; diſciplinæ indipiſcitur nomen, uel ἀποδείξεως, id eſt demonſtrationis. Aut probabilibus tantum graſſatur, & ab Ariſtotele nuncupatur dialectice. Quòd ſi falſis obrepat, inſidietur ue, iam cauillatoria eſt, ac ſophiſtica. Ex diſſerendi uſu, dialogiſta uidetur dici. ſic enim in Auidio Vulcatius ſcribit: Non deerant qui illum Catilinam uocarent: quum ſe ita appellari gauderet, addebat, Se futurum Sergium, ſi dialogiſtam occidiſſet: Antoninum philoſophum ſignificans. Metaphyſica uero, ut Plotinus inquit, de omnibus tractans non opinione, ſed ſcientia: errore, qui circa ſenſibile accidit, uacans, intelligibili prorſus adhæret: circaq; ipſum diligenter agit, falſo poſthabito, nutriens animam in ipſo ueritatis campo. Sed ut ad mathematicas redeam: omnibus quidem ueluti leuigatiſſimo ac nitidiſſimo ſpeculo inſunt, refulgentq; ueritatis intelligibilium ueſtigia quædam atq; idola. Verum geometriæ adeſt hoc in primis iuxta Philonem, quæ initium eſt, & tanquam

cæterarum

cæterarum metropolis. Hæc enim ſenſibilibus inhærentes, agglutinatoſq; auellit aſſiduè, ſeducitq; ad intelligibilem æternamq; naturã, cuius contemplatio ſit philoſophiæ finis. Propterea Platonẽ ſcimus Eudoxo, Archytæ, Menæchmoq; uertiſſe uitio, quod ad organa mechanica ſolidi duplicationem auocare contenderent: quoniam ſic geometriæ bonum periret, denuo ad ſenſum relabentis, nec aſſerentis uendicantisq; ſibi æternas incorporeasq; ſubſtantias: in quibus quum ſit Deus, perpetuò deus eſt. Qua ratione concipiunt aliqui dictum à Platone, Deum maxime γεωμετρεῖν, hoc eſt geometriæ intendere. Quanquam ſuper iſs uaria pro ingeniorum captu excogitari queunt. Nec enim erudite minus afferri etiam id poteſt: nam ſic Lycurgus quandoq; dicitur, arithmeticam analogiam ut Democraticam & turbulentam è Lacedæmone excuſſiſſe: geometricam uero paucorum potentiæ moderatæ, ac legitimo regno congruentem induxiſſe. Siquidem arithmetice æquale numero diſtribuit: geometria uero ratione, ac pro dignitate, nec omnia promiſcet: ſed eſt bonorum malorumq; diſcretio inſignis: uelut hanc itidem geometricã analogiam rebus adhibet optimus maximus Deus, quam Iuſtitiam nuncupamus & Nemeſin, abs qua commonemur, Iuſtum præſtare æquale, non autem æquale iuſtum: namq; quam uendicant plerique, æqualitas iniuſtitia uidetur maxima. Cæterum ut ad philoſophiã quoq;, unde exorſi ſumus, redeamus tanquã poſtliminio: hæc eſt uirtus ea, quæ (ut Theophraſtus inquit) nos in alienis locis prohibet uideri peregrinos, uel neceſſariis amiſſis, amicorum inopes. Sed quamcunq; adierimus ciuitatem, ea nos ampliſſimè donat. Hæc adeo uitæ dux eſt, ac uitiorum expultrix, ſicuti à M. Tullio proditum nouimus, ut ſi hanc uel ex conuiuiis exigendam cenſeas, amplius longe peccaris, quàm ſi lucernam reſtinxeris: hac ſiquidem ſublata, boni ac moderati nihilo deteriores fient. At inſcitia & inconcinnitate cum uino ſocietatem ineuntibus, ne aureus quidem Palladis lychnus gratum, decensq; conuiuium præſtiterit. Quo nomine præſignes multi in una hac quaſi tabernaculum uitæ ſuæ collocarunt, ueluti planè ſit benefactorum omnium mater, ac benedictorum. Nam qui excordes, toti ſunt lingua, quid aliud omnino dici aut debent, aut poſſunt, q̃ quod M. Cato dicebat, mortuaria gloſſaria. Ex huius præcipuè admiratione Alexis poeta mihi ita uidetur ſcripſiſſe, Athenienſes maximè omnium ideo uideri laude dignos, quod reliquorũ in Græcia leges, à liberis præſtari alimenta parentibus cogant: Athenis uero non utiq; omnibus, ſed iis modo, qui liberos artibus erudiſſent. Proinde nec ignobilis auctor Vitruuius maximas parentibus gratias ſe teſtari ſcribit, qui illum ingenuè educandum inſtituendumq; cenſuiſſent. Sed & architecto ſuo idem auctor, quod relatu cõdignum eſt, præſtare philoſophiam ſcribit, ut animo ſit magno: nec tamen arrogans, ſed potius facilis, æquus, fidelisq;, ſine auaritia, quod eſt maximum. Nullum enim opus citra fidem caſtitatemq; uerè perfici unquam poſſe. Ne item cupidior ſit, nec munuſcula iam captet, ſed cum grauitate dignitatem tueatur bonæ innixus famæ: hæc enim philoſophia præſcribit: Vt taceam, inquit, rerum naturaliũ diſſertationẽ, quam phyſiologiam nuncupant. Digna uero quæ non prætereantur, ab Maximo Tyrio prodita: Scis, inquit, cui maximè arbitrer ſimile philoſophi ſpectaculum? Inſomnio nimirum manifeſto liquidoq;, ac uolitanti circũquaq;, cuius integro corpore manente, in terram tamen uniuerſam excurrat animus, è terra in cælum efferatur, uniuerſum tranſmittat mare, aerem peruolitet totum, cum ſole terram ambeat, cum luna circumferatur, cæterorũ aſtrorum iungatur choro, minimumq; abſit, quin unà cum Ioue cuncta diſtribuat. O peregrinationem beatam, ó ſpectacula pulchra, ó inſomnia ueriſſima. Porrò ex iis, quæ hactenus de geometriæ protulimus excellẽtia, latius iam (opinor) patet, quid ita De natura deorum libro ſecundo Cicero geometricũ puluerem eruditi epitheto cenſuerit honeſtandum, in quo priſci geometræ formulas delinearent: ſicut arithmetices organũ abacus erat, quam ab honore Pythagoræ Pythagoream appellabant menſam, hyalini pulueris reſperſione coloratam, ut inquit Martianus, ne in multiplicationibus & partitionibus & in podiſmis unquam fallerentur, excogitatam deſcriptamq;. Quod eo gratius adnotauimus, ut Perſii carmen fieret notius:

Nec qui abaco numeros, & ſecto in puluere metas
Scit riſiſſe uafer.

Eſt & in columnarum capitulis, quæ puluinata conformantur

tur, abacus, pars quædam in qua & uolutæ ſunt cum lineis, quæ catheti nuncupantur. Nam capituli portionem ſupremam uocant cymatium, quod ipſum & proiecturas habet, quas dicunt Græci ἐκφορὰς. Sunt in eodem qui nominantur puluinorum balthei. Illud ex abundanti ſit, quod adnotaſſe nil obfuerit. Parietes, qui ſubĵ ciũtur columnis, & onera excipiunt, nuncupari ſtereobatas: quibus mox ſuperponuntur ſtylobatæ, ſuper quos demum diſponi columnas, artis eſt. Verum ſtylobatæ ita exæquantur, uti habeant per medium adiectionem per ſcamillos impares: nam ſi ad libellam dirigantur, alueolati oculo oſtendentur. Capitularĵ in Iuſtiniano Codice, ad columnas pertinent nihil: eos ex Iureconſultis nonnulli eſſe coniectant, quos capita contuberniorũ appellat Vegetius, turmæ uidelicet præfectos. Alueatos legimus apud Catonem, ſulcos uitibus infodiẽdis, latos ſummos pedes tres, altos pedes quatuor: infimum latum pedem unum & palmum. Rutra, alueoli, molæ, bellica ſunt claſſium inſtrumenta T. Liuio, Punici belli ſecundi libro octauo. Abax uero, & abacion, inter coquinaria recenſentur uaſa. Scribit tamen Ammonius, abaca dici, in quo res apponantur: abacion uero, in quo ſupputationes fiant. Apud Cratinum legimus, βαλάνῳ ἄβακα. Sunt & aleatorum inſtrumenta eodem nomine. Puluerario ad eruditũ puluerem nil attinet: eſt autem quam ruſtici occationẽ uocant, ubi refringitur in uineis gleba omnis, & in puluerẽ reſoluitur.

Seruitutis malum. Vernaculi. Stremmata. Qui dicerentur ſtigmatiæ, ac literati. Iſtriani. Nicanor cur dictus Stigmatias. Stremmata. Stira. Equi coppatiæ, & ſamphoræ. Triſippion. Trampis. Samĵ literati. Samæna quid. Cauterium. Encauſtum. Eucterium. Grammatica pocula. Grammaticus. Serui pileati, coronati, apolides, inſularĵ, originarĵ, aſcriptitĵ. Dulocratia. Partiarĵ. Fructuarĵ. Vocalia inſtrumẽta, ſemiuocalia, muta. Emphyteotæ. Emphyteoſis. Dianæ Perſiæ boues. Caput XXXI

SEruitutem eſſe omnium malorum poſtremum, non modo bello, ſed etiam morte fugiendum, ab celeberrimis auctoribus pronunciatũ eſt. Spinoſa uita eſt, & multis obĵcibus præpedita: quoniam, ut inquit Imperator, Libertas incõparabile pretium eſt. Contemptibilis quoq; : nam & iure ciuili, ſerui pro nullo habentur, nec caput habent. Immo uero etiam miſerrima: etenim quid miſerius, aut infelicius, quàm addici alicui, qui & uitæ & necis in te habeat poteſtatem: & ſi quid acquiras, domino acquiras? Quanquam legimus, Adriani principis conſtitutio ne ſancitum, ne à dominis occiderentur ſerui, ſed iudiciali ſententia damnari, ſi digni forent uiſi. Quin & uates nobiliſſimus libro Odyſſeæ ſeptimo & decimo ita canit:

ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς
ἀνέρ', ἐυτ' ἂν μιν μᾶλλον ἐυδουλίου ἦμαρ ἕλῃσι.

Quibus dimidium ei uirtutis perire confirmat, quem ſeruilis obuallarit neceſſitas. Inde factum puto, ſeu premente ui, cum qua ne dĵ quidem (ſicuti dicitur) pugnarint, ſiue educatione praua, ſeu utroque potius, ut parte plurima ſerui de prima malitiæ ac uafriciæ nota ſint, ac habeantur. Quod furciferi appellatio indicarit: & quia malis moribus homines, & lingua proterua, ab hoc ferè genere uernaculi nuncupantur. Hinc dira excogitata ſupplicia ad reprimendam æſtuantis mali, & increſcentis audaciæ uim proruptam, nimio plus graſſantem, ac in domini perniciem ſubinde aſſultantem: quæ cum materno lacte uitiorum (ut ſic loquar) ſegetem hauſiſſe uideri poteſt. Hinc ſtigmatiæ, ſiue ſtigmatici appellati, quibus ob inſigne flagitium, ac blæſos mores, notis inurebatur corpus, & frons in primis, ſicuti commeminit Seneca: unde inſcriptos uultus nominat ſcitiſſimè Plinius, & Thraciæ notæ in prouerbium adductæ: quanquam illis gentibus nobilitatis loco cenſeretur, ut auctor Herodotus eſt, prætuliſſe frontem notatam punctis. Quæ, quia literarũ formam quandoq; oſtentarent, non ſtigmatiæ modo, quod Nonius eſt interpretatus, ſed & literati quoq;, ita inuſti dicebantur. Nam quod Nicanor Alexandrinus grammaticus, ut proditur à Græcis, feſtiuè ſtigmatias eſt cognominatus, non ex ſeruili fœditate natum, ſed quòd anxiè ſolicitecq; lucubrationibus aliquot πρὸς στιγμὰς cõſcripſiſſet, id eſt de punctis ſiue diſtinctionibus, quibus utimur in ſcribendo. Stremmata uero aliud omnino ſunt: ſic enim Græcè intelligimus, quæ Latinis luxata nuncupantur. Stiram, id eſt στεῖραν, ſterilem uocant: cuius ſit corpus σφαῖρον, id eſt ſolidum

ſolidum,nec fœtu exſolutum,uel quia ſit priuata ſemine. Morem uero literas inurendi etiam in equis,agnoſcere uidetur Ariſtophanes, qui in Nebulis coppatiã inde equum nominat,cui inuſtum eſſet κ: ſicuti ſamphoras, ſiue ſapphoras, quibus σ. Etenim ς & ψ inuſta, uocabant σαψ. Coppa uero eſt numeri figura, compacta ex κ & ς, hoc modo, ϟ. ſignat autem nonaginta: etiam ſi coppatiam quidam interpretati ſunt, quaſi κόπτουσα, quod eſt ungula terram excauantem. Vero propius eſt, ab inſigni ita nuncupatum: quæ ratio etiam Bucephalos fecit. Et Corinthiorum rex Siſyphus, animalium unguis monogrammaton nomen ſuum inſcribebat, ut furto intercepta eo repeteret argumento. Qua in re obiter & in tranſcurſu illud adnotandum: Fuiſſe triſippion, ueluti rotulam quandam publica nota, quæ candens malis equorum imprimebatur, qui iam conſenuiſſent: dicebatur & ἵππου τροχός. Trampis uero barbaricũ eſt nauigium, etiam ſi pro naui utitur ſimpliciter in Theriacis Nicander. Nam & nauigium dixit trampin Lycophron, ubi ait: τραμπωις δ' ἠχήσει, καὶ φερέλλαιοι πόδες. id eſt, ſubuectabit autem trampis, & Phereclij pedes. Alexandro quippe, ſeu Paridi, nauem cõpegit Phereclus. Auctor uero Euſtathius eſt, Iliados rhapſodia decima, elemẽtum cappa quibuſdam dici coppa: ſicuti ſigma, Dorienſes dicunt σάψ: quod docuit Athenæus quoq;, ac libro primo Herodotus. Porrò ad inuſtæ frontis notas alluſit Plautinus Olympio, quum ait: Si hic literatus me ſinat. Quin & literatos Samios, id eſt πολυγραμμάτους dici, in Babylonijs ſignificari ab Ariſtophane, compertũ nobis eſt: in quorum frontibus Athenienſes, ſicuti ſcribit etiam in Pericle Plutarchus, ſtigmata inuſſiſſent: unde iactatum uulgò, Samijs neminem eſſe literatiorem. Etiam ſi hoc inde effluxiſſe malunt aliqui, quod in Samiorum republica Ariſtoteles ſcriptum reliquerit, Illos quandoq; à tyrãnis oppreſſos, inopia ciuium, ſeruos quoq; ad publicam admiſiſſe curam. Vel quia in Samo quatuor & uiginti literæ ſint compertæ primum. Sunt qui ſamænæ notam illis inuſtam uelint: Eſt uero ſamæna nauigium dicrotum, hoc eſt bireme, rotundum, concauum, ac in uentris ſimilitudinem formatum, ut mare percurrere, & celeriter conuerti poſſet. Cuius auctor extiterit omniũ primus Samiorum tyrãnus Polycrates: unde etiam dici Samænam, interpretatur Plutarchus. Alij ſamænam, numiſma intelligunt. Athenienſium uero frontibus inuſtam ab Syracuſanis equi imaginem, frequens prodit hiſtoria. Quoniam uero de inuſtionibus agimus, ſcire oportet, ferramentum quo id fiat, ab re appellari cauterium. Nam in Plutarchi Moralibus lectum eſt, Cyrenæorum tyrannum Nicocratẽ poſt multa crudeliter & nefariè perpetrata, portis quoq; cuſtodes appoſuiſſe, qui mortuos dum efferrentur, gladiolis confoderent, & cauteria admouerent, ne quis per fraudem uiuus elaberetur. Hinc illud ex Septimij Florentis apologetico: Riſimus inter ludicras meridianorũ crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Quo tamen in loco ſunt, qui eucterio legendum putent, ineptè opinor, quum fateãtur dici eucterium, uelut grammatophylaciũ, id eſt locum, in quo orationes actaq; prouinciarum ſeruarentur: Latinè oratorium interpretantur nonnulli. Sed & cauterium dicitur, quo putridæ carnes aduruntur, & ulcera. Ex quo & Hieronymus: Putridæ carnes ferro curantur, & cauterio. Et quinto Therapeutices Galenus, καυτήρια nũcupat διάπυρα, & eſcharotica pharmaca. Firmicus Matheſeos tertio: Et uulnera ipſa facit ignita cauteriorũ aduſtione curari. Inde cauteriata conſcientia, apoſtolo Paulo, ueluti cauterio, ſiue cautere ambuſta. Scitu digna ſunt obiter, quæ ſcribit Auicenna capite uigeſimonono, fen quartæ primi: Cauterizatio, inquit, perutile medicamentũ eſt, iuuamentum in eo præcipuum, ne ſerpat uitium. Quod corruptum eſt, ac in membro retentum, reſoluit: ſanguinis fluctionem inhibet, oblæſas partes refouet leniter. Cauterium, ſi aureum fuerit, cenſetur præſtantiſſimũ: cuius ratio eſt, ut ibi atteſtatur doctiſſimus interpres, quoniam aurum urit mitius, quin urendo fouet leniter inſita uirtute: uulnus quod inde fit, celerius coit: porrò minus terroris affert aurũ, quàm candens ferrum. Demum ſunt & ſua pictoribus cauteria, in ea pingendi ratione quam uocant encauſticen, Latine inuſtariam dicimus, coloribus inuſtis, & ceris igne reſolutis. Vnde factum uulgò, ut librarium atramentum dicatur encauſtum: ut eſt Codice de reſcriptis & pragmaticis ſanctionibus, libro primo. Cauterij eiuſmodi commeminit Iureconſultus Martianus titulo de fundo inſtructo. Sed ut ad ſeruos redeam, quos diximus appellari literatos ab

tos ab literis fronti inuſtis. Sicuti illiteratum, tacitumq; conſenſum appellat eleganter Gellius, qui nõ ſit propagatus ex decreto cõſcripto, aut lege. Eoſdem & cælatos quan doq; legimus appellatos. Sed & Iſtrianos, quoniam Iſtri accolæ punctis ita inurantur, uariaq; alioqui utantur ueſte. Grammatica pocula ex fontibus profluunt eiſdem: ſiquidem, ut ſcribit Athenęus, quæ literis forent inſignia, ſic nuncupabantur: cuiuſmodi illud, in cuius ambitu uerba legebantur hæc, Διὸς σωτῆρος, id eſt Iouis ſeruatoris. Capuæ grammaticum fuiſſe poculum legimus Dianæ ſacrum, exq; Homericis concinnatum carminibus. Apud Achæum tragicum grammatici mentio poculi eſt. Et Tranquillus ſcribit, Neronem ultimis ſuis rebus ſcyphos gratiſſimi uſus, quos Homericos ab cælatura carminum Homeri uocabat, ſolo illiſiſſe. Ab Hieronymo gruum dicitur ordo literatus, quoniam inter uolandum alpha delineari uideatur: uel ut alijs amplius arridet, υ ψιλόν. Cuius inuentionem ex auium uolatu Palamedi attribuunt, id quod indicare uel Philoſtratus aduertitur. Grammaticus item dicebatur, qui Aegyptio ſepeliendi ritu, cadauere humi poſito, circa ilia deſcribebat, quantum ab parte ſiniſtra diſſecandum foret. Seruis præterea apud Græcos comam nutrire nefas habebatur. Dulocratiam ſanxiſſe uidetur Caius Imperator, permiſſa paſſim ſeruis licentia, dominos ſiquid uellent, accuſandi, unde ingens illata orbi terrarũ calamitas. Pileatos ſeruos Sabinus accipit, quorum nomine uenditor nihil præſtaret, quoniam emptores iam oculis perciperent, quod nam foret mancipiorum genus. Sub coronis uenire dicebantur, qui in bello capti uenundabantur coronati. Inſularij, & apolides ab Iureconſultis dicuntur uiles ſerui ac peſſimi, ſine ciuitate, & in inſulas deportati, & in publicũ opus aut in metallum dati. Cæterum, quia in naturali hiſtoria queri non ceſſat Plinius, agrorum cultus, addam natas manus, & inſcriptos recidiſſe uultus: ſciẽdum eſt, quòd equidem adnotatu dignũ mihi eſt uiſum: in canonicis Decretis, ſeruos colendis agris deſtinatos nuncupari tum originarios, tum aſcriptitios: ſed originarios dici propriè, qui ex aſcriptitijs nati ſunt in ipſo ſolo, ſiue fundo, ut Codice de agricolis & cenſitis, lege colonos, libro undecimo. Et eiuſmodi ſine gleba, quam coluerunt, uendi nequeunt. Aſcriptitij uero ſunt qui per triginta annos fuerunt in ſolo. Qui duobus modis fiunt, aut præſcriptione, aut duplici confeſſione, per ſcripturam bis factam, in qua domino fundi promiſerint, ſe nunquam inde diſceſſuros. Hos etiam partiarios quidam uocant. Hinc tanquam è gleba aſcriptos dicimus, qui præcipua premuntur ſeruitute, nec excutere, aut detrectare iugum queunt. Fructuarios ſeruos Iulianus intelligit, in quibus uſum fructum quis habet, ſed alterius eſt proprietas. Sciendum uero, adhibitos colendis agris ſeruos inſtrumenta dici uocalia, ſicut ſemiuocalia boues, muta uero plauſtra. Diſtinguuntur et hiſce appellationibus militaria ſigna Vegetio. In ratione porrò agrorum colendorum nominantur etiam emphyteotæ, uerum hi haudquaquam ſerui ſunt: ſed ita dicebantur, qui ſterilia ferè, ac ſqualentia ſuſciperent prædia, ut plantationibus, & omni politionum genere excolentes fœcunda redderent. Qui ſanè profectus uocantur emphyteomata: quia φυτεύειν plantare eſt, unde in emphyteoſim dari agros legimus, ſed & emphyteoticum contractum. Quin primo item Codicis de ſacroſanctis eccleſiis, qui emphyteoticum canonem per biennium non ſoluerit, repelli poteſt. In eodem, titulo de officio comitis ſacri palatij, perpetuarium ius dicitur emphyteoticarium. Seruos item liberorum loco agris colendis adhibitos, Appianus docuit Ciuilium bellorũ libro primo. Lectum porrò in hiſtoria eſt, quod ab inſtituto haud ita eſt diſſitum, trans Euphratem coli religioſiſſime Dianam Perſiam, cui ſacræ paſcantur boues cuſtode nullo, & ut Græci dicuntur ἄφοροι, deæ charagmate inſignes, quæ lampas eſt.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros ad clariſſimum philoſophum & medicum Hieronymum Rubrum Patauinum, Præfatio octaua.



Etus, quam tibi nuſquam interpellatam pro uirili exhibuimus, obſeruantia exigere, immo (ut ἐμφαλικώτερον dicam) efflagitare impenſius eſt uiſa, ne in miſcella hoc genus pragmatia innomina tum te omnino præterirem: quando ne in amicorum quidem rebus καθημερόβιον agere certum eſt, uti extempore uiuamus, de futuris nil ſoliciti admodum. Equidem, ne mentiar, iucunda mihi recordatio ſubit neceſſitudinis inter nos ſuſceptæ, quum in patria tua, ubi animi ingenijq; cultum ſum indeptus, agerem. Mira me dulcedine perpetuo mores tui exactiſſimi, ſummaq; conditi ſuauitate peruinxerũt ita, ut ſpectrum & animi, & blãdiſſimæ orationis tuæ infixum altius hæſerit, Homericum illud de Neſtore ingerens aſſidue,

τοῦ καὶ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Accedit doctrina ſingularis, lectio incredibilis, ingenium ſubactiſsimum, exercitatio immenſa, Græcæ proprietatis æque ac patriæ peritia ſumme admirãda: & qua expleri nequit animus, ardeſcitq; tuendo, perſpicax in penſitãdis ægritudinibus prudentia, & diuinandi per certa tamen ac nunquam fallentia magnopere naturæ indicia, donum præcellens: quo noſti,

τῶ πόντε τῶτ' ἐσόμενα, πρῶτ' ἐόντα.

Legitimi prorſum iſta ſunt medici, de quo dictitari, ac recini identidem illud poſsit elogium, ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων

Hæc demum omnia, non me, qui ſum σκιᾶς ὄναρ, ut ille ait, ſed in humanis rebus eminentiſsimum quenq; ſic in tui nominis amorem ac uenerationẽ dulciſsime proliciunt ut nil æque gratum ſibi opinẽtur, q; tua perfrui familiaritate, atque interim affluentiſsimis ſapientiæ tuæ aquis rigari. Agnoſce cæleſtem animi tui fœcunditatem: excogitaſti præter iſta, quæ immenſa ſunt, & rationem aliam qua uel potentius tibi homines conciliare non deſinis. Mira effulget in te liberalitas, mirum impertiẽdi omnibus, quæ adſunt tibi, ſtudiũ, nec ſupellectili quidem librorum pretioſiſsimæ parcendo. Quæ ſane rara auis eſt. Alia nunc mitto uolens, quàm munifice mihi haud ita pridem Paulum Æginetam pudore quodam, ruſtico pene, expetenti commodo dediſti? Immo neque hac contentus fini, Galenum adieciſti. Quàm alte putas mihi infixa hæc? Explicari facile haud poteſt, quàm me tranſuerſum rapiat tua hęc diuina uirtus, eo quidem exoſculanda magis, quod à pleriſq;, ne dicam omnibus, libri hoc genus in ſanctaria intrudantur, immo cõtumulantur: quid enim aliud ſunt, ut nil prorſum iudicij noſtri diem diffundamus, quàm βιβλιοτάφοι, ſed liuore ſordidi, tantumq; non felicitatem omnibus inuidentes. Quamobrem ita me tibi deuinctum putes, uelim, ut qui maxime. Sed & mea omnia, etiam ſi pſyrica, & uelut quiſquilias, tibi & tuis omnibus expoſitiſsima. Experiare tantum, me haud fuiſſe mentitum, dices. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI ET OCTAVVS.

Regibus olim urbes fuiſſe obnoxias. Pœmanor & Pœmanoriũ quid. Rex cuiuſmodi eſſe debeat, uel princeps, aut magiſtratus. Ciceronis nodus explicatur. Imperatorem fato non ſubijci. Dionyſii, Ptolemæi, Antigoni hiſtoria. Anax cur dicatur rex. Anactoria Miletus cur. Diopos quid, & adiopos. Palatium pro regia cur. Adnotatur lapſus interpretis Plutarchi de Diopo. Prytania. Caput primum.



INITIO rerum, memoriæ proditum eſt, urbes Græcas regio imperio, quod tum ſanctiſſimum exiſtimabatur, fuiſſe ſubiectas: quo nomine deos quoq; regem habere creditur ferè: nam ſicuti humanas formas illis plerunq; cõtribuimus, ita etiam uitæ rationem. Sed non ut apud Barbararum gentium pleraſq;, graſſatione tyrannica, & centuriali uite formidoloſa. Verum iuſta legum ſcita, ut inquit Dionyſius, & patrium morem: eratq; omnium clariſſimus, qui iuſtiſſimus, legumq; ſtudioſiſſimus. Neq; enim huius maieſtatis faſtigium popularis dabat ambitio, ſed ſpectata inter bonos moderatio. Quod Homerus quoq; ſignificat, quum ius dicentes, & fas conſtituentes reges uocat. Vlyſſem uerò, ut mitiſſimum patrem, fuiſſe ſcribit. Sed Plato item Homerico more regem paſtorem uocat. Nam & apud Aeſchylum compoſito nomine pœmanor dicitur: ſicuti & ſubiectus grex, pœmanorium. Eſt autem ouium propriè pœmen, ut prodit Ammonius. Quin ciuilem potius uirum Plato nuncupat, quàm regem. Innuens nimirum adeo humanum ac mitem, ſi fieri poſſet, eſſe debere: ut inter ciues uideatur eſſe conciuis, ut ita dicam, prudentia, iuſtitia, cura potius quàm alio quouis exceſſu ſuperior. At Aegyptireges priſcos naſcentium inſpectis genituris, ſi quæ forent inuentæ insignis horoſcopantes à regni horoſcopo decidentibus, ac potentes beneq; collocatos in figura dominatores prætuliſſent, interfici ſtatim iuſſiſſe, legimus, ab ijs quãdoq; inſidias ueritos. Tametſi ab gentium illarum ſacerdotibus proditum ſcio, diſciplinarum, artiumq; repertorem fuiſſe Mercurium: eorum uerò quæ ad uitam ſpectabant, reges. Quamobrem antiquitus, inquit Diodorus, non ad principum liberos deferebantur regna: uerum ad eos, qui inſigniter de hominum eſſent uita meriti. Quo argumento Aethiops Sabacus, & idem Aegyptiorum rex ſponte ſe abdicauit imperio, ne cæſis ex reſponſo ſacerdotibus, uiolenter id ſibi aſſeruaret. Brutis non ratione pollentibus hominem natura prælatũ intelligimus, ſicuti ſcitè admodum colligit Gregorius: quia ita dicatur Geneſeos nono, Terror ueſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes uolucres cæli cum uniuerſis quæ mouentur in terra. Omnes piſces maris manui ueſtræ traditi ſunt. Præter naturæ rationẽ effertur quippe, ac tumeſcit: qui ſibi aduerſus æqualem depoſcit imperium. Proinde, inquit, antiqui patres non reges hominum, ſed pecorum fuiſſe paſtores memorantur. Homines quidem uniuerſos æquales produxit natura, ſed pro meritorum ratione alios alijs iuſta utique dei diſpenſatio, ſed occulta præponit, ut humana formidine peccare metuant, qui diuinò minus exterrentur iudicio. Verum timoris huius nomine inflari haudquaquam addecet. In quo non propria eſt affectanda gloria, ſed ſubditorũ quærenda iuſtitia. Certè maiorum hæc conſuetudo fuit, ut ſacerdos rex eſſet ac pontifex. Nam regibus expiãdæ cædis munus incubuiſſe, ex hiſtoria ſcimus. Cæſari, inquit elegãtiſſime Seneca, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa nõ licent. Omnium domos illius uigilia defendit, omniũ ocium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium uacationem illius occupatio: ex quo ſe Cæſar orbi terrarũ dedicauit, ſibi eripuit. Et ſyderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nũquam illi licet nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere. Immo uerò nec defuere, qui ſolum imperatorem ſtellarum non ſubiacere curſibus aſſeuerate

ſeuerate ſcriptis produnt. Quoniam unus ſit, in cuius fato ſtellæ decernendi non habeant poteſtatem: quippe quum ſit orbis totius dominus, fatum eius dei ſummi iudicio gubernatur. Et quia terrarum ſpatia illius ſubiacent nutui, & ipſe in deorum uenit decuriam, quem ad facienda & conſeruanda omnia diuinitas ſtatuit principalis. Quin hoc ipſum eſt quod obſcurius ſignificat M. Tullius in epiſtolis ad Q. fratrem: Sic te, inquit, ita uiuentem intuebuntur Græci, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam cœlo diuinũ hominem delapſum putent. Porro Xenophon ille, cuius aureum flumen quibuſdam ſcabris & turbulentis obiicibus retardare Cicero dicitur, Cyrum ſuum, ut ſanctitatis antiquæ typum, & exemplar examinatiſsimum effinxit: neq; enim ille talis fuit, ſicuti Platoni credimus, id ipſum in legibus ſtatuenti, à M. demum Tullio confirmatum in epiſtola ad Q. fratrem didaſcalica. Sed ſingularis facundiæ philoſophus effigiem quandam iuſti imperij conceperat animo & eminentiſsimi principis, quæ ſummam grauitatem cum ſingulari comitate coniungeret. Hanc ille ſub perſona Perſici regis exprimendam potiſſimum cenſuit. Adeoq; ſcopum attigiſſe uiſus eſt, ut ſcopi umbilicum uerius, ut Aphricanum Scipionem, quanquam ſpolio ex tertia orbis parte rapto, celeberrimum, nõ temere legamus eum librum de manibus ponere ſolitum. Neq; enim uulgaris aut exculcatæ uirtutis eſt, aliis bene imperare, ſiue id imperium perpetuum ſit, ſiue certis circunſcriptum annorum curriculis. Proinde dictum ab Ariſtotele eſt ex Biantis ſententia, magiſtratus uirũ oſtendit, eo quidem impenſius, quia alienum bonum iuſtitia eſt uirtutum ſola. Sic ad alium, & in communi magiſtratus geritur. De quo quidẽ uberius primo De republica à Platone diſſeritur. Eius uis eſt, ut præſit, præſcribatq;, quæ recta & utilia, & coniuncta cum legibus. Vt enim populo præſunt magiſtratus, ita magiſtratibus leges, uereq; dici poteſt, magiſtratum legem eſſe iam loquentem: legem uero mutum eſſe magiſtratũ. Lex porro ſimul cum mente diuina orta creditur. Itaq; uera lex & princeps, apta ad iubendum uetandumq;, ratio eſt recta ſummi dei: ſicut doctiſſime à M. Tullio colligitur. Facilitas uero & humanitas principis, ac magiſtratus præcipuę ſunt uirtutes, itaq; Macedonum regẽ Philippũ rerum geſtarum gloria longe poſt à filio relictũ, legimus, facilitate aũt humanitateq; adeo anteceſſiſſe, ut alter ſemper magnus, alter ſæpe cothurnatis ſceleribus turpiſſimus deprehendatur. In Romana hiſtoria aduertimus, tribunitiæ domus fores non interdiu, non item noctu ſolitas occludi, ceu plane portus quidam ac refugiũ celebre, quo indigentibus ſemper & facile pateret aditus. Iſthuc ipſum ſi præſides uiri uniuerſim præſtent, ſaluberrima quædam dubio procul conſurget adminiſtratio. Nam & in ſeptem ſapientũ conuiuio præcipua dignum laude putat Solon tum regem, tum tyrannũ, ſi ex monarchico principatu democratiam ciuibus ſuis comparent. At Bias eum uere principem opinatur, qui patrijs legibus inſtitutisq; ſubiecerit ſe primus. Beatum eſſe regem cenſuit Thales, cui datum foret conſeneſcere, immoriq;, natura ad id ducẽte. Anacharſis uero adiecit, ſi ſolus fuerit prudens. Sed reſipit tyrãnicum omnino ſpiritum, quod à Cleobulo prolatum eſt: Si inquit, nemini aſsiſtentiũ ſatis fidat. Præſignem pietate principem facit, ac perinde felicem, Pittaci ſcitu digna ſentẽtia: Si, inquit, non illum timeant ciues, ſed illi. Cæterum Chilonis magnopere attendendum oraculũ, quo pronunciatur, Summa omnia & immortalia principi legitimo eſſe concipienda. Et rectiſſime profecto, quippe iuſtitia legis utiq; finis eſt: lex uero principis opus. Princeps imago dei eſt, uniuerſa diſpenſantis gubernantisq;, non Phidiæ induſtriam requirens, non Polycleti, non Myronis, ſed ipſum ſemet in dei ſimilitudinem effingens, uirtutis opera ſimulachrum expingens cõformansq; omnium plane decentiſſimum & aſpectu iucundiſsimũ, ac deo maxime conueniens. Ab hoc autem quantum deniq; abijſſe diuerſus agnoſcitur Siciliæ tyrannus Dionyſius? Quando citra omne uirtutis penſum, nouarũ uoluptatum inuentoribus, certa propoſuerit præmia. Ptolomæus illuc eſt turpitudinis prouectus, ut extra quàm Macedonum ac Græcorum legibus foret ſancitum, uel ſorori ſtuprũ intulerit. Antigonus Liberum patrem exhibiturus, quod eſt Herodiano proditũ, cauſiæ loco ac diadematis Macedonici, hedera caput reuinxit: quin & ſceptri uice Thyrſum geſtitare non erubuit. Porro qui uocis horrore, aſpectus truculentia, morum difficultate ac ſolitudine principatus tumorem auſteritatemq; exprimũt, nil ſane ab coloſsis di-

ſtare animaduertũtur: qui extrinſecus heroicam aliquam, aut diuinam præferentes ſpeciem, intus terrã habent, aut ſaxa, uel plumbum quoq; niſi quod hoc genus ſtatuæ ponderibus libratæ rectitudinẽ ſeruant immobilem, nec quoquam proclinantur adnuúntue. At imperitus princeps fluctuat ſæpe, quatiturq; ac circumagitur. Addecet imperantem profecto eſſe ueluti regulam aut canona, qui ad rectitudinem cõpoſitus, & nullo flexu uitiatus, cætera appoſitus coaptatusq; dirigit, ac ſimilia reddit ſibi. Conſimili item ratione præſidem oportet ſeipſum prius componentem, ac imperium intus ordinantem, ſic concinnatis moribus, ciues ſibi reddere perſimiles. Neq; enim ſuccidentis eſt lapſitantisq; alios dirigere, aut inſcientis edocere, aut inculti ornare, uel exordinati ordinare, uel imperare, qui obedire neſciat. Cæterum plericq; ex inſcitia primũ atq; præcipuum principis opinãtur bonum, nemini ſubeſſe. Et Perſarum rex omnes præter uxorem, quam in primis pro imperio coercere oportuit, ſeruos arbitrabatur. Et Moralium octauo ſcribit Ariſtoteles, Patris apud Perſas imperium eſſe, haberiq; tyrãnicum, quando filijs utantur perinde ac ſeruis, tametſi patris ad filios ſocietas in domo bene inſtituta regni præferat effigiem, quum patribus curæ ſint filij. Quo argumẽto Iouem ab Homero patrem dici. Sicuti uiri & uxoris ſocietas optimatum perſimilis eſt poteſtati. Fratrum uerò ei, quæ cenſibus fit: quæ tertia eſt rerum publicarum forma. At inferat aliquis, Quis igitur imperantẽ compreſſurus imperio eſt? Lex nempe mortalium immortaliumq; regina omnium, ut Pindarus inquit: nec ea libris omnino, aut comprehẽſa tabulis, ſed animata intus ratio, cohabitans perpetuò, ac in ſtatione tantum non parata, nec animam ducatus deſtituens inopem. Perſarum regi, ſicuti accepimus, præſtò erat ex intimis unus aliquis, huic deſtinatus muneri. qui mane conſurgentem ita commoneret, ἀνώϊσα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σὲ φρουτίζειν ὁ μεγρομάσδης ἀθέλησε. Conſurge rex, & obi negocia, quæ te obire uoluit Meſoromaſdes. At ſolers imperator intus habet hæc, & huiuſmodi pleraq; dictantem. Inde fit, ut refelli magnopere dignus uideatur Anaxarchus: qui, ut Arrianus prodit, conſolaturus Alexandrum uino & iræ, conſultoribus peſſimis ſuccumbentem, per febrem (ut uidetur) ſomnians ipſe, uel morbo arreptus phrenitidos, Hippocratis ac medicorũ uinculo deſtinandus: An tu Alexander ſapientes, inquit, ueteres ignoras, ideo aſſidentem Ioui iuſtitiam feciſſe, ut quicquid ab Ioue decretum ſancitumq; foret, id iure factum uideretur? Ita magni acta & geſta regis primũ quidem ab ipſo rege, deinde ab alijs iuſta cenſenda ſunt. Sed mea utiq; ſententia, ſi approbentur iſta, ut ab ſapiente ac uerè prorſum enunciata, bone deus, quantum inde erumpet malorum? qui calamitatum laxabitur ſinus? Documento ſit is ipſe Alexander, quem ita philoſophi præcepto imbutum proditur memoriæ, ad id uaſaniæ productum, ut iam diuinos ſibi depoſceret honores. Nec ſatis, nam ueluti bellatorem fortunæ flatibus nimio plus elatum mortalis naturæ diſpuderet, non Philippo iam ſe natum, ſed Ammone potius, credi uolebat. Quid illa ueſtis mutatio, & in Perſicos mores degener tranſitus? quantum hic turpitudinis, quàm fœda maieſtatis fugillatio? quæ uerò Macedonum indignatio? Cæterum quid ita inſinuas Anaxarche, aſſidere Ioui iuſtitiam? Immo uerò, ſi cõiectatio me non fallit, non aſſidet iuſtitia Ioui: ſed ipſe iuſtitia eſt, ac fas ipſum, & legum uetuſtiſſimus omnium, ac perfectiſſimus. Ita certè ueteres prædicant, edocentq;, abſq; iuſtitia ne ipſum quidem Iouem rectè poſſe imperare. Ea uerò iuxta Heſiodum incorrupta uirgo eſt, pudoris ac caſtitatis, utiliũq; contubernalis. Proinde reges item αἰδοίους, id eſt caſtos uenerabilesq; nuncupare poetæ ſolent. Hinc ergo colligendum, regiam facultatem eſſe ſublimem, præcelſam, multis uirtutibus circũſeptam conſtipatamq;, curis innumeris anxiam, & omnino uitam cenſeri laborioſiſſimam, ſi incumbẽtem oneris magnitudinem rectè metiaris, gerasq; pro ratione ac dignitate. Proinde Seleucũ dicere ſolitum ſcimus, Si ſatis norint homines, quàm operoſum, quamq; moleſtum, uel modo tantarũ rerum adeo numeroſas epiſtolas aut ſcribere aut legere, diadema proiectum neminem excepturum. Quin & Philippus in regione ſpecioſa caſtrametaturus quum audiſſet, futurã ibi iumentis pabuli inopiam, ô Hercules inquit, cuius'nam modi uita eſt noſtra, ſi ad aſellorum occaſionem uiuendum nobis eſt? Certè anax ueteribus rex dicebatur, quod Plutarchus tradit, & repetit Euſtathius, quia anacos dicitur medela, quod illis ſubditorũ cura incumbat. Dioſcuros

ſcuros autem, id eſt Caſtorem Pollucemq́, ab nauigãtium cura primos omnium ita inuenio nũcupatos. Ineſt utiq́ uocabulo diuinum quiddam, proinde excellentiam complectimur eo, quod Euripides item ſignificat,

ὤναξ, θεούς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών.

Eſt proprium quoq́ nomen Anax, ſic enim cæli ac terræ nuncupatur filius, de quo Miletus dicitur anactoria. Scribit Herodotus Cereris templum in Eleuſine fuiſſe anactorium. Pollux anactoriũ pro adyto accipit. Inuenio item reges; ſiue duces recte diopos nuncupari, quod commonſtrat AEſchylus, ſicut adiopi uocantur, qui principe carent. Inflectitur uerbũ ab διέπω, quod eſt ordino. AElius Dionyſius diopon accipit τὸν ναυφύλακα, id eſt nauis inſpectorem, cuſtodemue, ἀπὸ τοῦ ὁπτῆσθαι, τὸ βλέπειν. Porro apud ueteres, qui rerum moderamina ſuſcepiſſent, ijdem & auguriorum erant non imperiti: ut enim ſapere, ſic & diuinare regium cenſebatur. Diopos etiam epiplus dicitur, id eſt ἐπὶ πλοῦς. Diopos regios in Romulo Plutarchus, aut diſpenſatores accipit, aut uillicos. nã de Romulo & Remo: Præfectos, inquit, ac regios diopos cõtemnebant, & pecoris magiſtros: uel, ut ipſe ait, ἀγελάρχας. Sed interpres diopos dici legatos putat: adeo tranſferendi onus plane coloſsicon eſt. Dignum ſcitu: Prytaniam, id eſt πρυτανεῖαν, dici Græcis imperium diei, quum in orbem inter plures digeritur imperandi uiciſsitudo. Hinc Herodotus: Miltiades, inquit, non prius congredi ſtatuit, quàm ipſius aduenit prytania. Idem auctor probulos uocat, quos noſtri prouiſores. Cæterum attẽdenda magno pere hac parte Platonis ſentẽtia, qui ad res egregias ſtrennue feliciterq́ obeundas eſſe nil prorſum accommodatius ſcribit, quàm prudentium doctorumq́ uirorum beneuolentiam. Immo uero eſſe nullum uel iuſtitiæ uel prudentiæ argumentum certius, quàm ſi amici id genus adſint abunde. Nec me fallit tamen, Goticum fuiſſe inſtitutum, ne literis imbuerentur reges. Quod illæ, ac ſeniorum inſtitutiones longo ab fortitudine interuallo abeſſent, ac magnanimitate. Quin itẽ effœminari potius animos, remollitosq́ ad timiditatem dilabi. Illud denicq́ non præteriero, leuiculum forſan, ſed pleriſq́ ignoratum tamen, regiam palatij nomine inſigniri cœptam Auguſti Cæſaris tempeſtate, quod refert Dion, quia is Palatinum montem incoleret, ac inibi eſſet prætorium. Domus item Romuli, à loco dicta Palatium eſt. Hinc ubicunq́ fuerit imperator, eius domus palatij aſſequitur nuncupationem. Dona imprimis regi honeſta, Xenophon ſcribit ὠναβάσεως primo: Equum aureis frenis, aureum præterea torquem, ac denique Perſicam ſtolam.

Regum reuerens in oriente cultus. De Indicorum regum luxu, ac tumore: item Perſarum. Grypos cur amẽt Perſæ. Item quem intelligamus Pyrpho rum. Pyranon. Grinos quid. Saporis Perſarũ regis hiſtoria. De Cyro paucula. Oroſangæ. Cap. II

REgium ergo nomen ſanctum ubiq́, ſed in Oriente uenerationis præcipuæ. Regum ibi maieſtas eximia, confluentibus ad nomen Barbaris: quemq́ ſequundis rebus reuerentiæ cultum exhibuere; uel in aduerſis præſtant conſtantiſsime. Quo factum animaduertimus, ut inani tumore, ac nimia inſolescentes felicitate pleriq́ totis (ut aiunt) cuneis in multam proueherẽtur abſurditatem, ſibiq́ uendicarent, quæ humanæ imbecillitatis oblitos facile coarguerent. Indici regis luxuriam, quàm tamen Barbari magnificentiam interpretãtur, gentium reliquarum uitia facile tranſcẽdere, hinc perſpici poteſt. Siquidem ubi uiſendum ſe publice præbet, apparent argenteis thuribulis miniſtri perplures conſpicui. Iter uniuerſum, quo uectatur, odoribus uaporatur. Ipſe aurea geſtatur lectica, margaritis hinc inde propendenti bus. Amictus auro interlucet, ac purpura. Lecticam obmuniũt corporis cuſtodes, è ramis cantillantibus auiculis, quas ita de more imbuunt, ut inter ſeria inſtrepant cantu. Regiam auratæ ſuffulciunt columnæ, auro uite cælata obambiente. Inter hæc auium, quibus præcipue oblectantur, argenteæ nitent effigies. Regia nulla non hora uolentibus pateſcit. Vbi capitis curæ, ac ornamento incumbit: tunc admittuntur legationes, & redduntur populis iura. Odoribus perfluunt liti pedes. Si quando in uenationẽ pro dire collibuit, feræ leporarijs occluſæ inter pellicũ uota, & cantus transfixæ conficiuntur. Hic illis non contẽnendus labor. Si longior incumbat expeditio, curru uectantur,

quem inſtrati auro elephantes ducant aſſectantibus agminatim pellicum lecticis. Sub ſequitur & regina, ſed ſeorſum, nec minore luxu. Vbi ſomni tempus appetit, regem ui no grauem dormitātemq; cubiculo inferunt pellices, noctium dijs patrio ritu aduocatis cum cantu. Iam uerò quid ſuperbam Perſarum regum molliciem memorem? Adoratio his erat peculiare bonū, citra hanc non facile ad regē patebat aditus. Illum quin immo uidiſſe quandoq; auguſtiſſimum cenſebatur: quoniam is ſub maieſtatis ſpecie ſemper ferè latet. At magnus Ageſilaus, quod Xenophon ſcribit, ut ſemper ſpectaretur, gaudio exiliebat, quum turpiter agenti tenebras conuenire, arbitraretur: honeſtæ autem uitæ lucem longe plus ornamenti afferre. Porrò Perſarum regibus illa maxima incumbit cura, ut terrarū orbem mariaq; depopulentur omnia, perſuaues dum uenantur potus, gliſceras adipatasq; dum conquirunt dapes. Mox uerò diſtenti ſic, et adobruti, mirum eſt quo ſtudio moliantur ſoporem. Vni plures adſunt uxores. Per uices regem adire, mos illis eſt. Cultus regis luxuria præcipuè erat inſignis. Purpureæ tunicæ mediū albo intexebatur. Palla uerò picturata erat, aureis accipitribus uelut roſtris mutuo ſe petentibus. Zona ſuccingebatur aurea, ſed muliebriter. Ab ea propendebat Acinacis, uagina gemmata. Capitis inſigne à Perſis nuncupari cidarin, animaduerto. Ambit id cerulei coloris faſcia, albo intermicante. Et pontifex tamen, inquit Hieronymus, cidarin habet, & nomen dei geſtat in fronte. Cuius aſſectabātur armatorum decem millia, haſtis argento coruſcantibus, ſpiculis etiam auro præfixis. Si quando mouenda forent caſtra, ſuper regis tabernaculum, quod auguſtale dicimus, conſpicua omnibus promicabat ſolis imagūcula, cryſtalli incluſa globo. Quum progredi cœpiſſet agmen, ignis quem ipſi ſacrum æternumq; uocabant, argenteis altaribus præferebatur. Sicuti apud Græcos irroborauerat mos, ut in prima ſtaret acie uates laureos geſtans ramos & corollas, quem uocabant pyrphorum: cuius meminit Pollux, & in Sudæ monumentis relatum inuenies, quoniā lampada item præferret. Eum iure belli uiolaſſe, ſummum habebatur ſcelus. Apud Herodotum hiſtoria octaua, pyrphorum pro ſacrificulo accipit interpres. Eſt eo item nomine inſtrumētum prunis ferendis deſtinatū, quod etiam pyranon uocant. Scitu uerò dignum: ante inuentas tubas pyrphoris, ſeu lampadephoris uſos ueteres, qui bellicum canerent, ut ſic dicam: nam in medium utrinq; progreſſi, facibus excuſſis, prælium accendebant. Apud Sophoclem in Oedipode tyranno, pyrphori ſignificat morbos, inducentes febrem: nam πῦρ, quandoq; πυρετὸν indicat: ſicuti πυρετὸν, interdum pro igne poſitum inuenias: ut apud Homerum,

Καὶ τότε πολὺν πυρετόν. Ignem ſacrum inſequebantur magi, magos trecenti ſexagintaquinq; iuuenes puniceis uelati amiculis. Ii tot erant, quot in anno dies. Mox erat Ioui ſacer currus, quem albi traherent equi. Poſt quos inſigni magnitudine uiſebatur equus ſolis, ſic enim dicebatur. Equorum moderatores aureis uirgis ornati, albis item ueſtibus uiſendos ſe præſtabant. Aderant poſt, uehicula auro cælata & argento. Inſequebantur, quos Perſæ immortales uocant, decem millia numero. Ante omnes Barbaros hi luxu prædiuite honeſtabātur. Torquibus inter eos aureis exculti quidam incedebant. Auro diſtincta ueſtis decorabat alios, tunicis manicatis quidem, ſed gemmarum ſpecie ornatiſſimis. Ab ijs conſtituebātur, quos regis cognatos uocabant, quindecim millia numero. Fœminas diceres, ita ornamentorū luxu ac delicijs diffluebant, doryphoræ uocabantur, ueluti ſatellites. Regis currum anteibant regio inſignes cultu. Currus latera deorum ſimulachris erant decora, auro, argentoq; conflatis. Iugum gemmis collucebat. Eminebant ex eo ſimulacra duo aurea, cubiti menſura, interiacente expanſis alis aquila, materiæ eiuſdem. Sphragida, id eſt annulum regis ſignatorium, uel id genus aliud Cyri prætuliſſe imaginem, proditur memoriæ: etiam ſi tradunt alij fuiſſe Darij equum, quo adhinniente regnum is arripuit. Sunt qui & regis fuiſſe ipſius malint. Oroſangas uocant Perſæ, qui de rege ſunt bene meriti. Cyrum Perſarū regem grypum fuiſſe memorāt, id eſt aduncо naſo. Proinde in ciuilium præceptorum ratione Plutarchus, & alibi, eo habitu homines Perſis mirè gratos fuiſſe ſcribit. Nam & agreſtes boues epigrypos eſſe dicunt Græci, id eſt rictu leuiter aduncо. Grynon uerò γρυμόν dicunt Græci ijdem, id eſt truncum, uel ſtipitem; ex quo uerbum id pro naui etiam uſurpauit Lycophron eo uerſu in Alexandra,

ἀλλὰ θέοντα χρυσὸν ἐπῳρωμένον.

Etiam si ad Alexandrum posse referri, putat interpres. Quod mater Hecuba per quietem parere facem esset uisa. Verum quod ad Persicum attinet tumorem, adnotatu digna Saporis Persarum regis epistola, quam ad Constantium imperatorem is dedit sic exorsus: Rex regum Sapor, particeps syderum, frater solis & lunæ, Constantio fratri meo salutem plurimam dico. Mox submonet: prouinciis quibusdam cedat, quoniam medelarum quoq; artifices urere, nonnunquam & secare, sibi permittant, quo reliquis liceat integris post hæc uti. Quod ipsum factitēt bestiæ quoq;, quæ cur expetātur gnaræ, id abscissum sponte amittunt, ut in reliquū superstint impauidæ. Sed & Cyri conditoriū hoc insigne uisebatur epigrāmatio: Cyrus ego rex olim regum, conditus hic sum.

Proditorum fœda taxatio per exempla decurrēs historica. Cilicum prauitas. Copis. Quid ciliciſmus, canabiſmus. Iſangelia. Plutarchi locus restituit. Epangelia. Scapha, σκαφώρη, scaphalos. Scaphia uasa. Agraphij crimē, & alogij. Angelus, exangelus autangelus. Cap. III

PRoditori nil unquam fidum esse debere, pronunciatum historica grauitate à T. Liuio est. Id & exemplis aliquot exploratius fit. Cilliconta quendam legimus, Prienensibus patriam prodidisse Miletum: id nobilissimo cuique non modo odiosum, sed & tenuioris fortunæ hominibus. Fuit lanius quidā Theagenes nomine, Syrus. Adierat Cillicon carnes empturus, at dissimulato Theagenes odio, ut qui toto animo illi satisfactum cuperet, carnium portionem porrigit, tanquam quod superflueret abscissurus. Illo autem manum proferente, elatam copida lanius impegit, resectaq; manu addidit generosius dictum, Hac, inquies, abhinc ciuitatem prodes nullam. Sunt ex Græcis, qui Cilliconta istum ita cognominatum putent, quia Cilicum prauitas & fœuitia infametur passim, quando Achæus illi proprium fuerit nomen: addunt, fuisse Meropis filium. Certe historicus Theopompus per uinolentiam æditam cædem, Cilicissimum uocauit: sicuti Canobissimum dicimus, Canobitarum lasciuam turpitudinem. Copis autem, si cui forte scrupulum iniicit, uerbum Latinis auribus haud ita frequens, hic esse uidetur lanij culter. Q. tamē Curtius copidas interpretatur recuruos gladios, quadā falcis imagine, meminit libro tertio Strabo. Inter instrumenta sacrificalia Pollux sphagidas enumerat, & copidas. Vnde est Demosthenicū illud de Phocione, ἐκ τ ἐμοῦ λόγου ποτὶς ἀνίσατ. id est, uerborum meorū copis exsurgit. Plutarchi tralator securim est interpretatus. Porro circūfertur ad hanc maxime rem faciens bracteatum Antigoni dictum, Qui proditores tātisper, dum produnt, amare: ubi prodidissent, odisse dictitabat. At Cæsar in Thracē quendam, Proditionē sibi placere, inquit: proditorem minime. Plutarchus scribit, Rhimotalcem Thracum regem, qui ab Antonio ad Augustum transierat, solitum illi inter pocula societatem petulantius exprobrare. Id quum ægre ferret Augustus, propinans ex accumbentibus cuidam: Ego, inquit, προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ. Proditionem quidem amo, sed proditorem non laudo. Demosthenem Demadi crebro dicere solitum ferunt, ὅτι πρώτους ἑαυτῶν οἱ προδόται ἀπολλύουσι. Id quod si amplius expēdisset, non foret à Macedonibus sanguinarie excarnificatus. Scribit Plutarchus, quod notatu Hercle dignum est, Reges cum primis esse ἀπιστίας καὶ προδοσίας διδασκάλους: quoniam eum iuuari præcipue opinentur, qui iustitiæ intendat minus. Proinde nō debere alios criminari, si exemplo ab eis ipsis ducto, quod confert, affectantur tota ui, huc illuc uoluntate tralata. Lasthenes, qui Philippo Olynthum prodidit, querebatur se ab illius amicis, ut proditorem infamari. Ei Philippus Macedones, inquit, natura rusticiores sunt, ac rudes, & scapham dicunt scapham. Est autem nauiculæ nomen scapha. At σκαφώρη, uulpes est. Scaphalos uero dicitur ὠτλικτής, id est hauſtor. Scaphitas dici, à Græcis comperi, qui scaphis nauigant, tāquam scapharios quosdam. Scaphides uasa sunt, in quibus melicerides, id est faui collocantur. Scaphisterium Columellæ purgandis seminibus, aptum instrumētum. Pacton scaphæ genus est Straboni ἐκ σκυταλίδων, id est uirgis compactum. Scaphia uero uasa sunt, inquit Martianus, ex ære rotunda, quæ horarum ductus stili, seu gnomonis proceritate discriminant. Horoscopa item dicuntur & horologica. Adnotandum uero illud scitu Hercle dignum: Iſangeliam, id est εἰσαγγελίαν, dici acusationem iudi-

ciumq́, quod in proditores intẽditur, uel omnino læſæ maieſtatis reos: quorum crimina legibus non continentur, unde & περὶ ἀγραφων δημοσίων ἀδικημάτων dicebatur iſangelia. Quam tamen ſanciebat iſangeltica lex. Agebantur uero hæc uel in ſenatu, uel in cõcione. iſangeliæ meminit Demoſthenes quoq́. Plutarchus de Alcibiade reo, quod Cereris & proſerpinæ myſteria polluiſſet domi ea celebrando, hæc (inquit) in iſangelia ſunt ſcripta. Interpres locum incurioſius tranſilit. Angelum eſſe ſcribit Ammonius eum, qui extrinſecus quippiam nunciat. Exangelum, qui quæ intus fiunt, extimis promit, quem diangelum uocat Thucydides: autangelum, qui ex ſe nunciat, non ab alio miſſus. Epangelia uero dicitur, quum quis accuſatur, quod præter leges concionetur, aut rempublicã capeſſat. Obiter item ſciendum, fuiſſe agraphij crimen, ubi quis ex tabulis publicis ante perſolutionem ſuum expunxiſſet nomen. Quam rem Demoſthenes ſignificat, & docent præterea plures. Alogij crimen eſt, quum rationem quiſpiam reddere neglexerit in magiſtratu geſtorum.

Canterij notio multiplex. Runcina quid. Compluuiatæ uites. Pedatæ, ſeu characatæ. Quid charax, & ridica, & quid tradux. Senecæ locus illuſtratur. Canterino ritu ſomniare, quid. Viticulę quid: item ſuffrago. Cap. IIII

Canterium Varro ſcribit De re ruſtica, libro ſecundo, equum dici, cui exempti teſtes ſint: inde appellatum, quod ſemine careat. Idipſum fere Pompeius Feſtus cõprobat. Sunt qui opinentur, uocabuli etymon inde trahi: quia canterio deteſtari mos eſſet, per unius demutationem elementi. Nonnulli canterios intelligunt mulos, ad uellaturã quos paſcere moris eſt: unde ſit cantericium hordeum. Ab equi porro ſimilitudine canterios item dici uolunt, quibus ſubiectis materiarij fabri runcinis, id eſt ferris maioribus, arborum moles ſecant. Eos impolitior ſermo & ruſticior caballetos uocat, ſicuti runcinos minores equos, ex runcinarum (ut putant) origine. Nam Plauto deruncinare uerbum poſitũ pro diſſecare diſſipareq́. Quanquam non me fallit, quibuſdam id amplius arridere, ut ſit runcina leuigandis lignis inſtrumentum accõmodum, quod uulgus ſimplex planulam dicat. Eſt & in uitibus canterius, iugum ſimplex, cum depoſitis haſtilibus, ut Columella ſcribit, adnectuntur ſingulæ per trãſuerſum perticæ in unam ordinis partem. Id fere Plinius quoq́ prodit, ſed amplius compluuiatas dicit uites, ubi iugum eſt quadruplex, ab cauis ædium compluuijs ſimilitudine ducta, atq́ itẽ nomine. Nam pedatas intelligimus adminiculo fultas. Si uero breuiores palmites ſarmento iunguntur inter ſe funium modo, ex hoc arcus funeta dicuntur. Pedatas, ſeu palatas etiam characatas appellamus: quia charax Græce pedamẽtum eſt, ſiue ridica. Quanquã eſt ridica fiſſile adminiculum proprie, quod diutius manet, quàm teres palus: à quo palari uitis dicitur, quum palis obfulcitur, ſed & loca uliginoſa palari dicuntur, ubi pali addenſantur accipiendis fundamentis. Ruſticum quoque uulgus characios uocat pedamenta uetera. Traducem uero nominant Galli, quum diuerſarum arborum obuij palmites alligantur uno conciliati uirgultorum comitatu, aut quum in uiduam arborem transſilem faciunt. Traduces quidã rumpos appellant. Sunt qui etiam uites: ut quum ait Varro, iugorum genera ſunt quatuor, pertica, arundo, reſtes, uites. Traducibus utuntur Mediolanẽſes in arboribus, quas uocant populos. Ex hac uero ruſticarum rerum ratione animarum traducem uocari à Tertulliano & Apollinario nouimus, ut ſicut corpus ex corpore, ita anima naſcatur ex anima, & ſimili cum brutis animãtibus modo ſubſiſtat. Canteriolos in cepinis, id eſt ceparum locis apud Columellam inuenies forma deminuta pro munimẽtis quibuſdam ceparum, ne Thalli earum uentis proſternantur. Sicuti in rapinis etiam canterios, quum operiuntur rapæ, ut à pruinis ſemina defendantur. Farraginaria ſunt, ubi paratur farrago. Hordeum hexaſtichon ab ordinum numero, aut uerſuum: quidam etiam canterinum uocant, ſicut diſtichon galaticum. Canterios item in architecturæ ratione nominat Vitruuius libro quarto: unde canteriatum tectum, ſicut aſſerulatum quoq́ dictum inuenimus: nam quaternata harula aliud eſt. Vulgus quoq́ craſſiores & robuſtiores ramos cãterios ſolet dicere, nil deluxato admodum uerbo. Ridicula eſt enarratio cuiuſdam Plautini interpretis, qui claritate maxima caligans, canterium apud Senecã libro Epiſtolarum decimotertio, pro uehiculo accipit, ubi ait Seneca: Canterio uehebatur hippope-

hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utilia portaret. Quum paulo poſt ſe ipſum interpretetur Seneca: O quantum, inquit, erat ſeculi decus, Catonem uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem, partem enim ſarcinæ ab utroq; latere dependentes occupabant. Haſce uero ille hippoperas dicit, quaſi equeſtres peras. Gallicos canterios, ut uiliores, agnoſcere uidetur Plautus, quando in Aululatia ita ſcribitur: Ego faxim, muli pretio qui ſuperant equos, fient uiliores Gallicis canteriis. In Hieronymi tamen ad Marcellam epiſtola ſic ſcriptum legas: Illi gaudeant Gallicis canteriis, nos ſolutus uinculis aſellus Zachariæ delectet. Cruciãtem canterium Auſonius item dicit, quem tortorem uulgus appellat, & Nonius interpretatur. Cæterum illud longe remotius, & ex intimo literarum penu ab ingenioſis erutum: in quo enarrando, non ſcioli quidam aut elementarij, quod ferendum foret, ſed claſſicus, & primi nominis cãdidatus longe fallitur, & apinas neſcio quas, & tricas imprudenter ac oſcitabũdus, uelut obeſæ naris quiſpiam è triuio, effundit. In Plautinis ergo theſauris ita poſitum eſt: Certe hæc mulier canterino ritu aſtans ſomniat. Adagium hoc recõditum ab doctiſsimo Comico in mulierem concinnatum eſt, quę etiam ſi aſtare, uigilare, rectęq; ſenſibus uti uidebatur: tamen quia nænias quaſdam Siculis gerris uaniores effutiebat, ut Menęchmo uidebatur, ſomniare ac dormitare eam dicit equino ritu. Notiſſimum quippe, dormire equos ſtantes. At ſomniare eos, locupletiſsimum teſtem habemus Ariſtotelẽ, ſic De animalium hiſtoriis libro quarto ſcribentem, ἐπὶ δ' ὀνυπνιάζειν φαίνονται ὁ μόνον ἄνθρωποι, ἀλλὰ καὶ ἵπποι καὶ κύνες καὶ βόες, ἔτι δὲ πρόβατα καὶ αἶγες. id eſt, ſomniant etiam manifeſto non homines ſolum, ſed etiam equi, canes & boues, quin etiam oues & capræ. Cæterum Apuleianus enarrator, tametſi pampinarius non eſt, uerũ fructuarius in primis, non ab canterio canterinum deflexit, ſed ab cantharo cantharinum deducit. Verſiculo lepidiſsimo plane luxato, illo intellectu, ut ipſe cõminiſcitur, fœminam ſomniãtem aſtare ritu canthari, uaſis uinarij, qui ea forma figuratur, ut rectus aſtet conſiſtatq;. Ego uero canthari eam eſſe figurã, non omnino abnuerim. Somniare uero etiam uaſa, nondum uideor didiciſſe: ni forſan aſino ſuperflue canit lyra. quod ſi ad formam modo, poſitũq; reſpexit facetiſsimus poeta: nil inſipidius aut exculcatius proferri ab eo potuit. Canterinũ uero à canterio recte inclinari, cõprobat Columella. Quod caballum à Seneca dici ſubnotauimus, aduertenda eſt Hieronymi ſententia: Vt ſtatim, inquit, cernamus tiaras galeis, caballos equis cedere. Quia uero de uitibus dicta pleraq; ſunt, illud ex abundanti adiecero, Viticulas dici Plinio Palladioq;, in plantis flagella, ut cucurbita & cucumere, ab uitiũ ratione uocabulo deflexu. Deniq; in uite ſobolem radicibus hærentẽ uocant ſuffraginem ruſtici, quæ explantanda diligenter eſt, ferroq; alleuãda.

Canthari etymon unde dicatur. Item notiones plures. Scarabeorũ ſpecies.
Chryſomelolonthion quid. Plinij locus declaratur, item Auſonij. Onides.
Copriones. Cantharorum item ſpecies ex Horo. Canathra quid. Pullaria.
Pullus.

Cap. V

Antharum dici à Romanis ſcarabeum, ex paulo politioribus neminem fere arbitror latere. Vnde uero ſic dicatur, ſint fortaſſe qui ſcire expetant. Igitur, ne quid eorum deſideria remorer, ex animalis generatione factam animaduerto nomenclaturam. canthona Græci aſinum uocant, id eſt κάνθωνα: oron autem ſemẽ, & quidem ſcarabei proprie. Sic uero progigni animal produnt: ubi cantharus aſini retrimenta, quæ onidas nuncupant, & orbiculari fere uiſuntur figura, offenderit, inſiſtit, ac pedibus prouoluens interim genitalem urinã effundit, unde enaſcitur uermiculus, qui mox ſit cantharus. Sed operæpretiũ ſtudioſis futurum arbitror, ſi ad id ſpectantia Ariſtotelis uerba ſubiecero, ſimul ut eius inſecti ſpecies aliquot obiter noſcitentur: Αἱ δὲ μηλολόνθαι, inquit, ἐκ τῶν σκωλήκων τῶν ἐν τοῖς βολίτοις, καὶ τῶν ὀνίδων. οἱ δὲ κάνθαροι ἂν κυλίουσι κόπρον, ἐν ταύτῃ φωλεύουσι τὸν χειμῶνα, καὶ ἐντίκτουσι σκώληκας, ἐξ ὧν γίνονται κάνθαροι. id eſt, melolonthæ, ſiue ſcarabei uirides, qui & gallerucæ item uocantur, oriuntur ex uermibus fimo bouis, aut iumẽti creatis. Canthari autem, id eſt pilularij ſcarabei, iuxta Theodori tralationẽ, in fimo quem uoluunt, condunt per hyemem, paruoſq; uermiculos pariunt, ex quibus ipſi procreantur. Proinde copriones dicuntur Hippocrati. Idem philoſophus paulo ante carabos nominauit, quos

Latine

Latine ſcarabeos tauros dicere licet. Chryſomelolonthiõ reperies in Ariſtophanis comœdia, cui titulus ſpheces. Quod, inquit interpres, paruulum eſt animal, flaui coloris, canthari præferens ſimilitudinem quandam. Id pueri innexo pede mittunt in ſublime. Scarabeorum genus grande, cornibus prælongis, biſulcis, quę ſunt dentata forcipibus in cacumine, quum libuit, ad morſum coeuntibus, Lucanum uocat Nigidius. Fullonẽ appellant aliqui ſcarabeum, albis guttis diſtinctum. Illud ſciendum, à pilularum illa uolutatione, quam eſſe cantharis familiarem præmonuimus, inoleuiſſe adagium Græcis in eos, qui caſtigati ſæpius, nihil proficiunt, ſed quod pertinaciter ſemel arripuerunt, pertinacius fouent, ac tanquam coccyges, ſui ſemper ſimiles eandem recinunt cantilenam: Cantharus pilulam. Quod enim eſt animali ingenium, nulla prorſus arte uiceris. Sunt præterea Canthari nauigia quædam: nam & in comœdia Græca ita legimus, ναξιουργὴς κάνθαρος. id eſt, in Naxo confabricatus cantharus. Quippe de inſularum nominibus ſæpe nauibus impoſita reperias nomina. Etenim λιβολουργεῖς quandoq; dicuntur naues, quia in Cnido compingerentur. Cercyronq; à Cercyra, quæ Corcyra eſt, uocarunt. Parona item, id eſt πάρωνα, à Paro: unde forte obtinuit, ut nauium gubernatores paſſim ita dicantur. Fuit & in Attica portus Canthari nomine celebris. Eadem cernetur nomẽclatura ex Athenæi calculo pocillum, atq; item accommodum mulieribus ornamẽtum. Apud Iureconſultum Iulianum, libro digeſtorum trigeſimo, canthari dicuntur, per quos aquæ ſaliunt. unde arbitror inoleuiſſe Mediolani, ut cloacæ euehendis aquis ac ſordibus dicantur cantharanæ: nam & cantharia legimus forma deminuta. Cæterum occurrit mihi parte iſta Plinij nodus haud illotis (quod dicitur) tranſiliendus pedibus. Illi propterea lucem inferemus, ut hoc item nomine plenius bonarum literarum candidatos demerear, ſiquidem homo homini deus, ut uerſiculo Græco comprobatum uideo. Plinij uerba ſunt hæc ex libro octauo: Bos, inquit, in AEgypto numinis uice colitur, Apin uocant, inſigne ei in dextro latere candicans macula cornibus lunæ creſcere incipientis, nodus ſub lingua quem cantharum appellant. Quæritur amplius inter eruditos, quid ſit quod ait, Nodus quem cantharũ appellant. Sed enim obſcuritatem tollit Porphyrius ille doctiſsimus: & quia de nodo agitur, præclare enodat quod pleroſq; ſcio hactenus latuiſſe, bonumq;, ſi non & ſupra ſynodi Ariminenſis multitudinem. Igitur in libro qui eſt De abſtinentia carnium: Scarabeum, inquit, animal rerum diuinarum indocti abominantur, quod AEgyptij ſummopere uenerantur, animatam Solis effigiem putantes. Lunæ præterea taurũ dedicarunt, quem Apin nũcupant, nigrum præ cæteris, & ſigna ſolis atq; lunæ habentem. Mutuatur enim ex ſole luna lumen. Solis ſymbolum eſt coloris nigredo: nam & ſolis ardor, nigriora reddit humana corpora: & qui ſub lingua eſt, ſcarabeus. Lunę uero coloris diuiſio. Adijcit in libro De Iſide Plutarchus, quod neutiquam prætereũdum fuit. ita cantharos pilulam excrementitiam ſenſim in aduerſum protrudere, ſicuti contrarium mundo ſol curſum agat, dum ab occaſu in exortum fertur. Et quia ſcribit ibidem Plutarchus, Cantharos omnes eſſe mares, quod approbat & Porphyrius atq; Horus, & Græci item alij, apud quos ita lectitamus, κάνθαρος θῆλυς οὐ γίνεται, ἀλλὰ πάντες ἄρσενες γεννῶνται: id eſt, cantharus fœmina non fit, ſed mares omnes gignuntur: hinc ſuccurrit, ut prius quàm hæc nobis decedat cura, uel intercalata forte diſpereat, Auſonium opera noſtra iuuemus, nubilo difficultatis excuſſo, quo multos poetæ illius ſtudioſos interpellari nõ ambigo. Eſt epigramma ſcitiſsimum in Marcum quẽdam emaſculatorem: quærit lepidiſsimus poeta ex Pythagora, cuius placita ſunt, tranſire animam in diuerſa corpora, quem putet futurum ab ultimo fati die Marcum pullariam, qui erat, ut ipſe ait,

Peruerſæ Veneris poſtico uulnere foſſor
Lucilli uatis ſubulo, pullo, premor. Reſpondet Pythagoras,
Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
Non caper aut aries, ſed ſcarabeus erit.

Hoc eſt, qui fœmininum perpetuo execratus eſt congreſſum, & pueriles tantum amores eſt cõſectatus, nõ emigrabit moriens in animalia, quibus uterq; ineſt ſexus: immo ſcarabeus fiet, in quo genere non uiſitur fœmina. Qua ex cauſa etiam pullaria ſcienter à poeta dictus eſt, ſiquidem puer qui obſcœne ab aliquo amaretur, eius à quo amabatur

tur, pullus uocabatur, quod Festus scribit: unde Q. Fabius, cui Eburno cognomẽ erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta foret, pullus Iouis appellatus est. Erãt & uiginti uiri cognomento pullarij, qui auspicia coloniarum deductarum causa haberent. Sed horum alia ratio est. Illud postremo adnotandum, uice prouerbij à Plutarcho in Symposiacis esse pronunciatum, Ridiculos uideri, qui in cõuiuijs innoxias auersentur uoluptates, sicuti οἱ κάνθαροι τὰ μύρα. id est, cantharí unguenta. Canathra uero grypum imagines sunt, ac tragelaphorum ligneæ, quibus insidentes puellæ circũferebantur in spectaculis, ut Xenophõ indicat, & Plutarchus exponit. Dignũ relatu id quoq; ex eodem Plutarcho in libro περὶ τῆς εὐθυμίας. id est, De iucunditate. Illud, inquit, amplius tranquillitatem concutit: quod ueluti muscæ speculorum leuore dilabentes scabris inhærent, ac ulceribus in superficie corporum erumpentibus affiguntur: sic & plerique felicium iucundorum q; obliti ad tristia redeunt, & quę memoria uulnus refricent. Immo uero cantharos imitantur, qui apud Olynthum in regionem quampiã, ex re cantharolethron cognominatam, sese conijcientes, quum inde mox nequeant explicari, immoriuntur. Non transilienda parte hac, quæ prodit Horus, Cantharorum noscitari species tres: primam esse æluromorphon, id est felis forma: traditum uero marem ælurum cum solis incessu pupillam demutare, ut quæ solis exortu subintendatur, meridie rotundetur, occasuro hebescat sydere: quo argumento apud Heliopolim solis simulacrum effingi æluromorphon: alteram uero speciem esse λιπέραν καὶ ταυροειδῆ, quæ sacra lunæ censeatur: hinc & in tauro, lunæ fieri exaltationem tradunt. tertia porro μονόκερως est, ac ἰδιόμορφος: quam esse Mercurij produnt, sicuti auem ibin.

Quæ sit prouerbij ratio. Delphini uis in terra. Delphin instrumentum. Delphinis, delphax, delphaciũ. Adelphi fratres unde. Delphys. Hystera. Delphinius Apollo. Item de delphine plura. Plinius explicatur. Ventorum in utre occlusorum ratio. Delphinius mensis. Delphicum locus. Cap. VI

IAm Græcæ facundię auctor, ut uidetur, haud spernendus omnino, sicuti ex Plutarcho accepimus, eiusmodi adagium posuit, Δελφὶν ἐν χέρσῳ βίᾳ, Delphini in terra uis. Id in eos promptum uidetur, qui quod nesciunt, iudicant, & in quo minus ualeant, toto conatu petũt, nec se intra pelliculam cõtinẽt, supra crepidam aliquid ambitiosius affectantes. Delphinorum celeritas utiq; memorabilis est, adeo ut ocior uolucre, acrior telo credatur, & ut Aristoteles inquit, ἀπάντων δοκεῖ εἶναι ζώων τοῖ χυσοῦ, καὶ τῶν γυνδρων, & τῶν χερσαίων, καὶ ὑφαλλόντων πλοίων μεγάλων ἰσούς, hoc est, omnium uidetur animalium uelocissimus, non aquatilium modo, sed & terrestrium, supersiliunt etiam malos nauigiorũ maiorum. Cæterum tam stupendæ agilitatis animal, terræ tamen contactum non patitur, quin inuectum in harenam emoritur confestim. Propterea in Demosthenis uita Plutarchus apud Græcos: nam Latina prorsum ἀκέφαλος est. Delphinis, inquit, uim ignorans Cæcilius, in omnibus nimius, iuueníli calore Demosthenis, & M. Tullij collationem ædere adortus est. Quod si unicuiq; obuium foret τὸ, γνῶθι σαυτόν, haud forte diuinum uideretur præceptum. In Epistolis tamen Plinius, colluforem delphinũ in terram extrahi solitum scribit, harenisq; siccatũ, ubi incaluisset, in mare dilabi rursum. Verum de delphine mox pluscula: interim quæ se ingerunt, appingemus, ne dilata mox excidant. Delphis itaq; siue delphin, ut docuit Aristophanis interpres, instrumentum est nauticum, tum plumbeum, tum ferreum, quod in bello nauali pendens ex antemna: ubi se ostendisset occasio, in hostiles naues demittebatur, deprimendi causa. Erat autem animalis figura compactum, unde & nomẽ. Thucydides libro septimo, nauem delphinophoron uocat ex qua propenderet delphin eiusmodi. meminit & Pherecrates. Iulius Pollux delphina pro parte nauis accipere uidetur, quum ait: Carinæ affixum dicitur phalcis, siue Lesbium, aut clitopodiũ: cuius postrema pars ad proram uergens, parembolis, sub qua embolum, quo nomine quidam rostrum intelligunt. Mediũ uero inter proembolida & embolum stira, id est carina. Super embolum stat, inquit, delphis, quando nauis fuerit delphinophoros. nisi quis Pollucem quoq; de instrumẽto sensisse uideri malit. Nostris tamen temporibus celocium artius surrectum rostrum recuruũ, uulgus nauticum delphina appellat. Delphinida, poculorum mensam uocat in Lexiphane Lucianus his

uerbis

uerbis: ποτήρια δὲ ἐκεῖτο παντοῖα ὧν τῆς δελφινίδος τραπέζης. id est, pocula uero omni moda iacebant in mensa delphinide. Hanc Porphyrio Latine delphicam uocauit, quũ in Sermonibus Horatius:

Et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet. Iuuenalis item significauit:

Et recubans sub eodem marmore Chiron.

De quo tamẽ loco quid sentiremus, alibi expositum est. Delphax uero est porculus lactens, ut ostendit Epicharmus, Δέλφακα τοῖς ἐλευσινίοις φύλαξε. ducto uocabulo ab delphys, quæ uox apud Pollucem uulua est: unde & adelphi, inquit, dicuntur fratres, qui ex uulua prodierint eadem, quæ etiam hystera dicitur. Sed proprie ex hoc delphax fœmellam signat, ueluti quæ delphyn habeat, id est uuluam. Delphacium sunt, qui uulgo temporalem dictum suem intelligant. Delphiniũ Athenis, inquit idem Pollux libro octauo, dicasterium erat, id est statio iuri dicendo, ab AEgeo cõstructum. Iudicium in eo primum Thesei factum est, dum interfectos quidem à se latrones fateretur, sed iure diceret interfectos. Septa, id est periphracta, in delphinio ab Plutarcho itẽ nominantur, ubi creditur habitasse AEgeus: nam & Mercurium in templi parte, qua in Oriẽtem uergit, uocant in AEgei portis. Appellatio inde uidetur fluxisse, quia Apollo ibi coleretur cognomento Delphinius: cuius idem meminit Plutarchus, Marathoniũ taurum illi à Theseo immolatũ prodens, qui Tetrapolim infestaret. Sic uero Apollo dicitur, quoniam Castalio Cretensi coloniam deducenti se obtulit ducem, delphini præferens imaginem, qui & nauem præcesserit usq; ad Crissæum Phocidis sinum: unde & Delphi quoq; dicti, qui locum tenuere ab illo munitum: uel quod draconem delphina peremerit in Pythone. Colebatur Delphinia item Diana, ut in thesauris Iulij Pollucis obseruauimus. Extat Plutarchi commentariolus, in quo quæritur, Terrestria prudentiæ amplius sibi uendicent, an aquatica. Ibi Delphiniũ cognomentum Apollinis non inde profluxisse scribit, quòd is in delphina deformatus classi ducẽ se præstitisset: sed quòd delphinem emiserit, quem consequuti Cretenses Cirrham sint delati. Fuit apud AEginetas Delphinius mensis Apollini sacer Delphinio: sed quem illi οἰλαιὼν dicunt, ac Δῶ ματίτην, atq; ipso hoc mense rem eidem obeunt diuinam. Sunt qui & agona, quem hydrophoriam nuncupant, Apollini celebratum uelint. Delphicum uero, uti scribit Procopius, erat locus in palatinis ædibus, in quo uersari ac cibum capere consuessent principes: quod ex Græcę linguæ usu factum arbitratur: Nam & ibi, inquit, stabat tripus, super quo ab regijs pincernis astituuntur pocula: & Latini mensam eiusmodi, delphicam item nũcupant: uti antea memorauimus. Porro Vlissem in clypeo, delphinis prætulisse insigne, auctor Stesichorus est. Zacynthij, ut Cirtheus prodit, ratione protulere huiusmodi: quod illapsum in mare Telemachum subiens delphin incolumem præstiterit. Quo beneficio pater, uelut remunerans, id in clypeo habuerit insigne, & signatorio quoq; insculpserit annulo. Quod autem Vlissi ab AEolo utre occlusos traditos esse uentos, fabulæ Homero produnt auctore: aduertendum sane, quod qui ἀρχαιουργικὰ literis mandarunt, haud omisere, Si quis ex delphine utrem sibi quæsierit, secumq; habeat, flaturum quem is optarit uẽtum. Delphino præterea, produnt naturę periti, adeo motum esse familiarẽ genuinumq;, ut standi interquiescendiq; nescius eũdem uitæ sortiatur finem, quem & agitationis. Sicubi uero somno sit opus, euolat in summũ, moxq; resupinus sensim ad ima deferri se patitur. Ad terræ autem contactum uelut expergefactus resilit denuo stridens, rursumq; ratione eandem init: quietem sibi hoc modo permixtam motioni machinatus. Delphinisque cum Aristoteles paruũ uocat delphina: sicut Cicero Diuinationum primo, panisque paruum pana, & satyrisque paruũ satyrum. nam canonica est Græcis diminutionũ formula istiusmodi. Exciderat pene, quod minime fuerat silentio inuoluendum. Scribit diuus Thomas, Delphinum esse futuræ tempestatis prognosticum euidens, ubi in maris superficiem frequentius se uibret, & quodammodo colludat: siquidem hyemali procella ingruente, ab imo maris consurgunt exhalationes, quæ hyemi fomenta suggerunt: tuncq; calor excitatur in delphinis: quoniam uero calidi propria est agitatio, inde contingit id animal crebrius erũpere, ac sese ostentare. Ex quo illud est in Historia naturali, Delphini tranquillo mari lasciuientes flatum, ex qua ueniunt parte præsagiunt, item spargentes aquam, item turbantes tranquillita-

quillitatem. Delphinũ muſicum ideo ſignum dici, Arati interpres ſcribit, quia nouem ſit ſtellis inſignitus, qui eſt Muſarũ numerus: ſed ſtellas tamen in eo decẽ recenſent alij.

Ludorũ origo. Spectacula an noxia moribus. Miſſus in ludis quid. Icrium. Circenſium inuentor. Cap. VII

LVdos ſcenicos uoluptatis ergò, & ad erugandam matutinam, ac ſtriatam frontem compertos eſſe primum, ſcribunt plericꝙ. Et Polybius auctor eſt, Arcadas, quod erant uita auſteri & duri, quo ciuium animos mitigarent, ludos excogitaſſe: quos poſtea qui dimiſerint, ita animis obduruiſſe, ut tota Græcia execrabiles haberentur. Noſtri ferè in ijs religionem intelligere maluerunt. Nam & Auguſtinus: Ludi, inquit, ſcenici, ſpectacula turpitudinum & licentia uanitatum, non hominum uitijs, ſed deorum iuſſis inſtituta Romæ ſunt. Et apertius alibi: Ingraueſcente peſtilentia, ludi ſcenici auctoritate pontificum Romæ primitus inſtituti. Megaleſia fuiſſe primos ludos ſcenicos, Valerius Antias auctor eſt apud Liuium, Matris magnæ dedicata æde. Cæterum quacunꝙ ex cauſa fuerint producti primo, nil eſſe pernicioſius morum integritati, putat Seneca. Quippe turba omnis utiꝙ animo grauis, & noxia. Nec enim quos extuliſti, mores unquam refers: nemo non rubiginis aliquid aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Itaꝙ nil omnino damnoſius, quàm ſpectaculis aſſidere, quãdo per uoluptatem facilius ac procliuius obrepunt uitia. Quid me, inquit, exiſtimas dicere? auarior redeo, ambitioſior, luxurioſior, immo uerò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Et quodam loco M. Cicero ludos ſpectare, hypoſolœcum putat. Cæterum eſt Plutarchi cõmentariolus, quo edocemur, quo quis pacto animaduertat, ſe in uirtute proficere. Inibi poſt multa haud præclara parum, affertur hoc quoꝙ: Qui, inquit, iam magno profectu ſunt, non ex orationibus modo & libris utilitatem aucupantur: uerum ex ſpectaculis quoꝙ, & (ut ſemel dicam) ex omnibus. Quod ab Aeſchylo factum legimus, & pleriſꝙ alijs: ſiquidem quum apud Iſthmũ pyctarum, id eſt pugilum certamen ſpectaret Aeſchylus, cognouit ex duobus cõcertantibus alteri uehemẽti impacta plaga, ab uniuerſo theatro maximũ ædi clamorem: quum tamẽ percuſſus nil admodum quereretur. Id admiratus lonem Chium, qui fortè aſtabat, leniter tangens, Aduertis (inquit) quàm efficax meditatio ſit, & conſuetudo? Plagis affectus nõ clamat, clamant ſpectantes. Illud hic opera ſubnotarim parerga: In ſpectaculis quãdoꝙ Miſſus nominari. Cõfici miſſum unum intellige, ubi à calce ad calcem procurrentes equi rurſum ab meta circunflexa calcem repetebant. Sic uerò dicitur, unde emittuntur equi. Hinc Maro:

Hic uiridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit ſignum nautis pater, unde reuerti
Scirent, & longos ubi circunflectere curſus.

Erant ſanè miſſus quatuor & uiginti, pro horarum numero. Quando cæleſti ratione circum diſtingui ſolitum, accepimus. Etenim duodecim uiſebantur hoſtia, pro numero domiciliorũ cæli, ſicuti planetarum imagine metæ ſeptem. Certantium claſſes quatuor fuere, ſuis diſtinctæ coloribus. Nam praſinus, ſeu uirens herbidam uerni temporis indicabat lætitiam: roſeus, æſtiuam flagrãtiam: albus, palleſcentem autumnum: fuſcus, hyemis nubiloſam triſtitiam. Circenſium inuentorem produnt Monagum apud Aſiæ Helidem. Icria inuenio dici foros, unde ſpectantur ludi: quanquam & nauium cataſtromata ſic dicantur quoꝙ, quin & gubernantis ſedes. Ex Hegeſandro ſcribit Athenæus, Demetriũ ab Phalereo oriundum, ſed luxu celebrem, Ariſtagoræ in Panathenæis meretriculæ icrium excitaſſe apud Hermas, illis ſurrectius.

De ſcena, & ſcenophegijs, ſcenographia, ichnographia, orthographia, megalographia, & ſcenicis locis. Syſcenia quid, & ſyſceni, ac ſcenopœi. Quid thymele, & qui thymelici. Declaratur Plautus & Vitruuius. Qui actores primarum, aut ſecundarum partium. Hiſtrionum iura. Cuneus. Perſonati. Machinæ ſcenicæ. Martialis locus illuſtratur. Gerra. De proſcenio & ſtropha, antiſtropho, epirrhemate, paregoremate. Charoniæ ſcalæ. Pilarij, & uentilatores. Plinius & Martialis amplius declarantur. Epodos, antiſtropha, ſtrophalis. Cap. VIII

Scenam ſcribit Caſſiodorus, eam dici theatri portionem, quæ inter duo protendatur cornua: quãquam prius nõ ferè aliud ſcena erat, quam uelut i tentorium ab ruſticis inumbrationis cauſa excitari ſolitũ: ſicuti in nauis puppi ſcena eſt Trierarcho ſtructa, & in Hebræorum ritu ſcenophegia celebrantur, ducta origine ab Moſe, à quo de Aegyptiorum ſeruitute liberati ſub tabernaculis id genus in ſolitudine agebant. Græci tamen ſcenopegia ſcribũt, ratione etymologica id monſtrante. Ioſephus Iudaici belli libro ſecundo, propter Scenophegiorum feſtos dies populum aſcendiſſe Hieroſolymam, auctor eſt. Scenographia in architecturæ ratione eſt frontis, & laterum abſcedentium adumbratio, ad circiniq; centrum omnium linearum reſponſus: ſicut ichnographiam uocant circini, regulæq; uſum: unde, inquit Vitruuius, capiuntur formarum in ſolis arearum deſcriptiones. Dicitur ichnographia prædiorum, ubi imaginaria loci repræſentatio iudicibus exhibetur, in rem præſentem ut ſic perducantur. Nam orthographia eſt erecta imago frontis, modiceq; picta rationibus operis futuri figura. Megalographia uerò pictura eſt, ſimulacra deorum continens, ſeu fabularũ expoſitas explicationes, aut Troianas pugnas, cuiuſmodi apud poetam nobilem admiratur Troianus princeps. Apud Xenophontem in cõmentario De Lacedæmoniorum republica, Syſcenia, id eſt συσκήνια, dicuntur cõtubernia in publico conuiuantium Spartæ. Qui & οἰκοι σκηνεῖν, pro eo poſuit, quod eſt domi conuiuia celebrare. Quin & συσκήνους, pro comeſſatoribus, conuiuiſq;. Scenopœi, id eſt σκηνοποιοί, in Actibus Apoſtolorum eſſe uidentur, qui aulæa contexunt. Interpres artem reddidit ſcenefactoriam, tum obſcurè, tum inepte. Scenarum genera tria reperio, tragicum, comicum, ſatyricum. Tragica ſcena cõformatur columnis & faſtigijs, ſignisq;, ac regalibus inſtruitur rebus. Comica priuatorum ædificiorum ſpeciem habet, & menianorum. Satyrica ornatur arboribus, ſpeluncis, montibus, rebus agreſtibus alijs, in topiarij operis ſpeciem. Scena, hiſtrionum erat propria: ut inquit Pollux. Orcheſtra autem chori, in qua erat thymele, ſiue pulpitum id eſſet, ſiue ara. Hinc Vitruuius libro quinto: Ampliorem habent orcheſtram Græci, & ſcenam receſſiorem, minoreq; latitudine pulpitum, quod logeum appellant. Ideoq; apud eos tragici & comici actores in ſcena peragunt: reliqui autem artifices ſuas per orcheſtram præſtant actiones. Itaq; ex eo ſcenici, & thymelici Græcè ſeparatim nominantur. Et in Sympoſiacis Plutarchus, Alia quidem ad thymelem & orcheſtram reiecimus. Hoc libẽtius appoſui, quia in obſeruationibus ſuis uir doctiſſimus non ſatis uidetur tenuiſſe, qui dicerentur thymelici, quorum mentio eſt Iureconſultis quoq; Digeſtis de his qui notantur infamia, etiam ſi maximè uitiatis codicibus. Sed & in canonicis Decretis relatam uocem commeminimus. Et thymelica nuncupantur apud Phurnutum acroamata, quæ Baccho adhiberi conſueuerant: ὅσα πρὸς τὰς θαλίας αὐτῷ οἰκειότητα. Illud uerò metaphora honeſtiore ab Plutarcho in Galba eſt pronuntiatum. Vel quam, inquit, thymelem uererentur, aut imperatoris tragœdiam. Hinc item Plautinæ obſcuritati in Amphitryonis Prologo lux affertur plurima:

Siue ambiſſent qui palmam hiſtrionibus,
Siue cuiquam artifici.

Porrò & in uetere Græcorum auctore ad uerbum ita legimus: Gymnica certamina parent Elei, thymelica Corinthij, ſcenica demum Athenienſes. Quòd ſi quis horum ſubſultarit, peccarit'ue, plagis eum afficiant Lacedæmonij. Hoc uerò obiter dictum feſtiuius eſt ob diamaſtigoſin, id eſt diſſlagellationem, Spartanis in ſolennibus etiam feſtis celebrem, heortaſticen Græci dicunt. Sed enim quia cœpimus, Latinæ linguæ delicias pro uirili iuuemus parte. Idem Plautus ſic paulo pòſt ſcriptum reliquit:

Vt conquiſitores fierent hiſtrionibus,
Qui ſibi mandaſſent, delegati ut plauderent,
Qui ue, quo placeret alter, feciſſent minus.

In nodi huius Gordiano impeditioris explicatione hærebunt fortè Plautinorum ſalium ſtudioſi plerique. Ego autem amota ueſica omni, pauciſſimis Ciceronis uerbis nubilum hoc Plautinæ fabulæ facilitate tota illuſtrabo. Sic enim in Verrẽ ſcribit Actione prima, ſiue diuinatio dici illa debet: Vt in actoribus, inquit, Græcis fieri uidemus, ſæpe

ſæpe illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, quum poſſit aliquãto clarius dicere, quàm ipſe primarum, multum ſummittere, ut ille princeps quàm maximè excellat: ſic faciet Halienus, tibi ſeruiet, tibi lenocinabitur, minus aliquãto contendet, quàm poteſt. Perſona uerò primarum partium, ut ne hoc quidem tacitum præteream, intelligitur, quæ ſæpius actu ingreditur, quum habeat comœdia actus quinq; ſecundarum uerò quæ minus, minusq; procedit. Ex quo & Terentius:

Primas partes qui aget, is erit Phormio.

Plautinum porrò ſenſum adiuuat item Horatius in epiſtola ad Lollium:

Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro
Reddere, uel partes mimum tractare ſecundas.

Qua in parte Porphyrio inquit, Secũdarum partium actores omnia ſummiſſe agunt. Scribit Tacitus annali primo, Actum de modo lucaris, id eſt pretij, & aduerſus fautorum laſciuiam multa fuiſſe decreta: ex quis maximè inſignia, ne domos pantomimorũ ſenator introiret, ne egredientes in publicũ equites Romani cingerent, aut alibi quàm in theatro ſpectarentur. Et ſpectantium immodeſtiam exilio mulctandi poteſtas prætoribus fieret. Obſeruatum illud quoq; Immunes uerberum hiſtriones, Auguſtũ quãdoq; reſpondiſſe. Proinde dictas nonnunquam ſententias, ut prætoribus ius uirgarum in hiſtriones eſſet. Hiſtrioniam nõ eſſe pudori in Græcia, ſcribit Liuius. Arenarios appellat in Antonino philoſopho Iulius Capitolinus: beſtiarios, in amphitheatri arena cum beſtijs ſolitos colluctari: quos æquè ac ſcenicos idem infames ſignificat. Quia uerò cunei loca dicebantur, in quibus notæ uilioris homines ſederent, hinc ſcitè admodum nullis auctos honoribus, ac intra priuatum ſe menſum cõtinentes ſignaturi, inter cuneos reſidere dictitamus. Illud amplius obſeruandum: Atellanos dici priuatim perſonatos: quoniam id eſſet illis ius, ne in ſcena perſonam deponere cogerẽtur: quod hiſtrionibus alijs pati neceſſe erat. Hinc quæ ab ijs agebantur fabulæ, peculiari appellatione nuncupabantur perſonatæ. Sed ut ad ſcenã reuertamur, illud ſciendum: Loca in ſcena ad ornatum comparata Vitruuium ſcribere, à Græcis periactus appellari, ab eo quod in his locis machinæ eſſent uerſatiles, quæ quum aut mutationes fabularum ſunt futuræ, ſeu deorum aduentus, cum tonitruis repentinis uerſentur, mutentq; ſpecies ornationis in frontes: ſicuti apud Plautum,

Sed quid hoc? Quàm ualidè tonuit? Di obſecro uoſtram fidem.

Verbum autem id periactus, accuſandi caſus eſt multitudinis numero, hoc eſt περιακτους, à uerbo περιαγειν, quod circunductionem ſignat. Vtitur eo uocabulo Plutarchus in libro quo ſcrutatur, bellicis rebus illuſtriores fuerint Athenienſes, an ſapiẽtia: ſed pro ipſis accipere machinis uidetur: ita enim ſcribit, καὶ μηχανὰς ἀπὸ σκηνῆς περιακτους: id eſt, & machinas à ſcena periactus. Sed & Græci ita produnt, Ceraunoſcopion periactos eſt alta. Apud Athenæum ſellas periactos obſeruauimus: bronteum uerò machina ſub ſcena, hoc eſt amphora calculis marinis plena, qui in æneum deijciebantur uas, ac circumacti ſonum efficiebãt tonitru perſimilem. Hinc & in noſtris literis Pompeius Feſtus ita ſcribit: Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher inſtituit, ut poſt ſcenam lapidum cõiectus ita fieret, ut uerorũ tonitruum ſimilitudinem imitarentur. Ceraunoſcopium, altior intelligitur machina inſtar ſpeculæ, ex qua fulminum iactus exhibebant. Crade autem in ſcena pægmatis erat ſpecies ad ficulneæ arboris imaginem, quam craden uocant Attici. In comica tantum ſcena producebatur crade. Nam tragica admittebat propriè dictam μηχανὴν, id eſt machinam, in qua monſtrabantur dij, aut heroes in aere, ut Bellerophontes & Perſei. A ruſticis comperi tamen, dici machinã locum, in quo aſinum equa cogitur admittere: nam parietes duo inædificantur aduerſo cliuulo, haud ita inuicem ſeiuncti, ne fœmina ineuntem marẽ reijciat, uel colluctando auertat, ſed capiſtrata inſcenſorẽ patiatur. Sunt qui craden interpretẽtur hamum illum æneum ſeu uinculum, quo uincti tenerentur, qui ita penderent. Cradas intelligere animaduertitur Theophraſtus in ficu ſummos in ramis coliculos teneritudine inſignes. Inducebantur uerò in tragœdijs dij, qui repente commutatis rebus, fabulæ finem imponerẽt. Propterea M. Tullius De natura deorum primo: Vt tragici poetæ quum explicare argumenti exitum non poteſtis, confugitis ad deum. Et Ariſto-

teles primo Metaphyſices: Anaxagoras, inquit, mẽte ſic utitur, ueluti tragico quodam deo, qui repente monſtrari ſolet. Parapægma uerò ad ſcenæ rationem pertinet nihil: eſt enim eo nomine canon, aut organi ſpecies aſtronomici, quod ſignificat Vitruuius, parapægmatum diſciplinas nuncupans, quibus ſyderum occaſus, & tempeſtatum compe riantur ſignificatus. Erat tamen & ſupra ſcenam quod dicebatur theologium in ſurrecto, in quo Iupiter, cæteriq; comparerent dij. Vbi uerò ex imo in altum rapiendus erat aliquis, ſicuti ab Aurora Memnon raptus memoratur, quod Quintus Calaber ſecundo Relictorum ab Homero ſignificat, machinam qua id præſtabatur, dictam inuenio geranon: de qua mihi uidetur intellexiſſe Martialis Epigrammatum primo:

Raptus abit media quod ad æthera taurus harena:
Non fuit hoc artis, ſed pietatis opus.

Eſt eo item nomine ligneum inſtrumentum, in quo qui dicuntur ἀλφιτοποιοί, farinas contundunt: ex quo & γεράνεια, nuncupari ἄλφιτα animaduertimus. In oratione pro Cteſiphonte Demoſthenes γέρρα σκηνῆς, quum dicit, ſcenæ intelligit integumenta. Nam ſunt quidem Gerra Perſarum ſcuta: ſed & operimentum quodlibet ſic nuncupatur: quin & teli genus Plutarcho in M. Antonij uita. Aeoras autem, id eſt ἀώρας, uocabant funes intentos uehementer, quibus ſuſtinerentur, qui per aerem ferri uidebantur, heroes aut dij. Eccyclema pægmatis erat ſpecies, ſubiectis rotis, quo circumacto quæ intus acta fuiſſent, ſpectatoribus oſtendebantur. Scanſoria uerò machina, quam uocant acrobaticam, eſt quum ita fuerit collocata, ut ad altitudinem tignis ſtatutis, & tranſuerſarijs colligatis, ſcandatur tutò ſpectandi cauſa. Buleuticum dicebant theatri partem ſenioribus aſſignatam: ſicuti Ephebicus dicitur, ubi ſpectant Ephebi. Hemicyclium quoq; ſecundum orcheſtrã locus erat, de figura ſic cognominatus. Eius erat uſus, ut locum aliquem à ciuitate ſeiunctum monſtraret, uel etiam in mari natantes. Quemadmodum & ſtropheum, in quo exhibebantur ad diuinitatem tralati heroes, uel etiam in bello aut mari perfuncti fato. Fuerunt & Charoniæ ſcalæ, ex quibus idola, ſeu ſimulacra deſtinabant. Charonia uerò porta ad theatricum uſum facit nihil. Erat ea in nomophylacio Athenis, per quam damnati ad ultimũ ducebantur ſupplicium. Charoneum item dicebatur. Celebrantur & Quintiliano Inſtitutionum decimo, miracula inſcenis pilariorum & uentilatorum: qui ea quæ emiſerant, ita librabant, ut uenire in manus uiderentur: quaq; iuberẽtur, decurrere. Ad quod planè reſpicit Martialis illud ex libro nono:

Summa licet uelox Agathine pericula ludas,
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.

Sed & hinc Plinio lux infertur plurima libro octauo in elephantorum natura: Vulgare, inquit, erat, per auras arma iacere, non auferentibus uentis. Amphitheatrum ſcribit Dion, ex hoc dici, quod per ambitum ſedilia diſponantur abſq; ſcena. Traditum ab eodem in Caligula eſt illud quoq;, Senatoribus tunc primum ſubiecta puluinaria, ne tabulis aſſiderent nudis. Conceſſum quoque in theatra pileos ferre Theſſalico more, defendendæ inſolationi, id eſt ἵνα μὴ τῇ ἡλίσει παλαιπορῶνται. Scenam nonnulli interpretantur medianam theatri portam. Paraſcenia uerò ab utroq; latere ſpatia. Nam proſcenium ante ſcenam locus erat, parapetaſmaq;, ſiue uelum aut item pulpitum. Vnde per adagium ſcitiſſimum proſcenia dicimus, quæ ſpecioſa extrinſecus uidentur, quum mira intus lateat fœditas: ſicut meretricula quædam, ut ſcribit Athenæus, Nãnium nomine, proſcenium eſt cognominata, quæ ueſtium & auri cultu plurimo ſpecioſa uidebatur, quum exuta foret uel turpiſſima, magno eorum errore, qui animi fœditatem intelligere maluerunt. Hæc item, ſi Sudæ credimus, facete dicta eſt Capra, quod Thalli cuiuſdam cauponam faciẽtis bona deglutiſſet, tanquam germina hœdis in paſtum obijci ſolita, quæ Thallos Græci uocãt. Meminit Apollodorus in tractatu De ſcortis: ſed & Antiphanes lucubratione eadem. Ex proſcenio in ſcenam euocabãtur Mimi ad fabulas agendas, uiciſſimq; è ſcena illuc reuertebãtur: unde actuum in Latinis comœdijs internoſcitur diſtinctio: ſicut in Græcis choro in orcheſtram demigrante. Epiſcenium autem dici uidetur rectè ſuperior ſcenæ pars. Vitruuius de ſcena apud Alabandenos ab Apaturio concinnata in minuſculo theatro, quod illi eccleſiaſterium uocant: Præterea, inquit, ſupra eam epiſcenium, in quo tholi, pronai, ſemifaſtigia, omniſq; tecti ua-

rius

rius picturis fuerat ornatus. Adijciamus porrò ex Græcorum grammaticis excerpta, quæ noſtra hæc adiuuent ſcitamenta, & coronidem capiti huic appingant. Igitur chorus, inquiunt, comicus in orcheſtrã inducebatur, quam nunc logion dicimus: & quum hypocritas, id eſt actores alloqueretur, ſcenã ſpectabat. Abeuntibus uerò hiſtrionibus, ad populum conuertebatur: & hæc uocabatur ſtropha. Erant autem iambica tetrametra: mox antiſtrophon accinentes, rurſum tetrametra adijciebant. Erant ut plurimum ſedecim carminum. Dicebantur uerò hæc epirrhemata, id eſt ὑπὲρ ῥήματα. Vniuerſalis autẽ chori trãſitus uocabatur parauaſis, quod ab legitima ſtatione in aduerſum theatri proſpectum trãſgreſſio fieret. Fiebat id, ubi quid differere cupiſſet poeta extra ſubiectum argumẽtum ſine actoribus per chorũ, quibus peractis, cõuertebatur is denuo ad priorem ſtationem. Paregoremata, id eſt παρηγορήματα nuncupabãtur, ubi quid intus ageret chorus, quod tamen in theatro exaudiretur: ſicuti ranarum chorus apud Ariſtophanem. Sed enim & in poemate lyrici carminis auctores uſos comperimus ſtropha, antiſtropha, & epodo: & ſtropha quidem, ubi à dextris in læuum fieret conuerſio, qui & mundi intelligitur motus ab exortiuis partibus ad occiduas: nam & Homerus δεξιὰ λαλεῖ τὰ ἀναβολικά. Antiſtropha uerò quum ab læuis in dextra obuerterentur, cuiuſmodi eſt errantium uertigo, ab occaſu in ortum: at epodo, ubi in uno conſiſtentes loco carmina concinerent. Quando & terrenæ naturæ congruit ſtatus. Strophalinx, uel ſtrophalis ad ſtropham pertinent nihil: nam ijs nominibus caſei orbem nuncupãt Græci. Scenicos denicp Alexander Cæſar ſic alendos dicebat, quaſi ſeruos noſtros. Hieronymus uiduæ cauendos monet calamiſtratos, & fractos in fœminã hiſtriones. Iam illud leuioris operæ, dici eleganter excuneatos, qui à ſedilibus excluſi, farto toto theatro, ſtare coguntur. Stadium pro theatro quandocp poſitum apud Græcos, ſcimus. Mimorum ſtrophas legimus apud Hieronymum, ſed oblique dicta eo uerbo intelligunt nonnulli.

Theoricæ pecuniæ quæ ſint, & ſtratioticæ. Error interpretis Plutarchi duplex. Stratis & craſte quid. Deliaſtę. Item qui theori, & quid theoris, De Salaminia & Paralo nauibus. Item quid achana, artaba. Qui colacretæ. Thearion. Theoricum locus. Plutarchi locus explicatur. Inibi quid palintocia. Lucar. Atocia. De mãduce. Interim & locus alius reſtituitur Plutarcho ex Alcibiade de Salaminia. Caput IX

VErum quia in res theatricas, & animorũ remiſſiones incidimus, adijciamus porrò quæ non inutilia comperta nobis ſunt, præſertim ex Græcorum doctrina locupletiſſima. Igitur theoricam pecuniã inuenimus appellari, qua foros nobis & ſedilia in ſpectaculis cõparamus, quia thea illorum idiomate dicatur ſpectaculum. Quod hypotheſi in Olynthiacas Demoſthenis orationes prima Libanius ſignificat, explicatur & in orationis eiuſdem enarratione, unde & illud excerpſimus: Moris fuiſſe Athenis, ut res publica duos elargiretur obolos, alterum pauperiores comparandis ſibi alimentis impẽdebant, alter theatri architecto erogabatur. Necp enim lapideo utebantur theatro ea tempeſtate. Propterea Demadem dicere ſolitum accepimus, Theoricam id genus pecuniam eſſe democratiæ gluten. & Laconem uirum (ſicuti uidetur) rerum haud quaquam imperitum, uehemẽter falli Athenienſes, qui ludis tantum impenderent ſtudij, & quæ in claſſis exercituumcp apparatum forent abſumẽda, in theatricas erogarent uoluptates. Hinc in rebus Græcis theoricorum ſæpe archon memoratur. Huc planè reſpexiſſe Plutarchus in Pericle animaduertitur, quum ait: Sunt qui putent plures, ab eo primũ ad cleruchias & theorica, id eſt ὡς λαμπρουχίας καὶ θεωρικά, eſſe Athenienſes productos. Id quod aſſequi interpres minus ualuit: ſic enim ſcribit, Auctorem fuiſſe Periclem ſpectatores emittendi. Pecunia hæc ex ciuitatis parabatur prouentibus. Quæ quod prius ad bellicos uſus contribueretur, ut inquit poſt alios etiam Harpocratio, ſtratiotica dicebatur. Propterea Plutarchus docte ac eleganter ait: Socrates cibos potuscp uitandos docet, qui nulla indigentia pelliciunt, laceſſuntcp: ſed & quæ ex ijs ſentitur iucũditas, ordinanda eſt, ac neceſſitati ſubijcienda: Sicuti, inquit, faciunt, qui ex theoricis ſtratioticas conflant pecunias. Stratides autem naues Thucydidi nuncupantur, quarum una eſt functio, uti pugnaturos

ſubuectent pedites. Verũ quia & equites, inde hippagogi eidem nuncupantur quoq; Plutarchi interpres in Pericle ſtratiotidas dici prætorias, eſt opinatus. Stratis uerò ad hunc uſum facit nihil: ſignatur autem eo uerbo ſemiſiccum fœnum, iumentis gratiſſimum. Id & craſtem uocant, unde profluxit κρασίζεσθαι uerbum. Theoricorum meminit in Philippicis Demoſthenes. Cæterum Pericles primus, uti attigimus, uidetur popularem aucupatus gratiam ex ſtratioticis theoricos conſtituiſſe ciuitatis prouẽtus, ne iure ſpectandi tenuiores priuarentur. Theori uerò, id eſt θεωροί, interdum quidem ſpectatores dicuntur: tametſi aliud ſentire Ammonius uidetur: ſed & qui ſcitatum oracula mitterentur, quod docuit Pollux, multiq; præterea ex Græcis. At qui Delum proficiſcebantur, etiam Deliaſtæ uocabantur, id eſt Δηλιασταί: quoniam eſt deorum patria Delos. Ammianus: Cyclades, inquit, ideo ſic appellatæ, quod omnes ambiunt Delon, patriam deorum inſignem. Sed uniuerſim quoq; qui diuinarum rerum curæ præficerentur, hoc intelligebantur nomine, quoniam ὥρην dicunt τὴν φροντίδα: ut apud Heſiodum, ὥρη γὰρ τ' ὀλίγη πέλεται νεικέων τε καὶ ἀγορέων τε.

Propterea qui ad publicos mitterẽtur conuentus, quos panagyres Græci uocant, quales quinto quoq; anno celebrari ſolitos libro ſexto Herodotus ſcribit, & qui ad ſacra certamina, ſic item appellantur. In Plutarchi parallelis θεωρίαν ἄγειν, id eſt theoriam ducere, diligens lector comperiet. Nauis autem qua ueherentur, Theoris dicebatur, id eſt θεωρίς, qualis ab Athenienſibus in Delum mittebatur quotannis ex Theſei uoto, ſicuti in Phædone Plato meminit. In quo id dignum ſcitu, eodem Platone teſte, tum urbem luſtrari ſolitam, & de nemine capitale ſumi conſueuiſſe ſupplicium. Apud Plutarchum in Demoſthene ſacerdotis uaticæ nomen eſt Theoris: quod interpres uel incuria præteriit, uel inſcitia. Scribunt Ariſtophanis interpretes, Athenis naues duas publico fuiſſe deſtinatas muneri, Paralum & Salaminiã, ex quibus Salaminia euocatos ad iudicium ſubueheret: Paralus uerò aueheret theorias, id eſt ad rem diuinam Delphos aut aliò miſſa. Sunt & Parali, homines qui naui ea ſubuectarent: ſicuti hiſtoria octaua comprobat auctor Thucydides. Verum & terra maritima rectè dicitur Paralus. Salaminiæ meminit Plutarchus, καὶ τέλος, inquit, ἀπέσταλε τὴν σαλαμινίαν πρὸς αὐτόν, id eſt, & denique ad eum ſalaminiam miſit. Interpres uocabuli inſcitia: Quoſdam, inquit, populus elegit, qui una trireme Salaminiam primò, inde Siciliam peterẽt. Triremem quandam Hermionida uocat Thucydides ab Hermione in Laconia ciuitate. Dignum ſcitu quod lectum de Pericle eſt, rarenter ab eo populum adiri ſolitum: quod ucluti Salaminia ſe (ut Critolaus inquit) ad maiora ſeruaret. Vas autem in quo reconderentur eorum cibaria, qui ad theorias mitterentur, achana uocabatur: quamuis non deſint, qui eo nomine Perſicam intelligant menſuram. Sicuti apud Aegyptios erat artaba, quæ caperet medimnos Atticos μ ε, id eſt quadraginta quinq;, ſicuti teſtis Ariſtoteles eſt. Artabam tamen libro primo Herodotus menſuram intelligit Perſicam, capaciorem Attico medimno tribus chœnicibus Atticis. Achanas inuenies in Plutarchi Arato. Inuenio item colacretas dici, qui pecuniæ præeſſent, quæ ad res diuinas erogaretur: nam & Androtion ſcribit, Delphos petentibus theoris argentum à Colacretis numerari ſolitum. Cuſtodiebant & hi pecuniã, quæ iudicibus contribueretur, ut adnotatum à grammatico Ariſtophane eſt: ſed omnino & ciuilium pecuniarum quæſtores erant. Poſtremò theoricam uiam nominat Pollux: qua theori (ut arbitror) ad oracului pergerent Apollineum. Thearion comperi in Aegina fuiſſe publicè deſtinatum locum, ubi celebrarentur ſympoſia, de Theororum nomine nũcupatum, ad Apollinem qui mitterentur. Quanquã in Pythij templo in Aegina thearion accipiunt alij, ubi uerſarentur theori theophylaces, id eſt diuinorum gerẽtes curam. Thoricum in Attica locum Acamantidis tribus celebrat primo rerum Græcarum Xenophon, muro ab Athenienſibus circum munitum prodens. Theoros denique etiam theopropos in Cimone Plutarchus uidetur appellare. Ex ijs quæ de theoris protulimus, puto, explicatur amplius Plutarchi obſcuritas in cauſis, ultima libri parte, ubi Peloponnenſium theoriam in Delphos per agrum Megaricum profectam ſcribit, interpres Latinè reddidit, ſolennes ſpectatores: errore, ni fallor, non deſpicabili. Sicut omiſſum eſt ibi quoq; uerbum, quod Græcè eſt παλιντοκίαι. Sed hoc fortè ex librarijs prorepſit mendum. Obiter uerò eſt palintocia, fœneris

fœnoris iam perſoluti à creditoribus repetitio. Quod feciſſe Megarenſes conſtat, qui tyranno excuſſo inſoleſcentes, plebiſcito cauerunt, ut à fœneratoribus uſuræ, quas per ſoluiſſent prius, repeterentur. Quæ res ex facto dicta palintocia eſt. Atocia in Dioſcoride, ubi de cedria mentio eſt, libro primo, intelliguntur ab Hermolao, quæ abortum concinnant: quod approbat & Ruellius. Id reprehendunt quidam, quod Græcis atocia ſint, quæ ſterilitatem inducunt. Cæterum ex Plinio comprobari prior tralatio uidetur: ſic enim apud eum legitur libro uigeſimoquarto, capite quinto. Portentũ eſt, quod tradunt, abortiuum fieri in Venere, ante perfuſa uirilitate. Apud Romanos quæ in ſpectaculis abſumeretur pecunia, lucar dicebatur, quoniam lucorum prouentus, qui plures circa urbem dicati diis erant, in ludos erogarentur. Scribit Pompeius Feſtus, manducem dictam olim fuiſſe in pompa antiquorum effigiem, inter cæteras ridiculas formidoloſasq; ferri ſolitam, magnis malis, ac latè dehiſcẽtem, & dentibus meticuloſe infrementem: de qua dixerit Plautus,

Quid ſi ad ludos me pro manduce locem,
Quapropter clarè crepito dentibus.

Quam & Iuuenalis ſignificaſſe uidetur illis uerſibus,

Tandemq; redit ad pulpita notum
Exodium, quum perſonæ pallentis hiatum,
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Engaſtrimythi qui ſint, & pythones, aut engaſtritæ, & engaſtromantes, extra quàm opinatus Hermoleos ſit. Iacobæ Rhodiginæ hiſtoria. Emaculatur locus in canonicis Decretis. Caput X

DLutarchus in cõmentatione quæ eſt, Cur oracula defecerint: Fatuum, inquit, ac omnino puerile cenſendum eſt, arbitrari deum ipſum, perinde ac engaſtrimythos, olim eurycleas, nũc uero pythonas nũcupatos, inſinuantẽ ſe prophetarũ corporibus, ore illorũ eloqui. Hactenus Plutarchus. Qui uero dicant engaſtrimythi, nõ cõſtat ferè. Hermoleos Barbarus, qui ex Plinio balbutientẽ pro uirili deterſit barbariẽ, ſe arbitrari ſcribit, eos qui in uaticinio pelui bus utant, dici à Græcis engaſtromantes: quæ uox ab engaſtrimytho non ita diſparat, quoniam (inquit) gaſter genus eſt uaſis, cuius formam alij aliter accipiant: quod tamen etiamnum nomẽ uulgò ſeruet: & gaſterium ita dicatur Ariſtophani. apud cuius interpretem ita lego in comœdia, cui titulus Σφῆκες: Eurycles, inquit, engaſtrimythos celebre nomen Athenis indeptus eſt, ut qui per aſſiſtentem dæmonem uera prorſum uaticinaretur, proinde engaſtritæ ac euryclitæ diuinaculi omnes ab hoc appellati Eurycle, qui id primum fecit. Cur uero engaſtrimythi uocentur, aperit liquidò poeta ipſe, quum ait:

Μιμησάμενον τὸν εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας φωνὰς, λωμωδιλικὰ πολλὰ χέαντα.

Imitatus, inquit, Euryclis uaticinium & mentem, in alienos ingreſſus uentres comica multa effudit. In iis de uaſe, ni fallor, intelligi haudquaquam poteſt. Adde, quòd in canonicis Decretis, cauſa uigeſimaſexta, quæſtione tertia, uentriloqui dicuntur, qui engaſtrimythi à Græcis appellantur. Sunt qui per errorem & animi ſomnium altius hunc Euryclem dictum uelint ἐπασρίμυθον, quum ſcribendum liqueat engaſtrimython. Accedit Sudæ item auctoritas, qui engaſtrimython exponit engaſtrimantin, quem nunc (inquit) pythona uocant nonnulli, Sophocles ſternomãtin, Plato autem Euryclea, ab Eurycle uate. Philochorus in tertio De uaticiniis, etiam mulieres uocat ἐγγαστριμύθους, Id ne quis ut fabuloſum, riſu excipiendum putet, teſtatum uolumus, tempeſtate hac, immo uero hæc prodente me, fuiſſe in patria mea mulierculam humili loco, Iacobam nomine, ex cuius uentre immundi ſpiritus uocem, prætenuem quidem, ſed tamen ubi uellet dearticulatam & prorſus intelligibilem, audiui ipſe, uerum & innumeri alij, non Rhodigij modo, ſed & tota ferè Italia. Quando futuri auidã potentum mens ſæpe acceſſitam uentriloquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ lateret, inſpectare ac audire concupiuit. Cincinnatulus dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus ſcitareris, quæ reconditiſſima forent, reſponſa dabat ſæpe mirifica. Si de futuris, ſemper mendaciſſimus

ciſſimus. Sed & inſcitiam ſuam nonnunquã murmure incerto uel bombo uerius ignorabili retegebat. Hoſce ego propriè dictos engaſtrimythos puto, id eſt uentriloquos: quanquam eo nomine apud Græcos intelligi ſimpliciter uidentur, qui dæmonis afflatu aliquid præſagirent. Euſtathius denique Pamphylius librum de engaſtrimytho concinnauit aduerſus Origenem. Quod aũt de pythonibus ex Plutarcho attulimus, mendum tollit ex canonicis Decretis, cauſa uigeſimaſexta, quæſtione tertia: ſimulq; uerbi obſcuritatẽ, ante nos minus percepti. Nam Helenum & Caſſandram pythonicos Euſtathius uocat: quia eſſent κάτοχοι τοῖς δαιμονίοις, id eſt dæmonibus obnoxij. Et Methodius Hieronymi teſtimonio, aduerſus Origenem librum condidit De pythoniſſa, id eſt πρὸς πυθωνίσσης, ut ait Sophronius. Nam tertio πρὸς ἀρχῶν, Origenes dæmonem pythonicum quoſdam ab tenella ætate poſſidere ſcribit.

Purpurata meretrix Babylon, cur dicatur à Hieronymo. De Babyloniorum moribus pluſcula. Lucretij locus explicatur. Aureus Babylonis calix, qui ſit apud eundem. Cur mors purpurea. Blatta purpura, & ſuccubitana. Purpurator. Murilegulus. Carmes uermis. Carmeſinus color. Porphyrion cete. Onyx quid. Buccinum. De purpurario infectore digna ſcitu. Polypia. Sepidia. Heluus color. Caput XI

MIrabamur haud ita pridem, quum ſcitiſſimas & multifariã doctas beati Hieronymi epiſtolas euolueremus, quid ita uir ſanctiſſimus, & propterea maximè uerax, Babylonẽ purpuratam dixiſſet meretricem. Etiam ſi eo nomine intelligi uidetur Roma, cuius delicias non concoquebat tanti uiri ſtomachus. Nam & prima epiſtola Babylonis nomine, Petrus αἰνιγματῶς Romam indicat plane. Quum, inquit, apud Babylonem uerſarer, eſſemq; purpuratæ meretricis colonus. Diu hoc anxieq; ex hiſtoria quæſitum. Tandem dicti rationem ex Plutarchi ſcientiſſimi, tum philoſophi, tum hiſtorici lectione aucupari ſum uiſus. A quo ſic memoriis proditum obſeruauimus: Xerxem Perſarum regem quandoq; in Babylonios excanduiſſe uehementius, quod ab eius ductu auſpicijs q; deſciſcere forent auſi, eoq; nomine comparato ingenti exercitu, quum expugnata urbe inſigniter uictoria eſſet potitus, utrebelles animos, nec ſatis in fide cõſtantes reprimeret, ulciſcereturq;, imperaſſe traditur: in reliquum, uti arma ne ferrent, ſed pſallerent, tibijs uterentur, ſcorta alerent, cauponæ indulgerent, ac ſinuoſis tunicis inducerentur. Hactenus Plutarchus. Apud alios item ſic fermè legimus, Babylonicis mulieribus morem fuiſſe ex oraculo quodam cum hoſpitibus turpiter permiſceri, turba et cultu plurimo apud aphrodiſium commeantibus, thominge ſingulis coronatis. Qui uerò admittebatur, poſito ſuper genibus argento, quantum uideretur, mulierem mox longe à fano abductam inibat, idq; argentum Veneri fuiſſe ſacrum. Hæc nimirum probarint ſatis ſuperq;, cur purpurata dicatur meretrix Babylon. Adduntur & illa, Nil admodum fuiſſe moribus eius urbis corruptius, nec ad iritandas immodicas uoluptates inſtructius, Babylonios in uinum præcipuè, quæq; ebrietatis uelut appendices ſunt, fuiſſe procliuiter effuſos: fœminarum item conuiuia celebrantiũ initio modeſtum compoſitumq; fuiſſe habitum: mox tanquam mero incaluiſſent, ſumma exuere conſueſſe amicula, ſenſimq; pudorem profanare. Poſtremò etiam eo adduci impudentiæ, ut ima corporum reuelare non erubeſcerent. Putet fortè aliquis, damnati infelicisq; pudoris proſtibulas iſta ſolitas perpetrare: immo uero nobiliſſimæ cuiuſq; matronæ decora hæc habebantur. Quam perditi eſſent mores, id porrò abundè arguerit, comitatẽ arbitrabantur uulgati corporis uilitatem. Tradunt auctores grauiſſimi, Macedonicum exercitum Aſiæ domitorem, tanti ducis nomine illuſtrem, inter tot & tanta flagitia diebus modo quatuor & triginta ſaginatum euiratumq;, ad ea quæ inſequebantur diſcrimina, adeo ignauiorem fuiſſe futurum, ſi hoſtem habuiſſet, ut poſt tot tam ampla gloria deuictas gentes, tot terrarum ſpatia ſub Macedonicas leges redacta, maturè perire potuerit. Porrò ne quis fruſtra ex diuerſo hæc in unum congeſta, opinetur: ad hæc omnino libro De rerum natura quarto, reſpexiſſe Lucretium contenderim, ubi amoris nocumenta colligens ita ſcribit:

Adde, quod alterius ſub nutu degitur ætas:
Labitur interea res, Babylonia fiunt:

Languent

Languent officia, atq; ægrotat fama uacillans.
Nam quod afferri poteſt de ueſtibus plumario & polymitario opere illuſtribus, quando auctore Plinio, colores diuerſos picturæ intexere, inſtituit maximè Babylon: & in Catone Seniore Plutarchus ſcribit, hæreditate oblatum Catoni ἐπίβλημα τῶν ποικίλων Βαβυλώνιον ſtatim iuſſum uendi: mihi ſanè Platonis legibus, quod dicitur, magis friget, ni fortè per trabem meam, ut aiunt, feſtucam uideo alienam. Satius id, grauiuſq; multo, ſi ſenſum ita concipias: Amori libidinicq; mancipatos in eam labi fœditatem, ac famæ diſpendium, in quod magno dedecore illapſa Babylon eſt. Illud uero obiter teſtatum uolumus, loqui nos de Babylone, quæ in Aſſyria eſt: quoniam altera quoq; in Aegypto Babylon eſt. Aſſyriam condidit Babylon ſapiẽtiſſimus, ut memorant, Medi filius, non (ut uoluit Herodotus) Semiramis: quando duobus annorum millibus eam ciuitatis huius inædificatio anteceſſiſſe uidetur, diligenti chronicorum ſupputatione. Aegyptiæ Babylonis Stephanus meminit, atq; Strabo, & Ptolemæus. Sed Strabo eam magis Arabiæ contribuit. Vnde & Arabum lingua Chairum illam uocant, quæ uox non aliud nobis indicat, quàm Babylonem. Eam uero condidere ex antiqua Babylone profugi quidam. Apud Babylonem porrò feſtum agi ſolitum, ſcribit Xenophon, in quo Babylonij omnes uniuerſam noctem biberent, & laſciuis carminibus ſaltationibusq; indulgerent. Cuius occaſione celebritatis à Cyro captam olim urbem, idem teſtatur. Pelles Babylonicæ ſunt apud Iureconſultos inter ſpecies ad uectigal pertinentes. De iſs, quales fuerint, in Pellium mentione, plura ex Hieronymo afferemus. Calix Babylonis aureus uice adagij uſurpatur à Hieronymo: Multa, inquit, de perfectione dicuntur, ut qui uolumen philoſophi neſciunt, ſub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Meminit elegãtiſſimè item Ambroſius quodam loco: Ille, inquit, apud me primus, qui omnium peritiſſimus: ille meus eſt, qui ſuus non eſt: ille mihi gratior, qui ſibi nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea, inebrians omnem terram: animo meo biberunt omnes gentes. In ſanctis quippe literis meretriculæ uerſutioris typum habet Babylon, quæ gẽtibus aureo poculo inſcitiam propinet, unde ſcelerũ mox agmen promicet, & errorum inexpugnabilis acies. Apud Hieremiam capite quinquageſimoprimo, ſic adnotatũ comperi: Calix aureus Babylon in manu domini, inebrians omnem terram. Sunt qui ſermonis ornatum ſic dici concipiant, quo uitijs inebrientur omnes: qui ſit tamen in Domini pontificio conſtitutus. Origenes: Babylonis, inquit, calicem aureum accipe dogmatũ prauorum uerba peſtifera, eloquentiæ cultu decora. Omnino per parabolen ab Propheta dici ea, ſcribit Nicolaus Theologus. Indicari autem Babylonis regem, is eſt (ut inquit Origenes) Nabuchodonoſor, qui gentibus innumeris propinarit mœroris potum, ſuperbè ac crudeliter, quod Domini fiebat uirtute, ſibi arrogantius aſcribens. Verum quia à purpura exorſi ſumus, deſinamus in eandem, auctarij adijcientes quippiam, quod de Græco ſuggeratur penu: & illud primum; Ab recentioribus purpuræ genus certum, dici blattam Byzantiam: unde blatteas ueſtes in Vopiſco, purpureas intelligit Hermolaus: cuius ſententiam ad uerbum, ut ſolet, in ſuas Annotationes transferens Iureconſultus quidã, aliena laſciuiens plumula, dum pennas nido maiores propandit, in errorem lapſus manifeſtarium, Aeginetæ Paulí auctoritate purpuram dici blattam interpretatur. Quod nec uerè dictum, nec probè eſt. Eo autem libentius in hæc præter morem excurrimus, quod non citra ſtomachum tulimus, noſtras haſce lectiones ab eo impudentius expilatas, me prorſum haud nominato, cui inſigniter inſidiabatur. Fuit hoc moleſtius, quoniam amicum hactenus prætulit: magis autem multo, quia Iureconſultus. Quod doctorum genus nimio quandoq; plus tumens ſacerdotum decuriæ ſe aſcribit: nam iuſtitiam, inquiunt, colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes: ueram, ni fallimur, philoſophiam, non ſimulatam affectantes. Cæterum uti ſyncerioris Iureconſulti fuerit functio hæc, ita ab palliatis quibuſdam, & una tantum elatione inſignibus eſt prorſum diſparata. Sed bene eſt, furta male feriatorum renudabit ædilitio hæc ſecunda. Proinde ad inſtitutum ipſi poſtliminio redeamus. Succubitanam dicunt purpuram quandoq;, ab Aphricę oppido, quod Succubi uocant. Mortem Hometus non ſemel purpuream dicit. Quærent (arbitror) ſtudioſi, cur ſic. Erunt qui ſanguinariam

nariam interpretentur, uel nigram quoq́, ſicuti κῦμα πορφύρεον. Quod Arati Phæno-
menon interpres comprobat, ubi canit poeta:

οἵτ' ἐμ ἅλι πορφυρεύσῃ. Nam quum uentus mare ceruleum criſpicans ni-

teſcere facit, purpurare undas, dixit poeta Furius. Sed quæ una modo inferatur plaga purpurea dicitur recte, uelut etiam Aelianus ſcribit, ictu tantũ uno à porphyreis, id eſt purpurariis uiuentẽ conteri purpuram, ut inde præſtantius profluat βῶλμα. Dignum ſcitu quod de purpurario traditum infectore legimus: qui uiſus fraude agere in tingendi ratione, quum eo nomine, ut tum res erat, ad ultimum duceretur ſupplicium, iocis etiamnum ſupereſſe locum arbitratus, ad Homericũ illud potiſſimũ adiecit animum:

Τὸν δ' ἔλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή. id eſt,

cepit uero hunc purpurea mors, & Parca fortis. Id tamen ſic à Theocrito pronũciatum ſapiente uiro, Athenæus ſcribit, quum legeretur epiſtola, qua à Chiis purpurã petebat Alexander. Purpurarios intelligunt, purpurarũ piſcatores. Hos & purpuratores uocãt nonnulli. Qua forma dicuntur ſpongiatores quoq́. Murilegulos lureconſulti muricis & purpurarum perquiſitores nuncupant. Meminit Codicis libro undecimo Iuſtinianus, titulo de monetariis & murilegulis. Monetarios Sudas monetæ artifices interpretatur. Sunt qui ad textrinum opus referre uocabulum malint. De monetariorum bello grauiſſimo Sextus Aurelius, & in Aureliano Flauius Vopiſcus. Indicam purpurã ex ſandice parari, prodit hiſtoria: tantæ uero creditur excellentiæ, ut illi appoſita alia quæuis, ſpecie cineris decolorari animaduertatur. Purpuræ item genus eſt, ſerico præcipuè accommodum, nouis excogitatum moribus, caſu (ueluti aſſolet) ſuffragante, retrimentitiis gallinaceorũ ſordibus fortè ſic infectis. Eſt autem ex uermiculo, quem Pœnorum lingua Carmẽ dicit: unde officinis frequens carmeſini nomenclatura. Habetur autem certis locis carmeſis, uti proditum eruditis eſt, ex herbæ radice, quam ſaxifragam uocant, quæq́ pimpinella ſit, uel ei proxima. Sunt qui opinentur chromaſinũ quoq́ nuncupari poſſe, quia ſit radix Syria, quæ uocetur chroma: cuius eſt apud Theophraſtum mentio. Porphyrion purpurula dici Latine ualet. Nam grandiores quædam mnææ uocantur, ueluti dicas minæ pretium exæquantes. Eadem ratione polypia dicuntur polypi parui. Sic & ſepidia, paruæ ſepiæ. Auctor deniq́ Procopius eſt, apud Byzantiũ Gotici belli temporibus cete comparuiſſe magnitudinis miræ: Porphyrium, inquit, illi uocant. Id uero annis quinquaginta locis infeſtius circumiectis omnibus fuerat, nec ab Iuſtiniano etiam ſi percupido, ulla quiuerat ratione expugnari. Demum delphines infectatum aui de, ac ita limo impactum explicari haud amplius eualuit: ſed accolis hinc inde accurrentibus funium ac machinarũ ui pertractum in ſiccũ, cubitorũ triginta menſum per longitudinẽ exceſſit, per latum uero decem. Purpuræ operculum calchen alii, unde dictus Calchas, Galenus onyca uocat: tametſi dicit onyx, unguis odoratus, quẽ oſtracion itẽ appellant, uel oſtracon quoq́. Cionia, inquit Dioſcorides, quaſi columellæ uocantur purpurarum buccinorumq́ partes mediæ. Purpuræ filium eſſe buccinum, prodit Athenæus. Color inter purpureum nigrumq́ interſitus, heluus uocatur; unde heluolæ dicuntur uuæ, ait Columella libro quarto, quas etiam dixere uarias nonnulli, quoniam euariet ſæpius color.

De aurea apud Babylonem arcula. Item de miræ naturæ loco apud Seleuciam. De auibus, quas uocant deorum linguas. Item de Babyloniis aliqua.

Babyloniæ flammæ quæ ſint. Caput XII



T quoniam in Babylonem incidimus, quo locupletiores dimittamus ſtudioſorum aures, ſi quis tamen harum auſcultationum ſititor (ut ſic dixerim) eſt futurus: adijciamus item quæ uetus nobis lectio ſuggerit, & à propoſito diſſentanea non ſunt. Siquidem apud Babyloniã in Apollinis templo auream miræ uetuſtatis arculam quandoq́ compertam legimus, ex qua conſciſſa uis peſtilentis ac pernicioſiſſimi aeris ſeſe profuderit, ut difflatus non eos modo qui aderant, uenenoſa ac letali infectos tabe cõficeret, ſed peſtifera incredibilicq́ poteſtate graſſatus longè lateq́, etiam Parthos afflaret. Id prorſum cenſerem dictu incredibile, ni Ammiani Marcellini lectio compar nobis miraculum ſuggereret. Prodit enim hic M. Antonij & Veri temporibus, apud Seleuciam poſt direptum templum, & perlatum Apollinis ſimula-

ſimulacrum Romam,fuiſſe à militibus inuentum anguſtum foramẽ, quod priùs Chaldæorum uates occluſiſſent. Eoq; militari auiditate reſerato, letiferum atrocemq; adeo uaporem exſiluiſſe, ut funeſtum malum ac teterrimum à Perſarum finibus in Gallias uſq; furens ſit debacchatum.Sed quoniam miranda percurrimus, nec illud ignoratum uelim,Ad regiam baſilicam apud Babylonem,magos tecto aureas alligaſſe alites quatuor,quas illi deorum linguas uocabant:& habuiſſe quidem uim,ut animos multitudinis in regis beneuolentiam,conciliatu inenarrabili aduocarent. Quod etiam ſi captum hominis ſupergredi uidetur, non tamen ut abſurdum, fortè quibuſdam uideatur reiiciendum. Nam in primis grauis auctor Ioſephus, quendam ſe Eleazarum uidiſſe teſtatur, qui inſpectante Veſpaſiano & filijs, annulo ad nares maniaci adacto, eum eueſtigio liberarit:profiteturq;,Solomonem inſtituiſſe carmina,quibus ægritudines mitigentur.Quod uero ad Babylonios attinet,unde exordia duximus,illud haud quaquam relatu indignum,quod de Græco penu eſt:Babylonios uenatibus aſſuetos, ubi in ſolitudine deprehenderentur,nec cibaria percoquendi eſſet occaſio, cruda oua fundæ impoſita,uertigine aſſidua tandiu rotare cõſueuiſſe, donec coquerentur. Babylonicæ porrò ciuitatis uaſtitatem illo argumento maximè comprobat Politicorum tertio Ariſtoteles:quòd capta quandoq; ab hoſtibus urbe, tertio demum die uix id perſenſerit pars ultima.Babylonijs poſtremo laudi datum ſcio, quòd in ædibus cõtignationum quatuor habitarent. Sicuti orator Ariſtides, Romanos ex aſſentatione dixit, Maximas domos maximis impoſuiſſe domibus.Dionyſius tamen in Panegyricorum ratione, tecta πυργόροφα καὶ ἐξόροφα apud Babylonem ab Herodoto memorari ſcribit, quod ſignat, contignationum quinque aut ſex. Scire tamen oportet, libro primo Herodotum ſcribere, trium aut quatuor cõtignationum. Apud Hieronymum prouerbij faciem habet,quod ait,Poteram quidem liberè proclamare,& inter gladios quoq; ignesq; Babylonios dicere,cur aliud reſpondetur, quàm quæritur? Et rurſum aduerſus Pelagianos, Qui minas,iniurias,paupertatem ferre non poſſumus, quomodo flammas Babylonis uincemus? Intelligi uero per figuram,opinor,urbis Romanæ deuaſtationem: de qua ad Marcellinum Hieronymus: Animus, inquit, Romanæ urbis uaſtatione ſic eſt confuſus,ut (quod dicitur) propriũ ignorarẽ uocabulum, diuq; tacui, ſciens tẽpus eſſe lachrymarũ.

Demoſthenis excellentia,& mors. De crico multa.Rhoptrum coruus.Decuſſare. Quæ ſit annularis ratio. Quid heſtor. Cricote ſphæra: item circite, porcos,& porce.Dextrocheria,ſiue dextrariola. Pſellia, pſolois, pſile, pſallium.Puellæ Epheſiæ hiſtoria. Sinonis hiſtoria, & Laocoontis. Pericarpia, echini, ophis, bubalia, chlidones. Fulminum genera. Pſolus, acropſolus.

Caput XIII

DEmoſthenem illum omnium qui fuerunt,quiq; mox ſunt futuri,in eloquentia maximum, ita eruditorum pleriq; laudare ſibi permiſerunt, ut dicerent, aliorum quidem monumenta ſemel in uita perlegiſſe, abunde pulchrum ac fortunatum uideri oportere.Illum uero tanquam unicum ac ſingulare naturæ opus,non ſemel quidem legendum, ſed eatenus inhærendum, ut quantum humani ingenij ratio patitur,illius colorem, ſaltem polypodis modo, aut chamæleontis exprimamus effingamusq;.Sed enim hic tantus,tamq; incomparabilis oratorum anteſignanus,& planè coryphæus:non in libellis, ſed in maximis cauſis, & id in literarum domicilio percognitus, peſſimo tamen interijt exitio. Scribit quippe Eratoſthenes: Virum hunc in crico pertuſo,quod eſſe brachij geſtamen,quidam interpretantur, præſidio ultimorum caſuum, conſueſſe uenenum geſtare incluſum, quod etiam hauſerit intrepidè,ne quid indignũ tanta uirtute à Macedonibus pateretur, Hinc natum, ut quod ſpeciem quidem habet extrinſecus, & oculos aſpectu iucundo allectat: intus uero perniciem ſeruat euidentiſſimã,crícum dicamus Demoſthenis.Nam & Cleopatram in cneſtide concaua,crinibus implexa occultataq; uenenum habuiſſe,produnt nõnulli.Cneſtidem ſunt qui laminulam interpretentur.Quid uero ſit cricus,non alienum fuerit,explicare pluribus.Lyſias quidem aduerſus Andocydem impietatis reum,rhoptron in ianua id appellaſſe uidetur, quod nos cricum dicimus, ijs ferè uerbis, ἐδίωκε γὰρ ἵππον ἐλάσας τοῦ ῥοπτροῦ τοῦ ἱεροῦ, id eſt ad ſacrum rhoptrum equum deſtinauit. Meminit in Amphia-

rao

rao Aristophanes, & rerum Græcarum octauo libro Xenophon. Coronem Homerus appellauit, quamuis sit & corone arcus extremũ, atq; item summa uirilis membri pars, Iulius item Pollux scribit, quam coronem Homerus appellarit, dici quoq; κόρακα, id est coruum: nam & corone, cornicem signat. Cricum Theodorus annulum interpretatur, secundo Aristotelis De animalium historijs, ubi sic Græcè scriptum est, οἷον κρίκῳ χαλκοῦς λεπτός, id est (inquit interpres) ut annulus æneus tenuis. Theophrastus quoq; libro De stirpibus quarto, cricum pro annulo usurpat, Plinio interprete, etiam si in Græcis codicibus modo impressis inueni, crocum scribi, non cricum. Et Sudas, Ancilia, inquit, sunt κρίκοι τῶν ἁλύσεων, id est annuli catenarum. Nostri recentiores annularem rationem appellauere, quam Ptolemæus cricoton aptissimè nuncupat: quæ fortè non alia sit, quàm quæ Latinè decussatio dicitur: cuius rei commeminit Hermoleos quoq;. Vnde Plinius: Ducantur deinde aliæ duæ lineæ in decusses obliquæ. Decussandi uocabulo utitur Vitruuius, apud quem est item decussatim perducere, quod est per integram longitudinẽ diuidendo, ac dissecando trahere, ab numeri denarij perfectione uocis proprietate deflexa, unde & decumanus limes, & decumanus fluctus. Hinc literam ξ decussatam, præfectamq; obelo, legimus talentum significare, quod nota ea numerum sexagenarium indicet. Et Aphricanus talentum omne pondo sexaginta tradit. Vbi uero Argonauticon tertio scribit Apollonius, θοὴ σωλήασι κορώνη, locum eum explicans interpres: Corone, inquit, id est iugi crico. Homerus item Iliados uigesimoquarto, ὣς δὲ κρίκῳ ἕσορι βάλλον, id est cricum autem hestori iniecerunt. Quid uero sit hestor, docet Pollux: Zygodesma, inquit, dicuntur, quibus iugum temoni coniungitur. Clauus autem cui inuoluuntur zygodesma, uocatur hestor. Apud eundem cricos ferreos dici libro quinto, in retibus animaduerto. Inde κρικοῦσθαι uerbum inflectitur, quod Latinè infibulari dicitur: nam quorundam Aethiopũ mulieres κεκρίκωνται, inquit Strabo, ὀ χείλῳ χαλκῷ κρίκῳ. Apud Herodotum historia secunda, ἱσίῳ κρίκους legimus, id est uelorum ansulas. Cæterum, ne quid scienter omittam, quo miscella hæc nostra elucubratio instructior fiat: in monumentis Gellij auctoris & doctissimi & excultissimæ eloquentiæ, cricotem legimus appellari sphæram, quam eruditiores intelligi uolunt pertusam. Quamq; Leontius mechanicus sphæram κρικώδη dixit, hoc est circulorum. Apud quem item inuenies, hemicricium meridiale, pro semicirculo, & infra cricum nuncupat meridialem. Vt nulla prorsum reliqua fiat ambiguitas, quin cricum nũc annulum, nunc circulum recte interpretemur, quales sunt, quibus compingitur sphæra: quæ ænea à Martiano uocatur circite. Sed & quibus contexitur thorax: nam κρικωτὴν θώρακα legimus, id est cricotum thoracem, quem ἁλισιδότην interpretantur, id est hamis uelut catenatum. Est suus quoq; in hasta cricus, quem insciti res cuspion dictitant, quo adnectitur firmius cuspis ligno. Porcen nũcupat Homerus. ut quidem scribit Horus, ἀπὸ τοῦ πορκίζειν, id est ab continendo. Orion plausibilius putat, si à πείρω inflectatur. Nam porcos etiam apud Platonem in Sophiste, septum est quo concluſi pisces haud facile euadant. Sunt qui cyrton interpretẽtur, sed perperam, ut ex Platone liquet. Dicitur porcos, quia amplexetur, occludatq; ingredientẽ piscem, id est ἀπὸ τοῦ πορκίζεσθαι. Lycophroni in Alexandra est, in Istro animal πρᾶσκελες, id est cruribus quatuor, pelle prætenui, quæ sufflata utris præstat imaginem, amphibium est: agit enim in aquis, uerum & in terra depascitur. Lycophron: ὁποῖα πόρκῳ ἱερεὺς πρᾶσκελής. Cæterum id prætereundum haud quaquam: postea quàm ab Troia digredi assimularunt Græci, & Sinon Aesimi Anticliæ fratris filius, & inde Vlyssis exadelphus, se ipsum conuerberans equo assedit ligneo, à Troianisq; in urbem admissus, suis eam prodidit, face sublata, ut prodidit Lesches, dracones duo, Porcis & Charibœa, ab Calydnis insulis, in quas cõiecerant se Græci, enatantes, Laocoontis filios peremere ob coniectum in equum ligneum hastile. De porce, sic item inuenio, esse cricoma ligno, cuspidiq; continendæ aptissimum. Sunt & crici nomine brachiorum ornamenta, qualia ferè dextrocheria sunt in Iulij Capitolini historia scribentis, Maximinum pollice ita uasto fuisse, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. In libro Iudith, quædam scribitur induxisse sibi sandalia, assumpsisse dextrariola, & inaures: quæ non alia sunt, quàm dextrocheria. Quæ uero circa manuum iuncturam ferunt præsertim mulieres, quam

quam uocant Græci καρπόν, unde & in carpum mittere manum medici dicuntur, ſicuti aliàs docuimus, ubi arteriæ motus ac pulſus prætentant: ea inquam ornamẽta pericarpia nominãtur, & echini, ophis, pſellia, chlidones (quibus utebantur Samij, ut ſcribit Athenæus) bubalia. Et quoniam pſelliorum incidit mentio, non ineptè forſitan fecero, ſi & hiſtoriam adiecero breuiſſimam: Galatarum rex Brennus, quum depopularetur Aſiam, Epheſum cum exercitu uenit, ac in Epheſiæ puellæ amatorios incidit laqueos. Ea uerò congreſſuram ſe pollicita eſt, inſuper & Epheſum prodituram, ſi pſellia ſibi & mundus contribueretur muliebris. Adnuit Barbarus, ac militibus imperauit, in eam conijcerent quod haberent, aurum, quo auarior puella adobruta perijt: ſicuti prodidit Rerum Galaticarum primo Clitophon. Pſelliorum meminit Athenæus, ex margaritis ſolita confici prodens quandoq;. Pſallion autem, non aliud quàm frenum eſt. Hinc Ephoros legimus Spartiatarum oligarchiæ iniectos, uelut pſallion. Pſellia uerò manuum fuiſſe ornamenta, ſignificat ἀναβάσεως primo Xenophon, Perſas prodens habuiſſe ψελλοὺς περὶ τοῖς πραχήλοις καὶ ψέλια ἐπὶ τοῖς χερσίν. In ſummis tamen ea brachijs ſolita geſtari, nominis argumẽto comprobari ualet, quando pſellium Dores ſummum dicunt: unde & quæ ſummis enunciatur labijs accentiuncula, pſile nuncupata. Pſolon autem fumum dicunt, ſed & flammam, καὶ τὴν κονίαν: unde pſolois, id eſt ψολόεις, tria item indicat, nigricans, cinericium, ſplendidum. Nam Euphorion ἄτυπα dixit ψολόεσσαν: & alibi, ἀχλύι τε ψολόεσσαν. & Aeſchylus,

Κώδεια παλαιῷ, λιπαρομίσῳ ψόλῳ.

Dicunt & genus fulminis pſoloenta celeriter ruentis, & omnia comminuẽtis, ut interpretatur Sudas. Meminit Meteororum tertio Ariſtoteles quoq;. Et grammaticus quidam: Fulminum, inquit, alia nuncupantur catæbatæ, alia pſoloentes, alia argetes, id eſt ἀργῆτες. Sic enim Homero item dicuntur. Si uerò ſyllaba prior Ω mega recipiat, ut ſit ψωλός, tunc indicatur ea uoce λεπτόδερμος, id eſt ſine præputio. Nam qui parum id patitur, acropſolos nominatur. Porrò quod ad cricos attinet, illud adieciſſe non fuerit (opinor) parergon, ne quis ſciolorum interim probationem requirat grauiorem, recenſeri inter ornamẽta cricos, auctor Politicorum ſeptimo Ariſtoteles eſt, ubi edocet, in quibuſdam locis legum finem eſſe propoſitum eum, ut ciuitatibus dominentur finitimis, indeq; multa ſanciri, quibus ad bellicam uirtutem excitentur homines, καθάπερ ἐν Καρχηδόνι φασί, τὸν ἐκ τῶν κρίκων κόσμον λαμβάνειν, ὅσας ἂν στρατείας στρατεύσωνται. hoc eſt, ut apud Carthagineníes ferunt, cricorum ornatum accipere pro expeditionum numero, in quibus ſtipendia fecerint. Dignum ſcitu & illud, cricos compedum elegan ter dici à Græcis, & priuatim à Plutarcho in cauſis, ex quo & Valerius Martialis annulos nuncupauit.

Demoſthenis ſententia de moleſtijs quas ſubire neceſſe eſt, ſi rempublicã capeſſas. Item de Demoſthene pauca. Cap. XIIII

DEmoſthenem item, ut & hoc ſubſignemus, ac nonnulla ſcitu non indigna, Athenis profugum, memoriæ proditũ eſt, Fortunæ turbinibus infractum, adeuntes iuniores à reipublicæ cura impenſiſſimè conatum auertere, quum diceret, Si duæ uiæ initio proponerentur, quarum altera ad ſuggeſtum ferret ac concionem, ad euidens exitium altera, præuideat autem aliquis, quæ in ciuilium adminiſtratione occurſent mala, quàm atrox inuidia, quæ ſubeunda certamina, quibus criminibus uita obnoxia, præſtare nimirum, id inire iter, cuius exitus mors eſt. Quod illum non eſſe fruſtra uaticinatum, docuit infeliciſſimus finis. Siquidem ob ea quæ orator in re publica geſſerat, miſſo ab Antipatro Archia quodam, qui fugientem retraheret, ac in Neptuni templum, quod eſt in Calauria inſula, is ſe conieciſſet, cœpit humanè Archias multa diſſerere, monẽs, poſſe illum ſibi omnia de Antipatro polliceri. Nec hiſtrio, inquit Demoſthenes, unquam perſuaſiſti ô Archia, nec nuntius nunc perſuadebis. Ad hæc illo iam cõmotiore, ac uultu minabundo & irato Demoſthenẽ territante, Νῦν ἔφη λέγεις, τὰ ἐκ τοῦ μακεδονικοῦ τρίποδος, hoc eſt, nunc Macedonici tripodis reſponſa patefacis. mox & ita interijt, ut paulo antè monſtrauimus.

Tripos Delphicus fuerit ne uas, an quid aliud. Holmos quid, & ogmos. Enholmides. Hermata. Tripodis notiones plures. Magides menſæ. Senecæ

hiſtoria. Epidorpiæ. Microtrapezi. Tetrapus quid. Tetraori. Inſtans tempus an dicatur futurum. Impoſſibile, an dicatur nõ Latinè. Cillibãtes quid ſint. Dorides item quid: item dory, & unde. Xerolophos, thema, thematium, ecdoria. Doryphoros dici prætorianos. Cap. xv.

QVoniam uerò tripodis facta mentio eſt, operæpretium me facturũ opinor, ſi quæ ex mutis (quod dicitur) magiſtris didicimus, in medium attulerimus, ut labores noſtri proficiant omnibus: eo quidem amplius, quod nõ ferè inter grammaticos conſtat, quid tripodis nomine intelligẽdum ſit, ubi de oraculo agitur Delphico. Quum ex recentioribus quidam in literis clarus, tripodem ſcribat, ſiue cortinam fuiſſe uas pulueribus plenum, ex quo perflans ſpiritus Phœbadibus uaticiniĳ præberet poteſtatem. Ego uerò pluribus auctoribus contenderim, ac euidentius probarim, tripodem illum Delphicum haud quaquam fuiſſe uas: quando Ariſtophanis interpres pythiam tripodi inſidentem uaticinari ſolitam ſcribit in Pluto: partemq; eam in qua ſederet, uocari holmon: unde à Sophocle Apollo dicatur enholmos, quin & uates dici enholmides quodam genere uidentur, ratione eadem. Quãquam eſt & holmos coquinæ uſibus accommodum uas: & holmeus orbicularis lapis, ad quem legumina cædantur, & alia quædam. Ogmos uerò nunc metentium indicat ordinem, nunc interiectum arboribus ocioſum ſpatium, quod eſt ab Theone obſeruatũ. Ex quo ſcienter ſolis circulum Aratus ogmon nuncupauit, quoniam ſit in ſigniferi meditullio conſtitutus: ἠέλιοϛ μέγαν ὄγμον ἐλάυνων.

Vbi uerò in Equitibus Ariſtophanes, ἐρωτίμων ἀπὸ τριπόδων, interpres rurſum inquit, in tripodibus ſedebat promantis. Et Strabo: Auctores, inquit, certi memorant, diuinũ ipſum domicilium profundam & curuam eſſe ſpeluncam, non admodum lato patentem ore, unde auram quidem referri, ſacro aiunt efflante numine. Excelſum autem hoſtio imminere tripodem, quem quum pythia uates inſcenderit, hauſto diuinationis ſpiritu, dei reſponſa referre & metro & oratione ſoluta. Amplius in libro De myſteriĳs Iãblychus: Sibylla, inquit, in Delphis duobus modis ſuſcipiebat Deum, uel per ſpiritum quendam tenuem igneumq;, qui erumpebat alicubi ex ore antri, cuiuſdam, uel ſedens in adyto ſuper ſedem æneam, habentem tres aut quatuor pedes, & deo dicatam, & utrobique diuino ſe ſpiritui exponebat, unde diuini ignis radio illuſtrabatur. Lactantius grammaticus ſuper eo Papiniĳ uerſu, qui eſt Thebaidos primo:

Salue priſca fides tripodum.

Tripos, inquit, ſpecies eſt lauri tribus radicibus, Apollini cõſecrata, propter triplicem uim diuinationis. Eſt & menſa Apollinis tripos corio ſerpẽtis pythonis tecta. Sed quid pluribus agimus in re confeſſa? Aduocetur tamen & Diodorus, poſt quem pudeat in manifeſtis ambigere. Etenim Bibliotheces ſexto & decimo uolumine ſic propemodum ſcriptum legimus: Vatem, inquit, unam conſtituere, mox & ſubſtruxere machinam, qua conſcenſa uaticinari tutò poſſet: habebat illa baſes tres, unde & tripodis nomen inditum. Tripodem porrò dici menſam, libro ſecundo cõprobat Athenæus. Nec tamen abnuerim, uerbi huius notiones eſſe plures: quippe Iulius Pollux De uocabulis rerum quinto libro, inter aurium ornamenta tripoda recenſet: putatq; à figura eſſe impoſitam appellationem, ſicut & Homerus τρίγλωα ἕρματα nominauit, ut trium pupillarum imaginem præferentia. Sunt autem hermata, Latinè inaures. γλήνη uerò pupilla, aut etiam oculus ipſe. Libro autem ſexto idem Pollux: Erant, inquit, menſæ quædam primæ, ſecundæ, tertiæ, & tripodes, quibus ſuperiacebant. Nominis item meminit Heſiodus. Auctor in Nerone Dion, Senecæ datum crimini, quod Agrippinæ congrederetur, & quod aliud ſcriberet omnino, aliud ſequeretur: nam tyrannos lacerans tyrannodidaſcalum ſe præſtabat. Quin ditium locupletatum calumnĳs, ingentes congeſſiſſe opes, ac cedrinæ materiæ tripodas habuiſſe quingentos ἐλεφαντόποδας, id eſt eburneis pedibus, æquales uniuerſos, ſimilesq;: ſuper quibus, inquit, ueſcebatur. Adoleſcentulis porrò lætabatur intempeſtiuis: ad idq; ipſum Neronem impellebat, quem & in matris necem creditur adhortatus. Choragicos dici tripodas item obſeruauimus apud Plutarchum in Nicia, quod is χορηγήσας omnes facilè ſuperaſſet. Quas uerò imponimus, ut collibuit, & tollimus trapezas, id eſt menſas, nunc magidas uocãt, quo nomine

mine utitur Sophocles quoq;. Magidis præter Plinium meminit Paulus Iurecõſultus: ſed ita,ut eo nomine tabulerium accipiat interpres, aut ſchacherium. In Græcis auctoribus,præſertim medicis, magidas inuenio pro offis poſitas. Trapezas item pro appoſitis cibarijs inuenies.Epidorpiæ uero trapezæ uidentur fuiſſe omnium poſtremæ, quibus inferrentur bellaria. Sunt & qui uocẽtur microtrapezi, quibus parua paratur menſa. Sunt in eodem auctore libro decimo, ſcelithria, quæ (inquit) ſunt parui tripodes. Nam ſella quædam Theſſalica dicebatur tetrapus, opinor, de pedum numero. Tetraoros Sophocles, τετρασκελοῦς accipit. Et alibi: obſonijs ſubiecta menſa recte dicitur tripus: ut apud Ariſtophanem, & Xenophontem ἐν τῇ ἀναβάσει, apud quem ſunt & tripodia.Quod uero tripodi ſuperimponitur,etiã cyclos dicitur, & holmos: quoniam, inquit,& Delphici tripodis epithema, cui propheta inſidet, uocatur holmos. Tripodis autem empyri,quo apud ignem uterentur,media Homerus uocauit gaſtera. Apud quem etiam pro uaſe tripum dici,liquet ex eo uerſu,

Καὶ τρίποδ' ὠτώεντα δύω καὶ ἴκοσι μέτρων.

hoc eſt,Et anſatum tripoda duarum & uiginti menſurarum. Hunc autem tripum inter funebris certaminis præmia Achilles propoſuit. Alioqui non ijs modo, qui fortiter quippiam feciſſent,ſed & poetis in uictoria tripoda contribui,honeſtiſſimum cenſebatur,quando Heſiodum Homero deuicto eum retuliſſe,proditum memoriæ ſcimus.Factum uero id in Amphidamantis laudatione. Ad quem bello peremptũ celeberrimus quiſq; ex poetis certatim celebrandum Chalcidem confluxerat. Fuit autẽ is bello præclarus,ut qui Eretrienſes multum diuq; infeſtaſſet. Quod in Septem ſapientum conuiuio Plutarchus ſcribit.Dabatur & ijs tripus,qui dithyrambicum carmen ceciniſſent ad imitationẽ Apollinei tripodis, ut quidam ſunt interpretati. Memoratu dignum, quod Heſiodicæ aſpidis interpres ſcribit,Tripoda item dici cratera magnum, trium ferè pedum,qui nunc(inquit) Barbarè uocatur χοτζᾶς. Sunt qui epiſtaten interpretentur tripoda æneum,qui chytropodis uicem impleat,id eſt ollæ pedibus fultæ. Quanquam eo nomine quidam Vulcani imagunculam figlini operis intelligere malunt,quę focis aſſi ſteret:uel etiam lignum oblongum coracas habens,unde coquinaria propenderent inſtrumenta:meminit in Auibus Ariſtophanes,& explicant interpretes.Omnino ita diſtingui tripodas animaduerto, ut dicantur alij ἐμπυριβῶται, aut ἄθωνες, ab ignis uſu, & ad hoc ipſum cõparati: alij autem anathematici, ornatus gratia domibus dicati, uel templis,prorſum ignibus immaculati intactiq; : proinde ab Homero etiam apyri nuncupati,etiam ſi hos intelligunt nonnulli,qui necdum ignibus ſint admoti, æthonas uero iam flammis ſuccenſos. Apud Athenæum ſunt apyri tripodes uino dicati, uelut crateres.At in quibus calefiebat aqua,loetrochoi: ex quis aliqui dicebantur ὠτώεντες, id eſt anſati. Tripoda muſicum organum à Delphici tripodis ſimilitudine nuncupatum, multi ſcribunt,ac triplicis citharæ uſum præbuiſſe. Relatu dignum eſt, quod in muſica Martianus ſcribit: Tripoda trini curſus præſagia polliceri, hoc eſt extantis, inſtantis, rapti.Qua in parte commonendus eſt lector accuratus: inſtans, dici de futuro, non de præſenti,ſicuti philoſophorum modo ſcholis extritum eſt. Nec me fallit tamen, grammaticum Diomedem libro primo, inſtans tempus pro præſenti frequenter uſurpare. Quin & Fabius quoq; libro quinto, tempus in præteritum diſtribuit, inſtans, & futurum.Sed & primo Diuinationum Cicero,inſtare,de præſentibus dixit: quin & ſecundo De oratore,liquidò inſtans,pro præſenti eſt poſitum. Necnon apud Gellium libro decimoſeptimo. Ita ni Lynceo fueris oculatior, uel memoroſior Mithridate, in tendiculam præceps eas,neceſſarium eſt. Sicuti quum impoſſibile,non Latinum uerbũ male feriatis uidetur:quo tamen utitur Boethius, non reformidat cum Iurecõſultis Quintilianus libro quinto. Mos autem ueteribus frequens fuit, exſculpendi in tripodibus epigrammata.Id quod nec tacuit Gellius, quum ait, Heſiodum atq; Homerum aliquo tempore eodem uixiſſe, epigrammatis argumento probari, quod in tripode ſcriptum fuerat,quem in monte Helicone poſuiſſet Heſiodus. Hęc uero repetit Gellius ex Varronis libro De imaginibus primo. Et Priſcianus ſcribit, legiſſe ſe epigrammata in tripode uetuſtiſſimo, qui in Xerolopho fuiſſet Byzantij. Scribit Sudas xerolophon dici à quibuſdam thema, & tripoda thematiũ. Sciendum præterea quòd à tripode non ita

diſſitum eſt, cillibantas fuiſſe apud priores trium crurum ligna quædam, quibus in prælio fatigati ſcuta imponebant. Id quod clariſſimè monſtrauit Ariſtophanes,

Τοὺς λιμιβαντας οἵσι τὰς ἀσπίδας.

quod eſt, Scuti cillibantas feras, ὁ puer. Inde fortè natũ illud Varronis tradentis, menſam uinariam rotundam quandoq; appellatam Cillibantum, ut etiam in caſtris: quanquam aliud ſentit ipſe, & nos alibi commeminimus. Porrò ut ad tripodem redeamus, ſcribit Apollonius Argonauticon quarto, Iaſonem quum in Illyricum appuliſſet, ut ab Hylæis nauigandi rationem edoceretur, dono illis dediſſe tripoda, cuius hoc fuerit fatum, ubicunq; foret is, ciuitatem nunquam hoſtibus ceſſuram in prædam. Dicitur quãdoq; tripus αὐτώρης: uti apud Callimachum,

ὅτε τοῖσιν ἐπέφραδε αὐτώρης.

Eo uerò cenſetur uates nomine, quum ex ſe quippiam, ſcitante nemine, uaticinatur. Et quia hoc capite de menſis fuit mentio nobis plurima, addamus præterea illud auctarium, quod ſcribit Aelius Dionyſius: Menſas quaſdam coquinarias dici doridas, ἀπὸ τοῦ δέρειν, quod ſignat polire: unde etiam inflectitur δόρυ, quo nunc haſta ſignificatur, nunc ſimpliciter omne lignum, etiam in arboribus: ut

οὐ γὰρ πω τοῖον ἀνήλυθεν ἐκ δόρυ γαίης.

Doryphoros pro prætorianis ſequens uſurpauit ætas, & apud Dionem eſt obſeruatũ. Ecdoria uocant Græci medicamenta, cuti ſoluendæ accommoda, urendi poteſtate aci, ἀπὸ τοῦ ἐκδέρεσθαι, quo indicatur excoriatio, aut etiam deglubitio. Doratiſmum ĩdẽ dicunt, ubi haſtis res geritur in pugna. Eparchon τῶν δορυφόρων Græci uocãt, quem nos prætorianorum dicimus præfectum.

Delphici oraculi quæ tradantur initia. Eiuſdem deficientis rationes. De Tireſiæ item oraculo. Parnaſus mons unde dicatur. Coretas paſtor. Mantea, anactora, anacea. Cap. XVI

DOſtea quàm ſatis ſuperq; de tripode diſſeruimus, aptiſſimũ (opinor) fuerit, inſeruiſſe huic potiſſimum loco: quæ auctor Diodorus Bibliotheces ſexto & decimo uolumine de oraculi Delphici primordĩs prodenda cẽſuerit, quando id toto orbe terrarum feſto cõcurſu celeberrimum intelligi priores uoluere. Igitur fuit, inquit, ſecretio quædam ĩs in locis, ubi poſtea cõſtructum adytum eſt. Illuc fortè compaſcẽtes arrepſerunt capræ, quod uaſtæ tum ibi ſolitudines forent, nec omnino incolerẽtur Delphi. Quæ uerò ex ĩs in hiatum deſpectare cœpiſſet, eueſtigio mirabiliter exultans laſciuire, ac uocem prorſus diſſonã emittere. Id quum amplius admiraretur paſtor, ut ſunt hominum ingenia plerunq; latentia ſcrutandi auida, acceſſiſſe traditur: moxq; eodẽ affectus modo, quo capræ prius, ſed inſuper futura quoq; præcinere cœpiſſe. Re uerò latius uulgata, accurriſſe multo plures, qui omnes cõſimiliter afflati cõiectationem præbuere, oraculi uim ex terra eſſe. Cæterũ quia temulẽti ſpiritu, quẽ ἄδμα uocant δαιμόνιον, plericq; interirent, uiſum fuiſſe, uatem unã aſtituere, quæ citra reliquorũ noxã panderet futura. Ad id uerò etiã pegma ſuſtruxere, quo inſcẽſo ſecurè uaticinaretur. Habebat id baſes tres, propterea tripodis nomen eſt ſortitum. Præficiebantur primò uirgunculæ puritatis ratione. Poſtea uerò quũ Phœbadis amore obretitus Theſſalus Echecrates illam ſtupraſſet, ſancitũ ut quinquagenaria mulier, uirgineo tamẽ cultu, uaticinãdi põtificium gereret. Hactenus Diodorus. Id uerò oraculum ſuperſtitione uana, & hominum inſcitia, multoq; amplius immundorum uafriciis ſpirituum illuc euectum eſt, ut non omnium modo gẽtium fieret affluxus, ſed paſſim præpotentium quoq; regum ac principum populorum donamiterentur opulentiſſima, ut inde Delphici maximè celebrentur theſauri. Et Aphetorias opes, ut immenſas præſignesq; certatim memorent Græci. Nam ab ædendis oraculis Aphetora dici Apollinem nouimus. Lego in Græcorum theſauris, Parnaſum quẽdam omnium principem oraculum adiiſſe Delphicum, unde ſit monti adoptatum nomen, etiam ſi Larnaſum prius dictum produnt alĩ, quod Deucalionis arca, quam λάρνακα uocant, illuc ſit delata. Super oraculo Delphico uerba Ciceronis ſunt Diuinationum priore libro: Terræ, inquit, uis pythiam Delphis incitabat, Naturæ Sibyllam. An non uidemus, quàm ſint uaria terrarum genera? Ex quibus & mortifera quædam pars eſt, ut Anſan-

ut Anſancti in Hirpinis,& in Aſia uidimus Plutonia. Aliæ peracuta ingenia gignunt, aliæ retuſa:quæ omnia fiunt ex cæli uarietate,& ex diſparili aſpiratione terrarum. At libro ſecundo idem M. Tullius:Euanuiſſe,aiunt,uetuſtate uim loci eius, unde anhelitus ille fieret,quo pythia mente incitata,æderet oracula. Sed quum de ui agatur non naturali ſolum,ſed etiam diuina,quo tandem modo euanuit? Vetuſtate inquies. Quæ uetuſtas eſt,quæ uim diuinam conficere poſſit? Quid tam diuinum,quàm afflatus ex terra mentem ita mouens,ut etiam prouidam rerum futurarum efficiat? Cæterum oraculi uanitatem quum multa alia,tum Demoſthenis illud coarguere uidetur. Qui pythiã promantin,ab prædicendi uſu ſic nuncupatam, dicebat Φιλιππίζειν, id eſt quaſi cum Philippo facere,quod eò ſpectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret. Plutarchus in libro De oraculis,quæ defeciſſent,Delphici oraculi originem eandem ferè facit quã Diodorus:ſed adijcit,Paſtorem illum qui omnium princeps ex afflatu ſit uaticinatus, Coretam fuiſſe nuncupatũ. Et mox deſinentis uaticinæ poteſtatis rationes allaturus, plurimas ait in terra contingere mutationes uarietatesq; rerum: quando & multis locis metalla defeciſſe,manifeſtum fit. Lapis caryſtius mirandæ fuit apud priores naturæ,quoniam γυμνώδης erat,id eſt netilis,aptusq; duci inſtar lanæ lini ue. Conficiebantur inde chiromactra,id eſt mantilia,item retia reticulaq;,quæ ubi ſordes contraxiſſent, coniecta in ignem candori ſuo citra ullam omnino noxam reſtituebantur:uictrixq; illa omnium uis ignium aliquid tandem nacta erat,in quod ius nullum haberet. At nunc, inquit,euanuere omnia hæc:uixq; in metallis uiſuntur uelut ines, aut prætenues,qui in tercurrant,capilli. Eiuſmodi porrò & in manticis pneumatibus, ideſt ſpiritibus uaticis coniectanda ſunt. Necq; enim æterna eſt eorum uis,quæ ſenij planè ſit neſcia, uerum & ipſa mutationibus obnoxia cenſeri debet. Probabile nanq; fit,imbres nimios quandoque poteſtatem eam reſtinguere,plerunq; & fulminum caſu diſſlari. Præcipuè autem terra motibus agitata permiſcere ima poteſt,& meatus occæcare prorſum. Nam & in Orchomeno quum atrox debaccharetur peſtilentiæ malum,pleroſq; hominũ uis quidem craſſantis morbi abſumpſit:ſed & Tireſiæ defecit oraculum, quod & nunc uelut feriatum cõticeſcit. Auctor item Dion eſt, Delphicum oraculum ab Nerone ſolutum, ad hiatũ,unde ſacer ſeſe promebat ſpiritus,iugulatis hominibus, quin & regione Cirrhæa militibus cõtributa. Dignum relatu in libro De mundo,cuius auctor ab alijs Ariſtoteles creditur,ab alijs Theophraſtus, ſpiritus è terra efflationem hanc planè confirmari,quo uel furentes efficerentur,uel uaticini.

Quam eſſe ex inimicis utilitatem maximam cẽſuerit Plutarchus. Inimicũ eſſe uulturi aſſimilem. Hieronis os fetens. Duellij hiſtoria,& Bilię uxoris.

Caput XVII

Citum eſt,ac memorandum in primis, quod à Plutarcho uiro doctiſſimo & prudentiſſimo,inq; diſciplinis auctoritate graui relatũ animaduertimus in cõmentariolo,quibus quis rationibus iuuari ab inimico poſſit. Primum inquit,omnium mihi uidetur,quod eſt ex inimicis maximè noxiũ,id ſi modo attendas,effici utiliſſimum poſſe. Inimicus ſiquidem peruigili cura rebus inſidiatur tuis,uitamq; ambit hinc inde,anſam quæritans:nec inſpectat per quercum modo,ſicuti olim Lynceus,nec per lapidea,uel teſtacea:ſed per amicos, per ſeruos, per familiares uniuerſos:adeo efficax eſt,expeditusq; eorum, quæ uel facias, uel conſultes, explorator,inſpectorq;. Præcipuè uerò ſiquid delinquas,inhæret affixus,ſcrutaturq;. Et profectò uulturum exprimere uidetur mores,hi quippe tabida tantum conſectantur cadaueraſnam pura,beneq; habentia,ne ſentiunt quidem. Conſimiliter inimicum uitæ modo labes mouet,ægra illum excitant,ac quæ computruerint. Ad hæc adnuunt, hæc cõtrectaſſe gaudent,hæc conuellunt,qui te odioſe inſectantur. Inde uerò eximia, ac præcellens profluit utilitas, ſi iſta ueritus, explorate penſiculateq; tibi perpetuò intẽdas: te obſerues,ne quid incurioſe,incircunſpecteq;,ſed proſpicienter omnia dicas,agasq;: ut ueluti in accuratiore diæta,uitam præſtes incuſabilem, inculpatam, ab omniq; ſequeſtratam uenenoſiore morſu. Qui enim ſic affectiones reprimit,ſedatq;,&,qua maximè pollemus,rationem uelut in ſpecula continet,metu,prouidaq;,& ſagaci cura, meditationem concipit,& propoſitum æquabilem tranſigendi uitam, ac omni procul abiun-

ctam crimine. Id enim prorsum in hoc usu euenit, quod ciuitatibus contingere certum est, quæ hoste uicino assiduè infestentur. Hic siquidem ingruens terror ad moderationem redigit, concordiam conciliat, sanæq́, ac rectè ualentis reipublicæ amorem inducit. Eodem modo inimicus infestior uel nolentes ad sobrietatem reuocat, in desidiam labi non permittit, aut neglectum: efficitq́ assuetudine ista, ut tanquam in statione quadam positi, εἰς τὸ ἀναμάρτητον euadamus, id est in statum insontem, ac prorsus Theonini dentis nescium. Quibus enim Homericum illud altius insederit, ac (ut sic dicam) fuerit ad manum,

ἦκεν γηθῆσαι πρίαμόν, πριάμοιό τε παῖδας,

Lætari utiq́ Priamus posset, rursumq́ Priami filij: auertũtur inde, longiusq́ abducuntur ab ijs, quæ inimicus lætè naso crispante uideatur excepturus, ubi uelut per frumentarios, quod in amicos curiose dicitur fecisse Adrianus, omnia uel anxiè fuerit scrutatus. Mirum est, quàm proficiat in summam uitæ studium hoc, & æmula cõcertatio. Celeberrimum est Nasicæ Scipionis apophthegma, Quibusdam enim astruentibus, rem Romanam nunc demum obfirmatam stabilemq́ uideri, Carthagine funditus euersa, & (ut ait ille) impacto mœnibus aratro: Immo uerò, inquit, nunc periclitamur maximè, quando nec quos extimescamus, nec quorum nomine erubescamus, reliquos nobis fecimus. Adde præclarum Diogenis documentum, ciuile in primis, ac philosopho condignum: Quo nam pacto ulciscar inimicum? Si bonus, inquit, honestusq́ ipse fias. Inimici equos probari qui aduertunt, torqueri nõ cessant: si commendari canem, si elaboratos excultosq́ uideant agros, si pulchrè floreſcentem cõgerminantemq́ spectent hortulum, ingemunt. Quid facturos putas, si iustum te comprobes uirum, mentis integræ, bonum, uerbis probum, factis purum, uictu moderatum, profundo perfruentem (ut ille ait) mentis sulco, unde prudens egerminat consilium? Si inimicum malè habere cupis, non impudicitiam substratæ uirilitatis, non mollitiem opprobraris, non scurrilitatem, non id genus alia pleraq́. Cæterum esto ipse sciens, temperatus, uerax, adeuntibusq́ perhumanè utaris, ac iuste. Quòd si ad probra euectus fueris, id sit præcipuæ curæ, ut ab ijs quæ coarguis, abducas te lõgius: introspice animam, putrida circunspecta, ne quis insultet illud tragicum,

ἄλλων ἰατρός, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Aliorum medicus, ipse ulceribus scatet. Si inscitiam fortè tibi in altercationibus obiecerit, intende discendi ardorem, allabora eo procliuius: si timidum appellarit, uirilem exacuè promptitudinem: si ut lasciuum incessiuerit, atq́ intemperãtem, exterge animam, si quod latẽter inoleuit titillantis uoluptatis uestigium, memor semper: Nil fœdius reciprocante crimine. Si cui turpiter ac inhonestè agenti incurrisset Plato, abiens, secq́ intuens dicere solebat, μή ποι ἆρ' ἐγὼ τοιοῦτος; an & ipse talis? Qui inimici cõuitia patitur, insigniter inde iuuari potest. Nam dicere solitũ Antisthenẽ accepimus, Reuocandis ad bonam frugem uel amico esse opus ingenuo, uel ardenti acriq́ inimico: alter enim rectè monendo, coarguendo alter increpandoq́ auertit à uitio. Genus autem hoc remedij tanto uideri præstantius debet, quod (ut nunc est) ubi fidenti opus audacia est, amici ἰσχνοφώνους, id est graciles uoce se præstant: sicubi adulatio intercurrat, impendio sunt loquaces & obstreperi, uel tinnuli quoq́. Vbi admonendus amicus, muti prorsum. Proinde ab inimicis audienda ueritas, quam negligit amicitia. Nam & Telephus medicinam inuenit ex hoste. Et qui Thessalum Promethea perimere cogitarat, persanauit, abscessui quod phyma uocant, patefacta uia. Ita profectò est, Inimicus ὄντως ἄμισθος διδάσκαλος, id est gratuitus magister, ac sine mineruali, semper ex eo discere aliquid licet eorum, quæ nos lateant: ac eo quidem impensius, quod plura longe, acsępius præsentit, perspicitq́ inimicus, quàm amicum professus: quando, ut Plato ait, τυφῶνται τὸ φιλοῦν πρὸς τὸ φιλούμενον, occæcat amor in eo quod ames. Odium uerò ferè garrulitati adnexum implicitumq́ est, ac πολυπραγμονεῖ, id est satagit alienarũ rerum. Sic enim ut possumus, transferamus: nec tamen inde damnari aut coargui Latinæ linguæ tenuitas debet, quando ut testis locupletior Hieronymus est, etiam Græci pleraq́ nostra per circuitus transferunt. Hieron ex inimico audiuit primum, sibi fœtere animam: quamobrem commotior, Quid ais uxor, cur non commonuisti? At illa, ut quæ modestã

modeſta foret, puraq́: Quoniam, inquit, ita uiris omnibus olere opinabar. Poſtremo id cogitandum, agricolarum peritiſſimos tradere, allium & cepas bonitate proficere, ſi roſis uiolisq́ applantẽtur, quod in eas acrimonia, & quod olidum eſt, ſecernatur. Eodem ipſi modo inimicum ex propinquo patiamur, quo feliciter agente, cõmoueamur, exacuamurq́: ac ita conſurgamus, ut ex æmulatione connitamur pari induſtria perfungi, aut etiam ſublimiorem nobis locum uendicare. Quòd ſi malis artibus euadat is nobis ſuperior, uel gratia, uel honoribus, æquo id animo patiendum, imò eo amplius noſtra ipſorum integritate lætandum. Siquidem quod intra, quodq́ ſupra terram aurum eſt omne, in æquilibrio uirtutis ſtare nequit, ſicuti à Platone dictum grauiſſimè eſt. Illud uero ſuperpondium fuerit, quod ex Plutarcho dictum de Hierone eſt, id ab Hieronymo aduerſus louinianum primo, in Duellium referri, qui Romæ primus nauali certamine triumphauit, & uxorem Biliam tantæ pudicitiæ, ut illo quoq́ ſeculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monſtrum erat.

De uulturibus adnotata quæpiam. Cur cauſidici dicantur togati uulturij. Item imperatores paludati uulturij. De uulturum odoratu, & odoris ratione. Caput XVIII

VLturem animalium omnium innocentiſſimũ, Hermodori Pontici ſententia pronunciauit, quia nil prorſus attingat eorum, quæ ſerant homines, plantent, alant. Animantium præterea nullam interimat. Volucribus quoq́ uel mortuis abſtineat, quodã cognationis intellectu. In auguriis certe auis præſtantiſſima uultur habebatur, quod Hercules comprobarit, necnon Romanæ urbis primordia manifeſtum faciunt, fortè quia rariſſimè uulturius conſpicitur, & inde oblatus aliquid ſemper creditur portendere. Aut quia, ſicuti fabulantur Aegyptij, & in Hexaemero Ambroſius uidetur approbaſſe, uulturij omnes fœminæ ſunt, ac ut zephiro arbores, ſic illæ euro grauidæ fiunt: aut borea, ut prodit Horus. Immo certa & firma indeſigna fieri, ueriſſimum eſt. Horus hieroglyphicè uulturis imagine matrem prodit indicari: in Onirocriticis ſcribit Artemidorus, in Italia ueteri lege uultures à nemine ſolitos necari: quin & illis inſidias cõcinnantes ἀσεβεῖς inquit, opinabantur. Verum quia animans hæc cadauera iam tabida ſummè affectat & rapit auidiſſimè, ex quo & Catullus, Lingua exerta auido ſit data uulturio,

propterea quodam loco Apuleius, cauſidicos & oratores forenſes probroſis inceſſens uerbis, quod eis, ut Columella dixit grauiſſimè, cõceſſum ſit in medio foro latrocinij, togatos nominauit uulturios. ut quibus præuaricari, reos prodere, uendere aduocationes, & ſanguinaria rapacitate homines excarnificare, frequentiſſimi ſit moris. Sicut M. Tullius pro Sextio, Vulturios paludatos appellauit Gabinium & Piſonem imperatores, qui pretio nundinarentur omnia. Porrò & ratione eadem ſalibus ſuis Plautus inſeruit uulturios pro talis in Curculione: ut enim uultures carniuori ſunt, & rapto uiuunt, compari modo & tali uoratores ita ſunt, ut diſpolient ex toto aleatorem, atque ut Plautino item uerbo utamur, deruncinent. Captatores quoq́ dici uulturios, non Senecа modo, ſed indicauit Catullus item illo uerſiculo,

Suſcitat à cano uulturium capite.

Memorabile eſt quod tomo De ideis primo, ubi πρὸς συμπόσιον λόγου diſſeritur, Hermogenes adnotauit, quoſdam appellare ſolitos uultures, τάφους ἐμψύχους, id eſt animata ſepulchra, παρὰ δὲ τοῖς ὑποξύλοις τοῦτοις σοφισταῖς πάμπολλα εὑρεῖν ἔστι, τάφους τε γὰρ ἐμψύχους οὓς γύπας λέγουσιν, ὧν μέρ ἐστι μάλιστα, ἄξιοι καὶ ἄλλα τοιαῦτα ψυχρεύεσθαι πολλαπλᾶ, id eſt apud ſubligneos uero hoſce ſophiſtas plura inuenias utiq́, quippe uultures dicunt ſepulchra eſſe animata, quibus digni ſunt ipſi maxime: & frigidiora his alia non pauca. Illud uero neutiquam prætereundum, quod ex Hieronymo compertum nobis eſt: Vulturem, quum cœperit oua ædere, quippiam ex Indico tractu afferre, quod eſt tanquam nux, intus habens quod moueatur, ſonumq́ ſubinde reddat. Id uero ſibi ut appoſuerit, multos fœtus producere, ſed unum tantum remanere, qui immuſulus à pleriſq́ dicitur. Maſurius uero pullum aquilæ eo nomine intelligit, prius q̃ albicet cauda. Vulturum odorandi uis mirifica ab auctoribus traditur claſſicis: nam & in magia ſignificat Apuleius, Si uero, inquit, naribus nidorem domeſticum præſenſit,

uincit idem ſagacitate odorandi canes & uulturios. Cui enim cani, cui uulturio Alexandrini cæli quicquã ab uſq; Aeenſium finibus oboleat? Scribit diuus Thomas, per quingenta millia paſſuum ab uulturibus, Addit Hieronymus, etiã ab aquilis, præſentiri cadaueris putorem, ſed & eo amplius. Illuc autem uſq; odorem, uel corporalem euaporationem pertingere, prorſus abſurdum, præſertim quum ſenſibile medium immutet undiq; ſecundum eandem diſtantiam, niſi præpediatur. Neq; enim ſufficeret ad tantum ſpatij occupandum, etiam ſi in fumidam reſolueretur euaporationem integrum cadauer: quando certus ac præſcriptus eſt refractionis terminus, ad quem naturale corpus peruenire poteſt, qui eſt raritas ignis. Sed nec huiuſmodi odore cadauer noſcitur ſenſus ratione immutatum. Proinde dicendum, quod & alibi hoc opere attigimus, ab odorabili reſolui quidem poſſe fumidam euaporationem: ſed eam tamen non produci ad eum terminum, ubi odor percipiatur. At ipſum medium ſpiritaliter immutari ultra q̃ commemorata euaporatio poſſit peruenire. Sunt & qui futuram ſtragem præſenſione quadam mirè percipi, tradant. Et comprobat in Hexaemero magnus Baſilius. quo nomine Marti ſacros cenſuit uultures ueterũ auctoritas, uti ſcribit Phurnutus, quoniam plurimi uiſantur, ubi ſint πτώματα πολλὰ ἀφῃφατα. Etiam ſi deo illi aſinos immolarent nonnulli de turbulenti ruditus ratione, ob bellicos clamores. Alij autem canes, διὰ τὸ θρασὺ καὶ ἀνθρωπικὸν τοῦ ζώου. Quin & ingruentis mali certiſſimum haberi præſagium, ubi exercitum aues inſequãtur eiuſmodi. Cuius rationem ſcrutari, difficillimum cenſuit Albertus, ni ſtellarum poteſtate occultiore fieri, collibeat credere. Coruos equidem ipſum hoc quandoq; factitaſſe, compertum eſt. Scribit Horus: Veteres imperatores accuratè ſolitos explorare, in quam belli partem ſpectarẽt uultures, inde uictoriam coniectantes, uel profligationem. Quod autẽ Albertus idem ſcribere Ariſtotelem tradit, Vulturis nidum nunquam eſſe uiſum: id uero perſpicuè falſum eſt, quod amplius liquebit, ſi quis ſextum De hiſtorijs animalium adierit librum. Propterea uulturũ nidos in Germania uiſitari frequentes, facile impetrarit fidem. Porrò de uulturijs ſcitus admodum narratur apologus aduerſum fœnore ſeſe illaqueantes, Vulturius quidam uehementer agitatus uomere amplius cœpit, ſimulq; etiam queri, ac ſeſe affligere, quòd inteſtina eiectare uideretur. Pax ſit rebus, inquit alter, non eſt quòd ægro ſis animo, neq; enim tui euomis quippiam, ſed cadaueris portiones quod nuper conſcidimus. Eadem ratione fœnore adobruti non agros euomunt diſtrahuntq; proprios, ſed fœneratoris, quem ijs dominum præfecerunt. De uulturibus apud Ambroſium quod attigimus, ſic comperi: Concubitu perfrui iam nullo, nec coniugali uſu, nuptialiſq; copulæ ulla miſceri ſorte: ac ita nullo maſculi ſemine concipere, & citra coniunctionem generare: natos uero inde in multum ſupereſſe æui, adeo ut ad annum centeſimum uitæ ſeries producatur. Vultures itẽ ſunt qui tradant, animalia cuncta uidendi præſtantia exſuperare.

Quid ſit quod monogrãmos deos dixit Epicurus. Quod ſolidum corpus: & quæ mathematica corpora. Monocroti, dicroti. Apuæ. Aphyæ meretrices cur. Euthygrammæ quid, & euthyoriæ. Polygrãmi. Canabi qui dicantur, & clematides Aegyptiæ. Philetæ, ac Philippidæ macilẽtia. Cap. XIX

Cicero libro De natura deorum ſecundo, Epicuri ſententiam exagitans ſic ferè ſcribit: Non ſunt dij, inquit, his corporibus, ut aut caſus aut ictus extimeſcant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quę uerens Epicurus monogrammos deos & nihil agentes commentus eſt. Quæſitum inter doctiſſimos, in ueterũ literarum tractatione diu multumq; uerſatos, qui nam dicantur Monogrãmi, aut quid eo uerbo intelligi uoluerit Epicurus. Ego uero pro uirili bene conſultum omnibus cupiens, quæ mihi uetus lectio ſuggerit, promam gratiſsimè, expendet mox lector candidus: ſicq; ad ſtomachum facient, percoquat, ac citra liuorem ſinat ire in corpus, nullis magnopere, auxieq; cuniculis ductis, aut aranearum obiectis caſsiculis: quos plerunq; argumentationum eculeos rentur ſcioli, in quibus aduerſarium ſuſpendant: ſi qua minus arriſerint, tranſiliat, putetq;, nos fuiſſe homines. Monogrammos igitur ex monumentis Marcelli inuenio dici, homines macie prætenues ac decolores ſtrigoſosq; ac incuratiores & ueſculos. Quæ nuncupatio uidetur ex picturæ ratiõe inflexa, quæ linearis dicitur, ut ex Plinij doctrina percipi licet, quod prius quàm

quàm coloribus corporetur, lineis ad umbram fingitur. Probat porrò Nonius Lucilli auctoritate, cuius sunt uerba:

Vix uiuo homini, & monogrammo.

Cæterum ex ijs non omnino quidem eluceſcit Ciceronis nodus, ad intellectum tamen aditus aperitur, qui plenus fiet, ſi placita Epicuri de natura diuina exploratius nouerimus. Quæ ab Anthropomorphitarum hæreſi haud ita diſparantur, qui ruſtica ſimplicitate deum habere humana membra arbitrantur, unde & appellationẽ ſortiti creduntur. Omnium, inquit, animantium formam uincit hominum figura. Deus autem animans eſt: ideo ea profecto figura eſt, quæ pulcherrima ſit omnium, quoniam deos beatiſſimos eſſe conſtat: beatus autem eſſe ſine uirtute nemo poteſt, nec uirtus ſine ratione cõſtare, nec ratio unquã ſine hominis figura. Hominis igitur ſpecie eſſe deos, confitendum eſt. Nec tamen ea ſpecies corpus eſt, ſed quaſi corpus: nec habet ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem. Addamus porrò, ut perſpicua magis tota res fiat, quod aptiſſimè concipit matheſis. Omne corpus, quod ſolidum eſt, ac ſtereon Græci uocant, triplici conſtat dimenſione, longitudinis, latitudinis, profunditatis. Ex his tribus, lineæ ductu una conſurgit dimenſio, quam longitudinem dicimus, citra ullam latitudinem. Planities uero, quam epiphaniam uocant, longo latoq; diſtenditur: alto tamen caret. Soliditas autem perficitur, ſi illis altitudo acceſſerit. Cæterũ id magnopere aduertendum, quòd corpus quodlibet ſuperficie quidem cluditur, tanquam termino. Hic uero terminus quamuis circa corpus ſit, incorporeus tamen intelligitur: eſt enim hæc incorporea natura prima, nec tamen purè, quando non niſi circa corpus apparet. Propterea etiam ſi ſuperficiem à corporibus res non ſequeſtrat: intellectus tamen ipſum hoc facit. Hæc ſuperficies ſicuti terminus corporum eſt, ita terminatur & ipſa lineis, quas ſuo nomine grammas Græci dicunt: punctis uero finiuntur lineæ. Deniq; corpora hæc ſunt, quæ mathematica uocant. Ex his uero iam dilucere arbitror, cur deos non habẽtes corpus, ſed quaſi corpus: ut acutè delirabat, Epicurus etiam monogrammos nuncuparit. Nam nec ſuperficies quæ lineis connectitur, corpus eſt, ſed quaſi corpus: quia citra corpus non eſt. Sic & monogrammos pictura, quaſi ſuperficies quædam concipi debet, quoniam non eſt corporata coloribus, qui profunditatem imaginibus tabuliſq; addere uidentur. Qui porrò emaciati ſupra modum ſunt, & pellucidi quodammodo, ut quibus nulla adeſſe carnis uideatur altitudo, rectiſſimè profecto & hi monogrammorum inſigniuntur cognomine. Monocroti apud Xenophontem Rerum Græcarum ſecundo, ad monogrammos pertinent nihil. dici Latinè ualent uniremes: ſicut dicroti, biremes. Dignum relatu id quoq;, in Græcis obſeruatum monumentis, & ab Apollodoro proditum: meretriculas quaſdam fuiſſe Aphyas, id eſt Apuas cognominatas: quòd minutulæ forent, albæq;, oculis grandioribus, nomina eis fuere Stagonion & Anthis: ex eadem cauſa in libro De meretricibus, Nicoſtratida dici Apuam cœpiſſe, ſcribit Antiphanes. Alioqui et Apuas, auctore Chryſippo, Athenis ob rei affluentiam nimiam eſſe dictitabant πλωχικὸν ὄψον, id eſt mendicorum obſonium. Quoniam uero de grammis, id eſt lineis actum nobis eſt, obiter, exq; abundanti ſubnotandum, Euthygrãmas apud Vitruuium dici rectas lineas, ex quibus geometria circini tradit uſum, è quo facilius ædificiorum in areis expediuntur deſcriptiones, normarumq; & librationum & linearum directiones: εὐθυωρίαν Græci, æquè ſemper meantem curſum uocant. Polygrammos melanuros uocat Ariſtoteles, atq; item melanogrammos ab linearum multitudine uel nigricie, quibus interſtinguantur. Sciendum quia hac de re actum nobis, macie prætenues dici ab Græcis canabos quoq;, ut ſcribit Pollux. nam & poeta Sannyrion ita eſt cognominatus: quoniam ſit exile lignum canabus, pileorum textrinæ accommodum. Sed & procero corpore homines, ac nigro, uti eſt apud Demetrium Phalereum, Clematides dicuntur Aegyptiæ: quoniam eiuſmodi ferè ſit herba ea, in Aegypto proueniens ubertim. Philetam Coum, poetam adeo macie attenuatum ferunt, ut plumbeos globos pedibus adnexos haberet aſſiduè, ne à uentis auferretur tranſuerſus. Philippides in eandem uenit decuriam, & inde conformatum uerbum φιλιππωδᾶν, pro emaciari.

Camilli

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN ANTIquarum lectionum libros Lodouici Cælij patrui, ad magnificos comites Octauianum abbatem, Lactantium priorem, & Petrum de Rouerellis fratres, Præfatio nona.



VManarum obuolutionum antiquiorum famosiores uariam pelagi uastitatem deuagantes, uarijs mentium captionibus irretiti, summam humanæ felicitatis amplitudinem conati, diuersis diuersa propríjs suis affectibus consona dictitarunt: bonam alij extollentes fortunam: honestam alij uoluptatem, scientifici contemplatus solo affectu saginati: alij natura ipsa præministra omnibus hominibus scientiæ desiderium insitum esse doctissimè tradiderunt, ut qui summi boni amplissimam insigniturarum primarum causarum contemplatu aut adeptam, aut adeptioni dispositam, certo certius arbitrarentur. Cuius assertionis amplitudinem & si aliàs (ut sic dicam) olfecerim, toto nunc animo, certissimoq; meæ mentis affectu serius conspicatus affirmo. Eoq; magis quòd ad uos doctissimi bonarum literarum cultura micantes Octauiane abbas meritissime, Lactanti prior dignissime, Petre comes illustris, mihi omniquaq; patroni obsequiosissimi: qui uos non nisi doctrinatæ scientiæ fastigijs anhelantes, toto animo, toto mentis affectu inhiantes perspiciens, ac eadẽ deuinctos opinione idipsum sentire suadeor: ut qui non nisi solam doctioris Mineruæ initiaturam toto animo fouentes eadem uobis ipsis progymnasmata præmonstretis, ut & cuiusq; uestrum bonæ indolis amplitudinem multo ante hac præsignatam optime comprobetis: & Rouerellæ familiæ decantatissimæ fimbriatis literaturæ præconijs, uestro ipso genio, uobis ipsis suggerentibus refertissimè demonstretis insigniturarum. Quòd eo mihi certius assertum cognosco, quo uos bonarum literarum studia amplius elucere curantes, si quid in eis absconditũ esse scitis, non nisi ut in clariorem lucem prodeat curetis, ut doctiorum mentes amplius excitatæ latius euagantes diffundantur. Qui me pluries Antiquarum lectionũ lecturam, doctissimi Lodouici Cælij patrui mei fœturam antea æditam, additionibus maximis demum defricatam, quasi doctiorum mentibus insidiatum detineam, tanto affectuositatis impulsu arguerítis, ut non nisi ipsius promulgatione in uos gratioris meæ certitudinis effectum uidear ostensurus. Quam quum, & si iam diu ante hac præmeditatam, nunc uestris potissime impulsus persuasionibus ut prodeat destinatus, impressoribus excudendam tradere decreuerim, eius (ut amplissimis defensoribus munita securius prodeat) portiunculam hanc nonam uestro nutui dicatam uolui. Nec ab re: quos & doctissima Minerua eruditos, & doctiorum animis gratius propensos adeo dignoui, ut ipsius, totiusq; operis patrocinium uos alacriori animo subituros non dubitauerim. Hanc igitur uestra illa innata animi sinceritate, pusillum equidem munusculum, at mei in uos affectuosi ancillatus insigne non immeritum accipite, Camillumq; Richerium uestris omnium nutibus obsequiosissimum fouentes curate.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI NONVS.

Muſices laus: cur data hominibus: rurſum à quibus ſtudium eius ſit deriſum. Cleon cantor. Ateas Scytha. Apollo medicinæ inuentor, & muſicæ rex. Mercurij inuenta. Caput I



VMmam eruditionem, & animorum inſtitutionem longe præclaram eſſe in neruorum uocumq; cantibus ſitam, à Græcis ſemper ferè creditum eſt. Hinc legimus Epaminundam Græciæ principem fidibus præſtantiſſimè ceciniſſe. Proinde, ſicuti commeminit M. Tullius, Themiſtocles quum aliquot annis antè in epulis recuſaſſet lyram, eſt habitus indoctior. Quando uti teſtis item primo Therapeutices eſt Galenus, abeſſe à conuiuijs lyram, uel id genus aliud, turpiſſimum cenſebatur planè, ἄπεσθαι δὲ πάλαι τῆς τοιαύτης σωόδους, καλὸν ἡγούμενοι. Sed & Lycurgus, quamuis duriſſimas Lacedæmonijs ſuis leges iniungeret, muſices tamẽ ſtudium egregiè uidetur amplexatus: quando ipſam hanc natura parens impertiuiſſe animaduertitur, quo tranſmittí laborum onus moleſtiſſimum poſſet procliuius. Remigem, ut Fabius inquit, cantus hortatur, & ſingulorum fatigatio quamlibet ſe rudi modulatione ſolatur. Quin & concionum fluctibus inſeritur, agẽtiq; Graccho ſeruus Erycinus eburneola fiſtula modos incinebat. Pythagoras, & qui deinceps ſtudia conſectati ſunt eadem, Mundum ipſum non citra muſicas rationes concinnatum coaptatumq; argumentorum ſubtilitate colligere ſunt uiſi. Quin & artium ueluti præſtãtiſſima diuinis ſe inſeruit rebus, & quod teſtatum quoq; Ptolemæus reliquit, numinibus placandis adhibetur. Plato etiã eſſe gentibus contributam putat muſicam ad præclarius quoddam præſtantiusq; opus. Nam quum ſit concinnitatis inter frequentamenta uaria præcipuè artifex muſica, non ideo à dijs data, ut ad delicias conuertamus, & aurium pruritum: ſed ut, quod animæ conſonantiam turbat & harmoniam, huiuſce uoluptatis delinimento ſedari, ac ad ordinem redigi ualeat. Cæterum & grauiſſimè Pindarus: ὅσσα δὲ μὴ πιερίδων ἔρις, ἀτύζουσαι βοὰν πιεῖδωσ ἀΐουσα. Quæcunq; non amat Iuppiter, uocem auerſantur Pieridum. Proinde Socrates iam ſenex, inſtitui lyra non erubeſcebat. Thebis porrò Pindari ſtatua uiſitur nulla: uiſitur autem, inquit Athenæus, cantoris Cleonis: in cuius ſinum, Thebas Alexandro diruente, quum fugiens quidam aurũ immiſiſſet, rediens anno trigeſimo pòſt, iam Thebis frequentibus, cum fide totum recuperauit. Præclara eſt comici Eupolis ad muſices præconium pertinens ſententia, qua negocium eſſe ſancitur βαθὺ καὶ καμπύλον, id eſt profundũ flexuoſumq;. Propterea in Hyacintho Anaxilas: Muſica per deos, inquit, perinde ac Libya, ſemper quotannis nouam quampiam feram parit. Magnus equidem iuxta citharœdum Theophilum, ſtabilisq; theſaurus muſica eſt: mores enim inſtituit, componitq;, ac mollit irarum ardores, quod uel Homericus abunde Achilles ſignificat. Muſici quidem proprium munus, in ſono gratiam, in cantu ſermonis elegantiam imitari: meminiſſe uero animi motus multo impenſius, uti conſonent, curandum quàm uoces. Inconcinnum quippe muſicum uideri, cui in maxima uocis ac lyræ conſonantia diſſonat mens. Porrò Dauid oraculum eſt, ac Mercurij: poſtea quàm mouente deo canimus, & deum canere nos oportere. Quo fit, ut inſignitius barbarã quorundam feritatem mirari non deſinam, quos inauſpicatiſſimis etiamnum dictis artem nobiliſſimam inſectatos nouimus. Nam Scythicum regem Ateam Scythicam planè feritatem & barbaram inſcitiam reſipientem, memoriæ proditur, quum captiuum Iſmeniam, tibicinem illum celeberrimum, quem Bœotios complures iſchiadico diuexatos morbo modulis ſuauioribus perſanaſſe tradunt, tibia incinere iuſſiſſet, ac illum cæteri ſuauitate demulcti ſumma proſequerentur admiratione, laudibusq; efferrent plurimis & ueriſsimis, inculto barbaroq; iureiurãdo identidem comprobaſſe, Equeſtrem hinnitum

tum ſibi uideri iucundiorem mollioremq́. Verum in Barbaro, & hoc quidem Scytha, uox huiuſmodi minus fortè mira. Quid uero Spartanis facias? Quando Zeuxidami filius Archidamus, quũ nimio plus admiraretur quidam citharœdum, uimq́ eius laudaret: O præſtantiſſime, inquit, quodnam bonis uiris præmium ſtatues, cui tantum arridet citharœdus. Rurſum quum ex aſſiſtentibus quidam intuliſſet: Pſaltes eximius hic eſt. At, inquit, apud nos bonus cantor, bonus cupediarius eſt. Ceu nil prorſum interſit, cupediisne, ac lautitia concilietur uoluptas, an modulatiore ex organis ſono. Quin & gentis eiuſdem Demaratus, ubi pſalten inaudiſſet, ſubiecit, ὁ κακῶς φαίνεταί μοι φλυαρεῖν: non malè mihi uidetur nugari. Inter Aegyptiorum placita etiam illud audio celebrari, muſicam non modo inutilem uideri, ſed & noxiam, ut qua uirorum remolleſcant animi. Emerepes Ephorus Phrynidis muſici duas ex nouem fidibus aſcia abſcidit, inſuſurrans μὴ κακούργει τὴν μουσικήν, ne muſicam depraues. Eudamidas, quum cantor quidam mirè placuiſſet, ac ſcitarentur nonnulli, cuiuſmodi ei uideretur: Μέγας, inquit, κηλητὰς ἐν μικρῷ πρώγματι, demulſor magnus in re minuta. Poſtremò quum lyram conuiuio intuliſſet quiſpiam, dixit Spartiata, ὁ λακωνικὸν τὸ φλυαρεῖν, non eſt Laconicum nugari. At priſci theologi medicinæ repertorem Apollinem prædicant, & citharæ pulſandæ regem arbitrantur. Proinde ſcienter admodum in hymnis Orpheus, hunc uitalibus radijs ſanitatem cunctis, ac uitam elargiri cecinit, ac morbos propellere: porroq́ canoris fidibus, quod eſt motibus, uiribusq́ ſuis omnia contemperare; nam hypate, id eſt uoce graui hyemem: neate, id eſt acuta æſtatem, uocibus autem mediis uer producere, ac autumnum. Quum uero idem ſit muſicæ dux, ac medicæ cõpertor ſcientiæ, non mirum, artem utranq́ ab uiro ſæpe uno eodemq́ exerceri. Vocũ harmonias comperiſſe Mercurium primum in Aegypto, ſcribit Diodorus, ſicuti literas quoq́, ac palæſtram, & numeros, medicinã item, ac aſtrorum motum, ſed & lyram chordarum trium, ob tria anni tempora: nam æſtatem acuta præfert, hyemem grauis, uer autem media. Quin & uerborum ab eodem excogitatam interpretationem, quo argumento ſit Græcè dictus Hermes.

Muſicæ ſtudium eſſe omnibus inſitum. Hippothoros nomos. Eius initia uideri tria. Gigni tamen præcipuè amoris potentia. Amoris poteſtas mira. II

MVſica uero capi omne quod uiuit, inde colligunt Platonici, quoniam cæleſtis anima qua uniuerſitas animetur, originem ſumpſit ex muſica. Certe ex Strabonis doctrina didicimus, elephantes cantu mulceri, & tympanorum ſono. Et in Sympoſiacis Plutarchus ſcribit, Brutorum pleraq́ deliniri, afficiq́ plurimum muſica, ſicuti fiſtulis ceruos. Vbi uero ſaliantur equæ, nomon inciniſolitum, quem uocent hippothoron. Cantu uero delphinas moueri, teſtis locuples eſt Pindarus. In homine autem peculiaris adeſſe uidetur ratio: quia modulatior ſonus & flexanimus concentus, in corpus muſicæ memoriam deferat, cuius anima in cælo fuerit conſcia. Propterea nullum ferè haberi tam immite, tam aſperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Afferunt illa quoq́ Peripatetici, Inſitum eſſe omnibus, oblectari naturalibus motibus, cui rei ſint argumento pueri, qui uix dum nati modulis permulcentur. Omnino propterea delinimur numeris, quia ratum ordinatumq́ computandi modum habent, mouentq́ nos pro ſua æquabili ſerie ordinate. Indicium uero id maximum, eſſe ordinem ex naturæ ratione, quod quum ordinatè laboramus, bibimus comedimusq́, naturam uiresq́ noſtras ſeruamus augemusq́. Conſonantia igitur ea in primis cauſa demulcere poteſt, quia ſit permixtio ſiue contemperatio contrariorum aptè inter ſeſe coeuntium, & proportionem cuſtodientium. Adijce, quòd ſpiritus qui aereus ſanguinis uapor eſt, ac ueluti animæ nodus quidam & corporis, aereis quoq́ odoribus ſonisq́ temperatur & cantibus, ac interim alitur. Apud Aegyptios ſacerdotes, eorundem traditur fuiſſe functio, remedijs, fidibus ac myſterijs incubuiſſe. Muſices autem principia eſſe tria, deprehenſum ab eruditioribus eſt, mœrorem, uoluptatem, ac enthuſiaſmum, id eſt numinis afflatum. Dolores ſiquidem mirabili quodam modo, & lapſu lubrico uocem ad modulos inflectunt luctuoſam flebilemq́. Quo nomine in epilogis rhetoras, & in fletu actores, ſenſim animaduertimus modulari pronũciationem. Quod effereſcens item gaudium efficit uberius. Afflatos autem fatidico ſpiritu

ſpiritu eatenus externari, & ab naturæ conſueto reuelli ſpectamus, ut etiam futura ratione pandant metrica. Verum enim uero ſi amoris poteſtatem amplius in apertum promas, explicesq; pro dignitate, liquebit luce clarius, nullam prorſum affectionem æque ad cantum & muſicam nos prouehere iucunditatẽ. Ex quo inuulgatum id apud Græcos, cuius Sympoſiacon primo meminit Plutarchus: μουσικήν δ' ἄρα ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, id eſt muſicã docet amor, & ſi fuerit indoctus prius. Amor ſiquidem induſtriam exacuit, eſtq; plane artium inculpatus magiſter. Et proinde Plutarchi eiuſdem interpretatione, Plato ϖανοῦργος eum ὠμηχανηγτήν nuncupat, ut qui intentatum relinquat nihil, & ſeſe inſerat omnibus, καὶ γὰρ λαλεῖν ϖοιεῖ τὸν σιωϖηλόν, id eſt ſilentiũ cupidum ad garrulitatem producit. Iam uero deſidioſum, reſina, ueternoq; pigriorem excitat mirifice, ac de ceſſatore acrem facit, & ad omnia præcelerem.

Melorum genera tria. Modos eſſe uarios pro morum diſſimilitudine. De Dorio, Phrygio, Lydio, Ionico. Quę quis in ratione muſicę excogitarit primus. De Calaminis inſulis, ſeu ſaltaribus: item Torrhebia palude, ſiue nymphæo. Polycephalos. Synaulia. Tibiæ inuentor. Syrinx. Horatij locus explicatur. De elegorum inuẽtore. Fiſtularum genera. Syriſtes, ſyriſcus, ſyria ſyrmæa, hyriſcus. Cap. III

SCribit autem in harmonico Cleonides, nec omiſit Boethius: & ab Aurelio Macrobio reconditiſsimæ ſcientiæ uiro, Naturalium ſecundo traditum ſcimus, ut Ariſtoxenum præteream, & ex eius diagrammate Vitruuium, melorum tria eſſe genera, enharmonicum, diatonicum, chromaticum: ſed ex iſs quod principe loco poſitum, nimis intruſa, nimisq; recondita difficultate deſertum exoleuit. Tertium mollicie inſita, infamiæ nota non caruit. Medium uero, id eſt diatonicum mũdanæ muſicæ doctrina Platonis aſcribit. Nec tamen defuere, qui mollius illud eneruatiusq; (ut ſic dicam) genus, toto affectarẽt pede, cuiuſmodi Agathon tibicẽ me moratur. Illud nimirum conſtat, Muſicos modos Gentium uocabulis diſtinctos deſignatosq;. Etenim quo unaquæq; gaudebat pro morum ratione, eodem modus ipſe cẽſetur nomine. Delectationem utiq; ſimilitudo cõciliat. Hinc nata Phrygia, Lydia, Doria modulatio. Phrygiũ modũ etiam Barbarum appellat Porphyrio. Eius proprium eſt, ut inquit Lucianus, entheon: Lydij uero, bacchicũ: Dorij, honeſtum & graue. Adijcitur à pleriſq; Ionicũ, quod floridum intelligunt, ac iucundum. In rebus ſerijs priſcos inuenio Dorium adhibuiſſe, non Phrygium, neq; Lydium. Quare, quum quid lætius ac iucundius uel dicendum uel optandum eſſet, Ab Dorio dicebant in Phrygium. Verum tamen quid Caſsiodorus ſuper iſs prodat, attendendum magnopere: Dorius, inquit, prudentiæ largitor eſt, & caſtitatis effector: Phrygius uero pugnas excitat, uotum furoris inflammat: AEolius animi tempeſtates tranquillat, ſomnumq; iam placatis attribuit: Lydius intellectum obtuſis acuit, & terreno deſiderio grauatis cæleſtium appetẽtiam inducit, bonorum operator eximius. Ex iſs uero lux multa Quintiliano infertur, ſcribenti, in materia declamãtium poni tibicinem ſolitum, qui quum ſacrificanti Phrygium ceciniſſet, ac ille actus eſſet in furorem, fingebatur accuſari. Lydiam tamen harmoniam Plato libro De republica tertio, plurimum reprobat, quæ acuta ſit, & lamentationibus accommodata: prima enim eius conſtitutio fletus lamentationisq; cauſa facta eſt. Nam Ariſtoxenus in primo De muſica, Olympum tradit, in Pythonis ſepultura ceciniſſe tibia ſecundum Lydium modulum funeralia. Hæc Politicorũ octauo Ariſtoteles de Lydia mixta etiam comprobauit. Compoſitam uero & mediocriter afficere Doricam retulit. Phrygiam diſtrahere animum, & rapere. Quamobrem non recte uideri Socratem in republica eam admiſiſſe modulationem: Subdorium & ſubphrygium uocat Ariſtoteles idem in quæſtionibus encyclijs, aſtruens ea in tragœdijs non eſſe chorica. Subphrygium uidetur dici modice remotum à uero naturaliq; phrygio. Mixolydius item modus commiſerationis eſt, ac tragœdiæ congruens. Hunc Sappho inueniſſe prima traditur. Damon uero Atheniẽſis, ut pleriq; conſentiũt, remiſſam reperit harmoniam, quæ mixolydio contraria eſt, iados autem perſimilis. Sunt qui Lydiam modulationem ab Cario Iouis, & Torrhebiæ nymphæ filio primum repertam uelint: qui quum forte erraret, incidit in paludem, quam mox de matris nomine Tor-

rhebiam iuſſit appellari: ubi, quum nympharum, quas etiam Muſas interpretantur Lydi, ut auctor Stephanus eſt, præſuaues inaudiſſet cantus, edidicit, atq; itẽ reliquis inſinuauit. Memoriæ proditur id quoq; : in Torrhebia palude, ſeu lacu, quẽ dici item nymphæum uolunt, eſſe nympharũ inſulas, quæ tibiarum cantu in ambitum motentur: propterea q; Calaminas uocari à calamis: atq; item Saltares, quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouẽtur, ut Plinius ſcribit: tametſi à calaminis diſtinguere uidetur. Clonas elegus poeta & epicus tibicinicas regulas & concentus conſtituiſſe memoratur primus, ſicuti Terpander citharœdicas leges princeps omnium perueſtigaſſe narratur. Elegias, heroica item carmina Polimneſtus Colophonius. Sunt tamen qui elegum carmen primitus enunciatum tradant, à Naxio quodam Theocle furente, ſiue is fuerat Eretrienſis, aut ab Callinoo, ſicuti Terentiano placet: ac inde ab Horatio dictum in Arte poetica, ex hac opinionum inter auctores inconſtantia:

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Olympus Phryx tibicinicam primus ad Græcos intulit, & dactylos Idæos, Midæ regis temporibus, & tibialem inuenit legem, quæ polycephalos dicta eſt, forte non diuerſa à nomo, quem xynauliam ſiue ſynauliam uocant. Ea uero eſt, quum tibicines duo incinunt idem: aut certe, ubi cithara & tibia concentum faciunt. Fuit autem Olympus hic Marſiæ diſcipulus, & αὐλητικοὺς νόμους ſcripſit, & θρηνητικούς, id eſt tibicinicas leges & lugubres. Tibia uero uſum Hyagnim primum uolũt, aut (ſicuti Apuleius inquit) primus in canendo manus diſcapedinauit. Primus duas tibias uno ſpiritu animauit, primus dextris & læuis foraminibus acuto tinnitu & graui bombo concentum muſicum miſcuit. Porro ſunt qui Apollinẽ non citharam modo, ſed etiam tibiam inueniſſe tradant, Cui rei argumento ſit ſimulacrum Deli, cuius dextra teneat arcum, læua gratias ſuſtineat, quarum ſingulæ ſingula muſicæ inſtrumẽta manibus geſtarent, una lyram, tibias altera, media fiſtulam teneret ore. Puerum præterea, qui laurum tempicam Delphos inferebat, tibicẽ pone aſſectabatur. Et quę ex hyperboreis ſacra mittebantur, non ſine tibijs, fiſtulis, citharis fuiſſe memorãtur. Sunt autem fiſtulæ, quas ſyringas uocant, generis non unius: eſt enim quæ dicatur monocalamos, à Mercurio inuenta, ſicut à Sileno polycalamos, à Marſia cerodetos. Scire conuenit tamen, ſyringos notionem eſſe non unam, quippe eſt quando appellatione ea in rotæ foramen iniecta portio axis intelligatur, quin & foramen ipſum. Meminit Sophocles,

Κεἰνῳ δ' ἐπ' ἀὐτῷ ἐσχάτῳ σύριγγ' ἔχων,
ἔχειμπ' ἀὲὶ σύνευγα.

Oblongior item foſſa dicitur ſyrinx, ſed haſtæ repoſitorium quoq;. Syriſten uocant inter grues marem, id eſt συρισήν. Syriſcum eſſe uas tradunt plexile, in quod conijciantur fici: ſed hyriſcum pronunciant alij. Syriam pro craſſiore accipiunt indumento, pinguioreq; à σισύρνη. Vel quod in Cappadocia, quam Syris contribuunt, confici ſoleret. Syrmæa in Lacedæmone certamen erat, præmio propoſito, quod ex farina & mele, nuncupant ſyrmeam.

Quæ muſica probis admittenda moribus: item quæ inſtrumenta cẽſeri im proba debeãt. Magadis, magma, ecmagma, crocomagma, ſpadicarij. Quintilianus declaratur de ſpadicibus. Hypoſpadij, tibiæ, pactides. Baia. Baius color. Balius. Balię equi. Barbitos, brabyla, pſalterium, naula, nablas, nablißtę, panduriſtę, crembalum, ſambyce. De iynge plura paulo, & uulgata minus. Quintiliani locus de pſalmate, ubi plaſmate forſan reponẽdum, quod quibuſdam placet.

Cap. IIII

CAEterũ ijs omiſſis forte præſtiterit, Ariſtotelica ſubtexere placita: Melorum (inquit) diſtinctionem, qui in philoſophia uerſantur, eam afferunt: ut aliam dicant moralem: aliam effectiuam, id eſt πρακτικήν: aliam uero φθογγαστικήν, hoc eſt abſtractiuam. At Cato De liberis educandis: Melos alterum, inquit, in cantibus bipartitum eſt: unum aſſa conſtat uoce, alterum uocant organicon. Proinde pergit Ariſtoteles: Tibiæ in diſciplinam recipiendæ non ſunt, nec aliud artificioſum inſtrumẽtum, ut eſt cithara: uerum quæ auditores efficiunt bonos, tibia prorſus

ſus moralis non eſt,ſed magis ὀργιαστική, id eſt concitatrix. Adde quod & ſermone uti prohibet,& faciem deformat ita, ut ne à familiariſſimis quidē pernoſcaris. Propterea apud Plutarchum Alcibiades inquit, filij Thebanorū quum diſputare neſciant, egregie tibijs utantur. Quin & à Pallade,idem inquit Philoſophus, nō alia magis cauſa abiectas tibias, quas illa repererat: ut ipſe uult ex fabula, quam διὰ τὸν ἀχημοσύνην τοῦ προσώπου, id eſt ob faciei deformitatem. Tibiarum conſuetudo cœpiſſe uidetur poſt Medicas uictorias, quum Græci iam de ſe magnifice ſentirent,deſita uero Athenis diſciplina ea, Alcibiade auctore, quum percrebuiſſet, ab illo abiectas infractasq; tibias, pudefacto deformitate oris. Quod in commentario Pamphilæ nono & uigeſimo ſcriptum fuiſſe,adnotatum Gellius reliquit. Improbata item ſunt & inſtrumenta alia,ut pactides: quanquam apud Pollucem ſcribitur pyctides, apud Plutarchum item alicubi. Eſt uero organum dichordon, ut ſcribit Sopater: quod & magadis eſt, ut arbitratur Sappho: Ariſtoxenus diſparaſſe uidetur, quum ait, Magadin & pactida ſine plectro uenire in uſum pſalmo tātum. Ab Herodoto proditur libro primo, in bellum pergere ſolitum Halyattem fiſtulis præcinentibus,ac tibijs,& pactidibus, quod eſt fidibus, ſicut interpretatur Valla. Pactida legimus in Theocriti epigrammate. Scribit Anacreon, eſſe magadin pſalticum organum, à Lydis excogitatum, unde eſt apud Theophilum μαγαδίζειν uerbum, quod magadin pulſare ſignat. Alicubi tamen Ariſtoxenus,auctore Athenæo,pro eodem uidetur accepiſſe. Sunt qui pactide uſam in primis Sappho tradant. Organa hæc liquido diſtinxit Diogenes tragicus, atq; item Phillis Delius in ſecūdo De muſica. Magadin nuncupatā credit Duris à Magdie, qui fuit genere Thrax. Magadin eſſe pſalterium, putat Apollodorus. Magmata uero Græcis unguētorum dicuntur feces: ſicuti ecmagma uocatur conſperſio, & ſubacta maſſa. quāquam Galeni aſtipulatu crocomagma eodem cēſetur nomine: quod crocini olei fecem indicat. Sed & barbiti,& quæ ad uoluptatem tendunt, heptagona, trigona, ſambycę: poſtremo quę chirurgicam depoſcunt ſcientiam, hoc eſt peritam manuum geſticulationem, omnia reijciuntur. Euripides eos coarguit, qui lyra in poculis utuntur: Ad iram enim (inquit) potius, luctumq; adhibenda muſica eſt, non inſuper cantu addecet ſoluere, qui iam uoluptatibus diffluunt. Fabius quoq; muſicā reijcit ab oratore ſuo, quem perfectum concipit & format, quæ in ſcenis effœminata, quæq; impudicis fracta modis ſit. Item pſalteria & ſpadicas, etiam uirginibus probis recuſanda ſcribit. Quum tamen in Themiſtocle Plutarchus illum ſcribat neſciſſe lyra uti, ac pſalterium tractare. Verum quia in Quintilianum impegimus,& locus hic quem aduocauimus, adhuc faceſſit negocium multis, non ſatis percipientibus, quid ſibi uelint ſpadices hac parte, quum ſcribat Gellius: Spadica eſſe Doribus auulſum è palma termitem cum fructu. Atq; item in libro ſecundo, eſſe punicei coloris ſpeciem. Nam & enarrator Maronianus, ubi Georgicon tertio, Poeta de equis ait: Honeſti ſpadices, glauciq;.

Spadices, inquit, phœniciatos uocant, id eſt profeſſos myrteos. Ad quod item ſpectare illud Firmici contenderim ex Matheſeos tertio, qui Veneris recenſens decreta per ſingulas cæli ſtationes, illam facere quādoq; linteones ſcribit, ac plumarios: quandoq; uero tinctores,& ſpadicarios, aut textores, uel pigmētorum inuētores. Verum ut ambigere tādem deſināt, ex theſauris Iulij Pollucis nubilum omne tollemus. Sicut etiam teſtati abunde ſumus in gymnaſio Patauino, quum Oratorias inſtitutiones prouincialibus magno numero explicaremus. Nam inter organa muſica, ſpadix ab illo reponitur libro quarto, ubi ita ſcribit, Inter ea quæ pulſantur, eſt lyra, cithara, barbiton, quod ipſum & uarymiton dicitur ab Anacreonte excogitatū primo: uel (ut Pindaro placet) à Terpandro, ut eſſet pactidi Lydiæ ἀντίφθογγον. Barbilos autem, ſicuti ex decimo ἐκλογῶν περὶ γεωργίας dicimus, uocatur de oſſe perſici enata arbor. Brabyla uero ſunt Theocrito, quæ communius coccymela dicuntur, id eſt damaſcena pruna: unde imperitioribus nōnullis obrepſiſſe opinor, ut id genus poma uocent brombas. Chelys, pſalterium, phœnix, ſpadix, lyrophœniciū, clepſiambus, pariambus, iambyce, ſcindapſus, epigoneum. Palmarum porro cum fructu termites baia quoq; nūcupant: unde proreperit baius in equis color: quāquam & balius dicitur, ſed uarius Euripidi intelligitur. Baliam ceruam legimus, id eſt κατάσκοπον. Balios uentos accipiunt uiolentos: nam &

balías equos, celeres intelligunt poetæ. Hypoſpadíj, ad ſpadicas níl pertinent. Sunt tamẽ eo nomine, quibus ab ortu οὐρῆθρα, id eſt urinæ meatus demiſſior eſt, ſub eum qui dícitur Canis. Pſalterium uero, quod improbaſſe Fabius uídetur, ſicut & M. Tullius De reſponſis aruſpicum: alio modo etiam naula dícitur, unde naulía quoq; deducãtur, diminutiua forma. Nam Ouidíus ita cecinit De arte libro tertío,

Díſce etiam duplící genialía naulía palma
Vertere, conueniunt dulcíbus illa modís.

Quæ quídem mire congruunt uerbís Quintíliani. Naulæ uero meminit etiam Philemon, ut refert Pollux: & Sophocles,

οὐ ναῦλα κωκυτοῖσι, οὐ λύρα φίλα.

Nablas legitur apud Athenæum, quem excogitarint Phœnices primi: unde & nabliſtæ, ſicut panduriſtæ, à pandoro uel pãdura, ut eſt apud Varronem & Martianũ, quam ex marina lauro compingunt Troglodytæ. Vnde nouatum Lampridío pandurizare uerbum, id eſt panduram pulſare. Sunt tamẽ qui à pſalterío naulía diſtínguant: quãdo pſalmi concentu, & modulis inſtrumenti eius canebantur. Et in magno myſterío, magnum prophetam eodem uſum, prodit hiſtoría. Alexander Cytherius, ut tradit Iubas, pſalterium primus impleuit chordís. Pſalterium etiam Latine organum dící, nihilominus conuiuíjs inſeri ſolitum ad líbidines excitandas, Ambroſius auctor eſt. Id compro baſſe & Macrobius uídetur in Cœnis, libro tertío. Propterea ex íjs perpẽdendum amplíus, an in Quintíliano, ubí de carminum lectíõe agitur, ſic legí omnino debeat, Nec pſalmate, ut nunc à plerísq; fit, effœminata. Cæterum publica lectio plaſmate præfert, ac qui hactenus ſunt interpretati, ſic agnoſcunt prorſus. Pſalteríj meminit in Sympoſiacis Plutarchus. Quídam laudatorium item uocant. Vídetur decem chordis fuiſſe inſtructum ex íllo prophetico: Confitemíni Domíno in cithara, in pſalterío decem chordarum pſallite ei. Hinc forte polyphthonga uocauit ea in Moralibus Plutarchus, quo in loco etiam tríbona inter muſica recenſet inſtrumenta, id eſt βίβωνα. Pſalmum proprie Græcorum ſcientíſſimi ex grammaticis citharæ interpretantur ſonum. Octauam eſſe muſicum inſtrumentum, de chordarum numero ita ex Hebraica tralatione nuncupatum, ſuper Pſalmos ſcribit Nícolaus theologus. Lyrophœnica ſambycem nominat Athenæus, ac fuiſſe Ibící poetæ Rhegíni inuentum, tradit. Fuit & crembalum organum, unde κρεμβαλίζειν uerbum, eo ſonum elícere indícat. Sambyce uſam primo ſibyllam, produnt alíqui, à Sambyce quodam inuẽta, unde & nomen. Eſt uero organum id, oxyphthongon, quo tetrachordo Parthi ſint uſi, ac Troglodytæ. Sunt qui íynga fuiſſe antíquis cítharam cantus prædulcis tradant, ut índe omne quod expetas iucundius, recte íynga dicas. Cæterum auítíj genus hoc nomine intelligũt alíj, caudam perpetuo quatientis conciliantisq; amorem. Eſt porro plumis uarium, colli ac línguæ productíoris, ſed collum ídentidem circumagit inflectítq;, philtris accommodum & excantamínibus amatoríjs: pendens enim ex rota agítatur, aut cum cerea amburítur rota ſuper ardentes prunas. Tradunt alíj, eius ínteranea explicari rotæ circumuoluta. Auem hanc præmonſtraſſe Iaſoni Venus dícitur prima, uti Medeam præmulceret. Putant illud quoq;, Iynga puellam fuiſſe Pithus uel Echus ex Pane filiam, quæ cum pharmacíjs in ἴϑς amorem prolectaſſet Iouem, ab Iunone ſit in auítíam ſobolem adoptata. de hac Ariſtoteles quoq;, ac cæteri nonnulli. Quín tradítur illud quoq;, Omne medicamentũ amicitiæ conciliandæ adiectum, recte íynga uocarí.

Fabíj locus ex primo líbro explicatur. Vocis figura tríplex. Dícrotos pulſus. Vocem quandam dící dendryazuſan. Dorcadiſſans pulſus qui. De cycno nonnihil ſcitu haud índignum prorſus. Vocis abſciſſiones quæ intelligantur. Cap. V

VErum quía Fabíj nodũ paulo ante exſoluímus, & ſermo de muſica eſt, age locum haud paulo implicatiorem auctoris eiuſdem explicare pergamus alterum. Sunt autem Quintíliani uerba ex líbro primo hæc, Sit autem lectio uirílis, & cum ſuauitate quadam grauis, nec proſæ ſímilis, quía carmen eſt, nec tamen diſſoluta in canticum: de quo genere (inquit) optíme C. Cæſarem prætextatum adhuc accepímus dixiſſe, Si cantas, male cãtas; ſi legís, cantas. Hæc niſi quis altius introſpe-

introſpexerit, & ad exactiorem libram reuocarit, non ſatis profecto nobiliſsimi auctoris ſenſa penetret, cupiatq; apertioribus (ut dicitur) tibijs enarrari. Quare, quod nobis muti inſinuarunt magiſtri, quod & in alijs fecimus, faciemusq;, iam hinc appingemus. Sic igitur legimus, Vocem omnem aut eſſe σωεχῆ, quæ continua: aut διαστηματικήν, quæ dicitur cum interuallo ſuſpenſa. Et continua quidē eſt, qua loquentes, uel proſam orationem legentes, uerba percurrimus: feſtinat enim, præproperaq; tunc uox eſt, nec hæret in acutis aut grauibus ſonis, ſed celeriter omnia connectit, expediendisq; ſenſibus, exprimendisq; ſermonibus continuæ uocis uſus operatur. Diaſtematice autē, ſiue interuallata eſt, quam canendo ſuſpēdimus. In qua non tam ſermonibus, quàm modulis inſeruimus: eſtq; uox ipſa tardior, & per modulandas uarietates quoddam faciens interuallum, non taciturnitatis, ſed ſuſpēſæ ac tardæ potius cantilenæ. His, ut Albinus autumat, & auctor comprobat Boetius, additur differentia tertia, quæ medias uoces poſſit includere, quum ſcilicet heroum poemata legimus: neq; continuo curſu, ut proſam; neque ſuſpenſo ſegnioriq; uocis modo, ut canticum. Scribit in Lexico rhetorico AElius Dionyſius, à phonaſcis uocem quandam dici ἀγωδυναζουσαν, id eſt amœnam, ut uolunt aliqui. Eſt utiq; ἀγωδυνάζειν, ſub quercus aut arboris cuiuſuis umbram humiliter confugere, quod ante inuentas domos feciſſe ueteres, conſtat. Signat id item uerbum, in aquam merſari occuliq;. Nec ſane mirandum, ex arboribus ad uocis rationes uocabuli factam tralationem: quando & apud medicinæ peritos ab animalibus ad pulſus indicia conformātur quandoq; dictiones. Nam, inquiunt, ſi arteriæ motus non perſeueret continuus, & interciſus à celeritate tranſeat in tarditatem, aut ediuerſo, ἀνισοπαχύς appellatur pulſus hic, id eſt inæquiuelox. Quòd ſi interuallatus conquieſcat, ac mox cooriatur uelocior, δορκαδίζειν uocatur, id eſt dorcadiſſans. Quæ nuncupatio de animalis producta in curſu natura eſt. Dorcadā Hieronymus capream interpretatur. Origenes, πεῤὰ τὸ ὀξέως δέρκεσθαι, dici opinatur. Si uero à diaſtole recurrat, priuſq; quàm omnino contrahatur, rurſum percutiat ἀφῆ, id eſt tactum, δίκροτον uocatur à percuſſu geminato. Nam & dicroton dici biremem, ex humanioribus ignorare poteſt nemo. Microſphyctos uocant, quis puſillus eſt uenarum pulſus. Plura ſeſe ingerunt multo, uerum ne hæc quoq; modum exceſſerint, ut parerga, uehementer ſum ueritus. Sed illud non præteritum in tanta muſices mentione, moleſte (opinor) feret nemo, canentem cycnum à paucíſſimis auditum, etiam ſi uulgatior fama tenet, ingruente fatali momento, εὐφωνότατον καὶ ᾠδικώτατον εἶναι τὸν κύκνον, id eſt uoce cantuq; præcipue præſtare cycnum. Auctor tamen primo Variæ narrationis AElianus eſt, audiſſe quandoq; ſe canentem cycnum. Sic enim ait, ἐγὼ δὲ ἄδοντος κύκνου ἤκουσα. Quoniam uero animal ſit φιλῳδόν, Græci κύκνειον uocant eius melos. Appendix autem illud erit, ab Ariſtotele cycnum uocari καλλίπαιδα καὶ πολύπαιδα, quia plures producat, & ſpecioſos fœtus. Quàm porro retuſam uocem dicunt Latini, φωνῆς ἀποκοπάς, id eſt uocis abſciſſiones appellare Græcis eſt mos, id eſt maximam quaſi raucedinem. Apud Theocritum uox trychna, uelut ſtrychna, pro molli uſurpatur, quia eiuſmodi cenſeatur herba ſtrychnos.

Muſica triplex. Organorum item muſicorū diſtinctio. Cruomena, enchorda, proſoda, pneumatica, hydraulica, citharodia, aulodia, lyrodia, proſodia. Citharis, cithara differunt. De lyrio, & loto. Lotages. Spodalia. Ciceronis locus explicatur. Cap. VI

SVnt porro è celeberrimis auctoribus, qui muſicā eſſe triplicē tradunt: mundanam, humanam, organicam. Et mundanam quidem ex cælorum concentu inenarrabili deprehenſam aſtruxere; necnon ex elementorum nexu mutuo ſubtilitatis immenſæ. Sed & mira temporum uarietas id ipſum iuuat argumentum. Quo enim pacto fiat, ut tantorū orbium rotata uertigo, tacito, ſilentiq; feratur ambitu, etiam ſi nobis minus audientibus, miranda ſonorum tranſeat iucūditas? Hanc Plato aſſeruit, hunc conſectati omnes approbarūt, nec Boetio diſplicuit, etiam ſi ſæpe Ariſtotelico. Tradere Homerus quoq; eſt uiſus, Heraclito Pontico interprete, quum de Apolline in Græcos irruente, ita canit,

ἐκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο ἑὸν τὸ κινηθέντος.

Humanam uero muſicam facile perceperis, ſi in te ipſum (quod Perſius inquit) deſcendere incipias, & miraculum diuinũ amplius expendas. Etenim quæ uis alia ſpiritalem uigorem mentis compotem, mortali ac terrenæ compagi fermentat, adglutinat, continet, ad præſcriptã perducit metam, niſi coaptatio quædam, & ueluti grauium leuiumq́ uocum, quaſi unam efficiens conſonantiam temperatio? Quid animæ poteſtates tam diſſentaneas, & compugnãtes ſæpe conſpirare facit: quam ex rationali, & rationis impote ui conflari, Ariſtoteles ſenſit, & docuit? Quid uero corporis elementa conciliat, aut rata firmaq́ fermentatione continet partes? Quam uero organicam nuncupant, ea iam ad inſtrumenta ſpectat, quæ uarietatis ſummæ pro ingeniorum captu artifex peritia excogitauit. Hæc uero aut intentione perficiuntur, ut neruorum cõtemperato tractu, aut ſpiritu, ut in tibijs uel hisquæ a quæ conſtant ratione: aut percuſſione quadam, ut in his quæ uirga ærea feriuntur. Quæ neruis intenduntur, cruomena uocant, aut enchorda, uel etiam ψήκτικα, & proſoda, id eſt πρόσωδια. Quæ ſpiritu inflantur, pneumatica dici ualent: uel, ut Plutarchus, ἐμπνευσώ. Sicut quæ propellit aqua, hydraulica, etiam ſi in architectura ſua item ſunt πνευματικά, & hydraulica inſtrumenta, à Cteſibio excogitata primum, ut Vitruuius ſcribit: & eſt à Plinio repetitum Naturalis hiſtoriæ ſeptimo. Domus, inquit Ammianus Marcellinus, ſtudiorum ſerijs cultibus antea celebratæ, nunc ignauiæ ludibrijs torrentes exundant, uocali ſono, perflabili cantu fidium reſultantes: denicq́ pro philoſopho cãtor, pro oratore artium doctor ludicrarum accitur. Et bibliothecis ſepulchrorum ritu in perpetuum clauſis, organa fabricãtur hydraulica, & lyræ ad ſpeciem carpentorum, ac ingentes tibiæ. Citharis & cithara diuerſa ſunt, ut ſcribit Ariſtoxenus in commentatione πρὶ ὀργάνου: nam citharis lyra eſt, qua utentes uocantur citharíſtæ, quos & λυρῳδοὺς dicunt. At cithara eſt, unde citharœdi uocantur. Diſtinctionem hanc cõtra Timarchum agnoſcit AEſchines, & ab Ammonio repetitam ſcio. hinc citharæ cantus, citharodia nominatur: ſicuti tibiæ, aulodia: lyræ, lyrodia. Critias uero citharœdicos cantus etiam proſodias appellauit. Ex grammaticis theſauris illud eſt, à lyra dici lyrion, forma diminuta, ut à thyra thyrion, à come comion, id eſt uiculus. Erant & loti tibiarum genus epithalamium: ut illud in Epigrammate,

Λωτοὶ ἄχεων, καὶ θαλάμων ἐπλατάγιῶντο θύραι

id eſt, inſonabant loti, & thalamorũ perſtrepebant ianuæ. Sunt tamen qui in loto priorem corripiant ſyllabam, ut λοτοῦ τῷ πνεύματι μέλπω. & eſſe calamiſcum interpretentur, unde dicantur lotages, qui lotum exercent. Spondalia, ſunt ſpondaica ratione concinnati cantus, quibus utebantur in rebus diuinis, ut melodijs longioribus proſpera deorum uoluntas firmaretur: qua ratione Pompilius Numa ſpondeum & põtificium dixit: unde Ciceroni lux infertur De oratore libro ſecũdo: Quum ex perſona, inquit, mihi ardere oculi hominis hiſtrionis uiderentur ſpondalia illa dicentis.

Tibiarum ſpecies. Prouerbium, Quid opus erat longis me tibijs incinere? Plagialos. Hippophorbus. Tibiarum inuentores. Sirites. Phorbion quid, Photingia. Papinij ex Thebaide locus explicatur. Proaulion quid. Proœmium. Prologus. Item diaulion. Thebanorũ in tibijs præſtantia. Item Pronomi tibicinis. calamaules, rhapaules, matroa, diopi, gingras. Tibia dextra, & ſiniſtra. Athena tibia. Tibiæ pares, uel impares. Cantica. Diuerbia. Thebanorum uituperatio. Glottocomion. Sibene. Crupezia. Tibiarum longarum in ſacris uſus. Cap. VII

TIbiarum uero ſpecies inuenio plures. Sed prius Dionis proferamus hiſtoriam & enarrationem: Quum poſt arreptum, inquit, imperium Otho ſacrificaret primo, dira portẽdi animaduertit: quamobrem facti pœnitens, πῶς με, inquit, ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; quid erat opus longis me tibijs incinere? Eſt hoc, inquit Dion, paroemiodes in eos, qui extra quam ſit eis accommodum, quippiam adoriuntur: id eſt, ὦ τῶν ἔξω τι τῶ προσφόρου σφίσι ποιοῦντων. Tanquam dicas, Quid neceſſe fuit imperium inuadere, ac pro adepto dijs ſacra obire: quum omnia ceſſura in perniciem uideantur? Verum ad tibias redeo. Eſt quam Libyes plagialon uocant, ex loto. Elimos ex buxo eſt, inuẽta à Phrygibus. Sicut hippophorbon ſcenetæ Libyes excogitarunt, & in equorũ pabulis utuntur, fit ex lauro. Phorbion, ut hoc interim

interim non taceamus, uocant Græci, ut Ariſtophanis enarratores explicant, tibicinis ori circumpoſitam pellem, ne rimam concipiat labellum. Monaulus AEgyptiorum inuentum eſt, hoc eſt Oſiridis, ut aliqui interpretãtur, qui & photinga excogitarit etiam, unde & photingia. Sunt autem ex loto, inde & lotinæ tibiæ dicũtur. Meminit monauli in Thamyre Sophocles. Cenſetur uero hæc nuptialis maxime, Tityrinon quidam item uocant. Fuit uero monaulus, qui poſtea dici cœpit calamules, id eſt calamo incinens. Nam rhapaules eſt, qui calamen inflat, id eſt ſtipulam. Tibiam poetæ etiã Libyn uocant, ut ſcribit Duris: quia Sirites auleticæ inuentor, Libys eſſet, Nomadum unus, qui & quæ matroa uocantur, id eſt μητρῶα, cecinerit primus. Matroum apud Smyrnam celebrat Strabo γεωγραφουμένων libro quarto decimo. Interpres eo nomine matronarum accipit locum. Ipſe malim Matris deum ſic templum dici, quod alicubi hoc opere liquebit. Scribit Plutarchus, Lycurgum rhetorem ubi iam è uita demigrandum aduertit, in matroum ac buleuterium ferri ſe iuſſiſſe, ut eorum quæ in republica geſſiſſet, pœnas daret, ſi quid foret delictum. Phryges item tibiam inueniſſe lugubrẽ memorantur, qua & Cares ſunt uſi: flebilis enim Carum incentio. Produnt ex noſtris etiam nonnulli, Lydijs tibijs læta concinere, ueteris fuiſſe moris, Phrygijs uero triſtia: quoniam tres haberẽt tibiarum modos, Ionicum, Lydium, Phrygium, quod & barbarum. Ex ijs uero innoteſcit amplius, quid ſibi Papinius uelit, quũ Thebaidos ſexto ita canit

Quum ſignum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia: cui teneros ſuetum producere manes

Lege Phrygum mœſta.

Dignum ſcitu quod tertio Rhetorico legimus apud Ariſtotelem, quod ne intercidat, hic protinus implantabimus. Procœmium, inquit, eſt orationis exordium: id in poeſi nuncupatur prologus: in tibiarum uero incentione, proaulion: quod (inquit) liberum eſt, ſicut in demonſtratiuis principia. Sed ad rem. Tibiarum quaſdam legimus uocari parthenias, quaſdam uero pædicas: item Andrias, quæ dicuntur teliæ & hyperteliæ: ſunt & cithariſteriæ, ac dactylicæ. Nam Phrygias etiam elymos dicunt. Habentur & diopi, muſocopi, & hypotreti, necnon hemiopi. Diopos bifores intelligimus, ſicut ſemifores hemiopos, quæ epulis adhiberentur. Proinde in Plauto ſunt, qui ſemiſonarios artifices ad hoc referendos putent. Elymos etiam ſcytalias dicunt. Theriam tibiam ex hinnulorũ oſſibus, concinnarunt Thebani, ære obductam forinſecus. Cornu incinunt Tyrrheni. Minutula tibia gingras eſt, flebilem & ipſa emittens ſonum, à Phœnicibus comperta, unde & nomen: nam Phœnicum lingua, gingram uocant adonim. Gingricarum tibiarum meminit in Polyhiſtore Iulius Feſtus. Sed Pompeius Feſtus putat, ab anſerum uoce nuncupatas: Qui, inquit, dicuntur gingrire. Meminit Athenæus: ſed tibias uocari gingros ſcribit. Tibia dextra, inquit Varro, alia eſt, quàm ſiniſtra: ſic tamen, uti coniuncta cenſeatur, ſiquidem eſt altera carminis eiuſdem modorum incẽtiua, ſuccentiua uero reliqua: nam ſic paſtorum uitam dicimus incentiuam, quia uetuſtior: agricolarum, quod recentior, ſuccẽtiuam: quam rem doctiſsimus comprobat Diceæarchus. Sic ergo paſtorali ſuccinit agricolatio, ut inferior, ſicut tibia ſiniſtra dextræ foraminibus. Pares autem tibiæ dicuntur, uel impares: quoniã ſi quando artifex monodio agebat, unam modo tibiam inflabat, ſi quãdo ſynodio, utranq;. Monodiũ intelligo, quum unus aliquis è ſcena cãtum profert, nec chorus ſimul. Porro ubi canebat chorus, tibijs choricis, id eſt choraulicis concinebat artifex. In canticis uero pyraulicis reſponſabat. Cantica in Comœdijs intelligimus, ubi unus modo loquitur. Sicut diuerbia uocantur, quum diuerſæ agunt perſonæ. In choris nullus eſt certus numerus. Scythæ androphagi & melanchlæni, ac Arimaſpi aquilarum & uulturum oſſa tibiarum uice inflant. Celtæ ex calamis fiſtula utũtur, atq; item Oceani inſulares. Apud AEgyptios polyphthongos tibia ex hordeaceis calamis compingitur. Fuit & tibia dicta Athena, qua Nicophelen Thebanum in Mineruæ hymnis uſum memorant. Fiſtula, quam tonarion uocant, C. Graccho præcipuo ſuorum temporum oratori, muſicus, quibus deberet intendi, modos incinebat. Diaulion in ſcena dicebatur, ubi tacentibus omnibus intus concinebat tibicen. Thebanos præcipue inter Græcos tibiarum artifici muſica præcelluiſſe: ac inter Thebanos Pronomum tibicinem diſticho comprobatur, quod & appoſui,

gratum, opinor, facturus toto pede cum Græcis, ut nunc eſt, contrahentibus.

ἐλθὰς μὲν, θῆβας πότορας πόυκεινον ἐν αὐλοῖς.

Θῆβαι δὲ, πρόνομον, παῖδα τὸν οἰνιάδου

Alias Thebanis negocium faceſſunt auctores Græci, ut micropſychis ac gulæ mancipatis: ut qui thria concinnarent, ac enarſilochos, & hallantas, necnon ſchelidas, quibus etiam Mardoneum excepere cum Perſarum quinquaginta. Tibiarum repoſitoriũ uocant γλωττοκόμιον & σβύνην: nam crupezia, tibicinum ſunt calciamenta. Tibijs incinuiſſe longioribus olim inter ſacrificandum, Plutarcho credimus, & indicauit Dion. In tibicines illud eſt apud Græcos concinnatum,

ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,

ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν ἐκ τῶ νόος ἐκπέταται

id eſt, homini quidem tibicini mentem non ingenerarunt dij, ſed ſimulac tibias inflat, difflatur mens.

Nomos in muſica quid. Nomorum ſpecies. De polycephalo & orthio nomo pluſcula. Caſtoriũ melos. Caſtoreum. Laconici regis mos. Pæanes duo in bello. Carnij moduli. Carnia feſta. Carna dea. Auguſtini locus penſitatur de Iano. Sciades loca. Carneonica. Fabatiæ calendæ. Caranus quid Perſarum lingua. Nomæ, hyponomus, nomus. Hyponoma ulcera. Cap. VIII

LEgimus præterea ſubinde in muſica dici nomos. Id uerbum haud ita imbutis perpolitiſq; parere difficultatem poteſt. Proinde ſciendum, in carmine, ac cantilena, nomon ſignificare qualitatẽ uocis ac moderationem, qua uel remiſſiore uel acutiore utimur. Eandem itaq; cantilenam duobus tribusue nomis modulantur muſici. Ratio autẽ nominis ea eſt, quia Græce nomos, lex eſt. Veteres autem prius quàm literas ſcirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent: quod tẽporibus ſuis in more Agathyrſis fuiſſe, Ariſtoteles ſcribit. Ergo primas poſteriorum cantilenarum eodem appellarunt nomine, quo omnes uocabãtur ſuperiores. Terpandri nomos celebrant Græcorũ ſcientiſsimi. Alij à gentibus denominationem trahunt, ut AEolius & Bœotius: ab rhithmis alij, ut orthius & trochæus: alij à modis, ut acutus & tetracœdus: alij ab ipſo & amaſio, ut Terpãdrius & Capion. Fuit & ab euentu nuncupatus Polycephalos nomos: nã obtruncata ab Perſeo Meduſa, inter ſuperſtites ſorores luctus eſt exortus haud mediocris, ſed & ſerpentum ſyrigmus, id eſt ſibilus ex earundẽ inaudiebatur capite. Quo uelut concentu quum oblectaretur Pallas, ex imitatione auleticen excogitauit, quam de ſerpentũ numeroſis capitibus etiam polycephalon cenſuit nuncupandam. Sunt quibus arrideat amplius, polycephalum dici, q̃ quinquaginta afforent uiri, incinente tibicine, ex quibus conſtitueret chorus. Quidã etiam num κεφαλὰς procœmia intelligunt, uelut procœmijs multis conſtans cantus dicatur polycephalos, quem ab Olympo compertum memorant primum. Orthios dici uidetur, quod extentus foret ac robuſtus. ὄρθιον Græci dicunt, in altitudinem ſurrectum. Orthius, inquit Martianus, ex tetraſemi elatione, id eſt arſi, & octaſemi poſitione, conſtat, ita ut duodecim tempora hic pes recepiſſe uideatur: propter honeſtatem poſitionis ſic nominatus. Orthia tamen phalanx dicebatur, quæ procederet in cornu, profunditatem habens longitudine maiorem. Dianam orthriam Seruius faſcelidem intelligi uoluit, ut quibuſdam placere animaduerto. Orthiam tamẽ inuenio in Apophthegmatis Plutarchi, in cuius ara cæderentur pueri, qui dicũtur Bomonicæ: quanquam in Lycurgo, augurij nuncupauit aram. Sudas nunc orthion legit, orthrion quãdoq;: quibuſdam nomen inflectentibus à diluculo, quod uocant ὄρθρου. Scribit Pindaricus interpres, eſſe in Arcadia Orthuſion mõtem, ſiue Orthion: unde Orthoſia dicatur Pindaro Diana: quæ ab alijs etiam Orthia: ni, inquit, malis ita nũcupari, quoniam parientes ſurrigat. Orthiæ Dianæ meminit in Theſeo Plutarchus. Sed interpres, orthium dici chorum eſt opinatus. Quæ de orthij etymo prius appoſuimus, à Gellio comprobari uidentur, ubi ex Herodoti libro primo, ſuper Arione fabella repetita, illũ ſcribit, impetrato à nautis ut canere liceret carmen illius conſolabile, tunc quod orthiũ dicitur, uoce ſublatiſsima cantaſſe. In quo aduertendum obiter, in ſeptem ſapientum conuiuio Plutarchum ſcribere, adortũ Ariona nomon pythicon concinere pro ſua & nauis ſalute. Pollux uero

lux uero tibiæ ſonum, orthion dicit: unde, inquit, orthios nomos. Polymneſtus orthio rum poeta celebratur. Nomi huius meminit in libro De regno Dion. Nomon hunc ad belli ardorem excitandi uim habuiſſe, ſcribit Euſtathius: nam concinente Timotheo, uelut furens ad arma proſiluit Alexander. Significat ipſum hoc uel Homerus Iliados rhapſodia undecima. Meminit & Maximus Tyrius. Caſtorium melos Laconicũ erat, quo utebantur in prælijs, ut fortiter & audenter agerent, mortemq; contẽnerent: ſicuti Plutarchus abunde teſtatur. Quin & rex ante quàm pugnas iniret, rem diuinam Muſis faciebat, quo & oratione & memoria in primis digna promerent facinora. Græcorum autem mos fuit, duos concinere pæanas, Marti quidem in hoſtibus congredien-dis, Apollini mox bello abſoluto. Illum priorem, enhyalium uocant. Caſtoreum autem obiter teſtes intelligimus animalis fibri, ſiue caſtoris: uti libro trigeſimo ſecundo Plinio traditur. Viroſa caſtorea ex Ponto mitti cecinit Virgilius: quando, ut ſcribit Strabo, inibi uenenoſa habentur. Caſtorium denique melos dici interpretãtur, quod armatam ſaltationem Dioſcuri cõpererint primi, quum ἐγχρησιῶοι forent plane. At Dioſcuris Palladem primam Enoplion incinuiſſe nomon, prodidit Epicharmus. Ex quo præcinente tibia, congredi cum hoſtibus adorti Lacones ſint. Eſt & caſtorum infecturæ ſpecies. Caſtoreum colorem Græci cinereum intelligunt. Carnios item modulos legimus quandoq; cõſtabant hi, ut uidetur, neruis pluribus: nam Timotheũ carnijs id genus deditum modulis Ephororum unus, arrepto gladio interrogauit, ex utra parte neruos abſcinderet, qui ſupereſſent ad ſeptẽ. Carnia uero feſta item erãt Spartæ (ut puto) Apollinis, qui etiam carnius dicebatur. Militaris uitæ imaginem ea præferebant. In nouem locis, quæ Sciades dicebantur ab umbræ ſcenicæ ſimilitudine, noueni epulabantur uiri, diebus nouem. Inuenio apud Græcos, Carnea primum uiciſſe Terpandrum. Hinc certe nuncupatos ſcimus Carneonicas. Carneorum denique mentio eſt Herodoto libro ſeptimo, atq; item octauo. Carnios ſacerdotes fuiſſe apud Sicyonios, auctor Euſebius eſt. Praxilas ait, à Cranio nominatà Iouis & Europæ filio, quem amauerit Apollo. Alcman, à Caraneo Troiano. Demetrius, à κεράναι, quod eſt πελάσαι. Siquidem Menelaum memorant, ad Troianum bellum profecturum feſta hęc uouiſſe, ſi rem perficeret. Sunt qui Carna dici putent à Græcis feſta, quoniã equus dureus è carnio ligno fuerit compactus. Carna uero dea erat in Latina hiſtoria, quam uitalibus humanis præeſſe credebant. Ab ea petebatur (Macrobius inquit) ut iocinora, & corda, quæq; ſunt intrinſecus uiſcera, ſalua conſeruaret. Huic templum dicauit Brutus, quia cordis beneficio publicum ſtatum emendaſſet. Hanc eſſe cardinis deam intellexit ſexto Faſtorum Ouidius. Et Iunias calendas, quas uulgo Fabatias dicunt: quia fabæ adultæ diuinis adhiberentur rebus, illi ſacras ueteri tradidit ritu illis uerſibus:

Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc eſt:
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Iani porro cum hac concubitum celebrat idem poeta. Quod ignoraſſe Auguſtinus uidetur quando Diuinæ ciuitatis ſeptimo ita ſcribit: De Iano non mihi facile quicquam occurrit quod ad probrum pertineat, & forte talis fuit, ut innocentius uixerit, & à facinoribus flagitijsq; remotius. Sed in magnis uiris hoſce uelut neuos haud mirer, quãdo & Hieronymus uir in doctrinis tantus, apud auctores de Lyncurio nil ſibi cõpertum fatetur: quum tamen lapilli mentio ſit apud Theophraſtum & Plinium. Carnius menſis fuit Græcis, quẽ Metagitniona dicebant Athenienſes: Maium interpretantur nonnulli. Quod uero de nomo diximus, ſciendum, affectionem eſſe quæ Græcis dicatur νομή: quam Therapeutices quinto Galenus eſſe finit, quum putredinis metu adhibere cauterium cogimur. Sic autem dicitur, quoniam depaſcens proxima, ſerpat aſsidue ab ijs quæ affecta ſunt, ad ea quæ ritu naturæ ſe habent: re uidelicet ab accidenti præmonſtrata, non de ſubſtãtia nomine accerſito. Significare ipſum hoc & Plinius animaduertitur, quum libro uigeſimo, mala corporis quę ſerpant, dici nomas, tradit. Hyponomus ad præſens inſtitutũ pertinet nihil: ſed de eo nomine Thucydidi ſignatur ſubterranea cauitas occultior: unde ὑπονομεύειν, id agere eſt: cuniculum interpretari poſſumus. Nomos item, accentiuncula in fine poſita, Plinio prefecturam indicat: quando & Dio dorus Aegyptũ in ſex ac triginta diſtribuit nomos, id eſt leges, ſi interpreti credas. Satrapias

trapias nuncupat Herodotus quoq;.Hyponoma ἕλκη dicta Græcis,cuniculosa interpretantur noſtri,ut quæ indirecta flexibus multis earnem ſubeant.

Arcadum ſtudia in muſicis. Virgilij locus enarratur ex Bucolicis. Artificum muſicorũ uituperatio,ex Plutarcho. Ariſtotelis ſententia ad idipſum De Stratonico citharœdo iucunda lectu. Fides fruſtra pulſare. Bos lyricus. Blityrion. Blityri. Scindapſus. Cap. IX

MVſicam,ſi ueram expendas atq; legitimam, uniuerſis hominibus conferre plurimum,conſtans bene ſentientiũ opinio eſt. Arcadibus uero inquit Polybius,& neceſſaria maxime. Proinde ita receptum moribus apud eos eſt, ut non pueros modo,uerum & adoleſcentes ac iuuenes ad trigeſimum uſq; ætatis annũ ea diſciplina imbuendos curent,quum ſint alioqui difficilis uitæ homines auſteriorisq;. Cantu & choreis Libero patri ludos cõcelebrant, ſinguli pro ætatis ratione. Denicq; uita omnis id genus cantionibus ſtudijsq; impenditur. Cæteras artes apud eos ignoraſſe,nulla prorſum ignominia eſt. Muſicam neſcire nemo poteſt, quia neceſſario diſcitur. Eius imperitiam fateri,illic turpiſſimum eſt:nec id laſciuiæ cauſa, uel deliciarum,ſed ut labores aſſiduos in colendis agris,& uitæ præterea duritiem atq; aſperitatem,& auſteriores mores ex cæli triſtitia quadam prouenientes,hac quaſi dulcedine remolliant,ac contemperent. Huius autem rei argumentum ingens ex Cynethenſibus eſt,qui quum inſtituta maiorum peruicacius aſpernari cœpiſſent,in eam breui feritatem abiere,ut in nulla Græciæ totius ciuitate ſcelera maiora, aut crudelitatis exempla æderentur immitiora. Ex ijs uero quæ ex Polybij hiſtoria ſubſignauimus, dilucere manifeſtius opinor, cur uates Mantuanus in Bucolico ludicro ſubinde in cantilenæ mentione Arcadas plurimis efferre laudibus non deſinat;ut etiam ita enuntiet,

Soli cantare periti Arcades. Et rurſum,
Arcades ambo, Et cantare pares.

Certe muſica,particeps diſciplinæ eſt:ut præclare docuit Ariſtoteles: item ioci, & rationis ocij degendi. At enim cantores & citharœdos ſunt qui βαναύσους uocent, hoc eſt uiles: & opus illud non putent uiri,nec ſobrij,ſed iocantis,argumento quod Perſarum Medorumq; reges per alios id tractantes,uoluptatis fiunt participes. Præterea de dijs ita opinamur,ueluti Iupiter ipſe nuſquam concinat,aut cithara utatur,uti ſtatuunt poetæ. Porro ut Plutarchus ſcientiſsime docuit, quod & aliubi commonuimus, contemplari optima ſemper debemus,ne cõtemplemur ſolum,ſed nutriamur quoq;.Hæc uero ſunt in operibus,quæ à uirtute proficiſcũtur,quę aſpectu ipſo æmulationẽ quandam & ſtimulos ad imitãdum inijciunt:in reliquis uero etiam ſi admiratio inſit, tamen ſæpe contrarium euenit. Operi nanq; afficimur,eius auctorem contemnimus,ut in unguentorum,ac purpuræ ratione:his enim oblectamur,at infectores & unguẽtarios ſordidos ducimus. Ex quo ſapiens id cẽſetur Antiſthenis, qui quum Iſmeniam optimum audiſſet haberi tibicinem,At homo nequam eſt,inquit,non enim ſi probus foret, tibicen eſſet. Et Philippus quum accepiſſet,filium ſuauius quodam loco ceciniſſe, urbane eſt obiurgatus,Nonne te pudet,inquiens,quòd tam bene canere ſcias? Satis enim, ſuperq; eſt principi uiro,canentibus alijs,audiendi ſupereſſe otium. Idem & in pleriſque aliijs obuenit:neq; enim quiſquam ingenuus adoleſcens,quum Piſæ Iouem eſſet intuitus,Phidias fieri concupiuit,aut Iunonem Argis, Polycletus, aut Anacreon,aut Philemon,aut Archilochus,etiam ſi eorum opera ſumma ſit admiratione proſequutus. Verum enimuero his quæ contra muſicam promũtur, occurrere facile eſt,ſi Ariſtotele tradente,diſpiciamus acrius, quouſq; illi opera danda ſit ab ijs qui ad ciuilem uirtutẽ erudiuntur. Et quæ melodia,quiue rhythmi ſint perdiſcẽdi,quibus item inſtrumẽtis utendum. Nam in eo utique refert plurimũ, eſtq; in ijs obiectionum ſolutio. Clarum quippe eſt,non oportere diſciplinam eiuſmodi impedimento eſſe cæteris actionibus, neq; ad res bellicas ciuilesq; corpus efficere inutile. Quod erit utique, ſi in illa non elaborabunt uſq; ad concertationẽ,neq; admirabilia conſectabuntur,& ſuperflua:ſed eatenus ut gaudere ualeant concentu probo,& rhythmis. Vnde item percipi licet,quæ ad muſicam inſtitutionẽ recipienda organa. Cęterum in hac muſicæ pragmatia lepidum ſuccurrit Stratonici citharœdi ſcomma,quo Propin Rhodium proſcidit facetiſſime. Erat is corpo-

is corpore procerus, arte citharœdica non bonus, & corpore inferior. Scitantibus uero nonnullis, cuius nam modi foret is, Nullus (inquit) malus, grādior piscis. Postremū uero hoc adiectum ob infantiam hominis est. Fuit quippe Stratonico ingenium alioqui in numerato semper, ducta uel hinc coniectura. Habuit is in ludo nouem Musarū imagunculas, & Apollinis unam, discipulos autem duos modo. Quum quæsisset ex eo quidam, quot ei forent discipuli? Cum diis, inquit, duodecim. Lusit idem in citharœdum, qui diceretur Bos, lyræ non peritum ualde: nam ubi id inaudisset, Olim (inquit) dicebatur ὄνος λύρας, nunc uero, βοῦς λύρας. Porro extat in citharœdos parœmia, ubi incinentes nec cibo afficiuntur, nec capturis, εἰς κριὸν κρούειν τὰς χορδάς, id est fides frustra pulsare. Meminit Lycophron,

τοὶ γὰρ ψαλάξεις κριὸν νευρᾶς λιτύσσουν.

Ex musicæ ratione promitur illud quoq; in delatorem ab Marcellino prolatum. Paulus, inquit, crudelior succentor fabularum, è promptuaria cella fallacias extulit. Blityrion & scindapsum pro musico organo accipiunt Græci. At blityri, inquiunt, ipsius est chordæ imitamentum. Galenus uero Therapeutices secundo: Quid, inquit, an nihil tibi significare uidentur hæ uoces, animal & morbus: sed similiter efferri: ut blityri, & scindapsus?

Cani remigibus solitum. De Chrysogono modulatore. Trāquilli locus explicatur. Quid suffertum, & differtum. Sufflamē quid. Hieronymi locus restituitur. Intus canere, ac foris quid. Catieni qui sint. Item quid struthissare. Seruius explicatur de titis columbis. Creca quid uocent, ac quid ὑποκρέκειν. Titissare. Titis auicula. Trygon unde. Titigonion. Tithæ aues. Titybissare. Titij sodales. Paratitla. Titli. Titlaria. Cap. X

CIcero in Verrē quodam loco ita scribit: Ab hac præfectus Antonij quidam symphoniacos seruos abducebat per iniuriā, quibus se in classe uti uelle dicebat. Quæri forte potest, quid sibi parte hac Cicero uoluerit, proinde pauca ex Asconio subnotauimus: Sciendum, inquit, est cani remigibus per symphoniacos solitum, & per assam uocem, id est ore prolatam: & ut in Argo naui, per citharam. Nisi, inquit, quia in classe dixit, intelligere uelimus, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicū canant: unde ipsi tubæ, classici nomen impositum. Porro Ciceronis sensum iuuat item plurimum, quod in Græca lectum historia est. Quippe refert Duris Samius, in Alcibiadis naui ab exilio redeuntis Chrysogonum fuisse quendā modulatorē, qui tanta arte remigum manus dirigebat, ut quum illi remorum pulsum cum Chrysogoni cantu coniungerent, iucundam audiētibus reddèrent harmoniam. Cæterū & in hac mētione musicæ occurrit mihi locus item Tranquilli in Nerone: Media, inquit, in orchestra frequente populo epulatus, si paululum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturū Græco sermone promisit. In cuius nodi explicatione hæsit Lynceus interpres, & in solœcismum fœdissimum coniecisse auctorem Latinissimum uidetur. Quòd si Senecę uerba uel aduertisset uel expendisset exactius, facilis ei fuisset enarratio. Sic igitur Naturalium primo scribit: Præterea quum dicitur tibi, nubem sole esse suffertam, non dicitur, colorem illum immixtū esse uelut duro corpori ac stabili & manenti, sed ut fluido & uago. Suffertam nubem hic accipio interfusam, aut illustratam. Ex quo liquet, Trāquilli sensum esse illum, Cantaturum se clarius aliquid, aut quod Græci dicunt πυκνόν, id est densum quippiā, ac succi plenum. Nam & differtum pro pleno legimus tum apud Horatium, tum uero apud L. Florū, qui de Cleopatra ita scribit: quòd ubi desperauit à principe, seruariq; se triumpho uidit, incautiorem nacta custodiam, in Mausolæum se (regum sepulchra sic uocant) recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio iuxta suū se collocauit Antonium. Sed & Seneca in consolatione ad Albinam: Iumentorum, inquit, corpora differta & coacta pingueſcere. Quin in Quæstionibus rursum: Erāt enim pinguia & differta corpora ex longiore otio: Adijcit calculum & Tacitus de Poppæa: Corpus, inquit, odoribus differtum conditur, tumuloq; Iuliorum infertur. Erit ergo aliquid sufferti, plenius paulo quippiā, & succulentius. Porro sufferti uocabulo summoneor, opem Hieronymo feram in epistola ad Pammachiū: Quintus Ateius, inquit, qui ingenium

in nume-

in numerato habebat,ut ſine monitore tacere non poſſet:de quo egregie Cæſar Auguſtus,Quintus noſter ſufflammandus eſt.lego,ſufflaminandus eſt, ex Seneca Declamationum libro quarto,etiam ſi inibi non Ateius,ſed Acherius legitur modo. Eſt autem ſufflamen,quo impetus rotæ decurrentis reprimitur.Iuuenalis ſatyra ultima,

Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

Apud Senecam ſunt,qui ſuffibulandus malint legere.Cæterũ quia latius iam de muſica indagine uaria ſcrutati ſumus,iam commodum eſt inde reſilire, ne concinnitatis ſtudio,inconcinna nimiũ,& abſurda prorſum iſta fiant: quando erunt qui opinentur,tam longis non fuiſſe incinendũ tibijs.Quare ſi & paucula modo adiecero, coronidem apponam.Quum canant citharíſtæ,manus utriuſq; officio perfungi, quippe plectro dextra utitur,& hoc eſt foris canere: chordas uero ſiniſtræ carpunt digitis, quod uocant intus canere:quoniam quæ ſiniſtra ſunt,ſæpius interiora dicuntur:ut apud Virgilium,

Dum proram ad ſaxa ſuburget Interior.

Et apud Salluſtiũ, Introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt. Intus apud Plinium,in terrarum ſitu loca ſtatuuntur,quæ in mediterraneis fere ſunt.Sciendum tamen, Comitem exteriorem uideri ab Horatio dictum,à ſiniſtris affectantem:ſicuti etiam approbat Acron. Horatij uerſus hi ſunt:

Qui quamuis periurus erit,ſine gente,cruentus
Sanguine fraterno,fugitiuus,ne tamen illi
Tu comes exterior,ſi poſtulet,ire recuſes.

In ſanctis porro literis adnotatũ & illud, Dextrum dici uiſum pro interiori, ſiniſtrum pro exteriori. Adnotatum etiam, ὑποκρίνεσθαι dici, quum ſummiſſe quieteq; inſonant citharœdi,citharã dum coaptant.Proprie uero κρίνεσθαι pronunciatur de organi eius concentu,etiam ſi κρίνα uocant capillum. Proaſma, & epimelodema, item epode eſſe uidetur tanquam cantilenæ procœmium,uelut apud Theocritum,

ἄρχετε βωκολικᾶς μῶσαι φίλαι,ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

Catienos porro pro cantoribus uſurpaſſe Horatium,ſcribit Porphyrio,à cantore nobili appellatione deflexa:

Catienis mille ducentis, Mater te appello,clamantibus.

Qui uero ſtridunt potius quàm canant, τρουθίζειν Græce dicuntur,quod Latine enũciare licet ſtruthiſſare:ex paſſerum uoce,qui ſtruti uocantur, uerbo deflexo. Paſſerculi uero creduntur πιπίζειν, id eſt titiſſare: ex quo titis corriuatur, ut ſcribit AElius Dionyſius,auiculæ ſpecies,aut etiam auis quælibet minutior. Hinc arbitror illuſtrari egregie Seruium in Bucolico ludicro interpretantem,titos dici columbos non Latine quidem,ſed multorũ auctoritate tanquam Latine. Titos uero palumbes dici interpretor, ex paſſerum ſalacitate, qui ſolent πιπίζειν. Nam & apud Perſium, pro libidinoſis titos accipimus.Eſt & uerbum huic affine ϑίζειν. Sed eſt id ueſpertilionum proprium:nam ϑύζειν, uocem exprimit aſperiuſculam, unde & inflectitur trygon.Inuenio titigonion eſſe item animal paruum,cicadę perſimile.tithas aues, id eſt πιθὰς ὄρνιθας, in Prognoſticis Aratus domeſticas intelligit:ſic enim ſcribit,

καὶ πιθαὶ ὄρνιθες,τοὶ ἀλέκτορι θῆγμόντο

Tithæ uero nuncupantur uelut manſuetæ,ac mites. πιτυβίζειν, ut ne hoc quidem prætereamus, hoc eſt titybiſſare, dicitur de perdicibus quibuſdam: ſicut cæteri poſtea dicuntur κακκαβίζειν. unde apud Comicum, κακκαβᾶν. Titios nuncupari ſodales, Varro ſcribit,ab titijs auibus,quas in augurijs certis obſeruare ſolerẽt. Nos item legimus, ſodalium auguſtalium eſſe additum ſacerdotium, uti olim T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales inſtituerat Tatios:auctor Annalium primo Tacitus. Paratila nil ad præſens faciunt inſtitutum.Sunt tamen eo nomine argumẽta titulis appoſita,& uelut indices.Nam titlos ab capitibus,quæ cephalæa Græci uocant,diſtingui, in illorum literis traditum eſt, Quando habeat Matthæus titlos octo & ſexaginta,capita uero trecenta & ſex ac quinquaginta. Verum apud eoſdem titlaria inuenio pro pugillaribus aut ſchedarijs:quæ & ptychia nuncupaſſe animaduertitur Leontius.

Principum priuatorumq; mollius ſibi indulgentium exempla. Cyriæ quid
Plutarchus reſtituitur.Qui ſint blacæ:item blacennomion.De Apicio ſcitu digna

tu digna. Prius de Chabria, Vitellio, Sardanapalo, Domitio Aphro, Aristodemo, Persarum rege. Coroniſtæ qui. Alexãdri uinolentia. Blautę, blautia, blitomama.

Cap. XI

MAximos quandoq; duces haud ita reformidaſſe delicias, exemplis aliquot manifeſtum fit: nam poſtulatus proditionis Chabrias cum Iphicrate, increpabatur ab eo, quòd in tãto diſcrimine gymnaſia nihilominus inuiſeret, nec non conſtitutis horis pranſitaret. At is: Quid (inquit) aliud, te quidem ſqualidum & cibi inopem, me uerò pranſum unguentatumq; Athenienſes periment. Hic uerò eſt Chabrias is, quem dicere ſolitum prodit hiſtoria, Formidabiliorem uideri ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum ductante ceruo. Item, Illos optimè exercitum ductare, qui res hoſtium benè ſolicitęq; exploratas habeant. Vitellij patina luxu notabilis eſt. Eam principatu ſuo feſtertijs c c condidit. Sed faciendæ fornax in campis exædificata eſt, unde patinarum paludes obiectæ Vitellio à conſule Mutiano, graui probro. Nam quid Heliogabalum memorem? cuius mores retegit abundè unum eius dictum, quo rerum pretia orexin eſſe cõuiuiorum pronũtiauit. Pingi ſe iuſſit, ut cupediarium, ſeplaſiarium, popinarium. Hic porrò nõ niſi unguento nobili aut croco piſcinis infectis, natauit. Iam Domitius Apher Nemauſenſis, clarus orator, Neronis temporibus ex cibi redundantia in quadam cœna, mox ſpiritum effudit. Ariſtodemum tyrannum apud Cumas, in Romanis antiquitatibus Dionyſius auctor eſt, Mollem fuiſſe cognominatum, id eſt μαλακόν. Id uerò cur ſic, uariè traditur. Sunt qui opinentur, in de irrepſiſſe cognomentum, quòd quandoq; parum uir fuiſſet, ac pudicitiã turpiter ſub ſtrauiſſet. Alij uerò ex miti natura. Non deſunt qui ex hoſtili admiratione appellationẽ profluxiſſe uelint, ſiquidem à Barbaris nuncupatum μαλακόν, quo uerbo intelligatur ἀντίπαις, id eſt puber: quoniam id ætatis cum coætaneis etiamnum comantibus, quos inde coroniſtas uocãt, in bello aduerſum Barbaros manu promptus apparuerit, & cõſilio ac prudentia illuſtris, quibus is maximi principatus fundamenta iecerit. Perſarum rex uer agebat Suſis, hyemem in Babylonia, æſtatẽ in Media. Cuiuſmodi uerò in reliquis foret hic, ut libera, ita facilis coniectatio eſt. Propterea magnus Ageſilaus regiam eleuans potentiam: Quo, inquit, maior me eſt is, ſi non & iuſtior? Naratum Babylonis ſatrapen, æquè ac Sardanapalum deprimit Plutarchus, de quo Arriani hiſtoria eſt. Iuxta Anchialum fuiſſe Sardanapali monumentũ ac ſtatuam, manibus in ſpeciem plaudentium coaptatis, eo titulo: Tu hoſpes bibe, ueſcere, lude: nam cætera humana, ne hoc quidem digna ſunt. Hæc uerò pronũtiare uidebatur ipſe, uelut ſonitum intuens, quem crepantes manus æderent. Hunc Græci πώναβρον dicunt, quòd ſignat tota uita mollem euiratumq;. Alexandri uinolentiam nemo non nouit. Arrianus conatur tueri. Q. Curtius approbat, qui & comeſſantis exercitus licentiam taxans præclaram adiecit ſententiam: Eximiam gloriam ſæpius fortunæ, quàm uirtutis eſſe beneficium: quando ne epulantes quidem & ſopitos mero aggredi auſus eſt hoſtis, haud ſecus Bacchantium eiulantiumq; fremitu perterritus, quàm ſi præliantiũ clamor eſſet auditus. In præceptis item ſanitatis Plutarchus, uini in Alexandro nimietatem agnoſcere uidetur. Idem in Parallelis, luxum Alcibiadis commemorans: Excidiſſe, inquit, triremium tabulata, ut mollius dormiret: λειρίας, ἀλλὰ μὴ σανίσι τὸ σῶμα στρωμάτων ὑπὸ βαλομένου, id eſt cirijs, non tabulis iniectis ſtragulis. Sunt autem ciriæ, ex iuncis zonæ, ſeu faſciæ, quibus uinciuntur lectuli, uti interpretor, penſiles. Meminit in Auibus Ariſtophanes. Plutarchi interpres locum mirè diſſimulat. Hæc uerò in præſtantibus adnotata ingenijs minus miram faciunt priuatorum, & prætenuis fortunæ hominum fluxam fractamq; uitam, cuiuſmodi fuiſſe memoratur Artemon, cui delicijs laſciuienti etiam Periphoreti cognomen adoptatum, quod circumlatilem nobis indicat: quoniam lectica circumferretur, & ueluti è manibus hinc inde ſuſtinentium penderet. de quo inſuper memorabile eſt, quod proditum Græcis ſcio, Metu fractum atq; ſtupidum temporis plurimũ intra domus ſepta ſe continuiſſe, duobus ſeruis æreum ſcutum ſupra eius caput ſuſtinentibus, ne quid ex ſuperioribus fortè irrueret. Si quo autem caſu egredi cogeretur, lectica tecto adoperta geſtabatur. Sunt qui hoc genus delicatos, mũdulos, molliculosq; blacas nuncupent. Quanquam & eo uocabulo fatui quoq; intelliguntur, à piſce prorſum

inutili, ac ſiluro perſimili, dictione inflexa, quẽ ne canis quidem attingat. Alij Blaciam propè Cumen eſſe regionẽ uolunt, cuius etiam Ariſtoteli mentio ſit. Erat item in Alexandria uectigal, quod aſtrologi perſoluerent, blacennomion nuncupatum: quoniam eos fatui modo adire ſoleant. Porrò qui obeundis negocijs nimio plus deſident, & quadam mollicie torpent, dicuntur βλακεύειν. Damaſcius, καὶ παροξύνων τοῦ λόγου οὗ ἕνεκα βλακεύοντας. Eadem notione utitur Ariſtophanes Pluto, enarratoribus quoq; aſtipulantibus. Blautas legimus apud Dionem, qui Cæſarem ſcribit ultimo triumphi die in forum ſuum perrexiſſe βλαύτας ἐσφαιρωμένους, & omnifariam floribus coronatum. Apud Sophoclem & comicum Ariſtophanem, blautia obſeruauimus quoq;. Id uerò calcei eſt genus. Et in Parallelis Plutarchus, Marcellum ouantem ſcribit, urbem inijſſe ἐν βλαύταις. interpres calceos eo nomine patritios intelligit. Blitomamam pro ſtolido accipit idem Comicus, qua ratione bliteam dixit meretricem Plautus Truculento:

Blitea, inquit, & lutea eſt meretrix, Niſi quæ ſapit in uino ad rem ſuam.

Sed in hac cenſura quem Apicio anteferemus? Huius pollucibiles cœnas ſupercilio Stoico conuellit Seneca. Sed & Græci, opſophagi cognomento inſigniunt. Auctores habeo, Traiano in Parthis agenti, quum multorũ dierum itinere à mari abeſſet, oſtrea recentia miro ingenio ſeruata Apicium ſummiſiſſe. Hic in Cinturis Galliæ, uel apud Minturnas, ut ſcribit Athenæus, ni mendum exemplarium eſt, magnam pecuniæ uim profudit, dum ſquillis auidè ueſcitur, quæ illic habentur maximæ. Sed & in Alexandria aſtacos magna conquirens cura, quum audiſſet, in Libya ſquillas quoq; capi prægrandes, ne diei quidem unius moram ſuſtinens, in Aphricam confeſtim tranſmiſit. Quod ubi falſum comperit, execratus prouinciam ita regredi inſtitit, ne unquam terras attingeret omnino eas. Et de Apicio quidem ex Græcis hæc. Cæterũ, ne quem fallam, quo nam pacto eſſe idem hic Apicius queat, quem etiam nepotum omnium altiſſimum gurgitem Plinius dixit ſeueriſſime? Certè in Conſolatione ad Albinam, ut iam perfuncti fato meminit Seneca, cuius & paulò plura ſubſignauimus uerba, tum quia iucundam complectuntur hiſtoriam, tum ad refellendam hac parte Græcorum inſcitiam: etiam ſi Athenæus quoq; ſentire id ipſum uidetur. Apicius, inquit, noſtra memoria uixit, qui in ea urbe ex qua aliquando philoſophi uelut corruptores iuuentutis abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit. Cuius exitum noſſe, operæpretiũ eſt. Quum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, quum tot conchylia principum, & ingens Capitolij uectigal ſingulis comeſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computauit: & uelut in ultima fame uicturus, in ſeſtertio cẽties ſi uixiſſet, ueneno uitam finiuit. Quod ferè tradit in Tiberij rebus Dion quoq;: ſed ait Apicium comperiſſe, ducẽtas & quinquaginta myriadas ſibi reliquas fieri: Huius porrò, inquit, M. Sabij Apicij, L. Aelius Seianus Strabonis filius, fuit quandoq; τὰ παιδικά. Commeminit Apicij eiuſdem Epiſtolarum decimaquinta idem Seneca, inſimul & P. Octauij inter gulæ proceres maximè inſignis, & (quod mirum in primis eſt) ipſo item Apicio in muli licitatione, quem Cæſar Tiberius uendi iuſſerat, ſuperioris: Vnde, inquit, inter ſuos ingentem eſt gloriam conſequutus. Deniq; ab Apicio propagatum in coquos cognomentum, ut Apiciani dicerentur, quadam philoſophorum imagine, auctor eſt Septimius Florens.

De pandeſia, & maza. Mattya. Mazones. Martialis locus. Madda. Item de Amazonibus ſcitu dignum. Mazapanis. Marcipanes. Marciatũ unguentum. Marci paſtilli. Cardamyle. Quæ & quibus in locis edulia haberẽtur præſtantiſſima. Lesbia farina. Gigartum. Fungorũ nomina. Mycenæ unde. Ciboria. Colocaſium. Lac tabianum. De Veſuuio monte. Galeni mendum tollitur ex Theraupetices quinto. Lacte cur alantur præcipuè infantes.

Cap. XII

DAndæſiam Græci uocant aditiale conuiuium ac ganeatum dubiumq;, & omnifariam obſonijs differtiſſimum. Id nos excuratum gliſcerumq; dicere poſſumus & ſaliare. Sunt tamẽ qui eo nomine intelligi malint: ad quod, ubi ueſcerẽtur publicè, commeantes paſſim domo portionem quiſq; ferrent, in medium

medium tamen, quod attulissent, collaturi. Meminit Aristophanes: ὥσπερ, inquit, μάζης καὶ παυδαισίας, ut maza & pandæsia. Mazam uerò eius poetæ interpretes σφυρὸν ἄρτον exponunt, id est rigidum panem, quo nomine quidam eum uolunt intelligi, qui uulgo nautico usui maximo est, & biscoctum nuncupat plebecula. Fuisse tamen præstantioris edulij speciem ex adagio Græcis pertrito coniectare licet, ὥσπερ μαζαν, supra mazan, in eos qui diffluerent delicijs. Apud Lucianum, ὑπερμαζᾶν uerbum inde flexum inuenio, quod est luxuriosius agere, delicatiusq; ac diuitijs abundare. Mazam putant ex farina, oleo & aqua confici solitam. Sudas etiam ex lacte, unde mox paulò nata & mattya est: dictaq; eo nomine pretiosa omnia edulia, ut scribit Athenæus. Hinc illud Martialis sunt qui ita legant,

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes mattya prima lepus.

Theocriti interpres ὀδυπόροις: Maza, inquit, νεομαλακτὸν καὶ νεοφύρατον ψώμιον, id est bucella recens. Maddam pronuntiant Megarenses. Hinc correpsit forsan mazapanis, uulgò nunc usus promiscui, appellatio. Etiam si non improbatum eruditis est, Marcipanes posse ab auctore principe nuncupari: quando & Marciatum legimus unguentum. quin etiam Marci pastillos in medendi ratione celebrant Græci. Placentam fuisse in ueterum delicijs, illud certè Hieronymi ad Marcellam indicarit abunde: Non sunt, inquit, suaues epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius, in quibus nihil de magistrorum huius temporis iure suffumat. Est mazę species Athenęo dicta cardamyle, etiam si topicum quoq; nomen id est. Amazones pro pauperioribus, tenuiori, promiscuoq; utentibus uictu apud Græcorũ scientissimos reperias, ueluti qui mazam non habeant. Sed & Amazones ipsæ possent uideri inde appellationem ducere: quod nec Eustathio displicet, quoniam lacertis ac testudinibus, & id genus bestijs alerentur. Quamobrem etiam Sauromatidas, siue Sauropatidas nuncupatas uolunt: quia σαῦρας, id est lacertas, conculcent ac uescantur. Quãquam alij, quòd in Sauromatica Scythia habitarent, dictas ita opinãtur: quod Stephanus tradit. Sed & Eustathius Sauromatas Amazonum cõnubio insignes refert. At de mamma inusta peruulgatior fama est, auctore Diodoro: siue de ijs loquare, siue de longe antiquioribus in Libya, inter quas fuere Gorgones, quarum regina Meduſa sit à Perseo superata. Ex his uerò dilucere potest, quo sensu prouerbiũ id enuntiarent ueteres, ἀμαζονων ᾆσμα, id est Amazonum cantilena: in quo non tam mulieres intelligo, quàm pauperes simpliciter, quibus mos est opulentiores frequenter conuellere, ac lautos præcipuè, in necessariorum inopia sæpe ipsi constituti. Putat in Heroicis Philostratus, dici Amazonas, quòd mazo, id est mamma, non alantur: sed roris fauis, qui in mellis modum calamis fluuialibus insidet, lacte præterea equino adiecto. Quod de pauperibus diximus comprobat Columella, qui canínum taxat studium locupletissimum quenq; adlatrãdi. Mazam porrò, ut à diuerticulo repetatur fabula, pro re tenui uilíq; usurpare in Moralibus uidetur Plutarchus, καὶ οὐκ ἔστιν γὰρ μαζῃ καὶ φακῇ τὸ ἥδιστον, & non est in maza & lente iucunditas. Fuerunt Arcadibus cœnæ dictæ mazones, id est μαζωνίδες. Quin & Dionysiaci cõgressus, sic item nuncupantur. Legimus Sopatrum quandoq; Eretriam Eubœæ ciuitatem appellasse λευκάλφιτον, id est candida insignem farina: quoniam indidem mazæ proferrentur præstantissimæ. At Archestratus colore quodam poetico, inclytam scribit Lesbon ætherea niue candidiorem farinam ferre, sicq; farina uescantur dij, illuc ad coemendam pergere Mercurium, quippe aliam omnem uideri præ illa, uelut γίγαρτα. Signat id uerbum acinos uuæ, aut etiam punici mali. Ea uerò conterentes rustici cum caricis uorabãt, meminit Aristophanes. Sed enim uniuersum, ac suũ infantibus lac alimentũ est: nam quum omnino uictus rationem humidam sibi deposcant, ut qui cæteris ætatibus temperamento sint humidiore, natura ipsis affatim consuluit, ac maternum lac in humentis alimenti usum ingenioſius excogitasse deprehenditur. Sanguine nimirum utero dum gestamur, ali nos palàm sit. Ex sanguine porrò cõcinnatur lac, modicam in uberibus demutationem indeptum. Quo argumento matris lac alimonię in primis censetur accommodum: quia & consueta sit, ac perpropria. Similibus certè seruatur unũquodq;, contrarijs uerò ad intemperaturam recidit. Nam ad hoc præcla-

ra celebratur Hippocratis ſententia: Humectior, inquit, victus ratio febrientibus appoſitiſſima eſt, puellis autem eo amplius, deniq; uel aſſuetis ſic refici. Verum ad alia hinc iam digrediamur. Rhombum pauonemq; ſiue etiam pauum, inter delicatiſſima habuit edulia ueterum luxus. Id ſignificat ad Lucilium Seneca: Num, inquit, eſuriens faſtidis omnia præter pauonem rhombumq; ? ambitioſa non eſt fames, contenta deſinere eſt: quo deſinat, non minus curat. Inter delicias recenſet Plutarchus ſumen, & Italicos fungos, placentam Samiam, niuem in Aegypto. Fungos Græci, ut obiter adſit infitiſi aliquid, mycetas uocant, id eſt μύκητας: ſed addunt etiam γηγενεῖς, id eſt ex terra genitos. Nuncupantur ab eiſdem mycæ, genere item maſculino. Lucernarum fungi eodem intelliguntur nomine. Signat item myces, enſis manubrium: ſicuti apud Herodotum liquet, hiſtoria tertia: etiam ſi locum curioſe parum Latinitati donauit interpres. Vnde & Mycenas nuncupari credunt, quòd ibi à Perſeo ſint conditæ Mercurij præcepto, unde excidit gladij manubrium, id eſt myces. Fungum uero communius uocant Græci amanitem, id eſt ἀμανίτην. Fungi ſpeciem eo nomine Paulus accipit, quum ait, βελίτται ἀβλαβέστεροι καὶ ἄπροι καλῶς ἐψηθέντες. οἱ δὲ ἀμανίται δευτέρας εἰσὶ τάξεως. Celebre eſt Dionis teſtimonio Neronis dicterium, οὐ γὰρ μύκητας θεῶν βρῶμα ἔλεγεν, id eſt eſſe deorum cibum fungos dicebat: quoniã fungi eſu Claudius eſſet in deos tralatus. Sunt qui amanitæ uocabulum putent haud ita uetus, ſed Pauli Aeginetæ temporibus in decuriam receptum. Murenã flutam ex freto & Tarteſiam in pretio fuiſſe prioribus, ſcribit Pollux. Placebat thynnus Tyrius, ceſtreus ex Sciatho, hœdus ex Melo aut ex Ambracia, uti eſt apud Gellium: conchæ uero pelorinæ, unde fortè nomen indeptæ, quæ nunc uocantur pelorides, quas tamen à magnitudine dictas putat Athenæus: teutlon ex Aſcra, mænides apud Liparam, rapæ apud Mantineam, ctenes autẽ Methymnæi, galeus Rhodius, pſetæ Eleuſiniæ, apuæ Phalericæ, triglæ ſiue muli Ionici, anguillæ ex Bœotia Copaides: quanquã in Aegypto grandioribus, quæ uocantur baſilicæ: ſicut in Sicilia plotæ, raphanides Thaſiæ, caſeus Cythnius & Siculus, ſal Tragaſæus. Eſt autem in Epiro locus Tragaſæ, ut inquit Stephanus, ab Tragaſo quodam, cuius honori ſal ibi ut haberetur, contribuit Neptunus, & inde Halſius cognominatur campus. Tragaſæum in Troade, ſalem intelligit Athenæus: cui quum uectigal iniunxiſſet Lyſimachus, euanuit: mox dempto, ſuccreuit. Ciboria in Aegypto laudantin faba Aegyptia, id eſt fructus, quod in Georgicis ſcribit Nicander. Aegyptiæ fabæ radix colocaſium dicitur: quanquam apud Sicyonem fuit Colocaſiæ Pallados templum. Eſt tamen ciborium etiam poculi genus: unde apud Horatium, Ciboria exple. Et id opinor, quia fabæ huius folia ob magnitudinem ac cauitatem, poculorum exhibent uſum. Scribit Dioſcorides folium id eſſe grande, ὡς πέτασον, id eſt ut galerũ, fabam uero in ſummo emergentem caule, ciborium dici: ab aliis etiã cibotium, uelut ſcriniolum: propterea quod ſeratur faba hæc, impoſito ἐν ἰκμοβώλῳ, id eſt in madente gleba ſemine. Ex faba Aegyptia κιβώριον haberi, docuit etiam Strabo. Libro quinto Athenæus ciboriorũ folia nominat, & flores. Sed nos iam ab hoc genus indagine reſilire, optimũ erat, ne gulæ mancipatis fomenta curioſius ſolicitiusq; cõquiſiuiſſe uideamur, qui terra paſcuntur & mari, quorum uentri (ut inquit Plinius) nauigatur ad Phaſim. Quo nomine, ut Seneca grauiſſimè dixit, animalium non hominum habendi numero ſunt: quidam uero abditis in ganeis etiam mortuorum. Viuit enim is, qui multis uſui eſt: uiuit is, qui ſe utitur. Qui uero latitant ac torpent, ſic in domo ſunt, ut in conditorio. Sed nimio plus abblanditur rerum ubertas uaria quandoq;, quo nomine indulgendum ſtilo. Lac apud Tabias cenſetur ſtateræ tantumnon primæ. Sunt uero Tabiæ, inquit Therapeutices quinto Galenus, in mari locus in meditullio ferè Neapolis & Surrenti, latus ad Surrentum uergens collis eſt præaltus in Tyrrhenum erumpens pelagus, in occaſum modicè acclinatur. Huic attiguus eſt in ſinu intimo collis alter haud paruus, quem ueteres Romani Veſuuium, uel ut Græce ſcribitur Βεσουβίῳ nuncuparunt, recentiores Vesbium dixere, omnibus celebrem, ob eum qui indidem eructat ignis: qui aeris ſiccitati conferre creditur plurimum, unde lacti Tabiano maxima conciliatur bonitas, quam adiuuat loci altitudo, & pabuli præſtantia. Locum uero hunc à Plinio & Cæcilio ſignificatum contendetim, ubi ſcribitur modo, Stabijs erat. Sed & apud Ouidium Metamorphoſeos ultimo, Hercu-

Herculeamq; urbem Stabias, & inocia natam Parthenopen.

Illud porrò ex ſeptimo Familiarium epiſtolarum ad Marium, Ex cubiculo Stabianum perforaſti: nimirum ad hæc reſpicit. Arbitror mendum eſſe Galeni exemplariũ, ac pro Lesbio Veſuium ſubſtitui oportere: propter illud Martialis,

Hic eſt pampineis uiridis modo Veſuius umbris.

Nam & Silius ita cecinit:

Euomuit paſtos per ſecula Veſuius ignes.

Montem hunc etiam Summani dicunt. Porrò inquit Varro, quod far Campano confe res: quod triticum Appulo: quod uinum Falerno: quod oleum Venafrano: Iam Italia ſic conſita arboribus eſt, ut tota uideri pomarium poſſit. In agro Fauentino tricenariæ appellantur uites, quod tricenas amphoras redda t iugerum.

Documẽta frugalitatis per exempla hiſtorica. Lyſimachi, Catonis, Scipionis Aphricani, Ageſilai, Timothei. Ventri mancipatos eſſe uelut antipodas, dicíq; lychnobios. De Acilio Buta, & deorum cœnis. Opſartyci libri qui ſint, & opſartyſia. Cyri hiſtoria, & Iuliani Cæſaris. Gaſtrenſes apparitores. Gennauium. Opſophagi qui. Euochiſtæ. Cap. XIII

NEqueo temperare mihi, quin hoc potiſſimum loco ſubnectã, quæ nobis ad hoc ſpectantia maximè ex hiſtoria comperta ſunt. Lyſimachum memoria prodit, quum fuiſſet in Thracia prælio uictus à Dromachete, ac ſiti ferè ene ctus, ſe exercitumq; hoſti permiſiſſet, iam deſiderio expleto, O dij, inquit, quam puſillæ uoluptatis gratia in ſeruitutem me ex tanto rege cõieci. Cato ſenior, quũ populi Romani luxum cenſorie coargueret, difficillimum eſſe dicebat, uerba uentri facere, qui aures nõ habet. Sed & illud parte hac memorabile, dignum nota cenſoria eſſe uiſum Scipioni Aphricano iuniori adoleſcentem, qui in Carthaginis oppugnatione quum ſumptuoſiorem inſtruxiſſet cœnam, ſimul ex melle appoſuerat libum in Carthaginis formam concinnatum: iuſſeratq; per luſum, ut facto impetu, perinde ac in prælijs fieri aſſueuit, μελιπηκτὸν diriperent: ſic enim placentam uocabat, tanquã ex melle concretam fermentatamq;. Quærente autem eo, quod nam ob ſuum peccatum equus adimeretur, Quoniam, inquit Scipio, me prior urbem hoſtium diripuiſti. Et magnus Ageſilaus Thaſiorum delicias reijciẽs, Non decet, inquit, fortia meditantes uoluptates hoc genus admittere: quæ enim ſeruile deliniunt ingenium, ab homine libero aliena ſunt. Eundem legimus à ſatietate ac ebrietate ſemper æquè abſtinuiſſe, ſomno uſum, non ut domino, ſed ut gerendis rebus obnoxio. In caloribus uerò & frigoribus ita ſe geſſiſſe, ut ſolus omnibus uteretur anni temporibus. Timotheum Cononis legimus à Platone conuiuio exceptum concinnè admodum & frugaliter, & ut inquit Ion, ἀφλεγμάντοις τραπέζαις, ideſt menſis non tumefacientibus, quas ſomni cõſequantur puri cum ſumma corporis tranquillitate, ſolitum dicere, Eos quos Plato exciperet, & in diem inſequentem bene habere. At noſtris antipodibus optimè tranſmitti creditur uita, ſi nec orientem ſolem ſpectarint, nec occidentem. Quid enim aliud quàm antipodes ſunt ſaginæ mancipati, qui ad faces & cereos uiuunt, dum inter pocula tranſiguntur nocte, ſomno impendũtur dies, lucis ac tenebrarum ordine peruerſo: de his puto Virgilium dixiſſe:

Nosq; ubi primus equis Oriens afflauit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina ueſper.

Verum ijs nulla referuntur operum uadimonia. Hos tu exiſtimas, inquit Seneca, ſcire quemadmodum uiuendum ſit, qui neſciunt quando: timent uerò hi mortem, in quam ſe condiderunt: tam infauſti homines, quàm nocturnæ aues ſunt. Licet in uino unguẽtisq; tenebras ſuas exigant, non conuiuantur, ſed iuſta ſibi faciunt: mortuis certè interdiu parentatur. Horum utiq; corpora, qui ſe tenebris dicarunt, fœda uiſuntur: quippe ſuſpectior illis, quàm morbo pallentibus, color eſt. Languidi & emarcidi albent, & in uiuis caro morticina eſt. Inter hoſce lucifugas & lychnobios, ueluti ad lucernam modo uiuos, in reliquum mero ſepultos & ſomno, Acilium accepimus Butam prætorium, cui poſt patrimonium ingens conſumptum Tiberius paupertatem confitenti, Serò, inquit, experrectus es. Prælautas uerò opiparasq; cœnas, Horatius deorum uocauit cœnas illo uerſu,

O noctes, cœnæq; deûm.

Perinde ac non deſit ambroſia, non item nectar. Propterea M. Tullius ſumma laude dignos uiros ambroſia alendos pronuntiat. At Cyrus ille antiquior, quum ab hoſpite quæreretur ex eo, quid ad cõuiuium parari iuberet: Panem, inquit, ſolum: ſperare enim cœnaturum ſe apud flumen. Hunc uerò imitatus Cæſar Iulianus, mundiora ſcitioraq́ nil moratus, paucis & uilibus facile acquieſcebat. Gennauium apud Varronem in uillaticis paſtionibus, ſunt qui pro guloſo accipiant. Aegyptio regi diſcumbenti infereba tur nil præter uitulum & anſerem: bibendi quoque ad præſcriptum lege iniuncta. Scribit Xenophon libro tertio De factis dictiſq́ue Socratis, ὀλωχειδῆ de ijs pronunciari, quæ parabilia ſint, nec animo grauia, uel corpori: quiq́ ſobrie uiuant, rectè dici euochi ſtas, ex uerbi proprietate. Opſartycos denique feliciores fingendis uerbis Greci libros dicunt, quibus condiendi præcepta continentur: ſicuti artificium id genus opſartyſiam. In qua plerique cenſus uel ampliores, uti ſphæras habent, hoc eſt pilas, ſicut dixit Alexis, quando ſunt & habentur gaſtrenſes apparitores, id eſt uentris miniſtri & gutturis. Opſophagos dici putat Xenophon, uel apud eum Socrates, libro eodem, qui modico utantur pane, obſonio autem multo.

De uoluptate, lætitia, gaudio, quibusq́ diſtinguantur finibus. Voluptatem non eſſe bonum. Qui maxime uoluptates amplexentur. Alexandri dictum de uoluptate, ac laboribus. Cap. XIIII

VOluptatis notionem eſſe duplicem à Seneca accepimus: publicam unam, qua hilarem animi affectionem demonſtramus: alteram, qua eſſe uitium colligitur. Sic & gaudium ſapienti modo contingere aſtruimus, quando non aliud eſt ferè quàm animi elatio bonis ſuis uiribusq́ fidentis. Vulgo tamen ita loqui inſueuimus, ut magno nos gaudio affectos dicamus amicorum literis. Itidem & in rebus alijs, à quibus tamen magnæ quandoq́ ac inexpectatæ proueniunt improſperitates, quo nomine gaudium nec eſt, nec debet dici: quoniam gaudio adnexa perpetuitas eſt, quæ contrarij neſcia eſt. Propterea quum ab omnium maximo poeta dici audis: & mala mentis gaudia, ſcito id quidem diſerte enunciatum, parum tamen proprie, quando quod gaudium eſt, omnino malum eſſe nequit: poetæ tamen ſatis eſt uiſum, publica uocabuli notione, quod uolebat, explicare. Id autem erat, homines rerum caligine circumfuſos malo ſuo lætari plerunq́. Corporis uoluptates, inquit Moralium ſeptimo Ariſtoteles: ex eo nomen id uendicarunt ſibi, quia ſæpius occurſant, ac in earum participatum ueniunt omnes. Proinde haſce ſolas putãt, quoniam ſolæ modo ſint notæ. Cæterum quo perſpectius exploratiusq́ uoces iſtas ſuis occluſas finibus, ac ueluti pomœrijs internoſcamus, lætitiam dico, gaudium ac uoluptatem, attendendam magnopere arbitror Platonis diſtributionẽ: qua philoſophus is in mentem ſenſumq́ animam diſparauit, ac menti quidem lætitiam aſcripſit & gaudium, ſenſibus autem uoluptatem mãcipauit. Priora illa duo etiam diſcerniculo quodam diſpeſcuit, quod quum laude ſemper ſit gaudium, at in uitium quãdoq́ labatur lætitia. Eſt enim hæc animi elatio quædam boni cuiuſpiam præſentia, quæ ſi moderationis menſus limitesúe tranſiliat repraehẽſionis morſum non euadit: repreſſa uerò, ac ſuis metita modulis laude non uacat. Gaudium autem eſſe iucunditatem ſancit, quæ de contemplationis aut uirtutis cuiuſpiam maieſtate profluat. Propterea in libro De pulchritudine, quum de cęleſti, id eſt uera diſſereret uita, ali animum ſcribit contemplandæ ueritatis uſu & gaudere. Inde fit, ut apud eundem gaudium mentis nuncupari alimoniã, obſeruarimus. Quin & contemplationis præmium eſſe illam ipſam poetico inuolucro ſæpe ſignificatam ambroſiam. At inde emanans omnibus abſolutum numeris gaudium nectaris nomine, quod & ipſum immortalitatem ratione etymologica exprimit, recte à prudentioribus intelligi. Sed & ante Platonem Mercurius, homini à deo contributam autumat rationem, ut eum ſuſpicionibus acriq́ perquiramus indagine. Senſum, ut cognoſcamus. Intelligentiã, ut cognoſcentes gaudeamus. Voluptas uero ita ab eodem Platone finitur, ceu titillans præſuauiſq́ ac proritans, uel ut Græcè dicam, ὀρεθίζουσα, in ſenſibus motio intelligi debeat, quam inde conſurgere ſtatuit, ubi indigẽtiæ paria facias. Quippe neceſſitas appetentiam conciliat, ac ex abſentia dolorem, ſatisfactio iucunditatem ſenſibus inducit. Hanc uerò uoluptatem omnibus damnatam calculis ex bonorum albo expungit, ſeque-

git, ſequeſtratq́; eo maximè argumento, quòd ſicuti quæ calori admouentur, incaleſcunt dubio procul: ita cui adſit aſſiſtatq́ bonum, ipſum item euadere bonum, cõſentaneum eſt. Verum enim uero uoluptatis præſentia in bonam frugem euadere neminem, perſpicuum ferè uideri, quando & rationis impotes ferè fuſius uberiusq́, quàm nos uoluptatibus titillentur laſciuiantq́, ac (ut uerbo utar, quo nec abſtinuit Hieronymus) dulcorentur: quarum nullam tamen inde proficere comperias. Adde, quòd quo hebetior quiſq́ eſt, ac natura imbecillior, imò uero inſcitior inſipientiorq́, eo amplius uoluptate perfruitur. At obſecro te, quàm ab ratione diſſentaneum, quàm omnino abſurdum, ignauiſſimo cuiq́ largius, quàm frugi hominibus, quod bonum ſit, obuenire? Hinc diuinè, ut omnia, ad Dionyſium Plato ſcribens, uoluptatem maximo eſſe hominibus detrimento ſtatuit: inſcitiam porrò parere inquietudinem quoq́ ac ſtultitiam & petulantiam. Propterea quòd in ſenſibus latè pollet, dominaturq́: qui ſatellitum inſtar, immo uero ſubſeſſorum, aſſiduè noſtrum captare uidentur interitũ, in profunda corporis animam, eiusq́ rationale lumen intrudentes, adobruentesq́; quando ſic affectæ nec auras ſuſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco. Proinde Pythagoricus Nearchus recte, quod & idem comprobat Plato, τὴν μὲν ἡδονὴν ἔλεγχον εἶναι μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, id eſt, eſſe dicebat uoluptatem maximã mali eſcam. Animum uoluptarium emollitumq́ delicijs, ac earum delinimentis, ueluti unco tractum, non Tarentinus modo Architas, ſed & Plato pertuſo rimulentoq́ conſimilem uaſi prodidit, quoniam graſſetur in infinitum concupiſcentia, nec explendi ulla ſeſe oſtentet ratio. Verum alij etiam Euripi inconſtantiſſimis fluxibus refluxibusq́, ut Epicharmus & Socrates, quòd uoluptariũ uenenum, immo effera titillantium rabies, modo reciprocantis undæ nullo fine affluat refluatq́. Illud uero Mercurij cuius nam modi eſt? quàm propheticũ, ut ſic dicam? quàm diuinum? Qui mente uiuit, immortalis dei uitam agit: qui uero corpore ac ſenſibus, beſtiarum. O præclarum, ó plauſibile intellectus noſtri lumen, ſi eius adminiculo & claritate diuinitatis omnia ineffabiliter ſupereminentis æmulos nos facit. Rurſum, ó dirum inauſpicatumq́ teterrimi carceris commercium, ſi ad caliginem denſiorem à cæleſti ſplendore ſequeſtratos reuocat, in terrenã merſat naturam originis oblitos præcelſæ, denique brutum circumponit animæ infra lunam diuiniſſimæ omnium. At inferat hic fortè aliquis, Non omnes utiq́ uoluptates uideri dignas, quibus nigrum affigas theta, quando & honeſtæ aliquæ ſunt, ac probæ. Scribit utiq́ Plutarchus in commentariolo An ſeniori accedendum ad rempublicã, eiuſmodi capeſſentes adminiſtrationem pulcherrimis maximisq́ perfrui uoluptatibus, quibus compar eſt item, deum aut ſolis, aut præcipuis lætari. Sunt autem hæ, quas ex honeſtis actionibus prouenire, manifeſtum eſt: quippe ſi pictor nobilis Nicias tantũ artis ſuæ lætabatur operibus, ut uelut ſui oblitus ex famulis ſcitaretur ſubindè, An eſſet uſus balneo, itemq́ an foret pranſus. Si Archimedem tabulæ geometricisq́ intentum figuris ui abductum perungebant famuli, & is in uentre obuncto ſchemata delineabat. Si Canus tibicen, dum uteretur arte, longe maiorem ſibi afferri uoluptatem dictitabat, quàm cæteris: quando & mercedis loco duceret, quod audiendi patientiam præſtarent. An non aduertimus, q̃ uberes, quamq́ non paruas ſibi ex uirtute ac præclaris actionibus uoluptates comparent præſtantes uiri? Quorum animæ non aureis Euripidis alis, ſed Platonicis potius, ac cæleſtibus auguſtiores elatioresq́ gaudio euadunt uberrimo. Interrogatus Epaminondas, quidnam ei iucundum in uita maxime obtigiſſet: Quod, inquit, parẽte utroq́ ſuperſtite, Leuctrica retulerim uictoriam. Cæterũ quæ in mente conſtituitur iucunditas, quæq́ de uirtutum promitur excellentia, non uoluptatis nomenclatura, ſed gaudij, à Platone cenſetur. Peripatetici uero & Moralium ſeptimo Ariſtoteles, haſce item recte dici uoluptates opinantur: unde liquet, nominum ſæpe, non rei eſſe inter magni nominis conditores diſceptationem. Deus, inquit Ariſtoteles, una ſemper ſimplicíq́ gaudet uoluptate: non enim motionis ſolum eſt operatio, ſed & immobilitatis. Et uoluptas in quiete uerſatur potius, quàm in motu. Mutatio uero dulciſſimum eſt omnium, ex poetica ſententia, ob prauitatẽ quandam: ut enim homo prauus facile mutabilis eſt, ſic & natura prauа cenſetur, quæ mutatione indigeat: neq́ enim ſimplex, nec bona. Quòd ſi poſtremo ſolicitius exquirat quiſpiam, quo nomine tam uehementem uoluptatis pruritum ſenſi-

bus ingenerarit natura: ut qui circa uoluptates deficiant, perpauci sanè comperiantur: quo argumento nec ijs impositum nomen, uerum ἀναιδήτους uocant, id est insensatos. Respondendum, ut huius uelut fomento amplius ad uitæ necessaria munia excitemur, ac lubentia prouehamur quadam. Sed cur nam expletam indigentiam consequitur uel pœnitentis mœror, uel satietatis onus? Nempe, ut inde commoniti, non ultra necessitatem quicquam admittamus, quod naturæ mox inferat nocumentum. Iuuenes omnino ad uoluptatem propensiores pernoscuntur: suntq; in primis apolausti, id est gaudentes, uoluptarijq;: quoniam eorum præcipuè augescit corpus, & ad congruam sibi perfectionem toto tendit conatu, unde maximis uehementissimisq; agitatur motibus, ac conuellitur: indeq; etiam maiori opus est medicina, proinde remis uelisq; uoluptuosa consectantur. Idipsum ferè melancholicis usu uenire, cõpertissimum est, ut auctor probat Aristoteles: quia bilis atræ ui assiduè contabescit corpus, & ex humoris eius siccitate uehementiore arroditur, propter eaq; in uoluptates feruntur procliuius. Sed & cunctis propè hominibus insitum maxime, uoluptates amplexari, quoniam ætatis exordio mente quodam modo sopita, sensibus tantum utimur, illis obsequimur, eorum (ut sic dicam) dictata amplexantes: at hi ueritatis naturam, & inde profluens gaudium assequi nequeunt. Quia uero sensuum suauitas eius, quo mens alitur, gaudij umbra est quædam, atq; imago, decepti similitudine, illo procul relicto, hanc consectamur, huic totis (quod aiunt) cuneis, hæremus affixi. Et quanquã auctioribus iam ingerat sese rationis lumen, nihilominus receptam inueteratamq; sectamur consuetudinẽ: diu nanq; sensibus credere, & eorum motibus obsequi didicimus. Mos uero altis nixus radicibus irroboratusq;, aut uix aut omnino nequit exolescere. Hinc, ut Heraclito placuisse animaduertimus, uoluptati quàm iræ obluctari, renitiq; difficilius multo, & laboriosius censetur: quippe arduum est, uitæ insitum affectum extrudere. Macedo Alexãder quum uictis Persis familiares intueretur suos amplius indulgentes sibi, in Persicam dilapsos lautitiam, molestè admodum tulit, mirari se plurimũ astruens, haud nosse illos, seruile cẽseri, uoluptatibus se mancipio dare: laboribus autem innutriri, principerem prorsus esse dignam. Sed unde nam sit uoluptatũ euariatio tam insignis pro hominum captu? An quia iucunda pro signorum natura, quæ permeat in genituris, excitat Venus, quæ concupiscibili animorum potentiæ præesse creditur? Nanq; si prodeunte in uitam aliquo, conscendat Venus, ariete eam gestante, qui capitis habet pontificiũ, oculorũ mira ingenerabitur titillatio, ac extra modum ornatu afficientur, & picturis mundicijsq;, sed & auribus sua contribuentur, atque item naribus. Quòd si tauro gestabitur Venus, qui collo præest, gustus inorietur uoluptas, sed & poeticæ suauitatis. In libra, libidinis concinnatur proluuium, quando renibus ea dominatur & pectini.

Crates quo pacto repercusserit uoluptarij cuiusdam dictum. Cur cibus deterior, si gratus sit, plus prosit quàm probus, sed ingratus. Anatreptice, ac analeptice dicta, quæ intelligatur. Item quæ uocent prospheromena. XV

Visse quendam Plutarchus scribit, qui uoluptatum laqueis irretitus, ac delicijs adobrutus, Calphurnium diceres lanarium, ita etiamnum sibi scribere permisit, Ταῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπν' ἔπαθον. Quorum is fermè uerborum sensus est, Sibi denicq; reliqua fieri, quę gulæ indulsissent, aut comparasset per iniuriam, uel in amore suauia percepissent. Aduersus uero hæc philosophum Cratem ita rescripsisse,

Ταῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ μουσῶν
Σὺν ἐπάθον. Quibus illa repercutiens innueret, superesse sibi quæ uel perdidicisset, uel cura studioq; tractasset, ac cum Musis honesta imbibisset. Cæterum quia de uoluptate multus est nobis iam sermo, prius quàm inde stilum subducam, aut castra moueam conclamatis uasis, succurrit breuis, qui mos scriptoris est, & absoluta tamen Hippocratis sententia, non usquequaq; ab instituto abiuncta. Ea uero sic habet, Potus & cibus paulo deterior, modo suauior sit quàm qui melior, sed insuauior, anteponendus est. Eum locum accuratissimus interpres Galenus enarrans, non esse obid solum ita agendum, ut male habentum titillationi, & quasi quibusdam lasciuientis gulæ inuitamentis obsequamur, & illectationi subblandiamur: sed etiam quia futurũ sit, quàm

quàm maximè tum utile, tum ſalubre. Quicquid enim ſuauiter abligurimus, & pro delectamento habemus, condere id uenter & ſtipare, necnon percoquere facile poteſt: contrà, defugere ac recuſare tetra inſuauiaq́, quippe quę aut nauſeas inflationemue aut fluctuationes perconcinnent. Itaq́ ſæpenumero accidit, ubi paulò deterior cibus ingeritur, ſed iucundus & uoluptarius, & cuius ſubit prolubium eſitandi, ut non inſuper maneat deterior, ſed interdum probior euadat. In hac uero cibi mentione illud obiter adnotarim: in iſs quos uocant Græci ἀτόνους, debilitatos extra modum, ubi medica ſolertia melius fieri cœpit, nuncupari anatrepticen & analepticen quoq́ diætam, quum habenæ laxantur, ac indulgentius educantur, pluribus ingeſtis cibis, & amplius alentibus, ac ut Græci dicunt ἰσχυροτέροις. Eſt autem, inquit ſeptimo Therapeutices Galenus, ἡ ἀναληπτικὴ δίαιτα μέση τῆς ὑγιεινῆς τε καὶ θεραπευτικῆς. Sed nec id habendum inſuper: proſpheromena intelligi medicis, quæ eſu potuq́ intra corpus admittuntur, in quam decuriam & reciprocus hic uitalisq́ ueniat ſpiritus.

De operis huius uarietate ex diuerſiſſimis concinnata. Scytham agere, quid ſit. Entheſis. Panis genera & inſtrumenta. Sitoſtaſius, periſſochoregia, farriculum, megalartus, megalomazus. Molæ ubi Romæ. Edulitas. Cap. XVI

AT qui erunt fortaſſe, quibus conſemínea fœtura hæc noſtra monſtri cuiuſdam uideatur ſimilitudinem præferre, ac tanquam in Pontinũ diuerterint, aut Pupiniam, nec amœna, nec ſalubris: quando nunc ad philoſophos diuertamus, nunc & medicos amplexemur, ſæpius noſtrates aduocemus ad partes. Quum noſtrates dico, etiam Græcos intelligo, qui humaniora hæc percoluere ſtudia. Ita profecto eſt, ex diuerſiſſimis artium bonarum anteſignanis racemationem facere ſiue ſpicilegium, nobis propoſitum eſt: ſic tamen, ut qui in monſtris conuiſitur, nunc teter & aſpernabilis, nunc ridicularius abſit aſpectus, nec citra cenſus delectusq́ noſtri ultimam manum. Varietatem quam nec putes ſtilo depaſcendam, conſectamur maximè, qua lectione multa elanguentis lectoris, qui modo ſit phiniſtoros, detergatur faſtidium. Scythas interim putemur agere, πρὸς τὴν ἀφθονωτέραν νομὴν μετεξανιστάμενους, id eſt ad lætiora pabula identidem demigrantes. Vbicunq́ ſe oſtentarit, quod cum iucũditate aliqua hoſce libellos inſtructiores fertilioresq́ ad nouam ſobolem & frugem lætam in ſtudioſorũ ſubactis ingeniis producendam ualeat efficere, præcerpemus. Vt ſit inoculationum quoq́ ueluti agmen, non amœnum modo, ſed & gratum in primis. Verum iam interfari deſinamus, agamusq́ iam nunc quod inſtat: ne nos tam parte hac admirari forſan uideamur, quàm ſe in machæra Peleus, ſicuti dicitur: aut roramenta auri (ut Iulij Capitolini uerbo utamur) ſpargi, nũc credi expetamus: etiam ſi ad liquidum opiner cõſtare, in hoc piſtrino, ut Hieronymi utar ſententia, multa nobis durius exantlari, dum uitæ ampliter prodeſſe cupimus: nullius fama, uelut tunica, magnopere diloricata. Panis inuenio non unum fuiſſe ueteribus genus, quando ſunt in primis, quos zymitas dicunt, quibus aduerſi ſint azymi nuncupati: nam nominis etiam meminit Plato. Erant & panes nuncupati obeliæ: alij cribanitæ, aut etiam canchridiæ: dicuntur aliqui apiritæ. Panis bucellam nunc pſomon uocant, nunc entheſin. Nam Ariſtophanis interpres, entheſin, pſomon exponit, & ἄκολον, id eſt panis fruſtum. Pityrias uero, panes uiliores intelligunt, uelut furfuraceos. Nam triticeos, appellant pyrinos. Inter quos habentur ſitanij ex quadrimeſtri tritico. Chariſium uero, placentæ putant ſpeciem: unde chaliſiones noſtros corriuari, ſunt qui coniectent, qui modo ex amygdalis concinnantur & ſaccaro: ſicuti mazapanes quoq́, tametſi forma diuerſa. Apud Aegyptios in acutum conformati panes, calliſtei uocabantur: ſicuti orindam Aethiopes, ex orindio concinnatum dicunt: ſeminis id in Aethiopia peculiare genus eſt, ſeſamo perſimile: orthoſtates autem ſacer intelligebatur panis. Fuere item naſti panes, quos item factos uocant, ex melle ac uuis paſſis & aromatis alijs confecti: cuiuſmodi ſunt, quis nunc in Natiuitatis feſto paſſim utimur. Sunt tamen qui eo nomine recentem intelligant, & calentem panẽ ex oleo. Meminit Ariſtophanes Pluto. Dictum uolunt, quia denſior ſit, conſtipatiorq́: nil prorſum leuitatis habens, aut inanitatis, ἀπὸ τοῦ ναστοῦ καὶ πεπυκνωμένου. Lycophron,

πεῖν ἀν ἰφάτιστα ναστὸν ὀυσόχῳ λίθῳ.

A naſto uero dicti naſtophagi, qui eius eſitandi prolubio tenentur. Sed & naſtocopi

ex eodem

ex eodem cõrriuantur fonte, uidenturq; ita dici panis eius confectores. Sicuti apud Platonem in Gorgia, artocopi uocantur, quos artopœos nuncupant. Panis ciuilis nomine sunt qui simpliciter annonam intelligant ciuilem, cui uendendæ qui præest, dicatur Sitostasius, sicut magistratus qui curatur, perissochoregia nuncupat. Spirã farinaceam nos quidem uulgò bucellatum dicimus. At eo nomine excoctum ad usus diuturnitatem frumentum accipit Ammianus Marcellinus. Meminit in Auidio Cassio Volcatius: Præter laridum, inquit, ac bucellatum & acetum portare militem prohibuit. Panem ciuilem sunt qui secundarium intelligant, ab Celso autopyrum dictum, cui pollinis nihil sit incerniculo exemptum, sicuti tertiæ notæ panem cibarium idem nuncupat. Primæ autem notæ candidissimus intelligitur. Edulitatem apud neotericos pro annona, parum Latine positam comperi. Legimus in Aureliano Flauij Vopisci panes militares mundos, atq; item panes militares castrenses. Scribit Horus, panem censeri primæ notæ, quem arrodere adorti sint mures, quoniã animali delectus hic præcipue sit. Farriculum, quo pro fermento uterentur, quo pacto facias, docet Palladius libro undecimo. Erant & mazæ quædam sacræ amphiphones appellatæ, quas Dianæ offerebant Munychiæ, ardentibus per ambitũ facibus affixis. Sicut panes obelias Dionysio inferebant, qui ex hoc uocabantur obeliaphori. Obeliæ uero dicti, quia ueruculis quibusdam constiparentur, quos obeliscos uocant, uel assarentur, aut quia uenderentur obolo. Pelani uero communes erant diis omnibus, ita à figura nuncupati. Est enim pelanos nunc apta sacrificio mola: nunc etiam circa os concretior spuma: ut apud Euripidem in Oreste: sed & succosa lachryma modo thuris gummi densata. Est itẽ eo nomine obolus, qui uaticinãtibus erogaretur. Fiebãt pelani ex pepale, id est tenuissima farina: quod Didymus scribit. Boues item iis adnumerantur, sic nuncupati, quòd cornua haberent præfixa. Inferebant Apollini, Dianæ, Hecatæ, & lunæ. Selenæ, id est σελήνας, sex erant: septimus sequebatur bos. At quæ dicitur melittuta, Trophonio. Dignissimũ uero scitu. Mortuis hæc fere solita tradi: melittutam, quæ cerbero obijceretur: obolum, quem caperet Charon: coronam, quæ significaret uitæ certamina exanclata. Mystile, quem canibus obijcerent, dicebatur panis: quanquam & mystilem uocabant, sorbitionis gratia excauatum panem. Collyra dicti minuti panes, qui dari pueris consueuere, Alicubi tamen collyria dicuntur lalangia, unde & κολλυρίζειν uerbum, quo in sartagine lalangiorum percoctio significatur. Sunt qui ita etiamnum scribant, eresionem fuisse oliuæ ramum lana coronatum, propendentibus omnifariam terræ fructibus, necnon placentis collyris, quem uirens ætate ferret puer, affigeretq; pro templo Apollinis in Pyanepsiis: festum id Apollini sacrum. Fuere item gaioli & lagunculi, dulciarij panes à Gaio & Lagone pueris. Syncomistum panem, inquit ad Glauconem libro secũdo Galenus, eum nominant, qui medius inter exquisitè purum est, ac furfuraceum. Eundem autopyrum (de quo paulo antè) dicunt nonnulli, quoniam in puro farinam, non qualis natura est, talem ad conficiendum panẽ assumentes, sed purgantes prius, furfur excernunt: contrà, in furfuraceo eam prius adimunt farinæ partem, quæ purissima est. Panis autem autopyrus, qualem habet ex natura farinam triticum, talem etiam seruat. Proinde syncomistus nuncupatur, ἐκ τῶν ἀσήτων ἀλύρων, ut inquit Athenæus, uelut congestitius confusaneusq;. Autopyrus autem, quia non ex tritici parte constet, uerum ex integro toroq;, id est furfuribus, utriculis, simila, uel similagine. Vtriculos accipiunt eruditi, qui furfure meliores sunt, simila deteriores. Omnino si leuiter secernatur furfur, etiam autopyri sunt, ueluti cibarius panis, uel secundarius. Phacinus panis, à lente uidetur dici, quam uocant φακὴν, aut φακόν. unde Phacossus dæmon, & bulbophace, apud Chrysippum. Collabi, panes dicebantur, similitudine quadam collaborum in cithara. Sunt autẽ collabi, fidium epitonia, id est clauiculi, quibus circũnectuntur fides, quos etiam collopas dicunt, quos ex colli corio confici solitos legimus: quam partem eodem nuncupabant uocabulo, quoniam inde fieret gluten, quod collan Græci uocant. Colix item panis, quem subcinericium interpretãtur quidam, Aristophanis tamen interpres in Batrachis, ubi poeta ait κόλικας, exponens inquit, ἢ ἄρτους, ἢ γάστρας, id est aut panes, aut interanea. Inde & colicophagi dicti. Quos autem Græci bomilios dicunt, ex Latinis nõnulli quadratos intelligunt: nam sic ab Romanis dici, auctor probat Athenæus.

Blomon

Blomon tamen apud illos reperio, pro panis fragmento, unde & panem ὀκταβλωμον, dixit Hesiodus, uelut octo fragmẽtorum. Inter mazas porrò dijs sacras erat & hygiea, id est ὑγίεια, quo nomine proprie significatur sanitas. Sunt & mazæ plures usibus modo humanis dicatæ, ut anthema, thridacine, œnutta, quæ ex uino subigebatur, dandalis, cardame. Placẽtarum item species comperio plures, pyramunta ex tritico. Sunt & pyramides, cuius sunt modi apud Catonem graneæ triticeæ, dabãtur in peruigilio pyramides præmij loco integram noctem excubantibus. Sesamunta porrò ex sesamo. Aeglen inter placentas fuisse, auctor Pausanias est, probat & Cratinus. Est item Aegle sacrificium, quod in Delphos mittebatur: quin etiam tesserarius iactus: fuit & cotylíscus, thrymmatides quoq;. Nam crepis, ex melle conficitur & farina. Itrion ex sesamo placenta est, ac melle. Sumenalia dici hæc à nostris uidentur, quia ἦτρον, sumen est. Teganites in sartagine coquitur ex oleo. Elaphus, placenta est, in elaphebolijs confici solita ex sesamo & farinæ flore. Choria, ex melle ac lacte cibaria fuere. Pæssa, apud Coos placentulæ sunt. Myllos inuenio Syracusis subigi in thesmophorijs ex sesamo solitos, melleq;. Erant autem muliebria ephebæa. Placentarum deniq; genera sunt, Tarentinum, crassianum, Siculum, clustrum, plicium, guttatum, Montianum, subigitur id ex uino caseoq;: crustum tabonianum. Mustacia, ex œnomelite conficiebantur. Spira, caseo constabat. Habebatur & tyrocoscinon: item coptoplacus, quæ copta item dicitur rhodia, prædura: ut Martiali credimus propemodum, adijciebatur mel cum papauere: cui non diuersum ita est, coctum, in nostris literis, aut coccentum. Non temere prætereundum, Alphiton apud medicinã professos, accipi pro polenta: reliquis uero est tantum farina. Fuit & pancarpia, ac polton, & pyanion. Polton, nos pultem dicimus. Pultem Punicam celebrat Cato. Erat & Punicum libum, probi cognomento. Est uero puls quibusdam sorbitio quoq;, ex cerealibus in liquamentum solutis coctur̃e genere. Dicitur & poltarium, quod pro uase capi item potest. Pultarios legimus pro uasis item, in quibus seruantur uuæ. Pultarij formam esse, scribit Palladius, inuersi infundibuli, ore angusto. Quia uero de itrio facta mentio est, apud Galenum ita lego, Qui fumosum ructum percepit, fateatur se à cœna placẽtam nidore plenam comedisse: quales sunt, quæ ex oleo & itrijs & alijs huiusmodi concinnantur. Probabantur & Samiæ placentæ, item philoxeniæ à Leucadio cõpertæ Philoxeno. Conos, ex uuis fiebat passis & amygdalis. Echinus quoq; inter placentas recensetur apud Athenæũ: sicut escharites apud Rhodios, in panis & placentæ meditullio. Cui grata est placenta, nũcupatur philoplacus. Postremò sunt & in sanctis nuncupati literis, panes propositionis: quia sic super mensam disponerentur, inquit Nicolaus theologus. In Hebræo, panes uocantur faciẽrum, ut sic dicam: quia, ut rabi Solomon auctor est, figura erant quadrata, altera tamen parte longiore, cuius extremitates in surrectũ replicarentur. Alij rotundos globatosq; fuisse tradunt: & ideo dictos facierum, quia ex utraque parte consimiles forent. Neque enim in furno coquebantur, sed in uasis ad id peraccõmodis. Dicebatur & mensa propositionis: sed cur sic, ex Bedæ uerbis elici clarius potest, super Exodi capite uigesimoquinto, ubi scribitur, Et pones super mensam panes propositionis. Bene, inquit, panes propositionis uocantur: quia semper debet patere sermo salutis cunctis fidelibus, nec unquam deesse oportet in ecclesia uerbum solatij. Dicuntur & panes primitiarum, Regum quarto. Thiagones in Aetolia dicuntur, deo panes dicati. Panes quidam oxylipes dicuntur Galeno Therapeutices octauo, quibus aceti minimũ sit promixtum. Ab eodem nominantur panes ἀγχωνεῖς, sicuti & ἐνχωνεῖς. Pane hordeaceo qui uescantur, male colorari astruunt medici, quoniam hordeum suapte ui fluidum leniat, abstergatq; uehementius, unde fiat alimenti paucitas. Mulsiprema sunt, qui offulas mulso perfusas intelligant. Arcam panariam uocat Aristophanes sipyam. Instrumentũ uero subigendæ farinæ concinnum apud eundem uocatur mactra. Artopteum est coquendi panis officina: item instrumentum ipsum in quo percoquitur, quod & artoptam uocant. Plathanos uocant, in quibus effinguntur panes. Cardopum mactram intelligunt, quam & magida dicunt: alijs tamen cardopos arcam signat panariam. Erat & apomactra, scytale, Cypros apud Cleonem melopœum libro secundo. Sicut apud Hipponactem lamborum primo, hemicypros. In hoc præterea usu codomeum, & telia, & scapha, necnon

creſera & creſemon. Apud Bœotiæ Scolum præſtantes fieri panes conſuetos, accepimus, unde & Cereris megalarti & megalomazi ſtatua erecta colebatur. Conſimiliter uero apud Meſapios in Iapigia, ubi etiam fuiſſe rex Artos dicitur, ſed & feſta nomine Megalartia, de panis magnitudine appellatione ducta. Celebres erant & panes, dicti agelæi, quos dicere gregarios licet, uel cibarios. Apud Syracuſios uero Ceres colebatur σιτώ, ut ſcribit Athenæus, ob σίτου, id eſt frumenti curam fertilitatem'ue. Similam uolunt nuncupatam, quia Syracuſani Cererem dicant item Simalida, ut refert Athenæus. Quod ad placentas attinet, de quibus ſatis multa, uehementer adnotata eſt Matronis cuiuſdam parodia,

πῶς ἂν ἐπειτα πλακοῦντ' ἐγὼ θείου ἀπεχοίμην;
οὐδ' ἐμοι δέκα μὲν χείλη, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
τᾶσὴρ δ' ἀρρήκτω, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

id eſt, Quo nam pacto à placenta ipſe diuina abſtineam? Non ſi mihi labia forent decem, decẽ item ora, Infrangibilis porrò uenter, æneum quoq; ineſſet cor. Apud Syracuſanos eoſdem fuerunt pubis ſpecie muliebris mylli, ex melle ac ſeſama: dearum altaribus à fœminis circumferebantur. Globi & globuli eſſe uidentur, qui Syracuſanis item dicuntur epicyclij, uerum aſſeuerate nil aſtruendum. Subuculum fuit libi genus ex halica, oleo & melle. Traphax nuncupatur tabula, ad clibanos qua deferuntur panes. Dicitur & nauis labrum, traphax, ubi ſcalmi concinnantur. Illud uero ſcire ſtudioſos peruelim: molas Romæ paratas in Tiberi ad Ianiculum fuiſſe antiquitus, uti auctor Procopius eſt, ad molendi uſum: quia in anguſtum ibi primò aquarum ingens uis cogitur, ac per canalem mox in præceps acta, uiolentius defertur, ac ruit. Quo nomine uidentur Romani ueteres collem Ianiculi muro circum muniſſe, hoſtibus ad molas aſſultus ne pateret.

Panem ex omnibus difficilis eſſe percoctionis, carnem non ita. Encratici qui. Caro fumoſa. Creocaccabum quid. Sitarcia. Caput XVII

POſtea uero quàm affatim panis genera exſequuti ſumus, quantũ noſtra paruitas tulit, ex multijuga Græcorum auctorum lectione, Auicennæ placita ſubnotare, non inconcinnum omnino fuerit, nec (ut ijdem dicunt Græci) ἀπὸ σιτίου. Igitur ſecunda primi: Panis, inquit, impedimentum, ubi non percoquat uenter, maximũ cenſeri debet: carnis uero non ita. Ex hoc, inquit interpres, id paſſiuum inaudimus: Differtionem utiq; omnem eſſe incommodam: uerum quæ ex pane fiat, peſſimam: in ſtomacho quippe reſidet diu, onere in primis moleſto: quòd ſi non concoctus ſatis, deniq; dilapſus fuerit, hepar præfarcit ac meſeraicas. Caro autem maiorem ducit cum humano corpore ſimilitudinẽ, proinde ex ea minus prouenit nocumenti, & hepatis aut meſeraicarũ præfartio leuior, ac curationi minus minusq; obſiſtens, imbibentibus membris longe procliuius ob cognationem quandam carnis ſuccum, quàm panis. Tatiani hæretici, de carnis abſtinentia dicti ſunt Encratici: unde Encratitæ apud Hieronymum. Sitarcia in eodem exponitur pro annona, ab σῖτος, cibus, & ἀρκέω, ſufficere. Cautum cibaria lege apud Romanos, ſcribit Athenæus, Ne quis in annum carnis fumoſæ plus talentis quindecim abſumeret. Creocaccabum dicebant Græci, carnem minutatim conciſam cum ſanguine & adipe ac liquore iuſſulento, dulciarioq;.

Felicitatis humanæ inconſtantia, rationibus præmonſtrata quatuor. Timothei hiſtoria ad id. Ciceronis obſcuritas illuſtratur ex Epiſtola ad Atticum. Interim, quæ agimus eſſe ſomnia. Artabazis hiſtoria. Itẽ Perſei filij. XVIII

FElicitas, inquit Seneca, res eſt inquieta, ipſa ſe exagitat, mouet cerebrũ non uno genere: alios in aliud irritat, hos ad impotentiam, illos in luxuriam, hos inflat, illos mollit, & totos reſoluit. Quinimmo ſi uerum facere iudicium uolumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere: mortalium, ut inquit Euripides, nemo eſt felix. Proinde, ut ex Plinio uerba mutuemur, abunde atq; indulgenter fortuna decidit cum eo, qui iure dici non infelix poteſt: ut præteream Heraclidi & Thaletis illud, Cuncta mortalium, ſeu bona ea ſint, ſeu mala, dum oriri uidentur, occidere. Nam Pythagoræ oraculum eſt ac Platonis, dormire animum in corpore, ac quæ-

ac quæcunq; hic agere uel pati uidemur, nil omnino uideri aliud, quàm somnia. Vitæ magister pronunciauit, Mundum esse uniuersum in maligno positum: quod exitu, miserabili comprobat Artabazes Parthorum rex, & Tigranis potentissimi regis filius, quem bello uictum meretrici reginæ, ceu mancipiũ uilius, dono dedit Antonius cum præda, & Persicis spoliis. Nempe ut quo illustrior fuerat uictoria, eo turpior foret largitio, qua rex tanto deformaretur ludibrio. Eadem uerò fortunæ inconstantia Adrami tenum Andriscum in fullonia natum ob Pseudophilippi nomen euexit: at Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum edocuit uictum. Eunus uerò ergastularius seruus fugitiuos in Sicilia ductauit. Splendido loco nati plericq; Viriati genua sunt amplexi, & Spartaci quoque. Suppetunt & in hoc exempla mille. Illud hic apposuisse, operæpretium fuerit, tum quia scitu iucundum, tum quia insimul nodus ex sexto Epistolarum ad Atticũ explicabitur, ni fallimur, egregiè, quem quum Patauij eum librum prouincialibus auditoribus meis interpretarer, ut conniuens, transilueram: testatus tamen, nusquam me, quod ad eam historiam pertineret, comperisse. Nunc ex Vlpiani Græci rhetoris monumentis loci eius enarrationem aucupabimur: simul & humanæ leuitatis tumorem reprimemus, edocentes, quò tandem spes nostras deceat collimare, ne à scopo seiuncti, uelut umbræ uagemur. Igitur ut à Cicerone ordiamur primum, eo quem præsignauimus loco, ita Græce scriptum reperias, τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τοῦ κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοσχερῶς σωφρονίσαι, hoc est, libertum autem eius, qua Cononis pater nomenclatura, nihil omnino curasse. In hunc scopulũ impactus est lembus. In eo quid alijs obuenerit, non statuo, neq; enim cuminum serimus, ut maledictis & linguæ procacitate, ac morsu arcuato, lætiores prouentus hisce nostris lucubratiunculis conquiramus, ne improbè item faciamus, si in alienis subinde ostentare ingenium uelimus, lacerando, conuellendoq;, quanquam id publico bono non reijcimus quandoq;. Verum ne diutius legentium desideria distineamus: is ita refert, cuius testimonium paulo antè aduocauimus. Timotheus Atheniẽsium dux fuit, Cononis pater, initio uel fortunatissimus, si quis alius: memoriæ siquidem proditur, ad quodcunq; mitteretur bellum, facilem, ac perinde certam retulisse uictoriam: unde factum est, ut à pictoribus non aliter per picturam exprimeretur, quàm ut dormiens, assistente ei muliere, quam fortunam intelligi uolebant, quæ retia ferret, & id genus instrumenta alia, uenationibus accommoda: hoc figmento prudentioribus insinuantes, pro eo fortunam omnia peregisse: ipsum uerò nil prorsum aliud, quàm dormitasse. Cæterum ubi is grauius hæc, molestiusq; ferre cœpit, asserens audacius suæ ipsius uirtuti, & ingenio perspicaci uictorias omnes acceptas referri, par esse, procul fortunæ aura sequestrata, indignata dea dicti tumore, nunquam postea Timotheum ex hoste potitum uictoria. Plutarchus parte quadam ipsa hæc item cõprobat ijs ferè: Timotheus, inquit, fortunatus habebatur imperator, quo nomine exstimulati quidam non citra liuorem ciuitates ex pingebant, sponte se in cyrtum insinuãtes, uas est id piscatorium, illo altius consopito. Ad quæ Timotheus eludens: Si tanta, inquit, uel dormiens conficio, quid excitatũ me facturum putatis? Scribunt nõnulli ex Græcis amplius, in paupertatem eum recidisse: ut qui Venerem sibi cecidisse, nimio plus gestiebat, miserè mox, ac extra quàm opinaretur aliquis, casu sit profligatus caniculari. Quin dum sequundiore uteretur dea, solitam se illi fortunam subinde offerre. Timotheũ denicq; Cononis patrem commonstrat Pausanias quoq;, ne refractarius aliquis aduersum ire meditetur. Timothei turrim celebrat Aristophanes Pluto. Hæc nimirum grauius commonent, quotquot ex uoto cogitata omnia citra pulueris tactum conficiunt, ne nimium sibi fidant, sed uolubilem felicitatis humanæ inconstantiam ante oculos proponãt, scientes eiusdem esse numinis utranq; paginam facere, uel potius nostra omnia esse in motu, nil solidum, nil quod eodem diu permaneat gradu: quoniam usq; ad ludibria, mundi pars non uilis, homines quatimur fortunæ salo, nullaq; non hora occurrant, qui lethargum patiantur, communem (ut ille ait) delusarum mentium morbum. Quid, quòd omnis uita supplicium est. In hoc profundius inquietiusq; proiecti mare, alternis æstibus reciprocum, nunquam stabili consistimus loco, pendemus & fluctuamur & alter in alterũ allidimur. Sed quærat aliquis, nec inepte, unde nam sit nostræ felicitatis subsultans adeo, & (ut sic dicam)

inconſtans inconſtantia? Huius uerò rationes ab ſcientiſſimis afferri quatuor, animad uerto: diuinam, cœleſtem, naturalem, humanam: quippe diuina prouidentia ita ſancitum, fugacia hic eſſe, ac haberi omnia, ne in tendiculam dilapſi teneamur obretiti, ac diuinorum prorſus obliuiſcamur: ad quæ naſcimur, & modo non deſipiamus, ducimur, prouocamurq́ per momenta. Cæleſtis uerò diſpenſatio ſic diuino nutu dirigitur, ac cõtemperatur, ut perpeti ac irrequieto corporum illorum motu & uertigine inenarrabili, quum primùm ad ſummum uel altitudinis uel directionis peruenerint planetæ, mox retro abeant. Porrò ab ſextili aſpectu uel trino, quos ſalutares arbitrantur in quadratũ, uel oppoſitum, qui habentur noxij, relabantur. Deinde, ipſius naturæ nutu ita elementis ordo iniungitur, dum prærapido globorum cæleſtium circumaguntur inceſſu, ut quum calor aut frigus, ſiccitas uel humecta uis ad ſummum naturæ ſuæ prouecta fuerint, nec progredi altius, nec conſiſtere omnino uel minimum permittãtur: quin intenta qualitas remittitur, ac laxata refluit mox. Quam quidem relabendi uiciſſitudinem præcelerem conſequuntur & corporum noſtrorum humores ac temperaturæ. Quod ſcienter eſt ab Hippocrate ſignificatum, ubi ſummam corporis ualitudinem iudicari fallaciſſimam pronuntiauit.

Felicitatem ueram ex deo eſſe. Opinionẽ de deo eſſe omnibus inſitã. Prolepſis quid. Triplici calle conſcendi ad dei cognitionẽ. De prophetis, item de CHRISTO ſcitu digna. Virginis partum Aegyptiorum comprobari doctrina. Cap. XIX

PRoinde altius generoſiusq́ eſſe excitandum animum, ni undiq́ inſcitiæ caligine circunfuſi lapſitamus, liquet opinor, quærendumq́, quod ſit homini propriũ bonum: ne, quod hiſtoricus inquit, uitam ſicuti peregrinãtes tranſeamus, ſitq́ præter naturam corpus uoluptati, anima uerò oneri: ſiquidem bono ſuo conſtant omnia. Vitem commendabilem fertilitas facit, ſapor uinum, uelocitas ceruum, iumenta dorſo fortia ſunt: quia illorum unus hic uſus eſt, ſarcinas ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi perueſtigare debeat feras: curſus, ſi conſequi: audacia, ſi mordere. In homine uero quid optimũ eſt? Nempe (inquit Seneca) ratio, hac antecedit animalia, deum ſequitur: hæc recta, & conſummata felicitatẽ hominis impleuit: quam Erichthonium illum, mirandæ uetuſtatis uirum, Dardani ex Batea filium, ne ſuſpicatum quidem eſſe, contenderim. Eum tamen omnium hominum fortunatiſſimum antiquiſſimi ex Græcis pronuntiant. Conſumata ratio deum habet ſcopum, in quem cogitationes omnes & actus dirigat, quando illuc tendit noſter conatus omnis. Ab illo ſeiuncti bulla euadimus, & ſi quid bulla compertũ imbecillius eſt. Natura humana, inquit Iamblichus, nec rationem quidem orationem'ue de deo ſuſcipere poteſt ſine deo, nedum diuina opera abſq́ illo ualeat implere. Eſt quippe imbecillis adeo, & hebes prorſum, ut nullum nullitatis ſuæ remedium habeat, niſi quandam diuini luminis portionem, deſu per influẽtem, abſq́ ea nil omnino à nobis diuini perfici poteſt. Deus eſt omnia, poteſt omnia, implet omnia in ſemetipſo. Nos autẽ ad diuinitatẽ uelut ludus. Quòd ſi in deo bonorum omnium eſſentia perfectioq́ continetur, ac prima poteſtas, primumq́ bonorum principiũ illic eſt, merito ſacerdotes ſoli, & qui ſimiliter ſuperis ſe dederint, atque legitimè unionem ad illum fuerint conſequuti, bonorum omnium principium atq́ finem ſtudioſe proſequuntur. In hoc utiq́ ſtatu & ueritatis contemplatio adeſt, & intellectualis ſcientiæ conſummatio: atq́ unà cum Dei cognitione conuerſio quoq́ ad nos ipſos, noſtriq́ agnitio comitatur. Quãobrem idea felicitatis eſt, ipſum cognoſcere bonum: ſicuti idea malorum eſt, utiq́ ipſa boni obliuio & fallacia circa malum. Hinc Platonici ductor agminis Plotinus: Malum (inquit) animæ eſt, alienis, id eſt caducis hærere, bonum uerò domeſticis atque cognatis. Ex hoc item illud eſt: Mihi uerò adhærere deo, bonum eſt. Propterea ſciẽter Mercurius: Eſt, inquit, hominis menſura ante omnes religio, quam ſequitur bonitas: ea demum tunc uidetur eſſe perfecta, ſi etiam cupiditatem omnium alienarum rerum deſpectui habeat uirtute munita. Vnuſquiſq́ pietate, religione, prudentia, cultu & ueneratione dei clareſcit, quaſi oculis uera ratione perſpecta, & fiducia credulitatis ſuæ eatenus inter homines præſtans, quatenus aſtra reliquà ſol luminis maieſtate agnoſcitur præcellere. Adijcit his calculum quoq́ grauiſſima, & plauſibilis

plauſibilis maximè Pythagoræ ſententia, quem dicere ſolitum accepimus, ὅτι βέλτιστοι γινόμεθα πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζοντες, id eſt accedendo ad deum effici unumquenque optimum. Adde publicum humanæ reipublicæ conſenſum. Ex tot, inquit M. Tullius, generibus nullum eſt animal, præter hominem, quòd habeat notitiã aliquam dei. Ipſis porrò in hominibus nulla gens eſt neq; tam fera, nec tam immanſueta, quæ non etiam ſi ignoret qualem deum haberi deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur, ut is deum agnoſcat, qui unde ortus ſit, quaſi recordetur. Sed & alibi idem Cicero, quanquam ſub aliena perſona: Quæ gens (inquit) eſt, aut quod genus hominũ, quod nõ habeat ſine doctrina anticipationem quandam deorum, quam appellat Epicurus proleplin? Equidem quantum coniectare licet, triplici nos calle potiſſimũ ad tantę duci pietatis cultum animaduerto. Primò quidem naturali hac, quã diximus, ſagacitate, quam immẽſa illa nobis prouidentia infudit. Poſtea uerò etiam rationibus philoſophicis, ex ipſo ædificij ordine, architecti prouidentiã comprobantibus. Prophetícis demum uerbis atq; miraculis. Hæc uerò Chriſtianæ ueritatis conſectatoribus adſunt munificè, deſunt Gentibus, ueterũ ſuperſtitionibus (aut erroribus potius) animam in euidens præcipitium trahentibus, irretitis obuolutiſq;. Taceo uetuſtiora, taceo & noua: quæ utraq; uirorum maieſtate præcellentium in diuinis rebus coruſcant latiſſimè, quorum cõmonitionibus, minis, exhortationibus, miraculis perſonant omnium aures, quando præpotens ille ſpiritus diuinus animas illas ſanctiores in noſtra ęmolumenta prouexit altius, & illarum enuntiatione rerum excellentium ſtupenda reſerauit arcana. Quid uerbis humanis ineffabilem, immo nec mente quidem comprehenſibilem CHRISTVM hic memorem? aut Chriſtianorum ingeram auribus? Aliorum quibus datum cælitus ſarctum tectum opus polliceri, ſit munus hoc tam amplum, tam extra hominis captũ. Illud modo ſubtexamus: ipſum hunc quem lapſæ naturæ reſtitutorem, dei filium præpotentis, deum ipſum agnoſcimus, ueneramur, colimus, quibuſdam ueluti lineamẽtis à Platone prius, mox & à Platonicis præſignatum, ac obſcurius delineatum. Prophetam igitur legislatorem quidem, ſed diuinum, Platonici putant: qui ut habeatur talis, oporteat eum manifeſtis quibuſdam miraculis ad homines diuina prouidentia mitti. Quem ſanè prophetam humani generis ducem diuinum Plato & Auicenna cognominant. Nam huc demum tendit Platonicum illud in libro De regno: Sicuti beſtiæ nequeunt à beſtijs feliciter ſine homine duci, ita neq; homines ab homine ſine deo. Probat inſuper Auicenna: Animam quidem prophetica lege uirtuteq; imbutam à diuina ſolum prouidentia mitti. Corpus autem ad animam prophetæ ſuſcipiendam idoneum diſponi à deo, non tantum proxime, ſed per animas cælorum motrices, tanquam per miniſtras, ac etiam per cælos ipſos, quaſi per inſtrumẽta dei. Sed nunquid reticebimus, quòd quarto Legum Plato diuiniſſimè uidetur uaticinatus. Deus, inquit, omnium nobis eſt menſura, multoq; magis, ſi quis (ut ferunt) homo eſt. Quod exponẽs Platonicus nobilis, Si deus aliquis homo eſt: id eſt, ſi quando fiat homo, ut ferunt oracula, ſcilicet prophetarum. Quod ad uirginis attinet partum, in Aegyptiorum myſterijs lectum eſt, Mulierem ab ſpiritu afflari diuiniore, non uideri abſurdum, extraq; naturæ potentiam: atq; eundem generationis ſemina item inſerere. Quando & ſic natos aliquot, nobis ex hiſtoria ſuggeritur. Cæterum quo riſu, quáue exſibilatione excipienda eſt ſceleſtiſſima Luciani impietas, qui nos irridens ægerrimè fert, qui Græcorum deos abnegemus, & ἀνασκολοπισμένον σοφιστὴν προσκυνοῦμεν, id eſt cruci ſuffixum Sophiſtem adoremus, & ex illius præſcripto uiuamus. Nec à Trinitatis diuinæ infanda alibi abſtinet ſupplosione. Sed abunde Græca natio, quid de eo ſentiendum foret, ſanxiſſe uidetur, blaſphemi conflato cognomine. Verum exitus eo amplius, quoniam à canibus fertur conſciſſus, homo fœdiſſimus, loquentiæ multæ, at ſapientiæ minimæ. Quanto pium magis, quanto religioſius ita ſtatuere, ut ſciamus, primum eſſe dei cultum, deum credere, deinde maieſtatem illi ſuam reddere, & cum maieſtate bonitatem, ſine qua nulla maieſtas eſt. Scire illum eſſe, qui præſidet mundo, qui uniuerſa, ut ſua temperat, qui humani generis tutelam gerit, qui coercet, caſtigat, pœnas pro noxa irrogat, iuſtis præmia elargitur æterna. Vis deum propitiari, inquit Seneca, bonus eſto: ſatis illum coluit, qui imitatus eſt. Porrò quod uides omne, quo cæleſtia & humana concluſa ſunt: unum eſt, mem

bra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos ædidit. Hæc nobis amorẽ indidit mutuum, & ſociabiles fecit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi. Iſte uerſus in ore ſit perpetuò, ſed & in pectore: Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

Salutis rationem eſſe in religione tantum. Cecropis inuẽta. Religiones falſas, & ſuperſtitiones omnes ex aſtrologia & ſyderibus profluxiſſe. Lucretij locus declaratur. Cap. xx

QVamobrẽ reiecta omni ueſica, ſic cum Aurelio Auguſtino eludamus partem hanc: Religionem eſſe eam, quæ uniuerſalem continet uiam animæ liberandæ, quoniã nulla niſi hac liberari poteſt. Hoc eſt canonicũ iter, quod unum ducit ad regnum non temporali ueſtigio nutabundum, ſed æternitatis firmitate ſecurum. Hoc inquã auguſtiſſimum iter doctiſſimus ille Porphyrius quæſiuit quidem, ſed non reperit: non repererunt & alij, quãtumuis rerum naturæ capaces uiri, quos priſca tulit ætas, etiamſi ſingulari ſtudio & ſolertia inenarrabili iſta conſectarentur: CHRISTI pretioſiſſimus ſanguis effuſus reſerauit, & credentibus incomparabiles theſauros, patrum noſtrorum memoria incognitos, etiamq; infantili ſimplicitati patefecit. Comparetur nunc Chriſtiano ſtatui principis Auguſti illa paſſim certatimq; ab auctoribus celebrata felicitas, quantula demum deprehendetur? quam puſilla? quàm nulla prorſum? Ipſe ſibi tamen nimis placebat in ea, plauſibiliter ſibi abblandiebatur: ſiquidem quum Caium ex filia nepotẽ in Armeniam mitteret, comprecatum ferunt à dijs, comitem illi Pompeij beneuolentiam, Alexandri audaciam, ſuam uerò ipſius fortunam. At Cecropa ueterum plericq; mirantur, quòd omnium primus Iouem appellarit, ſimulacra repererit, aram ſtatuerit, uictimas immolarit: quum ante illum ne mo iſta inter Græcos perpetraſſet, aut agnouiſſet omnino. O temporum conditionem miſeram, ò ineptam uanitatem. Stultitiæ dux, ignorantiæ magiſter, à doctiſſimo quoq; plauſu excipitur feſto, auctor uitæ ridetur. Verum ita prorſum res habet, Deus omniũ eſt principium, ac finis: proinde colligi facile poteſt, deo nos eſſe natos, non nobis. Propterea dei cultus, uirtutum uirtus eſt: at enim dei cõſequutio, uirtutum utiq; præmium eſt, ſed incomparabile. Hinc fit quoq;, uti uiuere ij demũ uideantur, qui de diuinis ſcribunt uel loquuntur, aut cogitant. Quòd ſi è medio auferatur diuinus cultus, erit ſanè rationale animal uel brutis infelicius. Cæterum hic præſtat unus præcipuè, ut mente uiuamus: hoc eſt, ut ſemper ac feliciter uiuamus. In mente ſiquidem ſtatus eſt, ac tranquillitas. Verum ab mente delapſus ad inferos ſe ipſum intrudit. Sed quoniam de religione agimus, illud ſciendum amplius, religionum exortum & uarietatem eſſe qui ſyderibus acceptam referant, quæ urbibus & prouincijs propria, peculiariq; poteſtate præſideant. Ex rerum uerò cæleſtium ſtudioſis plerique ad eas quas uocant cõiunctiones magnas planetarum ſuperiorum, referre maluerunt: Saturni præſertim, atq; Iouis. In qua ſententia eſſe Arabas animaduerto, & Latinorum item multos, qui illorum conſectati ueſtigia ſunt. Ptolemæus uerò Apoteleſmaton libro ſecundo, Aſiaticos ſcribit, qui exortum ſpectent, ac meridiem, Veneri, Saturnoq; rem diuinam facere: quoniam trigono ſubſint aridæ qualitatis, hoc eſt Virgini, Tauro, Capricorno, quibus dominentur Venus & Saturnus. Rurſusq; qui inter meridiem habitent, & occaſum, Venerẽ ſummè ac Martem colere, quoniam humectæ ſubijciantur triplicitati, cuius cum Marte Mercurium ac Venerem præſides fecit. Atque ita deinceps reliqua ſubtexuntur. Iam uerò & Manichæorum hæreſis, quæ liberum excutit arbitrium, non aliunde initia ducit, quàm ab aſtrologorum fata aſtruentibus diſſertationibus. Ex aſtrologiæ porrò ſinu profluxiſſe ſuperſtitionum omnium uanitates, locupletiſſimus auctor Varro teſtatur. Geomantiam aſtrologiæ itidem adoptant, qui eiuſmodi doctrinam profitentur. Iam & magiæ clauis commemoratur aſtrologia. Nam quid de chiromanticis dicemus? A quibus excogitata ſcimus in manuum uolis ſeptẽ montium ſupercilia, quæ cæleſtes præferant planetas. Cæterum hæc omnia eſſe acuta potius delyramenta, & uaniſſimas uanitates, quàm documenta, uitæ uſibus concinnata, nemini non arbitror liquere. Nos tamen eo in primis conſilio recenſuimus, ut Lucretij locum aperiremus, qui libro De natura primo, religionem deſtruere uolens ita ſcribit,

Humana ante oculos fœde quum uita iaceret

In terris

In terris oppreſſa graui ſub rellígione:
Quæ caput à cæli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans:
Primum Graius homo mortalis tollere contra
Eſt oculos auſus.

Hominum pectora debuiſſe feneſtrata fieri ex apologo. Vitilitigator. Hominum prauitas. Et cur traditũ, animas tranſire in beſtias. De Plotino nõnihil. Cap. XXI

FAbulas, quarum nomen falſi profeſſionem indicat, aut tantum cõciliandæ auribus uoluptatis aut adhortationis ad bonã frugem gratia, repertas eſſe, legimus. In hoc genere, quod poſterius eſt, multas ſæpe ac periucundas altero (quod dicitur) oculo percurrimus. Sed eam in quã proximè recidimus, dum iſta commentaremur, nullo modo præterire poſſumus, quod inſtituto noſtro belliſſimè congruat. Ferunt ergo mythologi, Mineruam, Neptunum, Vulcanum de artis peritia inter ſe amplius diſceptare cœpiſſe: atq; inibi quidem Neptunum periclitandi cauſa effinxiſſe taurum, Mineruam uerò domum ſubſtruere adortam, à Vulcano eſſe expreſſum hominem. Eius certaminis arbiter erat Momus: is diligenter ſingula conſpicatus, quid in quoq; uitio uerterit, operæ non eſt referre, in homine uticq; id accuſauit, debuiſſe architectum Vulcanum pectus eius effingere feneſtratum, ut ſic eo planè recluſo ac patenti, omnibus perſpicuum fieri poſſet, quid ſibi uellet, quid meditaretur, uera'ne promerentur, an ſecus: quando & Moralium ſeptimo Ariſtoteles ait, prauitate inſignem hominẽ milies eſſe fera nocentiorem. Fabellæ autem huius lepidiſſimè concinnatæ documẽtum illud mihi præmonſtrare uidetur ſcitiſſimè, quod eſt à M. Tullio poſitum in quadam ad Quintum fratrem epiſtola: Multis, inquit, ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi uelis quibuſdam obtenditur uniuſcuiuſq; natura. Frons, oculi, uultus perſæpe mentiũtur, oratio uerò ſæpiſſime. Nec extra pomœria nati fallũtur modo, quod ferri poſſet: ſed uel intra inſtituti uix ſibi cauent: immo ne Argus quidem, uti in fabulis traditur, oculatus totus impoſturas humanæ prauitatis euaſerit. Sententiam eandem Socrates item comprobauit de feneſtrato pectore, puto ex id genus apologo, Ne (inquit) occultiores deliteſcerent ſenſus, ſed ad conſiderandum paterent: quoniam hominũ effigies habent ferarum animos, ut inquit Seneca. An non Hercule, ſicuti Plinius ſcribit, ex homine homini plurima ſunt mala? Cætera animantia in ſuo genere probè degunt: at diuinũ hoc animal, & miraculum quoq;, quod ſæpe repetimus, & ſuo probatum loco eſt, uenerandum atq; adorandum, nunc aperta ui, ſæpius fraude mutuo arietare (ut ſic dicam) non ceſſat. Nec homini tantũ homo lupus eſt, quum qui ſit, non nouit, ut Plauti uerbis utamur: ſed & quanto notior, tanto etiam ſæuior, & immanior, fraudulentiorq;, ac planè uitilitigator: quod uerbum, Plinio docẽte, eleganter ex uitijs & litigatoribus concinnarat Cato: ſed eo & Firmicus utitur Matheſeos quinto tribus locis. Verũ modo uitiligator ſcribitur, modo uitilitigator. Huius uerò, ut ad inſtitutum redeamus, abſurditatis quam eſſe aliam rationem opinemur, quàm quæ ex Ariſtotelis oraculo promitur? Homo, inquit, ut perfectione ſuſcepta, animantium cũctarum optimus eſt, ſic à lege ac iuſtitia ſeiunctus, omnium efficitur peſſimus. Dedit quidem optimus ille parens rerũ animis noſtris igniculos quoſdam, & quaſi ſcintillulas ad omnem uirtutem percipiendam: cæterum igniculos eos malis moribus opinionibusq; deprauatis, ut M. Tullius auctor eſt, ſic extinguimus, ut nuſquam lumen ingenitũ appareat. Quòd ſi eos adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam uitam natura perduceret. Nunc uerò, ſimul atq; in lucem æditi & ſuſcepti ſumus, in omni cõtinuo prauitate, & in ſumma opinionũ peruerſitate uerſamur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe uideamur, ut merito Lucretianum illud poſſit comprobari,

O miſeras hominum mentes, ó pectora cæca,
Qualibus in tenebris uitæ, quantiſq; periclis
Degitur hoc æui, quodcunq; eſt.

Porrò ex hac hominum ferina in alterum rabie ſæuiendi, atq; item omnifaria malè uiuendi libidine, prorſus bruta: natam, opinor, infamem illam de animarum tranſitu poſi

tionem. Quoniam Timæus Pythagoricus nobiliſſimus in libro quem De mundo & animа ſcripſit, quem poſtea imitatus eſt Plato: Migrationem in beſtias, inquit, induci falſo ad terrorem hominum impiorum, ut pœnæ ſaltem formidine, & ſpecie abſurda immaniq; à uitijs inquinamentisq;, quibus candori animæ labes inuritur, retraherentur, proficerentq; in bonam frugem. Sed & Pythagoras, à cuius placitis hæc in primis uidentur inualuiſſe, id ipſum ita ſignificauit: Si depoſito, inquit, corpore liberum aſcenderis ætherem, eris immortalis deus, non ultra mortalis. Orpheus quoq; in ipſo Mercurij terreſtris hymno,

Κωκύτου ναίων ἀνυπόστροφον οἶμον ἀναλγήτου.

Id eſt Cocyti habitans irremeabilem neceſſitatis uiam. Sed nec Aegyptiorum ſacerdotum ſcientia omnino comprobari re uera demigrationem animarum eiuſmodi tetram formidoloſamq;. Quinimmo ad ferinum uel heroicum animæ habitum referendã, opinantur, quãdo apud eos hominis nuncupatione animus modo intelligatur. Quod aperuit Mercurius Aegyptiorum pontifex maximus, qui quum emigrationem eiuſmodi ritu poetico deſcripſiſſet, adnexuit, legem diuinam nõ permittere animi humani in beſtias tranſitum. Quinimmo pœnas ſtatuit ſempiternas impijs animis in mundi huius infimis elementorum gradibus. Agit quoq; gratias Deo, quòd bonos uiros æternitati conſecrarit. Item dicit, uſqueadeo coniungi mentem deo, ut erroribus ex eo non implicetur amplius. Zoroaſter quoq; in libro, cui titulus Μαγικὰ λόγια τοῦ ἁγίου Ζωροάστρου μάγου. Zoroaſter, inquam, abs quo omnis ueterum theologorũ ſapientia manaſſe creditur, inquit, σοὶ γὰρ ἀγχοῦ θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι. hoc eſt, tuum uas habitabunt beſtiæ terræ. Quòd ſi intra nos beſtiæ ſunt, intra quoq;, non extra de homine in beſtiam, ac ex beſtia remigramus in hominem. Cæterũ nec deſunt, qui iſta ſic interpretentur, ut animarum quæ ſimilem brutis duxerint uitam, aliæ inter alias beſtiarum turbas diuerſentur. Quod ipſum Platonis doctrinæ ualde conſentaneum putat Olympiodorus: quoniam Plato animas purgatiſſimas inter deos cenſuerit uerſari: impuras autem inter ſepulchra reuoluí: quo fiat, ut umbris quandoq; terreamur, quippe quum corporei quippiam circa ſe contraxerint, ſicut & in ſe: unde fieri Plato uult, ut uideri quandoq; poſſint. Ex priore autem ſenſu, ſi habitum intelligamus, non ſpeciem, arbor erit apud Platonem, qui nutritioni deditus, uel Herculis quæſtum in ea attriturus, die noctuq; torpebit. Miluus, qui raptu uiuet per concupiſcentiã: leo, qui egregiè militabit: draco, qui crudeliter in genus humanum debacchabitur: homo, qui ciuiliter uiuet: heros, qui naturalia ſcrutabitur: dæmõ, qui mathematica: angelus, qui diuina. Talis enim fit animus, qualem induit habitum. Ex quo in Phædro Socrates: Ego (inquit) cõſidero, utrum ipſe ſim beſtia Typhone multiplicior, an diuinius animal. Porrò quid in ijs Aurelius Auguſtinus ſenſerit, quid'ue Porphyrius, qui ſcire cupit, legat Ciuitatis diuinæ librum decimum. Plato autẽ figuratè metamorphoſes iſtas in Timæi parte poſtrema ſub Pythagorica perſona poetico quodam excurſu perſequitur. Iamblichũ certè rationalem animam puduit in brutum præcipitare. Quanto cauſatius nos Chriſtianæ ueritatis cultores hoc genus nugamenta retundemus, illius prophetici memores perpetuò: in circuitu impij ambulabunt, ueluti ita dicatur: impietatis anquiri oportere, ſi quis ambitus eiuſmodi & demigrationes enixius tueri contendat. In quam decuriam, alioqui philoſophus nobilis, & inter Platonicæ ſapientiæ ſectatores facilè princeps Plotinus tranſcribi ſe neſcio quo modo patitur, dignus qui cum Timæo potius ſtipendia faceret, ac ubique triarium ageret, nec rorarium quandoq;. Noſcendum quoq; in libris περὶ ἀρχῶν ab Origene μετεμψύχωσιν defendi.

Fidei cõmendatio præcipua. Qui dicantur palimboli. Theſſala perfidia. Theſſalæ alæ. Theſſalus equitatus. Rhombus quid. Trapezia. Theſſalica portio quid. Capanica, capane, ſcapane, ſcaphiũ, ama. Capus, et cape quid. Capania Pallas. Ogygia, cur pro antiquis. Thebe, cur dicãtur. Ilici eſſe ſimile, quid ſit. Cohors ſacra Thebis quæ: ubi adnotatur interpretis Plutarchi lapſus fœdiſſimus. Iolai hiſtoria. Pharſalorum & Bœotiorũ uoracitas. Scytala Muſarum quid.

Cap. XXII

Numam

NVmam Pompilium memoriæ proditum eſt, quum Romanæ iuuentutis bellicoſos acreſq; ſpiritus & ferocientes (ut ſic dicam) animos, incuſſo deorum metu remollire, ac retundere cuperet, omnium primum Fidei templum conſtituiſſe, illamq; Romanis, Plutarcho auctore, maximum eſſe iuſiurandum demonſtraſſe. Proinde quum ad id ſacrarium flamines bigis, curru arcuato, id eſt obtecto deſuper, ac uelut fornicato uehi iuſſiſſet, manu quoq; ad digitos uſq; inuoluta, rem diuinam facere uoluiſſe, ſignificantes ſymbolicè fidem tutandam eſſe, ac eius ſedem in dextris eſſe ſacratam. Quod Plinius ſcribit, & Ariſtophanes quoq; in fabula, cui titulus Nephelæ, ſignificauit. Sed & Plethon Gemiſtus rerum Græcarum libro ſecundo, manus porrectio μεγίστη παρὰ πέρσαις πίστις, id eſt maxima inter Perſas cenſetur fides. Quin & M. Tullius nullam rem ſcribit, uehementius continere rempublicam, quàm fidem: quoniam, ut alibi ait idem, eſt iuſtitiæ fundamentum fides. Iuſtorum corda, inquit Ambroſius, meditantur fidem. Hæc porrò, tradente Seneca, ſanctiſſimũ humani pectoris bonum eſt, quòd nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrũpitur præmio. Vre, inquit, occide, non prodã. Sed quo magis ſecreta quæret dolor, hæc illa condet altius. Eſt autem (ut Cicero finit) fides dictorũ conuentorumq; conſtantia, & ueritas. Propterea Plato inquit, fidem eſſe in reddendis pecunijs depoſitis, uel in ſepulchris erigendis iuſtitiam. Sillius item Italicus præconio poetico ſic fidem commendat,

Iuſtitiæ conſors, tacitumq; in pectore numen.

Hæc tamẽ quamuis præcellens, quamuis ciuilis ſocietatis glutinamẽtum firmiſſimum, & ferruminatio (ut ita dicam) inuicta, nonnullis, immo uero plurimis, bonumq; ſi non omnibus, ita prorſum fluxa eſt, ita cenſetur nulla, ut nil rarius ſit reperire, quàm incorruptæ ueritatis hominem. Inde in Plauti Bacchidibus adoleſcens ille,

Satin', ut quem tu fidelem habeas, aut cui credas, neſcias?

Sed & rurſum poeta idem, atq; adeo fabula eadem, graphicè ſubſultantem amicorum ſynceritatem effingit hiſce uerſiculis,

Multi more iſto, atq; exemplo uiuunt, quos quum cenſeas
Tibi amicos, reperiuntur falſi teſtimonijs,
Lingua factioſi, inertes opera, ſubleſta fide.

Subleſtam uero fidem Marcellus friuolam intelligit, ac leuem. Cuiuſmodi uiſitur in ijs, quos παλιμβόλους Græci uocant, & in commentariolo De liberorum inſtitutione, meminit Plutarchus. Sicuti παλιμβολίαν Agathias poſuit in libris. Dicuntur autem eo nomine inconſtantes, & perfidi, unde tritum illud apud Græcos, Scytharum eſt palimbolum ſe præſtare. Sed & in Pompeij rebus ſcribit Dion, Ciceronem ſæpe ſolitum ἐπαμφοτερίζειν, quia nunc populo cohæreret, nunc ſenatui: proinde, inquit, dicebatur ἀμφίμολος. Homerus ἀλλοπρόσαλλον uocat, id eſt nunc huic, nunc illi inhærentem: quales fermè coarguuntur Theſſali, nec id utiq; in Latinis literis, quod riſu fortè exciperent Græci, ſupercilij ſtudioſiores: ſed obſeruatũ id meminimus apud Demoſthenem in primis, in cuius Olynthiaca prima ita ſcriptum inuenio, ἅπαντα γὰρ θεσσαλῶν, ταῦτα γὰρ ἄπιστα μὲν ἦν δὴ καὶ φύσει, καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις. Poſtea, inquit Theſſalica, hæc enim infida quidem erant natura, & ſemper utiq; omnibus hominibus. Conabar, quantum mihi uaria lectione ſuggeritur, tam fœdæ, tamq; probroſæ inuſtionis cauſam proruere. Demum ex Vlpiani rhetoris monumentis ita fermè commoniti ſumus, Theſſalos ut infidos, antiquitus ſugillatos: aut ob Medeæ hiſtoriam, quam ab Iaſone circumſcriptã, qui Theſſalus erat, poetæ tradunt: uel quia tempore Peloponneſiaci belli in ipſa acie ab Athenienſibus ad Lacedæmonios, uelut inducta fidei, interlitaq; memoria, ordinibus mutatis, Theſſali tranſfugerunt: ſicuti Thucydides quoq; auctor eſt, unde natum prouerbium, ut Theſſala fides, de uana dicatur & fluxa, quæ in ratione uirtutis nihil omnino habeat penſi. Quod Euripides item innuit, πολλοὶ γὰρ ἦσαν, ἀλλ' ἄπιστοι θεσσαλοί, hoc eſt, multi quidem erant, ſed infidi Theſſali. Quin Ariſtophanis item aſtipulatu id ipſum comprobari uidetur poſſe, à quo amplius ἀνδραποδιστὰί appellantur, quo nomine ſignari animaduertuntur plagiarij, qui liberos homines in ſeruitutem redigunt, & diſtrahunt. Theſſalorum denicq; improbitatem non tacuit hiſtoriæ parens Herodotus, qui libro nono ita refert: Theſſalos adeo non pœnitebat eorum, quæ hactenus egerãt,

ut etiam multo ſtudioſius Perſam inducerent. E quibus Thorax Lariſſæus, & Xerxem fugientem deduxerat, & tunc Mardonium propalam inducebat in Græciam. A Philoſtrato quoq; taxantur egregiè Theſſali in Critia ſophiſte: Similis, inquit, Theſſalis euaſit, apud quos ἀγυρωχίαι καὶ ἄπρατοι καὶ τυραννικὰ ἐν οἴνῳ σπουδάζονται. Qui tamen, inquit, ſapientiam non negligebant: ſed ἐγοργίαζον, id eſt Leontinum Gorgiam amplexabãtur. Polydamas tamen Pharſalius apud Xenophontem rerum Græcarum ſexto, fuiſſe traditur hoſpitalis, ac Theſſalico more magnificus. Eodem modo & Aeoles ut fraudulenti infamabantur, quod Idillio primo adnotauit Theocriti interpres, unde factum opinaſ, ut ἀιολίζειν, ſignet decipere: ut apud Hieroclem, μὴ δ' ἀιόλιζε αὐτάν ne circũſcripſeris ipſam. Sed redeo ad diuerticulũ. Illud ad mores pertinet nihil, quòd Theſſalicas alas inuenimus dictas in antiquis auctoribus, de chlamydibus, quibus uterentur Theſſali: nam utrinq; anguli proiecti eminebant quadam alarum ſimilitudine, quales ferè nunc habentur Gallicæ ueſtes. Vnde Eupolis in Maryca, ἐνθεσσαλίσμεθα, id eſt Theſſalicè circumueſtiti ſumus. Cæterũ ne in totum uidear Theſſalos inſectari, operæpretium fore opinatus ſum, quod ex diuerſis captauimus, apponere. Igitur Quintus Curtius geſtorum Alexandri libro tertio, Theſſalos equites, Acarnanas, & Aetolos inuictam eſſe dicit bello manum. Et in Menone Plato Theſſalos ſcribit inter Græcos fuiſſe illuſtres tum equitatu, tum diuitijs. Polybius quoq; auctor grauis Theſſalicos equites conferto prælio inſuperabiles eſſe confirmat. Quos tamen ſi per partes attentaueris, lacerare carpereq; facillimum ſit. Vſque adeo natura non ſolum hominum corpora, uerum etiam animos ſui diſſimiles finxit, ut ſæpenumero unus idemq; homò, non modo in rebus diuerſis, ſed in ſimillimis modo inauditam celeritatem, aliàs incredibilem ignauiã oſtendat. Aratus in rebus ciuilibus uſquequaq; fuit perfectus, rei militaris peritus. At ſi acie dimicare cogeretur, in conſilijs ſegnis, in ſubeundis periculis timidus erat. Legimus præterea, aciebus ad rhombi ſimilitudinem formatis Theſſalos primos eſſe uſos, Iaſone (ut ferunt) auctore, ut quæ ſint ad omnes uſus accommodatio res: equites enim hac forma conſtituti uertere ſeſe in quemuis proſpectum poſſunt, minimeq; uel à tergo uel à latere capi. Eſt uero rhombus quadrilatera figura, quæ tamen rectiangula non eſt. Sicut rhomboides, quod in contrariũ collocatas lineas atq; angulos habet æquales, non autem rectis angulis, neq; lateribus æquis continetur. Præter hæc uero omnes quadrilateræ figuræ trapezia, hoc eſt menſulæ nuncupantur. Inſuper apud Theocritum eſſe magicũ inſtrumentum uidetur rhombus. Corymbum ab Athenienſibus quidam putant dici, Apollonij interpres rhombum eſſe rotulam dicit, quam loris diuerberantes circũagunt, atq; ita ſonum inde eliciunt. Quidam etiam Didymon uocant rhombum dimidiatum, in re militari, etiam transformatum in triquetrum, cuneum ſeu roſtrum uocamus. Rhombum præterea lego cõmunius ſtrumbam dici, quæ & bombix nuncupetur, uerum & ſtrombus, unde στρομβηλόν inflectitur. At in Olympijs Pindarus rhombum uocat iaculi euibrationem: quæ μετὰ δινήσεως planè fiat, id eſt haud citra rotatam uertiginem. Acie cuneata Scythæ utuntur, & Thraces: quin & Macedonas uſos inuenio, Philippo ſuadente. Inuſtam porrò Theſſalis animaduerto uoracitatis notam. Propterea in Lamia Crates, τριπήχη θεσσαλικῶς τετμημένα, id eſt trium longitudine cubitorum inciſa Theſſalico more. Nam carnium portiones facere grandiores, gentis eius erat proprium. Quando & carnem θεσσαλότμητον, id eſt Theſſalicè inciſam, Philetærus dixit in Lampadophoris: quin & Theſſalicam enthefin de magna pronuntiabant. Capanica uero Ariſtophanes, uelut amaxiæa dixit, id eſt plauſtralia: quoniam currus Theſſali καπάνας dicunt. Quanquam eſt item in curru uirga quædam dicta Capane. Capus uero propriè locus eſt uentorũ ſentiens perflatus, unde Capas uocant præſepia, quoniam ab equis difflentur. Scapane ligonem indicat, quem & ſcaphium uocant: communius etiam tzapion, inquit Theocriti interpres, ſed Attici Amam. In gymnaſio Cylabare apud Argos, de Stheneli filio ſic nuncupato, uiſebatur Palladis ſimulacrum, inquit Pauſanias, quæ Capania dicitur, id eſt καπανία. Pharſali inter hos inceſſebantur præcipuè, quod ſignificat Mneſimachus, τῶν φαρσαλίων ἤκειτις, ἵνα τὰς τραπέζας καταφάγοι, id eſt Pharſalorum uenit aliquis, ut menſas uoret ipſas. Turpitudinis eiuſdem infamantur labe in Græcia item Bœotij, ut auctor comprobat

probat Polybius hiſtoriarum uigeſimo, Et qui eos, uelut uaſa dixit, quæ ſortita uocem non aliud eloquantur prorſum, ni quantum capiant ſingula. Vt βοιωτίαν hic ὗν præteream, quamuis eam ſe euaſiſſe, in Olympijs glorietur Pindarus, dum Aeneã alloquitur chorodidaſcalum, quem eſſe Muſarum ſcytalam pronuntiat, id eſt, nuntium, ac uelut carminum præconem. Illud ſuperpondij loco adiecerim hic, Ogygum fuiſſe uetuſtum adeo Thebarum regem, uti quicquid perantiquum uiſatur, dici Ogygium recte ualeat. Sunt tamen qui in Aegypto regnaſſe autument hunc, unde ſit Cadmus, qui in Græciam profectus Thebas condidit, ab boue iugulata ſic nuncupatas, quoniam Syrorum lingua bos dicatur Thebe. Bœotios denicp dicebat Pericles, eſſe ilicibus perſimiles: quod ex Ariſtotele eſt, quoniam ſemet inteſtinis conficerent diſſidijs. Suum autem ilicis eſt, uti denſiore ſit materia, ualidacp: ſed ita ut diſſiliat nulla externa ui, cõfringaturcp. Hic uero quoniam de fide actum, decp Bœotijs, id ſubnectamus potiſſimum, fuiſſe Thebis ἱερὸν λόχον, id eſt ſacram cohortem, quam Gorgidas inſtituerit primus, ex electiſſimis uiris, hoc eſt amatoribus amatiſcp, ut uoluere nõnulli, quando hic eſt ad robur nexus præpotens. Nam legimus, inquit Plutarchus in Pelopida, Iolaum Herculis amaſium fuiſſe certaminum participem ac propugnationis. Prodit autem Ariſtoteles, uel tempeſtate ſua ad Iolai monumentum τὰς κατατήσεις ποιεῖσθαι ἐρωμένους καὶ ὧν ἐρασάς, hoc eſt amatos amatorescp fidem ſolitos obſtringere obfirmarecp. At interpres, Ariſtoteles quidem etiam pro ſententia animi ſui ait, apud ſepulchrũ Iolai amantes atcp amatos tumulo ſolennia miſiſſe.

Magiæ ſpecies eſſe plures, quo'ue diſparentur diſcerniculo. Libri improbatæ lectionis qui. Teletæ. Pyctaciola. Prophetæ pro Magis. Item pharmacia quæ intelligatur. Magorum iynges. Goetia. Epode. Magiæ nomẽ unde fluxerit. Virgilij locus explicatur. Caput XXIII

QVi acuratius introſpicere iſta enixi ſunt, magiæ faſtigia duo deprehenderunt: alterum infame eſt, ac immundorum ſpirituum cõmercijs inauſpicatum: reliquum, ſi penſitatius explores diſpiciaſue, non ferè aliud eſt, quàm naturalis philoſophiæ apex. Priorẽ illã non magnopere magiã, ſed goetiã uocãt Græci, incantationibus & carminibus nefariæ curioſitatis arte compoſitis cõcinnatã, quam honeſtiore uocabulo etiam theurgiam nuncupare audent: ſed diſcerniculo tamen quodam, ut illicitis artibus deditos, cuiuſmodi excogitaſſe Zabulus memoratur, alteros intelligi damnabiles uelint, quos & maleficos appellant uulgò. Horum enim eſſe goetiam proprie dicunt. De qua cõcinnantur libri, quos improbatæ lectionis appellat Iurecõſultus Vlpianus, protinuscp eſſe corrũpendos ſtatuit. In quod fortè genus ueniunt pyctaciola ad ægritudinem cõſcripta quamlibet. Laudabiles uero alteros, quibus theurgiam deputant, quamuis utricp ritibus ſint dæmonum fallacibus obſtricti, ſub angelorũ nominibus. Nam & Porphyrius quandam quaſi purgationem animæ per theurgiam, cunctanter tamen & pudibunda quodammodo diſputatione promittit. Reditum uero ad deum hac arte præſtari cuiquam, inficiatur omnino. Quibuſdam uero conſecrationibus theurgicis, quas teletas uocant, idoneã fieri atcp aptam ſuſceptionem ſpirituum & angelorũ ad uidendos deos, arbitratur. Quæ uero proprie magia nuncupatur, perfecta creditur, & ſumma ſcientiæ poteſtas, quando Perſarũ lingua eſt magus, non ferè alius quàm diuinorum interpres & cultor. Goetiam omnium placita legum exterminant, execranturcp. Magiam feſto plauſu ſapientiſſimus quiſque excipit, uenerat & colit, ut quæ altior ſit ſanctiorcp philoſophia, ex qua præſignis profluat literarum claritas. Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem quoque hanc equis uelis cp conquiſiuiſſe, nauigatione ſuſcepta non longiore modo, ſed & periculoſa, conſtans opinio eſt. Huius ueluti parentes celebrant, Zamolxidem quem poſtea ſit imitatus Abbaris Hyperboreus: Zoroaſtrem, non quem uulgaris recipit opinio, ſed Oromaſi filium. Plato certe in Alcibiade apertius teſtatur, non aliud ſibi uideri Zoroaſtris magiam, quàm diuinorum ſcientiam atcp cultum, qua imbuantur Perſarum regum filij, ut ad mundanæ reipublicæ imaginem, ſuam & ipſi rempublicam adminiſtrare diſtribuerecp cõdiſcant. Propterea M. Tullius in Diuinationibus, neminem apud Perſas regio potiri faſtigio ſcribit, qui prius magicam non imbiberit ſcientiam. Et Poſidonium

ſidonium ſequutus Strabo, eſſe Parthorum duplex concilium ſcribit, unum quidem συγγενῶν, id eſt nobilium, ut ipſe interpretor. Alterum uero nobilium & magorum. Ex utroq; quorum reges allegere conſueuerint. Strabonis interpres, συγγενεῖς affines dici putat parte iſta: id quàm recte, ipſe uiderit. Plinius utiq; cognationẽ, ſyngenicon, agnationem, pro nobilium accipit ſtemmate. Verum ad magiam redeo. Hæc naturaliũ conſenſum, quem ſignificantiſſimè Græci συμπάθειαν uocant, indagine ſcrupuloſa dum timatur exploratius, interſparſas mundo poteſtates rerum, alioqui quaſi illatebratas, in naturæq; quodammodo ſanctariis recõditas in apertum ita producit, ut per illecebras mutuas, quæ magorum ἴυγγες nuncupantur, & cognationem quandam miracula conſurgant maxime mira, non utique magia ipſa artifice, ſed natura potius, cui ſe hæc mutuos copulando aptè conſenſus miniſtram exhibet. Quibus diſparatis diſiectisq;, ac (ut ſic dicam) diuaricatis ceſſant illa, & ueluti in ſinu maieſtateq; parentis interquieſcunt, donec conciliator excitatorq; acceſſerit opportunus. Quem non alium deprehẽderis, quàm magum, recõditiſſima quęq; diuinorum operum exactiſſimè ſpeculantem, promentemq; illa in actum ſcientiæ anguſtioris profunditate, cuius ignarum uulgus pullatum carpit, quod neſcit, conuellit, quod ſingulari dignum uenerationè cenſetur. Quando eccleſiaſticos doctores plures hanc nouimus amplexatos. Hanc denique Magnus Albertus ita approbaſſe comperitur, ut ſequeretur, & periclitando multa ſe deprehendiſſe, non erubeſcat non inficiari. Goetia maxime probantur inſignes Aegyptij, quod præcipuè dæmonũ ibi uiguerit cultus. Magia uero præcellunt Aethiopes & Indi, quia ea mundi portio herbis, alijſq; ad eum uſum peraccommodis maximè ſcateat. Porrò hanc magiæ diſtinctionem ab Hieronymo item ſignificatam, coniectare licet, ubi ad Paulinum ſcribens, Apollonium ait Tyaneum fuiſſe magum, ſicuti uulgus, ſiue philoſophum, ut aſtruebant Pythagorici. Denicq; ad inuiſendũ adorandumq; CHRISTVM ueniſſe magos, ueritas teſtatur euangelica: Eos, opinor, impium fuerit, omnium ſuffragio damnatis illis adieciſſe: quando & interpres quidam non maleficos ibi, ſed Chaldæorum philoſophos monuit intelligi oportere. Lego item, magos quandoq; prophetas dici, præſertim ſi & futura præſagirent, ac religioni adnexam medicinam conſectarentur. De goetia ſuſpicor in libro De myſteriis Iamblichum intellexiſſe, ubi ait, Quæ faſcinati imaginamur, præter imaginamenta nullam habent actionis & eſſentiæ ueritatem. Eiuſmodi nanq; magicæ finis eſt, non facere ſimpliciter, ſed uſq; ad apparentiam imaginamenta porrigere: quorum mox, nec uola (quod dicitur) compareat, nec ueſtigium. Goetiam inuenio ab incantationibus dici quoq; ἐπῳδὴν, id eſt epodem, quaſi tu excantatricem nuncupes. Nam & quæ cauſarios excantat pueros, ſolet appellari Epodos. Polybius epodes, & goetiæ iunctim commeminit. Apud Græcos hanc tradi nominum diſparationem obſeruauimus, eſſe quidem μαγείαν boni ad bonum aliquod dæmonis aduocationẽ, cuiuſmodi fuerint Tyanei Apollonij uaticinia. γοητείαν uero mortuos excitare, unde etiam à luctibus ſit nuncupata, id eſt ἀπὸ τῶν γόων, qui ad ſepulchra ædi aſſueuiſſent. Pharmaciam autem, hoc eſt φαρμακείαν, ubi philtra porriguntur eſu hauriẽda, uel potu. Quæ omnia ex Medis ſint comperta, & Perſis, unde & magiæ nomen uideri conflatum poteſt. Perſas nanq; Maguſæos nuncupant, ſed μαγῶν indigenæ pronuntiant. Cæterum ut parte hac, ueluti arbiter honorarius inter diſſultantes ſententias, iudicium meum proferam: theurgiam ab Auguſtino reiectam, animaduerto à naturali magia non diſcrepare admodum, quando in Diuinationibus Cicero ſcribit, In Perſis augurari magos, & diuinare, congregariq; in fano commentandi cauſa, atque inter ſe colloquendi. Et quod grauius multo eſt, in libro De ſacrificio & magia Proclus, dum hanc naturalium ſympathiam cognationemq;, & ut interim compaſſionem dicam, latiſſimè monſtraret, etiam numinum aduocatione uti ſolitos magos per huiuſmodi rerum conſenſum, tradit. Ex quo artis liquet infamia, ne fortè triconibus, ut ueteri utar uerbo, etiam Iulio Capitolino uſurpato, id eſt contentioſis, ac litium amantibus laceſſendi me anſam uidear offerre, quod numinis appellatione prætenta, ad dæmonum uaframenta reclinata impeditiſſimis & ipſa erroribus obretita minus perſpicaces præcipitaret in interitum. Proditur literis à Græcorum pleriſq;, fuiſſe Paſetem quendam inter magicæ uanitatis conſectatores primę notæ, eum tradunt excantaminum

taminum potentia conſueuiſſe differtiſſimũ repente conuiuium diſcubituris præmonſtrare, mox ubi collibitum fuiſſet, omnibus euaneſcentibus ita, ut omnino parati uiſere tur nihil. Si quid pretio comparaſſet, id agebat, ut erogati nummi in ſuis comparerent loculis, eluſo uenditore. Numam quoq; Pompilium eiuſmodi præſtigijs quãdoq; operatum legimus. Sed & Pythagoram item illum doctiſſimum id ridiculum factitaſſe, ut quæ collibuiſſet, ſanguine perſcriberet in ſpeculo, moxq; literis ad lunam orbis pleni obuerſis, ſtanti à tergo, ut in lunæ exaratas diſco, cõmonſtraret. Sunt item qui ſcribant, Epheſios habuiſſe notas quaſdam & magicas uoces, quibus adhibitis, ſemper fierent uoti compotes, quicquid attentaſſent. Iis quoq; uſum eſſe in rogo Crœſum, auctor Euſtathius ſcribit. In Caracalla tamẽ prodit Spartianus, quod ab inſtituto haud ita diſſentaneum eſt: Damnatos, qui tertianis & quartanis amuleta collo propendentia geſtarent. Illud ſciendum denique, non naturalia ſolum recondita ſcrutari magos, uti eſt id quòd ſi quem ſuccinea induerís ueſte, alterum uero paleari, ilico mutuis copulabuntur nexibus: uerum & uerba, quæ uim inſitam profundentia trahere ualeant: multa etiam, quæ ab his trahi poſſint. Et illa quidem uiro, hæc autem fœminæ clàm adhibentes fœminam ad uirum rapiunt, admotis quandoq; & quæ ſeiungere ualeant, uelut nautæ ita ferrum cum magnete ſuſpenſum librant, ut rapiatur ad urſam. Rurſumq; allio inficientes raptum dirimunt eiuſmodi. Verbis porrò præeſſe Mercuriũ uolunt, cantibus Phœbum, excantationibus Mercurium & Phœbum ſimul. Hæc uero copioſius non inargutè aut incallidè conſectati ſumus: ſed ut uno, eodemq; pede, Maroni lucem inferremus aliquam libro quarto:

Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes
Quas uelit, aſt alijs duras immittere curas.

Qui ſint habiti prioribus forma præſignes. De Phaone pluſcula. Item de Sappho pauca. Belli qui dicantur Martialis declaratur. Caput XXIIII

DE pulchritudine alias ex Platonicis muſeis ampliter, nunc ex hiſtoria quæ ingerunt ſeſe haud queo præteriſſe. Forma in primis apud Græcos uiſenda & amabili fuiſſe Alcibiadem ferunt, inter Romanos uero Scipionem. Demetrium cognomento πολιορκητὴν, boni quoq; huius plurimum uendicaſſe ſibi. Alexandrum fuiſſe formoſum traditur, ſed ἀπραγμόνως. Cæterum & formidabile quiddam formæ inerat eius. At pulchros arguere Homerus uolens arboribus aſſimulat ferè, οὐδ' ἀνὴρ δρυμῷ ἐρνεϊ ἴσος.

Hominum quoq; pulcherrimum fuiſſe prædicant Phaona, quem inter lactucas occultarit Venus. Sunt qui prodant, portitorẽ fuiſſe hunc, eoq; ſe fouiſſe artificio. Ad hunc tranſmiſſura Venus quum appuliſſet quandoq;, gratè excepta ab eo eſt: etiam ſi, quæ nam foret, prorſum inſcio. Tranſportata uero quò uellet, dea homini alabaſtrum unguenti obtulit: quo is quum ſe obleuiſſet, omnium euaſit formoſiſſimus: atq; eo nomine à Mitylenęorum mulieribus ardenter appetebatur: unde factum, ut adulter demum deprehenſus iugularetur. Amatũ à Sappho, ſciunt omnes, quæ poetria fuerit Scamandronymi filia, cuiuſq; ſapientiam admiretur etiam Plato. Fuit & in Lesbo Sappho altera, uerum meretrix, haud poetria. Superpondij loco fuerit id: pulchritudinem haud intelligi niſi in magno corpore, quoniã dignitas expetitur, quæ puſillis nulla prorſum fuerit. Bellos ceu à delicijs appellarunt ueteres, qui à Græcis ex ciuili eblandimento ἀστεῖοι uocantur: aut σύμμετροι, id eſt conformati, quod eorum membra uenuſte reſpondent quidem habeant, puſilli tamen ſint ipſi: proindeq; nec pulchri, uel formoſi. Quod ſignat Martialis,

Bellus homo & magnus, uis idem Cotta uideri:
Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

Aeginetica potentia, primumq; in ea inſula nummos uideri cuſos. Thebæ unde. Caput XXV

AEginetas inter Græcæ gentis principes quãdoq; fuiſſe præconſpicuos, proditum monumentis eſt, felici quadam temporum feracitate, opportuna, commodaq; indeptos multa. Nam & nauali potentia uiguere plurimum, omninoq; maximi cenſebantur. Quin & in Perſicis rebus propriam oſtentarunt

tarunt uirtutem. Quo nomine præmijs quoq; ἀεισεῖα quæ uocant Græci, ornati egregiè sunt. Omnium uero principes nummũ cudere adorti sunt. Nam & ab eis νόμισμα, nuncupatur ἀιγινάϊον. Illud adijciamus amplius ex Pausaniæ thesauris, Asopi filias à Phliasijs tradi Corcyram, Aeginam, Theben: & à Corcyra quidem ac Aegina insulas nuncupatas, quæ prius Scheria dicerentur, & Oenone, id est οἰνώνη. A Thebe autem, quæ sub Cadmea est, ciuitatem indeptam nomen. Tametsi aliter suprà relatum, haud excidit.

Qui nam fuerit in ueteri historia Maris: quicq; equum inscenderit primus. Italiæ frequentia. Itali & Italiotæ, quo differant. Caput XXVI

ITaliam omnium principes inhabitasse feruntur Ausones indigenæ, seu αὐτόχθονες. At uetustissimũ fuisse Marin quendam nomine, cuius antica corporis humana prorsum uiderentẽ: postica uero, equina omnino. Nam & nomen ipsum propémodũ pollere, quod apud Græcos ἱππομιγής, id est equo immixtus. Videri autem potest, equum inscendisse primus, & freno inhibuisse, atq; argumento eiusmodi δίφυής creditus: eundem quin etiam uixisse fabulantur annos centum ac tres & uiginti: ter item mortuum, reuixisse ter. Sed enim simile ueri mihi haud fit, in Varia historia inquit Aelianus. Nec desunt qui equitandi artem, id est τῷ ἱππικῷ, in Libya compertam primo, tradant. Qua ex causa nuncuparit Pindarus in Pythijs κυρήνῃ εὐίππου. Etiam si ad id referunt alij, quod ab Neptuno edocti sint Libyes currus iungere. Quin & Pallada equestrẽ in Libya genitam. Italiam porrò terram gentes incoluisse plures, quàm regionem quamuis aliam, idem prodit auctor. Cuius ratio promatur ex temperaturæ præstantia, regionis uirtute, aquarum copia, & omnia ferendi potestate, quod παμφόρου significanter dicitur: necnon pascua facilitate, quam εὐβοτον appellant: adiacẽte porrò maris bonitate præsigni, portuum quoq; numero suppetente, hincinde fluminum magna ui interluente. Qua rerum maiestate tantum non diuina, recenseri quãdoq; in Italia solitas inuenio ciuitates mille centum sexagintasex. Adnectamus huic capiti illud leuius: à Græcis Italiotas nuncupari peregrinos in Italia moram ducentes, Italos uero in Italia natos. Idem interstitium inter Siceliotas fit, ac Siculos. Cæterum Sicilienses dicimus nos & Siculos.

Lusu nec abstinuisse uiros quandoq; laude multa præsignes. Cap. XXVII

HErculem uirum, ut ferè creditur, multæ uirtutis, nec gloriæ minoris, traditum ueteribus est, Intẽtissimam certaminibus obeundis curam studiumq; lusibus, quadamq; animi quasi feriatione solitum laxare remittereq;. Nec Iouis & Alcmenæ filium puduisse cum puerulis colludere, & quidem sæpius. Quod amplius insinuat Euripides, apud quem ipse hic deus, sicuti ueteribus est usum, ita pronuntiat,

παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ.

Dicere uero hæc animaduertitur assistentẽ habens puerum. Sed & ab Alcibiade quandoq; deprehensus Socrates est cum Lamprocle etiamnum infante colludens. At magnus Agesilaus cum filio arundinẽ, qui puerulis suus est mos, uelut equitaturus insidebat: quumq; à quopiã rideretur, renidens, Tu (inquit) sile nunc quidem, factus uero pater patribus itidem enuntiato. Sed Græce sic, νῦν μὲν σιώπα, ὅταν δὲ γένῃ πατὴρ αὐτὸς, τότε ἐξαγορεύσεις πῶς σὺ πατρᾶς. Cæterum uel præcipuè ciuilis philosophusq; uir Tarentinus Archytas cum pueris de famulitio lusus agitabat: plurimum uero ijs, dum conuiuia agitaret, oblectari assueuerat, mollitudinem quandam uitæ, ac dulcitudinem commentus.

Lodouici

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVArum lectionum libros ad magnificum Bartholomæum Pagellam, Vincentinum, equitem clarissimum, præfatio decima.



VVm multis iam annis Vincẽtiam forte appulissem, ac nonnullorum consilio, & precibus Plinium, M. Tulij orationẽ pro Milone, ac Homerum quoq; profiteri essem auspicatus, post quotidianas enarrationes, uti assolet, plurimus erat inter ciues tuos apprime doctos, atq; ita, ut admirationem parerent, de mansuetioribus Musis sermo. De ratione dicendi, cui præcipue uidebantur affici, quæstiones perpendebant haud somniculose, quæ sua sunt loci acumina, inserebantur & physica interdum, ac miscellæ prorsum fiebant disertationes. Verum sicubi de poetica ageretur excellentia, esse quidem in ciuitate tua non paucos, qui in carminum ratione summe placerent, assseuerabãt plerique, ac uerum ipse experiebar: sed te unum in eo ita eminere, ut ingenij aptitudine, ad id quodammodo facti, & rerum etiam reconditarum scientia, accedente etiamnum incredibili studio, ueterum quoq; paucissimis cederes. Hæc quum audirem, ineundæ tecum familiaritatis ardore quodam corripi sum uisus: adeo, ut tanto nomine uadimonium quoq; destitui posse uideretur. Mox uero omnium cõpos, uti es benignus in primis, ac magnificus uere, postea quàm de studiorum ratione diu fabulati sumus, iam digrediens, atq; admirationis plenus, Plinij Cæcilij insusurraui illud mihi, Magna Isæum fama præcessit, maior inuentus est. Quamobrem ex eo te sum egregie semper, ut debui, ueneratus. Cæterum ubi Venetias appuli, chalcographis nostra hæc qualiacunq; typis ducenda traditurus: ne prorsus essem uelut honorarius tutor, cui administrationis functio non incumbit: atq; in diui Marci uestibulo mihi forte occurrisses, integrata mox uetus necessitudo est, ac multorum dierum congressibus iucũdissimis auctior facta: ut denicq; morum suauitate demulctus illuc proruperim, ut te uirum uticq; in omni uitæ usu eminentissimum in partes laborum meorum aduocandum censuerim. Quod & facturum me, tibi sum pollicitus, quum animum periclitarer tuum: & re nunc ipsa præsto, ut iam hinc scias, si usu uenerit, omnem meam operam, & quicquid denique sum, esse ornamentis tuis omnibus dicatissimum. Quod quum uirtutes tuę præcellentes exprimunt, tum singularis, qua me prosequi uideris, beneuolentia. Cui, quod possumus, id demum rependimus: haud ignari, eam splendescere in animo tuo simplicitatem, ut non tam muneris amplitudinem spectes, quàm egregiam contribuentis uoluntatem. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI DECIMVS.

Hebræorum doctrinam triplici calle incedere, talmutico, philosophico, cabalistico. De cabala scitu digna. Catecheſtæ qui, & catechumeni. Mos nil mandandi literis. Cardinalium in nostra religione ratio. Scapi cardinales qui. Scapi notiones. Genituræ cardines. Cap. I



AETERVM postea quàm de magia, quantum sat esse adiudicauimus, perscriptum nobis est, non absonum fuerit, hic potissimum de cabala Hebræorũ aliquid subnectere, quando & undecunq; doctissimus Picus in nostris literis aliquid de ea promere adortus est omniũ princeps. Obseruauimus igitur triplici calle Hebræorum doctrinam incedere: quippe aut ad talmuticos recurrunt, aut ad philosophos, aut ad cabalistas. Talmutica hæresis initia ducere animaduertitur non uetusta admodum, ut quæ annis paulominus ducentis post CHRISTVM ab Hebræis aduersum nos consarcinata deprehendatur. Qui uero philosophicis rationibus Bibliæ arcana explicare adorti sunt, principe inter eos AEgyptio Mose, Auerrois tempora non præcedunt: à cuius interitu aguntur plus minus anni trecenti, ac triginta. Tertia supereſt cabala, omnium uetustissima, & uerax in primis: quando ab optimo maximo Deo Moysi insinuatam, constans opinio est: aliis mox ipsum Moysem idoneis maxime patefecisse. Initio siquidem in monte accepisse legem duplicem, literalem, spiritalemq;. Priorem ex Dei mandato conscripsisse, eamq; populo esse impertitum: alteram uero minime, sed sapiẽtibus modo septuaginta numero communicasse. A quibus postea cæteris ad id item destinatis uoce tantum sit tradita. Vnde & cabalæ nomen exortum, quod gentis illius uocabulo receptionem signat, quia per successionum gradus citra literarum omnino monumenta ulla, seruaretur incolumis. Sequenti tamen tẽpestate & hæc ipsa sunt libris comprehensa mysteria, in quibus pleraq; omnia fere haud nostræ fidei dissentanea comperiuntur: quoniam ante CHRISTVM concinnati traduntur, liberis ab omni affectione animis. Noscendum uero, rationem literis nil mandandi, non apud Gallorum modo dryidas item seruatam, sed & in Christianæ ueritatis fastigio: unde catecheſtas, id est κατυχήσας, inuenio nuncupatos, qui mox baptizandis fidei arcana mysteriaq; uoce referarent. Qua ratione, catechumeni quoq; dicti: quia κατηχεῖν signat imbuere, & ἠχεῖν, sonare est, uiuę uocis argumento nominibus productis. Porro quia inter arcana cabalæ scientia uetustis temporibus habebatur: inde apud Hebræos inoleuit, ut quicquid minus extritum passiuumq; sit, cabalæ nomine sanciatur. In uniuersum tamen scientias duas eo uocabulo honestasse animaduertũtur: combinandi artem, quam alphabetariam uocant reuolutionem: alteram uero, qua rerum superiorũ uires explicãtur, quæ & magiæ naturalis pars uidetur suprema. Sed & tota res perturbata mox apud Hebræos est, emergentibus nonnullis, à maleficis nihil admodum disparatis, qui cabalistarum nomen sibi uendicent præcipue: ac dei nomina tenere se in primis prædicent arcana, uirtutibusq; pollere, quibus in dæmonas ius habeant, & miracula item ualeãt perficere. Immo & CHRISTVM non alia ratione, quàm qua ipsi utuntur, tam admiranda sępe fecisse. Astruunt insuper ueram genuinamq; esse cabalam hanc, quæ Moysi dicatur à Deo tradita. Quod uero magno illi prophetæ Deus summus mysteria retexerit, quæ continerẽtur lege, astipulari uidentur multa: sed in primis illud Esdræ propheticum, apud quem de Moyse Dominus loquẽs, Enarraui (inquit) ei mirabilia multa, & ostendi temporum secreta, & finem: præcepi ei, alia palam faceret, alia apud se haberet in arcanis. Porro & magnus Origenes explicans illud apostoli Pauli, Primum quidem: quia credita sunt illis eloquia Dei: Considerandum, inquit, quia non dixerit literas esse creditas, sed Eloquia dei. Vnde percipi licet, aliud esse præter literis comprehensam

henſam legem, Iudæis contributum, quæ Dei eloquia nuncupet Paulus: quæ prorſus non aliud dixeris, quàm cabalam ipſam, id eſt ueriſſima legis interpretamenta, de ore diuino emanantia. Seniores autem ſeptuaginta, quibus arcana ſolis cõmunicabantur, conſiliarios mirabiles nuncupat Origenes: locum quorum habere putant in noſtra religione Cardinales. Poſtremo ſecreta id genus Eſdræ temporibus in libros ſeptuaginta pro doctorum numero redacta comperio, poſt reſtitutionẽ à Babylonica (ut fertur) captiuitate per Cyrum, uerito Eſdra ne perirent, dilapſa diſiectaq́ Hebræorum, ut aſſolet, gente. Illud uero ex grammatica ratione adieciſſe nil obfuerit, dici Cardinales: quia quicquid eſt in re qualibet præcipuum, eo nomine nuncupatur rectiſsime: nam & in foribus ſcapi dicuntur cardinales, quibus ſuſtinentur, regunturq́ in primis. Scaporum meminit Vitruuius: Inter duos, inquit, ſcapos tympana ſint. Impagibus diſtributiones ita fient. Sunt & in chartæ ratione ſcapi Plinio, pro congerie: ſicuti & ſimplex plebecula in lactucis quandoq́ uerbum agnoſcit, etiam ſi luxatum quadamtenus. Loti ſcapum nominat idem Plinius: quem ſecundo De cauſis, Theophraſtus ex Theodori interpretatione, caulem nuncuparit. Braſica, inquit Varro, ut præſeca: quod ex huius ſcapo minutatim præſecatur. Et aſparagorum ſcapi, inquit, aſperi ſunt, non lenes. Scapos candelabrorum apud Plinium eundem legimus: & apud Feſtum, trutinæ ſcapum. Reperi & qui leguminum ſiliquas ſcapos interpretentur, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν. Nam & decimo octauo Plinius: Eſt inquit, inuentus ſcapus centum fabis onuſtus. Scapos loti Theodorus idem capita dixit, libro De ſtripibus quarto, apud Theophraſtum. Ferulam eſſe Plinius ſcribit, geniculatis nodatam ſcapis. Et libro uigeſimo primo, Albuco item eſſe cubitalem ſcapum tradit. Quod uero ad cardinale ſpectat: inde etiam ſcimus ab peritis genituræ cardines quatuor obſeruari: ortum, occaſum, mediũ cælum, imum cælum: uel ut Græci enuntiãt, anatolen, dyſin, meſuranima, hypogeum, id eſt ὑπόγειον. Sunt & cardines ſtipitum in torcularij ratione apud Catonem.

Species nummorum plures, ex Græcis Latinisq́ cõgeſtæ auctoribus. Chelonia quid. Cheliæ, chelonium, cichelę, epicichlides. De obolis, ſeu obelis. Quid oboloſtates. Trophalides. Capitha quid. ἀρπάζειν. Stathera. Thematiſmus. Cibdela, cibdelia. Sacellium quid. Epithema quid. Theſis. Trapezitarum thema. Paratypa, paraſemi, paracharactæ. Argẽtum factum & ſignatum, quo differunt. Argenti nomine an cõtineatur pecunia. Aſſę quid. Nothiæ pecuniæ, ac hyponiæ. AEra quid. Fiſcus & ærarium quo differant. Vectigalium genera. Idios logos quid. Adeſpota. Collectarij. Attribuere. II

IVm curioſius Græcorum quæpiam uerſaremus monumenta, in nũmorum genera quædam incidimus: quæ quia Latinis auribus parum frequentia ſunt uiſa, pergratum me ſtudioſis facturum opinatus ſum, ſi hiſce commentationibus inſeruiſſem, addendo etiamnum ex Latinis nõnihil, ne hac parte mutilæ, ac quaſi aſymbolæ uideantur. Igitur lego in primis; Peloponenſium nũmum fuiſſe quendam ab incuſa animalis forma, chelonem, id eſt teſtudinem nũcupatum, Nam obolum Eupolis callichelonum appellauit, ueluti teſtudinem dicas pulchram. Hinc emanauit illud,

Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾷν πι χελῶναι.

Quod eſt, Virtutem, ac ſapientiam teſtudo ſuperat. Chelonia uero ſunt in ratione tollendorum onerum, quæ in quadris tignorum, quo loci diuaricantur, figi ſolent, ut in ea conijciantur ſucularum capita, ut uerſentur facilius, proxime capita uectibus infixis. Cheliæ, id eſt χηλέαι, ad præſens inſtitutum faciunt nihil: ſunt uero eo nomine luſtra, παρὰ τὸ χεῖσθαι ἐν αὐταῖς σῦς ὄφις. Meminit in Theriacis Nicander. Chelonium eſt teſtudinis item integumẽtum. Cichelas Syracuſani turdos uocant: quos Græcorum alij cichlas, unde epicichlides carmen dictum, quod in Homerum refertur auctorem à quibuſdam, quoniã dum id pueris præcineret, turdis donabatur. Apud Athenienſes nummus erat bouis ſcalptura, & nomine inſignis, à Theſeo inſtitutus primum, Plutarcho tradente, uel ob Marathonium taurum, uel ob Minois ducem, uel quod ad agricolationem perlicere uellet ciues. Eius ab Homero item fieri mentionem putant, quum ἑκατόμβοιον dicit ἐννεάβοιον, id eſt nouem boum hecatomben. In Draconis legibus mul-

cta irrogabatur, ita ut ſoluerent decabœum: & in Delo præconem ita pronuntiare in theoriis ſolitum, traditur, tot boues datum iri. Vnde cõiectatum à pleriſq; bouem Deliorum eſſe nummum uerius, quàm Athenienſium. Vtcunq;, certe hinc iactatum nouimus, ut quicunq; pecunia corrupti cauſam ſilentio prodant, quod feciſſe quum oratores alios, tum uero Demoſthenem, ſubnotauit hiſtoria, dicamus, Βοῦς ὦν γλώσσῃ βέβρωκεν, id eſt bos linguam inſcendit. Ex qua loquendi figura facetiſsime Ariſtophanes,

Στόμ' ὦν βύσας λίεμαι τῶν ῥητόρων.

id eſt, os rhetorum obturans ſtipe. Nuncupabant porro nummorum ſpecies quaſdam Athenienſes triobolum & dyobolum. Sed dyobolis noctuæ ſignum erat cum Iouis facie. Nam tetrobolum duas habuiſſe noctuas, compertiſsimum eſt. Hemiobolum uero dimidium oboli erat, unde & hemiboliça dicuntur, quæ id pretium non tranſcẽdunt, ut in Batrachis auctor Ariſtophanes eſt. Obolum etiam phollem dici animaduerto: nam pholides, ſquammæ ſunt tam in piſcibus, quàm etiam anguibus: unde & pholidotum, ſquammatum dicunt. Apud Homerum Euſtathio aſtipulante, obolus & obelus pro eodem accipi uidentur, id eſt coquinario inſtrumẽto, quod in ſummo ſit exacuminatum, & ſagittæ modo quæ βέλος dicitur, inferre plagam ualeat. Propterea ſunt qui obelos, ſublas interpretentur. Photius patriarcha monumentis prodit, obolum inde nuncupatum, quod uetus Athenienſium ex ære nummus, obeliſci imaginem præferret. Quoniam uero oboli ſex manum implebant, ut ſcribit Euſtathius, id eſt τὼ δράκα, inde drachmam nuncupamus: etiam ſi nunc manum non impleant oboli ſex. Ab obolo deniq; oboloſtatem dicimus minutulum fœneratorem. Erant & quadrantes obolorum, quæ alij dichalca, nonnulli trichalca dicunt. Apud Ariſtotelem in caſei mentione trophalidas legimus obolicæas. Sunt autẽ trophalides Theodoro formagines. Siglum porro, id eſt σίγλῳ legimus nummum, qui obolos ſeptem complectatur Atticos, præterea q; hemiobolum. Farinæ capitham, inquit Xenophon ὠνᾶβωλος primo, ſiglis comparabant quatuor. Habet uero capitha, chœnicas duas more Attico. Siclos æris inuenimus quum alibi, tum apud Plinium Naturalis hiſtoriæ libro decimo ſeptimo. Cæterum eruditioribus legendum uidetur nõ ſiclos, ſed in ſingulas, ex ueteri lectione: & quia Hebræorum ſit dictio ſiclus, loſepho auctore, nec Græcis uſurpata, nec Latinis, drachmas habens Atticas quatuor, ut idem ſcribit. Hieronymus in libro Hebraicarũ traditionum in Geneſim: Secel, inquit, Latino ſermone ſiclus corrupte dicitur: unciæ pondus habet. Chias pro nummorũ ſpecie, apud Thucydidem inuenies hiſtoria octaua. Sciendum uero mnam, id eſt minam, eſſe tum libræ, tum nummi nomen: cuius dimidium appelletur hemimnæum. Herodotus libro quinto, pentadimnũ protulit. Sicuti Lyſias icoſimnum. Stater aureus mnam æquabat. Itaque quum pentaſtaterum legimus, pentamnum intelligimus. Eſt & numiſma ſtater apud Ariſtophanem Pluto:

Στατῆρι δ' οἱ δραπετεύοντες ἠπαίζομεν.

hoc eſt, ſtateribus ſerui ludebamus par impar. Hoc enim obiter ἀρπάζειν dicunt Græci, quũ manu aſtragalos, ſiue talos occultantes, aut nuces, aut pecuniam colluſoris uaticinium requirimus. Quidam tamen eo uerbo pilæ luſum accipiunt, uel ut in conſuetudine dicitur, ζυγὰ κὰὶ ἄζυγα. Dicitur & ſtatera, præter notionem publicam, lignum, unde uincto fune & alligata mula currus trahebatur, ex ſimilitudine quadam, quippe ſtateræ præfert imaginem. Erant & Darici ſtateres, ſicut philippei & Alexandrei: qui omnes fului erant, hoc eſt aurei. Philippeorum etiam Liuius meminit, ab Vrbe condita libro trigeſimo & trigeſimo nono. Sed & Horatius,

Rettulit acceptos regale numiſma Philippos.

Necnon in Bacchidibus Plautus,

Ducentos nummos aureos Philippeos dabin'?

Habuere & Galli Philippeos ſuos, ab imagine alati genij, quos dicũt, geniatos: habuere ſceptratos quoq;, ac ſoliatos, regis trabeati imagine præſignes, iura reddentis. Sed & Romæ aureos Valerianos Philippeos dici, cõpertum eſt: ubi & Saloniani habebãtur trientes. Philippeos cudi iuſſit Alexandri magni pater Philippus, quod tradit Diodorus, poſtea q; Crenidas inſtaurauit, & Philippos maluit appellari, compertis inibi fodinis: quas ſic demum excoluit, uti talenta inde redirent annua mille, ac amplius. Daricos

ricos ſcribunt adæquaſſe pretium eius, qui ab Athenienſibus dicebatur chryſos, id eſt aureus. Alij drachmas argenti habere uiginti, prodidere: ut Darici quinq; mnam faciant argenti. Dicti uero Darici, non à Xerxis patre Dario, ſed ab antiquiore altero. Stater etiam drachmarum quatuor pondus eſt. Aurea numiſmata uetera, uel etiam argentea, gemmarũ uicem implere, Pomponius ſcribit. Athenienſium præterea numiſma erat core. Id Euripides parthenon uocauit, id eſt uirginem, quod Palladis imagine foret inſculptum. Vnde Eubulus in Anchiſe Palladis polon nũcupat, id eſt pullum. Etiam ſi eſſet item Corinthiorum nummus polos, Pegaſi habens inſigne. A Partheno nummo elegãter feſtiuum effingitur adagium de poſcinumijs ſcortillis, ut Parthenon amare dicantur. Dignũ uero ſcitu eſt: rhetorem Dionyſium poetamq; cum Athenienſibus ſuadere adortus foret, æneo uterentur nummo, χαλκωῦν, id eſt æneum cognominari cœpiſſe, atque ita ueteribus aduocari. Fuit & minutuli ſpecies numiſmatis cõma, proinde facetiſſimus comicus ſycophantam felle conſpergens ait, εἶναι τὸ πονηροῦ νόμισμα, quaſi tu dicas, monetæ non probæ: cuiuſmodi loquendi figura uulgo Rhodigini mei utuntur. Fuit & argenteus leptis, ceratium continens unum cum dimidio. Danacẽ uocabant item nomiſmation, quod Charonti porrigerẽt paludem ſtygiam tranſmiſſuri. Cuius etiam ſit mentio in Charonte apud Lucianum: meminerit in Pſyches fabella Apuleius, atq; item in Collectaneis Plutarchus. Byzantiorum nummus ferreus erat, ſicut & ſpartæ: cuius pondus magnum quidem erat, pretium fere nullum, aceto inſuper ui hebetata. Vnde nummum Spartanum per parœmiam enũtiamus de re conatus magni, emolumenti nullius. Nummi ferrei meminit Ariſtoteles œconomicon ſecundo, necnon ſtannei & ænei. Dionyſius Siciliæ tyrannus, Syracuſanos perpulit etiam ſtanneo uti. Ariſtoteles item in Tarẽtinorum politia, illos ſcribit uſos nummo, in quo Taras eſſet Neptuni filius, delphino uehens. Et in Agrigentinorum item republica, cuidam irrogatam mulctam litrarum triginta prodidit. Habet uero litra, oboli Aeginæi pretium. Decalitron, ſtater erat Corinthius, obolorum decem. Tetracina Attica legimus apud T. Liuium duobus locis, qui etiam ciſtophoros nominat. Quorum antea meminerat pro domo ſua M. Tullius: ſed & in Epiſtolis ad Atticum, An ciſtophoro, inquit, Pompeiano iaceamus? Cæterum in Liuio non tetracina legendum, ſed tetradrachma, probant eruditiores: ſicuti alibi quoq; non tetrarchiam, ſed tetradrachmum item: cuius libro nono Polluci mentio eſt. In Plutarchi Sylla, Tetra circunferri animaduertas, pro tetradrachma. Scire tamen licet, tetracinem ab Hipponacte lactucam dici: quod & à Phrygibus obſeruari, Clitarchus prodidit apud Athenæum. Sunt qui eo nomine agreſtem intelligant lactucam. Sunt qui Digeſtorum libro decimoſexto, titulo depoſiti, lege Publia, ciſtophoros putent reponendos, ubi mendoſe legantur modo coſtrophinati. Ciſtophorum fuiſſe legimus quatuor milium & quingentorum denarium, ſicuti & Rhodium talentum. Dici opinantur ciſtophorum, ab inſigni ferentis ciſtam: ſicut coronati modo uocantur nummi, à coronæ imagine. Illud quoq; non prætermiſerim: Phedona Argiuum ſignaſſe nũmos primum, à quibuſdam tradi: quod libro octauo ſcribit item Strabo. Alij Erichthonium Athenienſibus & Lycijs. Xenophanes Lydis hoc attribuit. Naxijs uero Agloſthenes. At in Apologetico Septimius Florens, Saturnum principem nummos ſignaſſe, prodit: atq; ideo ærarij præſidem creditum. Mitylenæi Sapphus imaginẽ nummis inſculpebant. At Homerum Chij, à quo & nummus nomen accepit, ſicuti Strabo docuit. Aſis uero puerum delphini inſidentem: Dardanis gallorum pugnam: Aſpendij paleſtas: Rhegini leporem: Cephallenes equum: Thaſii Perſen: Argiui murem: Trœzenij tridentẽ, quia illic religioſiſsime Neptunus colitur, Plutarcho tradẽte. Demaretium in Sicilia fuit numiſma de Gelonis tyranni uxoris nomine, quam Demareten uocant, Theronis filiam, uti à Pindaricis relatum interpretibus, ſcio. Argiuorum item nummũ fuiſſe lupi imagine inſignem, teſtes Sophoclis ſcholiaſtæ ſunt in Electram eius poetæ, quod Apollini ſacrum crederetur id animal, uti ceruæ Dianę: quo argumẽto & Lycoctonon Apollinem uenerabantur. Alij uero, διὰ τὸ νόμου εἶναι, ὃν ὡσπερεὶ βόλους αὐτῶν φονεύειν. In quibuſdam Græcorum monumentis ita inuenio: Pompilium Numam ex ferro & ære primum cudiſſe numiſmata, quę ex proprio auctoris nomine ſint Numia appellata; quum ante illum ſcortea, &

oſtracina pecunia impleret uſum: quod à Tranquillo fuiſſe literis traditum, ijdem, pro dunt Græci. Legimus tamen alicubi: Populo à Numa cõgiarium datum, aſſes ligneos, & ſcorteos. Nummi ſcortei meminit item Hieronymus: ſed & Donatus ad hunc ſenſum illud enarrat Virgilianum,

Taurino quantum poſſent circundare tergo.

Scribunt tamen Græcæ linguæ ſcientiſſimi, nummum non eſſe Romanæ pecuniæ nomen, ſed Græcum: eorũ qui ſunt in Italiæ ac Siciliæ collimitio, quoniam Epicharmus in Chytris, uerbi eius mentionem faciat: & Ariſtoteles Tarentinorum numiſma proprie dici nummum tradidit. Nummis indiſtincte legatis, ait Vlpianus, receptum eſt, ut exiguiores legati uideantur. Adulterina numiſmata reperio dici paratypa & paracharagmata. Qui uero id cudunt genus, uocari paracharactas. Paraſemos item nummos notæ appellari eiuſdem, ex oratione contra Ariſtocratem liquet. Sic uero nuncupatos ferunt, quòd à nũmulariis ita ſubſignarẽtur, ut improbitas manifeſta fieret. Hinc apud Demoſthenem pro Cteſiphonte, rhetor figurate dicitur paraſemus. Argẽtum factum in hiſtoriis ſæpicule lectitamus: id eſſe uidetur paratum, non rude, ſed elaboratum cælatumq́. Nam quæ abſoluta paratáq; ſunt, facta, eruditioribus dici ſolent: ſicuti apud Martialem, Tu factã tibi rem ſtatim putaſti.

Diſtinguitur tamen à ſignato, quod ex Seneca cognoſcimus De beneficijs primo, Libentius donabo argentum factum, quàm ſignatum. T. Liuius ab Vrbe condita libro trigeſimo quarto, Cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus ſignati argenti ac æris domi haberemus. Apud eundem ærario illatum infectum argentũ quandoq́, obſeruauimus. Apud Paulum Octauenus ita diffinit, Infectæ materiæ pondus, ſignatæ uero numerum, factæ autem ſpeciem dici oportet. At Pomponius Digeſtis de auro & argento legato: Argento, inquit, facto legato, Q. Mutius ait, uaſa argentea contineri: uelut paropſides, trullæ, pelues, & his ſimilia. Infecti autem argẽti appellatio, rudem materiam cõtinet, id eſt non factam. Vlpianus titulo eodem: Argento legato, inquit, puto, niſi euidenter contra ſenſiſſe teſtatorem appareat, nummos non contineri. Quin & infra paulo, Argentum factum recte quis ita diffinierit, quod neq; in maſſa, neq; in lamina, neq; in ſignato, neq; in ſupellectili, neq; in mundo, neq; in ornamentis ſit. Quæret forſan aliquis, cur argenti appellatione, factum etiam argentũ comprehendatur: nam ſi legatum foret marmor, nil præter rudem materiam demõſtratum, poſſet uideri. Sed inquiunt Iuris prudentes, ratio eſt, quæ talis ſunt naturæ, ut ſæpius ad ſua redigi queant initia, materiæ potentia uicta eius uires nuſquam euadunt. Aſſaria pro obolis poſita legimus: nam & aſſem, pro re minima apud Ciceronem pro Quintio adnotauimus. Aſſem, inquit, ſeſe negat daturum, niſi prius de rebus rationibusq́ omnibus ſocietatis decidiſſet. Hinc illud paroemiodes in carmine obſcœno,

Non aſſis faciunt, euntq́ recta.

Cui conſimile illud Catullianum,

Non pili faciunt cohortem.

Eleganter item Seneca, Emas non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt: quod non opus eſt, aſſe carum eſt. Scribit Halicarnaſeus Dionyſius, in Menenij mulcta, aſſem fuiſſe æneum numiſma libralis ponderis. Plutarchus quindecim milliũ aſsium mulctam Camillo irrogatam refert: qui numerus, inquit, ad argenti rationem mille ac quingentas conſtituit drachmas. Nam aſsis, argenteus erat; & hic, ex decem æreis denarius uocabatur. Libr̃ pondus æris, inquit Plinius, imminutum bello Punico primo, quum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumq́ ut aſſes ſextantario pondere ferirẽtur, id eſt duarum unciarum, pretio tamen libræ unius ſeruato. Sicut Annibale urgẽte, unciales facti, & ſemunciales, lege Papyriana. Sextantarios aſſes non tacuit item Feſtus. Sextiuum denarium dici, lectum eſt: quia in ſex uncias, hoc eſt ſex obolos, ut ait Celſus, diuiditur drachma, quæ Latine uocetur denarius. Sed quod Plinius ait, in aſſe ſextantario quinq́ partes lucrifactas: Ita intelligendum, ex aſſe uno librario, ſex fuiſſe factos, qui tantundem ualerẽt. Dipondium item aſſem, id eſt duarũ librarum, quandoq́ fuiſſe appẽſum, ſcimus. Caiani aſſes uidentur dici à Caijs inſcriptis. Aſſas, id eſt ἄσσας, interpretatur Galenus ſtomachi faſtidia, ubi quis non nutritur. Credo, quia ἄσσα ſatiare

tiare indicat, & lædere. Asses uectigales appellat Liuius, qui in iugera impositi sunt, te standi causa publicum agrum esse. Inuenio alicubi apud Græcos nuncupari νοθεῖα χρήματα, id est nothias pecunias. Hæ uero sui generis non sunt, sed ita appellantur, quæ ex paternis bonis contribuuntur nothis, id est spuriis. Erant uero drachmæ ad summũ mille. Meminit contra Aristocratem Demosthenes. Sed & apud Aristophanẽ uideor legisse quippiam. Sic & Hyphoniæ pecuniæ uocantur, domesticis interfecti alicuius erogatæ à cædis auctore, ne suũ persequãtur ius. Meminit Legum sextodecimo Theophrastus. Porro nec omittẽdum uidetur, nummũ ac denarium exigui admodum fuisse pretij. Quod Varro Terentius ostendit apertissime, ubi columborũ par coloris boni, boniq; seminis uulgo uenire solitum ducentis nummis, aut etiam quadringentis denarijs, scribit. Obseruauimus apud eruditissimos, sagittarium dici numisma Persicum, à notæ genere ita nuncupatum: hi autem non alij erant, quàm Darici, auctore in Apophthegmatis Plutarcho. Ex quo celebre manauit in posteros Agesilai dictum, Se ex Asia pulsum triginta millibus sagittariorum. quum Persarum rex ea nummorum summa corruptis per Timocratem Athenienses, effecisset, ut is de prouincia decederet, quod & in prouerbium uenit, de ijs qui pecunia de gradu deijciuntur, qua nil non expugnatur. Nam Macedonum rex Philippus dicere solebat, nullam prorsus uideri inexpugnabilem arcem, in quam onustus auro asellus summitti posset. Hemidarica legimus ἀναβάσεως primo apud Xenophontem: Pollicetur, inquit, Cyrus daturum se militibus ἀντὶ δαρεικοῦ ξία ἡμιδαρεικὰ τοῦ μηνός. Nam & in nostris literis solidos dici aureos nouimus, uelut integros, nec ulla ex parte deminutos, eorũ interstitione, qui semisses dicuntur, aut tremisses ab portione ueluti dimidia aut tertia. Nam binarios intelligimus duplos, ternarios triplos, ac deinceps. Sic & solidus noster argẽteus primo duodenarius fuit, id est duodecim æstimabatur: mox cum temporibus demutata ratio est. Assem & libellam pro re minutula, ut attigimus, usurparunt priores: ex Cicerone & Plauto. Vnde, ad assem reddere, apud Plinium Cæcilium: etiam si aliter interpreti est uisum. In Germania scribit Tacitus, ferram fuisse nummi notam, unde & ferrati dicebantur. Illud præterea sciẽdum, nummis quandoq; apponi solitum numerum, quo colligeretur pretium, quam notam æram uocabant. Lucilius: Hæc est ratio peruersa, æra numeri est subducta improbe. Nec me fallit, astrologos non recentiores modo, sed ueteres quoq;, ut Ptolemæum & Theona, temporis initium, quale foret Natiuitatis CHRISTI, uel aliud illustre principium, quo supputationes incipiunt, æram item uocare. Tenedius nummus in ueteribus memorijs uel celeberrimus est, quoniam Tenedius rex olim sanxisset lege, ut mœchis utriq;, si deprehẽderentur, caput securi præcideretur: quam legẽ in filio quoq; rigide seruarit. Quare in nummo illic percusso custoditum, ut à parte una, securis: ab altera, facies duæ ex ceruice una prodeuntes signarentur. Illud uero superpondij loco adiecisse, non obfuerit: sacellium capi pro marsupio, quod & balantium uocant Græci: unde & balantiotomi apud Aristophanem, qui de zona propendentes crumenas præcidunt. Ab sacellio, sacellarios inflecti animad uertimus. Trapezitarum thema in Plutarchi Moralibus, nõ semel inuenio dici de pecunia apud nummularios deposita. Nam & thematismum in architectandi ratione positum, stationem interpretantur, quę decorem operibus parit, ueluti quum Ioui, Fulguri, Soli, Lunæ, Cælo hypæthra, id est subdialia constitui debere templa proponimus: at Mineruæ, Marti, Herculi Dorica seueritate, nullis admodum delicijs. Veneri, Floræ, Proserpinæ, fontium nymphis, lasciua Corinthiorum floridaq; exornatione cum folijs uolutisq;. Iunoni, Dianę, Libero patri Ionica mediocritate. Epithema uero additamentum signat. Thesis autem est præstantis in philosophia uiri παράδοξος ὑπόληψις, id est opinio admirabilis: sicuti Antisthenis illa, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν. Quæ si obrepat in plures non inurbanos, iam αἵρεσις, id est secta, nuncupatur: sed inter pullatos, gregales q; κοινὴ γνώμη. Cibdela item uocant numismata oblæsa & adulterata: dicuntur sic, quasi ὑπὸ τῶν χίων δεδιλημμένα, id est à Chijs corrupta, uitiataq;, per literæ soni pinguioris demutationem in exilem. Cibdeliam etiam argenti sordes nũcupant, figurate uero etiam impostura, sicut λιβδηλεύειν impostura facere. AEris appellatione aurũ item contineri, Vlpiano credimus. Policam numismatum artem esse, tradit Plato; unde nu-

miſmatopolica res dicitur quandoq;. Collectarios intelligunt campſores argentarios, quiq; argento accepto, minutiem pecuniarum erogare cõſueuerunt. Quod Sudæ prodítur collectaneis: ſed Horatij interpres, eo nomine argentariorum coactores accipit. Collatitiam ſtipem nuncupat Ammianus Marcellinus, qua paſſim erogata uictitãt inopes. Manuarium æs legimus in Gellij Noctibus Atticis. Illud hic non neglexero, fiſcum ab ærario differre: quod in Traiani uita ſcribit Dion, & ſignificat Plinius: Non eadem, inquit, ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes. Ad fiſcum ſpectare uidentur extraordinarij reditus, unde ſunt & confiſcationes recentioribus nũcupatæ. Romanum ærarium tributis cõſtabat, & uectigalibus. Vectigalia, ut ex Cicerone liquet Pro lege Manilia, trium erant generum: ex agricolatione: mercibus exportatis uel importatis, unde exagogica dicebantur & iſagogica: denicq; ex agris paſcuis. Primũ decimas complectitur, ſequens portorium, poſtremo nomẽ fit ſcriptura. Fuit inſuper ſalinarius pro uẽtus: erat in AEgypto in prouinciæ formam redacta magiſtratus nomine ídios logos id eſt priuata ratio: cuius una erat functio, adeſpota ſcrutari, inquit Strabo: quæ aſſerto re defecta nemini eſſent mancipata. Quin ea prorſum quæ ad Cæſarem recidunt, hoc eſt quæ fiſco infunduntur, non ad ærarium regeruntur, uel ad populum. Librum Hieronymus ad Euagrium appellat ἀνώνυμον καὶ ἀδιέξοδον, cuius non extet auctor. Illud obiter adnotaro: attribuere T. Liuio, Macedonici belli libro nono, de Catonis cenſura, eſſe tributi nomine aliquid ſtatuere: unde percipitur id ex primo libro Vrbis conditæ, unde equos alerent, uiduæ attributæ.

Symbolica ſimulacrorum additamenta enarrantur. Palladi cur apponatur draco. Iouis ſimulacrum cur ſine auribus. Labronium. Labarum. Senectus anguium, ſiue leberis, aut ſyphar, quid ſit. De teſtudinis carne, & more abluendi domos Cæſarum. Epicrotos quid. Laba. Cap. III

TEſtudinem non modo numiſmatum fuiſſe notam, quod paulo ante aſtruebamus: uerum etiam ſecreti ac ſilentij ſymbolum, ex ueteri nobis lectione, tanquam cella quadam proma affatim ſuggeritur. Hoc enim argumẽto Helienſibus Phidias Venerem fecit, quæ teſtudinem calcaret, opertius implicatiusq; commonſtrans: eſſe muliebris decoris, ædes cuſtodire ac ſilentium. Vxorium quippe ornamentũ eſt, aut cum marito, aut per maritum loqui. Nam & AEgyptijs mulieribus inde uti calceis, non fuit patrij moris, ut ita domi ſe continere, quodammodo cogerẽtur. Cæterum Phidiæ ſolertem prudentiam indicat illud quoq;, quòd Pallados ſimulacris draconem apponere conſueuerat, ueluti ambage tacita innueret, uirgunculas peruigili cura indigere, ut pudor caſtus ſeruetur, illibatusq;. Peruulgatum autem ædium, adytorum, oraculorum, necnon theſaurorũ cuſtodiæ præfici dracones. Sed & Salutis, AEſculapíjq; ſimulacris id ipſum ſubijciebatur animal, ut in Sympoſiacis Macrobius ſcribit, Solis argumento & lunæ, quo ſalubri temperamento humanis præſtatur corporibus, ut uelut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum reuireſcant uigorem: ſicut reuireſcere dracones uiſuntur, pelle ſequeſtrata, quam nũc ſenium, nunc ſenectutem appellat Plinius, leberida Græci. Auctor tamen libro tertio eſt Strabo, cuniculos à quibuſdam leberidas dici: etiam ſi Latini codices lepuſculos præferunt mendoſe. Gæorychias ex propria ſententia Strabo nũcupat, id eſt terræ foſſores. Anguium porro corium dixit Callimachus in Hecale, etiam ſyphar. Labroniũ autem poculi eſt ſpecies: ſicuti labarum, inſignitius erat uexillum, auro diſtinctum & lapillis, Imperatoribus ſolitum præferri: quod & religioſius uenerabantur milites. Meminit præterea Iureconſultos in Apologetico Tertullianus. Symbolica uero id genus multa in ueteribus imaginibus curioſus deprehendat lector. Nam in Creta Iouis ſimulacrum cõfingi exſculpíue, aut ex ære duci ſolitum accepimus, μὴ ἔχον ὦτα hoc eſt auribus nullis: quando principem uirum, & omnibus late dominãtem audire addecet neminem: ſed id demum perſequi, quod dictat rationis examen & iuſtitiæ nuſquam præflorata integritas. Adijciamus porro quod ſit capiti huic auctarium: obſeruatũ nobis de teſtudine illud etiamnum quinto Halieuticon ex Oppiani interprete: Teſtudine, inquit, ſi quis ueſcatur deglutiátue πλησμίως, multum inde iuuari. Si uero πρὸς κόρον, læſionem fieri manifeſtam, enata inde paroemia, χελώνης κρέας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν, teſtudinea carne aut

aut ueſcendum, aut non omnino ueſcendum. Paucitas ſtrophos facere narratur id eſt tormina: copia uero detergere, atque expurgare. Anxie uero ab eruditis id quæſitum, non me fallit, in piſcitij decuriam ueniant ne teſtudines. Et non uenire forſan liquido ualet comprobari, ac primum ratione principij, quoniam uti gallinę, oua ædunt, colore ac ſubſtantia & cortice fere eadem: deinde nec generatio eſt diuerſa, quum perfrica tione piſces naſcantur. Spirant quoq;, quod piſci nō contribuit Ariſtoteles: ambulant item: ſquammas nō habent, ſed oſſa. Inſigniter porro nutriunt, ut docuit Conciliator: & uitulinæ carni nonnulli conferre audent. Ex piſcibus alimentum nemo non allidit. Illud obiter adiecerim: epicroton dici pauitam & complanatam terram, ubi incubet te ſtudo: à qua teſtudinare uerbum, etiam Politiano:

Qui cauus exeſum pumex teſtudinat antrum.

Obiter non item reticuero, quod prodit hiſtoria: id in Cęſarum familia peculiarius ſeruatū, uti domus paruuli teſtudineis abluerentur alueis: & inde Clodio Albino factum imperij præſagium: nam eo recens nato, teſtudo magnitudinis uiſendæ ab piſcatore patri eſt allata. Quam is homo impenſe literatus, ad pueriles deſtinauit excaldationes. Adleberidem uero id ſpectat, quum ea in Neronis collo adhuc pueri foret comperta cecinere uates, ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος λήψεται, id eſt quod ex ſene potentiam foret aſſequuturus: quoniam exuta ſenectute eiuſmodi uiſatur anguis. λαβὴ autem anſam ſignat & manubrium: unde eſt illud elegātiſſimum Fimbriæ apud Plutarchum in Lucullo, ueniſſe Mithridatem εἰς λαβὰς, factumq; γύρος ἀρκύων.

De Marco euāgeliſta, & Antonio anachorita. Vatieni hiſtoria, qui ſiniſtrę manus digitos abſciderat. Scuti geſtatio. Inſertoriū quid: & quid telenon, telamon, & Atlas. De auibus porphyrionibus. Item hoſtoriū. Pliniana lectio aſſeritur. Item de porpace, & ochano. Niciæ ſcutum. Pelta Amazonica. Monachorum in AEgypto genera. Cœnobitæ, Anachoritę, Remboth.

Caput. IIII

MArcum euāgeliſtam dei electum poſt fidem, Hieronymus ſcribit, pollicem ſibi amputaſſe, ut ſacerdotio reprobus efficeretur. Sed & Antoniū anachoritam, uel ut Græci ſcribunt ἀναχωρήτην, ne allegeretur epiſcopus, læuam ſibi auriculam ferro præſecuiſſe legimus, nata inde theologis quęſtione ambagioſa, Liceat ne cui ſeipſum admutilare. At in literis noſtris Cn. Vatienum prodit hiſtoria, qui ſiniſtræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abſciderat, bonis publicatis, æternis uinculis puniendum, ſenatuſcōſulto eſſe ſancitum. Vſu uero ſcuti eo facto is ſe priuaſſe uidebatur, quod ſiniſtra manu capi ſolitum, AElianus teſtis eſt, qui ait, Scipionem oſtentanti affabre ſcutum militi dixiſſe, Non in læua, ſed in dextra homini Romano ſpem ponēdam. Et Plinius libro trigeſimotertio: Qui annuli uſum primus inſtituit, cunctanter id fecit, læuiſq; manibus ac latentibus induit, quum ſi honos ſecurus fuiſſet, dextra fuerit oſtentandus. Quòd ſi impedimentum potuit in ea aliquod intelligi, etiam inſertorij uſu argumentum eſt, maius in læua fuiſſe, qua ſcutum rapitur. Hactenus ex Plinio. Hermoleos tamen undecūq; uir doctiſsimus eum locum ita reſtituē dum opinatur, ut nunc conſertoris uſu, nunc ſertoris reponat, lectione publica (quam tamen non ut idiographam ſemper probamus) expūcta, & uerbo eo bellatorem intelligat: ut in iure manu conſertum, apud Ciceronem & Gellium. Nam & deſertores, à ſcuti reiectione rhipſaſpides Græce nominantur. Sed quid ſi in Plinio luxandum, mutandumue eſt nihil: Vt inſertorium accipiamus, ſicuti lorum, annuli uice: inter quod & ipſum ſcutum inſertamus manum: unde apud Virgilium,

Clypeoq; ſiniſtram Inſertabam aptans.

Vt ea ſit uocis huius deſinentia, quæ in hoſtorio eſt, & amatorio. Signat autem hoſtorium, radium ſiue inſtrumentum, quo raduntur menſuræ: unde etiam prouerbium, Sine radio cumulare, ſeu abſq; hoſtorio: quod eſt afluenter & ultra menſuram congerere. Plautus,

Dij, deæq; omnes, tantam nobis lætitiam,
Tot gaudia ſine radio cumuletis.

Inſertorium, Græci telamona uocant: ut apud Homerum Iliados ſecundo,

ἰδρώσει μίτου πλαμὼν ἀμφὶ σθένει
ἀσπίδος ἀμφιβρότης.

Quanquã uidetur poeta idem, operis eiuſdem libro uigeſimotertio, enſis lorum etiam appellaſſe telamona. Vt ſic, unde propendet ſcutum, etiam dicatur telamon. Sed & linamenta concerpta uulneribus peraccommoda Herodoto dicuntur telamones, uel faſciolæ potius, quibus oblæſa membra obligari ſolent. Nam Vitruuio imagines hominum columnas ædium fulcientes, aut ipſa ædificia, Atlantes dicuntur Græca uoce, Latina uero Telamones. Nam Seruius grammaticus ſcribit, Nilum Latine Melonem dici, Atlantem Telamonem. Id cur ita, ignorare ſe, Vitruuius ingenue fatetur. Eſt ex eruditorum paleſtra, qui porphyriones aues dici in Hiſpania telamones autumet, aut de ſtatuis ratione mutuata, uel quod ſint thalamorũ pudicitiæ aſſeruatrices: quoniam auctore Athenæo, ſit aui adulterij intellectus, quod & ſuſpendio indicet domino. Niſi quòd Græcis ea uoce ſignificatur nutricula quoq;. Telenones machinæ ſunt bellicæ libramentis plumbi, aut ſaxorum ſtipites robuſtos incutientes. Omnino duplex in ſcuto uiſimus nunc lorum: altero pendet ab humeris, alteri inſertatur manus. De priore apud Homerum forte rectius intellexeris. Nam & Iamblichus ita ſcribit, πρὸ βαλὼν δὲ πρὸ τὰς χεῖρας αὐτῷ τελαμῶνας προσέδησε τῇ λίνῃ. Certe Euſtathius in Homeri enarratione: Telamon, inquit, eſt latius lorum, quo fertur ſcutum: unde & ἀναφορεύς dicitur, id eſt anaphoreus, ἀπὸ τοῦ ἀναφέρεσθαι. Iulius Pollux Onomaſtici ſeptimo: Sindon, inquit, AEgyptia quidem eſt: ſignat autem opertorium, quod nunc dicroſſum dicimus. Eſt & alicubi telamon ſindonites. Idem libro quinto, telamoniam uocat latius lorum clauis ſuffixum, quo uenatorij canis latera præmuniuntur. Scribit hiſtoria prima Herodotus, Caras omnium principes ochana ſcutis addidiſſe: nam prius telamonas tantum adhibitos. Hinc Anacreon apud Strabonem: Nectite bene compactum cariæ lorum, manum inſertantes. Græce autem ochanum eſt: unde omnis tollitur ambiguitas. Dignũ uero ſcitu: telamonem dici quandoq; faſciam, ut præmonuimus, qua membra obuoluimus affecta: unde uerbum τελαμονίζειν, id agere indicat. Sciendum porro inſertoriũ ipſum dici item porpaca, ſiue is foret annulus, ſiue annulo quid ſimile, quod Homeri tempora non nouerant: nam etiam porpax, annulus uocatur, ſed nõ qui digitis geſtetur. Profert hoc Epaminondæ hiſtoria, qui campeſtrem planamq; regionem belli eſſe dicebat orcheſtram, quam nemo quiret obtinere, ni manum porpaci inſertaſſet. Vocatur item ochanos, ut dictum eſt, quo circumagi in orbem ſcutum poſſet: propterea templis quãdoq; dicata ſine ochanis ſcuta legimus, ne ad belli uſus detraherentur. Nam & Euſtathius ochanon τὸ τῆς ἀσπίδος λειόστημα interpretatur, ἀπὸ τοῦ ἔχειν, alibi ochanum cum porpace idem facit. A Caribus ochana excogitata primum, illud argumento eſt, nam Carica dicuntur: unde eſt Anacreontis illud, καρικοφορυκτοχάνου. Sicuti Caricas dixit criſtas Alcæus: Ammianus Marcellinus, Quũ apud Pariſios adhuc Cæſar Iulianus quatiens ſcutum uarijs exerceretur motibus in campo, aſſulas quis orbis erat compaginatus excuſſit, ochana remanſerũt ſola, quæ retinens ualida manus ſtringebat: territisq;, ut omine utiq; diro, præſentibus: Nemo (inquit) uereat, habeo firmiter quod tenebam. Cleomenes Spartanus ſcutũ ferre διὰ ὀχάνης, μὴ διὰ πόρπακος, id eſt non ex annulo ſuſpenſum, ſed brachio inſertum, inſtituit. Fuit quoq; ueteribus ſcutum Læſeium, quod anaphora non habebat, ſed in meditullio iugum. Sunt qui eo nomine ſcutum intelligant oblongum aut breue, corioq; cõfectum crudo, & proinde piloſum: ex quo ſit etiam nomen quaſi λάσιον. Sed addit Herodianus, tegumenta corporis omnia, quæ manu ſuſtineantur lęua, dici læſeia. Illud obiter dictum hoc loco ſit: Niciæ ſcutum ab auctoribus celebrari, quòd eſſet auro & purpura ſplendidum. Viſebatur id Syracuſis in templo, uictoriæ monumentũ de Athenienſibus & imperatore Nicia. Amazonicam peltam Xenophon ſcribit, hederæ folio fuiſſe conſimilem. Sed & coracinũ in Nilo piſcem dici quoq; peltam inuenio. Quos uero peltaſtas uocant Græci, nos (auctore Liuio) cetratos dicimus. Quia uero Antonij anachoritæ facta mentio eſt ambigentq; forſan multi, quæ ſit cognominis eius ratio: ſciendum, in AEgypto tria fuiſſe monachorum genera. Quidam cœnobitæ dicebantur, uel eius gentis lingua fauſes. Alij anachoritæ, qui deſerta fere incolebant: unde & nominis profluit ratio, ex

Græcæ

Græcæ linguæ interpretamento. Tertios Remoboth appellabant, deterrimos neglectosq́; quibus mos est, ut bini, terniue habitent simul, suoq́ uiuant arbitrio, conquisita in medium conferẽtes. Verum apud eos omnia affectata, laxæ manicæ, follicantes caligæ, uestis crassior, crebra suspiria, inquit Hieronymus.

De Gemoniis gradibus, & cur sic dicantur. Item de gradibus Castoriis & Aureliis. Locus Ciceronis explicatur. Suppliciorum genera plura. Sextritium locus, seu sestertium. Spoliarium. Melia in Attica locus. Diana Aristobule. Camus, seu Cadmus. Taurea. Iuuenalis illustrat. Centrones. Centrotypi. Lata fuga, lata culpa. Fustuarium. Tintinnaculi. Laura pro uinculis cur. Cyphon, cyllobantes, cyphalei, cyphelli, hypocyphonia, aula, Archiuum, Cap. V

GEmonios gradus diritate supplicij in Romana historia infames, ex paulo elegantioribus, neminem puto latere. Nam M. Claudium, quod fœdam cum Corsis pacem fecisset, hostibus deditum primo accepimus, factumq́ eius re scissum, libertatem ademptam mox & spiritum extinctum, corpus cõtumelia carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdatum. Dicti Gemonij gradus, quod locus esset gemitus & calamitatũ: quoniam illuc per Hamotrahonas raptarent unco damnatorum cadauera. Nam quod aliqui augurãtur de Gemonio auctore uel qui primus sit exturbatus, parum comperi. Gemonios gradus apud Plinium inueni es libro octauo. Cornelius item Tacitus: Tunc, inquit, confossum collaceratumq́, & abscisso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. Gradus, uel scalæ dicebantur, quãtum coniectura ducor, quod surrectus foret locus ac gradibus quibusdam conscenderetur. Proinde ἀναβαθμούς appellat etiam Dion in Tiberij rebus, ubi de Seiani seruis loquens ait, καὶ ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν, καθ' ὧν οἱ δικαιούμενοι ἐξέρριπτοῦντο κατιόντες, ἤλιδον καὶ κατέπιπτον. Sicuti apud Græcostasin gradus erant, de quibus ad Quintum fratrem Cicero: Deinde, inquit, eius operæ repente à Græcostasi, & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt. Eum locum Patauij prouincialibus scholastici s quum explicarem, dixi, mihi intelligendum uideri de gradibus Castoris, auctoritate Ciceronis maxime, apud quem in oratione pro domo sua sic legimus. Quum uero, inquit, gradus Castoris conuelliisti ac remouisti, tum ut modeste tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu atq́ ascensu repulisti? AEdem uero Castoris, siue Castorum, fuisse in foro, ex Plinio liquet, ac cæteris. Videntur tamen & in foro gradus Aurelij fuisse, ut ex oratione pro Flacco, esse manifestum potest. Hoc nimirũ est illud, quòd non longe à gradibus Aurelijs hæc causa dicitur, ob hoc crimen hic locus abs te Læli, atq́ illa turba quæsita est. Sed & pro Cluentio apertius: Gradus illi Aurelij tum noui, quasi pro theatro illi iudicio ædificati uidebantur, quos ubi accusator concitatis hominibus cõplerat, non modo dicendi ab reo, sed ne surgendi quidem potestas erat. Verum ut ad alia pergamus, scribit Plutarchus Galbæ caput multifariam cæsum, & omni contumelia affectum fuisse, postremo in eum locum abiectum, in quo eos necãt quos Cæsares supplicio dedunt. Vocatur, inquit, locus sextritium. In Græcis tamẽ codicibus scriptum inuenio, σηστέρτιον, quod non aliter Latine inaudias, quàm sestertium. Spoliarium non absimilis erat locus. Lampridius in Commodo, Hostis patriæ, paricida, gladiator in spoliario lanietur. In Attica locus erat Melita nomine, quo damnatorum abijciebantur cadauera, item suspendiosorum indumenta, & laquei. Quanquam inibi Dianæ templum substruxisset olim Themistocles, quam ἀριστοβούλην nuncupari uoluerat, quod in Persico tumultu ipse rebus Græciæ salutaria protulisset consilia. Tarpeia, inquit idem Plutarchus, uocatur Capitolij saxum, è quo deturbari fontes, moris est: hinc Horatius Sermonum primo,

Tu ne Syri Damæ, aut Dionysi filius audes
Deijcere è saxo ciues? aut tradere Cadmo?

Eum uero locum exponens Porphyrio, Tribuni plebis, inquit, damnatos de saxo Capitolij præcipitabant. Adij citq́, fuisse Cadmum notæ crudelitatis carnificem. Etiam si Camo legunt alij, uinculi genus eo intelligentes uocabulo. Quanquam multiplex est in Græcorum doctrina eius uerbi notio. Inter alias ea maxime arridet, quod sic dicebatur

tur reticulatum cadiſcorum operculum coli imagine quadam, deſuper latum, infra anguſtius, ne immiſſa ſuffragia dilaberentur. Metellum Plinius ſcribit, à Catinio Labeone tribuno plebis, ad Tarpeium eſſe raptum, ut præcipitaretur. meminit & Lucretius,

Carcer & horribilis de ſaxo iactus eorum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.

Quo in loco etiam tunicam ſignare uidetur, quam dicunt moleſtam, quia ignium alimentis illita & intexta, ut Seneca docuit, ac mox ſuccenſa, cruciabiliter obuolutos nocentes, qui ſceleris compertí grauioris forent, amburebat. Vngula item tormenti genus erat: cuius meminit Cyprianus, Euſebius, atque item Tertullianus. Apud quem aſcias & runcinas inter inſtrumenta ſæuitiæ diligens lector inueniet. Auctor uero Eutropius eſt, Superbum Tarquinium excogitaſſe primum uincula, taureas, fuſtes, compedes, latumias, metalla. Vnde diluceſcit ſatyricum illud ex Satyra ſexta,

Taurea punit Continuo flexi crimen, facinusq; capilli.

Fuit ueteribus item ſupplicij genus, quod σκαφισμὸν uocant, homine intra ſcaphas duas incluſo, capite, manibus ac pedibus extra prominentibus, ac dies multos ueſcito acto, pro potu melle infuſo ac lacte, conſperſa ſic etiam facie, & ad ſolem conuerſa ſem per, muſcarum infeſtante multitudine, ac intus ex putrilagine ſcaturiẽte uermium turba. In Perſis ueneficorum capita lapidi impoſita lato alterius incuſſu exteruntur. Diaſphendonen Plutarchus intelligit, quum arborum duarum incuruatis cacuminibus obligatum hominis corpus emittitur: de qua re paulo poſt. Rotæ tormentum Germanorum fere peculiare cenſetur. Ita tamen ut eius meminerit Ariſtophanes Pluto,

ὦ τὸ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον
Εἰπεῖν, ἃ πεπανούργηκας

Rota torqueri te illic, neceſſe eſt, ut exſculpatur quod perperam feciſti. Inibi interpretes adnotarunt, ſeruile id fuiſſe ſupplicium. Alioqui rotæ inferuntur noxij, & membratim rotarum conuulſi radijs lentitudine mortis maximo cruciatu perimuntur. In Nicia Plutarchus ſcribit, tonſorem rotæ alligatũ amplius torqueri cœpiſſe: uerum interpres in carcerem modo coniectum reddidit, de rota nil prorſum ſentiens. Centronas inuenio poſitos pro furibus manifeſtarijs, quoniam dum in quæſtione haberentur, ſtimulos quæ uocant centra, illis admouere mos fuit: unde centrotypi uocantur, qui ſtimulis equos exagitant, aurigæ. Quanquam eſt & centron ſtraguli genus ex diuerſis conſarcinatum, quod iumentis injicitur. Ex quo item ex diuerſis coaptata concinnataq; compoſitio centron nuncupatur, quod genus ſunt Homerocentrones: nos centonem dicimus, ſimplex plebecula celonem, dictione paululum modo luxata. Sunt qui centronis nomine conuitiatorẽ intelligant, quod ſit ueluti centrotypos, auctor Ariſtophanis interpres in Nebulis. Fidiculas accipiunt pro tormento, quo ab tortore ſontes funibus, alligatis manibus à tergo, torquentur uulgo. Eius certatim meminerunt omnes, Seneca, Fabius, cæteri. χοινισμὸς à Græcis dicitur genus id cruciamẽti, aut compar. Saxis adobruere, Macedonici moris erat. Apud quos item cõiuratorum cognati omnes deuotis capitibus, ad ultimum petebantur ſupplicium. In Perſide nocentum ueſtimenta, & tiaras auellunt, cæduntq;. Illi uero ubertim flentes apprecantur, deſinant. Hyſtrichis item erat inter inſtrumenta, quibus diſcuterentur nocentes. uidetur ex ſetis ſuillis flagellum fuiſſe, unde & conflatum nomen, quaſi ex ὑείων τριχῶν. Duo in primis ſupplicij genera fuiſſe apud antiquos Romanos inuenimus. Aut enim puniebãtur more maiorum, qui capitalem fraudem admiſiſſent: hoc eſt, pẽdentes furca nudis corporibus, & ad mortem uirgis cæſi, ut interpretatur Tranquillus in Nerone. Aut ad ſcalas Gemonias trahebantur, hoc eſt inſerto gutturi unco producebantur in harenam, ubi poſt ea pendentium crura frangebantur, & igni iniecto ardebant. Sicuti in Claudio Suetonius commemorat: & Nero exercuit in Chriſtianos: quibus ardentibus in uſum luminis eſt uſus. Domitianus etiam faces per obſcena immitti iubebat. Ceterum id amplius animaduerſione dignum, ſupplicium more maiorum à Cicerone in Piſonem intelligi, quum ſecuri caput præciditur. Morem autem uerberandi, & de cõdemnatis ſummum ſupplicium ſumendi, è Græcia manaſſe ad Romanos, auctores habemus certiſsimos. Mox uero Porcia lata lex eſt, ſicuti Cicero in quadam quoq; oratione innuit: & leges item

item aliæ paratæ, quibus exilium damnatis permittebatur. Verberasse aut necasse Romanum ciuem, impium censebatur. Nam & pro Q. Ligario M. Tullius significat, Externorum esse, morte damnare. Hinc celebres historici scribunt, Syllam primum Romanorum esse inuentũ, qui morte mulctaret. Lata fuga damnari quidam dicũtur. Ammianus Marcellinus: Corpore (inquit) immaculato, lata fuga damnatus est. Quod relegationi diuersum uidetur, quam intelligunt Iurecõsulti, quum in insulam aliquis uel locum alium mittitur ad tempus, sicut in quinquenniũ. Sed plura Digestis De pœnis, lege Relega. Deportatio in perpetuum sancitur. Lata culpa Iureconsultis dicitur, ubi non percipit quis, quod percipiunt omnes: uel nõ facit, quod cæteri: uel facit, quod nemo: ut Digestis De uerborum significatione, lege Late. Comitium & uirgas pati, est in publico ad necem cædi. Sunt qui in metallum damnantur, quicꝫ in opus metalli. Interstitium modo in uinculis est: nam qui in metallum damnantur, grauioribus premũtur uinculis, inquit Vlpianus: itemcꝫ refugæ ex opere metalli in metallum damnantur. Ex metallo grauius coercentur. In calcariam quocꝫ & sulphurariã damnantur aliqui. Verum pœnæ hoc genus metalli item sunt. In ministerium metallicorum fœminæ damnari solent in perpetuum, uel ad tempus. Eodem modo & in salinas: & siquidem in perpetuum, quasi seruæ constituuntur pœnæ. Sunt & qui in ludum damnentur uenatorium. Vltimum supplicium mortem solam interpretamur, inquit Celsus. Castigationem fustium, uirgarumcꝫ supplicium inuenio docte scitecꝫ fustuarium dici. Meminit eius uocabuli Seruius Aeneidos sexto. Titus item Liuius ab Vrbe condita libro quinto: Fustuarium (inquit) meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit. Polybius auctor est in libro De tribus politijs, duo in primis supplicium genera fuisse in militiæ disciplina: Decimationẽ, id est Δεκατίαν, & fustuarium. Fustuarium quidam fustigationem interpretantur. Modestinus quocꝫ Iurecõsultus inter pœnas militares fustium castigationem recenset. Circuitor si condemnatur, inquit in commẽtatione de Romanorum militia Polybius, fuste cæditur. Id supplicium eiusmodi est: accepto fuste, tribunus uix tantum attingit damnatum, quod ubi est factum, omnes qui in castris sunt, cędẽtes fustibus lapidibuscꝫ pleroscꝫ in ipsis castris conficiũt. Ac si qui euaserint, nec sic quidem seruari possunt. Etenim quónam pacto? quibus necꝫ in patriam redire licet, necꝫ aliqui exnecessarijs domi excipere auderent. Fuste cæditur quocꝫ qui furto quippiam ex castris sustulerit, quicꝫ falsum testimonium dixerit, & si quis ætatis flore abutatur. Fuit qui fustuarium apud Ciceronem interpretaretur pro eo, qui flagris cædit. Sed id quàm rectè, ipse uiderit. Hunc uticꝫ uirgatorem à Plauto dici legimus. Callistratus Iureconsultus Digestis De pœnis, inter ea quæ corporis coertionem continent, fustium admonitionem, flagellorum censet castigationem, uinculorum uerberationem. Marcellus sentire uidetur, liberum cædi fustibus, flagellis seruum. Impuberem seruum Vlpianus scribit Digestorum uigesimonono, habena cædi uel ferula. Scopare in fustium uirgarumcꝫ pertinnaculos admonitione usurpat simplex uulgus: quo tamen etiam scientissimus ac eloquentissimus utitur Hieronymus, quum in Esaiæ tralatione ita scribit, Scopabo Babylonem in scopa terens, dicit dominus exercituum. Dignum uero scitu est: scopam, seu uerius scopas, uti Fabio placet, dici à Græcis κόρημα, id est corema, ἀπὸ τοῦ κορεῖν, quod scopare ornarecꝫ nobis indicat. Vnde illud apud Aristophanem elegantissimum, Μὴ κόρει τὴν Ἑλλάδα. Ne scopes Græciam, id est ne in desolationem redigas. sic enim loquebantur antiquiores Græci, ubi imprecatione acrius uti uellent. Sic uti apud Menandrum, ἐκκορηθείης σύγε, id est Amplè pereas destruariscꝫ. Congruit aptissimè cum Hieronymi tralatione. Supplicij genus dirum excogitasse primus fertur Auidius Cassius imperator, ut stipitem poneret pedũ octoginta uel centũ, moxcꝫ à summo ad imum damnatos obligaret, ad ima igne subiecto, alijscꝫ ardentibus, alios fumo præfocabat, aut terrore exanimabat. Idem catenatos denos in profluentem mergi iubebat. Manus nonnullis præcidit uel crura, aut poplites, maius adstruens uiuentis exemplum criminosi miserabilis, quàm occisi semel. Heliogabali cadauer per circi spacia tractum, prius quàm in Tyberim præcipitaretur. Inde ignominiosæ appellationes Tyberini, & Tractitij. Apud Iulium Capitolinum decumare inuenies, item centesimare, ac uigesimare. Auctor idem est, Opilium Macrinum Mezentij supplicium reddi-

diſſe,uiuoſq; alligaſſe mortuis. Quin & parietibus incluſiſſe multos, unde ex ſanguina ria factum natura eſt, ut pro Macrino diceretur Macellinus. Porrò Cratis item ſuppli cium inuenio apud priores. Id ferè erat, quum quis deiectus in aquam, crate ſuperne in iecta, ſaxisq; congeſtis mergebatur. Anchoram item ferream ſcribit Plutarchus, ſoli tum fuiſſe Pauſaniæ ceruicibus eorum quos crudelius caſtigaret, ſubnectere, ac totum diem ludibrio ſtare coegiſſe. In puteum præterea demergi conſueuiſſe, qui cruciabili ter punirentur, ex Plautino penu licet agnoſcere, in quo & laminas ardentes adnota uimus: quarum etiam Gellius meminit & Euſebius. Neruũ appellabant ferreum uin culum, quo impedirentur pedes. Plautus eo quoq; ceruices uinciri ait. Hinc apud Gel lium Catonis feſtiuum adagium, Priuatorum fures in neruo & compedibus ætatem agunt, publici in auro & purpura uiſuntur. Ab Aureliano imperatore id excogitatum item in adulterum eſt, uti arborum duarum inflexis capitibus, ac ad pedes religatis, moxq; dimiſſis, interuulſus utrinq; propenderet. Lora quibus uinciuntur nocentes, inuenio laura item dici, quòd captiui ab lauream geſtantibus ducibus in triumpho du cerentur. Icrion, Græci inſtrumentum uocant quo cruciabantur martyres, quanquam pro patibulo item poſitum inuenio. Cæterum illud memoria dignum, quod eſt apud Thucydidem obſeruatum: conſueuiſſe Athenienſes cenotaphijs eorum qui infeliciter decubuerant, quiq; in Attica ſepulti nõ erant, icrion apponere. Sunt qui ea uoce ſigni ficari tabulata putent, aut etiam ſurrecta omnia, atq; etymi ratione aſpirationẽ addant. Vnde icriopœi dicuntur, qui circa forum tabulata compingunt. Paratilmos ſupplicij genus erat, quod pauperioribus in adulterio deprehenſis irrogabatur: ſiquidem ditio res pecunia ſe redimebant. Inopi expilabatur ſedes, unde & nomen: nam παραπήμα δια, euelli ſignat. Erat eorundem aporaphanidoſis quoq;, quum in anum intruderen tur rhaphani, aut quid eiuſmodi, ut eſt apud Catullum. Tympana in Ariſtophanis Plu to, ligna ſunt quibus cæderentur nocentes. Vbi etiam cyphon nominatur. Id uero li gneum erat uinculum: ſiue (ut nunc etiam) ferreum, uulgus berlinam uocat. Quidam etiam κλοιόν dicunt, aut calion. Vnde improbis quoq; cyphonis adhæſit nomen. & cy phoniſmus pro ſupplicio. Quanquam eſt item in curru pars dicta cyphon: uelut ſub ea uirgæ hypocyphonia uocantur, & cyllobantes. Dicitur cyphon, ὡς ἀπὸ τοῦ κύφειν, id eſt à capitis proclinatione: nam & incuruati dicuntur cyphalei. Sed cyphella nubes appel lant ab occultandi poteſtate, quia cæli adimant aſpectum, quaſi crypella, παρὰ τὸ κρύ πτειν. Apud quoſdam ita cautum animaduerto, ut quiſquis per audaciam legum placi ta riſui habuiſſet, diebus uiginti in archiuo uinctus cyphone perſeueraret nudus, mel le ac lacte delibutus, ut apibus muſcisq; eſſet pabulum: dilapſis uero ijs, muliebri indu tus ueſte deturbaretur in præceps. Aulam uero dicebant locum, quo ducerentur dam nati, quem mox iuniores ἀρχεῖον, id eſt archiuum appellare cœperint. At ſi quis mor tem ſibi admouiſſet, moris Athenienſium fuit manum quæ hoc peregiſſet abſcindere, ac ſeiunctim à corpore humo contegere. Abigeos Vlpianus ſcribit, quum duriſſimè puniuntur, ad gladium damnari ſolere. Inſularem pœnam legimus apud Ammianum Marcellinum. Qui & quoſdam cruciabiliter necatos ſcribit, ſulcatis acerrimè fodica tisq; lateribus.

Furum ſupplicia diuerſa. De Dracone legumlatore. Furum ſpecies ali quot. De lance ac licio: item de laro, larco, bomolochis, & ſaccularijs, & balantiotomis, zonarijs ſectoribus. Caues, cauecæ. An phenes ſit fulica, ut uoluit Ambroſius. Depeculatores, molgi, amolgi, phollis, donus: fi ſcus, fiſcellus. Cap. VI

QVoniam uero in digitos quodammodo ſuppliciorum, quibus uſos ueteres comperimus, genera mittere eſt uiſum, non inſcitum improſperumq; for taſſe fuerit, quin multis forſan uel quadruplarium, etiam cõſtitutas furibus pœnas exequi, quas pro morum conſuetudine diuerſis in locis fuiſſe uarias accepimus. Siquidem Draco, quem ſanguine non atramento leges conſcripſiſſe pro ditum eſt: quiq; omnium princeps Athenienſi populo tuliſſe eaſdem memoratur, qua lecunq; admiſſum foret furtum, mortis pœnam irrogauit auctori. Hunc ferunt in thea tro apud Æginam præfocatum ſepultumq;, petaſos ueſtesq; omniſariam conij cientis bus

bus in eum uniuerſis. Mox & leges antiquatas abolitasq́, non quidem decretis ullis, uerũ tacito illiteratoq́ conſenſu: aut Solone id ipſum procurante, quod ſcribunt nonnulli. Nam non furti modo conuictis mortis irrogauit ſupplicium, ſed & cuiuſq́ peccati reis ac ociį etiam damnatis. Interrogatus autem ipſe, Quid ita in omnibus mortis approbaſſet multam? Quoniam, inquit, parua ultimo digna ſupplicio arbitror: maioribus quid grauius ſtatuerem, non habui. τὰ μὲν μικρὰ τοῦτο ἄξια νομίζω, τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχω μείζονα. Solon factus & ipſe legumlator, mitioribus pœnis adortus morum emẽdationem, dupli pœna uindicandum ſanxit, in eum qui furti ſe alligaſſet. Decemuiri pro furtorum imparitate diſpariles induxerunt ſupplicíorum metus. Quippe manifeſtariũ furem, quod & Caius repetit Digeſtis ad legem Aquiliam, tum demum necari indulſerunt, ſed clamoris tamen teſtificatione, ut Caius inquit, ſi tenebrarum beneficio ſeſe in facinus inſinuaſſet, aut luce quoq́, ſi telo ſe tueri auſus foret, quo euaderet. Cæteros id genus, ſi liberi forent, uerberibus ſubiecerunt, addictos ei, unde furtum factum foret. Si ſerui, à uerberibus etiam de ſaxo dari in præceps permiſerunt. Pueros impuberes ad prætoris arbitria reiecerunt, qui & factam noxam ſancirent. Erant uerò furta, quæ per lancem licium q́ concipi dicebantur. Puto, quia qui in alienam domum expilandi propoſito ingrederetur: ſicut qui magiſtratibus præminiſtrabant, lictores, licio præcingebatur, lancemq́ ante oculos obtendebat, propter matrum familias, aut uirginum præſentiam. Licįs uti in ueneficio, ueteris fuiſſe moris, abundè Maronis ex Bucolico ludicro carmen comprobarit, implicandæ obturbandæq́ mentis gratia, ſicuti licįs implicatur ſtamen. In hoc furum genus perinde uindicatum, ac in manifeſti furti reos. Cæterum & hæc mutata cum temporibus, interpolataq́ pœnarum ſanctio: quoniam in manifeſtarium furem quadrupli conſtituta eſt actio. At Hermogenes Iureconſultus Digeſtis de rerum amotarum actione, Ad fiſcum, inquit, mariti bonis deuolutis, uxor rerum amotarum nomine in ſimplum conuenitur. Manifeſtum furtum intelligi uoluere priores, ut auctor Maſſurius ſcribit, quod deprehẽderetur dum perpetraretur; hoc eſt (ut Græcè dicam) ἐπ' αὐτοφώρῳ, ſiue ἐπ' αὐτόπτῳ, id eſt in furto ipſo & in oculis. Sic enim reponendum apud Vlpianum Digeſtis de furtis, ubi temporum inſcitia dictio Græca oblitterata pernoſcitur. Faciendi furti finis intelligitur, quum perlatũ eſt quò ferri cœperat. Furti cõcepti, item oblati, pœna tripli eſt. Scitu digna ſunt quæ Vlpianus ſcribit: Si uxor, inquit, alicuius furi opem tulerit, furti non tenebitur, ſed rerum amotarum. Aliàs furtum finiunt Iureconſulti, rei alienæ fraudulentã contrectationem lucri ergó. Quin ſi uolente domino, quem ipſe tamen opineris nolle, quippiam inuncaueris, furti allígatum uideri, ſanxit Pomponius. Alexandri Cæſaris præclara eſt ſententia: qui ad id quod per præconem edixit, ut principẽ nemo ſalutaret, qui ſe furem noſſet: ne aliquando detectus, capitali afficeretur ſupplicio: etiã prædicabat, fures de paupertate ſolos conqueri, dum uolunt uitæ ſuæ ſcelera obtegere. Sed & illud, ὃς τις ἂν πολλὰ μικλόπηκεν, ὀλίγα δὲ τοῖς βοηθοῦσιν ἐδώκεν, σῶς ἔσται. Id eſt, qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſaluus erit. Idem fures nuncupabat, ſcelerum quotidianorum reos, ac ſolos item reipublicæ hoſtes. Quia uerò non eſſe unum tantummodo genus furum, líquet, inueni qui aris clàm aſſidentes ut oblata ſuffurẽtur, bomolochos appellari tradant, quaſi περὶ οὖν βωμοὺς λοχῶντες, id eſt circa altaria delitescentes inſidiantes ue. quanquam & eo nomine dicũtur mendicabula in templis ſuppliciter corrogantia ſtipem, atq́ item tibicines & uates rebus diuinis adhibiti. Sed & ſcurræ bomolochi figuratè dicuntur, qui ue deſpicabiles uiliſſimiq́ poſſunt lucelli cauſa etiam num illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas Cæſaris ad menſas. Laron, comici pro furacíſſimo uſurpant quandoq́: nam eſt auis laros uoracis naturæ, rapacisq́. Sunt qui fulicam eo nomine accipiant, ut inde etiam Larius nuncupetur lacus de auitį eius copia. Larum Theodorus gauiam interpretatur, cui ſit color κυανόθαλλος, id eſt cinereus, ut ſcribit Ariſtoteles, qui etiam laron nuncupat λάνηρον, id eſt album. At cepphum, id eſt κέπφον fulicam reddit Theodorus idem. Sed Hexaemeri quinto Ambroſius fulicam à Græcis phenen dici, hoc eſt φλωλω, arbitratur: quæ excuſſum nido aquilæ pullum ſolarem intuitum non ualentem ferre, exceptum alat. Lycophronis interpres: Cepphus, inquit, marina eſt auis λαροειδής, id eſt lari ſimilitudine: quam ſpuma uenantur piſca-

torum pueri. λάρος item larus dicitur, id est caues: unde cauecas, id est κάρηκας, nuncupatos inuenio, qui lari more senio inalbescant. Lazos uerò nunc dici, qui olim nuncuparentur Colchi: auctor Agathius est. Ambrosium malè habent parte hac eruditiores, quoniã φήνης dicatur à nostris ossifragus, alienos fœtus cum suis alens. Larcos autem uas intelligitur, in quo feruntur carbones. Depeculatores, hoc est qui publica interuertunt, uocant ijdem molgos & amolgos, à mulgendi consuetudine, quod dicitur ἀμέλγειν. proinde ex aphæresi curare, facetè dicti. Sunt in hoc genere & qui balantiotomi Græcè nuncupantur, uelut marsupiorum incisores, ut alibi diximus, meminit cõtra Ctesiphontem Aeschines: Adducent (inquit) illum, ueneficum balantiotomũ, qui rem publicam incidit. Hos fortè saccularios rectè dixeris, ex Asconio. Sed Plautus zonarios dixit sectores. Est item balantium pondus quoddam, phollis nuncupatum, donos continens ducẽtos quinquaginta. Habet uerò donus libram unam, uncias duodecim. Fiscos item pro nummorum conceptaculis comperias: sed & lineos legimus fiscos, ex primendis eliquandisq; succis: unde & fiscellus, in usu eodem.

T. Liuij locus emẽdatur ex primo, ubi legitur, Lex horrẽdi criminis erat.
Item locus Plinij enarratur, de arbore suspẽdio eligẽda. Acherusion quid,
& ulmorũ acheruntem in Plauto qua interpretemur ratione. Cap. VII

SEd enim quia de supplicijs copiosius agere collibuit, fraudi nõ erit, opinor, si ad lacteos T. Liuij fontes diuerterimus, uitiatis interpellatisq; codicibus laturi opem pro uirili. In primo siquidem ab Vrbe condita sic fermè scriptũ reperias. Lex horrendi criminis erat, duumuiri perduellionem iudicent. Quam lectionem sciolis ac malè feriatis plerisq;, quorum minus intercutanea eruditio superficiaria modo rimatur ac discutit, plausibilẽ uisum iri, non ambigo. Arridet enim pullato circulo demum, quod obuium, quodq; (ut dicitur) ex triuio est. Atqui pensiculatius expendenti, loco uerbi Criminis, reponendum uidebitur Carminis. quod respit uetustatem, & eruditionem habet classicam. Legum siquidem dicebãtur carmina, non crimina. Quod ut constet, ad anchoras recurrendum, hoc est ueterum auctoritas aduocanda, qua maximè aduersus peruicaces stemus. Marcus igitur Tullius in Oratione pro Rabirio Posthumo ad hunc modum scribit: Nam [illegible] næc tua, quæ te hominem dementem popularemq; delectant, Lictor, colliga manus. Quæ non modo huius libertatis mansuetudinisq; non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilij: Tarquinij superbissimi ac crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina, quę tu homo leuis ac popularis libentissime commemoras, Caput obnubito, arbori infelici suspendito. Hactenus Cicero, qua in parte ne obrepere quidem suspicio potest, quantumuis in utranque aurem dormias, legendum esse Criminis. Sed & De oratore primo libro ita exaratum adnotauimus: ut totum illud, uti lingua nuncupasset, non in duodecim tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum uideretur. Hoc uerò loco carmen, signare præscriptum, aut sententiam, siue præceptum, coniectamus. In quam notionẽ reperias item De lege agraria libro secundo. Sed & T. Liuius ab Vrbe cõdita libro trigesimonono, cõcione aduocata solenne carmen precationis fari, prius quàm populum alloquantur, magistratus solere, auctor est. Quin & libro primo, Sua item carmina Albani, suumq; iusiurandum per suum dictatorẽ, suosq; sacerdotes peregerunt. Et paulo antè, Quæ longo effata carmine non operæ est referre. Sed utiq; de carmine non esse mirãdum, Asconius Pedianus facit, qui uersiculum pro uerbo, quod insolentius est, usurpasse deprehenditur, quum ita scribit: Tribus uersiculis enim ait, Accepi, dedi, reliqui. Ne quis uerò mendum putet exemplariũ, id ex Cicerone est Verrinarum tertio: Audistis quæstoriam rationem tribus uersiculis relatam. In epistolis uerò ad Brutum, sic refert: Breues tuæ literæ, breues dico? immo nullæ, tribus ne uersiculis his temporibus Brutus ad me? Cæterũ quia in suspẽdio arborem infelicem nuncupat ueteris carmen legis apud Liuium & Ciceronem, ad eam alluisse Plinius apertissimè mihi uidetur, quum in præfatione Naturalis historiæ dicit: Ceu uerò nesciam, aduersus Theophrastum, hominem in eloquentia tantum, ut nomen diuinum inde inuenerit, scripsisse etiam fœminam: & prouerbium inde natum, Suspendio arborem eligendam. In nodi huius explicatione cæcutire multos, palàm est, etiã si non insint Platonici

conici numeri, aut Bœotia ænigmata, nec ex uulturum nidis expositio petenda foret. Si qui ergo hactenus exsudarunt in eo, iam (opinor) desinent saxum uoluere. Felices autem arbores, ne hoc relinquamus inenarratum, Cato dixit, quæ fructum ferunt: infelices, quæ nō ferunt. Plinius auctor est, Infelices existimari, damnatasq; religione, quæ neq; seruntur unquam, neq; fructum ferunt. At Veranius de uerbis pontificalibus, Felices (inquit) arbores putantur, quercus, æsculus, ilex, sapinus, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pyrus, malus, uitis, prunus, cornus, lotus. Tarquinius uerò Priscus in Ostentario arborario sic ait, Arborum quæ inferum deorum auertentiumq; in tutela sunt, eas infelices nominant, ut quæ baccam nigram nigrosq; fructus ferunt. Cæterum ne quid omnino dissimulem, potest ex Plinio ipso item prouerbij ratio erui. Quoniā apud eum ita legimus, In Aulocrene platanus ostēditur, ex qua pependit Marsia uictus ab Apolline, quæ iam tum magnitudine electa est. Sed in eadem Naturali historia legimus, Canes supplicia annua pependisse, inter ædem Iuuentutis & Summani in furcas sambucea fixos arbore. Quin & alibi idem auctor Pyrrhi legatum facetè lusisse scribit, in austeriore gustu uini, meritò matrem eius pendere in tam alta cruce. Adijciamus uerò & damnandi criminis confessos ac iudicatos ritum, de quo sic breuiter Seneca, Ascendit prætor tribunal, noxiæ post terga ligantur manus, fit à præcone silentium. Adhibentur deinde legitima uerba, canitur ex altera parte classicum. Opera illud adiecero parerga, proditum Aristotelicis esse monumentis, Acherusion dici omne satum syluosum arborosumq;. Ex quo eruditorum coniectatio est, ad hoc forsan Plautinum id referri oportere, ubi in Amphitryone ulmorum Acheruntem uocat.

Plautini loci expositio de litera longa, quam suspendiosi faciant. Cruciarij qui, & cruciantes, item crucium. De cruce scitu digna. Sarmentitij, & Semassij cur dicerentur Christiani. Cap. VIII

PRorrò in hac suspendiosorum mentione nō parergon fortasse fuerit, amplius aperuisse Plautinum scrupum, in quem ueluti latitans aquis saxum plerosq; iam impactos scio. Sic uero Staphyla anus inquit,

Neq; quicquam melius est mihi,
Vt opinor, quàm ex me ut unam faciam literam
Longam, laqueo collum quando obstrinxero.

Scitum hoc uideri adagium potest, & apertum satis, in eos qui præposterè commoriuntur, præcluso (ut inquit Plinius) spiritu, cui quæreretur exitus. Cæterum sunt, qui eius rationem parum, ni fallor, & scienter & explorate introspexerint. Literam enim longam, L dici uolunt: sed hebeti prorsum iudicatu. Dicant enim uiri doctissimi, quo probent argumento, pendentem hominem amplius, quàm ubi suis constat uestigijs, eam exhibere figuram: mihi utiq; parum liquet, nisi fortè caligamus in sole, ac de compede impacta educere pedem nequimus. Nec à grāmaticis traditum ignoramus, literarum alias esse longas, rotundas alias, quasdam uerò quadratas. Quin doctius fuerit interpretamentum, ac perspicacius, si ad T literam Græcam Plautinos sales retulerimus: quoniam qui pendet, eam planè reddit imaginem: suspendiosi defuncto obtinente uicem lineæ ex superiori parte in imam productæ. Trabes uerò unde laqueus destinatur, transuersam elementi portionē fingere uidetur. Id ut ad hunc modum coniectemus, doctissimus facit Lucianus, qui in libello cui titulus est Δίκη φωνηέντων, id est Iudicium uocalium, ad disquisitionem literam hanc uocatam à sigmate, ita coargui fingit, ut quæ furatrinam exerceret, & aliena uiolenter inuaderet, ex pleriscq; dictionibus pulsa litera Σ, in cuius locum ipsa se nullis comitijs suffecerit. proinde uideri dignam, quæ in id contolleretur supplicium, quod ipsius exprimeret figura. Ea uerò est crux, ac furca: nam & tau Gallicum positum inuenies pro cruce apud celeberrimos auctores, quam ad eum constituere modum Galli consueuerant: & Hieronymus super Marcum, Tau (inquit) litera salutis signum demonstrat & crucis. Immo uerò & crucis nomen Græcum, quod est σωρός, non aliunde uidetur appellationem duxisse: quanquam grammaticis aliud uideatur. Video, inquit Seneca, isthic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab alijs fabricatas. Sunt qui capite in terram conuerso suspendant. Alij per obscœna stipitem agunt. Alij brachia patibulo explicuerūt. Cruciarios uerò idem uocat Seneca, qui

tolluntur in crucem, ſicut cruciarias pœnas Sidonius Apollinaris. Cruciatios facetiſſimè Plautus diſcipulos crucis appellat, qui & patibulati dicuntur. Sed crucium, uinum inſuaue nominatur, & nimio plus auſterum aut aſperum. Cruciantes equi apud poetas creduntur ferè, qui tortores ab grãmaticis & uulgò dicũtur. Scitu dignum illud quoq; eſt: Didymon xylon à Græcis exponi pro eo quod Romani furcam uocant, uelut ex duobus modo lignis conſtaret: nam didymon, geminum dicunt. Præterea ſupplicij huius Vlpianus commeminit, Digeſtis ad legem Iuliam de ſacrilegijs: ſed & Calliſtratus Digeſtis de pœnis, Summum (inquit) ſuppliciũ eſſe uidetur ad furcam damnatio, item uiui concrematio. Porrò quia de cruce mentio eſt, non grauemur promere hic quæ in primis ſtudioſorum digna auribus arbitramur, ex monumentis excepta clariſſimis. Si quidem traditum ab Arabibus eſt, crucis figuram uideri cæteras quotquot ſint, præſtare: quoniam ſuperficies prima cruce deſcribatur. Sic enim in primis longitudinem habet, atq; latitudinẽ, primaq; hæc figura eſt, & omnium recta quàm maximè, conſtansq; rectis angulis quatuor. Effectus uerò cæleſtium maximè per rectitudinem angulorum radiorumq; reſultant. Tunc enim ſtellarum poteſtas præualet, quando cæli quatuor habeant angulos, uel cardines potius: orientis uidelicet, occidentisq;, & medij utrinque cæli. Sic uerò diſpoſitæ radios ita coniiciunt in ſe inuicem, ut crucem inde cõſtituant. Propterea eſſe crucem ueteres dicebant, tum ſtellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis ſuſceptaculum. Ideoq; habere ſummam in imaginibus poteſtatem, ac uires & ſpiritus ſuſcipere planetarum. Quæ opinio ab Aegyptijs initia duxit, confirmataq; uel præcipuè eſt, inter quorum characteres crux erat inſignis, uitam eorum more futuram ſignificans. Proinde figurã eiuſmodi Serapidis pectori inſculpebant. Adijcit Hieronymus: aues in ſurrectum ſe attollentes crucis exprimere figuram, quod adorans homo & natans item facit: ſed & nauis antemna cruci aſſimulata ſufflatur. Quin ipſa, inquit, crucis figura quid eſt, niſi quadrati mundi forma? Scribit porrò Sudas, Theodoſio imperante, quum æquarentur ſolo Græcorum templa, in Serapidis ſacrario hieroglyphicas eſſe compertas literas, quæ crucis præferrent formam. Cæterum, quod ad crucis pertinet excellentiam, apud Aegyptios ante CHRISTVM humanæ ſalutis auctorem inenarrabilem, non tam muneris ſtellarum teſtimoniũ fuiſſe contenderim, quàm uirtutis præſagium, quam à diuiniſſimo corpore fuerat acceptura. Nec illud omiſerim, diuina (ut equidem reor) agente ui, fuiſſe in adoratione ueterum crucis item figurã ſummè religioſam: quoniam in ueneratione ſupplici, dum ori dextram admouerent, indicem ſuper pollicem reſidentem (quod & tempeſtate hac ferè à pleriſq; fit) exoſculabantur. Quod Plinius quoq; ſignificaſſe uidetur: In adorando, inquit, dextram ad oſculum referimus, totumq; corpus circumagimus. Et in Apologia item Apuleius: Si fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia manum labris admouere. Hinc factum opinantur, ut Hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem pro ueneratione deoſculationem ponant. Quod aduerſus Ruffinum Hieronymus teſtatum reliquit. Lego denicq; Chriſtianos quandoque Sarmentitios & Semaſſios probroſe nuncupatos, quod ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti ſarmentis circumiectis amburerentur, quod in hac ſuppliciorum pragmatia compertum præterire non fuit conſilij.

Elementa uirtutum eſſe duo, ſpem honoris, pœnæ metum. De inferorum ſupplicijs digna ſcitu. Quomodo patiatur anima, ex Platonicorum doctrina. Maronis loca explicantur duo. Cap. IX

DVo uerò eſſe ueluti elementa uirtutis ab philoſophiæ ſtudioſis traditum, ſcire uideor: honoris ſpem, ac pœnæ metum. Illa quippe ad honeſta ſtudia alacriores reddit, quando eſt externorum maximum bonum honor, ſiquidem hunc dijs contribuimus, hunc in dignitate conſtituti affectant præcipuè: tametſi cumulatæ uirtuti dignus rependi haud queat. Hic autem, metum dico, depraua tos impetus cogit hebeſcere, tardioresq; facit ad ea, quæ à rationis libra uiſuntur ſemota. Hinc ad terrorem increſcentis audaciæ pœnarum genera octo legibus ſanciri, Marcus Tullius ſcribit: damnum, uincula, uerbera, talionem, ignominiã, exilium, mortem, ſeruitutem. At ſummus ille parens deus, à quo in hanc mundi partem, uniuerſitatis media emiſſi ſumus, ut hinc inde rerum ab eo productarũ ordinem excellentiamq; exactiſſime

ctiſſimè contemplati, humilem debitumq́ uenerationis cultum auctori exhiberemus, æternitatis præmium ex formula ſua uiuenti propoſuit. Abeunti uero ad brutorum immanitatem, & ſenſibus mancipatam naturam, formidabiles inferorum cruciatus perpetuitatis diritati adglutinatos. Cæleſtis illa hilaritas quæ quanta'ue cenſeri debeat, abunde cum Apoſtolo Gregorius pauciſſimis uerbis inſinuaſſe pernoſcitur, ubi ait: Nec oculum uidiſſe, nec aſcendiſſe in cor hominis, quæ diligentibus ſe præparauerit deus. Inferorum uero ſupplicia quis uel audeat, uel queat omnino eloquentiæ, uel ingenij amplitudine pro meritis explicare? Mira eſt illic, ſed tamen uera pœnarum ratio, quod Auguſtinus inquit. Spiritus incorporeos corporei ignis tormento conflictari, quæ'nam ratio dabit naturalis? Niſi quòd eadem quæ noſtris corporibus certis numeris animas adnexuit potentia, etiam ſpiritalem uim pœnis ignium indeficientibus alligare ineffabilibus poterit modis. Cæterum libet parte hac cum ueteribus theologiæ ſtudioſis confabulari, qui & ipſi ſuper iis aliqua ſibi prodenda cenſuere. Adeunda uero præcipuè Platonis arcana, in quibus ſtupenda ſæpe deprehendas. Animum intemperatum, dum etiamnum agit in corpore, talem eſſe ueteres ſanciunt, ut conſopitam in eo rationem intelligant, uel affectui prorſum mancipatam, unde ineluibilis ad corporea uergens concipiatur habitus, qui in naturam euadat quodammodo. Proinde hunc graphicè appingens Orpheus ita canit,

ἀῤῥηκτοι ἀίδαο πύλαι, καὶ δῶμ' ὀνείρων.

Frangi nequeunt Plutonis portæ, intus agit populus ſomniorum. De animo ita affecto grauiſſima eſt ex ſeptimo De republica, Platonis ſententia: Dormire illum in hac uita & quidem profundius, ac prius quàm omnino expergefiat, demigrare. Poſt obitum uero etiamnum altiſſimo premi ſopore. Quin & inſomniorum abſurdiſſima exterreri ſpecie, quam rem ſub Tartari nomine intelligi uoluit. Philoſophi uero ſententiã aptiſſimè Platonicus poeta inuolucro quamuis obſcuriore Aeneidos ſexto expreſſit, quum inferorum ueſtibulum ac ingreſſum primum deſcribens ita canit,

In medio ramos, annoſaq́ brachia pandit
Vlmus opaca ingens, quam ſedem ſomnia uulgò
Vana tenere ferunt, foliiſq́ ſub omnibus hærent.

Animus ergo hic nimio corporis amore exardeſcit, propterea terreno hoc dilapſo, protinus alterum ſibi ex uaporibus itidem elementalis naturæ conflat, compingitq́: ſed & ad ea reuoluitur, affectu perſeuerante, ad quæ procliuis ante ferebatur. Corpuſculi uero eius ea demum eſt figura, quales fuerint mores. Qua ratione fortaſſis intelligenda foret infamis illa quorundam in beſtias commigratio. Sicuti uero in uita carnis ſenſerat affectiones, ita & corporis illius animam ſentire, arbitratur idem Plato: ſed eo etiamnum acriores, quo eſt id purius, uerum ratione non eadem. Sic etiam ex doctoribus noſtris aliqui haud ignobiles philoſophi, inueſtigare uolentes, quo modo incorporea anima igni poſſit affici corporeo, dicunt, Poſtea quàm carne ipſa exuta eſt, ſenſiuas remanere potentias, & (ut Auguſtinus inquit) omnes ſenſus uitali poteſtate retentari. Aliorum ſententia eſt, ab anima non formari corpus eiuſmodi, nec per ipſum afformari ſenſum, ſed diuina poteſtate ita ſanciente, animam quæ ſeſe prius corpore adobruerit, aqueo elemento uel igneo ita deſtinari, alligariq́, ut obnoxia ſeruilíq́ cõditione indignationis plurimum inde concipiat, ac dolore conuellatur. In ſtatu hoc comminiſcitur Orpheus furias tres: ex quibus Tiſiphone animã infeſtet ex corpore. Megæra lancinet ex odio imaginariq́ mali cõflictatione formidoloſa. Alecto perurat propter imaginariq́ boni cupiditatem. Has porrò furias excitari ab ultoribus dæmonibus, ut atrocius horribiliusq́ exagitetur anima, Platonis ſententia eſt: ſed quam comprobet etiam Plotinus, ac antea conſtituerat Orpheus. à quo hymno proprio dæmona, ultorem magnum celebrari nouimus. Denicq́ primas intemperantis animæ perturbationes perſimiles uolunt phreneticorum tumultibus, aut bile atra exagitatorũ, uel etiam dormientium turbulentis formidoloſisq́ ſomniis. Sed & eo amplius impiis animis terribilium fallax imago occurſat, quando alendi poteſtas nulla ibi eſt, uacant externi ſenſus, nullius omnino rei ſeſe ingerit diſtractio, nec lenimenta præſtò ſunt ulla. Sola reliqua fit furens phantaſia, ut Plato uult, aut phantaſticæ rationis imperium: cui inuſitatæ formi-

dabilesq; oſtentantur imagines, ut ruentis quandoq; cæli ſpeciem concipiat, nunc dehiſcentis terræ uoragines tetras, ſeq; in ima barathri uiolenter merſari. Etiam flammantes ignium globos arrepentes, aut feruentium ſcaturigines aquarum, uel uaſtarum molium deuolutiones ruinasq;, quibus iamiam cõterenda ſubijciatur: &, quod omnia excedit, à dæmonibus truculenti ſæuiq; aſpectus raptari, ac paſſim diſcerpi. Cæteraq; quæ phantaſiæ furentis dictare impetus poteſt, malusq; dæmon, ut Mercurio placet. Adde quòd deliciarum quibus in uita intemperantius perfrui aſſueuerant, atrox habitus ſubiens exulcerat excarnificatq;, tum cupiditate, tum deſperatione potiendi. Hæc Sardanapalum muliere corruptiorem à pellicum amplexu reuellit ratio, diſpeſcit à mẽſarum luxu Tantalum, à cõgeſtitijs Midã retrudit opibus. Propterea in Gorgia Plato: Idem mihi uidetur circa animam: cuncta enim in ea apparẽt, quum corpus exuerit, tam quæ ex natura, quàm quæ ex affectibus inerant, quæ ob rei cuiuſq; ſtudium homo cõtraxit in animam. Hinc ni fallor, aperitur egregiè Platonici Maronis locus alter ex ſexto eodem,

Quæ gratia currum
Armorumq; fuit uiuis, quæ cura nitentis
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Cæterum ne quid relinquatur, quo legentium præpediri poſſit animus, ſciant à Platonicis in ſeparatis animis phantaſiam dici ſenſum intimum, quem in uehiculo æthereo & aereo conſtituunt, ſed cum perturbatione in aereo proprie. Vel Peripatetico intelligamus more, præſertim Auicennæ ſequuti doctrinam, affectum habitumq; potentiæ rationalis, quem ſenſibus obſequendo contraxerit, ad corporeas reclinatum perturbationes, in materiamq; uergentem.

An poſſit anima ignibus torqueri. An corpus amburi perpetuò, nec tamen interire. Laricis natura mirabilis. Larignũ oppidum. Larigna pix, quæ uulgò larga dicitur. Item ſalamandræ, & carbonum, palearum, ac formicæ natura.

Caput X

SEd non decrunt fortaſſe, qui argumentorum acuminibus diluere iſta conni-
tantur omnino, quoniam probabile non fiat, animam ſi eſt immortalis, perpeti aut ſentire dolorem poſſe: quippe ſi ob merita punietur, non erit abſq; doloris ſenſu, & proinde etiam morti obnoxia. Quòd ſi morti non eſſe locum, colligas: illatio illa conſequi uidetur, Ergo nec dolori. Propterea, nec eſſe quidem patibilem. At Stoici aſtruent, animas utiq; mortis interuẽtu aboleri nullatenus poſſe. Impias tamen, quoniam uitiorum ſcelerumq; inquinamentis labem contraxerint, euadere cuiuſdam naturæ mediæ inter mortalem immortalemq;, & habere imbecillitatis quippiam ex corporeo contactu, ex quo ineluibilem cõceperint fucum, dum ſenſuum lenocinijs obſequuntur, uelut mancipatæ. Inoleſcente itaq; labe miris modis, ut poeta nobilis ait, eiuſmodi reddi animas, ut non extingui utiq; ualeant, quoniam ex deo profluxerint. Cruciatibus tamen obnoxias fieri ob terrenã, quam ſibi affricuerint labem, quæ peccatorum inuſta illecebris, ſenſum doloris attribuit. Quòd ſi quærat quiſpiam, qualis omnino cenſendus ſit ille ignis, qui miranda poteſtate ſpiritalia corporeaq; exitu nullo exurendi citra conſumptionem facultatem habeat: quum ſexto Topicorum ab Ariſtotele traditum ſciamus, Affectionem in corporibus quamcunq; deterere de ſubſtantia perpetuò quippiam, ac demum abſumere: Reſpondetur, uideri talem, ut nullius indigus alimenti, nulla fumi permixtione in obſcuritatem quandam craſſeſcens uiuat perpetuò, uigeatq;, aquarum modo fluida ui. Cremet inſuper, ac reficiat mirabiliter, ut quantum ex corpore periturum æſtimes, mox repoſitum, inſtauratumq; ineffabiliter, animaduertas, ut perenne ſibi ſufficere pabulum uideatur. Quod poetica fabuloſitas ſuſpicata, Titij iecur uulturi æterna ſuggerens alimenta confingit. Nec tamen in omne corpus flammis eiuſmodi datum ius, aſſerere debemus: nam quos præcellens incoquit uirtus, & iuſtitiæ maturitas in æthera purgat apertum, omnino cremantis potentiæ expertes cenſendi ſunt. Quod ad animã ſpectat, ſic ex Peripateticis ratiocinantur nonnulli: Si ſenſus, inquit, ſenſibilia citra materiam recipit, patiturq; tactus nõnunquam non calore ipſo, ſed ſpecie, caloris ratione, intentioneq; ſpiritaliter recepti. Si uiſui non color, nec magnitudo ulla, ſed ratio, ac intentio eius abſq; materia imprimitur, animos

animos mirabimur etiam elementorum qualitatibus, quibus in hac inhiabant uita, per intentionem, ac ſpiritaliter, & abſq; materia receptis torqueri? Hac certe ratione non à corpore incorporeum, ſed ab incorporeo incorporeum pati, agnoſcimus. Sed urgent nos infeſtantq; peruicaciores plerique, ceu naturæ conſonum haudquaquam ſit, uri citra perniciem corpus aliquod: etiam ſi apud Ariſtotelem comperimus, eſſe animalia quæ in ignibus uiuant, imò uerò ſi quo caſu auolent, intermori protinus, Iam & feruentium aquarum ſcaturiginibus ita uermiculos innaſci plerunq;, exploratiſſimum eſt, ut alibi ducere uitam nequeant. Sed malè feriati ad hæc inferunt, ſi maxime detur rem ſic habere, non tamen iſta uiuere perpetuò, nec ullo interim exagitari dolore, quoniam indidem etiam uegetentur. Mihi uero à naturæ rationibus abire longius uidetur, uegetari, quàm cruciari rebus eiuſmodi. Mira prorſum res eſt, igneis flammarum riuis obuolui, membra depaſcentibus, & ſupereſſe tamen, ni mirabilius foret, ignium molibus adobruta uiuere, nec tamen inde dolere prorſum. Quòd ſi impetrãt iſta fidem, cur non & illa? Certè miraculum naturæ eſt id quoq;, larícem non ſolum ex ſucci amaritate uehementi à carie tineaq; non noceri, uerum nec flammã recipere, nec ardere per ſe, niſi ut ſaxum in fornace ad incoquendam calcem, lignis uratur alijs: nec flammam ideo ſic quoq; recipit, nec carbonem remittit, ſed ſpatio longiore uix comburitur, quod ſit minima ignis & aeris temperatura. Cognitũ id ſumma Cæſaris admiratione apud Larignum oppidum in Padi prærípijs ſitum, ex arboris copia nuncupatum, quando ignibus obuallata turris ſuperfuit citra nocumentum. Sicuti larigna dicitur pix, quæ & arboris nomine larix uocatur quãdoq;: uulgus largam, luxata dictione appellare conſueuit reſinam id genus. Larimnum uero thymiama Sabæorum eſt odoratum, præcipuè Straboni. Sed & Quadrigarij adnotatum Annalibus eſt, oblitam alumine materiam, ſuccẽdi non poſſe. Quod eſſe uerum, à Sylla in Archelaum bellante comprobatum eſt. Nec illud argumentum alicuius fuerit momenti: Omne quod dolet, etiam mori. Siquidem dolet anima, corpore utiq; maior, nec moritur tamen. Quare quod in hac colligimus nunc, reperietur tunc in damnatorum corporibus. Quid, quòd animæ proprium eſt dolere, non corporis: etiam ſi ab corpore doloris emicent ſcintillæ? Sicut enim uiuere ac ſentire dicimus corpora, quia animæ potentia haſce influat uires: ita & in dolendi ratione aſtruẽdum, quoniam corporis dolor eſſe ab anima tantum poteſt. Quam ob rem ſi inde mors colligeretur futura, quia interueniat dolor, aduerſus animã efficacius multo ſic colligeretur, quia eius ſit dolere proprium. Quod Aurelius comprobat Auguſtinus, à quo etiam refelli Platonicos nouimus, qui ex terrenis moribundiſq; corporibus aſſultare in animam perturbationum agmina colligunt: quum tamen fateantur ijdem, animas ab omni corporis labe repurgatas, dira nihilominus agi cupiditate, qua rurſus incipiant in corpora uelle reuerti. Poſſe uero humanum corpus æternis ſufficere cruciatibus, ut amburatur citra detrimentum, doleat ſine interitu, non uideri impoſſibile prorſum debet, non ſalamãdræ modo argumento, quam auctores eminẽtiſſimi in ignibus uíctitare produnt: eſſeq; tum terreſtrem, tum marinã, ut ex Paulo didicimus. Nam de ea Nicandri interpres ita prodit: Salamandram (inquit) memorãt, per ignem meare, nec inde quippiam oblædi: eius interanea decutiendi pilos uim habent: quadrupes eſt animal, lacertæ ſimile ac terreſtri crocodilo. Sunt qui ſcribant, eſſe natura frigidum, proinde ſi in fornacem inciderit, ignem reſtingui, ipſum autem perſeuerare ἄφλεκτον, id eſt illæſum. At hoc credi temerè, auctor Dioſcorides probat. Andreas uero non cõtemptibilis auctor, ſi ſalamandræ (inquit) ſanguine uel manum uel omnino ueſtem infeceris, nocumenta ex igne haud prorſum ſentiet. Poſtremò animal nec corio contegitur, nec præfulcitur ſquamma. Quin eo argumento Græcus poeta λιποῤῥῖνον appellauit: quoniam pellem dicant rhinon. Etiam ſi aliqui malint dici, quia ab pelle deſudet λίπος, id eſt pinguedo. Ac ut nil prorſum omittatur, libro decimoquinto ἐκλογῶν περὶ γωργίκων: Salamandra, inquit auctor, minimum animal ex ignibus ortum capit, & in eis flammæ nocumentum haud ſentit. Sed & tot montium argumẽto, inquam, pleriſq; in locis ab æuo ardentium globoſq; flammarũ ſubinde eructantium, quos tamen non deficere, animaduertimus. Carni porrò humanæ uim præſtabit eandem ille ipſe, qui tot & tam miranda in rerum produxit natura. Qui pauonis carnibus poteſtatem indidit

dit occultiorem, qua putreant nunquã, quod se experimento didicisse, Augustinus scribit. Qui carbones, rem fragilem adeo, ut nullo negotio conterantur in puluerem diffleturq́, tanta insigniuit firmitate, ut nulla humectationis copia uitiẽtur, aut annorum sentiant damna. Propterea q́ limitibus ita substratis, aduersus rapacem auidamq́ crassantis uicini fraudem. Expende rerum naturæ sympathiam, antipathiam nec spreueris. Non in multa te dimitto, paleas ad libram reuoca, illas insita putes frigiditate niuium rigorem seruare illiquefactum, ni eisdem præcelerem pomis cocturam induci genuino calore, liquido perspicias. Quis in formica tantulo animali, ac tam nullo uaticinam expectarit præsensionem? Atqui Aelianus inquit, fame ingruente εἰσὶ φιλόπονοι πρὸς τὸ ὑφαιρεῖσθαι. Addamus & illud, Ab extremo die cessaturũ omnino cæli motum, quo eueniente, nulla erit actio, nulla in corporibus affectio, in naturæ tendens transmutationem. Ita ergo perseuerantiæ ratio prima ex deo est, ex naturæ ui etiam altera. Philosophi uero topicum illud naturæ pomerio tantum continetur.

An ignis damnatorum supplicijs destinatus habeat aliquid intermicantis luminis. Caput XI

QVæritur porrò, si tam atrox impiorum cruciatibus destinatur ignis, sit'ne inibi lumen quoq́, quando id esse proprium elemẽti uidetur: quod si admittas, consequens erit, habere tamen damnatos spiritus, unde quadamtenus tormentorum leniant diritatem: siquidem lux in primis iucunda est, ac uitæ gratissima. Sed enim absurdum omnino, & à diuinæ sanctionis integritate seiunctum, uitæ adobrutos flagitijs & bonis semper infestos, Deo nulla non hora rebelles post mortem læti quippiam sortiri, quo sceleratæ mentis æstum, uel momento mitescere sentiant. Proinde uero propius fit, si quod ibi interluceat lumen, calamitatum cumulo id accedere magis quàm lenimento: nam lucis munus alioqui lætissimum, sæpe item dolorem potest immensum parere, si quid aperiat, quod nolis uidere. Sic igitur statuendum, teterrimas illas tenebras intermicare ingrati luminis quippiam, quo patescant, quæ exulcerent uehementius. Propterea Moralium nono Gregorius, illud Iob exponens, Vbi umbra mortis, & nullus ordo. Infernus ignis, inquit, ad lenimẽta non lucet: lucet autem, ut magis torqueat. Nam consectatores complicesq́ flagitiorum improbi flamma illustrante uisuri sunt, quorum gratia sese facinorum prauitate adobruerunt. A Nicolao item theologo eadem ferè statuuntur. Atq́ inde dici esse inibi tenebras exteriores, quando in mente colliguntur esse interiores.

Inferi an sint. Veterum in eo disceptantes sententiæ. Augustini mox decreta. Ab Domitiano exhibitum inferorum spectaculum, ex Dionis historia. Caput XII

ESse autem inferos, constanter asserit Christiana ueritas: ex ueteribus omnino pauci. Plinius quidem, ut in plerisq́, hæresi deprauata, sustulisse eos uidetur: Si ulli, inquit, essent inferi, eos iam refodissent auaritiæ manus. Marcus quoq́ Tullius quum alibi, tum in oratione pro Cluentio, falsa esse quæ de inferis traduntur, indubitanter astruxit: sed & in Consolatione ad Martiam Seneca, Illa, inquit, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Lucretius libro De natura tertio, non alibi esse inferos statuit, quàm in hac uita: sic enim ait,

Atqui animarum etiam quæcunq́ Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in uita sunt omnia nobis.

Sed & apud Ouidium Pythagoras:

Quid Styga, quid tenebras, & nomina uana timetis?

Plutarchus in libro De ijs qui serius à deo puniuntur, quendam ita narrantem inducit, Esse Adrastiam Iouis & Necessitatis filiam, iniustorum omnium præsidem ultricemq́, cui ministri adsint tres: à quibus in corpore quidem crucientur, puniantur q́ aliqui: at qui grauiora perpetrarint, hosce post mortem iudicio tradi ab dæmone: qui uero scelestissimi atq́ immedicabiles fuerint, eos ab Erinnye ex ministris Adrastiæ tertia, maximè fera immitiq́, in obscurum quendam & qui referari nequeat, locum intrudi. Socrates uero apud Xenocratem à mago quodam Gobria, se accepisse ait, Opin & Hecaergon tabulas æneas ex hyperboreis attulisse, quibus contineretur, in corporis solutione animam

animam in occultũ ſub terram migrare locum, in quo lunonis ſit regia, haud Iouis aula anguſtior: quippe quum terra mundi medium teneat. Veſtibula uero Plutonis prouinciæ clauſtris, æneiſq; catenis undiq; uinciri: illum qui iſta referet, fluuium Acherõtem prius, mox Cocytum excipere: quibus tranſcurſis oporteat ad Minoem & Rhadamanthum duci, in eam regionem qui Veritatis campus cognominetur. Mercurius uero ſic fermè ſcribit: Quum fuerit animæ à corpore facta diſceſſio, tunc arbitrium examenq; meriti eius tranſiliet in ſummi dæmonis poteſtatem: iſq; ſi delictorum illitam maculis uitijſq; oblitam uiderit, deſuper ad ima perturbans procellis turbinibusq; aeris, ignis, & aquæ ſæpe diſcordantibus tradet: atq; inter cælum & terram mundanis fluctibus in diuerſa ſemper æternis pœnis agitata raptabitur, ut in hoc obſit animę æternitas, quod ſit immortali ſententia æterno iudicio ſubiugata. Ergo ne his implicemur, uerendum tantundem, cauendumq; eſſe, cognoſce. Increduli enim poſt delicta cogentur credere non uerbis, ſed exemplis: nec minis, uerum ipſo pœnarum affectu. Hactenus Mercurius. Quem ne quis fortè irridendum cenſeat, quòd in cæli terræq; meditullio ſupplicíorum ſtatuere uideatur locum, ſciat inferorum regionem & ignis æterni ſedem eſſe opinationis incertiſſimæ apud Chriſtianę ueritatis aſſertores: quando maximus doctor Auguſtinus ita ſibi ſcribere permiſit: Iudicatis quippe iſs, qui ſcripti non ſunt in libro uitæ, & in æternum ignem miſſis: qui ignis, & in qua mũdi uel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui diuinus ſpiritus oſtendit: tũc figura huius mundi peribit conflagratione. Cæterum arriderent uel maxime in hoc propoſito, quæ Geneſeos ſecundo Auguſtinus idem ſcienter adnexuit: Si quis putat, inquit, animas corpore exutas locis corporalibus contineri, quum ſint ſine corpore: non deerũt qui faueant, & diuitem ſitientem in loco corporali fuiſſe contendant: ipſamq; animam omnino corpoream, propter arentem linguam, & ſtillam de Lazari digito cupitã. Sed melius eſt dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Diuitem in ſupplicio, pauperem in refrigerio eſſe, non dubito: ſed quomodo intelligatur flamma inferni, ſinus Abrahæ, & huiuſmodi, uix à manſuetis, à contẽtioſis nunquam inuenitur. Apud Eſaiam legimus prophetam, unicuiq; proprium quo torqueatur ignem, aſcribi. Ambulate, inquit, in lumine ignis ueſtri, & in flamma quam accendiſtis. At, inquit Origenes ſecundo περὶ ἀρχῶν, iſs indicari planè uidetur, Peccatorem ipſum ſibi propríj ignis flammam ſuccendere, nec in incendium aliquod antea deſtinatum demergi. Eius uero materia eſcaq; ac pabulum peccata eſſe uidentur noſtra, quę ab apoſtolo Paulo ligna dicuntur, item fœnum & ſtipula. Cenſendum uero, ſicuti in corporibus cibi exſuperãtia uel qualitate diuerſa febrium ſuſcitantur incendia pro fomitis modo: ita & in animis, ubi uitiorum incentiua labem aggeſſerint altius; malorum efferueſcit cumulus, diram ſibi tetramq; ſupplicij progignens flammam, quum admiſſorum facinorum hiſtoriam ante oculos propoſitam intueantur, & ipſa ſibimet teſtis conſciẽtia propríjs agitẽtur ſtimulis in pœnæ ardorem formidoloſæ. Mali acerbitas non ferenda uel hinc coniectari certius poteſt, quod plerunq; mori præſtat, quàm diutius liuore macerari, ita identidẽ incendi, triſti mœrore contabeſcere. Illis uero quæ Auguſtinus ut cunctanter, ita & ſapienter aſtruit, adnecti poteſt ex Græca natum petulantia, qui eiuſmodi rerum incertitudine ducti, fabuloſa quæ de inferis dicantur, arbitrati omnia, mendacij cuiuſpiam uanitatem diluere uolentes incinunt, τὸ γὼ ἄδολον, id eſt ferè tale haberi, qualia quæ de inferis iactentur. Certè Magnus Plotinus peccãtes grauius animas dæmonũ cruciari præfectura tradit. Orpheus idipſum confirmat & Iamblichus. Non omittendũ quod prodidit Dion: Domitianum inter ſpectacula noctu inferorum fabulas exhibuiſſe, domo ad id inſtructa, in qua prorſus omnia uiſerentur nigra, excitatis quoq; ex pauimẽto miro ingenio tabernaculis, ſenatoribus modo equitibusq; ſine ſeruitijs ad ſpectaculum admiſſis. Vnicuiq; uero ſepulcrhalẽ impegit columnã, nominibus etiamnũ adiectis, apposita & lucerna, uti in monumentis aſſolet. Hinc formoſiores pueri atro expicti colore prodibant, mortuorũ præferentes imaginem, ac meticuloſa ambientes aſſidentium ſingulos ſaltatione, ad uerum omnia implebant, territis omnibus, ne mox iugularẽtur. Nam & quæ ad cædem maxime ſpectare uidebantur, proferebat Domitianus: paulo tamen poſt dimiſſi cum donis omnes, ex iſs quæ in cœna fuerant parata.

Platonis

Platonis ſententia mirabilis, euangelicæ conſona ueritati, de inferorũ pœnis, Origenis opinio, an ibi ſit uerus ignis, & tormenta uera. Cap. XIII

PLato, quem cæteris omnibus Chriſtianæ ueritati facit propinquiorem Aurelius Auguſtinus, Herum quendam Pamphilium reſurrexiſſe confingẽs, de inferis illum multa mirandaq́ explicantem inducit: ac primo quidem, ut poſt corporis interitum anima cum pleriſque alijs in dæmonicum quendam peruenisſet locum: in quo terræ duos agnouerit hiatus, totidemq́ ſupernè in cæleſti regione ex aduerſum. Inter hiatus uero eiuſmodi ſedentes iudices, qui ubi animas iudicaſſent, iuſtos quidẽ ad dextrã ſupernè per cælum aſcendere iuſſerint, in anteriori parte ſigna eorum quæ iudicata forent, ferentes. Iniuſtos contrà, ad ſiniſtram inferius: omnium in uita geſtorum à tergo ſigna habentes ſuſpenſa. Vidiſſe porrò per utramq́ cæli terræq́ portã animas lata ſententia abeuntes. Per alias item duas ex terra quidem aſcendentes animas puluere, ſqualore macieq́ confectas. E cælo autem alias nitidas deſcendentes: uideriq́ dixit, animas undiq́ uenientes, tanquam longa itineratione defatigatas libenter in prato quod ibi eſt, tanquam celebri in conuentu recumbere, ac ſe in uicem quæcunq́ mutuo ſe noſcitaſſent ſalutare. Eſſe aũt illud iter mille annorũ. Quoſcunq́ uero alijs iniuriam intuliſſe conſtaret, pœnas ſingillatim pro quolibet decies redidiſſe. Hoc uero per quodlibet annorum centenarium eſſe, quaſi hęc humanæ uitæ ſit meta, ut animæ decuplam iniuriæ redderent penſionem. Rurſumq́ ſi qui beneficia fuerint aliqua elargiti, iuſtitiamq́ & pietatem coluerint, eadem penſione præmia reportare. Aiebat præterea, Ardieum ſe uidiſſe ac tyrannos, ſed & priuatos nõnullos, qui magna perpetraſſent ſcelera, quos aſcenſuros ſe propemodum confidentes hiatus ille minime permittebat, ſed horridè mugiebat. Aderant illic uiri fortes aſpectu ignei, qui quum mugitum ſubito perpendiſſent, hos ſeorſum rapiebant, manibusq́ & pedibus & ceruice deuinctis proſternebant, excarnificabantq́, & ſecus uiam quandam ad exteriorem partem raptatos tribulis lacerabant. Hęc ex Platone uellicatim, ne longius abiremus, excerpta collibuit potiſſimum hic ſubnectere, quod inſint euangelicæ ueritati pleraq́ minime diſſentanea.

Mentis ęſtuatio grauior ne ſit quàm afflictio ex igneo proueniẽs tormẽto. Vermis apud theologos quid, & clibanus apud Gregorium. Doloris ratio. Cap. XIIII

SOlẽt Chriſtiani patres quęſtionem agitare, uermis ne ſupplicium animam grauius lancinet conuellatq́, an ignis. Ne quem uero inſolens dicendi modus ſuſpenſum diutius habeat, Vermis appellatione putant conſcientiæ remorſum ac uellicationem quandam, perpetim nos infeſtantem, ac perpetrati facinoris commonentem: quam ideo ſic nuncupandam cenſuerunt, quòd ex peccati putrilagine conſurgat, ſicuti cõputreſcente cadauere ſuccreſcũt inde uermiculi. Hunc uero mentis æſtum ignis uſtionem longe exſuperare, ſic fermè colligunt: Doloris, inquiunt, acerbitas tribus maxime capitibus perpenditur. Primum eſt, magnitudo adnexi mali: ſequens eſt, potentia recte apteq́ parata inſtructaq́ ad eius mali patientiam: poſtremum eſt, arctus uehemensq́ cum potentia eiuſmodi affligentis & exulcerantis mali nexus. Hic maximũ, quo excarnificetur anima, malum eſt, perfectionis priuatio carentiaq́ ad quam erat apta & nata. Hanc uero damnata certiſſimam concipit anima. Ea ſic apprehenſa, maxima euadit calamitas, bonæ ipſius animæ diſpoſitioni longe infeſtior, quàm ignis actio: quando affectioni eiuſmodi paratior anima uertitur, quàm igneis tormentis: neq́ enim à natura aptitudinem habet ignis, qua conflictetur ſpiritalis potentia, niſi ut diuinæ organum ſanctionis. At ſpiritale malum affligere animam per ſe & immediatè poteſt. Coniunctio aũt ac nexus exuperantiam habent inſignem, quoniam per intellectum apprehenſio longè cooritur acrior, quàm quæ per ſenſum. Vermis porrò hic animæ præſentius ſeſe ingerit, quàm ignis. Neq́ enim corporea illabi animæ ſic queunt, ut ſpiritalia. Quod uero illi eſt præſentius, quodq́ cognoſcitur perfectius, acrius ualidiusq́ etiamnum coniungi cenſendum eſt. Proinde Moraliũm quintodecimo Gregorius clibanum intrinſecus ardere ſcribit, eiuſmodi mentis ęſtuationem clibani uocabulo ſignificans: cuius ignis, utpote occluſus, flagrantior multo &

& urens grauius intelligi debet. Adde, quòd ſpiritalis iucunditas corpoream longè excedere agnoſcitur. Nam ſicuti Bernardus in Epiſtola ad proprios parẽtes ſcriptum reliquit, Guſtato ſpiritu, neceſſe eſt deſipere carnẽ: affectanti cæleſtia, terrena non ſapiunt, æternis inhianti faſtidio ſunt momentanea. Illa uerò pœna grauior, infeſtiorq; eſt, quæ maiori opponitur delectationi: propterea quum ſit uermis ſpiritale ſupplicĩ, amplius, odioſiusq; igneo tormento etiam colligi debet.

Memoriæ excellentia. Item de reminiſcẽtia. Sepulchra legiſſe, quid ſit. Memoriæ uel intenſæ uel remiſſæ ratio. Quintilianus & Maro declarãtur. Plutarchi locus reſtituitur ex uita Iunioris Catonis. Cap. xv

MEmoria, neceſſarium maximè uitæ bonum, & theſaurus eloquentiæ, ac tanquam lumen aliquod, res eſt ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis, in quam primum ſenectus incurrit: ſæpeq;, ut Plinius inquit, tentatur deficere, & meditatur, uel quieto corpore ac ualido. Somno quoq; ſerpente computat, ut inanis mens quærat, ubi ſit loci. Immo uerò hinc adagioni occaſio data, ut eum qui memoria ſit nulla, ſepulchra legiſſe dicamus. Nec ſepulchra legẽs, inquit apud Ciceronẽ Cato, uereor (quod aiunt) ne perdam memoriam. His enim ipſis legendis redeo in memoriam mortuorum. Eſt profectò huius potentiæ natura miranda. Subitò uetuſta ex longiore interuallo reuocata ingerũt ſeſe, atq; exhibent, interim ſponte, interim id ipſum agentibus nobis, ac meditantibus, ſæpe & interquieſcẽtibus. Excidunt quandoq; proxima, inhærent affixa, quæ uetuſta ſunt, heſternorũ obliti, acta pueritiæ in digitos mittimus. Quod requiſieris, altius illatebrare ſe atq; recõdere animaduertitur: mox aliud agẽti reddit ſe, atq; offert. Nec manet ſemper memoria, ſed aliquando ueluti poſtliminio redit. In quibuſdam animaliũ propè nulla. Cerurario quamuis in fame mandenti, ſi reſpexerit, obliuionem cibi ſubrepere aiunt, digreſſumq; aliud quærere. Inter nos uerò quibuſdam tanta, ut nihil nõ ijſdem uerbis reddatur auditum. Hanc in ſe ipſo eatenus florenter excelluiſſe ſcribit Seneca, ut non ad uſum modo ſufficeret, ſed in miraculum uſq; procederet. Nam duo millia nominũ (inquit) recitata, quo ordine erant dicta, referebam: ducentos quoq; uerſus, ab ultimo incipiens recitabam. Docilitatis partes ſanè, ut ex Græcis tradunt aliqui, tres uidentur: anchinœa, id eſt ſolertia, memoria, oxytes. Eſt autẽ memoria, eorum quæ quis didicit, conſeruatio. Oxytes, mentis intelligitur celeritas. Anchinœa uerò, ubi ex ijs quæ didicimus, etiam quæ non didicimus, uenamur: quam Fabius, mentis agitationem uocauit. Ariſtoteles ſexto Moralium, anchinœam ab eubulia, id eſt conſultandi præſtantia diuerſam facit: quoniam ſit anchinœa euſtochia quædam, id eſt coniectandi excellentia. Memoriæ uim admiratus M. Tullius, inſigne putat diuinitatis argumentum: Quid eſt, inquit, illud quo meminimus, aut quam habet uim, aut unde naturam? non eſt certe nec cordis nec ſanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Anima ſit, animus ignis ue neſcio. Nec me pudet, ut iſtos, neſcire, quod neſciam. Quicquid ſit, iurarem eſſe diuinum. Quid, obſecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloſo & caliginoſo cælo, aut fata, aut concreta uidetur tanta uis memoriæ? An capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quo tanquam in aliquod uas, ea quæ meminimus infundantur? Abſurdũ id quidem. Qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi poteſt? aut quæ tanta omnino capacitas? An imprimi quaſi ceram animum putamus? & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mẽte ueſtigia? Quæ poſſunt uerborum, quæ rerum ipſarum eſſe ueſtigia? Illud uerò ex philoſophorũ ſcholis dignum relatu quoq;, Memoriam eſſe aliud, & aliud reminiſcentiam. Nam eſt & in brutis memoria, unde & prudentiam quoq; habere, in philoſophia prima colligit Ariſtoteles, uerum imperfectam, ſicut & memoriam. In hominibus enim tantum eſt reminiſcentia. Ea uerò eſt diſcurſus rerum cum ratione ab uniuerſalibus ad particularia, & à remotis à ſenſu. Vel indeptio, ac recenſio eorum, quæ in ſe memoria ſeruarit, memoriæ plerunq; uegetandæ gratia. Alexander Naturalium quæſtionũ tertio, Reminiſcentia, inquit, eſt ex perſcrutatione imaginis perueſtigatio, quæ corpori cohæſerat alias, cui anima ineſt ſenſiua. Sexto Naturalium Auicenna ſcribit, Cognoſcere aliquid ſibi fuiſſe, quod iam ſit abolitum, in homine tantum eſt, & in rationali poteſtate. Memoriæ uirtus ex quorundam ſententia duplex uidetur; facilè percipere, diu retinere. Illud ex

humecta contingit natura,hoc ex ſicca.Inde euenit,ut nonnulli facilius diſcant, quàm percepta cuſtodiant.Alij uerò ſecus, ut ad humiditatem uergunt, uel ad ſiccitatem.Et propterea Ariſtoteles, οὐ γὰρ οἱ αὐτοί εἰσι μνημονικοὶ καὶ ἀναμνησικοὶ, ἀλλ' ὥσπερ τὸ πολὺ μνημονικώτεροι μὲν οἱ βραδεῖς, ἀναμνησικώτεροι δὲ οἱ ταχεῖς καὶ εὐμαθεῖς. hoc eſt, non in eiſdem memoria uiget,ac reminiſcentia:ſed plurimum ingenio tardi memoria ualent, dociles autem reminiſcentia.Cuius ratio eſt,ut inquit Thomas,quia diuerſę hominum habitudines ad animæ actiones ex diuerſa proueniunt corporis diſpoſitione.Videmus autem ea,quæ difficulter ac tardè impreſſionem recipiunt, ualidè perſeueranterq; eandem cuſtodire,ut eſt lapis.Quæ uerò nullo admittant negotio, haud pertinaciter retinere,uerum tota facilitate remittere,ut cera,aut aqua. Et quia nil prorſum aliud memoria eſt,quàm perceptorum retentio conſtans: inde eſt, quòd hebetium adminiculatior firmiorq; memoria eſt.Acutorum uerò ac uelocium imbecillior, ac magis lubrica.Cæterum in iſs reminiſcentia longe præcellens. Cõmonendi uerò parte hac legentes ſunt, Ariſtotelis ſententiã ad uerbum ferè ab Plutarcho in uita Catonis Iunioris exſcriptã, ſed ab interprete ita corruptam, ut quo diſcerniculo memoria ab reminiſcentia ſeiungatur,haudquaquam uideatur perſenſiſſe.Galenus poſt Hippocratẽ ſummus artis medicæ in Microtechne,cerebrum tenuitatis contemperatæ eſſe memoriæ fomitem,cauſamq; præcipuam arbitratur,quoniam craſſiore parte illa, obrepat obliuio,qua humectiore item hebeſcant ſenſus,ſicciore autẽ euadant liquidiores. Vnde apud Cæcilium in Epiclero:Ita ne Antipho proflua fide, itán' eſt immemoris, itán' eſt madida memoria? Porrò Auicenna item ſexto Naturalium tradente, egregia illis ſuppetit memoria, quorum animæ multis non diſtrahuntur motibus, nec conuellitur cogitatio. Quæres planè efficit,ut pueri,quamuis humectioris ſint naturæ, pertinaciter tamen retineant, quæ imbiberint. Simul & propter motus uehementiã,ut adijcit beatus Thomas. Nam & quæ miramur,amplius memoriæ adglutinantur affiguntur q;. Admirantur autem ſe rè omnia pueri,ut quibus noua ſint ac inſolita.Hoc uerò eſt quod ſignificat Quintilianus,ubi natura eſſe nos tenaciores ait, eorum quæ à teneris annis imbibimus. Contrà uerò in ſenioribus,redundante humoris ui,contingit memoriam eſſe nullam.Sed & timentibus excutitur memoria,propter frigiditatem humores congelantẽ, quibus coeuntibus concreſcentibusq;,nulla recipi impreſſio poteſt. Quod autem Ariſtoteles ait, Eſſe memoriam præteritorũ tãtum, quoniam quæ adſint,uel ſentire dicamur,uel ſcire: aduertendum eſt,id ad perceptionẽ noſtram referẽdum uideri,qui ſenſimus prius,uel percepimus,ſiue præſens id ſit,ſiue non. Etenim recordari poſſumus non eorum modo,qui iam naturæ conceſſerint,ſed ſuperſtitum quoq;,ſicut & ſui ipſius meminiſſe aliquis dicitur:unde illud eſt Virgilianum,

Nec talia paſſus Vlyſſes,
Oblitus ue ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto.

Auguſtinus,ne hoc item tacitum prætereamus, modo eſſe memoriam ſcribit animum, modo uentrẽ animi,cuius aula ſit ingens & oppidò quàm admirabilis. Idem nunc memoriæ cauernas nuncupat,nunc antra,uel etiam ſinus.

Reminiſcentiã quibus rationibus induxerit Plato.Item de memoria quæ piam.Notio quid,ſeu prolepſis.Animos fuiſſe ante corpus,an ſentiat Ariſtoteles.Omnia orta occidere,quomodo intelligendum. Mnemoſyne cur Muſarum mater. Cap. XVI

QVoniam uerò pro uirili ex antiquorum decretis de memoria prolibauimus nonnulla,quæ legentibus futura & uoluptati rebamur & emolumento,reminiſcentiam quoq; breuiter attigimus: quod uerbum ἀπειρόκαλοι neſcio qui, ut culpatius, eſſe opinantur nouitatis duræ & illepidæ, hac præſertim ſignificantia:nunc ſubijt,facturum me non abſurdè, ſi Platonis eminentiſſimi philoſophi ſententiam,illi quidem duplariam,hiſce adnotamentis ſubtexuiſſem: quam tamen exagitant plurimũ Peripateticæ ſcholæ, explodunt & Chriſtiani patres, ut planè ſimplariam.Quibus nos & parte hac, & reliquis omnibus calculum adijcimus noſtrum, id demum aſſerturi,quòd ab illorum ſcitis ne latum quidem unguẽ fuerit abiunctum, ne quis protinus litem meam facere opinetur me: præfati tamẽ id, ſi quis eius philoſophi

phi ſenſa, rationesq; amplius libret, exploratiusq;, riſu haud quaquam uiſum iri dignas, quod ex triuio ſuſpicantur plerique philoſophiæ myſteriis ſemĩnitiati, neq; hoc nomine condigni ſatis, qui tantum uirum cenſuræ ſuæ ſupercilio tumenti oneroſoq; ſubijciant. Verum reſectis ijs, uideamus quid de reminiſcẽtia apud illum aſtruat Socrates. In Philebo igitur, motum communi corporis & animæ affectu factum recte appellari ſenſum putat. Senſus uerò conſeruationem, dici aptiſſimè memoriam. Verum ab hac diſcrepare reminiſcentiam: eo quidem præcipuè, quia quoties quæ cum corpore paſſa eſt anima, eadem ſine corpore in ſe ipſa reſumens animaduertit, tunc reminiſci eam aſſeramus. Quin etiam quando memoriæ paſſa iacturam, deinde uel ſenſu uel diſciplina monente, eam iterum reuocat in ſe ipſa, reminiſci putatur. Sed & in Phædro apertius paulò: Oportet, inquit, hominẽ intelligere ſecundum ſpeciem, ex multis procedentem ſenſibus in unum ratiocinatione conceptum. Hoc autem eſt, recordatio illorum, quæ olim uidit anima noſtra cum deo perfecta, & illa deſpiciens, quæ nunc eſſe dicimus, & ad id quod uerè eſt, ſurſum reflexa. In Phædone porrò fuſius aſtruit, diſciplinam noſtram non eſſe aliud, quàm reminiſcentiam: quia uixerint animæ antè corpus. Duabus uerò præcipuè rationibus dogma hoc corroboratur. Prius quidem, quia rectè interroganti, ſæpe uera de ijs quæ nunquam didicimus, reſpondemus. Nec uerò fieri ullo modo poſſe, ut à pueris tot rerum atq; tantarum inſitas & quaſi conſignatas in animis notiones, quas ἐννοίας uocãt, haberemus: ni animus ante quàm corpus intraret, in rerum cognitione uiguiſſet. Quum notionem dico, ſiue prolepſin, intellige ex Boethio in Topicis, Intellectum quendam, & ſimplicem mentis conceptionẽ, quæ ad res plures pertineat à ſe inuicem differentes. Deinde quoniam ex notitia eorum quæ ſentiunt, ſubita quadam abſtractione in notitiam aſcendimus idearum, ceu cognoſcendo hæc æqualia in ipſius æqualitatis cognitionem, ubi cognoſcimus deficere hæc ab illis, atq; adniti ſimilia fieri: quumq; id agamus per omnem uitam, neceſſe eſt, ideam ipſam ante ortum nos habuiſſe: neque enim perfectæ rei notitiam ſubitò ex imperfectis accepimus. Cæterum adnectamus ijs, quę uir doctiſſimus aduerſus Platonis calumniatorem libro tertio, ingenioſe apteq;, ac ut Græci dicunt εὐβόλως, ſcribit Beſſario: ut intelligamus philoſophum hunc reminiſcentiæ aſſertionem non fruſtra eſſe adortum. Ratio, inquit, reminiſcendi, aut recordandi illa Platonis per generationem non contemnenda eſt, ut aduerſarius putat. Quis enim immortalem atq; æternam ſtatuens animam, & longe ante corpora præexiſtentẽ, negare poſſit eam ſcientiæ plenam eſſe? & rerum omnium intelligibilium ſpecies in ſeſe habere? Obliuiſci autẽ earum, quum corpori unitur, ob nimiũ materiæ fluxum. Rurſumq; doctrina & ſtudio atq; exercitatione reminiſci, nec niſi prouecta iam ætate fluxu materiæ uel ceſſante iam uel potius refluẽte. Nam & philoſophus Arabs Auerrois agentem intellectum, quem unicum omnibus, & immortalem tribuit, cenſet omnium ſpecierum, ut ſic interim uerbo abutamur, ſemper pleniſſimum eſſe, ſemperq; adeptum eſſe: ſed quatenus corpori coniunctus eſt, per uaria phantaſmata uariè intelligere, quin etiam aliquando quidem intelligere, aliquando uerò minime. Nec ſanè Ariſtoteles ipſe ab huiuſmodi opinione reminiſcẽtiæ longius uidetur abeſſe. Quippe uerba illa ex ſeptimo Phyſicorum ad hunc etiam ſenſum accommodari poſſunt: ut ſcilicet omnibus ſedatis perturbationibus, ſiue affectibus prauis, ſublatisq; impedimẽtis incipiat anima ſcire & ſapere. Scientiæ primæ acquiſitio, inquit, non eſt generatio: ſcire enim, ſapereq; dicimus, eo quod quieuerit & conſtiterit intellectus. Ad quieſcendum autẽ nulla eſt generatio, nulla enim mutatio eſt. Tabulæ autem illa ſimilitudo non ad ſimpliciter eſſe intellectus referenda eſt, ſed ad corpoream actionẽ, ad quam intellectus perinde ſe habeat ac tabula, in qua nihil ſcriptum. Nihil enim cognitionis phantaſmatariæ poſſidet, ſed in potentia eſt ad cognoſcẽdum per phantaſmata. Aut ad ſcientiæ primæ acquiſitionem per quietẽ & conſtantiam intellectus illa tabellæ ratio referri debet, quam reminiſcentiæ nomine Plato ſignificat. Nam reſpectu quidẽ ſpeciei ipſius refertus ſemper ſciẽtia eſt intellectus, neq; aliter Ariſtoteles, quàm Plato hac de re ſentit, quod & Auerrois comprobat Commento quinto, ſuper tertio De anima libro. Porrò uixiſſe ante corpus animas, Origenis dogma eſt, quum ſæpe alias, tum περὶ ἀρχῶν tertio confirmatum. Platonici decreti meminit & Boethius: Quòd ſi,

inquit, Platonis Musa personat uerum, quod quisq; discit, immemor recordatur. Sed & Hieronymus significat, ubi ait, Philosophorum scitis contineri, discentias esse reminiscentias. quin Naturalium primo Macrobius, Si animæ (inquit) memoriam rerum diuinarum, quarum in cælo erant conscíæ, ad corpora usq; deferrent, nulla inter homines foret de diuinitate dissensio. Sed oblíuionem quidem omnes descendendo hauriunt, aliæ uerò magis, minus aliæ. Hinc est quod quæ apud Latinos lectio, apud Græcos ἀνάγνωσις uocatur, id est repetita cognitio: quia quũ uera discimus, ea recognoscimus quæ naturaliter noueramus ante, quàm materialis influxio animas inebriaret. Ea nãq; non uidet animus, quum repentè in tam insolitũ, tamq; perturbatum, ut Cicero inquit, domicilíũ immigrauit. Sed quum se collegit atq; recreauit, tum agnoscit ea reminiscendo. Animos tamen ante corpus fuisse, haud sentire creditur Aristoteles, quamuis corrupto corpore, uti quibusdam placet, perpetuos demonstret ac immortales, nec inficiatur, Omnia in ortum prodeuntia occidere. At ortos esse animos, id non pernegat: quippe gigni atq; oriri & creari, idq; genus alia ex materiæ potentia prodire ueteribus innuebant. Animos uerò de materiæ non educí potentia, liquet: quoniã ubi in utero corpus humanum uegetatrice ac sensili anima perfectius euaserit, tunc ex nihilo innascitur animus, ac productus affunditur. Nam primo De animæ historia, sic cõperias scriptum: Intellectus, inquit, innasci uidetur, substantia quędam existens, nec corrũpi: nam hebetatione quam senio contingere, dilucet, corrumperetur. Verum non eo obtingit senectus, quoniam passa sit anima: sed id, in quo. Et mox: Intellectus, inquit, diuinius quiddam est forte, ac impassibile. ubi pro intellectiua anima, dici intellectum interpretantur: quando de potentijs minimè agitur inibi, uerum de anima tota. Quod autem adiecit, forte, ad modestiam referunt, propter multos, aut quia necdum plenè erat demonstratum. Suffragari & magnitudo rei potest, ac sententiæ nouitas, nec scholis trita. Quoniam uerò Platonis reminiscentiæ satisfecimus, adijciamus de memoria illud quoq; Pythagoreos tradi, uegetandæ exercendæq; memoriæ gratia, quod quoq; die dixissent audiuissent, egissent, uespere solitos commemorare. Quod à M. Tullio item relatum scio. Plutarchus uerò in Commentariolo περὶ παίδων ἀγωγῆς, nil prius memoria exercendum in pueris, scribit, quod ea sit eruditionis ταμεῖον, id est proma quædam cella thesaurusq;: quo argumẽto, confictum ueteribus, Musarũ matrem dici Mnemosynen.

Puteal quid sit apud Persium & Horatiũ. Statio dicta ὑπὸ φρέατι. De puticulis, putearijs, terræ corijs. Perpenditur locus Senecæ in Thyeste. Interim quid tereusis, celonium, ciconia, puteos aperire. Cap. XVII

QVid sit puteal apud Persium & Horatium, non ferè uideo inter grammaticos constare, immo partim eorum commentitia sunt, quę à plerisq; afferuntur in album, partim quæ anchoram ne sacram quidem habeant qua subsistant, & conuellentium reflatus contemnant. Nos quod ad eam rem indagine uaria uenati sumus, iam hinc promemus: si poetarum prętexuerimus uersiculos, & fluctuantes interpretum sententias. Persius igitur sic:

Si puteal multa cautus uibice flagellas.

Alter uerò sic:

Forum putealq; Libonis Mandabo siccis.

Audio quosdam scribere, puteal, prætoris tribunal subsellíumq; esse. Acron refert, esse locum ad quem conuenirent fœneratores. Porphyrio, sedem fuisse prætoris prope arcum Fabianum, ita nuncupatum, quia à Libone illud primum tribunal & subsellia collocata fuerint. Est qui interpretetur dici puteal, quòd ibi creditor debitori dans bona, tanquam in puteum mittit. Ego uerò in ueterum libris comperio, in comitio in gradibus ipsis ad læuam curiæ, fuisse Actij Nauij statuã, capite uelato, quo in loco is cotem nouacula discíderit: qui locus, inquit Dionysius, uocatur à Romanis puteus, ubi ara est subterranea. Cicero autem in Diuinationibus: Cotem, inquit, & illam nouaculam defossam in comitio, supraq; impositum puteal accepimus. Est uerò puteal, sicuti apud Iurisconsultum obseruauimus, Pomponium, Digestis de actionibus emptorum & uendi torum, quo putei operiuntur: hoc est, ueluti umbella quædam aut petasus, qualẽ pyramidibus impositum, Plinius scribit: qualisq; in Patauino uisitur foro concinne fastigatus, prætereq; plumbeis inductus tabellis. Inibi uerò iudicia exerceri solita, neminem puto

puto latere, quum locus is in comitio foret, quod inde appellatum Varro ſcribit, quia illuc coirent comitijs curiatis & litium cauſa. Puteal hoc non omiſit item Ouidius,

Si puteal, Ianumq; times, celeresq; calendas. Et Horatius item alibi,

Roſcius orabat, ſibi adeſſes ad puteal cras.

P. Victor in regione Vrbis octaua, puteal cõſtituit Libonis & Ianos duos, qui (inquit) locus erat mercatoribus frequens. Inuenio in Græcorum theſauris, fuiſſe in Attica iuri dicendo ſtationem, ſiue iudiciale forum: quod diceretur ἐν φρέατι, id eſt in puteo. In eo cauſæ reorum agitabãtur, qui cædis inuoluntariæ ſemel accuſati, rurſum ſponte admiſſi facinoris iudicium ſubirent. Erat uerò in mari locus is & forma iudicij inuſitata. Naui illuc uectabatur reus, ex qua etiam cauſam dicebat ita, ut nuſquam terram attingeret. Immo nec ullis anchoris nauigiũ licebat infrenare, nec pontem mittere. In Exquilijs præterea, uel ultra potius, ut Varroni placere animaduerto, Romæ locus publicus erat, quem Puticulos uocabant: quoniam illic eſſet ſepulchrũ miſeræ plebi. Quod in Sermonibus Horatius ſignificat, & Acron expoſuit: nam eo in loco uſtrinas fuiſſe publicas, ſcribit Porphyrio. Antiqua uerò ſepulchra in puteorum morem ſolita excauari, non latuit Pompeium Feſtum, unde & inflexum puticulorũ nomen, liquet, ni cõiectet quis, quod inibi computreſcerent cadauera. Putearios uerò à Plinio dici puteorum excauatores, multos ſcire arbitror. Eos Græci φρεωρύχους uocant, aut etiam φρεωρύκτας. Phillylius drama concinnauit, cui titulus Phreorychi fuit. Apud quem obſeruatum eſt, puteariorum inſtrumentum dici tereuſin. Puteum fodit, in mathematicum concinnatur, prouerbiali facie, quando hoc genus ex puteorum umbra cæli medietates captat, id eſt τὰς μεσουρανήσεις, quod σκιοθηρεῖν dicitur. Phreata ſunt item pocula ingentia. Organon, quo ex puteo hauritur aqua, celonium inuenio appellatum. Coniam quidam Latinè dicunt. Puteos aperire, poſitum elegãter apud Iureconſultos pro excauare. In puteorum autem aperiendorum ratione coria terræ obſeruari ſolere, præcipiunt eruditiores, quo uerbo tectoria & ſtatumina quædam craſſiora, quibus item alia & alia ſubſunt, ſignificari, certum eſt. Nam in parietum ſtructura, coria dicuntur Vitruuio, quæ circulus pullatus plebeia uoce curſus nuncupat. Poſtremò in hac puteorũ mentione adnotanda eſt Strabonis hiſtoria. Qui Danai filias ſcribit, ſumma ſolertia apud Argos adinueniſſe puteos, quum ciuitas ea in loco iaceret arido, teſtante id ipſum Græco uerſu, ἄργος ἄνυδρον ἐὸν λαναὸς δίσσαι ἄργος ὕδρευε.

Argos aquis uacuum Danaæ ſtruxere redundans. Hoc uerò non ut reconditum huic loco impegimus: ſed ut opem Senecæ ferremus, quem etiam in leuioribus, quæ uel infra plebeiam ſunt eruditionem, quod pudendum eſt, implicãt potius, quàm explicent quandoq; interpretes. Eſt in Thyeſte uerſiculus hic,

Timentq; ueterem nobiles Argi ſitim.

Inibi interpretes, Veterem ſitim, ne iterum tanta ueniret ſiccitas, quanta fuit tempore Phaethontis. Ex errato tam futili coniectare iam quilibet poteſt, quid deniq; in eiuſmodi exchartabulis ſtudioſus lector ſperare poſſit, etiam ſi lactis gallinacei hauſtũ ſubinde promittunt, & quoniam de puteis mentio eſt, tanquam ἀγαμεμνόνια φρέατα, ſed quæ uel carie ipſa ſint carioſiora.

Ageſilaum rectè legi apud Lactantiũ inter Plutonis cognomenta. Lagetas Pluto cur, & leptynis. De orco, & orcinianis, & thynno paucula, & hypogaſtrijs. Horcinus quid. Cur Summanus. Sunium quid, Item de Apolline & Plutone plura. Agyieus columna. Agyiatides aræ, uel Therapnæ. Interim φοιβάζειν quid. Phebẽ poni pro aqua. Agyia quid. Opſophagus Apollo. Sorani Hirpini cur. Tranquilli locus in Auguſto de Fœde liberta.

Cap. XVIII

LActantius inter Chriſtianæ ueritatis aſſertores eloquentia maximè illuſtris, Diuinarum inſtitutionũ primo, ſic ſcriptum reliquit: Ergo illud in uero eſt, quòd regnum orbis ita partiti ſortitiq; ſunt, ut Orientis imperium Ioui cederet. Plutoni, cui cognomen Ageſilao fuit, pars Occidentis obtingeret: eo quod plaga Oriẽtis, ex qua lux mortalibus datur, ſuperior, Occidentis autem inferior eſſe uideatur. Sic ueritatem mendacio uelauerunt, ut ueritas ipſa perſuaſioni publicæ

nihil denegaret. De Neptuni ſorte, manifeſtum eſt, cuius regnum tale fuiſſe dicimus, quale M. Antonij, cui totius oræ maritimæ poteſtatem ſenatus decreuerat. Hactenus ex Lactantio. In cuius uerbis nil non elegans & excuſſum. Non deſunt tamen (de doctioribus loquor, proindeq; haud naſo ſuſpendendis) qui uitilitigent, interpolatamq; lectionem arbitrati, uelut munus fundi ſuburbani inſtar ſtudioſis allaturi, ubi ſcribit auctor, Plutoni fuiſſe Ageſilao cognomen, diſpuncta prorſum nihili (ut ipſi cenſent) dictione, pro Ageſilao ſubſtituunt reponuntq; Agathilyum, ueluti bona ſoluentem, aut Agelaſtum, quod triſtem nobis indicat, ut qui rideat nunquam. Horum ego ſtudium in propaganda bonarum artium eruditione ita laudo, ut etiam admirer. Neq; enim γ χῶ ξυρεῖν unquam placet, uti lectum apud Sophoclem eſt, aut benè doctis ἀντιμαχεῖν me parare, aut diaſyrticæ orationis ſtropha hunc illum mordicus proſcindere. Maximum porrò Thraſeam crebrò dicere ſolitum accepimus, Qui uitia odit, homines odit; quoniam ſit omnibus error familiaris. Proinde Timæum hiſtoricum legimus ita proſciſſum à poſteris, uti ex allatrandi ſtudio cognomento obtrectatoris fœde ſugilletur. Eiuſmodi curam ſi ſtudioſiſſimus quiſq; ita affectaret, ut imitaretur: benè utiq; de literis, Barbarico aſſultu magna parte concuſſis demutilatisq;, ſperandum foret. Modo id inſuſurrari paterentur, Lynceo quidem minutiſſima quæq; expenderent, uerum penſi culatius ſuo uterentur iudicio: nec ita amarent, ut ſi uitus ac ratio ſic ferant, allidere nequeant. Cæterum redeo ad Lactantiũ, apud quem nil uideri interpolandum, aut obelo confodiendum, mox liquebit. Sed aſteriſco illuſtrandum potius, modo ne ἀναβαλλω interim obdormiſcamus. Inter cognomẽta igitur Plutonis etiam Ageſilaum fuiſſe, norunt (opinor) qui Græca ſolertius paulo rimantur: nam ne cui in hac re aqua hæreat, & Tenediorum libertatem ſecuri præcidamus tenedia, apud Callimachum legitur, φοιτῶσι μεγαλῳ ἀγεσιλαΐῳ. hoc eſt, ad magnum tendunt Ageſilaum. Quem locum exponẽtes grammatici, & Methodius in primis, etiam etymi ratione id comprobant, εἴρηται δὲ, inquiunt, παρὰ τὸ ἄγειν οὓς λαοὺς, ἄρχει γὰρ τῶν θανόντων. ſic nuncupatur, quòd populos ducat: eſt enim mortuorũ imperator. Iam hæc apertius narrantur, quàm ut hæſitationi locus omnino reliquus fiat, niſi quis optet εἰς οὐρανὸν πτερύσαι, quod eſt in cælum ſagittas excutere, aut ex harena funiculum nectere. Verum adeo refractarios non arbitror, ut ordiantur, quod Plutarchus inquit, τὴν σκιὰν καταμετρεῖν, id eſt umbram metiri: quando in Dipnoſophiſtis Athenæus ab Aeſchylo Plutonem dici Ageſilaum ſcribit. Sicuti in Pythijs ab lyricorum facilè principe Pindaro, lagetas dicitur ratione conſimili, ἐπὶ πάντας ἄγει λαούς. ſiquidem eius pontificio ſubijciuntur omnes. Pindari carmen id eſt, λαγέται γὰρ τοι τύραννον ἕρκεται.
Vocant item Leptynin Plutonem: ſed Proſerpinæ cognomen id adoptant alij, quoniã morientium attenuet corpora. Verum & anima ſic ualet nuncupari, quia pręterenuis ſit, ac uelut aerea. Ad inferni porrò regis cognomentum alluſiſſe uideri poteſt Attelanarum Poeta, ubi ait, Orcus uobis ducit pedes. quo ſignificatur admoueri iam lineas, & letifera ingruere pericula. Quod oblique in Romanum ſenatum quandoque pronuntiatũ legimus, cui Nero, tanquam orcus erat infeſtiſſimus, eumq; ordinem ſublaturum ſe quandoq; de republica crebrius interminabatur. Orcum uerò dici Plutonẽ puto, neminem latet: nam inde M. Tullius conſceleratiſſimum Verrem, omnis diuini humanique iuris corruptorem, qui ſacra publica priuataq; hoſtiliter deprædaretur, ac in omnem ætatem & ſexum indiſcriminatim debaccharetur, Orcum alterum appellauit. Sed & Orcius theſaurus, pro Catonio, hoc eſt inferno, ab eruditis dicitur; ſicuti Næuius epigrammate atteſtatur illo, quod ſibimet uiuens concinnarat:
Itaq; poſtquàm eſt Orcio traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ Latinè loquier.
Orci tamẽ legebat Minutianus Cæcilius in libro De orthographia. Hinc illud eleganter à Varrone dictum Ruſticæ rei primo, de peſtilentibus locis: Etenim ubi ratio cum Orco habetur, ibi non modo fructus eſt incertus, ſed etiam colentium uita. Ex hac item doctrina Valerio Martiali, orciniana ſponda, pro ſandapila ponit, ſiue pheretro. Sunt tamen qui non ab Orco, id eſt Plutone: ſed ab ἕρκος, quo ſeptum ſignificatur, quod & orcana dicitur ab ἕρκω, nomen id deducant, & capulum ſiue thecam ex impoliti-
bus

bus lignis, aut etiam uiminibus cõtextam compactamq́ autument signare: quod si est, aspirabimus primæ: nisi quod in Oratore aliud Ciceroni est uisum. At Valerius Probus flatilem admittit. Martialis uersus hi sunt,

Vocet beatos, clamítetq́ felices,
Orciniana qui feruntur sponda.

Orcinos libertos Iureconsulti ipsius testatoris interpretantur, qui iam sit in Orci familiam ascriptus, & in peculio Proserpinæ connumerandus. Hoc, inquit Vlpianus Digestorũ uigesimosexto, in omnibus Orcinis libertis locum habet, testamento manumissis. Et hæc directa nuncupatur libertas, quam dominus statim contribuit, sicut obliqua uel fideicommissaria, quæ danda mandatur hæredi. Caius tamen Orcinius Romanus ciuis in Oratione pro Cluentio est apud Ciceronem. Orcum ab urgendo dici, Pompeius Festus asseruit: quod in interitũ omnia præcipitet. Propterea de eo Claudianus,

O maxime noctis
Arbiter, umbrarumq́ potens, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis & semina præbes.

Sed & Papinius:

O cunctis finitor maxime rerum,
At mihi qui quondam causas, elementaq́ noram,
Et fator.

Nam & Ouidius,

Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima cunctis.

Sunt qui thynnum iam grandiorem horcinum uocent, maximum uerò cete. scribit Archestratus prope Samum capi thynnos uisenda magnitudine, quos horcinos uocent quidam. Est autem thynnus uelut marinus sus, quando glandibus pinguescit. Laudantur in eo, quæ hypogastria uocantur. Porrò quum Plinius Naturalis historiæ secundo scribit, diurna fulmina Iouí à Romanis ascribi, nocturna autẽ Summano: sicuti & quarto Ciuitatis diuinæ cõprobat Augustinus quoq́: intellige item eo nomine Plutonem ex Martiano De nuptijs Philologiæ libro secundo, quẽ ita nuncupant, quasi summum deorum manium. Summanum in fastigio Iouis optimi maximi de cælo tactum fuisse, in Diuinationibus Cicero scribit. At Plautinus ille Curculio: Quia (inquit) uestimenta, ubi obdormiuerim ebrius, summano: ob eam rem me omnes Summanum uocant. Summanus quí nam sit deus, addubitasse uidetur Ouidius, quum Fastorum sexto, decimotertio calendas Iulias templum illi sacratum scribit,

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur
Tunc, quum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Sunium uero ad Summanũ pertinet nihil: id uero est teli genus Diodoro, quo ab Spithrobate Persa uulneratum scribit Alexandrum. Plutarchus in libro περὶ τοῦ εἰ ἐν δελφοῖς, quod equidem scitu arbitror dignum, Apollinis nomine summum accipit deum, qui unus sit ac simplex: ac propterea dici Apollinem, quasi multitudinis nescium. Nobis enim aggregatio ex diuersis & omnifaria, ac uelut panegyrica, peculiaris est. quod est, Vnum esse oportet. Proinde Phœbum item nuncupant, uelut purum syncerumq́: hoc nanq́ ueteribus indicat uerbum id, unde & Thessali sacerdotes diebus nephastis, αὐοῦν ἐφ' ἑαυτῶν ἐξώδια τρίβοντας φοιβονομεῖσθαι dicunt, id est ipsos exodia secum atterentes puritatem consequi. Vnum quippe syncerum est, mixtione autem unius cum altero pollutio consurgit. φοιβάζειν, abluere signat utiq́, aut aquis purgare, unde & Phœbe, aquam indicat, sed & purum quodcunq́. Diogenem quendam Tarsensem scribit Strabo, tragœdias solitum ἀπεφοιβάζειν, id est (ut ego interpretor) uelut quodam instincto oraculo effundere, argumento posito. Nam & φοιβάζειν, uaticinari est. Apud Herodotum historia quarta, Phœbolampus dicitur, à Phœbo instinctus, φοιβόλαμπος. Esse porrò immutabile, quoniã mutabilitas & corruptio suum agnoscat deum, uel dæmona potius: inter quos diuersitatem, nominum præcipue, colligi argumento. Alter enim Apollo nuncupatur, Pluto reliquus. Ille Delius, hic Aidoneus: ille Phœbus, hic uero Scotios. Apud illum Musæ, ac Mnemosyne: apud hunc Lethe, ac Silentium. Ille Theorios, & Phanæus: hic autem νυκτὸς ἀϊδίας, ἀφύλλοιο τε ὕπνου ποιμανῶν, noctis æternæ ac inertis somni dominus. Sed utriusq́ interstitium graphicè Stesichorus hisce uersibus exprimit, quibus inuicem eatenus dispescuntur diuaricanturq́, quantum Hy-

panis Veneto diſtat ab Eridano. Alterum enim luſus cantusq; amare ſcribit: alteri curas & ſuſpiria ſorte obueniſſe,

Μαλιστα παιγμοσυνας φιλεῖ μολπάς τε ἀπόλλων,
Κιθάρῃ τε σοναχάς τε ἀϊδλας ἔλαχε.

Apud Platonem, prouidentiam diuinam ad ſeparatas animas præcipuè pertinentem Plutonis nomine ſignificari putant, quæ puras animas bonorum ſuorum perpetuis illecebris rapiat adeo peruinciatq;, ut noſtra hæc haud repetant amplius. Probat autem Plato, animas penes Plutonem ideo arctiſſimo, Gordianoq; implicitas uinculo teneri, quoniam amatorio implicentur affectu, quem eſſe cæteris omnibus potentiorem nodum, in conuiuio & legibus comprobat idem philoſophus. Apollinem deniq;, ut Alexicacũ, colere ante ianuam, ueteris fuit moris. Certè Agyieus columna dicebatur inibi ſurrecta faſtigataq;, ei ſacra deo: ſicuti aræ quoque, quas Agyiatidas, quidam Therapnas nuncupant. Eſt autem Agyia, quę communi loquutionis proprietate ῥύμη uocatur, id eſt uicus. Scitu dignum illud quoq;, apud Eleos cultum quandoq; Apollinẽ Opſophagi cognomento, uelut gulonem dicas. Eius meminit Polemo, in ea quæ ad Attalum, epiſtola. Plutonem Soranum item nuncupatũ, obſeruauimus: ex quo & Hirpinos dici Soranos animaduertas, ueluti Ditis patris lupos: tum quia is deus inibi coleretur, tum quòd rapto uiuerent ex reſponſo. Quia uero Phœbe nobis ſeſe ingeſſit hoc capite, illud adnotauero in tranſcurſu: quam in Auguſto Tranquillus, Fedem appellat Iuliæ libertam: ab Dione in Auguſti rebus, φοίβῳ, id eſt Phœben, nuncupari duobus locis. Scribunt illud quoq; Græci, Plutonem dici Eubulum, & Eubulea, quòd mortalibus conſulere optime uideatur, curis ac laboribus coronide impacta feliciter. Dici & Clymenon, quia ſit cauſa τοῦ κλύειν: nam eſſe uocem, ictum aeris. Aerem uero, qui animas excipiat nuncupari ἀΐδα, ἀΐδα τὸ ἀειδὲς, ex obſcuritatis ratione.

Quid ſit apud Varronem poſtulio. Caput XIX

CAeterum illud obſeruationis non utiq; incurioſæ, quod apud Varronem De lingua Latina libro primo, ſunt qui Poſtulionem dici Plutonem credant, à poſtulando. Varronis uerba, ſi quis requirat, appoſui. In eo loco dehiſſe terram, & id ex ſenatus conſulto ad aruſpices relatũ, eſſe reſponſum, deum manium poſtulionem poſtulare, id eſt ciuem fortiſſimũ eódem mitti. Hactenus undecũq; doctiſſimus Varro. Qua in parte, quod bona uenia dictũ uelim, ſi quis amplius ab opinione iſta ſtandum putat, ego utiq; longè aliter ſentio: neq; enim expoſitio hæc ullis auctoritatum tibicinibus, ut ita dixerim, fulcitur obfirmaturq;. Ad eas uero, ut ad anchoram ſacram, in ſtudiorum hoc genus ratione ſæpe decurrimus. Sed ne ſim lingua largior quàm re, conabor à pauciſſimis animaduerſam difficultatẽ ita explicare, ut ne cæci quidem poſſint ab recto reuelli. Igitur apud Varronem libentius, poſtulationem legerim, quàm poſtulionem: niſi quis per conciſionem ita ueteribus ſolitum pronuntiari cõtendat. Nam quòd aliqui, ſtulionem legere uidentur, ni mendum exemplarium eſt, ratione caret: nec abſurdum minus, quà ſi ſambucam caloni aptaueris. Eſt autem poſtulatio, piaculare ſacrum, quod fieri antiquitus conſueuerat, ad auerruncandam deorum iram, facto prodigio aliquo, quod expiandum procurãdumq; foret. Id ne quis ambigat, auctore M. Tullio cõprobatur. Eo nanq; uerbo in quadam oratione bis eſt uſus, in ea quam prætexuimus notione: prius ſic, Exauditus in agro propinquo & ſuburbano eſt, ſtrepitus quidem reconditus, & horribilis fremitus armorum: de ea re ſcriptum eſt, poſtulationes decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cæleſtibus. audio, quibus diis uiolatis expiatio debeatur, ſed hominum ob quæ delicta, quæro. Alibi uero idem Cicero ſic, Mouet me etiam in hac caritate annonæ, ſterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris: & eo magis, quòd eodem oſtento Telluri poſtulatio deberi dicitur. Iis opinor, luce clarius patet, qui ſit Varronis ſenſus, quęq; lectio uera. Deguſtent modo hæc reguſtentq; bonarum literarum ſtudioſi, tantum adſit naſus aliquis (ut eſt apud Horatium) fatebuntur, nos recte odoratos: nec noſtra nos ſine riuali amare, aut plumbeo gladio aduerſarium adortos iugulare. Nam hiſtoriam comparẽ, ac uerbum penè idem in utroq; auctore omnis ambiguitatis nodum exſoluere, opinor, omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe. Sed ut plenius legitimè in literariam ſe palæ-

ſtram

ſtram inſinuantibus fauentes promereamur, addamus & grammaticam rationem, quę ipſa multum uidetur illatura lucis: dicitur à poſtulando, poſtulatio: quoniam turbata ſacri cuiuſpiam, aut ludorum ratione, ubi quid parum explorate curioſéue obijſſent: aut in re diuina, quid omiſſum ex ritu foret: per oſtenta quæ mox paulo inſequerẽtur, uidebatur numen, honoris inſtaurationem poſtulare. Id ita habere, Feſti quoq; confirmatur doctrina, conſimilia ferè tradentis: Fulgura, inquit, trium generũ ſunt, poſtularia, peſtifera, peremptalia: poſtularia, uotorum aut ſacrificiorũ ſpretam religionem deſiderant: peſtifera, mortem aut exilium denũtiant: peremptalia, ſuperiorum fulgurum portentorumq; ſignificationem perimunt. Cecinna quoq;, Seneca tradente, poſtularia interpretatur fulmina, quibus ſacrificia intermiſſa aut non ritè facta repetantur. Quod autem interpretari uidetur Varro, Poſtulionem eſſe ciuem fortiſſimum: non ita accipiendum tanquam hoc planè ſignificet uerbum id, quod abſurdum foret: ſed ea fuit aruſpicũ explicatio, à quibus reſponſum erat, deum manium requirere expiatoriũ quidem ſacrum, quod eſt poſtulatio. Inde adiectum, cuiuſmodi eſſet futurum id ſacrificij genus, quaue hoſtia portentoſus foret hiatus procurandus. Hæc ad obſcuriſſimi loci illuſtrationem excogitata nobis. Quòd ſi ex politioribus quiſpiã exactiore fultus ingenio, lectioneq; multipliciore inſtructior aduerſum hæc quod promat, excogitarit, dabo manus, gratiasq; teſtabor. Sciolos autem ex triuio nil moror, quibus myrothecia hoc genus putent: arrident amplius nugalia & pſyrica: ſed nil mirum, ſimilem nanq; habent labra lactucam. Et in trulliſſationibus arenato ſibi nimium placent, quibus ex inopia ad gypſatum aſpirare, uel marmoratum non licet. Quòd ſi rectè ſibi conſultum uelint, literario planè cedant foro, ac ſolum exilij cauſa uertant: quando uelut ad decoctorum loca reiecti, omnibus conſpicui prorſum ac deridiculi ſunt.

Opportunitatis in actionibus neceſſitas. Item de cauſa agente, ac ſuſcipiente. Ingeniorum diuerſitas unde ſit. De fortuna, & fato. Itemq; de Cleanthe, ac Xenocrate. Aureis armis aduerſus fortunam pugnare, quid ſit. Cap. xx

Ingulis actionibus, inquit Proclus, aliud cõuenit, aliudq; tempus ad hoc uel illud perficiendum. Eiuſmodi uero tempus eſt actionis cuiuslibet opportunitas, tanquam bonum atq; finem agẽtibus afferens & effectis. Quapropter Pythagorici primam quoq; cauſam, à qua omnibus bonum adeſt, opportunitatem nominauerunt: quippe cum omnibus, ut perfecta ſint, largiatur: omnia denicq; ſic coaptantur, dum cauſæ quidem perficientes ad perficiendum promptiſſimæ ſunt: ſuſceptura uero ad participationẽ expergiſcuntur, & illæ rurſum potentiam porrigunt perficientem: hæ autem potentiam aptitudinis à natura ſuſceperunt. Duplex enim potentia eſt, altera quidem agentis, altera patiẽtis: & illa mater eſt actionis: hæc uero perfectionis eſt ſuſceptaculũ. His uero exactè perſpectis, ſoluitur actitata inter doctiores de ingeniorum diuerſitate quæſtio: undeq; enaſcatur maior in uno, quàm in alio profectus. Admirantur plericq; eximiam in Platone ingenij fertilitatem, ac uim omnium capacem. Et rectè illi quidem, uerum quæ nam tantæ felicitatis excogitari fomenta poſſunt? Primum illa ipſa quam dicebamus, perficiens agens ue cauſa. Hęc autem ex ſummæ ſapientiæ profluit præceptore. Maxima hæc & præcellens ad capeſſendum ingenij cultum opportunitas, ſine qua res ipſa decoquit ferè: præſto eſt & altera, Temporis fœcundiſſima in doctrinis felicitas, qua non ferè alia feracior, ſiue excellentiũ uirorum copiam, ſiue monumẽtorum ſpectes. Cæterum Platonem ipſum necdum attingimus. In hoc præſtantis ingenij triplex afferri cauſa poteſt, humana, naturalis, diuina. Humana ex lege prouenit, educatione, conſuetudine. Quod ad educationem attinet, pueros impuberes, à medicis certatim & philoſophis obſeruatum, ſi affatim diſtendantur cibis, nimiumq; ſomno indulgeant, hebetiores inde euadere, ac tardiores: quin & corpora fieri improcera, deteriusq; multo adoleſcere. Id quod Varroni adnotatum quoq; in Logiſtorico eſt, quæ Capis inſcribitur, aut De liberis educandis. Naturalem elementorum præſtat, alimentorumq; diuerſitas. Attigit hanc & Proclus, ubi neceſſe ait, conſpiratu miro congruere naturam, intellectum, cauſas item diuinas. Has uidetur triplices intelligere, ex deo, dæmone, fato. Putat quidem Plato, ut à poſtremo ordiamur, cæli diuerſa à diuerſis tum ſtellis, tum dijs, id eſt angelis regi. Sed & identidem terras diuerſis ſubeſſe

ſubeſſe uel dæmonibus uel angelis inferioribus. Quin & cæleſtium rerum ſtudioſi, terræ plagas cæli zonis, urbes aſcẽdentibus accommodant ſignis. Propterea ingenij uim ex cælo item eſſe, ac ſtellarum poſitu & configuratione, colligunt. Quando ut ſcribit Manilius Aſtronomicôn quarto,

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaq́ per certos ſignantur tempora curſus,
Naſcentes morimur, finisq́ ab origine pendet.

Spiritus uero ſuperiores noſtris influere ſpiritibus, eo maxime probari argumento uidetur, quòd corporum ſupernorũ poteſtate, noſtra ſubinde euidenter agitentur. Quòd ſi ſpiritus illi in noſtros agunt, agunt inſuper & in corpora. Corporis uero humani affectio, undecunq́ fiat, eatenus redundat in animam, quatenus tam comparato, quàm naturali affectu ſeſe mergit in corpus. Porrò uim omnem atq́ uirtutem, ad nos demanantem à ſuperioribus in bonum tendere, aſtruunt eruditiores: uerum complexionis, ſiue rectius conſtitutionis, naturæ educationisq́ uitio corrumpi. Hinc Saturni grauitatem in triſtitiam, parſimoniam rigiditatemq́ labi. Martis magnanimitatem in audaciam temerè ſeſe periculis obiectãtem. Mercurialem induſtriã in uafricias ac uernilitates, Veneream charitatem in libidinem fœdam. Dæmonum uero rationes ita diſtinguunt, ut ſupremorum eſſe comprobent contemplandi uirtutem, medianorũ actionis ſolertiam, infimos ad concupiſcentiæ bonum nos allectare. Verum ijs omnibus poſſe nos tum recte, tum perperam uti, & proinde conſequi mox uel bona uel mala. Socrates, inquit Proclus, cum Alcibiade opportunè ad idem cõcurrit, huius opportuni congreſſus dæmon bonus cauſa extitit, opportunitatem Socrati conueniendi determinans. Verum qui ad hæc cæleſtia parum adhibent: quoniam ſub cælo tanquam cauſa uniuerſali, & Bœotiæ ſues enaſcantur, atq́ itẽ Attici philoſophi, proprias peculiaresq́ in unoquoq́ cauſas cenſent perpendendas, quibus ſingularis & eminens acceptus referatur profectus. Et primum quidem quòd animam ſortitus ſit bonam, ſed non à cælo: quando immortalis eſt ac incorporea, uerum à deo. Porrò non defuerit bene conſtitutum corpus, quod ita affectæ animæ ſubſeruiret, ac organa præſtaret artifici peraccõmoda. Id à cælo tanquam communi cauſa prouenit quidem, peculiarius tamen à parentibus. Quod philoſophari, auditiones obire meditariq́ propoſuerit Plato, ex animo, corpore, arbitrio proprio id initia ducit. Quod magni fuerit profectus, induſtriæ imputandum. Affulſit illi non benignius aſtrum, ſed ingenium fertilius, perſpicacius, tenacius, nec à themate cæleſti, ſed ex Dei proflua largitate. Socrates ſapientia clarus, illud quicquid eſſet, non natalitijs ſyderibus, ſed aſſiſtenti numini acceptum retulit. Iſocrates, ſicuti produnt Græci, quum quidam ei parens filium exhiberet ſcitareturq́, quid nam ei neceſſum arbitraretur, δεῖ, ἔφη, γραφείδιου καὶ νοῦ, id eſt penna ſeu ſtilo eſſe opus, inquit, ac mente. Cæterum ſi locum hunc ex Platone Platonicisq́, quos eſſe claſſicos apprimè reor aſſiduosq́, peregerimus, fortè non aberrarimus. Scribit Plato, deum & fortunam atq́ artem ſimul cum deo humana omnia gubernare: id ita interpretantur, Deus in omnibus per omnia mouet omnia, mouet mundi ſphæras, quarum concurſus fatum alicubi: at quarto Legum, fortuna nominatur. Hinc caſus uariq́ circa externa corporaq́ contingunt. Mouet item animas, lumen inſpirando mentibus, unde ars non ſpeculandi ſolum accẽditur, ſed agendi. Ab arte tandem diſpoſitio externorum & corporis proficiſcitur, quamobrem à Deo cuncta dependent: qui, ut apoſtolus Paulus aſſeruit, omnia in omnibus operatur. Aduertendum uero illud, quandocunq́ illa cæleſtium cauſarum ratio ita digeritur, ut artem exculcatam exſuperet, dici à Platonicis fatum: ubi uero ſic, ut uincere inertem deſidioſumq́ eualeat, rurſum à ſolerti ſtrenuoq́ uinci, Fortunam. Vtrobiq́ uero diuinam ſtatuunt prouidentiam, quæ ad finem agat ſibi ſoli notũ, quæq́ uniuerſa modis contemperet occultioribus. Cæterum quo planius fati ratio pernoſcatur, ita omnino colligendum: ſicuti animi rationalis ſummus creator eſt deus, atq́ idem gubernator, ita & corporis genitor eſt mundus, ac moderator. Vnde cõſequitur illud, uti animus uelut dei filius, ab deo, tanquam à patre, prouidentię legibus clemẽter agatur, & ſuauiter. Corpus uero, ut mundi membrum à mundano corpore fati uiribus, uelut particula quædam ab mole tota impetu quodam trahatur uiolento: unde fit, uti in

mentem

mentem nulla prorſum fatiuis queat aſſultare, niſi quatenus corpori ipſa ſe, fatalibus obnoxio legibus, addixerit. Propterea ſemper ferè diuinus Plato ab corporis amore, ac externorum cura ad animi & dei cultum præcipit defugiendum, quãdo non alia ratione declinari mala queunt. Et deo ſimilem porrò reddit fuga hæc. Exinde porrò promitur aureum Platonis eiuſdem præceptum, armis aduerſus fortunam aureis pugnandum, id eſt prudentia, iuſtitia, ſanctitate: ſiquidem quid deo, quid mundo debeamus, rimatur prudentia. Mundo, quod ſuum eſt impertitur iuſtitia, Deo autem ſanctitas. Deniq; quum Socrati intima quidam retexiſſet morum uitia. Sunt (inquit) ut dicis agnoſco, confiteor: ſed hæc omnia à me prudentia, & uirtutum auctoritate ſuperata ſunt, & quicquid uitij ex praua concretione corpus habuerat, animi bene ſibi conſcia diuinitas temperauit. Hinc, inquit Firmicus, intelligi datur, ſtellarum quidem eſſe quod patimur, & quod nos incentiuis quibuſdam ſtimulat ignibus: diuinitatis uero eſſe animi, quòd repugnamus. Porrò illud ſilentio haud quaquam inuoluendum, à Platone in Timæo, atq; in Menexeno quoq; tradi, regionẽ Atticam eſſe ingeniorum fertilitati præcipuè accommodam. Panætius eius rationem in aeris reiecit temperaturam. Longinus ex loci qualitate putat euenire, permixta ex multis, atq; occulta. Origenes, qui Timæũ eſt interpretatus, cæleſtibus aſcribit aſpectibus atq; influxibus: quoniam octauo De re publica Plato ſcribat, cæleſtes quoſdam circuitus eſſe cauſas fertilitatis ac ſterilitatis tum corporum, tum animarum. Proculus uero ac Porphyrius, animam mundi putant alibi alias uires imprimere, ac peculiaria quædam uelut hoſpitia, parare. Tum deos uarios ea illuſtrare loca. Vbi ergo rationalis anima propriam elegit uitam, ſi fortè locum ſortita fuerit, qui optatæ iam uitæ diſſentaneus non ſit, tunc in ea ſummam contingere excellentiam. Quæ Martiam elegit uitam, ſi plagam à Marte illuſtratam indipiſcatur, fortitudinis faſtigium cõſequuturam. Proinde in Timæo Platonem ſcribere, Atticam regionem à Pallade afflatam ſapientiæ ac magnanimitati congruere militari. Et quinto legum ait idem, Localium deorum afflatum, atq; item dæmonum maximi ad ingenij, morumq; rationes eſſe momenti. Requiri uero & aeris temperaturã, ne quod præcipuæ cauſæ impedimẽtum ſeſe obiectet. Decreſcere uero ingenia & miratur Seneca & dolet. Neſcio, inquit, qua iniquitate, & ad malum pronitate naturæ, eloquentia ſe retro tulit. Quicquid Romana facundia habet, quod inſolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem efflоruit. In deterius quotidie data res eſt, ſiue luxu temporum: nihil enim tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria, ſiue quum prẽmia rei pulcherrimæ ceſſarint, tralatum eſt omne certamen ad turpia, multo honore quæſtuq; uigentia. Siue fato quodam, cuius maligna in omnibus perpetuaq; rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum uelocius etiam, quàm aſcenderant, relabantur. Verum excurramus amplius. Inter Peripateticæ diſciplinæ ſectatores cõperi, qui de prouidentia & fato ſic ratiocinentur, ut prouidentiam eſſe ſtatuant futurarum rerum in dei intellectu ſimplicem, ſtabilem, æternamq; rationem. Fatum uero rerum ſtabiliter, ſimpliciterq; à deo gerendarum mobilem ac temporalem explicationem. Prouidentia quippe cuncta pariter, diuerſa & infinita cõplectitur, ſingula digerit fatum, ac diſponit in motum, formis, locis ac temporibus diſtributa: fato ſubiacet nihil, quod non complectatur prouidentia: hac uero continentur multa, quæ ab fatorum ſerie ſunt omnino libera: quippe hanc ſupergreditur, quod motu caret, nec tempori ſubijcitur. Quare ut ſe habet ad intellectum ratio, ad æternitatem tempus: quod gignitur, ad id quod eſt: ſicut denique centrum ad circulum: ſic fatorum mobilis, multiplex, uaria, diuerſaq; ſeries ad prouidentiæ ſtabilitatem, ſimplicitatem, unitatemq;. In hac porrò ingeniorum mentione, ſe ſtiua ſe mihi ingerit hiſtoria ex Plutarchi commentariolo περὶ τοῦ ἀνώνυμ. Cleanthem & Xenocratem, quum ex ſcholaſticis hebeti maxime uiſerentur ingenio: nec tamen eo nomine relangueſcente impetu, quo ad procinctum tendere ſemel adorti eſſent, ab iocis in tarditatem ſuam non abſtinuiſſe, quum ſe perſimiles dicerent ἀγγείοις τε βραχυ στόμοις, καὶ πινακίοις χαλκοῦς. hoc eſt uaſis anguſti oris, ac æneis tabellis, quod uix quidem dictata perciperent, at retinerent tenacius. Auctor uero Herodianus eſt, ad orientem omnes ferè mortales eſſe ingenijs acerrimis. Multa porrò de ijs Galenus. Sed nos uel plura forſan iuſto congeſſimus.

An in

An in abiuncta anima ſuperſit memoria uel ſenſus. Caput XXI

ANima rationalis è corporeis uinculis auolans ſeruetne memoriam aliquam, uel quorum hic fuerat conſcia, uel ſaltem ſuorum, quæſtione fuerit non indignum omnino. In ea puto non addubitaturos Peripateticos cum Ariſtotele ſuo, quin nullatenus reminiſcatur. Verum decimo De republica Plato fateri liquidò animaduertitur, animas quæ hic familiaritate aut omnino cognitione aliqua iunctæ fuerint, rurſum ſeparatas ſeſe recognoſcere, mutuaq; conſalutatione (ut ſic dicam) amplexari. Sed & Auicenna in Metaphyſicis auctor eſt, Animas tam beatas, quàm miſeras, ubi hinc per diſjugium demigrarint, non exoleſcẽte protinus quem conceperant habitu, poſſe per imaginationẽ eadem illa uerſare, quæ amplius adnexæ corpori imaginabãtur. Rurſum in Epiſtolis ac Legibus Plato abiunctis animis rerum noſtrarum ſenſum relinquit nonnullum, inſuper & curam. Approbat idipſum in libro De animorum immortalitate Plotinus, ſed ad temperamentum quoddam negotium reuocat: humanarũ rerum illis ſupereſſe tantiſper curam, dum ad corporea procliuis libentia reſtincta penitus aboleatur. In eo quippe ſtatu animam tanto ardore ac ui rapi ad diuina, ut noſtra hæc illam prætereant, aut ſi uideat, nil aduertere minus quàm id à ſe agi. Id ipſum puto & à Platonis non abiungi decretis: nam quãdoq; recordari animas probat, quandoq; inter nos illasq; profluere Letheum facit. Inter ueterũ theologorum placita, & illud eſt, ab noſtris item comprobatum, pleriſq; animis non loco eodem diuerſorum diſpenſationem prouidentia potius, quàm affectu eſſe à deo contributam. Plotinus adijcit, publicè, ac frequẽter uaticinijs, ac id genus beneficijs, plurimis hominibus fuiſſe adiumento. Verum enim uero, ut in philoſophicas amplius excurramus amœnitates, non eſt omnino ambiguitatis minutæ: an in ſenſiua anima potẽtiæ ſenſoriæ actus poſt corporis interitum reliquus fiat. Nam quod eſt animæ ac corpori cõmune, in abiuncta relinqui non ualet anima. Omnes autem ſenſiuæ poteſtates, uel potius earũ operationes, promiſcuæ ſunt corpori & animæ. Igitur conſequutio manifeſta. Id uero inde præcipuè liquet, quoniam potentia ſenſiua in actum nulla promitur, niſi per organum corporeum. Porrò De anima primo Ariſtoteles, Animam corpore in corruptionẽ abeunte, neq; reminiſci ſcribit, neq; amare. Id uero & de alijs poteſtatum ſenſoriarũ actibus intelligendum: quod ſi eſt, colligitur liquidò, ſequeſtratam animam in potentiæ cuiuſpiam ſenſiuæ actum non prodire. Verum reſpõderi poteſt, ſenſiuæ potentiæ actum eſſe duplicem: exteriorem, qui non niſi per corpus promi poteſt, quem non ſupereſſe in ſeparata anima, liquet: interiorem alterum, quem per ſe exerceat anima, retineatq; etiamnum diſparata. Hoc autem uidetur potiſſimum dogma Platonicum, in cuius myſterijs ſancitur, corpori animã adnecti perinde ac perfectam ſubſtantiam, nulla in parte à corpore depẽdentem, uerum coniungi, ſicuti motor mobili coniungatur. Quia uero nil mouet, niſi quod mouetur, & principium mouens ſeipſum mouet: in anima duplex agnoſcitur motus: alter, quo mouetur ab ea corpus: alter, quo ſeipſam. qua ratione in anima apparet uidẽdi actus primus, prout ſeipſam mouet. Reliquus uero in corporeo organo. Ariſtoteles autem De anima primo, iſta diluere nititur, probans, animã haud quaquam ſeipſam mouere, ſenſoriasq; poteſtates eſſe coniuncti ſolum. Quem ex theologis beatus Thomas ſequutus, actus ſenſiuæ potẽtiæ colligit nullo pacto in ſequeſtrata anima reperiri, niſi fortè ut in remotiore fonte. Quum uero in libro De ſpiritu & anima Auguſtinus dicit, Animam ex corpore demigrantem ex imaginatione, concupiſcibili iraſcibiliq; poteſtate pro meritis dolore affici, uel oblectamento: negabunt ex Aurelij officina eum profluxiſſe commentariolum: uel ſi concedant maxime, ſic tamen explicari oportere, ueluti ex ijs quæ per imaginationẽ, & id genus facultates alias in corpore admiſerit anima, mox eo exuta uel bono afficiatur uel malo. Quod ad memoriam attinet, hanc duplicem tradunt: quandoq; enim intelligi, ut poſitionem ſenſiuæ partis, quæ præteritum concernit tempus, qua ratione memoriæ actus in anima non relinquitur. Ex hoc enim Ariſtoteles ait, Corrupto corpore, anima non reminiſcitur. Altero modo eſt memoria, imaginis pars ad intellectum pertinens, ut ab omni tẽporis abſtrahit differentia, quum nec præteritorum tantum ſit, ſed extantium quoq;, inſtantiumq;, ſicuti Auguſtinus ſcribit. Hæc uero memoriæ uis in animis etiamnum ſeparatis com-

peritur

peritur. Consimiliter amorem, gaudium, tristitiam bifariam dispararunt. Sunt enim interdum appetitus sensiui affectiones, quæ in anima non supererunt, quoniam absq; certo cordis motu perfici nequeunt. Interdum uerò inaudiuntur, ut uoluntatis actus quæ in parte est intellectus compote, quo modo ab anima demigrante minimè secernuntur. Augustinus in libro De agẽda cura pro mortuis: Fatendum est, inquit, nescire quidem mortuos quid hic agatur, dum agitur utiq; postea tamẽ ab eis audire, qui hinc ad eos moriendo pergunt, nec prorsum omnia, sed quæ meminisse permittuntur etiã isti, & quæ illos quibus hæc indicãtur, oportet audire. Possunt & ab angelis, qui rebus quæ hic aguntur, præstò sunt, audire aliquid mortui. Ac ne quis ambigat, referuntur item hæc in canonicis Decretis, causa decimateria, quæstione secunda. Sed in eodem item libello De spiritu & anima, defunctorum spiritibus ita esse de uiuis curam, quanquam quid agant, omnino nesciant, sicuti uiuentibus inest de illis solicitudo, etiam si quid agant, ignoremus prorsum.

De menta. Mintha nympha. Mintho. Quæpiã aduersus Hermolaũ. Mentigo, ostigo quid. Retrimentitiæ feculentiæ nomina plura. Oesypum, diachorema, diachoresis. Dyscœlij qui sint. Dysphorici, spatile, bolitos, onis, polion, polea, crocodilea, caprinæ baccæ, spyras, mysceledra, cesale, sella famiiaris. Editus pro stercore.

Cap. XXII

MEntam, siue (uti pronuntiant Græci & scribunt) mintham, tradit Opiani interpres ἁλιευτικῶν tertio, à Mintha, quæ nympha fuerit, appellatam uideri. Duas uerò esse species: syluestrem, & quam uocãt hedyosmon. Cocyti uerò filiam tradit fuisse Mintham, quæ ubi inaudisset amari à Plutone Proserpinam, indignata eo nomine, constanter illi se præponere ausa est, dictitans, si inferos peteret, inimiciter infestaturam. Quo puellæ tumore commotior Ceres Persephones mater Mintham exculcans εἰς τὴν λακκὼν βοτάνην ταύτην, id est in malam deformauit herbam huiusmodi. Ex qua fabella Oppianus mintham uocauit λωκυτίδα νύμφην, de inferno Cocyto. Plura apud interpretem. Commeminit ijs ferè Strabo quoq; octauo libro. Ad Orientem, inquit, propè Pylum mons est nobilis cognomẽto Minthes, quam fuisse à Plutone amatam, tradunt fabulæ. Eam cum dolo circumuenisset Proserpina, in hortẽsem mentam demutasse, quam plericq; hedyosmon uocant. Itaq; iuxta montem extat Plutonis templum, frequenter à Macistijs cultum. Relatu non indigna sunt, quæ Aristophanis Interpretes ab ijs dissita non longè commemorant super eo poetæ uersiculo, Μινθώσομαι δ', ὥσπερ τράγον, τὴν ῥῖνα.

id est, stercore linemus nares, perinde ac hirci. Minthon, inquiunt, alij hedyosmon, alij uerò iynga uocant, ut comperimus in comica dictione. Putant nonnulli in sterquilinijs enascentem florem dici minthon, quo mirè afficiantur hirci. Apud quosdam inuenias, caprarum retrimenta dici minthon. Vbi uerò frigoris uitio corripiantur hirci, pygmon uocant, consueuere pastores excremẽtis id genus ad sternutamẽtum eliciendum, nares oblinere. Odoris id aspernabilis ciet fœditas, & medetur malo. Sunt tamen qui humanas ex cibis superfluitates eo nomine significari putent. In hæc eo libẽtius diuertimus, ut Hermolai Barbari quandoq; ad struẽdam calumniam cernuli, dum uelut scorpius arcuato uulnere multos impetit, bilem educeremus, molestè ferentis, ausum fuisse quẽdam prodere, Minthon quandoq; uocatam mintham, id est mentam: quum tamen id & à Græcis subnotatum sit, ut monstrauimus, nisi quis fœdè uitiatum putet exemplarium. Quod ideo appositũ uolui, ne fortè indicatione propémodum scurrili, opus hoc à me uendibilius fieri, suboleat maligno interpreti, & planè mucosis naribus: etiam si scio in multis, quæ alicubi conuellimus, non defuturum unquam suum patellæ operculum, sed stomacho suo seruiat unusquisq;. Illud modo mirum, quid ita Oppiani interpres mentam dixerit λακκὼν βοτάνην, id est herbam malam: quum scribat Plinius, mentam grato mensas odore percurrere in rusticis dapibus. Nisi quòd ante coitum mulierum appositam genitalibus inhibere cõceptionem, scribit Dioscorides. At libro duodecimo ἐκλογῶν περὶ γεωργίας ex Florentini Georgicis proditum obseruauimus, hedyosmon esse ἀχρήσιμον, nec uulnus facilè curari, cui illata fuerit herba hæc. Lac præterea coagulari prohibet, si ante coagulũ promiscetur. In magicis porrò, mentæ usum

fuiſſe aliquem, ſecundo Faſtorum canit Ouidius:

Obſutum menta torret in igne caput.

Etiam ſi de mento ſunt qui malint intelligere. At mentigo, morbus eſt ouium, oſtiginem dicunt paſtores. Os & labra, fœdis obſidentur ulceribus: fit, quum agni uel hædi roſidas herbas depauerint, dum lactent. Repperi inter Græcos, qui mintham accipiant θύμου: quę uox, cepam nobis indicat ſylueſtrem. meminit Ariſtophanes Pluto, ὦ πολλὰ δὴ ἔγωγε κἀπόστιν πανὸν θύμου φαγόντος. Eſt item grammaticus qui opinetur, calaminthum nuncupari ἄγειον ἡδύοσμον, id eſt ſylueſtrem mentam, quam quum mœſta Ceres uidiſſet, execrata ſterilem fecit. Auctaria autem adiecero illa, quoniam ciborum ſuperfluitates attigimus, hominis retrimenta dici ſpatilen: quanquàm & hoc nomine coriorum nuncupantur fruſtula, ſeu reciſamenta, quę à coriariis ſutoribus ue abiiciuntur: boum uerò, boliton: aſini, onida & onthon. In bobus tamen intelligere onthon, Homerus maluit. Suis, hypeleuthron uocamus: ouium, oiptoton. Nam ſordes lanis inhærentes dici œſypum, cum Dioſcoride Plinius ſcribit, uelut οἰὸς ῥύπου. Apud Galenum Therapeutices quartodecimo, legimus ἄπλυτον εἶειον, id eſt illotam lanam nuncupari ὑοσφηρόν. quam lectionẽ comprobat Sudas quoq;. Malunt tamen alij οἰσυπηρόν ſcribere. Quum uerò in Lyſiſtrate, οἰαπόστιον pronuntiat Ariſtophanes, ouis intelligi diachorema uoluit, id eſt διαχώρημα. Nam & medicæ ſcientiæ periti, naturã quandoq; expurgare corpora fatentur διὰ τῶν διαχωρημάτων, aut per urinas, aut per eam quæ totum ambit, cutem. Sed & αἱματώδη διαχώρησιν, legimus quandoq;. Porrò aſinini pulli quod egeritur primò, excrementũ, ab Ariſtotele polion nuncupatur: Plinio etiam polea. Ciborum in capris ſuperfluitates, Palladius caprinas facetè baccas dixit. Crocodileam libro ſecundo interpretatur Dioſcorides, crocodili terreſtris fimum: Plinius uigeſimo octauo, eiuſdem inteſtina. Dignum ſcitu quod idem prodit Dioſcorides, canis & hominis retrimenta ubi exaruerint, melle permixta, gutturi adnexa, cenſeri anginis præſentiſſimum remedium, cura nunquam fallente. Sciendum quoq;, ab Vlpiano proditum, quibuſdam in locis uti homines editu boum uice lignorum: quæ uox etiam ſi rara, feculentam indicat materiam, ſicuti uulgò item dicitur. Caprarum etiam ſpyrada dicunt feculentiam, & ſpyrathiam, ut apud Galenum. Murum, myſceledra. Apud Paulũ obſeruauimus dyſcœlios, id eſt δυσκοιλίους uocari, quibus difficulter aluus it: nam dys, apud Græcos ferè malum indicat: ſiquidem Firmico, dyſphorici infelices intelliguntur: & dyſphora, dicuntur difficilia. Non omittendum uerò, ceſale, dici locum in quo uentrem perpurgamus, reliquijs ciborum deiectis. Sellam familiarem, uocauit Marcus Varro.

Camilli

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN ANTIQVArum lectionum libros, ad doctiſſimum ſummaq; uenerationedignum, Bernardinum Barbuleium, Præfatio undecima.



Vum ſummus rerum opifex deus, homini nihil præſtabilius mente, ratione atque intelligentia dederit, mirum uideri non debet, ſi nonnulli, & ij quidem ſapientiſſimi uiri, tantum ſtudij laboris ac uigiliarum contulerint ad eam partem excolendam & informandam, qua ſola & reliquis animantibus & ipſis hominibus antecellerent. Quam Pythagoricus Epicharmus tantopere eſt admiratus, ut hanc unam dominam & reginam, lucem lumenq; uitæ diceret, ac huius ſolius demandatam nobis curam, quum alia tum ſtupida tum cæca cenſeret, Νοῦς, inquit, ὁρᾷ καὶ νοὺς ἀκούει, τὰ δ' ἄλλα, ἰωφὰ καὶ τυφλά. In hac ipſa tamen ratione uel animo expoliendo, non eandem uidentur plerique ſibi propoſitam habuiſſe uiam, aut ad eundem tendiſſe finem. Nam fuerunt apud priſcos philoſophos, atq; etiamnum ſunt, qui cognitionem cõtemplationemq; naturæ ita conſectati ſunt, ut etiam in ea conſeneſcere & iucundum & pulchrum exiſtimauerint: quorum ego inſtitutũ, doctiſſime Barbuleie, etſi improbãdum non ſuſcepi (quod hoc interim agere quam turpi otio ſeſe dedere maluerint) nunquam tamen tanti feci, ut nõ potius mancum quodãmodo atq; uix dum incohatũ iudicauerim, ſi nulla rerum actio adiuncta conſequutaq; fuiſſet. Et quum ſapientiã (nimirum qua diuinarũ humanarũq; rerum continetur ſcientia) ut rem maximam admirari ſoleo, tum eam partem quæ nobis à communitate ducta, profert officia, longè præſtantiſſimam putaui. Eam, inquam, quæ in hac generis humani domeſtica cõſuetudine, ſocietate, ac hominũ tuendis commodis illuſtrior apparere ſolet, qua uel ſola agnoſcamus neceſſe eſt, nos nobis ipſis nõ tantum natos, ſed patriæ, ſed amicis. Summoq; conatu nobis enitendum, ut ex noſtris ſtudijs ad proximum quàm uberrimus redundet fructus. Id quum ita ſit, facile in animum induco meum, æquiores rerum æſtimatores benè precari manibus patrui mei, cuius uniuerſum ſtudium eò tendebat, ut dum uiueret, operoſas uigilias arduoſq; ſubiret labores, quibus animum non ſolum magis expolitum excultumq; ſibi compararet, & eruditiores quàm plurimos faceret, ſed etiam ut poſteris paratam congeſtamq; huiuſce pij laboris ſyluam relinqueret, ex qua non pauca ad ſuos uſus transferre, ſtudioſa iuuentus poſſit. Quod ipſum ſi ex priore æditione cognouerunt multi, certè iam id maximè teſtabuntur grati homines, ubi tot tantisq; acceſſionibus ita inſtructam hanc poſteriorem, ut planè nouum opus uideri poſſit, conſpexerint. Cuius quidem operis æditionem dum adornarem, quum aliæ multæ, tum duæ potiſſimum cauſæ me compulerunt, ut in partem nuncupationis uenires: quarum utra potior, nondum conſtitui. Vna certè hæc fuit, quòd quum te uiderem eiſdem initiatum ſtudijs, & eandem omnino ſequi uiam, quam ingreſſum iam dicebam patruum meum, facilè cognoui uerum eſſe quod ueteri prouerbio dicimus, ὁμοιότητα τῆς φιλότητος εἶναι μητέρα. Multis enim in rebus paria cum illo facis. Inſtituiſti quàm plurimos tum ad obeunda religionis noſtræ munera, tum etiam ad ciuilia capeſſenda negotia in primis aptos. Et quum tibi iam ſatis à fortuna proſpectum ſit, ut commodè uiuere, & ex anteactæ uitæ laboribus honeſtam tibi quietem polliceri poſſis, non ceſſas tamen benè mereri de ciuibus tuis: nec quam tibi ſummo iudicio ſemel delegiſti prouinciam deſerere, ſed horum alterum pietate, ſtabilitate conſtantiaq; alterum in dies magis ac magis tueri uideris. Quis, deum immortalem, humanior paulò non admiretur atque exoſculetur tam fortem animum, tantisq; ornatum uirtutibus? Aut quis non potius ſibi tale exemplar imitandum proponeret, in quo modeſtia, temperãtia, & in maxima frugalitate liberalitas, ex quo certant? Quis erit tandem, qui non (quum tot in te animi dotes uiderit) ad uirtutem & ipſe quo q; incitetur? Iſtud demum eſt iuxta placita Euangelica, τὸ λύχνιον οὐκ εἰς κρυ-

πρόμ ἢ ὑπὸ τοῦ μόστου, ἀλλ' ὑπὸ πλὼ λυχνίαν πθήνας. & quàm plurimos honesto ac pio ad modum exemplo ad benè merendum de proximo prouocare. Tua itaq; facit, humanissime Barbulese, & modestia & singularis in Deum fiducia, apud quem cum fœnore tibi repositum præmium non ignoras, nec auram captas popularem, ne commemorẽ quàm in hac calamitate & senserint & in dies magis sentiunt tenuiores benignitatem tuam. Quamobrem quum probè nouerim moderationem æquitatemq; animi tui, non aduocabo testes minimè necessarios. Altera uerò causa, non leuior hæc fuit: quòd propémodum auctor fuisti, ut hoc opus in publicum prodiret. Nam quum scires apud me exemplar adseruari, factum est, ut id Arlenio Arnoldo Peraxylo, qui quũ sæpe libenterq; de literis communibusq; studijs conferre solebas, indicares. Is enim ut est apud multos gratiosus, & in hisce rebus eruendis ac in lucem proferendis non solum dexter & studiosus, uerum etiam ad curiositatem diligens: indignum præterea ratus, ut diutius delitescceret, non quieuit donec extorqueret. Quo certè in negotio (ut uerum fatear) me faciliorem præbui, quum reciperet se curaturum, ut per Frobenianos, quorum tot præclaris iam æditis literarum monumentis, & probata est fides & auctoritas, & celebrata diligentia & industria, ex impressione repræsentaretur. Quum igitur officio me astrictum cognoscerem has potissimum causas apud studiosos contestatas uolui, partim ut uiderent quantum utriq; uestrum debeant, partim mei in te amoris, obseruantiæ aut pietatis potius indicium. Noui quanti te fecerit piæ memoriæ Lodouicus Cælius, quum Ferrariæ uiueret: quantum dilexerit candorem animi tui, ut dubium apud me non sit, eundem si diutius uixisset, quod nunc facio, cumulatius facturum fuisse. Tu interim ornatissime uir, hunc undecimum librum antea iam à patruo tibi destinatum, ac à nepote tandem exhibitum succisiuis horis unà cum reliquis leges, simulq; pro tua humanitate parem amorem atq; beneuolentiam ueluti hæreditario iure in me deriuatam, facilè agnosces. Vale. Rhodigij, nonis Nouembr. anno millesimo quingentesimo & quadragesimo.

Lodouici

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI VNDECIMVS.

Otij, ut pernicioſi deteſtatio. Remiſſionem tamen aliquam uideri neceſſariam. Quibus otium ſit utilius, quàm negotium. De Auguſto, L. Druſo, Turanio, Seruilio Vatia. Quod ſit honeſtum otium. Iunij Syllani hiſtoria, & Turbonis, ac Similis. Anaxagoræ item excellentia. Cap. I



PPIVM Claudium crebrò memorare ſolitum accepimus, negotium populo Romano melius, quàm otium committi non quia ignoraret, quàm iucundus eſſet tranquillitatis ſtatus, ſed quòd animaduerteret, præpotentia imperia rerum agitatione ad uirtutem capeſcendam excitari euibrariq́, nimia quiete in deſidiam & uelut marcorem quendam relabi. Quo nomine Strenuam, Agenoriam, Stimulam induſtriæ deas excogitauit priſcorum ſedulitas. Et ſanè quamuis negotium & tetrum quiddam & aſpernabile uideatur, quod hominum ferè captus à labore procliuis ad delinimenta ſit, ciuitatis tamen Romanæ diſciplinam intra limites ſuos continuit. Blandæ appellationis quies, Illyricæ pacis argumento, calamitatibus immenſis aditum reſerauit, & tantum non corraſis, quibus tanti imperij increuerat moles, clariſſimis moribus, uitia obrepſere plurima. Qua ex cauſa proditũ memoriæ eſt, deuicta Carthagine terrarum illa orbis æmula, cum qua toties ingenti diſcrimine dimicatum armis erat, adeo ut propiores periculo, quàm uicti, uictores fuerint quandoq́: Q. Metellum identidem dixiſſe, ne ſcire ſe illa uictoria boni plus an mali reipublicæ intuliſſet: quoniam ut omnia latè pacando adiumẽti habuiſſet plurimum, ita reiecto Annibale formidabili hoſte, ad cuius nomen Romana pubes exhorreſceret, tantarum memoria cladium, quæ obductum ſe neſcensq́ refricaret malum, inſigne nocumentum inflixiſſet. Eius quippe in Italiam tranſitu ſuperatis Alpium iunctis cælo iugis, relangueſcentẽ ac conſopitã quodammodo Romani populi uirtutem excitatã, proindeq́ eximiè uerendum, ne tam acris æmuli terrore liberata, in eundem relapſa ſomnum periclitaretur. Huic uerò præſignis uiri bracteatæ ſententiæ ſuccinere illud Senecæ uidetur, Infirmis animis hoſtem eſſe ſecuritatem. Et Q. Curtius ait, Otij uitia negotio diſcuti. Idem alibi ſcribit, Otia eſſe rumoribus ſerendis aptiſſima, quæ ne aleret Alexander, mouiſſe in Indiam refert, ſemper bello, quàm comparata uictoria clariorem. Traditum quoq́ à philoſophorum prudentiſſimis, ἀνύσιμον πρᾶγμα καὶ τελεσιουργὸν εἶναι ὧν μέλειαν καὶ πόνον. id eſt, curam diligentiamq́ ac laborem in primis rem eſſe perefficacem, quæq́ plurima ad exitum perducat. Propterea rectè Theſſalus quidam interrogatus, qui nam in Theſſalia cenſerentur abiectiſſimi, A bello, inquit, feriati. Qua ratione à Romanis inſtitutũ, proditur memoriæ, ut ciuilis diei initia à noctis medio ducerẽtur, ut ſolis exortus eſſet quidem operis initium, tempus quod præcedit, apparatui impenderetur. Quippe paratos inſtructosq́ obire negotia oportet, non inter obeundum inſtrui, apparari ue. Sicut Myſon Chiloni reſpondiſſe fertur, quum hyeme thrinaca, id eſt uentilabrum pararet. Duces equidem multos ac reges bello fuiſſe illuſtriores accepimus, quàm pace. Attalum Eumenis fratrem otium ſoluit & pax longior, adeo ut ſaginæ traditus imperij onus in Philopœmenem ex familiaribus unum deriuaret: ita ut feſtiuiter Romani ex Aſia uenientes ſubinde interrogarent, Ecquid gratia apud Philopœmenem rex ualeret. Lucullo paucos reperias ductando illuſtriores. At ubi is in deſidiam abijt, nimisq́ inactuoſam uitam, & omnis expertem curæ, perinde ac ſpongia, tranquillitate in tabem reſolutus, & ὑπεκκωφθείς, id eſt mortificatus, Calliſtheni ex libertis uni omnium cura delegata, opinionem præbuit, uelut ab eo potionatus foret, ac magicis circumuentus excantationibus. Xerxis pater Darius, rerum difficultate ſeipſo fieri prudentiorem dictitabat. Scytha uerò Atmas, ſi quando eſſet ab omni negotio feriatus, nil admodum ſe ab hippo-

comis,hoc eſt equiſonibus differre,aſſeuerabat. Veſpaſianũ affectum grauiter, ab medicis reprehenſum, ſcribit Dion, quòd imperatorijs non abſtineret functionibus: ad quæ is τὸν αὐτοκράτορα, ἑστῶτα, ἔφη, ἐς ὧτα δεῖ ἀποθνήσκειν, Imperatorem,inquit,ſtantem mori oportet. Senior Dionyſius à quodam interrogatus, Supereſſet ne otiũ: Melius ominare,inquit,nec ſuperſit unquam. Arcus utiq; frangi,ac diſſilire intẽſior aſſueuit,at anima id ipſum patitur remiſſior. Nil æquè apud Gymnoſophiſtas laudare ſe Apuleius ſcribit,quàm quòd torporem animi & otium oderunt. quin poſita menſa, prius quàm edulia apponantur,conuenientes illuc adoleſcentes prærogant magiſtri, quod nam à lucis ortu ad id diei bonum fecerint. Amplius & Ciceronis quoq; teſtimonio liquet, nos ad agendum eſſe natos,idq; appetere animũ ſemper,ut qui nulla conditione quietem ſempiternam pati poſſit,quod in primis puerorum ætatulis manifeſtum fit. Quid quòd otium & quies immodica inter frigidas morborum cauſas ab Galeno recenſentur? Iis enim ignis reſtinguitur inſitus:nam ſi prunis minutis niuiũ affuderis multum, peribit mox quicquid affuerit innati caloris. Sed & humectis quoq; ægritudinibus otioſior uita,& omni uacans labore anſam facile præbuerit. Ex eiſdem tamen ſcholis & illud eſt,Quiete nonnullos pingueſcere,extenuari alios:nam quibus affatim genuinus ſuppetat calor,commodius perfici cibum, ac uacantia reſolui:contrà uerò affectis diuerſa contingere. Excitatur quandoq; otio item uigor & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudij adducitur,hilaritate diſcutitur,ſi paulum demulceatur animus, & iucundis honeſtisq; laxetur illectationibus: etiam ſi animi remiſſionem eſſe ueluti amiſſionem dicebat Muſonius. Nulli tamen, inquit Seneca, intermiſſio manifeſtius proderat,quàm Latroni Portio:quoties ex interuallo dixerat,multo acrius uiolẽtiusq; dicebat. Ingenij laſſitudo non minor eſt quàm corporis, ſed occultior. Vt fertilibus agris non eſt imperandum,citò enim exhauriret illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Legum conditores feſtos ad hoc ipſum inſtituiſſe uidentur dies, ueluti neceſſarium laboribus interponentes temperamentũ. Magnos item uiros menſtruas ſibi diebus certis ferias dediſſe legimus. Aſinium Pollionem oratorem nobilem nulla cura poſt decimam retinuit. Quidam medio die iter iunxerunt. Quin & apud Romanos,nouam relationem poſt horam decimam fieri uetabant. Poeta item Græcus cecinit, Aliquando & inſanire iucundum eſt. Sunt porrò, quibus otium melius,quàm negotium committitur. Quoſdam reperias ita bile feruidos,ut iram in poteſtate minus habeant, & ad temeraria uerba qualibet indignatione prorumpant. Quidam urbanitatem nõ reprimẽtes lætiferis non parcunt ſalibus. Hiſce uerò quies negotio longe optabilior. Auguſtus Cæſar, cui plura quàm ulli unquã obueniſſe feliciter tradunt,non deſinebat quietem ſibi precari, & uacationem à republica petere. Identidemq; repetebat,aliquando ſe uicturum ſibi. Liuius Druſus,uir acer & uehemens quum mala Gracchana mouiſſet, execratus inquietam à primordijs uitam dictitabat, Vni ſibi ne puero quidem unquam ferias contigiſſe. At ediuerſo nonnullos uideas,qui pati otium nequeunt. Turanius fuit exactæ diligentiæ ſenex,ei poſt annum nonageſimum procurationis uacationem ultrò C. Cæſar indulſerat. At is moleſtè ferens,componi ſe in lecto,& uelut exanimem à circunſtante familia plangi iuſſit. Lugebat domus otium domini ſenis, nec finiuit ante triſtitiam, quàm labor illi ſuus reſtitutus eſt. Quum tamen à quinquageſimo anno lex militem non legat, à ſexageſimo ſenatorem non citet. Qui uerò in conſummationẽ dignitatis per mille indignationes erumpunt,quid aliud quàm in titulos ſepulchri laborant? Cæterum quod demum ſtatuimus honeſtum otium,quod ue expetendum in primis? Soli omnium,inquit Seneca, otioſi ſunt,qui ſapientiæ uacant,ſoli uiuunt:nec enim ſuam ætatem tantum bene tuentur:omne æuum adijciunt,niſi ingratiſſimi ſumus. Illi clariſſimi ſacrarum opinionum conditores nobis nati ſunt. Ita eſt,otium ſine literis mors eſt,& hominis uiui ſepultura. Sed uidendum amplius,quales denique ſint hæ literæ. Quid enim ambigas, eſſe pleroſque, qui operoſe nihil agant:quia inutilium literarum ſtudijs detinentur? Hic uerò Græcorum in primis morbus eſt,ut ſubinde quærere pergant, quem numerum remigum Vlyſſes habuiſſet,ac id genus innumera alia. Præclara & ad hoc ipſum maximè ſpectans Fabiani ſententia,qui addubitare ſe dicebat,an ſatius foret,nullis admoueri ſtudijs,quàm

ijs implicari. At qui uelut timidum animal, atq; iners metu obliuiti: is ſibi non uixit, ſed quod eſt turpiſſimũ, uentri, ſomno, libidini. Vatia Seruilius, diues prætorius, nulla alia re, quàm otio notus, cõſenuit: quin ob id unum, felix habebatur. Nam quoties aliquos Aſinij Galli amicitia, quoties Seiani odium, inde amor merſerat, exclamabant homines, O Vatia ſolus ſcis uiuere. At is latere ſciebat, non uiuere: dicíq; ab uillam prætereuntibus uerè prorſum poterat, Vatia hic ſitus eſt. Hactenus Seneca. Videtur, inquit Moralium decimo Ariſtoteles, in otio eſſe conſtituta felicitas. Siquidem negotia obimus, ut otio liceat perfrui, & bellum gerimus, ut in pace uiuamus. Iunium Syllanum Aſiæ proconſulem, adeo fuiſſe deſidem, adnotatum annalibus eſt, & principibus faſtiditum, ut eum C. Cæſar pecudem auream appellare ſit ſolitus. At Turbo rei militaris ſciẽtia præſtantiſſimus nunquam domi per diem, uel quum morbo infeſtaretur, eſt uiſus. Monenti uero Adriano, quieſceret: Præfectos, inquit, rebus ſtantes mori oportere. Floruit eadem tempeſtate Similis, uir fortiſſimus, qui poſtremum uitæ ſeptennium, uacatione impetrata, in agris per otium & quietem tranſmiſit, proinde moriens ſepulchro inſcribi iuſſit: Similis iacet hic, cuius ætas multorum quidem annorũ fuit, ſeptem quamuis tantum annis uixerit. Medicorum tabernas, id eſt pharmacopolia, otioſis & garrulis peraccommoda eſſe loca, indicat Hieronymus: Illi (inquit) uerboſitas, attrita frons: cui nundinæ, fora placent, plateæ ac medicorum tabernæ. Cato ſenior trium duciſe pœnitentia profitebatur, ſi fœminæ arcana retexiſſet, ſi nauibus perrexiſſet, quo poſſet pedibus, ſíq; dies quandoq; inanis foret tranſmiſſa, uel ut Græcè dicam, ὅτι μίαν ἡμέραν ἀθλιώτερος ἐμεινεν. Quanto autem quod ad ſordens otium ſpectat, diſpicienti recte ſatius eſt, Anaxagoræ propoſitum in ſpectanda ueritate anxium laborioſumq;, uerbo req; perpẽdiſſe. Id quod epitymbium teſtatiſſimum facit, quod & appoſui, ne quid forſan ſtudioſorum deſideria remoremur,

γνῶθί θ' ὁ πλεῖσον ἀληθείας ὧν τέρμα πρῶτος
οὐρανίου κόσμου, κεῖται ἀναξαγόρας.

Quin & aras illi dicatas nouimus, quarum uiſeretur inſcriptio nunc quidem νοῦ, id eſt Mentis: nunc uero ἀληθείας, id eſt Veritatis: illuſtriora multo hæc, & hominis propria omnino. Alias ſomnolentia marceſcentes brutum induimus. Quo quid fœdius, diuinam præſertim geſtanti imaginem, torpore ſic turpiter collutilatam extra uitæ præſcriptum? Sed ſomniculoſæ aſpidis uim ſentimus plerique omnes, bonumq;, ſi non & amamus.

Cur olidum ueternum Catullus dixerit. De ueterno inibi, necnon de cataphora, & comate, catalepſi, ac caro. Codion quid, & comi, ac comæ, & epicataphora, anaphora, poros, grauedo, coryza, catarrhus, branchus, arterica affectio. Item qui arthritici. Elephantiaſis quid. Exarticulatio, bronchion, bronchos, elephantici. Caput II

DOctea uero quàm ducente ſtilo, in male feriatorum torporem ignauũ, ac turpiter deſidentẽ producti ſumus, ſuccurrit, in re leuicula feramus opem poetæ Catullo, calculis omnium docto & emunctæ naris. Nam illicijs hoc genus ſæpe ſtudioſis eblandimur. Carmina explicatius enarranda ſunt hæc,

Nunc eum uolo de tuo ponte mittere pronum,
Si poteſt olidum repente excitare ueternum,
Et ſupinum animum in graui delinquere cœno.

Inactuoſum hominem, ac marcore quodam languidum taxat liquido illis uerſibus Catullus, ſentiunt id enarratores, quando Maronianus interpres ueterni nomine hydropiſin intelligendam putat, quæ nimio plus homines reddit pigros & ignauia marceſcentes: unde & pro deſidia quandoq; poſitum inuenias. Probus etiam pro graui accipit ſomno, quem medicorum ſcholæ uocant lethargum, ſi marcor ſit, ac (ut inquit Celſus) inexpugnabilis dormiendi neceſſitas. Nam Seneca ueternum animi erumnoſi dixit ad Lucilium ſcribens. Vſurpauit & Auſonius elegantiſſimè,

Pelle ſoporiferi ſenium, nubemq; ueterni,
Atque alacri mediam carpe uigore uiam.

Sed & Seneca item, Ego nec redigo iſta ad legem dialecticam, & ad illos artificij ue-

ternoſiſſimi nodos. Sed ad Catullum. Sentiunt, inquã, hoc interpretes: ſed cur olidum dixerit, parum attentè obſeruarunt: etiam ſi Delio natatore non indiget res, quam tota facilitate ſoluit Ariſtoteles, ubi in odorum ratione quærit, cur alæ omniũ maxime partium noſtri corporis male oleant: & reſpondens poſſe fieri putat, quòd omnium minimè reſpirare poſſunt: nam locis eiuſmodi odor malus contrahi maxime ſolet, quoniam putredo quiete interioris qualitatis conſiſtit, ſiue quòd immobiles inexercitatæq; habentur. Hactenus Ariſtoteles. Ex cuius uerbis perſpicuũ (opinor) fit, cur ceſſantem ac torpidum hominem dixerit olidum. Porrò, ut excultius addamus quippiã, ueternum Græci nothroteta uocãt. Ex humecta prouenire materia, inter medicorum placita eſt, ſicuti caros, id eſt ſopor, & lethargus fiant ex frigida. Si aliquãdo, inquit Galenus quarto De affectis locis, tota anterior afficiatur cerebri pars, ſupremum ipſius uentrem conſentire, neceſſarium eſt, atq; cogitandi etiamnum præpediri, uitiariq; actiones. Proinde qui ita affectus eſt, neq; ſenſus, neq; motionis munere fungitur. Spirandi tamẽ facultas haud quaquam læditur, uocaturq; affectio hæc caros, id eſt ſopor. Si uero adeo uehementer ſpirationem opprimat, ut quis uel magno conatu uix ſpiret, apoplexia nominatur. Eſt & ſua mox paulò morituris καταφορὰ καὶ ἀναισθησία, id eſt in ſomnum collapſus, & uellicantium inſenſibilitas. Pro extaſi, ſeu mentis exceſſu, inquit Hieronymus, in Hebræo eſt thardema, quod Aquila κατάφορὰν, Symmachus κάρον, id eſt grauem profundumq; ſoporem interpretati ſunt. Cataphoricos ſomnos intelligere Paulus uidetur, βαθεῖς, id eſt profundos. Cataphoram tamen Galenus in libro De comate, in duas partitur ſpecies. Vtriuſq; proprium, ut oculos ſurrigere nequeant, ſed grauentur mox, & collabantur in ſomnum. Verum altera ſpecies profundum habet ſoporem, ac diuturnum. In altera uero uigilia eſt, imaginatione frequenti obturbante ac interpellante ſomnum, ita tamen, ut ſurgere nequeant. Vtrunq; dicitur coma, nuncupatione hinc producta, quoniam ſubſtratis pellibus, quæ codia uocant, indormirent priores. Ariſtophanes, ἢν σὲ μὴ μίσῳ, γρυοίμλω ᾧ λεπτίνου κώδιον.

Aut ab uerbo κῶ, quod dormitionem indicat, ſiquidem loca ueteres dicebant comos, atq; item comas, in quibus erant dormituri. Epicataphoram uocant cæleſtium peritiſſimi pernam portam, quippe loca nuncupant quædam pigra in cælo, deiectaq; quia nulla cum horoſcopo ſocietate iungantur. Eorum primus in ſecundo ab horoſcopo conſtituitur ſigno, & inferna dicitur porta, uel anaphora. In diametro autem huius ſigni, qui locus fuerit in octauo ab horoſcopo ſigno, epicataphora dicitur. Nouiſſima uero loca ſunt malæ fortunæ, ac mali dæmonis, in ſexto ab horoſcopo ſigno, & duodecimo. Catochen, recentiores medici uigilantem dicunt ſoporem. Catalepſis uero dicitur occupatio. In his poſteriora cerebri infeſtantur. Verum ut in ſopore clauduntur palpebræ, ita in catalepſi apertæ perſeuerant. Caros porrò, de quo diximus, non ſoporem modo ſignat: ſed pro ebrietate item ponitur, & qualibet capitis grauitate, etiam ex percuſſione, quũ efficimur uelut attoniti. Quin eum, qui honoribus nimijs externatur quodammodo mente, ac ſtupet, ἐκπαρωμλνον Græci uocant. Apollonius Argonauticôn ſecundo, caron uidetur σκότωσιν, id eſt uertiginem, intelligere:

Καῤῥῳ δὲ μιν ἀμφεκάλυψε
Γοργύρεος, γαῖαν δὲ πέριξ ἐδίνησε φέρεσθαι.

hoc eſt, uertigo ipſum comprehẽdit nigra, terram uero putabat circumferri. Caroticas uenas appellat Galenus in libro De iuuamento anhelitus, quæ in collo ſunt. Eas ſi quis comprimat, corruit homo dormienti aſſimilis, ſequiturq; corporis totius immobilitas. Earum item mentionem Ariſtoteles facit De animalium hiſtorijs libro tertio. Et qua ſcinduntur primum, ſphragitidas appellari ſcribit, id eſt iugulares, ut Theodorus uertit. Cæterum de ijs facta nobis alibi mentio eſt. Illud uero Homericum,

Τίω δὲ μιν ὡς κακὸς ἄλσσῃ

hoc eſt, æquè ac Carem ipſum exiſtimo: ſic enim quidam legunt: diuerſum ab hoc ſenſum habet, declarabitur tamen: quid enim attulerit nocumenti? Tanti (inquit) facio, quanti mercenarium. Primi ſiquidem mortalium Cares mercede cœperunt militare, ac proinde ut uiliores, paſſim infamari cœpti. Porrò & compertam mandragoræ grauedinem alicubi leges pro torpore marcido, & capitis grauitate ſomnolenta. Quod ipſum

ipſum & Plinij cõprobatur auctoritate, in mandragoræ mentione libro uigeſimo quinto. Alias uero eſt grauedo humoris è capite fluctio, unde grauedinoſi dicantur. Coryzan Græci uocant, Paulo Aegineta interprete, libro tertio De medicina, ſi uiſcoſi craſſiq; humoris in nares uis decubuit. Catarrhum, ſi φάρυγξ, id eſt fauces infeſtantur, ac thorax & palatum. Vbi uero in larynge & arteria ſeſe cauſatio oſtentat, & in gutture εἰς βρόγχον, ut inquit Galenus, branchon nuncupant: atq; item arteriam affectionem, ut idem inquit Paulus. nam arhticum, ſeu uerius arthriticum, Cicero intelligit articulorum, quæ ἄρθρα uocant Græci, morbo laborantem. Etenim apud Paulum libro tertio, iſchias, id eſt ἰσχιάς, eſſe dicitur arthritidis ſpecies. Ab eodem podagrica nuncupatur affectio, & arthritica. Podagricam undecimo Therapeutices intelligit Galenus, qua pedes afficiuntur: arthriticam, qua corporis infeſtantur articuli omnes. Poros, id eſt πώρους, dicunt lapidoſas durities in podagrico malo concretas. Exarticulationem intelligimus, quum articulorũ immodica humectatio ligamẽta madefacit ac elaxat, totamq; articulationem ob lentitiam, lubricam reddit. Quandoq; uero quia oſſium concauitatum, quas cotylas uocant Græci, ſupercilia circumfranguntur. Arthritim in Diffinitionibus eſſe ſtatuit Galenus, inflammationem articulorum immanentem diu, ac neruis malè affectis ualidos acresq; cientẽ dolores. Exarticulatio uero, id eſt exarthrema, ſiue ἐξάρθρημα dicitur, item ἔκπτωσις ἄρθρου ἀπὸ τῆς οἰκείας κοιλότητος, ὥστε τὸ ἀσωμάτωτες, id eſt articuli à cauitate propria dilapſus ad inſuetum locum, unde παρεμπλὴν παραπλήσιαν κίνησις, id eſt propoſitus præpeditur motus. Cæterum iſchias & arthritis ac podagra magnitudine modo diſtinguunt: cauſis uero & locis πρωτοπαθοῦσι, iidem ſunt morbi. ex pituita ſiquidem gignuntur plurimũ, neruosq; afficiunt, quibus nectuntur articuli motumq; indipiſcuntur. Iſchias tamen, id eſt ἰσχιὰς in iſchio, id eſt coxarum progignitur uertebro, uerum ad talos uſq; pertingit quandoq;. ſicut elephantiaſis ex pituita prouenit craſſa & bile atra, quæ βλεγμώδης maxime eſt. Hi uero humores cutem reddunt ferinam, quando & hinc nacta nomen affectio eſt, Galeno tradente: efficitur nanq; durior cutis craſſiorq;, ut elephanti corio prorſum uideatur aſſimilis. Verum de affectionis huius ratione Paulus Aegineta libri quarti, capite primo plura. Elephas itẽ nuncupatur doctiſſimis. Sed ſcitu dignum, ex uictus ratione, ac cæli æſtu apud Alexandriam uigere plurimum. In Germania uero ac Myſia rarẽter admodum quenquam ita inficit: atque eodem modo apud Scythas galactopotas nunquam uiſum ferè. At in Alexandria diætæ modus plurimum id genus concinnare ualet. athara ſiquidem ueſcuntur, ſiue pulte, id eſt farina frixa, nec lentẽ abnuunt, uel ſalſamenta, aut limaces: quidam nec aſininas carnes, aut eiuſmodi alia, quibus chymi uis comparatur craſſior, ὁ μελαγχολικός. Quod quum alibi, tum in ſecundo ad Glauconẽ cõprobat Galenus. Elephanticos nuncupat Firmicus elephantiaſi laborantes. Apud Galenum eſſe corpus quoddam carthilagineum ſecundum aſperam arteriam legimus, quod bronchion appellatum tradit: alibi etiam bronchon. Porrò ubi ingens oborta eſt inflammatio, uel eryſipelas, uel abſceſſus, arteriarum pulſum cum dolore ſentimus. Quum alioquí citra dolorem pulſare, ad ſolas pertineat arterias. An & hæc dici aliquo modo arthetica poſſit affectio, diſceptabunt medicæ rei periti.

Item de ratione otij pluſcula. Domus optima quæ nam ſit. Exercitij cum natura ſocietas: itemq; eius ſpecies. De frictionis ſpecie non una. Apotherapia, apotherapeutice, præparatoria. Caput III

QVamuis affatim paulo antè ac multo ſermonis axiomate de otio tractarimus, congeſtis quæ ad manum (ut dicitur) fuere, adijcí non inſcitè tamen & iſta poſſunt: Draconem, cuius iam facta nobis mentio eſt, celebrem apud Athenas latorem legũ, eos qui otij damnati forẽt, capite cenſuiſſe mulctandos. Hinc factum reor, ut illum orator Demades non atramẽto, uerum ſanguine leges condidiſſe, dictaret. At in quibuſdam gentibus otium, non in ultimis habitũ laudibus, inuenio. Siquidem auctor Herodotus eſt, apud quoſdam Thracas otioſum eſſe pro honeſtiſſimo iudicatum, agricolatorem uero pro contemptiſſimo. Et amplius, inquit, inter eos hi ſunt inſigniſſimi mores. Sicut item è bello & rapto uiuere, pulcherrimum, & punctas eſſe notis frontes, nobiliſſimum cenſebatur. Inſuper ex Lycurgi inſtitutis illud

eximie

eximiè laudatur, ut pulcherrima res ac beatiſſima, quòd ciuibus ſuis otij copiam peperiſſet & ubertatem. Cautum enim ab eo eſt, ne quis omnino quicquam ulgarium artium attingeret. Proinde quum Athenis quidã iudicijs fortè intereſſet, audiſſetq́, otij mulctæ obnoxium quendam mœſtum incedere, & ab amicis reduci, qui & ipſi rem ægrè, ac iniquè ferrent, ex quopiam inſtitit quærere, qui nam foret is, qui liberalem ſubijſſet mulctam. Nam & illa fuit Areopagitarum functio, ut unde quis ſe aleret, accuratè ſcrutarentur, inq́ deſidia compertos non citra mulctam tranſmitterent. Cæterum prius, quàm uela parte hac complicemus gradum ad alia facturi, Plinij Cæcilij, ac Plutarchi ſententias, uelut cõniuentes non tranſiliemus. Ex quibus prior Minutium quendam monens, longè præſtare uacuũ eſſe, quàm ineptis implicari laboribus: Satius (inquit) eſt, ut Attilius noſter eruditiſſimè ſimul & facetiſſimè dixit, otioſum eſſe, quàm nihil agere. qualem fermè ſenſum expreſſit Valerius Martialis,

Eſt, non eſt, quod agas, Attale ſemper agis.

Idem Plinius libro quinto, copioſum otium altius uocat, & pinguius. Plutarchus in ſeptem ſapiẽtum ſympoſio iniectum ſcribit ſermonem, Quæ nam maxime felix domus foret. In eo uelut in ſymbolum, quiſq́ quod ſentiret, protulit. Ac princeps Solon, optimam ſibi domum uideri pronuntiauit, in qua pecuniæ forent bono comparatæ modo, nec earũ cuſtodes haberentur infidi, nec erogatis ſubſequeretur pœnitentia. Bias eam cenſuit optimam, in qua per ſe dominus exiſtat talis, cuiuſmodi extrà eſt ex lege. Thales uero, ubi otio pingui domino perfrui licet. Cleobulus, ſi plures multo ſint, qui dominum amẽt, quàm qui reformident. Pittacus eam prætulit, quæ tum neceſſarijs, tum redundantibus ſuperflueret. Chilon, adminiſtrationi regiæ domum oportere eſſe aſſimilem ſtatuit. Nam Lycurgum ferunt, quum ſummonuiſſet quiſpiam, Democratiam induceret: intuliſſe, Hanc prius in domo ipſe conſtitueret. Illa poſtremo memoratu digniſſima, quæ erunt auctaria, adiectis præterea de exercitio pauculis. P. Scipionẽ, qui prior Aphricanus eſt appellatus, dicere ſolitum, ſcripſit Cato, qui fuit ferè eius æqualis: Nunquã ſe minus otioſum eſſe, quàm quum otioſus: nec minus ſolum, quàm quum ſolus. Magnifica uero uox, inquit M. Tullius, & magno uiro & ſapiente digna, quæ declarat, illum & in otio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitũ: ut neq́ ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius nõ egeret. Idem Cato dicere ſolebat, Non minus otij, quàm negotij clarorum uirorum rationem extare oportere. At ediuerſo Galba dictitabat, Neminem otij ſui rationem reddere cogi. Dignum quod parte hac non prætereatur, Aeropum Macedoniæ regem, ſi quando foret ab negotijs feriatus, τραπεζίαν, id eſt menſulas, & lychnidia faberrimè ſtruere conſueſſe. Sicuti Attalus, φιλομήτωρ qui dicitur, herbas impendio excolebat φαρμακώδεις, quibus expurgantur corpora, detergunturq́. Parthorum reges ſagittarum cuſpidibus recte exacuminatis ſculptisq́ gloriabantur. Videtur autem inſcitè nimis otij ſuffragator Aſclepiades, cui accedit ferè Eraſiſtratus quoq́: tollunt ſiquidem exercitationes, ac liquidò damnant. Cæteris medicæ ſcientiæ peritiſſimis ſic approbantibus, ut non euhexia modo inde, id eſt corporis habitudo bona concipiatur, ſed & ſanitas paretur eminenter. Quando illis adeo affinis internoſcitur hominis natura, ut quamuis occluſi conſeptiq́ pueri diſcurrant tamen, ac brutorũ more laſciuiant plerunq́. Quippe ſuapte ui excitatur unum quodq́ ad appetitiones eas, quibus ſanitas comparetur, ac ſalus. Cæterum obiter ut aliquid ſubnotemus: exercitij pro motionum diſcriminibus tres minimũ ab Galeno traduntur modi: nam aut à nobis motamur ipſis, aut agitatione extima, uel pharmacis. Motus alienus nauigando perficitur, equitando, uehendo, cunis, lectulis, ulnis. De exercitio ſic ferè in ſententijs Hippocrates, Labor cibum præcedat. Sed & in morborum populariũ ſexta lucubratione: Labor, cibus, potio, ſomnus, Venus, omnia mediocria. Quod de Venere ait, intellige (Galeno interprete) in ijs quibus Venere utendum eſt, ſiquidem eſt Venus ætate tantum florentium. Quæ uero anteit ætas, uel ſequitur, aut ſemine caret, aut ſterile profundit, uel non recte ferax. Motus autem concitatior exercitij nomen ſubit. Huic cancellos circumponit anhelitus, ut ſic dicam, alteratio. Et hoc commune fuerit exercitium. At proprium, cui ab loco facta nomenclatura eſt, quem gymnaſium nuncupant: quo ungendi, fricandi, luctaturi, diſcum iacturi conueniunt. In hac

hac re id cauendum impensius, ne dum exercemur, incocti cibi aut succi multitudo in uentre aut uasis contineatur. Frictionem inter exercitia Græci ueteres ἀνάτριψιν uocant, recentiores etiam τρῖψιν, Latini frictum, & perfrictionem. Huius uero portio quædam ab gymnastis, præcipuè recentioribus, apotherapia nuncupatur, quæ post exercitationem adhibetur. Nam præparatoria quæ dicitur, ad exercendum corpora præparat: apotherapeuticen Latinè recuratoriam dixeris non inepte.

De halyce, siue hale, quam pandiculationem Latinè dicamus, uel anxitudinem, aut etiam anxietatem. Plutarchi loca duo suæ redduntur luci. Gelliana restituitur lectio. Elucus. Item de oscitandi ratione. Quæ dicantur oscitationes apud Papinium. Haliæ mulieres. Halica oratio. Caput IIII

VVm à studijs nostratibus in medicorum scholas nuper diuertissem, in multa sciendorum congerie non defuit, quod excerpendum bonisq; communicandum omnibus ingereret sese. Cuiusmodi quod prænotauimus, & hoc quod mox delineabimus. Esse quum in sanis, tum maximè in affectis, ac iam decumbentibus, quam halycen Hippocrates uocauit, plerique uero etiam halen, Latinè anxitudinẽ possumus interpretari: sunt qui pandiculationẽ malint. Ea uero est, quum quis toto corpore extenditur. Inter sanos igitur halycen dicunt, quum præsentia subinde stomachamur, ægreq; ferimus, & ab actione una ac negotio ad negotium demigramus. Itidem anxios esse ægros animaduertimus, qui accubitum non perferentes figuras euariant: quia semper præsens eos aggrauat. Hoc uero illis obtingere potissimum, deprehensum est, quibus in ore uentriculi, quod nos abutentes uocabulo sæpe stomachi nomenclatura consueuimus insignire, humoris aliqua propria qualitas continetur, uentriculo infesta: quæ tamen nec redundans est, nec in uentriculi fluitat cauitate, sed tunicæ eam imbibere. Hinc à Græcis ἁλύειν positum pro ᾧ ἄλη ἀνσφορᾷ, id est anxitudine obturbari molestè: quamuis etiam lætari signet, ut apud Homerum, ἀχὴ τῆς ἀλείης καὶ ὀλοχύσεως. Homerus,

ἦ ἁλύεις, ὅτι οἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλητῆ;

Et Sophocles ita scribit, ἐάτε μὲ ὧδ' ἁλύειν.

Quidam ita distinguunt, ut aspiremus primæ, ubi gaudium exprimas: q; si molestiam, contraria obsignemus nota. In notione utraq;, psilen seruauit Didymus. Ex Atticæ uero linguæ proprietate, est utrobiq; flatilem admittere. Ex hac mentione commonemur ut Gellij codicem restituamus in integrum, deluxatum fœdè, nec ab eruditorum quopiam animaduersum: ita enim in peruulgatis exemplaribus enotatum libro decimo sexto inuenias, capite duodecimo: Item halucinari factum scripsit Cloatius Verus, ex eo quod dicitur Græcè ἁλύειν: unde lucum quoq; esse dictum putat, G litera in C conuersa. Tu uero expuncta dictione nihili & cassa, quæ est Lucum, substitue ac repone Elucum. ubi uero scribitur, mutari G in C: scribe, A in E conuersa. Siquidem elucum dicimus, qui illam sentit animi tarditatem & stuporem, qui halucinantibus plerunque usu uenit Id ita esse, ut astruimus, ex Pompeij Festi auctoritate liquet, in litera E sic prodentis: Elucus significat languidum ac semisomnum, uel (ut alij uolunt) halucinatorem, & nugarum amatorem: siue alonem, id est hesterno uino languentem, quem Græci ἠωλῆν dicunt. Idem tamen auctor in H litera: Helucus, inquit, ab hiatu & oscitatione dictus. Vsurpant Rhodigini mei uocem hanc morionem aliquem subsanantes. In hunc sensum accipit uerbum ἁλύειν Plutarchus in Romulo: ὁ νεώκορος, inquit, τὸν ἡρακλείους ἁλύων ὡς ἔοικεν ὑπὸ σχολῆς, id est Herculis sacerdos otio languens halucinabundusq;. Sed interpres eo uerbo, lasciuientem otio reddidit. Quin & in Pyrrho historicus idem: Hic autem, inquit, nec cæteris negotium facessere, nec ab alijs pati, ἄλλῳ πνὶ ναυπώλῃ arbitratus, otium concoquere non ualebat. Interpres nauseam modo transtulit, eruditis auribus haud faciens satis. Porrò, ut ab diuerticulo repetatur fabula: primo Canonis apud Auicennam lego, Halycem contingere ob superfluitates quæ in musculis coeant, ideoq; à somno frequenter euenire: quòd si affluentior is fuerit humor, fieri inde horripilationem (ut interim sic appellem) putat, & tremorem: at si nimio plus redundarit, etiam induci febrem. Oscedinem quoq; esse affectionis huius speciem tradit, prouenire q; in mandibularũ musculis & thoracis. Ea si recte ualenti in primis

mis citra cauſam acciderit, eſſe ait malum, præſertim ſi frequens fuerit: quia materiæ ſignificatur exuberãtia, & corporis febricitationi propinqua diſpoſitio. Oſcitatio probatur, quæ à digeſtione aſſueuit obuenire: inde enim ſuperfluitatum in muſculis aggregatarum expulſio ſignificatur. Halyces interdum conciliat frigus atq; oſcitationes: eo nanq; præfarciuntur cutis pori, ſeu meatus: quæ ratio ſub cute fumidos compeſcit uapores, quos per halycem oſcitationemq; protrudere ſatagit natura. Quamobrẽ etiam cutis denſitas id ipſum producit quod frigus. Sed & reſolutionis paucitas, necnon excitatio à ſomno immatura. Galenus libro in Sententias Hippocratis ſeptimo: Oſcitare, inquit, ſicut & pandiculari, cõtenta aliqua in muſculis, per quos tales fiunt motus, quos pandiculationes ac oſcitationes nominamus, uel humiditate flatuoſa uel ſpiritu uaporoſo fieri, eſt à nobis demonſtratum. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Illud operæ leuioris fuerit, oſcitationes dici à Papinio negligentes compoſitiones, & halucinantis animi partum: quoniam fluxæ atq; apertæ ſecuritatis, & uagi animi indicium ſit oſcitatio. Sed & Cicero: Adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis ducis. Oſcitantes in Andria Terentij interpretatur Donatus, ſecuros, nil prouidentes. Haliæ autem mulieres fuerunt, quæ contra Argiuos & Perſeum cum Dionyſio depugnarunt, mortuæq; in prælio, apud Argos tamen adeptæ monumentum feruntur, quod dicitur γυναικῶν τάφος, à quo non longè χάλκειον abeſt, quod ueteris artificij ſtatuas ſuſtinet. Fuit & Halica ciuitas: unde Halica oratio in Epidauriorum ſtelis, quibus Aeſculapij continebantur medicamenta.

An probabile ſit, labi è cœlo ſtellas. Olta λίφου apud Ammianum Marcellinum. Antinoi ſtella. Traiectiones quid, & ſecundaria. Caput v

QVæſitum ſæpe non in plebe uulgaria modo, ſed inter claſſicos quoq;, ac primæ notæ cõditores, Sit ne, uti uidetur, ſtellarum è cælo caſus aliquis. Quam rem adcredidiſſe Poetam nobilem ſuſpicari poſſumus, dum Georgico primo ita canit:

Sæpe etiam ſtellas, uento impellente, uidebis
Præcipites cælo labi, noctiſq; per umbras
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Sed quod grauius multo eſt, Euangelica ueritas Matthæi uigeſimoquarto: Cadent de cælo ſtellæ. Ioannes item theologus Apocalypſeos ſexto, Stellæ de cælo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, quum à uento mouetur. Cæterum abſurdiſſimè dici iſta, & præter naturæ rationem, quis abnegat? Nam qui philoſophiæ ſacraria ſaltem à limine introſpexerit, illud ignorare non poteſt, Corpus cęleſte nullum, aut partem omnino aliquam prolabi è cælo poſſe: quia ex Ariſtotelis aſtipulatu primo Cæli, Sublimia nec grauia ſunt, nec corruptioni obuia. Quælibet uero ſtella aut eſt pars globi in quo eſt, aut illi cognatum corpus, incluſumq;, in quo ſit lucis accumulatio præſignis. Nam ſecundo operis eiuſdem ſic ſancit Philoſophus, Eſſe ſtellas luminis aggregationem. Ex quibus colligi licet, uaniſſimũ eſſe, ſyderum admittere labem aliquam, aut cæleſtibus interitum ingruere. Nanque in idem feruntur naturæ ratione totum & pars. At corpori quod circumfertur, non contingit alio agitari motu, quàm circulari: neq; igitur particularum ulli. Localis autẽ motus aut rectus eſt, aut orbicularis, aut ex ijs mixtus, ut compoſitorum corporum. Quòd ſi qui amplius aſtruere ſecus adnitatur, ſciat eſſe apud Euripidem, Μωρὰ γὰρ μωροῦ λέγει.

Fulgor ille immortalis eſt, ac incõcuſſus: ni deſtituimus naturæ capacium uirorum ueſtigia. Aeterna eſt, inquit Plinius, cæleſtibus natura intexentibus mundum intextuq; concretis. Sunt qui opinentur, eſſe ignis ætherei ἀποῤῥοίας quaſdam, id eſt defluxus, qui obtingant, ubi uehementior uentus ſcandat altius, & inde ſecum auferat, quod ſtellarum præferat caſum, dicaturq; aſteroides. Aut, ſicut idem refert Plinius, ſi tamen creditur, ſydera nimio alimento tracti humoris igneam uim abundantia reddunt, quũ decidere putantur: ut apud nos quoq; luminibus accenſis liquore olei notamus accidere. Huiuſmodi uero igneum nitorem ſcribit Ammianus Marcellinus uocari λίφου ὄλταν, quĩ nec cadat unquam, nec terram contingat. Corpora enim, inquit, qui credat cælitus poſſe labi, profanus meritò iudicatur, ac demens. Vbi autem iſta contingant, nil uideri tentan-

ri tentandum, uates cecinere Hetruſci, ex Tarquitianis libris, titulo De rebus diuinis. Oltam monſtram in fulminum ratione apud Plinium legimus. Verum an Marcellini codex inſyncerus circumferatur, perpenſione amplius dignum. Stellam porro ab ſe uiſam, quæ Antinoi foret, aiebat Adrianus: quod ſcribit Dion. Fuerat autem Antinous eximiæ pulchritudinis puer, uel ab Adriano immolatus, uti creditur fere, quòd magicis uteretur ſacris, uel quòd ſponte oppetiſſet, quũ indigeret Imperator hominis ſponte occumbentis anima. Quod à me ideo huic inſertum loco eſt, ut ueterum luſus adnotaremus, nunc è cælo ſtellas præcipitantium, nunc nouas adoptantium, prout cuique fuiſſet collibitum. Quæ uanitas in Cæſare dilucet quoq; Tropologicam eſſe putat Auguſtinus loquutionem, quum labi de cælo ſtellæ in ſanctis dicuntur literis. Nam inde dici interpretantur apud Euangeliſtam, quia lumine uidebuntur intimo priuari, ingerente ſeſe amplius coruſcante claritate alia. Sunt qui ad conflagrationem referant futuram, in qua calore ac ſiccitate præualentibus, ita igneſcẽt ſuperiora, ut ruentium de cælo ſtellarum ſpeciem ſint præbitura. Ptolemæus in Centum enuntiatorum commentatione, διαϐήτας uocat hoc genus traiectiones, hoc eſt tranſcurrentes ſtellas, uti ſunt ignitæ trabes, item faces ac iacula. Plinius ſtellarum diſcurſus dicit. Haſce aeris ſiccitatem indicare, idem prodit Ptolemæus: indeq; etiam uentum, necnon aquarum imminutiones, quin & hoſtium aſſultus. Sciendum etiam illud, Crinitas & traiectiones ſecundaria nuncupari, quia ſecundas in iudicijs ferant.

Impoſtura nõ utendum. Titi imperatoris bonitas. Glauci hiſtoria. Item de Glauco Caryſtio, deq; ſciamachia & chironomia & ſciagraphia, acrochiriſmo & acrochiri, corico & ſcariphiſmo. Exercitationis diſtinctio. Ecplethriſſare, pityliſſare, tactici, chiropedæ. Apollodorus pictor. Symmachia, epimachia, ſciadion. De hoplomachicis motibus, & monomachia. Mantica armatura.

Cap. VI

CHryſippi illius Stoicorum olim maximi apophthegma celeberrimum eſt. Qui ſtadium cucurrerit, eniti & cõtendere debere quàm poſſit maxime, ut uincat: ſupplantare eum, qui quum certet, aut manu uel qualicunq; aſtu depellere, nullo modo debere. Sic & in uita ſibi quenq; petere quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt: alteri diripere ius non eſt. At ſi amplius attẽdamus, quotum quenq; reperias, qui philoſophi pręclari placita ſanctiſſima fronte attrita nõ tranſiliat modo, ſed exculcet plane ac proterat? Quot ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi uelis quibuſdam obtenditur uniuſcuiuſq; natura? Notiſſima eſt ad hoc præcipue ſpectans M. Tullij ſententia: Frons, oculi, uultus perſæpe mentiũtur, oratio autem ſæpiſſime. Nec tempeſtatis noſtræ prauitatem diſcutio nunc, qua omne in præcipiti uitium ſtetit. Vetera retexere lubet amplius, ut interim ab ijs quæ anxium exulcerant, auocetur animus. Si cõmonuerimus antea, Titi bonitatis exemplum fere ſingulare ſummis efferri laudibus, quòd inſidiantem Domitianum trucidare non ſuſtinuerit, propterea moriens in ea prorupit uerba, ut diceret, ὦ μόνου ἐπλημμελήκα, id eſt nullum ſuum factum extare pœnitẽdum, uno tantum excepto. Scribit in commentatione De ijs qui ſero à numine puniũtur, Plutarchus, ad hunc fere modum: Qui autem in tyrannide & coniurationibus homines immolarunt, ſicut Apollodorus: aut qui amicorum interceperе pecunias, uelut Glaucus Epicydis: puto, nulla ducebantur pœnitentia, nec ſe oderant, aut perpetrati facinoris conſciẽtia lancinabantur. Ego uero, ſi dicere licet, nec hominis nec dei caſtigatione egere impios contenderim, uerum ſupplicijs ſufficere ipſorum uitam, flagitiorum immanitate corruptam labefactatamq;, & turbulentam in primis ac fluctuantem. Hactenus ex Plutarcho. Qui uero fuerit Glaucus, quem hac parte cõuellit deformatq; philoſophus iſte, aut quo denique modo furti ac mali dõli ſe alligarit, facturum me operæpretium reor, ſi quantum ex Herodoti (ut aiunt) hiſtorię parentis lectione ſum uenatus, indagine certa fuero perſequutus. Fuit ergo Spartanus ciuis Glaucus hic, quum aliarum uirtutũ laudibus præcellens, tum uero iuſtitiæ imagine una uel pręſtantiſſimus. Hac tam celebri, tamq; conſtanti permotus fama Mileſius quidam pergere Spartam contendit: adiensq; Glaucum, protinus ad eius ſe inquit bonitatem fruendam cõtuliſſe, ſpectandamq; iuſtitiã, quę uniuerſam peruagata Græciam,

dilapſa item in Ioniam foret. Proinde apud animum ſuum ita coniectaſſe raciocinãdo, Ioniam quidem uel præcipue diſcriminibus eſſe obiectam, Pelopõneſum mari undiq; conſtipatam obuallatamq́, fere tutiſſimam uideri, ac ab omnis periculi procella ſeiunctam: quo nomine ita ſtatuiſſe, cenſus ſui dimidium in pecuniam redactum numeratã, penes eum deponere. Propterea, tu (inquit) haſce pecunias cape, ſimulq; notam hanc, cum qua ſi quis argentum repetiturus aduenerit, tuæ fuerit bonitatis, omnia cum fide reſtituere. Pecuniam ea ratione ſuſcipit Glaucus. Poſtea annis aliquot interfluẽtibus, Mileſii eius liberi enauigant Spartam, Glaucum adeunt, depoſitum repoſcunt. At is humani ingenij more, inficiari, atq; homines ſuperbius repellere: ac demum, Volo (inquit) amplius meditari, ſi quid accepi, bona reſtituturus fide: ſin minus, noſtris moribus lege agam. Itaq; quarto ab hinc menſe huc reuertamini, cẽſeo. Diſceſſere illi, ut qui pecuniam prorſum inuncatam opinarẽtur, ſecq; actum agere, quod hominis uafri cuniculos ſubrui poſſe, deſponderent. Interim petit deos Glaucus, deum conſulit, Præſtet ne horco, hoc eſt iureiurando, pecuniã interuertere. Pythiam uero hiſce propemodũ uerſibus reſponſum ex adyto contexuiſſe accepimus:

Glauce Epicydides, equidem expedit ad breue tempus,
Sic horco uiciſſe, interuertiſſecq; nummos.
Deiera, & euorcum quoniam manet exitus idem.
Aſt horci natus, qui nomine, qui manibus, qui
Nullis eſt pedibus, rapide uenit, uſq; adeo dum
Conuoluens omnem perdat prolemq; domumq́,
Cum ſobole euorci melius ſed poſtea agetur.

His uero auditis, Glaucus territus & expauidus inſtitit ueniã petere: cui Pythia, Idem pollere inquit, deum tentare, & facere. Tum is Mileſiis integram pecuniam non quidem ſponte, aut inſita bonitate, ſed oraculi reſponſo atrociore compauidus reſtituit. Quod autem uates fuerat interminata, prorſum euenit: nam Glauci domus ex Sparta radicitus eſt extrita. Inuenio in Græcorum monumentis, fuiſſe item Glaucum Caryſtium pyctam, hoc eſt pugilem, coronatum quinta & uigeſima olympiade: quẽ etiam Pythia ter uiciſſe ferunt, Iſthmia decies, toto corpore generoſum quippiam oſtentantem. Hic quandoq; agrum coluit, quumq; caſu euenisſet, ut ab aratro excideret uomer, is manu uice mallei uſus uomerem facile reſtituit. Id ubi conſpicatus eſt pater, illum ratus in certaminibus fore inuictum, Olympiam ducere perrexit, in pugilatu decertaturum. Is uero, ut qui rerum eiuſmodi foret inſolens, ab aduerſarijs conficiebatur plagis, iamiamq; ſuccumbẽs deficiebat: inclamauit proſiliens pater, Percute qua aratrũ. Hoc ille ut ſtimulo concitatus, irruensq; uiolentius, ceu capto impetu, aduerſarium affixit. Ei mox erecta ſtatua eſt, habitu figuraq; in umbra pugnantis, quod foret Glaucus manuum agitatione ac motu inſuperabilis: id Græce ita enuntiatur, σκιαμαχοῦντος ἐπὶ ἀνδριὰς παρέχεται χεῖμα. Nam apud Græce peritos, ſciamachia umbratilis dicitur pugna, quæ etiam in prouerbium abijt, ὡς πρὸς ἀσκωλιαστάς, hoc eſt de ijs quæ fieri nequeunt. In Lucullo Plutarchus ſcribit, milites aera gladijs euerberantes, hoc eſt σκιαμαχοῦντας, è caſtris ſe proripuiſſe. Sciamachia uero à Galeno & Paulo Medicinæ primo, inter exercitationũ genera recenſetur. Id & in præceptis ſanitatis comprobat Plutarchus, qui σφαιρίζοντας nominat, id eſt, pila ludentes, & σκιαμαχοῦντας. Sed in libro De loquacitate, ſcribendi ſtudium ſciamachiam eleganter nuncupauit, quo etiam gratificandi prurigo ſedari exinaniriq; poſſe putat. Galenus uero De tuenda ſanitate libro ſecundo, ſic ſcribit: Aut ſub dio fit exercitatio, aut ſub tecto, aut in mixta umbra, quam ὑποσυμμιγῆ dicunt Græci. Sed & paulo poſt: Exercitatio, inquit, quæ celeritate peragitur, eſt curſus umbratilisq; armorũ meditatio. Quanquam & hoplomachicos motus idem dicit, qui in armorũ eduntur meditationibus. Sunt qui ſciamachiã interpretẽtur eam armorũ meditationẽ, quam dicat ſemidoctum uulgus uerbo deluxato, ſcrimiam: & ſciamachi ſint, qui eo modo ſe exerceant. Ad quod referri poteſt, quod de Glauci diximus ſtatua. Manifeſtum facit quod aſtruimus, quum libro quarto, de monomachis in conuiuio etiamnum decertantibus mentionem habet Athenæus. Celtæ, inquit ex Poſidonio, ad menſam μονομαχοῦσιν, in armis quippe exercitati σκιαμαχοῦσι, & inuicem

uicem ἀκροχειρίζονται: quandoq; etiam uſque ad uulnera progrediuntur. Inuentam à Mantineis monomachiam, eruditis placet: ſicuti hoplomachiam quoq; à Demea, non ita à ſciamachia diſſidentem. Argumẽto eſſe, ſtolam bellicam & ueterem armaturam dici Mantinicam. Acrochiriſmum fere pugilatum interpretantur: ita enim nuncupari creditur, quòd ſummis exercerẽtur manibus, concertarentq; utq; Galenus exponit, citra complexum. Nam & ſummum manus dicitur acrochiris. Meminit in ratione exercitij Paulus libro primo, qui & ἀπὸ τοῦ κορύνου exercitium nominat: follem intelligunt aliqui. Extat uerbum id apud Galenum quoq; libro Sanitatis tuendæ ſecundo: uerum ab folle diſparare uidetur & pila. Sic enim ſcribit: Tum corico, folle, pila, uel per halteres corpus fatigare. Sed mox paulo: Eſt cum celeritate exercitatio, quæ per corycum & pilam fit, utiq; quum à diſtantibus & currentibus adminiſtratur. Corycon & corycion pro pera, uel id genus inſtrumẽto, in holcadibus accipit Ariſtophanes: ſicut corycida quoq;. Quia uero in Galenum uolẽtes incidimus, ex eiuſdem theſauris mutuabimur id quoq;: Exercitium uiolentum citra uelocitatem, dici εὔπνοον, id eſt ualens: quod autem uiolenter fit, ac cum celeritate, σφοδρόν, id eſt uehemens. Superioris exemplũ eſt, foſſio, oneris prægrauis geſtatio, quæ robur exigunt: celeritatem non ita. Sequẽtis autem, ἐκπλεθείζειν, id eſt ecplethriſſare: quum in plethro, id eſt ſexta parte ſtadij, quis prorſum retrorſumq; uiciſſim, idq; ſæpe in utranq; partẽ ſine flexu curſitans, unoquoq; curſu de ſpatio demit, quoad denicq; in greſſu uno cõſtiterit. At πτυλίζειν, id eſt ptyliſſare, quum quis ſummis pedibus ingrediẽs, tenſas in ſublime manus, hanc antrorſum, illam retrorſum motet celerrime ante parietem, ut ſi quando aberret, facile apprehenſo ſurrigatur pariete. A ſciamachia haud ita longe diſsitam uolunt chironomiã, quam tactici, hoc eſt laniſtæ, doceant: cuius etiam meminerit Baſilius oratione quadam. Et Glaucum de quo diximus, Græci ſcribunt fuiſſe ὠκυτηλειότερον τὴν χειρονομίην, hoc eſt chironomiæ commodiorem: ſed Fabius legem geſtus interpretatur chironomiã libro primo, & manuum quidem ea proprie dicitur: uerum per catachreſim & ad alia membra relationem habet: nam legimus, ἐχειρονόμησε τοῖς σκέλεσιν ὁ ἱπποκλείδης, id eſt geſticulatus eſt pedibus Hippoclides: unde accuſatus, inuulgatum id iactatumq; ingeſsit οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ, non curæ eſt Hippoclidæ. Sed urbanius longe illud comici Antiphonis,

οὐχ ὁρᾷς ὀρχούμενον τὰς χεῖρσι τὸν Βάκχιλον.

nonne uides manibus ſaltantem Bacelum? At abuſionẽ hoc genus mirari non decet, ut quæ ſit uel frequentiſsima: ut cum chiropedas, manuũ dicimus uincula: nam pedum proprie, peda eſt. Quod autem de chironomia diximus, Galeni confirmatur auctoritate: Qui imbecillis ſunt (inquit) cruribus, hi ſuperioribus partibus exercentur melius, chironomijs, acrochiriſmis, diſci iactu, halterum uſu. Eſt & ſua pictoribus ſciagraphia, uelut umbris modo conſtans pictura, quod uocant σκιαφόν. nam & Apollodorũ ſciagraphũ legi apud Græcos, & meminit Euſtathius, ueluti σκιωγράφον dicas. Nam & σκιαγραφίαν ſunt, qui σκιωγραφίαν interpretẽtur. Hic porro Apollodorus pileum geſtabat rectum, pictura nobilis: id quod ex operum dilucet inſcriptionibus,

Μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.

Auctarium denicq; ſit illud quoq;: nam quia philoſophorũ oratio tanquam umbra eſt ac ænigma, hinc ſcariphiſmos feſtiue dicitur ab Ariſtophane. nam ſcariphos feſtucam ſignat, & ſarmentum, aut graphida potius. Symmachia uero ad ſciamachiã, de qua diximus, pertinet nihil. Eſt autem Thucydidi eo nomine confœderatio ijs inita legibus, ut ijdem cenſeantur amici, ijdem & inimici. Epimachia dicitur ab eodem, ſubſidiaria quædam ſocietas: ut utriq; alteris auxilia ſubmittant, ſi forte ingruat bellum. Sciadion umbellam indicat quidem Græcis, ſed & nomine eo intelliguntur flores circinati, flauiq; ſimilitudinis ratione, ut in fœniculo.

Impoſtorum hiſtoria complurĩ. De Dionyſio tyranno, Pythio, Galeno imperatore, Dercyllida, qui dictus eſt Siſyphus, Cleomene, Lyſandro. Perſonati qui ſint, & plani. Polytropi. Catenati. Pythagoras. De phelo, & maſthle. Locus Apulei reſtituitur. Phelax ficus. Maſti. Machli. Muſcularij. Schetlios qui. Oti qui dicũtur. Hoduri. Cacoethes. Cacoethe ulcera. Pſeudenedri.

Cap. VII

QVoniam uero in impoſtores incidimus, ac ſeſculyſſes, affabre ad hoc unum factos, quibus fraus domeſtica eſt, ſcaturiuntq́ uberius doli hoc genus mali, lepide (opinor) fecerimus, ſi eorũ aliquot dare nomina cogemus, ut cum adiumento iucundior lectio fiat. Ingerit uero ſe in hac cenſura omnium primus Dionyſius tyrannus, à quo feſtiuiter citharœdo impoſitum fuiſſe, in Commentario πρὶ τοῦ ἀκούειν, Plutarchus ſcribit. Cui mire grato in ſpectaculis quibuſdam multa ſe elargiturum Dionyſius eſt pollicitus, qui tamen ſequẽti die erogauit nihil, ut qui ſe abunde gratiam retuliſſe diceret, ὅσον γάρ, ἔφη, χρόνον εὐφραινόθ' ἅδων, τοσοῦτον ἔχαρες ἐλπίζων. quanto enim tempore oblectaſti canens, tanto etiam ſperans es oblectatus. Factum hoc Moralium nono Ariſtoteles prodit, quum is ceciniſſet in nuptijs ſcitiſſime: docetq́, haud quaquam par pari repenſum: quoniam alter quod uolebat, accepiſſet: alter, eo quod ſperabat, eſſet fruſtratus. At Pythij uafricia, nónne ſcita illa quidem & lepida prorſus, uerum illiberalis ac ciuili uiro indigna? Eam Ciceronis uerbis recte exponemus. Caius, inquit, Cannius eques Romanus, nec infacetus, & ſatis literatus, quum ſe Syracuſas otiandi cauſa cõtuliſſet, dictabat, ſe hortulos aliquos uelle emere. Id quum percrebuiſſet, Pythius quidã qui argentariam faceret Syracuſis, dixit, uenales quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti Cannio, ſi uellet, ut ſuis. Et ſimul ad cœnam inuitauit in poſterũ diem. Quum ille promiſiſſet, tum Pythius, ut argentarius qui eſſet apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe cõuocauit, ut ante ſuos hortulos poſtera die piſcarentur. Ad cœnam tempore uenit Cannius: opipare paratum erat conuiuium, Cymbarum ante oculos multitudo: pro ſe quiſq́ quod cœperat, afferebat. Ante pedes Pythij piſces abijciebantur. Tum Cannius: Quæſo, inquit, quid eſt, ó Pythi: tantúmne piſcium, tãtúmne cymbarum? Et ille: Quid mirum inquit, hoc loco eſt quicquid Syracuſis eſt piſcium, hic aquatio: hac uilla iſti carere non poſſunt. Incenſus Cannius cupiditate, contendit à Pythio, ut uenderet: grauare ille primo. Quid multa? impetrat: emit homo cupidus & locuples, tanti quanti uoluit Pythius, & emit inſtructos: nomina facit, negotium conficit: inuitat Cannius poſtera die familiares ſuos, uenit ipſe mature, ſcalmum nullum uidet: nullos ibi ſolere piſcari, audit: deluſum ſe recte aduertit. Stomachatur: ſed quid faceret? Nondum Aquilius protulerat de dolo malo formulas. Eſt autem dolus malus, quum aliud ſimulatur, aliud dicitur. Hoc qui faciunt omnes perfidi, improbi, malitioſi ſunt. Hæc Cicero. Illud uero relatu admodum iucundum, quod in Galeni imperatoris lectum uita eſt. Gemmarius quidam uitreas gẽmas, ut legitimas uerasq́ Imperatoris uxori magno pretio uendiderat, mox diluceſcente fraude, irata mulier ac indignatione furens hominem ad ſupplicium repoſcebat. Eum uero rapi iuſſit Imperator, ut conſcindendum leonibus confeſtim obiecturus. Stabat miſer in collimitio mortis prępallidus, ac terrore perfuſus, at is caponem immitti mandauit: quumq́ tam ridiculum euentum mirarentur omnes, per prẽconem edixit, Impoſturam fecit, impoſturam eſt paſſus: atq́ ita dimitti hominem iuſſit. Dercyllidam ſcribit libro Rerum Græcarum tertio Xenophon, fuiſſe ſagacis ingenij uirum & ad excogitandum prompti, ac (ut dicunt Græci) μηχανικόν, indeq́ cognominatum Siſyphum. Cleomenes Spartanus dierum ſeptem inducias, quas ἀνοχὰς uocant, cum Argiuis inierat: mox conſopitos pactionum fiducia, nocte ab illis tertia inuadens alios quidem contrucidauit, alios captiuos abduxit. Quum perfidiæ inſimularetur, noctes iuri iurando minime additas, eſt cauillatus. Quin & quicquid calamitatis hoſti ſit illatum, à dijs hominibusq́ comprobari. Sed enim hac factum impietate creditur, ut Argiua excideret ciuitate, ob quã fœdera exculcarat, à muliebri reiectus turba armis inſtructa, quæ templis detraxerat. Mox uero & mente externatus, gladiolo arrepto ſemet diſſecare cœpit, ab imis orſus pedibus, & ad letalia progreſſus, ridens interim ac geſtiens. Lyſander eorundem rex Spartanorum, quum ut cauillator & ſophiſtes uaferrimus dolo pleraque obiret, atq́ eo nomine male audiret, ut Hercule prorſum indignus, ridens, Quo (inquit) leonis non pertingat, uulpis aſſuẽda pellis eſt. Hoc uero genus homines recte perſonatos dixeris, qui offucijs ſutelisue, aliud omnino quàm ſint, præferunt, hominibus ſublinentes ora: quiq́, ut Seneca eleganter ait, perſonam malunt, quàm faciem. Nam apud Homerum Achilles illum ſe æque ac mortem odiſſe confirmat,

ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ

id eſt, qui aliud quidem mente occulat, aliud autem promat. Proinde nefas eſt ad hunc modum laudari Vlyſſem, quum ab Homero dicitur polytropos. Quin id uerius, adiectione huiuſmodi ſapientem pronuntiari, quoniam differendi poteſtate præcellant, ac intellectum eundem multis ualeant hi modis enuntiare. Quippe laudari Pythagoram nouimus, quòd cum pueris oratione uteretur puerili, cum mulieribus muliebri, cum principibus item congrua ijſdem, ac fortunæ apta præcipue. Siquidem inſcitiæ ſuum eſt, in perſonarum diuerſitate τὸν τοῦ λόγου μονότροπον, id eſt orationis modũ unum minus euitaſſe. Polytropon Ammianus Marcellinus multimorem tranſtuliſſe animaduertitur, & in malam partẽ accipere: Gaudentius (inquit) rem ut feriam detulerat ad Rufinum apparitionis præfecturæ prætorianæ tunc principem, multimorum ſemper, auidum hominem & collata prauitate famoſum. Inter fraudulentos ſunt & quos appellat Hieronymus catenatos, ut qui catenis præcingantur ferreis ſanctimoniam prętendentes. Apud eundem obſeruatum & illud: Si tunica, inquit, non canduerit, ſtatim illud è triuio, Impoſtor & Græcus eſt. Verum ab diuerticulo fabulam repeto. Sunt inter hos qui dicantur plani. Gellius putat in M. Tullij oratione pro Cluentio, Planos eſſe ſycophantas: ſicuti apud Laberium quoq;. Alij planos, non ſycophantas delatoresúe accipiunt, ſed ſcurras: nec hoc quidem ſimpliciter, ſed certos & ſui generis impoſtores decollatoresq;, à fallendo nominatos: ut docuit Athenæus. Inter hos maxime memorabilis Pantaleon, qui deceſſurus utriq; filio impoſuerit, ſeorſum ijs prodendo, qua parte domus infodiſſet aurum, quod nuſquam erat. Scurræ cuiuſdam plani in Epiſtolis lepide commeminit hiſce uerſibus Horatius,

Nec ſemel irriſus triuij's attollere curet
Fracto crure planum, licet illi plurima manet
Lachryma, per ſanctam dicat iuratus Oſirim
Credite, non ludo. Crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, uicinia tota reclamat.

Vſurpant municipes, ut ſic dicam, mei phelum quandoq; pro malo deceptoreq;. Id uero uetus uerbum eſt, ac Græcum: ſiquidem apud Menandrum φῆλος exponitur ἀπατεών, id eſt impoſtor. Sed & apud Antiphontem, phelomata dicuntur fraudes. φήλαξ apud Ariſtophanem ficum ſignat immaturam quidem, ſed quæ maturitatis ſpeciem præbeat. Cuiuſmodi etiam olynthum fere dicunt, noſtri groſſos, multitudinis numero intelligunt, uti quibuſdam placet, errore manifeſto. Rurſum qui nil firmum meditatur nil ſtabile, unumq; dicit, mox aliud facit, maſthles nũcupatur: ſed & emollitum lorum eodem dicitur nomine, ac mox figurate id maſtigiæ quoq; cõuenit cognomen: de quo fortaſſe Apuleius ſenſit in Magia, ubi uafricia inſignes recẽſens ait, Quis Palamedes, quis Siſyphus, quis denique Eurybates, aut Phrynondas talem excogitaſſet? Omnes iſti quos nominaui, & ſi qui præterea fuerunt dolo memorandi, ſi cum hac una Rufini fallacia contendantur, maſthlæ prorſus, & buccones uidebuntur. Legitur tamen in peruulgatis codicibus machi. Machi quidem apud Græcos, impij appellantur, & perditi, quos ἀσώτους dicunt, quaſi inſaluabiles. Sed ad ſenſum Apulej nihil. Maſtos uero uber eſt: unde in tuborum ratione ac aquæductuum, maſti: ſicut leones item. Hinc quo fundam coniectatio eſt, muſcularios ab Imperatore aquęductus nuncupari, de muſculorum in tubulis imagine. Legimus in Græcorum commentarijs, ſchetlium recte dici eum, qui petitionibus adnuat quidem, uerum mox præſtet nihil: ſed eo item nomine intelliguntur natura infeſtiuiores frigidioresq;, & qui dicuntur ὠθεναῖοι. Verum & qui multa perpeſſus eſt, dici ſchetlios ualet: quiq; nimio plus ſatagit, nec inhiberi poteſt, uideturq; ὀρμητίας, id eſt concitatus & præferuidus extra quàm oporteat. Cæterum ſcire conuenit, eſſe quandoq; fraudem bonam, quando AEſchylus ita inquit,

ἀπάτας δικαίας οὐκ ἀπόσκοπος θεός.

id eſt, fraude iuſta non abſtinet deus. Succinit Herodotus quoq;: ψεύδεα χρὴ τοῖσι ἀληθέα λέγοντα, λεγέσθω, id eſt, ubi dicere mendacium oportet, dicatur. Sic cum laude Vlyſſes fertur doloſus, uel, ut Græce item δόλιος. Qui uero fraudibus expoſiti ſunt, ac negotio prope nullo, inſita ſimplicitate decipiuntur, oti à comicis uocantur, ex auis natura,

quæ quum imitatrix ſit inde ab aucupibus facile capitur. Obiter illud adnotarim, ne pereat: Viarum ſubſeſſores, dici à Græcis hoduros, id eſt ὁδουρούς: ut in Archelao apud Euripidem,

ἔπεμψα δόλουρους, λυμεῶνας

Sed & in AEgeo Sophocles,

πῶς δῆθ' ὁδούρου δῆτ' ἐβλαψ λαθών.

Inſidiatores fictos in Matheſi Firmicus pſeudenedros nuncupat. Nam & apud Xenophontem, pſeudenedram legimus pro fictis inſidijs. Porro κακοηθεῖς homines, Græcis appellare mos eſt, qui quum prauitatis aut peſtilentis naturæ nil admodum præferant, mire tamen inſito perurunt ueneno. Nam & ἕλκη κακοήθη uocant, quæ aſpectu mitia uidentur, ui autem difficultatis continent plurimum. Paulus AEgineta cacoethe intelligit, in cicatricem uix coeuntia. Celſus, ulcera interpretatur mala. Sunt qui malefica: item chironia, ut quæ Chironis medicæ artis experientiſſimi opem requirant: uel Telephia, quando hoc mali genere conflictatus inſigniter Telephus ſit.

Vrbana quorũdam uafricia. Exemplum ignoti patris. De aſinario, & Pericle. Fraudum ſynonyma. De Ceretanis. Stellatura quid. Frumẽtaria perceptio. Piræ, piratæ, cattymata, ueteramenta, ueteratores. Cap. VIII

VNt tamen nonnulli, quos urbane uafros potius dixeris, quàm ueteratores aut perfidioſos, uel fallaces: ueluti patrem, cuius non prodit nomen hiſtoria, qui ubi animaduertit filium nobilioris puellæ illaqueatũ amoribus, ad eam ueſana rabie ferri, lepido mendacio furentem repreſſit impetum, indulgentius ſcorti uulgatioris concubitu illi permiſſo, quo ueſtigio reſtinctus ardor eſt prærabidus, & exhauſta libido in uetita craſſandi depoſuit conatum. Alexandro uero Macedoni, quũ reddita ſors eſſet: Eum qui primus occurriſſet, interimeret: ubi quẽdam præſe agentem aſellum uidit, arripi hominẽ ex oraculo cõfeſtim imperauit. Atis iamiam iugulandus, intellecta mortis ratione, proclamauit: Anteambulonẽ ſuum, non ſe, peti ex reſponſo, quando is obuiam latus eſſet prior. Proditur memoriæ: Periclem Athenienſium principem, uim pecuniæ non paruam ſub proditionis conditione Cleandro & Pliſtanacti Lacedæmoniorum Ephoris erogaſſe: mox quum adminiſtrationis rationem repeteret ciuitas, nolens uir prudentiſſimus ſe ſimul & Lacedæmonios deforma re, aſcripſit εἰς τὸ δέον ἀνήλωσε, quo utique ſignificabat, bono publico erogatam pecuniam. Sciẽdum uero fraudes & ueteratoriam uim ac colubrinum ingenium, pluribus exprimi uocabulis apud Græcos: Strophas enim dicunt, hypoſtrophas, paralogiſmos, paragogas, phenaciſmos, ſophiſmata, goetias, paraphoras, ſceuorias. AEolicũ pro fraudulento uſurpant priores, ac αἰολίζειν decipere eſt apud Hieroclem: quoniam eiuſmodi fuerint AEoles. Veniunt autem in decuriam eandem, quos paſſim modo Ceretanos nuncupamus: nam olim Cerete oppido ab Romanis ſolo æquato, inopes inde Ceretani per Italiam diſiecti, ut ſibi uitę neceſſaria corraderent, multarum ſcientiam rerum commenti, ac pleraq; conſarcinantes, quibus apud inſcitam plebem & pullatum circulum facile ſibi fidem doctrinæ multifariæ facerent, omnibus qui eadem graſſarentur uia, celebre ad poſteros dedere nomen. Stellaturam ſunt qui in fraudum uſurpent ratione. Illud grauius quod eruditis obſeruatum ſcio, Stellaturam in militaris annonæ erogatione uideri frumẽtarijs teſſeris perſimilem, quibus acceptis, plebi gratuitum diſtribuebatur frumentũ: quippe hac contributa, uilius conſtabat militibus annona. Meminit in Alexandro Lampridius. Frumentaria perceptio in ratione hac nũcupatur Iulio Capitolino in Antonini philoſophi uita: Ob hanc, inquit, cõiunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt. De ſtellatura in Peſcennio Nigro ſic Spartianus: tribunos duos, quos conſtitit ſtellaturas accepiſſe, lapidibus obrui ab auxiliaribus iuſſit. Lectum in Græcorum commẽtarijs eſt, ab Athenienſibus artes, doloſq; dici πεῖρας, unde nuncupentur Piratæ, οἱ περὶ θάλασσαν κακοῦργοι. Cattymata uocant Græci ſutelas doloſq;. Quanquam ſunt proprie ueteramenta: unde ueteramentarij, quos Palæurgos illi uocant. Sicut ueteramenta etiam palimpega, & palindoria. Sunt qui ex hac Cattymatis notione, ab ſuendis dolis Latine dici ueteratores opinentur. Dignum ſcitu: paſsim plebeia, ut rentur multi, uoce impoſtores deriſoresq; dici truphatores. Id uero ex media Græcia uerbum eſt. Nam in Cæſare apud Plutarchum, Decius Brutus Cæſarem hortabatur iret in ſenatum, ne illi obloquendi anſam præſtaret, qui alioqui χαῦνος καὶ τρυφερὸς uidebitur.

Conſi-

Cõsilij rationem esse præstantissimã. Eubulia, id est bona cõsultatio, quid sit. Eustochia. Collimatio, uel collineatio. Sisyphi & Autolyci historia. IX



Onsilium apud Platonem Socrates in Theage, seu in libro De sapientia, ἱερόν esse dicit, hoc est sacram rem. Polybius ab Euripide dictum sapientissime scribit, Consilio sapienti magnã uinci militum manum: hoc est, ut Græce dicamus potius,

Σοφὴν γὰρ βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ.

Et apud Homerum Agamemnon, si decẽ affuissent Nestori similes, facile se urbe hostica fuisse potiturum dicit: nam & Domitius Corbulo dolabra, id est sensu hostem uincendum dictitabat. Cæsar uero idem esse sibi cõsilium aduersus hostem, quòd medicæ artis peritis contra corporis uitia morbosúe, fame potius quàm ferro superãdi. Eadem ratione Paulum commemorare solitũ accepimus: Imperatorem, senem moribus esse oportere: quum innueret, prudẽtia grassandum & maturitate, ac moderatioribus semper inhærendum consilijs. Nam Aphricani uox clarissima, & quod dicendum sit, principis terrarum populi Imperatore digna: namq; quum eum, ut parum pugnacem quidam incesserẽt, Imperatorem (inquit) me mater, nõ bellatorem peperit. Fabius quoq; noster, rem esse in oratione præcipuam consilium, scribit: quia uarie, ac ad rerum uertitur momenta. Quid enim si præcipias Imperatori, quoties aciem instruet, dirigat frontem, cornua utrinq; promoueat, equites utrinque pro cornibus locet? Erit hęc quidem rectissima forte ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci. Hunc dictum scientissime à Seneca est: Consilia rebus aptantur, res nostræ feruntur, immo uoluuntur: ideo consilium nasci sub die debet: sed hoc quoq; tardum est nimis, Sub manu quoq; (quod aiunt) consilium nascatur. Huc respexit, qui totidem sibi Megabizos optauit, quot essent τῆς ῥοιᾶς κόκκοι, id est in malo punica grana. Aristoteles uero Moralium sexto: Videndum (inquit) est, εὐβουλία quid sit, utrum scientia aliqua, an opinio, an εὐστοχία, id est bona coniectatio. Quam non aliter accipio, quàm animi, oculorũq; ab scopo non deerrantem intentionẽ: quæ ab nostris dicitur collimatio, uel (ut alijs arridet amplius) collineatio: quod à uisualibus corriuatum lineis est, illud uero ab limis oculis. Et scientia quidem non est: non enim quærunt homines, de quibus sciunt. Qui uero consulit, quærit, ac ratione discurrit. sed nec eustochia: hæc enim sine discursu, & subito fit. consultatio uero longi temporis est, καί φασι, πρωΐ ἤειν μὲν δεῖν τάχυ βουλεύσασθαι, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. hoc est, longo quidem spatio consultandum, at ubi consulueris, matura facto opus esse. Rursum, aliud anchinœa est, siue solertia, aliud eubulia. Est enim coniectatio quædam solertia ipsa. Neq; item eubulia est dicẽda opinio aliqua. At quoniam qui male consulit, aberrat, qui uero recte, haud quaquam: patet, eubuliam esse directionem quandam, non scientiæ, non opinionis: nam scientiæ nõ est directio, quum absit error: opinionis uero directio, ueritas est. Verum nec sine ratione est eubulia. Reliquum igitur est, ut sit cogitationis. Hæc enim nondum assensio est: siquidem opinio, non quæstio est, sed iam assensio quædam est. Qui autem consulit, dubio procul, seu bene id agat, seu perperam, quærit aliquid & cogitat. Sed eubulia, est cõsilij directio quædam. Proinde quærendum prius, quid consilium sit, & circa quid. Est uero eubulia, directio secundum utilitatem, & secundum id cuius opus est, & ut, & quando. Eubulię fines duo sunt: simplex, id est felicitas: & particularis. Quum uero prudentũ sit bene consulere, erit utiq; eubulia, directio secundum utilitatem ad finem: cuius prudentia, uera existimatio est. Eubuliam uero Latine, quidam cõsultationem bonam transferunt: alij etiam promptitudinem. De quibus autem cõsultatio fiat, plura Ethicorum tertio: atq; item Magnorum moralium secundo. Digna uero relatu Sophoclis sentẽtia est ex Electra,

Βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἄλγιον' ἔχθιον κακῆς.

Id significat, Nil consilio malo inimicitius. Putat Seneca, ubi quid fugiendum, quidúe appetẽdum sit, uelis scire, ad bonum summum & propositum totius uitæ respiciendũ. Illi enim consentire debere, quicquid agas: neq; enim disponet singula, nisi cui iam uitæ suæ proposita est summa. Ideo peccamus, quia de partibus uitæ omnes deliberamus, de tota autem nemo. Plutarchus ait: Tempus esse cõsiliorum datorem optimum. Scribit Eustathius, celebrem apud Græcos fuisse paroemiam, ἢ νυκτὶ βουλή, id est, in

nocte consilium: unde, inquit, nox Euphrone nuncupatur. παρὰ τὸ εὖ φρονεῖν ἡμᾶς ἐν αὐτῇ, quod bene tunc sapere contingat. Propterea Euripides,

Νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ ἐφρόντισα.

id est, longo noctis tempore cogitaui. Huc & iactatum Homeri spectat illud, nõ oportere consulentem alijs uirum noctem dormire perpetem, quod is παννύχιον εὕδειν dicit. Vafriciei denique quoniam de hac agebamus ante paulo, illa sunt non negligenda, nec omnino habenda insuper exempla, quæ poetarũ studiosos mire iuuabunt. Corinthi regem Sisyphum calliditate præcipue insignem, pedibus animalium nomen suum μονογράμμαρον, id est literis singularijs solitum suppingere. Autolycum uero eius temporis furem illustrem, rapto quæsitorum interpolare formam assuetum, quum Sisyphi armenta rapuisset, nihilo secius argumento alias non audito esse deprehẽsum, quo nomine conflata mox amicitia, Anticliam filiam Sisypho tradidisse usurariam, quæ post utero grauis Laerti nupserit, unde Vlysses traditur natus. Quod in Aiace mastigophoro Sophoclis testantur interpretes: & inde mutuatus retulit Sudas, etiam si, ut in plerisq; alijs, codicibus maxime uitiatis.

Qui sint apud Senecã ordinarij gladiatores, & postulatitij. Restituitur in integrum Senecę lectio. Item de proxenis, proxenetis, philotrophis, & pararijs, astoxenis, doryxenis. Item de gladiatoribus non extrita quæpiam.

Caput X

SEneca Epistolarum ad Lucilium primo, ita scribit: Nunc omissis nugis, mera homicidia sunt: nihil habent quo tegãtur, ad ictum totius corporis expositi, nunquam frustra manum mittunt, hoc plerisq; ordinarijs paribus & postulatitijs præferunt. Quid ni præferant? non galea, non scuto repellitur ferrum. Omnia ista mortis moræ sunt. Hactenus Seneca. Quæsitum uero diu inter eruditos, quæ nam sint hic ordinaria paria, & quæ postulatitia. Sunt qui ordinarios dici gladiatores putẽt: quia sit, ut Festus inquit, ordinarius homo, scurra & improbus, qui stet in ordine prætorem adeuntium: uel quia minime ordine uiuit. Vlpianus Iurecõsultus Digestis de iniuria & famosis libellis, Multum interest, inquit, qualis seruus sit, bonæ frugi, ordinarius, dispensator: an uero uulgaris, uel mediastinus. Postulatitios intelligunt suppositititios, qui recentes fessis subijciebantur: de quibus Martialis,

Hermes suppositititius sibi ipsi. Sicut & pararij histriones, qui parabantur post Mimos item fessos. Ego uero amota uesica omni, & ampullis, sesquipedalibusq; uerbis sequestratis: modo ne quis Mineruam Athenis uiolasse me opinetur, aut bidental mouisse, ordinarios accipio gladiatores gladiaturæ in primis peritos, suoq; apparatu & ritu instructos, qui digladiaturi producerentur spectatorũ uoluptati, quiq; ex cõstitutione uel consuetudine exhiberi soliti erant: Sicuti ordinaria sunt Iureconsultis, quum fundus quotannis tantum præstare domino uel principi debet. Extraordinaria uero, quæ præter morem ex inopinato inducuntur. Et Seneca libro De ira tertio: Dedit mihi præturam, sed consulatũ speraueram, dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium consulem. Sic ergo & ordinarium gladiatorum apparatum in historia quando legimus. Nam & iustum ac legitimũ gladiatorũ spectaculum appellauit in Claudio Suetonius ex formula rituq; ordinario datum. Est & iudex, qui ordinarius dicitur: eum uero intelligunt, qui iure suo uel principis beneficio uniuersim iurisdictionem exercere potest. Item cui uniuersitas causarum commissa est, & qui à collegio eligitur, & à superiore cõfirmatur. Est item ordinarius legatus in prouincia super decretum: & hi duorum sunt generum: quidam enim administrationẽ habent: alij uero non habent, iudicant tamen. Sui erãt & militiæ ordinarij. Nam Bonosum, scribit Flauius Vopiscus, inter ordinarios militasse primum, mox inter equites. Ordinarios cõsules suffectis opponit Lampridius. Extra ordinem coercere, Iurecõsultis est arbitrio iudicis quempletere. Postulatitios porro gladiatores intelligo, qui postulante populo, præter ordinarios & consuetos exhiberi principis benignitate consueuerint. Id significat Tranquillus in Domitiano, quum ita scribit: Præterea quæstorijs muneribus, quæ olim omissa reuocauerat, ita semper interfuit, ut populo postulatẽ faceret, bina paria è suo ludo postulandi, quæ nouissima aulico apparatu induceret. Sed apertius, extraordinarium gladiatorum

diatorum ſpectaculum idem appellauit in Claudio: quin & in Martialis Epigrammaton primo, rem fere totam ita expreſſit:

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,
Promiſit pariter Cæſar utraque manu.

Porro apud Senecam non pararijs lego, quod de eruditorũ decuria præcipit quidam, ſed paribus: ut uetus & noua præfert lectio, & eſt perſpectius. Sic enim in hiſtorijs gladiatorum memorantur paria, ſicuti ex proxima Tranquilli aduocatione liquet. Nam pararij, apud Senecam De beneficijs libro ſecundo, non fere alij ſunt, quàm proxenetæ, hoc eſt mediatores, ut Apuleij uerbo utamur, conciliatores interceſſoresq́; inter emptorem uenditoremq́;. Quidam, inquit, uolunt nomina ſecum fieri, nec interponi parios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dare. Et Controuerſiarum tertio, Vt dominicæ libidini pararium faceret. Proxenetica & philotropha intelligere Vlpianus animaduertitur pro operulis contributa proxenetis ſalaria uel præmia. At qui uocantur proxeni, quorum crebra eſt Græcis hiſtoricis mentio, non fere alij erant, quàm hoſpitibus excipiendis præfecti, qui ex ciuitatibus aduentarent: propterea ciuitatum proſtatæ dicuntur, & phrontiſtæ. Proxenia uero nuncupatur munus eiuſmodi. Proxeni appellationem poſt Homerum irrepſiſſe, Euſtathius ſcribit. Eligi porro ſolitos uel à populo, uel à rege. Inde Herodotus tradit, Spartanis fuiſſe decorum regibus, quem uoluiſſent, demonſtrare, qui proxeni obiret functionem. quãquam parte hac tralatio Latina non incurioſa modo, ſed plane ignorabilis circunferatur. Sed amplius parte hac aduertendum: obſeruatum eſſe apud AElium Dionyſium, dici quidẽ proxenos ciuitatis hoſpites uniuerſæ, ad quos diuertant legati, ab eiſdemq́; ad populum producãtur. Aſtoxenos uero, qui ex maioribus quidem oriundi ciuibus, peregrini habẽtur nihilo minus, cuiuſmodi in Lydia Agamemnon. Doryxenos autem eſſe, qui belli occaſione aliquorum hoſpites fiunt. Pro amicis tamen in Electra uidetur Sophocles uſus ſimpliciter. At ſunt & qui uocẽtur idioxeni, hos intelligimus qui priuatim ac per iura ſubeunt hoſpitalitatis. Idem fere quòd AElius Dionyſius, de aſtoxenis ſentit Pauſanias: ſed Glauci exemplum profert apud Corinthum. Doryxenum interpretatur ex hoſte amicum, cuiuſmodi Glaucus & Diomedes, quiq́; captiuis liberãdis legati munere fungatur. Sciẽdum illud quoq́; metaphora pereleganti, eum qui cuiuſpiam boni uel mali cauſam præbeat, dici eius ipſius rei proxenum: ueluti hoſpitio ſuſceptam, ad alios mox traſmiſerit. Proxenum ſic interpretantur nonnulli, qui ciuis cuiuſcunq́ urbis conſuetudine deuinctus eſt, honeſtis ex cauſis cum republica aliena. Quippe φιλίαν, Græci amicitiam nuncupant, inter loci eiuſdem ciues. ξενίαν uero, id eſt hoſpitium inter patria ortos diuerſa. Quod ad gladiatores attinet, Antoninus philoſophus quum eos armaſſet, obſequẽtes appellauit latrones: quod Iulius ſcribit Capitolinus. Nec illud ignorandum: morẽ irroboraſſe quandoq́;, ut profecturi ad bellum Imperatores munus ẽderent gladiatoriũ, ac uenationes: ea cauſa, uti opinantur, ut ciuium ſanguine ſic fuſo, pugnæ quadam imagine, Nemeſis ſe, ut interpretantur, id eſt fortunæ uis quædam expleret: uel ut inſueſcerẽt milites uulnera inſpectare, ac cædes. Romani, ſicuti ſcribit Nicolaus Damaſcenus, ut eſt apud Athenæum, nõ in theatris modo & panagyri gladiatores exhibebant, morem à Tyrrhenis mutuati: ſed & in conuiuijs, duobus aut etiam tribus productis paribus, quæ dicit ipſe ξένια. Quin & teſtamento cauebant nonnulli, uti pulcherrimæ etiam puellæ decertarẽt, aut qui in delicijs fuiſſent impuberes: donec iniquitatem non ferens populus, id irritum habuit.

Cõſummati gladiatores qui dibantur. Aperitur Plinij difficultas. Item qui Samius gladiator apud Ciceronem, contra aliorum ſentẽtiam. Item gladiatorum petitiones, compoſitiones, cõmiſſiones. Batualia, batuatores. Senecam cur diceret Caligula cõmiſſiones meras. Crupellarij, & ferrati qui. XI

IN hac uero gladiatorũ mentione, non improbum fuerit aperuiſſe Plinij nodum ex octauo Naturalis hiſtorię, ubi de elephantorũ ſpectaculis diſſerens denicq́; ſic infert: Poſtea pugnauere ſinguli principibus Claudio & Neroni in conſummatione gladiatorum. Quæ ſit gladiatorum conſummatio in auctore doctiſsimo, arbitror plurimos diu & anxie quæſituros. Ipſe ijs uerbis intelligo gladiato-

gladiatores ueteranos, qui iam artis usu diuturno occalluissent: uel si placet, rudiarios etiam. Sic enim Prisciano interprete, dicuntur, qui rude donati gladiaturam desinunt, & publice alimenta capiunt. Cicero in Philippicis: Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? Hos uero interdum ad sanguinarias pugnas retrudi solitos, uel pretij inuitamento allici, Suetonius auctor est, Tiberium Cæsarē id factitasse memorans. Consummati uero gladiatores dicebātur emeriti, sicut milites cōsummatos appellari quando animaduertimus. Iulius Frontinus Stratagematon quarto: Curius, quum uictis ab eo Sabinis, ex senatusconsulto ampliaretur ei modus agri, quem cōsummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit, malum ciuem dicens, cui non esset id quod cæteris satis. Seneca uero in libro De breuitate uitæ: Quosdam, inquit, quum in consummationē dignitatis per mille indignationes erupissent, misera subit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri. Samiū porro gladiatorem apud M. Tullium Thusculana secunda, interpretantur eruditi, ut propriū gladiatoris nomen, fortassis ab insula Samo nominatum, ut serui dicuntur Cappadoces, Getæ, Daui. Cæterū qui amplius Ciceronis uerba excusserit, liquido cōperiet, doctius aliquid ab eo significatum. Quo uero expendi liberius sententia possit utraq; exscripsimus indidem pluscula. Quis inquit, mediocris gladiator ingemuit? quis uultum mutauit unquā? quis non modo stetit, uerum etiam decubuit turpiter? quis quum decubuisset, ferrum recipere iussus, collum contraxit? Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo ualet. Ergo hoc poterit Samius spurcus homo, uita illa dignus, locoq; uir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quā non meditatione & ratione corroboret: Hęc Cicero: in quibus neminem puto, etiam leberide cæciorem, non coniectare subesse quippiā subcutaneę, latentisq; eruditionis. Ego igitur Samium arbitror appellatum frontis inustę, ac (ut Plinius inquit) inscriptæ: uel certe uulneribus crebris consciſſæ ac cicatricosę: quoniam Samiorum frontibus, sicuti in Pericle docuit Plutarchus, Athenienses stigmata inussere: unde & Samij, dicti literati. Super qua re affatim alibi à me disputatum, commemini. Nisi quòd Samius legendū uidetur potius: nam est id Lucilij carmen ex quarto Satyrarum, uti à Nonio aduocari scimus, in uerbo spurcum. Id quod ne ceruicosior quis comminisci me putet, in rem pręsentem eundum protinus: sicq; legi oportere certa ducti ratione opinamur, ut in quadrum redigatur uetus obseruatio.

Eserninus fuit flacco ore, una equidem
Samnis, spurcus homo, uita illa dignu, locoq;
Cum Pacidiano componier, optumu multo
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Meminit rursum Cicero tertio De oratore, ac de optimo genere dicēdi. Dignum scitu: batualia nuncupari ab Sardiano Adamantio gladiatorum exercitationes: unde batuatores item dicantur. Nam Donatus: Batuetur, inquit, quasi uerberibus eijcietur, ac plagis. Agnoscit uerbum Plinius quoq;. Hinc libera subit coniectatio: Lentulum, qui Capuæ gladiatores alebat, unde Sparthaci belli origo, Batiatum esse cognominatum: sicuti auctor est Plutarchus in Crasso, ni quis batuatum malit reponere. Habentur inter gladiatores Andabatæ quoq;, qui clausis depugnarēt oculis. Arenarios uniuersim uocat cum Iureconsultis Firmicus. Nam qui machæra, id est gladio pugnant, machærati dicti. Verum ut in aliqua quodammodo parerga excurramus, inaudias quandoq; gladiatorum petitiones dici. Scito impetus uerbo eo proprie gladiatorios dici. Cicero, Quòd ergo tuas petitiones ita concitatas, ut uitari nullo modo possint, parua quadam declinatione defugi, & (ut aiūt) corpore excesi. Idem in Oratore, Vt enim athletas, nec multo secus gladiatores uidemus nihil nec uitando facere caute, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palęstram quandam: sic oratio nec plagam grauem facit, nisi petitio fuerit apta. Itaq; qualis eorum motus, quos apalęstos uocant, talis horum mihi uidetur oratio, qui non claudunt numeris sententias. Componi item gladiatores dicuntur, ubi in harenam depugnaturi producuntur. Quintilianus libro secundo: Quia sæpe gladiatores sub eodem magistro eruditi, inter se cōponuntur. Et Cicero ad Cælium: Quid tu, hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut uadimonia dilata mitteres? Dicuntur & commissiones. Nam & oratorum

quoq;

quoq; ac poetarum leguntur commiſſiones, ubi in mutuũ prodeunt certamen in ſpectaculis. In commiſſione poetica Papinium fuiſſe olim coronatum accepimus. Commiſſiones prætorũ pro æditionibus ludorum intelligimus. Caligula porro comptius ſcitiusq; ſcribendi reformidans genus, Senecam tum maxime placentem cõmiſſiones meras & arenam dicebat ſine calce. Ceu coniunctione careat eius dictio, ac oppoſitione, nec apte cohæreat, ſitq; importunior congeſtio inconcinniorq;, ut temere aceruatimq; facta citra delectũ. Id quod ex Demetrio agnoſcas licet, ſiue is Dionyſius ſit, in pragmatia De eloquutione, ubi de compoſitione agitur ſoluta & diuiſa ac coniuncta. Macrobius in Cœnis libro ſecundo. Sed & Laberius inquit, ſequenti ſtat in commiſſione, Mimo nouo interiecit hos uerſus. Legimus deniq;, ab rebellantibus Gallis addi tos militiæ ex ſeruitijs gladiaturæ deſtinatos, quibus continuum foret ferri tegimen, crupellarios uocabant, ictibus inferendis ineptos, accipiendis impenetrabiles. Proinde ferratos quandoq; nuncupat hiſtoria, reſtantibus laminis aduerſum pila & gladios. quo nomine Romani milites ſecuribus ac dolabris aduerſum ibant, uelut molem ſubruere coorti: quibuſdam item trudibus aut furcis prouoluere conniſis.

Quinquennium Neronis, unde duci in adagiũ ualeat. De Nerone pluſcula. Molgus apud Dionem quid ſit. Aſcopera. Sacciperum. Britannici uenenо ſublati hiſtoria. De ruminali arbore nonnihil. Cap. XII

Laudium Neronem, quem Plinius alteram facem generis humani uocat, quemq; pedibus genitum parens eius prodidit Agrippina, Trãquillus ſcribit, à pietate imperij exordia feciſſe, quoniam Claudium apparatiſſimo funere elatum laudauit, conſecrauitq;. Memoriæ Domitij patris honores maximos habuit. Matri ſummam omnium rerum publicarum priuatarumq; permiſit. Primo etiam imperij die excubanti tribuno ſignum dedit, optimam matrem. Ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe, profeſſus eſt, neq; liberalitatis, neq; clementiæ, nec comitatis exhibendę ullam occaſionem omiſit. Senatorum nobiliſsimo cuiq;, ſed à re familiari deſtituto annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit, & quum de ſupplicio cuiuſdam capite damnati, ut ex more ſe ſubſcriberet, admoneretur, Quàm uellem, inquit, neſcire literas. Agenti ſenatui gratias reſpondit, Quum meruero. Talem ſe initio principatus præbuit Nero, exiturus mox in prærabidam feritatem & ſæuitiem incomparabilem. Inde Traianum imperatorem eminentiſsimũ ſcribit Sex. Aurelius ſolitum dicere, procul diſtare cũctos principes Neronis quinquẽnio. Hinc prouerbij uice uſurpare eleganter hoc ipſum poſſumus, quum eos coarguere uolumus, qui ſe à principio mites quidem, & præter modum tractabiles præſtant, pauloq; mox erupturi uidentur in barbaram truculẽtiam. Quæ ſanguinaria euerſione cuncta deſubitet, ut Firmici uerbo utamur. Quod Neroni euenisſe, quum celeberrimis monumentis teſtatiſsimum fecere priſcorum ingenia, quæ nobis lucem peperere: tum Alexander Aegeus, Peripateticus philoſophus, & Neronis eiuſdem præceptor, dicto ueriſſimo comprobauit, qui illum uideri pronũtiauit πηλὸν ἅιματι πεφυρμένον, id eſt lutum ſanguine ſubactum. Cui tamen ſententiæ lepide quidam ſuccinuit, κακῶν μαθητὴν κακίονες οἱ διδάσκαλοι, id eſt malis diſcipulis peiores magiſtri. Scribit uero in Neronis uita ſic, hiſtoricus Dion, quod ſcitu perdignum eſt: Neroni, inquit, ab perempta matre urbem ineũti publicitus ſubblandiebantur nonnulli. At ſeorſum, & clandeſtine, ubi maior oſtentatur obloquendi licentia, acrius proſcindebant. Nec defuit, qui ad eius ſtatuam molgum deſtinaret, innuens eſſe dignum, qui eo inſueretur. Qua in parte Politiani multę lectionis uiri coniectatio ſic deniq; præmunitur de Aſcopera, ut nullis præterea arietum inteſtationibus ſubrui queat: etiam ſi uel eruditioribus ambiguum forſan uideatur, quid molgi nomine intelligendũ protulerit Dion. Nam ſunt qui eo uerbo tardum cęcumq; accipiant: ſed & qui publica mulgeat, depeculeturũe. Ariſtophanes, μολγὸν σε πιήσω. Sed & nequam hominem indicat uox ea. Verum ad rhombum nihil. Lego apud grauiſſimos auctores ex Græcis, Molgum, Tarentinorũ lingua, utrem ſignare bubulum. Vnde Theodoritus Vulcanũ dixit, φυσητῆρσι μολγίνοις χρῶντα. Et Ariſtophanes oraculum iocoſe confingit: Ne mihi Athenienſes laudaritis, μολγοὶ ἔσονται ἐν οἰκίᾳ σκευῶν, σκύτος καὶ μάσιγες. Vbi uero Aſcoperam finiens Sudas, eſſe ait μαρσύπιον ἢ σακκοπήθιον

πήθιον

πάθιον, id est marsupium uel saccopathnion. Sunt qui posterius uerbum putent inter pellatum, reponendumq; sacciperium, aut sacciperionem. Auctores tamẽ sunt, Neronẽ mortuo, non defuisse qui per longũ tempus uernis æstiuisq; floribus tumulum eius ornarent, ac modo imagines prætextatas in rostris proferrẽt, modo edicta quasi uiuẽtis, & breui magno inimicorum malo reuersuri: unde irroborasse opinionem illorum commenderim, qui Neronem resurrecturũ suspicati sunt, futurumq; Antichristum. Alij uero putarunt nec occisum quidem, sed subtractam, ut putaretur occisus, & uiuum occultari in ætatis uigore, qua fuit, quum crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur & restituatur in regnũ. Sed hæc, ut Ialemo frigidiora, & quæ uel thermas possint Neronianas refrigerare, ut Martialis abutamur uersiculo: Ciuitatis diuinæ libro uigesimo, irrisit Aurelius Augustinus. Seneca non sine adulationis suspicione, Neronẽ Cęsarem, ut aliarum uirtutum, ita ueritatis præcipue amantissimũ, ad inuestigãdum Nili caput misisse, scribit. Tam enim in eo mendaciũ est manifestarium, quàm in Plauti comœdia Mœchus. Sed enim uetus est ac parœmiodes, gladiatorem cui in numero ingenium sit, in harena consilium capere. Non omittẽdum uero, quum Nero hic Britannicum ueneno per dolũ sustulisset, ac mox defuncti corpus esset liuoribus maculatũ, ad scelus cõtegendum gypso lini iussit: sed quum efferretur, cælesti aqua copiosius defluẽte, detersо plane tectorio, sæuitiæ immanitas producta in apertum est. Adnotatũ annalibus est: hoc imperante, ruminalem arborem in comitio, quę annis octingẽtis ac quadraginta & amplius, uirens perseuerauerat, cõditorum Vrbis olim propugnatrix, ramalibus emortuis uisam exaruisse. Quod & in prodigium abijt, donec in nouos reuiresceret fœtus.

Hominũ quorundam natura mirabilis. Senecæ locus perobscurus illustratur de Passieno. Senecionis historia. Ophionei uatis, Nicomachi, Heliogabali, Portij Latronis. Auditores pro discipulis cur. Puellę uenenosę, et quę araneis aleretur, historia. Matreæ itẽ, Adriani, Firmi. Parodia. Philini, medici biboni, Galli Vibij, Labieni, Seueri, Zenonis, Syllæ, Messalæ Coruini historia. Drusiani enses cur. Bithonis historia, Asconij Pediani, Hypermestræ, Veneris Nicophori, Palladij, Smyndiridæ, Phaselitarum, Siditarum, Lyncei. Crudeliũ ratio. Humanitas quid, & cur. Sinamorumene. Sinamoros. Cap. XIII

MIrari succurrit quãdoq;, quàm mira hominum ingenia effinxerit sæpe natura parens, nec ad fabulosa nunc respectamus, quæ copiosius persequuntur poetæ, necnon ex historicis, quos poetis affines in primis nouimus: uerum quæ auctores grauissimi summa fide, quod inter cognitores uersarẽtur, prodenda censuere. Senecio, inquit Seneca Suasoriarum primo, fuit ingenij confusi & turbulenti: is cupiebat grandia dicere, adeo ut nouissime huius rei morbo & teneretur & rideretur: nam & seruos nolebat habere, nisi grandes, & argẽtea uasa nõ nisi grandia. Eo demũ peruenit illius insania, ut calceos quoq; maiores sumeret, ficus non esset, nisi marisсas: cõcubinum quoq; ingentis staturæ haberet. Omnia demum grandia probabat: unde ei cognomen impositũ. Senecio nanq; uocari Grandio cœpit. Nam & quum diceret, summis insistebat digitis, quo grandior uideretur. Ophioneum Messeniorum uatem, Pausanias scribit, semper à natali statim die luminibus captũ & priuatim & publice uaticinia peregisse. Id mirabilius multo, post uehementiorem capitis dolorem uidere cœpisse, ac mox relapsum ad cæcitatẽ denuo. Nicomacho Smyrneo, scribit Galenus, ad tantam molem corpus increuisse, ut loco moueri haud posset: uerũ ab Aesculapio sanitati restitutum tradũt. Nos porro, inquit, uidimus cuiusdam linguam extramodum citra doloris ullum omnino sensum, excreuisse. Siquidem nec tumorem mollem, quod uocant οἴδημα: nec durum, quod dicunt σκιῤῥον: nec inflammationem patiebatur, nec mali uim præferebat prorsum ullam, præter magnitudinis absurditatem, substantia ipsa nil omnino uitiata. Heliogabalum Græculæ meretricis filium, proditur memoriæ, postea quàm militari temeritate est Imperium adeptus, nil ad senatũ retulisse prius, quàm felices prorsum homines futuros, si se Platonis legibus addixissent. Quo sane argumento, mox tantus Imperator, & bona senatus pars cum uxoribus cæterisq;

cæterisq; matronis ac uirginibus nudis nudi ipsi lauari occepere. Quin illis dignitates contribuebãtur, qui renudatas ad Imperatorem filias mitterent, quiq; nudi item inter nudas cum eodem decubuissent in cœna. Vt orbi terrarum triennio prostibulum Roma fuerit. Sed & pòst multò Imperator alius, aut leuior Græculus præstare aiebat, Platonicis imbui legibus, quàm Euangelica disciplina. Cæterum ab ijs, uelut inauspicatioribus scitis, quum abhorreret Constantinopolitana ciuitas, latissima sibi parauit atria, ubi miscellanea matronarum, iuuenum, puellarum nudior turba cum Imperatore pila colluderet. Quo sanè tempore Romani imperij partem haud exiguam sanguine Italico comparatã, irruens Barbarica uis occupauit. Iam uerò & Latro Portius, quanquam orator grauis, nec citra suauitatem, bone Deus, quàm fuit in omni re nimius: quod Seneca scribit, Quippe nec remittere, inquit, studia sciebat, nec repetere. Vbi se ad scribendum concitasset, iungebantur noctibus dies, & sine interuallo grauius sibi instabat: nec desinebat, nisi deficeret. Rursus quum se remiserat, in omnes lusus & iocos resoluebatur. Quum uerò de syluis & montibus tradiderat, omnes illos agrestes in syluis ac montibus natos laboris patientia ac uenandi solertia prouocabat: & in tantã sic uiuendi perueniebat cupiditatem, ut uix posset ad priorem cõsuetudinem retrahi. At quum se reuocasset, tantis uiribus incumbebat in studium, ut non tantum nihil perdidisse, sed multũ acquisiuisse desidia uideretur. Memoria huic uiro natura quidem felix, sed plurimum adiuta etiam arte: nunquam illa quæ dicturus erat, ediscendi causa relegebat. Ediderat, quum scriberet. Dicebat ita, ut in nullo unquam uerbo eum memoria deceperit. Historiarum omnium summa notitia. Iubebat aliquem nominari ducem, & statim illius gesta cursu reddebat. Adnotatum in Chronicis est, M. Portium Latronem duplicis quartanæ tædio manum sibi admouisse, atq; ita functum fato. Messala exactissimi uir ingenij, & Latini sermonis obseruantissimus, quum audisset Latronem declamantem, dixit, Sua lingua disertus est: quibus ingenium cõcedens, sermonem obijcere illi uidebatur. Quum porrò Latronis discipuli non audiri desiderarent, sed audire modo contenti forent: initio contumeliæ causa, à deridentibus auditores uocabantur: mox in usu esse uerbum cœpit, & promiscuè pro discipulo poni. In Aristotelis relatum monumentis inuenio (ut de Mithridate taceam, à quo excogitata antidotus Mithridatios dicitur) puellam cœpisse initio paulatim uenenis innutriri, consuetudinemq; in naturam abijsse, ut ijs perinde uesceretur alereturq; ac cõsuetis cibis reliqui. Adijcit, fuisse puellæ cor caloris inops, præterea meatus prætenues, ita ut digestionis ui insigniter demutaretur haustum uenenum, prius quàm cor pertingeret. Ipsam uerò educationis ratione uenenosam euasisse, ut sputo, ac quouis humore alio perimeret appropinquãtes, e-ueſtigio etiamnum expirantibus, qui quum ea coissent. Vt iam miremur minus, anates Ponticas edundis uulgò uenenis uictitare. Scribit Auicenna, tempestate sua uixisse hominem, quem fugerẽt uenenata omnia, moriẽtibus omnibus, quæ fortè mordicus eum apprehendissent, inde nil omnino læsum. Quum uerò grandior admota foret serpens, bidui quidem induxisse febrem, cæterũ defecisse ipsam. Auctor Magnus Albertus est, in Colonia Agrippina puellam se uidisse, quæ in trimatu parietibus arreperet araneas uenatura, quas uoraret: eoq; cibi genere oblectata, insigniter aleretur. Admirationem Græcis Romanisq; de se Matreas peperit, ex ijs unus qui dicuntur Plani. Dicebat, feram à se nutriri, quæ ipsa semet uoraret: ut uel nunc anxiè scrutentur multi, ὁ Ματρεουθηλοῦ τί ὄν. Id est, quæ nam sit Matreæ fera. Matreæ meminit Plinius libro decimo sexto Historiæ naturalis, huius an alterius, haud statuo nunc. Marcus (inquit) Varro auctor est, uitem fuisse Smyrnæ apud Matream triferam. Certè hunc de quo agimus, fuisse Alexandrinum, est compertum nobis. Huius sunt ambiguitates illæ: nec tamen crocodilinæ, aut ceratinæ: quid ita mergatur quidem sol, nec natet tamen: & combibere quidem spongias, sed non συγκωθωνίζεσθαι uticq; item tetradrachma conciliari quidem nec irasci tamen. Matreæ feram sunt qui iram interpretentur, uel inuidiam, aut animi ægritudinem, uel id genus affectionem aliquam. Matralia esse uidentur Varroni matronarum festa, quum testuacio faciebant, quod testu coquebatur calido. Inter eos qui de cœnis scripserũt, Matreã siue Matrona Pitanæum recenset libro primo Athenæus παρῳδὸν cognomẽto. Nam sunt parodiæ uelut centones apud nos item: cuius est mo-

di illud, Δεῖπνόν μοι γύνεπε μοῦσα πολύτροφα, καὶ μάλα πολλά. Hinc parodi, qui ſcribendi hoc genus inſequũtur: ſicut Hegemon, cognomẽto φακῆ, id eſt lens. Metroum, id eſt μητρῶον, locus erat Athenis, ubi accuſationum ſeruabantur libri. Scribit Spartianus, ex Pannonia ueniſſe quendam ab natali cæcum ad febrientem Adrianum, à quo mox contactus exuit cæcitatem, ac Imperatorem reliquit febris. Firmum inter minuſculos Romanorum tyrannos cõnumeratum, tanta ferunt prædituꝫ firmitate, ut ſuperpoſitam pectori incudem, aliis tundẽtibus perferret. Sed illud mirabile item, quod monumentis Theophraſtus prodendum cenſuit, fuiſſe Philinum quendam, tota uita qui nullo ſit uſus potu uel cibo, præter quã lactis. Nam Anchimolus, & Moſchus apud Helidem Sophiſtæ tota uita hydropotæ perhibentur fuiſſe, ac ficis tantummodo uentris deſiderio ſatisfeciſſe, nec ea tamẽ re quoquam imbecilliores, niſi quod ab eis teter adeo profundebatur odor inter deſudationẽ, ut in balneis ab omnibus magno ſtudio declinarentur. Affuit Druſo Tiberij filio medicus uini capaciſſimus, quum id admirarentur uniuerſi, deprehẽſus eſt ante potum amygdalas præmandere amaras quinq; aut ſex, quod agere prohibitus, ne minimo quidem ſuffecit potui. Gallus Vibius tam magnæ fuiſſe eloquẽtiæ narratur, quàm poſtea inſaniæ: cui hoc accidit uni, ut in inſaniam non caſu incideret, ſed iudicio peruenirꝫ. Nam dum inſanos imitatur, dum lenocinitũ ingenij furorẽ putat, quod aſſimulabat, ad uerum redegit. In Labieno tanta, & tam impromiſcua memoratur libertas, ut libertatis nomẽ excederet, & quia paſſim omnes lacerabat, Rabienus uocabatur. In hunc primum excogitata eſt noua pœna: effectũ enim eſt per inimicos, ut omnes eius libri comburerentur. Quæ res inuſitata fuit, & prorſus mira, ſupplicium de ſtudijs ſumi. Eam contumeliam Labienus non tulit, nec ſuperſtes (ut inquit Seneca) ingenio ſuo eſſe uoluit, ſed in monumenta maiorum ſuorum ſe ferri iuſſit, atq; ita includi: ueritus (credò) ne ignis, qui nomini ſubiectus erat, ſibi negaretur: nec tantum finiuit ipſe ſe, ſed ſepeliuit. Caſſius Seuerus Labieni amiciſſimus, quum ex ſenatuſconſulto libri eius comburerẽtur, Nunc (inquit) me uiuũ uri oportet, qui illos edidici. Seuerum Imperatorẽ Herodianus ſcribit, iter facere ſolitũ ſine intermiſſione, neq; feſtos dies, neq; labores ullos magnopere curaſſe, algoris atq; æſtus iuxtà patientem. Sæpe etiam per altiſſimos montes hyeme ſæua, niuibus è cœlo ingruentibus, iuiſſe aperto capite, ut milites ad alacritatẽ patiẽtiamq; laborũ re ipſa cohortaretur. Quanquam hic ipſe omnium item princeps dui itiam atq; alperitatẽ uictus, tolerantiamq; laborum, diſciplinamq; omnem ac ducum reuerentiã ſubuertit, inhiare pecunijs, & mundities colere militibus inſuefactis. Ipſe uero auaritia ſupra omnes Imperatores maximè inſignis eſt habitus. Zenonem Athenæus ſcribit, ingenio amarulentũ fuiſſe, & aduerſus familiares præiracundũ: quòd ſi hilarius ſe inuitaſſet, mitis euadebat blandusq; cum ſuauitate. Quodam uerò diuerſitatem admirãte, ſibi quod lupinis euenire reſpondit: qui aqua præmolliti edulcatiq;, amarore ſecreto, ſuaues efficiantur. Ediuerſo quoſdam inuenias hilares nimium, ac riſus amatores, cuiuſmodi uocant Græci φιλογέλως: qualem fuiſſe Syllam non tacuere Græci quoq;, quando mimis & gelotopœis multa eſt elargitus, quin & ſatyricas cõcinnaſſe comœdias fertur. Tirynthios uerò uniuerſim philogelos fuiſſe, ac grauioribus inutiles negotijs, Theophraſtus ſcribit. Meſſala Coruinus orator, ante biennium quàm moreretur, ita memoriã ac ſenſum amiſit, ut uix pauca uerba coniungeret: ad extremum uerò enato circa ſacrum os ulcere, inedia ſe confecit. Gothicis autem contonantibus bellis, conſtat, ab hoſte Barbaro, Traiano cuidam ſuper oculi dextri partẽ ſic adactum ſpiculum, ut mox dilapſo ligno, occultaretur omnino ferrum. Nec uim doloris ullam uulneratus perſentiſceret: quin anno demũ quinto citra moleſtiam prorſus promi ſpiculi ſummum cœpit, atq; inde amplius emergens, liberum deniq; Traianum comparebat relicturum. Gratianum Valentiniani patrem, Funarium eſſe nuncupatũ, ſcribit cum Paulo Diacono Sex. Aurelius, quoniam uenalitium funem portãti milites quinq; extorquere nequiſſent. Druſum Tiberij filium, petulantia inſignem, immiti adeo & ſanguinaria fuiſſe natura, ſcribit Dion, ut enſes præacuti, ab eo Druſiani cœperint dici. Quibus quum angeretur Tyberius, Me (inquit) ſuperſtite nil efficies uiolentum, οὐδ' ὑβριστήν: quòd ſi auſus fueris, οὐδὲ πλουτήσαντα. Pelopem legimus profeſſione medicum, & proinde Galeni etiam doctorem, auſum

ſum profiteri, omnium ſe rerum cauſas & effectus ſcire. Bithon, inquit Pauſanias, taurum humeris geſtabat: qua admiratione, ſtatua quoq; apud Argos dignus eſt habitus. Nam Ladas, mortales cunctos pedum celeritate eſt ſupergreſſus: unde & apud eoſdem ſtatua eſt ornatus in Veneris templo, quam νικηφόρον dicunt. Id ab Hypermeſtra poſitum memorant iudicio liberata, quod intẽderat Danaus, quia ex præſcripto Lynceum non peremiſſet: peractum uerò iudicium in regione quam uocant λειτήριον. Aſconius Pedianus hiſtoriarum conditor, anno ætatis tertio ac ſeptuageſimo captus luminibus, duodecim poſtea uixit annis, maxima apud omnes auctoritate. Sed nos in explicanda hominum natura, quæ menſum excedit publicum, rectè (opinor) fecerimus, ſi nodum apud Senecam Gordiano uel implicatiorem enodarimus. Sexto Controuerſiarum ita legimus: Oſcus non incommodè dixit, ſed ipſe ſibi nocuit, dum nihil abſque ſchemate dicere cupit. Oratio eius non figurata erat, ſed praua. Itaq; non inurbanè Pacatus rhetor, quum illi Maſſiliæ mane occurriſſet, ſchemate illum ſalutauit: Poteram (inquit) dicere, Aue Oſce. Ipſe ab eloquentia multum aberat, natus ad contumelias omnium ingenijs iniungendas. Nulli non impreſſit aliquid, quod effugere non poſſet. Ille Paſſieno, prima eius ſyllaba in Græcum mutata, obſcœnum nomen impoſuit, declamatori ſubtili, ſed arido. Hactenus Seneca. Quid uerò hiſce innuatur uerbis, perobſcurum eſt. Coniectura ipſe ducor, ut Phyſſienum putem appellatum, ueluti eſſet mentulatus follis. Nam phyſan, dici follem, norunt omnes: ſinos uerò, mentula eſt: quod Ariſtophanis docet interpres: unde Sileni deflexum nomen eſt. Et σιναμωρουμένη dicitur, quæ cum uiro congreditur. Et apud Herodotum hiſtoria octaua, σιναμορέων eſt hoſtili incurſione omnia fœdare. Sinamoros etiam dicitur, qui otio abutitur. Palladium ſcribit Caſſiodorus Theodoſii tempore tanta fuiſſe & animi acrimonia & corporis firmitate, ut ueredis concitatiſſimis triduo Romani Imperij limites contingeret, ac Perſarum: & rurſum altero triduo Conſtantinopolim repeteret. Vnde inuulgatum, Romanæ potentiæ ſpatia, lata alioqui, illius pernici celeritate reddi peranguſta. Cęterum id mirabilius multo, ac relatu iucundius: haud ita pridem in Gallia ex infima plebe hominem mira ingenij ſagacitate rationem excogitaſſe, qua ex metallo quolibet aurum ſecerneret, aquæ ui, quam inde chryſulcam nuncuparunt. Nam officina hæc chryſoplyſium dicitur, artifex ipſe chryſoplytes. Smindyrides Sybarita luxu & felicitate diffluens annis plus minus uiginti, nec oriẽtem ſe uidiſſe ſolem dicebat, nec occidentem. At ipſum hoc ſyncerius tota ferè uita ſibi contigiſſe Ponticus prædicabat Heſtieus, dum eruditioni incumberet auidius. Citharœdus Stratonicus, interrogante quodã, qui in Pamphylia omnium forent peſſimi: Phaſelitas, reſpondit: at cunctorum hominum Sidetas, id eſt σιδήτας. Philetas Cous in poetica nominis non poſtremi, corpore adeo ueſco imbecilloq; fuiſſe narratur, ut pedibus plumbeas adnecteret pilas, necubi à uento percelleretur. Lynceum & Idam fuiſſe Apharei filios, Pauſanias ſcribit: ſed Lynceũ iuniorem. Hunc Pindarus ea fuiſſe uidendi excellentia ſcribit, ὡς καὶ ἀπὸ σελήνης θεᾶσθαι δρυμόν. Id eſt, ut etiam per quercuum ſtipites ſpectaret. Quærat hic forſan aliquis in cenſura tam graui, quæ hominum ingenia reuocat ad contemplationem, Vnde nam fiat, quòd nunquam non inſigniter crudeles ſeſe proferant plerique, nil magis quàm humanum ſitientes ſanguinem? Hac uerò in parte, quanquam non ſit omnino propoſiti inſtituti cauſas iudicare dubias, ſic fermè poſſe reſponderi, animaduerto: quo quis hominem ſapit minus, eo eſſe immitiorem: quo nomine id genus inhumanos dicimus ac efferatos. Siquidem ab humano ingenio quauis ex cauſa quo quis abijt longius, hoc humanam ſpeciem, perinde ac alienam rem extraneamq; & odit amplius & negligit, ut monſtrum dici uerius debeat, cui inducta modo uiſatur humana pellis. Alioqui homines cæteros, ceu corporis eiuſdem membra amplexaretur, ac amaret. Quando homines ſinguli ſub idea una, & in ſpecie eadem ſunt homo unus: quo factum eſt, uti uirtutem qua in hominum ferimur beneuolentiam proni uniuerſorum, humanitatẽ potiſſimum cenſuerint appellandam ſapientiores. Ab theologis tamen noſtris humanitatis appellatione omne humanum genus intelligi, auctor Hieronymus eſt: nam & Græci ἀνθρωποτητα dicunt.

An Cato ſolus quater & quadragies cauſam dixerit ſemper abſolutus. De Archilochi poetæ interfectoribus. Plinij locus declaratur. Calondæ hiſto-

ria, qui Corax est cognominatus. Cicadæ sepulchrũ. Archilochia edicta.

Caput XIIII

PLinius Naturalis historiæ septimo, singulari grauitate nobilem Græcæ Romanæq; gentis censuram peragens, inter bona alia quæ summo in omni usu uiro Catoni primo affulsere, eius proprium fuisse scribit, Quater & quadragies causam dixisse, nec quenquam sæpius postulatũ, & semper absolutum. Nobis uero infra classem tam excellentis auctoris placita pro lege quidem sunt, fueruntq; perpetuò: iure enim tanto nomini assurgimus, sine quo fluctuabunt literæ, ueluti infesto mari uentis pulsata nauis. Quod tamen uaria lectitando compertũ nobis est, promimus in album, non obstrigilandi ratione, sed iuuandi. Scribit in celeberrima oratione quæ in Demosthenẽ dicta est Aeschines, Aristophontẽ apud Athenienses quando q; ausum gloriari, quòd nonagies quinquies accusatus semper euasisset. At non Cephalus ille antiquus, qui maximè popularis est habitus, sed contrà gloriabatur, quòd quum plura decreta, quàm quis sui temporis orator scripsisset, nunquam fuisset accusatus quòd contra leges decreuisset. Hæc Aeschines. Quod uerò & infrà paulo idem scribit Plinius: Archilochi poetæ interfectores, Apollo arguit Delphis. Quæsituros arbitror Plinianæ lectionis studiosos, quos' nam significet hac parte auctor breuissimus: nobis autem exploratum est, Oenomaum inter Græcos scriptorem non ignobilem, Eusebio referente, ita fermè prodidisse: Quare qui Archilochum occidit Archias, à templo quasi scelestus, exire ab Apolline iussus est: Musarum enim amicum occiderat. Sunt ex Græcis, qui à Calonda interemptum Archilochum prodant, cui cognomentum fuerit Corax. Idq; in bello, ubi Mars est cõmunis, perpetratũ. Quem quum reiiceret Pythia, suppliciter apprecatum ignoscere, quãdo hæ sint bellorum sortes. Adiecisse porrò, ad id se difficultatis redactũ, ut uel facere uel pati necesse fuerit: proinde obsecrare, ne sibi uitio uerteretur, si suo ipsius dæmone uiueret: esseq; quòd se amplius execraretur, quia uiueret, quàm quòd illum peremisset. Super ijs commotus miseratione deus hominem petere Tænarum iussit, ubi τέτιγος, id est cicadæ sepulchrum uiseretur: atq; inibi Thelesiclæ pueri placare manes. Quæ omnia quum ritè is obisset, dei reclinauit iram. Fuit uerò Archilochus præcellens quidem poeta, si quis auferat ἀισχρολογίας καὶ τὸ κακόφθογγον, id est obscœnitatem ac uerborum uirulentiam. Inde apud Ciceronem in Epistolis ad Atticum: Amarulenta, fellecq; conspersa multo, immo defricta, Edicta uocantur Archilochia.

Exemplum ignotum cuiusdam, qui plagis feruentior cooriebatur in cõcubitum. Rutam Veneris aduersari, & cur dicatur πύγανον. Cap. XV

HOminum naturã extra reliquorum modum admirantibus succurrit exemplum rarò aliàs auditi euentus. Siquidem nõ multis ab hinc annis uixisse quendam in Veneris, non gallinaceæ salacitatis, uerum ingenij stupendi maximè, quodq; uix impetret fidẽ, exadiuratissimis compertum est: qui quo pluribus affectus fuisset plagis, eo impetuosius ardentiusq; in concubitum ferebatur præceps. Fuit omnino mira res: nescires, utrum affectaret auidius uerbera, an coitum: nisi quòd illorum mensu libidinis uoluptas constabat. Proinde extentis se precibus difflagellari exposcebat, pridie quàm id pateretur flagello aceti asperitate obdurato: quòd si cõuerberator lẽtius agere foret usus, uelut exstimulante rabie, conuitijs incessebat: nec factum sibi satis arbitrabatur, ni inter cædendum sanguis sese ostendisset. Vnus, opinor, mortalium inuentus, qui eodem impetu in supplicium ferretur, ac delicias: quicq; inter tormenta sensuum titillationes, ac æstuãtem pruritum uel expleret uel incenderet. Quodq; nec mirum minus est, non latebat hominem flagitij inusitata species, secq; in eo execrabatur, ac sibi ipsi erat infestus. Cæterum consuetudine deprauata amplius præualente, utebatur uitio, & improbabat. Irroborarat uerò ea, radicesq; egerat altius, quod ita foret assuetus puer, communicata stupri fœditate inter æquales plagarum allectatione. Documento inde præsigni, quantũ moribus inolescendis educationis possit ratio. Addamus uerò exemplum huic diuersum, in Græcis obseruatum auctoribus, initiatos seruandæ castitatis ratione, rutam assiduè inter edulia solitos admittere, quoniam ea uescentibus hebescat prolifica uis: quo argumẽto etiam

πύγανον

πώγωνον dicatur, παρὰ τὸ πηγνύειν τὴν γονήν, quòd urinam ſiſtat genitalem. At Dioſcorides, rutæ utrunq; genus cauſticum καὶ θερμαντικόν, id eſt excalfaciendi uim habere. Mox tamen idem, Semen inquit, reſtinguit uel eſu ſumptum uel potu.

Arcem facere ex cloaca, lapidē è ſepulchro uenerari pro deo, quid ſit. De Menecrate medico, Themiſone, & Callipide. Plutarchi locus reſtituitur ex Alcibiade. Dicelictas quid, & dicelon: item Empuſa, & Hecatæa, onocolos. Quid item bolitos. Bolus. Boleti unde. Petrobolus. Macella. Dicella. Epebolus. Boline uitis, & droſallis, asbolomeni. Calopodes qui. Callipædas cur dicant ſenes. Calliſtea. Ariſtea. Item uocabula plura, calidia, calidya, caliį, calion, callæi, callæ. De Callia ſcitu non indigna. Cap. XVI

ARcem facere ex cloaca, per prouerbium illi dicuntur, qui rem haud ita magnam plurimi faciunt, amplexantur, in oculis ferunt, ac mirantur. Cui conſimile adagium alterum, Lapidem è ſepulchro uenerari pro deo. Vtrunq; poſitum apud M. Tulliū in oratione pro Plautio: Nunc uenio, inquit, ad illud extremum quod dixiſti, dum Plautį in me uerbis meritum extollerem, me arcem facere ex cloaca, lapidem è ſepulchro uenerari pro deo. Succurrunt exēpla ex hiſtoriįs pluríma eorū, qui in id genus uitį reciderunt. Menecrates medicus, quum affectos quoſdam ac penè conclamatos uel caſu uel arte in integrum reſtituiſſet, proindeq; à nōnullis ſubblandiētibus Iupiter cognominaretur: elatior iam is hoc nomine, ſibiq; nimio plus placens eodem cognomento inſolentius ipſe quoq; uti cœpit: in idq; tumoris eſt productus, ut ad Ageſilaum illum magnum & Spartæ regem, ſic quandoq; ſibi ſcribere permiſerit, Menecrates Iupiter regi Ageſilao ſalutem dicit. Qui reliquis haudquaquam perlectis, ſed hominis leuitate prorſus irriſa, ita propemodum reſcribi iuſſit, Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem dicit. Sunt ex Græcis qui prodant, ſi quos morbo ſacro laborantes curaturus adiret, iureiurando prius adigere ſolitum, incolumitati reſtitutos ipſum ſeruorum uice ſequuturos. Et ſequebantur illi quidem, uerum Hercu lis habitu alius, alius uerò Mercurij. Hominis uanitate animaduerſa, uocari ad cœnam cum diįs propriįs Philippus Macedo iuſsit, ac uenienti altiorem auguſtioremq; menſam apponi, in qua eſſet ara erectior. Proinde quum inferrentur fercula, ſuffumigationes multæ ac libationes fiebant: donec Iupiter nouus, ludibrium aduertēs, magno omnium riſu inde ſe proriperet. Themiſon quoq; Cyprius Antiochi regis deliciæ, Hercules dici uolebat, eoq; nomine rem ſibi diuinam fieri patiebatur: aderatq; ipſe leonis pelle inſtratus, arcum item ferens Scythicum & clauam. Huic quod de Menecrate diximus, affine illud quoq; Ageſilai eiuſdem, quo urbanius Callipidis illius geſticularij ce lebrati tumorem repercuſsit, ac inſolens depreſsit ſupercilium. Erat is Callipides tragœdiarum hiſtrio, non mediocriter quidem uelut etiā ſaltatricula Dionyſia, inter Græcos homines clarus. Verum ipſe ea re plurimum ſe mirabatur. Itaq; ubi primum Ageſilaus regi occurrit, arrogātius aliquāto ſalutauit, & ſubinde illi ſe oſtentabat, inter aſtantes ſeſe intrudens, arbitratus fore, ut comiter ac benigne à rege exciperetur. At quum is grauioribus intenderet, ac ne Callipidem reſpectaret quidem: Non admodum, inquit, noſſe me uideris, ò rex, nec qui ſim inaudiſſe? Tunc renidens Ageſilaus: An non es, inquit, Callipides ille dicelictas? Hoc autem nomine mimos uocant Lacedęmoniį, nam δίκελον, idolum ſignat, ſiue ſimulachrum, aut etiam imitamentum: ut in Epigrammate,

ῥάιης πυργοφόρου δίκελον ἐσοράων.

Putant quidam id uerbum de Iouis ſtatua dici proprie, quaſi Διὸς ἴκελον, ſed per abuſum de aliįs itidem. Nonnulli quod ad incutiendum terrorem immittitur, Dicelon appellari credunt. Verum hoc genus terriculamenta dici à Græcis Hecatæa nouimus, quod ab Hecate immittātur, ſicuti produnt Apollonij interpretes: quam inde à formidinis incuſſu etiam uocant βεμώ. Nominantur item Empuſæ à Dionyſio, ubi de laſpide inquit,

ἐχθρὴν ἐμπούσῃσι, καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.

hoc eſt, contrariam Empuſis & idolis aliįs. Eſſe uero phantaſma dæmonoides, ſiue ſpectrum, quod ſeſe infelicibus ingerat, multifariamq; demutet formam, ac ſe meridie plurimum oſtentet, cum inferis parentatur. Sunt qui eaſdem cum Hecate ſtatuāt, id quod ὑπ' πηγνισάς ſignificat Ariſtophanes. Nominis ratio eſt, ut Euſtathio placet, quia uno

incedant pede. Sed nec desunt, qui alterum interpretentur habere æneum pedem, & inde appellatam Empusam: quod in Batrachis Aristophanes expressit, ubi de Empusa Xanthus ita pronuntiat, πυρὶ γοῦν λάμπεται, ἅπαν τὸ πρόσωπον, καὶ σκέλος χαλκοῦν ἔχει. hoc est, igne micat tota facies, & crus æneum habet. Cui respondens Dionysius, Νὴ τὸν ποσειδῶ, καὶ τὸν ἕτερον βολίτινον. id est, per Neptunum, & alterum asininum. Inibi interpres inquit, Ex hoc quidam onocolon uocant: nam bolitinon, asininum signat. Boliton enim, asellorũ propriè dici retri menta putant: sed & boum superfluitates ita uocantur. Quod uerò boliton pronuntiãt Attici, reliqua Græcia bolbiton. Agnoscunt uocem Latini quoq; siquidem Pompeius Festus inde inflexum uerbum bulbitare putat, quod signet puerili stercore inquinare. Bolus autem iactus est, unde petrobolum in re militari iactandis uiolenter lapidibus in hostem organum ueteribus fuit: hinc apud Xenophõtem Rerum Græcarum libro secundo, Petrobolos inter iaculatores nuncupari obseruauimus. Dibolia tela uidentur Plutarcho cuspidis duplicis, cuius erãt modi Cimbrorum iacula. Dicella uerò prorsum aliud quàm dicelon est: nam uti prodit Theon, macella est, ἢ μονόθεν λέλουσα ἢ γοῦν τέμνουσα, id est quæ uno tantũ cædit mucrone. At dicella δίχοθεν, id est bifariam. Epebolum, id est ἐπίβολον, Porphyrio interprete, compotem dicunt Græci, unde epebolum mentis Sophocles Alcmæoni scienter appellat, & epebolum cantus primo Legum Plato, sic & pecuniarum epebolum legimus. Boline uerò, id est βωλινὴ, in Bithynia uitis est, fructu admodum præcoci, racemis tantum non cubitalibus, acinis albis, ac pellucidis. Est apud Bithynos eosdẽ dicta drosallis, de qua ἐκλογῶν quinto apud Græcos plura sane. Asbolomeni, id est ἀσβολώμενοι, uelut fuliginati intelligũtur Damonis peripoltæ posteri, quòd is fuligine litus faciem cum socijs, Romanum à quo turpiter amabatur, apud Cheroneam interfecerit. Bolaria dicuntur Straboni glebulæ auri, Bolus & gleba est, ac pictorum rubrica, unde appellationem trahunt boleti, qui dehiscentes rubent forinsecus, intus luteo colore. Callipidis porrò in libro De poetica, meminit Aristoteles, ubi etiam prodit, appellatum quandoq; simia gesticulosiorem: quamobrem pronuntiatio ea tam elegans & arguta tamẽ omnibus artis absoluta numeris cum proculdubio tardiorem, & gradus quodam modo testudinei reddebat, ac longi (ut ita dicam) subsellij, & multarum uelut nundinarum: quæ res prouerbio locũ fecit, quod eo libentius relatum à nobis est, quoniã uiros alioqui eruditos cunctanter id audio interpretari. Fuerũt & Callipidæ populi ultra Borysthenem, quorum libro duodecimo meminit Strabo. Eos ad Hypanim Herodotus statuit. Callipædas fieri senes, est apud Lucianum, quòd senes quidem puerum sapiant, sed in conuiuijs plusculum seinuitantes, ac facti hilariores etiam pulchri pueri sibi uideantur. Calopodas deniq; dicimus nonnunquam boni felicisq; pedis homines & seruos præcipuè, quos & interdum καλοιωνίσους uocamus, ueluti prosperioris augurij. Quod uerò ad Callipidem etiam num attinet, auctor est Duris Samius, illum in Alcibiadis naui fuisse, qua is ab exilio reuehebatur, ense, hasta, cæterisq; armis, quibus uti in certaminibus solent, peregregiè instructum. Sic enim Plutarchi interpres reddidit: at Græcè Plutarchus sic, κελεύειν δὲ καλλιπίδην τὸν τῶν τραγῳδῶν ὑποκριτὴν, σαπὸν, καὶ ξυσίδα, καὶ τὸν ἄλλον φαγάνιον ἀμπεχόμενον κόσμον. Id quod ab Latino interpretamento dissitum longè est: nam σαπὸν indumentum accipio, ex Græcis auctoribus. Xystida uerò non hastam, sed ex Polluce libro quarto, tragicam uestem: ita scænico, non Martio cultu insignem Callipidem sensit Duris, & retulit Plutarchus. Callistæa dicunt selecta cuipiam præmia, sicut quæ uirtutis ergo cõtribuũtur, uocant Aristæa: nam senum prærogatiua nuncupatur prælibeum. Quin primi ordinis honores πρωτεῖα dicuntur, secundi autem δευτερεῖα. Verum enim uerò, ut cœpimus, corollaria non destituamus, appingentes, quibus auctior abeat harum studiosus lectionum, in quibus malumus ubertatem nimiam, quàm inopiæ exsuccam ariditatem. Calidia, id est καλίδια, inuenio esse Cypriis intestina. Nam calidya Barbaricum est indumentum: καλιοὺς Græci uiliores dicunt domos: κάλιον uerò, accẽtiuncula primam uendicante, catellum indicat, & bacillum: sed & carcerem comperi κάλιον nuncupari: quin etiã lignum uinciendis nocentibus. Callæi, siue καλλαοι

λαιοι dicuntur gallinaceorum barbæ, & præterea πᾶν πορφυροειδὲς χρῶμα, id eſt quicunq; purpuræ aſſimilis color. Sunt qui uaria eo malint uerbo intelligere. Apud Aegyptios legimus etiã χρῶμα καλαϊνόν. Infectæ lanæ interdum καλμαὶ nuncupantur. Quod uero in Græcorum literis lectum eſt, καλλίας πτεροῤῥυεῖ, id eſt Calliæ defluunt pennæ: in Calliam pronuntiatur quendam, meretricibus conſectandis qui dilapidauit omnia. Hinc facetè dicebatur à ſcortillis deplumatus. Calliam quoq; pro ſimia inuenio poſitum, ex Attica loquendi formula, quæ δυσχερῆ τὴν ὀνομαζόμενον πορφύρεα.

Parentum cultus. Ciconiæ pietas. De Amphinomo, & Anapia. Tollitur ex Seneca obſcuritas. A quibus uiolati parentes. Interim de Opij filio, & Antigono. Latronis Galilæi in filios immanitas. Paricidiũ quid. Vlyſſis mors.

Caput XVII

IX Platonicis adytis præter innumera alia, quibus homines proficiunt in dies, quum in ijs quæ ad doctrinæ rationem ſpectant, tum uero ad mores, illud quoq; ſcitiſſimum, immo uero etiam ſanctiſſimum, nec à Chriſtianæ ueritatis placitis diſſentaneum, obſeruaſſe nos commeminimus, Vim nec patriæ nec parenti inferendam. Sunt enim, ſicut ab Euripide proditum eſt, parentum anima filij: nec id in homine tantũ, ſed & in animalibus cunctis, ut Tyaneo placuit Apollonio. Nam in Epiſtolis ad Atticum M. Tullius στοργὴν φυσικὴν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα, ſcribit: hoc eſt, aduerſus ſobolem genuinam naturalem q; putari beneuolentiam. Verum quid uiciſſim parentibus debeatur à bene inſtitutis filijs, in brutis quoq; maximus ille conditor rerum Deus, inſignibus indicijs præmonſtraſſe uidetur: liquidem, ut auctor Ambroſius eſt, ciconia Romano uſu pia uocatur, quòd pulli parẽtibus iam ſenio confectis, nec alimenta ſibi conquirere ſatis ualentibus, in retributionem mutuam, tacita quidem, ſed alta naturæ ui in id propellente, neceſſaria ſummo ſtudio, quod in homine rarum eſt, ſuggerunt. Verumtamen inter nos quoq; affectus is adeo ſacer, adeo in primis optimo maximo deo nonnunquam cenſetur requiſitus, gratusq;: ut in Græcorum monumentis perpetuò Siculorum iuuenum pietas celebrata effloreſcat. Hi uero ſunt Amphinomus & Anapias, à quibus riuos ignium uomente Aetna in agrum Catanenſem, parentes humeris elatos & incolumitati redditos, conſtans inter Græcos opinio eſt, ac Strabonis aſtipulatur auctoritas: de quibus obſcurè Senecam in libro De beneficijs tertio, mentionem facere arbitror: Vicere, inquit, Siculi iuuenes, quum Aetna maiore ui peragitata in urbes, in agros, in magnam inſulæ partem effudiſſet incẽdium, uexerunt parentes ſuos: diſceſſiſſe creditum eſt ignes, & utrinq; flamma recedente, limitem adapertum per quem tranſcurrerẽt iuuenes digniſſimi qui magna tutò auderent. Meminit & libro ſexto, ſed eadem obſcuritate, hoc eſt citra ullam nomẽclaturam. Sed & in Oratione ad Apollonium Plutarchus: & ſuppreſſis item nominibus Pauſanias. Sillius,

Et Catane generaſſe pios celeberrima fratres.

Significauit & Martialis. Ariſtoteles quin etiam in libro De mundo, ſiue libri auctor Theophraſtus fuerit. Nam quæ de Aenea ſuo prodidit maximus uates, ne ficta indocioribus uideantur, ab eodem comprobantur Seneca: & inter hiſtoricos, quum alij retuliſſe inueniũtur, tum Appianus Alexãdrinus, abs quo & illud traditum ſcio, Opium ex ſenectute debilem in ſæuo triumuiralis proſcriptionis turbine, quum ut manere liceret, filium deprecaretur, humeris ab eo elatum, donec extra portam tutum ſiſteret, ac poſtremò nunc agendo, nunc deferendo in Siciliã peruexiſſe incolumem. Antigonus quum ingenti prælio ſuperaſſet hoſtem, præmium belli ad patrem tranſtulit, & Imperium illi tradidit Cypri. Hoc eſt planè regnum & quidem præpotens, nolle regnare quum poſſis. Eſt profecto ſacra parentum maieſtas, & omnino proxima Deo. Propter ea Moralium octauo ita ueriſſimè Ariſtoteles tradit, τὸ δυνατὸν γὰρ ἡ φιλία ἀπαιτεῖ, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν. οὐ δὲ γοῦν ὄντιν' ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς καὶ γονεῖς, οὐδεὶς γὰρ τῷ ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη. hoc eſt, Quod fieri poteſt, amicitia requirit: non quę ex dignitate, cui in omnibus paria facere nequimus, ſicuti in Dei ac parentum honore, quibus pro meritis nemo unquam rependat. Quid uero potiſſimum tanti beneficij ratione deuinctus filius, & planè auctoratus parẽtibus debeat cõtribuere, idem philoſophus eminentiſſimus ita finit, eiuſdem ſcientiæ libro nono, Videtur quoq; pa-

rentibus alimenta maxime ſuggerenda,ueluti hoc debeamus:quumq́, ut ſimus,ipſi argumẽtum præſtiterint:honeſtius quoq́,ea re illis mutuas operas reddere, quàm nobis ipſis allaborare: honor item impendendus eis, quemadmodum Deo. Comprobat ex parte lex uetus,qua ſancitur, Vt liberi,parentes alant, aut uinciantur. Sed & Homerus ita canens, οὐδὲ τοκῆσι

θρέπτρα φίλοις ἀπέλωκε, μίνυνθά δ' ἐὸν ἀίδηλον.

Nec nutricationis uices reſoluit parentibus charis, breuis autem factus eſt æui. Extat & Græcus ad id ſenarius,

ἰκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν σοὺς γονεῖς.

Viues diu, ſi uergentes in ſenium parentes connutrieris. Filios tamen parentibus alimenta non debere,ſanxit Solon, ſi artium nullam eſſent edocti, uel ſi de meretricis forent ſeminio concepti. Paternæ dignitatis indicium quoq́ id uel maximum,quod literarum parens Homerus idem Iouem,quem deorum intelligi principem uolebat, patrem nuncupat,tanquam conſimiliter afficiatur in filium pater,ac ſummus ille & ueriſſimus parens Deus in humanũ genus.Et pro Sylla M. Tullius, parentibus grauitatem contribuit,filijs uero ſuauitatem.Quanquam quod perabſurdum eſt, Perſarum gentes legimus,perinde ac ſeruis, abuti ſolitas filijs. At in Galilæa propè Arbellam uicum,inde latrones exigente Herode,unus eorum,cui ſeptem fuerant filij,uxorq́: quum ſaluti omnium poſſet conſulere, ſingulos progredi iubens interimebat in aditu ipſe conſtitutus:quumq́ impartiturũ ſe ueniam immanitate facinoris attonitus Herodes inclamaret, pertinaciter ille propoſitum tenuit, ac cum uxore omnibus iugulatis, ipſum ſemet cum cadaueribus in præceps dedit. Charitatis paternæ illud equidem ſignum eſt euidens: quoniam, ut Politicorum tertio Ariſtoteles ſcribit, patrem filijs regnum non relinquere, ſi poſſit, arduum eſt, καὶ μείζονος ἀρετῆς, ἢ κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν. id eſt eminentioris uirtutis,quàm pro hominum captu. At Deiotarus, quum plures ſuſcepiſſet liberos,omnes excepto tantum uno iugulauit,quo qui ſuperfuturus erat, potentior fieret,& maieſtatis auguſtioris, ratione impia & barbara, immo planè Galatica. Solonè ſeptem ſapiẽtibus unus,ſi quis parentes non enutriſſet, eum cenſeri ignobilem ſtatuit & obſcurum.Nam ut Cicero quadam oratione ſcriptum reliquit, quum ſit pietas uirtutum fundamentũ,patrem filius ut Deum uereri debet & colere, neq́ enim multo ſecus parens liberis eſt.Quòd ſi audiatur,filium patri cauſam necis præſtitiſſe, quis id ferendum putet? Portẽtum atq́ monſtrum eſt certiſſimum, eſſe aliquem humana ſpecie ac figura,qui tantum immanitate beſtias uicerit,ut propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce priuarit. Quum etiam feras inter ſeſe partus educatio,& natura ipſa conciliet. Inde in Declamationibus Quintilianus, maximum omnium ſcelus uocat,paricidium, quòd nomina ſacra polluit. Illud uero Romuli præcellens inſtitutũ laudari eximiè ſolet:qui quum paricidæ nullam ſtatuiſſet pœnam,homicidium tamẽ omne,paricidium nuncupari uoluit: quòd hoc impium atq́ nefarium,illud autem impoſſibile eſſe duceret.Fieri tamen poſſe,poſt conditam Vrbem annis ſexcentis L. Oſtius portentoſi ingenij homo & proruptæ audaciæ docuit, qui omniũ primus patrem necaſſe narratur. Annalem prætorem,tonantibus bellis ciuilibus,quum is proſcriptus apud clientulum ſecurè lateret,prodidit filius: & nequid deſit, eo nomine à ſanguinarijs triumuiris patris bona accepit,præterq́ ædilitatem arripuit:uerum diuino iudicio agente, ab eiſdem quos immiſerat patri, quum uinolentus domũ repeteret, eſt peremptus. Ardieum Pamphyliæ tyrannum,annis iam feſſum parentem & inſuper natu maiorem fratrem occidiſſe,libro De republica decimo Plato auctor eſt. Narratur & Perrhæborum rex Triopas tam efferatæ crudelitatis, ut ne filius quidem Carnabas eam facile concoqueret,quinimmo necato parente,acceptiſq́ tyrannocton iæ,id eſt tyrannicidij præmijs,in Troadem ſeceſſerit, atque inibi à Troe expurgatus Zeliam condiderit. Succurrit paricidij exemplum, cui comparari non poſſit aliud. Artaxerxi Perſarum regi ex pellicibus centum quindecim fuere filij, tres iuſto matrimonio ſuſcepti, Darius,Ariarates,Ochus:ex ijs Darium extra Perſicum morem, ubi rex tantum morte mutatur,per indulgentiam pater regem uiuus fecit. Cæterum Darius poſt noua pietatis paternæ exempla,nouum & ipſe aliquid, immo inauditum auſurus, interficiendi patris

patris consilium cepit. Sed audi, quod omnem excedat admirationem: communicato tam nefario proposito cum quinquaginta fratribus, non est inuentus qui aduersum ire conaretur. Causa paricidij, uel ipso tamen paricidio scelestior. Aspasiam uxorẽ habebat Artaxerxes: ea quoq; ut sibi cederet, efflagitauerat Darius: promiserat indulgẽtissimus pater: sed mox pœnitentia ductus, Solis sacerdotem illam legit, quia perpetua ibi castitas foret necessaria. Hinc filij iritatur impietas: in patrẽ cooritur. Sed auersantibus (credo) dijs, flagitij magnitudinẽ frustratus euentu, pœnas paricidij inauspicatissimi cum complicibus, numini, paternæ maiestatis ultori, dedit: reuocatis ad supplicium quoq; infelicibus liberis & uxoribus: ne tam abominandi sceleris ullum prorsus uestigiũ extaret. Trogus item scribit, Thessalonicẽ ab Antipatro filio, quum uitam per ubera materna deprecaretur, fuisse occisam per summam immanitatem. Ab Euandro item occisum fuisse patrem, quidam prodiderunt. Ptolemæum certè, Polybius scribit, Philopatora cognominatũ ex facinoris crimine, quòd patrem uita exuisset. Adeo multi non ingratitudine solum, quod est maximũ omnium uitiorum, ut inquit Fabius, nomen illud sacrum uiolare non uerentur, sed etiam sanguine, omnium post Deum maxime sacro, animam suam fœdare non cõpauescunt. Fuit & Ptolemæus cognomento Φιλομήτωρ, ut Pausanias scribit, ὑδὲ χλευασμῷ, id est ludibrij causa, quòd eum insigniter odisset mater: adeo, ut quamuis natu grandiorem, principatu prohiberet. Nero matre perempta, procurrens nudam est contemplatus, nec uerbo temperauit flagitiosiore, οὐκ ἤδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα ἔσχον. nesciui, inquit, mihi esse matrem adeo uenustam. De machinoso naufragio, quod fuit Agrippinæ destinatum, sic scribit Dion, Quum aduertisset nauem in theatro ἀλλομένων αὐτῶν ἐφ' ἑαυτῆς, καὶ τινὰ θυείᾳ ἀφιείσῃ, καὶ συνιστορούσῃ ὧν πάλιν, consimilem alteram compegit euestigio. Telegonum Græci produnt, Vlyssis ex Circe filium, quum patrem quæsitum pergeret, qui somniorum diritate conterritus latitabat, metuens ne à filio interficeretur, ac à custodibus loci repelleretur, ad uim conuersum ex illis aliquot confecisse, & mox tumultu excitatũ Vlyssem, sed incognitum, hastili confodisse, cuius erat summa pars osse turturis marinæ communita, insulæ argumento in qua erat natus ac educatus.

Apud gentes aliquas cædi ex more parentes quoq;, ac mox uerti in cibum. Platonis scita de parentũ cultu. Prius de hostis perimendi instituto Romano. Chrysante historia. Verborum uolatilium grauem imminere pœnam, ex Platone.

Caput XVIII

SEd quid singulos miramur? Mos quarundã gentiũ celeberrimus est, ut senio iam cõfectos patres filij perimant, & quod omnẽ supergreditur feritatem, eorũ item carnibus uescantur. Fingere nos fortasse putet aliquis. Id tamen historiæ parẽs Herodotus de Indis retulit ac Massagetis. Quàm uero à ueterũ Romanorũ institutis tã impiũ facinus est dissentaneũ? apud quos cautum scimus, ut qui sacramento non tenerent, hostem prelio uti ne lacesserent: quòd & Catonis epistola comprobatur ad filium: uelut præmonstrarẽt, ne hostem quidem interfici oportere, ni adigat summa & ea legitima necessitas. Propterea & Chrysantam collaudauit Cyrus, quòd hostem interfecturus iam elatum in cędem gladium reuocasset, quia ἀναπλητικόν, id est receptui canì interim inaudisset. Sed infaustis & pollutissimis animis suo sceleri relictis, ad iucũdiora relatu ueniamus, subtexamusq; pijs pectoribus diuini Platonis super patria ueneratione placita sanctissima, ex libris Legum repetita. Ergo (inquit) fas est, parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorũ persoluere. Putare enim quisq; debet, omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt & educarunt, ita ut illis hæc omnia pro uiribus ministrare debeat: primũ quidem externa bona, deinde etiam corporis, postremò quæ ad animum pertinent. Verbis quin etiam per totam uitam parentes maxime uenerari decet. Leuium enim uolatiliumq; uerborum grauissima imminet pœna. Nam omnibus præposita est Nemesis, iudicij angelus, huiusce modi inspector omnium. Oportet itaq; iratis, animumq; explentibus cedere seu uerbis seu rebus id faciant. Quòd si ita exactius seruarimus, digna à dijs cæterisq; natura nostra superioribus præmia referemus, plurimum bona cum spe uiuentes. Hęc philosophi placita qui altius certiusq; imbiberit, in eam (opinor) sententiam

tiam pedibus ibit,ni Galatam altius hauſerit,Lemnio etiamnum ſcelere imbutus, nulla eloquij facultate, nulla præſtantis ingenij ſolertia exprimi poſſe, & laudabile, quàm omni excipiendum plauſu feſtisq; uocibus,ſi quem inaudias parentibus obſequentiſſimum filium,& in eo uno cõtumacem,ne beneficijs uincatur. Quod eſſe certamen omnium ſpecioſiſſimũ,quis ambigat? in quo feſſis, etiam ſi ad triarios res redeat, ſubinde tamen reſtituenda ſit acies,ſucclamãdumq;, Felices qui uicerint, felices qui uincentur.

Nemeſis & Leda diuerſæ ſint,an una eademq;. Quid Nemeſis apud Ariſtotelem, quid item apud Platonem. Torgos quid. Nemeſea feſta. Gratiarum ratio,& furiarum. Nemeus Iupiter. Heſiodus ubi necatus. Adraſtia. Interim & de miſericordia. Caput XIX

SOlent,inquit Diuinarũ inſtitutionũ primo Lactantius, mortuis cõſecratis nomina immutari: credo,ne quis putet eos homines fuiſſe. Nam & Romulus poſt mortẽ Quirinus dictus eſt,& Leda Nemeſis, & Circe Marica: & Ino poſtea & ſe præcipitauit,Leucothea,materq; Matuta:& Melicertes filius eius, Palæmon atq; Portũnus. In ijs apertiſſimè cõprobat auctor hic, Nemeſin à Leda minimè uideri diuerſam. Auſonius tamẽ quodã tetraſticho diſparauit

Iſtos tergemino naſci quos cernis ab ouo,
Patribus ambiguis & matribus aſſeueratos:
Hos genuit Nemeſis,ſed Leda puerpera fouit:
Tyndareus pater his & Iuppiter,hic putat,hic ſcit.

Fabellæ ratio,quia paulo obſcurior eſt,ad hunc ferè modũ habet: tametſi alieno,quod aiunt,choro memet uideor inſerere: quando nil tam ab inſtituto, ac in quem collimamus,ſcopo diſſentaneum diſſitumq;,quàm fabuloſa conſectari. Cęterum nemo tam ſerius,nemo tam matutinus,ut non renideat quandoq;. Igitur Nemeſin quum deperiret Iupiter,ut à puella admitteretur,nequibat impetrare. Ad dolos ergo amatoriè conuerſus,iuſſit Venerem in aquilam deformari,ipſe olorẽ induit: moxq;,ut qui aquilam nimis metueret,raptim ſe proripere cœpit,ac uelut cõpauidus latebras quærens,in puellæ deuolat gremium. Quæ neſcia quantus inſideret miſeræ deus, illum placidè ac geſtiens excepit, ſed ui numinis eueſtigio in ſoporem uertitur, eam tum nimis opportunè comprimit Iupiter, in anſerem deformatam, ut ex Græcis ſcribunt nonnulli. Actis denicq; menſibus parit illa ouum, quod auferens Mercurius Spartam detulit, ac ſedenti Ledæ in gremium proijcit,ex quo nata fertur Helena: quam Leda, ut filiam habuerit aluerit& materno confouens affectu. Hæc ipſa quin etiam Pauſaniæ confirmantur auctoritate,cuius uerba Latine facta hæc ſunt. Græcorũ, inquit, opinio eſt, Nemeſin Helenæ matrem eſſe, Ledam lac præbuiſſe atq; educaſſe. Idem ſcribit, Nemeſin coronam geſtare,in qua & corui & fortunæ parua inſignia contineantur,ſicut in manuum altera fraxineus erat ramus: in dextra uero phiala, Aethiopibus inſculptis. Cuius reiratione ſe minus tenere, Pauſanias item fatetur: tantum addit, Nemeſin fuiſſe Oceani filiam. Heſiodus uero in Theogonia de Nemeſi ſic cecinit,

Τίκτε δὲ καὶ νέμεσιν, πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι Νὺξ ὀλοή.

id eſt,etiam Nemeſin genuit mortalibus nocumẽtum hominibus nox perniciosa. Qui carmina concinnauit Cypria, quiſquis is cenſeri debet, Helenæ quidem matrem fatetur Nemeſin, ſed dum eam cõſectaretur Iupiter, in piſcem quoq; deformatum prodit. Cæterum extra oleas ſatis. Niſi quod prætereundum id haudquaquã uidetur: Cygnum in fabellæ huius mentione ab Lycophrone in Alexandra Torgon nuncupari, etiam ſi eo uerbo γύπα intelligimus,poetæ carmen id eſt,

ἦρ τόργ' ὑγρόφοιτ' ἐκλοφόωτα.

Hiſce uero operæ leuioris in alienum reiectis forum, ipſi ad noſtram conuertamur harenam, protinusq; quæ altius requirunt examen, hic appingamus. Scribit quodam loco Plutarchus, Ariſtotelicos putare, urbanas eſſe perturbationes ſiue affectiones malis dicere,Nemeſin & Miſericordiam. Siquidem nata indignatio ex improborũ proſperiore ſucceſſu Nemeſis,inquit, uocatur. Sicut miſericordia eſt, quum boni extra rationem calamitatibus conflictari, & turbinibus atteri, interq; ſaxum ac ſacrum aſciti uidentur. Ariſtoteles uero Moralium ſecundo, ad uerbũ ferè ita ſcribit: Nemeſis autem

id eſt

id eſt indignatio media eſt inter inuidiam & ἀχαριτολίαν, id eſt peruerſum gaudium. Verſantur utiq; circa uoluptatem & dolorem, proueniẽtes ex iis quæ proximis obueniunt, ὁ μὲν γὰρ νεμεσητικὸς λυπεῖται ἐπὶ τοῖς ἀναξίως εὐπραγοῦσι, hoc eſt, Nemeſeticus, ſiue indignabundus, ut dicamus quo modo poſſumus, moleſtè fert, quum indigna alicui proſperitas eſt. Inuidus hunc excedens in cunctis turbatur, & moleſtè fert, ὁ δ' ἀχαριτολόγος οὐδὲν ἧττον ἐλλείπει τοῦ λυπεῖσθαι, ὡς τι χαίρειν. Epichærecacus autem tantum abeſt ut doleat, ut lætetur etiamnum. Eadem ferè in primo quoq; magnorũ Moralium idem philoſophus prodit, adnectitq; νεμεσητικὸν εἶναι ἐπαινετόν, id eſt indignabundum uideri laude dignum: & in ſecundo Rhetorico ait, ἀντίκειται δὲ μᾶλλον ἐλεεῖν, μᾶλλον μὲν ὁ καλοῦσι νεμεσᾶν, id eſt miſericordiæ opponitur quidem maxime indignatio, angi quippe felicitate indigna quodãmodo aduerſum eſt: ſed & affectio utraq; ex bonis profluit moribus. Proinde Plutarchus haſce affectiones duas à Peripateticis dici ἀσκια πάθη tradit. Verũ diuertamus parum ad Platonicæ ſapientiæ ſacraria, excerpturi inde quod reconditum, nec in triuialium exchartabulis proculcatum, ſtudioſis emolumentum ſimul & uoluptatem allaturum opinamur. Diximus capite præcedenti ex Platonis uerbis, Nemeſin eſſe diuini iudicij angelum. Amplius, hunc præeſſe nobis, uelut iudicis ſuperioris uicarium, Platonici tradunt, qui à turpibus deterreat, honeſtorum ac uirtutis conciliet amorem, obſequentesq;, nec contumaciter tacitis eius illectationibus aduerſum euntes, blanda confoueat mentis trãquillitate. Obluctantes uero aſſiduis idem territet turbinibus, erigatq; fluctibus, conuellat ſubinde, ac raptet. Angelus hic, ubi renidens arridet, Gratiæ nomen indipiſcitur in priſcæ ſapientiæ monumẽtis: ubi uero formidabilis infeſtusq; lancinat diuexatq;, furia nuncupatur. Vtranq; porrò triplicem intelligunt temporis ratione, in treis abeuntis partes, quibus uel fœcundè lætamur, uel affligimur confricamurq; miſere: quod fati cõplectitur modum, & Parcarum ordinem trifarium. Angelum hunc Orphei theologia præcipue, ubi ſuperbos infeſtius comprimit, obturbatq;, Nemeſeos cognomẽto inſigniendum putat: id quod Libanius item ſacit in lucubratione, quæ de ſua eſt ipſius uita: quoniam ſummi uiri, & rerum naturæ capaces monſtraturi, ſuperbiæ malum eſſe maxime omniũ bonitati diuinæ diſſentaneũ, quæ utiq; ſuperbis obſiſtit, humilibus uero dat gratiam, id genus hominum tumẽtium non ſolum diuina cenſura, ut uitia reliqua, ſed etiam indignatione puniri tradiderunt: propriumq; ad id effinxere numen, Nemeſeos appellatione celebratũ. Eius meminit & Demoſthenes: nam oratione quadam περὶ στεφάνου Nemeſea nuncupat, id eſt νεμέσεια, feſtumq; id fuiſſe interpretantur, quo uita functis parẽtaretur. Sunt, qui ius quoddam numinis efficacis Nemeſin interpretentur, lunari ſuperpoſitum circulo: uel tutelam ſubſtantialem generali potẽtia partilibus præſidentem fatis. Quam iuſtitiæ filiam fingentes theologi ueteres, ex abdita quadam æternitate omnia tradunt æterna deſpectare: quæ ceu regina ſit cauſarum, & arbitra rerum ac diſceptatrix ſortium urnam attemperans, accidentiumq; alternans uices. Pinnas huic, ut Ammianus inquit Marcellinus, fabuloſa coaptat uetuſtas, ut adeſſe uelocitate uolucri cunctis exiſtimetur. Prætenditur & gubernaculum, & ſubijcitur rota, uti uniuerſitatem moderari per elementa procurrens omnia concipiatur. Nemeus ad Nemeſin ſpectat nihil: fuit autem Iouis cognomentũ, in cuius templo fertur ab incolis interemptus poeta Heſiodus, quod hiſtoria tertia ſcribit Thucydides, quum in Nemea id paſſurũ, ceciniſſent oracula. Quæ de Nemeſi protulimus, mirè poeticæ lectionis ſtudioſos iuuabunt. Nam ſæpe nugamenta uideas ab interpretibus afferri non apud Græcos modo, ut in Heſiodi enarrationibus, ſed & apud Latinos, ut in Catulliano carmine,

Aut Tritonis hera, aut Rhamnuſia uirgo.

Celebre eſt, & ad noſtra hæc præcipue pertinens Leonis Byzantij ſcomma, quod in gibboſum effudit, qui oculorum eius imbecillitatem fuerat cauillatus ἀνθρώπινον ἔφη, πάθος ὀνειδίζεις, ὦ τὸ νώτου φέρων τῷ νεμεσᾶν. humanam, inquit, affectionem obijcis, quum in tergo feras ipſe Nemeſin. Adraſtiam deniq;, ac Nemeſin pro eodem numine accipiunt quidam. Multi diuaricandas putant, inquit Pauſanias. Ab Adraſto inflecti Adraſtiam credunt, qui ex ſeptem ſuperſtes ſolus, rurſum in Epigonis filium amiſit ſolus. Alij à Myſo deducunt Adraſto templi auctore primo. At melius eſt, inquit idem,

quod

quòd nil prorſus eam euadit, id eſt ἀποδιδρᾶσαι. Ammianus Marcellinus, Humanorum, inquit, ſpectatrix Adraſtia aurem (quod dicitur) uellit, monuitq́.

Iræ incontinentia cur damnanda minus, quàm cupiditatum. De quibuſdam patrem euerberantibus raptantibus ue. Caput XX

ARiſtotelis ſummi in omni ſcientia uiri, libros qui De moribus ſunt, adire quandoq́ ſolemus, & quidem uoluptate ſumma. Mirifica in his ſciẽtia eſt, mirabilior & ad bene uiuendum inſtitutio, qui eſt illorum librorum præcipuus finis. Inter alia, quæ maturam habent frugem, uel hoc nuper excerpſimus, οὐκ opinor ἀναφροδίσιον. Incontinentia (inquit) iræ, minus turpis eſt, quàm cupiditatum. Nam quod rationem audit, minus turpe quàm quod nullo modo audit: ira uero talis eſt. Etenim quemadmodũ miniſtri, qui ueloces ſunt, prius quàm expleatur imperium, excurrunt ad exequendum, ſed interim peccant. Canes quoq́ ante quàm perſpexerint certius, ſit ne amicus qui uenit, modo ſtrepuerit, irruũt cum latratu. Sic & ira propter calorem & uelocitatem naturæ audiens quidem, ſed non omnino exaudiens præceptũ, properat ad ultionem. Ratio enim ſeu phantaſia, iniuriam uel contumeliam oſtendit: ira uero tanquam ratione concludens quod repugnandum ſit, ſtatim inſurgit. Porrò quæ cognationem cum natura quandam habent, procul dubio minus ſunt damnanda. Hoc uero habet ira, ut manifeſtum ſit ex generationis ſucceſſione à parentibus accepta. Sic enim quidam ſe excuſabat, quòd patrẽ euerberaſſet: Nam & ipſe, inquit, patrẽ ſuum conuerberauit, & ille rurſus ſuum: quin & filium oſtendens, Et hic, inquit, ubi in uirum euaſerit, me quoq́ flagris cædet: hoc enim gentile nobis eſt. Quidam præterea raptabatur à filio, quumq́ ad ianuam perductus foret, πάυε δαι ἐκέλευε· καὶ γὰρ αὐτὸς ἐλκύσαι τὸν πατέρα μέχρις γήτατα. hoc eſt, deſine fili, nam & ego patrem, inquit, hactenus.

Parẽtes eſſe Iouis ſimulacra. Gentium quarundam truculentia in parentes. Paricidarũ ſupplicij ratio. Ferales anguſtiæ quæ. Hecate quæ. Hecateis herba quæ ſit apud Ouidium. Aconiti inuentio. Cete abſorbentia fœtus, diſcrimine illis ingruente. Pas, pappas, ma, mammia. Pappæus Iupiter. Pappus quid. Myſtax. Papiſſare, pappare, lallare. Parentum nomine quid intelligendum. Caput XXI

QVamuis à ueteribus proditum ſciamus, & à Proclo repetitum, eſſe parentes ἀγαλματα τῶ πάντων πατρὸς διός. hoc eſt, idola ſpectraq́ patris omnium Iouis. Rurſumq́, qui in deorũ ſimulacra impios ſe præſtiterint, in deos ipſos, quorum imagines ſint, impietatem regerere. Mira tamen ſunt, quæ de hac re prodit hiſtoria, etiam ſi non excidit, quid ad hæc paulo antè elucubratum nobis ſit. Legimus ſiquidem Caſpios, gentem immanem & feram, parentes incluſos fame necare, quum iam ætatis annum ſeptugeſimum exceſſerint. Tolerabile tamen id putant nonnulli, quia ſit illorũ moribus conueniens, quum Scythicũ ſit. Sed multo etiamnum magis, quod Bactriani faciũt, Scythicum uidetur. Eos Oneſicritus ſcribit, qui iam ſenio morboue confecti ſint, uiuos canibus apponere, ad hoc ipſum de induſtria enutritis, quosq́ illarum gẽtium uocabulo ſepulchrales uocent. Bone deus, quæ ſunt hæc hominum portẽta, quibus dulciſſima illa naturæ cõmemoratio deſpicatiſſima eſt? mores ne dicere hos oportet, an uerius monſtra execrabilia, nec ſine cunctatione promenda? Rident male de literis meriti Plinium, prodigioſas hominum figuras conſectantem: ceu non tam facile ſit naturæ à præſcripto ſuo recedere, quàm homini nulla non in parte ſubinde monſtrificũ aliquid promenti, quòd ſimul magnitudine, ſimul abſurditate uix inueniat fidem. Parentes in Aegypto, qui filios dediſſent neci, morte haud mulctabantur, uerum triduum integrum ac trinoctium ſeſe afflictare cogebantur ad defuncti cadauer: quando iuſtum minus cenſeretur, uita exui eum, qui uitæ fuiſſet auctor. Sapientiſſime, inquit M. Tullius, noſtri maiores fecerunt: qui quũ intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando uiolaret audacia, ſupplicium in paricidas ſingulare excogitauerunt: ut quos natura ipſa continere in officio non potuiſſet, magnitudine pœnæ maleficio ſummouerentur. Inſui uoluerunt in culeum uiuos, atq́ ita in flumen deiici. Sic enim uolebãt eum hominem è natura auferre atq́ eripere, ut repentè cælum, ſolem

lem,aquam,terram adimerent:ut qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, & careret his rebus omnibus,ex quibus nata eſſe omnia dicuntur. Noluerunt feris corpus obiícere, ne beſtiís quoq; quæ tantum ſcelus attigiſſent,immanioribus uterentur.non ſic nudos in flumen abiícere,ne quum delati eſſent in mare,ipſum polluerẽt,quo cætera quæ uio lata ſunt,expiari putantur. Cæterum quod de beſtiís hic & flumine Cicero inquit,amplius perpẽdendum:nam Digeſtorũ libro quadrageſimooctauo,ad legem Pompeiam de paricidiís,iureconſultus Modeſtus ita ſcribit: Pœna paricidij more maiorum hæc inſtituta eſt,ut paricida uirgis ſanguineis uerberatus,deinde culeo inſutus cum cane,gallo gallinaceo,& uipera,necnõ etiam ſimia,in mare profundum proiiciatur: hoc ita, ſi mare proximum ſit:alioqui beſtiís ſubiicitur, ſecundum diui Adriani conſtitutionem. Martianus titulo eodem,ſupplicium ſtatuit paricidis,quo teneãtur damnati lege Cornelia de ſicariis:id erat,ut Marcellus inquit,in inſulam deportatio, & omniũ bonorum ademptio. Sed ſolent,inquit,hodie capite puniri, niſi honeſtiore loco poſiti fuerint, q; ut pœnam ſuſtineant:humiliores enim ſolent uel beſtiís ſubiici, altiores in inſulam deportantur. De culeo paricidarum Imperator Inſtitutionũ quarto, de publicis iudiciis ferè cum Cicerone ſentit,niſi quòd & ipſe ferales uocat anguſtias, tormentum incluſarum beſtiarum,ſiue ferarum. Hecaten ſanguinariam prorſus fœminam,ſcribit Diodorus,aconitum comperiſſe primum,ſicq; Perſam patrem peremiſſe:quo argumento putant eruditi,herbæ hecateidos nomine aconitum Ouidio in Metamorphoſeon libris præmonſtratum. Sed nos caput hoc,ſi ſententiis grauioribus, & quibuſdam præterea pauculis eluſerimus,non admodum aberrabimus. Scribit facundiſſimus ſacrarum literarum doctor Hieronymus,Parentibus neminem poſſe reddere quod debeatur:humilitatem eiuſmodi oblatam hominibus uiuendi ſpatia prorogare: parentum nomen ab optimo maximo Deo eatenus diligi,ut ſe ipſum patrem iuſſerit dici. Solomonis ſententia nobilis eſt,Contumeliis afficiens patrem,& contemnens ſenectam matris,confundetur,& in opprobriis erit filius,derelinquens paternæ diſciplinæ cuſtodiam. Maledicenti patrem & matrem,extinguetur lumen,& pupillæ oculorum eius tenebras uidebunt. Machabæus filius matri mortem ſuadenti ſeruiuit, & durum imperiũ gratanter excepit,uno tantum uoto,ne genitricem offenderet. Sed inter diuina Dei lege educatos,hoc quid mirum? Illud ex Gentium hiſtoria non ſine ſtupore narratur. Antigoni ſecundi Demetrius parens,à Seleuco iure belli abductus fuerat captiuus: miſit interim ad filium is,uti ſuis ne crederet ullis literis,quoniam foret à Seleuco compulſus ſcribere:cæterum firmo præſidio ciuitates teneret. At ſingulari pietate filius, his nil admodum intendens,ad Seleucũ exarauit ipſe,Illi ſe libenter regno ceſſurum, præterq; obſidem futurum ſe,modo patrem abire liberum iuberet. At imperator Henricus dehoneſtus deculpatusq; ſcelere nefando Henricũ patrem ad uitæ ultimũ fœdo macerauit carcere. Ediuerſo autem ſi quis parentum in liberos immanitatem conſectetur ſtudioſius ex literis,opinor,ſuppetent exempla uel plura. Cæterum cuiuſmodi cenſendum id ſcelus,inde nimirũ dilucebit uel abundè,quod eſſe in mari cete legimus, quæ partu æditò ſi quid interim ſeſe oſtentet formidoloſius,aut quid inſidiarum moliantur prægrandes belluæ,quo catulos tueantur ſecurius,affectu materno exſuperante omnia,aperire amplius ora memorãtur,ac dente innoxio partus prærípere, & intra uterum recípere denuo,ut periculi facie diſcuſſa,uelut ruminãtia reuomant rurſum. Poſtea uerò quàm de parentibus abundè multa cõgeſſimus,quæ hinc inde ſumus aucupati, adnectamus ex grammaticorum ſacellis aliquid,quod iunioribus uſui ſit legiſſe. πάππας, inquiunt, infantili alloquutione pater nuncupatur, qui mox per anadiplaſiaſmum factus ſit παππάπας: ſicuti μάμμας,dicitur mater,unde & mammia. Scribit in Bithyniacis Arrianus, conſueuiſſe Bithynos montium cacumina conſcendere, ac Iouem Pappam conſalutare, atq; item Attin. Auctor quoq; Herodotus eſt,à Scythis Pappæum Iouem dici. Ex quibus elicitur omnibus,ineſſe uerbo diuini quippiam. Auctor Theophraſtus, aphacæ oleris florem marceſcere mox,inq; lanuginem abire, quam uocent pappum: nam & inferioris labij barbitium,pappum uocãt:ſicuti ſuperioris,myſtaca. Pappazín,id eſt, παππαλίζειν, ut eſt apud Homerum:uel pappiſſare, id eſt παππίζειν, quod comicis arridet amplius, eſt infantium more blandeq; patrem appellare. Pappus uerò, infantilis item eſt cibus:

ſicut pappare, Plauto edere eſt. Lallare autẽ, nutricia uox, infantes ad lac ſugendũ prolectans: unde poſt Perſium Hieronymus, Mammæ antiquum referens lallare, congeminet. Parẽtes, putat Hieronymus militari uulgaríq; ſermone cognatos affinesq; indicare. Caius uerò Iureconſultus parentum nomine maiores omnes recte accipi tradit.

Ciceronis nodus explicatur, tradentis, Mari quæ uiolata ſunt, expiari. Enarratur & Catullianum carmen. Cap. XXII

QVod aũt paulo ante ex Cicerone retulimus, Mari cætera quæ uiolata ſunt, expiari putantur: ambiguitatem (puto) habet, nec contemnendam: ſcioq; nõ paucos in eo corrugaturos frontem. Quid ergo ad eius obſcuritatis illuſtrationem promimus? An doctiſſimũ credimus oratorem ad id alluſiſſe quod ſcribit Ariſtophanis interpres ſuper eo comici uerſiculo,

Πρῶτον μὲν οὖν ἰὼν θάλατταν ἤγομεν, ἔπειτ' ἐλοῦμεν.

hoc eſt, primò quidem ad mare ipſum produximus, mox & lauimus. Mos erat, inquit, ueteribus illic καθαίρειν οὓς ἀφοσιοῦμένους, id eſt expiare pollutos. Homerus,

Καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

id eſt, in mare ſordes reiiciebant. Quin Platonem item ferunt, in Aegyptum ad ſacerdotes & prophetas ſe conferentem, ut illorum ſapientiæ placita perdiſceret, ſecum habuiſſe Euripidem quoq; quem morbo implicitum, poſtea quàm eſt maris aqua incolumitati reſtitutus, ſacerdotum opera, mox id uerbis ita teſtatum,

Θάλασσα λύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

hoc eſt cuncta mortalium mala prorſus abluit mare. Quin & ratione eadem uideri Lycophron poteſt in Alexandra, ἀγνίτιν ἅλα dixiſſe: id eſt luſtralem ſalem: etiam ſi ad hoſpitalem amicitiam id referendum interpres putat, quòd initio apponeretur ſal, ut qui hoſpitali iungerentur iure, ſic expurgarẽtur. Addit tamen, arbitrari alios, maris aquam dulcibus cenſeri purgationibus aptiorem. At, inquit, mihi id haud non arriſerit ſatis. Scribit Plutarchus, Ariſtidem quum pro Athenienſibus Græcos ſacramento adegiſſet, inter imprecationes mydros, id eſt ferri ignitas pilas, in mare conieciſſe: ueluti tamdiu iuſiurandum manere apprecarentur, quamdiu latuiſſent illi ſub aquis: id quod apud Sophoclem in Antigone grammatici adnotarunt. Verum ut addubitatio eximatur omnis, ſi qua etiamnum reliqua ſit, ad purificationem ſcribit Proclus, ſulphur adhiberi, & maris aquam. Meminit Iliados primo Euſtathius Euripidis ſententiæ, cuius uſus non peruidit uir meo iudicio alias eruditus: nam fluctuantibus uerbis, Poetæ ſenſum perlicit, nec aſſequitur tamen, ut qui in lubrico ſiſtere gradum nitatur. Ex iis quæ prompſimus, liquere amplius poteſt. Sed & opera eadem enarratur Catullianũ carmen ad Gellium, de profano quodã & inceſto, quod inſcitè nimis ac oſcitanter aut prætereunt interpretes, aut neſciunt.

Quid facit is, patruum qui non ſinit eſſe maritum?
Ecquid ſcis, quantum ſuſcipiat ſceleris?
Suſcipit, ò Gelli, quantum non ultima Tethys,
Nec genitor nympharum abluit Oceanus.

Deus ſummus qua colendus ratione: item dei filius, ac cœleſtes diĳ, dæmones quoq;. Cur numeris indita deorum nomina. Pythagoræ ſcita de adorationis ratione. Caput XXIII

PORphyrius philoſophus ſingularis libro ſecundo De ſacrificiis & diis atq; dæmonibus, Sapienti eſſe notiſſimũ, ſcribit, malos quidem dæmonas animalium oblectari uictimis, inq; eis futura portendere: deum aũt id genus ſacrificio haudquaquã egere. Qui ſanè adorantiũ perpẽdit mores, id præcipuum, maximeq; omniũ ſibi gratum ſacrificiũ exiſtimans, rectum inconcuſſumq; de ipſo iudiciũ, & rebus aliis. Apud cœleſtem diuinamq; naturã eximia oblatio eſt, Mens pura, & à perturbationibus ſeiunctus diſparatusq; animus: ne, quod Ariſtoteles inquit, illis conuulſi lãcinatiq; carmina proferamus Empedoclis, inſcitia adobruti, & nil admodum percipiẽtes, ſcenicorum more. Hinc Plato, Addecere bonum uirum, ait, rem diuinam obire, atq; intereſſe ſacris: in quibus rurſum malos inaniter allaborare teſtatur. Idem Porphyrius alibi: Deum ſummum ſilentio puro, puriſq; de ipſo intel-

intelligentijs ritè colendum,præcipit. Oportere nanq; coniunctos ſimilesq; Deo iam effectos noſtram hanc ad Deum eleuationẽ,uelut ſacram uictimam Deo dicare. Filijs autem eius,qui & intelligibiles dij ſunt,laudem iam ex ipſo quoq; ſermone putat adhibendam. Scitu uerò præcipuè dignum eſt:ueteres illos,ſanctosq; planè uiros, nec probri unquam fere compertos,uelut primitias numinibus ex contemplatione quoq; ipſa dedicaſſe:ceu atteſtarentur,illam nobis ſuperna contributam largitate. Cuius uſus ad ſalutem ueram ſit omnino neceſſarius. Proinde Pythagorici,quum in numerorũ linea rumq; ſcientia plurimum uerſarentur,ex ijs aliqua etiam eſſe dijs dicanda cenſuerunt. Et ex numeris alium quidem Palladem,alium uerò Dianam,alium Apollinem, rurſus alium luſtitiam,alium Temperantiam,ac ſimiliter in figuris. Porrò dijs,quos intra cælum conſtitutos cernimus,ſiue ij ſint errantes,ſiue nullo ferantur errore:inter quos Solem Lunamq; ueneramur principes,cõmodè ſacrari Ignem poſſe, arbitratur idem Porphyrius,ueluti rem cognatam. Quæ uerò mãdet theologus, magnopere cenſet ſeruanda,ut animatum omnino dijs immolemus nullum: ſed uſq; ad farinam & mel, terræq; fructus atq; flores. Animata uerò dæmonibus cõgruere,ſiue boni ſunt ij, ſiue mali. Cæterum quàm attentè,quàm religioſe,quamq; ex deſtinato Deum cõprecari addeceat, optimè omnium monſtraſſe Pythagoras uidetur: Quum ueneris,inquit,in templum, adora,neq; aliquid interim quod ad uictum pertineat,aut dicas,aut agas. Ex itinere præter propoſitum non eſt ingrediendum templum, neq; orandum,neque etiam ſi prope ueſtibulum ipſum tranſiueris. nudis pedibus ſacrifica & adora. Sunt & alia philoſophi eiuſdem ad ipſum hoc ſpectantia,ſed obſcuritatibus adeo inuoluta,& in Heracliti antrum intruſa,ut Ezechielis principia putes ac finem,aut Geneſeos exordium,quæ ante annum trigeſimum apud Hebræos nemo legit.

De Hippolyto quædã haud ingrata. Quis Pythia inſtituerit primus. Apollo Epibaterius. ξωλχὸς στρεπτός quid: item rhachia. Dyrrhachiũ unde. Dyſrhachia regio. Arrhachos paliurus cur. Streptos rhachos. Strepte. Rhachitæ qui.

Cap. XXIIII

DE Hippolyto Theſei filio in ueteribus memorijs pleraq; tum fabuloſa, tum ueritatis haud inſcia comperit, opinor, uel paulum modo literis imbutus. Quæ mihi ſe de Græco penu ingeſſere nuper,iam hinc pergã cæteris communicatum. Lego igitur,apud Trœzenios huic fuiſſe dicatum lucum, & in eo templum nõ abſq; ſimulacro & quidem uetuſto:ad Diomedem referri omnia hæc, qui & princeps Hippolyto rem diuinam obierit. In Trœzene autem ſacerdos eſt Hippolytus,cum uita prorogatur ſacerdotium, & anniuerſaria celebrantur ſacra. Moris eſt illud quoq;,ut ante nuptias puellæ reſectos illi offerant crines. Necatum, equis diſtrahentibus,non arbitrantur. Cæleſtem heniochum,nec alium putant. Id quod honoris gratia illi ab immortalibus contributum uolunt. Quin à Diomede aſtruunt eodem Apollinis templũ ὠὰβατηρίου inibi eſſe dicatum,quod in reditu ab Ilio euaſiſſet tempeſtatem,qua Græcorum afflictæ ſunt opes:principem quoq; Pythia inſtituiſſe certamina. Adnotatum à Græcis, Triptolemi temporibus Pythia primum cœpiſſe, annis poſt Oreſtem propémodum ſexcentis. Fingit tamen in Electra Sophocles Clytemneſtræ nuntiari Oreſtem in Pythicis periſſe certaminibus:quod ab interpretibus eſt animaduerſum. Proinde excutiant ingenioſi,ecquid aduerſus Gellij ſupercilium tueri hoc exemplo Virgilijũ queamus de portu Velino,libro ſexto. Et in Trachinijs fingit Sophocles Deianiram Solonis ſentẽtiam proferre, Neminem ante obitum dici beatum poſſe. Fuit autem Solon Deianira longè poſterior. Dicitur uerò hæc dicendi figura anachroniſmus. Eſt in Trœzenio agro ad mare pergentibus κότινος, id eſt oleaſter, ξωλχὸς στρεπτός ab illis nuncupatus. Siquidem quæcunq; ſterilia,dicunt Trœzenij rhacha. στρεπτὸν uerò cognominant,quoniam implicitis eo habenis, euerſus ſit Hippolyti currus: alioqui στρεπτοὺς dicunt Græci εὐμεταβόλους,id eſt facile mutabiles, ſed & torques, & in manibus pſellia:unde apud Herodotum ſtreptophori & pſelliophori,id eſt torquati & armillati. Vbi uerò Lucianus ait, ἢ ἐλπίζεις κάνθιλιον πορφυροῦν καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, id eſt,uel Candyn ſperat purpureum & ſtreptum aureum: fuit qui annulum interpretaretur. Rhachia autem dicitur petroſus locus,præcipuè littus. Hinc & Dyrrhachio conci-

liatum nomen, ſicuti in Dionyſium Euſtathio placet, ob peninſulæ aſperitatem, meminit & Dion. Quo factum, ut in Europa Dyſrhachiũ maluerit pronuntiare Alexander; ſicuti Illyrici regio Dyſrhachia nuncupabatur quandoq;. Epidamni filia Meliſſa traditur, unde Meliſſonius locus, ubi cum ea congreſſus Neptunus Dyrrhachium genuit. ῥάχος, id eſt rhachos, uocant ſepimẽtum: unde paliurum arrhachon dici legimus, quia ſepibus congruat uehementer. Rhachia, Thucydidi & Atticis omnino littus indicat: Ionibus uerò ampotim, id eſt gurgitem, ſiue maris reciprocationem, ut apud Herodotum. Græcis prouerbium eſt, ῥαχίας λαλίστερος, id eſt littore loquacior. In Græcia item eſt locus Streptos rhachos ad mare; frequens oleaſtris: quoniam quicquid redundantis inutiliſq; materiæ in olea eſt, indigenarum uocabulo dicatur rhachos. Fuit apud Epidaurum item Strepte, locus, ſed & olea ſpecie intorta ſic dicitur. Rhachitas præterea nuncupant Græci malefica ui inſignes, quia diſſectio prima & magna per tergus ſpinamq; facta creditur, quod in Aiace maſtigophoro Sophoclis interpres ſcribit.

Super Gorgia & Protagora paucis adnotata quæpiam. De opinione dignum relatu. Cap. xxv

DE Gorgia Leontino & ſophiſte Protagora in ueteribus memorijs pleraque obſeruata non incurioſe, adnotauimus: uerum ea nunc tranſponere, non eſt conſilium. Sunt enim pertrita pleriſq;, & in nulla non diatriba recantata ſæpius. Quod tamen Aeliani monumenta proximè uoluẽti ſe ingeſſit, ad Cæritum tabulas reiecíſſe nequeo, aut tanquam νόθον, diſpunctum confodere: qui mos in carminis Homerici perpẽſione ueteribus Criticis fuit, ut quos nõ probarent uerſus, de familia tanquam diminutos capite, ſummouerent. Igitur olim, inquit, inter Græcos opinione ac gloria celebres habiti Leontinus Gorgias & Protagoras; cæterum à ſapientia planè aberant tantum, à uiris quantum deficere aduertimus pueros. Proinde dilucet, arbitror, ſæpius opinionẽ nec accuratè introſpicere, neq; item audire. Ex quo falli eam crebriter, uſu uenit: & nunc quidem ad gratiam dicere uel facere, nunc etiam mentiri. Sed hanc partẽ Græcè ſic Aelianus, ἔοικε γάρ πως ἡ δόξα μή πω σάφα τι ἀκριβὲς, μήτε ὁρᾷν, μήτε ἀκούειν. γνῶσιν καὶ πολλὰ σφάλλεται, καὶ τὰ μὲν καταχεύδεται, τὰ δὲ ψεύδεται. Legimus tamen, Gorgiæ orationes Athenienſibus adeo uiſas admirabiles, ut dies quibus eſſent habitæ, dicerent ἑορτάς, id eſt feſtiuitates: ipſas uerò orationes, lampadas. Etenim dictionem curioſius figurauit primus, antithetis præcipuè excellens, ac iſocolis, & pariſis, homœoteleutiſq;, idq; genus alijs, quæ nũc ſanè ridicula orationis uidentur ſcitamenta: tunc nouitate ipſa, & ut loquuntur Græci, ἀπὸ τοῦ ξένου, mirè grata: ut ſoli ex omnibus apud Delphos aurea cõſtitueretur ſtatua. Hoc patrono, ut Plato uoluit, philoſopho ſuccubuit orator. Sed, inquit Cicero, aut non eſt uictus unquam à Socrate Gorgias, neq; ille Platonis ſermo uerus eſt: aut ſi eſt uictus, eloquentior fuit Socrates. Gorgiæ porrò feſtiuitates, ſic enim ipſe cenſet, moderatius temperauit Iſocrates, quum is inſolentius abuteretur: nam quũ & Thraſymachus numeros orationi adiunxiſſet primus, ſed immodicè, tranquillior in eis ac ſedatior apparuit idem Iſocrates.

De Suadelæ ſacello apud Sicyonios, deq; Apollinis templo ibidem. Phouus loci nomẽ. Delta Argiuorũ. Sicyonia, Sicyos, Sicydion. Aegiale, quæ & Sicyon, unde nominis indepta rationem. Aegialos. Acte. Diana πειθὼ. de Lynceo, & Hypermneſtra. Pyrſos, & deriuata. Lyncea regio, et Lyrcea. Lynceus & Proteus, collyria. Fulminũ genera. Pyrſanides, pyrſophorus, pyros, ſceptus, catabates. Dioſpyros quid. Cap. xxvi

IActatum prouerbij modo inter Græcos animaduerto, οὐκ ἔστι πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο, πλὴν λόγος: eo ferè ſenſu, præter orationem non eſſe perſuaſionis ſacellum aliud. Ad hæc, quæ nobis ex Græcorum uiretis floridioribus præcerpta, ut ſe inter legendum obtulere, nõ cenſui differẽda. Sunt uero hæc, Apud Sicyonios πειθοῦς ſacellum cauſa eiuſmodi fuiſſe excitatum, etiam ſi nullum uiſeretur ſimulacrum: quum Pythonem Apollo & Diana peremiſſent, Aegialem petere inſtiterunt, καθαρσίων εἵνεκα, id eſt ut expiarentur. Cæterum ubi inter eundum exteriti forent uehemẽtius, eo ferè loco, quem ex euentu φόβον dixere, hoc eſt terriculum, in Cretam diuerterũt ad Carmanora. Mox autem in Aegialenſes craſſari morbus cœpit

pit,consulti cecinere uates, placari oportere Apollinem Dianamq́. At illi pueros septem,ac fœminei sexus totidem uirgines ad fluuiũ emisere Sytham, supplíciter deum deamq́ apprecantes:qui leniti íjs Acropolin,quæ tunc erat, feruntur repetisse,locusq́ ad quem adíere primũ,Suadelæ sacellum habuit. Insequentibus quoq́ annis idem seruatus supplicandi ritus,in Apollinis festo flumẽ Sytham petentibus pueris, deosq́ ad πρόθυρα sacellum adducentibus,mox uerò reducentibus ad Apollinis templum, quod in foro uisitatum quandoq́ fuisse,auctor Pausanias est.Vetustum uerò à Prœto extructum fabulantur,quod inibi puellæ furorem desierint. Memorantur & hæc: lanceam qua suem confecisset,inibi à Meleagro dicatam: ubi etiam Marsiæ tibias appensas tradunt:Verũ incendio postea orto,cõsumpta periere omnia:sed mox templum cum statua reparauit Pythocles.Quæ uerò antiquitus Aegialenũcupabatur ciuitas ab Aegialeo,qui autochthon comparuit ibidem primus,sicuti memorant Sicyonij,& est à Pausania repetitũ,tempestate insequuta Sicyon dici cœpit de regis nomine, quem ex Attica ascitum Lamedon sibi generum adoptarat, filia illi Zeuxippe tradita. Alias Sicyoniam Megalopolitæ cucurbitam uocant,quam Siccyam Indicam uocant nonnulli. Sicyos autem cucumer est,unde forma diminuta Sicydion. Aegialon item uocant Græci littus æquale ac planum:sicuti præcipitem ad mare locum,acten dicunt,id est ἀκτήν. Fuit apud Argiuos ad regionem quam uocant Δέλπα, Dianæ sacellum cognomento πρόθυρος. Id ab Hypermnestra excitatum, proditur memoriæ, quum in iudicio patrem reiecisset,à quo illi facessebatur negotium,quòd Lynceo pepercisset, extra quàm proposuisset is. Visebatur inibi Aeneæ quoq́ statua ænea. Nec longè aberat Hypermnestræ ipsius,ac Lyncei monumentum:sed & Hypermnestræ Amphiarai matris. In hac uerò mentione dignum relatu,quod poetarum enarratoribus obfuerit nil: ab Argiuis quotannis festum agi,quod πυρσόν uocent, id est facem: quoniam emensi periculum à Danao Lynceus & Hypermnestra facibus consequutæ salutis è longinquis speculis signa prætulerint.A Lynceo item Lyncea regio nuncupata, quam mox Lyrco incolente Abantis filio notho,Lyrceam quoq́ nominarint.Apud Aeginetã Paulum collyriorum cognomina sunt Lynceus & Proteus. Pyrsum uerò, ne quid prorsum quod frontem contrahat,reliquum fiat, nunc facem dicunt, nunc quæ facibus dantur signa, uel ignibus quouis modo.Sunt etiam nymphæ, Pyrsanides quæ dicuntur, id est πυρσανίδες. Pyrsophorum uas nuncupant grandius, cui succensa imponerentur ligna: signat & λαμπαδοφόρον. Amphipyron Dianam in Trachinijs uocat Sophocles, quæ facem utraq́ gestet manu,quod eadem sit quæ Hecate. Pyrolophos, id est πυρολόφους, lora uocant ab ustulatis recisa corijs.Pyros, id est πυρός, fulmen est quod præster item dicitur,quod inoritur spiritu deorsum lato succensoq́:sicut sceptus,qui & catabates,spiritu ignito crassescente.Helicias uertigines facit per crassitudinis media & humectationis, aeris densitate intrusus. Diospyros uerò est lithospermon Dioscoridi & Plinio,ut putat Hermoleos.Iouis flammam interpretatur Theodorus,quum Iouis triticum debuisset,quando & plebecula Solis granum dicit.

Lampadum festa Athenis & Corinthi ac Neapoli.Hellotia Minerua, & festa Hellotia.Phausterius Bacchus.Qui sint Lamprophori & Lampimones.Lampias.De Lampria,& Panathenæis, quæ & Athenæa. Lampuris quid. Cap.XXVII

Lampadum,siue facum certamina,fuisse Athenien sibus tria, uideor obseruasse in libris, tribus dicata festis:quorũ sunt nomina, Panathenæa, Hephestia (quorũ meminit Herodotus) Promethea.Scribit uerò Ister,Atheniensis primum faces Vulcano fecisse,ignis primitus reperti ratione, ac mortalibus communicati.De Prometheo id comperi amplius, quod obseruauit Pausanias quoq́,esse utiq́ in Academia dicatã illi aram,unde lampada succensam gestantes currendi in urbem initia auspicẽtur.Certaminis lex est,toto cursu inextinctam seruasse facem:siquidem quum flamma perit primo,& uictoriæ spes.Præstò autem secundus est, cui si itidem extinguatur,eo reiecto,subit tertius ac deinceps. Nemini prorsum uictoria relicta,si omnibus lampadum interextincta flamma euanuerit.Celebrabatur & Corinthi agon Lampadodromicus,in quo currerẽt iuuenes cum facibus in Panagyri Mi-

neruæ ſacra,quam Hellotiam uocãnt,ſicuti feſta Hellotia, de paludis apud Marathonem nomenclatura, quæ dicitur Græcis ἕλος: uel quod Pegaſum dea freno compeſcuerit,quod ἑλεῖν dicunt:aut ab Hellotide puella cum Eurytione ſorore ab Dorienſibus Corintho capta,in Palladis templo exuſta,unde graſſante peſtilentia, ex oraculo placatis puellarũ manibus,datum deæ cognomen. Phauſterium putant Bacchum cognominari, quia cum lampadibus καὶ μετὰ φανῶν eius celebrentur myſteria. Quanquam alij ad uini calorem malint referre.Scribit porrò Siculus Timęus,Athenienſium nauarchum Diotimum appulſum Neapolim ex oracului Parthenopæ rem diuinam ob iſſe,ac curſum peregiſſe lampadicum,quem mox quotãnis celebrarint Neapolitæ.Auctor hiſtoria ſexta Herodotus,ab Athenienſibus coli Pana ſacris annuis, & lampade. Hæc breuiter præfloraſſe ex ueteribus memorijs,nullum fuerit diſpendiũ operæ,quando ijs non parum ſenſa iuuantur poetarum,quorum non uulgaria eruditio ſæpe carminibus inſerit,quæ haud facilè aſſequare,ni librariam ſupellectilem diurna uerſaris manu,nec nocturna minus,uel ultra ſatietatem: ut ſcias elementarios, uel ἀναλφαβήτους quoq; nullo poſſe cõcoqui ſtomacho,dum ſibi Herculis cothurnos inducunt ſubinde & in harena haudquaquam ſua colludunt. Inde eſt & Varronis illud, Non curſu lampada tibi trado. Verum ut ſuperpondij non deſit aliquid:apud Ariſtophanem λαμπαδοφόρους animaduerto dici λυχνοφοροῦντας,id eſt lychnum geſtãtes: ita enim ſcribit, οἱ γὰρ ἄνδρες ὥσπερ λαμπαδοφόροι ὄντες, ἀποκεκύφαμεν. Lamprias Plutarchi Cheronei filius τὰ ἀναγραφὴν conſcripſit, id eſt indicem eorum quæ literis mandata à patre forent in Græca & Latina hiſtoria.Lampias uerò nunc ſol dicitur,nunc lumen.Lamprimon,id eſt λαμπρόμων ſplendidè indutum ſignificat.Sed illud fortè retuliſſe præſtiterit,Panathenæorum celebritatem ab Erichthonio Vulcani inductam primò,quum uicatim diſiectũ Athenienſem populum in ciuitatem euocaſſet,quòd inſequentibus annis amplius impleuerit Theſeus.Dicta prius ferunt Athenæa,duobus generibus: erant ſiquidem quæ celebrarentur κατὰ πενταετηρίδα, id eſt quinto quoq; anno,quæ etiam magna nuncupabantur: erant & quæ quotannis repeterentur. Lampuris ſpecies eſt uulpis cauda albicante,ſed nomine eodem cenſetur quandoq; ob inſitas uafricies Vlyſſes. Quin & canis apud Theocritum lampurus dicitur,uel à uulpium ſimilitudine,uel à cuſtodiæ peruigili cura,ab λαμπάδι & ὁρᾶν, quod cuſtodire indicat:ni ab caudæ flauo colore,lampurum malis inflecti.

Quo pacto Thebanus Iſmenias Perſarum regem adierit legatus,nec adorauerit tamen.Quibus muneribus affici aſſuerint ab eodem legati. Dorophoria quid. Cap. XXVIII

ISmeniæ Thebani factum,ut ſapiens,& prorſus Græcum circũfertur in primis,& laudatur. Legatione fungebatur is pro patria ad Perſarum regem. Eò ubi uentum,ut admitteretur enixius operam dabat. Thrauſtes erat mili tum tribunus,ſimul & admiſſionum magiſter,qui ad Iſmeniam intuens,ac renidens uultu per interpretem:Nobis (inquit) ó hoſpes,patria lex eſt,ut regis cõgreſſum affectans,non prius confabulandi fiat compos, quàm illi cultum exhibeat adorationis.Quòd ſi per te ipſum grata tibi functio eſt,opportunum accõmodumq; eſt,iam te legi ſatisfacere:id ſi recuſas,mea licet opera utare:& tibi,etiam ſi adorationem aſpernare,negotiũ omne effectum dabo.Quinimmo,inquit Iſmenias, ducas me, percupio. Vbi uerò ad conſpectum regis peruentũ,mox annulum detrahens ſibi, ad illius clàm proiecit pedes,ac inde celeriter proclinatus adorantis ſpecie, illum arripuit: atque ita conſilij uafricia & regi paria facere eſt uiſus, & ſuæ gentis inſtituta tranſgreſſus minimè eſt,dedecus eiuſmodi haudquaquã ferentis. Quo factum, ut omnium abiret compos,quorum nomine uenerat legatus:immo eſt de more quoq; donatus ampliſſimè: ſiquidem undecunq; adeſſent legati,muneribus affici à rege aſſuerant. Ea uerò fere genus hoc erant.unicuiq; argenti ſignati,quod ἐπίσημον nuncupant Græci,Babylonium talentum,phialæ argenteæ talentorũ duorum indicatura. His accedebant pſelia, item cum acinace,ac torque,στρεπτὸν uocant:nec medica deerat ſtola,id eſt μηδικὴ στολή,quam dicunt dorophoriam.Congruit uerò huic potiſſimũ loco illud quoq;:quem Perſarum admitteret rex,ſolitum plerunq; apicis inſigniri auctoritate, quo honoris argumento in regiæ

in regiæ participatum menſæ ueniebat. Et meritorum apud Perſas ad ſuadendum, dicendasq́ in concionibus ſententias ora panduntur. Quod Antonius, Conſtantio imperante, quidam ex mercatore opulento rationarius apparitor, quum transfugiſſet, aſſequutus: non contis, nec ramulo, ut aiunt, id eſt non flexiloquis ambagibus uel obſcuris, ſed uelificatione plena in rempublicã ferebatur. Nec id omiſero: legem fuiſſe Perſis, uti deſignatus rex, quodcunq́ fuiſſet collibitum, ab deſignante peteret, nec uoto excideret, modo facultatem haberet res.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros ad uenerandum Baptiſtam Egnatium Venetum, presbyterum, & oratorem clariſſimum, Præfatio duodecima.

VVm forem chalcographis mox paulo libellos noſtros Antiquarum lectionum iam affectos, formis excudendos traditurus, nec-dum Venetias appuliſſem: uixq́ te, uir doctiſſime, uiſum aliàs ſemel aut bis omnino de facie noſſem, fama tamen celeberrimi nominis permotus mecum ipſe conceperã, per epiſtolam operi iam ad umbilicos perducto, mittendoq́ manu, inſertam tuæ beneuolentiæ auſpicia captare: ut qui eſſes eiſdem quibus nos, initiatus literarum ſacris, nec liuidulæ mentis labecula, uti aſſolet, ac cecinit Heſiodus, uel minima litus dicereris obſcurior. Quo ſanè argumento, rem mihi (quod dicitur) prorſus factam, non difficilis erat coniectatio. Sed enim poſtea quàm tecum in ampliſſimo diui Marci foro ſum congreſſus, eam tibi adeſſe interiorum literarum ſcientiam animaduerti: eam, quod egregiè ſum admiratus, quando nil rarius, animi tui ſynceritatem, & minime in aliena gloria corrugatam frontem, & quod ſequens eſt, probitatem, præſigni iunctam diuinorum curæ perſpexi: ut quòd niſu haud ita magno petebam prius, & opera (ut ſic dicam) parerga, nunc ὅλῳ τῷ ποδί, immo & animi tota ui putem uendicandum. Quin etiam meum hoc inſtitutũ abs te digrediens retexi ſtatim, ac tu, quo ſoles, uultu liquidè ſereno mihi adnuere es uiſus. Accipe igitur, mi Baptiſta, Lodouici tui munuſculum, non pyricum omnino: quoniam pro uirili tuæ uirtutis gloriam circumferimus, inq́ æuum protollimus, ac bonarum artium ſtudioſis uidemur oſtenſuri, eſſe, quod noſtris gratulentur temporibus: quæ uiro multa in literis claritate, & moribus exactiſſimis fuerint cælitus inſignita. Momenti nec minimi, aut tralatitij illud quoq́, Viſum iri me, dum priuatim operis mei partem tibi nuncupo, dicoq́, ac ad legendum laceſſo, ex doctorum decuriis neminem unum reiecíſſe, etiam ſi Perſius eſt is. Nec prorſum, quod ille fecit, Tarentinis uel Conſentinis ſcripſiſſe. Quam rem & lucubrationum noſtrarum initio ſum uiſus abũdè prolixeq́ teſtari: ſed Accio idem, quod Titio ius ſit apud me. Ipſe uero ſic ſtatuas uelim, Eſſe me tibi tam deditũ, quàm qui maxime: proinde, ſi qua in re tuis rationibus opera noſtra fieri melius poteſt, omnem me ſubiturum aleam uel ſumma alacritate, iam hinc certius tibi pollicearis, licet. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI DVODECIMVS.

Veterum ſacrificia cuiuſmodi fuerint. Initia quid, & unde. Quid proprie Thyſia. Ture quando libari cœptũ, & quæ origo turis. Lucos colendi, & arbores quæ ſit ratio. Lucucus. Quis immolarit animalia primus. Soli cur dicentur boues. Epitheta ſacrificia, & epithetę epiſtolæ. Canchrydia, canchrys, cachrys, cachryophoræ arbores. Iupiter cur Telius. Epibdæ quid. Crabus deus. Semnę deæ. Victimarum probatio. Molæ ratio, ſeu prothymatis. Theoxenia. Paraſiti qui. Epiſition. Epiſion. Chernips. Callimachi ætia. Vocabula plura ad rem diuinã pertinentia. Ritus ſacrorũ uarij. Hippades quid, & Appiades. Plinij locus diſcutitur. Templorũ ſtatuæ in quam ſpectarent partem. Adoniorũ ritus. Stephanephorus magiſtratus. Choopotes Dionyſius. Montes omnes cur dicant Iouis, necnon Hermæa. Ca.1



OSTEA uero quàm in ſacrificulos ritus paulo ante uolentes incidimus, rem latius exſequemur: flores modo rerum, quod & in cæteris facere conſilium eſt, præcerpentes. Illud autem primum, quod ſecundo Legum ſcribit M. Tullius: Nil melius in uita hominum Athenas excogitaſſe, illis myſterijs, quibus ex agreſti immanique uita, exculti ad humanitatem & mitigati ſumus, initiaque ut appellantur, ita re uera principia uitæ cognouimus. Thyſiam putat Porphyrius, dici proprie, quæ ex herbis fiat dijs, litationem: ſiquidem initio rerum, quæ cæleſtibus oblata ſint ſacra, non myrrhas ait fuiſſe, non caſias, non item crocum: ſed herbam uirentem, ueluti terrenæ potentiæ progerminantis primitias quaſdam, manibus offerebant. Quippe arbores ante animalia fuiſſe à terra productas: herbas uero etiamnũ ante arbores ipſas. Igitur ex herbis integras quaſdam ſumentes cum folijs & radicibus ac fructu ſimul concremabant, eaque exhalatione ac fumo dijs litabant. Quamobrem ab ea quam facerent exhalatione, quam thymiaſin Græci dicunt, thyſia quoque deflexa eſt: proinde ſanguinarium cultum, non recte ea nuncupatione cenſeri. Scimus porrò ueteres Romanos, ſicuti annis centum & ſeptuaginta, dei ſimulacra excitaſſe nulla, quod nefarium ſit, illũ omnia ſupereminentem arbitrari ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον, ita ex Pompilij præſcripto ſacra obiſſe ἀναίμακτα, id eſt citra ſanguinem, farina modo adhibita, uel libis, aut rebus omnino uilioribus: quod reſipit θυθαγόρικὴν ἁγιστείαν. Ture prolibari cœptum primò, Græca prodit fabuloſitas, poſtea quàm iuuenis Libanus, qui eſſet cultus diuini perſtudioſus, in turis eſt demutatus fruticẽ, qui & inde Græcis nomen ſit aſſequutus. Nam & lachryma, Galeni aſtipulatu, libanotos dicitur. Ex ijs porrò fontibus propagatum cõtenderim, ut arbores quoque ueluti numinum cenſerentur templa: & ſimplicia rura priſco ritu deo præcellentem arborem dicarent, nec auro uel ebore fulgentia ſimulacra uenerarentur magis, quàm lucos: in quibus & ſilentia adorarent ipſa: puto, quia ſummatem deum ſilentio (ut prætexuimus) adorandum, priſca cenſuit theologia. Lucucos utique ſunt qui luci cuſtodes interpretentur. Eò certe progreſſa res eſt, ut tum numinibus ſuis dicatæ arbores perpetuò ſeruarentur: tum alicubi, ut apud Indorum pleroſque, numinum colerentur uice. Quin & Syluanos, Faunoſque, & id genus numina alia, ſyluis perinde ac cælo attribuerent. Ioxidas in Caria Plutarchus ſcribit, patrio more aſparagum non comburere, ſed uenerari plurimum, ac colere: ſicuti ſtœben quoque: ea uero herbæ ſpecies, tobion apud alios nomen habet: ſtipam etiam Latini dicũt. Facti ratio ſanè ridicula eſt, ac puerilis: qui noſſe cupit, Plutarchum adeat in Theſeo. Apud Athenienſes quoque aram fuiſſe, Pauſanias ſcribit, quam uocabant Διὸς ὑπάτου, id eſt Iouis eximij, ubi animatum ſacrificabatur nihil, ſed πέμματα modo, id eſt bellaria apponentes, uino prorſum abſtinebant. Hic uero ipſe cultus, quo cælites uictimarum cruore placatos uolumus, hominum

num putatur iniquitate pòst multo irrepsisse. Miserationẽ, lachrymas atq; luctum, germinibus terræ defloreſcentibus, offerre, diu ueteris fuit inſtituti. Meliſſea Cretenſium regem Didymus ſcribit, omniũ principem diis ſacrificaſſe, ac ritus nouos, ſacrorumq; introduxiſſe pompas: cuius filiæ Amalthea & Meliſſa, Iouem puerũ caprino lacte confouerint, ac melle, unde datus fabulæ locus. Meliſſa uero prima ſacerdos Matri magnæ à patre conſtituta, effecit, ut eiuſdem ſacerdotes ſemper Meliſſæ nuncuparẽtur. Proditum uero à noſtris eſt: animal occiſum primo à Martis filio Hyperbio, bouem à Prometheo. Bouem certe aratorium immolaſſe, nefas cenſebatur ſummum. Athenienſes autem primos hiſce non abſtinuiſſe uel in cibis, auctor eſt nobis Theon. Vlyſſis quoq; ſocios non temperaſſe, cecinit Homerus: quo ſit nomine indignatus Sol, quippe ut ſolem intueamur, cauſam uideri hoc bruti genus, quia ſit τροφὴς ποιητικόν, id eſt alimenta ſuggerat. Hinc, uti aſſolet, uictimarum enata ſuperſtitio, & ſuæ ſacrificantibus dictæ leges. Vitulum probari, ſi articulum ſuffraginis cauda contingat: breuiore non litari. Vitulos item ad aras humeris hominum allatos, non ferè litare: ſicuti nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahente ſe ab aris. Cæſarem uero Tranquillus ſcribit, religionem huiuſmodi cõtempſiſſe, ac proripiente ſe uictima, nihilominus proſperè pugnaſſe. Vlceroſam uictimam ſacris non adhibebant: nam nec de cælo ſeruabant ulceroſi augures, quòd ſit ulcus, diminutio corporis quæpiam atq; pollutio. Græci moris erat, tauros quidem explorare farina appoſita. Capros uero, ciceribus. Nam ſi guſtare abnuiſſent, concipiebant inde, haud ualere ſatis. Capras uero etiã frigida aqua. Nec omnino ſecũdum naturæ modum ſe habere, quòd inter libandum iaceret, uelut immobile. Græcum fuit id quoq;, ſi cælitibus rem obirent diuinam, ſic hoſtiæ collum refringere, ut cælum ſpectare cogeretur. Quòd ſi ad inferos ſacra ſpectarent, terrã inſpiciens immolabatur. Quod priore diximus loco, nuncupatur ὦν ἐρύειν, id eſt retrò trahere. Coxas porrò cum inguinibus, cniſſa, quam & cniſſarion dicunt, id eſt pinguedine operientes comburebant: cenſebatur enim pars hæc pretioſa in primis, tum inceſſus ratione, tum quia indidem ſe promit genitale ſemen. Apud Delphos nullum reddebat oraculum, ni ab imo tota prorſum uictima contremuiſſet, atque inter immolationis ritum membra omnia uibratius forent agitata: neq; enim, ut in aliis, ſufficere capitis commotionem, ſed omnibus oportere partibus quati cum tremore, ac criſpante ſono. Animalia ſacris non incongrua uocant Græci artia & atoma, id eſt integra inſectaq;, item μὴ ἐμπηρα, id eſt non decurtata immutilataue. Solon uero ἔμπηρα nuncupauit ἄφελῆ. Sacrificiorum autem alia (ut nec hoc prætereamus) dicebãtur epitheta, quod relatu equidem cenſui dignum, quæ patria non erant: ſicut item feſta epitheta, uelut dicas adiecta appoſitaq;. Meminit in Areopagitico Iſocrates: nam & quæ Areopagitæ iudicabant, ac patria non erãt, eodem cenſebãtur nomine: quod ex Lyſia manifeſtum fit, qui etiam epiſtolas nuncupat epithetas, in Oratione contra Thraſybulum. Sed non alias intelligit, quàm quæ cuipiam dentur ad alium perferendæ: nam dicere moris erat, ἐπιτιθέναι ταῖς ἐπιστολαῖς, id eſt dedit, ut apud Demoſthenem. Sed ad rem: alia dorophorica nuncupabantur, alia apolytrotica, alia dialectica, item quædam apopleſtica: ſunt & quæ athyta uocantur, id eſt ἄνευ θυσιῶν, id eſt ſine ſacrificijs. Ad quæ Plautinum illud reſpicit,

Sine ſacris hæreditatem ſum adeptus offertiſſimam.

Theoxenia feſtum dicebatur, omnibus ſimul diis ſacrum. Polemon apud Athenæum, Sancitum, inquit, apud Delphos eſt, qui in ſacrificio Theoxeniorum Latonæ gethyllida maximam intuliſſet, de menſa partem caperet. Latini Communicarium appellant diem, & Pandicularem, in quo diis omnibus pariter diuina res fiat. Quæ uero ante ſacrificium fieri conſueuere, prothymata uocantur, ut eſt uaporatio thuris, aut id genus primitiæ quæcũq;, ut ſiligo, uel etiam placentulæ. Prothymata dicunt οὐλοχύτας, id eſt hordeum ſale conſperſum, quod ante ſacrificium aris infundebatur. Erat autem augurium futuræ frugum fertilitatis, uel ut diuinæ bonitati gratos ſe oſtenderent, quòd deſitis glandium cibis ad mitiorem perueniſſent uictum. In quo uſui deſeruiſſe primò hordeum, uetus opinio eſt, unde illi nomen apud Græcos: nam dicitur Crithe, παρὰ τὸ ὅλας λελθῶσαι, quod eo comperto à brutis diſcerni homines, ac ſequeſtrari ſint uiſi. Dicebantur hordea item olæ, unde & ulæ, quia integræ uorarentur, necdum molendi uſu comperto

perto. Inſpergebatur quoq; ſal, non propter naturalem modo fertilitatem, & repetitam in alimoniſs gratiam: ſed amplius, quia ſit amicitiæ ſymbolum: unde & hoſpitibus apponitur ante cibos alios, quo innuitur amicitiæ firmitas. Etenim durationis cauſa, corporum pleriſq; pernoſcitur ſal. Aut quia uelut ex aquis ſal multis & fuſilibus coit ſolidum quiddam & unum, ſic ex diuerſo cõuenientes coaleſcant animis. Libabatur & uinum, quoniam & ipſum clementioris initium habet uictus: id erat merum, ut ſignificetur mentis integritas à dolo & mendacio ſeiungenda. Hordea primum molita, inde frixa, Græci canchrydia uocant, & canchryn: etiam ſi nomenclatura eadem libanotidis quoq; intelligitur ſemen. Cachrys uero pilula eſt, uti Plinius interpretatur, quibuſdam innaſci arboribus conſueta, quæ inde καχρυοφόρα δένδρα nuncupantur Theophraſto. Sacrificium plenum perfectumq; ex ſue putabatur conſtare, tauro, hirco, ariete, uocaturq; Trittys: ſed Athenienſibus ſue tantum conſtabat, ariete, hirco: ſicuti apud Romanos Solitaurilia, ex ſue, oue, tauro. Proſodia dicebant, quæ adducerẽtur dijs ſacrificia, aut pompam etiam, ἀπὸ τῶν προόδων, id eſt à prouentibus. Sed & eo nomine poemata intelliguntur à Lyricis concinnata, quæ in deorum panagyres dicerentur. Dignum uero ſcitu, Iouem ut perfectę uirum ætatis ſolitum affor mari, cui nil deeſſet, nilq; ſuperflueret, quod πρωκμαῖος dicunt: quo argumento illi quoq; τέλεια immolabant. Quin & hac ratione, Iouem opinamur τέλειον nuncupari Plutarcho. Hypeccauſtria uero apud Solos, Palladis erat ſacerdos: ſic nuncupata, quòd pleraq; auertendis malis ſacra obiret. Hypeccaumata, ignium uocant alimenta, necnon perturbationum fomites, παρὰ τὸ ὑποκαίειν, à ſuburendo. Crithologos apud Opuntios inuenimus appellatos, quia in ueterum ſacris plurimus erat hordei uſus, quod crithen dicunt, ut monuimus: proinde colligendis ſacrificiorum huiuſmodi primitijs præfectum ſic inſtituerũt nominare. Erant porrò ibidem ſacerdotes duo: alter, quorũ quæ ad deos: alter, quæ ad dæmonas pertinerent, obire ſolitus. Apud Delphos, hoſiotera uocabant qui hoſtiam immolaret. Sunt uero ibi quinq;, quos hoſios dicũt, id eſt ſanctos pios ue, ij per omne tempus cum prophetis perficere multa conſueuerant. Epibdas, ſiue ἐπίβδας dici aduertimus dies, qui feſtum inſequuntur, quos etiamnum μεθεόρτους nuncupant, tanquam epibades uocentur, ac feſto inductæ. Alijs tamen arridet amplius, epibdas dici, uelut ὦδὴ δαπί, per literæ β abundantiã, uelut Sibdam pronunciamus, quæ Sida eſt. Vel ab ouium mulſu repetito, quod βδαλμεῖν appellant. Dignum ſcitu: apud Pindarum ſignare dictionem hanc futura, quæq; conſequuntur poſtea: unde bracteata eſt illa ſententia, ὑπὲρ μὲν θνατῶν φρενῶν ὠκύτεραι λιβὸς ἀνῆσαι πρὸς δίκας δόλιον, τραχεῖαν ἐρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ' ὅμως. Quibus ſignat, etiã ſi grauis irrogetur pœna mox, nihilominus iniuſtum mortales lucrũ præeligere impenſius. Phaſelitas in Pamphylia legimus, piſciculis ſale conditis placare deos cõſueuiſſe. In primis uero Cabro deo ſalſamentis item diuinam rem peregiſſe. Scribit Demetrius Phalereus in commentatione περὶ ἑρμωνέας, Aegyptiorum eſſe moris, ſeptem uocalium modulata enũtiatione deos collaudare, hocq; eſſe illis tibiarum ac citharæ loco. Ioannes Grammaticus in Heſiodi commentario σπονδή, id eſt libatio, inquit, eſt uini affuſio in id quod immolatur. Thyos autẽ intelligitur thymiama, quo nomine aromata nuncupantur. Ea Thucydides ἀγνὰ θύματα uocat, id eſt ſacrificia pura, cuiuſmodi tus, myrrha, ueluti impura cenſeantur, quæ ſanguinariam habent effuſionem cum animalium cæde. Prope Aſopum, dearum uiſebatur templum, quas σεμνὰς dicunt Athenienſes, Sicyonij Eumenidas, quarum diem feſtum annis ſingulis agunt die una, oues immolant utero geſtantes, mulſo libant, & floribus utuntur pro coronis, Pauſanias auctor. Victimarũ carnes theothyta dici inuenio, id ualet, deo immolata. Apud Hieronymũ eadem forma dicuntur idolothyta, in Iouinianum. Moris autem fuit ex legis præſcripto, ut à re diuina redeuntes domeſticis ex ſacrificio portiunculam proferrent. Qui colligendo præficiebãtur ſacro frumento, ut prodidit Crates, paraſiti antiquitus ſunt nuncupati: hinc & locus in quo id reconderetur, paraſition dictum. Vt uero nunc paraſitus appellatur, prodijſſe primum ab Alexide putat Caryſtius Pergamenus: ſed & apud Epicharmum mentio eſt. Quin ante omnes paraſitum induxiſſe Homerus animaduertitur, quem appellaſſe φίλον ἑλαπινασὴν uidetur, id eſt, amicum menſalem. Veteres poetæ paraſitos dixere colacas, id eſt adulatores. Alexis

duo

duo paraſitorum genera facit: cõmune unum: alterum uero ſemnoparaſitum dicit, ex ſatrapis ducibuſq;. Vtriſq; tamen unum incumbere adulandi ſtudium. At Sinopeus Diodorus facetè admodum artes reliquas non à diſs, ſed à ſapientibus excogitatas uiris, dicit: uerum paraſiticam eſſe Philij Iouis inuẽtum. Sunt qui paraſitos item epiſitios nuncupent: dicuntur autem eo nomine, qui cibi modo gratia ſubſeruiunt laborantue: nam & epiſitia uocamus, quæ in alimoniam dantur. Auctor item Plutarchus eſt, Solonis cenſeri proprium, τὸ περὶ τῆς ἐν δημοσίῳ σιτήσεως, quod ipſe inquit, παρασιτεῖν uocauit. Eundem uero epulo non adhibebat ſæpius, cui autẽ admitti contigiſſet, ſi fortè abnueret, plectebatur: quod ſuperbi foret, ac publica deſpicatui ducentis. Criton comicus, inquit Athenæus, Delios uocauit paraſitos Phœbi. Ex quo & Martialis de Latino Mimo,

Vos me laurigeri paraſitum dicite Phœbi,
Roma ſui famulum dum ſciat eſſe Iouis.

Epiſion uero eſt muliebre pudendum. οἰκόσιτον appellant, qui citra ullam mercedem ciuitati operam præſtat. Sicuti ſitocuros, inutilis intelligitur, ac fruſtra connutritus. Ad ſacrorum porrò morem pertinet illud quoq;, expurgari ſolitos adeũtes inſperſionibus aquæ, in quam torrem ex altari, ubi rem diuinam obiſſent, prius reſtinxiſſent, quæq; chernips diceretur. Orgeones dicuntur, qui deorum honori aut heroum conueniunt: nam ὀργιαζειν, ſacrificare eſt, uel quia ὀρέγουσι τὰς χεῖρας, id eſt protendunt manus, uel etiam quia in orgadibus & nemoribus ſacra obirent. Sunt autem orgades, montanæ regiones & incultæ. Hippadas legimus quãdoq; dicta ſacrificia Athenis, quæ mitterent, qui uocabantur ἱππεῖς, id eſt equites. Nam Athenienſis populi tres erant partes: penta coſiomedimni, ab agrorum quos colerent, menſu ita nuncupati: equites, potentia inferiores, ſic dicti, quòd ſi uſus ita ferret, equos alere ſinguli poſſent: thetes autem, id eſt θῆτας, tertium tenebant ordinem, qui ad magiſtratus non admittebantur quidem, à iudicijs tamẽ & concionibus non reijciebantur, ut non deeſſet omnino unde ali poſſent. Illud monitos hac parte rei Latinæ ſtudioſos uolumus, expendant Lynceo (quod dicitur) an huc retorqueri Plinianũ illud ex trigeſimoſexto libro poſſit, Entochi Appiades & Hermerotes. Quid Appiades ſint, nec dum ſibi compertũ, ingenuè fatetur Hermolaus. Hippiadas uero eſſe ſtatuas mulierum equeſtres, cuiuſmodi Amazonum fuerint, quæ mortaliũ primæ ſcandere equos ſint auſæ, ſicuti orator prodidit Lyſias. Quid uero ſi hippadas legẽdum aſtruas, & illam ſacrorum pompam ab Entocho pictura expreſſam intelligas? Appiadas deas apud Ouidium legimus libro De arte amãdi tertio,

His Venus è templis multo radiantibus auro,
Læta uidet lites, Appiadesq; deæ.

Et rurſum De remedio amoris libro ſecundo,

Turpe uir & mulier iuncti modo, protinus hoſtes:
Non iſtas lites Appias ipſa probat.

Appiadas dici deas interpretantur grammatici, Venerem, Pallada, Pacem, Concordiam, Veſtam, prope Cæſaris forum erectis earũ templis. Nuncupari uero ſic ab aqua Appia, quæ in idem deducta forum eſſet. Nam Epiſtolarum familiarum tertio M. Tullius per iocum ad Appium ſcribens, Idq; me, inquit, quoniam tu ita uis, puto non inuita Minerua eſſe facturũ, quam quidem ego ſi fortè de tuis ſumpſero, non ſolum Palladа, ſed etiam Appiada nominabo. Hippardium uero fera eſt, ab equo nomen ſortita. Denicq;, ut nimio plus tumeſcens repercutiamus caput, paucula adijciamus modo. Phlothytas uocari interdũ ſuperſtitioſos aliquos, nullo nõ tempore diuinis rebus incumbentes, ut hac ratione fiant citra nocumẽtum. Magnam fecit iacturã Græcia, magnam & nos poſt illam, interceptis aut uetuſtate aut temporũ incuria Callimachi Aetijs, quo opere is multorum, quæ ad ſacra pertinerent, ac id genus aliorum cauſas, principia, & origines (hæc enim omnia, ἄπιον Græcis indicat, quod Latinum uerbum implere nequit) ingenioſe rimabatur: quod ex ueterum aduocationibus liquet amplius: ſed quod eſt apud Varronem, Vetuſtas pauca non deprauat, multa etiam tollit. Addamus illud quoq;, Vlochytas accipi à nõnullis non prothymata, quod diximus, ſed ipſa potius uaſa, ex quibus Vlæ fundebantur. Vlas uero à partis nomine, quod adnotauit etiã Dion, miſcellam intelligunt ex hordeo & ſale materiam. Cæleſtibus, inquit Porphyrius, diis templa

templa excitabant & aras, terreſtribus ἐσχάρας, id eſt focos: ſic & heroíbus. Subterraneis autem poteſtatibus foſſas deprimebant, καὶ μέγαρα. Mundo & nymphis antra dicarunt: quin mundum ipſum eſſe antrum, ab Pythagoreis traditum eſt: ſed & nos alibi commeminimus. Scribit auctor idem, templorum ſtatuas & ingreſſus Orientem ſpectaſſe, uti adeuntes in Occaſum conuerſi, ac τῷ ἀγαλμάτων ἀντιπρόσωπον, díjs preces affunderent, ac rem diuinam obire pergerent. Aram, ubi res diuina obitur, dicunt Græci βωμόν: ſed & eo nomine locum intelligunt, ubi locatur currus, Homero aſtipulante, ἅρματα δ' ἂν βωμοῖσι τίθει.

Temenos poſt alia etiam partem indicat, ubi ſurrectum ſtat ſimulacrum. Pronaon, ante templum locum accipimus. Auctores Græci ſunt, montẽ quemlibet Iouis dici, quoniam deorum eminentiſſimo in ſuperciljs montiũ diuina res fieret. Propterea in Trachinijs Sophocles montis Oetes nuncupat, ζηνὸς ὕψιστον πάγον, agens de Herculis morte. Traditum & illud à Græcis eſt, Hermea dici montes omnes, quoniam paſtoralis deus ſit Mercurius, ac montanus. Priuatim tamen in Lemno mons eo nomine à Sophocle recenſetur in Philoctete. Adonia quum celebrarent Athenis mulieres, paſſim urbe tota excitabantur idola, in quorum ambitu etiam uiſebantur ſepulchra, audiebanturq; muliebres planctus: qua re ſub claſſis profectionem contingente, Siculi belli exitialem ciuitati calamitatem coniectarunt nonnulli. Legimus, Themiſtoclem apud Magneſiam inito magiſtratu, quem ſtephanophorũ dicunt, Mineruæ obiſſe rem diuinam. & feſtum appellaſſe Panathenæa, ſacrificio item peracto Choopotæ Dionyſio, ibi χοῶν celebritatem oſtendiſſe.

Sacrificia eſſe uelut medicamenta. An deo contingat affectio aliqua, nobis adorantibus. An neceſſaria ſit eius quem colas, cognitio. Quam partẽ ſpectare adorantes debeant. Mutilatos à ſacris arceri. Plinius illuſtratur. Telos quid, & teletæ. Teleſtrium. Plutarchi codex emaculatur. Ebrietas in ſacris permiſſa, unde dicatur μεθύειν. Teleſphorus. Engaſtrimythus. Caput II

SAcrificia Heraclitus inter philoſophos ueteres non incelebris, medicamenta ſolebat nuncupare, quoniã præpotentis pharmaci uice à morbis animam expurgent, in hac generatione concretis. Sed ingerit ſe quæſtio theologumena tractantibus, an res diuinas obeuntibus nobis, deo contingat affectio aliqua. Porphyrius quidem ſuſpicabatur, non dæmones modo, ſed deos quoq; paſſione affici nonnulla, quoniam inuocationibus moueantur. Iamblichus arbitratur, deos, non quia inuocentur, moueri ad impertienda hominibus bona, ſed ſponte nos ad bonum prouocare, nobisq; inuocando conuerſis occurrere, ultrò quippiam monſtrantes elargientesq;. Supplicationes porrò animum diuino aptum influxui efficere, qui tum ultro, tum facile perueniat, propter diuinam amicitiam omnia connectentem. Quòd ſi à benefica deorũ cura, ceu à clariſſimo ſolis lumine, abeamus longius, denſioribus nos ſtatim tenebris circumfundi: tuncq; iratior dicitur nobis deus, quem tunc demum credimur remollire, ſi ſuppliciter ad eundem conuertamur. Lenimentum id genus deo affectionem infert nullam, immò à perturbationibus ſequeſtrat animum. At enim inferat aliquis, Quid, ſi quod colis, ignores? Porphyrij quem iam aduocamus ſæpe, ſententia eſt, Diuinorum cognitionẽ perſpicientiamq;, rem cenſeri proculdubio ſacram: inſcitiam uero atq; caliginem, prorſus prophanam. Putat hæc propémodum uera Iamblichus item, uerum operationẽ religioſam longè arbitratur intelligentiæ anteponendam, quippe ſolam hanc cenſeri perefficacem ad comparandam animæ cum diuina natura deificam unitatem. Siquidem ſacrorum, quæ recte ritéq; præſtentur, eam eſſe potentiam, ut etiam ſi minus ea noueris, pio tamen perſequaris affectu, nihilominus efficaciſſima fiant. Neq; enim per intelligentiæ claritatem connecti nos deo, Aliàs nemo non philoſophiæ imbutus myſterijs diuinæ ac deificæ compos fieret unionis. Iam illud ueteris fuerit ſuperſtitionis, quod in Aſclepio Mercurius ſcribit, Deum adorantes ſi medius affulſerit dies, debere in auſtrum conuerti: ſi uero dies ſit occiduus, in occaſum: ſi ſe tunc primum promat ſol, exortiua eſſe ſpectanda. Quidam ex Græcis ita produnt, Si heroibus rem obirent diuinam, occaſum ſolitos ſpectare: ſi díjs, exortiuas partes. quod in Iſthmijs ſignificare animaduertit Pindarus. Romanũ uero fuit inſtitutum,

adorantes

adorantes circumagi, cæleſtis uertiginis quadam imagine: uel quòd Aegyptiæ indicãt rotæ, quia in humanis eſt ſtabile nihil, ac conſtans. Magorum plures uitæ præſentis ue lut mancipia, bonisq́ inhiantes corporeis, corporea excogitarunt ſacrificia, uotaq́ uiuis ſtellarum corporibus, uiuoq́ mundi corpori accommoda, conſequuturi indè, quæ exoptarent præcipue. Platonici mundanis diſs ſacra obeunt corporea: ſuperioribus ſe gregatam putant dicandam eſſe ſanctimoniam: principi uerò ſegregatiſſimã. quod & Apollonio Tyaneo cõprobatum ſcimus. Quo autem ritu, quaue mentis pietate adorationem obire legitimam in gratiarum deceat actione, is operis eiuſdem fine exſequi tur uenuſtiſſime: & libro Enneadis quintæ primo Platonicus Plotinus. Verum adiícia mus ſuperpondíj aliquid, prius quàm ab hiſce digrediamur, ac Plinij locũ illuſtremus, quando libro Naturalis hiſtoriæ ſeptimo M. Sergium ſcribit, de rebus ſtrenuè à ſe geſtis orationem habuiſſe, quum à ſacris arceretur, ut debilis. Quippe in noſtra item religione magnopere ſeruatum, ſciunt omnes, citra ſuperioris laxationem mutilatos deminutosq́, ac mulcato (ut uerbo Taciti utamur) corpore, ſacris non facilè admoueri. Id ipſum et ueteribus cautum, monet Declamationum quarto Seneca, ubi de Metello inquit, Sacerdos integer ſit. Metellus pontifex quum arderet Veſtę templum, dum rapit Palladium, oculos perdidit, ſacerdotium illi negatur. Et mox contra Metellum, Sacerdos non integri corporis quaſi mali ominis res uocanda eſt. Hoc in uictimis notatur, quanto magis in ſacerdotibus? Sed in libro Antiquitatum ſecundo Halicarnaſeus Dionyſius, ſacerdotes à Romulo lectos ſcribit, genere excellẽtes, ſimul & uirtute præ ſtantes, nec tamen inopes, aut corpore ulla ex parte trunco. Dignum ſcitu, quod adnotatum Egeſippo eſt, Iudæorum excidij primo: Antigonum facto in Hyrcanum impetu, aures illi mordicus præſecuiſſe, ne quando commutatis rebus, reditus ad ſacram pateret perfunctionem. ſummum quippe ſacerdotẽ haud eſſe parte ulla deminutũ, conuenit: nec omnino per legem licet, ut mutilato corpore, ſummo quiſpiam admoueatur ſacerdotio. Illud porrò nec omittendum in mentione iſta, cuius auctor Herodotus eſt, Lybici potiſſimum fuiſſe moris, in templis ululare: quod tamen proprium fuiſſe mulierum opus, idem innuit, ab illis uerò in Græciam propagatum. Amplius item largiusq́ rei diuinæ cauſa inuitare ſe, credebatur fas: unde & μεθύειν inflexum Ariſtoteles putat, quòd ebrij fierent μετὰ τὸ θύειν, id eſt poſt ſacrificium: aut ab μεθίημι, quia curas laxarent. unde & Bacchus, Methymnæus. Quin dapes & conuiuia dictitabant θοίνας, ab θεός & οἶνος, uelut deorum gratia uino amplius indulgendum foret. Telos item pro ſacrificio poſitum inuenimus. Teletas uerò tum myſtica, tum maiora dici feſta nouimus, quoniam non citra grandiorem impenſam fierent. τελεῖν nanq́ impendere eſt: unde & qui multa profundũt, dicti polyteles: qui pauca, euteles. Teleſterium apud Eleuſinem Plutarchus in Pericle, initiandi locum uidetur intellexiſſe, codicibus Latinis in eo præcipuè interpellatis, in quos ſciolorum turba ſi impingat, nil aliud q̃ aures mouet. Teletas quoq́, initia uel initiationes in diuinis uocant, quoniam ab logicis, ethicis & phyſicis ſummum poſtremumq́ locum in diſcendorũ ratione diuina obtinent. Nam τελευταῖα dicunt ultima. Cæterum modo diuerſo in noſtris literis uocantur initia, quando hæc dignitate præcedunt, & intendi prima debent. Nam hinc metaphyſicen, primam dixit philoſophiam Ariſtoteles. Teleſphorus autem ad teletas pertinet nihil: colebatur à Pergamenis ut deus, ἐκ τοῦ μαντεύματος ſic nuncupatus: quem, inquit Pauſanias, Aceſion dicunt Epidaurij, Euameriona Sicyonij. Sunt qui τελεσφόρον, uatem interpretentur perfectum: aut etiam Engaſtrimython, de quo alibi plura. dici & Teleſphorus ualet, opportunè fruges producens. Magiſtratus porrò Lacedæmonij, τέλη uocant: quoniam illorum pontificij eſt, rebus finem ſtatuere.

Lachrymarum ratio. Plinij locus declaratur. De oculorũ canthis, & thalamo eorundem. Item metopa quid. Caput III

Lachrymæ, uel (ut aliis magis placet) lacrymæ, in hominis ratione non apud ſimplex modo uulgus & pullatum circulum, ſed apud eruditiſsimum quẽq́ ſingularis ſunt admiratiõis. Nam Plinius ille doctiſsimus, de quo perſuaſiſſimum eſt, indoctos eſſe, quibus ille non ſapit, quum de oculis ageret, ita prodendũ putauit. Hinc illæ miſericordiæ lachrymæ, hinc fletus & rigantes ora riui. Quis

ille humor eſt in dolore tam fœcundus & paratus, aut ubi reliquo tempore? Proinde non abſurde fecerimus, ſi in medicorum diuerticula, ut ſæpe alias, parte quadam deflexerimus, non altiore modo doctrina, ſed & uarietate, ut alibi interfati ſumus, legentiũ animis plurimũ allatura iucunditatis. Alioqui uerſuram facere præſtat multo, quàm in neruum ire, ac ignorantiæ obicibus præpediri. Quum igitur conſtat propemodum, non eſſe aliud lachrymas, quàm aquoſum humorem ab oculis profluentem, quam habeat is rationẽ, amplius ſcrutandum. Sic autem comperimus, in ſecunda, tertia & quarta digeſtione humoris ſuperfluitates aquoſas ſecerni ſemper: ſiquidem in hepate concoctionis ſecundæ poteſtate aquoſitas gignitur. Eius magna pars cõtruditur per emulgentes uenas ad rhenes. Percolata inde à ſanguine ac ſequeſtrata per meatus, qui uritides nũcupantur, in ueſicam delabitur, ac egeritur denique. Quicquid uero ſubſtitit cum ſanguine, ut ſit eius uehiculum, fertur cum eodem ad uenarũ extrema quæ oculos pertingunt, & inde eſt lachrymarum materia. Contingit id ipſum & cibi perfectione tertia, quum ſanguis conuertitur in humiditatem primam de ſecundis. Fit & in poſtrema quum humiditas prima de ſecundis tranſmutatur in ſecundam & tertiam. Obiter tamen ſciendum, in cõcoctione ultima duplicem ſecerni ſuperfluitatem: altera quarum craſsior ſit, unde proueniant, quæ in corporis ſuperficie uiſuntur, ſordes. Et inſuper narium mucus, aurium quoque marmorata. Subtilis altera, quæ quandoque in uaporem, in ſudorem alias modicum tenuemque dilapſa cõmutatur, necnon oculos ſcandens lachrymis argumentum præbet. Sunt qui ita ratiocinentur, quæ caloris ui in uaporem reſoluantur, ignea leuitate hinc aſcita, ſcandere tamdiu ad ſuperna, donec repercuſſa adden ſataque frigeſcere incipiant, relabanturque. Id quod in pluuia conuiſimus & uaſis, quæ ambica uocãt. In humano autem corpore tres agnoſci fumidas euaporationes, ſtomachi, iecinoris, ac lienis, & cordis: quibus tria reſpõdeant membra item ſuperne, oculorum, narium, aurium: ſed narium mucum à ſtomacho eſſe, auriũ ſordes ab iecinore, organorum indicare ſitum, ſic & lachrimas ex oculis demanãtes ab corde profluere: quando & nobiliori rei euentus nobiliorem præfert cauſam. In dolore autem haſce ubertim ſcatere, quoniã eius ui plurima ſecernatur euaporatio: quod agnoſcens Homerus quoque calidas ſubinde lachrymas pronunciat. Nec omnis tamen dolor ſic cordis calorem excitat, ut aiunt, ut qui in eo eſt, ſequeſtretur humor, ſed qui cum ſpe modo eſt: hãc enim efficere, ut exiliat cor uehementius, ac laxius fiat. Nec ſubſultus quilibet hoc effecerit, ſed impetuoſior, ut in rerum acerbitate: ſiquidem ubi ſpes abeſt, cordis ceſſat ſubſultio: quin comprimitur, meatibusque occęcatis, augeſcente calore, feruet humor, nec euaporat. Quia uero cordis uehemẽtior commotio hæc in homine fit tantum, quod Ariſtotelis eſt tertio De animalium partibus, inde cæteris lachrymarum uſus non datur fere. Quod ſi humectatio quæpiã in nõnullis cernatur, unius functione euaporantia pulmonis contingere, palam fit. Illud obiter adnotaro: doloris magnitudine uitali ſpiritu in cordis occluſo cauitatibus, prefocationem ac interitum conſequi ſæpius. Semitas uero duas anatomici deprehẽdere, per quas ad oculos lachrymæ ſurrigantur. Priore loco ueras ſtatuunt, quæ in fronte ſunt & temporibus ad oculos productæ: deinde eſſe inteſtinos meatus, qui eodem protendantur. Quanquam monſtratur & callis tertius, quia profluens humiditas in nares per oſsium foramina in oculis deſinẽtia, in illos corriuatur. Verum, ut hæc liquidius percipiantur, ſciendum eſt, duos eſſe in oculis angulos, quos in medicorum Iſagogico canthos nuncupat Galenus, & Paulus Aegineta in oculorum uitijs libro tertio, Auicenna almacheni, tempeſtate noſtra medicæ artis ſtudioſi, lachrymalia. De ijs primo De animalium hiſtorijs Ariſtoteles ita ſcribit, κοινὴ δὲ τῆς βλεφαρίδ@ μέρ@ τῆς ἄνω καὶ κάτω, κανθοὶ, δύω μὲν πρὸς τῇ ῥινί, δύω δὲ πρὸς τοῖς κροτάφοις. id eſt, pars communis ſuperioris inferiorisque palpebræ canthus eſt, quẽ duplicem uterque habet oculus, alterũ iuxta naſum, iuxta tempora alterum. Cãthorum uero radices inuenio encanthidas dici, uel epicanthidas. Cæterum qui prope naſum adiacent, rhanteres nuncupantur, ab humoris inſperſione: aut πηγαί, id eſt pagæ, uelut lachrymarum fontes quidam: canthos domeſticos medici uocant. Canthum ligneum pro uaſe potorio, in Diogenis mentione aduerſus Iouinianum, ni codicum interpellata fides eſt, nominat Hieronymus. Nam exemplaria ſunt, in quibus ſcriptum compe-

rias

rias, Cauum ligneum. Laertius certe in eadem hiſtoria cotylen dixit, canthum minime. Sed ad rem. Anguli uero in tempora uergentes, ſylueſtres à neotericis dicũtur, paropiæ à Græcis, aut uerius parotiæ, quod ad aures proclinentur: ſic enim appellat Nicandri interpres. nam paropia nuncupari nouimus, quæ oculos equorum ambiunt coria. Sunt præterea in palpebris iuxta hoſce angulos foramina quædam, utilitas quorũ inter cætera eſt, humectare palpebras: indicio eſt, humectatio ibi perpetua. Porro, ut quarto De utilitate partium ſcribit Galenus, per foramina & meatus naſi, qui in canthis ſunt, egrediuntur ſuperfluitates, ab oculo ad nares effuſę. Illis uero ſpiramentis ſuperiecta eſt neruoſa caro, quam uocant medicorum ſcholę lachrymarum frenum: quoniam eo, uelut obice, ab exitu repellitur, ac uelut ſuffrenatur humoris illuc deflua redundãtia, cogiturq; in nares delabi. Quòd ſi abſcindatur, aut caſu aliquo minuatur, per ennis fit lachrymarum fluxus. angulorum augumentũ immoderatius eucacida uocãt: deminutionem uerò rhyada: Galenus auctor De morborum differentijs primo. Palpebram Græci βλεφαρον uocant, ut ſcribit Oppiani interpres, id eſt ὀμματόφυλλον, uelut dicas oculare folium, παρὰ τὸ φρουρῶ καὶ ἱμάτιον εἶναι τῶν βλεπόντων, quòd oculi indumentum ſit. Tarphos uocant, unde ſe promunt pili, dicti blepharides, & ubi coeunt palpebræ. Cauitatem qua coniacet oculus, thalamum appellari tradit, metaphora honeſta de thalamo domeſtico. Quem hoc ſtatuunt ordine, ut primo habeatur loco ſeptum, id eſt hercos, ubi locantur portæ: mox aula eſt, inde æthuſa, quæ eſt porticus periſtylos ſoli expoſita, unde & nomẽ: poſtea eſt prodomus, mox domus & thalamus. Spatium quod interiacet oculis, ratione conſimili metopa nuncupari ualet: quando opas Græci tignorũ & aſſerum cubilia uocant, noſtri caua & columbaria: ſicut quod inter duas opas eſt, intertignium, id metopum dicũt illi: ſic interſcalmium, inter remiges ſpatium: qua figura dicuntur intercilia item, ac interfinia.

Quæſita non illepida ſuper lachrymarũ item ratione. Cepas ſylueſtres nõ reperiri. Thymus quid. Ceparũ natura & allij. Crommyon unde. Miſcelli hiſtoria. Myria quæ dicantur. Cap. IIII

CAeterum hac parte curioſior forte quiſpiam quærat, cur à domeſtico angulo potiſsimum lachrymæ fluant? Ratio uerò non alia eſt quàm in poris, ſiue meatibus, qui illuc frequentiores feruntur & latiores. Verum enimuero nõ omiſerim hac parte illorum ſententiam, qui audacius aſtruxere, Lachrymas in angulis quidem ſe oſtendere, prorumpere tamen ex ſpiramentis duobus in fine pilorum qui e palpebris promicant, quorum unum in ſuperiore ſit gena, in inferiore alterum prope domeſticum angulum. Hinc arguta in medium proſilit aſſertio, Lachrymas ex ira, aut triſtitia, aut huiuſmodi ęgritudine alia per inferius redundare ſpiramentum, quia cordis ea ſint accidentia. Quæ uerò alia profluant ratione, ſuperiorem habere meatũ, quia euentus cauſa ſit de cerebro. Ex ijs uerò quæ iam copioſius aſtruximus, Alexandri quæſtio faciliorem recipit intellectum. Cur (inquit) mœrentes & lætius ridentes lachrymantur? Mœrentes utiq;, meatuum ſiue pororum denſitate extrudunt quod in ipſis eſt humectum. ἡ γὰρ λύπη ψύξιν καὶ πύκνωσιν ἐργάζεται τῶν πόρων. hoc eſt triſtitia enim frigiditatem facit & pororum denſitatem. Gaudentes uerò ratione diuerſa, raritate atq; laxitate eorundem humida effundunt. Hinc illud à Xenophonte promitur rerum Græcarum ſeptimo, οὕτω κοινόν τι ἄρα χαρᾶ, καὶ λύπη δάκρυα ἔοικε. quod eſt, ſic itaq; lætitiæ ac triſtitudini cõmune quiddam lachrymæ ſunt. Quòd ſi ſpiramenta fuerint peranguſta, nec lætitia nec mœror ciere lacrymas poteſt. Expoſitor uerò noſter libri Almanſoris, lacrymas quaſdam eſſe uoluntarias dicit: aut ex triſtitia, dum fit cerebri conſtrictio, & inde humecti aquoſi expreſsio: aut ex lætitia, per quam fit cerebri laxatio, & meatuum, indeq; humoris effuſio, dum uidelicet circumfunditur calor ad totius circumferentiã, & potiſſimum cerebrum ſcandit. Sunt tamen, inquit, etiam lachrymæ quædam ultimam conſequentes debilitatẽ omnium oculi uirtutum, & cerebri ac omnino corporis reliqui. Sed propinquis morti hæ plurimum eueniũt, ac deploratis, nec ab expellẽte profluũt uirtute, uerũ ab humoris grauitate ad inferiora nutu ſuo uergentis, detentoria etiamnum facultate labefacta, ut Galenus interpretatur apud Hippocratẽ. De his crebra mentio in Prognoſticis & Aphoriſmis, ſiue ſentẽtijs Hippocra-

tis,& in libro De regimine acutorum.Porrò à curiosis item quæritur,quidnam sit causæ quòd qui equo currunt,quo contentius cursum equus arripit,eo procliuius lachrymas fundunt:& qui pedibus item,eo magis quo se uehemẽtius intenderint. Huius uerò ratio euidens est. aer namq; occursans frigidus est, frigus autem lachrymas mouet: quippe contrahendo constipandoq; carnem,exprimit humorem.Nisi quis id adstruat amplius,calor sudorem elicit: τὸ δὲ δακρυον, inquit Aristoteles, ἱδρὼς τίς ἐστι, διὸ καὶ γίνονται ὑπὸ θερμασίας ἄμφω ταῦτα, καὶ ἅλυκα δεῖ ὁμοίως. hoc est, Lachryma autem sudor quidam est,quapropter à cõcalefactione utrumq; mouetur, & sudor & lachryma, salsaq; pariter ambo sentiuntur. Calorem uerò motus sine dubio efficit.Dicat aliquis, hoc item ictus ratione prouenire:ut enim aduersi flatus oculos perturbant,ita etiã qui se obiectat aer,quo quis contentius equũ agitat,aut currit ipse,eo magis ictu quodam molli euerberat ac ferit,quo ut lachrymæ promantur, effici, meatibus oculorum laxatis appulsu eiusmodi.Omnis enim ictus uim aut secãdi habet, aut collidẽdi & contundendi.Ab Alyatte rege ferunt quandoq; Biantem ex septem sapientibus unum esse accersitum. At is philosophico supercilio tumens,& regiam fortunam tantum non despicatui habens: ἐγώ, φησιν, ἀλυάττῃ μελδύω κρόμμυα ἐδέειν. Ego, inquit, Alyatti mando cepas comesse.quibus illi fletum esse imperatum,interpretantur eruditi. nam & apud Aristophanem quærit ille ex Dionysio, τί δῆτα κλαίεις; cur fles? Respõdet is, κρομμύων ὀσφραίνομαι, id est cepas olfacto. Cepas uero acriter mordere oculos,& ciere lachrymas,notissimum:nam & crommyon inde apud Græcos nomen habet, ὡς τὸν κόλον ποιεῖν συμμύειν, quod pupillam comprimi cogat. Huius uero ratio est, inquit Peripateticorũ princeps,quia quòd lachrymas mouet,mordax esse debet, humidũ quoq; & lentum:quas ob res etiam oleum lachrymas excutit,quamuis leniter mordeat: subiens enim irreptansq; suam ob lentitiam atq; tenuitatẽ dolorem mouet, ac perinde humorem tabificat.Cepe uim eiusmodi sane habet,ut quod & humore & uapore sit calido,tenui & lento.Itaq; admotum eo, quòd uapor eiusmodi est,humorq; tenuis commeat,lachrymas mouet. Quumq; editur transmissa respiratione, itidem facere potest. Quin & cepis oblædi mentem, proditum quibusdam est: medicæ uero scientiæ prorsum coryphæus Hippocrates usu potius quàm esu commendabiles facit. In quo illud adnotarim obiter obseruatũ eruditioribus,syluestres cepas haberi nullas: proinde aberrare,qui apud Aristophanem thymum syluestrem accipiant cepam: quod animaduertens Sudas, Θύμον, inquit, ὑγιείας βοτάνη. Allium uero calidum quidem est & acre,& humoris aliquid continens,sed lentum non est: itaq; lachrymam mouere non potest.In ratione lachrymarum obseruatum illud quoq; est, Quas ex mœstitia profundimus,ferè calidas esse: quas uero ex oculorum morbo, frigidas. Quippe quod incoctum crudumq; est,frigidum sit,necessarium propemodum est:calidũ uero quod concoctum.Languorẽ uero omnẽ ex cruditate proficisci,nullum dubium est,quod quum lachryma cruda in ijs sit qui ualetudine oculorum laborant, non immerito frigida est. Hinc medici sudorem frigidum,argumentum esse grauioris morbi coniectant:calidũ contrà,decretorium esse & salutarem.Quum enim uacans materia multa est,satis à calore intimo percoqui non potest:itaq; frigidam esse necessariũ. Quum uero pauca est, plene à calore uicta percoquitur.Morbos autẽ uacantis materiæ copia prouenire,manifestum est.Præterea ne quid per incuriam quod ad rationem hanc spectet trãsiliam, id quoq; in literis inuenio,In timore lachrymas non fieri:quia repente humores ac spiritus retrahantur ad cor.Prorumpere autem in ira iam augescente ex agitatione uehementi,& cõmotione ac humorum expansione ad exteriora,quum magis magisq; diffunditur calor. Porrò ubi inconniuentibus oculis quippiam cõtuemur,hæremusq; in uno fixi obtutu,plerunq; sese promunt lachrymæ,oculo(ut credunt)intentione nimia debilitato,& nonnihil tum à lumine,tum ab obiecto læsa acie, deniq; musculis diu ita fixis atq; protensis,facilior est humori exitus.Ridentium deinde lachrymæ frigidæ uidentur,quia calor tum maxime per faciem diffunditur,prorumpentes uero lachrymæ quum aliquanto minus habeant caliditatis,dum manant frigidæ omnino uidẽtur.Vinolentorum lachrymas iucunditatis afferre plurimũ,liquet,ratione maxime illa quod euidens ebrijs sit lenimentum,si copiosius effundant redundantẽ in capite humorem.

Cerebrum

Cerebrum quippe uini oppletur uaporibus:ac eo nomine,moleſto item grauatur one re, quòd profuſis lachrymis ſit ſubinde leuius, & inde uoluptas in fletu uinolẽtis iucunda. Ad lachrymarum rationem nõnihil ſpectat illud quoq;,ex hiſtoria quæ de Miſcello eſt,cui redditam ferunt ſortem ex adytis: Conditurum eum ciuitatem, ubi in ſerenitate ipſum excepiſſet pluuia.Id nunquam futurum,coniectatũ ab eo eſt, ob rei ab ſurditatem.Quum tamen in Italiam appuliſſet, ac maxima euentus fluctuaret incertitudine,aſſediſſe illi pellicem uberius flentem,mœſtamq;. Id conſpicatus Miſcellus,finem habere oraculum ſuſpicatus,ciuitatem condere adortus eſt.Illud poſtremo auctarium fuerit,ac uelut aſſumentum,ſed non panni,uerum ex Euſtathij theſauris,quæ digna luctu ſint, dici à nonnullis μυεία, ſi penultima accentiunculam ſeruet, ἀπὸ τοῦ μύρεσθαι, quod lugere eſt, unde μορμύρειν, quo aquarum ſignetur ſtrepitus, & inde clauthmyriſmus.

Oculi uitia.Cur in occipitio non ſint oculi conſtituti,nec collum nobis datum uerſatile.Aulopi qui ſint:aula item.Camptaulæ,pithaulæ,auliſci,ualona,mauliæ,aulici & curiales,aulões,pſeudaula,pſeudoportus.Coracina ſacra.Opuntij qui.Phthiſis in oculo quid,& atrophia:atrophon,& mydriaſis,amauroſis,amblyopia,& alia id genus.Bulbus oculi.Diſtichiaſis.Coracinus unde.Coraxis color.Laodicenſis lana.Hieronymi locus explicatur. Eutrophon.Euernes.De aprorum ceruorumq; lachrymis interim. Vertiginoſi. Cap. v

QVanquam de oculorũ ratione alibi copioſe, ac nunc quoq; uellicatim diſſeruimus,nihilominus ubi ſe dignũ obſeruatione quippiam,dum mutos conſalutamus magiſtros, oſtentat,quin id publico bono mox excerpamus,facere nequimus.Sicut & hoc in primis,eſſe tuniculæ oculi,quæ dicitur rhagoides,uitium,quod proptoſin,id eſt πρόπτωσιν uocant,tanquam procidentiam,eroſione proueniens,aut ſciſſura ceratoidis. Id ſi minutum ſit, ac muſcæ capiti perſimile, μυοκεφαλὴν καλεῖται, id eſt nuncupatur myiocephalon:ſi maius paulo, acini uuæ amplitudine, σταφύλωμα: ſi maximum,ut uel palpebræ ſuperexcidant, μῆλον id eſt malum:quod ſi obdureſcat calli imagine,tunc uero etiam ἦλος cognominatur,id eſt clauus.Sed nec illud cõtemnendum,ex Auicennæ interprete primo Canonis:Ambiguitatem,inquit, forte moueat ſtudioſius rerum naturam expendentibus, cur noſtri corporis artifex in occipite itidem oculos non cenſuerit collocandos, uel ſaltem collum attribuerit uerſatile,quod in grue uiſitur ac ciconia.Cæterũ hæc uix effici potuiſſe, ex partium proprietate conijci poteſt: ſiquidem oculi naturam eſſe humectam,uidendi exigebat ratio,& proinde neruos itidem ipſius à parte cerebri præmolli initia ducere, neceſſarium fuit: his uero aduerſa capitis eſſe rationis contrariæ,nemini ambiguum.Dura ſiquidem eſſe oportuit,propter nucam & neruos motibus deſtinatos indidem oriẽtes, quamobrem colligi manifeſto,opticos inde neruos duci, minus potuiſſe. In colli uero circumactu non parum diſcriminis affuturum,amplius perpendenti patet, minimo momento uertebra luxata. Propterea firmitatis conſilium in artificis mente uim habuiſſe maiorem. Id ipſum duodecimo De utilitate particularum ſignificat & Galenus. Sunt & ad oculos pertinentia,quæ citra rationes phyſicas de grammaticis mutuemur.Oppianus Halieuticon primo,piſcium quoſdam ἀὐλωπούς, id eſt aulopus nuncupat.Interpres exponit, ἔχοντας ὠϊλικεις ὀφθαλμοὺς οἱκλω αὐλῶπι. id eſt, oculos habentes oblongos quadam tibiarum imagine.Cuiuſmodi pagurorũ oculi ſint,necnõ aſtacorum,quibus proprium eſt,foriſecus oculos obtrudere inſpectãdi cauſa. Verũm eſt quod adnotemus parte hac fuſius,ut quæ aſtruuntur,ampliter ubertimq; percipiant, qui modo non ſint analphabeti,ſicuti dicere conſuerunt Græci:aulam nuncupari animaduerto primo locum,qui perflatum habeat.Nam hoc nomine ſemper apud Homerum hypęthra,id eſt ſubdialia intelliguntur,ubi eſſet Hercei Iouis ara. Vnde διαυλωνίζειν dicimus, quum utrinq; perflatur regio aliqua,ex quo de AEolo Virgilius,

Illa ſe iactet in aula AEolus.

Sicut non indignum,qua erumpat in mare Peneus inter Oſſam & Olympum, dici hiſtoria ſeptima ab Herodoto Aulonem, à Plinio conuallem. Anguſta ad mare loca in

Trachiniis Sophocles, Aulonas ποντίους uocat. Sed & mare angustum oblongumq́, id est συνόμακρον, dicunt Aulonem Græci. Quos uero aulicos dicebant priores, in Philologiæ nuptijs Martianus peruulgato nunc uerbo etiã curiales nuncupat. Vt inquit, post membra corporea deorũ fierent curiales. Aulos uero dicitur tibia, per quam item commeat spiritus. Sed & figura quælibet in rectitudinem productior uti est stadium, & sanguinis torrens è naribus. Camptaulas intelligunt apud Vopiscum, qui flexili tibiarum cantu utãtur: sicuti pithaulas tibijs quodammodo persuadentes. Aulicam suauitatem Martianus tibialem intelligit. Fuere Athenis quoq; sacri quidam Aulones, meminit cum Philochoro Thucydides libro quarto. Sunt item Galeno Therapeutices quarto, clysterum aulisci: ὑγιάναι τε, inquit, τὸν αὐλίσκον τὸ κλυσῆρ & εἰς τὸν ἔσχατον ὦν τυφλεῖσθαι, οὐχ οἷόν τε χωρὶς τῆς τοιαύτης ἀφελείας. Aulonem quoq; scribit Theophrastus campum dici amplissimum & pulcherrimũ inter Libanum & Antilibanum. Strabo denique, quam modo Valonam dicunt, Aulonem nuncupat. Sed de eius nomenclaturæ locis aliquot plura Stephanus. Apolloniam, cuius adhuc extent uestigia, sunt qui Valonam arbitrentur. Maulias inuenio gladios nuncupari, tanquã ὁμαυλίας: quia insimul pernoctent, immaneantq́ milites, quod αὐλίζεσθαι dicunt. Aulas porro nunc pro regijs usurpamus, quod ante se loca habeãt subdialia & ampla. Pseudaula, quę ueram mentitur aulam: sicuti pseudoportus sunt, uelut cæci quidam portus. Ratione eadem nuncupantur pseudoporticus. Et omnia demum quę ad imitationẽ fiunt, ac temporarium præbent usum, non principalem, id sibi cognomentũ asciscunt, quod ex Vitruuij liquet architectura. Ex eodem uero Oppiani interprete illud item est, coracinũ piscem dici παρὰ τὸ κορὸν τὸ μέλαν, id est à uocabulo nigredinem significante, unde etiam trahatur corax, id est coruus: qui tamen ætatis initio minus nigricans est, quũ cæsti rore pascitur, ut scribit Cassiodorus, & propheticus perdocet Psalmus. uel ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰς κόρας, id est ab assiduo pupillę motu. Coracina sacra legimus apud Ambrosium in Pauli epistolam ad Romanos, quæ Coraci præstarẽtur, siue is intelligatur coruus, seu eius nomenclaturæ deorum mutorum unus. Scitu non indignum, esse ab eruditis obseruatum, ubi Palladius scribit, Coracinam picem aduersus arborum formicas pollere: reponendum, coracinum piscem: & id ex agricolationis magistris in Græcorum scientia. Est colorum unus item coraxis nomine, cuius libro duodecimo Strabo commeminit, in Laodicensis lanæ præconio, cuius molliciem uel Milesia præstantiorem admiratur. Nec prętermijt libro octauo Plinius. Propterea in Iouinianum Hieronymus: Nunc lineis & sericis uestibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Qua tamen in parte sunt, qui linea intelligant indumenta Laodicensia. Cæterum illud grauioris operę fuerit, quod dum ista commẽtaremur, ex Plutarcho ingessit se nobis ex libello, in quo euentuũ nõnullorum rationes promũtur naturales. Vnde inquit, fieri putandum est, quòd aprorum lachryma dulcis agnoscitur: ceruorum autem amarulenta, falsaq́? An in calore ac frigiditate causa statuetur? Frigidæ utiq́ naturæ ceruus est, calidæ uero aper & igneæ, proinde fugæ mandat ille præsidium, in inuadentes ruit hic præceps, quo præcipue tempore fundit lachrymam. plurimo nanq́ feruore raptim sese ad oculos promẽte, hinc dulcescit humor profusus inde. Empedocles uero, sanguine turbato lachrymam extrudi ait, ut ex lacte serũ. Quoniam uero innati caloris ui aprorum sanguis nigricans est, asperq́: ceruorum autem tenuis, & aquosus, congrue, quod in ira aut pauore secernitur, in utrisq́ uisitur tale. Opuntios facete positos inueni pro monoculis, aut etiam cæcis, ab Opuntio quodam prauitatis notę, quem ita affectum ferunt. Digna uero quæ non prætereantur, ab Aegineta Paulo Medicinæ tertio, monumẽtis prodita: Phthisis, inquit, est pupillæ affectio, angustioris factę debilioriscq́, ac etiam rugosioris. In qua paulo maiora sese ostentant obiecta. Ratio autem ex condensatione est ob siccitatem proueniente. Differt ab ea quæ nuncupatur atrophia, siquidem arctat pupillam phthisis, ast oculum totum atrophia tum minorẽ præstat, tum humiliorem. Quòd si latior multo naturali habitu euadat pupilla, prępediatq́ omnino uiuẽdi actum, aut parte plurima, ut minora etiam uisantur obiecta, mydriasis appellatur mali genus. Causa eius est, πολυσωματικὴ ὑγρότης, id est redundans humectatio. Alias dicitur atrophia Galeno Sanitatis tuendæ libro tertio, ubi corpus ex ingesta

gesta alimonia fructum percipit omnino nullum: sic uero affectos ἀτροφοῦντας uocant Plinius, cibum non sentientes. Est atrophon quoq; quod nō nutrit. Eutrophon uero, pingue dicitur, si de animalibus sermo sit. Nam in plantis, εὐτρεῖς uocant Græcorum disertissimi. Proinde quod εὐτρεπίστερον illi appellant, crassius uel speciosius, transtulit Plinius. ἀμαύρωσις, est perfectum fere usus impedimentum, citra oculi affectionem manifestum. ἀμβλυώπια, est usus hebetudo, ex latente proueniens causa. Myops, id est μύωψ, apud Callimachū in Hecale, musca dicitur quædam boues exagitans. Sed & nomine eodem, equorum intelligas flagellum, ac calcaria quoque apud Polybium, ἐκ πολλῆς οὖν μύωπας ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ἅπλασε τῇ ἱππῳ. Ex quo myopa scienter eum dicimus, à quo accendimur ad strenue obeunda negotia. Plutarchus in Alcibiade, καθάπερ μύωπα ἀφιππεύοντος τῶν πολλῶν. Habetur in oculis malum item, quod χήμωσιν uocant: coorítur id cum inflammatione nimia palpebrarū utraq; ita conuertitur, ut uix integatur oculus, albumq; nigro fit surrectius, ac rubet. Inuenio & psorophthalmiam, id est ψωροφθαλμίαν, quæ dicitur κνησμώδης τοῦ βλεφάρου ψώρωσις id est pruriens palpebræ affectio scabiosa. Prouenit ea ex salso nitrosoq; humore. Nam sclerophthalmia, est durities oculi, ac ἀνσκινησία, id est difficilis motus. Chalazion, id est χαλάζιον, in palpebra ἀργοῦ ὑγροῦ σύστασις, id est otiosi humoris multitudo, uelut grando parua. Madarosin, id est μαδάρωσιν uocant, ubi ex palpebris defluūt pili. Milphosis, id est μίλφωσις, eadem dicitur affectio, quam smegmata tollunt calliblephara. Encanthida nuncupant, quum maioris anguli seu canthi caruncula excrescit iusto amplius. At ubi deminuitur, rhyada uocant. Præterea est strabismus, id est στραβισμός, oculorum uitium, in ijs qui strabones dicuntur: id ita finitur, στρασμώδης τῶν κινούντων τὸν βολβὸν μυῶν διάθεσις, id est musculorum affectio ex conuulsione, bulbum mouētium. De bulbo autem alibi ita lego, ὅταν αἱ τῇ φύσει τρίχες τὸν βολβὸν ὠδύνῶσι, id est ubi naturales palpebrarum pili bulbum pungant. Fit autem huius rei apud Paulum mentio, ubi de distichiasi agitur, quæ dicitur pilorum succretio præter naturam in palpebris. Bulbulus in liliis, est apud Palladium. Nec sane mirari oportet dici in oculo phthisin, quod attigimus paulo ante, quum sit in pulmone uerius affectio hæc & thorace, ὡσὶ τῶν ἐμπυημάτων. Sed ab Hippocrate dicitur item ἰσχιακὴ πῖσις φθίσις, quæ prope sacrum concipitur os. Appellatur quandoq; νεφριτικὴ item φθίσις. Vertiginosos uocant, quibus tenebricosæ lucis obscuritates oboriūtur, σκοτώσεις dicunt. Cæterum discurrere uisitur incertæ lucis splendor μαρμαρυγήν appellant: contingit malum, frigidis & glutinosis humoribus cerebrum occupantibus.

Adnotatur error interpretis Plutarchi super Pīræi lema. Munychia. Thalētis præsagium. Inibi quid lema, quid gramiæ. Glamon. Cronica lema cur præter Græcorum sententiam. Cur Athenienses Tettigophori. Dīpolia. Buphonia. Bucolia. Bupharus. Bubones. Cronium mare cur. Libadium quid. Limnæ. Phrygia Atticæ. Limenarchæ. Limitrophi, Primicerij. Secundicerij. Meloproximus. Lemmata apud Galenum quæ sint. Cap. VI

LEgebamus nuper Plutarchi apophthegmata, id est sententias perbreueis regum ducumq; præcellentiū: inter alios de Pericle ita ibidem enotatum aduertimus, ἐπειδὴ δὲ οὗτοι ἀθλιώτερον τὴν Αἴγιναν, ὥσπερ λήμην ἀφαιρεῖν τοῦ πειραιῶς. id est, Athenienses iussit à Pīræo AEginam eximere, perinde ac lippitudinem. Ita nanq; Græci codices præferunt, λήμην. Quod ipsum & in Periclis uita cōperi adnotatum. Sed & in Demosthenis quoq; uerum Græca: nam Latina prorsum ἀκέφαλα est. Interpres autem eius libri, aut in locum impactus uitiatū, aut inscitia uocabuli deceptus, λιμένα legit, & interpretatur: nec ἀφαιρεῖν, sed ἐφορᾶν. ita enim transfert, lusserat autem Athenienses AEginam quasi Pīrei portum existimarent, ac tuerentur. Quam sententiā ne somniasse quidem unquam Plutarchum reor. Enatam arbitror uiro non indocto ex uerbo non admodum trito difficultatē: proindeq; insyncerum arbitratum codicem, ita interpolandum censuisse, ut non lemam, sed limena legeremus: quo certe coarguitur, lema plane cronica, ut Græci dicunt, eius oculos fuisse præpeditos: nam & in Dipnosophistis Athenæus Demadem oratorem scribit, solitum dicere, AEginam esse Pīræi lemam, Samum autē ciuitatis ἀκώλυγα. Consimile est fere de Mu-

nychia ab Epimenide pronuntiatum, qui multum diuq; locum contemplatus: ni futurorum cæci homines forent, Athenienſes locum, dixit, dentibus fuiſſe cõcerpturos, ſi noſſent, quot inde mala ciuitati ingruerẽt. Non defuit & Thaleti præſagium id genus, quando in neglecta Mileſii agri parte condi ſe mortuum mandauit: quod inibi annis inſequentibus Mileſiorum forum conciperet futurum. Inoritur tamen quibuſdam ſuſpicio, ſic Aeginam dici Piræi portum, uelut Pſyttaliam deſertam inſulam ſcribit Strabo, dictam nonnullis λιμένα τοῦ πειραιῶς, id eſt Piræi portum, modo ne ſit mendum exemplarium. Quid uero lema ſit, iam hinc ordiar explicare, quo uerior noſtra poſsit cenſeri ſententia. Eſt igitur lema ὁ πεπηγὸς δάκρυον, ὅπερ ὑπὸ καθεζόμενον βλάπτει τὸν ὀφθαλμούς. id eſt, concreta lachryma, quæ inſidens, oculum oblædit. Senum lachryma craſsior exiſtens, lemas grandiores facit. Quidam eo nomine lippitudinem accipiunt, & oculorũ ſordes. Vnde uerbum λημᾶν, quod ſignificat oculis laborare. Quanquam Heraclides Soranus λημᾶν dicit, τὸ ἀπολαυστικῶς βλέπειν, hoc eſt uoluptarie intueri, & uelut oculis deglutire. Sunt qui ita finiant, Lema, cõcretum eſt in oculo album humidum, quod hebetudini præuium eſt. Quidam ex recẽtioribus grana parua interpretantur, ſicca, duraq;, in oculis quæ uiſantur: quas gramias etiam uocemus, fieriq; ex arefacta lippitudine. De gramijs ita in Pompeij Feſti monumentis inuenias, Gramiæ oculorũ ſunt uitia, quas alij glamas uocant. Hinc glamon, qui lema uitiatos oculos habet, & glamyros, apud Sophoclem: gramioſi item apud Nonium oculi. Sed & uulgo gramum, pro mœſto inaudias. Illud obſeruãdum amplius: Sudam & Ariſtophanis interpretes, cronicas lemas putare dici de antiquis: quoniam cronia nuncupẽtur uetuſtate prærancida & inſipida prorſumq; fatua, à cronijs, id eſt Saturnalibus, feſto perantiquo. Cicero in Philippicis: Negligimus iſta, & nimis antiqua & ſtulta ducimus. Qua loquendi figura utitur & Ariſtophanes plerunq;, ut quum ait, ἀρχαῖά γε καὶ διπολιώδη καὶ τεττίγων ἀναμεστα καὶ κηκείδων βουφονίων. Antiqua & Dijpoliode & cicadarum plena, & Cecidæ buphoniorũ. Nam Dijpolia ſunt Iouis feſta, quæ & Diaſia uocantur: ſic & Buphonia intellige feſtum uetus, quod poſt myſteria celebraretur per bouis immolationem, unde & nomẽclatura. Sed & Iouis Poliei ſacerdos, inquit Pauſanias, Buphonus eſt nuncupatus, id eſt βουφόνος. Bucolia in Aegypto apud Hieronymum, ceu bubulcorum intelliguntur loca. Bupharum uero terram dicũt, quæ arari facile poteſt. Nam pharos, aratio eſt, ſed & bouis epitheton. Bubones uero antiquis fuere tumores uniuerſi præter naturam: mox ita priuatim nũcupati, qui in femoribus, alis protuberarent, ac collo. Quod ad buphonũ attinet, inuenio in literis, Erechtheo imperante Athenis, primum ab eo in Iouis Poliei ara immolatum bouem, quo peracto, ſecuri relicta mox ſe è regione Buphonus proripuit. At in iudicium uocata ſecuris eſt, ac abſoluta: idq; quotannis ut fieret, ſeruatum traditur. Quod uero cicadarum plena ait, intellige item, ſapere uetuſtatem: quoniam Atheniẽſium uetuſtiſsimi capillis adhiberent impli candis τέττιγας, id eſt cicadas aureas: ut eo argumento autochthones eſſe ſe probarẽt, ſicuti creduntur cicadæ. Meminit Thucydides. Inde & tettigophori nominãtur quandoq;, quaſi cicadiferi. Sed ut ad lemas cronicas redeamus, Quid ſi eo uerbo non antiquas interpretere, ut uelle uidentur Græci, ſed congelatas concretasq;. Sicut cronium in Septentrionibus mare dicitur: puto, non quia antiquũ: quid enim inſulſius? ſed concretum, auctore Plinio, à frigoris argumento. Cuius præſidem Saturnum faciunt cæleſtium rerum ſtudioſi. Apollonius Argonauticon quarto, Adriacum mare, cronium dicit. Sed à Crono, id eſt Saturno, ut inquit interpres, quem habitaſſe Italiam, omnibus & lippis notum & tonſoribus. Sunt tamen qui non Cronium, apud hunc poetam; ſed Chronium, putent ſcribendum, per CH: ab inſula, quæ uocetur Chronia. Lycophronis interpres Ionium ſcribit ſinum, antea Cronium dici conſueſſe, ſed & Rheæ ſinum. Cronij maris & Euſtathius meminit: Poſt Scythas, inquit, qui mari Cronio uicini Caſpium accolunt, Vnni ſunt, quos Simocatus hiſtoriarum cõditor à Perſis uocari Turcos exiſtimat, ad Orientem uernum ſpectantes. Cæterum parte hac non tam quid ſentiam, profero, quàm ſtudioſorum ingenia prouoco, ne aliorum fiducia in utramuis aurem ſibi dormire permittant, ſed noua excogitẽt ſemper: nec ingeniorum fertilitatem æuo ceu ſeneſcenti deeſſe putent, ſed multo ſæpius curam. Cronos certe pro ineptijs fatuita-

fatuitatibusq́ usurpari Græcis notum est. Et Ioannes Grammaticus apud Hesiodum pro insciția cronon accipiendum putat, quia κορὸν καὶ μέλαινα καὶ σκοτεινὸν νοῦν, id est mentem efficiat. Limon uero aliud est quàm lema: nam eo nomine dicitur humectus locus herbosusq́, id est pratum, quod cõmunis lingua Libadium uocat. Limnas item in Athenarum arce locum dici tradunt, sicut in Attica erant Thucydidi Phrygia. Limenarchas ex iunioribus nonnulli militum interpretantur præfectos, qui imperij limites custodiant. Id irridens quidam bene doctus Limenarchæ, inquit, non à limitibus dicuntur imperij, sed ἀπὸ τοῦ λιμένος, id est à portu, cuius præsunt custodiæ. Eos Limenophylacas dixit Aristoteles in Politicis, nec enim ratio admittit, ut Latina Græcæ dictio componatur. Sum miratus hominis ingenium. Quippe inibi statim limitrophos dici fundos fatetur à limitaneis militibus, quoniam inde alerentur. Et alibi: Primicerius, inquit, notarius principis dicitur, & honore inter notarios primus: sicut sequens appellatur secundicerius. λήρος autem cera est, & in ceratis tabulis scripsere antiqui. Et alibi, Meloproximus eum significat, qui se cum proximo sacri scrinij exercet, illo tamen dignitatis gradu inferior. Nam μέλει signat, curæ est: proximus autem dictio est Latina, quam compositionem secula admiserũt posteriora. Sed libro primo Quintilianus: Componuntur, inquit, nomina aut ex nostro & peregrino, ut biclinium: contrà, ut epitogium & anticato: aut ex duobus peregrinis, ut epirhedium. Quod autem Piræi lema diceretur Aegina, facit id nobilitas insulæ, quæ maris imperio potita est, & cum Athenienſibus æmulatione certauit. Inibi primo signatum à Phidone argentum tradunt. Quinrhopon, id est miscellam negociationem, Aegineam dicimus mercaturam. Lemmata ὑπομνηματικὰ, in Galeni Therapeutices primo, dogmata intelligo uel decreta scientifica, etiam si sumptiones malunt alij. λήμματα pronunciant Græci: nam lemmata per s, cortices indicãt. Hinc apud eundem ῥοιᾶς λέμματα, mali punici cortices accipimus, id est malicorium.

Fascibus, iunctis securibus, usos consules extra urbem modo. Summittere fasces quid. Summittere signa, & summittere arma. Cap. VII

QVoniam moderationem esse animi uirtutẽ saluberrimam, ferè cõstat quod mentes nostras impotentiæ ac temeritatis incursu transuersas ferri non patitur, unde laus oritur egregia: neq́ enim gloria exigua est, aut cuiuslibet operæ, felicitatem fortiter ferre. Hinc Valerium Publicolam tradunt historici, plebi Romanæ gratificaturum, libertatisq́ tunc primũ auspicantis solidiora iacturum fundamenta, abstulisse à fascibus secures, et futuris post se consulibus morem tradidisse. Qui multis custoditus annis est, ac ad tempora sua seruatum, Dionysius scribit, ut quum extra urbem essent consules, uterentur securibus: intus uero fascibus modo ornarentur, quod Maximus quoq́ Valerius intelligi uoluit, inuidiosum scribens magistratus fastigium ad tolerabilem habitum esse deductum, dum fasces securibus uacuefecit. Porrò T. Liuius refert, eundem quum prodijsset in concionem, fasces summisisse populo, quod ipsum Oratoriarum institutionum tertio Quintilianus repetit. Ex quo elegans prorepsit adagium, ut cum manum damus & herbam quodammodo porrigimus, uincíq́ nos plane fatemur, Summittere fasces dicamur, astipulante M. Tullij testimonio, quo lumine uel uno illustrantur nostra omnia. Sic enim scribit in Bruto, quum enim in maximis causis uersatus esses, & quum tibi ætas nostra iã cederet, fascesq́ summitteret, subito in ciuitate quum alia eciderunt, tum etiam ea ipsa de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. Quod si quis ambigat quid omnino sit, fasces summittere, ipse ita interpretor, nõ surrectos tenere: ut solebant prius lictores, ut uisendos eos præberent, ostentarentq́ ad terrorem increscentis audaciæ: sed deprimere, & ante pedes quodammodo dejcere. Significant id uerba Liuij sequentia. Gratum id, inquit, multitudini spectaculum fuit, Summissa sibi esse imperij insignia, confessionemq́ factam, populi quàm consulis maiestatem uimq́ maiorem esse. Quidam summissos interpretantur fasces, quoniam abire à se dum concionarẽtur, lictores iusserit Valerius. Id quod refellere Plutarchus uidetur in Publicola sic scribens, ὡτοῦ τε τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν πορευόμενος, ὑφῆκε καὶ κατέκλινε. id est, fasces autem ipsos in concionem progressus populo summisit inclinauitq́. Sic summissas mãmas à lupa legimus apud

T. Liuium

T.Liuium primo ab Vrbe condita. Summittere ſigna legionis, deiicere eſt ac tollere. Iulius Frõtinus Stratagematon quarto, de M.Curione, & legione ſeditioſa, Nullis precibus ab eo impetrari potuit, ne ſigna eius ſummitteret, nomenq; aboleret, milites autem in ſupplementum legionum diſtribueret. Summittere arma item apud Senecam in libro De uitę breuitate, Vtrúmne ſtatim percuſſus arma ſummiſeris, an in ſtatu et in gradu ſteteris. Ad hoc pertinent uerba item Plinij Naturalis hiſtoriæ ſeptimo: Cneus Pompeius, inquit, confecto Mithridatico bello, intraturus Poſidonij ſapientiæ profeſſione clari, domum fores percuti de more à lictore uetuit, & faſces lictorios ianuę ſummiſit is, cui ſe oriens occidensq; ſummiſerat.

Maiorem conſulem apud Plinium quem intelligamus: item qui prætor maior, & maiores flamines. Balbum ſolum ex peregrinis non triumphaſſe. De lege falcidia obiter, & qui conſulares legati. Cap. VIII

PLinius libro Naturalis hiſtoriæ ſeptimo: Fuit, inquit, & Balbus Cornelius maior conſul, ſed accuſatus, atq; de iure uirgarum in iudicum cõſilium miſſus, primus externorum atq; etiam in Oceano genitorum uſus illo honore, quem maiores Latio quoq; negauerunt. Res eſt leuicula in autore nobiliſſimo, ne quis protinus Archimedeum me uenditare inuẽtum, liuidius cauilletur, quem denicq; maiorem dicamus conſulem. Ne quis tamen tyrocinium uix dum profeſſus impingat, aut ex inſcitia Boliti (ut dicitur) pœnam debeat, hiſce libellis inſeremus & hoc. Maiorem igitur conſulem dici ſolitum enotauimus, penes quem faſces forent. Hiuerò in anteceſſum ſeniori contribuebantur, ut Plutarchus & Maximus quoq; Valerius prodidere. Lex tamen Iulia priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtatem faciebat, cui plures forent liberi. Nam & in candidatis liberorum præpolluiſſe numerum, Tacitus ſcribit Cornelius. Quòd ſi par numerus fuiſſet utrique, tum præferebatur maritus: quòd ſi in eo quoq; inuenirentur compares, annorum utiq; ui legis eiuſdem ratio inibatur. Solitos tamen audio, qui lege potiores eſſent, menſis primi faſces collegis concedere natu grandioribus aut nobilioribus, uel ſi alterũ inirent conſulatum. Aut certe conſul erat maior, qui priore loco renunciatus eſſet: nam & Liuius ab Vrbe cõdita ugeſimonono libro, Scipionẽ priorem conſulem à centurijs omnibus dictum ſcribit. Et Cicero in Piſonem: Me cuncta Italia, me omnes ordines, me uniuerſa ciuitas nõ prius tabella quàm uoce priorẽ conſulem declarauit. Quem uerò nunc maiorem, nunc priorem nuncupamus cõſulem, Virgilius etiam inſignem dixit, ut qui nullius ſit doctrinæ inſcius, & uetuſtatis uſq; ad anxietatem obſeruator:

Ipſe Quirinali trabea cinctuq; Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina conſul.

Prętorem quoq; maiorem in Romana hiſtoria ſolitum dici accuratus lector inueniet, is uerò urbanus intelligi debet: nam cæteri minores erant, quos tum peregrinos, tum prouinciarum prætores appellatos ſcimus: ſicuti Digeſtis de origine iuris, latius edocuit Pomponius. In quem ſenſum accipio illud ex oratione pro lege Manilia: nam quum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centurijs cunctis renunciatus ſum, facile intellexi Quirites, quid de me iudicaretis. Item in Bruto: Et prætor primus incredibili populari uoluntate ſum factus. Erant & flamines maiores patritij generis, minores autem plebeij. Cæterum ut de Balbo quippiam leuiter, ac quod de cane dicitur in Aegypto, guſtemus modo, protinusq; ad alia ſtylũ propipiamus: Hic eſt Balbus, quem Coſmographiæ tertio, triumphalem uocat Strabo. De quibus uerò triumpharit, Plinius non tacuit libro quinto, capite quinto. Quod uerò ſcribit, unũ omnium curru externo triumphaſſe, & iure Quiritium donatum, ſcire conuenit, modo ne ingenia ſicut uinum probemus: M.Perpennam natione Græcum Romæ conſulatum eſſe adeptum, ac de Ariſtonico rege triumphaſſe. Propterea eum inſectatus Valerius Maximus: Perpennæ, inquit, nomen adumbratum, falſus cõſulatus, caliginis ſimile imperium, caducus triumphus aliena in urbe improbe peregrinatus eſt. Nec diſſimulauero tamen, ab Eutropio traditum libro quarto, Ariſtonicum ab Perpẽna uictum in carcere ſenatus iuſſu ſtrangulatum: quia, inquit, triumphari de eo non poterat: nam Perpenna apud Pergamũ Romam rediens diem obierat. L.Cornelium Balbum Gaditanum

Romæ

Romæ conſulem fuiſſe, Auguſto, M. Antonio, Lepido rempublicam gerentibus, pro didit Dion: additq́, eum diuitijs & magnificentia præcelluiſſe adeo, uti populo Romano uicenas quinas drachmas moriens reliquerit. Quo tempore lex item lata Falcidia eſt, ab plebei tribuno P. Falcidio, qua legitimis cauetur hæredibus, ſic, ut quadrantem aſſequantur ſaltem: quando prius ad alienos tranſmittebatur aſſis integer. Sed & Ventidium Baſſum Picentem genere, loco humili, de Parthis quos tribus fuderat præliijs, primum omnium triumphaſſe, auctor Tranquillus eſt: quin & in Noctibus Atticis repetit Gellius. Illud obiter adiecero, legatos conſulares nuncupari Liuio, qui conſulari poteſtate exercitibus quandoq; præficiebantur.

Duodecima hora ædificare quid. Horarum ratio. Plinij locus emaculatur ex libro ſecũdo. Hori annales. Lucianus declaratur. Tollitur difficultas ex Seruij Sulpitij epiſtola. Horoſcopa. Zoros unde. Heliotropia. Gnomõ, uel umbilicus. Diopi, diopteres. Gnomonice apud Gellium quid. Aſtrologiæ partes. Dioptræ quid. Aſtrolabij inuentio, & partes eiuſdem. Apoteleſmata. Cap. IX.

VErum quia in Parthos incidimus, non differemus, quòd nunc uel iucũdum ſcitu ex hiſtoria ſeſe nobis obiectat. M. Craſſus Parthicis inhians opibus, exercitu inſtructiſsimo aduerſus eos mouens, quum per Galatiam duceret, Deiotarum regem extrema iam ſenectute confectum, nouam ædificare urbem comperit. Quòd quum mirari ſatis nequiret, ſcõmate in illum ita luſit, Quid hoc, inquit, rei eſt, duodecima iam tibi tantum non inſtat hora, & nouam nihilominus urbem ædificare pergis? Ad ea renidens Deiotarus: Nec tu, inquit, imperator ſatis matutinus, ut res habet, in Parthos moues. annũ ſiquidem ſexageſimũ tunc agebat Craſſus, grandiorem tamen præſe ætatem ferebat. Ex hac hiſtoria ſcitior concinnari adagio poteſt, ut quiſquis Acherontius, ut ille ait, & in peculio Proſerpinæ iamiam connumerandus, quid magnificum & præcellens ſtruit, duodecima illum hora ædificare commoliriue, facetoſo ſale dictitemus, ut qui iam ad uitæ peruenerit umbilicum, admotis omnino lineis: de futuro tamen, quod fallaciſsimum eſt, multa ſibi pergat polliceri: etiam ſi diuerticulo uti eodem poteſt, quo agricolas ueteres uſos, cõmeminimus: qui interrogati, quibus ſererent, non dubitabant reſpõdere. Diis immortalibus. Porro quod ad horas attinet, ut tollat, ſi quis ineſt apud incultiores nodus aut griphus, Duodecima intelligitur diei ultima. Sicut Naturalis hiſtoriæ ſecundo, undecima hora eſt, quæ nunc diceretur tertia & uigeſima. Sic enim Plinius ſcribit, Auguſti uerba referẽs de ſydere crinito. Id oriebatur, inquit, circa undecimam horam diei, clarumq́, & omnibus terris cõſpicuum fuit: etiam ſi locum hunc aliter interpretatur Pontanus. Etenim ſolaria apud antiquos in horas tam diei, quàm noctis temporales, non æquinoctiales diuiſa proponebantur, ut ſinguli dies noctesq́ horis continerentur duodecim. Vnde apud coſmographos, ſextam horam pro meridie poſitam inuenies. Quod euidenter ſignificat Seruius Sulpitius Familiarium epiſtolarum quarto, quum ad decimum calendas Iunij ſe Marcellum conueniſſe ſcribit: ac infert mox, Poſtridie eius diei, quum ab Athenis proficiſci in animo haberem, circiter horam decimam noctis Poſthumus familiaris meus ad me uenit. In cuius loci enarratione compluribus hęrere aquam, haud latet fere. Hinc Vitruuius architectus ſolſtitiales horas uocat in cancri ſigno, ampliſſimas intelligens: ſicut ediuerſo, brumales appellat horarum breuitates. Quum uero æqualia ſunt ſpatia in ariete ac libra, æquinoctiales. Ex qua ratione Valerius quoq; Martialis Epigrammaton duodecimo, ęſtiuam horam pro longiſſima poſuit, etiam ſi Domitius æſtiuam accipit, datam relaxationi animi, & uoluptatis plenam:

Otia Priſce breui poteris donare libello:
Hora nec æſtiua eſt, nec tibi tota perit.

Plautus uero in Pſeudolo hybernam horam pro breuiſſima ponit ſic enim apud illum Simo ait,

Credo equidem poteſſe te ſcelus,
Maſsici montis uberrumos fructus quatuor
Ebibere in hora una. Pſeudolus uero reſpondens ait, Hyberna addito.

Horas autem has ſic inæquales uocant Græci καιρικάς, nos temporales ſeu uulgares, de quibus

de quibus Ptolemæus plura, & Theon. Sunt, ex recentioribus præsertim, qui planetarias etiã nuncupent: quoniam singuli planetæ dominantes, inferiora hæc disponãt singulis horis inæqualibus. Qua ex causa, & naturales posse dici arbitrantur. Alterũ uero horarum genus, æquinoctiales uocant: hoc est, ut Græci dicunt ἰσημερινάς. A quibusdam etiam horologij nuncupatur hora, uigesima quarta pars diei naturalis, quę in sexaginta distinguatur minuta. Ab æquabili uero æquinoctialis motu, dictæ sunt æquinoctiales horæ: nam singulis hoc genus spatijs æquinoctialis gradus quindecim emergunt: ex qua obseruatione horarũ, huiusmodi prodijt argumentum. Quam rem nostrę tempestatis notis & interuallis graphice præmonstrari in horologijs uidemus. Etiam si uanitatis insit, ac erroris plurimũ: unde est Senecæ illud eruditum, Facilius inter philosophos, & inter horologia conueniet. Inueni tamen inter nostratum literarum non omnino postremos professores, qui monumentis suis prodere sint ausi, in sex horas lucem, & in totidem solitos noctem distribuere ueteres: arbitror, in errorem lapsos, quia Hyginus Astronomicõ quarto ita scriptum reliquit, Priores (inquit) astrologi, quum omnes res ad duodecim partes reuocarent, ut menses & horas & latitudinẽ signorum ita & signa, per quæ res omnes significãtur, duodecim esse uoluerunt. Cæterum auctoritate ista, quæ hoc non probat, tam facile in tendiculam, siue tenus (ut Plautus ait) collabi, parum fuit perspicacis & diligentiæ supinioris: neq; enim uerbis illis reuincitur, de naturali potius quàm de artificiali intelligendum die. Hanc porro distributionem Historiæ naturalis libro secũdo, capite nonagesimonono, agnoscere uidetur Plinius in æstuum ratione, sed ambustis præcipue lacerisq; codicibus: qui sic tamen redierint, opinor, in artus. Paribus tamen, inquit, interuallis reciproci, senisq; semper horis non cuiusq; diei aut noctis aut loci, sed æquinoctialibus: ideoq; inæquales uulgarium horarum spatio, utcunq; plures in eos aut pauciores diei, ac noctis illarum mensuræ cadunt & æquinoctio tantum pares ubiq;. Illud quoq; parte hac, ut conniuens, minime transiluerim: ad horas porro Iunij ac Iulij longissimas, referri illud Virgilianum posse ex Georgicis, An ne nouum tardis sydus te mensibus addas.

Aurelium quoq; Macrobium scribere scimus, solem ab AEgyptijs Horum dici: unde etiam horarum nomenclatura defluxerit, quum ex illius motu orbes moderante reliquos temporũ distinguuntur interualla. Est tamen horus, annus quoq;, quia horas cõtinet, id est cõuersiones. Ex quo dictæ horographiæ, quę descriptiones sunt quotannis factæ, eorum qui in ciuitatibus sunt. Verum quid esse dicemus illud Luciani? Cyrus, inquit, antiquus Persarum rex, ὡς λέγουσιν οἱ πρῶτα καὶ ἀκριβέστατα ὥρους. hoc est ut monstrant Persarum & assyriorum hori. Inuenio in libris euigilate cõcinnatis, nec dilutæ aut uulgariæ auctoritatis, Horum quendam trimestrẽ annum instituisse, eoq; uer, æstatem, autumnum, hyemem, horas, & annum horum dici: & Græcos annales horos, eorum scriptores horographos. Celebratur & Prodici philosophi ac Sophistæ liber, cui foret titulus Ὧραι, in quo agebatur de Hercule, qui occurrisset τῇ ἀρετῇ καὶ τῇ κακίᾳ. Ac prolectante utraq; ad se, uirtuti maluerit inhærere. Hic est Prodicus, de quo ita actum illud circunfertur, πρόδικου σοφώτερου. Sunt ex Græcis, qui opinetur unum ζωρόν dici multorum annorum: quia uti præstruximus, horum appellant annum, & πολλὰ ζῶα quandoq; pro magnitudine aut multitudine accipimus. In Trœzeniorum historijs narratur illud quoq;: Horum, apud eos natum primo, ac regnasse: terram, ab eius etiam nomine horęam dici cœptam. Mihi inquit Pausanias, esse AEgyptium nomen uidetur Horũ, nec Græcũ omnino. Althepam Neptuni filium regnasse post Horum memorant, à quo & Althepia sit terra cognominata. Quin & imperante eo, discepratum de regione à Neptuno & Pallade, re autem ambagiosa, promiscue ut illam haberent, Iouem imperasse. Quo nomine Palladem colunt Poliada cognomẽto, & schenia da: sicuti Neptunum βασιλέα. Sed & nummi fuscinam habent, & Pallados faciem. Hemiorion inuenio apud Græcos, pro horæ dimidio, id est ἡμιώριον: sicut hemisphærium, uestis dimidium signat. Hemithoracium eadẽ dicitur figura. Hemicranici uero sunt, qui dimidia capitis parte laborant. Cypron legimus mensuræ genus apud Alcæum, cuius dimidium hemicypron dixit Hipponax. Porro in Noctibus Atticis, Horam reperias pro dea Quirino iuncta, quam Hersiliam Ouidius intelligat Metamorphoseon

phoſeon quartodecimo, quum ita canit:
Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis
Excipit, & priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat, Horamq; uocat, quæ nunc dea iuncta Quirino eſt.
In ueterum monumentis obſeruatum & illud, uaſa dici horoſcopa, quibus commonſtrantur horæ, quæ & heliotropia uocitata interim cõperiuntur, ſi ſolis & umbrarum ratione conſtent. Porrò notationẽ genitalis horæ, horoſcopon quoq; uocant, quod quinto Ciuitatis diuinæ Aurelius Auguſtinus ſcribit: unde illud prodijt Perſianum,
Geminos horoſcope uaro Producis genio.
Et uerbum horoſcopare, quo utatur Manilius: & ſigna horoſcopãtia apud Firmicum. Solis uerò umbilicus (quem & ſtilum hemiſphærij dicunt monſtrãtis horas) eſt, quem gnomonem item appellamus, & ſciatheran, cuius umbra internoſcũtur horæ: unde & ipſa umbrarum ratio gnomonice dicta, ab Anaximene Mileſio inuenta. Qui item primus ſciathericum excogitatum oſtendit Lacedæmone: uel ut alij Anaximander. Scribit tamẽ libro ſecundo Herodotus, à Babylonijs Græcos didiciſſe gnomonem, & diei partes duodecim. Hyperiona primũ horas obſeruaſſe, Diodorus ſcribit. Hinc architecturæ partes ita cõcipit eruditorũ ſchola, ut una dicatur ædificatio, altera gnomonice, poſtrema uerò machinatio. Eſt & canonium mechanicũ gnomon, & geometrica figura. & dioptrici organi pars, & aſtronomici. Erant & Athenis magiſtratus, dicti gnomones. Quin & accuratæ diligentiæ homines ac prudentiæ, dicti gnomones, ἀπὸ τοῦ γνῶναι. Nam inde etiam ſcientes dicuntur gnomici & gnoſtici. Sic in Collectaneorum ad agricolationem ſpectantium libro ſecundo, hydrognomones uocãtur aquarum reperiendarum probãdarumq; periti. At Doxaſticus opinator dici ualet, qui & falli plerunq; poteſt. Sed illud neutiq; præterũdum, dici ab Ariſtotele gnomonas dentes, quibus iumentorũ ætas internoſcitur. Hinc & aboli nũcupati equini pulli, qui nec dum id genus dentes miſerunt. Apud eundem De hiſtorijs animaliũ ſexto, ſic lipognomones dicuntur, quorum anni dentium ratione mitti in digitos amplius non poſſunt, qui & agnomones dicuntur Iulio Polluci, quod iam exciderit gnomon: quem etiam pullini dentis nomine intelligunt eruditiores. Ex ijs ferme arbitror innoteſcere, quid ſit illud Gellij ex primo Noctium Atticarum, Quoniam (inquit) geometriam, gnomonicam, muſicam, cæteras q; item diſciplinas altiores μαθήματα ueteres appellabant. Id ut fiat item planius, aſtrologiæ pars eſt gnomonice, quæ ſolariorum diſcriminatis umbris horas ueruto ſiue gnomone pernotat: ſicut alia pars meteoroſcopice, quæ eleuationũ differentias aſtrorumq; exquirit diſtantias, necnon multa uariaq; alia ad aſtrologiæ inſpectionem tendẽtia perdocet. Tertia pars dioptrice nominatur, ſolis & lunæ cæterorũq; aſtrorum interualla huiuſmodi internoſcens inſtrumẽtis: inter quæ aſtrolabij eſt inuentio, quam Ptolemæo Syneſius attribuit: quod eſt Politiano item obſeruatum: cuius partes, uagina ipſa continens tympana, in quibus æquinoctialis tropiciq; deſcribuntur circi, quiq; alternis orizonti ſunt anaphorici: tum ſupra tympana quæ uocat aranea, deſignatur, in qua zodiacus & clara quædam ſydera cernũtur, ut per noctem quota ſit hora, quotumq; temporis momentum, reperiamus. Hæc eo item fuſius uberiusq; perſequuti ſumus, ut intelligeretur Plinij locus ex ſecundo Naturalis hiſtoriæ. Mediam eſſe mundi totius terram, haud dubijs conſtat argumentis: nam niſi in medio eſſet, æquales dies noctesq; habere non poſſe, deprehenderunt & dioptræ. Præterea dioptris librantur aquæ, necnon turrium e longinquo concipitur altitudo. At diopteres dici ſpeculatores uidentur, qui & prophylaces uocantur. Eſt item diopter œconomus. At diopos dicitur enoptes, id eſt curator nauis & inſpector: nam diopas inter aurium ornamenta recenſeri nouimus. Strabonis interpres libro duodecimo, ubi auctor ſcribit, in Cappadocia eſſe locum, qui lapidis glebas ferat grandiores ἐς διόπτρας, id eſt ad dioptras, tranſtulit ad ſpecularia facienda. Eſt item in extiſpicio ſignum quoddam dioptra. Denicq; ueteres umbris enotaſſe diurnas horas, in Gallo item comprobat Lucianus, σωεχὲς ἐπισκοπῶν ὁποσάπουν τὸ σοιχεῖον εἴη. hoc eſt, perpetuò adnotans quot denicq; pedum foret linea. Illud hic obiter adnotandum ſuccurrit, aſtrologorũ reſponſa dici apoteleſmata. Sed & libri circũferuntur Ptolemæi apoteleſmaton, quos modo quadripar-

titos uocãt. Euſtathius in Iliados primum, apoteleſmaticæ ſapientiæ curioſitatem nil re liquiſſe ſcribit, quod planetarum non ſubiecerit poteſtati. Idem alibi, concionis appellat apoteleſma. Sed & illud obſeruauimus iactatum uulgò, non oportere prorſum res dijudicare, ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων. Denicq́ horarũ, id eſt anni partium mutatio ex ſole eſt zodiacum obeunte: euariatio autem fruges parit, quo nomine in Phænomenis Aratus horas nuncupat ἐπικαρπίους, id eſt frugiferas. Temporũ certè dimenſiones tres norant priſci, lunæ ambitũ, anni horam quamlibet, item ſolis per zodiaci ſigna tranſitum.

Tria uideri neceſſaria genethliacis. Horoſcopi enotationem penè haberi impoſſibilem. Cap. x

GEnethliacos, ſeu mathematicos, ut plericq́, dicere malis, uel æruſcatores uerius, qui aures uerbis alienas ditant, ſuos ut loculos diſtendant nummis, traditum in eorum libris eſt, ſi cæleſtium rerum ſcientia præcinere debeant futura, tria impenſiſſimè obſeruare oportere. Primum, horam illam initialem, qua ſe in lucẽ uitalem è bulga matris prompſit infans: uel quiduis aliud, ſuper quo uaticinium cõcinnandum, fieri ſit cœptum. mox cæli ſtatum ſyderumq́ poſitum, ad ipſam illam horam ſubtiliter applicitũ. poſtremò, quid eiuſmodi ratio cæleſtis ſydereaq́ meditetur agat'ue, argumentis inerrantibus, aut experimenti certitudine perinde ac ungues norint ſuos, neceſſarium præcipuè eſt. Duo hæc, ultimo poſita loco, in diſquiſitionem non reuocabimus, alterius loci id ac temporis. Quoniam uerò paulo antè de horoſcopo item facta nobis mentio eſt, quàm incertus hic & fluctuans, nec ullis probiori bus fixus radicibus, paucis hinc retegam: ſed retexerat antea in Hexaemero Magnus Baſilius. Forteq́ & Columella in lucubrationibus, ijs quibus aſtrologorũ placita conuellebat. Et illud in confeſſo ferè eſt, genethliacum minus poſſe ipſum illud, quo quis naſcitur, momentum tenere: primum, quia neceſſarium foret, prodeunti infanti præſtò eſſe aſtrologum aſtrolabio rectè inſtructum, quo cæleſtis eueſtigio cõcipiatur menſus. Hoc uerò ne fiat, plura obturbant, ſæpe tenebrarum nocumentũ, & interpellatio, quando cælum nubilum, interdum & hominis inopia abſentia'ue. Sed demus, horum nil officere: ni aſtrolabium ipſum tanta fuerit arte peritia'ue confabricatum, ut nuſquam ſubſultet, ac ne in minimo quidem fallax comperiatur, uoti eſſe nequit compos aſtrologus. Organum uerò id genus omnibus abſolutum numeris aut raro, aut nunquam inuentum. Proindeq́ ratio partilis horoſcopi inconſtans ſit, ferè neceſſariũ. Adde quod exponenti horam, qua ſibi natum putat filium, adeo fidendum nõ opinatur mathematicus, ut apud eum eiuſcemodi tempus æſtimatum dicatur aut ſuſpectum, quoniam uidelicet coniecturis ſuſpicionibus ue agendum, ubi certi nihil afferatur. Quid, quòd horologia ſolariaq́ ſæpe ueritati nõ reſpõſant: quòd ſi maximè faciant, media tamen horarum momenta, nõ tam aperire nequeunt cõſulentes, quàm neſciunt. Nec illud omiſeris: mathematica ratio ſub ſolis demerſum horas auſpicatur, uulgus tenebris ſeſe intendentibus, quod euenit ſæpe, pridem ſole orizontem tranſgreſſo, præſertim ſi eum ſigna geſtent obliqua, quæ quum moram in occaſu trahant lõgiorem, prius quàm denſius coeant tenebræ, nõ nunquam noctis integra hora abſoluitur. Adde, ſicuti ſcienter collegit Ambroſius, quòd ſingulas ſphæræ partes in portiunculas diſtribuunt triginta, quas dicunt μοίρας Græci, rurſum merida in ſexaginta conferunt uices: nec ſatis, harum unamquanq́ ſexagies ſecant. Quamobrem quum impoſſibile cenſeatur nõ imprudentibus, minuties adeo ſubtiles ad diligentiorem reuocaſſe calculum, & uniuerſitatis errorem inuehat minuties uel minima: uanitatis utiq́ plenum eſt negotiũ totum: eiusq́ aſſertores, quæ ſua ſunt, neſciunt. Quando uerò norint aliena? Proinde aranearum telas pexitate cribrata contexi ab hoc genus hominibus, aſtruẽdum audacter eſt, quæ nec uſum præſtẽt aliquem, nec uincula: ni uelut culex aut muſca infirmitatis lapſu incurſes, nec ut paſſer aut columba, caſſes inualidos ac malè ſcutulatos præpetis celeritate uolatus perrumpas: ſic, ut concamerata architecti ratio fruſtra præcipitetur in ſinum. Hinc irridens Seneca: patere mathematicos aliquando uerum dicere, qui illum poſtquàm princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt. Et tamen nõ eſt mirum, ſi errant, horam eius nemo nouit: nemo enim ipſum unquam natum putauit. Scribit Thomas in libro De ueritate, ubi de prouidentia contexitur quæſtio, cæleſtia

leſtia quidem ſemper modo eodem agere: cæterum effectus eorum ab inferioribus modo inferiorum excipi, quæ contrarijs modis ſæpe affecta comperiuntur: proinde cæleſtem uim non ſemper effectus ſuos inducere, quod diuerſis præpediant affectionibus. Nam & in commentatione De ſomno & uigilia, prodit Ariſtoteles, frequẽter imbrium & uentorum ſigna contingere, fruſtrato euentu, ex ualidis ac contrarijs affectionibus ſeſe ingerentibus.

Sacrare caput cũ bonis quid. Enarratur T. Liuius. Zoanas quid uocemus, aut xoana. Item quid zanes. Simulacrorum diſtinctio. Zizanion, xanion, xantice, reſecrare. Cap. XI

IN Narrabamus nuper T. Liuij ſummi hiſtorici librum ab Vrbe cõdita ſecundum, incidimuſq; in eum locum, qui eſt de Valerio Publicola: Ante omnes inquit, de prouocatione legẽ tulit aduerſus magiſtratus ad populum, ſacran doq; cum bonis capite eius, qui regni occupandi conſilia inijſſet. Scrutabamur quid eſſet, ſacrare cum bonis caput. Si enim eruditiorem ſenſum ex recondita hiſtoria proruendum non putes, nec uelut per tranſennam inſpectandum, frigidior Platonis legibus fiet eminentiſſimi auctoris ſententia. Quis enim conſecrationis metu à regni affectatione deterreatur? Aliud ergo ſcitius doctiusq; quærendum. Cõperimus igitur, omnem (ut aiunt) lapidem mouẽtes, apud Halicarnaſeum Dionyſium de clientum & patronorum iure ad hunc modum libro Romanarum antiquitatum ſecundo: Communiter, inquit, utriſq; neq; pium neq; fas erat, accuſare ſe inuicem, nec contra teſtimonium dicere, nec ſuffragium aduerſum ferre, nec cum inimicis adnumerari, quod ſi quid horum quis feciſſe argueretur, lege proditionis tenebatur, quam Romulus ſanxerat: deprehenſum autem ſi quis uellet occidere, pium erat, tanquam Iouis inferni hoſtiam. Inde enim Romani, quos uellent hac pœna mori, eorum corpora deorum cuipiam, præcipueq; manibus dicabant. Hæc Dionyſius. Quòd ſi curioſior aliquis & amplius introſpiciendam excutiendamq; putet hiſtoriam hanc, & noſſe cupiat: quid ita, diſs dicatos occidendi, cuiuslibet pontificiũ foret: id utiq; ex Dionyſio perlici nequit. Nos autem ita obſeruauimus, Cætera quidem ſacra uiolari fuiſſe nefas: hominem uerò ſacrum occidere fas. Eius ratio hæc: ueteribus is erat deorum metus & obſeruantia, ut illis ſacrum dicatumq; animal prorſus in ſuis finibus eſſe, haud paterentur. Sed ad deorum abigerent loca, quibus id ſacrum foret. Animas uerò huiuſmodi ſacratorũ hominũ, quos ζοανας Græci uocant, diſs debitas omnino exiſtimabãt. Sed eas in cælum mitti à ſe poſſe, & ad deos, ad quos iam pertinerẽt, alia ratione nulla uidebant, niſi corpore uiduatas. Igitur primo quoq; tempore, ut irent, eiuſmodi hominem interficiendi cuilibet erat arbitrium. Morem hunc, uetuſtatis prudentiſſimus Maro expreſſit in Haleſo, de quo paulo mox oppetituro ita ſcribit, Iniecere manum Parcæ, teliſq; ſacrarunt Euandri: in quo item diuini humaniq; iuris proprietatem eſſe exequutum, adnotauit Macrobius. Quippe ex manus iniectione mancipium deſignauit. Et ſacrationis uocabulo diuini iuris obſeruantiam impleuit. Ritum præterea hunc ſacratarum legum nomen inſinuat, quas inde nuncupatas Pompeio Feſto credimus, quòd ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet cum familia pecuniaq;. Sacratæ legis mentio eſt apud T. Liuium in tribunorum creatione libro ſecundo. Sed idem libro quarto, legem ſacratam apud Volſcos & Equos uim fuiſſe maximam ſcribit cogendæ militiæ. Meminit & nono libro. Cæterum quia paulo antè zoanas dici hoſce homines ſignificauimus, prætereundum illud minimè duximus: Seruium Aeneidos commẽtario quarto ita prodere, Delubrum, inquit, etiam ligneum ſimulacrum dicimus, à libro, id eſt raſo ligno, quod Græcè ζοανον dicitur: alij xoana malunt ſcribere, ſicut Apollonius Argonauticon quarto, ἢ ὅτε μὼ τόματα ξόανα ῥέῃ ἱδρώοντα ἄμαπι. hoc eſt, uel quando automata ſimulacra fluant exſudantia cruorem. Et Sudas, xoanon, ſtatuam interpretatur & idolum, ἀπὸ τοῦ ξέω, ut inquit Euſtathius: atq; zodion, id eſt animal paruum. Sed enim ab eruditis ſimulacrorum rationem diſtingui ad hunc ferè modum comperi, ut ſapientibus excitata nuncupentur ἀγαλλα, id eſt icela: quæ benè merentibus, bretea. Nam ecmagia, id eſt ἐκμαγεῖα expreſſiores ſunt ſtatuæ, quod genus in pictura icones ſunt. regum andriantes habentur: ſicut deorum creduntur idola, heroum xoana: quamuis

omnibus quandoq; communis hæc fuerit appellatio, in primisq; numinum Aegyptiorum. Agalmata Homero ſunt templorum ornamẽta omnia, inſequens ætas pro ſtatuis eſt interpretata, quibus præcipuè omnia excolantur. Zizanion uerò, cuius in ſanctis literis mentio frequens, lollium quidem eſt, ſi Sudæ credimus, id eſt æra, ſiue ἄερα. Magnus Baſilius in Hexaemero diſparaſſe uidetur, quum ait, Nam id quod lollium appellatur, cæteraq; adulterina ſemina, quæ ſeſe cum eſculentis miſcere ſolent, quæq; ſcriptura nuncupare zizania conſueuit, nõ tritico mutato, ſed ex origine ſua principioq; naſcuntur, propriumq; ſuum obtinent genus. Xanion inter coquinaria eſt inſtrumenta Pollucí. Nam philoſopho Platoni ars filandi xanticè uocatur. Fuere in Olympia Iouis ſimulacra, quæ ab indigenis uocarentur ζαῦδι, fortè quia ζαῦ dicitur Iupiter. Excitata uerò traduntur ex mulctatitia pecunia, quæ foret athletis irrogata, qui largitione corruptis aduerſarijs, aut quia intra præſcriptum tempus, uel, ut Græci dicunt, ἐπὶ πεντεκαιδεκάτου, non aduenijſſent, Agonem olympicum cõtumeliæ habuiſſe uiſi forent. Eupolum Theſſalum ferunt primum ſubijſſe mulctam, quod aduerſarios pyctas erogatis deliniuiſſet nummis, damnati & qui pecunias accepiſſent, Reſecrare iterum ſacra obire nobis indicat Ammianus, Quibus uiſis exclamauit indignatus acriter Iulianus, Iouemq; teſtatus eſt, nulla Marti iam ſacra facturum. Nec reſecrauit celeri morte præreptus. At Feſtus: Reſecrare, inquit, eſt religione abſoluere: utiq; quum reus populum comitijs orauerat per deos, ut eo periculo liberaretur: iubebat magiſtratus, eum reſecrare. Plautus Aululariæ,

Reſecro mater quod dudum obſecraueram.

Sacri epithetõ uariè adijci rebus. De ſacro piſce. Hycca piſcis. Sturio. Aoriſtos & atomos terra. Sacramento cõtendere. Aſpirationis natura. Gellij codex emaculatur & explicatur. Cap. XII

QVia uerò de ſacri uocabulo mentio nobis eſt, id commonendi ſumus quod Apollonij interpretes memoriæ mandarunt, ſuper Argonauticorũ primo, in eo poetæ uerſiculo,

ἱερὴ δὲ φατίζεται, ἥ θ' ἑπτατείρη.

id eſt, ſacra etiamnum dicitur petra hæc. Per euphemiſmũ, inquiunt, magnæ ſiquidem affectiones ἱερὰς καὶ καλάς, id eſt ſacræ pulchræq; nuncupantur: ſicut Erinnyas Eumenidas dicunt, & peſtilentem lepram ſacrum morbum: ut apud Callimachum,

Ψυδρὸν δ' ἱερὸν φημίζομεν.

Vnde & in noſtris literis apud Maronem, Sacram dici famem, coniectamus: ſic & tripodas ſacros, pro magnis, de Græca dicendi figura: nam & ἱερὸν ἰχθύν, magnum piſcem interpretantur gloſſographi: ut Iliados Rhapſodia decima prodit Euſtathius. & auctor comprobat Athenæus, quamuis Pompilum quidam etiam intellexerint. Plutarchus in commẽtariolo, quo ſtudioſe quæritur, Vtris maior inſit prudentia, terreſtribus an aquaticis: Anthiam piſcem (inquit) Homerus, ἱερὸν ἰχθύν dixit: & magnum quidem intelligunt nonnulli, ueluti ſacrum os, magnum intelligimus, ac Sacram uim Alcinoi. Epilepſiam, grauem morbum, ἱερὸν uocant. Alijs uerò magis placet communi ratione, τὸν ἄφορον καὶ ἀέμνονον interpretari, tanquam emeritum dicas dimiſſumq;, ſicut ſacrum dicimus bouem. Scribit ſexto Bibliotheces Diodorus, in Arethuſa fonte ſacros haberi piſces, ut qui ſint hominibus intacti. Quidam ellopa malunt accipere, inuentu enim rarus eſt, nec capi facilis, apparere autem circa Pamphyliam ſæpe. Plures de anthia dici uolunt, quod ubi compertus is fuerit, nulla ibi inueniatur beſtia malefica, quo nomine innatare ſecuros ſpongotheras, id eſt ſpongiatores ſiue urinantes: hæc Plutarchus: à quo non diſſultat De animalium hiſtorijs nono Ariſtoteles. Plinius nerò: Certiſſima eſt, inquit, ſecuritas uidiſſe planos piſces, quia nunquam ſunt, ubi maleficæ beſtiæ. Qua de cauſa, urinantes ſacros appellant eos. Verſus autem Homeri de ſacro piſce, quos aduocauit Plutarchus, leguntur Iliados ſextodecimo,

ὡς ὅτε τὶς φῶς
πέτρῃ ἐπὶ προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθύν
ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ ἄνοπι χαλκῷ,
ὡς εἵλκε.

Auctor Athenæus eſt, in Telchiniaca hiſtoria, quiſquis eius fuerit cõditor, ſacros dici piſces Delphina & Pompilum. Eſſe uerò hunc eroticum animal

mal,ut quod ex Vranio cruore ſimul cum Venere credatur natum:non Neptuno modo carum,ſed & Samothracum diſs:quo argumẽto,Epopeus piſcator, quum ab huius piſcitij captura eſitationeq́ abſtinuiſſet minus,ab irruente ceto deuoratus periit.Extat Corinnæ poemation,quod tamen an ex eius officina prodierit, ambigũt multi, in quo pompili mẽtio eſt,qui nautis cenſeatur felix.Sunt qui ex homine deformatum piſcem pompilum opinentur:quod ſcribit Apollonius Rhodius. In Berenice Theocritus leucum, piſcem ſacrum dicit.At in Galatea Callimachus chryſophryn. In Epigrammatis idem,hyccam,ſacrum uocat piſcem, θεὸς δὲ οἱ ἱερὸς ὕκκης. Ab hoc genus piſce in Sicilia ciuitatem haud ita magnam dici Hyccara, ſcribit Timæus, quod illuc primum appulſi piſcitium hoc inuenerint ἐγκυον,id eſt in utero geſtans.Zenodotus erythrinum dici piſcem hyccam ab Cyrenæis arbitratur. Hermippus autem Smyrnæus eſſe putat iulida,difficulter autem capi.Sunt ex noſtris, qui ſturionem in Italia nũcupari putent: quem nunc tribus nominibus Græci ſale inueterantes condiant, rhachinq́ dorſi portionem nominent:quo argumento,ſchinalem nos uocitemus, pleuram uerò coſtas & latera.Hypocœlium deniq́ aluum cum pube. Hyccam,ſiue hyſcam Latinè interpretãtur porculum. Cæterum in hac ſacri piſcis mentione,ſuccurrit, reſtituamus A.Gellij codicem ex ſecundo Noctium Atticarum,ubi de aſpirationis ratione diſſerens:Atq́,inquit,id uidentur feciſſe ſtudio & exemplo linguæ Atticæ: ſatis notũ eſt, Atticos ἰχθὺν ἕρον, id eſt piſcem pauperem:multa itidem alia, citra morem gentium Græciæ cæterarum,inſpirantis primæ literæ dixiſſe.Ego malim hac parte, ἰχθὺν ἱερόν, id eſt piſcem ſacrum, legere,ex iſs quæ adnotauimus hactenus. Nam ne quis inde diuerſum aucupetur argumentum,tralatio illa nihili prorſum facienda eſt, neq́ ex Gellij officina eſt: ſicuti neq́ item aliæ.Additam uerò ſacri piſcis appellationi flatilem potiſſimum coniecto,ut uocis firmitate ac robore ipſam rei exprimerent excellentiam, quando & inde ſacri adiectio facta eſt,ut præmonuimus,ex nõnullorum ſententia. ſic & anchoram dicebant ſacram,ut præcellentem peropportunamq́:cuius eſt mentio frequẽs Luciano. Piſcis ſacri meminit item Euſtathius,ubi ait, adnotatum grammaticis, hierea corripere primam:at quum dicimus, ἱερὸν ἰχθὺν produci. Aut ſi ad ſtomachum Lynceis minus hoc facit,ſuppungendo diſparatè legas, ἰχθὺν, ἷρον: ut duorum exempla nominum appoſita intelligamus,quæ à Græcis alijs pſilem admittẽtia, apud Atticos craſſiorem agnoſcant notam.Irus autem ex carmine Homerico inopia notiſſimus. Eſt ſentẽtia quoque tertia,quæ & arridet amplius,ut uerior congruẽtiorq́,ut legamus ἰχθυήρὸν, & flatilem recipiat ῾. Signat autem id uerbum, piſcarium:nam & Ariſtophanes, πινακίσκους οὖν ἰχθυήρούς, id eſt ſcutellas appellat piſcarias.Conſimiliter ταὼς,ſpiritum admittit inter α & ω. De quo more mentio eſt Athenæo quoq́ libro nono,ubi ait, fieri præter rationem,ut in iſs quæ ſupra ſyllabam ſunt apud Atticos, & Ionas ultima flatilẽ admittat,quæ à uocali incipiat:omnino enim exilis ſeruatur,ut νεώς,ταωδἀρεως: quum enim aſpiratio natura ſit philarchos ultimis non inclinatur.Illa uerò Gellij uerba: Inſpirantis primæ literæ,non ad Atticos refero, ſed ad Græciam potius, quæ dictionum initijs aſpirare conſueuit,mediis uocalibus nunquam, proinde aſpiratio dicitur ab illa φίλαξ-χθ- καὶ ἡγεμονικὴ τῶ φύσιν. Porrò Seleuci auctoritate ipſum hoc aſtruitur in quinto De Helleniſmo. A quo & illud obſeruatione dignum traditur: Athenienſes aſpirationis natura amplius perpenſa, illam uocalibus uelut apicem non ſuperponere, uti accentiunculas alias,ſed præponere potius.Quin & ueteres, inquit,opinor flatilem per ῾ conformaſſe:quo argumento Romani quoq́ aſpirandis initijs eadem utuntur figura, eius inuentes τὸ ἡγεμονικόν. De ſacro autem oſſe in hominis ratione dicta à nobis plura ſunt. Illud adijciam nunc: eſſe qui coniectent, non tam de magnitudine fluxiſſe nuncupationem,quàm quod diis offerri ſoleret.Ex quo & Menander, οἱ δὲ τῶ ὀσφῦ ἄκρα θύσαντες.Quod de morbo ſacro attulimus,nil eſt quod diſſultantes miremur ſententias,quando nec deſunt qui appellatione eiuſmodi ſacrum intelligant ignem. Heraclitus uerò arrogantiam,ſacrum nuncupauit morbum,uel quia præſtãtiſſimus quiſque ea in primis peſte implicetur: uel quia ultima rerum linea,mors, afferre medelam ualeat. Sacrum ſilentium legimus apud Martianum. Sacrum muricem apud Iuris peritos ideo dici opinantur nonnulli,quia eo inficerentur ueſtes imperatoriæ. Sacra uia

Athenis,id est ἱερὰ ὁδός: cuius in Apologia meminit Isæus, ut Pausaniam prætream: Erat,ut inquit Harpocratio,qua mystæ pergebãt Athenis Eleusina. Polemo integrũ conscripsit librum De uia sacra,cuius etiam Cratinus mentionem habet. Romæ item sacra fuit uia,ut Liuius quoq; notatum reliquit: caput eius erat à Sereniæ sacello,ducebatq; in arcem. Sacra quotquot mensibus ea illuc ferebãtur: perq; eam augures ex arce profecti solebant inaugurare. Pompeius tamen Festus,ideo sacram dici putauit, quod in ea ictum fœdus sit inter Romulum & Tatium,quod & Dionysius fere comprobat. Sacram quidem dixit Homerus Theben. Sed nec ea magis,quàm ciuitas quælibet apposito eiusmodi ualet ornari,quòd intus qui sunt,custodiat, quæ res censeri diuina debet. Proinde Homerus,eos qui noctu excubent in castris, ἱερὸν τέλος φυλάκων nuncupat,& alibi sacros dicit muros. Sic & in Odyssea,Sacram dici Troiæ ciuitatem adhuc tauimus,& sacram terram apud Sophoclem,id est γῆν ἱερὰν. quin & sacrilegi loco censetur,qui struendæ causa domus,ciuitatis mœnia sit demolitus. Theram insulam dicit à Pindaro sacram,memorant ex terræ proprietate, quod etiam si pumicosa est, fœcunda comperiatur tamen,ac πολυφόρος καὶ πολύκαρπος. Sicyonem quoq; nuncupari sacram,legas interdum: id uerò illuc referendum,sanciunt,quod inibi fuerit ciuitas Mecone,id est μηκώνη, in qua honores distribuerint dij: quod significat Hesiodus,

καὶ γὰρ δὴ τότε κεῖνον θεοὶ θνητοὶ τ' ἄνθρωποι
Μηκώνῃ.

Sed & Callimachus Meconem appellat μακάρων ἕδραν, id est beatorum sedem. Sacrum diem positum apud Græcos legimus, pro parte ea quæ à matutino tempore porrigitur ad meridiem, quo tempore dijs cælestibus rem diuinam obire,uetustissimi moris fuit. Manibus operabantur,sole iam uergente in occasum. Sacrã triremem Demosthenes Philippica nuncupat quarta, quum ait, καὶ τῶν ἱερῶν ἐκ τῆς χώρας ὤχου ἔχων τριήρη. Glossographi paralum intelligunt. Lego sacras triremes pluribus distinctas cognominibus,Paralon,Salaminiam,Antigonida,Demetriadem: mittebantur ad Imperatores hæ,& ad id genus usus cæteros. Cæterum quia scribit Thucydides,ad Alcibiadem missam ab Athenienſibus Salaminiam, uidetur nauis hæc solita ducere,qui accerserentur ad iudiciũ. Paralus autem sacris destinabatur,de qua forte intellexit etiam Plato in Phedonis principio. Vtranq; harum & bello nauali peraccommodam significat idem Thucydides libro tertio. A Salaminium facete nũcupat in Batrachis Aristophanes ἀθαλασσήτην, id est maris imperitũ, uel à nauibus hac, uel à prælio circa Salaminem gesto. Sed & triremem sacram Smyrnæi mense Nouembri mittebant εἰς ἀγοράν, ut in Polemone Philostratus inquit. Eam Dionysii sacerdos soluentem dirigebat,gubernatoris uice. Sacrum quoq; bellum reperias in ueteribus memorijs,& apud Eustathium in secũdam Iliados rhapsodiam. Id uerò non dicitur, quia magnum uel execrabile,ut impolitiores fortasse aliqui, & uetustatis infrequentes censuerint: sed quia pro Delphico gestum oraculo à Lacedæmonijs aduersum Phocenses est, qui id sibi uendicare satagebant,Athenienſibus quoq; ad partes uocatis. Meminit historia prima Thucydides, Λακεδαιμόνιοι δὲ μετὰ ταῦτα τὸν ἱερὸν καλούμενον πόλεμον ἐξεπολέμησαν, καὶ κρατήσαντες τῷ μὲν δελφοῖς ἱερὸν, παρέδοσαν δελφοῖς. Eius uerò belli quæ fuerit origo,docebit quinto Politicorũ Aristoteles: sed & Diodorus eo libro, quo Philippi Macedonis gesta cõplectitur. Gesserant tamen Athenienses ijdem alterum prius bellum,quod & ipsum sacri cognomento est insignitum,cõtra Bœotios pro Phocensibus,quibus illi oraculi ius auferre nitebantur: unde & πόλεμος φωκικὸς dicebatur,ut in Messeniacis rebus Pausanias scribit. Historiam uerò sacri belli qui nosse plenius cupit,Plethonem adeat: is enim historiarum secundo id explicat copiosè,meminit & in libro De claris mulieribus Plutarchus. Sed enim quia non semel aduocationem nobis præstitit Thucydides: quid est,quod conditor nobilissimus terram quandam uocat sacram,& aoriston libri primi fine? Obseruauimus ex Græco penu, terrã inter Megara & Athenas antiquis dictam fuisse sacram, quod deabus,quas Eleusinias uocabãt, foret dicata,quam etiam quod inculta prorsus iaceret, ἄοεισον appellat historicus, ut quæ nullis foret distincta collimitijs. ἄοεισος enim est, μὴ ἔχουσα ὅρους, μηδὲ περιμιλήν. ἡ γὰρ περιμιλήν ὅρους ἔχει, ἃ τε οὖσα μεμερισμένη. hoc est, aoristus uocatur terminos nõ habens,nec fata: quæ enim seritur,limites agnoscit suos,ut quæ confusanea non sit,sed

sit,sed partiliter distributa. In Trachinijs Sophocles atomon Oetes pratū uocat, quod dicatum dijs intelligunt, ac incultum, uelut minime incisum. Id genus orgada uocant quoq;.Sacerdos uero dicitur quidem Græcè hiereus,id est ἱερεύς: ut apud Homerum, χρύσης ἱερεὺς ἀπόλλωνος. Sed & eo nomine intelligitur quandoq; is, qui extorum inspectione futura uaticinatur:ut apud eundem,

ἄλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα.

Sacra uero decreta, quum dici audis, Amphictyonica intellige. Nam & sacrum consessum non temerè dici alium obseruauimus, quàm Amphictyonū, de quibus Strabo multa.Quoniam uero de sacris diu iam commeminimus,non transiliamus,scitu ac obseruatione dignum, Eisdem initiatos sacris scitè admodum atq; concinnè dici consueſse,qui unanimiter & conspiranter ad scopum nituntur eundem ac umbilicum.apertius hoc fiet,si T.Liuij uerba subiecero ex uigesimosecundo conditæ Vrbis. Nam plebeios inquit,nobiles iam eisdem initiatos sacris esse, & contenere plebem, ex quo contemni desierint à patribus,cœpisse.Ilios sacra, præter id quod astruximus, etiam dici creditur ob sacrificiorū frequentiam. Argumento esse possunt festa quoq; inibi celebrata olim, Iliea,id est τὰ ἰλίεια. Ex calamitatum uero crebritate profluxit religionis nexus, dictan te prouerbio, ἀεὶ ἰλίῳ κακά, Ilio adsunt semper mala. Sacramento contendere quid sit apud Ciceronem De oratore primo, & Maximum Valerium libro septimo, enucleauit Romanorum scientissimus Varro,fragmentorum linguæ Latinæ secundo, Qui petebat,inquit,quicq; inficiabatur, de rebus alijs utricq; quingentos æris ad pontem deponebant,de alijs item rebus certum numerum assium: qui uero iudicio uicerat,suum sacramentum à sacro auferebat,uicti ad ærarium redibant.

Helenes & Eriphyles segmenta dominis fuisse exitialia,perinde ac equus fuerit Seianus. Caput XIII

DElphici oraculi nobilitatem in terra Græcia nemo non nouit:opulentissimū id erat, quando illuc confertim à regibus & populis præpotentibus congerebantur dona,unde Delphici thesauri auctoribus celebrati. Lateres aureos centum & uiginti à Crœso dicatos, ibidem uisitari solitos, scribit Plethon. Sed & antiquæ nobilitatis fœminas Helenam atq; Eriphylen pretiosa segmēta eidem affixisse templo,compertū habemus,siue Alcmæon fuerit,ac Menelaus: sicuti auctor Athenæus est.Quæ quia sacrilegas admouētibus manus,aut omnino ausis gestare pessimum peperere exitium, prouerbij sibi locum uendicant, non secus ac Tolosanum aurum,itemq; Seianus equus apud Gellium. Historia uero ita habet, sicuti nos perdocet Plethon,ex Diodori historia,libro qui Macedonis Philippi gesta cōplectitur.Bello sacro Delphica pecunia,& quicquid ibi pretiosius erat, magna parte cessit in prædam.Inter reliqua uero ipsa hæc,de quis diximus,segmenta: quæ duorum ex Phocensibus ducum,qui id bellum gerebant,uxores,ut est muliebre ingeniū, auidè oblata arripuere:protinusq; collo circumdedere,ut ipsis tum est uisum,ornamenta præsignia,ut mox docuit euentus,interitū exitialem.Ea siquidem,cui Helenes monile obuenit,turpiter prostituto corpore, pudicitiæ iactura & famæ dispendio, quæ bene sentientibus uita quoq; comparatur, pœnas facinoris perpetrati luisse fertur. Alteram uero crudelior excepit pernicies:nam furētis filij uecordia tectis iniecto igni, uiua exusta est. Plutarchus in sermone De ijs qui serius à numine castigātur, Aristonem fuisse appellatum scribit, cui obtigerit Eriphyles ornamentum, tyrannis contribuentibus. Itemq; fuisse cœtæum & xenagogum,id est peregrini mercenarijq; militis ducem,cuius deinde filius aduersus matrem indignatione concepta,domum succenderit,omnibus qui intus agerent,incendio consumptis. Monilis à Vulcano Veneris delicijs concinnati, Hermionæ mox traditi,deinde Thebanis regnis, quæ omnes pessimè interierint, & postremò ad Eriphylen peruenerit, Thebaidos secundo fabellam concinit Papinius:

Ornatus Argia geris, dirumq; monile,
Hermiones,longa est series, sed nota malorum
Prosequar,unde nouis tam sæua potentia donis.

De auibus quæ dicantur ſcopes, obſeruata quæpiam ex Græcorum monumentis, σκώπτειν uerbum unde inflectatur. Scolopendra. Scopulæ. Scapus in uuis quid. Caput XIIII

SCopes, inquit Plinius, nominantur ab Homero, auium genus, harum ſatyricos motus, quum inſident, pleriſq; memoratos non facile conceperim mente: neq; ipſæ iam aues naſcuntur. Carmen Homeri, quod ſignificat Plinius, Odyſſeæ quinto ſic habet:

σκῶπες ἰρηκές τε, ταωνυλωσοί τε κορῶναι.

Iactatum tamen Atheneus ſcribit, auem hanc ſaltandi ſtudio capi: nam & inde ſaltationis genus dicitur ſcops. Duo eſſe genera inuenio, nam alij nuncupantur ſcopes, alij aiſcopes. Sunt qui apud Homerum copas legere malint, quàm ſcopas, & Ariſtotelem ſic nuncupaſſe. Comparere autem hos perpetuò, nec eſſe eſui. At qui ſe autũno diebus oſtendunt duobus aut uno, in menſam uenire. Sunt ex Græcis, qui ſcopas, bubones interpretentur. Sudas nocturnam eſſe auem dicit. Alexander, ſicuti Theocriti interpres inquit, τὸν σκῶπας ſcripſit, οὐκ ὠτοφρπεῖς εἶναι τῇ φωνῇ. quod eſt, ſcopas eſſe uoce inamœna inſuauiq;. Propterea q; apud Homerum recte ſcribi, σκῶπες ἰρηκές τε. Hanc autem Callimachus ſcribit, uocem ædere perinde ac ὠτοσκώπτουσαν, id eſt cauillantem laceſſentemq;: unde & aui eſſe factum nomen, niſi ab aue potius effingi uerbum malimus, quod certe comprobat Athenæus. Tyrannion uero eſſe ſcopas prodidit nycticoracas, dicíq; tanquam σκιόπας, ὧν σκιᾷ ἔχοντας τὼ ὄπα, quòd in tenebris utcunq; canant. Scopas Theodorus aſiones interpretatur, ſicut ἀσισκῶπας ſemperaſiones. Scolopendra, ad ſcopas pertinet nihil: dicitur tamen ab Nicandro ἀμφικαρής, id eſt dicephalos, ſeu biceps: uerum non eſt, inquit interpres. fictum uero: quoniam retrorſum, ut ſcribit Ariſtoteles, arrepat ſæpius. Scopulæ apud Catonem leguntur notione ab ijs diuerſa: Priuas, inquit, ſcopulas in dolia facito habeas illius rei, quis labra doliorum circumfrices. diminutiuum à ſcopa uidetur. Columella: Feruentiſſima, inquit, pice infuſa, nouo alio rutabulo & ſcopula dolium picatur. Scopos calcatæ uuæ cum folliculis ſubijci prælo, præcipit Varro, qua in parte ſunt qui ſcapos reponant. Nam ut in papauere pars ſemen continens uocatur ſcapus, ſic & in uuis quo grana continentur, eodem cenſetur uocabulo, & ita ferè nuncupatur uulgo.

Quid ſint apud Græcos ſcolia. Inibi adnotatur lapſus interpretis Ariſtophanis. Scolius pes. Scolios cithara. Caput XV

SColia Græci interpretantur συμποτικὰ ἄσματα, id eſt conuiuales cantilenas, quarum meminerit Sympoſiacon tertio Didymus, atque item Horus. Sic uero nuncupari etymologici tradunt, quod uinolenti iam, καὶ σκολιῶς ἔχοντες τὰ διδακτήρια ἄδουσι, id eſt tortuoſis hebetibusq;, ac retuſis ſenſibus ea concinant. Nonnulli ex aduerſo fieri nomenclaturam coniectant, ſiue per obloquutionem, quam dicunt ἀντίφρασιν, quod minus obliqua forent aut tortuoſa, quod ſcolij uocabulum indicat, ſed facilia, ut quæ in conuiuijs canerentur. Id reprehendens Ariſtophanis interpres in Veſpis, poetæ comœdia, Quæ mali ſint nominis, inquit, uerti quidem ad εὐφημότερον, id eſt ad proſperiorem appellationem, ſed non ediuerſo. Hoc uero, quod Græci hominis pace dictum uelim, nec probè traditum ab eo eſt, & liquidò falſum deprehẽditur: ſiquidem in ipſius literis eſt, holoſteon dici herbam, quaſi totam oſſeam, quum tamen præmollis ſit, ac omni prorſum duritia carens: de qua qui plura noſſe cupit, adeat uigeſimũſeptimũ Naturalis hiſtoriæ Plinij. Scolia uero Meliti celebrantur ab eruditis, quæ carica haberent aulemata, hoc eſt incentiones flebiles. Tyrannion commentarium concinnauit De ſcolio metro, Caio Cæſare rogante. Libuit paucula ſubſcribere, ex Timocreontis ſcolio, quod is in Plutum, id eſt diuitiarum deum effudit, exordio tali: ὄφελες, ὦ τυφλὲ πλούτε, ἢν γῇ, μήτε ἢν θαλάττῃ, μήτε ἢν ἠπείρῳ χανήμεναι, ἀλλὰ ταρτάρου τε ναίειν, κ' ἀχέροντα, ὅθ' σὲ γὰρ πάντ' ἀνθρώποις κακά. id eſt, Vtinam, ó cæce Plute, in terra, nec in mari, nec in continente apparuiſſes unquam, ſed Tartari perpetuus fuiſſes incola & Acherontis: ex te nanq; omnia hominibus mala. Scitu uero dignum eſt, ad ſcolij huius imaginem compoſitum à Pericle in Megarenſes decretum: Μεγαρέας μήτ' ἀγορᾶς, μήτε θαλάττης, μήτ' ἠπείρου μετέχειν.

Scoliorum

Scoliorum meminit Sympoſiacon primo Plutarchus. Sed & Admeti ſcolion Athenis celebratum, in Lexico Pauſanias ſcribit: idq; ab Alcæo concinnatum alios tradere, quoſdam uero à Sappho: fuiſſe quinetiam, qui Praxillæ Sicyoniæ eſſe opus crederent. Eius uero ſcolij initium erat hoc:

ἀλλ' ἄτου λόγῳ, ὦ ἑταῖρε, μαθὼν, σὺ ἀγαθοὺς φίλει;
τοὺς δειλοὺς δ' ἀπέχου, γνοὺς, ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.

Admeti, ô Amice, ratione percognita, bonos & generoſos ama: timidos autem miſſos facias, ſciens optime, exiguam eſſe timidorum gratiam. Reſpicit autem ſcolion Alceſtin generoſam mariti ſubeuntem fata, Admeti uero patrẽ obire prorſum recuſantem. Amphibrachum pedem, qui breui conſtat, longa & breui, etiam ſcolion dictum animaduerto, quoniam aptè concinnetur ſcolio. Citharæ ea ſpecies eſt.

Emaculatur exponiturq; Ciceronis locus in Epiſtola ad Fabium Gallum de Cepio. Mœcenatis hiſtoria lepidior. Itẽ cur ibidem Sardinia peſtilens dicatur. Aquarioli qui ſint. De Salacone plura. Saulum quid. Caput XVI

CIcero ad Fabium Gallum ſeptimo Familiarium epiſtolarum ſcribens: Amo, inquit, uoluntatem: ſed pauca de re, citius (opinor) olim, non omnibus dormio: ſic ego, non omnibus, mi Galle, ſeruio. Hæc Cicero. In cuius loci enarratione, deus bone, in quæ delyramẽta iam irroborata fibrataq; procurrunt, qui locum mendoſum ne ſuſpicantur quidem, nec omnino remotiorem uidentur odorati hiſtoriam, quamuis à grammaticis quadamtenus illuſtratam. Igitur meo periculo, fremant licet noſtrates Lyncei: quorum buccæ nunquam non typho crepant, etiam ſi plurimum nugas terunt, quas tamen cornutas rentur ſcioli in ſuo ſibi oſcitantes piſtrino: Ciceronis ſtudioſi ſic legent atq; interpretabuntur, Amo uoluntatem, ſed pauca de re. Cepius, opinor, olim, Non omnibus dormio: ſic ego non omnibus ſeruio. Senſus autem hic: Cepius, inquit, niſi memoria labor, olim dicebat, Non omnibus dormio. Nam Pompeius Feſtus ad uerbum ferè ita ſcribit, Non omnibus dormio: natum uidetur à Cepio quodam, qui pararhenchon dictus eſt, quòd dormiẽtem ſimularet, quo impunitius uxor mœcharetur: cuius etiam Lucilius meminerit. Ad quem ſenſum illud ſatyricum interpretantur grammatici,

Doctus & ad calicem uigilanti ſtertere naſo.

In quo tamen loco ſunt, qui uigilantem naſum pro ſonanti, & rhonchis obſtrepero accipiant, nulla huius hiſtoriæ habita ratione: quoniam in Milite Plautus quoq; feſtiuiter, & ſcitè admodum ita ſcribat: An dormit Sceledrus intus?

Non naſo quidem, nam eo magnum clamat.

Legimus uero & in Græco penu pertinentem ad hoc ipſum hiſtoriam. Quippe Mœcenatem conuiuio exceperat Cabbas quidam (ut uidetur) ridicularius. procedente potu, ubi ex nutibus renutibusq; in uxorculæ amorem prolapſum uidit Mœcenatẽ, adq; illam procliuius adlubeſcere, caput ceu dormiturus proclinauit. Accedẽte uero imprudentius ſeruo, ac uinum ſuſtollente, placidè inſuſurrauit is, κακόδαιμον, οὐκ οἶδας, ὅτι μόνῳ μοικῳνῷ καθεύδω. id eſt, Infelix, an ignoras, quia ſoli Mœcenati dormio. Qua in parte adnotandum, per œ diphthongum in Græco exemplari exaratum Mœcenatis nomen, & ſi æ malint alij, quod marmora comprobant peruetuſta. Porrò aquariolos inuenio dici, qui uxoris ſtupra æquo animo patiuntur. Apuleius in Magia: Hiſce auditis, exacerbatus aquariolus iſte uxoris ſuæ, ita ira extumuit, ita exarſit furore, ut in fœminam ſanctiſſimam digna cubiculo ſuo diceret. Aquarioli autem Feſto dicuntur mulierum impudicarum ſordidi adſeclæ. Aqualiculum uero de uentre dici, indicat illud Hieronymi: alius tumenti aqualiculo mortem parturit. Quod autem Tigellium epiſtola eadem patria ſua peſtilentiorem dicit Cicero, ad Sardiniam quidem referendum putant: ſed peſtilentem intelligunt propter Salpugam formicæ genus uenenatum & Sardoniam herbam. Ego ad aerem noxiũ referri oportere contenderim, quod ut credam, facit L. Florus, quum ait, Sardiniam peſtilentem ſortitus. Sed & Valerius Martialis eleganti epigrammate hoc ipſum comprobat apertiſſimè,

Nullo fata loco poſſis excludere, quum mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia eſt.

Sed &

Sed & Silius Italicus etiamnum apertius, ut hæſitaſſe iam pudeat:

Serpentum tellus pura ac uiduata ueneno,
Sed triſtis cælo, & multa uitiata palude.

Ad ea uero, quæ de Salacone dicuntur epiſtola eadem, amplius ſciendum, Salaconem fuiſſe Autolyci patrem, molliculum quendam & delicijs diffluentem defamatumq; propterea in Veſpis Ariſtophanes, τρυφερόν τι διασαλακώνισον. Sed & in quadam epiſtola Menander ad Glyceram, οἶδα γάρ μου τὰς σωθείσας ἀδρύτειας, ἃς οἱ μὲν φιλοῦντες μετρυφὰς καὶ σαλακωνίας καλεῖν εἰώθασιν. hoc eſt, conſuetam mihi imbecillitatem noſti, quam qui me minus amant, delicias uocant & ſalaconias. Ariſtoteles in Rhetoricis à delicato diſparare ſalaconem uidetur: nam diuitum mores exprimens, eos eſſe ait trypheros, id eſt delicioſos & ſalaconas. Et trypheros quidē ob delicias & felicitatis oſtentationem: ſalaconas autem & ſolœcos, quia inſueuerint omnes circa id quod amāt, immorari, quodq; admirātur, ac putare eiſdem cæteros affici, quibus ipſi. Quidam porrò deflexum inde uerbum σαλακωνίζειν exponunt, τὸν πρωκτὸν ἀσχρῶς κινεῖν, id eſt ſedem parum decorè agitare, quod nos ceuere dicimus: id & σαυλοπρωκτιᾶν dicere Ariſtophanes uidetur: σαῦλον enim dicunt, uitioſum fluxumq;.

Inſequentis ad Gallum epiſtolæ obſcuritatum nonnullarum enarratio. Magiſtrum pro dictatore inibi poſitum. Archimagirus. Locus item ex epiſtola Seruij Sulpitij libro Familiarium quarto, Supra Maias: quum Maleas, legendum ſit. Caput XVII

IT quia in Ciceronis epiſtolas peruenimus, in quibus pleraq; reconditam habēt doctrinā: proindeq; illotis, quod dicitur, non adeunda pedibus, nec populari trutina, ſed aurificis ſtatera examināda, ſubtexemus inſequentiū literarū obſcuriora nōnulla: ab uertice, quod dicitur, ferè ad unguē extremum, quæ Deliū requirere natatorē imperitioribus uidētur fortè, lucemq; pro uirili inferemus. Sed heus tu, inquit, manū de tabula: magiſter adeſt citius, quàm putaramus. Deſinamus, inquit, Cæſarem laceſſere: diſcriminis haud parum ingruit abeo, qui præter quàm fueramus opinati, & præcinctura monere uidebatur, dictaturam arripuit. Vnus denicq; eſt omnia, isq; eſt ſine prouocatione magiſtratus, nec uſquam præſidij ſpes, niſi in cura parendi. Sum ueritus, ne ſi liberè, ac Catonis more mentē noſtram retegere perrexerimus, in Catonium contrudamur, id eſt in euidens præcipitemur exitium. Id ipſum ſcripſerat ad Ciceronem Gallus, ut ſtilo parceret, nec Cæſarem iritaret. Hoc etenim illa uerba ſignificant. Videris enim mihi uereri, ne, ſi iſtum habuerimus: ſic enim legendum eſt, id eſt, Si Cæſarem proſciderimus, & epiſtolarum argumentum ab eo duxerimus, rideamus γέλωτα σαρδώνιον: id eſt, dum illum ridemus, ipſi pereamus. Quod uero magiſtrum pro dictatore accipiamus, fortè ridiculum ſciolis haud ita multa uerſantibus uideatur. Id ſi uſu ueniat, non utiq; ἐγκαίνια ducendum. Cæterum ſcribit Seneca, eum quem modo dictatorem dicimus & in hiſtorijs ita nominari lectitamus, apud antiquos magiſtrum populi uocatum, & id in libris adnotatum auguralibus, & locis duobus, teſtatur Varro: docent & Pompeij Feſti fragmenta. Præterea eſſe argumento, quòd qui ab illo nominabatur, magiſter equitum erat, & dicebatur. Porrò Titus quoq; Liuius dictatorem refert moderatorem atq; magiſtrum conſulibus appoſitum. Sed De finibus item tertio libro, de ſapiente, Rectius, inquit, appellabitur magiſter populi (is enim eſt dictator) quàm Sylla, qui trium peſtiferorum uitiorū, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis, magiſter fuit. Ratione quoq; conſimili uigeſimo & primo libro Ammianus Marcellinus Agilionem nuncupat magiſtrum peditum. Sed alibi ab eodem, Romanus celebratur quidam armorum magiſter. Fuit & officiorum magiſter. Idem Ammianus Equitiū Illyriciano præpoſitū exercitui nondum fuiſſe magiſtrum, ſed comitem, tradit. Archimagirum ſanctæ literæ, Hieronymo interprete in libro Hebraicarum traditionum in Geneſim, pro exercitus magiſtro accipiunt: quia μαγειρεῖον occidere eſt. Aliàs coquorum principem indicat uerbū id. Recte ergo Cicero ait, Sed heus tu, manū de tabula, magiſter adeſt. Quod eum habet ſenſum, ne hoc quidem fortaſſis recte ſcribo, non eſſe diſtringendum ſtilum in Cęſarem: nam ſi hoc feciſſe ſignificarimus, uerendum eſt, ne libertas nimia fraudi ſit, ac in mortem trudat. Siquidem Catonium

tonium pro inferis recte poni, ex Laberio comprobauit Gellius Noctium Atticarum libro sextodecimo, etiam si inter sordida obsoletaq; ac maculantia, id esse uocabulum putat. Nec eo uerbo esset usus orator, nisi de industria ex obscuritate iocum captasset. Quod uero est in Epistolæ calce ita legendum est: Vrgeo igitur nec transuersum unguem, quod aiunt, à stilo, is enim est dicendi opifex. Atque equidem aliquantum iam etiam noctis assumo. Ego, inquit, ad syntaxin & compositionem totum me dedi: festinoq; ita, ut mihi ipse otium negem. à stilo enim, id est à scribendo, & de ingenij fertilitate quippiam promendo, ne minimum quidem reuellor, quando assiduitas exercitationis dicendi copiam maximam parit. Confirmatur sententia hæc Ciceronis præcepto ex primo De oratore: Caput autem est (inquit) quod, ut uerè dicam, minime facimus, est enim magni laboris, quem pleriq; fugimus, quàm plurimũ scribere: stilus, optimus & præstantissimus dicendi effector atq; magister. Quæ omnia repetens Fabius libro decimo: Vt laboris, inquit, sic utilitatis etiam longè plurimum affert stilus. Nec immeritò M. Tullius hunc optimum effectorem, ac magistrum dicendi uocat. Cui sententiæ personam L. Crassi in disputationibus quæ sunt De oratore assignãdo, iudicium suum cum illius auctoritate coniunxit. Quod uero ad Cæsarem ista referunt enarratores, planè ridiculum est. Illud uero Nec transuersum unguem, intellige Nec minimũ quidem à scribendo recedo sequestrorq;, ut ne unguis quidem aut digiti latitudinem excedam: frequentissima inter eruditos dicendi figura. Plautus in Aulularia,

Si Hercle tu ex isthoc loco
Digitum transuersum aut unguem latum excesseris.

Cicero in Epistolis ad Atticum, A recta conscientia transuersum unguem non oportet discedere. Neq; est à marmorarijs facta tralatio: sunt enim hæc ueluti ægri somnia. Cæterum de ijs satis superq;, quum enim leuicula sint, & mediocris forsan uel ingenij uel doctrinæ: abunde studiosis satisfactum poterat uideri, digito ista commonstrasse. Sunt grauiora multo in Epistolis familiaribus, quæ squalore obsita iacent. Ea nitori suo pro tempore conabimur restituere, ut sciolorum retundatur impudentia, qui uelut Spartiates Demaratus, citarin deposcere nil uerentur, ut regio more per mediam cõspicui turbam ferantur. Nec cogitant, si quis fulmen capere audeat, non tamen futurum Iouem. Sed uel nunc id minus differamus, quod est in Seruij Sulpitij epistola libro quarto, de M. Marcelli morte: Ille (inquit) uti aiebat, supra Maias Italiã uersus nauigaturus erat: legendum, supra Maleas: ut Laconicum intelligas promontorium, cosmographis certatim celebratum, tametsi unitatis numero enuntiant potius: sed in Rufinum Hieronymus Maleas item profert. Quo autem sensu intelligendum Supra Maleas, edocebit Strabo, qui & libro primo, multitudinis numero utitur ea uoce, ἀπὸ μαλεῶν, inquit, ὧν ἀκρωτήριον.

Diætæ notio multiplex. Diarium, diætetæ, dicastæ. Freni partes. Pscllium. Diætarij. Echinus quid. Diætarũ cognomina uaria. Item quid zeta, & zetetæ. Defenditur à calumnia Hermolaus. Sigma quid & unde. St syllaba, silentij nota. Trigon. Trygon, seu pastinaca. Caput XVIII

Diætam pro uiuendi modo ac lege capi, quum alia multa indicio sunt, tum id quod auctore Celso, diætetice medicina inde est appellata, & medicorum scholæ uulgò regulam uictus diætam uocant: sed pro uictu simpliciter accipit Hieronymus, ubi tenuem cibum & castigatum uictum à Græcis nuncupari λεπτὴν δίαιταν, scribit. Notio alioqui dictionis eius Græcis non una est: siquidem dicitur, ἡ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τροφή. id est, dierum singulorum alimentum: diarium Latinè dici ualet. Diæta item iudicium, ut τὸν ἐπὶ γυμνασίοις δίαιταν ἐπίτρεψον ἄλλοις. criminum diætam alijs permitte. Diætetæ tamen ab ijs differebant, qui dicebantur dicastæ, hoc est iudices. Nam arbitros quidam putant recte diætetas appellari: de ijs plura Pollux libro octauo. Horum erat echinus nuncæneus, nunc ex opere figlino, in quem testium dicta conijciebantur: quanquam & interna uentris eo dicuntur nomine, ut inquit Eustathius. Sed & freni pars quædam uocatur echinus: sicut quod circa mentum est, nũcupatur pscllium: quod ori inseritur, chalinus: cuius medium est, henium: post in ambitu dactylij, echini, triboli, quos mandit equus. Sunt item echini, circa manus carpum

pum ornamenta: ſicut pericarpia, & item pſellia ac bubalia. Inuenio echinum item recte dici partem in capitulo Doricæ columnæ, craſſitudo quippe eius trifariam diſtribuitur: una enim portio eſt plinthus cum cymatio. Altera echinus cum annulis. Tertia hypotrachelio contrahitur columnæ. Echinum porrò, ni mendum exemplariũ eſt, per errorem Hexaemeri quinto, dici Ambroſius ſcribit, piſciculum ui inenarrabili maximas nauium, plenis currentes uelis, in mediis fluctibus ita ſiſtentẽ, ut quaſi in mari radicatas uideas, nec moueri. Echinus denique animal eſt uafricia inſigne, quo nomine Naupliũ ex ingenio nimis callido Echinum appellauit Lycophron: dicitur uero echinus & acanthochœrus. Pecten echini uocatur lurecõſultis echini pellis ueſtium deterſui accommode cõcinnata, cuius auctor rei Plinius eſt. Sed redeo, unde ſum digreſſus. Eſt & diæta locus domi, ubi tantum uerſamur, nullo negotio aut uſu. Alij cœnationem etiã eo nomine accipiunt, unde & diætarij miniſtri dicant diætæ deſeruientes, ut apud Iureconſultũ Vlpianũ De fundo inſtructo: q̃uis ſint & ea appellatiõe fures, qui aliena cœnacula furandi gratia penetrant. Alexandriæ regiã diætã ab Antonio ſtructam, prodidit Strabo, quam Timonion nuncuparit, quod Timoniã uitam ſolitariãq; foret acturus poſt actiacam calamitatẽ. Diætis, quod equidẽ ſcitu dignũ arbitror, nomina uaria imponi à ueteribus ſolita, obſeruauimus. Nam Tranquillus hermeum appellatã fuiſſe diætam pronuntiat in Claudio. Alexãder Romanus imperator, ut auctor Lampridius eſt, in palatio diætas ſtruxit nomine Mammeas, quas (inquit) imperitum uulgus hodie ad mammam uocat. Fuit in Baiano item cum ſtagno palatium Mammea nomine. Lucullus, Plutarcho tradente, diætam habuit Apollinis cognomẽto celebratam, ubi ſummo impendio parabantur conuiuia. Inde illa eius uox cantatiſſima, Cœnatur in Apolline. Sed enim & diæta dicitur locus, in quem arbitri conueniunt: qui, ut notauimus, dicuntur diætetæ. Sicut Zeta dici ualet locus, in quo Zetetæ obuerſantur. Erant enim eo nomine Athenis magiſtratus quidam, ad quos referebãtur, qui reipublicæ aliquid deberent, nec ſoluerent. Cæterum haud ſatis mirari ualeo doctiſſimorũ quorundam inſtitutum, qui Theonino dente irruentes in Hermolaum Barbarum, per quem barbaricas uitiligines ſibi deterſit nobiliſſimus Naturalis hiſtoriæ conditor, zetæ uocabulum petulanti cachinno explodere pergunt, aucupantes neſcio quid indictum inſcitumq; ex Priſciano. Proinde pro zeta & zetecula, diætam & diæteculam reponere ſibi permittunt. Sed rogo uos optimi uiri, an excidit Lampridium & Apollinarem Sidonium, & alios præterea eadem uſos uoce? Illorum recenſere uerba non eſt conſilium. Sed rogo, inquam, quid uos deniq; in nomine iſto adeo exagitat? An quod zeta eſt nomen literæ: nec aliud, ut ueteranus ueſter putat, qui apud uos pluris longè eſt, quàm apud Perſam Themiſtocles, ſignificare creditur ferè? Miſſos facio reliquos, tecum ſigna confero, uir doctiſſime: neq; enim nati ad uenena ſumus, neq; hoc nomine uẽdibiliorem me facio, aut gloriolæ flatum capto. Nec id agitur nunc, ut aurea ingenia meis ditare obolis pergam, ſed ſtudioſorũ animos accendimus: & haud ita politis minima quoq; manſa in os inſerimus. Zeta, inquis, litera eſt: ergo nil ſignat aliud? Malè colligis, amice. An non diætetem recte à diæta flecti confiteris? Si inficiaris, uide quæſo, ne tui in te agminatim impetum Græci dent. Si annuis, cur non ratione compari Zetetam à Zeta inclinari concedis? Si uocabulum fortè non agnoſcis, & reum peregrinitatis faciendum putas, lege quæſo Iulium Pollucem: qui ueluti inquiſitores quoſdam, ζητητὰς facit: quoniam τὰ λανθάνοντα ἀνιχνεύουσιν, id eſt quæ latitarent, ſcrutabantur. Lege item Sudam. Sed condonamus iſta. Audi alia: Sigma, an non eſt litera? Eſt. Signat ne aliud? Si hæres, ipſe ſubijciam: Lego non ſemel apud Lampridium, ſigma pro diæta poſitum, ſiue ſtibadio, ſiue cœnatione: unde ſuſpicantur eruditi legendum apud Martialem,

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigna:

Octo capit, ueniat quiſquis amicus erit. Et alibi:

Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.

Porrò unde nam coniectamus appellationem eam profluxiſſe? Erunt ex politioribus, qui à Græci elemẽti figura dici putent, nec fortè ab umbilico aberrarint multum. Conſimiliter & zeta uideri poteſt appellata, ſi quæ Hermolaus ſcribit, minus appetentiam conciliant, quæ tamen mihi ſummè probantur. Verum ſi de Zetetarum loco ſit mentio, à

tio,à Polluce non reuellar, & ab inquirendi uocabulo produci Zetam fatebor, unde mox & Zetetes. Niſi quis cœnationem quoq; ab huius imagine dici, ſuſpicari malit. In fragmentis Cæcilij Minutiani Apuleij De orthographia, ne quid diſſimulem, diætam comperi etiam ziætam dici. Sed dum iſta commentaremur, etymon ſigmatis alterum ſubijt animum. Et pro ingenij captu, ſigma dici poſſe uidebam ab eius elementi titulo, qui foribus ſuperpoſitus foret, qua nota diſcubituris ſilentium indici uidebatur, ut à conuiuio ſurgentes, ſi quid fortè licentius obloquutus foret quiſpiã, uolentes obliuiſcerentur. Notiſſima eſt Plinij cenſoria querela ex quartodecimo Naturalis hiſtoriæ, Alij (inquit) mortifera loquuntur, redituraſq; per iugulum uoces non cõtinent, quàm multis ita interemptis? uulgoq; ueritas iam attributa uino eſt. Valerius item Martialis odiſſe ſcribit memorem compotorem. Quod & Lucianus Plutarchusq; in Sympoſiacis retulere, μισῶ inquit, μνήμονα συμπότου. Sed de tota re alibi ſic:

Accedent ſine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, & nil quod tacuiſſe uelis:
De Praſino conuiua meus, Venetoq; loquatur,
Nec faciant quenquam pocula noſtra reum.

S uerò literam habere ſilentij notam, ne pluribus quidem probandum reor, quando taciturnitatem impetrare cupientes lingua ſonum eiuſmodi, uelut ſibilum, afformamus: quæ & ab hoc ipſo Græcè ſigma creditur appellata, παρὰ τὸ σίζειν. Veteres tamen Latini, S & T ſimul agglutinantes effingebant ſt ſyllabam, quæ ſola (ut Verrius inquit) ſine uocali compacta uidetur, qua & in Phormione Terentius ſit uſus:

Non is obſecro es,
Quem te ſemper dicunt? St. Quid has metuis fores?

Ianuis autem illices (ut ſic dixerim) inſcriptiones, appingi ſolitas, ex Seneca uidemur obſeruaſſe: quum ait, Vbi audierint iſta, audient iſthic hortulos & inſcriptum hortulis, Hoſpes hic benè manebis. Quòd ſi loca huiuſmodi de poſitu, deq; figura dici, plauſibilius uidetur, ſiquidem in ſuo cuiuſq; luco ac fano eſt, ſequi quod amplius arriſerit: ſcire conuenit, ueteres in ædificando uaria figurarum ſcitamenta captaſſe. Quod ut nõ miremur, trigon facit: qui locus triquetro, id eſt triangulo ſchemate ſtrui conſueuerat: in quo item pilæ luſus exercebatur, inde quoq; trigonalis nuncupatæ. Iulius uerò Pollux, trigonum eſſe dicaſterium dicit, quum ait, Celebrata dicaſteria, heliæa, trigonum: cuius meminit Diarchus. Medium parabyſtum, & maius parabyſtum. Porrò trigoni mentionem faciens grãmaticus quidam, Trigonum (inquit) dicaſterium eſt, fortè quia ſchemate foret triangulari. Trygon uerò marina traditur fera letalis præcipuè, adeo ut ſi aculeo truncum arboris percutias, inareſcat protinus. hunc denicq; Vlyſſi necis fuiſſe cauſam tradunt. Et inde ab Nicandro ὀλοφρὸν τρυγόνα nuncupari, ex mutis (quod aiunt) magiſtris didicimus. Trygona noſtri paſtinacam cõuertunt, Ambroſius in Hexaemero etiam turturem: id quàm rectè, uiderint ſtudioſi. In hæc diuertiſſe fertilitatis cauſa, non ſtomachabitur lector candidus: quippe in id omni incumbimus pede, ut noſtra hæc, ſi aliud non ſit, exſucca infructuoſaq;, & (quod dicitur) Agrippo infœcundiora ſaltem non deprehendantur.

Olearum ſpecies aliquot. Emblemata quid. Embolum, probolus, emboli-mus, embadon. Iudicium in Areopago primum. Tollitur ex Plinio obſcuritas. Reorum & accuſatorum argentei lapides. Symmoriæ, ſymmoritæ, ſaci, cytharini. Oleæ ſtrictiuæ, ac caducæ. Thalyſia, ſyncomiſteria, haloa, halos. Thalos quid, & thalophori. Zothalmia. Lactãtij grammatici locus reſtituitur. Hiceteria. Ereſione. Trophæa prima ex olea. Agrippeum quid. Ptoma olearum. Halirrhothij fabella. Olea cur antro Ithacenſi applantata fingatur ab Homero. Sanſæ, Sanſarij, maroſſerij, æſacus, drupa, oleaſtellũ.

Caput XIX

Grippum uerò, ne quis uerbi inſolentia motus, caput protinus ſcabat, Sudas ſylueſtrem oleam apud Laconas ait ſignificare. Eam Græcorũ alij nunc agrielæam uocãt, nunc cotinum: & Gadira inſulam quoq; inde Cotinuſam dici inuenimus, quòd hiſce arboribus abundet locus is: quam rem Coſmo-

graphus docuit. Nam ciuitatum pleræq; ex cauſis huiuſmodi cognomenta traxere, ut in Attica Myrrhinus à myrtorum, quas myrrhinas dicunt, frequentia. Rhamnus item à rhamnis: Ceraſus quoq; in Ponto, eadem eſt ratione nũcupata. Si uerò ſylueſtri oleæ domeſtica inſeratur, fient quæ uocãtur cotinades. In quo obiter ſcitu dignum: urbana omnia ſylueſtribus inſita, dici emblemata. Apud Vlpianum digeſtis Ad exhibendum, Emblema phialæ omnino aliud eſt: meminit Plinius quoq;. Embola uerò ſunt nauigiorum faſtigatæ partes, id eſt proræ: quas & ſimomata dicunt. Quin & in acutum ex lato deſinens ager nuncupari embolus ualet: ut apud Herodotum liquet hiſtoria quarta. Scuti is qui de figura uocatur item Trieris in Lycia prope Arycandam ciuitatem. Embola Plutarcho in Cæſare, roſtra Romani fori ſunt: ut quum ait, καθήμενον ἐπὶ τῶν ἐμβόλων, ſedens pro roſtris. Apud Pindaricos interpretes legiſſe uideor, dici emboli appellatione, lignum ad quod deſtinentur anchoræ. Pindarus,

ἐπεὶ δ' ἐμβόλου λιθέμασαν ἀγκύρας ὕπορθεν.

Probolos in Cæſare uocat Plutarchus ſublicas in Rheni alueo defixas uiolentiæ undarum molliendæ, & delatorum amne ſecundo rapiditati excipiendæ, ne impacta ponti, quid demolirentur. Embolimum menſem intercalarem intelligunt Græci. Eum Plutarchus μηνιγδόνιον dici autumat. Embolimos apud Hippocratem, pueros accipiunt imperfectos. Eſt embolum item aciei ſpecies, id eſt rhombi dimidiũ: & pudenda quoq; eodem cẽſentur nomine. Embadon, id eſt ἐμβαδόν, aream dicit Galenus Therapeutices primo. Sacram oleam legimus appellari Moriam, nomine inde ducto, quod eſſet Palladi cõſecrata, ex qua oleum etiam daretur uincentibus Panathenæa. Nam à cæde morias dixere, quam moron nuncupant, perempto Halirrothio, quem necaſſet Mars Neptuni filium, quòd uim intuliſſet Alcippæ: ut ſcribit Pauſanias: quã ex Agraulo Cecropis ipſe filia ſuſtulerat. Idq; in Areopago iudicium capitis primum narratur peractum. Eius meminit hiſtoria prima Hellanicus, & declamatione pereleganti Libanius eſt perſequutus. Id & Plinius ſignificauit libro ſeptimo: ſed, ut ſolet, breuitatis inuoluit tenebris. Inſequentibus item temporibus ex materna cæde ſubijſſe iudicium Oreſtem ferunt, abſolutumq;, Pallados ἀρείας excitaſſe aram. Dignũ relatu: fuiſſe, in quibus rei accuſatores ue conſiſterent, argẽteos lapides: unum, ὕβρεως dicunt: alterum ἀναιδείας, id eſt iniuriæ impudentiæq;. In propinquo ſacellum erat dearũ, quas Athenienſes σεμνὰς dicunt, Erinnyas Heſiodus in Theogonia: quibus eſſe in capite cum crinibus dracones, Aeſchylus commentus eſt princeps. Sunt qui ita diſtinguant, ut priuatas oleas dicamus elæas, publicas uerò morias. σκῶπι idem cum moria putant: alij moriæ ſtipitem, σκῶπι dici uolunt: quod & ſimilius uero eſt, quia ita ſcribit Rhetor, οὔτε τὴν ἰδίαν ἐλαίαν, οὔτε μορίαν, οὔτε σκῶπι παραλαβών. Saci uerò huius in Apologia commeminit Lyſias. Sacos uerò & columbarum uocant loculamenta, in quibus nidulantur: quæ dicunt alij cythrinos, id eſt λυθρίνους. Symmoriæ Athenis erant uelut tribus aut claſſes, in quas dites modo, quiq; conferendis ſufficerent tributis, conijciebãtur: unde ſymmoritæ, ceu contribules. Extat Demoſthenis oratio πρὸς συμμορείτην. In Symmorias diſtributi Athenienſes ſunt, Nauſinico rempublicam gerente, quod Philochorus ſcribit, & in Lexico rhetorico repetit Harpocratio, ut de Suda taceam. Porrò oleæ quædam calliſtephani dicebantur, quod cum Suda ſcribit Ariſtophanis interpres: cuius ramis coronarentur in Olympia uictores, ſicuti aſtipulantur Theocriti interpretes ἀδηπόρως, atq; item Pindari: non autem cotino, id eſt oleaſtro: ut quidam interpretati ſunt. Quanquam eius ſententiæ eſt etiam Plinius, necnon ex doctis item pleriq;. Eſt enim proprij generis calliſtephanos, de qua Ariſtoteles ita ad uerbum ferè in Pantheo: Olea eſt, inquit, uocatur calliſtephanos: huius folia contrario modo ſe habent, quàm in alijs, extrà ſiquidem, non intus albent. Ramos mittit, ut myrtus, ad coronas peraccõmodos. Eam in Olympia plantaſſe Hercules memoratur, unde athletis dentur coronæ. Eſt apud Hiliſſum fluuium ſtadijs ſexaginta circumuallata muro, magnaq; contingentibus inſtituta mulcta. Scribũt Græci, Herculis clauam fuiſſe ex oleaſtro, quam apud Sardonidem is repperiſſet: quinetiam depoſitam in Trœzene apud Mercurij ſtatuam, quem πολύγιον uocant, progerminaſſe denuo, ac ſuperfuiſſe tempeſtate ſua oleaſtrum, prodit Pauſanias. Sunt & apud Pollucem olearum genera hæc, drypetes, halmades, nectrides. Cotinadas

tinadas trambelos uocauit Pherecrates, dicebantur & Phauliæ: quas uero nunc thlaſtas nuncupant, comici pyrenas dicunt: thlaſtas tamen etiam apud Ariſtophanẽ comperias ἐν νήσοις. Thalos, inquit Theocriti interpres, apud antiquos dicebatur omne germinans. Archilochus, ἔχουσα θαλὸν μυρρίνης ἐπόρθιον. & Homerus, θαλόντ' ἐείκοσι φορῆναι. Athenienſes autem per exochen quandam de olea dixere. Sunt & in cepis thali apud agricolationis magiſtros, quo nomine ſtipites folliculoſq; intelligunt, quibus ſemen cõtinetur. Thalophoros dicebant, qui in Panathenæis oleæ ramos geſtarent. Quod munus proprium erat ſenũ, & inde comicis ſalibus nulli rei utiles, præter quàm ferendis thalis, Thalophori item feſtiuiter nuncupati. Meminit eius moris Cratinus, nec tacuit Pherecrates. Dicæarchus in Panathenaico id munus etiam uetulas obijſſe ſcribit. Xenophon in Sympoſio pulchritudinem laudans infert, Thalophoros ſenes pulchros ſeligi conſueſſe. Thalyſia uero primitiæ dicebantur, quas ſubuectis iam fructibus ex agris, perſoluerent dijs, ut denuo uireſcerent, progerminarentq; in campis omnia, quod uocant θάλλειν: eas rhetorum pleriq; etiam ſyn comiſteria à comportatis frugibus nuncuparunt. Agebatur item feſtum tempore eodem Cereri ſacrum & Dionyſio, uti Pauſaniæ teſtatum monumentis eſt. dicebatur haloa, id eſt ἁλῶα, ut putat Philochorus: quia tum in areis præcipuè moras ducant homines, quas dicunt ἅλως. Quanquam eſt item halos ſolis ac lunæ diſcus, & in eorundem ambitu conceptum nubilum. Apud Nicandrum etiam aſpidis ſpira uel ambitus ex obuolutione delineatus. Erat panis quoq; Thalyſius, qui ex nouis frugibus conficeretur primum. Zothalmia in Pindari Olympijs poemata nuncupantur immortalitatem comparantia, facientiaq; θάλλειν καὶ οἱονεὶ ζῆν δίχα πανύστου. Sed ad inſtitutum redeo: quæ remanent, preſſis oliuis, uocant ſtemphyla: ſicut in uuis dicuntur peripyſmata. Sed uerborum ſæpe proprietas auctoritate turbatur. Olea coronari Iouem, ab ueteribus proditum ſcio perpetui uiroris ratione ac emolumenti: uel ob glauci coloris cum cælo ſimilitudinem. Sed & illud proditum memoriæ eſt, nono ἐκλογῶν πρὸς γεωργίας, oleam puram ab puris quoq; oliuantibus præcerpendam, iureiurando etiam adactis, cum uxore modo ſibi rem fuiſſe, nec alienã attigiſſe prorſum. Sic enim mox lætiorem fieri prouentum. Quin & Ciliciæ Anazarbo ab puris modo pueris oleam coli memorant, proinde illic haberi feraciſſimam: quippe huic arbori præſulem eſſe caſtitatem, ut ſcribit Palladius. Scribit undecimo Georgicorũ Florentinus, Viti inſitam oleam non uuas tantum, ſed & oliuas ferre. Haberi quoque id genus arbores in Libya, dicíq; gentium illarum uocabulo, ubolima. Nec illud reticuero: gorphia uocari apud Syros olearum ligna, utcunq; præciſa ex radicibus imis, ἐν φυτωρίοις, hoc eſt ſeminarijs conſtituenda. Superioris autem inſitionis fructus nuncupatur elæoſtaphylos. Oleæ caducæ ſunt apud Catonem, quibus opponi ab eodem ſtrictiuæ uidentur: nam ſunt olearum item ſtrictores. In hac olearum mentione ſuccurrit, opem ferre Lactantio grammatico in librum Thebaidos duodecimum, ſuper illis poetæ uerſiculis,

Mite nemus circa, cultuq; inſigne uerendo,
Vittatæ laurus & ſupplicis arbor oliuæ.

Supplicis arbor oliuæ, inquit, per quam pax petitur ſupplicando: & in ſecundo diximus, hanc ab Athenienſibus reſionem dici, à Græcis autem reliquis diriteron. Portenta uerborum planè ſunt hæc, quæ ſi excitetur à ſedibus ſuis Lactantius, nec agnoſcat, nec percipiat. Ipſe ita emendo: Ereſionen dici ab Athenienſibus, à Græcis autem reliquis hiceteriam. Etenim ereſione, id eſt ἐρεσιώνη, ramus oleæ lana implexus, arborum fructibus, quę acrodrya uocant, circumpendentibus, ante ianuas ædium poni erat ſolitus in honorem Apollinis. Eius hiſtoriam pluribus exſequitur in Equitibus Ariſtophanis interpres, & qui ab eo mutuantur, alij plures. Hunc item ramum à ſupplicationis uſu hicterium, uel hiceteriam uocabant. Quod in Parallelis, hoc eſt Theſei uita teſtatur Plutarchus: ubi in Delphinio poſitam ab Theſeo hicteriam Apollini ſcribit. Sed interpres, eo nomine ſupplicationem modo intellexit. Hicterium theſaurum uocat Sophocles, capillos honoris Aiacis defuncti reciſos. Hinc in Pluto Ariſtophanes, Video in ara ſedentem quempiam ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων, hiceteriam tenentem cum puerulis. Fuit Homeri carmen quoq; Ireſiones titulo, ut prodit Herodotus. Scribit in

artibus Dionyſius, in oleæ laudibus illud meritò recenſeri: non modo quia ſit Palladi ſacra, ſed quod ueteribus ex ea conſtituebant trophæa, quodq́ ſit uictoriæ ſymbolum. Nam & Neptuno ſuperato, hac primũ dea eſt coronata. Ioui autem dicabant trophæa, quin Iunoni quoq́, qua ex cauſa Tropææ cognomentum illi aſcitum apud Lycophronem. Ad ea porrò quæ de moriis oleis paulo antè concinnauimus, hoc item indagine uaria ex Græcorum numeroſiore ſylua ſum uenatus. Fuiſſe in arce oleas Athenis Palladi ſacras, quæ dicerentur moriæ. Ferunt autem nonnulli Halirrhothium Neptuni filium eas adortum excidere, quoniam inuẽta olea, urbs Mineruæ fuiſſet adiudicata, inter cædendũ uerò aberraſſe, ac ſecurim ſibimet impegiſſe, atq́ inde decubuiſſe. Ex quo argumento adoptatum oleis cognomentum, uel quia quiſquis oleas poſſideret, portionem quam μέρος uocant, Panathenæis inferret: quando ceramum olei capiebant uictores. Hinc obſeruatum, capras Athenis in arcem non iungi, præter quàm ſemel ad neceſſarium ſacrificium, ne olea ibi nata primum poſſit tangi, quãdo ita proditum eſt, eius animantis ſaliuam eſſe fructuis uenenum, quo nomine nec deæ immolatur. Satæ ſunt & in Academia moriæ cum imprecationibus diris, ſi quis oblæſiſſet, quare irrumpentes Lacedæmonij pepercerunt illis. Hinc Iupiter celebratur cognomento Morius, araq́ in Academia excitata. Agrippeum uerò in ceramico theatrum, in Alexandro ſophiſta apud Philoſtratum, ad Agrippum arbitror attinere omnino nihil. Olearum ptoma, id eſt πτῶμα, legimus apud Lyſiam, intelligunt eruditi fructum dilapſum uel arboris caſum. Illud uerò haud negligendum: oleam ab Homero fingi antro applantatam Ithacenſi, quod typum habere mundi, ſapiẽtiſſimis eſt uiſum, quod moles hæc uniuerſa, diuinæ ſit germen prouidentiæ, cuius creditur ſymbolum olea: quam Palladi conſecrarunt ueteres, quæ ipſa eſt prouidentia. Hinc theologica ſagacitas plantam in portus capite ſtare ſurrectam, uirentemq́ perpetuò commẽta eſt, ut ſciremus, quod eſt totum, non ex ὠτοματισμοῦ καὶ τύχης ἀλόγου conſtare: ſed eſſe φύσεως νοερᾶς καὶ σοφίας ἀπο τέλεσμα. Leuiculum hoc, ſed nihilo ſecius apponẽdum, oliuarum officula dici ſanſas, Columellæ libro decimotertio, πύρηνας Græci uocãt. unde locationum, uenditionum, & eiuſmodi omnium interpretes, proxenetasq́ ac meſitas putant ex functionis utilitate ſanſarios nuncupari, quos ratione eadem maroſſerios uidentur appellaſſe Mediolanenſes, uelut oſſarios quoſdam. Oleæ ramum, atq́ item lauri, æſacum uocitarunt priores. Drupa nuncupamus non olearum modo baccas, ſed & arborum cæterarum, quando & δρυπεπεῖς Græci dicunt. Oleam calabricam oleaſtellum uocant ſimilitudinis ratione, ab oleaſtro deminuta eſt uox.

Nexorum ſtatus. Qui dicerentur nexi, & qui obærati. Nectendi ratio. Inter ibi iuſti dies qui ſint. De Athenienſium ſiſachthea, & nouis tabulis. Chreocopia, chreocopidæ. Cap. xx

QVi apud ueteres Romanos æs alienum feciſſet, idq́ cumulatũ uſuris foret, abducebatur à creditore, non in ſeruitium, ut ſæpe: ſed in ergaſtulum quodammodo & carnificinam. Et, quod grauius multo eſt, abducebantur item filij, immo etiamnum nepotes, quod Dionyſius ſcribit, & obſcurè ſignificat Liuius. Si quid contradicerent, ſeruiliter euerberabãtur, obſita erat ſqualore ueſtis, fœdior corporis habitus, pallore ac macie perempti. Ad hæc ferè prolixa barba capillicq́ efferabant ſpeciem oris, uix ut noſcitarentur in tanta deformitate. Hi ſunt quos in hiſtoria nexos ſæpe dici audimus. Nam qui conflaſſent quidem æs alienum, nec tamen à creditoribus in uincula eſſent abducti, obærati modo dicebantur: necti uerò pronuntiabant eos, qui creditoribus traderẽtur. Liuius: Deinceps & qui antè nexi fuerant, creditoribus tradebantur, & nectebantur alij. Et alibi: Nexu uincti ſolutiq́ ſe undiq́ in publicum proripiunt, implorant Quiritiũ fidem. Cæterum peropportunè opinor, ac perutiliter fecerimus, ſi hac parte amplius temporum illorum mores fuerimus exſequuti: quando, ut uidetur, non in reponẽdis modo officijs, ſed & in cæteris quoq́ uitæ, ac negotiorum partibus, præſertim quæ ad mutui rationem ſpectant, plurimi eſſe faciẽdam fidem, ueteres ſanxere: proindeq́ perfidioſius tergiuerſanti debitori, ac ſæpius fraude agenti eludentiq́ non mediocris irrogata pœna. Exigendæ igitur mutuatitiæ pecuniæ hæc, ex Atticarum noctium obſeruationibus, fermè inibatur ratio. Confeſſi ac debiti iudicatis

iudicatis triginta dies dabantur, conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent. Eos uero dies, iuſtos appellare, decemuiris collibuit, uelut iuſtitium quoddam, id eſt iuris inter eos interſtitionem quandam & ceſſationem: ſicuti Gellius eleganter interpretatur. Quanquam & in ratione belli, iuſti dies dicebantur continui triginta, quibus exercitu imperato, uexillum rufi coloris in arce ponebatur, quod Feſtus & Macrobius adnotarunt. Deinde, niſi diſſoluerent, ad prętorem trahebantur, & ab eo quibus erant iudicati, addicebantur. Neruo quoq; aut compedibus uinciebātur. Hæc enim fermè uerba legis erant. Aeris confeſſi, rebusq; iure iudicatis, triginta dies iuſti ſunto. Pòſt deinde manus iniectio eſto. In ius ducito. Ni iudicatū facit, ſecum ducito. Vincito aut neruo, aut compedibus, quindecim pondo: non minore, aut ſi uolet, maiore uincito. Si uolet, ſuo uiuito: ni ſuo uiuit, qui eum uinctum habebit, libras farris in dies dato. Si uolet, plus dato. Erat autem interea ius paciſcendi: ac niſi pacti forent, habebantur in uinculis dies ſexaginta. Inter eos dies, trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebantur: quantæq; pecuniæ iudicati forent, pronuntiabatur. Tertijs autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregrè uenum ibant. Id porrò horrendum, & ab omni prorſum humanitate, & Romanorum mitiore ingenio ſequeſtratum: quod & Septimius Florens memorat in Apologetico. Etenim ſi plures forent, quibus reus eſſet iudicatus, ſecare ſi uellent, atq; partiri corpus addicti ſibi hominis permittebantur. Ipſa legis uerba cenſui apponenda: Tertijs, inquit, nundinis partis ſecanto, ſi plus minus ue ſecuerint, ſine fraude eſto. Inire porrò nexum de ijs dicebatur, qui creditoribus, quod rationi paria non facerent, addicebantur uinciendi. Iidem & nexum dare dicebantur, ut libro octauo ab Vrbe cōdita Liuius ſcribit, quo loco edocemur, quando nectendi exoleuerit mos. Ex hac uero alieni æris ratione, quo perſæpe inopes adobruebantur, uſura multiplici omnia arrodente, ac uelut tabe peſtifera ad corpus item correpente, naſcebantur quandoq; nouarum tabularum decreta per ſummam inexſuperabilemq; neceſſitatē, ac Diomedeam quodammodo (ut dicitur) expreſſa patribus. Ea proinde M. Tullius labefactationem fundamentorum reipublicæ uocat, quum pecuniæ creditæ obæratis condonantur, & nouæ mox cooriuntur tabulæ, quibus nomina contineantur noua. Et alibi Cicero: Tabulæ nouæ quid habent argumenti, niſi ut tu emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Et Seneca appellat rem pernicioſiſſimam beneficiorum nouas tabulas. Fit item in Epiſtolis ad Atticum mentio rei huius. Luceius, inquit, M. Fabij queritur apud me per literas, ſummum eſſe periculum, ne culpa ſenatus his decretis res ad tabulas nouas perueniat. Ridicula eſt grammaticorum uanitas, apud Salluſtium, tabulas nouas pro picturis accipiētium, quo nil abſurdius nec dici, nec fingi poteſt. Sed ſunt plerique puri, puti, id eſt ab genitiua inſcitia nuſquam aberrantes, ne quid adglutinetur aduentitij, tanquam impuri mox futuri. Ex Laurentij officina id genus emanaſſe nugas haud admiſerim facile. Tabulas item nouas intelligimus teſtamētum nouum, priore (ut fit plerūq;) expuncto irritoq;: quod Epiſtolarum ſecundo approbat Cæcilius. Cęterum nequaquam diſſimulandum ciuitates maximas quandoq; hoc æris alieni laxamentum ac remiſſionem non uſquequaq; horruiſſe. Athenienſes, Solone ſtatuente, hoc ipſum admiſiſſe, ſciunt paulo eruditiores, legemq;, qua ſtatutum id eſt, dictam ſiſachtheam, hoc eſt σισάχθειαν. quod ſignificat, illius linguæ uocabulo, oneris leuationem. Nam ſiſachtheam ſunt qui cribrum interpretentur, quo in frumentis uacantia ſecernuntur, παρὰ τὸ σείω, quod eſt concutio, ut Chœroboſcus. Sed eam legem ad Aegyptiorum imitationem Diodorus inſtitutam ſcribit, apud quos ſancitum erat, ut eorum corpora, qui ciuitatibus bellico uſu addicti forent, à creditorum uiolentia libera eſſent: in bona tantum illi ius haberent. Eodem, inquit, modo ſanxit Solon, ne ob uſuras corpora ciuiū necterentur. Plurimi enim per ſummam inopiam fœneratoribus, inquit Laertius, corpora ſua exponebant, ac ſuper his fœnerabātur. Siſachthea hæc chreocopia item dicitur, quaſi debitorum abſciſſio. Ex quo Solonis amici quidam chreocopidæ ex debiti retentione ſunt appellati. Quum enim ij Solonis mentem percepiſſent, præoccupantes multas pecunias fœnori acceperunt, agrumq; ex ijs maximum aſtutè compararunt. Ex quo & Solon non

minima eſt aſperſus infamia, uelut iniuriæ particeps. Mox tamen tanquam eo nomine dijs gratias agerent, inſtitutum ſacrificium Siſachtheam item appellarunt.

Tabulæ & codices accepti & expenſi. Aduerſaria quæ ſint. Iuuenalis locus declaratur. Tabulius ager, & Trientius. Apocha quid, & antapocha. Anocha. Item de nexis. Ciceronis locus explicatur. Prytanea, ſiue ſportulæ quid. Theſes cur iuris dicundi ſtationes. Caput XXI

TAbulas, de quibus paulo ante facta à nobis mentio eſt, Cicero pro Roſcio Comœdo, accepti & expenſi appellatione diſtinguit: Si tabulas, inquit, Caius Fannius accepti & expenſi profert ſuas, in ſuam rem ſuo arbitratu conſcriptas, quo minus ſecundum illas iudicetis, non recuſo. Apud eundem atq; adeo eodem loco, codex accepti & expenſi nominatur. Sed id aduertendum amplius, quæ apud eundem Ciceronem dicantur Aduerſaria. Hæc uero non aliud ferè uidentur, quàm libelli, in quibus negotiantes per ſingulos dies ſcribimus, quod damus uel accipimus, relaturi poſtea in codices accepti expenſiq;, aut in tabulas. Significant hoc Ciceronis uerba: Nimium cito, ait, me indagare de tabulis: non habere ſe hoc nomen in codice accepti & expenſi relatum, confitetur. Sed in aduerſarijs patere contendit. uſq; eo' ne te diligis & magnificè circumſpicis: ut pecuniam non ex tuis tabulis, ſed aduerſarijs petas? Aduerſaria dici arbitror, quod aduerſa parte etiam ſcriptis implerentur, & per tranſuerſum quoq;: nam negligenter admodum conficiebantur, quia delerentur ſtatim: etenim menſtrua erant, tabulæ uero æternæ: aduerſaria denique parui temporis memoriam: tabulæ perpetuæ exiſtimationis, fidem & religionem amplectebantur. Hæc ſunt deiecta, illæ in ordinem confectæ: in iudicium Aduerſaria protulit nemo: codicem protulit, tabulas recitauit. Aduerſaria huiuſmodi à Satyro nobili ſignificata intelligo, uerſu illo,

Et longi relegit tranſuerſa diurni.

Quod interpretes etiam ſi haud barbaſculi, non uiderunt. Morem hunc ex tranſuerſo quandoq; ſubnotandi in epiſtolis etiam ſeruatum Cicero ad Atticũ libro quinto præmonſtrat. Nunc uero, inquit, uenio ad tranſuerſum illum epiſtolæ tuæ uerſiculum, in quo me admones de ſorore: quæ res ſe ſic habet. Aduerſaria ferè ac calendaria idem accipimus, quando & in ijs ſingulorum menſium rationes referebãtur: dicta ſic, quòd ſingularum calendarum nomina præſcriberentur: meminit Sceuola Digeſtis de ſtatu liberis. Item Seneca: Calendarium uerſat, fit ex domino procurator. Calendario præpoſitum inuenies apud Aphricanum Iureconſultum. Calendarum uero ſacrificium, quod calendis obire, moris fuit, dici legimus in ueteribus memorijs. Sed & rationarium inuenias, pro libro in quo uel contractuum uel geſtarum rerum rationes comprehendantur: ex quo & apud Marcellinum, rationarius apparitor, qui rationarium conficit, ac rationibus præeſt: quem ratiocinatorem nuncupauit Columella. Rationibus inferre, apud Latinè ac ex formula loquentes, eſt in Rationario perſcribere, quid cui ſit erogatum. Tabularum publicarum curam comperi uariè habitam & immutatam ſæpe, quando permiſit Auguſtus ſenatui præfectos deligere: uerum ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, inita mox ratio, ſorte ducerentur ex prætorum numero qui præeſſent. Sed Claudius ad quæſtores redijt. At quia deeſſe robur uidebatur ætatis eum primum capeſſentibus magiſtratum, Nero præfectura perfunctis, ac uſu rerum plurimo peritis comprobatisq; onus iniunxit. Lectum apud eruditos eſt, expenſare, dici expenſum ferre in conficiendis rationibus. Ex tabulis porrò hoc genus, tabulium eſſe appellatum comperi, agrum qui intra quinquageſimum lapidem ijs eſt aſſignatus, qui mutuam reipublicæ pecuniam ſecundo Punico bello dederant. Trientium quoq; dictum ſcio, quia pro tertia pecuniæ parte datus erat. Dignum uero ſcitu: eſſe in hoc item uſu, quas uocant apochas, quæ fiunt, ut ijs probetur ſolutio, fatente creditore, ſibi ſatisfactum. Ideoq; debitori traduntur. Interſtitium fit tamen, ut ſcribit Vlpianus, inter acceptilationem & apocham: quoniam acceptilatione omni modo liberatio contingit, etiam ſi non ſit perſoluta pecunia. Apocha uero non aliàs, ni ea ſit erogata. Antapocham ſunt qui chirographum interpretentur, quod creditori conficit debitor, fatendo

à ſe

à ſe quid ſit perſolutum. Antapocham intelligunt alij, chirographum, quo ſe obligat aliquis, ac ſe debere fatetur. Apocham, Græci ἀποχήν dicunt, quo nomine quandoq; ſignificatur receptio. Apochyma uerò, eadem quæ zopiſſa eſt: quam tamen hypochyma dicere mauult Paulus Aegineta. Scribit Ammonius, anochas dici in bello inducias, uſu ita exigente, ultrò citroq; commeandi. Quod uerò ad nexos item attinet, inuenio, obligationem omnem apud ueteres, quæcunq; per æs & libram fieret, nexum fuiſſe nuncupatam. Idq; necti ſolitum dici, quod eo modo obligaretur. Innuit hoc & in Topicis M. Tullius, ubi ait, Abalienatio eſt eius rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alterinexu, aut in iure ceſſio. Nexus, inquit Boethius, eſt quædam Iuris ſolennitas, quæ fiebat eo modo quo in Inſtitutionibus Caius exponit. Ad hoc ipſum reſpicit Ciceronis illud De oratore libro primo, Nexorum iura in cauſis uerſantur centumuiralibus. In cuius tamen loci enarratione mira proferri deliramenta, ſciunt qui huiuſcemodi elegantiarum non ſunt omnino imperiti. Nexum quoque æs, uocatur pecunia, quæ per nexum obligatur. Dicitur & laqueus nexilis Apuleio. Sed & nexilis item ueſtis, cuius fuit uſus ante textilium inuentionem: ut apud Lucretium non ſomniculoſus obſeruabit lector:

Nexilis antè fuit ueſtis, quàm textile tegmen.

Cæterum doctioribus hæc fortè operæ uidebuntur leuioris: proinde, ne γῆς φύτορα, id eſt terræ interanea, ſtudioſius uidear conſectari, ſtilum reprimam: ne forſan Heſiodium illud in me regeratur,

ἀλλὰ πίηνοι παῦτα πρὸὶ ἔρων, ἢ πρὸὶ πέτρλω.

Illud modo adieciſſe contentus: pecuniam apud Græcos ab actore ac reo conſtituendi gratia iudicij contributam depoſitamq;, prytanea nuncupari: quæ à Romanis, ſportulæ ſignatur nomine. Cæterum, qui ſuccubuiſſet, omnia reſoluebat: ea uerò in publicum cedebant, aut iudicum mercedem. ex quo & ipſas iuris dicundi ſtationes, theſes quandoq; appellatas, legimus. Prytaneorum meminit Iſocrates ad Callimachum.

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN LIBROS Antiquarum lectionum Lodouici Cælij Rhodigini, ad D. Franciſcum Malagninum, Præfatio decimatertia.

DOmeſticæ frugalitati opus eſſe non me latet, eos gratuito aliquo impartiendos eſſe munuſculo, qui ipſorum aucupatos tutelam cõtinuè obſequioſis meritis inſequuntur: qualem te Franciſce Malagnine ciuis optime, & ſcio & iam diu noui, qui nulli noxius omnibus commodus, mihiq; ipſi oportunus exiſtens, me ipſum perpetuò tibi deditum, gratiori tua in me beneuolentia eſſe uoluiſti: atque eo maximè in Lodouicum Cælium mihi patruum, qui & patris tui, totiusq; Malagninæ proſapiæ & ope & opere continuè ſuffultus, ad talem ſcientiæ apicem perueniſſe, uerè dijudicari poteſt: qualem Antiquarum lectionum opus ab eo nouiſſimè caſtigatum præ ſe fert. Quod quum his diebus curſim ac leuiſſimè pertranſirem, eiuſdem portiunculas aliquas intimioris amicitiæ uinculo ſibi aſtrictis dicatas, alias autem & potiſſimè noua adiunctas caſtigatione, nullius inſcriptione munitas cognoſcerem: mihi operæpretium uiſum, eas omnes non niſi patrono munitas propellere, atq; ob id te decimitertij libri deſignatione grauare: quod eo libentius factum uolui, quo doctrinata cenſura decoratum, optimę ingenuitatis munimine ſuffultum, probiſſimæq; bonitatis plenitudine ſaginatum omnes palàm profitentur. Quòd & ſi pauxillum, id tamen libenti accipies animo: Camillumq; Richerium tibi deditiſſimum in ipſo contemplatus tibi deditiſſimi quondã tui præceptoris nepotem libentiſſimo eo tuo affectu fouebis, quo antiqua in Lodouicum Cælium tuorum collata beneficia præ ſe ferunt. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI TERTIVSDECIMVS.

Explicatur Quintilianus de oris multiplici uitio. Anaſtomoſis quid. Anaſtomotica cibaria. Iotaciſmus, lãbdaciſmus, metaciſmus, Atticiſmus. Coccygis cognomentum. De batto, & battologia. De Ouidio ſcitu digna. Titi Liuij mors. Ibis Ouidianus qui ſit. Nycteridis cognomentũ. Item de Chærephonte, & Eretrienſibus, ac Alcibiade. Fringultire quid. Caput I

IN PRIMIS, inquit Oratoriarum inſtitutionum primo Quintilianus, uitia, ſi qua ſunt, oris emendet: ut expreſſa ſint uerba, ut ſuis quæq; literæ ſonis enuntientur. Quarundam enim exilitate uel pinguitudine nimia laboramus: quaſdam uelut acriores, parum efficimus, & alijs non diſſimilibus, ſed quaſi hebetioribus permutamus. Quippe ϱ literæ, qua Demoſthenes quoque laborauit, lamda ſuccedit. Hæc Fabius. Scimus uero duo eſſe in primis oris uitia, quorũ altero peccantes, iſchnotetas uocat alibi Fabius, quum gracilis eſt nimium, & tenuis literæ enuntiatio: alterum uitium, plateaſmum appellauit idem, à uocis (ut opinor) pinguitudine. Quo modo qui loquitur, & curioſius gutture utitur, λαρυγγίζειν Græcè dicitur: meminit pro Cteſiphonte & Demoſthenes. Dores præcipuè, ut platyſtomi, inceſſuntur à Græcis: quod iuſto frequẽtius in dictionibus A literam ingerant. unde apud Theocritum, garrulæ mulierculæ coarguuntur πλαπαδοδοισαι ἀτωαντα, ut quæ Syracuſiæ forent. In Cotta, literarum damnabatur dilatatio, uti conſtabit mox. Verum ut luculentior expreſſiorq; fiat eminentiſſimi auctoris enarratio, ad Ariſtotelis uireta diuertendum: abs quo lingua peccantium turbideq; & adhæſe loquentium tres fieri ſpecies animaduerto, ἰσχνοφώνους, τραυλούς, ψελλούς, hoc eſt iſchnophonos, traulos, pſellos. Eſt utiq; traulus, ſiue blæſus, qui literam aliquã exprimere non poteſt: eamq; non quamlibet, ſed certam. Pſellus, ſiue balbus, qui in enuntiando, literam præterit aut ſyllabam. Iſchnophonum ſunt qui Latinè dicant hæſitantem. Vitium eſt, inquit, ἀπὸ τοῦ μὴ δυνάσθαι ταχὺ συναφὴν τῆς ἑτέρας συλλαβῆς πρὸς τὴν ἑτέραν, id eſt ex eo quod cito ſyllabæ ſyllabam connectere minus poſſit. Quæ utiq; omnia ex imbecillitate proueniant, neq; enim intelligentiæ ſummini ſtrare lingua poteſt. Quum uero quaſi in receſſu oris uox auditur, cœloſtomia nuncupatur. Anaſtomoſis autem ad præſens negotium ſpectat nihil, id eſt ἀνασόμωσις: eſt autem eo uocabulo medicis adapertio, ut quum uenarum ora recluduntur. Apud Athenæum anaſtomotica dici uidentur cibaria, quæ appetentiam conciliant, & edendi prolubium excitant, cuius ſunt modi ſalè conditæ oliuæ, quas colymbadas nũcupant. Sed à diuerticulo fabulam repetamus. Remotis autem uitijs, emendata cum ſuauitate uocum explanatio ὀρθοέπεια uocatur. Et quoniam cum Quintiliano nobis res eſt, ne id quidem amplius explicare grauemur: quod ait, eſſe per ſonos uitia oris, quæ ſcripto monſtrari non poſſunt, ut eſt iotaciſmus & lambdaciſmus. Scribit Diomedes, eſſe iotaciſmum, quum I litera ultra iuſtum decorem enuntiatur. Idem & in lambdaciſmo intelligit, quum L ſono profertur pleniore. Inuenimus tamen aliter à Martiano libro quinto, uitia hæc finiri. Eſſe quippe metaciſmum, quum uerborum coniunctio M literæ aſſiduitate collidítur: ut ſi dicas, Mammam ipſam amo, quaſi meam animam. Lambdaciſmũ uero, ubi L plurimum diſſonat, ut ſi dicas, Sol & luna lucent luce alba, lactea. Iotaciſmum, uti ſi enunties. Iunio Iuno Iouis iure iraſcitur. Atticiſmum elegantiam dicunt Atticam, ſed nomine tamen eodem intellígit Thucydides, quum Athenienſium quis impenſius partes fouet. Polyſigma uero eſt ubi S litera crebrius geminatur, Soſia in ſolario ſoleas farciebat ſuas. Inter eos qui in memorijs ueteribus lingua fuiſſe præpedita memorantur, legimus & Battum, à quo Cyrenas in Aphrica conditas ferunt, quem adeo fuiſſe iſchnophonũ tradunt, ut ab eo defluxerit uerbum βατταρίζειν, quod

inſigne

inſigne pronuntiandi ſignat impedimentum in iſs qui uocis uix ſint compotes, nili à ſono malimus conformatum id, ut βαβαιάζειν, τοππύζειν, ut uerius de uitio ſit homini enatum cognomentum. Quanquam eſt & battus ſiue battis mollioris piſciculi delicatioris ue ſpecies: unde battidoſcopi appellati opſophagi & gulones. Sunt qui Battum, prius dictum Ariſtotelem autument. dici uero ab gente Libyca reges, battos. Pleriſq; item arriſit, Coccyga fuiſſe nuncupatum de loquutionis pontificio præpedito. Ab honore ac regio faſtigio, batti cognomen prorepſiſſe, auctor item Herodotus eſt. Fuit & poeta Battus ineptior, qui dum ſimulacra & ſtatuas uerſibus ac hymnis celebraret, menſum excedebat legitimum, eandemq; ſæpicule cantilenam recinebat. Quod iterationis uitium & nimietatis inde etiam battologia nuncupatur: quo & Ouidium laboraſſe, Seneca ſcribit. Propterea Montanum declamatorem, ſententias ſuas repetendo corrumpentem, dum non eſt cõtentus unam rem ſemel bene dicere, Scaurus inter oratores Ouidium uocare ſolebat. Qui & ipſe neſciat, quod bene ceſſit, relinquere. Quum Polyxena eſſet adducta tumulo Achillis immolanda, Hecuba dixit,

Cinis ipſe ſepulti
In genus hoc pugnat. Poterat eſſe contentus: adiecit,
Tumulo quoq; ſenſimus hoſtem,
Neq; hoc contentus addidit item,
Aeacidæ fœcunda fui. Aiebat Scaurus, Non minus magnam uirtutem eſſe, ſcire deſinere, quàm ſcire dicere. Hinc & in Matthæi euangelio, uti arbitror, capite ſexto, μὴ βαττολογήσητε, id eſt orantes ne ſitis multiloqui. Sunt qui battologiæ uitium eſſe item in uerſibus illis apud Ouidium Metamorphoſeon ſecundo, arbitrentur:

At ſenior, poſtquàm merces geminata, ſub illis
Montibus (inquit) erant, & erant ſub montibus illis.
Riſit Atlantiades, & me mihi perfide prodis,
Me mihi prodis, ait.

Quod tamen uerum haudquaquam eſt. Nam ἐλλ τῆς ἀναδιπλώσεως quæſita orationi gratia eſt. quod ex libro Phalerei Demetrij περὶ ἑρμηνείας licet agnoſcas, quum ait χάριτας aut in uerbis eſſe, aut in rebus: in uerbis quidem, ex breuitate, ordine, figura: ex ſchemate, ut in Sapphûs uerſiculis,

Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῦσα οἴχῃ.

Cui ex figura eadem illa reſpondens ait,

οὐκ ἔτι ἥξω πρός σε, οὐκ ἔτι ἥξω.

Maior, inquit, orationi comparata eſt gratia, quàm ſi ſemel forent pronuntiata, καὶ ἀνοῦ τὸ χρῆμα τῷ, etiam ſi πρὸς δεινότητας, excogitata magis uideri anadiploſis poteſt, ſeu pallilogia. Obſeruauerat hæc Merula quoq; parte quadam, ex theſauris iſs ab eodem pronuntiatum Ouidio prodens,

Si, niſi quæ facie poterit te digna uideri,
Nulla futura tua eſt, nulla futura tua eſt.

Sic & apud Homerum, Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἰμί,
Καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἑοίλῳ, εἰ πυρὶ χεῖρας ἑοικῳ.

Et quoniam de Ouidio agimus, aduertẽdum item, in quo ab eodem taxetur Seneca in Naturalium quæſtionum libris, ubi diluuij excutitur ratio. Illud, inquit, poetarum ingenioſiſſimus egregiè pro magnitudine rei dixit:

Omnia Pontus erat, deerant quoq; littora Ponto.

Niſi tantum impetum ingenij & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet:

Nat lupus inter oues, fuluos uehit unda leones.

Non eſt res ſatis ſobria, laſciuire deuorato orbe terrarum. Et ne quis parum apte agglutinata hæc à nobis putet: ad ea Quintilianum reſpexiſſe cõtenderim, dum libro decimo, laſciuire in Heroicis ſuis Ouidium ſcribit, & eſſe nimium ingenij ſui amatorem. Simul quia frigida eſt & puerilis in ſcholis affectatio, ut ipſe tranſitus efficiat aliquam utiq; ſententiam, & huius uelut præſtigiæ plauſum petat, à quo non abſtinet poeta hic, quem tamen neceſſitas fortè excuſarit, res diuerſiſſimas in ſpeciem unius corporis colligentem. Illud obiter adnotarim: in Cæcilij Minutiani Apuleij fragmentis obſeruatum, annis ſeptem in exilio conſumptis, functum eſſe fato Ouidium calendis Ianuarijs: qua die Titus quoq; Liuius deceſſerit. Structum item illi à Barbaris per multas lachry-

mas

mas tymbon ante ianuam. Auctor idem Minutianus eſt, Coruinum ab Ouidio appellatum fuiſſe ibin ex auis fœditate, cui uentrem roſtro purgare, inſitū ſit, & hoc ex Callimachi imitatione: pulſum quoque in exilium, quod Auguſti inceſtum uidiſſet. Sed ut à diuerticulo redeamus ad fabulam, Chærephontem lego Socratis perfamiliarem fuiſſe ἰχνόφωνον, & quia ſimul nigricantis erat coloris, interfuſo pallore, nycterida cognominatum, quæ uox nobis ueſpertilionē indicat, atq; item pyxinon, id eſt buxeum. Hic uero eſt Chærephon is, cui reſpondiſſe Pythiam ferunt, σοφὸς σοφοκλῆς, σοφώτερος εὐριπίδης, ἀνθρώπων δὲ πάντων σωκράτης σοφώτατος, id eſt ſapiens quidem Sophocles, ſapientior uero Euripides, at omnium ſapiētiſſimus Socrates. Eretrienſes porrò inceſſuntur apud eruditos, quòd literam ῥ crebrius aſperiusq; inculcarent: ſicuti in Alcibiade lambdaciſmū adnotatum ſcimus. Hic eſt de quo iactatum legitur, Alcibiades duos non tulerunt Athenæ, neq; item Lyſandros duos Sparta. Arrius apud Catullum, mirifico uelut pruritu, flatilem tum uocalibus, tum conſonantibus inſerebat, quod Poetæ teſtatur epigramma nobile. Poſtremo fringultire, ex Apuleij doctrina prępeditè eſt, ac obſcurius uerba enuntiare. Nam in Magia ſic adnotauimus ſcriptum, qui eloquentiæ patrocinium uulgò profitetur, etiam honeſta dictu ſordide blaterat, ſæpe in rebus nequaquam difficilibus fringultit, uel omnino obmuteſcit. Et iterum: Audiſti priuignum meum uix ſingulas ſyllabas fringultientem. A fringilla uerbum deflecti, putat Feſtus. Eius uero auis querula eſſe uidetur uox. Nam & Martialis ait,

Nunc ſturnos inopes, fringillarumq; querelas Audit.

Friare autem aliud omnino eſt, unde ſuffriare paululum cōterere eſt. In Q. Catulo oratore, quod memorabile eſt, ſummè laudatur lenis ſuauisq; literarum appellatio. In Cotta, literarum damnatur dilatatio, & Catulo cōtraria, ſubagreſtis quædam, & planè ſubruſtica pronuntiatio.

Bambalio qui dicatur, necnon balliones. Balia cerua. Balius uentus. Item quid catapeplaſmenon. Quid apodos. Alcibiadis balbuties. Doſonis cognomentum. Lamyri notiones. Blæſi qui dicantur & arguti. Lambda cur diceretur Eetionis uxor. Caput II

AVerum quia in linguæ uitia, ſtilo ducente, recidimus, ante quàm inde digrediamur, ſummonere quum alia, tum illud quoq; non eſt uiſum omnino incurioſum: quod ex M. Tullij officina eſt. Nam is Philippica tertia Marcum Fundum neſcio quem, nullo numero, & prorſus contemptibilem cognominatum ſcribit Bambalionem, ab hæſitantia linguæ & ſtupore cordis. Sed & Franciſcus Philelphus uir certe non poſtremæ literaturæ, ac tum Græcè tum Latinè perpolitus, Poggium his ferè inſectatur: Audio tamen eſſe, inquit, quoſdam hermaphroditos, qui & pueri ſint & puellæ: eosq; non ſolum ita gigni naturæ ſolertia, ſed etiam arte hominum. id quod de Poggio Bambalione, ac de alijs nonnullis accepi. Appellationis uero ignominioſæ hinc profluxiſſe ratio uidetur, quoniam denſiorē mutarum in uerbis concurſum deteſtantur Græci propter eum, quem uocant ipſi pſelliſmum, ut in meſo paracimeno δ'ε δ'οικα. Sic & in uerbo πέπωμπα ueriti cacophoniam, ab uſu id tempus abdicarunt: quia βομβώδη κώμπον efficiat, id eſt bombo perſimilem ſtridoris ſonum. In quem luſit facetiſſimè Comicus, βομβαλοβομβαξ, id eſt bombalobōbax: unde factum Bambalioni nomen opinamur. Balliones uero in hiſtoria pro lenonibus accipiunt, ab Plautino forſan Ballione. Baliam ceruam Græci κατάστικτον dicūt, id eſt maculoſam, ac uelut picturatam. Sed & balium uentū pro impetuoſius flante accipiunt. Eſt & linguæ uitiū quoddam dictum catapeplaſmenon: quum ſimplicis uocis naturā pleniore quodam ſono circumlinimus: quoniam ſic appellatur cantus tibiarum, quæ præcluſis, quibus clareſcunt, foraminibus, recto modo exitu grauiorem ſpiritum reddunt. Cæterum quod ait libro undecimo Fabius, quale nam eſt? Vox, inquit, ultra uires urgenda non eſt: nam & ſuffocata ſæpe, & maiore niſu minus clara eſt, & interim eliſa in illū ſonum erumpit, cui Græci nomen ab immaturo gallorum cantu dederunt. Interrogatus olim uir Græcè Latineq; ſcientiſſimus Politianus, quæ nam foret ea uox apud Græcos, reſpondit, ἀπώδον. Eſt enim (inquit) apodos, uox etiam ea, quæ neq; choro, neq; fidibus concordat. Sed hoc profecto uix cohæret. Eſt enim apodos, communis uox cantibus omnibus

omnibus abſonis. Sic enim lego in Græcorum monumentis, ἀπωδὸν μέλος τὸ μὴ ἐ-
ρέσκον, τὸ τῆς ᾠδῆς ἀλλότριον. hoc eſt, apodon, melos eſt quod non placet, & à cantu eſt abiunctum alienumq́. Verumtamen dicitur etiam apodon, τὸ κακόηχον, id eſt ſoni mali. Quiddam igitur necdum intellectum, & magis proprium, uidetur Fabius innuere. Nam neq́ cloſmos ſatisfacit omnino, quamuis ea ſit gallinacea uox. Et in libro περὶ ἱπ-
πικῆς Xenophon, excitari cloſmo equos ſcribat, popyſmo autem remolliri mitigariq́. Quamobrem amplius quærendum cenſeo. Illud uero Euripidis nequaquã prætereundum hic eſt, ſcribentis, quandam Alcibiadi in dicendo blęſitatem fuiſſe, quæ uoci illius ſplendorem & ſermoni gratiam afferre uidebatur. Ariſtophanes quoq́ comica in Veſpis feſtiuitate ſic illum in comœdia blæſe loquentem inducit, ubi Theorum conuellit, ὁλᾶς θέωλον τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχεις;

Vbi κόλακος dixit, pro κόραξ: id quod incurioſius obſeruauit Plutarchi interpres. Porrò ſcitu dignum & illud: quibuſdam non ex balbutie tantum, ſed etiam ex mordacitate quadam cognomẽta eſſe facta: ſicuti Antigonum legimus appellatũ Doſonem, Ptolemæum uero Lamyrum. Eſt ſiquidem Lamyrus loquax, & ſine ratione audax. Lamyrum quoq́ mare appellari inuenimus, ueluti dicas, multum & denſum. Lamyrum item facetum dicunt & amœnum: unde illud, λαμυροῖς ὄμμασι πυκνὰ γελᾶ. Sed & quæ ſtuporem quendam inijciunt, Lamyra dicuntur: nam propinationes, lamyras nuncupatas ſcimus. Plutarchus Cæſarem ſcribit fuiſſe Cleopatræ obtritum amore, λαμυρᾶς φανέσεως. Cæterum, quia lucubratione præcedenti traulum interpretati Latine ſumus blæſum, ne quis argutior imperitiæ forſan eo nomine coarguere nos tentet: ceu neſcia mus planè, quid blæſus ſit: auctores præterea habemus, blæſum à pleriſq́ paralyticum dici. Alij blæſum accipiunt, cui in exteriora ſunt obuerſa crura, & prorſum aſſimulantia Λ literam, quo ex uitio Lambda dicta Eetionis uxor, Cypſeli Corinthij mater: dicitur q́ blæſus, ὁ βεβλαμμένος τὸ ἴσον τῶν σκελῶν. Rhæbus autem denominatur, cui modo contrario ſe habent crura, introrſum uidelicet obuerſa: de ijs aliqua item apud Pollucem. Argutos intelligit Probus, qui præpide multumq́ loquantur.

Balbutiei ratio ex Galeni doctrina. Incontinens lingua apud Hippocratem quæ ſit. Item qui dicantur ab eo muti. Podagræ pſelliſmus. Caput III

MIrantur (opinor) pleriq́, unde nam proueniant euentus huiuſmodi, miratus ſum aliquandiu & ipſe: nec prius deſii animo (ut interim ſic loquar) fluctuare, quàm multa hincinde uerſando, quum Galeni ſacraria introſpicere adortus eſſem, uoti compos aliquo modo fieri ſum uiſus. Quæ uero ex lectione id genus comperta mihi, iam hinc promere pergam in hoc album. Sicuti, inquit, λαμβδίζειν, id eſt balbutire, linguæ uitium eſt, non uocis: ſic & βαυλίζειν, ſi non queat illas articulatè uoculas lingua, quæ per T & R literas efferuntur, enuntiare: qualis eſt ipſa hæc trauloſis, & affines aliæ trechi, tribi, trachy, trochos, trypheros, & id genus complures: in eiuſmodi quippe lingua primoribus dentibus obfirmetur & amplificetur, oportet. Si uero infirmior eſt, connititur deterius: proindeq́ T & R literas nequit dearticulare: ſed in T & L deflectit. Cæterum uſu uenire poteſt ipſum item hoc, quia ſit aliquo modo breuior: tunc enim non queant dentes primores cõcentu ſuo linguæ breuioris ictum excipere, ac ſtructuræ ſeriem conformare. Verum hoc rarenter cõtingit, illud frequentius, ut humectior ac mollior lingua non liberè in uerba prorumpat. Quę temperatura pueris balbutiem inducit. Idq́ parte iſta contingit, quod & in ambulandi uſu: nam aut nullo pacto ingrediuntur, aut titubante & uacillante gradu, non plenè ab ſoluitur inceſſus integritas: ſiquidem crura teneriora mollioraq́ ſunt, quo nomine obfirmari connitiq́ ualidè nequeunt. Id ipſum & adultioribus euenit quandoq́, ut ſi ſermocinãdo laborauerint, balbutiant: uelut ij qui tibiam diutile animauerint, & quibus uires ex morbo ſint debilitatæ: ſicut & quibuſdam, quibus lingua eſt, uehemẽter exſiccata. Verum ſiccitas tanta nulli ineſſe poteſt, qui habitum ſeruet naturalem, atq́ ideo ſolius humiditatis immodicæ eſt caſus, in ijs qui natura balbutiunt, id linguæ detrimentum, quum eius muſculi firmiter nequeant ſtabiliri: quod eis poteſt accidere, uel propter ſuam, uel propter neruorum imbecillitatẽ, quos uidelicet à cerebro ſuſcipit. Quare & ebrij aliquando balbutiunt, & turbidè ac adhæſe loquuntur: tum quia multa humiditate

miditate perfunditur cerebrum, tum etiam quia ab ipsius multitudine lingua pergrauatur. Contingit igitur ijs qui sunt balbi natura, alterum horum, aut cerebrum habere humectum, uel linguam, uel utrunq; Porro & illud non ignorandum: incontinentem dici ab Hippocrate linguam, quæ infirma est, ita ut non possit integre uocem dearticulare, aut immobilem & omnino resolutam. Ex eiusdem doctrina hoc quoq; excerpsimus: mutos quandoq; ab uno accidente notissimo, quæ est uocis interceptio, appellari eos, qui nullum alium motum seruant secundum electionem, uel nihil omnino sentiunt. Iacent autem eodem modo, quo apoplectici sine sensu pariter & motu. Hippocratis uerba id ipsum astruentia ex Sententiarũ septimo subieci: Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri. Et nos quidem posteritati allaboramus sedulo: quod si uera tamen fatenda sunt, bono sane stomacho haud concoquimus, priori æditioni sic insidiatos etiam amicos: ut non pauca ex capite hoc in libellos suos congesserint, auctore dissimulato, ut in pleriscq; alijs: quod impudens est, ac quam sustinet, personæ parum quadrans. Verum interlucebit tandem perpendenti amplius Veritas, quæ Temporis creditur filia. Nec cuiusquã elatior animus, uel fraus uelut nubeculã nostris (opinor) est obstructura luminibus, si qua tamẽ ea sunt. Etiam si plericq;, uelut cœnacularia faciẽtes, quicquid interluxerit lucelli, conuerrant si possint, uel cum puluisculo. Quia uero de psellis commeminimus, id neutiq; prætereundum, Syllam Athenis pedum dolore infestari cœpisse, quem ναρκώδη Plutarchus uocat: Strabo autem ποδαγρᾶς ψελλισμόν, id est podagræ psellismum.

Vocabula plura ad linguam pertinentia. Aglottos, paraxiphis, glottocomion, euthyporos. Solen bis. Glossematicum quid. Glossographi, & glossematarij. Diomedes explicatur. Quintilianus suo restituitur nitori. Scholia, scholiastæ, solenistæ. Lingulati tubuli. Lingula: olophyctides, ranæ. IIII

Linguam, Græci uocant γλῶτταν: aglotton apud Aristophanem, loqui non ualentem interpretantur, uelut elinguem dicas. Sophocles tamen eo nomine barbarum appellauit, in Trachinijs, quum Græco aglotton opponit. Epiglottis, inquit Pollux, simplicis uocis est organũ: lingua autem, articulatæ. Si qui uero linguam habeant, nec loquantur tamen, epiglottidis uitio id putatur obuenire. Si uero perperam ac difficulter loquantur, oblæsa lingua est. Turbinatior linguæ pars uocatur progloſſis. Caruncula uero, qua cõnectitur inferiori parti oris, nuncupatur hypogloſſis. Qua gustus potentia ineſt, cephaline. Vtroſq; autem linguæ sinus & cauitates, cheramos appellant: quidam etiam parasyra. Glossogasteras, comici lingua sibi uictum comparantes dicunt. Polygloſſum quercum Dodoneam, in Trachinijs uocat Sophocles, uel de oraculorum multitudine, uel quia unicuiq; æderentur idiomate proprio. In tibijs item glotta est. γλῶσσαν παφλάζειν dicere uidetur Eustathius fere uulgarem uernaculamũe, ubi ait. Ex ijs confinxit sibi παφλάζουσα γλῶσσα paramacheron: dixerat enim antea paraxiphida signare enchiridion, id est gladiolum qui adiacet ensi: unde etiam uel Homero interprete, nuncupatur paraxiphis, quoniam

παρ ξίφεσι μέγα κουλεόν ἀμφὶ ἄορτο

Glottocomion, uas est linguis recondendis peraccommodum. Glossocomon tamen pro loculis & marsupio apud Plutarchum obseruauimus. Sed & ligneam thecam reliquijs aptam reponendis eodem dicunt nomine. In medicorum thesauris est organum item glossocomiũ, quod in ossium fractura cruribus supponitur: Hippocrati incognitum, sicuti Galeno prodenti assentimur propemodum. Eius esse uidetur extensio duplex: una quippe membrũ porrigit in rectum, diciturq; euthyporos: altera uero supernè quidem prius, mox uero & infra, nuncupatur metaleptice. Fit utraq; funiculis circũpositis. Licet autem genus hoc machinulæ σωλῆνα item uocare, aut cum adiectione Solena mechanicũ: sic & mechanicum glossocomium. Est & sua calciamentis glotta, ut apud Isæum Socraticũ: sed & poeticas uoces, glottas dicebant: unde Aristophanes, πῶς ταῦτα λέξου, ὁμήρου γλώττᾳ τι καλεῖται κόρυμβος. Verbi quoq; proprietatem quandoq; indicat glotta, ut quum dicimus, αὐτὴ γλῶττα hoc uel illud ostendit. Aristoteles in libro De poetica, Omne (inquit) nomen aut proprium est, aut glotta, aut metaphora, aut ornatus, aut factitium, aut extensum, aut sublatum, aut permutatũ. Et pro-

prium quidem dico, quo utantur singuli, Glottã uero, quo cæteri. proinde liquet, posse idem nomen esse proprium, & glottam, uerum non in eisdem: quippe Syginon apud Cyprios proprium est, nobis autem est glotta. Et mox paulo idem Aristoteles: Nomina, inquit, dupla dithyrambis præcipue congruere, glottas autem heroicis. Dionysius in Artibus Thucydidem scribit proprium in conscribenda historia characterem excogitasse, non pedestrem omnino, neq; item metricum, sed ex utrisq; concinnatum, ac in uerborum delectu tropicam & glottematicam, ac priscam ascisse dictionem pro cõmuni consuetaq;. Et mox, Glossematica (inquit) & prisca, ac obscuriora, multis sunt fere ἀκριφνὲς καὶ ὁ πάλαιλογισμὸς καὶ ἡ πάλαιωσή, & consimilia. Inde glossographi nuncupati. Sicuti commeminit Eustathius, ubi ait, Hippotes, id est eques, capitur quãdoq; pro exule ac profugo, ut glossographi sentiunt. Hi uoces id genus obscuriores enarrant. Latini glossularios, atq; item glossematarios dixere. Quo fit, ut glossematicus Fulgentius aduocetur à grammaticis. Et Diomedes genera loquutionum quinq; facit: rationale, artificiale, historicum, glossematicũ, commune. Quod amplius ex Apollonio ad Scopelianum diluceſcit, qui orationis genera quinq; facit: philosophũ, historicum, oratorium, epistolicum, commentarium. Glossemata Quintilianus minus usitatas interpretatur uoces, in quibus grammatici non postremam requirit diligentiam. Nec me fallit, eum locum à quibusdam aliter & legi & enarrari. Sed ipse Dionysii præcipue communitus auctoritate, ita reponendum censeo, quod & in plerisq; codicibus adnotatur. Sed & alibi primo libro Quintilianus, posse à puero interpretationem linguæ secretioris, id est quas Græci γλώσσας uocãt, dum aliud agitur, edisci, tradit. Hinc propagatum, opinor, ut plerisq; etiam ex politioribus, glossas pro interpretatione qualibet accipiant. A quo non abluſit Diomedes, ubi sic libro secundo scribit: Enarratio est obscuriorum sensuum, quæstionumue explanatio uel exquisitio, qua uniuscuiusque rei qualitatem poeticis glossulis exsoluimus. Scholia item sunt interpretamenta, unde & scholiastæ inflectuntur, qui in eo scribendi genere exercentur, uulgus postillatores dicit. Ab otio deflecti uidetur uox. Nuncupantur ijdem uel hypomnematistæ. Homeri cos scholiastas leg̃isse apud Eustathium uidemur. Ex figura sunt eadem, soleniſtæ. sed ij sunt, qui solenes (genus id ostreorum est) uenantur, colliguntq;. Nam Philoxenum quendam nuncupatum animaduertimus Soleniſtam, id est σωλωτὴν, quod primo solenotheras fuisset, piscatorq;, mox demagogus, postremo etiã tyrannus. Solenas item, id est σωλῆνας, canales & fistulas nuncupant Græci: unde solenarium forma deminuta Galeno. Hoc, opinor, indicauit etiam Columella, ultimo Rusticationis libro: Oleo conficiendo (inquit) molæ utiliores sunt quàm trapetum: trapetum, quàm canalis, & solea. rectius fuerit Solena. A lingua denique lingulam dici deflectiq;, non fere latet. Hinc, quod scitu dignum est: lingulatos legimus tubulos ex parte altera, ut alius in alium inire conuenireq; possint, ueluti linguæ præferẽtes schema. nam est lingula item lignum uel lapis cõcauus, qua defluere uinum potest, uel aqua. Columellæ autem est mensuræ nomen ligula. Gellio etiam gladioli in linguæ speciem. Olophygdonas uocat Theocritus, quæ in summa lingua consurgunt, pustulas. Olophyctidas dicunt Attici. Ranas ueterinarij uocant uitiosa linguæ bubulæ incrementa.

Ex lingua propagari plerunq; bona, sæpe etiam mala. Silentij & sermonis præparci laus præcipua. Loquacitatis epodos. Heracliti factum scitu dignum. Item de Zenone. Antonini Pij historia. Piscitio cur abstinuerint Pythagorei. Ellopes unde. Linguas cur offerrent deorum honori. Plinij locus ex libro septimo illustratur de arcanorum proditione. Gephyrismi qui dicantur. Cap. V

AEgyptiorum regem periclitandi gratia, cuiusmodi foret in Pittaco prudẽtia, proditũ memoriæ est, integri animalis carnes ad eum transmisisse, petentem, secerneret inde, quod optimũ cẽseret, rursumq; quod pessimum. At is unam modo linguam eximens ad eum referri iussit, symbolice innuens atq; operte, in ea corporis portione ingẽtium sæpe bonorum latere fomites: nec deesse tamen si prodiga sit, & infrenis, maximarum cladium organum ac scelerum quodammodo ineluibiliũ scænam. Hinc apud Euripidem Ino audaciu

astrui.

aſtruit, tenere ſe tacendi tempora, atq; item loquendi. Sed & qui generoſe inſigniterq; ac omnino regie imbuuntur, tacere diſcunt prius, mox uero loqui. Proinde Antigonum regem ferunt, ſcitante filio ex eo, quando conclamari uaſa iuberet: non aliud reſpondiſſe, quàm Veritus ne es, ſolus canentem tubam ne audias? Ita cui principatum relicturus erat, ſecretum committere non eſt auſus, ſolum monuit, in procinctu foret, ac tacitus expectaret imperium. Idem fere & Metellus ſenex, inſtante ſiquidem quopiam, & eiuſmodi quid efflagitante: Si, inquit, tunicam huius arcani conſciam arbitrarer, eueſtigio exutus concremarem. Equidem ſicuti monas, id eſt unitas ſuos minimè limites egreditur, ſed omnino unum perſeuerat, manetq; : unde & monadi nomen inditum. Dyas uero, id eſt dualitas principium eſt differentiæ indefinitum: ſtatim enim à ſe deficit, duplicatione in multitudinem abiens. Conſimili ratione ſermo ab uno primoq; non recedens uere arcanus eſt, ac dicitur. At ſi alteri communicetur, iam famæ ordinem ſubit. Nam poeta nobilis ἔπεα πτερόεντα, id eſt uerba eſſe dixit alata uolantiaq;. Nauem quidem uentis abreptam anchoris infrenamus ad rapiditatis hebetandam uim. Sermo ex ore, uelut portu excurrens, ſtationem nanciſcitur nullam, neq; (ut Græci dicunt) ἀγκυροβόλιον, id eſt anchoræ iactum. Fruſtra ſuccinueris communem futilium loquutorum ἐπωδόν, dum uerbis humidis & lapſantibus defluunt: hæc nemini dixeris, ſile, apud te ſint iſta. Sacris ſilentij myſterijs initiari præſtiterit, ac altius contemplari, quãto maiore proſequamur admiratione, ampliusq; amemus, ſapientiores arbitrati, uerbis parcentes, & (ut Græci expreſſius dicunt) σροηγύλους καὶ βραχυλόγους, quàm hoſce effrenes, quos raptari temere uideas, dum ſenſuum effutiunt inuolucra, & uerborum inſtrepunt uoluminibus, ac uocum turba: & uitio Piſoniano quum loqui neſciant, tacere tamen haud queunt, ſibi nihilominus acuti uidentur, etiam ſi omni piſtillo retuſiores. At illorum præparcus ſubſtrictusq; ſermo uerbis eſt modicus, ſenſu late ſeſe fundit & exſpaciatur. Hoſce admirans Plato ita laudat, ut acerrimis eſſe iaculatoribus perſimiles dicat, σύλλαβὰς καὶ ὀνύχια καὶ σωρὸν ἀμμώδη φθεγγομένους. Hac ratione Spartanos ſuos Lycurgus à pueris ſilentio inſueſcere cogebat: hinc laus celeberrima: ſicuti ferrum attẽperant Celtiberes, ubi in terram defoderint, ac redundans terreſtreq; abſterſerint: ita & Laconicum ſermonem nullis opertum corticibus, omni buſq; quæ ſuperfluant, reſectis, eam habere temperaturam, ut rerum modo uim efficacius perſequatur, exprimatq;. Catoni inſigne illud reddidit M. Tullius, ut eum dicat nullum unquam emiſiſſe uerbum, quod emiſſum doleret. Quanquam Auguſtinus laudem quidem uideri hanc clariſsimam ſcribit: credibiliorẽ tamen de nimis fatuo, quàm de ſapiente perfecto. Adde quòd Pythij Apollinis templo non Iliada, non Odiſſeam, non Pindari pœnas inſcripſere Amphictyones: ſed Cognoſce te ipſum, Nihil nimis. Fideiuſsioni præſto eſt nocumentum. An non & Apollo ipſe in reſponſis affectator erat breuitatis? Inde certe additum loxiæ, id eſt obliqui cognomentũ putant, quod loquacitatem & uerborum colluuionem tota ui reclinaret, magis quàm ex obſcuritate. Immo uero & qui ſymbolice, nullo prorſum uocis uſu, quæ res depoſcat, enuntiat, præſigni laude proſequimur, & admiratione. Sicuti quod ab Heraclito quandoq; factitatum accepimus: quum enim extentis eum precibus rogarent ciues, ſententiam ſuam proferret de concordia, inſcendens eminentiorẽ locum aquæ frigidæ calicem ſibi protinus afferri iuſsit, in quem ubi farinæ aliquantulum inſperſiſſet, promiſcere amplius glachone (ſpecies herbæ eſt) cœpit, moxq; hauriens, ne uerbo quidem facto, inde ſe proripuit, prudentibus intelligendum relinquens, ſi uilioribus ac obuijs acquieſcerẽt, nec omnino gliſcera ſumptusq; affectarent immodicos, pacem habituros inter ſe, atq; concordiam. Silentij uero ex Zenonis dicto laus item præclara eſt: regios legatos Athenis conuiuio exceperat quidam, adhibitis etiamnum philoſophorum pleriſque. Quum autem, ut aſſolet, multa hinc inde dicerentur, Zeno interim tacitus ſingula obſeruabat: tum legati feſtiuiter ſubblandientes, atq; propinantes etiamnum: de te uero inquiunt, regi quid renuntiari iubes? At is recte inquit, ſenem à uobis perſpectum Athenis, qui inter pocula ſeruare ſilẽtium poſsit. Vnde eſt illud, Qui cuſtodit os ſuum cuſtodit animam ſuam: qui inconſiderate loquitur, ſentiet mala. Et illud accepimus, Non minus interdum oratorium eſſe tacere, quàm dicere. Loquendi temeritatem non

cordis modo peruigili cura, ſed & dentiũ excubijs in ore collocatis circunſcripſit natura, obſepſitq;. Laudi eſt facundia, inanis uerborum ſonitus, nulla ſubiecta ſententia nec ſcientia, uitio non caret uel maximo: nam ἀχαλινοῦ στόματος, id eſt oris effreni, poſtremum infelicitas occupat. Adde, quod quibus multa effutire moris eſt, aut falſa loquunt, aut ſuperflua, uel (quod uerius) utraq;: quæ ſane ab uiri dignitate aliena, ab philoſopho autem alieniſſima & ſunt & cenſentur. Præcepta uero illa haud prætereunda prorſum, quibus commonemur: uti ueloces quidem ad audiendum ſimus & accurati, ſic ad uidendum quoq;: ad credẽdum uero tardi, ad iudicandum tardiores etiamnum, ad loquẽdum omnino uel tardiſſimi. Platonis oraculum eſt, uti uerum loquamur duntaxat, ſicubi profuturi ſumus, aut ſane taceamus. Inter alia, inquit Iulius Capitolinus, hoc eſt uel inſigne Antonini Pij ciuilitatis argumẽtum: nam Omuli domum inuiſens, miransq; porphyreticas columnas, quum ex eo quæſiſſet, unde eas haberet: ac reſpondiſſet Omulus, Quum in domum alienam ueneris, & mutus & ſurdus eſto: patienter tulit. Anacharſis in cõuiuio apud Solonem conſopitus ita decubuerat, ut ſiniſtra comprimi pudenda uiderentur, os autem dextra, quod freno ualentiore indigere linguam opinaretur, recte utiq; coniectans, quando non facile tot recenſueris homines, qui Venereorum intemperãtia calamitates ſibi contraxerint, quot ciuitates principatusq; arcanorum deſolauit enuntiatio. Hinc à ſapientibus coniectatum, dicendi quidem homines eſſe nobis magiſtros: tacendi autem deum nos habere præceptorem, quando in ſacris myſterijsq; fauere linguis iubemur. Proinde Simonidis ſententiæ firmiter inhærendum, quem dicere ſolitum accepimus, ὅτι λαλήσας μὲν πολλάκις μετεμόησε, σιωπήσας δὲ οὐδέποτε. id eſt, loquutum eſſe pœnituit ſæpe, tacuiſſe nunquam. Hinc & Pythagoricos Athenæus ſcribit, animantes quidem reliquas attigiſſe, uerum moderate, quaſdam etiam immolaſſe: piſces autem nec guſtaſſe omnino echemythiæ, id eſt ſilentij ratione. Quippe ſilentium eſſe opinantur diuinũ quiddam, piſces uero prorſum ſine uoce animaduertuntur, uel parœmia ſuffragante apud Lucianũ, cæterosq;. Quin eiuſdem argumento rei, ellopas dicere piſces poetis mos irroborauit, ueluti illopos: nam ἴλλεσθαι, prohibere exuiq; ſignat: opus uero ſignificantiam habet uocis. Sunt uero ellopes Hermolao Theodoroq; acipenſeres. Alij ſquammatos intelligere malunt, παρὰ τὸ ἐν λεπίσιν εἶναι. Hinc Theocrito ellopieuin piſcari indicat, ἐλλοπιεύειν. Ellopem Pamphylio tantum mari compaſci, Columella ſcribit. Quæſitum uero ab eruditioribus, unde factum ueteribus, ut deorum honori linguas contribuerent: quando & Homerus ait, γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον.

id eſt, linguas uero in ignem coniecerunt. Et ſunt qui id modo proferant, Ionũ hoc moribus receptum, alij quia inter membra reliqua, bonitate lingua præſtet: optima uero dijs reddi par ſit: alij, quòd linguæ parcant & uerbis ſomnum petentes. quo ſane argumento etiam Mercurio libabant poſtremo: uel item quia in conuiuijs prolata, ſilentio deceat inuoluere: aut quoniam linguas amburendo perperam dictorum labes inuſtas expurgarent. Propterea terreſtribus dijs inde primitias item offerebant. Gephyriſmios lego appellatos Cephiſi in Attica fluminis accolas, dicacitatis, & cõuitiorum ratione. Polybio certe γεφυρίζειν ſubſannare indicat, καὶ ὑβριστικῶς. In hac denique ſilentij mentione ſuccurrit, Plinij locum explicemus ex libro ſeptimo de Auguſto, Inde ſuſpicio in Fabium, arcanorumq; proditionem. Audio eſſe qui ad Mœcenatem hęc putent referenda, quorum inſcitiam coarguit Tacitus Cornelius, ex cuius Annali primo paucula ſubſcripſi. Quippe rumor inceſſerat, paucos ante menſes, Auguſtum electis conſcijs, & comite uno Fabio Maximo, Planaſiam uectum ad uiſendum Agrippam. Multas illic utrinq; lachrymas, & ſigna charitatis, ſpemq; ex eo, fore ut iuuenis penatibus aui redderetur: quòd Maximum uxori Martiæ aperuiſſe: illam Liuię, C. Nauum id Cæſari. Neq; multo poſt extincto Maximo, dubium an quæſita morte, auditos in funere eius Martiæ gemitus ſemet incuſantis, quod cauſa exitij marito fuiſſet. Cæterum de Fuluio eadem pene in commentario De garrulitate, refert Plutarchus. Cæterum partem hanc Plautinis cludamus ſalibus, Sine uirtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica, Quæ alios conlaudat, ſeipſam non poteſt. Quod de acipenſere commeminimus, ſcire oportet: ab antiquis eſſe dictum aquipenſera, ab aquis: proinde c unum Pudi- modo recipere.

Pudicitię commendatio. Patauinorum laus. De Cornelio ſacerdote Patauino. Hyperoum quid. Theriſtrum. Diſtegon. Cap. VI

DOctiſſimi uiri ſententiam eſſe, Hieronymus ſcribit, Pudicitiã in primis eſſe retinẽdam: quoniam ea omiſſa, omnis ruat uirtus, & in ea decoris muliebris eniteſcat principatus. Hæc pauperem commẽdabilem facit, diuitem extollit, deformẽ redimit, exornat pulchram. Viros quidem conſulatus illuſtrat: effert in æternum nomen, eloquentiæ claritas. Militaris gloria, & ex deuictis gentibus arreptus triumphus parem quodãmodo deo facit. Multa porro ſunt, quæ ingeniorum fertilitati nobilitatem adoptent præſignem. Per propria mulieris uirtus, pudicitia cenſetur, Hæc Lucretiam Bruto æquauit, neſcias, an etiam prætulerit: quoniã Brutus non poſſe ſeruitutem pati à fœmina commonitus edidicit. Hæc æquauit Corneliam Graccho, hæc parem alteri Bruto Portiã fecit. Notior eſt marito ſuo Tanaquil. Hierophantas quoq; Athenienſium cicutæ ſorbitione caſtrari ſolitos legimus: & poſtquam ſurrecti in pontificum amplitudinem fuerant, uiros eſſe deſiſſe. At nullis cicutis Antiochus tertius uirum tamen agere non ſuſtinuit, qui conſpicatus Dianæ ſacerdotẽ forma præcellentem, confeſtim Epheſo abiit, ne ſenſuum illecebroſa uiolentia tranſuerſum raperet, quippiam exprimens, quod caſtum minus, minusq; ſanctum foret. Cæterum inter uirtutis huiuſce claritates adeo præſignis, adeoq; gemmis & omni auro pretioſioris, etiã ſi in pleriſq; enituit, quas tamen ueteribus præferas Patauinis, inuenias haud ſane multas. Caſtitas loci, & ſeueritas tantum non incõparabilis, & non triceſimo tantum fructu eminentiſſima, ſed ſexageſimo quoq;, quin & centeſimo, abiit in prouerbiũ etiã antiquis. Quis enim non legit uel illud Valerij Martialis ex undecimo epigrãmatoni:

Tu quoq; nequitias noſtri, luſuſq; libelli
Vda puella leges, ſis Patauina licet.

Quod ſi quis inuide nimium ſolers eſt, ac lepidiſſimo poetæ credendum minus opinatur: is quæſo Plinij Cæcilij ex primo Epiſtolarũ aſtipulationem audiat, qui ubi uniuerſam tranſpadanæ Italiæ partem, ut multũ uerecundiæ, ac frugalitatis antiquæ retinentem collaudauit: denicq; ait de puella quadam, Habet auiam maternam, Serranam Proculam è municipio Patauino: noſti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoq; ſeueritatis exemplum eſt. Durant etiamnum in uirginibus priſcæ caſtitatis ueſtigia, quando non niſi operta facie prodeunt uiſendæ in publicum: uelut dicterent ſubinde illud Hieronymi: illa tibi ſit pulchra, illa amabilis, quæ procedens in publicum uix uno oculo, qui uiæ neceſſarius eſt, patente ingreditur. In hoc, ſcitu dignum illud occurrit, quod in Græcorum obſeruatum hiſtoria eſt: ſiquidem apud Spartanos diu obtinuiſſe legimus, ut aperta facie uirgo, at conuelata nuptæ in propatulo uiſerẽtur. Cuius eam Charilaus reddebat rationem, ὅτι τὰς μὲν κόρας ἀνδράσι εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν οὓς ἔχουσας. id eſt, quoniam uirginibus uiros ſibi proſpicere, neceſſarium ſit: mulieribus autem quos compararint, cuſtodire. Obſeruatũ & illud, Chalcedonias mulieres eum ſeruaſſe morem, ut ſi in alienos uiros & magiſtratus potiſſimum inciderent, dimidium retegerent faciei. Quæ à uiduis coorta cõſuetudo, prorepſit & in eas quæ iunctæ uiris forent. Scribit Tacitus Cornelius, Poppææ Sabinæ raros fuiſſe in publicum egreſſus, idq; uelata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, uel quia ſic decebat. Sed nec in fœminis modo ſe Patauinæ uirtutis extulit altitudo. Nam ut Thraſeæ Patauini philoſophi ſanctam morum grauitatem Cornelio Tacito, Martiali, cæteriſq; celebratam omiſerim: qui Patauij quandoq; ludis ceſticis, à Troiano Antenore inſtitutis habitu tragico cecinerat: ac ſumma præcellentes doctrina & eloquentia uiros præteream: ſcribunt Platonici ſcientiſſimi, eſſe quandam animi uacationem, quæ ab admiratione fiat, qua Sibyllæ ac Pythiæ ſacerdotes, quum Iouis aut Apollinis intimum irrupiſſent ſpecu, ac prorſum eſſe ibi cæleſte numen, animo conſtanter cõcepiſſent, in eum abire ſtuporem ſolitas diuinæ maieſtatis ueneratione, ut ſenſuum ac phantaſiæ, rationiſq; omnino cõticeſcente ui, tota mens in deum uiſa conſurgere, indeq; auguſtior, futurorum ſciẽtia inſtrueretur ampliſsime. Quamobrem Cornelium Patauinum ſacerdotem, loco nobilem, religione uenerandum, uitæ caſtitate perſanctum, Titi quoq; Liuij familiaritate celebrem: repẽte altius mente ſurrecta, proclamaſſe, in mutuam cædem exercitus coorientes conſpi-

cari ſe, pugnariq; mox, ac deinde alios cedere, alios urgere, cædem, fugam, tela uolantia, prælij inſtaurationem, gemitus, uulnera, perinde ac in re præſenti uerſaretur ipſe: deniq; uociferatum, uiciſſe Cæſarem. Quod uere à me dici, auctor eſt cum Liuio Plutarchus, multiq; præterea. Porro ita affectos fuiſſe Corybantas, Orpheus ſcribit. Eodem & uaticinij genere præcelluiſſe Carthaginienſem Albigerium legimus: quem ſcimus, quicquid egiſſet quiſq;, aut omnino cogitauiſſet, dæmonibus afflantibus, reſpondiſſe. Id quod uix impetraret fidem, ni eiuſmodi ſe uaticinijs interfuiſſe pluries, grauis auctor Auguſtinus teſtatũ uoluiſſet. Hæc De ciuitate nobiliſsima prolibaſſe nos, haud mirari conuenit. Illi, quicquid ſumus in literaria quaſi negotiatione, poſt deum optimũ maximum, & parentũ curam, acceptum ingenue referimus: illic bonam ætatis partem educati imbutiq;, tum Græce, tum Latine: mox uero & prouincialium ſtipendijs profitendi munere perfuncti. Quin & haſce qualeſcunque lucubrationes noſtras ibidem in Fortunæ domo, ſi quid & hoc ad rem facit, condere auſpicati ſumus, quas & diu iam abſolutas materiam feciſſemus publicam, ni bellorum intonante grauius fragore, ſtudiorum curam interpellatam uehementius retudiſſet dimicatio de capite, ac librorum ſupellectile toties ſubeunda. Proinde ἀνταπολαμβάνωμεν, id eſt uicem rependimus, ut poſſumus. Certe loci memoria dulciſſima æſtuationẽ mentis lenit ſæpiſsime. Nec tempero mihi, quin parte hac elogium præclarum Conſtantini Palæologi protinus ingeram ſtudioſis tantæ claritatis: qui Romę menſa exceptus ab ſanctæ Crucis Cardinali, quum Patauij forte incidiſſet mentio, dicere haud eſt uerítus, Ni ab ſanctis uiris ſciret proditum, haberi ad exortum deliciarum paradiſum, plane arbitraturum ſe fuiſſe, non aliubi eſſe, quàm in Patauina præſuaui amœnitate. Hyperoum deniq; thalamũ, ut paucis diuerticulum repetamus, Græci interpretantur παρθενῶνα, uirginibus deſtinari à ueteribus ſolitum, ut cuſtodirentur tutius. Quòd ſi tanti uitrum, quanto pluris margaritum? Nam & Hieronymus de puella CHRISTO deſtinata: Nunquã exeat (inquit) foras, ne inueniant eam, qui ciuitatem circumeunt, ne percutiant & uulnerent, auferantq; pudicitiæ theriſtrum, & nudam in ſanguine derelinquant. Vt uero Hieronymi uerbum intelligas, multis incognitum, dicitur æſtiua ueſtis theriſtrum: de qua in ueſtium generibus dicitur quoq;. Sed aduertenda tamen Hieronymi ſentẽtia in libro Hebraicarum traditionum in Geneſim: Theriſtrum, inquit, pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici ueſtimenti, quo mulieres prouinciæ illius uelantur. Auctor idẽ Hieronymus alibi: Eſſe rem teneram in fœminis, pudicitiæ famam: quaſiq; pulcherrimum florem cito ad auram leuem marceſcere, tenuiq; flatu corrũpi: ſed tum præcipue, ubi ætas conſentit ad uitium. Pudicitiæ honorem præbuit eum Romana maieſtas, ut omnis dignitatis gradus eis de uia cedere conſueſſet.

Chiorũ caſtitas eximia. De filiabus Erechthei. Hyacinthides puellæ. Athenienſes cur Tettigophori. Ciceronis locus illuſtratur. Leocoræ puellę quę ſint. Hieronymi locus. Item Macaria. Machæronij paſtilli. Partheni, id eſt uirgines, quæ per exochen dicantur. Cap. VII

TEgimus uero in Græcorum monumentis, maximum quoq; temperantiæ muliebris argumẽtum prodijſſe ex Chio: quoniam neq; adulterium, neq; illegitimum concubitũ, ſi credimus, ullum ibi accidiſſe unquam fere, proditũ memoriæ eſt. Mos præterea inoleuerat ibidem uetus, ut uirgines ſacrorum ſtatutis temporibus in unum omnes coactæ per aliquot dies unà uerſarentur: quas earundem amatores, facto item agmine, inſequebãtur: quo ludentes eas inter ſe, ac ſaltantes, conſpicerent: noctu autem eodem agmine ſingularum domos ingreſsi, parentibus fratribuſq;, quæcunq; facto opus eſſet, adminiſtrabant. Eueniebat uero ſæpius, ut eandem plures amarent, ſed amore tam ſancto atq; modeſto, ut quum primum tradita uiro puella foret, repente omnes inde reſilirent. Illud deniq; proditum monumentis duodecimo Philippicorum à Theopompo eſt, conſueuiſſe Athenienſes inter ſacrificandum, Chijs & ſibi proſpera comprecari à dijs. Sed de Chio item Eupolis hæc, ὦτην χίον καλὴ πόλις. Cæterum ut racematio hæc quippiam uariantis habeat amœnitatis, explicemus interim M. Tullij nodum ex primo Thuſculanarum quæſtionum, in quem impactus interpres conniuet. Itemq; ex Oratione pro Seſtio, in qua ſic

ferm

ferme legimus: Mortem quam etiam uirgines Athenis, regis Erechthei filiæ pro patria contempſiſſe dicũtur, ego uir conſularis, tantis rebus geſtis, timerem? Meminit & De finibus quinto, uerum ſub eodem obſcuritatis inuolucro. Inuenio igitur Erechthei filias primum per quandam exochen παρθένους, hoc eſt uirgines nuncupatas, & ſex fuiſſe numero, Protogeniam, Pandoram, Procrim, Creuſam, Orithyiam, Chthoniam. Ex ijs Protogenia & Pandora, pro regionis ſalute iugulandas ſe obtulerunt, ingruente Bœotio bello. Immolatas uero ferunt in pago Hyacintho: unde & uirgines Hyacinthides ſunt cognominatæ: ſicuti Phanodemus teſtatum reliquit, atq; item Phrynichus non prætermiſit. Parthenos quoq;, id eſt uirgo, cui Tauriſcythæ naufragos immolant, & Græcos, quotquot fuerunt adepti, Iphigenia intelligitur, Agamemnonis filia: ut ſcribit Herodotus. Quin & Pallenidis Mineruæ ſacerdos ſic dicitur. Sunt ex Græcis, qui ex Apolline ac Creuſa Iouem memorent natum: quæ ratio effeciſſe traditur, ut Athenis Apollo coleretur Patrous, ueluti progenitorum unus. Sicuti Iupiter item eodem colebãtur cognomento, ſed cauſa diuerſa. Nunc illud obiter adnotatu dignũ, Erechtheum hunc ex terra æditum præbuiſſe argumẽtum, ut Athenienſes, quibus is imperitarit, terra item geniti cenſerentur ac nominarentur αὐτόχθονες: ſicuti docuit etiam Plato: proindeq; eius rei ſymbolum, τέττιγας, id eſt cicadas aureas ſolitos geſtare, dictosq; eo nomine Tettigophoros. Etenim eiuſmodi traditur animalis origo. Cuius rei teſtis quoq; locupletiſſimus extat Thucydides hiſtoria prima: & nos antea cõmeminimus. Demoſthenes in funebri Oratione mentionem puellarum habet, Hyacinthidas, ut prætexuimus, docens cognominatas. Et quia ibidem, Leocoræ item nominantur, amplius ſciendum, in Græca hiſtoria ſacellũ Leocorium nominari frequenter. Eius memorabilis ratio traditur: quodam tempore ingẽs annonæ caritas Atticam uehementius premere cœpit. Conſulta oracula cecinere, malorum finem non defuturum, niſi immolaretur puella. Tũc publico bono permotus Leos quidã, Orphei filius, ſicuti nonnulli interpretantur, filias ciuitati immolandas exhibuit, Phaſithean: ſiue ea ſit Praxithea, ut eſt apud Aelianum: Theopen, Eubulen: quæ tanto beneficio, inopiæ nacta exitum, pietatem patris puellarũ conſecrationis honore putauit rependendam, ſtructo ſacello, quod ab ipſius nomine, necnõ à puellis, quas Græci κόρας dicant, Leocorium eſt appellatum: meminit Strabo, Thucydides, Cicero De natura deorum tertio, Demoſthenes: Audierunt, inquit, Leontidæ fabulis celebres Leocoras, ut eas obtulerint σφάγιον τῆς πολίτιδος ὑπὲρ τῆς χώρας. Aduertendus autem parte hac Hieronymi in Iouinianũ locus libro primo, citra intellectum ambuſtus: nam ex hiſtoria uirginitatis præconia repetens: Chalcodecus, inquit, quoq; filia illa Leo uirgo perpetua, peſtilentiam patriæ ſcribitur ſpontanea morte ſoluiſſe. legendum arbitror, Græcorum decus quoq; filia illa Leo. Paulo enim ante ab Virgilio Camillam ſic laudatam tradit: O decus Italiæ uirgo. Proinde infert de ſuo Hieronymus: Græcorum decus quoque filia illa Leo. Verbum autem Leo, quod legentibus faceſſere negotium poteſt, caſus eſt patrius, more Attico, ab recto qui eſt Λεώς. Nec mirari diuerſitatem oportet, quæ fabuloſis eſt perfamiliaris omnino. Adde quòd ubi Græce modo λιμόν, id eſt famem legimus, uidetur legiſſe Hieronymus λοιμόν, id eſt peſtem. Potuit ex morbo item latius craſſante annonæ mox inſequi caritas. Sicuti & una filiarum expiationi ſponte ſe obtuliſſe, patre ſtatim & reliquas ad exemplum prouocante. Cicero Erechtheum ſcribit cum filiabus numinũ uice coli. Sunt qui id putent factum, quod diximus, bellante ad uerſus Eumolpum Erechtheo, qui quum ſe futurum uictoriæ compotem accepiſſet, ſi filiam immolaſſet prius, cõmunicata re cum Praxithea uxore, illam mactauit, cuius in Erechtheo meminit Euripides. Erechtheum & Erichthonium, libro Temporum pro eodem accipit Euſebius: quem etiam ſcribit primum quadrigas iunxiſſe, ſed in Græcia tantum: nam apud gentes alias iam tum fuiſſe, certiſſimis probari argumentis poteſt: propterea Virgilius,

Primus Erichthonius currus, & quatuor auſus
Iungere equos. Macariam quoq; Herculis filiam pro incolumitate publica ſe deuouentẽ magnifice ab Athenienſibus eiſdem funeratam accepimus. Eius in Hippia ſic commeminit Plato: Macariæ Herculis filiæ ad expiandum ſcelus ſacra facito,

prophanæ enim ſunt, ó Socrates, huiuſmodi quæſtiones. Non præteriit in Pelopida Plutarchus: Ex antiquis, inquit, Menœceum proferentes Creontis & Herculis Macariam. Qua in re interpellati adeo circũferuntur Latini codices, ut nullus colligi ſenſus queat. Machæronion uero Dioſcoridi libro quarto, herba eſt quę xiphion quoque dicitur, & gladiolus, ſeu pugio: quoniam gladij ſpeciem foliis præbeat, radice (Theophraſto tradente) dulci, ubi excoquatur: proinde trita farinæ admiſcebatur. Quo argumento, ex noſtris nonnulli machæronios ſuſpicantur, modo paſtillos nuncupari, quibus caſeo conſperſis, aut melle litis, ſi oleo frigãtur, paſſim uulgus utitur haud ſane politius. Machæriones autem apud Spartanos dicti ſunt Anticratis poſteri, quod is machæra, id eſt gladio Epaminondam in bello ſtrenue confeciſſet.

De leonibus nõ indigna relatu adnotata quępiam. Leoni mortuo barbam uellere, quid. Martialis locus exponit. Diomedis filię cur dicerẽtur equæ. Smerdaleon unde. Glaucopis cur, & mare glaucum. τλήνη unde, & triglena. Galene. Ephelcis quid. Σκύζειν, id eſt ſcyſſare, quid. Charopi oculi, & rui, qui ſint: atque item helicopes. Voluta. Alcæa quid. Vra pro cauda, cur. Prouerbia ex leonibus conformata. Baſiliſcus in leone cæleſti quid. Leontocomi. Leo, ſolis ſymbolum, & cur templorum cuſtos. Cap. VIII

LEonem animal notiſſimũ, inueni inter grammaticos Græcos, qui dicerent à uidendi potentia nomen eſſe adeptum, παρὰ τὸ λαῶ, τὸ θεωρῶ. quod ſit fera uiſus acutiſſimi: ſicut in libro quem ad Herodotum ſcripſit, Manethon tradit, nec unquam omnino admittat ſoporem. Sed hoc alijs uidetur perabſurdum: neq; enim eſſe aliquod animal, cui perpetua ſit uigilia. Quod ipſum Ariſtotelis doctrina prorſum cõprobatur. Forte (inquiunt) ut dorcades, apertis oculis leo conquieſcit: unde irrepſit ſententia, illum nunquam dormire. Leonis oculus, utiq; permagnus eſt: at incumbens oculo pellis longe minor, quàm ut oculum totum ualeat obtegere: unde fit, ut oculis apertis, ſomno frui uideatur. Ab hoc animali formatum adagium, ſcribunt Græci: ſed & Latini certatim, λέοντα ξυρεῖς, hoc eſt, leonem radis: de ijs qui factu impoſſibilia tentãt, aut non citra periculum. Propterea Plato, ſicuti commeminit etiam Philoſtratus, idem eſſe dixit, Leonem radere, & Thraſimachum συκοφαντεῖν, hoc eſt, calumnijs circumuenire. Ad quod alluſerit Epigrammatum decimo Martialis illis uerſiculis,

Quid uellis uetulum Ligella cunnum?
Quid buſti cineres tui laceſſis?
Quare, ſi pudor eſt, Ligella noli
Barbam uellere mortuo leoni.

Cæterum cur denique poeta doctiſſimus partẽ in muliere, quæ honeſte nominari haud poteſt, leonem cenſuerit appellandam: quod erat explicandum in primis, aut non traditur, aut ineptiæ Siculis gerris ac diphthera uaniores proferuntur: quas ex diametro à ſenſu legitimo diſparari contenderis, modo ne Latmio ſis ſomno conſopitus. Sunt enim qui ideo dici opinentur, quia mirum in modum leoni fœtet anima: quod Plinius & Ariſtoteles ſcribũt. uel (inquit Domitius) quod placet, prouerbium eſt, quum uolumus aliquem excitare, qui moueri non poteſt. Sed boni conſulant eruditi, ſi quid præter opinionem acutiſſimi interpretis in medium protulero. neq; enim bibliotaphi ſumus: ſed quicquid lectione uaria compertum nobis eſt, gratiſſimo animo in literas mittimus publico ſtudioſorum emolumẽto, iudicent uolentes, ſed citra liuorem. Nec Suffenum agere me putent, prius quàm rem amplius introſpexerint. Legimus in Nicandri Theriacis ad hunc modum,

Δήεις κεγχράνα ὁλοιχόν τόρας, ὄντε λέοντα
Αἴολον αὐδήξαντο πορίσκοιο φολίδεσι.

Eum locum doctiſſimus interpres enarrans inquit, ad uerbũ fere tralata ſententia: Eſt Cenchrenas oblongus ſerpens, maculoſus, quem etiam dici leonem, aſſerit Nicander: uel ex uariantibus ſquammis, aut ex generoſitate, aut quia rectam geſtat caudam, & ea diſflagellando excitat in pugnam: uel quia mordet, ac hominis ſanguinẽ exſorbet, quæ ipſa & leo facit. Ex ijs animaduerto, acutiſsimũ ſimul & doctiſsimum poetam mu

liebre

lebre pudendum leonis nomine feſtiuiter appellaſſe, quoniã & ipſum coitus auidum (ſit honor auribus audientium) ſubinde maſculorum ſanguinem exſugere nõ deſinit. Vrinam ſiquidem genitalem eſſe concoctum ſanguinem, plures tradidere, & Satyrus innuit,

Accipiat ſane mercedem ſanguinis, & ſic
Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem.

Mortuum uero dixit, quoniã ætate iam uideretur emeritum, & ad Venereos uſus hebes ac frigidum. Hæc porro tetra libido Diomedis filias in Thracia equarum nomine celebres facit, ut quæ turpiſsimæ aduentantes uoraſſe ſint dictæ: quanquam interimi à patre ſolitos, intelligere maluerit Euſtathius. Verum, ut ad inſtitutum redeamus, Leones in delicijs, atq; item leopardos habuiſſe narrat Heliogabalus, exarmatos cicuresq; quos ita inſtituerant manſuetarij, ut ad menſas ſecundas iuſsi accumberent ex inopinato, nemine conſcio, exarmatas eſſe feras. Dici uero leones, ut iam dictum eſt, traditur ab Porphyrio, παρὰ τὸ λεύσσειν, id eſt ab uiſus excellentia. propterea Homerus, Σμερδαλέω δὲ λέοντε. nam ſmerdaleon, inquit, formatum à μέρδεσθαι eſt, quod μαίεσθαι indicat, id eſt ſplendere, accedente ζα particula, intendendi uim habente. Sic alibi poeta idem, γλαυκιόωντε δὲ λέοντε. Sic Glaucopis uocatur Minerua, ἀπὸ τοῦ γάλακτος, ab lacte, quod eſſe ἄσκιον conuenit, & proinde album. Ratione eadem, glaucum appellatur mare: quin & oculi pupilla γλήνη, & ellobia τετράλοβα: quoniã ex albedine ſplendicent. Galene item ex eadem profluit ratione. Niteſcit uidelicet tranquillum mare, obſcuratur autem turbulentũ: inde Homerus, Μελαίνετό τε πᾶσα. Scribit in Phyſiognomia Ariſtoteles, leonem inter alias animantes maris ideam eſſe ſortitum optimam: os enim habere magnitudinis iuſtæ, faciem autẽ (ut ſic interim appellem) magis quadratam, non oſſeam ualde, ſuperiorem maxillam non prominentem, ſed inferiori compara rem: χαροποὺς ὀφθαλμοὺς, ἐγκοίλους, οὐ σφόδρα περιφερεῖς, οὔτε ἄγαν πεπιλλωτούς. id eſt, charopos oculos, concauos, non ualde rotundos, neq; admodum proiectos. Glaucos oculos ſplendeſcentes dici, hoc eſt charopos, Apollonij interpres probat: Theodorus charopos in Ariſtotele, libro primo, fuluos interpretatur. Rauam lupam, apud Horatium de oculorum colore dictam interpretantur: quia rauus color, fuluus ſit, ſed nigroris habens aliquid. Proinde rauos oculos, charopos recte dixeris: quando & Porphyrio rauum eſſe fuluum dicit. Charopos, ſubnigros putant alij: ac dici à nobis, uarios. AEgopos uero ſubglaucos intelligũt, ſeu caprinos. Plutarchus in Mario, charopos Germanorum oculos appellat: interpres, horrendos intellexit. Cornelius Tacitus Germanis omnibus eſſe truces ac cæruleos oculos, ſcribit. Adnotandum uero illud etiamnũ, helicopida puellam dici ab Homero, quæ ſit μελανόφθαλμος, id eſt oculis nigricantibus, quam etiam helicoblepharon dicimus. Quod autem helicon, nigrum ſignificet, comprobat Euſtathius: & qui AEſepi fluminis aquam, dixit helicotaton hydor. Sed & apud Homerum Helicopes nũcupantur Græci, quod uarie pro ingeniorum captu interpretantur. Sunt qui ad nauigandi peritiam referant, ut ſint ἑλίσσοντες τὰς κώπας, id eſt circumflectentes remos, uel quod helicem inter nauigandum obſeruent. Putant alij dictos helicopas, uelut axiotheatos, id eſt ſpectaculo dignos, & qui hominum ora in ſe conuertant. Sunt qui ad oculorum referant celeritatem, qui frequenter, prout neceſſe fuerit, huc illuc conuertantur. Quam uero helica in purpurarum teſta nuncupat Ariſtoteles libro De animalium hiſtorijs quinto, Theodorus orbem cuniculatim intortum. Vitruuius, in columnis etiam uolutam. Helicas item ſunt qui interpretentur pſellia, id eſt armillas uel inaures quoq;. Et quia de oculis multa regeſsimus in hoſce libellos, addamus & lepidum Pontani iocum, qui facetiſsime domunculam uerius democulam dici à Macronilla ſolitam fingit: quòd qua die primũ eſt ingreſſus quidam, oculum amiſit. Verum hæc in parerga excurrẽtis ſunt: illuc redeo unde diuerti. Quoniam uero Plinius ſcribit, leonem conuerberando ſe cauda ſtimulandoq; in prælium excitari, ſciendum eſt, ex hoc facto dici eam ab eruditiſsimis alcæam, ἀπὸ τοῦ δι' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν ζέσεσθαι, quod eius incitamento ad fortitudinem exſuſcitetur. Homerus, οὐρῇ μὲν πλοῦραλς τε καὶ ἰσχίᾳ ἀμφοτέρωθεν

Μαστίεται. Callimachus abſurde etiam in muſca alcæam poſuit. Alcis uero Caſtoris & Pollucis numen indicat apud Germanos quoſdam, Tacito tradente. Vra

uero

uero etiam pro cauda dicitur, παρὰ τὸ οὐρεῖν, quod cuſtodire eſt: uel ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν ἐπὶ τὰ ζῶα τῇ οὐρᾷ, quia parte ea ſe concitent animalia, ut leo, taurus, canis. In comico Lexico, non in leone modo intelligitur alcæa, ſed in equo itē & boue, & id genus aliis quæ ut adiutorio, utuntur cauda. Ephelcida cruſtulam intelligūt medicinam profeſſi, quam extrahit plerunq; tuſſis uehemētior: ſed & in ulceribus ephelcida intelligit Galenus. Scribit Nicephorus in Aſtrolabij ſtructura, cor cæleſtis leonis dici baſiliſcum: Qui uero in caueis leonum curam gerunt, leontocomi appellantur. Ex ungue leonem deſcribere, per adagium dicimus: quum certioribus argumentis quippiam demonſtrari ſignificamus, aut à proprietate apertiſsima. Plutarchus in libro De oraculis quæ defecerant: Admirantibus uero qui aderant, Demetrio autem ridiculum ſtatuente, à tam minutis rebus adeo magna uenari, nec iuxta Alceum, ex ungue leonē deſcribere, Cleombrotus ait. Leonem bracteatum Seneca intelligit, peregrinis excultum ornamētis, & naturali deſtitutum generoſitate: quoniam gloriari nemo, niſi ſuo debet. Apud eundem, adagium ſubnotauimus alterū, quod quia perelegans eſt uiſum, appoſuimus: magnis telis magna portenta feriuntur, ſubula leonem non excipit. Iam uero illud notius quàm ut à me explicetur pluribus, Bembinetem apud poetas leonem dici Nemieum, à Bembina Nemeæ uico. Panyaſis,

Δέρμα τε θήρειον βεμβινήτιο λέοντος.

Leo præterea ſolis ſymbolum habet: quoniam τὰς ὥρας ἔχει πυρώδεις, ὁ δὲ πρόσωπος (ut placet nonnullis) πρόγυλος, & in ambitu radiorum quadam imagine etiam pilos, ut ſit plane ſolis ſimulachrum. Quo argumento Hori throno leones ſubijciunt. Eſt autem eo nomine ſol, ἀπὸ τοῦ τῶν ὡρῶν κρατεῖν. Dicitur quibuſdam quoq; leo inter uigilandum præcipue oculos occludere, quos aperiat dormiens. Hinc templorū clauſtris leonem ſymbolice appingebant priores. Non habendum uero inſuper, quod eſt ex hiſtoria obſeruatum, inter Meſopotamiæ fruteta leones uagari innumeros, quos anni tempore præteruido mire infeſtent culices, in locis eiuſmodi admodum frequens malum. Quoniam autem oculos appetant potiſſimū, ceu humecta & collucentia membra, palpebrarum libramentis mordicus inſidentes, agitati grauius aut in flumen leones merſantur, & uorticibus abſorpti pereunt: aut amiſsis oculis, quos unguium aſſultu labefactant crebro, fodicantq;, in amnibus effereſcūt: alias feris id genus præſcateret Oriens uniuerſus. Denicq; σκύζεσθαι, id eſt ſcyſſare leo dicitur, ubi ira feruidus, ac turba canum circumuallatus, defixis in terram oculis, conſurgit in prælium.

Chimæram allegorice tres indicare rhetoricæ partes, uel item uitiorū multiformem uim. Echidna item quid. Chimarus. Eudiæus. Cap. IX

TNcidimus nuper in Heſiodicæ Theogoniæ interpretes: ſcitu digna pleraq; ingeſſerunt ſe nobis. Ergo & inde ſpicilegium fecimus, ne nobis tantum & Muſis (quod dicitur) incineremus, atq; hiſce commentationibus conſperſimus, ut quiſq; exegit locus. Nunc illud enotamus: Chimæram ſenſu allegorico, tres rhetoricæ partes indicare: dicanicum, ſiue iudiciale: panegyricum, ſeu demonſtratiuum: ſymbuleuticum, uel deliberatiuum. ut leo dicanicum præferat genus, quod exterret, ac elingues quodammodo exaduerſum dicentes cōſtituit. Chimæra uero, id eſt capra, panegyrici obtineat typum: quia laſciuiat lætius ſimul qui dicit, ſimul etiam num qui audit. Symbuleuticum genus draconis eſſe aiunt, quod uarium in primis ſit, ac πολύτροφον, id eſt multarum conuerſionum, & longiore ad perſuadendum oratio nis tractu utatur. Monſtri uero mater, ab Heſiodo dicitur Echidna, quā non eſſe aliud uolunt, quàm ποικίλον νοῦν καὶ πολυειδῆ, id eſt uariam multiformemq; mentis uim, aut longiorem, & πολυέλικτον, id eſt multiplicibus implicitam ſpiris artem, Chimæræ inſtar ignis euomentem globos. Cæterum pro ingeniorum tamen captu, ſunt qui uarie admodum Chimæræ figmentum, ad ueritatem reuocent: nam, ut miſſa faciamus alia, eſt qui ἠθικῶς eſſe chimæram putet uitiorum quandam uarietatem, ac multiformem, perinde ac Chimæra eſt, uim: quam perimit Bellerophon, id eſt uir bonus prudensq;, qui Bellerophon nuncupatur, uelut malorum occiſor: nam ex dialecto, bellera uocantur mala, id eſt τὰ βέλτρα. Fuit autem Bellerophon Corinthius patria, Hipponus, id eſt ἱππόνους, antiquo nomine: mox Bellero interempto ſic dictus, ſicuti mythici tradunt

tradunt, & ſcribit Lycophronis interpres. Chimæram peremit, haſtæ plumbo aſſuto, quod collicuerit demum in monſtri πυρπνέοντος σῶμα, id eſt flammiuomũ os coniectum. Deniq; Iobatæ filiam Philonoen, ubi uxorem duxit factus regni compos, more humani ingenij fortunæ afflatu corruptus, Pegaſi adminiculo in cælum adortus auolare, œſtro immiſſo ab Ioue, ad ima deuoluitur, ac cæcus campis errabat Aleis. Quod ideo cõfictum uolunt, quia mente oberraret excuſſus. Nam ex Epicharmi doctrina, νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα πάντα τυφλά. Mens uidet, mens audit, reliqua uero omnia cæca. Sed ad rem paucula adiecta ſuffecerint. Rhetorices initia ex Corace propagata, ſciunt omnes. Hic præpotens fuerat apud tyrannũ Hieronẽ. Quo uita functo, quum eandem requireret potentiam Corax, uideretq; populum ἀσθμαίνοντα καὶ ἄτακτον, nec tyrannidem ulterius pati: in concione, orationis artificioſæ rudimẽta deprompſit. Chimaros, ad chimæram facit nihil: dicitur eo nomine clauus in nauiũ carinis, quo exempto effluit aqua, ne computreſcant: uocatur & eudiæus. Chimaron item genere maſculino hircum indicare, contendunt grammatici: fœminino autem, anniculam capram: nam quæ iam peperit, chimæra dicitur, aut αἶξ.

Prudens Simonidæ commonitio. Pauſaniæ Lacedæmonij tumor. Sapientiam & medicinam eſſe proſtheſin & aphæreſin. Cap. x

COierant forte in ſympoſium idem Ceus Simonides & Lacedæmonius Pauſanias, inſtitit à Simonide is efflagitare, quippiam promeret graue, & quod omnino ſapientiam reſiperet: qui ridens, Μέμνησο inquit ἄνθρωπος ὤν, id eſt, Eſſe te hominem, ne exciderit tibi. Spreuit id eueſtigio Pauſanias, eſſeq; prorſum nihil, eſt opinatus: tumidior iam, inq; Medicos procliuiter degenerãs mores, ac ſibi nimium placens, & altiora meditans, quòd regi foret hoſpitio iunctus. Forſan & uino permulctus ſatis. Verum poſtea quàm omnium inops in Chalcioeco ſe occluſum animaduertit, fame (quod miſerrimum eſt) moriturus paulo mox, tunc demũ reſipiſcens, Simonidæ dictum perpendere amplius cœpit: ſed ita, ut inter æſtuantis animi conuulſiones, ter in eam prorumperet uocem, ὦ ξένε Κεῖε, μέγα τι ἄρα λῷ χρῆμα ὁ λόγος σου, ἐγὼ δὲ τῶν ἀνοίας οὐδενὶ αὐτὸν ὤμην εἶναι. id eſt, ὁ Cee hoſpes, magnum igitur quiddam oratio erat tua: ſed præamentia, eſſe nil ipſe opinabar. Cæterum hominis non ferendam Græcis, & Spartæ in primis, elationem retegit abunde parum prudens eiuſdem factum: quippe fuſis Perſarum copijs apud Platæas, Apollini tripoda dicaturus carmen addi iuſsit, cuius ea fere ſententia eſt, Græcorum ſe ducem, extrito barbarorum exercitu, tripoda deo tali nomine obtuliſſe. Sed Græce ſic,

ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐὼν στρατὸν ὤλεσε μήδων,
Παυσανίας, φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

Pauſaniæ tamen continentiam in mulierem Coam, ad ſuos remiſſam prorſus inuiolatam, admirari ſe ac laudare, in Laconicis rebus Pauſanias fatetur, ſimul quod à contumelijs in Mardonij defunctum temperarit. Sed nimirum adhibenda in conſilium ſemper ſapientia eſt, de qua non minus quàm de medicina, confingi elogium poteſt, πρόθεσιν eſſe eam καὶ ἀφαίρεσιν: ut quæ defecta ſubſtituat, redundantia reſecando concinnet, ſtruatq; medij compotem uiam.

Agrigentinorum luxus, & Tarentinorum: necnon de Cyreneis paucula. Vini apud Græcos ſpecies. De myrite, myrobrechis, ac Polio in primis. Atrapon, uel apotropon uinum, item Surrẽtinum, aparachytũ, aminæum cirrhum. Cirrhota medicamẽta. Dichromi. Melinæ. Ochron uinum, & Sybates. Vinum cur Græcis dicatur οἶνος. Vini utilitas. Oeniſteria quæ intelligãtur. Oenopipas quid, & Parthenopipas. Hieronymi locus reſtituit. XI

AGrigentinos Plato uitæ medicus & ductor longe clariſsimus, quum intueretur ſuſtructiones (ut plane dicam) inſanas, impẽdio excitare magnifico, ac compari modo gliſcera & adipata inſtruere conuiuia, dixit, Τοὺς ἀπραγμονεστάτους οἰκοδομεῖν μὲν, ὡς ἀεὶ βιωσομένους, πίνειν δὲ, ὡς ἀεὶ τεθνηξομένους. id eſt, perinde Agrigentinos ædificare, ac ſi uicturi perpetuo forent: itemq; conuiuari, uelut ſemper morituri. Eoſdem Timæus prodit, lecythis quoq; & xyſtris uſos argenteis, etiamq; lecticas ex ebore habuiſſe totas. Tarentinis inueterati fuit

ti fuit moris, matutinis ſe poculis ita inuitare, ut iam frequentiore foro, temulẽti plane uiſerentur. In tantum porro deliciarum producti Cyrenæi ſunt, ut legum conditorem habere Platonem concupierint: qui tamen illorum admiratus ignauiam & ἀβελτερίαν, indignos habuit quibus obſequeretur. Calculum adiecit ijs in Marica Eupolis quoq;. Verũ ne Græcos quidem à delicijs fuiſſe procul, dilucet argumento uel uno, mixtum quippe unguento uinum bibere non erubeſcebãt. Dicebatur autem id myrites. Nam & myrobrechos, unguẽtaria dicunt uaſa, de inſtillandi uſu nomine conciliato: dicisic & olfactoria ualent. Myritæ comicus meminit Philippides. Vina apud eos præcipue celebrata fere habentur hæc: Pramnium, quod Cereri fuit ſacrum, Chium, Thaſium Lesbium. Erat in ijs, quod à re γλυκὺ nuncupabatur. Creticum, & apud Syracuſanos Polium, Coum, & denicq; Rhodium. Quod autem maluaticũ modo dicitur, ex Creta, ſunt qui à ueteribus dici paſſum opinentur. Id non prætereundum uticq;, grammaticæ uideri aſſertionis, Polium, id eſt, πολίον, nuncupari uinum album. Accentiunculam re uocat ad penultimã AElianus, & πόλιον ſcribit. Quin appellatum ſic opinatur ab indigenæ regis nomine. Vinum autem atrapon, id eſt ἄβραπον, quod & apotropon dicunt, intelligi uoluere ἀπόσαγμα, id eſt deſtillationem, quæ fiat priuſ quàm exculcentur uuæ: ſicuti interpretatur Horus: ſiquidem τραπεῖν, Græcis eſt τὸ πατῆσαι, id eſt calcare. Illud ſane mirum, ab Plinio proditum, dicere ſolitum Tiberiũ, cõſenſiſſe medicos ut nobilitatem Surrentino darent, alioquin eſſe generoſum acetum. Quum tamen Therapeutices duodecimo, Galenus in uini mentione de Surrentino ſcribat, illud mediocriter ſubſtringere, alijs calidius ac ſuauius. Aparachytũ intelligunt uinum, cui marinæ aquæ nil fuerit admixtum. Aminæam uitem in Neapolitanis agris naſci, Galenus auctor eſt, unde ſit etiam nominis origo. Cirrhum uinum quod nam intelligi debeat, uarie (uti uideo) explicatur. Sunt qui cirrhum, colorem giluum interpretẽtur apud Gellium, ubi Mneſithei affertur ſententia: eſſe tria genera uini, nigrũ, album, medium, quod uocant λιβυρνον. Giluum putat Seruius colorem melinum: ſunt qui cinericium. At Galenus: Cirrhũ, inquit, ſi aliter cupias enunciare, recte prorſum dixeris πυῤῥὸν ὠχρόν, id eſt fuluum palleſcens. Quanquam ſunt & medicamenta κιῤῥωτά, id eſt cirrhota, uel cirrha, ijs adnumerata quæ uocantur κολλητικά, ueluti quæ ex bitumine concinnantur: & neſcio quomodo barbaras nuncupant emplaſtros. Comparãtur uero cirrha ex lithargyro καὶ τοῦ ἰοῦ, amplius ſi percoquantur. Sed ſepoſitis obducitur phæi coloris ἐπίπαγος, ex quo pharmaci intima uiſuntur cirrha magis, quàm ab initio: quo nomine nuncupant nonnulli emplaſtros id genus λιχώμους: quidam uero etiam λιπαρόσωπους. Quòd ſi excoquantur leuius, fiunt emplaſtri, quas melinas dicunt, id eſt μηλινοὺς. Eſt inter uina, quod ὠχρόν, id eſt palleſcens dicitur: item ὠχρόλευκον, id eſt expallido albicans: & ὠχρόξανθον, id eſt ex pallido flauum. In Cilicia uinum celebratur Sybates: in Aſia, AEgaulien ac Perperinum. Apuleius in præceptis ruſticis, quod Collectaneorum ſecũdo, apud Græcos adnotatum comperi, uino conſpergi ſemina monet, uti ægrotent minus. Et quia in uini mẽtionem incidimus, etiam ſi alibi forte profluentius ueterum ſcita rimabimur, non ſepoſitis medicæ ſcientiæ profeſſoribus: interim adijciamus illud Platonis ex Cratylo, dici à Græcis uinum οἶνον, ἀπὸ τοῦ οἰγόντως τὸν νοῦν ἐμπιμπλᾶν, quòd exiſtimatione ac opinionum uanitate mentem oppleat: uel ἀπὸ τοῦ ὀνίνασθαι, id eſt ab emolumento. Quod illud comprobat Homericum, ὀνήσασθαι ἄλκι πίνοντα, id eſt iuuamen ſenties, ſi biberis. Nam & cibaria dici ὀνήατα, nouimus eadem etymi ratione. Iis calculum adijcit poeta Cyprius:

οἶνόν τοι μάλε Μενέλαε θεοὶ πόνησαν ἄριστον
θνητοῖς ἀνθρώποισιν, ἀποσκεδάσαι μεριμνῶνας.

Vinum, ô Menelae, fecerunt dij, curis diſſipandis uel præſtãtiſſimum. Pergit deinde: Bene ſentiẽtibus, inquit, tria tantum propino pocula: ſanitati primum, amori alterum ac uoluptati, tertium denicq; ſomno. Quod ubi hauſerint ſapientes uocati, mox domui tionem capeſſunt. Quartũ non uticq; noſtrum opinor, ſed iniuriæ. Galenus medicæ artis ſcientiſſimus, uino ſemicrudos concoqui humores comprobat, æque ac re alia: ſudorem prolici quoq;, ac urinam, necnon conciliari ſoporem. Cæterũ addatur & id auctarium, οἰνιστήρια, id eſt œniſteria, fuiſſe libationis genus iamiam pubeſcentibus perfamiliare

familiare Athenis: siquidem prius quàm τὸν μαλόν, id est demissiorem præciderent comam, uini mensura in Herculis templum illata, prolibantes, conuenientibus potũ exhibebant. οἰνοπίπας pro temulento dicitur Græcis, παρὰ τὸ πιπίζειν: quòd fugere signat. Sic & apud Homerum dicitur παρθενοπίπας, uirginum spectator, uel etiam deceptor. Hinc commonemur, illud Hieronymi ad Eustochium planè interpellatum, posse in integrum restitui. Sic uerò legitur de sene quodam monacho: Huic inimica castitas, inimica ieiunia, prandium nidoribus probat, & altilis γηροπίπης, uulgò pipizo nominatur. Ipse malim legere γέρων οἰνοπίπας, id est senex temulentus: quem plebeia uoce pipizonem dici solitum, ex ijs quæ antea paulò attulimus coniectare licet. Nam & modo pullatum uulgus multibibos solet spongias nuncupare. Quin & Demosthenes quibusdam laudantibus Philippum, συμπεῖν ἱκανόπατον, respondit, ὦν ἀπογιᾶς, οὐ βασιλέως εἶναι ἐγκώμιον. Hinc & Varronis forsan locus rectè ualet restitui apud Marcellũ in uerbo Temulenta: Qui in omni uita heluo, πσπ, olfecit temetum. Scribendum πίπας, uel οἰνοπίπας. Altili porrò arrisérit amplius, quàm altilis. Quin illud uulgò pipizo nominatur, forsan insititium fuerit, & ab curiosiore quopiam superadditum.

Absurdus quorundam amor aduersum inanimata. Quos amauerint bruta. Fortunæ bonæ simulachrum Athenis. Polyxenæ historia. Cap. XII

AMorem esse uticq; rem præcipuè mirã, & à maioribus ductam initijs, quàm suspicetur omnino, uel sciat plebs uulgaria, profluentius alicubi monstrabitur à nobis: interim, quæ in hoc proposito ingerunt se absurda, & quæ nequeas mirari satis, transposuisse, ab re omnino haud est uisum, quando suis non contenta límitibus affectio hæc, uelut effrenis, longius rapitur aliquanto, uel usq; in stuporem. Ostentatur uerò in censura præsenti omniũ princeps, & quidem rex, terræ etiamnum ac mari grauis Xerxes, à quo insigniter amatam platanum, multorum literis proditum, non me fallit. Sed adolescentis honesto loco Athenis nati amor longè clarior: erat propè Prytaneum simulacrum ἀγαθῆς τύχης, id est fortunæ bonæ. Id amare feruentius ille cœpit, moxq; in affectionis id genus familiarem ita erupit uesaniam, ut amplexaretur arctius, ac blandius suauiaretur. Demum desiderio extabescẽs, ac uelut œstro concitus, & planè furens, in senatum pergit ire, atq; inibi extentis precibus rogat, fieret sibi statuæ potestas, uim pecuniæ grandem uicissim paratus erogare. Consultus uerò ita senatus decernit, non uideri è ciuitatis dignitate negotiationem illiusmodi. Adolescens rei atrocioris ictus grauitate, ad statuam, ubi uinculis cupidinis distinebatur animus, celeriter se prorípit: illam tæniis multis perornat, corona quoq; iniecta, & cultu item alio indicaturæ non paruæ circumposito, ac re mox diuina obita, desiderium (uti uidetur) non ferens manum sibi inter affluentius manantis lachrymarum riuos admouit. Illa uerò irrationalis naturæ miracula sunt. Quippe Glaucen citharistriã adamauit canis, siue is fuerit, quod arridet alijs, aries, aut etiam anser. Apud Cilicíæ Solos Xenophontis puerum dilexit canis item, forma præcellentem. Spartæ adolescentem graculus, quem κολοιόν dicunt Græci: sed monedulam Theodorus retulit. Hæc uberius hoc recensuisse loco uolui, ut Plinio assertor uenirem, cuius auctoritatem dilui audio à supercilíosis nescio quibus ac benè pransis, etiamq; unguento delibutis, dum scriptori nobilissimo, ut mendaciorũ parenti (sic enim dicere permittunt sibi) subinde colaphum ducunt. Iam uerò ut rationis compotes non reijciamus omnino: scribit Philostratus Phalius Polyxenam urbe egressam citra ullum comitatum, Ilio necdum à Græcis capto, seipsam ad Achillis tumulum iugulasse, illius desiderio nimirum heroís, coniectantem in reliquum natalium tantorum nuptias sibi haudquaquã oblatum iri.

Vestium delicias & simulatum contemptum uideri superbiæ indicia. Diogenis ad id & Socratis auctoritas. Quid præstet philosophia. Cap. XIII

INter cætera quæ scienter admodum protulit, nec citra salis gustum, apophthegmata Diogenes, recenseri aptè possunt illa quoq;, præsertim quia uitæ documẽta suggerunt, quæ sui oblita sæpius, inani tumescit opinione, nec suo se metiri modulo ita imbuta, itaq; auctior facta unquam ferè ualet. Is inquam Diogenes, egregius (ut uidetur) humani ingenij æstimator, quum adolescentulos conspexisset Rhodios sumptuose admodum conuestitos, &

delicatè,ridens τύφου ἔφη σου ὄγκον, ſuperbiæ prorſum indicia, inquit, ſunt hæc. Mox quum & Lacedæmoniſ fortè occurriſſet, quibus ſubſtrictior tunica, citracp humeros deſiſtens,cuiuſmodi ἐξωμίδα uocant Græci,perfamiliaris eſt, nec uilior modò, uerũ & ſordens multo ſæpius, ἄμου, ἅπαγε, οὗτος τύφος. Altera,inquit,ſuperbiæ ſpecies iſta. Quod & ab Ariſtotele reprehenſum ſcimus Moralium quarto, ubi arrogãtiæ propria expẽduntur. Cæterum nec à Diogene modo fœde proſciſſa hominũ nimio plus oſtentatio frequens,& interim excipienda riſu:ſed & uanitatem id genus retexit grauiſuper cilio Socrates,cui inſolentior eſt uiſus Antiſthenes: qui ratione inuſitata, ſed non ſine uafricia laceram indumenti portionem uiſentibus nunquam non ingerebat, captans indidem præcelſi animi,& quæ mortalium plericp omnes uel ad ſtuporem mirantur, deſpicantis opinionem:proinde morũ cenſor grauiſſimus, οὐ παύσει γναπλαπτόμενος ἡμῖν, Non deſines,inquit,amplius te nobis curioſiuscp ornare? At quum Platonis toros exculcaret Diogenes: Calco,inquit,Platonis faſtum. reſpondit Plato, Calcas quidem,ſed alio faſtu. Quanto præſtabilius id, quantocp exoſculandum magis, quod de Eretrienſi lectum adoleſcentulo eſt,qui diu Zenone uſus præceptore, quum in patriã uelut poſtliminio rediret,ſcitante uehementius patre, quid demum ex ſapientiæ hauſiſſet fontibus:Commonſtrabo,inquit. At pater indignabundus hoc nomine, uelutiopera planè periiſſet,ac impenſa:quum intentaret plagas, clementer filius & quietè inſolentiam ferens,Ipſum hoc,inquit,ex philoſophiæ retuli contubernio, ut parẽtis iram poſſem concoquere. Porrò Hieronymus ſecus multo:Sordidæ (inquit) ueſtes, candidæ mentis indicia ſint. Mundi contemptum probet uilior tunica,ſed ita,ne tumeat animus,ne habitus & ſermo diſſentiant.

Ouis monſtrificus partus,quo leo eſt natus. Cap. XIIII

IN Co inſula,rarum dictu,apud ueterem auctorem fidei integræ & grauitatis nõ dilutæ,legimus,monſtrifica & ideo mira præcipuè,ut uix nõ ficta uideatur,& de ingeniorum Græciæ afflatu producta,ratione:de grege ouiarico Nicippi,ouem nõ ritu naturæ agnum,ſed leonem peperiſſe. Prodigiale id (ut erat) uiſum multis:ſiquidem Nicippo tyrannidem portendit, quam mox is eſt cõſequutus,quum ædito monſtro priuatum adhuc ageret. Illud minus monſtrificum, M.Sillanum (ut tradit hiſtoricus Dion) ab Caligula dici ſolitum, χρυσοῦν πρόβατον.

De Galete formoſo quidem,ſed moribus apprimè probis. Cap. XV

REgi Ptolemæo,ueteri ac etiamnum Platonico more,gratiſſimum fuiſſe adoleſcentulum Galetem nomine,ex Græcorum nouimus hiſtoria. Erat is forma ſpecioſus decenscp cum primis:ſed enim animi propoſito ac ſenſu ſpecioſior multo decentiorcp. Quod & Ptolemæi elogio teſtatius etiam factũ eſt,qui eximiam illius admiratus probitatem dictitabat ſubinde: ὦ ἀγαθὴ κεφαλὴ καὶ νοῦν μὲν οὐδὲ πόποτε οὐδενὶ γεγονὰς ἄπου. ó amicum caput ex te quidem in quempiã nil eſt unquam profectum mali,ſed bona utique multis, & multa conciliaſti. Contigit fortè,adoleſcentem cum rege in equo expatiari:qui quoſdam procul ad ſupplicium duci quum foret intuitus,non inſuper habens illorum calamitatem, ad Ptolemæum conuerſus. O rex (inquit) ex quo dæmone miſerorum bono, equis uehentes huc producti ſumus:age,ſi uolenti eſt tibi,ſubditis calcaribus aduolemus eueſtigio,infelicibus futuri,uelut Dioſcuri ac Sòteres & Paraſtatæ,ſicuti nuncupari illos nouimus,ut quiſalutem impertiantur,& in calamitate ſalutari præſidio ſint. At Ptolemæus probitatem exoſculatus,& miſericordem animum,ac eo nomine lætior, illos dimitti protinus imperauit:& ab hac,tanquam Philtro delinitus, in adoleſcentis amorem multo factus propenſior eſt.

Munuſcula haud ſpernenda. Perſarum regis mos in ijs. Honoraria, uel aduentitia. Horæa. Troximi. Horæ. Salſamentorum genera. Thunnia. Hora, pro æſtate. Prodici liber. Horapollo. Horatius. Perſarum & Thracum mos in muneribus. Cap. XVI

IN Sſe animi præcelſi ac prorſum regij, munuſcula, uel ab infimæ fortunæ hominibus collata communicata'ue non aſpernari,uerum erugata & reniden-

ti fronte potius excipere:quum pleriſcp ſapientium documentis,tum exemplo

plo ingenti abundè inſtruimur commonemurq́. Lectum quippe eſt, Lege apud Perſas eſſe ſancitum, ſeruatum quoq́ pertinaciſſimè, ut quandocũq́ in Perſas pergat rex, pro facultate unuſquiſq́ cum muneribus, quæ honoraria dici ualent, aut aduentitia, ſalutatum eat. Ferunt autem, ut qui agricolationi fermè intendant, nec laboris uicarios ſibi quærant, cuiuſmodi ὠνουεγούς nuncupant ſignanter Græci, nil pretij grandioris, qualia multa plerunque per iniuriam comparantur, & contumeliam: ſed bouem hic, alius ouem: ſunt qui frumentum aut uinum. Dicuntur uerò hæc, dona. Quòd ſi quidem, uti aſſolet, amplius premat penuria, lac profert, aut palmas: caſeum quoq́, uel id genus primitias alias, ut τρωκτὰ ὡρᾶια, ideſt maturas fruges. Nam & troximos, uuas intelligimus quæ eſui ſunt. Horæa uariè accipiunt Græci: ſic enim nuncupant interdum tempore ſuo collectos fructus. Nam & quæ uigent, ac pulchritudine non carent, ſic item dicuntur. Sed & ſacra horæa ſunt, καθ' ὥραν σωτελούμενα, id eſt opportunè obita. Tamen ὡρᾶια θύειν, eſt frugum offerre primitias. Dies quoq́ feſtus eadem dicitur appellatione. Porrò Græcis duobus generibus diſtinguũtur ſalſamenta, quando alia dicunt horæa, alia uerò thunnia: quorum commeminit Athenæus quoq́. Horæum uidetur à temporis nũcupatum opportunitate. In eo pinguibus antecellunt macra: in altero, macris pinguia. Macris adnumerantur cybia, pinguibus cordylæ. Cybiorum mentio Poſidippo eſt. Hora, medicis & ruſticæ rei ſtudioſis æſtatem indicare uidetur præcipuè: nam æſtiuum mel, uocari horæum Plinius interpretatur, ab tempeſtiuitate præcipua. Quin fructus æſtiuos omnes horæos dixeris recte. Ioannes grammaticus tamen apud Heſiodum, ab horis anni quatuor productos mauult intelligere. Non temerè prætereundum illud: Prodici librum nobilem fuiſſe ueteribus, cui foret titulus ὧραι, in quo Herculi occurriſſe comminiſcebatur uirtutem, & κακίαν, id eſt uitioſitatem, ſeu uitium ut Hieronymo placuit: quarum utraq́ illum allectaret ad ſe, qui tamen illius cum laude perpetua ſudores cenſuerit antiquiores, quàm huius inanem ad tempus uoluptatũ frui tionem. Prodicus tamen regis pupilli tutor Spartæ dicebatur, ut Xenophontis illud intelligas Rerum Græcarum tertio, Ageſipolidis prodicum dicentis Ariſtodemum: qui uerò ſunt regis ſyntrophi, hoc eſt ſimul educati, Samothraces nuncupantur. Horapollo grammaticus ex Aegypto nobilis fuit, arte clariſſimus, nec ullo ueterum Theodoſij tempeſtate gloria inferior. At leuioris operæ illud, Horatiũ à Græcis ſcribi ὠρῳ-πον, neq́ enim aſpirant primæ. Quod uerò ad munera pertinet, adnotatum id in Græci hominis cõmentarijs, Perſarum inſtituti eſſe, munera prius conferre, quàm ab alijs accipere. At, inquit, diuerſum Thraces faciunt, & nunc Romani. Meminit Thraciæ conſuetudinis hiſtoria ſecunda Thucydides, addens, illis fuiſſe dedecus præcipuum, ſi rogati non dediſſent: roganti, nec aſſequuto, non ita. Mox infert, οὐ γὰρ ὧν πρᾶξαι ἀλλὰ μὴ διδόντα λῶρα.

Olympici certaminis in Græcia, quæ tradantur initia. Item ad id ſpectãtia pluſcula. Hellanodicæ qui. Monampycia, ampyx, altis. Altius Iupiter. Deorum incognitorum ara. Occaſionis ara. Gæus. Terræ oraculum. Iamidarũ oraculũ. Embolus. Echus porticus. Cronius collis. Piſa unde. Taraxippus. Temporum ex Olympionicis ſupputatio. Cap. XVII

OLympica certamina fuiſſe ueteribus Græcis celeberrima, nemo à ſtudijs feriatus adeo eſt, ut eũ iſta poſſint latere. Quæ uerò tradãtur initia, & uelut incunabula rei clariſſimæ, fortè nec omnibus tritum. Propterea quæ mihi comperta ex libris ſunt, huic protinus parti impingam, ne uidear ἀπροσδιόνυσος. Quum ex Saturno & Rhea natus foret Iupiter, Idæis dactylis, qui ijdem & Curetes ſunt, infantis cõmendata cura eſt. Ex Cretæ uerò Ida ueniſſe in Olympiam eos, conſtans tenet fama, Herculem uidelicet, Peonæũ, Epimedem, Iaſium, Idam. Interim Herculem, ut qui foret omnium natu maximus, colludentem ad currendi certamen fratres prouocaſſe, ac uictorem ex eis coronaſſe, κοτίνου ἐλαΐδι, ideſt oleaſtri ramo, etiam ſi non excidit, quid à me alibi ſit perſcriptum. Arboris uerò eiuſmodi ſuppetebat copia, ut folia quoq́ ad cubandum ſubſternerẽt ſibi. Ad Græcos autem ex Hyperboreis uſq́ ab Hercule oleaſtri arborem tralatam memorant, qui dicantur ultra Boream habitare, Quod & in Olympijs ſignificare Pindarus animaduertitur, aſtipulante interpretum

calculo:à quibus id item proditur,in Olympicis cotino ſolitos coronari, in Pythijs lauro,in Nemeis ſelino uirenti,id eſt apio,in Iſthmijs ſelino item,ſed areſcẽte: utraq; enim epitaphia ſunt certamina,& inferis ſacrum creditur apium. Ita ergo ad Idæum Herculem ſacri huius agonis primæ referuntur origines:quæ & ab eo ſint Olympia nuncupata.Quinto autem quoq; anno celebrari inſtituiſſe,quòd fratres quinq; numero forent. Ex Græcis tradunt nõnulli,Herculem poſt debellatum Augeam Elidis regem,Soliſq; ac Teleboes filium,à quo aula expurgata,præmio exuebatur merito, quum Elim eſſet depopulatus,ex manubijs Ioui Olympicũ inſtituiſſe certamen,quod quinto quoq; celebraretur anno,uel (ut manifeſtius dicam)quinquageſimo quoq; menſe.Initio autem quum in palæſtrã Hercules multos prolectaret:nec auderet tamen aliquis, luctatorem aſſimulans Iupiter illi ſe obtulit:quumq; nutans diu ſtetiſſet uictoria, filio demũ ſe aperuit pater.Hinc Lycophron in Alexandra Palæſten uocauit Iouem.Quinq; diebus celebrabantur Olympia,poſt lunæ undecimã quintadecima tenus: uerum præludia erãt diebus triginta.In Olympicis uerò certaminibus principem omnium legimus uiciſſe ſtadium Licymnij filium Oeonum,id eſt οἰωνόν, palæſtram Echemum Tegeatẽ. At cæſtu primas tuliſſe Doryclum:quadrigis Samum Mantineum,cuius in Theſeide meminerit Diphilus,

Τρεῖς δὲ ϖώλους ὁ μαντινεὺς σῆμ@,
ὃς ϖρῶτ@ ἅρματ' ἔλασε ϖαρ' ἀλφεῷ.

Sunt qui Sarum dicant hunc,id eſt σᾶρον. de quo non tacuerit Heſiodus.Iaculo præſignis Phraſtor fuit:diſco Eniceus.Poſt Oxylum regem,quum defeciſſent olympia,demum ab Iphito inſtaurata traduntur:ac currendi certamen propoſitum primo: inq; eo Eleum Chorœbum uiciſſe.Olympiade mox quarta & decima acceſſit & diauli agon, & Piſæus Hypenus eſt coronatus. Octaua & decima pentathli & palæſtræ reſtituta memoria eſt.Tertia uerò & uiceſima pyctis,id eſt pugilibus propoſita præmia.Olympias quinta & uigeſima equorũ uidit curſum,quos τελείους, id eſt perfectos adultos ue dicunt,ac curru uictor pronuntiatus Pagondas eſt Thebanus. Ab hac porrò,olympia de octaua,pancratiaſtæ in puluerem prodiere: ac item equi κέλητες. Vnde Monampycia Pindaro nuncupata.Eſt autem propriè ampyx,capitis obligamentum ac auro & lapillis ſplendicans lorum,capiti circumiectum fœmineo. Verum metaphoricè auro litum ſic nominant frenum.Ex quo & χρυσάμπυκας ἵππους Homerus appellat: ſed alibi ἄμπυκα dixit κεκρύφαλον. Pueris curſus, & palæſtræ propoſita comperio præmia olympiade ſeptima & trigeſima. Quin & ijdem pyctæ quadrageſima primum olympiade creduntur admiſſi.Poſtea bellicæ meditationis gratia,armatorum, qui uocantur ὁπλῖται,probata concertatio quinta & ſexageſima olympiade.Synoris,id eſt, σωωρείς, quæ duos habet equos τελείους, admiſſa fertur tertia & nonageſima olympiade,ut primo Rerum Græcarum ſcribit Xenophon.Mox nona & nonageſima currui admotis etiam pullis equis,placuit certare.Concinnata poſterius item pullorũ Synoris: nec diſplicuit κέλης pullus,ad pancratium denicq; etiam pueris admiſſis. Fuit apenes,id eſt ἀπήνης, item curſus, ſed & calpes. Hæc uerò equam habebat,ſed ita ut extremum curſum anabatæ, hoc eſt ſeſſores ipſi deſiliendo,apprehenſis manu habenis,ut docuit Pauſanias,perficerent.Quod inquit,uel ad mea ſeruatum tempora eſt. Apene autem ἡμίονος ἀντὶ ἵππου ἦχε. id eſt, mulas equorum loco iungebat. Celeta inſtituiſſe Bellerophon traditur primus: Synorida uerò Caſtor:Currũ Erichthonius Athenienſis: Aſtraban Oxylus Aetolus.De agonothetis uerò ac certaminum præſidibus ſic fermè uideor obſeruaſſe.Piſſatas templi principes ac præſides fuiſſe primos, ex eorum prædicatione,ſcribit Rerum Græcarum ſeptimo Xenophon.A quo & Dromica Pentathlinominantur.Iphitum utiq; ſolum agonem poſuiſſe.Olympiade uerò quinquageſima forte capti duo uiri ſunt ex heleis,quibus Olympiorũ iniuncta eſt cura. Diu numerus hic ſeruatus.Poſtea hellanodicas habere placuit,quorum tribus equorum curſus incumbebat cura.Totidem pentathli erant ἐπόπται, id eſt inſpectores. Certamina uerò alia procurabant reliqui.Adiectus non multò poſt & decimus agonothetes. Denicq; duodecim facti hellanodicæ,quod Eleorum totidem forent tribus.Sed parte agri Arcadico amiſſa bello,tribuum imminuto numero,ad octo relapſi ſunt.Rurſumq; ad denariũ aucti perſeuerarunt.Hinc eſt elegãs illud Libanij in quadam Declamatione,legẽ qua concede-

concedebatur fortiter, ac ſtrenuè bellum gerenti præmium, quod optaſſet, rectè nuncupari uirtutis hellanodicen. Lucus Ioui ſacer Altis nũcupatur. Nam & Pindarus Olympionicen uirum celebrans locum uocat Altin. περὶ δὲ πάξας inquit ἄλπεν μὲν οὐ ἐν καθαρῷ δένδρεσιν. Nam & Ariſtodemus circa Olympiam ſic nũcupari locum ſcribit, unde Iupiter cognomento Altius celebretur. Sunt qui Altin eſſe interpretentur adytum, alii qui uerò etiam templum. Structum uerò Iouis templum ac ſimulacrum de manubijs, bello Piſæis ſuperatis. Simulacri auctor Phidias, teſtante idipſum Epigrammate, pedibus adſcripto, Φειδίας χαλκίδης ὁ ἀθηναῖος μ' ἐποίησεν.

Templum ſtruxit Libon indigena. Tegula non utiq; coctilis eſt, ſed ei perſimilis, cuius inuentor Byzes fertur Naxius. Perfecto ſimulacro, dicitur Phidias deum comprecatus, ſi abſolutum ex animo uideretur opus, ſigno id quopiam aperiret, cõfeſtimq; de cælo tactum pauimẽtum eſt. Quod uerò in paluſtri loco ſitum eſt templum, ſimulacro cõferre eburneo oleum tradunt, quod & infundunt. At in Acropoli, quæ in ſupercilio eſt, & proinde perarida, Pallados, quam Parthenon uocant, eburneæ ſtatuæ prodeſſe multum creditur aquæ inſperſionem. Memoriæ porrò traditur, populneis modò lignis in Olympici Iouis ſacris uti, fas putaſſe Eleos. Nam in Græciam Hercules ex Theſprotide, ubi apud Acherontem fluuium naſcitur plurima, attuliſſe creditur primus, atq; lignis eiſdem Iouis obiſſe ſacra. Ex hiſtoria porrò hac uidetur Homerus λόφῳ nuncupaſſe ἀχρωίδα. Fuit apud aram Olympici Iouis ἀγνώστων θεῶν item ara, id eſt deorum ignotorum. Sed & in locis eiſdem agnoſcebatur Mercurij Enagonij ara, & καιρός, id eſt occaſionis. Quando & ab Ione Chio concinnatus eſt καιρὸς hymnus, quem fingit natu minimũ filiorum Iouis. Erat & locus, quem uocant Gæum, id eſt γαῖον, in quo & γῆς, hoc eſt terræ ara. quanquam & antiquitus fuit etiam γῆς μαντεῖον, quem intelligimus uaticinãdi locum. Sed & inibi Iamidarũ celebratur oraculum ab Iamo principe, quem à draconibus educatum cecinit Pindarus, Euadnes filium & Apollinis, à uiolis, inter quas iacuit molliter, indito nomine. Peragi uerò ſolita uaticinia ibi comperi, in ignem coniectis uictimarũ pellibus, uel (ut alijs placet) conciſis, ex cæſuræ obliquitate, aut rectitudine uaticinio captato. Et quoniã oleaſtri & hic & alibi facta nobis mentio eſt, amplius aduertendum, Pauſaniã ſcribere, in Olympia fuiſſe Cotinon, id eſt oleaſtrum, quę diceretur ἐλαία καλλιστέφανος, unde darentur coronæ Olympia uincentibus, Nymphisq; adoptatum cognomen Calliſtephanis, quarum uiſeretur inibi ara: ſicuti in carceribus Iouis, quem uocãt μοιραγέταν, quod norit omnia, quæ contribuãt Parcæ, quæq; nõ permittantur ex fato. Videtur & Hippodromi pars inibi nũcupata Embolus, ubi ſtetit Martis Hippij, id eſt equeſtris ara. Sed & Pallados Hippiæ. Nam alicubi Iuno itẽ dicitur Hippia. Embolum inueni etiam pro pudendo poſitum: ἐμβόλιμα ἔπη eleganter admodum pro nothis reiectisq; carminibus, ac uelut inſititijs accipiunt Grammatici, quoniam & menſes ac dies embolimos nuncupamus intercalares. Lacedæmonios in certaminibus renudaſſe corpus omnium primos, Thucydides ſcribit. Orippum Megareum hoc feciſſe, teſtari uidetur Epigramma:

πρῶτος β' ἐλθὼν ἐν ὀλυμπίᾳ ἐστεφανώθη
γυμνός.

Apud Eleos in Prytaneo Heſtiatorium fuit, ſiue cœnaculum, ubi Olympionicas conuiuio excipere, moris fuit. Intra Altin fuiſſe item Pœcile porticus dicitur, quæ & ἠχοῦς nuncupetur, quoniã clamanti ſepties reſponſet uox. Ad Cronium deniq; collem Olympia prope Piſam ſolita celebrari, innuit Pindarus, & exponunt interpretes. A quibus & illud proditur, dici Piſam ab Endymionis filia, cui nomẽ Piſa. Sed & in Pindaro, λειόντα πάγον legimus quandoq;. At Lycophronis interpres Olympiam prius λειόντα λόφον nuncupatam, auctor eſt, uel Lycophrone aſtipulante. In propinquo tumulus uiſebatur Iſcheni gigantis Mercurio & Hieria geniti. Eum nuncupabant Taraxippum, quod illuc aduentantes equi ratione occulta mirè exterrerentur: fuit enim ibi καμπτὴρ, id eſt flexus. Conſuetum autem Græcis ex Olympionicis tempora in digitos mittere: id uerò incertiſſimum eſt, inquit Plutarchus. nam eorum exſcriptionem ſerò eſt adortus Eleus Hippias, nullo admodum ſubnixus ad fidem neceſſario argumento.

Dentes'ne an cornua dici in elephantis debeant. De Alce fera & Aethiopicis tauris. Elephanti quando primum in triumpho ducti. Plinij locus de flumine annulo in elephantorum hiſtoria libro octauo. Caput XVIII

QVæ in elephante cornua ferè nuncupantur, auctores eminentiſſimi dicere malunt dentes. Sed enim, quia quæ in literis comperta mihi, non ſuſtineo in ſanctaria intrudere, non temperabo hac parte, quin tralatam Pauſaniæ doctiſſimi hominis ſententiam artium bonarum ſectatoribus mox proferam, qui argumentis aliquot peruincere connititur, cornua rectiſſimè profecto nuncupari, dentes minime. Primum, inquit, aſtruentibus diuerſam opinionem perpendenda diligentius Gallicæ feræ natura, quam uocant alcen. Spectandi & tauri Aethiopici. Alcis utique in ſuperciliis adnaſcuntur cornua, ſed maribus modo: nam fœminæ prorſum eo carent adiumento. Aethiopici uero tauri è naribus cornua proferunt. Quæ quum ita ſint, cui nam fiat admiratio inſignis, quum ex animalis ore promi cornua uideat, audiatue? Sed ſuppetunt & argumenta hæc, cornua utiq; per annorum periodos corrupta decidunt, ac rurſum ſuccreſcunt protuberantq;. Probant id cerui, probant & dorcades. Verũ elephantis itidem cõtingit. Dens uero adultiori præſertim excuſſus quando ſuboriatur? Aut ubi nam renaſci compertum? Vel ſi dentes ſunt, qui ex ore proferuntur, non cornua, qua nam ratione progerminant denuo? Adde, quòd ignibus indomiti fermè habentur dentes. At boum & elephantorum cornua in re hac ſequacis maxime ſunt naturæ: nam ignis ui, utcunq; collibuerit, afformantur. Hippopotamis ſuibusq; ex inferiore mala dentes prorumpunt exerti, quos χαυλιόδοντας appellant. Ex malis item ſeſe promentia ſpectamus cornua. Elephanti ſcito itaq; ex temporibus proſilire cornua, atq; ita extrorſum reflecti. Id quod non quia audierim, commemoro: ſed in Campania in Dianæ ſacello elephantis craneum pro arbitrio ſum contemplatus. Id ita comperi. Nec ſanè mirandum: nam & in aliis, elephas à reliquorum natura inſigniter diſparatus animaduerti poteſt, tum forma, tum menſu. Porrò Græci auctoris ſententiæ accedit Varronis noſtri libro De lingua Latina tertio aſtipulatus: Quos, inquit, dentes multi dicunt, cornua ſunt. Nec me fallit tamen, Iubæ ſententiam cum Pauſaniæ ſentientis ab Philoſtrato refelli, de uita Apollonij Tyanei libro ſecũdo, ſed adeant ſtudioſi Græcum exemplariũ, nam tralator (ut in pluribus) labijs uix primoribus Atticiſmum præguſtaſſe animaduertitur. In hac denicq; elephantorum mentione mirum eſt libro ſeptimo Plinium ſcribere, L. Metellum elephantos primum bello Punico primo duxiſſe in triumpho: quum tamen libro idem octauo tradat, elephãtes Italiam uidiſſe primum Pyrrhi bello, & boues Lucas appellaſſe in Lucanis uiſos, anno Vrbis quadringenteſimo ſeptuageſimoſecundo. Romam autẽ in triumpho, ſeptem annis ad ſuperiorem numerum additis. Eandem plurimos anno quingẽteſimoſecundo, uictoria L. Metelli in Sicilia de Pœnis. Sed in ſeptimo forſan de ijs ſenſit, qui modò in Carthaginienſes depugnarunt. ſicuti commeminit libro decimonono, ab Vrbe condita Liuius. Certe auctor Seneca eſt in libro De breuitate uitæ, principem omnium Curium Dentatum elephantes duxiſſe in triumpho. Sed & mox paulo: Idem (inquit) enarrabat, Metellum, uictis in Sicilia Pœnis, triumphãtem unum omnium Romanorum ante currum centum & uiginti captiuos elephantes duxiſſe. Nec illud neglexero: Elephantiſtem ab Ariſtotele dici, elephantorum moderatorem, elephantarchen à Plutarcho. Dignum perpenſione, quod ſcribit Plinius: elephantes in Mauritaniæ ſaltibus ad quendam amnẽ, cui nomen annulo, nitescente luna noua, deſcendere, ibiq; ſe purificantes aqua circumſpergi. At hiſtoricus Dion, pergere elephantes ait πρὸς ὕδωρ ἀενάον, id eſt ad perennem aquam. Denicq; non omittendum, quod in libro De communi animalium greſſu prodit Ariſtoteles: diuturna hominum fama celebratũ, elephantos nullo crurum inflexu moueri: quæ tamen falſo confirmata ſit, quum id genus animalium inflexu uel in ſcoptulis opertis, uel in clunibus adducto ſeſe moueant.

Quæ ſit ratio prouerbij, leo riſit. De Thucydide non ingrata quæpiam. Item de leonibus paucula, & de Annone. Acilij Glabrionis hiſtoria. Leophoros quid apud Diodorum. Ecphraſis quid à diegemate differat. Caput XIX

Eſt in

EST in Græca facundia celebre adagium in omnes, qui rugatioris frontis & Catoniana ſeueritate, quandoq; tamen matutinam exporrigunt grauitatem, ac comes ſe præſtant, ſolito hilarius agentes, ἐγέλασεν ὁ λέων, id eſt riſit leo. Pronuntiatum id in conditorem nobiliſſimum Thucydidem, qui Cyloniũ ſcelus explicaturus, conſueto apertius, & intellectu nemini non obuio, narrationem contexuit. Quo nomine technographus illam mirari non deſinit, ediſcẽdamq; ſumma cura iunioribus præcipit, ut facilitatem eandem, ſiue ut Græci dicunt) σαφήνειαν ſtilo ualeant exprimere. Scribit Aphthonius, Nihil quidem in rebus eſſe oratione præſtantius: rurſum, in oratione nil Thucydide ſapientius. Siquidem Herodotus in hiſtoria uoluptatem habet, uelut ſcopum: inde fabulator homo dicitur quandoq;, hic autem ueritatem: quæ quantum ipſam præcellit gratiam, tanto Thucydides Herodoto præſtantior. Verum, ut propemodum Marcellino credimus, quũ Homericam æmulari inſtituiſſet œconomiam, Pindari uero ſublimitatem atq; magnificentiam, ex induſtria obſcuritatem affectauit, ἵνα μὴ πᾶσιν ἐν βατός. id eſt, ne cuilibet foret peruius, indeq; uilior fieret, ſi omnes in poteſtate illius hiſtoriam haberent. Antiquius longè uiro fuit, prudentioribus modò comprobari. Certe συγγραφέα nuncupatum nouimus, ἢ ὃ ἄλλος: ſicuti poetam Homerum. Illud de Thucydide amplius adiecero: quũ fortè hiſtorias ſuas recitanti Herodoto affuiſſet, abundè (opinor) dicentis uenuſtate permulctus, ac gloriæ ſtimulis concitatior fertur non temperaſſe lachrymis: quod quum foret conſpicatus Herodotus, Oloro Thucydidis patri illud grauiter fertur inſuſurraſſe, ὀργᾷ ἡ φύσις τὸν ὑὸν σοῦ πρὸς τὰ μαθήματα. Quo indicabat, ingenium filij incitatius ad diſciplinas uideri. Traditum & illud: in omnibus eum reclinaſſe conſuetudinẽ, ueluti cum ἀντὶ ἀγωγείας dialogum quendam Meliorum & Athenienſium concinnare eſt auſus. Memoria dignum illud ex Luciano, octies Demoſthenis exſcriptum Thucydidem, quo ſucculentiã eius omnem ebiberet, familiarior illi hac ratione factus. Quoniã uero in præcedentibus pro ingenij captu, de leonibus facta nobis mentio eſt, & de eiſdem capite hoc agere exorſi ſumus, adijciamus quod ex quarto Sympoſiacon Plutarchi comperimus, leonem propterea dici ſolare animal, quod inter quadrupedia unguibus aduncis, quæ γαμψώνυχα uocãt, catulos ſola uidentes parit leæna, minimũ porrò dormit, ſublucentq; quieſcentis oculi. In templo quodam Pauſanias ſcribit, in Agamemnonis ſcuto formidinẽ fuiſſe expictam capite leonino, cum Epigrammate, οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων ἀγαμέμνων.

Idem Plutarchus in libro, cui titulus πολιτικὰ παραγγέλματα, Annonem coactum ſcribit uertere ſolum exilij cauſa, quod in expeditionibus leonem haberet σιδηροφόρον, id eſt ſarcinas ferentem, ueluti eſſet id argumento, eum τυραννικὰ φρονεῖν, id eſt ad tyrannidem aſpirare. Meminit hiſtoriæ Plinius, ſed aliter. Prouerbio quod de leonis riſu attexuimus, facilem uerba Plinij præſtiterint intellectum. Cauda, inquit, immota leoni placido, clemens, blandientiq; ſimilis, quod rarum eſt, crebrior enim iracundia eius. Comparem ferè uim & illud habet, ἐγέλασεν ὁ χάρων. Addamus & hoc ex Dionis hiſtoria, Acilium Glabrionem conſulem in Albanum ab Domitiano euocatum per iuuenalium feſtos dies, quos inibi celebrabat, iuſſumq; cum ferociſſimo leone, ac uiſendæ magnitudinis congredi. Sed prudenter in pugnam prodiens Acilius feram confecit. Id quod Satyricus poeta doctius exſequitur. Sciendum uero ex abundanti eſt, Leophoron apud Græcos ad leonem nil ſpectare, ſignant quippe uerbo eo publicam, uel etiam militarem uiam, cuius & Bibliotheces tertio commeminit Diodorus, à Memnone ſtratam prodens Leophorum uiam, quę Memnonia dicatur in Suſiana regione. Inibi ſe parum explicat interpres. Vocabulum omnibus ex etymo notum, qui modò elementarij non ſint. Quoniam uero de narratione facta mentio eſt, illud ὁδῷ πάρεργον ſubtexuero: in Græcorum doctrina ecphraſin διηγήματος διαφέρειν, hoc eſt, à narratione diſtare: quia diegema nudam habeat rerũ expoſitionem. Ecphraſis tantum non etiam oculis audientium ſubijciat. Illud item καθόλου ἐξετάζει, id eſt uniuerſim inquirit: ſicuti in Athenienſes à Lacedæmonijs eſſe bellatum. Ecphraſis autem per partes, uti quo genere belli, quibuſq; machinarum tormentis.

De aquila excerpta pleraq; ex ueteribus memorijs. Inibi de Amphiarao & Helena, necnon de Valeria Luperca. Quid item aetos, & aetoma, & pteron. De aetite lapide, seu gagate plura, & de ichneumone. Caput xx

AQuilam Aristoteles & Auicenna scribunt, quibus item succinit Plinius, oppetere non senio nec ægritudine, sed fame, intantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat. Cui data protinus & fabula est, hoc ita usu uenire huic aui: quoniam quum homo foret, hospiti iniuriam intulerit. Verum super aquilæ senio, quid duo sciētissimi ac sanctissimi uiri senserint, non ab re fuerit, subnotasse. Scribit ergo ad hunc fermè modum Hieronymus, Aquilæ, ubi consenuerit, grauantur pennæ, quærit illa fontem, erigitq; pennas, calorē in se colligit, eo modo sanantur oculi, in fontem se ter mergit, atq; ad iuuentutem redit. Vnde in Psalmo, Renouabitur ut aquilæ, iuuentus tua. Quo in loco Augustinus quoq; : Dicitur, inquit, aquila dum senio grauatur, rostri immodicè crescentis unco non posse os aperire, nec cibum capere, unde langueſcens naturæ ui collidit rostrum ad petram, cuius attritu excusso quod redundabat, ad cibum redit, atq; ita reparatur, ut iuueneſcat omnino. Sententiæ Aristotelicæ meminit in libro περὶ ἑρμηνείας, Demetrius Phalereus, non uernaculæ aut plebeiæ auctor eruditionis, docens insertam orationi fabellam, si opportunè id facias, gratiæ plurimum afferre ac uenustatis. Scribit Plutarchus, aquilam quandoq; Amphiarai hastam abreptā sustulisse in altū, moxq; demisisse: eam uero terræ impactam lauri speciem præbuisse ueram: insequenti die hostibus acri prælio ibidem congredientibus, terræ hiatu repentino haustum cum curru, quod ἅρμα dicunt Græci, Amphiaraum perijsse: conditam ibi postea urbem, Harmatis cognomine fuisse insignem. Cuius rei auctor sit in tertio κτίσεων Trismachus. Fuit uero præcellens uates Amphiaraus, adeo ut in prouerbium abierit apud Ammianum Marcellinum: Si quid, inquit, in penetrali secreto, nullo ministrorum præsente, paterfamilias uxori in aurem susurrasset, uelut Amphiarao referente, aut Martio, quondam uatibus inclytis, postridie discebat Imperator. Ideoq; etiam parietes arcanorū soli conscij timebātur. Refert idem Plutarchus: peste olim Lacedæmona diuexante redditum oraculum, mali uim cessaturam, si nobilem uirginem quotannis immolassent. Quum obtemperarent Lacedæmonij, ac fortè mactanda duceretur suo ornatu Helena, deuolans aquila gladium abreptum, & ad armenta, quæ βουκόλια uocant, delatum super iuuencam demisit. Quo prodigio παρθενοκτονίαν, id est uirginum immolationē desisse, quod Aristodemus auctor tradit. Idem obuenisse Romæ in Valeria Luperca, ratione consimili, uolumine nono & decimo Italicarū rerum Aristides prodidit. Iis uero comparant fidem, quæ de Prisco Tarquinio T. Liuius perscribit. Aquilam autē dicià Græcis ἀετόν, sciunt omnes. Legimus tamen in templis nominari ἀϑύς. Id non aliud indicat, quàm tecta, quæ item ptera uocant, sed & aetomata, sicuti in Agamemnone auctor est Ion. Corinthiorum autem fuisse inuentum id cecinit Pindarus, quum in Olympijs ita scribit de Corinthijs,

Τίς θεῶν ναοῖσι οἰωνῶν βασιλῆα δίδυμον ἔθηκε;

Antè uero retroq; aetomata concinnari solita, prodidit auctor Didymus. In hac porrò aquilarum mentione restituamus obiter Tranquilli locum in Cæsare, ubi scribitur modo, Vt aquilifero moranti cuspide sit comminatus. Legendum ex Plutarcho aquilifer, casu recto. Confer historiam, probabis. Quòd uero in aquilarum natura aetitem nominat Plinius lapidem, qui & gagites dicatur, sciendum, ab Seruio gagaton appellari, quem aquilæ frigiditatis ratione sibi admoueant: nam alias caloris intemperie ouа incubanda percoquerent. Propterea Lucanus,

Fœta tepefacta sub alite saxa.

In Theriacis Nicander, ἐγγαγίδα πέτρην nuncupat. Sed inibi interpres gangitin significari lapidem ait, qui apud Lyciæ Gangas comperiatur in littoribus uirens, ac magnus. Cui insit id genuinum, uti non accendatur. Sed ustus ἀσφαλτώδη ἔχει ἀποφορὰν καὶ ὀσμήν. Sunt autem in Lycia Gangæ ciuitatis nomen, agnoscit præter cæteros etiam Stephanus, sed Gagas ferè scribit. Quam Lyciacorum primo Alexander παλαιόν dixit τεῖχος καὶ χώραν. Scribit Horus, aquilam è mari uel terra lapidem tollere, quem nido inferat, ὅπως τὸ ἀσφαλῶς μένειν.

Gangitin

Gangitin lapidem celebrat Strabo item, quem fugiant τὰ ἐρωτικά. Gagatem pronuntiat cum Galeno Dioſcorides, & ab fluuio Ciliciæ, qui Gagas dicatur, nuncupatum innuit. Idem ab Aetite Gagatem diſparauit. Mirum uero quod ex Aegyptiorum ſententia profert Nicandri interpres idem: Ichneumon, inquit, aquilæ ſpecies, Herculi ſacra. Nicandri carmen eſt,

ἰχνεύμωρ δ' ἀρ' ἅ μοῦνος ἀκήρεως ἀστίδι δρεμνήν.
ἡμὲν ὅτ' ἐς μόθον εἶσιν, ἀλεύεται.

Allegoria ſcitiſſima de Saturno filios uorante. Cur dicatur Cronos. De ſabbato paucula. Drepanum cur dicatur Corcyra, & Sicilia. Saturni ſapor, ſtypticus, ponticus. Caput XXI

SAturnum mythici filios deuorare ſolitũ, tradunt, ac eoſdem denuo euomere. Id interpretantur prudentiores ad tempus referri oportere, Saturni nomine ſignificatum, à quo uicibus cuncta gignantur & abſumantur, quæ renaſcantur denuo. Nam & ideo pulſum à filio fingi, quia tempora ſeneſcentia ab iſs quæ pòſt ſunt nata, pelluntur. Vinctum etiam fabulantur, quòd certa lege naturæ connexa ſint tempora, uel quòd omnes fruges quibuſdam uinculis nodiſq; alternentur. Argumento eodem à poetis Saturnus dicitur ἀγκυλομήτης, quoniam ſeneſcentes multiplici cõſiliorum polleant uarietate, ſiquidem omnia edocet tempus. Sic & ab Heſiodo δεινότατος uocatur, quoniam iuxta Sophoclem tempus omnia producit, omnia item ad nihilum redigit. Sed enim Platonicorum ſcientia diuinior altius ſcandens, & intima naturæ penetralia introſpiciens: in ipſa ſecretiore, nimiſq; aſſidua contemplatiuæ mentis delectatione cauendum præcipit Saturnum. Illic enim frequenter filios ab eo deuorari. Nam quos ſublimiorum contemplationum ſuarum rapit illecebris, & illic agnoſcit ut ſuos, eos interim, ſi modò diutius ibi ſiſtant, falce quadam è terris amputat, terrenamq; incautis uitam furripit, pro ea tamen cæleſtem reddens atque ſempiternam. Vnde & Hebræi Saturnum, Sabbath, nomine quietis appellant. Saturnus Græco nomine κρόνος eſt, ac (ut in Cratylo inquit Plato) puritatem, integritatẽq; mentis inuiolabilem comprehendit. Hinc alibi duo cõmemorat regna Iouis & Saturni, regnumq; Saturni regno Iouis tanquam felicius anteponit, ſiquidem ſub Ioue actio uitaq; humana, ſub Saturno autem contemplatio diuinorum ſignificatur. Hinc & Proclus Diadochus auream ſub Saturno uitam καθαρὰν intelligit, καὶ ἄλυπον καὶ ἀπαθῆ, id eſt puram & triſtitiæ ac perturbationum expertem, quod commonſtret aurum, ſicuti docuit idem Plato: id nanq; ἄδηκτον ἰοῦ καὶ σήψεως, id eſt rubignis ac putrefactionis neſcium eſt: quo nomine τῆς ἀπαθείας, id eſt imperturbati ſtatus ac lentitudinis quodammodo typum habet. Saturnus porrò, inquit, τῆς νοερᾶς ὄντως ζωῆς, id eſt intellectualis eſt cõtributor uitæ. Vnde & Cronos dicitur κόρος ὢν τοῦ νοῦ, id eſt mentis ſaturitas, & pabulum, aut potius κόρος νοῦς, id eſt depurata mens. Quamobrẽ quiſquis intellectu uiuit, croniam, id eſt Saturniam agit uitam. Orpheus tamẽ argenteo imperaſſe generi Saturnum canit, ſiquidem eos qui rationis puritate uiuerent, argenteos nuncupauit. Quos Heſiodus ῥαθύμους dicat, hoc eſt otioſos facilesq;, ut qui phyſicam ducerent uitam, cuiuſmodi plantarum, quæ caput ſub terra occultarint, proinde homines eos dici ὑποχθονίους, id eſt ſubterraneos. Plotinus uero ille ſcientiſſimus: Intellectum, inquit, eſſe puriſſimæ mentis appellatione dignum, ac non aliunde, quàm ex primo naſci principio. Eumq; genitum cũcta ſecum ſimul entia genuiſſe, uniuerſam Idearum pulchritudinem, intelligibiles deos omnes. Exiſtimandum præterea ait, hunc eſſe plenum quæ progenuit, omnium, & quaſi genita protinus abſorbentem, quoniam in ſe omnia complectatur, neq; in materiã labi ſinat, neq; nutriri apud Rheam, ſicuti myſteria & fabulæ de diſs fingunt. Mox uero quum Iouem dicitur generaſſe, intelligendam monet animam, quam generat intellectus in perfectione cõſtitutus. Quod autem Plato præſentem ait mundi circuitum ab Oriente ad Occidentem eſſe Iouium atq; fatalem, uerum fore quãdoq; alterum huic oppoſitum ſub Saturno ab Occidente uiciſſim ad Orientem, in quo ſponte naſcentur homines, atq; à ſenio procedent in iuuentutem: Iouem, inquit Platonicus nobilis, animam mundi uocat, cuius lege fatali manifeſtus hic manifeſti mundi ordo diſponatur. Præterea animorũ uitam in corporibus elementalibus

mentalibus Iouiam esse uult, sensibus actionicq; deditam. Saturnum uero supremum inter angelos intellectum, cuius radijs illustrẽtur ultra angelos animæ, accendanturq;, & ad intellectualem uitam cõtinuè pro uiribus erigantur. Quę quoties ad uitam eiusmodi cõuertantur, eatenus sub regno Saturni agere creduntur. Scribit enim Plotinus, sensum esse ueluti nuntium. Intellectũ uero regem, & mox regnare nos ait, ubi secundum illum agamus. In hac autem uita ideo sponte regenerari dicimur, quia electione proprija in melius reformamur, rursum iuuenescere in dies, id est in dies, si modo ibi dies sunt, magis magisq; florescere. Hinc illud apostoli Pauli, Homo interior renouatur in dies. Orpheus uero Saturnum cecinit, ἀεὶ μελαίνας ἔχειν ὦπι τὸ γηρέιον τείχος. id est nigricantes semper habere barbitij pilos. Insuper exactius intuenti inde manifestum fit, quibus adductus rationibus Moses, otiũ sabbati mandarit Hebręis, nisi quis illud item adijciendum putet, Saturni diem actionibus ciuilibus bellicisq; ineptum, contẽplationibus aptum, eoq; die diuinum contra discrimina patrocinium obsecrandum. Quod quidem impetrari posse aduersum Martis & Saturni minas, Abraham & Samuel, ac Hebræorum astrologi plures, eleuatione mentis in Deum, uotisq; ac sacrificijs confidentes erexeris, corpus quoq; caducum seruabis. Illud Ieuius, tradi in fabulis, Saturnum ab Ioue exectum: quamobrem Corcyrę datum Drepani nomen, quia inibi sit occultata falx. Aut certè quam ab Vulcano accepit Ceres segetibus præcidendis. Sed & Sicilia Drepanum dicitur, quoniam esset ibi falx, qua ab Saturno Cælus creditur excisus. Alij Siciliæ ciuitatem intelligere Drepanũ malunt. Scribit Artemidorus, speciem in somno cuidam obuersatam, ceu cum Saturno cœnaret, ac ita cõtigisse, ut in sequenti die in carcerem impingeretur. Saturni saporem, acerbum intelligi uolunt eruditi, qui & siccus est admodum, necdum ad maturitatem est perductus, & uelut gustum obstipat astringitq;: quo argumento stypticum etiam uocant, ab στύφω. Sunt qui & ponticum, à pungendi ratione dicant.

Cur sabbati loco dominicum ipsi colamus diem. Solem esse inuisibilis filij dei uisibilem imaginem. Sabbatum uideri ab initio dissolutum. Cap. XXII

NOs uero iure optimo diem, quem mathematici Solis uocant, Domino ascripsimus dicauimusq;, ac illius cultui totum mancipauimus: quoniã nulla magis re imaginari præpotentis, ac uniuersa supereminentis CHRISTI maiestatem congruentius possumus, quàm per splendidissimum solis lumen. Nam legimus, Et in sole posuit tabernaculũ suum, & exijt de tribu Iuda, cuius signum leo est, solare animal. Sed & in Republica Plato, uisibilem filium dei, solem dicit: quem nos intelligimus imaginem inuisibilis filij, qui lux uera illuminans omnem mentem, expressius habet simulacrum solem hunc, qui lux est imaginaria illuminans omne corpus. Verum nos, ijs quæ altius requirunt cõtemplationis examen, nunc omissis aut dilatis, redeamus ad institutum: si illud uelut conniuentes non transiluerimus, quod super Psalmos est ab Augustino traditum: triplex haberi sabbatum. Nam temporis dies septimus eo censetur nomine, quo post sex dierum opera conquieuisse dicitur Deus. Est & sabbatum, æterna requies: cuius intuitu nunc allaborandum connitendumq; nobis est. Denicq; tranquillæ mentis conscientia, sabbatum item est: futuri spe surrecta, & præsentium inconcussa turbinibus. In cordis sabbato illud primum est, ut bona nostra Deo contribuamus, mala nobis. At male diuinis imbuti, ac sine sabbato bona sibi: mala uero, ac suas uelut tragœdias, uel Satanæ, tanq; coegerit, uel fato ex syderibus ascribunt, ueluti deum quoq; incusare adorti: scelere non nitro, non fullonum herba facile eluibili, ut Hieremiæ uerbis utamur. Sed illud non reticendum quod in libro Hebraicarum traditionum in Genesim scribit Hieronymus, ubi nos ita habemus: Et consummauit Deus in die sexto opera sua quæ fecit: in Hebræo esse, diem septimam. Proinde inquit, Iudæos arctabimus, qui de sabbati otio gloriantur, iam ab initio esse dissolutum sabbatum, dum in sabbato operatur Deus, opera in eo sua complens.

Plauti locus ex Amphitryone declaratur. De Saturni hostia. Saturni sacrificiorum impietas. Moloch. Gehenna. Beelphegor. Interim spectatio pecu-

niæ

niæ. Spectatores qui. De Xenophane, Cinesia, & Gelone, item Saturnaliũ ritu. Coi cur dicerentur soli libere sacrificare. Zoganes stola. Peloria quid. Narcissi liberti historia. Caput XXIII



VIgare fuisse Græciæ dictum, Aristoteles scribit, quod & à Plinio item repetitum scio: Aphricam semper noui aliquid afferre. Sit & Latinorum uulgare adagium, Plautum esse Aphricam alteram. scatet in eo subinde quippiam, uel mendi uitio inexplicatum, uel ex literis interioribus erutum, proindeq; ueluti monstrificũ quiddam monitores & interpretes uel longius summouens, aut in errorum tendiculas ineffugibiles præcipitanter intrudens. Versiculi ex Amphitryone sunt hi, ex quibus perspicuum (opinor) iam fiet, quàm toto aberrarint cœlo, qui insolentius paulo in ære suo Plautum connumerare sunt ausi. Sed hæc expendant uolentes: & hi præcipuè, qui ueterum gloriæ in studijs hæreditatem iam nunc cernunt: proindeq;, quod in spectationibus fit, hoc est pecuniæ probatione ab ijs quos inde spectatores dicunt, Lynceo magis ista expendent:

Tu'n' me mactes carnifex? nisi formam di hodie meam perdiunt,
Faxo, ut bubulis corijs onustus sis Saturni hostia.

Sunt ex eruditis, qui nodum hunc Gordiano implicatiorẽ sentiant: sed explicaturi ad Tertulliani infanticidium, tanquam Magni Alexandri gladiũ deuoluuntur, quod Saturno infantes mactare, Carthaginiẽsium ritus foret: cuius inauspicati sacri Lactantius commeminit, & Silius. Id à Tyrijs traditum, ad urbis excidium quoq; seruatum, auctor Q. Curtius est. Quin Plato quoq; in Protagora: Neq; enim, inquit, leges nostræ homines sacrificare permittunt. Apud Carthaginienses autem iustum sanctumq; habetur, adeo ut eorum nonnulli Saturno etiã filios immolare sibi permittant. Sed Augustinus etiam iuuenes Saturno à Gallis solitos sacrificari, tradit. Equidem omnino hi uiderunt aliquid. Est tamen quod amplius eruditis auribus, & mordaci lotis aceto quærendum uideatur, si adamussim æstimes, ac in libili perpendas. Quid enim ita doctissimus poeta seruum hominẽ, ut tum Amphitryoni est usum, Saturni hostiam uocauit? Si de infanticidio intelligendum simpliciter autumas, uide, ne parum apte parumq; cohærenter uile mancipium filijs nobilium comparetur. Latet itaq; reconditũ omnino aliquid, quod in eruditorum album necdum uenit. Nam quod ait quidam, id à Plauto positum simpliciter, quia paulo antè dixerat Mercurius, Sacrusico ego hunc tibi Iuppiter, immoq; Amphitryo quasi par pari rependens, se illum Saturno immolaturum repromittit, nil refert omnino. Nam totus in fermẽto factus Amphitryo, ut Plautinis & nos utamur salibus, ac ira planè furens, amarulentius quippiam, & quod non felle modò litum, sed planè maceratum foret, intulit. Quod ut candidus lector uerum sciat, hæc ex libro Diodori uigesimo subnotauimus: de Carthaginiensibus à Siciliæ tyranno Agathocle post Magni Alexandri interitum, primi Ptolemæi temporibus, obsessis. Dicebant autem, inquit, Saturnum illis iratum fuisse, quoniam prius ipsi excellentiores ex filijs suis sacrificabãt. Postea uero clàm emptis infantibus atq; educatis, liberorum immolabant loco: quumq; diligenti facta inquisitione, multi ex suppositis inuenirẽtur sacrificari, facile animos induxerunt, ut crederent ad obsidionem urbis hostes idcirco diuinitus missos fuisse, quoniam priscos deorum honores non seruarent: itaq; deos placare studentes ducentos ex nobilissimis adolescentibus publicè sacrificarunt: trecenti uero alij, quoniam suspectos sese uidebant, sponte se tradiderunt. Erat autem apud eos ænea Saturni statua, magnitudine mirabilis, cuius manus ad terram extensæ ita erant in gyrum, ut qui peruenire ad eum adolescentes cogebãtur, in ingentem foueam igne repletam inciderent. Ex ijs Diodori uerbis, quæ pluscula ob historiæ notitiam consulto apposuimus, luce clarius patere arbitror, Plautum ad emptos illos & subdititios infantes respicientem, Sosiam, ut ipse putabat Amphitryo, Saturni hostiam appellauisse, ueluti ad eum usum comparatus foret, ut mox liberorũ loco Saturno mactaretur. Plutarchus in libro De superstitione in huius ipsius historiæ mentione, qui sine liberis forent omnino à pauperibus puerulos coemere ad hũc usum solitos, scribit, ueluti agnos aut auium pullos. Quin & in more item fuisse tradit, assisteret mater ἄπρκτος καὶ ἀσύριακτος, id est citra lachrymas & gemitus. Quod si illachrymari aut ducere suspiria

deprehen-

deprehenderetur, honore cenſebatur indigna, puer nihilominus immolabatur. Inſtatuæ ambitu incinentium tibijs & tympana pulſantium modulis opplebantur omnia, ne qua exaudiri uox poſſet. Conducibilius porrò, inquit, Carthaginiẽſibus fuerat, Crinum, quàm eiuſmodi obire ſacra: præſtat enim deos non credere, quàm crudeles opinari & ſanguinarios. Proinde Xenophanes phyſicus, quum Aegyptios ſeſe conuerberantes pro ſacrorum more, atq; lugentes eſſet intuitus, ſubmonuit clementer, ne lugere pergerent, ſi crederẽt deos. Quod ſi fuiſſe homines compertum foret, ne ſacrificarent. Dignum ſcitu: in ſorte tribus Beniamin fuiſſe locum, in quo filios igni peruſtos deuouerent impij, ac dæmoni immolarent nomine Moloch: loco nomen Tophet, qui erat Iudæis execrabilis, quando interminatus eſt Dominus, loco ſe immutaturum nomen, ut diceretur mox Polyandrion, ut Cynoſarges Græcis. Gehennam primus Saluator uſurpauit in Euangelio, quod Hieronymi proditum monumentis eſt, pro eodem loco, uel in quo prorſum excarnificarentur impij. Beelphegor creditur Saturnus, qui dicatur Beel: nam Phegor, ubi is coleretur, loci appellatio eſt. Plutonem ſcribit Plato, perhumanum, ſapientem ac diuitem, ſuadela & oratione animas apud ſe retinentem dici ἄιδλω. Amaſtris illi tamen Xerxis uxor pro ſalute propria decem defodit uiuos homines. Athenis quandoq; Timotheus Dianæ concinens hymnos cognominibus illã adornabat θυιάδα nuncupans φοιβάδα, μαινάδα, λυσιάδα. At melopœus Cineſias è ſpectatoribus conſurgens, Eiuſmodi, ſucclamauit, tibi contingat filia. Legimus præter ea in Plutarchi Apophthegmatis, Gelonem Siciliæ tyrannum, ut debellaſſe Carthaginienſes eſt uiſus apud Himeram, agereturq; iam de conditionibus pacis, illos coegiſſe, legibus aſcribere, infanticidium deſituros. Quoniam uero Saturni feſto, ueteris fuit inſtituti apud Romanos, ut ſeruis diſcumbẽtibus ſubſeruirent domini, è Græcia morem eum emanaſſe, liquere ex hiſtoria poteſt. Hermæa ſiquidem fuere Cretenſium feſta: in quibus id factitatum quandoq;, auctor probat Caryſtius: idem & in Panagyri apud Trœzenem. Quin primo Rerum Babylonicarũ Beroſus prodidit, menſe quem Loum uocant, agi feſtum conſueſſe Saceas nomine apud Babylonem diebus quinq;, quibus dominis imperabant ſerui, quorum unus ſtolam ſumeret regiæ perſimilem, dicereturq; Zoganes. Contrà uero Coi rei diuinę Iunonis honori operam dantes, à conuiuio prorſum ſeruos reijciunt, propterea dicti, hominum ſoli libere ſacrificare. Saturnalia porrò in Theſſalia item celebrabantur, ſed Peloria fuiſſe nuncupata, Græci ſcribunt, à Peloro quodam, qui Pelaſgo nuntiaſſet primus, perruptis terræ motu montibus, effuſas ſtagnantes prius in Theſſalia aquas, renudatoſq; ſpatioſiſſimos cãpos. Relatu uero haud indignum prorſus, quod ſcribit Dion: quum tumultuarẽtur quandoq; milites, quieos ſedaret, ab Claudio miſſus eſt libertus Narciſſus, potentia tunc formidoloſus: quumq; ſuggeſtum uelut concionaturus conſcendiſſet, hominis indignitatem moleſtè ferentes militum plures id inuulgatum ſucclamarunt, ἰὼ σατορναλία, id eſt Saturnalicius dies, quoniam dominorum habitu tunc prodeant ſerui.

Cur fameſcentibus craſſeſcant pedes. Item famis euentus alij ſcitu periucundi. Leguminum in cibo euentus. Iracundię maioris ratio in ſenibus & fameſcentibus. Plauti loca duo explicãtur. Quæ ſint alima & adipſa pharmaca. Alimentarij. Qui diu uixerint citra ullum omnino cibum. De phlegmate plura. Illyrij famelici. Phlogomata, phlegmone. Mariæ Iudææ hiſtoria, quæ filium uertit in alimenta. Apocartereſis quid. Plutarchi ſenſus reſtituitur. Vocationes quærere. Caput XXIIII

HEſiodi carmen in Ergis eſt, quo in fame plurimũ craſſeſcere aut extumeſcere pedes ait: ſic enim ſcribit, quantum recolo,

Μή σε πανὸν χειμῶν᾽ ἀμηχανίη καταμαρψῃ
Σὺν ψυχῇ, λεπτὴ δὲ παχὺν πόδα χερσὶ θιήσῃς.

Eum locum explicans Proclus Diadochus, fameſcentium, inquit, modi maioris pedis fiunt, reliquum uero attenuatur corpus, fortè quia deſideant otioſi. ſed & naturalis afferri poteſt ratio, ut Plutarchus ait. Siquidem cibo extrinſecus ueniente intimus indiget calor, ut perſeueret: ſi uero deficiat uidueturq;, graſſari in corpus non deſinit

deſinit, ex eo quippiam ſubinde auellens. Verum ex imbecillitate, quod ſibi aſciuerit, percoquere nequit, atq; imperfectum crudumq; dimittit: quod uerò incoctum eſt, ima petere, conſentaneum eſt, atq; inde pedibus craſſitudinem inducere, rurſumq; ſuperna corporum, quæq; in meditullio ſunt, ubi redundantior uiget caloris facultas, attenuari. In quæſtionibus encyclijs cõparia ferè Ariſtoteles tradit: Cur, inquit, uel cibo ueſcentes uitioſo, uel fame laborãtes diutina pedibus intumeſcere ſoleant? An utriſq; per tabem cõſumptionemq; hoc accidit? tabeſcunt enim & qui eſuriunt, quia nullo penitus foueãtur alimento, & qui uitioſe ueſcũtur: nam eo quod aſſumpſerint, perfrui nequeũt. Hippocrates uerò Epidemiarum ſecundo: In oppido Aeno ſcribit, ijs qui ob famem le gumínibus ueſcebantur, crura eſſe debilitata, quin & eruo utentes poplitum fuiſſe exceptos dolore. Quia uerò de fame agimus, ut alij eius aperiãtur euentus: nec una, quod dicitur, pertica totum metiamur, qui ſuus eſt decẽpedatori mos, ſed diſtinctè agamus, & gradatim quodammodo: attendenda uehemẽter Senecæ uerba: Quibus, inquit, ſtomachus ſuſpectus eſt, proceſſuri ad res agendas maioris negotij, bilem cibo temperẽt, quam maximè mouet fatigatio: ſiue quia calorem inedia conuellit, ac nocet ſanguini, curſumq; eius, uenis laborantibus ſiſtit: ſiue corpus, quia attenuatum & infirmum, incumbit animo. Certè ob eandem cauſam iracundiores ſunt ualitudine, aut ætate feſſi. Fames quoq; & ſitis, ex eiſdem cauſis uitanda eſt: exaſperat enim, & incendit animos. Vetus dictum eſt, A laſſo rixam quæri: æquè autẽ & ab eſuriente ac ſitiẽte, & ab omni homine, quem aliqua res urit: nam ut ulcera ad leuem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus condoleſcunt, ita animus affectus minimis offenditur. Ex ijs quæ ſcienter profert Seneca, lux (opinor) Plautinis ſalibus infertur nõ pauca, quum in Amphitryone ita ſcribitur:

Vetuſt' adagium, Fames & mora, bile naſum conciunt.

Quod autem in Curculione Plautus idem hoſce ſcientiſſimè uerſus appoſuit,

Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi uacuitate uenio laſſis lactibus.

Medicæ artis placita uelut aliud agens, lepidiſſimus poeta inſeruit: ſiquidẽ primo Canonis Auicenna ſcribit, cibo non eſſe dandam operam, niſi ubi quis optare cœperit: quòd ſi inferbuerit auiditas, nec ea ſit ex uitio, quod temulentis euenit plerunq; aut faſtidientibus, non eſſe comedendi differendum uotum, quoniã famis patientia non puris opplet ſtomachum humoribus. Idem ferè quarto Almanſoris prodidit Raſis. Euentus autem ratio eſt, quia à meſeraicis & uenis hepatis interim humores perliciuntur. Nam tertio Naturalium facultatũ Galenus: Si uenter, inquit, eſſe inanis cogitur, à uenis quæ in meſenterio habentur, ac hepate, pabulum ſibi deliget. Et mox: Proinde ante cibum laudatur uomitus famem perpeſſis diuturnã, ne illatus cibus ac putridis permixtus facilè corrũpatur. Quod uerò uſu uenit ſtomacho, id ipſum & in partibus alijs coniectare licet: nam pabulo deſtitutus calor intimus hinc inde prolicit unde cõfoueatur, regerente ſemper natura, quod minus cõmodum eſt. Illud nec omiſerim hoc loco, quod eſt in medicorum ſcholis iactatum, & ab Auicenna non neglectum. Si cibi concidat appetentia, aut ualidius inaugeſcat, ingruentem ſignificari cauſationem, Nam illud enectum propè oris ſtomachi ſenſum indicat, propterea inanitatem non animaduerti: uel quia membra ex ſtomachi ore nil admodum eliciant, uel quia à corpore non fiat reſolutio. Super qua re ſexto Morbi Galenus capite duodecimo, plura (ut ſolet) conquirit acute. Orexis autem uelut canina humectationes uehemẽtius expreſſas indicat ab humore aceſcẽte in ſtomachi ore, aut nimiam corporis reſolutionem, ex qua cibi continua exoritur neceſſitas, quod Galenus idem ſignificat capite eodem. Plutarchus in Sympoſio ſeptem ſapientum, ἄλιμα, & ἄοδιψα nuncupat pharmaca: quæ famem obrepere ac ſitim prohibeant. Nam eſt & alimos herba, quam guſtantes fame-ſcere neſciunt. Alimẽtarios pueros ex Iulio Capitolino intelligimus, qui publicè alantur: Puellas, inquit in Antonino Pio, alimentarias in Fauſtinæ honorem Fauſtinianas conſtituit. Limanchiam uocat Galenus famis cruciatum. Vocationes quærere eſt, ex inopia menſam affectare alienam, & cibaria quodammodo hinc inde corrogare. Illyrios ut famelicos inceſſuit comœdia uetus, ut qui aruo non ſtuderent, ſed piraticæ.

Memorabile uerò, quod in recentiore obſeruatũ hiſtoria eſt, fuiſſe quendam qui biennio continuo nil prorſum uel comederit uel biberit. Probabiliora faciunt hæc, quod De animalibus ſeptimo Albertus ſcriptum reliquit, fuiſſe fœminam quæ ſine cibo dies quandoq; uiginti tranſmiſerit, ſæpe uerò & triginta. Virum quoq; melancholicum ſe uidiſſe teſtatur, qui ſine cibo ſeptem perſeuerarit hebdomadas, alternis tantum diebus aquam exſorbentem. Viſam quoque in Hiſpania puellam, grauiſſimi produnt, quæ co mederet nihil, ac hauſtu tantum aquæ uitam confoueret, & annum iam ageret ſecundum ac uigeſimum. Fuit & Neapoli ex Tomacellorum gente, qui bibit nunquam. Ad iuuat hoc ipſum Auicenna phlegmatis argumento. quod ſi copioſius fuerit, poſſe efficí putat, ut ſine cibis diutius agamus, quoniam ipſum alimenti ſubeat uicem. Hoc item ſanis hominibus poſſe contingere, non abnuit. finit quoq;, eſſe phlegma incoctum ſanguinem. De eo non prætermittam, quæ in Græcorum obſeruata commentarijs ſunt: φλέγμα inquiunt οὐ λέγετ᾽ πρῶτον ἀπὸ προφῆς, πρῶτον γὰρ ἀπὸ βοφῆς τὸ αἷμα, τὸ δὲ φλέγμα πρῶτον τῶν ἀπέπτων. ἔστι δὲ καὶ ἄλλα ἄπεπτα. ἀπὸ γὰρ φλέγματος, μεταβαλλέτω ὀξὺς χυμὸς πορὶ τὴν στόμαχον. ἔστιν οὖν οὐχ ἁπλῶς πρῶτον, ἀλλὰ τῶν ἀπέπτων. Præterea ἐκφλεγματίζειν dicunt Græci, quum quid ore continetur inaniendis, qui caput infeſtant, noxijs humoribus. Inueni quoq; phlegma qui interpretentur φλόγα, id eſt flammam, περὶ τὸ φλέγειν. A quo & phlogomata uocẽtur etiam peruſtæ in panibus partes. Phlegmone autem, ſiue φλεγμονὴ, definitur ὄγκος πυρώδης, συμπυγνῶν ὠὴ τὸ ἀθρόαν μέρος τῶν ὑγρῶν, καὶ παρὰ φύσιν θερμασίας φλεγόντων τὸ πεπονθός. Quæ uerò φλεδόνας nuncupant Græci, ea planè nugalia intelligunt. Non prætereamus parte hac præclaram Egeſippi ſententiam: Omnem, inquit, affectum excludit fames, in primis uerò uerecundiam. Eſurientibus enim diſpendium uitæ pudor affert, ac eſt ſalutis detrimentum. Incredibile uerò uideri utiq; poteſt, quod obueniſſe idem prodit in Iudæorũ excidio: nam fame dira ſæuius inhorreſcẽte, Maria nomine infelix mulier, cui eſſet infans quem genuerat, uagitu illius excita identidem, ubi cum illo extabeſcere ſe animaduertit, impar tantis malis, & calamitati ſuccumbens affectum amiſit, exculcataq; naturæ uí ac dolore deuorato furorem induit, intentaq; in paruulum etiam hoſti miſerandum: Quid, inquit, faciam tibi paruule? quid faciam? Sæua ecce circunſtant mala, fames, incendia, latrones, ruinæ. Cui credam te moritura? An uitæ tantillum relinquam? Sed potes, ó fili, & ſic matrem paſcere, idoneæ ad cibum manus tuæ. O ſuauia mihi uiſcera, ó artus periucũdi, age prius quàm fame in ultimam ſoluamini tabem, reddite matri quod accepiſtis. Age, ó fili, intimum naturæ ſecretum repete, unde uitales auras carpere orſus es, inde & tumulus paretur tibi: cõplectar ipſa quæ genui, & exoſculabor preſſius. Hæc uerò quum enuntiaſſet flebiliter, mox auerſa gladium impegit, ac in fruſta conſectum igni percoxit, indeq; hiantes expleuit uentris latratus. Fames poſtremo, inquit Ammianus Marcellinus, eſt ignobile mortis genus: apocartereſim uocant Græci. Et Perſeus, ut Plutarchus ſcribit, Macedonum rex, Romæ ἀποκαρτέρησας, id eſt inedia uitam finiuit. At Plutarchi interpres animi mœrore conſumptum ſcribit, uerbi (ut uidetur) uí neutiq; intellecta. Eius meminit uel Quintilianus octauo libro. In eundem errorem abijt præceps Strabonis interpres libro tertiodecimo in Diodori hiſtoria.

Gulæ deteſtatio. Epaminondæ hiſtoria, & Vitellij, ac Mythecí. Frugalitatis laus. Hęmatia, ſeu ſanguiculus. Hypotrimma, hypoſphagma. Carnibus qui primũ ueſci cœperint. De Spartanis, & iure nigro: itẽ de Aegyptijs, Magis, Gymnoſophiſtis. De prophetis item in Creta, Diogene, Triptolemi præceptis, & Porphyrij, Philoxeno, & Gnathõe: necnõ de Philoſycis, Philobotryis, Philomelis, ac melomachia. Callimedon carabus. Ca. XXV

HIppocrates ille medicorum longe clariſſimus in Sentẽtiarum libro, quas aphoriſmos Græci uocant, ueluti deteſtatus gulã, meditatorium latrinarum, craſſa docet ac obeſa corpora, quæ creſcẽdi menſuram impleuerint, niſi citò ablatione ſanguinis minuant, in paralyſin, & peſſima morborum genera recidere: & proinde demptionẽ uideri neceſſariam, ut rurſum habeant, in quæ poſſint creſcere: quando in eodem ſtatu, natura corporũ manere nequit, ſed creſcat ſemper aut decreſcat, neceſſe eſt, nec uiuere animal, niſi creſcẽdi capax. Ga-

lenus

lenus porrò Hippocratis eiuſdem doctiſſimus interpres: ſicuti Hieronymus item commemínit, Athletas quorũ uita & ars ſagina eſt, in exhortatione medicinæ, nec diu inquit poſſe uiuere, nec ſanos eſſe, animasq; eorum ita nimio ſanguine ac adipibus quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & uictu & uentris ingluuie cogitare. Quinimmo auctor idem Galenus apud Hippocratem eſt, farta conceptacula potione cibatu'ue dehiſcere quandoq;, aut uernaculum atq; intimum calorem præfocari abundantia atq; extingui ac conſileſcere, ſicuti arguunt immortui derepente athletarum nonnulli, qui ad immodicã ſaginæ menſuram peruenerant. Epaminondam legimus corpulentioribus & adipoſis adeo ſe præſtitiſſe infeſtũ, ut quendam eiuſmodi protenſo aqualiculo ab exercitu ſummouẽdum cenſuerit, ratione quoq; addita, quòd eius uẽter uix tribus aut eo pluribus obtegi ſcutis ualeret, adeoq; promineret, ut pudẽda oculis ſubijcere nequiret. Ipſe uero adeo prætenui ac præparco fuiſſe uictu narratur, ut à uicino ad cœnam uocatus, ubi bellariorũ cum obſonijs ganeatis, & unguentis conſpexit apparatum, abiens, Ego te (inquit) rei diuinę operam dare opinabar, non de contumelia cogitare. Hinc celebrata à ueteribus menſa neceſſaria, quam tenuem & frugi uolebant intelligi, & quæ naturæ modò expleret deſideria, quam ad panem & aquam Seneca produxit, ut nil ſit neceſſe ſaliaribus diſtendi epulis, quarum gurgitibus & familia proluitur & pecunia: nec tantum uorare, quantum uix alterius diei nox percoquat: quando nil prorſus ita animũ adobruit, ut oppletus uenter atq; exæſtuans, huc illucq; ſe uertens, & in ructus uel crepitus uentorum efflatione reſpirans. Quanquam imperator Vitellius ad omnem natus licentiam, quum diei ac noctis plurimum uoracitati impẽderet, mox ut nouis epulis locum uacuefaceret, uomitu redundans ac permoleſtum onus leuabat, quod ſcribit Dion. Proinde quum infeſtarentur conuiuæ, ac torquerentur male, non illepidum Vibio Criſpo expreſſum dicterium eſt: nam infeſta liberatus ægritudine, quum interim cõuiuijs non interfuiſſet: Perieram, inquit, ni morbo eſſem grauiter conflictatus. Legimus quoſdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes proſcriptione bonorum, ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redactos conualuiſſe. Sed & Diogenes tyrannos & ſubuerſiones urbium, bellaq; uel hoſtilia uel ciuilia non pro ſimplici uictu olerum pomorumq;, ſed pro carnibus & epularum delicijs aſſerit excitari. Quippe incini audias paſſim,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ βοάων.

id eſt, unum augurium optimum, cœnæ opem tuliſſe. Nec Euripidis illud aduertimus,

ᾧ πλησμονὴ μὲν λύπαις, ᾧ πεινῶντι δ' οὔ.

id eſt, ſatietati præſtò Venus eſt, fameſcenti haudquaquã. Nam antea dixerat Achæus, πεινῶσι γὰρ αἱ λύπαις πικραί. id eſt, amarulenta fameſcentibus Venus eſt. At Philippus apud Minidium hoſpitem Caſini, quum appoſitũ è proximo flumine lupum guſtaſſet atq; expuiſſet: Peream, inquit, niſi piſcem putaui. Et ſunt uoces hoc genus Gangeticas & Aegyptias aues temulenter eructantium. Cæterũ, quod utiq; mirari me plurimum fateor, ille uoluptatis aſſertor Epicurus omnes libros ſuos repleuit oleribus & pomis, uilibusq; cibis aſtruit eſſe uiuendum. Vetus ſententia eſt, Difficile eſſe, immo impoſſibile, delicijs & uoluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus. Contra naturam eſt, copijs uoluptatum ſine uoluptate perfrui. Platonici & Stoici in templorum lucis & porticibus uerſabantur, ut admoniti auguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil aliud quàm de uirtutibus cogitarent. Scribit Xenophon in libro De republica Lacedæmoniorum, Lycurgum cibi tantum maſculo habendum cenſuiſſe, ut nunquam grauaretur crapula, & indigentiam ferre expertus ſciret. Quinetiam ad ſalubrius degendum, & ad ſtatus proceritatem magis id alimenti conducere, arbitratum eſſe, quod gracilia corpora, quàm quod lita cibo efficeret. Ex obſonijs porrò apud Spartanos, ius nigrum maximè probatum eſt, cuius gratia quendam ex Ponti regibus, memoriæ proditum eſt, coquum emiſſe Laconicum: inde iure guſtato, quum eſſet offenſus, placi dè ſubintulit is, O rex, hoc certè iure homines in Eurota loti utuntur obſonio, qui ubi modicè biberunt, domum abeunt abſq; facula. Hinc Mythecum Syracuſanum coquinariæ peritum adeo, ut quam auctoritatem ex ſculptura eſſet cõſequutus Phidias, tantum non exæquaret, quum Spartam adiſſet, ut ſcribit Maximus Tyrius, artem ſuam

inibi alicuius futuram dignationis opinatus, Lacedæmoniorũ magiſtratus demigrare primo quoq; tempore iuſſerunt, quum aſtruerent, ita aſſuetos Spartanos, ut labor potius quàm dapium lenocinia edendi prolubium excitaret. Eſt autem ius nigrum, ut inquit libro ſexto Pollux, hæmatia, id eſt ſanguiculus, ſeu igne coctus ſanguis. Sunt qui ſanguiculum, id eſt hæmation, eſſe hædi ſanguinem putent, cibo concinnatum, quod hypotrimna dicatur quoq;, ac hypoſphagma: etiam ſi in iambis Hipponax pro ſepiæ atramento accipit hypoſphagma, ut ſcribit Athenæus, ubi dixit, σηπίης ὑποσφάγμα. Eſt & gari ſpecies ſanguiculus, id eſt hæmation. Quod præſtãtiſſimum rentur Græci. Glaucus autem Locrus, inquit Athenæus idem, ita prodit in opſartyco: hypoſphagma eſt percoctus ſanguis, inditur ſilphium, ſapa aut mel, acetum, lac, caſeus, ac folia odorata, ſed conciſa. In iuris autem nigri mẽtione ſcitu dignum illud Cleomenis, Hoſpitibus mazam & nigrum ius, ut in Phiditijs aſſueuerat, appoſitum moleſtè ferentis, quum diceret, Non oportere πρὸς τοὺς ξένους λίαν ἀκριβῶς λακωνίζειν. Iam, inquit Hieronymus item, ex quo multa in caput tranſpoſuimus hoc, ne cui delicatior noſtra uideatur doctrina, ut qui pugnanti ictus de muro uidèamur dictare, Aegyptiorum quoq; ſacerdotum mores præparci in uictu, ac frugi prorſum bonæ, & contemplationi dedita mens in ſtuporem uſq; à Chæremone Stoico narrantur: eos enim ſcribit, negotijs omnibus curisq; reiectis, ſemper in templo fuiſſe, & rerum naturas cauſasq; ac rationes ſyderum eſſe contemplatos, mulieribus nunquã ſe miſcuiſſe, nunquã cognatos & propinquos, ne liberos quidem uidiſſe, ex eo tempore quo cœpiſſent diuino culti deſeruire. Carnibus item & uino ſemper abſtinuiſſe, immo uerò etiam panem raro ueſci ſolitos, ne onerarent ſtomachũ: quòd ſi quando comederent, tonſum pariter hyſſopum ſumebant, ut teſcam grauiorem illius calore decoquerent: oleum tantum in holeribus nouerant. Quid loquar (inquit) de uolatilibus, quũ ouũ quoq; pro carnibus uitauerint, & lacte quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant, colore mutato. Cubile eiſdem ex foliis palmarum, quas baias uocant, bidui triduiq; inediam ſuſtinebant. Sunt qui monumẽtis prodant, ætate qua Pygmalion regno potiebatur in Oriente, necatum carnes in epulas fuiſſe admiſſas. In ſanctis literis carniũ eſus & piſcium poſt diluuium modò uidetur cœpiſſe. Poſt id nanq; ita præcipitur, Omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum. Porrò ex tribus magorum generibus apud Perſas, primos, qui etiam doctrina & eloquentia præcellant, præter farinam & holera aliud nil prorſus in cibum recepiſſe memorant. Gymnoſophiſtarum apud Indos duo produntur genera, auctore Porphyrio: alterum Brachmanas dicunt, Samaneos alterum: quos adeo cõtinentiæ ſtudioſos prædicant, ut pomis modo, modo oryza aut farina tantum alantur. Additur rei miraculum, ubi eos adierit rex, ueneratur ut deos, illorum precibus pacem regno cõciliari opinatus. Digna porrò relatu quæ inſuper de Samaneis idem ſcribit Porphyrius, eos huius uitæ tempus, tanquam neceſſariam quandam ſeruitutem naturæ miniſtrantem, inuitos tuliſſe, ſtuduiſſeq; animas à corporibus ſoluere: ac quum proſperè corpus ſe habere ſentirent, ſæpe nihilo ad hoc urgente, è uita ſolitos egredi. Hos domeſtici obitu beatos exiſtimabant: quicq; illis ſupereſſent, deflebant, ut infelices. Euripidis teſtatum monumentis eſt, quos uocant Iouis prophetas in Creta, non carnibus modò, ſed & coctis omnino abſtinuiſſe cibis. A Xenocrate tria celebrantur Triptolemi præcepta in Eleuſinæ templo, Honorandos parentes, uenerandos deos, carnibus abſtinendum. Quid hic Diogenem amplius memorem, quem Græcia ἡμεροβιον dictitabat, perinde ac tu dicas, diarij uictus, quod de craſtino minus penderet, & in præſentem modo horam ſibi corrogaret cibum? Illud ſcimus omnes, à Porphyrio illo ſcientiſſimo concinnatum eſſe librum aduerſus edentes carnes. Hic eſt qui mentem ſanctam animam perturbationis expertem optimas deo eſſe primitias, pronuntiauit. Item corpus pinguefactum animam quoq; in eſuritionem cogere à uita prolapſam felici, redditã etiam num corpoream, ad idq; quod diuerſum eſt, deflexam: uti ne primoribus quidẽ, quod dicitur, labris ſapientiam præguſtet, ſed nec ſummis contingat digitis, nuſquam ad bonam ſeſe recipiens frugem, aut uix. Iam uerò, inquit, ſi ne minimis quidem alimẽtis innamur, tanto feliciores eſſemus, quanto magis & immortales. Nunc uerò in hoc mortali uiuentes, adhuc etiã nos (ut ita dicã) mortaliores latenter efficimus, dum corpus

pus adaugemus,atq; (ut Theophraſtus inquit) dum γοϊκιον,id eſt plurimum neceſſitu dinis animus cum corpore contrahit. Democrates ait, Viuere imprudenter, intẽperan ter,impiè,non tam malè uiuere eſt,quàm diu mori. Prodit hiſtoria, & meminit in libro πρὶ σαρκοφαγίας Plutarchus,Aegyptios uẽtrem mortuorum eximere atq; mox in ſole aperire,ut omnium peccatorum cauſam. Bœotios non alia magis ratione fatuos, pingues ac rudes,& ἀναισθήτους,id eſt brutos,ab Atheniẽſibus dici,quàm propter ἀδηφαγίαν,id eſt edendi inexplebilem auiditatem. Philoxenum Eryxidis & Gnathonem Siculum Plutarchus ſcribit,gulæ proceres,immo uerò extremos ac perditos homuncionescupediuorosq; infamari literis,quòd conuiuijs adhibiti emungere ſe in paropſides ſiue pultaria ſoliti eſſent,ut abſtinentibus cæteris, ſoli epulis ampliter fruerẽtur, uel ad diſtenſionem obfarcirentur uerius. Philoxenum uocant nonnulli Philichthyn: Ariſtoſtoteles etiam Philodipnon. Quod de gruis collo in Philoxenum refertur, Melanthio Clearchus cõtribuit. Sunt qui Cytherium ſcribant Philoxenũ poetices non ignarum cœnaſſe quandoq; apud Dionyſium,ac ut illi animaduertit mulum apponi magnitudine uiſenda,ſibi uerò minutulum neſcio quem,arreptum protinus admouit auribus: mirante Dionyſio,In manibus(inquit)Galatea eſt,uolui quæpiam de hoc ſcitari: at is iuniorem ſe reſpõdit,quàm ut ſcire quippiam poſſet: uerum,quia ſit iam magno natu,ſcire multa qui ſit appoſitus tibi. Qua urbanitate ſolutus in riſum Dionyſius, mulo ceſſit illi. Philoxeni paraſiti meminit Athenæus, Pternocopida cognominatũ prodens, qui cœna quadam ubi atriorem inferri panem animaduertit,Ne multum (inquit) appoſueris,ne tenebras fortè inducas. Porrò ſicut Philoxenus Philichthys eſt cognominatus, ita nec deſunt qui Platonem quoq; Philoſycon nuncupent,quòd ficis gratè ueſceretur. Nam & quidam dictus Philobotrys eſt,quoniam uuis afficeretur inſigniter: uelut Philippus & Alexander Philomeli uocantur,à pomis quæ auidè eſitarent. Quin inuentis prope Babylonem optimis,ædita ab Alexandro melomachia eſt, onuſtis nauibus. At rhetor Callimedon Carabi cognomen eſt aſſequutus,quòd eo cibo inſigniter oblectaretur. Vixit is Demoſthenis tempeſtate, opſophagia præcipuè celebratus: propterea in eum Alexis,

ὥσπερ πάτρας μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει,
ὥσπερ δὲ μήτρας κολιμιέσθων ὁ κάραβος.

Eſt autem piſcis carabus,& qui in arentibus lignis ſuccreſcunt uermiculi: quanquam Macedonibus eo nomine porta intelligitur. Carabæa, bifurcum eſt lignum. Carabides uetulæ dicuntur apud Methymnæos. Apud Crobilum comicum, Athenæo referente,gulo inſignis ad cibaria præferuida digitos ſibi eſſe gloriatur ἰδαλίμους, , id eſt humentes,& calentibus fruſtis ita ſe guttur ſuccenſurum,ut uideri fornax poſſit, non homo. Philoxenum Leucadium,à quo Philoxeniæ ducuntur placentæ, produnt feruentibus balneorum aquis ſolitum manus & os prædurefacere, uelut quodam callo, ut in obſoniorum incendio fieret ſenſus expers,indeq; abſtinentibus alijs,ſolus auiditati faceret paria,coquis præmonitis,in id operam nauarent.

De tyrotarichо apud Ciceronem quid ſentiendum. Quid tarichopoleũ, & tarichopola. Quid cremathra,item talarus,& epiſodia,ſaperda, tarſus,tyrobolium. Victui inſeruientium alia dici neceſſaria,alia introducta. Iondæ. Salſamentorum prouerbia. Origanum. Numeriani hiſtoria. Cap. XXVI

Icero in quadã ad Pætum epiſtola, Quam mihi, inquit, tyrotarichi patinam narras? facilitate mea iſta ferebantur antea, nunc mutata res eſt. Quæri ſcio inter eloquentiæ Ciceronis candidatos, quid uerbũ nõ admodum frequens apud Latinos ſibi uelit,tam hic,quàm in Epiſtolis ad Atticũ. Inuenio apud Græcos dici quidem tarichos,ſalſamentum. Sudas tamen carnem intelligere mauult ſale conſperſam: addito etiamnum etymo, παρὰ τὸ εἰς γάρον ἐξιχωρίζεσθαι, quod eliquetur inde tabes gari modo: nam ichor tabes eſt, ac cruor. Id fuiſſe annonæ uilioris, ut credam,facit Ariſtophanis interpres,quum in comœdia cui titulus eſt ἱππεῖς, id eſt Equites,ita ſcribat: ὅπερ τὸ ταριχοπωλεῖον, ἀντὶ τοῦ ὅπερ ταπεινὰ πωλεῖται. ubi inquit, eſt tarichopoleum,hoc eſt ubi tenuia uenduntur. Tarichos Phrygium & Gadiricum eſt apud Eupolin in Marica. Iulius Pollux Aegyptia addit, & Sardoa quoq; ſed & tilti-

tarichos dicitur ab eodem, & λεπιδωτόν, quod ſquammatum intelligit: & ſeruile cibarium fuiſſe, monſtrat comicus Plato, καὶ πόθεν ἅμα, τίλτο τάριχος ἐπεκάμμω τοῖς ἀνθρώποις. Ex is ducor coniectura, non tam ut monitorum pleriſq; eſt uiſum, à caſeo duci tyrotarichum, quàm à loco ubi conficeretur, mox Romam ſubuectaretur, uti ex Hiſpania & locis alijs. Nec me fallit, Apicium ſcribere, quiſquis is eſt: Patellam tyrotaricham ex quocũq; ſalſo uolueris, coques ex oleo: exoſſabis & cerebella cocta, pulpas piſciũ, iecuſcula pullorũ, caſeum mollem excaldatum: hæc omnia calefacies in patella. Apud Philippidem, Euſtathio referente, legitur τυροῦ καὶ ταρίχους. ubi auctor idem probare nititur, tarichos neutro dici genere, ut apud Menandrum ἐπέπασα ὥσπερ τὸ τάριχος ἅλας, id eſt ſale inſperſi tarichos: & maſculino apud Ariſtophanem, τάριχον ὄψον πλωΐμων, id eſt tarichum abluens hunc. Horæum tarichos inueni apud Pollucem libro ſeptimo, ſiue horatarichos, ſicuti etiam tarichopolas, quos Latinè ſalarios dixit Martialis, hoc eſt qui ſalſamenta uendunt. Philotarichos legitur quandoque & zomotarichos, ſicut elephantinum tarichos, necnon omotarichos. Omotarichum eſſe Dioſcorides prodit, ſalſi thynni carnem: quæ quoniam cruda ſale conditur, ſic planè dicitur. Quia uerò obſonia attingimus, id opera parerga nil obfuerit appoſuiſſe: cremathram dici uas, in quo obſoniorum reliquiæ condantur, dictam, quia ſuſpenſa in alto habeatur: eam Ariſtophanes etiam talarum uocauit, quanquam eo nomine calathus intelligitur ruſticanus, ex ſalignis uirgis cõtexi ſolitus. Tarſos uocat Theocritus, quæ communius tyrobolia nuncupantur, caſeis perſiccandis comparata. Adijciamus exabundanti poſtremò & illa: eorum quæ ad menſæ uſum parantur: alia quidem ordinem habere neceſſarium, uti uinum eſt, panes, obſonia, ſtragula item ueſtis, ac menſæ. alia uerò ἐπεισόδια dicuntur, id eſt introducta uoluptatis gratia, uti cantilenæ, gelotopœi, hoc eſt riſum mouentes, & id genus alia complura: quæ ſi affluant, oblectant utiq; ſi non adſint, nec ualde quidem deſideraris. Saperdam eſſe Ponticum obſonium, Athenæus libro tertio ſcribit, unde innoteſcit amplius cur à Perſio dicatur, Saperdã aduehe Ponto. Paulo pòſt idem tradit, à quibuſdam coracinum dici ſaperdam, qui in Mæotide habeatur optimus. Meminit ſaperdæ Ariſtophanes quoq; in Holcadibus. Quin & ſaperdam pro apua inueterata, accipit Photion, harundini inſerta: uti aſſolet nunc quoq; ſed & pro ſuccidia & larido, quod Paphlagonibus londe dicitur item. Digna ſcitu prouerbia duo, quæ ab tarticho, id eſt ſalſamento producuntur, τάριχος ὀπὸς εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὄρους, id eſt ſalſamentum uel igne uiſo, coctum cenſeri. Alterum eſt, σαπρὸς τάριχος τῷ ὀρίγανον φιλεῖ. putre ſalſamentum origanum amat. Sunt qui cynilam bubulam interpretentur origanum. Tyrocneſtis ab caſeo item concinnatur, caſiteram inde interpretantur, inde eſt prouerbiale id à Callippo enuntiatum, qui Catanam occupare conatus Syracuſis exciderat, πόλιν ἀπολωλεκὼς τυρόκνηστιν ἕλκος. Cæterum quia de gulonibus pleraq; dicta nobis ſunt, iucundam Numeriani hiſtoriam non prætereamus: erat hic, ut tradit Dion, Romæ puerorũ inſtitutor, mox impetu neſcio quo, pueris & grammatica ualere iuſſis, in Galliam, ceu ſenatorum unus, ſe proripuit: atq; inibi tanquam ab Seuero imperatore miſſus, exercitum cogere eſt adortus, & Albinum Seueri hoſtem uexare. Cuius quum equites profligaſſet aliquot, ac pleraq; alia iuuenili ardore obiiſſet, audiens ea Seuerus, & uerè ſenatorij ordinis uirum arbitratus, literas ad eum dedit, meritas impertiens laudes, ac uires augere hortatus. Quod non ſegniter is perfecit, & admiratione digna quum pleraq; ædidiſſet, mille etiam ac ſeptingẽtas quinquaginta drachmarum myriadas ad imperatorẽ deſtinauit. Mox eundem iam uictorem adire nil ueritus, qui eſſet, palàm fecit. Nec tamen uictoriarum nomine ſenatorũ decuriæ adſci ad uerum cõnixus eſt, aut honoribus affici alijs, uel augeri diuitijs, ſed in agros ſecedẽs paululum quid à Seuero in diem capiens uitæ reliquum tranſmiſit.

Niuẽ perfuſam mulſo quid appellarit Domitianus. Capillorũ colores unde ſint. Caniciei ratio. xãthocholi, mixothrix uel mixticapillus. Ca. XXVII

DOmitianum imperatorem inauſpicatiſſimum, quem libidine furentem ſcribit Sex. Aurelius, eiuſmodi fœdum exercitium Græcorum uocabulo clinopalen dixiſſe, memoriæ proditum eſt, ſermonis tamẽ nec inelegantis fuiſſe, necnõ dictorum notabilium. Vellem, inquit, tam formoſus eſſe, quàm Me-

tius

tius ſibi uidetur. Et cuiuſdam caput uarietate capilli ſubrutilum & incanum perfuſam niuem mulſo dixit: quod feſtiuiter admodum & urbanè in eum eſt prolatum, qui iam ætatis grauioris ianuam pulſaret & inde caneſceret, liquore uitali longæuitate, ut interim hoc utamur uerbo, ſiccato, humore autē uitioſo, exq́ frigore procreato, exuberantius emergente: quo fit, ut inalbeſcant cani, quoniam colorem humoris imitētur, unde alimenta trahunt. Quippe ſicuti ſcienter primo Canonis docuit Auicenna, capilli nigrorem caliditati acceptum referimus: ex aduſtis enim humoribus nigricans conſurgit uapor, eandem in pilis exprimens qualitatem. Subalbidus color, frigiditatis indicium eſt: in eum enim colorem frigoris opera uergit humor, & qui contolluntur inde uapores, albicant. At citrinitas & rubedo æqualitatē præferre uidentur in primis, id eſt temperatam conſtitutionem inter adurentem calorem ac frigus. Albedo autem frigiditatem indicat, ac humiditatem immodicam, ſicuti canicies: aut uehementiorem ſiccitatis uim, ueluti uegetabilibus obtingere, deprehenſum eſt, ubi exareſcant. Ex nigredine ſiquidem aut uirore in albedinem emigrant. Ipſum uero hoc uſu uenire homini nequit, niſi in exitu perſiccantium ægritudinum. Etenim pili ſubſtantia attenuatur, rareſcitq́ eius humidum uiſcoſum, unde peruius redditur & tranſparens. Cæterum quidnam eſſe cauſæ dicamus, cur inter animantes adeo numeroſas adeoq́ diſcretas hominem ſolum caneſcere, cernamus? quanquam non ignoro, Plinium ſcribere, id etiam in equis uiſum. Rerum naturaliū peracuti conſectatores ita fermè aſtruunt, Animantium pleriſq́ ἑνδελία τῶν τείχων, id eſt deciduum quotannis eſſe pilum, ut equo & boui. Nonnulla uero hoc quidem non habere, ſed eſſe βραχύβια, id eſt breuis temporis, ut oues, & alia quædam: quorum pilus utpote non ſeneſcens, caneſcere nequit. At homo nec deciduum gerit pilum, & μακρόβιος eſt, ſeu longæuus, propterea conſeneſcit, καὶ ὑπὸ τοῦ χρόνου πολιοῦται, id eſt ætate caniciem contrahit. Inſuper & cætera animalia parum cerebri, idq́ minus humidum habent, ut calor ad concoquendum ſufficiat. Scribunt tamen phyſiologorum nonnulli, uiſum quandoq́ hominem, cui ex toto capilli defluxerant, cauſam febre amplius præſtante, exſiccandi poteſtate: nec reddita ſanitate omnino, ſuccreuerunt pili, quòd poros ac meatus pilorum occupaſſet frigiditas, quibus præfarctis obſtipatisq́, capillo non patuit exitus. Argumentum huius erat prælucida cutis inſtar ſpeculi nitentis. Qua ratione nec in locis à pſora occupatis, promere ſe pilus ualet: quoniam areſcente putrido humecto, meatus præcluduntur, frigore craſſante. Verum ne uideamur Plinium inſectati, auctorem in noſtris literis eminentiſſimum, illud non negligendum, equos caneſcere, comprobari Ariſtotelis doctrina tertio De animalium hiſtorijs, & quinto De generatione. Cęterum quia canicies illa rarior eſt, minusq́ propria, nec clara admodum, ideo ſolum hominem caneſcere, traditum eſt. In equis tamen etiam ratio afferri poteſt, quòd os in quo cerebrum, tenuius quàm cætera, pro magnitudine habent. Argumentum eſt, quòd ictus in eo loco periculoſus eſt: unde illud Homericum, ἵνα τὰ τείχεα ἵππων κραιπνὼ ἐμπεφύασι, μάλιστα δὲ καιρὸς ὄδε. hoc eſt, qua ſetæ hærent capiti, letaleq́ uulnus præcipuè fit equis. Quum igitur præ tenuitate oſſis affluat humor, & per ætatem calor deficiat, pili iſti caneſcūt. Ruffi uero celerius, quàm nigri. Nam & ruffitas, hoc eſt πυῤῥότης, quaſi imbecillitas pili eſt. Imbecillimū autem quodq́ ſeneſcit celerius. Sunt qui putent, Ariſtoteles inquit, caniciem eſſe aridiatem quandam: ſed hoc perperam eſſe traditum, indicio eſt, quòd pili, qui pileo, uel integumento quouis operiūtur alio, celerius caneſcunt. Flatus enim putredinem prohibent: operimentum autem flatus arcet. Porrò pilum, ut herbam, exſiccatam non albeſcere, argumēto id eſt, quòd pili nonnullis cani illicò oriuntur, at nullū oritur aridum. Multi etiam in extremitate albeſcunt, in ultimis enim ac tenuiſſimis calor minimus habetur. Cæteris uero animalibus, quibus pili progignuntur albi, natura non affectu id euenit: in iſs enim cauſa coloris, cutis eſt: alborum enim alba cutis eſt, nigrorum nigra, uariorum permixtorumq́ partim nigra eſſe cōſpicitur, partim alba: at in homine cutis nulla cauſa eſt. Qui enim ſunt albi, admodū nigros habent capillos. Ratio uero eſt, q homo omnium maxime tenuem cutem habet pro magnitudine. Itaq́ nihil ad pilorum mutationē cutis ualet, immo præ ſua imbecillitate ipſa mutatur & uel à ſole uel à flatu redditur nigrior, nec pili tamen mutantur. Cæterū nec prętereunda parte iſta grāmaticorum

diligentia, qui xantham ſiue flauam in Achille comã, caloris & iracundię argumentum habent, quoniam eiuſmodi ferè ſint xanthocholi, id eſt quibus dominatur bilis flaua. Verum & flauus dicitur Menelaus, quem tamen haudquaquam acrocholum intelligunt, ſed mitẽ ſuauemq́, ac proinde mollem bellatorẽ. Xantham porrò comam etiam pyrrham dici, palàm eſt, unde inflectatur Pyrrhichus. Dicitur & pyrſa: item ætha, id eſt ἀιθή, ab æthos, quod ardentem ſignat: unde apud Lycophronem Comætho, id eſt κομαιθώ. Xanthi tamen capilli ſolare quiddam habent, pyrrhi uero flammeum. Sciendum tamen eſt, caniciem quæ morbo contingat, non ſenio, effici ratione cutis. Nam eo uitio corporis quod leuca dicitur, ſiue uitiligo, pili efficiuntur albi. Cuius cauſa eſt, q̃ è cute exeunt pili: ſi uero ægrotat cutis, extenuataq́ eſt, pilus quoq́ ægreſcit. Aegritudo autem pili, canicies eſt: ætatis uero illa canicies eſt ex inopia & exilitate caloris, omnis enim ætas labitur in frigiditatem. Quibus uero hominibus natura pilorum parum calida eſt, plusq́ humoris ſubit, calor proprius nequit concoquere, atq́ ita putreſcit humor calore aeris ambeuntis: fit enim putredo ex calore, ſed non ſuo natiuoq́. Putredo autem & aquæ & terræ, & quorumuis eiuſmodi corporum fieri poteſt: quamobrem etiam terreni uaporis putredinem nouimus, quę ἰνρώς, id eſt ſitus uocatur: etenim ſitus caries terreni uaporis eſt. Itaq́ in pilis quoq́ alimentum tale ubi non concoquuntur, putreſcit, atq́ ita efficitur ea quæ canicies appellatur. Quæ alba propterea eſt, ex Ariſtotelis doctrina, quod & ſitus carioſorum ferè albus eſt. Cuius rei cauſa eſt, quòd multum aeris continet: omnis enim uapor terrenus uim habet aeris craſſioris: ſitus enim quaſi reſpondens pruinæ exiſtimatur. Nam ſi uapor ſe efferens concreſcit, pruina eſt: ſin putreſcit, ſitus. Quamobrem appoſitè admodum per tralationẽ in Comœdijs poetæ cum morſu ita enuntiant, ut τὰς πολιὰς γήρως ἰνρῶντα καὶ ψαχνὸν, id eſt caniciem ſenectutis ſitum atq́ pruinam uocent. Porrò argumentum illud euidens, quòd pleriſq́ per ægritudinem pili canuerint, mox ualetudini reſtitutis nigruerint, quod ipſum Auicenna item docuit ſecunda quarti, tractatu ſecundo De conualeſcentibus. Recteutiq́ dixerimus, morbum eſſe aduentitiam ſenectutem, ſenectutem uero eſſe morbum naturalem: quare morborum nonnulli idem faciunt, quod ſenectus. Sed nec ægritudine ſolum incaneſcere hominem contingit, uerum etiam repentino mortis diſcrimine, quod eueniſſe compertũ eſt cuidam è rupe pendenti, dum accipitrum pullos ſcrutaretur, interimq́ funes quibus ſuſtinebatur, diſſiluiſſent. Contingit præterea & diuturno mœrore. Sed & canos item prudentiæ nomine quoſdam dicimus, uti adnotauit Euſtathius. Proinde, inquit, Tyrrhenus Tarcon & Cycnus Troianus ætatis primordio ſtatim memorantur cani. Dignum ſcitu quod in Gabriæ adnotatum fabellis eſt, μιξόθριχα dici hominem, cui duplex ſit capillorum color, ut nigredinem præferant alij, caniciem non nulli. Perinde uero id uerbum eſt, ac ſi Latialiter mixticapillum audeas enuntiare.

Cur ab Homero ſenes dicantur poliocrotaphi. Crotaphos quid. Suturarum capitis ratio. De caluicie præterea & canicie. Rhaphides quid. Veſpaſiani hiſtoria. Caput XXVIII

QVærit Alexander Aphrodiſeus, Peripateticorum ſcientiſſimus, qua ex cauſa Homerus ſummo ingenio ſummaq́ doctrina uates οὓς ἀνδρώωντας πολιοκροτάφους ἐκάλεσεν, hoc eſt homines dixit poliocrotaphos, quod ſignificat, in temporibus canos. Hoc autem, inquit, ex eo credimus prouenire, quia ut plurimum inde canicies exoritur, quandoquidem primores capitis partes poſterioribus ſunt humectiores καὶ φλεγματικώτεραι, id eſt longè magis pituitoſæ. Crotaphon intelligit Ariſtoteles, partem oculos interiacentem auresq́ & uerticem. Dicitur crotaphos, quod & inſtitutum adiuuat, quoniam κινοῦσι τὸν τάφον, uelut mortis portio hæc ſit prænuntia: hinc Theocritus, ἀχὴ κροτάφων πελόμεθα πάντες γηραλέοι, id eſt ex temporibus omnes ſumus ſenes. Sed inquit Macrobius, ſi pars anterior, humidior eſt, cur caluitium patitur, quod non niſi ſiccitate contingit? ratio eſt, quia partes priores capitis fecit natura rariores, ut quicquid ſuperflui aut fumei flatus circa cerebrũ fuerit, euaneſcat per plures meatus: unde uidemus in ſiccis defunctorũ capitibus uelut quaſdam ſuturas, quibus hemiſphæria (ut ita dixerim) capitis illigantur. Eas uero ut doctius teneamus, imitemurq́ gæodætas & machinarios menſores, qui adhibito gnomone, ſeu norma

norma ſui generis, arearum ſpatia concipiunt, nec alba (quod dicitur) linea ex medicæ ſcientiæ theſauris ad hunc uſum præſeruientia conuertamus: ſciendum eſt, totum quidem capitis os, dici à Græcis cytos: conſtare uero id commiſſuris, quas ijdem ῥαφὰς uocent, id eſt ſuturas, quæ ſerratæ ſunt: aliqui etiam ſtephanitidas aut rhabdoides & lepidoides. Sunt autem commiſſuræ cranei interceptæ numero, ut ferè creditur, quinq. Ex quibus nonnullas intelligi ueras uolunt, certasq; quoniam ab extimis ad intima directè producantur per integram oſſium ſpiſſitudinem, quod ſcribit Conciliator. Incertas uero nec ueras, aut fallaces, ut Conciliatoris eiuſdem utamur uerbo, accipiunt, non quia ad intima non perueniant, quod per errorem adcrediſſe Mundinus uidetur: nam in craneo uehementer arefacto penetrare eas, liquidò deprehenſum eſt. Sed quoniam ut priores, directè non penetrent: nam quod extrinſecus ab imo exorditur, intus deſinit ſuperne, ueluti os ſubiecto incumbat oſſi, atq; ita ferruminetur utrunq. Nam & ſignificantius nono De utilitate particularum Galenus agglutinationes uocauit. Primam uero ex legitimis certisq; coronalem uocant: quoniam in ambitum porrecta, coronæ præferat imaginem. Sequentem uero, à figura ſagittam dicunt: habet hæc capitis mediana, initium ducens ab oſſe anteriori, pergens ad os dictum lambdam, hoc modo —— C. coronalem quippe contingit, pergitq; mox ad uerticem: quod Auicenna ſcribit. Suturam tertiam, lambdæ uocant à Græci elementi figura: eſtq; in parte poſtrema, quam puppim appellant. Subiacet ei cerebri uentriculus poſterior. Porrò ſuturas non ueras eſſe duas ſtatuunt, inter oſſa capitis lateralia atq; præcipua, & oſſa petroſa, quæ ſuperiacent eis, cohærentq; corticis imagine quadam. Eas Galenus etiam ſquammoſas nuncupat, & eſſe parallelas probat, id eſt à ſagitta æquidiſtantes: addunt nõnulli etiam à coronali. Haſce ſuturas quinq;, medicorum ſcholæ obſeruant præcipue. Adnotarunt & alias, ſed obſcuriores, quibus colligentur oſſa capitis omnia ſupra collum, ita ut uniuerſæ fiant duodeuiginti. Sed enim parte hac uberius fuſiusq; magni auctoris perſequamur placita. Oſſium, inquit, compoſitio duplex: aut enim ad motum eſt, dicitur q; ἄρθρου: aut ad firmitatem, ac uocatur συναρθρωσις. Huius ſpecies tres, ῥαφή, σύμφυσις, γόμφωσις. Et oſſa quidem capitis compacta ſuturis ſunt: inueniuntur hæ quinque plurimum: στεφανιαῖαι, per ſinciput, id eſt ἀπὸ τοῦ βρέγματος: oboliæa, per uerticem: λαμβδοειδὴς, quæ in occipite, id eſt ἀπὸ ἰνίου: crotaphiæ, ſeu temporales duæ. Cranij oſſa ſeptem, occipitis unum, uerticis duo, temporũ totidem, frontis unum, polymorphi item unum: gomphoſis dentiũ eſt, quia infiguntur: ſymphyſis uero aliorum. Pauciores eſſe ſuturas in mulierum capitibus, obſeruatum eſt. Addunt & conſtipationes haberi, qua ratione doloribus capitis amplius infeſtari, minus ſe egerentibus cerebri ſuperfluitatibus, quæ præcipua eſt futurarum utilitas: unde & capitis oſſe pertuſo, maniacos plerunq; ſanitati reſtitutos, legimus. In Platæenſi ſtrage Perſicum caput repertum, Herodotus ſcribit: nulla prorſus futurarum commiſſura: cui Aratus ſuccinere uidetur, πολλὰὶ δ' ἀῤῥαφέες κεφαλαὶ πωλῆσιν ἀνθρώποισι. id eſt capitum pleraq; hominibus citra ſuturas compacta ſunt. Arrianus Aethiopũ capita ſuturis nullis eſſe laxa, prodidit. Sed ad rem, quibus illi meatus fuerint ampliores, humorem ſiccitate mutant, & ideo tardius caneſcunt, ſed non caluitio carent. Occipitium etiam ſi eſt ſiccius, nunquam tamen caluitio deformatur, quoniam eius ſiccitas non ex uitio, ſed ex natura eſt. Ex ea uero ſiccitate caluitium fit, quæ per malam temperiem, quam Græci ἀκρασίαν uocare ſolent, contingit, unde capillo criſpi, qui ita temperati ſunt, ut capite ſicciore ſint, tarde caneſcunt, cito in caluitiem tranſeunt. Qui uero capillo ſunt rariore, non eo facile nudantur, nutriente humore, quòd phlegma uocitatur, ſed fit illis cita canicies. Porrò ſcitu dignum id quoque: caluiciem quandoq; ex cognatione prouenire, quod Alexander ſcribit, ſicuti podagra & morbi alij ex nobis natos frequenter excipiunt. Ex eodem quoq; illud non omiſerim: canos non ſolum albicare, ſed quandoq; fieri χρυσοειδὴς, hoc eſt fuluos, ὅταν συμπαραμίχθῃ ἡ λευκοειδὴς χολὴ τῷ φλέγματι, id eſt ubi flaua bilis permixta pituitæ fuerit: ſic enim lecithodes tranſfertur, quando lecithus eſt oui luteum. Suppetit in hoc & Galeni illud ex Therapeutices quartodecimo: Prorſum (inquit) interextincto, qui pilos confouebat, humore, cooritur phalacroſis: at ſubeunte uitioſo, ophiaſis conſurgit ac alopecia. Iucundum relatu,

quod

quod prodit hiſtoricus Dion, quum apparuiſſet cometes, quo portendi uidebatur Veſpaſiani mors, eludens is non ſibi ait illum præſignare, ſed Parthorum regi, ἐκεῖνον γὰρ κωμᾶν, ἐγὼ δὲ φαλακρός εἰμι, id eſt ille enim eſt comatus, ego autem caluus. Quoniam uero dici à Græcis futuras diximus ῥαφάς, ſciendum rhaphidas aliud eſſe omnino: nam ſic piſces uocant, quos & belonas dicunt, uti tradit in commentatione De piſcibus Dorion. Meminit Epicharmus inſigni diſtinguens appoſito: nam oxyrhynchos appellauit, id eſt exacuminati roſtri.

De phalacro, & phalo, ac anaphalantia, & phalantho. Quid phalacræ, ſiue calueta. Caluari, calueſcere. Phalacrææ puellæ. Idæ promontoria. Spurcus ager. De caluitio plura. Item de ſpadonibus. Ponticū arbor. Semen à cerebro defluere. Caſtrare quis adortus ſit primus. Apocopi, ſpathici, naphtha. Tiberij caluitium. Seiani pro caluis cur. A caluo ad caluum. Cap. XXIX

CAluum Græci phalacrum dicunt, ueluti qui habeat τὸ ἄκρον φαλὸν, ὅ ἐστι λευκόν, quod uerticem habeat albicantem: phalum enim album uocant, ἀπὸ τοῦ φαίνω, tanquam luminoſum ſit, multumq; habeat claritatis. Hinc & eundem phalanthū appellarunt, quòd albus capillus ueluti flos ſit. In Iulij Pollucis monumētis eſt anaphalantias quoq;, ſed hunc anaſilum interpretantur, hoc eſt capite incompto. Nam, inquiunt, phala eſt ornatus quidam, à luce ita dictus, unde & galeæ phalus nuncupatur, pars ante frontem, cui prenitentes claui affiguntur, ut ſpeciem afferant. Scribit Dion, Cæſarem laurea uſum perpetuò, poſtea quàm eſt potitus rerum, eo prætextu quod ἀναφαλαντίας ἦν. Auctor autem Tranquillus, Cæſarem caluitij deformitatem tuliſſe iniquiſſime. Caluitium ipſum phalacroma uocant. Legimus in theſauris Stephani, Phalacras inde dici uertices montis Idæ, ubi planta nulla uiſitur niuium magnitudine ac gelicidij. Quin, inquit, montana omnia ſatis fruticibusq; nuda phalacras recte dixeris, Latinè dici calueta poſſunt: uel, ut Columellæ placere animaduerto, glabreta, qui & glabrentia uocat loca. nam & caluatam uineam lego apud Catonem & Plinium, in qua uites quidem ſint, ſed paucæ admodum & raræ, ut in caluitio capilli. Caluari quoq; & calueſcere, in Columella poſita inuenies pro rareſcere. φαλακραίας κόρας eleganter dixit Lycophron, Paridis naues, ut quæ ex arboribus montis Idæ fuerint compactæ, ex quo & datum loco nomen, ſuſpicatur interpres, ceu ab Phereclo fuerit renudatus. Eſſe autem Idæ promontoria quatuor, Phalacram, Lectum, Pergamum, Gargaron. Porrò ſpurcum agrum intelligunt agricolationis ſtudioſi graminoſo diuerſum. Sed redeo ad caluos. Eſt inquit Plinius, in capillis aliqua terrarum differentia: quippe Myconij carentes eo gignuntur: unde & caluos omnes, Myconios dicimus, auctore Stephano: ſed commeminit & Strabo. Eſt uero Myconus cycladum una, de Mycono nuncupata Aeneæ ac Rhyus filio. Scribit Herodotus in Melpomene, ſiue hiſtoria quarta, inter Scythicas gentes eſſe quoſdam, qui ſub excelſorū montium radicibus incolant, eos ab ipſo natali caluos eſſe, tam mares, quàm fœminas: eſſe item ſimis naribus & ingenti mento, proprio quodam oris ſono, Scythicam geſtantes ueſtem, ex arbore uictitātes, cui nomen ſit Ponticum, cuius magnitudo eadem quæ fico, fructum eſſe fabæ perſimilem. Verum reſectis ijs, aliquid ſcitius promere pergamus. Quærunt ſcientiſſimi, quid ita ſpadones calui effici nequeant. Ratio autem duci uidetur inde, quòd cerebri multum obtineant, quam rem eis contingere, hinc manifeſtum eſt, quia rem Veneream non agunt, ἡ γὰρ γονὴ ὄσιν ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου χωρεῖ, hoc eſt ſemen labi per ſpinam è cerebro uidetur: quam opinionem ſequutus item Hippocrates eſt in libro De aere & aqua. Nam præciſis uenis quæ poſt aures ſunt, induci ſterilitatem credidit, quòd ſeminis materia plurimum à cerebro ſit: quemadmodum uigeſima tertij ab Auicenna quoq; expoſitum ſcimus. Indicio eſt, membri illius, & oculorū quoq; ex coitu imbecillitas. Eadem ratione boues ectomiæ, id eſt execti, cornua gerere maiora uiſuntur. Inſuper ob id quoq; pueri, necnon mulieres caluitium neſciunt. Quin uniuerſim bruta execta in melius proficiunt, quando mollior euadit caro, digeſtioni aptior, ac ſapidior quoq;, quod indicat tertio Alimentorum Galenus. Homo in deterius abit multò generandi ratione, quæ ut omnium nobiliſſimo, illi præcipuè incumbit. Bruta nobis obnoxia nutrimenti præcipuū habent opus. Sic porrò ſancit

ro ſancit de inſtituto negotio Auicenna: Mulieres, inquit, & caſtrati non calueſcunt: & mulieres quidem, quia ſint humectæ plurimum: caſtrati uero perfrigidi, ut minor calore in eis fiat humiditatis reſolutio. Amplius in euiratis quod tranſire in barbam debuerat, in capronas abit. In muliere barba non ſuccreſcit, pororum ac meatuum anguſtia. Scribit Hippocrates Sententiarum libro ſexto, Spadones nec podagra laborare, neq; caluos effici. Super cuius loci enarratione paucula Galeni doctiſſimi interpretis uerba ſubſignare uoluimus, ut obiter moneamur inde, quàm euidens ſit morborum ratio in uictu parum ordinato. Spadones, inquit, dempti teſtes ſimiles mulieribus reddunt. Igitur eæ quemadmodum non calueſcunt, ita ſpadones nil eiuſmodi ſentiunt. Cæterum ut podagra caſtratos nõ tentet, temporibus Hippocratis uerius erat, noſtris non inſuper ratum eſt, ob inertiſſimam deſidiam & improbam ſatietatis laſciuiam. Proditum memoriæ ab opinatiſſimis eſt, Semiramidem reginam omnium principem tenerosmares adortam caſtrare, uelut naturæ iniecta ui, quam ab inſtituto curſu retorſit, quum inter ipſa naſcendi crepundia per primigenios ſeminis fontes tacita quodam modo lege uias illa poſteritatis propagandæ dictaret. Illud ſciendum utiq; ſpadones dici ectomias & apocopos, uerum & apocopi debiles appellantur, ac imbecilli. Firmicus Matheſeos tertio: Inefficaces, inquit, ac apocopos reddent, & qui nihil agere poſſint, & qui nuptias difficile cõſequantur: erunt enim ſteriles, & qui ſobolem generare non poſſint: morientur autem ſpathici, aut colobici. Quòd ſi qui dicantur ſpathici, amplius ambigis, ex eodem libro quarto percipias licet: Facit, inquit, luna interdum ſpathicos, & qui aſſiduis ualitudinum uitijs cõtrahantur. De ſpadonibus porrò dignum ſcitu occurrit illud: eſſe apud Phrygiæ Hierapolin terræ hiatum, ex quo ſeſe promens ſpiritus letalis, quicquid acceſſerit propius, pernecat confeſtim, ſpadonibus modò exceptis: cuius ratio aut difficilis eſt, aut ſupra hominis captum: ſicuti quod de naphtha legimus, quæ piceum præfert glutinum, bitumini perſimile: cui ſi articula inſederit, uolatu præpedito, mox prorſum euaneſcit: quòd ſi ignem conceperit, pulueris tantum iniectu reſtingui ualet. Spadones, ſurculos uenuſta metaphora dicunt ruſtici, qui nil attulerint, quibus diuerſi ſunt, quos frugiferos uocant. Collibuit porrò nec præterire, quæ omniũ in rebus naturalibus maximus exaranda ſibi cenſuit. Calui, inquit, omniũ maxime homines apertè efficiuntur: quod genus affectionis generale quodammodo eſt. Nam & plantarum aliæ ſemper frondent, aliæ frondem amittunt. At aues, quæ certo tempore ſe abdunt, & latent, pennas amittũt: qualis affectus in hominibus caluitium eſt. Quum enim paulatim & frondes & pennæ & pili defluant, ubi uniuerſim hic affectus euenerit, uocabula accipit hæc, calueſcere, defrondeſcere, depenneſcere. Cauſa huius affectus, inopia humoris calidi eſt, qualis præcipuè eſt humor pinguis. Quare plantæ, quæ pingues ſunt, fronde perpetua uirent. Præterea homines ſuis ætatibus hyemem, æſtatemq; agunt: quamobrẽ nemo ante quàm coire incipiat, calueſcit. Sed à Venereo coitu id potius euenit, ſcilicet ijs qui eò ſua natura ſint propenſiores, quòd cerebrum per ſe utique frigidiſſimum, rei Venereæ uſu etiamnum frigidius fit. Cauſa uero, ut quæ latent, rurſus pennas recipiant: quæq; frondem amiſerint, denuo frondeſcant: caluis autem nunquam redeat pilus, quòd anni tempora illis mutationem corporis magis afferunt. Itaq; pro temporum mutatione uiciſſitudo gignendi amittendiq; ſequitur, ut animalia pennas pilosq;, plantæ frondes aut dimittant aut recipiant. At uero hominibus per ætatem euenit, uer, æſtas, autumnus, hyems. Itaq; quum ipſæ ætates non permutentur, fit, ne affectus qui ob eas accidunt, permutentur, quanquam ſimilis cauſa eſt. Porro ſunt qui putent, quibuſdam hominibus caluis quidem, ſi frequenter coeant, ſuccreſcere pilos. Cuius rationem affert Albertus De animalibus tertio. In homine eiuſmodi calorem fuiſſe primò uelut ſopitum, & humido detentum uiſcoſo: coitu uero humido areſcente, calor uelut exſolutus uinculis, fit inde potentior ad humorem reſoluendum & pilum generandum. Verum ratio hæc parum fortè propria auribus uidebitur excultis. Sed & lepidius aliquid ſubnectamus: erat caluitio deformior Tiberius, proinde in ſpectaculo quodam Seianus ad eius ludibrium, per caluos effici omnia curauit à matutina hora in ueſpertinum: quin & puerorum capite deraſo ad quinq; milia exeuntibus è theatro præluxere: unde Seiani ex eo dicti omnes calui, inquit Dion. Porrò in

Caligula

Caligula ſcribit hic idem, quum is turbam eſſet intuitus ſeu uinctorũ, ſeu aliorum quorundam, imperauit ὥσῤ ἀπὸ τὸ λεγόμενον, ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχει τοῦ φαλακροῦ πάντας αὐτοὺς σφαγῆναι. Poſtremò impacturi pragmatiæ iſti coronidem, adiiciamus illud Bionis perelegans, Non minus moleſtum eſſe caluis, quàm comatis pilos uelli. Nam, ut ſcienter Seneca inquit, errat qui putat animoſius detrimenta diuites ferre. Maximis minimisq; corporibus par eſt dolor uulneris.

Pancratiaſtæ, qui propriè dicantur. Quintiliani locus explicatur. Athletæ quos uocant Nicas. Item plura de certaminum generibus, & ad ea pertinentibus uocabulis. Pyctæ, ſphæromachia, acrocherſites. Glaucus ſciamachus, Pammachi. Pentathli. Palæſtræ inuentor. Aeginetæ Philopentathli cur. Saltus uocabula. Canon, dolichus, diaulus. Præmiorum nomina diuerſa. Soſtra, ſoteria. Iſelaſtica certamina. Caput XXX

QVintilianus Oratoriarum inſtitutionum ſecundo ita ſcribit, Peritus non ſi docendum pancratiaſtem ſuſceperit, pugno ferire, uel calce tantum, aut nexus modo, atq; in his ictus aliquos docebit, ſed omnia quæ ſunt eius certaminis. Mira, ut audio, inter grammaticos diſceptatio eſt, qui dicatur propriè pancratiaſtes, quod'ue ſit certaminis genus pancratium. Ego nuper in Ariſtotelis tres De rhetorica libellos quum incidiſſem, ex eorũ primo aucupari certiſſimè ſum uiſus, quid in re ambagioſa ſtatuendum denique ſit: adeo ut philoſophi uerba appoſitiſſimè Quintilianum interpretari uideantur. Agoniſtice, inquit, ſiue certatoria, corporis uirtus magnitudine conſtat, ui & celeritate. Celer nanq; robuſtus eſt. Qui uero pedibus diu ac citiſſimè mouetur, dromicus eſt, ſiue curſor. Qui aduerſariũ premere ac retinere ualet, palæſticus, id eſt luctator. Qui uero plagas impingere poteſt, πληκτικός, id eſt pugil, ac percuſſor. Qui duobus his præcellit, pancratiaſticus. Qui his omnibus, pentathlus. Hactenus Ariſtoteles: ex cuius uerbis luce, opinor, clarius innoteſcit, qui denique ex Fabio elici ſenſus debeat: ſed καὶ τυφλῷ δῆλα Iureconſulti uerba Ad legem aquiliam, Si quis, inquit, in colluctatione uel in pãcratio uel pugilatu, dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit. Idem ferè & Gellius, quum ait, Diagoras filios tres habuit, unum pugilem, alterum pancratiaſtem, tertium luctatorẽ. Idem alibi, Oportet animo eſſe intento, ut ſunt athletarum, qui pancratiæ uocantur, qui ad certandum uocati, proiectis altè brachijs, conſiſtunt, caputq; & os ſuum manibus oppoſitis, quaſi uallo præmuniunt. Cæterum nec ſignificanter ex uerbis Gellij unquam deprehendas, quod quidam rentur (etiam ſi in multis thunnoſcopi ſeu thunnarij haudquaquam ſomniculoſi, ſed qui glorioſe loqui non deſinant, nec ſciunt in ſinu gaudere) quid pancratium ſit. Non ebullierunt iſta in Lynceorum, nedum triuialium & apalæſtorum ad hoc genus commentarijs. Verum quæ ingerunt ſe nobis, allidere aut præfocare non ſuſtinemus, quantacũq; inſtet inuidia, quam plurimum allatraturam ſcio: ſed utinam nobis ſuperſtitibus, ut dentem dente arroſiſſe dolenter ſentiat, quando (ut dicitur) carne opus eſt, ſi ſatur eſſe uelis. Sed nos ſcopas ſolutas ſuo linquamus liuori, in doctrinis, quaſi in præſtigijs mirificas, & uelut umbras imagines q; laruarum, quibus inſitum, paruulos exterrere, ac in angulis garrire tenebroſis. Eruditum uero eſt illud Plutarchi ex Parallelis in Lucullo: Athletas, inquit, die una qui lucta una & pancratio coronant, more quodam admirabili, νίκας uocant, id eſt uictorias. Ab pancratij intellectu excidit interpres nam ubi Græcè ſcribitur, πολλὴ μιξὶς καὶ παγκρατίου. ipſe palæſtra inquit, & lucta. Sudas intelligi pancratiaſtas uoluit athletas pyctasq;, χθόσι καὶ ποσὶ πυκτομαχοῦντας, id eſt manibus pedibusq; in pugilatu decertantes. Vnde & nominis promi ratio uidetur, quòd corporis totius conatu, ac uirium intentione conſurgant in pugnam. Sunt uero pyctæ, qui & pugiles, quosq; Ariſtoteles (uti prænotauimus) & Pollux ab uſu percutiendi, plecticos uocant. Autolyci pancratiaſtæ ſtatuã in Prytaneo ſtetiſſe, auctor Pauſanias eſt. Pyctarum arma pilæ ſunt, quas ſphæras uocant, unde ſphæromachia nuncupata, & uerbum σφαιρομαχεῖν. Inter ea item ſunt & myrmeces & lora. Nominatur & in hoc uſu ſciamachia, ſicut & acrochiriſmus. Sicyonium Soſtratum pancratiaſtem, ſcribit Pauſanias, Acrocherſitem eſſe cognominatum, quoniam ſummis manibus correpto aduerſario, confringens non dimittebat prius, quàm deficientem ſenſiſſet. De

Glauci

Glauci ſtatua habitu σκιαμαχοῦντος, quoniam erat is (ut inquit Pauſanias) ὠνὴρ ἀθλητὴς πάντων τῶν κατ' αὐτὸν, χειρονομήσαι τε φυκώς, alibi plura. Sunt & qui uocantur pammachi, ueluti Plato Euthydemũ nuncupauit. Videntur eſſe qui & pancratiaſtæ: nam pammachion, pro pancratio legimus quandoq;. In literis noſtris pentathlum Feſtus interpretatur quinquertium: ſicut quinquertiones, pentathlos dicimus. Sed & athletas Liuius quinquertiones appellauit. Pentathlos uero intelligit Feſtus, qui ſe artibus quinque exercerent, iactu diſci, curſu, ſaltu, iaculatione uel cæſtu (ut habent alij), & luctatione. Pindarici interpretes in Iſthmijs ita habent: ἄλμα, πάλη, ἀκόντιον, δρόμος, καὶ πυγμή, pentathlo continebantur. Paulus iureconſultus Digeſtis de aleæ luſu & aleatoribus: Senatuſconſultum, inquit, uetuit in pecunia ludere, præter eã ſi quis certet haſta uel pilo iaciendo, uel currendo, ſaliendo, luctando uel pugnando, quod uirtutis cauſa fiat. Sunt apud Græcos, qui octo ſtatuant certamina: ſtadium, diaulum, dolichũ, hoplitem, pygmen, id eſt pugilatũ, pancratiũ, palen, id eſt luctam, & alma, id eſt ſaltum. Sunt qui Athenienſem Theſeum excogitaſſe pancratiũ principem omniũ uelint, ſed ἀνὴρ μυθικὸς, ubi cum Minotauro eſt in Labyrintho cõgreſſus, ſiquidem pancratio illum eſt adortus, quando non ſuppetebat gladij facultas. Produnt alij, ab Theſei pædotriba Phorbante compertam Athenis paleſtricem. Aurigam tamen Phorbanta intelligere maluit Pherecydes, cum quo & Amazonem rapuerit Theſeus. Pentathli inuentorem ferunt Peleum AEginetam: unde & Philopentathli quandoq; nuncupantur AEginetę. Hiſtoria ſexta ſcribit Herodotus, Eurybatem pentathlon exercuiſſe. Interpres quinq; palmas eo uerbo intellexit. Quod ad ſaltum attinet, partem unde proſiliebant, βατῆρα uocant, id eſt batera. Saltandi menſura dicebatur canon: terminũ autem nuncupabant τὰ ἐσκαμμένα, id ualet ac ſi effoſſa dicas: unde & in eos qui metam tranſiliunt, concinnatus adagio ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, id eſt ſaltu ſulcum tranſmittere. Pentathlorum iaculum dicebatur apotomeus. Diaulum intelligebant, curſum duplicem, obeundi ſcilicet ſtadium, ac mox regrediendi. Proinde Ariſtophanis interpres locum qui ſtadia contineat duo nomine eo intelligit, aut menſurã cubitorum σ, id eſt ducentorum. Dolichus uero ſæpius eſt repetitus curſus, aut ubi ſeptem currunt. Nam ſtadiodromi, duo tantũ erant. Hoplitem, curſum intelligimus armatum. Addamus porro ſuperpondij quippiam, quod linguæ ſupellectilem faciat inſtructiorẽ cultioremq;: Athletę premium recte athlon nuncupari: ſicut quæ medico contribuuntur, ſoſtra dixeris & ſoteria, ac iatrea. Docenti uero, didaſcalia, didactra. Militi, ariſtea, epinicia, niceteria. Chirotechnæ autem, id eſt artifici, epichera. Nuntio euangelia & myniſtra. Quippiam ferenti, comiſtra. Benefico, chariſteria. Altori, threptra. Palæſticã porro artem Theſeus, ut uolunt alij, excogitauit primus, nam poſt eum coorti palæſtræ doctores: prius enim magnitudo tantum ſpectabatur & robur, quo Cercyon in Bœotia hoſpites conficiebat in loco, quem παλαίστρων λιθρικὸν uocarunt. Iſelaſtica athletarum certamina intelligunt Græci Latiniq;, ubi ſuas ineunt ciuitates qui uicerunt, magna pompa & prope triumphali. Hinc in quadam epiſtola Traianus, Iſelaſticum tunc primum mihi uideri incipere debere, quum quis ciuitatem ſuam ipſe ἐσέλασεν.

Caluiſii Sabini memoria prope nulla. Grammatici analectæ qui ſint. Item analectides quid, & analecta, & apodectę, uel apodectæi. Antiquarij. Apocleti.

Cap. XXXI



Aluiſium Sabinum hominem ſane diuitem, ita fuiſſe memoria nulla ſcribit Seneca, ut illi modo Vliſſis nomen excideret, modo Achillis, modo Priami: quos tam bene nouerat, quàm pædagogos noſtros nouimus: nihilominus eruditus uolebat uideri. Quamobrem compendiarium excogitauit. Magna ſumma ſeruos emit: unum, qui Homerum teneret: alterum, qui Heſiodum: nouem præterea Lyricis ſingulos aſſignauit. Poſtquàm uero hæc illi familia comparata eſt, cœpit conuiuas uexare: habebat ad pedes hos, à quibus ſubinde quum peteret uerſus quos referret, ſæpe in medio uerſu excidebat. Suaſit illi Satellius Quadratus, ſtultorum diuitũ arroſor, & quod ſequitur arriſor, & quod duobus his annexum eſt, deriſor, ut grammaticos haberet analectas. Erat enim in ea opinione, ut putaret ſe ſcire, quod quiſquam in domo ſua ſciret. Et perinde etiam poſſet, idem Satel-

lius illum hortari cœpit, ut luctaretur, hominem ægrum, pallidum, gracilem: quum Sabinus respondisset, Et quo modo possum, uix uiuo. Noli obsecro (inquit) dicere, Non ne uides, quàm multos seruos ualentissimos habeas? Hactenus Seneca. Apud quem si quis solicitius inquirat, quos nam arbitremur dici grammaticos analectas, eos ita nuncupari contenderim, qui lectione multa exercitati, memoria sint firmissima & indubitata, ut quicquid unquam legerint uel audierint, ferè habeant ad manum & in numerato, quoniam ἀναλέγεσθαι significet Græcè ἀναμφιβόλως ἔχειν καὶ γνωσιῶσθαι, id est firmiter tenere ac concipere. Vel quia memoriæ subsidium & ingenij domino essent futuri. Sicuti analectides dicuntur, quibus ex xylino lino, uel quauis materia, tanquam pulillis constipant scapulas prominẽtes puellæ, ut uideri habitiores possint. Quod Ouidianum carmen liquidò comprobarit, quod ita habet:

Conueniunt tenues scapulis analectides altis,
Angustum circa fascia pectus eat.

Analecta in Epigrãmatario poeta sunt reliquiæ sub mensa, quæ quod colligi debeant, id sunt sortitæ nomen, quamuis etiam pro instrumentis ad id ipsum destinatis, quidam interpretari maluerint. Martialis:

Colligere longa turpe nec pudet dextra
Analecta, & quicquid canes reliquerunt. Et alibi:
Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

Erant Athenis apodectæ, qui tributis, collationibus, & omnino uectigalibus præerãt, quæq; in ijs ambigua forent, iudicio discernebant: ijs ab excipiendo inditum uidetur nomen. Sed & apodectæos uocabant, qui frumenta metirentur. Hoc ideo non tacui, si forte cui apodectas dici grammaticos, non analectas, arrideat magis. Sunt qui antiquarios rectè opinentur dici eos, qui à memoria sunt principibus, ad manum, ac in numerato habentes, quicquid antiquis gestum temporibus est. Apocletos fuisse Aetolorum sanctius concilium ex delectis uiris, auctor T. Liuius est.

A quibus traditũ, Polypos sua sibi brachia erodere. Eledone, monocotylos, cotyle. Cotila animalia. Helices. Quid cotyledones, & unde. Item acceptabula. Sepieum quid. Oxybapha, acetarium. Sepedonæ, septæ. Adulatorem esse polypo similem. Quid tholus, & prytaneũ. Plutarchi loca duo restituuntur ex Demosthenis uita. Cap. XXXII

POlypum, inquit Plinius, brachia sua rodere, falsa opinio est: id enim à congris euenit ei. Hoc ipsum & Athenæus scribit, à quo relatum scio, Alcæum quoq; ita tradidisse, ἑαυτὸν ὡς πωλύπους. Id & Pherecrates sensit, nec prætermisit Horus. Hæc uero si quis latius tractari expetat, sciat primũ quidem, à paguris polypi brachia erodi, Aristotelem scribere. Inter eos uero, quorum sententiam reijcit Plinius, esse poeta Hesiodus uidetur, qui (ut Græci interpretantur) eledonem polypi genus eo uersu intellexerit, qui in Ergis legitur, fere in fine:

ὅτ' ἀνὸς ὀρθοῦ πόδας τρώσῃ. Dicíq; eledonem uolunt, ἀπὸ τοῦ ἑαυτὸν ἐδεῖν, quod ipsa se rodat. Ita ut λ in nomine, perinde ac uacans legatur. Monocotylon eam dicit Aristoteles, id est simplici acceptabulorũ ordine fultam. Sed & Oppianus in Halieuticis Hesiodi comprobat sententiam, hyeme prodens suis uescí pedibus polypos illis uersibus,

ἀλλ' οἵ γε γλαφυρῇσιν ὑπειζόμενοι θαλάμῃσι
πτήξαντες δαίνυνται ἑοὺς πόδας, ἤυτε σάρκας
ἀλλοτρίας. Colouopodas certe hinc polypos conspici, Ioannes Grammaticus adnotauit. Auctor quoq; in Varia historia AElianus, polypos ad uorandum quæcunq; oblata, esse uehementes insuperabilesq;, adeo ut pastu mutuo ne abstineant quidem: & in maioris θήρατρα, id est laqueos retiaq;, incurrens minor eius esca fiat. Porro ut aliqua non incuriosè ad hoc pertinẽtia hincinde præcerpamus, habet (inquit AElianus idem) polypus hic unam modo cotiledona: estq; ἑπτάπωρος, id est septempedum. Cotyledonas exponunt eruditiores τοῦ πολύποδος πλεκτάνας, id est polypi acceptabula, siue cirrhos, aut (ut Ouidius) flagella:

Deprehensum polypus hostem
Continet, ex omni demissis parte flagellis.

A coty-

A cotyles ſimilitudine, ut inquit Euſtathius. Eſt autem genus uaſis cotyle, & manus ca uitas: unde & luſus quidam dicebatur ϕὼ κοτύλῃ, id eſt in cotyle. Cotila uero animalia dicuntur garrula, id eſt κωτίλα. Sicut agrammata uocantur, quorum uox nullis expri militeris ualet. Antiphilus Byzantius helicas uocauit eo uerſiculo,

πλὴξ ἁδρὰ βρύγλλῳ ὀκτακτόνους ἕλικας.

Cotyledones dici uidentur, ut item inquit Oppiani interpres, ἀπὸ τὰς ὠδικαμπλίας τῆς πολυκάμοις κοίλας, οἷον κοτύλας, quòd concauæ capillis incumbant, uelut cotylæ. ſed inquit Ariſtoteles De animalium hiſtoriis quarto, ὁμοίως οὖν πολύπους καὶ ὡς ποσὶ καὶ ὡς χερσὶ χρῆται ταῖς πλεκτάναις, utitur (inquit) polypus uice pedum ac manuum cirrhis, ſiue (ut Theodorus tranſtulit) brachiis. Sunt qui cotyledonas intelligant partes in flagellis concauas, quibus exſorbere polypi cõſueuerint. Hinc Plinius ſorbere eos ace tabulis ſcribit, ut mox liquebit. Sciendum uero: ſepiæ, lolligini, lollio capillamenta in eſſe quædam. Nam partes duræ ac ſolidæ intus per dorſum, & corporis prona cõtinen tur, quas non eodem appellant nomine. nam in ſepiis ſepieum dicunt: in lolligínibus gladiolum ſeu xiphos. Sepedonas Græci non à ſepia inflectunt, ſed ulcera intelligunt eo nomine putreſcentia. Nam ſeptas medicamenta uocant, quæ exedendo ſunt. Acce ptabula apud Plinium Trebius Niger in polyporum ratione accepiſſe uidetur pro ca liculis urnalibus peluium modo: unde apud Senecam ſunt præſtigiatorum acceptabu la, hoc eſt uaſcula, ſeu caliculi, quibus aſtantium oculos fallendo præſtringunt. Dicunt & acceptabulũ, heminæ quartam partem, id eſt drachmas quindecim. Sunt & in cor poribus acceptabula pro pyxidibus, ut anatomici uocant, quibus coxendices infigun tur, circaq; ea uertuntur oſſa coxarum. Hinc ſæpe in Plinio legimus, Oſſa ex accepta bulis. Ab accipiendo uidentur acceptabula dici, quæ Græci ὀξύβαφα uocant, quo no mine uaſa ſunt Ariſtophani in Auibus. Quidam uero acetabulum ſcribunt c ſimpli ci: ſicut & acetarium, ab accipiendo item dictum, pro horto: quoniã, ut inquit Plinius, expedita res & parata ſemper foret. Etiã ſi non deſunt, qui pro herbis uirentibus, quas ex oleo, ſale ac aceto, initio menſæ eſitare conſueuimus, id uerbum accipiant. Verum illud ſcitius paulo ac remotius, ora uaſorum, ad uterum quæ ueniunt, Aphoriſmorum quinto, ab Hippocrate acceptabula nũcupari, ex quibus ſecundæ pendent, non ſicuti arbitrantur plerique, adnatas ipſis carnes adenoſas. Nam & De muliebribus affectioni bus primo: Si acceptabula, inquit, plena fuerint pituita, mẽſtrua fiunt pauciora. Et De naturalibus primo Praxagoras, Acceptabula ſunt ora uenarum & arteriarum, quæ fe runt ad uterum. Sed redeo ad polypos. Baſilius ille Magnus in commentatione quam De gentilium librorum lectione, cõcinnauit, ſcite admodum & docte, polypum uocat adulatorem, cuius uerba mollia feriunt interiora uentris. Nam, ut inquit, polypus ad ſpeciem ſubiecti ſoli colorem permutat: cõſimiliter & aſſentator ad uoluptatẽ audien tium uariabit ſententiam. Quo nomine ab Hieronymo blandus dicitur inimicus. Ari ſtoteles polypi atramentum uocauit tholum: ſi dici tamen atramẽtum poteſt, ſed & in ſepia tholus dicitur, & in mollibus, in ea quæ mytis dicitur, ut philoſophus idem ſcri bit. Accentum recipit in ultima, quanquam enotatum aliter inuenis in Ariſtotelis co dicibus. Nam tholus ſi paroxytonon fuerit, orbicularem ſignat domum, in qua epula ri Prytanes conſueuerant. Et ſi cui quotidianus in Prytaneo cibus fuiſſet decretus, ho neſtiſsimum in Græcia cẽſebatur. Tholum rotundum columnatũ legimus apud Var ronem. Prytaneum dicebatur proprie, quòd in ea triticũ ſeruaretur, quod dicunt Græ ci πυρόν, quaſi πυροῦ ταμιεῖον. Auctor Plutarchus eſt, Cimonem Athenienſem libe ralitatis animi prælati, domum ſuam ciuibus feciſſe πρυτανεῖον κοινόν, id eſt publicum prytaneum, quoniam munifice illos epulo identidem exciperet, ut uolentibus pateret perpetuo. Ab eodem mandatum memoriæ ſcimus, ſtructis ab Lucullo numeroſis bi bliothecis, quæ adeuntibus paterent ſemper, domum eius habitam ὅλως ἑστίαν καὶ πρυ τανεῖον ἑλληνικόν. Adnotandus parte hac error interpretis Plutarchi in Demoſthene: nam quum ita Græci ſcriptum comperias, καὶ τὸν πρεσβύτατον ἐψηφίσατο τῶν ἐκ τοῦ γένους ἐν πρυτανείῳ σίτησιν ἔχειν. Ipſe ſic Latinitate cenſuit donanda, Decretum à po pulo eſt, ut maximus natu generis eius publice ſtipendia acciperet. Ego autem eo uer bo σίτησιν, non ſtipendia intelligo, ſed alimenta uerius. Sed & inibi lepida omittitur

hiſtoria reconditæ ab milite in manu ſtatuæ Demoſthenicæ, ac diu ex fide pecuniæ ſeruatæ. Dicitur uero tholus, ἀπὸ τοῦ πολεῖσθαι, id eſt à circumcurrendo: inflecturq́ ſub fœminino genere: de qua re & Pollux libro octauo. Tholia uero, ciſta eſt, operculum habens tholoides, ſiue teſtudinatum: ex theſauris eiuſdem. Apud Theocritũ tholiam interpretantur petaſum, & umbellam, quam uocent Attici ſcirrhon. Polypi tholum eſſe ſubrubrum Athenæus prodit, in ea parte quæ dicitur mecon, ſupra uentrem. Tholum deniq́ locum uocant, ubi uaſa recõduntur conuiualia, ſed & tectum in acutũ tendens.

Pantheæ ſingularis uirtus, atq́ item Maniæ. Muliebris ſexus cõmendatio. De artemiſia, & Abato Rhodiorum. Spartanarum, Romanarumq́ laus. De Semiamira Heliogabali, & Gallicanis in Sena inſula, ac Zenobia. Conche locus. Item Gallicarum ac Perſicarum laus, necnon de Thracum fœminis, & funebribus mulierum orationibus. Cap. XXXIII

Hieronymi ſanctiſſimi ſimul & eloquentiſſimi uiri ſententia præclara eſt, Virtutes non ſexu, ſed animo æſtimari oportere. Id ſi qua in fœmina uerum iudicari & poteſt & debet, hæc Panthea eſt. Nec imprudenter me aliquis, aut parum pie cenſuram hanc peragere criminetur. Neq́ enim nunc CHRISTI ſacraria introſpicimus, in quibus eniteſcunt diuniores animæ, & præfulget cæleſtis clementia. Meminerint modo legentes, uerſari nos in priſcorum literis, & inde præcerpere floſculos rerum amœniores, quibus uel fatigatos oculos blande retinere ualeamus. Ergo fuit Panthea hæc, ut ſcribit Xenophon, & ex parte commeminit Hieronymus, Abradatæ uxor nobilis uiri, & in bellicis rebus periti, quodq́ maximum reor, Perſarum mox regi Cyro in primis chari, ad cuius manus uenerat Panthea captiua, caſtris Aſſyriorum expugnatis. Aberat tum Abradatas, ut qui legatione fungeretur apud Bactrianorum regem. Araſpæ Medo aſſeruanda interim tradita Panthea eſt, qui ſingulare ac præcipuũ reddidit ei pulchritudinis teſtimonium, ſimul & probitatis: quum apud Cyrum affirmaſſet, nec dum eſſe ortam, aut omnino inuentam tota Aſia tantæ præſtantiæ mulierem. Sed ipſa prius reddiderat ſibi: nam quum magno natu quidam, ut bono animo eſſet, hortaretur, quoniã etiam ſi pulchrum præſignemq́ uirum antea habuiſſet, nunc maximo regi, cui nec forma, non ſtata quidem, ſed præcellens, nec uirtus deeſſet, deſtinanda foret. Id ubi illa percepit, ſcires ibi fœmineam ceſſare inconſtãtiſſimam imbecillitatem, nõ regia fortuna erectior facta, nõ libidinis titillationibus delinita, profundius ſe in luctus dedit, peploq́ à ſummo uſq́ diſciſſo, miſerabiliter ſeipſam cõplorans eiulansq́, quòd quem præcipue amabat, cuiq́ uni ſe natam uolebat, eo foret caritura, conflictabatur. Cæterum affuit uirtuti fortuna, & uotis ſubſcripſit caſtiſſimis. Eam quippe tantã talemq́ magno animo inuiſere neglexit Cyrus, ne interim à gerendarum rerum cura muliebri uenuſtate mollitus auocaretur. Quibus tantis nominibus & ipſa mox uenientem Abradatam uirum illi conciliauit, quum accerſito Cyri religionem, temperantiam quoq́, & in ipſam explicaret commiſerationem. Quibus permotus Abradatas, Quid igitur, inquit, mihi faciendum cenſes, quo & pro te meq́ ipſo principi eminẽtiſſimo ſatisfaciã? Quid aliud, inquit Panthea, niſi ut enitaris, ſimilem te illi præſtare? Ea perſpicue intelligens Abradatas, profecturus mox in aciem, O Iupiter (inquit) optime maxime, da mihi ut appaream & uir dignus Panthea, & dignus amicus Cyro. Cæterũ ubi acri commiſſo prælio, ſtrenue pugnãtem illum occubuiſſe audiuit Panthea, poſtea quàm fleuit uberius, quæ ſumma uirtute, & quantum ſexus is capit, ſumma prudentia ætatem tranſmiſerat, non expectanda ulterius fortunæ ludibria cenſuit, uerum acinace quem diu paratũ ad eos uſus habuerat, ſeipſam confecit, capite ſuper uiri pectus recumbens, ut è iugulo profluens ſanguis mariti uulneribus infunderetur. Quibus uirtutibus id eſt ad poſteros conſequuta nomen, ut clariſſimis monumẽtis ſubinde celebrata, in æuum ſeſe illuſtriſſime propagarit, ut intelligamus, quamuis eius uideatur ſexus proprium, domi ſe continere, quod in quadam Declamatione Quintilianus ait, & leuibus officijs affigi, & paſsim ut animal indomitum & impotentis naturæ, fœmina coarguatur: promere ſe tamen nonnunquam in ea imbecillitate tantam rerum excellentiã, ut uiros quoq́ quantumuis peregregios decere poſsit: quod in Timoclia probat Ariſtobolus, & in Tisbe

Theopom

Theopompus. Ab Panthea ſingulari uirtute haud diſſita eſt Mania, Zenis ſatrapæ in Aeolide uxor, natione Dardanis, ſicuti & uir: Quo ex humanis concedente, ac Pharnabazo illi ſatrapem alium ſubſtituẽte, confeſtim ui pecuniarum magna ſecum aſſumpta, quibus Pharnabazo, & apud eum claris gratificaretur, ad illum pergit. Admiſſa uero in colloquium, O Pharnabaze, inquit, quum in alijs uir meus ſe tibi amicum geſſit, tum uero ex fide tributa perſoluit, quo nomine illum plurimi faciebas. Quod ſi illo nil ipſa inferior tibi cuncta ſuggeſſero, quid alium te ſatrapem præficere neceſſe eſt? At ſi ad animum tibi reſpondero minus, tuum ſemper fuerit pontificium, me reiecta, alterum ſufficere. Quibus auditis Pharnabazus, mulierem commode loquutam opinatus, uicarias illi uices uiri contribuit. Quare compos omniũ mulier, non ſolum quæ fuerant uiri obibat partes, uerum ad Pharnabazum ſi ſalutatũ pergeret, non citra munera officio perfungebatur. Quòd ſi in præfecturam is deſcenderet; munifice à muliere excipiebatur, ut ſplendidius à nemine. Nec ciuitates modò iuris ſui ſeruauit inconcuſſas, ſed & Lariſſam adiecit imperio & Hamaxiton ac Colonas, mari adiacentes, ex Græcis exercitu conflato. Inter quos fortiter faciẽti dona inſigniter proferebat. Quin & Pharnabazo expeditionum fuit comes in Myſos & Piſidas. Quare ab eo magnifice abibat honorata, cõſilijs adhibita ſæpius. Hanc Medias gener præfocaſſe cum filio memoratur. Artemiſiam mirari non deſinunt Græci, quæ irruentes Rhodios claſſe exuerit. Inſulam quoq; domuerit, erecta in urbe Rhodo ſtatua, quæ ciuitati ſtigmata uideretur inurere, quem locum obſeptum mox Abaton dixere: quoniam trophæa mouiſſe, religio eſt. Fuit apud Cyrenem Artemiſia quoq; inſigne feſtum. Romanarũ quidem mulierum laus ea præſignis eſt, quod illis Numa pudoris adiecit plurimum, curioſitatem remouit, ſobrietatem docuit, tacere ac abſtemias prorſus eſſe, neq; de neceſſarijs rebus abſente uiro, quicquã eas loqui aſſuefecit. Nam quum mulier quandoq; propriam cauſam in foro dixiſſet, miſiſſe ſenatum, memoriæ traditur, Deos conſultum, quid nam ea res ciuitati portẽderet. Quoniam Vlpiano tradente, à ciuilibus officijs & publicis fœminæ remouẽtur: proinde iudices eſſe non poſſe, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec procuratrices exiſtere. Idem alibi: Corporalia, inquit, munera fœminis ipſe ſexus denegat. Calphurniæ improbitas iudicibus permoleſta edicto cauſam dedit, quo cauetur, ne poſtulare fœminæ liceat. At ediuerſo Spartanæ mulieres audaciores dicuntur fuiſſe, inq; ipſos uiros in primis uiriles, ut quæ domeſticis negotijs dominarentur, tum in publicis ſententiã dicerent de maximis rebus, & auctoritatẽ haberent. Nec me fallit, in Politicis Ariſtotelẽ ſcribere, illas molliter uiuere ſolitas, ac fuiſſe in omnẽ licentiam diſſolutas. Itaque, inquit, neceſſarium in tali republica diuitias haberi in pretio, præſertim quum fuerint uiri mulieribus obnoxij. Semiamira Heliogabali mater, omnium prima loco uiri ſenatum narratur ingreſſa. Quin & in colle Quirinali ſenatulus eſt conſtitutus id eſt mulierũ ſenatus. Cautum tamen mox, ne unquam mulier ſenatum ingrederetur, utiq; inferis eius caput dicaretur deuouereturq; per quem eſſet factum. Gallorum mulieres inter infeſtas ciuilis furoris acies auſæ ſe immittere, nunc lachrymis, nunc precibus, ita illorum animos flexere ut diſſenſione obliterata, pacem coirent ac ſocietatem, omnesq; citra ullam cædem ad propria reuerterentur: unde apud eos inoleuerat mos, diutiſſime ſeruatus, ut quum de pace belloq; conſultaretur, mulieres item adhiberentur. Si qua præterea, ut fit, inter ſocios incidiſſet controuerſia, mulieres intererant arbitræ. Quamobrem dignum memoria id eſt: fœdus quod cum Annibale Galli inierunt, in hanc ferme ſententiam percuſſum: Si quis Gallorum iniuria ſe à Carthaginiẽſium aliquo affectum quereretur, eius rei Carthaginiẽſium magiſtratus aut imperatores qui in Hiſpania fuerint, iudices eſſe debere. Sin Carthaginienſium quiſquam ab ullo Gallorum iniuſti quippiam paſſus eſſet, Gallicas mulieres de ea re iudicium facere. Interim ſcitu haud indignum: in Sena Britannici maris inſula, Oſiſmicis aduerſa littoribus, eſſe Gallici numinis oraculũ inſigne, cuius antiſtites perpetua nobiles uirginitate, Gallicænas ædidere nomen, ingenij poteſtate, ac magici carminis ui in mari procellas dicunt mire concitare, ſed & in quæ collibuerit animalia identidem ſeſe afformare: quin & medicam prorſus manum reſpuentia

ſpuentia diuinitus perſanare: futurorum item ſibi uendicare ſcientiam, ac deſtinato ad eas profectis ſtupenda ſubinde præcinere. Zenobia Odenati uxor, moriente marito, imperium excepit tanta uirtute, ut imperatores multos fortitudine præcelluiſſe memoretur, ac ſolertia, Latinis imbuta literis quadamtenus, Aegyptijs etiam perfecte. Orientalis hiſtoriæ ac Alexandrinæ adeo perita, ut epitomen inde confeciſſe, nonnulli perſuaſerint ſibi. Capta demum ab Aureliano uixit mox uti matrona prope Tybur, in Zenobijs agris, ubi uiſebatur Conche locus. Fuit me item puero, bellantibus in Turcas Venetis, memoratæ uirtutis puella, Marulla nomine in Lemno, quæ à Barbaro cæſum patrem conſpicata, ſcutum iacentis arripiens & gladium, impetum in hoſtem dedit, moxq; opem ferentibus alijs etiam ad naues ingenti ardore eſt per magnam cædem inſequuta. Oriſgontis Gallogræcorum reguli uxorem pluribus memorarem, ni matronali pudicitiæ, ac præclaro facinori paria faceret T. Liuius Aſiatici belli libro octauo. Porrò in bello quod cõtra Aſtyagem gerebatur, quum Perſarum acies impreſſionem hoſtiũ ualidiorem ferre nequiret, iamq; loco cederet, matres & uxores eorum obuiam ſeſe tulere, orantes in prælium redirent: cunctantibus ſublata ueſte, obſcœna corporis ingeſſere, rogitãtes, num in uteros matrum uel uxorum irrumpere cogitarent? Hac illi caſtigatione repreſſi, ueluti denuo bellicum ceciniſſent, aciem inſtaurarunt. Ob quod facinus præſigni uictoria potitus Cyrus, lege cauit, ut ubi primũ Perſarum rex urbem ingrederetur, mulieres quotquot adeſſent, ſingulos auri nũmos à rege acciperent. Sed Ochus rex quum uitijs alijs, tum auaritia præ cæteris inſignis, urbem ſæpius circumuectus, nunquam eandem inire uoluit, mulieribus ne congiarium moribus receptum impertiretur. At Macedo Alexander bis eam ciuitatem ingreſſus toties quoq; mulieribus erogari nummos iuſsit, nec cõtentus, prægnantibus duplicari munus imperauit. Apud Thracas nec fœminis quidem ſegnis eſt animus, ſuper mortuorum corpora uirorum interfici, ſimulq; ſepeliri, uotum habuere eximium. Et quia plures ſimul ſingulis nubere, moris fuerat: cuius id demum foret decus, apud iudicaturos magno certamine diſceptabatur, moribus id contribuebant, inde lætitia ſingularis in uictoria. Huius præterea ſexus honori & illud Romana maieſtas impertita eſt, ut in clariſsimarum funeribus epitaphij dicerentur. Quod item ex uirtute natum ac pietate eſt, ſiquidem quum mittendum ad Delphicum Apollinem munus eſſet ex Camilli uoto, nec foret auri tantum in urbe, mulieres ſponte corporis ornamenta contulere.

Iunonis templum in Olympia. Agon quem uocabant heræa, ſiue ἡραῖα. Phyſcoæ chorus, & Hippodamiæ. Pallas Narcæa. Diana Laphria, Triclaria, Potamia, Alphea, Lye, Hoploſmia, Hecatombæa. Iuno. XXXIIII

INter alia memoranda præcipuè, quæ apud Elin Peloponneſi tum uetuſtam, tum nobilem ciuitatem, fuiſſe narrantur: non in poſtremis audio celebrari à ſcriptorum adiuratiſsimis templum lunonis, quod Scilluntij ex Triphylia ſtruxiſſe creduntur, octo ferè annis poſterius, quàm Eleis imperare exorſus eſt Oxylus. Quinto quoq; anno Iunoni peplum contexebant mulieres decem ac ſex numero, quæ ipſæ agoni præficiebantur, quem dixere ἡραῖα. Currebant uirgines ætatis utique non unius, prodibant principes natu omnium minimę, ſequebantur grandiores paulò, poſtremis quæ cæteras anteirent ætate. Currebant uerò ſic: demittebatur illis coma, tunica ſubſiſtebat paulum ſupra genua, dexter uſq; ad pectus retegebatur humerus. Stadium Olympicum erat curſui deſtinatus locus, ſexta tamen parte dempta. Victoriæ præmium oleagina fuit corolla, & bouis portio Iunoni immolatæ. Certaminis uetuſtatem ad Hippodamiã producunt, quæ Pelopis adepta coniugium, ſic Iunoni gratam ſe oſtenderit, ſex & decem allectis mulieribus, cum quibus ἡραῖα ſtatuerit prima: tuncq; uiciſſe Chlorin Amphionis filiam. Afferuntur & alia, quæ huc prorſum ſpectant, ſed ambuſtis Græcorum codicibus, in lubrico haud quaquam luctabimur. Illud apertius omnino, ac certius: à mulieribus eiſdem duos eſſe conſtitutos choros, alter quorum Phyſcoæ dicatur, Hippodamiæ alter. Phyſcoam à Dionyſio amatam memorant, natumq; inde Narcæum, qui bello clarus Palladis Narcææ templum excitauit. Nam ſæpe à templorum conditoribus, uel ijs qui ſimulacra erexiſſent,

dijs

dijs ueterum adoptabantur cognomina. Sicuti in arce Patrẽnſium quæ colebatur Diana, de Phocenſis Laphrij nomine, ſtatuæ auctoris, Laphriæ indepta cognomentum eſt apud Calidonios, quod & apud Patrenſes obtinuit, illuc tralato ſimulacro: inde & λαφεία feſtum quoq; nuncupatum. Sunt qui deam ita malint dictam, quod eius μάνιμα ἐς οἰνέα, tandem Calidonijs factum foret ἐλαφρόπορον. Alicubi & ab celeberrimis poetarum dici quoque Potamiam Dianam obſeruauimus: quam eandem & Alpheam ex euentu nuncupant, quod Dianæ obretitus amore Alpheus Ortygiam uſq; eam ſit inſequutus, ac deſtiterit mox. Propterea excitato inibi deæ templo, illi conciliatum de facto cognomen. Dianam quoq; Lyen cognominarunt Siculi, quoniam ab ea eſſent morbo infeſto ſoluti: unde natum, ut ruſtica multitudo theatrum ingreſſa uictoriam caneret, quam de Syracuſanis mox adeptus eſt rex Hiero, quæ prima creditur Bucolicorũ origo, quæ omnium princeps carmine Daphnis celebrarit, mox Theocritus. Fuit in Achaia item Dianæ templum Triclariæ, cuius feſtum κατὰ πανυχίς, id eſt peruigilium celebrabatur quotannis, cum hominum immolatione, ex numinis indignatione enato ſacrorum ritu: quod in delubro Melanippus & Comætho turpiter amore uicti coiſſent. Celebrata & apud Argos Panagyris Iunonis honori legitur, ἡρῶια uocant, ſed & Hecatombæa, quia deæ cẽtum immolarentur boues. Certaminum uero premium χαλκῆ fuit ἀσπὶς, id eſt æneum ſcutum, quod ſignificat Pindarus, corona item myrtea. Hoploſmiam dicebant Iunonem, quæ apud Elidem coleretur.

De Iamidis & Thraſybulo uate, qui ex cane primus uaticinia conceperit, quæ de ſue quoque eliciant Cyprij. Theodati Gotorum regis hiſtoria. Caput. XXXV

INter uatici ſpiritus uiros, qui celebre apud ueteres ſint nomen indepti, comperio in Eleorum hiſtoria Iamidas, de Iamo quodam nuncupatione propagata. Inter hos unus egregie memoratur Thraſybulus, prædictionibus multis ſane illuſtris: quo nomine eſt icone quoq; in Olympia inſignitus, in quo galeotes, id eſt muſtella, quanquam alij felem interpretantur, ad dextrum arrepere humerum aduertitur. Aſſiſtit & canis, uerum interciſus, ac iecur patefaciens. Quod ſanè quàm mirum eſt, ſiquidem ex hædis addiuinatio & agnis ac uitulis eſſe agnoſcitur utique perantiqua. Quin & ſuillis item extis uaticinia concipere, Cypriorum putatur inuentum. Canibus ad id qui utendum putarit, non ferè, Pauſanias inquit, compertum ad hoc æui eſt. Videtur tamen Thraſybulus hic in eo item animali inſolens excogitaſſe quippiam, quo uatica multiplicior fieret ac adminiculatior ſcientia. Ex hiſtoriæ theſauris compertum, Theodato Gotorum rege curioſius futura ſcrutante, inſigni uanitate Iudæum hominem porcos triginta, paruis ædificijs tribus iuſſiſſe occludi: ac decimo cuiq; nomina Gotorum facere, & imperatoris præfectorum, inde ad certum diem quieſcere. Peractis uerò uti erat iniunctum, omnibus, ad præſtitum Theodatus cum Hebræo porcos pergit inuiſere: ubi mortuos comperit, quibus Gotorum facta erant nomina: uiuos autem, quis erant præfectorum nomina impoſita: uerum ſetas è dorſo defluxiſſe, quarum uiſeretur dimidium. Quo ſanè coniectatum, fore ut Romani exercitus aboleretur dimidium, Gotis adinternitionem occiſis. Iamum uerò de quo diximus, Apollinis fuiſſe filium tradunt, cuius meminerit etiam Pindarus.

Polydamantis robur prodigioſum, atq; eiuſdem interitus. De Milone paucula. Luporum apud Crotonem frequentia. Cap. XXXVI

LEonem in Nemea fuiſſe ab Hercule peremptum, poterat ſanè fabuloſum uideri: ſed præſto ex hiſtoria Polydamas eſt, à quo itidem in Olympo feram id genus magnitudine uiſenda & robore, confectam, & quidem inermi prorſum, inobſeptoq;, prodidere ſynceriſſimi ex Græcis conditoribus. Ad id uerò prouectum audacię ferunt, Herculis modò æmulatione. Adijcitur quinimmo & miraculum alterum: nam idem hic leonis domitor boum ingreſſus armentum, inibi taurum magnitudine inſignem, ac præcipuè ferum conſpicatus, ex poſterioribus alterum arripuit pedem, retinensq; pertinaciſſimè, ferocientem, ac impetu prærabido proſilientem non dimiſit prius, quàm indignabundus ac furens, tandem in Polydamantis ma-

nu χηλὴν, id eſt ungulam reliquit. Narratur & illud, quadrigas tota ui concitatas conſtanter retinuiſſe, altera modo manu retro curru apprehenſo. Hac tanta fortitudinis fama perpulſus Perſarum rex Darius, Artaxerxis filius, ſed nothus, uirum nuntijs crebris ac pollicitationibus magnificis Suſa pellicuit. Quò is quum ueniſſet, mox de ijs qui immortales à Perſis nuncupantur, tres conſpiratu uno nitibundos ex prouocatione arma inaduerſum ferentes contrucidauit ſolus. Teſtatiſsima fiunt omnia hæc ex eius ſtatua cum epigrammate in Olympia. Cæterum, qui plerunq; uiribus nimium ſe efferentes exitus manet, quemq; eſt uaticinatus in carmine Homerus, & Polydamantem excepit. Siquidem, quod dicitur, ſuo eſt ipſius gladio iugulatus. Caſu quippe cum alijs combibonibus quibuſdam in ſpecu æſtus ui flagrantiſsima ſeſe commodum coniecerat. forte ita euenit, dæmone non bono utiq;, ut montis apex conuulſus haud dubiam inſpectantibus oſtentaret ruinam, & quidem proximam: inde reliqui, quum malum ingruens præſentiſsimumq; præcepiſſent, eueſtigio fugæ præſidium mandantes, citatiſsimi ex mortis ſeſe faucibus proripiunt. At Polydamas, ut qui fato deſtinatum neſciret exitum reclinare, ſubſtitit ſolus, ac ruentis molem ſaxi manuum fultura conatus reprimere, ponderis uaſtitate mox oppreſſus ac cõtritus interijt. Similis prorſum fiducia & Crotoniatem perdidit Milonem, de quo, præter noſtros plura Eliacorum ſecundo Pauſanias: qui à lupis eum ſcribit concerptum, quod genus feræ apud Crotoniatas ſcateat uel maxime.

Quo pacto Alcibiadem concionari metuentem Socrates excitarit. Alcibiadem eſſe Laconicum nomen. Cap. XXXVII

QVàm formidoloſum ſit, habendæ orationis cauſa in concionem prodire, multorum (opinor) exemplis abunde innotuiſſe: quando populi conſpectum non ferentes pleriq;, metu perfuſi, ac rubore inexpugnabili, capite conuelato, raptim ſeſe proripientes inde, domeſticas petiere latebras. Non nulli etiam perculſi uehementius ſilentium ſibi indixere perpetuum. Propterea Alcibiadem, de quo ab celeberrimis traditum auctoribus eſt, fuiſſe AEgypto perſimilem, quæ dicta eſt ἐκφέρειν ὁμοῦ φαρμακα, πολλὰ μὲν ἐδλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, ferunt meticuloſam adeo ſubiturum aleam, hæſitaſſe amplius, animi æſtuatione fluctuantem. Eum ita affectum quum intueretur Socrates, adoleſcentis mentem ſurrigere altius cupiens, atque excitare, ſic ex eo inſtitit quærere, An non (inquit) ὁ Alcibiades σκυτοτόμον illum, ſiue ſutorem ducis contemnendum? Quum adnuiſſet, rurſum, An non & eum, qui in cœtibus præconino ſe confouet munere? Quum nec id inficiaretur, Nónne & σκιωποιὸν (ait Socrates) qui pelles tentorijs conſuit? Fatente id quoq; Alcibiade, Quid igitur, an non ex ijs conflatur omnibus Athenienſium populus? Quos ergo ſingillatim deſpicabiles opinaris, ne coeuntes reformidaris quidem animoſe. Sed Græce ſic, καὶ εἰ τῶν καθ' ἕνα καταφρονεῖς, καταφρονητέον ἄρα καὶ τῶν ἀθροισμένων μεγαλοφρόνως. Illud fuerit auctarij loco: nomen eſſe Laconicum Alcibiadem, ſiquidem ſic eſt nuncupatus Endij pater, à quo exceptus hoſpitio Athenienſis Clinias, nato inde filio hoſpitalitatis nomen adoptauit: auctor hiſtoria octaua Thucydides. Fuit Alcibiadis item nepos, quem ἀνεψιὸν dicunt Græci, nomenclaturæ eiuſdem, cuius cæſi lapidibus ab Thraſylo, meminit Rerum Græcarũ primo Xenophon.

Neminem unum poſſe in omnibus paria unicuique facere. Alexandri, & equi ab Apelle expicti exemplum. Cap. XXXVIII

NOn poſſe uirum unum omni in re omnes implere numeros, & ad cuiuſque animum reſpondere, nobili, & perinde memorando inſtruimur exemplo: nam, quum apud Epheſum Macedo Alexander ſuam ipſius eſſet intuitus imaginem, εἰκόνα quam dicunt Græci, de filo corporis, pro uirili ab Apelle expreſſam effigiatamq;, οὐκ ἐπῄνεσε πρὸς τὴν ἀξίαν τοῦ γράμματος, id eſt pro picturæ non laudauit meritis. Forte uero interim equo inducto, & ad pictum equum mire adhinniente, tanquam uerum plane ac ſpirantem. O rex (inquit Apelles) ὁ μὲν ἵππος ἔοικέ σου γραφικώτερος, ἢ πολύ, id eſt equus quàm tu, expreſsior multo eſt, ac ueritati proximior. Fuit Apelles Colophonius quidem, uerum θέσει, id eſt adoptione Ephe-

Ephesius, Pamphili Amphipolitæ discipulus. Coum fuisse Apellem, inter nostrorum placita est.

Quibus indicijs Persarum magi sanguinarium Ochi regis ingeniũ deprehenderint. De Bagoa eunucho. Cap. XXXIX

DE Persarum magis, quod & alibi commonuimus, existimant plerique, ut sapientibus plane, totq; ac tanta prorsum tenentibus, quot & quanta scire fas est. Quin & uaticinij esse compotes, nõnullis, & quidem insignibus cognitum experimentis. Aliorum nunc obliuiscor uolens, quod de Ochi Persarum regis immiti, & proinde sanguinaria præsagiuere natura, haudquaquam censui differendum, quãdo ratione quadam mira feritatem in subditos agrestem, ac (ut Græci significanter dicunt) φονικὸν αὐτὸν, id est cædis auidum ipsius deprehendere ingenium sunt uisi. Siquidem Artaxerxe patre ex humanis emigrante, ubi arripuit imperium Ochus, ex eunuchis quempiam regi præcipue familiarem assistentemq; propinquissime, iusserunt Magi, amplius accuratiusq; obseruare, mensa apposita, quid ex paratis apprehenderet primum. Et is quidem, quod iussus erat, strenue præstabat, regi intendens euigilate. Commodum ille iam decubuerat, ac dextra quidem gladiolum arripit potissimum, altera uero panem, qui magnitudine fuit præcipua, ei quum carnes imposuisset, concidebat ac uescebatur large incessanterq;. Ea ubi audissent Magi, δι' πύτων ἀποῤῥήτων συμβόλων, id est per secretiora id genus signa duo quidem prædixere: anni temperiem, ac frugum copiam, & multorum cædem, exilia, & damnationes, nil magnopere mentiti. Plura de hoc libro decimoseptimo Bibliotheces Diodorus, ac de eunucho Bagoa, qui illum ueneno tollendum curauit, qua ratione mox & ipse interijt, ab Dareo poculum coactus haurire, quod sibi fuerat concinnatum.

Lodouici

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros ad doctiſſimum Marcum Muſurum Cretenſem Præfatio quarta decima.



Vdio, quo me cunq; uertam, primæ notæ uiros tuis obſtrepentes laudibus, quòd & ſummam in te nobiles, infimi, mediq; probitatem experiantur: nec humanitate, iucundiſſima omnibus, diſcluſa. Nam quod ad eruditionis penu multifariam cumulatũ ſpectat, ita demum celebraris, itaq; nulli non occurris admirabilis, ut ſpectatam gentibus uniuerſis Græciæ tuæ ſapientiam, & facundiæ dulciſsimam uim reuocare ab inferis præmortuam, & quæ omnium uiciſsitudo eſt, quodam uelut fato pridem ita adobrutam contumulatamq;, ut in terra Græcia diu quæſita, uideatur Græcia ipſa: denicq; dicaris, atq; ingenij præſtantia eatenus confouere: idq; in Italia noſtra, ut plures nunc co oriantur, qui Græce ſciant, quàm luſtris centum proximis. Gratulor tibi doctiſsime Muſure, gaudeo mihi. Eſt quod bene ſperemus. Opera tua uel exactiſsima ueterem πολυμαθιαν uideo breui ſuo nitori reſtitutum iri parte plurima. Vtinam uero τιοῦτοι σοὶ λίκα συμφραδμονες ἔσν ἀχαιῶν, uel momento, nimio plus coalita barbaries iſſet peſſum, æquata ſolo. Properari paſsim ad te ſummo ſtudio etiam à ueteranis in re literaria animaduerto pleriſque, æditæq; iam ætatis. Quos ferunt motos, demulctosq; eloquentiæ mira ubertate, ac reconditarum ſcientia rerum captos, te, uelut Calliſtratum, relicta etiamnum cum Platone ſuo academia, magno profectu conſectari cœpiſſe: ſicq; etiam te obſeruanter audire ac celebrare, perinde ac cælo demiſſum aliquem arbitrum, interpretemq; Sibyllæ oraculorum. Id illis, opinor, non ſcholica exprimunt nugalia, ſed remotior doctrina, ex intimis tuarum gentium eruta Muſeis. Cui tradentis accedat illa χάεις ἀτῆικὴ, omni gratior cultiorq; Venere: quaq; una Athenæ magis Atticæ fiunt, ac recaleſcunt, quæ conſenuerant, Græciæ uires ὥσπερ τὸν λεβηείδ' ἐκβαλοῦσαι. Nec abſit incomparabilis facilitas, qua ſcite ſic, & aſſeuerate (quod dicitur) præmandis, ut ex te audita, tantumq; non digeſta celeriter abeant in corpus. Inde nimirũ qui te dictantem audiunt, conſileſcunt extra modum uniuerſi, ac obſtupeſcunt attoniti, delinimentis aurium ex flexanima, ut à bono poeta pronuntiatum ſcimus, & regina rerum facundia ad intima demanantibus. Quapropter æditurus iam elucubratos mihi pridem Antiquarum lectionum libellos: in quibus forſan, non ut in decurſibus ludicris & ſimulacris prælíorum uoluptarijs, diſtincta fuerint omnia comptaq;, uerum laborioſiſsime congeſta non deſunt & percurioſe, ut ῥαθυμώτερον nil, aut ſubſultãs, quantum unius hominis opera effici ualuit, effflueret: non permiſi mihi inhonoratum te pertranſire, quum tot tantaq; abs te in noſtrates proficiſcantur. Quo itaque plurimum poſſumus, ἀντιπελαργοῦμεν: tuumq; nomen, quanquam ex ſe, propriis quoq; monumentis celeberrimum, dum eandem nobis incudem diem noctemq; tundis, in memoriam damus, ampliora multo præſtituri, ſi λώτ© afforet ἀγαθῶν.

Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI QVARTVSDECIMVS.

Mulieres in doctrinis celebres. De Corinna, item Erinna, necnon de alijs alio genere præstantibus. Pilæ inuentio. Sibyllarum nomen unde propagatum. Virginum partus. Cap. I

NEC INTRA eos uirtutum limites se continuit muliebre ingeniũ, quos ante paulo memorauimus, quin naturalium quoq; scrutationi se inseruit, ac Arete eatenus itẽ progressa est, ut filium etiam institueret, qui inde appellatus est Aristippus cognomento μητροδίδακτος. Lastheniam quoq; Mantineam, & Axiotheam Phliasiam Platone usas præceptore, proditum est, ornatu interim uirili auditorium ingredientes: quod Dicæarchus scribit. Iam uero Damæ, quam Pythagoræ filiam memorant, ingenium & doctrinam in exponendis paternis sentẽtiarum inuolucris, quis non nouit? Aspasiæ item nomen, ac Diotimæ, & Thargeliæ, ut ex Luciano comperimus, sola illustrauit philosophia: quando nec imbecillis alioqui sexus ab ea eliminatus agnoscitur. Quippe Plotinum Platonicũ nobilem mulieres aliquot sapientiæ studio frequentasse memorantur: Corinnæ uero an obscura esse gloria potest, quæ in Lyrico certamine Pindarum quoq; nouem Lyricorum principem exsuperasse tradatur? Eam fuisse Thebaham memorant. Sunt qui Tanagræã malint. Achelodori & Procratiæ fuisse filiam constat, ac Myrtidis discipulam. Muscam quoq; Lyricam fuisse cognominatam, non fere ambiguum est. Epigrammata item scripsisse, ac lyricos nomos. Sed & Thespiam Corinnam ueterũ celebrant monumenta, & auctor Pausanias non prætermisit, quam alij Corinthiam credere malunt. Corinnæ, ut sapiẽtis in poetica, meminit Eustathius. Erinna Teia, uel (ut alij) Lesbia, aut Telia (Est enim prope Cnidum insula parua Telos, id est τήλος, quod ex Eustathio est) carmine item illustris censetur. Scripsit Elacaten, hoc est ἠλακάτη, AEolica lingua & Dorica uersibus trecentis. Condidit epigrammata quoq;. Decem & nouem annorũ mortuam uirginem ferunt. Carmina eius Homericam consequi maiestatem, traditum est. Sapphus contemporanea fuit, ac (ut non nullis placere animaduerto) amica. Meminit Eustathius in nauiũ catalogo apud Homerum: repetit in Temporibus Eusebius. In Erinnam elegans est apud Græcos epigramma, cuius hi duo sunt postremi uersus,

Σαπφὼ δ' ἠείννης ὅσσον μέλεσιν ἀμείνων,
ἠείννα ἕξαμέτροις τόσσον ἐγὼ ἐξαμέτροις.

id est, quanto Erinna in lyricis Sappho præstantior, tantum Sapphus gloriam Erinna hexametris præcellit. Vtriusq; poetriæ mentio item Propertio est Elegiarũ secundo,

Et sua quum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaq; Erinnes non putat æqua suis.

Fuit & Charixena Crumatum poetria, cuius commeminit uel comicus Aristophanes. Fuit & Theano apud Locros in lyricis præcellens. Celebratur item Mœro, condito in Neptunnum hymno. Apud Athenæum est Agallis Corcyræa illustris arte grammatica, quæ inuentionem pilæ ascripsit Nausicaæ, Sicyonijs alij, quidam etiam Lacedæmonijs. Telesillam quum in alijs, tum in poetica illustrem celebrat Pausanias, ut quæ apud Argos ante Veneris templum statua sit insignis. Cassandra uero Priami non doctrina quidem, sed uaticinio (ut uidetur) illustris, etiam apud hostes in Lacedæmone templo fuit insignita. Sed nec Romana uirtus ab hoc rerum decore abiungitur, quando Corificiæ celebrantur epigrammata: soror eius hæc Corificij narratur, qui subinde fugientes milites, galeatos lepores appellare consueuerat. Quid hic referam pertinax quarundam propositum in seruando uirginitatis thesauro, uel (quod non minus est) ulciscendo uiolatum præfloratumq;? Milesias uirgines septem legimus, Gallico furore

furore cuncta uaſtante, ne quid indecens ab hoſte paterẽtur, turpitudinem morte declinaſſe. Nicanor uictis Thebis atq; ſubuerſis, unius uirginis captiuæ ſuperatus amore eſt, cuius expetens coniugium & uoluntarios amplexus, quod utiq; in illa fortuna debuerat captiua habere inter optatiſſima, ſenſit pudicis mẽtibus pluris uirginitatem eſſe, quàm regnum, & propria interfectam manu flens & lugens amator tenuit. Auctores habemus, aliam item Thebanam uirginem, quam hoſtis Macedo uiolarat, diſſimulaſſe paulíſper dolorem, & uiolatorem uirginitatis ſuæ mox iugulaſſe dormientẽ, præterq; cum gaudio ſe quoq; interemiſſe. Verum quod ad decus item hoc quodãmodo pertinet: apud Gymnoſophiſtas Indorum, quaſi per manus huius opinionis auctoritas traditur, Buddam principem dogmatis eorum è latere ſuo uirginem generaſſe. Sed & ſapientiæ principẽ non aliter natum Platonem opinantur, quàm de uirginis partu, Perictione matre Apollinis oppreſſa phantaſmate. Cæterum nec imperijs abſtinuiſſe fœminas, uetus teſtatur memoria. Gens fuit Indorum Pandę ſola regnata fœminis. Vnam Herculi ſexus eius genitam ferunt, ob idq; gratiorem, regno donatam præcipuo. Ab ea deducẽtes originem imperitarũt trecentis oppidis, peditum centum quinquaginta míllibus, elephãtis quingentis. Iam & apud Meroen quoq; fœminam Candacem nouimus regnaſſe, quod nomen mox & in reginas alias propagatũ. Quid, nónne à chronicis relatum ſcimus, Ioannam Anglicam ſolam à condito æuo ſpecie uiri pontificatũ Romæ auſam inuadere? Immo uero & unum ex familiaribus, qui ſolus rem tenebat, ad concubitum admiſiſſe, & inde grauidam etiam in ſummo dignitatis faſtigio peperiſſe. Factum hoc ſalutis anno octingenteſimo quinquageſimotertio. Fuit & in Thracia mulierum portus ad Leoſthenẽ ſinum memorabili cauſa ita cognominatus. Nam Phedalia Byzantis uxor Stroebum uiri ſui fratrem, quum ciues abeſſent, urbi ſtruentem inſidias, coacta fœminarum manu, ad eum uſq; locum inſectata fuderat. A ſimili uirtute denominata in AEgypto item γυναικόπολις, id eſt muliebris ciuitas: quod in monumẽtis Stephani ex Ariſtagora relatum eſt, qui Platone fuit haud ita iunior. Fuluiam Antonij uxorem accingi enſe ſolitam, ſcribit in Auguſti rebus Dion, quin militibus σώθημα dabat, id eſt teſſeram, interq; illos ſæpius eſt concionata. Daphnen Tireſiæ filiam, apud Delphos ſolitam uaticinari, uerſificatione adeo præcelluiſſe memorant, ut ex eius carminibus multa ad ſui poematis cultum tranſtuliſſe Homerus credatur. Apud Telmeſſum Arrianus ſcribit, mulierum puerorumq; uaticinia habita ueteribus præſtantiſſima. Sed & Dardanum ſcribit idem ex Samo profectum Teucrorum regis filias duxiſſe uxores, νησὼ καὶ Βατειαν, id eſt Neſo & Batiam. Ex priore natam illi filiam uaticinam nomine Sibyllam, ex qua in uaticinatrices omnes ſit propagatum nomen, ob Theophoriæ cognationem quandam. Hypæpenas mulieres fuiſſe pulcherrimas, traditur. Eſt uero urbs Hypæpa, quæ à Tmolo deſcendentibus occurrit, ad Caiſtri campeſtria, nomine impoſito, quia ſit ſub monte qui AEpos nuncupetur, ſita, ac dicata Veneri. Meminit Ouidius de Arachne,

Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis.

Poſtremo, ut uela demum complicemus, ſcribit quodam loco Plutarchus: eandem eſſe uirtutem uirorum mulierumq;. Leontius Gorgias putabat mulieris non formã, ſed egregium nomen atq; famam debere apud quamplurimoſeſſe uulgatam. Nec ſum neſcius Thucydidem ſcribere: eam eſſe optimam, de cuius laude ac uituperatione quamminimus apud exteros ſermo habeatur. Auctor eſt Ariſtoteles in Oeconomicis, nec ueſtimentorum nitorem, nec auri magnitudinem tantum habere momenti ad mulieris præconium, quantum modeſtia ualeat, & approbati mores: ex quo & Propertius ueteres laudans:

Non illis ſtudium uulgo conquírere amantes,
Illis ampla ſatis forma, pudicitia.

Frigidam ſuffundere, apud Plautum quid ſit. Lauere, poſitum pro eo quod eſt, probra ingerere. A tergo uarij, qui dicantur. Scribere, pro lacerare. Cap. 11

Plauti

PLauti ex Ciſtellaria uerſus hi ſunt: Ita noſtro ordini
Palàm blandiuntur: clàm, ſi occaſio uſquam eſt, frigidam
Subdolè ſuffundunt: uiris cum ſuis nos ſolere prædicant,
Suas pellices eſſe aiunt, eunt depreſſum.

Quæritur à grammaticis non incurioſe, hoc namq; illorum eſt forum, hoc curriculum, quid ſibi parte hac uelit poeta doctiſſimus, quum ait, Frigidam ſuffundũt: & nonnulli forſitan ad prouerbium referant, quod eſt, Hæret aqua. Verum hoc parum perſpicacis fuerit, immo uerò ſemotius nihil poteſt uel dici uel excogitari, quando à poetæ genuino (ut ſic dicam) ſenſu, per diametrum (ut aiunt) abiuncta ſunt iſta. Quapropter ne refellenda quidem, quando illud à fatuo in cribrum, uti eſt apud Galenum, ſuccurrit pronuntiatum, οὐχ εὑρίσκειν ὃ, τι βύσσῳ, μὴ βύσσῳ αὐτό. Erit qui tralationem putet ab equis factam, quos ut excitemus, frigida plerunq; conſpergimus: de quibus mentio eſt Vlpiano Digeſtis de ijs qui notantur infamia: ubi inter miniſteria certa minibus ſacris deſeruientia recenſentur agitatores, quiq; aquam equis ſpargunt. Cæterum quia de frigida, mentio eſt, parum forſan calet ſententia hæc. Etiam ſi in animæ defectu frigidam item conſpergi non latet. Certè non ſuperficiaria eſt poetæ huius eruditio, ſed intercutanea prorſus, & quæ uulgaria ſpecie ſæpiſſimè fallat. Frigidam ſuffundere, in Plauto dici quoq; accipio per paroemiam, pro. deſcribere, hoc eſt mordere (ut Ciceronis utar elegantia) & proſcindere. Nam ſic & apud Homerum ὦ γραῦλας παρὰ πόλιος. Vſurpat id pullatus ac rudis, nec ſanè politus circulus noſter, Lauare pileũ, frequenter enuntians, pro ſugillare probroſisq; uerbis inceſſere. Verum ne ridicula fiat anchora hæc, ſi plebeia caſſàq; innitamur auctoritate, ut ſacra ſit & cenſeatur, aduocandi ad partes ſunt ueteres auctores, quibus uelut tibicinibus robuſtis noſtra nobis conſtet doctrina, ne uolſella pugnare me, non gladio, cauillentur ſcioli. Igitur Ariſtophanes Pluto, πλώσῃ με ποιῶν ὧν ποσύπους ἀνδραλσιν, id eſt me inter tot homines proluens. Exponunt grammatici, ἤγουν ἀξονειδίζεις ἢ ἀιχώσεις, hoc eſt probro me afficis & dedecore tot aſtantibus uiris. πλώσῃ, Sudas interpretatur ἐφύβρισον πλύμα. Sed amplius, Pollux Vniuocorum ſeptimo: πλώσαι, id eſt lauare, pro λοιδορῆσαι, id eſt conuitiari, exponit, & alterius nomen obtrectare. Quod uerò dicitur, id genus homines qui præſentes arrident, blandiuntur, plauſibiliter efferunt laudibus: abſentes autem perfidioſe conuellunt & lancinant, appellari poſt tergum uarios, rectè admodum dicitur quoniam ſit in Lexiphane apud Lucianum, ὁ ἐπὶ νώτῳ ποικίλος. quod prorſum ſignat, à tergo uarium. Quod de uerbo deſcribere protulimus, approbat id Catullianum quoq;:

Ne laneum latuſculum, manusq; mollicellas
Inuſta turpiter tibi flagella conſcribilent.

Necnon illud Plautinum:

Corpus tuum uirgis inſcribam.

Tres modo inuentos ex rationis præſcripto uiuentes. Hominem eſſe Scyllam. Quorundam efferata libido. De concubitus ratione. Fœminarum in coitu uoluptatem eſſe maiorem, quàm uirorum. Lesbiorũ turpitudo. Lesbiazin. Herbis iuuari concubitum. Cap. III

ASclepiodorum, memoriæ proditum eſt, Athenis inita in Syriam peregrinatione, eo conſilio pleraſq; adijſſe ciuitates, ut mores hominum perſpiceret. Cæterum in tota periodo illa tres modo comperiſſe, qui modeſtè ac planè ex formula uiuerent, Ilapium apud Antiochiam philoſophum. Laodiceæ uerò Maren, omnium eius ætatis iuſtiſſimum. Item philoſophum Domninũ. Scio, incredibilis uideretur hiſtoria, niſi Heraclíti lachrymæ ſuccurrerent, qui in publicum prodiens ubertim flebat, quum uideret circa ſe tot millia malè uiuentium, immo uerò malè pereuntium. Ita profecto eſt, quotus quiſq; reperitur, quẽ titillatio corporis non irretitum ducat? quem uoluptas, ut de alijs nunc cenſura non peragatur, adobrutum præfocatumq; non comprimat, quamuis eam eſſe pecoris bonum, à grauiſſimis traditum auctoribus ſit? Ita inquam eſt, homo Scylla eſt, de qua uates celeberrimus ita cecinit,

Prima hominis facies & pulchro pectore uirgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore priſtis,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Prima hominis pars rationalis anima, huic committitur inutilis caro & fluida & receptandis tantum cibis habilis, ut ait Poſidonius. Virtus illa diuina in lubricum deſinit, & ſuperioribus partibus uenerandis atq; cæleſtibus animal iners & marcidum attexitur: quodq; horribilius eſt, captiuam ducit rationem. Plurimis corpus uoluptati eſt, anima oneri: quanquam illud natura, ut quandam ueſtem ac uelamentum circundediſſet animo. Ex hac uoluptuaria officina mirum eſt, quanta ſe promãt fœditatum agmina, quæ libidinum turpitudo. Nam, ut Antoninum Caracallam cognomento præteream, efferati adeo pruritus, ut nouercam Iuliam ducere uxorem ſit impulſus, Quàm uerò etiam dictu abſurdum, in quo tamen fuiſſe laudatum Diogenem, ſcribit Plutarchus? Quem publicitus ſolitum refert pudenda perfricare, quum diceret etiamnum, Vtinam pariter uentris latratus poſſem atterere. Sed quid leuia conſectamur? Hoſtius obſcœnitatis princeps uſq; in ſcenam productæ, quod ex Seneca eſt, dives auarus, libidinis præferuidæ, Auguſti temporibus tam uirorum, quàm fœminarum auidus. Fecit quoque eius notæ ſpecula, quæ imagines longe maiores redderent, ut digitus brachij menſuram & longitudine & craſſitudine excederet. Ea ita diſponebantur, ut quum uirum ipſe pateretur, omnes admiſſarij ſui motus in ſpeculo uideret, ac deinde falſa membri ipſius magnitudine, tanquam uera gauderet. Quin & in balneis draucorum habebat delectum, & apta menſura legebatur emaſculator. In omnibus, inquit Plutarchus, magnum diuinumq; illud Empedoclis ſum arbitratus, τὸ νηδύσαι κακότητος, id eſt à malignitate uitioq; eſſe ieiunum. Laudabam quoq; ut non ingrata, nec ἀφιλόσοφα, id eſt à philoſophia ieiuncta illorum uota, qui comprecarentur integrum purumq; à uino & Venere annum tranſigere, ut ſic temperantia continentiaq; deum uenerarentur. At cauí murini, laſtauri inexplebiles proculcata ratione ac corporis mancipata proluuio, nil in uotis grauius habent aut frequentius, quàm ut ſe libidinum Venereis fœditatibus adobruant, quorum efferata rabies (ut ille ait) ne capiti quidem parcit. Cæterum in hos plura fortaſſis alias, interim ex ueteribus memorijs, & Ariſtotele in primis proruamus aliquid, quod amplius ad procinctum tendentibus arrideat. Quippe agitatam ſcimus nõ inutilem omnino ambiguitatem, quid nam ſit cauſæ, quòd bibendi edendiq;, aut id genus alia faciendi cupiditatem minus diffitemur, concumbendi uerò deſideria penitus occultamus: ſiquidem perpenſione dignum in primis eſt. Sed enim profectò ſcimus, rerum quidem plurimarum cupiditates eſſe neceſſarias, & nonnullas (ni expleantur) interimere, ἡδὲ τῶν ἀφροδισίων ἐκ περιουσίας ἐστί. Id ſignificat, rei Veneriæ libidinem ſuperfluere, ac eſſe abundantiæ indicem. Nec me fallit præter Celſum Aeginetam Paulum Medicinæ primo, concubitus pleraq; recenſuiſſe emolumenta, ut qui ſaturitatem inaniat primum, corpus alleuet, præſtetq; uirilius, animi laxet rationem præpeditam, iram molliat intemperantem: propterea q; melancholicos, ſi quid aliud, iuuare inſigniter, atq; alio furentes modo ad prudentiam reuocare, ac denicq; pituitoſis prodeſſe ægritudinibus. Cornelius Celſus, concubitus (inquit) rarus etiam corpus excitat, frequens ſoluit. Paulus ſic, Coitus intemperans corpus reddit ἀχροώτερον, ψυχρότερον, ξηρότερον, καὶ ἀδυνατώτερον. Sed cur nam ſuauis adeo res eſt concubitus? Et neceſſitate ne impelluntur ad concumbendum animantes, an rei cuiuſpiam gratia genus hoc libidinis datum eſt? Suauiſſimè utiq; cõcumbimus, ut interim Alberti rationes prætereamus, quoniam aut toto ex corpore ſemen profluit, ut aliqui uolunt: aut quia, quamuis non toto ex corpore, tamen per eam partem ſe promit, in quam meatus omnes, uenæq; omnes applicentur, & coeant in uas ſeminarium inuolutum. Quum igitur uoluptas ſimilis in libidine atq; in prurigine ſit, efficitur pariter, ut corpus geſtiat uniuerſum. Prurigo autem, uel (ut Græcè dicam λυπρὸς ἁδὺς ὅταν ὑγροῦ ἔξοδος πνευματώδους, ἐγκατακεκλεισμένου παρὰ φύσιν. id eſt, prurigo, inquam, iucunda eſt ſeceſſio humoris ſpiritoſi, incluſi contra naturam. Genituram uerò eſſe item ſeceſſionem eiuſmodi ad rem naturalem, conſtat. Suauis autem tum ex neceſſitate, tum rei cuiuſpiam gratia cõcubitus eſt. Ex neceſſitate, inquam, quod uia omnis pertinens ad rem naturalem ſuauis eſt, ſi modo à

dò à ſenſu percipi queat. Rei uerò cuiuſpiam gratia eſt, ut ortus ſit animantium perpetuus. Facit enim uoluptas, ut animantes ad coitum ardentius excitentur. Oblectatio enim propria, operationes corroborat, & diuturniores ac meliores facit: ut quarto Ethicorum Ariſtoteles ſcribit, & Auicenna uigeſima tertij, Voluptas, inquit, prouocat ad ſpermatis emiſſionem feſtinam. Quendam certè legimus libidine concitatũ uehementius, illatum mutoni uulnus, ne minimum quidem ſenſiſſe. Sed quia in Auicennam incidimus, repeto nunc memoria quod nono De animalibus idem prodit, Extenſiuè duplicari in fœmina concubitus uoluptatem, quia præter ſeminis motum, & orificij uuluæ, ut tralatis utamur uerbis, in fugendo naſcitur quoq; oblectatio, uulua ipſa diuerſimodè mota: quod & Galenus ſignificat libro quarto De accidenti & morbo. In uulua uirtus appetendi fortis eſt, natura ſiquidem præpotens eſt in eijciendo & admittendo ſemine, nimio utiq; deſiderio & delectatione. Eſt & parte iſta gentium differentia non nulla. Auctores Græci ſunt, Lesbios fuiſſe ueteribus infames, ut malos prorſum, quando ab ijs & corriuatum eſt λεσβιάζειν uerbum, quod ſignet oris inquinationem fœdã, uti Aelius ſcribit Dionyſius, & meminit octaua Iliados rhapſodia Euſtathius. Eſſe herbas quaſdam Theophraſtus ſcribit, & repetit Athenæus, quæ uel ad ſeptuageſimũ coitum uim præſtent, ſed ita, ut demum ſecernatur ſanguis. & Philarchus ab Indorum rege miſſa Seleuco ſcribit, quæ mirè coitum prouocarent, uel etiam ſedarent. Sed hi uelut epiſtomio, ut Vitruuij & Senecæ more loquamur, obiecto repentè, ſtili decurrentis impetum retruſere, nominibus rerum parcentes: quod ipſum tamen, ut ſunt mores, lucro acceſſit. Cæterum de hoc item mox paulo.

Cur uiri hyeme, mulieres æſtate Veneris ſint auidiores. Item de concubitu plura, & uocabulis ad eum ſpectantibus: necnon de Horatio. Cucumeris ad coitum uis. Hygri qui intelligantur. Miſetia. Specloma. Meretrices publicitus quis inſtituerit primus. Pandemus cur dicatur Venus. Pandemij mendici. Pandemi morbi. Epidemi. Peſtilentiæ ſpecies & cauſæ. Hetæræ meretrices cur. Hetæridia quæ dicantur. Halteres qua componerentur figura. De aue erodio, & Alba inſula. Meretricia profeſſio apud ædiles. Viſtiliæ hiſtoria, & Dionyſii primus. Tranquilli locus ex Tiberio reſtituitur. Hetæriæ Chriſtianorum quid. Caput CIIII

NIros Plinius ſcribit, auidiores Veneris hyeme, fœminas æſtate, ab Heſiodo proditum. Carmen Heſiodicum ad hoc pertinẽs, id eſſe arbitror, quod in Ergis, parte, quæ ad finem uergit, ad hunc modum legitur:

Θέρεϊ μὲν καματώδεϊ ὧρη
Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρόταποι δέ τε ἄνδρες
Εἰσίν, ἐπὴ κεφαλὴν, καὶ γούνατα σείεϊ ἄζα.

Digna uerò ſcitu, quæ Ioannes grammaticus in eius loci enarrationem adnotãda cenſuit: Mulieres, inquit, æſtate omnino traduntur laſciuiores, ac in Venerem prorſum lubentiores, quòd quum ſint perhumecta natura & frigidiore multo quàm uiri, ſolis ui & æſtus rapiditate ad temperiem rediguntur, eliquato digeſtoq; quod ex humectatione ſuperfluebat. Quo fit, ut concubitus ſint appetentiores, & ad id opus etiam temperatiores, uiris longè imbecillioribus, quippe quibus innata ſiccitas anni tempore plurimum augeſcat. At hyeme contraria omnia fiunt, nam humectatione ad temperiem reuocantur, mulieribus in affectionẽ diuerſam abeuntibus. Quæ omnia etiam Magnus comprobaſſe Albertus uidetur. Ver autem utriſq; Venereorum æquilibrium præſtat: hoc eſt, ut Græci dicunt, ἰσομοίειαν. Cæterum ita iſomœriam omnino intelligendam, ut ſciamus, δεκαπλασίως, id eſt in decuplum amplius affectari à fœmina concubitum, quàm à maribus, præſertim ſi utero geſtet: tunc enim cõceptum ſemen neruos mouet, & inde confricationis ardor innaſcitur. Quin obuerſis Auſtro genitalibus mirè afficiuntur libidine. Cornelij Celſi ex primo De medicina ſuper tota re placita hæc ſunt: Concubitus, inquit, neq; nimis concupiſcendus, neq; nimis pertimeſcendus eſt: rarus corpus excitat, frequens ſoluit: quum autem frequens fuerit, non numero, ſed natura, ratione ætatis corporiſq; ſcire licet, eum non inutilem eſſe, quem corporis neque languor neq; dolor ſequitur. Idem interdiu peior eſt, noctu tutior: ita tamen, ſi neq; illum

cibus,neq; hunc cum uigilia labor ſtatim ſequitur. Item alibi, Tolerabilior per autumnum concubitus,æſtate in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum. Cliniam uerò Pythagoricum dicere ſolitum accepimus, Tum adeundam mulierem concubitus cauſa,ubi nocumentis exponere te deſtinaris. Zopyrus medicus apud Plutarchum in Sympoſiacis Thaletis feſtiua utendum eluſione tradit,quem quum importunius ad nuptias infeſtaret mater,ita eluſiſſe fertur, οὔπω καιρός,ὦ μῆτερ, Necdum opportunum eſt, ó mater. Compari modo & ad Venerea,inquit,affici debemus, ut decubituri ſuccinamus, necdum accommodum eſt. Itidem & à ſomno excitati, οὐκέτι καιρός, iam effugit occaſio. At reſpondens Soclarus,athletica eſſe huiuſmodi putat, & cottabiſin olere, ac creophagiam. Sophocles uerò ſeneſcens maximè lætabatur, quòd eiuſmodi euaſiſſet uoluptatis allectationes, ὥσπερ ἄγριον καὶ λυττῶντα δεσπότην, ideſt ut ferum ac prærabidum dominum. Horatium poetam alioqui nobiliſſimum libidine adeo præferuida fuiſſe ferunt,ut cubiculo etiãnum uteretur ſpeculato,quo ſe coeuntem intueretur. Prouerbium Græcanicũ recenſet libro tertio Athenæus,propoſito congruens, σικυὸν τρώγουσα γυμὰς τὴν χλαῖναν ὕφαινε, Cucumere ueſcens mulier,lænam texe. Id ideo dici uidetur,quia ex Ariſtotelis doctrina,textrices parte plurima Veneriæ ſunt,ac impudicę. Cucumeres uerò coitus prolubia conciunt,uti rentur nonnulli: unde σικυὸν appellatum tradunt, παρὰ τὸ σύεσθαι καὶ λυεῖν. Porrò ut à grammaticis aliquid interim mutuemur,laſciuos Græci ὑγρούς uocant,id eſt humidos: quoniam,inquiunt, ex humecta natura conſurgat coeundi auiditas: unde & poetis occaſionem datam, Venerem cõſingendi ex mari conceptam,ut Heſiodi Theogonię interpres ſcribit: unde & Auſonius,

Orta ſalo,ſuſcepta ſolo,patre ædita Cælo,
Aeneadum genitrix hic habito alma Venus.

Scitu tamen dignum eſt,ad laudem quandoq; ſpectare uerbum id,ac pro facilitate quadam ſeu comitate accipi. Nam in Cimone & Lucullo Plutarchus ſcribit, perſimilem fuiſſe in excipiendis hominibus ὑγρότητα καὶ ἁπαλίαν. Miſetiam ijdem, id eſt μισητίαν, in Venereis intemperiem dicunt. Cui toto anni tempore quodammodo ſufficere homo poteſt, ex conſtitutionis caliditate & alimentaria copia: uti phyſicis placet. Specloma,inquit Ariſtophanis interpres, ſonus eſt quẽ concubitus facit: nam & ἀσπλωῶ, coire dicunt, παρὰ τὸ πλέκεσθαι, id eſt à complexu. Sunt qui ad Venerea procliuem,etiam læſpodiam uocent: quanquam & eodem nomine fuit Athenienſium dux, cuius meminit Thucydides quoq;. Qui, quod uitiatis eſſet cruribus, ueſte utebatur talari: quod fuiſſe Barbarorum proprium, ſcribunt Græci. Quoniam uero paulo ante ὑγρός pro laſciuis dici adnotauimus, ſuccurrit ad id amplius cõprobandum, epigramma apud Delphos poſitum:

ὑγρᾶς καὶ τρυφερᾶς βασιλεὺς Ἄγις μ' ἀνέθηκεν.

id eſt, laſciuæ ac delicatæ Agis rex me dedicauit. Quippe Agidis uxorem Timæam uitiaſſe Alcibiades ferebatur. Sed & σώματος ὑγρότητα nuncupant Græci, quam lubricitatem recte interpretari queas. In hac porrò libidinis pragmatia ingerendum ſtudioſis illud quoq;: Solonem primum,ut ſcribit Philemon,emptas iuuentuti meretricu las comparaſſe, ut effuſo illic egeſtoq; libidinis impetu, quid turpius cogitare deſiſterent. Quin Veneris,quam Pandemum uocant, primus item (Nicandro auctore) ſuſtruxiſſe templum memoratur,ex proſtitutarum capturis: unde liquere cognomẽtirationem arbitror. Nec me fallit tamen, eſſe qui Pandemi Veneris in ueteri foro ſacellum putent conſtitutum,appellatione deflexa,quòd illuc populus confluere t uniuerſus. Fuit & Pandemus meretriculæ nomen. Pandemios Homerus mẽdicos dicit, Porphyrio interprete, qui tota uagantur urbe, non una contenti domo. Vraniæ Veneris & Pandemi,in Sympoſio meminit Xenophon: ſeorſum utriq; templa prodens, & altaria excitari ſolita: quin & Pandemi,id eſt uulgariæ ſacrificia ἑταιρηγόρια fuiſſe, Vraniæ uero ἀγνότερα. Mox illam ſcribit corporis amorem excitare: animæ uero hanc,ſimul & amicitiæ,ſimul & honeſtorum operum. Scortilla uero nundinati pudoris Hetæras uniuerſim amicitiæ nomine Græci nuncuparunt: uel quia ſit id Veneris cognomen apud Athenienſes,ut quæ amicos amicasq; ſocialiter cõgreget in unum. At quum in Magneſia celebrari Hetæridia legimus ſolita, non ad meretrices referendum, ſed princeps

princeps omniũ, coeuntibus Argonautis, Iaſon Ioui Hetærídio ſacra obiuit. Cæterum immolat Hetæridia Macedonum rex quoq;. Hetærias Chriſtianorum intelligunt ueteres etiam coitionem, quæ fit antelucanis temporibus ad concinendum deo. Halteres uerò, id eſt ἅλτηρες, de quibus Martialis, Halteres agili rotat lacerto: & meminit Ariſtoteles in Quæſtionibus encyclicis: aliud omnino ſunt. Figura erat, circuli dimidium oblongioris, nec rotundationis abſolutæ: ita prorſum afformabãtur, ut manuum inſeri poſſẽt digiti, uelut per ſcuti ochana. Legimus & in Philoſtrati Heroicis, pãcratiaſten Cilica fuiſſe, halterem nuncupatum. In libro De communi animalium greſſu Ariſtoteles ait, quinquertiones halteribus utraq; manu comprehenſis, maiorem & concitatiorem ſaltum ædere. Sunt qui halteres Latinè brachialia enuntient. Quod ad pandemum attinet, de quo diximus, ſciendum (auctore Paulo) morbos dici pandemos, id eſt πανδήμους, qui in plures ſimul graſſantur: qui ut communes ſunt, ita ex cauſa item proueniunt publica, ciborum aut potus prauitate: item id genus aliis. Ammianus uerò Marcellinus, ſi in re medica credendum hiſtorico eſt, primam eius ſpeciem dici pandemum arbitratur, quæ efficiat in locis agẽtes aridioribus, crebris interpellari caloribus: ſecundam autem epidemum, quæ tempore ingruens aciem hebetet luminũ, & humores cõcitet periculoſos: tertia, inquit, lœmodes uocatur, quæ item temporaria eſt, ſed uolucri celeritate letabilis. Peſtilentiæ uerò cauſas ſunt qui in frigoris aut caloris nimietatem, uel humoris aut ſiccitatis reijciant. Alij in aerem uel aquam cadaueribus uitiatã computreſcentibus. Sunt qui terrarũ alitu denſiore graſſantem aera emittendis corporum ſpiraminibus obſiſtentem pernicioſum fieri opinentur. Quo argumento bruta præter homines iugiter prona, Homero auctore, primo quoq; tempore intereunt. Illud uerò ab inſtituto non diſſitum omnino eſt: erodium eſſe auem, quæ in coitu ſanguinem exſudet: qua ex cauſa argumentantur impoſitum nomen, ὅτι ἔαρ ἱδροῖ: nam ear quandoq; ſanguinẽ dici. Ciconiam putat Sudas, aut ciconiæ ſimilem: dictamq;, quòd in paludibus uerſetur, quaſi elodion. Fulicam transfert Auguſtinus. Et Lycophronis interpres larum eſſe arbitratur. Ambroſius etiam ſturnum: quem tamen Græci, non erodiũ, ſed pſara dicunt. Seruius erodios intelligit aues Diomedeas. Pauſaniæ, genus unum erodiorum, & quidem maximum ac pulcherrimũ, uocatur ocnos. Ardeolam, erodium putat Theodorus, ſicuti λευκοπώδιον albam ardeolam. Nec ignoro, Claudium philoſophum aduerſus grammaticos aciem dirigere. Meminit auis Iliados rhapſodia decima Homerus. Eam uerò inſidias ſtruentibus peraccommodam, ſcribit Hermon omine proſpero. Dignum ſcitu: ab auitio id genus credi Albam inſulam in Ponto nuncupatam, quod inibi uiſatur plurimum. ac proinde Pindaro μεταλγπτικῶς dici Phaennam: quippe φαεινόν, ſignare τὸ λευκόν. In eam uerò tralatum Achillis corpus ab Thetide, proditur, ac eſſe inibi herois gymnaſia, & curſus celebrari. Porrò inſulam eandem Achillis nuncupant Dromon: quoniam illuc uſq; Iphigeniam ab Diana raptam, ne immolaretur, ſit amanter inſequutus. Nec me fallit, aliud ſequi Melam Pomponiũ libro ſecundo, ſed & Plinium libro quarto, ab inſula Achillis diſparare Achillis dromon, de eius uiri exercitatione ſic appellatum. Erodion inter amphibia recẽſet Theon. quo nomine tumultuoſius è mari in ſiccum deuolantem, hyemis eſſe præſagium, cecinit Aratus. Verum in tam multis quæ de Veneriis commentamur, non prætereamus exemplum caſtigatæ libidinis. Quippe iunior Dionyſius, quum ſe in Locrenſium urbem contuliſſet, per ſummam licentiam ciuium uirgines puellas accerſitas, uel ad ſatietatem conſtuprabat: mox uerò ultoris ui numinis, quum foret excuſſus principatu Dionis opera, tunc enimuero ira inflammati Locrenſes, uxorem Dionyſii & filias proſtituere arreptas primum, innumeris quidem affectas ludibriis, ab iis præcipuè, quorum uirgines polluiſſet pater. Poſtea uerò quã pro arbitrio illuſere miſeris, inde acubus ſubungues crudeliter impactis, peremere. Nec iis ſatis ſibi factum arbitrati, oſſa quidem carnibus denudata in mortariis attriuere: carnes uerò omnibus propoſuere deglutiendas, diris in eos imprecationibus qui ſuperſediſſent, reliquiis deniq; in mare diſiectis. Sed nec id incurioſius prætereundum: Romæ ſtationem imperij tenente Tiberio, grauiore ſenatus decreto fœminarum coercitam libidinem, cautumq; ne quæſtum corpore feciſſe uellet, cui auus aut pater aut maritus eques Romanus fuiſſet. Quippe Viſti-

lia prætorijs ornata maioribus ſtupri licentiã apud ædiles inuulgarat, more ueteribus recepto, quibus pœnarum ſatis in propudioſas irrogari eſt uiſum ex ipſa flagitij profeſſione. In hac mentione non prætereamus Tranquilli locum in Tiberio: Cubicula, inquit, libris elephantidis inſtruxit, ne cui in opera ædenda exemplar impetratæ ſcænę deeſſet. In ſyncerioribus autem codicibus legitur, non impetratæ ſcenæ, ſed imperatæ ſchemæ: aut rectius, imperato ſchemate. Nam & Heliogabalum ſcribit Lampridius, uaſa habuiſſe centenaria ſchematibus libidinoſiſſimis inquinata.

Cur claudi ſalaciores. De eorundem uirtutibus. Item de Androclide, Coclite, Alexandro. Gellij locus excutitur. Interim Macrobij patria, & Vitruuij, necnon Celſi. Cap. v

QVæſitum à naturalium ambiguitatum ſtudioſis multum diuq́, quid nam ſit quod obſeruatum ferè eſt, Claudos eſſe ſalaciſſimos, adq́ uſus Venerios implendos præpotentes. Quod & Amazonum reginam Antianiram reſpondiſſe ferunt, ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ, optime claudus init: quod retulit Theocriti interpres. Nam mares natos mutilare conſueuerant Amazones, illiſcq́ ad coitum abuti. Quum uerò ad congreſſum eas hortarentur Scythæ, reſpondit regina quod prætexuimus. Sic autem peritiſſimos ratiocinari animaduerto, quilibet ex hominibus denſiore pilo, ut etiam aues ad Venereum uſum promptior eſt, caloris humoriſq́ copia: utrunq́ enim ad concubitum perneceſſarium eſt: etenim calidum ſecernit, humidum uerò ſecernitur. Eadem uerò ratione claudi ſalaciores ſunt. In eis quippe alimenti parum ad inferiora διὰ τὴν ἀπηρείαν τῶν σκελῶν, hoc eſt, ex uitio crurum delabitur: ad ſuperiora uerò profertur plurimum, & in ſemen concernitur. Theocriti ſcholiographus inde natum in claudos dicterium putat, quòd domi tota die deſidentes perpetuò ferè Venereis intenti agant. Cæterum ne putet quis in laſciuiam modò abire clauditatem, & nil prorſum uirtutis id genus hominibus fieri reliquum, Androclidam Laconem legimus, debilem crure, ac inutilem, quum bellatoribus ſe immiſcuiſſet, ac præſtò ibidem fuiſſet qui prohibere niteretur, quòd parum robuſtus uideretur, intuliſſe grauiter ac animoſe, in aciem aſtitui oportere, qui de prælio cogitet, non de fuga. At mater claudum filium mittens in prælium, τέκνον, εἶπε, τῇ βῆμα ἀρετῆς μέμνησο. Fili, inquit, per ſingulos gradus memento uirtutis. Et Romanus Cocles, quum ei cruris uitium obiectaretur, Per ſingulos, inquit, gradus admoneor triumphi mei. Digna uox liberatore principis terrarum populi. Quippe pertinax occupatio pontis aduerſus Hetruſcam uim grauius aſſultantem, eam illi contraxerat calamitatem, cui tamen non defuit obtrectator. Idem ferè in patrem Philippum Alexander Magnus pronuntiaſſe memoratur, ut Sp. Caruilij matrem taceam, ut eſt apud Ciceronẽ libro ſecundo De oratore. Nã quum in Triballis coxa is eſſet debilior factus lanceæ percuſſu, ac eiuſmodi angeretur incommodo, Confide (inquit) pater, ac prodi in apertum, ἵνα τὴ ἀρετῆς τῇ βῆμα μνημονεύῃς. quod eſt, ut per gradus ſingulos in uirtutis memoriam redigaris. Hæc uerò in libro De Alexandri fortuna, plurimum laudibus efferens Plutarchus, philoſophicæ mentis germina eſſe contendit, & quodam numinis afflatu ad honeſta properantis, & ſupra corporis deminutiones ſurrectæ. Quo, inquit, pacto ipſum mox arbitramur proprijs exultaſſe uulneribus ſingillatim, dum uictarum gentium reminiſceretur, & captarum urbium, & in deditionem acceptorum regum, quum cicatrices haud quaquam occultaret, ſed ut uirtutis inſculptas circumferret imagines? Obiter uerò expende quæſo lector candide, ex pauculis his, de Plutarcho trãſpoſitis, quàm rectè T. Caſtritius apud Gellium Atticarum noctium libro ſecundo, Saluſtium inceſſuerit, qui Sertorium ſcribit, corporis dehoneſtamento lætari maximè ſolitum, quòd inde gloriæ quæſtus atq́ compendium profluxiſſet clariſſimum. Nam quod hiſtoricum nobiliſſimum à Demoſthenis æmulatione excidiſſe uideri uult, inſulſiſſimum eſt, ac hominis Atticiſſationẽ nimio plus oſtentantis. Cur enim non ex propria dicamus ſententia Saluſtium potius ea duxiſſe conſcribenda, quàm Demoſthenis imitatione? An ſumus ſub rege, nec ſibi ſe quis uendicat? An ad Græcorum præſcripta & dicimus & facimus? Quam uanitatem in pluribus ſequitur & Macrobius, quem ſibi ciuem nunc uendicãt Veronenſes, uti Vitruuium quoq́ ac Celſum & Plinium; dum Virgilianam uellicando claritatem,

Græcos

Græcos tanquam in ſinu Mineruæ ac Mercurij & natos & educatos, miris effert præconijs. Ego uero, ſi modò libera coniectatio eſt, nec cogitaſſe quidem hiſtoricum ſuper eo Demoſthenis loco contenderim, quum ea proderet: non quia Græcè neſciret, qui fuit doctiſſimus, ut in illa ingeniorum fertilitate ac feliciſſimo temporũ ſtatu: ſed quia proprij ingenij uiribus ferebatur, & eminentiſſima qua pollebat eloquẽtia. præſertim quum & ipſa dictet ratio, ut corpore deminuto non ferè quiſquam ſimpliciter lætetur, uerum exultet mirificè uirtutis imagine expreſſius inſculpta. Quotus enim quiſq; uel gregarius miles non geſtit paſsim ſuas uiſentibus oſtentare cicatrices, ut inde ſtrenuus comprobetur, & fortis in primis bellator. Adde, quòd de Sertorio ipſum id memorat Plutarchus quoq; in Parallelis: nam ubi calamitatem explicuit, ὧν τοτε δὲ inquit, καὶ καλῶς ἐζημιώθημεν ἀεὶ διατέλει. Illud ſuperpondium fuerit: Alexandrum quandoq; interrogatum, ubi reconditos theſauros ſeruaret, Apud amicos, beneuole reſpondiſſe.

Apollonij caſtitas. Theodori placita abſurdiſsima, & cur deus ſit dictus. De uoluptate guſtus & tactus. Chimæræ allegoria. Sciatrophiæ qui. Cur Venereorũ affectio adeo cenſeatur pudenda. Poliæ. Epipolæ. Peolæ qui ſint. Pola ciuitas unde. Propolæ. Cur fictum, paſſeribus ſubuectari Venerem. Epicataphori. Veneris ſimulacrũ triplex Thebis, Vraniæ, Pandemi, Apoſtrophiæ. Diritæ. Dirij. Pyrgitæ, Pyrgion. Struthos, & paſſeres pro auibus dici. Paſſerem cur cilegam dicamus uulgo. Spermologi qui. Schœnis Venus cur. Schœnotroges. Schœniculæ. Venus Paphia, & Amathuſia. Salambo.

Caput VI

APollonium Tyaneum, quem unicè mirantur plerique, ac (quod dictu quoq; abſurdiſsimum eſt) comparem CHRISTO, ſiue mores contempleris, ſiue miracula, facere non compaueſcunt, laudibus efferunt celeberrimi auctores: qui iuuenilibus quoq; annis incentiua Venereorum & titillationes ſubinde lancinantes uellicantesq; ita repreſſerit contuderitq;, ut præſignis in eo caſtitas noſcitaretur, à qua nunquam ab eo reclinatum delictumq; ſit. At Theodorus, quem ideo nuncupatum eſſe deum memorant, quòd quum illum Stilpo percunctatus eſſet, Putas'ne Theodore, te id eſſe quod dicerís? Atque is adnuiſſet: Deus ergo, inquit, es? Id quum gratè quoq; accepiſſet, ſubridens Stilpo: O fatue, ratione compari & cornicem te eſſe fateberis. Hic inquam Theodorus, furto (inquit) & adulterio, ſacrilegio quoq;, quum tempeſtiuum erit, dabit operam ſapiens: nihil quippe horum turpe natura eſt. Sed, ſi auferatur uulgaris ex hiſce opinio, quæ ſtultorũ imperitorumq; plebeculæ conflata eſt: ſapientem publicè abſq; ullo deprehenſionis rubore ſcortis congreſſurũ. Hæc ſunt nobilia philoſophi huius placita. Quibus quid inhoneſtius? quid ſpurcius ualeas excogitare? Hæc ſi audire animum induxerimus, iam non homines, ſed chimeræ omnes ambulabimus. Siquidem libidinoſus iuuenis, quacunq; ſe intenderit, tanquam leo furens non parcit matri, non parcit ſororibus, & tanquam capra humorem quendam fœtidum exſudat, & à facto & à conſcientia ſceleris, tanquam à draconis cauda conuerberatur. Nec immeritò ueteres illi ſanctiſsimi uiri, ſcires non iuraſſe in Epicuri uerba aut Ariſtippi, uoluptatem omnem quę ex ſenſibus, quos ueluti ſatellites à natura datos animæ, traditum eſt, quæ immodicè capiatur, turpem atq; improbam exiſtimarũt. Sed enim quæ nimia ex guſtu atq; tactu eſt, eam uero rerum omnium fœdiſsimam cenſuerunt. Eosq; qui duabus iſtis belluinis uoluptatibus ſeſe dediderunt, grauiſsimi uitij uocabulis Græci appellant ἀκολάστους, id eſt libidinoſos & intemperantes, uel ἀκρατεῖς, id eſt incõtinentes: ſed & ſciatrophias, uelut in umbra delicatius connutritos: nam & umbratilis uita, molliſq; ſciatrophia recte dicitur. Inſuper uoluptates iſtæ duæ guſtus atq; tactus, hoc eſt libidines in cibos atq; in Venerem prodigæ, ſolæ ſunt hominibus cum beſtijs communes, immoq; in pecudum ferorumq; animalium numero habetur, quiſquis eſt hiſce ferinis uoluptatibus peruinctus. Nam reliquæ humanæ naturæ creduntur propriæ. Quod Ariſtoteles doctiſsimè ſenſit, & eſt à Gellio eleganter repetitũ. Sed & Auguſtinus, Quod (inquit) irę opera aliarumq; affectionum, in quibuſq; dictis & factis non ſic abſcondit uerecundia, ut opera libidinis, quæ fiunt genitalibus membris, quid cauſæ eſt? niſi quia in cæteris membra corporis non ipſæ affectiones, ſed

quum eis conſenſerit uoluntas, emouet, quæ in uſu eorum omnino dominatur. Nam quiſquis uerbum emittit iratus, uel etiam quenquã percutit, non poſſet hoc facere niſi lingua & manus, iubente quodammodo uoluntate, mouerentur: quæ membra etiam quum ira nulla eſt, mouentur nihilominus eadem uoluntate. At genitales corporis partes ita libido ſuo iuri quodammodo mancipauit, ut moueri non ualeant, ſi ipſa defuerit, & niſi ipſa uel ultrò uel excitata ſurrexerit. Hoc eſt, quod pudet. Hoc eſt, quod intuentium oculos erubeſcendo deuitat: magiſq; fert homo ſpectantium multitudinem quando iniuſtè iraſcitur homini, quàm uel unius aſpectum quando iuſtè miſcetur uxori. Poſtremò, qui ex intemperanti Veneris uſu pereunt, dicuntur peolæ, media producta: quia peos ſignet pudendum, ſiue ueretrum: ut apud Ariſtophanem in Nebulis, οὐδ' ἂν γε πλὴν ἢ τὸ πέος ἐν τῇ ἀξίᾳ.

Polia uero Iureconſultis eſſe uidetur equinum armentum. Nam quod Græce ἱππο-φορβίον, id eſt hippophorbium, dixit hiſtoria quarta Herodotus, poliam Latinè reddidit interpres. Polæ autem Colchorum lingua exulem ſignificant, quod prodit Callimachus. Quoniam uero in Iſtria ſubſtiterint Colchi, qui Medeam perſequebantur, inde datum Polæ ciuitati nomen. At propolæ hominum genus eſt auidiſſimum, uænalia per fraudem coemunt prius, mox ut pluris diſtrahant. Propolas ſcitè circumforaneos appellauit in Commodo Antonino Lampridius. Epipolæ autem præruptus eſt locus Syracuſas contingens, meminit hiſtoria ſexta Thucydides, & Stephanus non omiſit, nec T. Liuius libro quinto Punici belli ſecundi. Plutarchus quoque in Nicia, φθάσαι δὲ τὰς ἐπιπολὰς κατασχών, id eſt tanta delatus celeritate, ut Epipolas præoccuparit. Id non percipiens interpres ſic omnino reddidit, Vt quum epiſtolas de diſceſſu ſuo perſcriptas deprehendiſſet, famam ipſam aduentu ſuo ſuperarit. Ac rurſum idem Plutarchus: noctu Demoſthenes Epipolas adortus eſt. Interpres autem eo nomine proximas hoſtium accipit ſtationes. Peripolia, Straboni ſunt circumiecta ciuitati alicui oppida. Extat & moribus, ut à diuerticulo propoſitum repetamus, congruum Plutarchi illius doctiſſimi apophthegma, non ita ab inſtituto diſſitum: Quemadmodũ, inquit, illorum ſemen, qui ſe ad coitum intemperantes præſtant, infœcundum ut plurimũ, & ſine fructu eſt: ſic & loquendi intemperantia orationem inanem atq; ſtolidam reddidit. Nec abſonum eſt diſtichon id, haud omnino inuenuſtum, quiſquis fuerit auctor:

Balnea, uina, Venus corrumpunt corpora noſtra:
Sed uitam faciunt balnea, uina, Venus.

Illa uelut auctaria adiecero, quia ſit paſſer ὀχυπτικὸν ζῶον, id eſt libidinis animal efferatæ, quoſdam ex Græcis adnotaſſe, paſſeribus ueſcentes epicataphoros, id eſt procliuiores in Venerem fieri. Ex hiſtoria utiq; paſſeribus ſubuehi deam, cecinit etiam Sappho. Paſſeres demum Elei, diritas uocant, id eſt διρείτας. Διρεᾶν apud Spartanos conuitiari ſignat: nam & διρεάται dicuntur conuitiatores: ſed διρός, tumulus eſt & accliuis locus. Apud Aeginetam Paulum Medicinæ primo, inter paſſeres inuenio πυργίτας. Sunt qui Pyrgitas dici Cretenſes interpretentur: nam πυργήτις, herbæ traditur ſpecies. In triremibus pars quædam & pyrgion nuncupatur. Vtiq; in Græcis auctoribus στρουθός finitur quandoq; καταφορὰς καὶ λαγνόν. In quo animaduerſione dignum, ubi De hiſtoria plantarum quarto Theophraſtus στρουθῷ πτόρθῳ dixit, ac Theodorus ſtruthorum alas reddidit, auium transferre maluit Plinius: tanquam ſtruthos Græcis quandoq; de auitio dicatur, ſicuti Latinè paſſer: unde Cicero, omnibus paſſeribus inſitam ait à natura uoluptatem. Paſſerculum pullatum uulgus cilegam dicit modo, uti conjecto, quaſi ſpicilegam, ſiue frugilegam: quod genus ſpermologon nuncupant Græci. Cæterum in hac ſpurcarum mẽtione libidinum, ſcitu (ni fallor) digniſſimum eſt: apud Thebanos Veneris ſimulacra fuiſſe uetuſtate miranda, ut quæ ab Harmonia credantur dicata, cognominibus etiamnum additis. Quæ ut huic potiſſimũ impingantur parti, ordo rerum exigere in primis uidetur. Vnam ergo Venerem Vraniæ honeſtauit inſigni, amoris ratione puri ſyncericq; & à corporeis prorſum diſparati. Pandemum uero dixit aliam, de qua paulo antè, id eſt πάνδημον, ὑπὲρ τοῖς μίξεσι, hoc eſt, ob communem generationi deſtinatum congreſſum. Tertiam denicq; ἀποστροφίαν uoluit cognominari, uelut planè præpotentem apprecaretur deam, ὡς θυμίας τε ἀνόμους καὶ ἐργασίας ἀνοσίους

ἀνοσίων καὶ μιαρῶν ἔργων ἀνθρώπων ἀποτρέψειν. id eſt, ab impijs operibus iniuſtisq; deſideriſs humanum auerteret genus. Schœnida in Lycophronis carminibus dici Venerem augurantur nonnulli etiam ex noſtris: quoniam ſcillam Græci, ſchœnon item dicant, cuius eſu inſigniter accendatur libido: quo ſanè argumento & ſchœnotroges nuncupationē ſortiti uideantur: ſed & ſchœnicolæ meretrices, in Plauti Pœnulo: tametſi alia ad hoc proferri multis, non latet. Veneri Paphiæ uetuſtiſſimum apud Cyprios templum Aerias poſuit. Pòſt filius eiuſdem Amathus Veneri Amathuſiæ. Salambonem, Babylonij Venerem dicunt. Salambonem omni planctu Syriaci cultus & iactatione exhibuit Heliogabalus, inquit Lampridius.

Corium pro corio, quid ſit. Item ludere de alieno corio, unde ortum ducat: necnon, ſatisfacere de corio. Cæſtij hiſtoria. Plauti locus explicatꝰ. Coriago quid: decoriata amygdala. Scytaria. ſcutale in funda, quid apud Liuiū. VII

Corium pro corio, prouerbium eſt, quod ex ſacra pagina excerpendum duximus, ex libro Iob. In cuius capite ſecundo ad uerbum ita legimus. Cui reſpondens Satanas, Pellem (ait) pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Parœmia eſt, quum rei chariſſimæ parcentes, quod uilius eſt, fortunæ ſubijcimus. Nam eum locum ita explicat Nicolaus Theologus: Pellem pro pelle, id eſt uitam alterius corpoream, ut ſuam ipſius tueatur, facile contemnet. Et alter interpres: Sæpe, inquit, dum ictus contra oculum uenit, manum opponimus, ut ea potius pereat, quàm pretioſiſſimum membrum lædatur. Commeminit eius loci Hieronymus quoq; ad Iulianum: ac uelut exponens, Qui (inquit) pro corio ſuo coria obtulerit filiorum, depoſuerit marſupium, ut fruatur corporis ſanitate. Ex hoc uero loquēdi more profluxiſſe arbitror adagium alterum, Ludis de alieno corio. Vtitur eo in Græcanica, ſeu Mileſia fabula Madaurenſis Apuleius: etiam ſi non ignoro, aliorſum trahi dicti eius rationem à doctiſſimis hominibus: ut eos taceam, qui diſciplinæ grammaticæ inauditiunculas tum rudes tum inchoatas obiectant modò, ac uelut puluerē inſpergunt. Eſt & adagio tertius originis eiuſdem, De corio ſatisfacere, quum quis ob illatam iniuriam flagris concidítur. Quod ut perſpectius lector ſtudioſus agnoſcat, & (ut Græci aiunt) πρὸς πόδας, id eſt congruentius ſcitiusq;: pluſcula ex Seneca duximus ſubſcribenda, tum quia ad præſens negotium faciunt, tum ob doctrinam hiſtoricam. Cæſtius, inquit, homo erat naſutiſſimus, ſed nullius ingenij, & Ciceroni etiam infeſtus, quod illi non impunè ceſſit. Nam quum M. Tullius Ciceronis filius Aſiam obtineret, homo qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem: cœnabat apud eum Cæſtius. M. Tullio & natura memoriam dempſerat & ebrietas, ſi quid ex ea ſupererat, ſubducebat: ſubinde interrogabat, quî ille uocaretur qui in imo recumberet: & quum pluries ſubiectum nomen Cæſtij excidiſſet, nouiſſimè ſeruus, ut aliqua nota memoriā eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille eſſet qui in imo recumberet, ait, Hic eſt Cæſtius, qui patrem tuum negabat literas ſciſſe. Afferri protinus flagra iuſſit, & Ciceroni, ut oportuit, de corio Cæſtij ſatisfecit. Hactenus Seneca. Sed & ad eandem ſententiam Plautinus Epidicus corium ſe perdidiſſe ait. Nam, inquit, ubi ſenex ſenſerit, ſibi data eſſe uerba, uirgis dorſum deſpoliet meum. Cæterum in Amphitryone quum ſcribitur, Eius ornamenta & corium uti conciderent: Corium accipiunt coriaceam perſonam: ipſe malim fuſtigationem intelligere. Nam & alibi Plautus,

Faciet tuum corium maculoſum magis, quàm nutricis pallium.

Apud Hieronymum legimus, quòd ab inſtituto haud ita diſparatur: Caue, inquit, nutrices & gerulas, ac iſtiuſmodi uenenata animalia, quæ de corio tuo ſaturari uentrem ſuum cupiunt, id eſt diſpendio tuo, ac periculo. Illud auctarium fuerit: coriaginem à ruſticis dici morbum, quo bubulum infeſtetur pecus: quum tergori ita cohæſit pellis, ut manibus à coſtis deduci haud queat. Corium & in amygdalis dicitur, quo exuta uocantur decoriata. Scytaria Græcis minuta ſunt coria. Quid uero ſcutale ſit, indicat Titus Liuius, de Græcorum quorundam funda, Macedonici & Aſiatici belli libro octauo: Triplex (inquit) ſcutale, crebris ſuturis duratum, ne fluxa habena uolutetur in iactu glans, ſed librata quum ſederit, uelut neruo miſſa excutiatur. Eum locum aduocat Priſcianus ſexti libri fine, ſed codicibus præcipuè interpellatis.

Prodigioſæ

Prodigioſæ libidinis mulierum exempla. De Cyrene meretricula. Dodeca mechani cognomen. Myonia quæ dicatur, & Myoxia, uel Myopia: Myax, ac Ipos. Myuri pulſus. Grones. Myodoci. Mygale. Myaces. Item de ſphingibus, ſpintrijs, & ſphinctis. De caſaluadibus, et ſalauaccha, et caſaluio. Caſſinum. Caſcum. Celoſta quid, & caſorides. Celetium. Cellarius. Celonium. De Tyrrhenorum mulieribus. Nympha in genitalibus quid ſit. Satyrion. Satyriſmus. De lenonibus, & productoribus, & proagogia. Ariſtotelis refellitur interpres in Ethicis.

Caput VIII

ANte annos plurimos, inquit Hieronymus, quum in chartis eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanæ urbis epiſcopum, & Orientis atque Occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderem, uidi duo inter ſe paria uiliſſimorum è plebe hominum comparata: unum, qui uiginti ſepeliſſet uxores: alteram, quæ uigeſimum ſecundum maritum habuiſſet: & extremo ſibi, ut ipſi putabant, matrimonio copulatos ſumma omniũ expectatione uirorum pariter ac fœminarum, poſt tot rudes uter alterum prius efferret: uicit maritus, & totius Vrbis populo cõfluente coronatus, & palmam tenens adoranſq; per ſingulos ſibi acclamantes, uxoris multinubæ pheretrum præcedebat. Hæc Hieronymus. Verum nec relatu iucunda minus fuerint, quæ alibi idem recenſuit. Audiui (inquit) Domino teſte, non mentior, quædam muliercula, quum infantem nutriret expoſitum, & ſtillaret cibos, ac nutricis fungeretur officio, cubaretq; cum ea paruulus, qui uſque ad decimum annum iam peruenerat, accidit, ut plus quàm pudicitia patitur, ſe mero ingurgitauerit, accenſaq; libidine obſcœnis motibus infantem ad libidinẽ duxit. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps conſuetudinem fecit, necdum menſes duo fuerant euoluti, & ecce fœminæ intumuit uterus. Mira utiq; iſta ſunt, & quæ uix impetrent fidem, ni à ſanctiſſimo tradita uiro puderet non credere: quãdo & Petronius Arbiter efferatam mulieris libidinem, & paſſiuam proſtituti pudoris nundinationem exſequens, eius ipſius ita uerba contexit: Iunonem meam iratam habeam, ſi me unquam meminerim uirginem fuiſſe: nam infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni. Porrò in Sudæ relatum monumentis inuenio, & apud Ariſtophanis interpretem, nec deſunt ſubſcriptores alij, approbatoresq;: fuiſſe ſcortum quoddam nomine Cyrenem, cui factum cognomen ſit δωδεκαμηχάνου, tanquam tu dicas, machinamentorum duodecim, quoniam in Venereo uſu duodecim excogitaſſet modos, quibus inſcenſori iucundius redderetur libidinis proluuium. Sed & aſtra quandoq; dodecamechana item cognominata, obſeruauimus. Auctor Aelianus eſt, mulierem libidinis portentoſæ ab Epicrate dictam eſſe Myoniã; de notiſſima muris ſalacitate, qui dicatur μῦς, unde & murum loca uocãt myopias, ut in Varia hiſtoria Aelianus & myoxias. Sed eorundem laqueus dicitur ipos, ut prodit Euſtathius, à nocumenti ratione: nam ἴπτω, lædo ſignat. Gronas Myodocos in Theriacis accipit Nicander pro murum conceptaculis. Et Gronas interpretantur Græci petras. Mygalem animal dicunt ex mure cõceptum & gale: quod morſu obledit inſigniter. Myaces uero piſces intelliguntur murices. Sed & pro conchula capitur myax, qua humores excipiuntur. Sunt inter pulſus, qui μυρίζοντες uocantur, & myuri, de figurarum ratione, quæ in acutum deſinunt, tralato nomine. Ex ijs uero qui perpetim minuuntur, nec deſinunt, ad immobilitatẽ prorſus recidunt deniq; Hoc autem genus ἐκλείποντας nuncupant μύρους. Qui uero deſinunt, duplex habent interſtitium. Hoſce uero παλινδρομοῦντας dicunt μυούρους, id eſt recurrentes myuros. Arbitrantur nonnulli, poſſe myuros dici, ex ſimilitudine caudæ muris, id eſt τοῦ μυός. Nam & Dionyſius Apher Peloponneſum aſſimilem prodit platani folio μυουρίζοντι, id eſt quod muris acutam æquiparat caudam. Vel μειούρους ἐκ τοῦ μειοῦσθαι δίκην οὐρᾶς. Sicut inter pulſus qui uocantur κυματώδεις, id eſt undoſi: qui minuuntur, σκωληκίζοντες nuncupari ſolent, id eſt uermiculantes: σκώληκος πορείᾳ προσεοικότες, id eſt uermiculari ſimiles inceſſui, quem excipere ſolet ὁ μυρμηκίζων, id eſt formiculans, quo non eſt minor alius. Hinc arbitror Straboni libro undecimo, μειουρον Aſiæ partẽ nuncupari, quam amplectitur Taurus. Nam ad Boreum, inquit, latus tranſeunti ſemper de longitu-

longitudinis latitudine aufert mare. Idem paulo mox ſegmentum uocat μείουρον, & κάμμα μείουρον. Hæc uero parum ſcitè Latina interpres fecit. Sed redeo unde ſum digreſſus. Fuere item ſcortilla, quæ ſphinges nuncuparẽtur: nam & molles, ſphinctæ appellantur: quod prodit Sudas. Nam ſellariorũ & ſpintriarum, ex fœditate loci ac multiplici patientia, prius ignota uocabula, Tiberij libidinibus fœdis comperta produntur primum, ut dicantur ſpintriæ, ἀπὸ τοῦ σπλειρῶν τρεῖς, quòd uno nexu ſæpe coirent tres, etiam ſi nonnunquam uel plures: nam ſellariorum liquet ratio. Sphinga uero Laij fabulantur filiam, aut Chimæræ ac Orthi, qui fuit Gerionis canis: ut in Theogonia cecinit Heſiodus: parte corporis priore leonem præferente, poſteriore uero hominem, adnexis gryphium alis, aquilæ unguibus. Re autem uera, λυσεὶς in Bœotia fuit, id eſt latrocinijs imbuta mulier, quam rhapſodon uocat Sophocles. Spintrias augurãtur nonnulli, ab ſpinturnicibus auiũ turpiſſimis inflecti: aut ab ſpintere armilla reflexa. In Plauti Milite ſic comperias:

Pithecium hæc eſt præ illa, & ſpinturnicium.

Sphingem Bœotij Phica dicunt, unde eiuſdem locus Phicion uocatur. Sunt & meretriculæ, caſaluades cognominatæ: hoc argumento, quòd abſentes ſibi aduocent, reijciãt præſentes amatores: ſedent uero aſſiduè in domicilio, & uolentibus faciles ſe præſtant. Meminit eius uocabuli in Equitibus Ariſtophanes. Suſpicor à municipibus (ut ſic dicam) meis, uerbo paululum deluxato, haſce caſalinas dictitari nunc: quo tamẽ nomine intelliguntur minore turpitudine corpus in uulgus dantes. Nec mirari utiq; oportet, allinuntur ſeculis plerunq; neſciẽtibus ab ultima uetuſtate repetita uocabula, quod in alijs comprobatũ à me, ſcio. Nam quod paſſim ſcortilla, uacchas nuncupamus omnes, nónne ex antiquitatis profluit ſinu? In Comœdijs quippe Ariſtophanijs non incurioſus lector comperiet, fuiſſe Athenis celebres præcipuè, ac (ut Græco utamur uocabulo) θαυμαζομένας, & forma exſuperanti meretriculas, Cynnam & Salauaccham. Caſaurium etiam, ſiue caſaluium, pro impudicarum loco inuenimus, qui Athenis fuerat in Ceramico. Sed & apud Lycophronem, λικλωσκὸν, id eſt celoſta, pro lupanaribus poſita inuenimus. At celetium minuti ſpecies nauigij eſt, quod unus modò agitat: Celetis equi imagine, cui unus item inſideat, inquit Thucydidis interpres. Celeta, ideſt κέλης, in Herodoti hiſtoria octaua celocem interpretantur. Cellarius uero Latino uocabulo eſt, qui penus præfecturam gerit. Eum quidam modo Barbarè celerarium uocant. Celonium, aquæ hauriendæ ligneum inſtrumentum eſt: meminit hiſtoria prima Herodotus. Sed ſcrobes eo uocabulo accipit Laurentius, quod mirum eſt. Sunt qui ab indecoro ornatu meretriculas dici læcaſtrias opinentur: quippe λαὶ intendit, κάζειν uero ornare eſt: qua ratione dicuntur item caſorides, & apud Antiphanem caſoritæ. Ab eodem uerbo inuenimus qui & caſaluada inflecti putent. Certè inde καταλβάζειν cõuitiari eſt. Caſſinum uero Latina eſt dictio, ac uetus indicat, unde Caſſinum dici forum legimus, pro uetere, & hinc eſt oppidò conciliatum nomen. Ab Caſco nationis eiuſdem inflectitur uocabulum: unde Caſci Latini, apud Enniũ. Et M. Manilius ait: Caſcum duxiſſe Caſcam, mirabile non eſt. Ex lege Theopompus refert, ut ſcribit Athenæus, Tyrrhenis mulieres fuiſſe communes, quæ corpori ſtuderent impenſius, exercerenturq; cum uiris nudæ, neq; enim illis turpe cenſebatur hoc. Cœnaſſe uero cum ijs in quos incidiſſent, propinando item pro arbitrio: fuiſſe quoq; uini capaciſſimas, ſed & forma conſpicuas. Porrò prominet è muliebri interfœmineo caruncula, quam uocant nympham: ea excreſcit plerunq; ad turpitudinẽ uſq;, ut nonnullæ arrigant etiam, quod dicunt ὀρθιάζειν, ad coitumq; (ut Paulus inquit) incitentur, uelut mares. Aegyptiorum eſſe morem Galenus ſcribit, caruncula eiuſmodi in uirginibus præcidere, ὅπερ οἱ πολλοὶ τῶν Αἰγυπτίων ποιοῦσι πολύ. Cæterum, opera licet parerga, id annotauero libens, quando in ea re labuntur nõ pauci. Scribit Pedianus, lenones, ſcortorum dici: productores uero etiam inuitarũ perſonarũ, & in quibus ſtupra exercita legibus uindicantur. Nam & in Verrinis ab Cicerone diſparantur uerba hæc. Vnde argumento ducor certiſſimo, proagogiam in Ariſtotelis Ethicorum quinto, non lenocinium debuiſſe transferri, ſed productionem. Et Solon, uti cõmeminit Demoſthenes in Cteſiphontem, legem ſtatuit, qua ſanciebatur, Productores ac productrices accuſari oportere, ac ſi forent conuicti, capite anqui-

te anquirendum. Illud haud prætereundum: esse inter nostros, qui herbã Theophrasto significatam, cuius contactu producatur ad septuagesimum coitum libido, augurẽtur satyrion dici Indam. Quando & in Syria potestatis eiusdem comperiatur herba, Bucheidem quam nuncupauere, ac Indicam satyrion. Satyrismos porrò tubercula intelligit Hippocrates prælonga: cuius uisuntur modi sub ipsas satyrorum aures. Ea & theres uocantur aut pheres, uti commeminit Galenus. Satyrion alterum, ab re entatum etiam dici, prodit Dioscorides, & à Romanis etiam molorticulum Veneris, ni mendum est exemplarium, quod ferè uidetur eruditioribus.

Dierum obseruatio apud Romanos. Qui dies postriduani. Plynteria festa. Hesiodica ratio de diebus felicibus. Item astrologorum placita, & Christianorum. Interibi cur mensis dicatur bos, aut uitulus. Cælestia obseruantes maxime fuisse infelices. Albi dies qui, & cur. Planetarij, & mathematici, ac diuini. Astrologiæ irrisio. Cur ueteres largius cœnarent, quàm pranderent

Caput IX

INter superstitiones alias, quibus delusa tenebatur gentilitas, dierum rationem non fuisse obseruationis sopitæ apud Romanos quoq; animaduertimus. Quibus electionis maxima incumbebat cura, si alijs ipsi inferrent bellum. Nam illatum propulsare, salutem ac dignitatem tueri, quacunq; die ius fasq; arbitrabãtur. Quo enim pacto obserues, ubi nec electionis facultas superfit ulla? Ergo dies postriduanos, ut ad omnia infaustos ominososq; præcipuè reclinandos, ueteres putauere. Hos uero ab ominis diritate etiam atros fuisse nuncupatos, post alios & Macrobius prodit. Sunt qui etiam communes uocent, uelut ad molliendam uocabuli diritatem. Nostrates plebeij, quibus sæpe allinit aliquid uetustas, deluxato uerbo Aegyptiacos etiam nuncupant, ab Aegypti (opinor) uanitate proclinato nomine. Eorum Augustinus meminit, & in canonicis Decretis non est prætermissum. ἀποφράδας Græci nuncupant, perinde ac si nefandos dicas. Ex quo & festiuè Lucianus apophradi similem posse dici hominem insinuat, moribus ferum, corpore non integrum, mollem, periurum, nullis non adobrutum flagitijs, ac tanquam occursaculum abominandum atq; auerruncandum. Quid ita uero hi censerentur nimis improsperi, atq; (ut sic dicam) inactuosi, inominalesq;, infelicibus pugnis referri acceptum oportere, idem innuit Lucianus. Quod ipsum & Gellius Annalium libro quintodecimo, & Cassius Hemina testatum reliquerunt, prodentes senatum iussisse, ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur. Pontificesq; statuisse, dies postridie calẽdas, nonas, idus, atros habendos: ut dies hi neq; præliares, neq; puri, neq; comitiales essent. Cæterum, nec atro die parentare, fas arbitrabantur: quia tunc quoq; Ianum Iouemq; præfari, necesse est, quos nominari atro die non oportet. Ante diem quoq; quartum calendas uel nonas uel idus, tanquam inominalem plericq; uitabant. Certè ante diem quartum nonas Sextilis clade Romana Cannas esse nobilitatas cõstat. Bisexti quoq; diem, ut ominosum, reclinarunt non pauci, quòd rei Romanæ quandoq; esset uisus infaustus. Quo sanè argumento Valentinianum legimus imperatorẽ in medium prodire amplius renuisse, ut bisextum uitaret Februarij mensis, imperij statione prima illucescens. Lucullo in Tigranem mox depugnaturo subijciebant amicorum nonnulli, superfedendum pugna, quòd dies foret μία τῶν ἀποφράδων, ἃς μελαίνας καλοῦσιν. Ea quippe cum Cimbris à Cepione male pugnatum, ἐγὼ, ἔφη, καὶ τούτῳ εὐτυχῆ ποιήσω ῥωμαίοις. Athenis inter nefastos dies præcipuè haberi deæ Cereri Plynteria, subnotatum Annalibus est. Obeunt uero orgia Praxiergidæ Februario mense, ritu arcano, deiecto prorsum templi uniuerso ornatu, & obtecto simulacro. Sunt & sui nauticis suspecti dies, Martij primus, septimus, quintusdecimus, septimusdecimus, decimusnonus, & uigesimusquintus: Aprilis, quintus, sextus, duodecimus, uigesimus: Februarij, sextus, duodecimus, quintusdecimus, decimusseptimus, decimusnonus, & uigesimus. & hos quidem inuariabiliter obseruãt: astruuntq; hisce ferè diebus maximas in mari mutationes contingere, uel ad tranquillitatem, uel ad tempestatem: proinde in re ambagiosa, ac incerti tudinis multæ, tutius arbitrantur nauigationi supersedere. Cæterum extat poetæ Hesiodi lucubratiuncula, qua is pro ratione temporum & superstitionis inuolutæ, dierum

alios

alios comprobat, amplexaturq; : reiícit alios, ac uelut emortuos transilit. Quartas omnes laudat, reprobat quintas: in quibus uagari furias adcredidit, & periuros deposcere ad suppliciũ, insinuat: quòd numerus is, iustitiæ sit proprius. Quod Pythagoreorum contineri arcanis nouimus. Tres uero sunt, quibus Iouis adoptat nomen, ut mensis principi, quarto item ac septimo. Sic enim profectò scribit:

Αἱ δὲ γὰρ ἡμέραι εἰσὶ διὸς πάρα μυπόντῳ,
πρῶτον ἕνα, τετράς τε καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.

Et ἕνλω quidem (ut inquit Proclus) uocat numeniam, id est diem primã, quam & principe statuit loco, uelut arithmeticæ congruam. Et est numerorũ princeps monas, id est unitas: & omne principium esse, ac censeri diuinum, inter Platonis placita sancitur. Quartum amplexatur porrò, ut qui Musicas complectatur rationes, eam scilicet, quæ uocatur διὰ τεσσάρων, & epitritos: tribus nanq; si adíjcias unum, quaternarius consurgit. Item quam διὰ πασῶν uocant, siue diplasion. Duò nanq; geminata quaternarium conflant. Necnon quæ δὶς διὰ πασῶν nuncupatur, quando duplicata quaternitas octonarium conficit. Septimũ uero, quia ex sola cooriatur unitate, nec duplicatus intra decada progignere numerum possit. Porrò & hunc præcipuè laudat Hesiodus ex Procli sententia, uelut Apollinis genethlion, quod eo crederetur natus die, ex quo ab Athenienſibus item colebatur laurum gestantibus. Sciendum uero, mensem principis diei ratione ab Orpheo nuncupari μονοκέρωτα μόσχον, id est unicornem uitulum. Cuius rei meminit super Iliados primum Eustathius. Siquidem mensis simpliciter, ut generationis effector, bos appellatur. Quod uero habeat tunc primam substantiæ domesticæ ἴλα φασιν, moschos, id est uitulus, uel (ut inquit Eustathius) διὰ τὸ νεάζειν ἀεὶ ἐφοῖς ποιεῖ. Sed & in lunæ deliquio Aemylius Paulus aduersus Macedonas imperator, undecim ei uitulos, id est moschos immolasse narratur: etiam si eo uocabulo tauros accepit interpres. Cæterum, ratione compari ab Hesiodo totus peragitur mensis ad trigesimũ usq; diem, quem ab eo laudari, Proclus inquit, quia sit in eo lunæ coitus, quem ueritatis arbitrabantur imaginem. Cui unitas cõsecretur, sicuti mendacio multiplicitas. Propter ea insinuat poeta, esse tunc operum inspectionem opportunam. Sed & familiæ tum cibaria contribui debere. Quam rem Latini nuncupare Demensum solent. Tunc cessabant ab opere, sicuti & formicam tempore eodem feriari, obseruatum fere est. Nobis cætera persequi, tum superuacaneum est uisum, tum etiam uerbosius. Diem uero uoluptarium ueteres ὡς εὐπαθείας γεγόμενοι album uocarunt, id est λευκὴν ἡμέραν, origine ab historia repetita. Nam in Samios pugnans Pericles, exercitu octifariam distributo, sorte pugnaturos educebat: cui autem alba obtigisset faba, is epulabatur, & otio perfruebatur pingui. At qui Chaldæi olim nũcupabantur & genethliaci, Augustini temporibus, sicuti scribit ipse libro De doctrina Christiana primo, & confessionum quarto, & in libello De natura dæmonum, Mathematici & planetarij, nunc astrologi passim uocantur, quãdoq; & in sacris literis diuini. E cælo dierum felicitatem & horarum petendam putant. Nam inter eos non incelebris auctor Albumasar, quanquam sæpissime fabulosus: Qui luna, inquit, Ioui coniuncta cum capite draconis, Deo supplicauerit, quicquid petierit, proculdubio impetrabit. Nec Albumasari defuit astipulator, quãdo Petrus Aponensis hac se hora à deo scientiã petijsse scribit, ac mox insigniter profecisse. Verum enimuero per Mosen Deus optimus maximus ita nos commonuit: Gentes augures audiunt & diuinos, tu autem à Domino deo aliter es institutus. Iam illud Hieremiæ quis non nouit? A signis cæli nolite timere, quæ Gentes timent. Augustinus uero in Enchiridio scienter simul & uere, ipsam temporum obseruationem, ut hæc fausta, illa in fausta putemus, ad magnum dixit pertinere pecatum. Quod in canonicis item relatum Decretis est, causa uigesimasexta, quæstione septima. Illud uero Moseos, Posita sydera insigna, & tempora: Non signa, inquit Augustinus idem, quæ obseruare, uanitatis est, sed uitæ usibus necessaria, qualia nautæ, agricolæ, & id genus artifices obseruant. Quare & Basilius in Hexaemero inspectionẽ eiusmodi occupatissimam dixit esse uanitatem: Ambrosius etiam, inutilem & impossibilem: Chrysosto mus, uanam, falsam, ridiculam. Sed mitto auctoritatum tibicines. Illud utique omnem apud me admirationem excesserit; si uera sint planetariorum præscita, qui fieri potue-

rit,eos potiſſimum in rebus noſcitari perinfelices, qui deridiculam temporum obſeruationem,ac momenta ſingula tam euigilatè miſerunt in digitos. Quin ediuerſo fortunæ afflatu benigniore uſos,qui uanitate artis reiecta,prudentiæ tantum atque rationis luminibus innitendum cenſuere. Zoroaſtris ſcientiam inter ueteres theologos quis non nouit? Fuit is & cæleſtium rerum peritia uſq; ad magiam,ut uolunt quidam, pernobilis. At eundem à Nino uictum bello,& occiſum,enotatum Annalibus eſt. Pompeium hiſce diuinaculis præcipuè mancipatum, non tacuit hiſtoria: at bone deus, quàm miſer exitus,quã non populi Romani dignus principe. Contrà, Cæſar iſta exculcabat, ridebatq;: læta tamen,quod ad bellorum attinet rationem,illi affulſere omnia, proſtratas,occidione occiſas hoſtiles uidit copias, & mox ſe terrarum principem. Propterea rectè magiſter Gentium ad Galatas capite quarto, Dies obſeruatis & menſes & tempora & annos,timeo uos,ne fortè ſine cauſa laborauerim. Et rectè prorſus libello eodem Magnus Baſilius: Ridendi,inquit,profectò non mediocriter eſſe uidentur tam ij qui artis huius ſtudio indulſerunt,quam nulla niti rerum ratione, conſtat: quàm ij qui hiantes ab illorum pendent ore intẽti,perinde ac omnia illi poſſint ſcire. Illud autem hinc diſſitum omnino eſt ex medicorum ſcholis, nec tamen prætereundũ, ne pereat: Particularia dierum tempora cum uniuerſalibus reſponſum habere: nam ueri aſſimulatur hora matutina,æſtati meridies,autumno ueſpertinum tempus,nox autem hyemi. Et quia ut in libro De diſſolutione cõtinui ſcribit Galenus, menſæ aptior eſt hora frigida,calore inſito tunc ſe intro inſinuante: qui, caliditate ingruente, in extima ſe exſinuat,unde percoquendi promitur difficultas: inde ueteribus irrepſit mos, qui ne nunc quidem apud multos exoleuit,uti largius in cœna ſeſe inuitarẽt,quàm in prandio,ſomno quoq; qui mox inſequitur, ſuffragãte: cuius ſuum eſt, digerere,ac intima corporum humectare,ut uigiliarum ſoluere ac perſiccare: id quod ſecundo Regiminis acutorum idem prodidit Galenus.

Cur temporum uarietas ex emerſu uel occaſu fixarum ſtellarum aſſignetur à rei ruſticæ uel nauticæ doctoribus. Cap. X

SEd quærat aliquis, Quid nam cauſæ aſtruamus, ſi è cælo iſta non ſunt, quæ cæleſtium rerum ſtudioſi mirè conſectantur & aſſeuerant: quòd qui ruſticę rei, ſimul & nauticæ præcepta condere auſpicati ſunt, creſcẽtibus operibus per occaſum & ortum ſtellarum fixarum temporũ uarietatem atq; momenta præſignant ac uel digito ſubinde commonſtrãt, ſicuti arcturi, uergiliarum, hyadum, & id genus aliarum. Id uerò hac parte credendum conſtanter, haſce ſtellas in temporũ ratione non indigitari, ut ſic dicam, quòd ipſarum uel cauendos moneant influxus, uel exoptandos. Quando nec aſtrologorum placita hoc continent, in quibus lectum eſt, Per ſe illas nullarum omnino eſſe uirium, niſi in cardinibus aſtituantur: ſed ut indoctis illiteratisq; ſigna ſint, quibus tẽpora internoſci ualeant. His uerò indicijs, quæ ab emerſu ſtellarum uel occaſu petantur, nullum eſt conſpicuum magis aut perſeuerantius.

Dierum criticorum ratio, ex medicorum doctrina, & Galeni in primis. Cyriæ dies. De alcyonibus paucula. Cap. XI

INſtant tamen acriter medicorum ſcholæ, Galeno principe: criſimos dies, ſiue iudicatorios, aut decretorios dicere malis, aut etiam criticos: quãquam ſunt & nomenclatura eadem grammatici, Euſtathio tradente, qui poemata ad examen uocant, iudicantq;. Nam cyriæ dies, id eſt κύριαι, præſtitutæ ad quippiam agendum ſimpliciter dicuntur: ſicuti cyriæ quoque ſine diei adiectione ulla. Criſimos, inquam, lunæ acceptos referri debere, libro utique qui de id genus criticis diebus eſt, tertio, Galenus geminam ſtatuit lunaris influxus rationem. Altera quarum à ſolis poteſtate demanet, lunæ fœnerantis lumen: reliqua de ſignis profluat, per quæ quot menſibus commeet luna motu proprio. Mox uerò ex planetariorũ infert decretis, In locis oppoſitis atq; quadrangulis magnas à luna cõmotiones excitari: quòd tam in habitudine eius ad ſolem, quàm etiam ad ſigna, nititur cõprobare. Ac ad ſolem quidem, quoniam quum fit luna dichotomos, ſeu dimidio uelut orbe cæſa, quam etiam diuiduam periti uocant: fit autem in quadrangulis ferè locis à ſilentis lunæ die: rurſuſq; quum panſeline uiſitur, ſiue orbis abſoluti, quod in aduerſo contingit atque diametro:

aeris

aeris modum & tempeſtates permutet inſigniter. Ad ſigna uerò ratione iſta, ut quicquid incohatum fuerit, luna (dicamus) taurum permeante, ſemper mutatio contingat, ubi eadem in leonem diuerterit, aut ſcorpium, aut aquarium, quæ uiſuntur loca tauro tetragona, uel aduerſa. Aegyptiorum porrò dogmata calculum adijcere Galeno pernoſcuntur, quibus ſanciri nouimus, ſi in cuiuſpiam genitura, arietem, exempli cauſa, inſederint feliciores ſtellæ, quod in ortum prodijt, proſperè habiturũ, quoties taurum, aut quadrata ſigna, uel oppoſita peragrarit luna. Ediuerſo autem, ſi infelices. Hinc concipit Galenus, criticorum dierum cauſam fieri euidentiſſimam. Eſſe uerò præcipuos putat, ſeptimum & quartumdecimum: quoniam perueniat ſeptima die ad ſignum ab illo quartum, quod tenuit incohante morbo: decima uerò quarta ad oppoſitum ſignum, quum ſeptem & uiginti diebus & triente ſigniferum obeat luna. Malas etiam commotiones his fieri diebus, aſtruunt medici, ſexta, octaua, decima, duodecima, decimaſexta, decimaoctaua. Sextæ diei malitiam tyranno comparat Galenus, ſicut ſeptimam regi. Adnotatu uerò dignißimum, quod ſecundo ἰατρικῆς πραγματείας aſſeruit ex Hippocratis ſententia Paulus Aegineta, inter criſimos dies eſſe, quos θεωρητικούς nuncupãt: quoniam contemplationi futuram ſubijciant in alijs criſin, ueluti quum quartam dicimus τῷ ἑπομένῳ ἐν τῇ ἑβδόμῃ πεφληγῶσι λείψει, id eſt futuram die ſeptima præmonſtrare λείψιν, dum ſudores quoſpiam uel humiditates alias, uel id genus peculiares prolicit inanitiones aut ſignificationes non factas prius. Cæterum, ne quàm par eſt, abeamus longius, iam parte iſta complicanda forent uela. Proinde an iſta ueritatis habeant reſponſum & rata indubitataq; cenſenda ſint: an, ut uanitatis multum prætendentia, riſu etiam ſint excipienda, libra fuerit aliorum. Nam etiam doctiſſimus undecunq; Picus abundè (opinor) opere luculento, unde mutuamur plerunq;, aſtrologorum commenta eluſit. Illud certè negligentius non tranſiluerim, ueluti ſub mandragora conſopitus, ſeptenarij uim eſſe in rebus ſæpe miram, ubi nullam prorſus lunæ aut ſolis poteſtatem ſuſpicari poſſumus, uelut in ægritudinum periodis: nam ſeptimo die, ut acutæ, ita diuturnæ, uti auctor comprobat Auicenna, ſæpe ſeptimo mẽſe, ſeptimo anno, quartodecimo, uigeſimoprimo ſolent terminari. Cõtingunt hæc quidem, ſed occulta proprietate conditioneq; rerum illarũ, quibus ita plerunq; uſu uenire ſolet. Ita enim natura comparatum, ut (quod nec tacuit Galenus) per dies impares acuti moueantur morbi. Qui uerò lentiores diuturnioresq;, per pares. Lunaris uerò rationis, ne uerbũ quidem Hippocrates fecit, ſed ordinem hunc ad numeros refert, naturę in pleriſq; mirè gratos: quod Cornelius Celſus adnotauit. Auicenna, quum in eius rei mentionem incidiſſet, ambagioſa eſſe omnia, & ambiguitatis multæ confeſſus planè eſt, atq; argumentum id genus à medendi cura ſequeſtraſſe eſt uiſus. ἡμέραν πονηράν apud prophetarum principem intelligi uolunt iudicij diem, & pœnarum rationem æternam. Quum uerò ἡμερινὰ dici audis σιτία, cibaria intellige mortalia, & terrena planè. Poſtremò ſunt & ſui in naturæ hiſtorijs felices in mari dies, à uentis qui conſileſcunt omnino, Alcyonides nuncupati, de quorum numero mira inter Græcos diſceptatio cooritur, quinq; modò eos ſtatuente Simonide, cui calculum adijcit Ariſtoteles. Samio uerò Demagora ſeptem, nouẽ autem Philochoro, alijs denicq; etiam quatuordecim, ut ſeptem intelligantur antè excluſum fœtũ, totidemq; poſt. Nec me fallit, eſſe inter claſſicos qui tradant octauo calendas Martias eſſe Alcyonios dies, quibus in Atlantico quidẽ mari ſumma notetur tranquillitas. Fuiſſe porrò Alcyonei gigantis filias Alcyones, Pauſanias prodit, ac eſt ab Apoſtolio in Ionia repetitum: Phthoniam, Athen, Methonen, Alcippam, Pallenen, Drimo, Aſterien, quæ à patris obitu ex Pallenes promontorio in mare ſe præcipites dederint. Verum ab Amphitrite in auitiam gentem ſint cooptatæ, ita ut mares ceryli dicantur, penultima correpta Theocrito, in Bionis epitaphio. Qui conſeneſcentes, inquit Pauſanias, à fœminis geſtantur. In hoc autem genere, fœmina nuncupatur damar: ut eſt apud Lycophronem, & expoſuit interpres. Quanquam pro uxore capitur damar, quaſi γάμαρ, ἀπὸ τοῦ γάμου. In caſu patrio, damartos facit: nam & pullatorum ratio habenda quandoq;. Non recipere flatilem in prima uerbũ Alcyonas, auctor Euſtathius eſt, etiam canone ſubiecto: quoniam A antè L, ſi ſequatur K, flatilem nõ admittat. Cleopatram fuiſſe ob matris luctum Alcyonem cognominatam, alicubi uideor

deor legisse, ab Alcyonum more ducta nominis ratione: sed ita, ut alcyon de aue dicatur, Alcyone de Cleopatra. Dici Alcyonas putat Theocriti interpres, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ λύειν. qui etiam tradit, ab Antigono proditum, senescentes Alcyonas uocari cerylos.

Midam & Themistoclem sanguine taurino hausto interisse, atq; eius rei quæ afferri possit ratio. Midæ fons. Thrombi quid: & thromboſis in lacte, necnon chondri. Stranonis interpres coarguitur ex libro primo. Ciceronis locus explicatur de Themistoclis liberis. Themistoclis mater Abroto num. Naumachi cognomentum. Naumacha hastilia. Italum dici taurum. Italia unde. Cap. XII

MIdam illum ueterem multa quoq; temporum fabulositate inuolutum obtectumq;, qui ficti argumẽti mos est, in libro De superstitione Plutarchus scribit: contracta ex somniorum diritate animi ægritudine, quum formidabilis affectio augesceret in dies, nec mali ullum prorsus promeret se alleuamen, tandẽ fatalem diem sibi admouere destinasse, ac tauri sanguine copiosius hausto, concessisse ab humanis. Midæ item Xenophonti mentio est primo ἀναβάσεως, apud urbem Thymbriũ prodenti uiæ appositum fontem, qui Midæ nuncupetur, quòd in eum mero profuso, satyrum circumuenerit. Strabo præterea libro primo: Quo, inquit, tempore Midam ferunt tauri hausto sanguine, ἀπελθεῖν εἰς τὸ χρεών, id est adisse fati diem. At interpres ridiculè, ad uersuram usq; faciendam adijt. Huius uerò interitus commeminit in libro Temporum Eusebius, sed nimis concise, qui mos illi est, nimisq; inarticulate. Frequens historia est, Themistoclem gestarũ rerum claritate ab utriusq; linguæ auctoribus certatim memoriæ commẽdatum, ratione compari decessisse: quum Athenis profugus ad Xerxis filium Artaxerxem diuertisset, ac honestissimè exceptus, Græciam se illi subacturum esset pollicitus, mox uerò amplius re perpensa, facti pœnitentem, aut (quod malunt alij) quum despõdisset, simulato Dianę sacro, quã Leucophryn uocant, itidem largius immolati tauri cruorem ebibisse, atq; ita extinctum. Propterea Aristophanem in Equitibus scribere, βέλτιστον ἡμῖν ἆμμα ταύρειον πιεῖν, ὁ θεμιστοκλέους γὰρ θάνατον ἀρετώτερον. præstat, inquit, tauri sanguinem haurire, siquidem Themistoclis interitus eligibilior. Nec me fallit ficta uideri hæc plerisq;, nam Thucydides mortuum modò scribit, & in Attica clam humatum. Quid ita uerò taurinũ præcipuè cruorem in consciscenda sibi morte optarint, illa uidetur ratio, quoniam (ut auctor Plinius est) huius animalis celerrimè sanguis coeat atq; obdurescat, ideo esse pestiferum potu maximè: à quo denseant in stomacho thrombi, ut inquit Paulus. Sunt uerò thrombi, cõcreti sanguinis partes. Nam & sal crassior, eodem censetur nomine. Saluator autem exsudasse narratur sanguinis thrombos. Sic & mammarum uitia duo norũt medicinã professi. quippe ubi in grumos denset lac, μαδοὺς χονδρωθέντας uocant eruditiores. quòd si lactis maior uis in mammas influat, ἀπαργῶντας nuncupant, uelut dicas luxuriantes. Thrombos sunt qui fragmenta interpretentur, uel frusta: unde sit lactis thromboſis, id est θρόμβωσις, ubi in eo uelut globuli constipantur: quos & chondros ferè uocant. Historia prima Herodotus etiam bituminis thrombos dicit. Porrò taurinus sanguis recens ἀναπνοιαν ὑπιέναι καὶ πνιγμόν, id est anhelitus difficultatẽ ac præfocationem infert, cum spasmo prævalido. In Egyra tamen, proditur monumentis, in specu missuram se sacerdotem concipiendi gratia uaticinij tauri præbibere cruorem. At caprinus sanguis haurienti pallorem obducere memoratur. Obseruatum utiq; est, in animalium quorundam sanguine uisitari corpuscula quædam, pilorum imagine, oblonga: quæ res terrestris exsuperantiæ uim indicat. Inde incalescens sanguis eiusmodi perseuerat diu, atq; ita affectum animal iracundũ ferè euadit, ac indignationis retinentissimum & audacissimum. Fila nanq; id genus uelut prunæ inardescunt, quod in sue agnoscimus, sed in tauro præcipuè: indicium est coagulatio uelox, quod terrestris efficit qualitas, calore fugato cum humecta ui. Et Meteoron quarto Aristoteles scribit, cæruinum sanguinem non coire, quoniam aquæ naturam magis sapit, ac frigidissimus est: & propterea fibris caret, quæ opera terræ sunt, solideq; consistunt. Illud uerò parte ista non fuerit uacantis operæ, opinor, si M. Tullium in quadam ad Brutum epistola apertiorem reddiderimus. Sed interim legentes commonuero, fuisse inter Græcos celeberrimi

celeberrimi nominis imperatores quatuor, Periclem, Miltiadē, Cimonem, Themiſtoclem, qui geſtarum rerum fulgore per quandā exochen quatuor nuncupentur uiri. Sed ad Ciceronem. Quanquam, inquit, hęc quidem ſententia nō magis mea fuit, quàm omnium: in qua uidetur illud eſſe crudele, quòd ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna peruenit: ſed id & antiquum eſt, & omnium ciuitatum, ſiquidem etiam Themiſtoclis filij eguerunt. Quæſitum amplius eſt, & in eo ipſe aliquādiu minus, quid afferrem conſtitutum habui, qui nam fuerint Themiſtoclis liberi: quando rara de ijs, quantum comperierim, aut lectione obſeruarim nō incurioſa, tam in Græcis, quàm etiam Latinis auctoribus mentio fit. Mox uerò, quum omnem (ut dicitur) funiculum excuterem, inueni tandem quod proferri in medium poſſet. Legimus nanque Neoclem & Demopolim Themiſtoclis filios quandoq; incognobiles ueniſſe Athenas, adortosq; in certamine epitaphio uim ſuam oſtentare, quum uictores apparuiſſent, nec qui forent, ſatis noſcitaretur, corollis eſſe inſignitos: & Neoclem quidem dolichum uiciſſe, Demopolim autem ſtadium. Poſt certamen uerò perſpicuos factos tātum non à paternis inimicis eſſe lapidibus adobrutos, quum Atheniēſium memoriam refricuiſſent ſuper legibus quæ aduerſum exules forent ſancitæ. Sciendum uerò amplius, in Menone Platonem tertij Themiſtoclis filij mētionem feciſſe: de quo, quia mirum eſt quod refertur, Philoſophi uerba ſubieci: Audiſti'n' Themiſtoclem filium ſuum Cleophantum in equeſtri facultate ſtrenuum effeciſſe? adeo ut equis rectus inſiſteret, rectusq; ex equo iacularetur, cæteraq; permulta perficeret ſtupenda, in quibus ille diligenter erudiri curauit, ſapientemq; in ſingulis quæ præceptores eruditi callebāt effecit. Ipſum uerò Themiſtoclem ſunt qui Abrotoni meretricis prædicent filium, quod in libro De uiris illuſtribus Amphicrates prodidit: quanquam Euterpen nuncupauit libro Rerum Græcarum tertio Neanthes. Nec illud omiſerim quod innuit Thucydides, ex naualis belli peritia præſigni Themiſtoclem Græcis nuncupatum quandoq; Naumachum. Nam & longiora paulò haſtilia, quibus è nauí depugnatur, uocantur naumacha. Quia uerò de tauris facta nobis mētio eſt, illud adiecero auctarium ex Græcis interpretibus: Tyrrhenorum lingua taurum dici italum. Propterea ab uno ex tauris Geryonis abductis ab Hercule, dictam eſſe Italiam: quum propè Rhegium enataſſet in Siciliam in Eryon campum, ac regnum Neptuni filij peruaſtaſſet.

Super Pherecyde adnotata paucula. Itēq; de patria Syro, & locis alijs uoce cognatis, ac uocabulis ſcitu nō indignis. Syrna. Podalirij hiſtoria. Sciſcitus, ſciritæ, ſcironides, ſciraphion, ſciras, ſciron, eteobutadæ. Sciri ſordes. Sciroma, aſſulæ, ſchidia, epiſchidia, panſyrtum. Cap. XIII



Herecydem philoſophū haud incelebrem phthiriaſi cōſumptum, frequens memoria eſt. Ad eum grauiter affectum quum uiſendi gratia Pythagoras diſcipulus aduenìſſet, ac πῶς ἔχεις τοῦτο, id eſt quo'nam pacto haberet, eſſet ſcitatus, immittens is digitum per ianuā χροὶ ἄλλα, Ex corpore, inquit, palàm eſt. Quod & paroemiodes apud philoſophos mox eſt factum: ſed ita, ut deteriora ferè indicentur. De hoc extat Q. Sereni carmen:

Sed quis non paueat Pherecydis fata tragœdi?
Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.

Qui Pherecydem hunc Syrium appellatum putarunt à prouincia Syria, facilè Strabonis, & certatim Græcorum ferè omnium auctoritate coarguūtur, quando inſulam Syrum patriam habuit, quam eſſe unam Cycladum ſtatuunt, proximè Delon. Stephanus Ionicam eſſe inſulam docuit in Acarnania, & gentile nomen inde produci, Syrius. meminit libro duodecimo Strabo. Syrna uerò Cariæ ciuitas memoratur, à Podalirio condita, qui quum in Caria à caprarum paſtore ſeruatus, ad Damæthum regem foret perductus, eius filiam nomine Syrnam tecto delapſam, miſſo ex utroq; brachio ſanguine, per ſanauit. quod rex admiratus generum ſibi optauit, Cheroneſo illi tradita: in qua Podalirius mox duas condiderit ciuitates: de uxoris nomenclatura alteram Syrnem: reliquā uerò de paſtoris, à quo fuiſſet incolumis factus: gentile inde nomen Syrnius. Eſt & inſula Scyrus, per c & y: de qua poeta nobilis,

Armiger Automedon, unà omnis Scyria pubes.

Meminit libro quinto Nicolaus, habitatam antiquitus à Pelasgis prodens, atque Caribus. Est & Scirus, per c & i, in Arcadia locus prope Parrhasios: unde appellati Scirítæ. Sed erat in Attica item Sciron, & petræ quoque Scironides à Scirone, uel dictus à Scironidibus Sciron: ut factum loco nomen sit ab heroe Sciro. Ibi resedisse meretrices, proditur memoriæ. Sciraphion locum dicebant, in quem aleatores conuenirent. Sciraphoros uerò, intemperãtem signat, ac lasciuũ. Scirítæ apud Lacedæmonios, procubitores erant, qui obseruabant, ne quis noctu extra phalanga progrederet. Scirítæ quoq; primi inibant pugnam. Meminit historia septima Thucydides, Scirítas in cornu sinistro semper constitui solitos, prodens. Eorum item rationem tradit in libro De Lacedæmoniorum republica Xenophon, & libro quarto Pædiæ Cyri. Scira porrò festum erat Mineruæ, quæ dicebatur Sciras. Cuius mentio est Straboni quoq;, Scirophorionis, id est Martij duodecima: quamuis alij Cereris tradant, & Proserpinæ. In eo Erechthei sacerdos umbellam ferebat albam, quæ uocatur sciron. Sunt qui scribant Palladis sacerdotem ac Solis, cum sciro ex arce prodire in locum quem dicunt Sciron. Vmbellam ferre solitos, qui uocentur Eteobutadæ. Ii fuere nobiles & perillustres Athenis, à Bute sacerdote propagati. Ex qua familia producebant sacerdotes, id uerò symbolicè apud illos institutũ, dum quenq; summonerẽt tacite, tempus ædificandi, & tectum aliquod sibi sustruendi iamiam appetere. Scirada Mineruam dici, Philochorus in secundo scribit, à Sciro Eleusinio uate. Praxion item Megaricorum secũdo, à Scirone, qui Salamina incoluit. Sciros præterea uocari lego, sordes & spurcitias casei: sicuti Eupolis comprobat in Chrysogene. à qua similitudine, quicquid est inculcatum ualde, σκιρωμένον dicitur Græcis. Dicunt & hepatis affectionem sciroma, quòd curationem nescit: quanquã sciromata & sciros Latine duritias interpretantur doctiores. Sed & fragmenta, quæ ex operibus deijciunt marmorarij, sciri quoq; dicuntur. Assulas Vitruuius uocauit, sicut in ligno schidia: nam epischidion cuneum appellant. Simile quiddam molę in uiris gignitur, in uentre, inquit Plinius, sciron uocãt. Sciron item pro gypso positum inuenio: unde & scira terra, pro alba dicitur quandoq;. Pansyrum interpretantur apud Sophoclem in Helectra, eum qui omnia trahat mala, id est πάντα σύροντα κακά: uel certe μετὰ πάσης ὁρμῆς πᾶν κακὸν ἁρμοζόμενον.

Muliebris commercij detestatio. Omphale cur. Epinephridia. Dennus quid. Ciceronis locus ex secundo De oratore, suæ restituitur luci. Mulieres ab Olympicis excludi solitas. Plinius illustratur de Liuia. Crispantes socci. Cap. XIIII.

MVlieris illecebras esse mundo maiores, inde acute admodũ acscite, nonnulli collegisse sibi uidentur, ꝙ Herculem, quẽ mundi magnitudo uincere non potuit, libido cõpresserit: in cuius pugna tanta quidem illa uirtus, adeoq; cũcto terrarum orbe percognita, ut Hercules monstrorũ malleus prouerbio quodam passim, & plausibili consensu celebretur, desudarit, atq; succubuerit, nullis quodammodo prætenturis, ut Marcellini uerbo utar, uel stationibus præfultus. Et Cato Senior impotentẽ mulierum arrogantiam accusans, quæ dominari studerent uiris: Omnes, inquit, homines uxoribus imperant: nos omnibus hominibus: at uxores nobis. Quod ipsum ferè ante dixisse Themistoclem, testatum monumentis est. Prima profecto castę mentis tentamenta, labesq; prima, fœmina est: quæ ut à sanctissimis uiris proditum memoriæ scimus, noxium genus est, ianua diaboli, uia iniquitatis, scorpionis percussio: quum admouetur stipula, accendit ignem: flammigero igne perculit fœmina conscientiam pariter habitantis: exurit fundamẽta mentium. Ego, inquit Hieronymus, ita censeo, si cum uiris habitent fœminæ, uiscarium non deerit diaboli. Mentes uel ferreas à libidine peruinci perdomariq;, cognitum ferè experimentis est. Cur enim Gentilium fabulæ narrant, Sirenum cantibus nautas in saxa præcipites actos? Eas Palæphatus in libro Incredibilium primo, non alias fuisse scribit, ꝙ meretrices, quæ nauigantes blandis uenenis pellexerint in fraudem. Huius uoluptatis incentiuis, & Omphales ueneficijs magna mortaliũ pars delinita præceps abit in uulnus. Omphalon Græcorum lingua umbilicum dicit. At in umbilico dominatur libido mulieribus

mulieribus, lege quoq; diuina ſuccinente, Non eſt præciſus umbilicus tuus: uelut inſinuet, non eſſe amputatum ac reſectum peccatum. Nam & uuluam produnt, illic catenatam conſtringi. Vnde & epinephridia eodem loco firmandis fœtibus opponuntur. Virorum autem in lumbis luxuria ſtatuitur, Gregorio tradente. Rectiſſimè mihi dictum uidetur, Non poſſe toto corde cum Domino habitare, qui fœminarũ acceſſibus copulatur. Scribit in Prouerbijs Solomon, Mulierem foueam eſſe profundam. Et Propertius feſtiuiter,

Sed uobis facile eſt uerba & componere fraudes,
Hoc unum didicit fœmina ſemper opus.

At facetè Plautus quendam inducit optantem fœminam in Milite, quæſtuoſam, cuiq; ſapiat pectus: Nam cor non poteſt, quod nulla habet. In Perſarum gente ſi cui ingeratur, uideri eum fœmina ſocordiorem, ἀγνὸν ὃν μέγιστον, id eſt Dennus cenſetur inſignis, ut prodit Herodotus. Eſt autem dennus, iniuria & probrum: unde apud Sophoclem ἀγναλζειν uerbum: quod ἀντὶ τοῦ βλασφημεῖν, reddunt interpretes, addito etiam num etymo, ut ſit ἀπὸ τοῦ λεινὸν λεινάζω, καὶ ἀγναλζω, ſicuti φαεινὸς φαγνός. Cæterum ut alia deſint, illud Tireſiæ quale eſt? Qui electus arbiter (ut aiunt) ab Ioue, ac Iunone de amoris quantitate contendentibus, tres amoris uncias in uiro, nouem in fœmina pronuntiauit. Sed & Pacuuius flens Ario uicino ſuo ait, Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima uxor mea ſe ſuſpendit, poſtmodum ſecunda, iam nunc tertia. Cui Arius, Miror te in tot ſucceſſibus lachrymas inueniſſe: & iterum, Dij boni, quot tibi diſpendia arbor illa ſuſpendit: & tertio, Amice, dede mihi ex arbore illa quos ſeram ſurculos. In hæc diuertiſſe, non alienum iudicabit, quiſquis aduerterit, illatam à nobis lucem multam uerbis M. Tullij ex ſecundo libro De oratore, quæ (quod ſciam) ad hanc diem nemo eſt interpretatus, etiam ſi acutuli ac minuti doctores, qui ſe πγυικοὺς uocant, multa ſæpe conantur, argutatores frigiduli. Salſa ſunt etiam, inquit, quæ habent ſuſpicionem ridiculi abſconditam: quo in genere eſt illud Siculi: cui quum familiaris quidam quereretur, qui diceret, uxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu, Amâbo te, inquit, da mihi de iſta arbore quos ſeram ſurculos. Eadem ferè & apud Quintilianum libro ſexto, in iocorum ratione. Poſtremò illud Catonis bracteatum eſt, & nulla non hora repetendum: Si abſq; fœmina, inquit, poſſet eſſe mundus, conuerſatio noſtra non eſſet abſq; dijs. Metellus Mario reſpondit, quum eius filiam prædiuitẽ, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere nollet, Malo eſſe meus, quàm ſuus. Cui Marius, Immo ipſa erit tua. At ille, Immo uirum oportet eſſe uxoris. Liuia uirum ſuum occidit, quem nimis oderat. Lucilia ſuum, quem nimis amauerat. Illa ſponte miſcuit aconitum: hæc decepta, furorem propinauit pro amoris poculo. Varijs nempe incedunt ſemitis fœminæ, quibus errent anfractibus, quibusq; deuinctæ ſint uiris, unus tamẽ eſt exitus, una omnium uiarum meta, unicum caput, & conuentus omnium diuerſitatum, malitia. Fœmineæ naturæ, inquit Ariſtoteles, proprium eſt, ὁ φιλοιδορον καὶ μεμψίμοιρον, id eſt conuitiandi cupiditas, & querula natura. Vſurpatur tempeſtate noſtra elegans parœmia, Verba quidem uideri fœminea, facta uero planè eſſe uirilia. Id autem uetus fuit Græciæ gentis adagium, quod ex Euſtathij theſauris liquet, γυναικῶν μὲν τὸ λαλεῖν, ἀνδρῶν δὲ τὸ πρᾶξαι, id eſt dicere mulierũ eſt, at uirorum facere. Proinde proditum monumẽtis eſt, Aegyptiorum regem Seſoſtrin, ubi imbellem nimis ac momenti prorſum nullius gentem, & (ut Græci dicunt) ἀμαχητί, id eſt citra pugnam, & ἀκονητί, id eſt citra puluerem ad leges redegiſſet ſuas, ſurrectis ſtelis ſiue cippis inſculpi iuſſiſſe γυναικῶν ἀνδρεῖα, id eſt uerenda muliebria. Pronuntiat in Theogonia, ſeu phyſiogonia debet, Heſiodus, eſſe mulieres πῆμα μέγα θνητοῖσι, proinde fucis uideri aſſimiles, qui alienum laborem in uentrem ingerunt: uel, ut ipſe ait,

ἀλλότριον κάματον σφετέρῳ ἐς γαστέρ' ἀμῶντα.

Circumferuntur & ſententiæ duæ, quas Senecæ aſcribit attitulatio publica, quamuis refragentur docti. Vtcunq;, huic propoſito aptè conſentiunt: Aut amat, aut odit mulier, nihil eſt tertium. Et rurſum, Apertè quum eſt mala mulier, tum demum eſt bona. Ad muliebris porrò naturæ rationem fortè illud pertinuerit quoq;, Sacrorum legibus cautum, ſicuti Lactantius grammaticus ſcribit, ne Olympicis ſe certaminibus ſpectan

di gratia mulieres inſererent. Propterea Thebaidos primo Papinius,

Excluſæq; expectant præmia matres.

Sed & Menander rhetor: In quibuſdam, inquit, panegyricis conuentibus non ferè uiſuntur mulieres, ut in Olympia. Proinde inter laudandum impenſe obſeruanda hæc. Et Pauſanias Eliacorum primo, quæſitam ſcribit ad pœnam Pherenicen, quod Olympicorum tempore Alpheum amnem tranſire foret auſa, quod illis diebus capitale erat fœminis, Piſirrhodum ſequuta filium. Quem tamen Euclea uocauit Valerius. Nam quod ibidem ſcribitur Berenice, mendum exemplariũ eſt. Typœum uocant montem, ex quo præcipitarentur mulieres, à quibus neglectui habita lex foret. Callipatirã inuenio tamen apud Pauſaniam, quæ quoniã gymnaſtico fefellerit habitu, lata in reliquum lex, uti in certamen nudi prodirent gymnaſtæ. Ignotũ uero Callipatiræ, quòd patrem & fratres habuiſſet Olympionicas. Apud Pindarum ſunt grammatici, qui & Ariſtopatiram enuntient. Geronthras in Laconia eſſe ciuitatem nouimus, inibi fuit Martis templum & nemus. Anniuerſarium item celebrabatur feſtum, in quo à nemore procul arcerentur mulieres. Quod autem de Liuia magnum ſequutus ducem prodidi, ambiguitatem tollit ex Plinio Hiſtoriæ naturalis ſeptimo, ubi de Auguſto ita ſcribit: Hinc uxoris & Tiberij cogitationes, ſuprema eius cura. Nam dolo Liuiæ peremptum Auguſtum, à Sexto quoq; Aurelio proditum ſcimus. Quia uero mulieri genuinum eſt, rarenter benefacere, ac ſi quid fortè dignum laude prompſerit, inceſſanter id ipſum repetere, ac nulla non hora ingerere, conformatam inde adagij ſpeciem, Euſtathius ſcribit, σαυτῷ ἐπαινεῖς, ὥσπερ ἀσυδάμας, γύναι. teipſam laudas, perinde ac Aſtydamas, mulier. Tanquam effœminatius hic indecentiusq; πρὸς αὐτὸν λογεῖν conſueſſet, id eſt de ſe dicere. Denicq; cecinit Heſiodus, & eſt à Pauſania repetitũ, muliebris ſexus primam comparuiſſe Pandoram. Illud Hieronymi non præteriſſe, fuerit pretium operæ: Fuge, inquit, laſciuiam puellarum, quę ornant capita, crines à fronte demittunt, cutẽ poliunt, utuntur pigmentis, ſoccos habent criſpantes, ut ſub nomine uirginali uendibilius pereant. Criſpantes intellige rugis inſignes, quos artificum excogitant ingenia, quoniam fœmineum genus φιλοκοσμον eſt. Quanquam laſciuos item & comptulos, ut nunc eſt, iuuenculos animaduertimus, bonumq;, ſi non ſtibiatos quoq; ac berenicatos.

Ad meretriculæ nutum ſuccenſam ab Alexandro Perſepolin. De Phryne nonnulla. Et cur dicta in maxillis lecythum ferre, contra Sudæ ſentẽtiam. Item cur diceretur Seſtus. De lecytho pluſcula, & lecythio, & lecythophoro. Saperdion, & Clauſigelon nuncupatas Phrynes duas. Repetita & fœminarum ſugillatio. Atreti mulieres, quæ. Caput XV

SEd nec tempero mihi, quin huic potiſſimũ parti appingã, quod ex hiſtoria ſuggeritur appoſitiſſime. Id quamuis nonnulla infamiæ nota, bonumq;, ſi non & maxima, Alexandrũ Macedonẽ conſperſurũ eſt, tamen æquè prodendũ nobis ac ueteribus eſt proditũ. Quando princeps is, ac regũ ampliſſimus indolem animi propè cæleſtem, qua regum antiquorũ maieſtatẽ longe poſt ſe reliquit: illam prætcrea in periculis ſubeundis incomparabilem propè mentis erectæ magnitudinem: in rerum tantarum mole celeritatẽ quodam igne uolucrem: in cæteris item fidei ſanctitatem, clementiam, & (ut omnia uno complectar uerbo) regiam uirtutem, lumenq; micantiſſimum fœdiſſimè uini appetentia non ferenda concuſſit, inquinauit, ac adobruit, etiam ſi non me fallit, Arrianum oratoriè iſta tueri adortum. Verum, quod dicitur, αὐτὸς αὐτὸν αὐλεῖ: ipſe ſemet concinit aperitq;. Siquidem quum Perſepolin regiam nobiliſſimã totius Orientis Perſarum regum cepiſſet, à qua prius innumeræ gentes iura petierant, quæq; tot ac tantorum principum fuiſſet patria, ac præſignis Græcæ gentis terror, & quæ decem millium nauium claſſem commoliri eualuiſſet, exercitus tantos cogere, ut ijs uice maris uaſtiſſimi irruentis uniuerſa coobrueretur Europa, quibusq; rerum naturæ facies mutaretur, actis in planum montibus aut perfoſſis, conſtrato etiamnum mari cõtinentis modo, & mores quadamtenus pati coacto: ad unius meretriculæ, & eius quidem temulentæ, nutum, temulentus ipſe ſuccendere ſuſtinuit, ut momẽto deflagraret opulentiſſima urbs, tanta uaſtitate, ut eius ne extaturum quidem ueſtigium fuerit, ni Araxis fluenta præmonſtrarent: conuicinia mœnibus

mœnibus is alluerat. Thais ea fuit, quæ mero feruidum Alexandrum ſic adorta narratur, ut illum diceret maximam apud Græcos initurum gratiam, ſi Perſarum regia conflagraſſet: nec maius quicquam eſſe in uotis apud eos, quorum urbes, graſſantibus Barbaris, æquatæ ſolo fuerant. Mirum profecto fuit, non puduiſſe tantis rebus geſtis clariſſimum regem, ſcorto, quod etiamnum incaluiſſet mero, de tanti moliminis opere dictante ſententiam, omnium primum regiæ ſubijcere faces, illa interim præfatum, Quinimus ultum Græciam, & urbi faces ſubdimus? Poſtea Phrynen miramur, non Hyperidis actione, quanquam admirabili, ſed conſpectu corporis, quod illa ſpecioſiſſimũ alio qui, deducta nudauerat tunica, periculo liberatã: interpoſito mox decreto, ne quis miſericordiæ captandæ gratia epilogis uteretur. Hęc uero eſt, de qua ita Propertius canit.

Nec quæ deletas potuit componere Thebas
Phryne, tam multis facta beata uiris.

Eius ſtatuam fuiſſe apud Delphos aureã, ſcribit Libanius. Commeminit in præceptis ſanitatis etiam Plutarchus, eam dicere ſolitam prodens, ubi iam conſenuiſſet, ac flaccida toto foret corpore, τῶν τρύγα πλέον ἢ πωλεῖν ἀξίαν τῶν ὄψεων, id eſt pluris fecem uendere ex opinione, quam de ipſa concepiſſent homines. Hanc deniq; dixere Græci, lecythum habere in malis: quod exponens Sudas, uelut in ſinu planè ſeruans Græcorum omnia, ad faciei retulit tumorem: credo, quia ſit lecythus protuberans uas: etiam ſi de corporis habitu, hoc eſt à paruitate, Olpim piſcatorem nuncupatum, coniectant Græcorum nonnulli: quoniam olpe, lecythum indicet. Ego ad formæ elegantiam referendum contenderim. Vt illam intelligamus naturali ſpecie præſignem, accerſitã commendationem, & peregrinas haud magnopere nugas conquiſiuiſſe: quando lecythum Plinij Cæcilij teſtimonio, & M. Tullij in epiſtolis ad Atticũ, pro orationis etiam ſplendore, ac excuſſa in ſcribendo cura nouimus accipi: erat enim oleo dicatũ uas lecythus, ſed & unguentis quoq;. Vnde & Lecythophorus puer Polluci. uerum & trochaicũ dimetrum catalecticum, quod Euripidion dicunt, etiam Lecythium uocatur: uel ex Ariſtophanis ſcommate, uel trochaici bombi ratione: quem exhibet Lecythiũ quoq;. Tragœdiam Callimachus μᾶσαν appellauit ληκύθιον. Fuit ad Toronem quoq; phrurion, id eſt munimentum, quod lecythum appellat Thucydides hiſtoria quarta, id eſt τῶν λήκυθον. Lecython uas, ſunt qui lenticulam dici arbitrentur Latinè. Id quod ab eruditis toto conuellitur pede. θέσεις ληκυθίζειν eſt Græcis, poſitiones lucubrare. Memorabile eſt, pictura nobiliſſimũ Apellem Veneris typum, quam anadyomenen uocant, à Phrynes inſigni pulchritudine mutuatum, quum ea in Eleuſiniorũ panagyri, ſpectante uniuerſa Græcia, ſpecioſiſſimum nudaſſet corpus, quod alias ferè nunquam feciſſe memoratur, ac ſoluta coma deſcendiſſet in mare. Cæterum ex eodem, ut ſic dixerim, archetypo Praxiteles quoq; Cnidiam dicitur Venerẽ cõformaſſe. Scribit Apollodorus Phrynes fuiſſe duas: alteram quarum Clauſigelota cognominarint: alterã uero Saperdion. Clauſigelos uerbum apud Xenophontem eſt libro Rerum Græcarum ſeptimo, πάντας δὲ οὐ παρόντας τότε γε ἦν κλαυσίγελως ἔχων, id eſt præſentes autem uniuerſos tunc ſanè ſonantior habebat riſus. Herodicus celebratam Rhetoribus Phrynen σησύν, id eſt Seſtum uocitatam, tradit, quòd attaminaret deſpoliaretq; adeuntes, σήθειν attaminare eſt. Quum auarior quiſpiam ſubblandiens diceret, Aphrodiſium Praxitelis es: At tu, inquit Phryne, amor Phidiæ. Demum libet lucubrationi huic, quam uidemur, ducente ſtilo, in fœminas declinaſſe, quas tamen alibi ſummis concelebrare laudibus non expauimus, inſerere breue quiddam ex Græcorum ſanctarijs, non bonas lacerando, ſed à malo malas deterrendo,

Θησαυρὸς δὴ τῶν κακῶν κακὴ γυνή.
Θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα κακὴ γυνή.
Θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνή, τρία κακά.

Theſaurus eſt malorum mulier mala.
Ferís omnibus immitior mulier mala.
Mare, ignis, mulier, mala tria.

ἀτρήτους Græci τὰ γυναικεῖα μόρια, mulieres dicunt, quibus concreta ſint genitalia uel morbo uel natura.

Quid

Quid ſit, more candidatorum Cæſaris quippiam attingere. De candidatorum habitu. Expurgatur à uitio Plutarchi tralatum problema. Quid chiton, & quid peplus. Candidatum uariè accipi apud eruditos. De candida item Tyronum toga. Et quid coitio. T. Liuij locus emaculatur. Tyrocinia indicere quid ſit.

Caput XVI

INter cæteras ſedes, è quibus ridiculorum ratio promitur, eſſe quoq; amphiboliam, neminem latere puto, ex ijs præſertim, qui literas paulo literatiores attentarint. Ea uero eſſe in primis acuta, ac ut belle & literate dicta, laudari, tradit M. Tullius libro De oratore ſecundo. De ijs & Fabius libro ſexto: Iungitur amphibologiæ (inquit) ſimilitudo, ut L. Galba, qui pilam negligenter petẽti, Sic (inquit) petis, tanquam Cæſaris candidatus. Nam illud petis, ambiguum eſt, ſecuritas ſimilis. Hinc aptiſſimè cõmonemur: candidatum Cæſaris recte dici per adagionis formam de quocunq; ſopite admodum & per ſummam fiduciam ac ſecuritatem animi negotium aliquod obeunte. Quod quem candidatum Cæſares cõfouendum ſuſcepiſſent, is prorſus tanto præfultus tibicine, oppilatusq;, ſupinè ac omnino negligẽter prehenſaret homines, rem ſibi factam, animo concipiens. Imperatores uero hoc inſueuiſſe nonnunquam efficere, docet in Auguſto Tranquillus: Quoties (inquit) magiſtratuum comitijs intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circuibat ſupplicabatq; more ſolenni. Porrò dicebantur candidati, quòd magiſtratum petituri in toga candida id agerent. Nam & in ſenatu orationem Cicero dixit in toga candida, in conſulatus uidelicet petitione. Et T. Liuius libro ab Vrbe condita quarto: Placet, inquit, tollendæ ambitionis cauſa, tribunos legem promulgare, ne cui album ueſtimentum addere petitionis cauſa liceret. Plutarchi problema de hac ipſa re in hunc modum Latij iure donatum extat. Cur, inquit, candidatos moris erat in ueſte hoc facere ſine toga? Sic enim ſcribit Cato: An fortè ne ciues largiendo corrumpant, argentũ ſinu ferentes? An illud magis, quod imperio dignos non genere, non diuitijs, non gloria, ſed uulneribus ac cicatricibus iudicabant, quæ quidem ut ab ijs quos ambeundo prehenſabant, conſpicerentur, ſine toga ad petendum deſcendebant. An quemadmodum in accipiendo, rogando, ſe omnibus ſummittendo: ſic corpus nudando, ac ſeipſos abijciendo populum captabant? Hactenus Plutarchus. Id modò mirum, in quo ſummonitos legentes uolumus, ex tralatione Plutarchum ſcribere, ſine toga deſcendere candidatos ad petendum cõſueuiſſe. At in Græcis codicibus enotatum inuenias, ἐθῶ ὧι γὼ ἱματίῳ ὧδε ποιεῖν ἀχίτωνας: Quod noſtris uerbis non ferè aliud ſonat, quàm moris erat hoc in ueſte obire abſque tunica. quod ſenſui auctoris congruit magis. An à tralationis ſcopo aberrarit interpres in re minutula, non diſcutio nunc, fortè mendum fuerit exemplarium: niſi quòd in Catonis iunioris uita idem bis admiſſum, ſubnotauimus. Ne quis uero ſuſpicetur, pro toga recte dici chitona: ſcribit Sudas, eſſe ueſtem prætenuem chitona, ſiue hypocamiſon. Exponunt alij, eſſe ſimplex, ac tenue indumentum ex lino, addita etiamnum etymologia, παρὰ τὸ χεῖσθαι τοῖς σώμασι. quòd infundatur corporibus inijciaturq;. Vnde apud Homerum, μαλακὸν δ' ἐνέδυνε χιτῶνα, id eſt mollem autem induit tunicam, quæ omnia diligenter adnotauit Euſtathius in Iliados primum. Et ad Fabiolam Hieronymus, ſecunda ex lino tunica eſt ποδήρης, quam Ioſephus byſſinam uocat, appellaturq; Chetonet, id eſt χιτών, quod Hebræo ſermone in lineam uertitur, hæc adhæret corpori, & ſic arcta eſt, ut nulla uiſatur ruga. Quanquam & nomenclatura eadem ſignificatur thorax. Ex quo & apud poetam eundem Achæos chalcochitonas eleganter nouimus appellari, tanquam dicas æneis, id eſt ferreis præmunitos tunicis. Aſtruunt porrò chitona à peplo diſtingui, quoniam ſit proprie mulierum peplus, uirorum autem chiton: ſicuti idem ſcribit Euſtathius, unde & βαθύπεπλοι & καλλίπεπλοι nuncupantur mulieres frequenti epitheto, & crocopeplos aurora. In Hippolyto tamen Euripides etiam in uiris peplum intelligit, & ubi melampeplum inducit Tyndarum, & peplis Oreſtem obtectum ſcribit. Id ipſum & apud Sophoclem obſeruatum: ſed non recte dici ſcribit interpres. Verũ nec ex lino tantũ ueteribus concinnabatur chiton, ſed ex lana quoq;. Chytlon uero apud Homerum ferè luſtratio intelligitur. Alijs autem chytlon, eſt hydreleon, id eſt promixtum aqua oleum. Cęterum, ne foris (quod dicitur) nimis interim uidear

uidear ſapere, noſtris manticæ inſertis, quæ in tergo eſt, à diuerticulo fabulam repeto. Quare ſciendum, à campi conſuetudine hac inoleuiſſe, ut qui rem quampiam toto aſſe ctet pede, ac omnibus (ut aiunt) cuneis, eius item rei illum eleganter candidatum dica mus. Quintilianus libro duodecimo: Maius enim opus atq; præſtantius, ad quod ipſe tendit, cuiusq; eſt uelut candidatus. Hieronymus etiam catechuminum fidei candidatum dixit. Sed & ad Pammachium, Munerarius, inquit, pauperum & egentium candidatus ſic feſtinat ad cælum. Candidatus gloriæ, ac immortalitatis in Plinij Panegyrico. Libertum porrò Icelum ſcribit in Galba Tranquillus fuiſſe ſummum equeſtris gradus candidatum. Et Seneca hominem dicit multarum rerum candidatum. Et quidem recte: nam & fortunæ nuncupantur comitia apud eundem, cuius etiam pluſcula appoſui uerba, tum ob grauitatem ſententiæ, tum ob doctrinam. Hoc eſt, inquit, mi Lucili egregium, nihil petere, ac tota fortunæ comitia tranſire. Quàm putas eſſe iucundum, tribubus uocatis, quum candidati pendeant, & alius nummos pronuntiet, alius per ſequeſtrem agat, alius eorum manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt, ſtare otioſum & ſpectare illas nundinas, nec ementẽ quicquam, nec uendentem. Ad hoſce ſuffragiorum mores obiter ſpectat & Auſonij illud ad Gratianum, Nihil cum ſequeſtre depoſui, cum diſtributore nihil pepigi. Porrò legimus extra candidatos Cæſaris etiam quoſdam qui dicerentur candidati principis. De his Vlpianus primo Digeſtorum de officio quæſtoris, ita ſcribit, Sanè non omnes quæſtores prouincias ſortiebãtur. Verum excepti erant candidati principis, hi etenim ſolis libris principalibus & epiſtolis in ſenatu legendis uacabant. Quoniã uero, ut in Magia Apuleius ſcribit, eruditiſſimi iuuenes laudis gratia primum hoc forenſis operæ rudimentum ſubibant, ut aliquo inſigni indicio ciuibus ſuis noſcerentur, qui mos incipientibus adoleſcentulis ad illuſtrandum ingenij florem apud antiquos fuerat conceſſus: togam item candidam, qui hoc facerent, tyrones induebantur ipſo tyrocinij die: ſic enim appellabant, quum eloquentiam auſpicarentur in foro. Eam togam Cicero puram uocauit: ſcribit enim ad Atticum, in tyrocinio filij Ciceronis togam illi puram dediſſe Arpini. Eodem modo & Hiſtoriæ naturalis octauo Plinius: Tanaquil, inquit, prima texuit rectam tunicam, qua ſimul cum toga pura tyrones induuntur, nouæq; nuptæ. In quo tamen loco ſunt, qui aſtruant, tyrones indui ea ſolitas, quum ſacramento militiæ obſtringerentur. Nam & Vegetius Rei militaris primo, Candidatos intelligit milites principales, qui priuilegijs muniuntur. Reliqui, inquit, munifices appellantur, quia propter munera facere militiam cogantur. De toga tyronum candida intellexiſſe poetam ſatyricum, placet eruditioribus,

Quum blandi comites, totaq; impune ſuburra
Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus umbo.

Dicitur uero umbo, quoniam Gabino habitu recurrens ad humerum ſiniſtrum ueſtis umbonis uicem repræſentat. Nam & Apuleius, ſub dextrum latus ad humerũ læuum recurriſſe, umbonis uice deiectam laciniæ partẽ, ſcribit. Indicere autem tyrocinia quid ſit, ex Ammiani Marcellini liquere uerbis poteſt: Pari, inquit, ſtudio ſupplementa legionibus ſcripta ſunt, indictis per prouincias tyrocinijs, omnisq; ordo & profeſſio uexabatur. Sed enim prius quàm inde reuellamur, rectiſſimum erit in hac candidatorum mentione T. Liuij locum ex libro ab Vrbe condita tertio, reſtituiſſe in integrum fœdè per incuriam interpolatum. Ita enim in decemuirorũ mentione ſcriptum inuenias: deiectis honore per concionẽ duobus Quintijs, Capitolino & Cincinnato. lego per coitionem: idq; M. Tullij ex epiſtolis ad Q. fratrem auctoritate conſtipatus. Quod ſcribis, te audiſſe in candidatorũ conſulariũ coitione me interfuiſſe, falſum eſt: eiuſmodi enim pactiones in ea coitione factæ ſunt, quas poſtea Memmius patefecit, ut nemo bonus intereſſe debuerit. Et ſimul mihi cõmittendum non fuit, ut his coitionibus intereſſem, quibus Meſſãla excluderetur. Alibi quoq; idem Cicero Memmij coitionẽ uocat. Erat autem coitio, conſpiratio ſeu fœderatio, quæ inter candidatos plerunq; fiebat, quod ſignificat in Oratione pro Plantio idem Marcus Tullius: Dubitatis, inquit, quin coitio facta ſit, quum tribus pleraſq; cum Plotio tulerit Plantius? Nam & coire ſocietatem in Oratione pro Quintio eleganter dicitur: Sociũ tibi in huius bonis edidiſti Quintium,

plura

plura non dico: cum eo tu uoluntariam societatem coibas, qui te in hæreditaria societate fraudarat. Titus quoq; Liuius ab Vrbe condita libro nono, coitiones dicit honorum adipiscendorum gratia factas.

De Roscij histrionis excellentia, & prouerbio inde nato. Caput XVII

ROscium esse in scena, scitissimum adagium est in eum, qui undecunque sit in sua perfectus arte, nec admodum impolitiæ compertus: ductum id à Roscio histrione, quem ob summam artificij peritiam Cicero delicias suas dictitare solebat. Quin & Pompeius Festus Roscios prodit in omnibus perfectos dici, quòd Roscius sit unus in arte comœdica perfectus iudicatus. Et Cicero in Bruto: Volo id oratori, inquit, cõtingat: ut quum dicturus surgat, significetur à corona silentium, deinde crebræ assensiones, multæ admirationes: risus, quum uelit: quum uelit, fletus: ut qui hæc procul uideat, etiam si quid agatur, nesciat: at placere tamen, & in scena esse Roscium intelligat. Sed & De oratore libro secundo: Quanquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante Roscio. Quis enim se commouere potest, cuius ille uitia non aduertat? Et hæc quidem fuerit histrionis celeberrimi omnium, quos norimus, in agendo gloria. Quid laus illa præclara ex animi producta uirtutibus? Nónne, inquit clarissimus orator, ut ignis in aquã coniectus continuò restinguitur & refrigeratur, sic referuens falsum crimen in purissimam & castissimam uitam collatum statim cõcidit & extinguitur? Roscius socios fraudauit, potest hoc homini huic hærere peccatum? Qui mediusfidius, audacter dico, plus fidei, quàm artis: plus ueritatis, quàm disciplinæ possidet in se. Quem populus Romanus meliorẽ uirum, quàm histrionem esse arbitratur. Qui ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam. Proinde quod scenicus foret, non contemptibilior uideri debet: neq; enim, ut in Cœnis quoq; Macrobius comprobauit, histriones inter turpes tunc habebantur: quamuis ex Aristotele secus in Noctibus Atticis Gellius senserit. Illud uero indicio est, quod L. Syllæ adeo charus hic fuit Roscius, ut annulo aureo ab eodem dictatore donaretur. Tanta præterea fuit tum gratia, tum gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus acceperit. An non & M. Tullius elegantissima oratione populum Romanum obiurgauit, quod Roscio gestum agente, tumultuarit? Quin id constat certissimè, oratorẽ eminentissimum contendere cum ipso histrione solitum, utrum ille sepius eandem sententiam gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronuntiaret. Quæ res illuc Roscium prouexit, ut librum conscriberet, quo eloquentiam cum histrionia compararet. Denicq; Cicero idem in Oratione pro P. Quintio, Roscij præstantiæ locupletissimum testimonium reddidit, quum ait, Videri ore durissimo, qui præsente eo gestum agere conaretur. Qui uero cum ipso contenderent, eos etiam si quid antea recti aut uenusti habere uisi sunt, id amittere. Meminit huius & Fabius quum alibi, tum libro undecimo: Roscius (inquit) citatior, Aesopus grauior fuit, quòd ille comœdias, hic tragœdias egit. Dicere solebat Roscius discipulum, quem quidem probaret, reperire potuisse neminem, non quo non essent quidam probabiles, sed quia si aliquid modò esset uitij, id ferre ipse non posset. Item caput esse artis decere, quod tamẽ unum id esse, quod tradi arte non possit. Nicostrato denicq; comœdiarum actori sic applausit Græca natio, uti Roscio Romani. Fuit uero hic Roscius Gallus oculis obuersis, nec satis decorus: primus uti personis cœpit, quum antea galeris uterentur uel albis uel nigris aut ruffis, ut coloris qualitas ætatis faceret indicium.

Pepli notio multiplex. Mustelinus color. Item de Pallade allegoricè, curq; Stratia dicatur & Glaucopis, bis: item Athena & Hippia & Nica. Hippiæ mensuræ ac Phidoniæ cur. Damæus Neptunus. Hippium philtrum. Cratæpus taurus. Laphria Minerua cur, & Agelia, ac Pylætis: item Budæa, & Boarmia. Hygia. Nicephorius Iupiter. Peplographia in epistolis ad Atticum, quæ intelligi debeat. Nebridopeplus Bacchus. Doris uestis quæ. Plynteria festa. Athenogeron.

Caput XVIII

Quoniam

QVoniam paulo ante peplí mentionem fecimus, ſed breuiter admodum ac conciſe, ut omnibus plane ſatisfaciamus, qui amplius ſibi uocabuli eius notiones expetẽt enarrari, adnectemus porro, quæ indagatione uaria ſunt deprehenſa nobis. Igitur Lactantius grammaticus, ſiue is ſit Luctatius, uti non nullis placere animaduerto, auctor eſt, Peplum dici ueſtem candore eximio, aureis diſtinctam clauis, ſine manicis, quam ueſtitores deorum ſimulacris inijciebant. Peplum uero primum inſtituere Athenienſes, texebatur matronarũ manibus, intracꝙ quadrienium numinibus offerebatur, ſed Mineruæ in primis. Quod Homerus item ſignificat. Et Seruius grammaticus peplum finit eſſe pallam fœmineam, Mineruæ conſecratam. Quòd ſi uera ſunt, quæ Lactantius ſcribit, rectiſſime prorſum ueſtis ea Mineruæ dicabatur, quando candor diuinæ bonitatis ſimplicitatem exuberantiamꝙ præmonſtrat. Auri internitentis ſplendor ſummæ atꝙ intimæ illius ſapientiæ uim fulgurantem tacitis uidetur ambagibus ſignare, ijs præcipue qui Platonicæ theologiæ arcana non illotis (quod aiunt) pedibus adiere. Nam ut in ſacrarijs illis Neptunus prouidentiam naturalem, ita Pallas prouidentiam ſignificat intellectualem, unde & Græce dici ἀθήνη uidetur, quaſi athrena de præuidendi poteſtate: quamuis mythici ſic dictam putent, quòd de Iouis capite proſiluerit integræ puella ætatis, nec ubera ſugere fuerit neceſſe, quod θηλάζειν dicunt Græci, & ſcribit Euſtathius. Virgo creditur, inquit Ponticus Heraclitus, quia ἄφθονον ἀεὶ τὸ φρόνημα, id eſt nunquam conſeneſcit prudentia, nec ulla inficitur labe. Prudentiæ uero adnexam pœnitentiam Palladis nomine intelligi propriè apud Homerum Iliados primo, idem opinatur, quæ Achillis furorem ſalubriter inhibuerit. Ideo ita cani,

Σῆ δ' ὀπιθῳ, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε παλλάδα.

Animæ ſiquidem principale apud Homerum in capite eſt conſtitutum. Quo argumento, ſicuti poſtea Platoni quoꝙ eſt uiſum, pro homine toto quãdoꝙ ponitur caput: uelut quum ait,

Τοίλιν γὰρ κεφαλὴν ἕνεκ' αὖτ' ἐῶν γαῖαν ἔβαπτε.

Quia uero rei militaris præſes credebatur dea, dicitur item Stratia, uelut à Caribus ſolis cultum quandoque Iouem Stratium, Herodoto credimus. Qui (opinor) & ἄρειος dicitur, id eſt Martius. Cui Epirotarum reges peracta re diuina in Paſſarone Theſprotidis, Epirotis iureiurando affirmabant, ex legibus regnum adminiſtraturos. Illi uero, id legitime conſeruaturos. Ophthalmitidos Mineruæ tẽplum ſtruxit Lycurgus, excuſſo ei oculo ab Alcandro, ut ſcribit Pauſanias. Porro hanc ipſam Pallada deſcribunt Platonici, diuinitatem potenter ſimul atque ſapienter tum cæleſtia exornantem, tum quæ ſub cælo fiunt, ædificantem, inter aſtra præcipue arieti præſidentem & æquinoctialis circuli ducem, ubi potiſsimum uigere putant motricem uniuerſi uirtutem. Arbitratur Homericus interpres, peplum concinna, proindéque grata diſtinctum uarietate, multiformem prudentiæ rationem indicare. Propterea tantæ compos Vlyſſes uirtutis πολύμητις quandoque dicitur, nunc etiam πολυμήχανος & multiplicis doli ſciens. Quod autem ipſam ſibi Pallada concinnaſſe peplum, fabuloſitas aſtruit poetica: id uero indicare intuenti acrius τὸ τῆς φρονήσεως αὐταρκὲς, id eſt ipſam ſibi prudentiam ſufficere. Auctor allegoriarum in Heſiodum iure dici tradit, ex Iouis uertice enatam eſſe Palladam: quoniam, inquit, ab experientia ſe ſe promit prudentia: illa uero ex ſenſibus, qui in capitis ambitu conuiſuntur. Et paulo poſt idem: Pallada, inquit, Glaucopin uocant, διὰ τὸ λαμπρὸν καὶ περίβλεπτον τῆς ἀρετῆς: quòd illuſtris uirtus ſit, atꝙ conſpicua. At Phurnutus ad deæ ἐπωνυμίαν refert καὶ γοργωπόν. quando & animalium fortitudine in primis inſignia, uti pardalis & leo, glauca uiſuntur, δύσεμπερίβλεπτον διὰ βάπτε ἀπὸ τῶν ὁμμάτων: aut quia pure rectecꝙ res dijudicet: ſicut ediuerſo ab uiſu obſcuriore iam uocant γλαυκώπιδα. Illud operæ leuioris: quod tamen non prętereundum cenſuit Euſtathius: Perinam AEgypti mulierem quampiam ſedentem texere adortam, unde (inquit) Pallados ſedentis ſtatuam commenti ſunt. Glaucopin putat idem, ſicut & Phurnutus, non tam quia glaucos haberet oculos appellatã, quàm de formidoloſo aſpectu: quoniam & glauci dicantur leones regij, id eſt βασιλικοί: & poetarum quidam dracones uocet glaucopas. Proditum uero memoriæ à Pauſania eſt, fuiſſe Athenis Pallados

ſtatuam glaucis oculis, ex Lybica (ut ipſe interpretatur) fabella. Illis ſiquidem perſuaſiſſimum eſſe, ex Neptuno & palude Tritonide natam deam, atq; eo argumento glaucos illi oculos contribui, uelut etiam Neptuno. Dicta eſt, inquit Pauſanias, Minerua ὑγίεια, item Ergane apud Aelianum, id eſt ἐργάνη, quod cognomen Athenienſes excogitarunt primi, Pauſania teſte, ſicuti ἀκώλους ἐχμᾶς. In Acropoli ænea uiſebatur ſtatua Pallados ὑγιάας, ab Pericle poſita, quod illi per quietem præmonſtraſſet dea rationem, qua perſanaretur artifex tantum non cōclamatus, quod in propylæorum ſubſtructione ad imum foret dilapſus. Ab acropoli uero prorſum arcebantur canes, ob coeundi in propatulo impudentē animalis naturam, tanto deteſtabiliore Demetrij facto, qui in Parthenone meretricibus non abſtinuit. Hippiam legimus Mineruam apud Iſæum, id eſt equeſtrem, quòd currum inſtruxerit prima. Eam uerò Mnaſeas Neptuni filiam prodidit, ac Polyphes Oceano genitæ. Hippia uerò entea in Pindaro, uaſa intelligunt Phidonia, ſeu menſuras, quas Corinthi comperiſſe primum Phidonem tradunt. Hippia autem dici, quoniam Argos, unde fuit Phidon, nuncupetur Hippion: unde eſt Euripidion illud, ὅταν εἰς ἑλαΐαν, ἵππιον τ' ἀργὸν μόλῃς.

Hippion Neptunum etiam Damęum appellari legimus, ab equorum (uti arbitrantur) domitione. Apud Pindarum facetiore metaphora frenum equi, hippium nuncupari phiſtrum, obſeruauimus: qui & Neptuno taurum immolādum cratæpoda uocauit, qui ſuus fuit Delphorum mos. Inueni qui Mineruam dicant Laphriam, uelut Laphyriam, quæ in bello ſpolia ducat, quæ uocant laphyra, ſicuti agelia dicitur, tanquam ἄγουσα λάαν, id eſt prædam abducens. Symbolicè autem pylætis nuncupatur eadem, quando in portis ciuitatum expingi conſuerat, & domuū ianuis, uelut in ſuburbijs Mars, quoniam in ciuitate ac domibus prudentia eſt opus, foris uerò in defendendis hoſtibus Martio animi robore. Iam illa operæ leuioris, Pallada cognominari Budæam, id eſt βοῦδαιαν, quia humana excogitatum prudentia eſt, boum opera terram colere, ſed & nauigare mergi quadam imagine: propterea eadem uocatur Aethyia. Ex agricolationis ratione colitur eadem à Bœotijs Boarmiæ nomenclatura de boum ad aratrum coaptatione. Colebatur Athenis item Mineruæ νίκης ſimulachrum ἄπτερον, id eſt ſine alis, habens in dextra malum punicum, in ſiniſtra galeam: quod in primo De acropoli Heliodorus ſcribit. Nicephorius autē Iupiter eſt nuncupatus de Meſopotamiæ urbe Nicephorio. Ex huius reſponſo imperium mox futurum concepiſſe Adrianum, auctor AElius eſt Spartianus. Sed de myſtico Pallados ſenſu alias forte commodius. Interim peplum pro curruum periſtromate recte poni, Homerum habemus auctorem,

ἅλλά που ἐν μεγάροισι λυκάονι ἔνδεκα δίφροι
Καλοὶ, πρωτοπαγεῖς, νεοτύχεες. ἀμφὶ δὲ πέπλοι
Πέπτανται.

Sed & alibi Homerus idem pepli nomine inſtrata συνδυασμὸν equorum intelligi uoluit aut curruum ad puluerem prohibendum. Nam Pandarus currus ſuos peplis decoros fuiſſe refert. Sed & Troadas uocat ἑλκεσιπέπλους Iliados ſexto, Αἰδέομαι βῶμας καὶ βωαδίας ἑλκεσιπέπλους.

Donatus auctor eſt, peplum eſſe ueſtem ad ſacrorum ritum pertinentem: quamuis, inquit, alij eſſe dicant ſcutum modicum. Dicitur tam maſculino q̄ neutro genere, quod Laurentium negaſſe, miror. Plautus:

Nunquam ad ciuitatem uenio, niſi quum infertur peplum.

Illud grauius: peplum item dici uelum Panathenaicæ nauis, quam quarto quoq; anno honori Pallados inſtruebant, ducta item pompa à Ceramico ad Eleuſinium: quod ſcribit Ariſtophanis interpres. Vocant autem peplum, inquit, διὰ τὸ ἀραιοῦν εἶναι: hoc eſt, quia ſit prætenuis. In eo quoq; Enceladus gigantum unus, à Pallade necatus, intexebatur, & annis ſingulis (ut quidam ſcribunt) in Panathenæorum pompa ferebatur. Plato in Euthyphrone: In magnis Panathenæis peplum pictum in arce ſuſpendi ſolitum ſcribit. In Apuleio autem, muſtelatos legimus peplos, de muſtelini coloris ſimilitudine, qui ſubluidus eſt ac lentiginoſus, cuiuſmodi in ueſtibus comparet cruore commaculatis. Sed & nos eius coloris ſericum, ut uulgò iam loquimur, raſum diſtrahi paſſim ſcimus. Theocriti interpres in Syracuſis περονατρίδα, τὸ περίζωμα interpretatur, id eſt peronatrida eſſe peplum ac indumentum, quod primo ſuccingerent: nam & inde nuncupari

cupari παρὰ τὸ περονᾶσθαι, ab infibulatione. Sunt auctores, ex uictoria quadam ab Athenienſibus inſtitutum peplum: inq́ eo, qui fortiter feciſſent, expingi conſueſſe. Cuius rei non oratoribus modò mentio eſt, ſed & comicis: quod prodidit Iſæus, repetit Harpocratio. Euripides in Hecuba, ἃ παλάθῳ ἐν πόλει τὰς καλλιδίφρου ἀθαναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ ζεύξομαι ἅρματι πώλους. Ad hoc fortè pertinet ænigmaticum illud ad Atticum in epiſtolis: Peplographiam Varronis tibi probari nō moleſtè fero, à quo adhuc ἡρακλείτειον illud non abſtuli. Eſt uerò pepli deſcriptio, ſiue pictura. Auctor tamen Porphyrius eſt, conditum ab Ariſtotele commentarium, cui titulus foret Peplus, in quo ducum exſequebatur genealogias, & nauiū quoq́ numerum ad Troiam profectarum, quin & in ſingulos duces epigrāmata, diſticha plurimum, præter quàm in Aiacem. Eſt item peplos frutex Dioſcoridi, libro quarto: ſicuti etiam peplis, quam Hippocrates peplion uocauit. Pepli etiam Plinio mentio eſt libro uigeſimoſeptimo. In primo Epigrammatum inuenio Bacchum appellari Νεβριδόπεπλον. Carmen, ſi quis fortè requirat, ſubſcripſi.

Νυκτέλιον, νόμιον, νεβρώδεα, νεβριδόπεπλον.

Peplis fibulam addere in pectoris ſummo, Doricum creditur inuentum, proinde muliebrem ueſtem Dorida nuncupat Herodotus, quæ fibula partem alioqui hiantē ſubnecteret: eiuſmodi nanq́ ueterum mulierum geſtamen erat. In Caria tamen linea frequentior fuit tunica. Et quoniam de Pallade uenati pleraq́ ſumus, illa obiter attigiſſe, nil (puto) obfuerit: in Acropoli, quę olim diceretur Polis, ſimulacrum fuiſſe Minerue, quod cælo delapſum, fama tenet, ut tradit Pauſanias: propēdebat lychnus aureus, Callimachi opus. Eum ubi oleo impleſſent, eundem anno circūacto diem obſeruabāt: nec interim deficiebat oleum, etiā ſi interdiu noctuq́ colluceret lychnus: lino carpaſio conſtabat ellychnium, ſeu θρυαλίς. In id enim ignibus nullum omnino ius. Nec illud relatu indignū: Athenis feſta celebrari conſueſſe plynteria, ut prodit primo Rerum Grę carum Xenophon, & nos alibi: in quibus Pallados ſimulacrum obuelabatur, nec ſerię rei quippiam attingere aliquis audebat. Porrò quia Athena Mineruā indicat, uti monſtrauimus, hinc eleganter ἀθλωγέρων dicitur iam ſenior diſcipulus. Pallada deniq́ tribus infeſtiſsimis oblectari feris, dolens gemēsq́, quum ſolum exiliį cauſa uerteret, infremuit Demoſthenes, noctua, dracone, populo.

Cur tantopere ſenſibus afficiamur, atq́ oculis præcipue. De oculorum uitijs. Qui dicantur Peti. Cur ſpadonibus oblædatur uiſus, & frequenter coeuntibus. Inoculare. Enophthalmiſmus. Regis oculus uel aures. Opteria. Ictus oculi. Atomus. Apoſtrophi oculi, & diaſtrophi. Cap. XIX

Culos eſſe humani corporis partem pretioſiſſimā, ut qui lucis uſu uitam diſtinguāt à morte, rectiſſime à ſummis auctoribus dictum opinor. Sed quum tacito naturæ conſenſu expetant homines ſcientiā: inde etiam affectio quædam ſumma, quod Syneſius approbat in ſenſus omnes exoritur: quos etiam nullo uſu, non poſſumus non plurimum amare, in primis uero uidendi uirtutem. Neq́ enim agendi modo gratia, ſed & acturi omnino nihil, huic ſenſui præcipue afficimur. Cuius ratio eſt, ut primo Metaphyſices Ariſtoteles prodit, ὅτι μᾶλιστα ποιεῖ γνωρίζειν τι ἡμᾶς αὕτη τῶν αἰσθήσεων, καὶ πολλὰς δηλοῖ διαφοράς. hoc eſt, quoniam ut cognoſcamus aliquid, ex omnibus maxime uidendi ſenſus efficit, pluresq́ rerum ingerit differentias. Verum enimuero uni tantum homini deprauari eos, à magnis item traditum uiris eſt, inde quoq́ cognominibus exortis, Strabonū, Lucinorum, quibus parui utrinque oculi. Et Petorum, quibus oculi leniter declinātur, & cum uenuſtate. Vnde etiam Veneri petos attribuunt oculos, quod uitium quidem ſit, ſed non aſpernabile, non inamabile. Nam ita legimus in carmine obſcœno, quiſquis eius auctor credi debet,

Minerua flauo lumine, Venus peto. Horatius quoq́,

Strabonem appellat Petum pater.

Et libro ſeptimo Martianus, Marcidulis peta luminibus. Ipſe laſciuos etiā intelligo, & ignea quadā mobilitate præceleres, ac ueluti uolantes. Quando & Pontanus ita canit,

Cur ó Deianira, cur moraris
Auroram cupidis referre terris?

Cur non lumina,petulosq; ocellos
In lucem exeris?

Vitiantur & alio modo ſpadonibus,fiuntq; hebetiores, ac uidendi acumen, quod uocant Græci ὀξυωπίαν, magna parte perit. Vitiari quidem τοῖς ἀφροδισιαζουσι, id eſt re Venerea utentibus,minus utiq; mirum. De ſpadonibus amplius uidendum. Niſi dicamus,alteris quidem ob libidinem, alteris ob excisionē plus iuſto partes ſuperiores exſiccari: Quod perſpicuum in iis eſt, quorum opus exquiſitius adminiſtratur: humoribus enim deorſum ductis,ſuperiora ſiccari,neceſſe eſt. Id autem concubitu fieri, nimirum patet. Spadonum autem crura intumeſcunt, & alui faciles ſunt, ὡς κάτω μεθισαμένου τοῦ ὑγροῦ, id eſt utpote quum ſe deorſum humoris copia euocet.Profecto in oculis humidum,ſubtile, aqueum neceſſarium eſt,in eo nanq; uiſibiles ſpiritus attenuātur. Et oculus ipſe natura humectus eſt. Nam in libro De ſenſu & ſenſili Ariſtoteles, & quinto De animalium generatione,Oculum ſapere naturam aquæ tradit. Ob quæ coitu frequentiore,aut alia ratione arefactis ſuperioribus,oculi proprium, quod humore uigebat,immutari,neceſſarium eſt.Et ſpiritus ignei,qui & ipſi multi ſunt motus,hebeſcunt,niſi humore foueantur. Areſcit autem cerebrum quoq; libidinis intemperantia, quod ſeminis fermentum inde parte plurima profluat,quod præter Hippocratem in libro De aere & aqua, uti diximus, etiam Auicenna primi uigeſima ſignificat: præciſis enim uenis,quæ poſt aurem ſunt,tolli coitum, ſeminis profluuio impedito. Amplius, quod ad eunuchos attinet.Acumen uiſus fit per ſpiritus uiſibiles,calidos,ſubtiles,lucidos:nam & animalia calida,bene digerentia,uiſu præſtant,ut aquila.Spiritus autem hi calidi uirtute tales efficiuntur. Id uero augeſcit conſeruaturq; per refractionem quæ in teſticulis fit,ex qua totum corpus calefit & irradiatur, ſicuti in maiori mūdo repercuſſis radijs ſolaribus caleſcit uniuerſum & illuminatur. Quamobrem in ſpadonibus ceſſante refractione,abſciſſis teſtibus, non caleſcit corpus, nec ſpiritus ſubtiles ac mobiles generātur.Sed contrarij potius, hinc digeſtione item læſa,caloris inopia, humores generantur terreſtres,aquoſi,nitroſi,ac graues, immoq; ad inferiora procliues,inde fit celebratus in ſpadonibus pedum tumor. Quos Licinius Cæſar cum aulicis eſſe palatij ſorices ac tineas pronunciauit. Hic tamen eſt, qui per inſcitiam literas eſſe dicebat uirus,ac peſtem publicam. Ab oculis porro, qui dicuntur ὀφθαλμοὶ, inclinatur uerbum ὀφθαλμίζειν, quod georgicum eſt uocabulum,inquit Euſtathius,dici Latine ſolet,inoculare.Enophthalmiſmos tamen pro ſpectaculis dici,aduertimus. ὀφθαλμὸς βασιλέως nuncupatur regis explorator. Sed & cui adeſt auctoritatis plurimum ac potentiæ,regis itidem appellatur oculus,cuiuſmodi ſunt,quos ſatrapas nominamus, per quos à rege explorantur omnia,ſicut alios dici ſcimus βασιλέως ὦτα, id eſt aures regis. ὀπήϊα uero id eſt opteria,dona ſunt ſponſæ contributa in anacalypteriis.Quæ quid ſint, alibi fuſim ediſſeremus. Ictum oculi,ſiue motum, Græci ῥοπήν dicunt:unde eſt illud paræmiodes, ἐν ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ, id eſt in momento & oculi ictu uel motu: id & pronuntiant alij ,ἐν ῥιπῇ, id eſt eo momento quo diffiatur pluma, uel quiduis aridi tenuisq;. Dicitur & Græce, ἐν ἀτόμῳ. Quam loquendi figuram municipes mei uſurpant, ſed in atimo dicunt,uerbo per inſcitiam labefactato,quum ſtatim factum ſignificant.Apoſtrophos oculos apud Sophoclem intelligunt retro uerſos, ſicut diaſtrophos in furentibus peruerſos.

De neruis opticis:qui ſunt, quaūe coeant ratione. Cur ſimplex obiectum quandoq; duplum uideatur. Cap. XX

INter alia quibus uidendi conſtat perfectio, ſunt & nerui ab anatomicis dicti, ab eo quod præſtant, optici:hi à cerebro ad oculos producuntur effigie in primis elementi Græci χ, uidenturq; in contactu ſe interſecare ad crucis modum, ſed acrius ſolertiusq; inſpectanti haudquaquam fit. Cæterum à cerebri exorientes lateribus ad eundem pertendūt locum, donec coniuncti ita,ut meatus qui antea duplex uiſitur, unus & communis fiat, mox uero diſcapedinati reſiliunt & diuaricantur, ac qui à dextris cerebri neruus initia ducit, dextrum item oculum petit,Qui uero à læua,itidem oculo inſinuatur læuo. Verum, ne quis riſu forte iſta putet excipienda,ueluti explorate minus prodita, auctor nobis huius doctrinæ Galenus eſt

libro

libro De utilitate particularum decimo. Sed & hæresin eandem consectatur Auicẽna. Quin & rationem hanc se omnium principem eruisse, astruit Galenus. Siquidem à rerum id natura excogitatum sagacissimè, ne sensibile utroq; hausturn oculo uideatur geminari. Quod dubio procul obtingeret, ni (ut inquit Auicẽna) uisibilium simulacra in communi coirent acceptaculo, atq; ita utriusq; oculi unum fieret deferens. Vnde strabonibus euenit, ut geminata putent se intueri omnia, ubi pupillarum altera uel surrigitur altius, uel plus iusto mensu deprimitur, quia pereat tunc meatus rectitudo ad opticorum coitum, accidit q; ut uisibilis rei forma prius quàm illuc pertingat, uelut sufflaminata in obliquitatis angulo subsistat, atque ita per neruum flexuosum transiens non æquè perueniat ad communem locum, ac quod recto fertur incessu. Scribit porrò Auicenna ex opticorum illo congressu profluere & adiumentum alterum, quoniam spiritus uisiuus, altero oculorum oblæso, totus delabitur ad reliquũ, qui inde roboratur mirificè, & ualidior promitur in actum, quod alterum claudentibus oculum manifestum fit. Eo siquidem nomine, qui patet, clarior fit consueto, & in obiecto apprehendendo potentior, ex impetu quoq; uisiui spiritus latiore facto meatu. Nam & si pupillæ alteri contingat uitium, altera patentior fit, ac maior. Cæterum ingeret se fortè quispiam ad id quod astruximus, cur obiectum simplex, uti geminum quandoq; à nobis spectetur: sonum quidem aure utraq; immittere sese, nec tamen unquam audiri duplum. Quod ipsum & in odorãdi ratione proferri potest. Ambiguitati uerò ex doctrina Galeni sic fermè occurri potest. Quod obijciatur, non uideri simile, quippe uisus obiecta per rectam lineã à sensiuo organo percipiũtur, quod in sonis non fit, neq; item in odoribus.

De antistitis Mineruæ barba apud Pedasenses, quæ ingruens malũ præsagiret, Cur fœminis non adnascatur barba. Cretensium mos. Berberi quid. Apotropæi dei. Pallas Oxyderces, & mater. Bardy regio, & fluuius. Minerualium dies. Caput XXXI

IN monumentis ueterum Græcorum legimus, esse super Halicarnassum Pedasenses, apud quos illud mirum solitum contingere, memoriæ proditum sit, ut quoties ipsis aut circumadiacentibus, aliquid aduersi certum intra tempus est euenturum: tunc antistiti, quæ illic Mineruæ est, grandis barba nascatur. quod ab Aristotele repetitum quoq; scio. Sed & Herodotus scribit historia prima, uerum in Græcis modò codicibus, quin & libro octauo relatum obseruauimus. Quam rem bis, uel (ut alij præferunt) ter apud eos accidisse, compertũ est. Meminit ex Herodoto item libro tertiodecimo Strabo, sed ita ut interpres historiam haudquaquam assequutus deliràsse prorsum uideatur. Naturalis autem ratio id planè auersari uidetur, quod Macrobius quoq; scribit. Siquidem caloris inopia esse causa creditur, cur muliebre corpus, ut uiri, pilis nõ obsideatur: calorem enim esse dicunt, qui pilos creet. Quamobrem & eunuchis deesse, quod eorum natura frigidior sit. Porrò in corpore humano illæ potissimum partes obsepiuntur pilis, quibus maior suppetit caloris facultas. Leue autem est mulierum corpus, ueluti innato constipatum frigore, quando algorem comitatur densitas, leuitas densitatem. Quod uerò citius admonentur generationis, naturæ infirmioris est, ut exilia poma celerius mitescunt, robusta serius. Præterea frigiditatis argumentũ euidens illud est, uiros longè diutius in generando perseuerare, quàm in pariendo mulieres. Nam uis eadem in frigidiore corpore extinguitur celerius, in calidiore amplius producitur. Quòd si frigus aeris tolerabilius ferunt, quàm uiri, facit id ingenitum frigus: similibus enim similia gaudent. Proinde minus mirum, muliebrem barbam, ut monstrificam, meticulosi alicuius ingruentis dirum haberi præsagium. Quin & simplex uulgus nostrum adagium sibi parte ista non inscitè neq; ineleganter effinxit, Fœminã barbitio obseptam eminus salutandam esse, usurpans. Medicæ tamen doctrinæ dogma est, ab Aristotele comprobatum, subsistente menstruorum, quæ gynæcea uocant, & καταμηνια, id est catamenia, redundantia, necnon seminis, mulieribus quandoq; barbam contingere. Quod in uiduis castitate præsignibus se uidisse, Auicennæ interpres scriptum reliquit. Sed & Princeps testatum uoluit tertij uigesimaprima, tractatu tertio, capite itẽ uigesimosexto. In hac uerò barbitij mentione illud obiter enotasse (nil puto) obfuerit: inoleuisse patrium quãdoq;

in Creta morem, ut barbam & capillos magiſtratus ſummitterent. Proinde, quum ab Appio proconſule, cum quo in Cretam Sabinus iuerat, in theatro Græci poſtulare inſtituiſſent, ut Sabinus maximum magiſtratum gereret: ſurrexit Sabinus, & ſilentio manu facto, Hunc magiſtratum, inquit, ego Romæ bis geſſi. Bis enim reus cauſam dixerat. Græci non bene intellexerunt: ſed bene interpretati petebant, ut illum honorem Sabinus tertio gereret. Id obiter item ſubnotarim: in hiſtoriis legi quandoq; Berberi. Id uero ad barbam facit nihil. Eſt autem Indorum uocabulum, quo margaritiferum oſtreum illi ſignificant, ſicuti auctor Euſtathius eſt: meminit etiam Athenæus. Et quoniam à Pallade orſi ſumus, in eandem deſinamus, cuius in templo apud Sicyonios ad portam, quæ dicitur Sacra, ſtructo Epopei conditoris uiſebatur monumentum, & in propinquo dei, quos ἀνωτεροπαίους dicũt. Apud quos omnia fiunt, quæ facienda Græci arbitrantur ad mala auerruncanda, id eſt ἐς ἀνοδοποιὴν κακῶν. Fuit apud Argiuos Palladis ſacellum ὀξυδόρκους, à Diomede ſtructum, quod ei apud Ilium bellanti tenebras, caliginemq; ab oculis deterſiſſet dea. Eſt apud Eleos Pallados ſacellum μητρὸς cognomento: quoniam quandoq; deficiente iuuenum turba, deam comprecatæ mulieres ſunt, ſimul ac cum uiris congreſſæ forent, conciperent. Voti compotes, regionem inſuper uocabulo gentis patrio, Βαδίν nuncuparunt, ac fluuium Βαδίν aquam. Sicuti uero Romæ Minerualia quinquatribus, aut ante paulo præceptoribus perſoluebantur, ita & Athenis in feſto quod Choes dicebatur, Antheſterionis duodecima, quem interpretantur Nouembrem: quo etiam tempore à præceptoribus familiares hoſpitaliter accipiebantur: quod apud Athenæum ſcribit Eubulides.

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN ANTIquarum lectionum libros, ad Antonium Mariam Amolinum phyſicum, præfatio decimaquinta.



VItis uariiſq; incitabulis euictus, his diebus conſtituens doctiſſimi patrui mei luculentiſſimũ opus, ab ipſo alias prima eruditione æditum, poſt uero caſtigatiſsime recognitũ, tantarumq; literarum copioſa numeroſitate adauctum, ut fere Antiquarum lectionum liber non amplius uideatur, onus grauiſſimũ, meisq; quàm impar humeris ſubiiſſe cognoſcens, id pluribus impartiendum dijudicaui, teq; potiſſimum doctiſsime uir quintadecima ipſius portione grauare: nec ab re quidem, qui me continue ſtimulans, ad ipſius huius operis æditionem tuis etiam incitamentis prorumpere impuliſti. Quod eo libentius factitandum cenſeo, quo doctiſſimi ipſius patrui mei Lodouici Cælij doctrinatæ literaturæ principijs, imbutum altiſsimæ ſcientiæ apicem inhiantem, humanorum ſtudiorum, acutioriſq; dialectices, altiſsimæq; philoſophiæ dogmata peragratum, ad Pœoniæ facultatis tantam deueniſſe altitudinẽ noui, ut acutiſsimi dialectici, doctiſsimi philoſophi, perſpicaciſsimiq; phyſici nomẽclaturam ſubire merito merearis, qualem decimiquinti huius uoluminis placita exigunt, quæ tanto refertiſsima munimine ſecurius prodeuntia, tui nominis patrocinio micantius ſeſe omnibus oblata patebunt. Id igitur & ſi imbecille munuſculum, doctiſsime Antoni Maria Amoline, eo alacriori ſuſcipies animo, quo à Lodouico Cælio tibi præceptore accuratiſsimo emanatum, Camillinepotis collatum manibus tibi iniunctum noſti: quem tua illa innata benignitate gratius fouens, deditiſsimum ſemper habebis. Vale, meq; tibi ſemper obſequioſum accipe.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI DECIMVSQVINTVS.

Quot exigantur ad uidendi rationem. De diaphano & lumine. Cur sol mundi oculus, curq; Theæ dicatur filius. Cap. I

MVLTA, inquit Priscianus Lydus in Theophrasti enarratione de sensu, in uisu uarietas accidit, siquidem uidetur extra prodire, propterea quod circa sensibile agit extra locatum. Quin etiam aliquid à re uidenda suscipere, quia uidelicet illinc aliquid patiatur. Iam uero diaphanũ atq; medium traijcere uidetur utrinq;, tanquam & perficiens lumine, & commensurationem exhibens interuallo. Certe obiectum sensibile nimis materiam resipit, at sensus spiritalis admodum est. Itaq; per se haud quaquam coire queant ad sentiendi actum perficiendum. Sed opus est medio quodam uelut spiritali, quod inuicem ista conciliet. Hoc quidem circa omnem sensum species quædam est. Circa uisum uero, tanquam excellentissimum, ultra speciem opus est diaphano insuper, atq; lumine, quibus materiale prorsus spiritali accommodetur. Putat Priscianus idem Iamblichum sequutus, sicuti Iulianus quoq; in libro De sole, diaphanum esse non in æthere solum, igne, aere, aqua, uitris: sed & in terra ipsa, compositisq; corporibus omnibus, id quod alibi quoq; attigisse me, sum memor. Ait Iulianus ex Phœnicum & Iamblichi doctrina, lumen esse purum actum, ab actu diuinę intelligentiæ per cuncta porrectum. Diaphanum uero actus eiusmodi esse uehiculum, & id quidem incorporeum, neq; permixtum corporeis qualitatibus, quamuis per ea diffusum omnia. Idem significat extensum per omnia lumen, à Platone De republica libro decimo positum. Visibilia per primum uisibile, id est lumen, uisibilia fiunt. Ideoq; & uisus omnes per primum uisum. Quoniam uero quæ hic disiuncta sunt, apud superos sunt unita, cõiectare possumus, idem esse primum uisibile primumq; uisum, id est præcipue solis lumen. Quo argumento uidetur Orpheus oculum mundi solem uocasse. Verum & poetica fabulositas Theæ, id est ἡ θέας filium esse pronuntiat solem, quod ἡ θέας καὶ ὄψεως, id est ut spectemus, utq; uideamus, præcipua immo tota indidem sese promat ratio: ex quo in Isthmijs Pindarus, μήτερ ἀελίου πολυώνυμε θέαι. Prodit in libro De ueritate Thomas, Videri aliquid tripliciter: uno quidem modo per essentiam suam, uelut quum uisibilis essentia uisui connectitur, quo modo lucem percipit oculus. Alio autem modo per speciem, quum rei similitudo uisui imprimitur, ut quum lapidem uidemus. Tertius est ex speculo modus, ubi rei similitudo per quam cognoscitur, non fit in uisu statim ab re ipsa, sed ab eo, in quo rei exprimitur similitudo, sicut in speculo sensibilium uisuntur species. Primo autem modo uidere deum, soli est deo naturale: secundo autem modo, angeli proprium: tertio denicq; hominis, qui ex creatis rebus utcunq; deum exhibentibus in dei cognitionem perducitur.

Igneum splendorem inesse oculis, quo modo probent Platonici. Item qua ratione fiat uisus ex Platonis doctrina. Cap. II

PORro sicuti cor mundi sol suo ambitu lumẽ, percq; lumen uirtutes suas inferioribus affundit: ratione compari in corporibus nostris cor motu suo quodam perenni proximũ sibi sanguinẽ agitans, ex eo spiritus in totũ corpus, percq; illos luminũ scintillas mẽbris insinuat, singulis quidẽ, sed oculis uel maxime, ad surrectas utiq;, ac prominentes corporis partes spiritu leuitate insigni scandente præcipue, eiusq; lumine per oculos inde qui perspicui sunt, atq; omnium partium nitidissimi, uberius promicante. Inesse uero cerebro & oculis lumen aliquod, etiam si exiguũ, animalia multa, quę noctu uident, argumento esse possunt, quando in tenebris eorum coruscant oculi. Sed & quodam modo cõtortis oculis, circulum quendam lucidum intus plane intuemur. Quin & Plinij monumentis testatissimũ est,

Tiberio Cæſari eam fuiſſe oculorum naturam, ut expergefactus noctu pauliſper haud alio modo, quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus. Id ipſum & mihi quandoq; obtigiſſe, deo teſte, non mentior. Augeæ micantes oculos celebrat Apollonij interpres. Sed & grãmatici noſtri glaucos dici equos interpretantur felineis oculis, id eſt quodam ſplendore perfuſis. Auguſto adeo eniteſcebant, ut ſi intentius aliquem eſſet intuitus, cogeretur is, ceu ſplendoris nimietate caligaret, uultum ſubmittere. Sed in Timæo item Plato, quoniam ut res eſt, non rhetorum modo rimamur officinas, ſed & academiæ inuiſimus ſpatia, uiſus rationem expoſiturus: Ignis, inquit, illius qui non urit quidem, ſed illuminando ſuauiter diem inuehit mundo, particeps oculorum orbes diij fecerunt. Intimum ſiquidem corporis noſtri ignem huius ignis germanum ſyncerumq; per oculos emanare uoluerunt. Itaq; quum diurnum lumen applicat ſe & accorporatur (ut ſic dicam) uiſus radio, tunc ea duo inter ſe ſimilia concurrentia atq; commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi in uniuſ iam domeſtici corporis cohærent ſpeciem, ubicunq; uidelicet tam intimi, quàm externi luminis fit concurſus. Totum igitur hoc propter ſimilitudinẽ, paſſionem eandem ſortitum, quum quid aliud tangit, uel ipſum ab alio tãgitur, motum huiuſmodi ad corpus omne, percq; id ad animã uſq; diffundens ſenſum efficit, qui uiſus uocatur. At poſtquàm in noctem diſceſſerit cognatus ignis, uiſionis euaneſcit radius. Nam in aerem ſibi diſſimilẽ erumpens permutatur atq; extinguitur, quum nullam habeat cũ proximo aere, utpote ignis carente ſplendore, naturæ communionem, idcirco uidere deſinit, ſomnumq; inducit.

Ariſtotelis rationes aduerſus Platonis de uiſu placita. Cap. III

ARiſtoteles uero in commentatione quæ De ſenſu eſt, ac ſenſili, gradum parans ad diluendam Platonis ſententiam, contra quem nunquam non concertatione aſſurgit arrectaria, & (ut dicunt Græci) ὀρθοστάδιον, ueteres philoſophos ſcribit, de ſenſibus aliqua tradere orſos, ex elemẽtari ratione, cuiuſmodi ſenſoria forent, eſſe ſcrutatos. Quoniam uti primo De anima diſputatum latius eſt, ſimile à ſimili arbitrabantur percipi. Ex quo animam quoq; de principiorum comminiſcebantur natura, ut hoc nomine omnium cognitionem conſequi poſſet, ut quæ conformis foret omnibus, ſiquidem communicare in principijs omnia. Conſimili porro ratione, quoniam ſenſus corporea item percipiant omnia, eorum modum elemẽtis attribuere adorti ſunt, ac terræ tactum omnino aſſignarũt, guſtum uero aquæ, quia per humecta ſentiatur ſapor, aeri autem auditum, uiſum poſtremo igni. Quia uero ſit inter aerem & aquam quoddam medium, aere quidem denſius, aqua uero tenuius, quod uaporis aut fumi nomine intelligi uoluere, odoratus ſenſorium illi aſcribendum putauere, quoniam ex fumida quadam euapõratione ſentiatur odor. Quo autem potiſſimum argumento eſſe ignis participem oculum, putarint Platonici, inde arbitratur Ariſtoteles factum, quia (ut paulo ante commeminimus) rationem minus peruiderint, cur oculo compreſſo ac moto uehemẽtius, promi ex eo uideatur igneum quippiam, præcipue ſi forinſecus obtendantur tenebræ. Cæterum non ignis ratione cõtingere hoc ipſe putat: ſed quoniã quicquid abunde leuigatum deterſumq; politius eſt, ex ſuæ naturæ proprietate quẽdam habere fulgorem animaduertitur: non eiuſmodi tamen, qui medium actu lucidum ualeat efficere. Proinde, quum nigricans in oculi meditullio perpolitum maxime ſit, mirum nihil fit, ſi & nitorem contineat corporum eiuſmodi affinem. Sed unde nam fieri aſtruemus, quòd ſi celerius agitetur oculus, fulgorem percipit: ſi uero quieſcat, non ita? Reſpondet philoſophus idem, hoc ideo obuenire, quia præceleri motu oculi, quod unum ſimplexq; eſt, euadat quodammodo duplum: unum ſiquidem, ac idem ſubiectum eſt pupilla uidens ac fulgẽs: quatenus uero ſplendeſcit, foras nitorem promit: quatenus uidendi facultatem habet, illum percipit ac cognoſcit, ueluti forinſecus illabatur. Nam ubi celerius mouetur oculus, nigricans ad exteriorem transfertur locum, in quem pupilla fulgorem emiſerat prius, quàm omnino deficiat is, excipitq; perinde ac extrinſecus illatum: quo fit, ut aliud cenſeatur quod uidet, aliud quod uidetur. At ſi tardior fuerit motus, euaneſcit prius coruſcatio, quàm illuc delabatur pupilla, ubi excipere queat. In tenebris uero iſta præcipue fieri, illa ratio eſt, quoniam luminis copia leuigatorum corporum ſplendorem tenuem admodum atq; exiguum abſorbet

bet quodammodo, cogitq; euanidum fieri. Quod autem una cum Empedocle tradit Plato, effici uiſum per luminis ab oculo emiſſionem, perinde ac à lucerna: id eſſe omnino uanum, autumat philoſophus, quando (ſi ita foret) deberemus etiam in tenebris uti oculis, radio inde promicante ad medium illuſtrandum idoneo. Verum quod infert Plato, reſtingui radium offenſantibus tenebris, uanius multo eſt. Quæ enim extinctio eſſe luminis poteſt? extinguitur ſiquidem humido aut frigido calidum & ſiccum, ut in prunis uiſimus, & flamma: ſed neutrum in lumine recognoſcimus. Quòd ſi eſt, ac ob debilitatem latet nos, interdiu claritatis excellentia perire debuerat, aut in aqua, uel item in glacie. Quippe ignita corpora hæc omnino patiuntur, ſed in oculorum lumine nil prorſus eiuſmodi fit, inde coniectatio certa, Platonicam rationem minus ueritate ſubnixam ruere.

Ariſtotelis ſententia de uiſus ratione. Item quid dieche, & quid dioſmos, ac diagonios linea. Optice, anoptice, catoptice. Videre, ac cernere, an diſtinguantur. Cap. IIII

CAEterum quid de ratione uidendi ſentiat uir acer & experiens Ariſtoteles ipſe, iam ex interpretatione Themiſtij ſecundo De anima promere in grediar. Plane, inquit, colorem eſſe ea natura, ut actu perſpicuũ moueat, illud indicio eſſe uel firmiſsimo poteſt, quòd colores uehementer prope admoti neq; uideri, neq; internoſci queũt: mouet ergo color perſpicuum aerem, aer ad uſq; oculum continenter pertenſus aſpectum mouet, & uulnerat. Quòd ſi nullus eſſet uſus interſiti aeris, per quem color ueheretur ad ſenſum, ſumma ratio eſſet, quamobrem colores quanto propius accederent imminerẽtq; oculis, eo clarius & exquiſitius cernerentur. Proinde perperam Democritus cenſuit, qui diceret, Si inane eſſet hoc omne per quod cernimus, ſpatium, fore ut acrius & probius omnia uiderentur: quod prorſus impoſsibile eſt. Nam obtutus paſſo quadãtenus, & affecto ſenſu contingit, non quidem à colore qui cernitur, alioqui impoſitus & adiunctus pupillæ præſentiretur: ſed quod reliquum eſt, ab aere illo, & perſpicuo, quod interpatet. Quamobrem nedum acutius, ſed nihil omnino uideri poſſet in uacuo, quia nihil in eo intermedium haberetur, quod primo ipſum affectum, tum deinde ipſum oculorum ſenſum afficeret. Idem in ſono, idem in odore contingit. Neuter attactu ſenſum exercet, ſed per medium aerem, à quo ſubinde ſenſum impellunt. Sed qua ſtrepitus ad auditum proue hitur, quidam Ariſtotelici interpretes diechen appellarunt, quaſi perſoniam dixeris, qua uerò odores, dioſmon, ac ſi perolatiam uocaris, quòd ueterinæ ſint ac uehiculares odoris ac ſoni. Diagonios uerò linea intelligitur Vitruuio ab angulo ad angulum perducta. Et libro quarto in capituli Corinthij ratione: Abaci, inquit, latitudo ita habeat rationem, ut quanta fuerit altitudo, bis tanta ſit diagonios ab angulo ad angulum. Verum, ne quid diſsimulem, auctor quidem proſpectiuæ, Ariſtotelis dogma inſequutus, mathematicos ſcribit, ſtatuentes, uiſum fieri per radios ab oculo promicantes, inaniter conari. Sed enim Alchindus De aſpectibus, omnino docet aliud. Et magnus auctor Auguſtinus innuere uidetur, Animæ potentiam in oculo aliquid efficere, quod à ſapientiæ ſtudioſis necdum ſit perueſtigatum. Alioqui & qui Platonem euertere conantur, quandam ab oculo radiorum effuſionem admittunt planè, qua uidendi perficiatur ratio, animalium argumento, quæ ita oculorum nitore medium illuſtrant, ut colorum perceptio non lateat ea. In uidendi ratione illa item obſeruauimus, quum in rectum dirigitur uiſus, dici propriè opticen modi eius rationem: at ubi ſuſpectamus, anopticen: ſicut catopticen, quum deſpectamus. Qua in re illud contingit admirabile, ſi attollatur uiſus, etiam ſtellas contingimus: ſi in rectum proſpectus petatur. quadraginta milium paſſuum non exceditur menſus. Infra uerò etiam minore multo menſura uiſum hebeſcere, obſeruatum, quando eſt hic longè difficilior modus. Proinde in eius perpenſione maiorem & curam & diligentiam adhibendum. Illud uerò ab agreſtioribus mutuemur Muſis, ut philoſophi loquuntur, Videre ac cernere, non eo diſtingui diſcerniculo, quo ineptioribus eſt uiſum. Cicero in Oratore, Perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo uidemus, effigiem auribus quærimus. Idem paulo infrà, Eloquentiæ ſpeciem cernebat animo, re ipſa non uidebat.

Cur

Cur quædam collucere in tenebris uideantur. Miracula quorundam ex ſe lumen fundentium. Cur quædam noctu oculis utantur, interdiu minus. V

SOſigenes Alexandri præceptor tertio uolumine De uiſu, rationem affere conatus eſt, quamobrem aliqua collucere in tenebris uideantur. Flammulenta, inquit, hæc quadamtenus naturam ætheris & quinti elementi participant, ea cognatione fieri, ut admotum ſibi aerem, aut perſpicuum aliud corpus illuminent. Quod autem id maxime noctibus faciant, rationem eſſe, quia tum maius lumen abſit. Alioqui euenire interdiu, ut exiguum eorum lumē quaſi exoleſcat, & offundatur in magno. Noctu ergo quum refulgent, aerem proximum & circumfuſum leuiter ſubluſtrant: non ita, ut alia item poſſent uideri, ſed ut ſola ſe uendicent à tenebris. Atq; hoc facit exilitas portionis eius, è qua proficiſcitur, manatq; lumen. Nam & ipſe quoq; ignis, quamuis ſplendorem ſuum latius & diffuſius mittat, adeo ut aſſerat etiā alia: tamen ſi remotior ſit, caligant oculi in cætera, ipſe ad conſpectum ſui uix ſufficit. Verum quia in hæc prouecti ſumus, non ineptum fuerit, obiter illuc diuertiſſe. Proditum monumentis eſt, periculo ingenti circumuentum in India Magnum Alexandrum quodam prælio, concuſſis armis, uiſum Barbaris lumen fundere, monſtro ſe ante illum oſtentante. Tiberij equus ore uidebatur flammigare, dignitatis futuræ omine proſperrimo. Theodorici pater ex corpore toto ſcintillas dicitur profudiſſe. Idipſum & de ſe prodidit ſapiens quidā, ita ut ſcintillantes flammæ hinc inde proſilirent, etiam cum ſono. Quod uero animalium nonnullorum oculi noctu mire ſint efficaces, interdiu autem hebetiores, id obuenire Plutarchus arbitratur humoris ſiccitate ac tenuitate, non ferentis τὸν πρὸς τὸ φῶς σύγκρασιν.

Cur ſeminis contingat in ſopore profuſio & arrectio. Concubituris officere nuditatem pedum. Gonorrhœa, gonorrhœas, Plumbo reprimi Venería. Clinopale nudipedalis quæ ſit. Item de nudipedalibus ſacris. Cap. VI

COnſtans opinio eſt inter eos qui naturalium rerum ſecreta rimantur, & enotatum ab Ariſtotele ſcimus, corpus quod concubiturum ſit, calidum intus atq; humidum eſſe debere, cuiuſmodi ferè per ſomnum potius contingit, q̃ per uigiliam. Ex quo etiam celeriter ac ſine corporis agitatione, οἱ ὀξυσπερμοὶ γίνονται, id eſt ſeminis in quiete fluxus fiunt, quod uigilantibus non citra laborem ferè contingit. Simul autem fit, ut & reliquum corpus tale exiſtat, ac pedes item, humectiores ſint atq; calidiores. Indicio eſt, q̃ quum dormimus, pedes obtepeſcere ſolent, ut qui unà cum internis partibus ita afficiantur. Hinc quoque amplius innotuiſſe opinor, cur ſit, quòd in ſopore obtumeſcant genitalia, quod feſtiuiter ſalibus ſuis & Martialis inſeruit. Verum nuditas pedum, quam ἀνυποδησίαν uocant, econtrario agit, ξηραίνει γὰρ καὶ ψύχει, hoc eſt ſiccat atque refrigerat. Proinde quodammodo impoſsibile eſt, aut equidem perdifficile, rem obire Veneream, niſi pedibus calidis. Ni fortè quis reperiatur, uſque eo feruentis naturæ, ut pedum nuditas & frigefactio calidum redundans ad temperamentum reuocet. Qua ratione quidam portulacam Veneriis conferre, prodidit: ſicuti ſecundo Canonis docuit Auicenna. Suppetit & doctrina Hali ſuper τέχνῃ Galeni, in Signorum tractatu, tradentis, In præferuidis corporibus cum aliis calidi circunſtantiis generandi uim diſſolui, ac ſemen prorſus euaneſcere. Seminis defluxionē hanc ſpontinam Græci gonorrhœam item uocant, & Matheſeos tertio interpretatur Firmicus. Qui uerò hoc diuexatur incommodo, dicitur γονορροϊκὸς. Scribit Galenus gymnaſtarum quempiam ſe uidiſſe, qui Athletæ cuiuſdam renibus plumbi laminam ſuperpoſuiſſet, quo nocturnis imaginibus careret. Porrò ex iis liquet, tum docte, tum non illepide, hebetiorem uſum Veneris, flaccidumq;, etiam ſi conatus ſit mulus, poſſe dici Clinopalen nudipedalem. Sic enim rectè pedum illam intelligimus nuditatē, uerbo quidem non efficto nunc à me primum, ſed à Tertulliano prius, atque Hieronymo. Sic enim ab iis ſacra nuncupari obſeruauimus, quæ colerent Iudæi nudis pedibus, ſacco incubantes, & uolutati in cinere, ut ad Paulam idem Hieronymus ſcribit, exritu uaniſſimo Phariſæorum, primum quoq; cibum lentis accipientes. Ioſephus Iudaici belli libro ſecundo, Beronicen ſcribit reginam, ut deo uota ſolueret pro ſalute, Hieroſolymas ueniſſe, & pro more patrio, hoſtiis cæſis, capillisq; deraſis, nudipedem ante tribu-

nal

nal ſtetiſſe. In libro Temporum ab Euſebio mandatum memoriæ eſt, apud Lacedæmonios ſacra nudipedalia primum acta, quum regnaret Romæ Tullus Hoſtilius. Sed & in Pythagoræ ſymbolis adnotauimus, nudis pedibus adorandum ſacrificandumq́.

Auſtri & Aquilonis proprietates non indignæ relatu. Neate quid. Cur Boreas dicatur Alpinus à Virgilio. Plauti locus expenditur ex Epidico. Boreæ ſcorpionis chelæ cur. Boſcas uenter cur. Vnde dicatur Boreas. VII

AQuilonem uentum, à uehementiſſimo ac præceleri uolatu in Latinis literis nuncupatum, eleganter ab Hieronymo ſcopam uiarum appellari aduertimus, tãquam diſflando perpurget, quicquid temere in uijs obiacet, ſimulq́ conuerrat etiamnum puluerem. Ediuerſo Auſtrum ab eodem reperio dici pincernam pluuiarum, quoniam eſſe Notum pluuiæ conciliatorem, indicio nomen eſt, quod ab humoris ratione ducitur. Quanquam non me fallit, Plutarchum in Platonicis quæſtionibus ſcribere, Inferiorem mundi ordinem dici Neaten. Nam & inferos quandoque nuncupari νήρτους, quandoq́ etiam ἥνερους: atq́ inde ductam Noti appellationem, quia ſpiret καλύπτωθεν ἐκ τοῦ ἀφανοῦς, hoc eſt ab infimis incompertisq́. Simul & poetarum carminibus patet latius, quàm ut probandum uideatur pluribus: niſi quòd Hippocratis ſententia præteriri nequit, tradentis Aphoriſmorum tertio, Auſtros hebetare auditum, caliginem obducere, corpora diffundere, ac pigriora facere, itemq́ caput aggrauare: quòd ſi tempus Aquilonium fuerit, tuſſes, fauces, aluos duras, difficultates urinæ, dolores horrificos coſtarum & pectorum accidere. Eum uero locum explicans Galenus etiam rationes rimatur. Nanq́ ex huius uelut caſtellis ac deriuaculis, emodulatè quantum eualuimus, indultu principali, id eſt diuino, aquas fiſtulatim in noſtrum hoc hæreditolum, quæcunq́ fuerit eius indicatura, ſæpicule corriuamus. Auſter, inquit, natura calidus atque humidus eſt: at hæc ex toto caput opplent, proindeq́ ſenſuum opificia admodum madefaciunt, caputq́ aggrauant. Porrò ſi neruorum fons & origo madet, circa ingrediendi miniſteria corpora pigriora tardioraq́ redduntur, atq́ etiam perſentit homo exſolutionem. Contrà, ubi tempus Aquilonium eſt, corpora conſtipatiora, cõtentiora mobiliora q́, & ad audiendum purgatiora euadunt: fauces tamen duræ efficiuntur per Aquilonios cæli habitus, quia areſcunt refrigeſcunt q́, nec ſecus ſicciora aluus deijcit, ob temperamenti conditionem, in habitum tendentem ſicciorem, de qua corpus reſiccatum uniuerſum eſculentorum humorem ad ſeſe impenſius trahit: difficultates præterea urinæ accidunt ob ueſicæ noxam, quam traxit ex frigiditate per Aquilonios flatus, nanque exſanguis & frigida eſt. Ea ipſa Aquilonis frigiditas, thoracis dolores concinnat. Porrò & illud natura comparatum eſt, ut ſimus ἐν τοῖς βορείοις βρωτικώτεροι, ἢ ἐν τοῖς νοτίοις, hoc eſt ſpirantibus Aquilonibus cibi auidiores ſimus, quàm Auſtris. Aquilones enim frigidiores ſunt: frigidum uerò concoctionem adiuuat, eo quòd per accidens antipariſtaſin efficiat: ut ex octauo Phyſicorum manifeſtum eſt, ac calorem corroboret interaneum cum humido, unde perficitur digeſtio. Id tamen parte hac obſeruandum, ita experientia magiſtra ſapientibus compertum, ſi frigiditas nimia fuerit, eam ad intima corporis penetrare, unde conficiendi imbecillitas enaſcatur. Inter Macrobij uero placita & illud eſt ex Naturalium ſecũdo: Ventum qui per meridianum ad nos cardinẽ peruenit, ideſt Auſtrum, ita in origine ſua gelidum eſſe, ut apud nos commendabilis eſt blando rigore Septentrio. Sed quia per flammam torridæ zonæ ad nos commeat, admixtus igni caleſcit, & qui incipit frigidus, peruenit calidus. Neque enim uel ratio uel natura pateretur, ut ex duobus æquo preſſis rigore cardinibus diſſimili tactu flatus emitterẽtur. Nec dubium eſt, noſtrum quoque Septentrionem ad illos qui Auſtrali adiacent propter eandem rationem calidum peruenire. Et Auſtrum corporibus eorum genuino auræ ſuæ rigore blandiri. Peripateticis tamen ἀβλαβῶς, ideſt abſurdius uidetur, per περιπεριοδικῶς, id eſt peruſtam mundi portionẽ permeare uentum. Quærat hic fortè quiſpiam, ecquid expreſſius doctiusq́ in medium promamus, quid ita eminentiſsimus poeta AEneidos quarto, Boream dixerit Alpinum? Inuenio apud auctores, ut nemo prorſum incertus ueri ſit, Poſidonium & Protarchum literis prodidiſſe, Rhipæos & Alpes eoſdem dici montes, qui ab Hyperboreis incolantur; quod in commentario etiam de rebus ijs prodidit.

didit Stephanus, à quo & illud traditur, Hellanicum ὑποβορέους ſcribere cum diphthongo in penultima. ipſe, ac plerique alij, citra diphthongum malunt. Athenæus in libro ſexto: Rhipæi (inquit) montes, qui poſtea Albij, nunc Alpes. Vltra Rhipæos uero, à quibus ſpiret Aquilo, ſtatuuntur Hyperborei ad extimum mare. Carmen Virgilianum hoc eſt:

Ac uelut annoſam ualido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nũc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant.

Porro quia ex Hippocratis & Galeni adſtruximus doctrina, Auſtrum hebetare auditum, & ſtupidum quadamtenus hominem facere: ad id arbitror Plautinum alluſiſſe Periphanem, cui Epidici dolis uerſutijs q; ſublitum probe os fuerat, in fidicina quam ſuam putarat filiam: mox animaduerſa fraude, ac dolens ſe tam hebeti fuiſſe iudicatu, ut rem nunquã ut erat, animaduertere potuerit, perinde ac obſurduiſſet, oculisq; offuſa caligo foret, ut Nioben putares, in ea prorumpit uerba: Perij, Auſtrum pertuli. quanquã ſunt qui perculi, legere malint: ex parœmia, qua ſignificatur quis operam luſiſſe, Sciendum uero parte hac: Boreas, id eſt βορεὼς, in Theriacis ab Nicandro dici ſcorpionis chelas, ueluti πολυφαγους, id eſt uoratrices. Qua ratione, uentrem quoque boſcada, id eſt βοσκάδα, idem nuncupat. Cæterum & ratione eadem uento conciliatum nomen eſt, ἀπὸ τῆ βορᾶς, id eſt à cibo, ſiue pabulo, quo ſcatent Borealia, uti opinatur Porphyrius: uel quia uberius alantur inibi animantia, ſicuti nos item hyeme, ut diximus. Certe ad Boream corpora uiſuntur grandiora multo, quàm in aduerſa parte.

Capillorum in homine ratio. Gentium ritus in ijs, & Frãcorum præcipue, ubiq; habeãtur Franci. Fracta coma. Annuli in coma quid. Smeringes pro capillis, cur. Silica arbor apud Gellium. Sagda quid. Molliciei taxatio. Pepones qui ſint. Phonos quid. Cathedralitij. Quintiliani locus de Bacchida.

Caput. VIII

HOminem inter cuncta animantia maxime piloſo eſſe capite, ipſius indicio rei nullis argumentis conſtat, Sed & prioribus tamen obſeruatum ac traditum monumentis eſt. Cuius cauſam tum ad neceſſitatẽ, tum ad præſidij rationem eſſe referendam, auctor Ariſtoteles eſt. Neceſſitas uero inde patet, propter cerebri humiditatem, καὶ διὰ τὰς ῥαφὰς, id eſt & propter commiſſuras caluę: nam ubi plurimum humoris caloriſq; eſt, ibidem ortum pilorum eſſe copioſum, neceſſe eſt. Adiumenti autem ratio eſt, ut frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore & calore. Quum enim cerebrum hominis proportione maximum & humidiſsimum ſit, maximam etiam tutelam deſiderat. Res nanq; humidiſsima quæq; & refrigeſcere & refrigeſcere maxime idonea eſt: quæ autem contra ſe habet, hæc minus affici poteſt. Adijciunt & ornatum auctores poſt Ariſtotelem grauiſsimi, qui ſit uelut in ædificij culmine, nec in orbem coactus, aut in pilei figuram teres factus, ne quibuſdam partibus nudis, eſſet informis. Sed alibi fuſus, alibi retractus pro cuiuslibet loci decentia ſpeciem miri oſtentat decoris. Proinde memoriæ traditur: Charilaum interrogatum cur comam nutriret, reſpondiſſe, Quoniam ex omni ornatu hic pulchrior foret, uenuſtiorq;, ac ſumptus minimi. ideſt, ut Græce dicam, εὐλαβανώτατος. Quamobrem & Silius Italicus in laudibus Scipionis, ita ſibi canendum cenſuit:

Martia frons facilesq; comæ, nec ponè retroq;
Cæſaries breuior.

Hiſce calculum adijcit plane prophetica ſententia, Eſaiæ tertio: Decaluabit Dominus uerticem filiarum Sion. Cæterum & Lycurgum ſcimus, ciues inſuefeciſſe comam nutrire: quoniam pulchros quidem decentiores redderet, αὖ δὲ αἰσχροὺς φοβεροτέρους, deformes uero terribiliores, ac magis formidabiles. Sed & in Græcis omnibus id accipit Euſtathius, ubi Homerus κορυθαίολους dicit Achæos: nam, inquit, etiam iubati leones, inſuper & tigres terribiliores uiſuntur cæteris eo exutis ornamento. Adijcit in primo Rhetorico Ariſtoteles, id uideri liberalitatis argumentum. Nec enim comantem facile eſt ἔργου ποιεῖν θητικοῦ, id eſt ſeruile opus ſubire, aut illiberalem artem admittere. Liberi nanq; eſſe hominis, μὴ πρὸς ἄλλου ζῆν

ζῶ, ideſt non ex alterius arbitrio pendere. Rufam comam & in nodum coactam, ſummi apud Germanos decoris fuiſſe, ſcribit Seneca: proinde Martialis Epigrammatum primo,

Crinibus in nodum tortis uenere Sicambri.

Legimus item Francorum regibus ſummum fuiſſe nefas comam tondere. Quin à pueris intonſi manebant, defluentibus à tergo crinibus: nam ab fronte diſcriminati utrinque ferebantur. Nec tamen Turcarum more aut Araborum impexi incedebant, uel ſqualidi, aut calamiſtrati, & indecore perplexi: uerum diuerſis delibuti unguentis niteſcebant. Cæteri uerò circumtonſi uiſebãtur omnes. Eſt autem Francorum natio Italiæ proxima. Multi hos eſſe Germanos tradunt, quando Rhenum circumhabitant, & admotas illi terras, ac Galliarum portionem poſſedere haud minimam, non quidem ut propriam, ſed ui ac belli iure aſcitam. Capillorum item longitudine oblectatos Hiſpanos, teſtatur epigrammate doctiſſimus Catullus. Sed & Martialis idem:

Hiſpanis ego contumax capillis.

Verũ, ut auctor item Seneca eſt, crinem ſibi ſine ullo artifice formoſi quatiebant, non aliter quàm iubam generoſa animalia. Mox ut in aliis, ita & parte iſta, peſſum euntibus uitæ pretijs, abijt tota res in turpem effœminatam q̃ molliciem, nec ſpecula modo totis paria corporibus auro argentoq̃ cęlata ſunt, deinde etiam adornata gemmis, ſed cœptum à troſulis & molliculis linteatisq̃ ſuccidere comam uarijs locis, in gradusq̃ formare, ut cincinnatuli ſint & comatuli: quales fermè fieri produnt, qui Pleiadibus naſcantur orientibus. Quam comæ rationem & numerum epigrammaticus poeta epaphæreſin uocauit, quum ita ſcribit,

Expingitq̃ cutem, facitq̃ longam
Detonſis epaphæreſin capillis.

Hinc datum Curetibus nomen, quòd mollium ritu puellarum comam fouerent, nec ſuccíderent, ut putat Aeſchylus. Hinc fracta cẽſoriè apud Senecã caſtigatur coma, hinc & annuli in eadem amarulentè increpiti: ex quo & Martialis,

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incerta uix benè fixus acu.

Quo modo excandeſcunt, inquit Seneca, ſi quid ex iuba ſua deciſum eſt, ſi quid extrà ordinem iacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt? Hos tu otioſos uocas, inter pectinem ſpeculumq̃ occupatos? Sed quoniam hoc genus nugæ, & accerſitæ commendationes non corpus ornant, quod illi opinantur, ſed mentem detegunt: hinc ſcitum, ut à Synæſio accepimus, natum adagium eſt, Nullus comatus, qui idem non ſit cinædus. Nam & M. Tullius in Catilinam libro ſecundo, Capillo pexo nitidos cenſoriè ſub notauit. Extat Antonini imperatoris præclara ad hoc ipſum ſententia, qui fuit philoſophi filius, uti apud Philoſtratum legimus, quum Philiſcum ſophiſtam inceſſeret: Coma (inquit) uirum, rhetorem indicat uox. Capillos comperi Græcis quandoque dici ſmeringas, id eſt σμήϱιγγας, ab μείϱω τὸ μειόω, id eſt diuido, quòd in prætenues diſſecentur partes. Flaminis capillum, & præſectos ungues ſubter arborem Silicam terra adobrui conſueſſe, ſcribit Gellius. mendum uideri exemplarium, ſentit Hermoleos: uerum quid reponat, haud habet conſtitutum, ni legas (inquit) ſiliquam, aut ilicem, uel ſalicem. Illud non omnino ab inſtituta ratione diſſitum, fractos exſolutosq̃ ac mollicu los & pumicatos, ac (ut ueteres dicebant) uinulos, per ignominiam dici peponas, tralatione honeſta à fructibus qui iam permaturuerint. Nam fructus omnes iam percocti uocantur pepones: inde eſt, μαλθακωτέϱα πέπονος σινῶ μοι γέγονας. id eſt mollior mihi euaſiſti fico matura. Apud Aeſchylum legimus,

ὠνὴϱ δ' ἐκεῖνος ὧ πεπαίτϱος μώϱου. id eſt, uir ille moris erat maturior.

Apud quoſdam pepones dicũtur, quaſi pephones: nam Dores, digna cæde perpetrantes uocant phonos: propterea peponem etiam generoſum interpretantur. Pepon denique amica interdum uox eſt, ut in Apollonij Argonauticis liquet, ὦ πέπον, id eſt ò dulciſſime, amiciſſime: quod adnotarunt ſcholiaſtæ, & expoſuit apud Homerum Euſtathius, quoniam peponas amamus omnes. Extat id uerbum tam maſculino, quàm neutro enuntiatum genere. Ponticos legimus quoſdam ad ſolis exortum uergentes, apios (pyri id eſt genus) & cydonea mala penè iam putreſcentia, ac iocinoris præferentia

colorem: eſui tamen non inepta, nuncupare pepona. Inter horæa, id eſt ὡραῖα, recenſetur ab Aegineta Paulo pepon: quem cacochymon eſſe ait, id eſt ſucci mali, frigidũ præterea, humectumq́, choleram inducere, id eſt χολέραν, indigeſtum. Efficit ea omnia μηλοπέπων quoq́, ſed minus. Cathedralitios item inuenio pro molliculis poſitos, quod Martialis comprobat epigramma,

Quum cathedralitios portet tua rheda miniſtros,
Et Libys in longo puluere ſudet eques.

Nam & alibi cecinit idem:

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Deſidet.

Ex quo exijt Plinianum illud de ſalice: Atq́ etiam, inquit, ſupinarum in delicias cathedrarum aptiſſima. In hac uerò molliciei cenſura Fabio ſuccurrendum libro quinto, quem inſcitè nimis conuellunt inauſpicati literatores. At uerò, inquit, ſtatuarũ artifices pictoresq́ clariſſimi, quum corpora quàm ſpecioſiſſima fingendo pingendoq́ effingere cuperent, nunquã tamen in hunc inciderũt errorem, ut Bacchiam aut Megabyzum aliquẽ in operis exemplum aſſumerẽt ſibi, ſed Doryphorum illum, uel militiæ aptum, uel palæſtræ. Lego non Bacchiam, ſed Bacchidam: ex Athenæo, qui Sardanapalo fuiſſe illum cõſimilem dicit: cuius tumulo ita inſcriptum refert,

πῖν, φάγε, καὶ πάντα τὰ ψυχᾶ δόμεν,
Κἀγὼ γὰρ ἔσαν ἀντὶ Βακχίδα λίθος.

Quod eo adnotaui gratius, quia primæ notæ uiri ea in parte impegerunt, & Hermolaus præcipuè Barbarus in literis inſigniter clarus. Sagda Nicandro effœminatũ indicat, & moribus perditis profligatisq́. Alij ſuffimentum ſic rentur dici.

Maſculæ Veneris inſtitutor primus. De Orpheo & Orpheoteleſtis. Orphos. Orphaniſtæ. Plutarchi locus aſſeritur, necnon Ariſtotelis. Cretẽſium in marium concubitu, & gentium aliarum mores. Interim Troili ab Achille amati hiſtoria. Celtę emaſculatores. Mars cur Veneri cõiungatur. De Spo ro paucula. Cap. IX

QVoniã uerò de cinædis facta mentio eſt, ſunt qui ſcribant, Orpheum Thraca principem omnium tanti ſceleris, & libidinis deteſtandæ repertorem fuiſſe. Quod & Ouidius poſt frequentia Græcorum monumenta carminibus inſeruit:

Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares, citraq́ iuuentam
Aetatis breue uer, & primos carpere flores.

Eius tamen caput Philoſtratus ſcribit, in Lesbo dediſſe oracula, præſertim Græcis, Troiam non poſſe capi abſq́ ſagittis Herculis. Quin & Perſarum reges & Babyloniæ in Lesbum ad ſcitanda oracula oratores plerunq́ miſiſſe, & in primis Cyrum, cui Orpheum conſulenti de exitu ſuo, ſic fermè reſponſum proditur, τὰ ἐμὰ ὦ λύρε σά, quaſi dictaret, quæ ipſe ſum paſſus, in te quoq́ ſunt recaſura. Tanta erat illorum temporum cæcitas, tantum rationalis naturæ nubilum, adeo immundiſſimi ac nequiſſimi ſpiritus ad libidinem mortalibus illudebant. Spurciſſimæ rei auctor poſt mortem diuinitatis opinionem eſt aſſequutus. Nam erant & qui Orphicis initiarentur ſacris. Meminit eorum hiſtoria ſecunda Herodotus, & De natura deorum tertio M. Tullius: Sed ea, inquit, Dionyſio quarto confici putantur. Vnde Orpheoteleſtæ nuncupati, qui initiandi auctores erant, quiq́ felicitatem certiſſimam pollicebãtur poſt obitum. Id quum Philippus quidam orpheoteleſtes & ipſe, uerũ ſummè inops, amplius prædicaret, dixit Leontychidas Spartanus, O fatue, quin ſtatim moreris, luctui & miſeriæ finem impoſiturus? Commonendi uerò hac parte ſunt Apophthegmatum Plutarchi ſtudioſi, eius libri interpretem egregiè hallucinatum, quando tenebrarũ initiatorem tranſtulit. quippe, ut uidetur, orphnæoteleſtem legebat, quæ id planè uox indicat: ſed emaculati codices, orpheoteleſtem præferunt: & ita eſſe ſcribendum, dictat ratio. Orphos autem maris bellua eſt, ſed quæ in parte quoq́ poſtrema cæleſtis piſcis cõſurgere uiſatur. Orphaniſtas uerò in Aiace maſtigophoro Sophocles nuncupare uidetur orphanorum altores, uel qui orphaniam tutantur ac fouent. Nam & ſic appellabatur Athenienſium magiſtratus, eorum quæ ad orphanos ſpectarent, diſceptator. Dicũtur quoq́ orphani ὀρφανοὶ ἔχοντες

ἔχοντες τὸ οὐ φαίνεσθαι, ut qui incognobiles ferè ſint, & μηκέτι ἐμφανεῖς. Cæterum quod ad Orpheum ſpectat, id inſuper haud habendum: quippe is, ubi quem ſacrorum cæremoniis imbueret, initiationis planè in ueſtibulo aliud nil exegit, quàm iuriſiurandi neceſſitatem, qua horrido more obſtrictus propoſitæ religionis arcana in profanum uulgus non æderet. Quod poſtea inſequutus etiam Plato Timæum ab ſe haud dimittebat, ne ſecretarum diſputationum commenta præſignia, & diuina inſinuaret impuris, qui nec ab limine philoſophię myſteria cõſalutaſſent. Quæ Pythagoreis quoq; ſilentij repagulis à pullato defendebãtur circulo. Sunt tamen qui dicant, Thamyram primum flagitioſis puerorum amoribus, ac præpoſteri concubitus fœditate pollutum, quum cœpiſſet efflictim deperire Hymeneũ Calliopes & Magnetis filium. Alij Thaloni Creten ſi inauſpicatæ rei initia contribuunt, qui Rhadamantum adamarit. Atq; hinc in Græcos alios propagatum ſcelus, etiam Timæus ſcribit. Quod ut non uideatur diſſimile ueri, Ariſtoteles facit, à quo proditum legimus, lata quoq; lege, paſſim in Creta permitti maſculam Venerem. Id ne quis à me fingi putet, tanti philoſophi uerba ſubijciam, eo quidem libentius, quòd ea zelo (ut arbitror) Chriſtianæ ueritatis interpres facere Latina neglexit, πρὸς δὲ τὴν ὀλιγοσιτίαν, ὡς ὠφέλιμον, πολλὰ περιλοσόφησεν ὁ νομοθέτης, καὶ πρὸς τὴν διαζύξιν τῶν γυναικῶν, ἵνα μὴ πολυτεκνῶσι, τὴν πρὸς αὐτὰς ἀφροδίσιας ποιήσας ὁμιλίαν. hoc eſt, ad cibi autèm temperantiam, ueluti perutilem, multa legislator ſapienter ac ſtudioſe conſtituit, & de mulierum diuortijs: ſiquidem ne ſuperfluam parerent multitudinem, cum maſculis induxit concubitum. Quæ quum ita ſint, audet tamen Strabo libro decimo, Cretam aſſerere, uniuerſarum gentium conſenſu, priſcis temporibus optimis fuiſſe inſtitutam legibus, earumq; æmulos ac ſectatores fuiſſe Græcorum optimos atq; primarios, in primis uerò Lacedæmonios: quod in Legibus quoque Plato confirmat. Cæterum de alijs exactiorem peragere cenſuram, nunc non eſt conſilium: neq; enim operæ fuerit iſta diſcutere. In hac utiq; parte non rectè habuiſſe Cretenſium mores, quis eſt qui neſciat? Nec dici poteſt, ignoratum à Strabone ritum hunc turpiſſimum, quum de eo ipſo multa uerba faciat: amaſium quidem λλεινόν, id eſt illuſtrem: amantem uerò philæthora, hoc eſt ardentem, appellatum in ea inſula prodens. Traditum quoq; ab Athenæo eſt, Cretenſes præcipuè, ac in Eubœa Chalcidenſes uſque ſtuporem τὰ παιδικά, id eſt pueriles amplexari amores. Sed & Ganymedem nõ ab Ioue raptum Echemenes ſcribit, uerum à Minoe. Chalcidenſes apud ſe ab Ioue raptum prædicant, in loco quem Harpagium uocant, ubi & ſuccreſcant copioſius myrti præcellẽtes. Iam & amore Theſei obretitus Minos ſuſceptas ex nece filij cum Athenienſibus inimicitias gratè depoſuiſſe fertur. Inſuperq; illi Phædram cõceſſiſſe filiam. Sunt qui tantæ fœditatis initia, non à Cretenſibus omnino propagata ſcribant, ſed ab hoſtica dæmonum fœditate: quos fuiſſe nunc incubos, nunc ſuccubos, alibi (opinor) probauimus. Nonnulli à Laio, qui hoſpitio à Pelope exceptus Chryſippum eius filiũ ita adamarit, ut ſecum raperet Thebas: etiam ſi non me fallit, ab Ioue id perpetratum, Praxillam Sicyoniam ſcribere. Achilles quoq; ille tantus bellator nulla magis ratione Troilum creditur peremiſſe in Thymbræi Apollinis ara, quam quod morigerum ſe illi præſtare foret aſpernatus. Quod in Alexandra ſcribit Lycophron. At ipſe, inquit interpres, Troilum ſcio λασυγχίου καὶ μελαγχρῶτα, id eſt barbitij conſtipatioris & nigricantis corporis, & amoribus Achillis prorſus indignum. Hoc eo appoſui libentius, ut noſcerent ſtudioſi, quæ ad illud Virgilianum adijci queant:

Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis,
Infelix puer, atq; impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, curruq; hæret reſupinus inani.

Apud Megarenſes inter pueros uere ineunte oſculorum certamen agebatur, quiq; ſua uius amantem eſſet oſculatus, corollis onuſtus abibat. Aedebatur hoc Dioclis Athenienſis honori, qui Athenis profugus fuerat pæderaſtes, ac amatũ in pugna protegens occubuerat, eoq; nomine à Megarenſibus honorificè ſepultus. Ab amoribus hoc genus in pueros Sophocli atq; Aeſchylo in theatra etiamnum productis, tragœdiam nõ nulli pæderaſten nuncupare, ſibi permiſere. Idem porrò auctor nobis Ariſtoteles eſt, fœminis ferè obnoxias eſſe militares bellicoſasq; gentes præter Celtas: quorũ intem-

perantiam nec tacuit Athenæus, & ſi qui alij maſculorum coitum palàm receperunt. Proinde non abſonè prorſum fabulator primus Martem uidetur Veneri coniunxiſſe, ἢ γὰρ πρὸς τὸν τῶν ἀρρένων ὁμιλίαν, ἢ πρὸς τὸν τῶν γυναικῶν φαίνονται κατακώχιμοι τῶν τοῦ οἱ τοιοῦτοι, uel enim ad muliebrem concubitum, aut in maſculam Venerem proclíues eiuſcemodí homines comperiuntur. Suppetit nobis Græcorum aſtipulatio, qui τῶν πόνηρον καὶ πρὸς οὐδὲν παραβαίνοντας τὰ κοινὰ καὶ νόμιμα τῆ ἀνθρωπίνης φύσεως, ἀμέλικτον. Senatus eiuſdem ſeueritatem in ſugillanda peruicaci Capitolini laſciuia, à quo M. Marcelli filius de ſtupro fuerat compellatus, norunt omnes, quibus Plutarchi monumenta quandoq; uenerunt in manus. Vt taceam Trebonium pudicæ ſanctitatis militem, cui pulcherrimo & in ætatis flore conſtituto, quum inferre uim pararet Luſius Marij ex ſorore nepos, execratus intempeſtiuam hominis libidinem, in eum cooriens interemit: multis uerò apud imperatorem Marium accuſantibus, nõ iuit inficias, perpetratum à ſe facinus: ſed cur feciſſet, rationem illi comprobauit. At egregius imperator uinculorum ſanguinis ſponte oblitus, corollam, quæ ſtrenuè præliantibus dari aſſueuerat, afferri iuſſit, protinusq; Trebonio impoſuit. Sed nec Orſines apud Sagara nobiliſſimus ſatrapes, ut qui à Perſarum rege Cyro initia generis duceret, quum Alexandrum & amicos muneribus ampliſſimè cumulaſſet, Bagoæ ſpadoni, qui Alexandrum obſequio corporis deuinxerat ſibi, quicquam prorſum honoris detulit: admonitusq; à quibuſdam, quàm Alexandro cordi eſſet, reſpõdit, Amicos ſe regis colere, non ſcorta: nec moris eſſe Perſis, mares ducere, qui ſtupro effœminarentur. Auctor tamen Herodotus eſt, à Græcis didiciſſe Perſas, pueris abuti. In eoſdem debacchari ſolitum Alexãdrum, Athenæo item credimus, quando Bagoan inſpectante theatro uniuerſo, etiam ſauiari identidem non erubuerit. Sporum etiam exſectis teſtibus in muliebrẽ naturam transfigurare conatus eſt Nero. Eundem in formã conſtupratæ puellæ, ut Dion ſcribit, in theatrum accerſiuerat Vitellius. Sed contumeliam nõ ferens Sporus ſibi manum admouit. Euryſthea quoq; fuiſſe Herculis delicias, uel (ut Græci dicunt) τὰ παιδικά, ſcribit Diotimus, proindeq; certamina obijſſe. Thebanos, Elienſes, atq; item Cretenſes amatores, in Moralibus execratur Plutarchus, Atheniẽſibus collaudatis & Spartanis, apud quos is exerceretur amor, de quo Euripides,

ἀλλ' ἔστι δή τις ἀλλ' ἐν βροτοῖς ἔρως,
ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς:

Amare ſiquidẽ pueros, eos quibus animus probus foret, lege permiſſum Spartæ: coire autem cum illis, turpiſſimum: perinde atque non animus, ſed corpus amaretur. Qui accuſatus foret, tanquam ad dedecus congrederetur, is uerò per omnem uitam cenſebatur infamis. Scribit tamen alicubi Plutarchus, Seruum formoſum amare, ueteribus non eſſe turpe, iudicatum: quod, inquit, etiam ex comœdijs teſtatiſſimum eſt: uerum à liberis corporibus abſtinuiſſe, honeſtiſſimũ eſſe in primis habitum. Digna uerò in cenſura iſtiuſmodi Anacreontis ſentẽtia, quæ haud prætereatur: Interrogatus nanq;, quid ita in deos haud magnopere hymnos concinnaret, ſed in pueros ferè: Quoniã, inquit, οὗτοι ἡμῶν θεοί εἰσι, dij noſtri hi ſunt. Hinc crebriter ad ueteribus παιδικούς, dici hymnos comperias. Et in Iſthmijs prodit Pindarus, Lyricos antiquiores, qui Muſarũ conſcenderent currum, ῥίμφα παιδείους τοξότας ὕμνους.

Item nõnulla ad idem ſpectantia. Syllæ cinædica turpitudo, & Gallorum, ac Cæſaris. Laij in cinædos decretum. Vnde ſit cinædorum in coitu uoluptas. Hircini quoq; odoris ratio. Qui hirquitalli, & hirqui: & tragica facies apud Ariſtotelem, præter Theodori ſentẽtiam. Hermaphroditorum ſpecies. Tragænæ capræ, ſeu hircænæ. Genitalium duplicatio. Cap. X

ARceſilaum memoriæ proditum eſt, & in Sympoſiacis Plutarchus non omiſit, quum mœchos increparet quoſdam atq; intemperantes, dicere conſueuiſſe, Nil differre, antè an retrò quis cinædus foret. Cæterum rectius item fecerimus, ſi hiſce noſtris commẽtationibus Platonis quoq; præceptum ex octauo Legum inſeruerimus, quo philoſophus ſanctiſſimus Venerẽ execrabilem nititur reprimere. Abſtinendum, inquit Athenienſis ille hoſpes, à maribus cenſeo. Nam qui

qui iſtis utuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem feminãtes, ubi radices agere, quod ſeritur, nunquam poterit. Abſtinendum quoq; ab agro illo fœmineo, ubi ſemen germina nolit producere. Cognata ijs ſunt, quæ Maximus ſcribit Tyrius: Cum maſculo, inquit, corpore iniqua fit permixtio, ſterilisq; congreſſus. Quid ſaxis mandas ſemina? Sabulum quid aras? Oblectationes hoc genus ad ipſam transfer naturam, ad agricolationem oculos conuerte, fructuoſis lætare uoluptatibus, ne ſecula mox futura ſemine pereant deſtituta. Ciceroni tamen turpitudinem hanc inimiciter Saluſtius obiecit: obiecit & Verres: cuius filius quũ in ea quoq; re malè audiret, Ignorare uideris (inquit Cicero) decere, filios intra ianuam coarguere. Syllam uerò Romæ dictatorem, produnt auctores grauiſſimi, ab primo pubeſcentis ætatis ueſtigio in ſcurrarum gremijs per damna uenundati pudoris adoleuiſſe. Qui tamen etiam ſi ſexus ſui nunquam memor, & ultra commendationem gratiæ puerilis ætatis, ſenex exoletus in aliena ætate flagitia corporis retinens, uitijs obſeſſus Romano præfuit imperio. Quin ne quid deſit, ampliſſimi ſenatus decreto ac populi, proſperæ ac perpetuæ felicitatis nuncupatione ornatus item eſt. Auctor nobis Plato eſt, Thebarum regem Laium atrociter, id eſt ignis ſupplicio, in emaſculatores ac naturæ peruertentes placita animaduertendum cenſuiſſe. Inter Gallos uerò quandoq; malũ id inſæuiſſe adeo, proditũ memoriæ eſt, ut inde nefaria ſanciretur lex, Ne cui duxiſſe uxorem liceret, qui prius uxoriam non impleſſet functionem. Cæſar parte hac malè audiuit, quod apud Nicomedem deſediſſet adoleſcentulus: propterea inconditis iocis triumphãtem ſequuti milites ut inquit Dion, inclamarunt ſubinde, Καῖσαρ μὲν γαλῶτας ἐδουλώσατο, Καίσαρα δὲ νικομήδης. quod permoleſtè is tulit, etiam ſi alijs arriſiſſet. Sed enim quia cinædulos ſcimus ſumma, dum turpiter atteruntur, perfrui uoluptate, putamus ne quippiam altioris ſubeſſe rationis? Minus fortaſſe pudicum aut graue fuerit, ijs tam diu immorari: ſed meminiſſe legentes debent, nos noſtra hac commentandi ſedulitate, rerum copiæ in primis ſtudere, ut ſpicilegium conficiamus (ut ſic dicam) ſatyricum, unde languentibus etiam conciliari poſſit appetentia. Quòd ſi qua me præterierint, quæ haud parum multa eſſe, non ambigo, me conſoler, Veterũ ſapientiſſimos multa ſciſſe, non omnia. Scimus præterea perfectiſſimas artium, temperantiam, iuſtitiam, prudentiam, non honeſta modo expendere, iuſta item ac utilia: uerũ noxia quoq;, & turpia & iniuſta. proinde τὴν ἀπειρίαν τῶν κακῶν καλωπιζομένην ἀκακίαν οὐκ ἐπαινοῦσιν, ἀλλ' ἀβελτηρίαν ἡγοῦνται. Sed & Thebanus Iſmenias diſcipulis itidem benè tibia incinentes oſtentabat, & ſecus, inſuſurrans celebratum illud, οὕτως αὐλεῖν δεῖ. Et rurſum, οὕτως αὐλεῖν οὐ δεῖ. Quin Antigenidas iuuenibus iucundiores aſſeuerabat tibicines bonos, qui & malos forent experti quandoq;. Quare neminem uel in hiſce ἀκριβῶς ἔχειν rectè, ſum opinatus. Igitur in literis ita inuenio literatis, tum apud Ariſtotelem, tum apud alios. Excrementis ſingulis locum eſſe à natura conſtitutum diſtinatumq;, in quem decretoriè ac naturæ ui ſecerni debeant. Solicitata uerò natura, ſpiritus excurrens tumorem admouet, excremen tumq; unà extrudere ſolet. Nam ut prima primi Auicenna quoq; perdocet, ſpiritus expulſionem iuuat, ut urinam in ueſicam, cibum conſumptum in aluum naturæ deduci placuit. His autem proximè genituram quoq; in teſtes & penem deferri, conſtitutum eſt. Quibus itaq; meatus habitu ſuo naturali priuantur, uel quia occecati ſunt, qui ad penem tendant, quòd ſpadonibus hisq; ſimilibus euenit, uel etiam alijs de cauſis, ijs talis humor in ſedem confluit. Quippe qui hac etiam tranſmeare ſoleat. Quam rem eius loci contractio in coeundo, & partium ſedi appoſitarum conſumptio indicant. Qui ſi admodum ſemine genitali abundant, excrementum illud largè in eum locum ſe colligit. Itaq; quum excitata cupiditas eſt attritum pars ea deſiderat, in quam confluit excrementũ. Quum enim libido cõmota eſt, ſpiritus eòdem concurrit, & genus id excrementi confluit, quò ſecedere natum eſt: & ſi tenue ſpiritoſumq; eſt, quum difflatum id fuerit, requieſcunt: ut pueris & adoleſcentibus interdum, nullo ſecreto humore, ceſſare tentigines ſolent: ſed ſi craſſum corpulentumq; eſt, niſi extruſo, quieſcere nequeunt. Quorum uerò natura mollis eſt & fœminea, ita hi conſtant, ut genitura uel nulla uel minima eò ueniat, quò illorum ſecernitur, qui præditi natura integra ſunt: ſed ſe in partem ſedis diuertat, quod propterea euenit, quia præter naturæ normam conſtiterunt.

Quum enim mares crearentur, ita degenerarunt, ut partem uirilem mancam atq; oblæsam habere cogerentur: unde fit insatiabiles etiam sint more mulierum. Quibus itaq; sedem humor ille adiuit, hi pati tantummodo auent: quibus autem in utranq; partem sese dispertijt, hi & agere & pati affectant. Sed sunt quibus item ex consuetudine affectus hic accidat. Egestio uerò excremẽti genitalis maximam affert oblectationem respectu aliarum euacuationũ: quoniam in ea, uirtus in primis uiget animalis sensiua, commeatq; per partes sensibilissimas. Accidit præterea in coitu uoluptas, inquit primo De animaliũ generatione Aristoteles, non solum propter seminis emissionem, sed etiam spiritus: quod in pueris palàm fit, & sterilibus uiris. Iis enim accidit oblectatio tum ex attritu, tum ex spiritus secretione. Qui uerò rem Veneream agunt, aut qui in ætate sunt quæ sufficiat Veneri, malè olent, καὶ τὸ καλουμένου τραγόν ὄζουσιν, hoc est uirus hirci reddunt. Quod in pueris non fit: cuius ratio est, quoniam puerorum spiritus ὡς ἐπὶ τὸ ὑγρὸν καὶ οὐκ ἰδρῶτας, id est humorem sudoremq; concoquere potest: uirorum autem nequit: proinde sunt in ijs humiditates crudæ indigestæq;, & ad corruptionem procliues: ideoq; sudores eorum, & resoluti illinc fumi grauiter olent: neque enim calor latenter cõsumit, ut in pueris, sed extrudit potius, & uapores concitat: idq; in alis præcipuè atq; inguinibus: simul à membris alijs humore redundanti illuc profluo: simul quia partes illæ obtectæ plurimum sunt, minusq; exercitatæ. Ab hoc euentu putãt eruditi, & Sex. Pompeius docuit cum Censorino, pueros dici hirquitalos, ubi primum ad uirilitatem accedunt, fitq; Venereorũ appetentia opportuna: ex hircorum libidine, aut odoris insuauitate, quem nunc tragum uocãt, nunc hircum, aut (ut Catullus) caprum. At quoniam præpingues hirci, minus fœcũdi sunt: inde quum uites non ferunt, dicuntur τραγᾶν, id est hircescere. Porrò, quia contrudit libido oculos in angulorum anguſtias, quos uocant hirquos, auctore Suetonio, in uitijs corporalibus: inde à Virgilio scriptum uolunt, Transuersa tuentibus hirquis.

quoniam libidinis, quæ in hirco præferuida est, illic promãtur signa. etiam si Apuleius grammaticus, quòd illic hæreant oculi, hirquos dici opinatur. Alij hircis defendunt, quoniam id animal oculos habeat ad nares conuersos. Proindeq; apud Aristotelem, τὰ τραγικὰ πρόσωπα, non laruas interpretamur, quod fecit Theodorus: sed tragicas facies, ad hanc hircorum naturam referentes: quoniam tragœdorum personæ nihil minus, quàm oculos ad nares ualeant inflectere. Valerium Plutarchus scribit habitasse τραγικώτορον, quod uelut tyrannus omnium ingrueret capitibus. At Dionysius Phereæum, qui menses modò decem Thessalis imperitasset, tragicum appellabat tyrãnum, temporis breuitate notata. Traditum ab Plutarcho est, Alexandrinos M. Antonij luxum & scurrilitatem amplexantes dicere consuesse, tragica illum facie in Romanos uti, in se autem ipsos comica. Tragica cornua in Pyrrhi galea hircina intelligunt. Quoniam uerò in coitus ratione uersamur, subijciamus de hermaphroditis non ingrata ex Græcorum cella proma. Scribit ergo Leonides, eorum quatuor uideri species, ac in hominibus quidem tres, in mulieribus unam: siquidem in uiris quandoq; in perinæo, id est cole, uti interpretatur Theodorus: quandoq; uerò in oschei meditullio hirsutior se promit pudendi muliebris effigies. Tertius autem modus, quo ex oscheo uelut pudendo urina profunditur. In mulieribus uerò supra clitorium in ephebeo uirilis membri positio comperitur. Nec testiculorũ abest prominẽtia infra colem. Et duplex quidem genitale uisitur in homine quãdoq;: in capris tamen præcipuè, quas etiã inde tragænas nuncupant, perinde ac hircænas dixeris. Cæterum etiam si ita nascẽtibus unde potius indatur nomen, ambiguum sit: à meliore tamen, hoc est masculino uti nũcupentur, impetratum à cõsuetudine est. Nec enim androgynas audiuimus, aut hermaphroditas. Quo autẽ sydere prodeant hermaphroditi, eunuchi, uiragines, archigalli, ubertim Matheseos tertio Firmicus in solis decretorum ratione. Androgynos uulgò dici ambiguo inter marem & fœminam sexu, Liuius scribit, ut in pleriscq; faciliore ad duplicanda uerba sermone Græco. Abominatos præcipuè semimares fuisse, idem scribit libro Macedonici belli primo, ac in mare deportatos.

Qui dicantur officiosi. Item betæ, necnõ uolsi ludij, & præcisi. Loca Martialis duo explicata uberius. Quid sicula, & sica. Chabete. Item badas, seui

nus

nus,& anaphlyſtius:item catadactylicus.De Pindari obitu.Dropax quid. Dactylios.Quos poetas amauerint dij. Caput XI

ACherius orator, cui tanta orationis celeritas affuit, ut & uitium fieret,& bracteata Cæſaris Auguſti ad id ſententia circumferatur,Acherius noſter ſufflaminandus eſt, quum libertinum reum defenderet, cui obijciebatur, quòd patroni cõcubinus fuiſſet, dixit, Impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſeruo neceſſitas,in liberto officium.Hinc factum Seneca ſcribit Declamationum quarto,ut impudici,fœminatiq́ (ut quidam enuntiant)& obſcœni,aliquan diu officioſi ſint uocitati.Eſt tamen honeſta item uocabuli eius notio: nam pro Milone Cicero labores ſuos officioſos dicit. At Cynicus Diogenes, molles id genus, etiam betæ nomenclatura non abſq́ felle uidetur appellaſſe: nam quum à quibuſdam,ut canis inceſſeretur,ſeq́ amplius obſeruaturos prædicarent,ne mordicus ab illo apprehenderentur, Bono animo eſſe iuſſit, neq́ enim canibus eſſe in more ueſci betis. Quod & Auguſtus ſignificaſſe uidetur,quum betizare,pro languere poſuit, quod uulgò dicere tur lachanizare. Sed & Catullus:

Languidior tenera cui pendens ſicula betâ,
Nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam.

Qua in parte aduertendum obiter, ſiculam dici de uirilitate, forma deminuta à ſica. Chabeten mechanici ſiphonem dicunt. Sed ad betam nihil. Animaduerto & uolſos ludios recte de cinædulis poſſe dici: quando,ut in Magia ſcribit Apuleius, ludij omnes, hoc eſt Dionyſiaci technitæ,ſiue hiſtriones impudici erant. Mox, inquit, in iuuentute ſaltandis fabulis exoſſis planè & eneruis,ſed (ut audio) indocta & rudi mollitia:negatur enim quicquam hiſtrionis habuiſſe, præter impudicitiam. Scribit tamen in doctorum indagine Marcellus: pueros depiles ac glabros, qui in ludis præſultarent, ludios à Romanis ueteribus nuncupatos. Et Appianus Alexandrinus in Libyco, triumphi deſcribens pompam:Imperatorẽ,inquit,lictores præibant purpureis amicti ueſtibus, tum citharœdorum ac tibiarum turba ad Hetruſcæ ſimilitudinem pompæ. Hi ſuccincti coronisq́ aureis redimiti,ſuo quiſq́ ordine canẽtes pſallentesq́ prodibant. Hos ludios appellant. Vt facile crediderim, Hetruſcos à Lydis ſumpſiſſe originem. Horum in medio quiſpiam talari ueſte,fimbrijs ac armillis auro ſplendentibus amictus, geſtus uarios ædebat,riſumq́ undiq́ ciebat. Cæterũ, ut ad rem, uelut poſtliminio, redeamus: Cinædus, ut eſt apud Ameriam, dicitur etiam βαδὰς: id quod adnotaui procliuius, quoniam paſſiua eſt uox ea linguæ uernaculæ, paulum modò luxata: ſed ita, ut origo diluceat tamen.Badas Latine ſcribitur. Androgynum uocat etiam Pollux. Secundis modò auribus iſta accipiant ſtudioſi, quando aduerſas impenſe deprecamur, ut à metu uirulentiæ dentato eſſe uacuis liceat. Dicitur idem hic & καταπύγων: ſicut παιδοφθόρος, puerarius. Nam pudicos amatores ἐρασὰς uocant, amatos uero ἐρωμένους. Præciſos item id genus muliebria patientium eruditorum quandoq́ nuncupat ſchola. Senecæ id comprobat auctoritas:Quid porrò,inquit,non eſt iniquum, fortes arma ſumere, & in caſtris pernoctare, & pro uallo obligatis ſtare uulneribus: interim in urbe ſecuros eſſe præciſos, & profeſſos impudicitiam? Ad quod Martialis alludens Epigrammatum ſecundo:

Os tibi præciſum,quanto non ipſe Latinus
Vilia panniculi percutit ora ſono.

Eum locum interpretatus Domitius, putat à præciſo inteſtino declinari uocabulum in turpitudinis notione: nam præciſum & omaſum duo eſſe inteſtina,Martialis auctor eſt.Ego ex Græcæ linguæ,ut multa, proprietate atq́ imitatione deflecti eius uerbi notionem puto.nam id apud eos κόπτειν quandoque ſignat, quod apud nos præcidere,ut apud Ariſtophanem in Batrachis, κυνόπτης ἐγλεικυφώς, id eſt & præciditur acclinatus, adnotante etiam interprete, id uerbum κόπτεται, pronuntiari καλαμφώτως. Et quia Martiali opem tulimus pro ingenij captu parte hac, commoneamus eius libri ſtudioſos,poetæ eiuſdem ſales futuros ſapidiores multo, guſtumq́ amplius laceſſituros, ſi ad ſiculam reſpexeris,quam paulo antè pro uirili parte capi diximus per diminutionem à ſica,illo Epigrammate libri undecimi,

Inuaſit medicus ſica phreneticus Eucli,

Et præcidit Hylam, hic (puto) ſanus erat.

Apud eundem Ariſtophanem ſeuinum obſeruauimus pro inſcenſore capi atq; etiam emaſculatore: à uerbi Græci proprietate βινέω, cuius meminit etiam ad Pætum Cicero. Nam anaphlyſtius in eadem comœdia maſturbatorem innuere uidetur, qui fiat ſine fœmina maritus, & thalaſſionem indicat manibus libidinoſis: quippe ἀναφλαῦ ſignat τὸ μαλακίσειν τὸ ἀιδοῖον, id eſt mollius genitalia tractare. Sed & apud Eupolin in Autolyco, anaphlaſmum pro Venereis obſeruatum, ſcio. Legimus porrò & catadactylicum de puerario dici: quoniam dactylion, id eſt annulum de ſedis hoſtiolo pronuntiari, frequentiſſimum apud Græcos eſt. Sed nos iam ab iſtis reſiliamus: illud adijcientes modò, Pindarum nouem Lyricorum principem, ut Fabio credimus, morte quoq; nobilitatũ, ſi qua turpibus ineſſe nobilitas poteſt: nam in gremio dilecti pueri in gymnaſio inuentum eſſe mortuum, Græcorum monumentis teſtatum eſt. Hic eſt Pindarus quem ita denique amaſſe Apollo fertur, ut illi oblatorum portiunculam impartiretur, quin & à ſacerdote ad cœnam cum deo in ſacrificijs ſubinde uocaretur. Verum & carminis Pindarici amatorem fuiſſe Pana, Plutarchi teſtatum monumentis eſt: ſicuti Archilocho Heſiodoq; morientibus per Muſas beneuolentiæ teſtimonium præbuit numen. Sed & ab Sophocle uiuente hoſpitio exceptum eſſe Aeſculapium, traditur. Quin mortuum ſepeliri, curauit deus alius. Quippe ita ſancitum eſt, non uideri deum φίλιππον, aut φίλορνιν, id eſt in equos propenſum, uel aues: ſed eſſe apprimè φιλάνθρωπον, id eſt hominis ſtudioſum. Martialis denicq;, ut quacunq; ſe oſtentarit occaſio, Latinæ eruditionis pomœria proferamus, in cinædum Gargilianum ſcribens, ſic ait:

Pſilothro faciem lauas, & dropace caluam,

Nunquid tonſorem Gargiliane times?

In parte hac id modò ab interprete affertur, eſſe depilatorium unguentum dropacem. Ipſe in Galeni theſauris id item comperi, Maciem inoriri plerunq; ex corporis totius frigidiore, ſiccioreq; temperatura, nonnunquã ob digerentis uel nutrientis uel utriuſq; facultatis imbecillitatem: ſic uero affectis opitulatur unguenti genus, inquit, quod à Græcis hodie dropax nuncupatur, quando graciles multi ſic obeſiores ſunt reddiri. Dropax ab ſinapiſmo creditur diuortium habere, quod è ſinapi fit ſinapiſmus, è pice dropax: proinde pittoſis item appellatur, id eſt picatio. Dropaciſmum & ſinapiſmum in Græcorum medicis obſeruauimus dici pro dropacis & ſinapis conſperſione, quæ in medendi uſu rationem habet plerunq; ad euocanda in corporum ſuperficiem, quæ altius inſinuata latitant nocentq;.

Specula cur inuenta. Maronis locus explicatur ex Bucolico ludicro. XII

SOcratem philoſophũ ſcribit Apuleius, ſpeculo, quod mirum fortaſſe uideatur, ad morum diſciplinam eſſe uſum. Quippe ſuaſiſſe diſcipulis fertur, crebrò ut ſemet in ſpeculo contemplarentur, ut qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, procuraret, ne corporis dignitatẽ morum dehoneſtamento pollueret. Qui uero minus in ſe uiſendam formam inſpectaſſet, minusq; ſe eo nomine commendabilem, nauiter conſurgeret, ut uirtutis ſplendore inopiam formæ colluſtraret, ac ingenio corporis damna rependeret. Seneca quoq; Naturalium primo: ſpecula eſſe tradit inuenta, ut homo ipſe ſe noſceret: Multi, inquit, ex hoc conſequuntur primò ſui notitiam, mox & conſilium quoddam: formoſus, ut uitet infamiam, nec Libycis ſe uitiorũ Syrtibus adobrui ſinat, ſed fauentibus dijs hominibusq; ſtiuam (quod dicitur) teneat: deformis, ut ſciat, uirtutibus redimendum, quicquid corpori defuerit. Amplius, ut iuuenis flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi. Senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret, admoueri ſibi lineas ſentiens. Sed & natura, inquit idem Seneca, facultatem uel inopi eſt impertita ſeipſum uidendi, fons cuiq; perlucidus, aut leue ſaxum imaginem reddit. Hinc illud Maronis:

Nuper me in littore uidi,
Quum placidum uentis ſtaret mare.

Hactenus Seneca. Sed & in Alcyone Lucianus: Nónne uides, inquit, ut ſuperiora ſint ſerenitate conſpicua, fluctibus autem ſedatum mare ac tranquillum, ὅμοιον ὡς ἐπάνω κατόπτρῳ

κατόπτρῳ, id eſt ſpeculo (ut ſic dicam) conſimile. Nidulante ſiquidem alcyone, alcyonidas quos uocant, dies, agit mundus. Ex quibus eſt hæc uel præcipua. Sed & alibi Lucianus idem in dialogis quos uocat ἁλίους, id eſt marinos, colloquentibus Doride ac Galatea, inibi inquit, Doris: ex petra quapiam, ſicubi fluſtra ſint, acclinata in aquam conſpicare teipſam, non ferè aliud quàm expreſſius albentem colorem: hic uero non laudatur admodum, ni decenter rubens quippiam intermicarit. Cæterum hæc obiter adnotaſſe uolui, ut ſcirent literarum interiorum candidati: quid aduerſus grammaticorum nugamenta & promixtas opiniones nutantesq́, proferri poſſit, quos ſæpe aduerſus retiarium ferula delectat, & uolſella, ut eſt apud Varronem, cum gladio pugnare. Sed quo maius ſubeat iſta legendi prolubium, addemus & quæpiã ſanè haud illepida.

Item de ſpeculis nonnulla ex mathematicis rationibus: necnon de naphtha, & ſpecillo. Atq; inibi locus Plinij perpenditur. Medeæ pharmacum. Optice. Geometriæ partes. Canonice. Metrice. Specularij. Specularia feneſtrarum. Specillata patina. Conſpicilia. Caput XIII

ARchimedem uero Syracuſanum, in omni quidem geometria multum ante alios admirabili ſubtilitate uirum, ſed in ſpeculorũ ratione pertractanda uel maxime memorandum, legimus uolumine ingenti rimatum acerrimè, cur planis quidem ſpeculis fermè pares obtutus, & imagines uideantur: in tumidis uero & globoſis, omnia defectiora: at cõtrà, in cauis auctiora. Necnon cur læua cum dextris permutentur, quando ſe imago eodem ſpeculo tum recondat penitus, tum foras exeat. Cur caua ſpecula, ſi ex aduerſum ſoli retineant, appoſitum accendant fomitem, qui fiat uti arcus in nubibus. Qua ratione proditum Galeno eſt De conſtitutionibus tertio, ab Archimede hoſtium naues peruſtas, pice nullo negotio ignem concipiente. Sicuti in Aſiæ urbe domum deflagraſſe contigit, feneſtræ cuidam lignis pice litis adiacentibus, & in extima parte columbino retrimento ex putrefactione amplius arefacto: nam eo ualidius ſolari radio uaporante, ut æſtate aſſolet media, materia flammam concepit, moxq́ ad ſumma peruenit incendium. Sic & celebratum Medeæ pharmacũ ignibus admotum inardeſcebat. Conſtabat autem ſulphure ac aſphalto humectiore. Naphtham id fuiſſe, Plinius ſcribit. Sed eam in Pompeij rebus ſcribit Dion, eſſe φλεγμαινὴν ἀσφαλτῶδες. Quo Luculli milites Tigranocerta obſidentis diuexati plurimum ſint, per machinas effuſo: quoniam malo eatenus ignita ſit uis, uti cuicunq; admoueatur, perurat, nec ab humectis reſtinguatur facile. Scribit tamen Diodorus, radicis cuiuſdam poteſtate, quam edocuiſſet Circe, pellicem ab Medea concrematam. Sed hæc, ut ad ſpecula redeam, interciderunt omnia, ac uel temporum iniuria pleraque laceſſentium, uel priorum incuria nobis erepta perſæpe cogunt impingere, ut nonnunquam nobilium ingeniorum fœtura uel præfocata, uel alliſa, ne Steſichori quidem, quod dicitur, illa norimus Græcis cantatiſſima. Verum enimuero tempeſtate noſtra extant tamen optices ueſtigia aliqua, quibus quum alia doctè præcipi animaduertas: tum illud, Speculorum materiam eſſe lenitatem, ac partium inoffenſam continuitatẽ, quæ meatibus prorſum careat ſenſui perſpicuis, qua ratione lignum, item id genus alia plura, minus effici poſſe ſpecula. Formam uero eſſe leuigationem ac perfectam polituram, quo nomine intelligi uolunt, omnem aſpredinis utique amotionem. Porrò ut exactius uiſibilia ualeat exhibere, neceſſariam tradunt ſenſibilis coloris abſentiam. Sed cur nam in ſpeculo, imbecillis ſit imaginũ expreſſio? nempe quia formæ reflexæ debiliores comperiuntur, proinde & debilius offeruntur, ac mouent. Ratio euidens nõ ex ſpatio ſolum, à fonte diſſito, ſed amplius ex obliquatione. Siquidem rectitudo lucis cognata progreſſui eſt. Id & in alijs naturæ conuiſimus operibus. Omnis enim motus tanto eſt fortior, quanto rectior: propterea uigorem obliquitate, ac flexu hebeſcere, palàm fit. Additur illud quoq́, Speculi colorem immiſceri reflexæ lucí, quæ fuſcior inde effecta faciem aliquo modo maculoſam oſtentat, infectam' ue. Latent tamen in ea ſæpius labeculæ ex reflexionis debilitate. Porrò geometriæ portio eadem, quam Græcè quidem opticen dicimus, perſpectiuam Latinè: id efficit item admirandum, uti in ſpeculo uno rei unius plures ſeſe oſtentent imagines. Item ſi certo utiq́ modo, & loco aſtituatur ſpeculum, imaginet prorſus nihil: ſitu autem demutato, imaginoſum

ginoſum fit. Id comminiſcitur quoq; ars hæc, uti caput in imo compareat, pedes uero ſurrecti. Id quod prodidit Varro. Qui & geometriæ partem facit alteram, Canonicam Græcis nuncupatam: quæ uocum longitudines & altitudines menſu diſtinguit certo: longior autem menſura, rhythmus uocatur, id eſt modulus uel numerus & pedum ordo: altior autem μέλος, id eſt cantus modulatus: nam μετρικὴ, id eſt menſuraria ſeu dimenſiua ſyllabarum excutit menſum, & canonicæ portio eſt. Sed & alibi ſuper ſpecularis euigilata nobis quæpiam. Interim illud minimè diſtulerim: eſſe apud Patras in Achaia Cereris templum, & ante id fontem, ubi & μαντεῖον ἀψοδὲς, id eſt maximè uerax oraculum, in iis modò quæ ad morbos ſpectant: nam funiculo prætenui ſpeculum in fontem demittunt, ita libratum, ut aquam modò per ambitum leuiter attingat: mox fuſis deæ precibus, uſiq; thymiamate in ſpeculum contuentur, ac inibi ſeſe oſtentat moriturí pòſt paulo, aut ſuperfuturí imago ægroti. Denique parte hac monitos uelim ſtudioſos, illud Plinianum de mortibus repentinis ex libro ſeptimo: Super omnia C. Iulius medicus, dum inungit, ſpecillum per oculum trahens, eſſe qui ad conſpicilia referant, quæ inſerta naribus uiſum mirè adiuuant. Sed Varro facilè hos retundit, apud quem ita legimus: Hinc, quo oculos inungimus, quibus ſpecimus, ſpecillum. Sunt qui conſpiciliorum artifices, ſpecularios recte dici opinentur: ac qui feneſtris ſpecularia prætendunt, frigoris defendendi cauſa, meminit iureconſultus Vlpianus. Specillatam patinã intelligunt nonnulli ſpecillis diſtinctam. Hypaliptrũ Galenus ſpecillum uocat.

De Veſta, & ignis inextincti ratione: itemq; de uirginibus. Ouidij & Papinij loca amplius explicantur. Ignis ſacri extinguendi ritus apud Perſas. Ignis è cælo lapſus. Item de Veſta, ex Phurnuto. Atrium Veſtæ quid. Cap. XIIII

VEſtam, Saturni ac Rheæ filiam Diodorus ſcribit, primamq; domuum ſtructuram excogitaſſe. At Plato & Platonem ſequuti ſummo ingenio uiri, altius mentis aciem intendentes, Veſtam deam accipiunt, eſſentiam formarum ſeparatarũ, diuinorumq; ſtabile fundamentum. Ideoq; Veſtę ante alios deos ſacrificare priſcos conſueuiſſe. Quod in Olympici Iouis ſacris ſeruatum, in Eliacorum primo Pauſanias ſcribit, θύουσι δὲ inquit ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δεύτερῳ δὲ οὐρανίῳ Διί. At libro De dubijs animæ ſecundo Plotinus, terræ animam tum Veſtam, tum Cererem dici ab hominibus tradit: quam tamen Plutonem quoq; cum Proſerpina coeuntem, nuncupant plerique. Sunt qui Veſtæ appellatione, terrã ſignificari putẽt: eamq; ueluti mulierem effingant, tympanum geſtantem, quoniam uentos intra ſe contineat. Quam rationem ſequuti Romani Veſtæ templum rotunda ſtruxere forma, in quo & perpetuus ſeruaretur ignis, imitati terræ figuram, quaſi lar focusq; ſit, ſed totius mundi potius. Cuius medium, Pythagorici putant ignis ſedem: ſicuti in libris De cælo & mundo cõmeminit Ariſtoteles, & in Timæum Platonis Chalcidius. Et larem uocant ac monada. Terram uero neq; immobilem, neq; in medio poſitã globi, ſed eſſe circum ignem in ambitu ſuſpenſam: quam ſentẽtiam Platonem quoq;, quum ſenior iam foret, ſequutum eſſe, memoriæ proditum eſt. Quin & ab igni & elemento quinto, mundi initia eſſe ducta, inter Pythagoræ placita fuiſſe, auctor Plutarchus eſt in libro De philoſophorum dogmatibus. Id quod in Parallelis explicatur fuſius, de Camilli geſtis rebus. Produnt alij, Veſtæ ideo ignem apponi, quòd terra inflammationes in ſublimi faciat ex ſeipſa. Lucius uero Florus etiam ſic ſcribit in Numa: In primis focum Veſtæ uirginibus colendum dedit, ut ad ſimulacrum cæleſtium ſyderum cuſtos imperij flamma uigilaret. Ignis porrò inextincti cuſtodes uirgines erant, ut puram & incorruptam ignis ſubſtantiam, inuiolatis item integriſq; corporibus, illis commendarent: ſiue quòd ſteri le ac infœcundum eſſet, ſcitè uirginitati adiungerẽt. At in Græcia, ubi perpetuus ſeruatur ignis, non uirgines, inquit Plutarchus, ſed coniugio ſolutæ mulieres, eiuſce rei curam habent. Strabo tamen libro nono: In ſaxo, inquit, uetuſtum Mineruæ templum poliadis ſurgit, in quo lucis inextinctæ lychnus eſt, & uirginũ domus, quam Ictinus condidit. Lectum in Græcorum commẽtarijs illud quoq;: ignem cælitus primò in agrum decidiſſe Argiuum, qui & in templo Apollinis ſeruetur, quod Argis in foro ſit excitatum. Si uero quandoq; interextingueretur ignis, ſicuti Athenis Ariſtone tyranno: & apud Delphos, templo à Medis incenſo, & Romæ tum Mithridatici, tum ciuilis belli temporibus

temporibus, haudquaquam ex altero igne lucernas ſacras ſuccendere fas erat, ſed nouum & peregrinum elici oportebat, accenſa ex ſole flamma pura & immaculata, uaſis quæ ſcaphia uocabant, quæ ratione iſta ſic concinnabantur excauata, ut radijs ſolaribus hinc inde coniectis in centrum, arida materia appoſita, cõfeſtim promicaret ignis. Inter noſtros uero ſcriptores ſunt, qui tradunt, interextincto igne, uirgines uerberibus affici ſolitas à pontifice: quibus mos erat, tabulam felicis materiæ tamdiu uerberare, quouſque exceptum ignem cribro æneo in ædem uirgo ferret. Nec mirum: nam ſicuti etiam commeminit Antiquitatum ſecundo Dionyſius, id Romani præſagium interitus Vrbis opinabantur. Quod uero ſcitu dignum eſt, & noſtræ religioni cõſentaneum, menſe Martio quotannis innouabatur ignis in templo Veſtæ, quod in Faſtis canit Ouidius:

Adde, quòd arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & uires flamma refecta capit.

Quo in loco notandum id obiter quoq;, Arcanam dici eȩdem, non quia illuc mares non ingrederentur, quod uoluit interpres: ſed quia, ut Dionyſius inquit, præter ignem arcana erant quædam in templo deæ ſacra, quorum neq; põtifices cognitionem haberent, neq; uirgines. Quod & Silius carmine comprobat, libro Punicorum tertio,

Et Veſtæ ſecreta feramus.

Titus porrò Liuius ab Vrbe condita libro quinto, in Camilli oratione: Quid, inquit, de æternis Veſtæ ignibus, ſignoq; quod imperij pignus cuſtodia eius templi tenetur, loquar? Et libro ſexto ſecundi Punici belli, æternos ignes recenſet, ac conditum in penetrali fatale pignus imperij. Hæc ideo accuratius ſum conſectatus, ut intelligeremus amplius illud Papinij ex quarto Syluarum

Donec Troicus ignis, & renatæ
Tarpeius pater intonabit aulæ.

Veſtalibus eum porrò fuiſſe morem accepimus: quum ui morbi ex atrio Veſtæ cogerentur excedere, matronarum curæ cuſtodiæq; mandarẽtur. Atrium autem Veſtæ, domum intelligimus Veſtalium, templo adnexam. In octaua Vrbis regione fuit item atrium Mineruæ, ut ſcribit P. Victor: ſicut in Auentino, Libertatis. Fuit etiam in Capitolio atrium publicum T. Liuio: ſicut alibi regium atrium, quod erat circa forum. Sed & in Latomijs atria recenſentur duo, Menium & Titium. Hepheſtionis funus Babylone celebraturus Alexander per edictum Aſiæ ciuitatibus nuntiari iuſſit: ignem, qui ab Perſis dicitur ſacer, extinguerent, quo ad funebris æderetur pompa. Id uero Perſis erat in more, ſi obijſſet rex, aliàs haudquaquã. Qua cauſa fuiſſe Alexandro ominoſum, docuit euentus. Quod item ad Veſtam attinet, Phurnuti non prætereunda ſententia eſt: In fabulis (inquit) traditum, Veſtam primam eſſe genitam, & poſtremã quoq;: quoniam ex terra propagata, in eandem reſoluantur, rurſumq; conſiſtant. Quo nomine in ſacris ab ea Græci auſpicati in eandem deſinebant. Corollis honeſtatur albis, elementi ambeuntis ratione.

Ignis cultus apud uarias gentes. De uſu luminum in noſtra religione. Cur homo tantum utatur igne. Dionyſius cognomento Lampter. Lampteria feſta. Ignis inuentio. Ignis è Veſuuio miraculum. An in ignibus uiuere animal queat. An ignis ſit elementum.

Caput XV

QVod uero ad ignis cultũ & uetuſtos pertinet ritus, lectum in Plutarchi monumentis eſt. Perſis in Græcia occidione occiſis, conſultãtibus reſpondiſſe Pythium: Ioui, in cuius tutela libertas ſit, patriam eſſe dicandam: nec prius rem diuinam faciẽdam, quàm uniuerſæ regionis igne extincto, ueluti à Barbaris uiolatus is foret, purum ex Delphis, uelut à communibus laribus, accenſum intulliſſent. Chaldæos quoq; numinis uice ignem coluiſſe, Græci quidem ſcribunt, addita lepida fabella ſacerdotis Canopi. Sed Hieronymus quoq; & Nicolaus theologus comprobant Geneſeos capite undecimo. Verum & hiſtoria proditum, Darium cum ducibus propinquiſq; agmina in armis ſtantium circuiſſe, Solem & Martem, ſacrumq; & æternum ignem comprecatum, ut illis dignam uetere memoria fortitudinem inſpirarent. Legimus & in Græcis illud item, à Medis & Aſſyrijs Barbaricos contribui eiuſcemodi elemento honores, non religione utiq;, ſed formidine uerius nocentiſſimæ, omniaq; abſumentis rei. Scribit Porphyrius, quod & alibi arbitror à me relatum, dijs

qui

qui ſunt intra cælum, ſiue curſu quodammodo pererrantibus, ſiue non errantibus, quorum ducem eſſe Solem primò, deinde Lunam exiſtimādum eſt, cōmodè ſacrari ignem poſſe, quaſi rem cognatam. Sed de noſtra item religione, ut aliquid hiſce noſtris laboribus inſeramus: per omnes ſiquidem Orientis eccleſias, quando legendum Euangelium eſt, accendunt luminaria iam ſole rutilante: non utiq; ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Vnde & uirgines illæ euangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas. & ad Apoſtolos dicitur, Sint lumbi ueſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus ueſtris. & de Ioanne Baptiſta, Ille erat lucerna ardens, & lucens ut ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus: Lucerna pedibus meis uerbū tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Addamus & illud ſcientiſſimum: Hominem, quoniam cæleſte atq; immortale animal ſit, igne ſolū uti. Qui nobis in immortalitatis argumentum datus eſt, quia ignis è cælo eſt: cuius natura, quoniam mobilis eſt, & ſurſum nititur, uitæ continet rationē. Cætera uero animalia, quum tota ſint mortalia, tantummodo aqua utuntur: quod eſt elementum corporale atq; terrenum: cuius natura, quia item mobilis eſt, ſed deorſum uergit, figuram mortis oſtendit. Proinde nec cælum pecudes ſuſpiciunt, neq; religiones ſentiunt: quoniam ab his, uſus ignis alienus eſt. Porrò Græcis frequentiſſimi fuit moris, quum inferretur lumen, religionis cauſa dicere, φῶς ἀγαθόν, id eſt lumen bonum. Et noſtri, argumento eodem, mane nuncuparunt: quia manum, ueteribus bonum indicat. Illud grauius multò, quod in libro De proprietatibus elementorum, inuenimus adnotatum, quiſquis eius ſit auctor: Nobis, inquit, incompertum eſt, animal quodpiam ignem habitare omnino. Sed & quarto Meteororum Ariſtoteles: In terra, inquit, & aqua ſolum animalia ſunt: in aere autem & igne, haudquaquā: quia in eorum corporibus præualens materia terra eſt, ac aqua. Hoc propter noſtros libens adieci, aſtruentes in Cypri fornacibus uictitare uolucre pennatum. In commentatione eadem legimus, quoſdam magni nominis opinatos, in elemētorum decuriam non uideri admittendum ignem, quoniam cæleſtium orbium attritione generetur: quod autem ex alio naſcitur, ipſum elementum non eſt. Ex hoc autem conſequitur illud, ut infra mobile primum omnia ſint ignis plena, ad aerem uſq;. De lampadum ratione in ſacris, alibi (opinor) commeminimus. Nunc addimus illud quoq;: cultum apud Græcos in Achaia, Dionyſium cognomento λαμπτῆρα, id eſt faculam: cuius feſta dicerentur Lampteria: nam faces noctu ad templum ferebant, uini crateribus paſſim tota conſtitutis ciuitate. Lampter autem, ſiue λαμπτῆς, nunc facylam ſignat, nunc pharum, unde nauigantibus ſigna proponuntur. Porrò, ut ad ueteres reuertamur, inuenio apud eruditos, ignem inter honores auguſtales fuiſſe. Sic enim legimus apud Herodianum in Commodo. Quod conſilium ſuum ad Martiam retulit, unam è ſuis concubinis, cui ſcilicet plurimum deferebat, ac propè uxoris eam loco habebat; ſic, ut præter ignem, omnes honores uelut Auguſtæ tribuerentur. Verum ut adijciamus item, quod quamuis ſatur conuiua non aſpernetur: ſcribit Heſiodus, igne ſuccenſo, domum lætiorem uideri & honorabiliorem: tametſi carminis auctorem Homerum agnoſcit Herodotus,

Αἰθομένῳ δὲ πυρὸς γαράδρῳ οἶκον ἰδέσθαι.

Illud ex Pauſaniæ monumentis eſt: ignis inuentionem ex Argiuorum ſententia non in Prometheum referendam, ſed Phoroneum uerius, qui eum princeps mortalibus communicarit. Cæterū hic ignis miraculum non præteribo unum, & id in Veſuuio monte, ubi quum mugitui ſimilis æditus fuerit ſonus, cineris ingens eructatur uis cum præterеuntium diſcrimine inſigni. Quòd ſi uehementior incubuerit uentus, ſublimis adeo ſurrigitur cinis, & in longinqua protruditur, ut uel Byzantium uſq;, Procopij teſtimonio Gothici belli ſecundo libro, delatum conſtet quandoq;, omnibus ſic demum conterritis, ut ad ſupplicationes multis annis decurreretur ad auerruncandā dei iram. Sed redeo ad Veſtā, de qua ſuperſunt adhuc ſcitu digna ex Platonicis excerpta in primis.

Syderum radijs in terræ centro incendium excitari. Item qui dicatur Veſtalis ignis, & quid Veſta. Caput XVI

Quod ergo

QVod ergo ad Veſtam item attinet, ac in meditullio à Pythagoricis locatum ignem, illud amplius animaduerſione dignum, Immẽſam cæleſtium magnitudinem uirtutemq́ ac motionem efficere; ut omnes omnium ſyderum radij terræ molem, quæ quaſi punctum eſt, momento, facillimeq́ uſque ad centrum recti penetrent, id quod aſtronomorum plericq́ omnes aſtruunt: ibiq́, ut Pythagoreis placet, atq́ Platonicis, fortiſſimi ſint; tum quia recti undique centrum tangunt, tum quia in anguſtum collecti ſunt cuncti, quorum uehementia, materia ibi terræ ſicca, procul ab humore amota prorſus accenditur, accenſaq́ exte nuatur atq́ diſpergitur per meatus undiq́, & incendia efflat pariter atq́ ſulphur. Cæterum, ignem hunc ualde caliginoſum arbitrãtur, & quaſi incendium quoddam expers luminis. Sicut in cælo extat expers incendij lumen, ignis autem inter cæleſtem atq́ infernum, lumen cum feruore cõiungit. Putant autem ignem è cælo flantem, ignem eſſe Veſtalem. Quippe ſunt qui Veſtam eſſe terræ uelint uitam, numenq́: quod ex Plotino paulò antè retulimus. Ideoq́ Veſtæ templum ueteres in mediis urbibus conſtruere ſolitos, ignem in medio collocantes perpetuum. Ne cui autem mira nimis uideantur, quæ de ſyderum radijs appoſuimus, ſcribit Galenus, ex motu augeſcere caliditatẽ, uel ex putredine, uel ex alterius corporis uicinia feruidioris, uel ex anguſtatione, uel ex alimento ad calefaciendum accommodo. Nam quod de putredine dictum, Vidimus, inquit, nonnunquam in columbarum excrementis ex putrefactione ignem ſuccenſum.

Veſta unde inflectat̃, quæq́ ſint eius uerbi notiones. Heſtia, ſeu hiſtia. Pariſtia quid, & baunus, necnon banauſus. Bunus. Bunæa Iuno. Bandũ, bannum, bãdophorus. Vnde dicatur clibanus. Inibi Dionyſius & Suetonius declarãtur. Aneſtios. Heſtiopammon. Steganomus. Nauclerus. Naulum

Caput XVII

VT uerò ex grammatica ratione mutuemur item aliquid, lego, Veſtam, hoc eſt ἑσίαν (ſic enim enuntiant Græci) παρὰ τὸ ἑστάναι inclinari, quod ἱδρύεσθαι ſignat, quia domos prima ædificarit. uel quoniam ubiq́ coleretur, ſimulacraq́ eius ſedentis habitu ſtruerentur, παρὰ τὸ ἧσθαι. Sed domos quoque, ueteres heſtias dicebant, aut hiſtias, ut apud Homerum,

ἱστίῃ τ' ὀδύνοσιν ἀμύμονα.

Et Euripides,

οὔποτ' ἄλλῳ μᾶλλον εἶδον ἑστίαν.

Quin conuiuium quoq́ appellatur heſtia: proprium uerò Atticorum, heſtiam enuntiare, Ionum uerò & Dorum hiſtiam. Vnde & pariſtiam dici legimus ignis locum, quem Peloponnenſes baunum uocent, ex quo inflectatur cribanus, tanquam λεκθῦς βαυῶν: unde & cribanoti panes, in cribano cocti, qui & clibanus dicitur. Eſt tamen Straboni clibanus, uelut cuppa oris lati, fundi anguſti, extrahẽdæ aquæ ex fontibus commoda. At Columella, Scrobs clibano ſimilis eſt, imus quàm ſummus patentior, ut latius radices uagẽtur. Sed & banauſum indidem producunt, quo nomine artifices ueniunt, qui ignis adiumento opus conficiunt proprium. Bunus uerò Mercurij filius in Acrocorintho Iunoni ſacellum excitauit: unde Bunææ Iunonis cognomen propagatum. Bandum Procopius ſignum dici militare ab Romanis, interpretatur: unde factum coniectamus, ut uulgus inſcitum banderias nuncupet. Nam quod Codice de epiſcopis & de clericis, ſcriptum inuenias, Banno ſubiaceant imperiali: aliud eſt, ſiquidem eo nomine recẽtioribus appellatur exilij ſpecies, quam proſcriptionem dicebant ueteres: qui uſu togæ carent, quando eſt illis aqua interdictum & igni. Bannum item, Galli publicum nuncupant edictum. Bandophorum dici legimus, eum qui ducis gerat ſignum. Sunt ex Græcis, quibus placeat, Bannam apud Italiotas regem dictum, aut maximum magiſtratum. Apud Bœotios, banna mulier uocatur. Vias flexuoſas, bannotros etiã appellant. Bannoti, uaſa ſunt Athenæo, ex Callixeni hiſtoria. Sed inſtitutum repeto. Aneſtios dicitur, qui ſine laribus eſt, uel (ut apud Heſiodum) iniuſtus. Hinc eſt metaphora apud Plutarchum elegantiſſima in ſermone πρὸς τὴν πολυφιλίας, ἰδίαν ἤθους ἑστίαν οὐκ ἔχοντες, id eſt morum Veſtam propriam habentes nullam. Eos nanq́ inceſſit, quibus certum non eſt uitæ inſtitutum, ſed Polypodis more, ut eſt apud Theognin, uariè permutantur: nunq́ philologos ſe profitentur, nunc uenandi conſectantur ſtudia, nunc

compotationibus indulgent, aut etiam ſcortilla ductare, non arbitrantur turpe. Hinc apud Dores & Aeoles heſtiopammon dicit domus princeps ac dominus, qui ab aliis ſteganomus uocatur, à nonnullis etiam nauclerus, ſicut hoſpitij pretium etiam naulum. Ex theſauris porrò Iulij Pollucis obſeruauimus: aram quoque ſacrificalem dici ueſtam, propriè tamen eam, quæ in Prytaneo fuiſſet, ubi ignis, inquit, ſeruabatur inextinctus. Veſtam pro ara rectè poni, docuit etiam Xenophon Rerum Græcarum libro ſecundo, ἀκούσας ταῦτα ὁ Θηραμένης, ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὴν ἑστίαν, audiens hæc Theramenes proſiluit in ueſtam. Sed, ut manifeſtius eo nomine aram intelligeremus, ſubiunxit mox paulò, οὐκ ἀγνοῶ, ὅτι οὐδὲν μοι ἀρκέσει ὅδε βωμός, non inſcius (inquit) ſum, aram hanc nil profuturam. Sed & Nonius: Veſtibula, inquit, putant ſub ea proprietate diſtincta, quòd in primis ingreſſibus & in ſpatijs domorum ueſtæ, hoc eſt aræ, ac foci ſoleant haberi. Superato item Mardonio (ut diximus) apud Plateas, reſpondit Pythius, nō prius ſacrificandum, quàm omni igne reſtincto, purum nouumq; Delphis ex communi ueſta retuliſſent. Hinc uerò lux infertur Dionyſio Halicarnaſſeo Antiquitatum ſecundo: Vnicuique, inquit, triginta curiarum ueſta collocata, ubi ſacrificabant curiæ, ſacrificulos earum fecit. Et iterum: Numa uerò ſuſcepto imperio, proprias nequaquam mouit curiarum ueſtas. Hoc eo copioſius docuiſſe uolui, ut plenius Tranquillum intelligeremus, in Tiberio ſic ſcribentem: Coactis, qui ea tenebantur ſuperſtitione, religioſas ueſtas cum ueſtimento omni comburere. nam doctiſſimus interpres, ueſtes legendum putat. Alter uerò, ueſtas quidem admittit, ex Dionyſio: ſed quid ueſta ſit, non ſatis conſtitutum habet: quum ueluti augurando, nunc focos, nunc ſacrificalia inſtrumenta appellari ueſtas pronunciat, auctore nullo. Sunt qui ita omnino legant, Religioſas ueſtes cum inſtrumento omni cōburere. Ad arcem præterea locabatur prytaneum, & ciuitatis ueſta, apud quam conuiuio excipiantur publicè uenientes legati, quiq; ob uirtutem digni alimentis haberentur. Dignum uerò memoratu, quod Gemiſtus ſcribit Plethon libro primo, ciuitatum Cariæ, alicuius quæ exiſtimationis forent, ἑστίαν καὶ μητρόπολιν, id eſt ueſtam & metropolin, fuiſſe Halicarnaſſum. Prænestinam ueſtam legimus apud Lampridium in Alexandro Cæſare, cui ex eo templo huiuſmodi ſit oblata ſors, quum illi inſidias ſtrueret Heliogabalus, Si qua fata aſpera rumpas, tu Marcellus eris. Illud relatu iucundum: flammæ crepitum ab alijs dici Vulcani, ab alijs Veſtæriſum, ab alijs utriuſq; minas. Quæ ſuperſunt in hac re minus exculcata, nouū ijs initiū dabimus.

Supplicantes ſolitos, in ueſta, id eſt lare ſedere. Adnotantur inibi interpretum Plutarchi errores. Epheſtius qui ſit. Iupiter Epheſtius, & Philius. Item cur dicatur ueſta. Terrę epitheta aliquot explicantur. Plutarchi codex emaculatur: & cur terra dicatur clitta. Perſarum ſupplicū mos: itemq; plura ad idem ſpectantia. Proſtropæi qui. Velatæ manus Plauto cur. Cap. XVIII

ILlud uerò quod enotetur hoc potiſſimū loco, dignum prorſus eſt, Veſtam pro lare capi quandoque: unde ἱκέτιν ἢ ἑστίαν, id eſt ſupplicem Veſtæ, legimus apud Plutarchum in cōmentatione De mulierum uirtutibus: quem locum non percipiens interpres, deliramenta effudit. Siquidem tangitur ibi ſupplicantium ritus, quem in Oeconomicis non prætermiſit Ariſtoteles. Primum, inquit, inter uirum & uxorem ſtatuendæ leges, ut ceſſet iniuria: ſic enim nec ipſe iniuſti quippiam patietur. Id nanque communis inducit lex, ſicuti à Pythagoricis ſancitur, ὥσπερ ἱκέτιν καὶ ἀφ' ἑστίας ἠγμένην. id eſt, uelut ſupplicem & à ueſta, hoc eſt lare, ductam arbitrari uxorem, ut nullatenus inferatur iniuria. Sed & Argonauticon quarto Apollonius,

Τὼ δ' ἄνεω, καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀίξαντες
ἵζανον, ἤ τε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Eum uerò locum explicantes interpretes: Lege, inquiunt, ſancitum erat, ut ſupplices apud larem ſederent taciti. Ritum nec præterijt hiſtoria prima Thucydides. Verum quid riuulos cōſectamur, quum Homerica adire fluenta liceat, à quibus ceu fonte perenni,

Vatum Pierijs ora rigantur aquis?

Ita uerò Odyſſeæ ſeptimo legimus, Alcinoi domum Vlyſſe ingreſſo,

ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν πυρίηφι,

παρὰ πυρὶ

παρ' πυρί, οἳ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγρίονθ' σιωπῇ.

Sensus uerò Homeri est, sedisse in foco Vlyssem, stupentibus qui aderant, omnibus. Quin & Halicarnasseus Dionysius, Martium Coriolanũ patria profugum, Actij Tullij Volscorum principis supplicem factum scribit, sedentem ad focum. quod repetit Plutarchus quoq;, nil scitius suspicante interprete. Id ipsum & à Themistocle factitatum quandoq;, ubi testularum exilio mulctatus, etiam ab inimicissimo Molossorum rege Admetò, cuius adisset larem, religiosè seruatus est, frequens Græcorum prodit historia. Quoniam supplicationem hoc genus tum grauem, tum haud contemnẽdam arbitrarentur Molossi, ueluti in Parallelis scriptum comperi, ἀναντίῤῥητον, id est cui nequeat contradici. Sed ubi Græcè ita est, πρὸς τὴν ἑστίαν προσέπεσε, ritus immemor interpres, Ad sacrarium, inquit, quod summa colebatur religione, se cõiecit. Plutarchus in Causis Græcanicis, ubi inquirit, cur nam Tanagræi ante urbem locum haberent, quem uocarent Achilleum, huiusce modi supplices appellauit ἐφεστίους, id est ephestios, tanquam in uesta, hoc est lare sedentes dicamus. An uerò locum eum scienter iure Latij donarit interpres, coniectabunt eruditiores. Ephestios etiam quandoq; autochthonas ciues, siue indigenas interpretantur Græci. Et Eustathius inquit, ephestius dicitur qui urbem incolit, & uestam habet: qua ratione Epicuri, id est auxiliares ephestij, non sunt. Adijcit Porphyrius, dici ephestium, qui domum habeat: sicuti exules, apolidas dicimus & anestios. Ephestion, epistion quandoq; Homerus uocat, & libro primo Herodotus, flatili (ut assolet) extrita. Ephestium Iouem nominat in Aiace mastigophoro Sophocles, & interpretantur scholiastæ σωσιπον, quem cohabitantes uenerarentur, sicuti Philium amici. Heterium, id est ἑταιρεῖον, qui eiusdem sunt decuriæ & symmoriæ. Aræum intelligit in Philoctete Sophocles, cui affundant preces cuncti, aut quem inuocant precantes. Xenium colunt hospites: Horcium, qui iureiurãdo societatem ineunt: Hicesium, supplices: Homognyon, fratres. Ephestias, libationes quæ domi fiant, intelligimus: eas παρεστίους dixit in Helectra Sophocles. Inuenio ephestios itẽ dici eos, qui in aliena sint domo: ut apud Homerum,

ἀλλ' ἐμὲ τὸν λύσσωον ἐφέστιον ἤγαγε δαίμων.

Synestij & homestij intelligũtur, qui domum habitant unam. Sed ephestios item deos, penates intelligunt. Porrò ne quid sciens prætream: in libro allegoriarum Hesiodicæ theogoniæ inuenio ἑστίαν, id est Vestam nuncupari, quoniam medium totius teneat terra, & cæteris στάσεως καὶ μονῆς causa sit, id est statum mansionemq; præbeat alijs, πᾶν γὰρ τὸ κινούμενον πρός τι ἀκίνητον κινεῖται, id est omne quod mouetur, circa immobile aliquid mouetur. Vnde & Pythagorei ζωὸς πύργον καὶ φυλακήν, id est Iouis turrim & custodiam uocarunt eam. Quod uerò eadem quandoq; ζείδωρος dicatur, putat Ioannes grammaticus παρὰ τὸ ζεσθαι καὶ θερμαίνεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου, factam uerbi inclinationẽ, quia dum solis feruescit ui, mortalibus donet omnia, nec zeas solum, quod suspicantur plerique: & tamen à Plinio quoq; comprobatum scimus Historiæ naturalis decimooctauo libro. Zeam Dionysius esse far arbitratur: nõ desunt qui speltam interpretentur. Multa de ea re Plinius. Vbi uerò terram legimus ἀπείρονα dici, quod infinitam signat, interpretatur idem Ioannes grammaticus σφαιροειδῆ; id est orbicularem, uti alias cõmonuimus: nam nec sphæra, nec circulus finem habent aut initium. Et philosophi ferè omnes elemẽta statuunt rotundata specie: tametsi non desunt, qui terram opinentur τυμπανοειδῆ, id est tympani quadam imagine. Alij uerò etiam λωνοειδῆ, id est coni figura, aut mensæ similem, id est τραπεζοειδῆ: ut meminit etiam Plutarchus in libro De philosophorum placitis secundo. Sternuchon terram in Oedipode coloneo uocauit Sophocles, quam fertilem intelligunt ac campestrem: nam honesta tralatione sterna, id est pectora, & νῶτα, id est dorsa, dicimus loca campestria & latè fusa: sicuti angusta, αὐχένας, id est ceruices. Cæterum illud amplius pensitandum, quod apud eundem legimus in commentatione πρὸς πρώτου ψυχροῦ, id est de primo frigido. Terram propter statum firmitatemq;, cuius sit uelut suffrenatio ipsa frigiditas, sicut physico placet Archelao, nuncupatam à ueteribus λλίτης: mendum, opinor, est exemplarium. Nicolaus Leonicenus uir Græcè ac Latinè sciẽtissimus πίτηλον suspicabatur legi oportere: quæ uox, picem nobis indicat. Quid si κλιτήλην legamus, & obstipatam ac uehemen-

tius clauſam intelligamus, à uerbo κλέω? Ne uerò quid præteream, quod ſuggeratle-
ctionis uarietas, compertũ mihi eſt: Clita Græcis dici porticus, & loca, in quæ oppor-
tune reclinemus, ſed & quæ decliuia ſunt, ita dicuntur. Apud Athenæum loci nomen
eſt Cleta, id eſt κλήτα, Spartæ. Apud Sophoclem in Antigone, Parnaſiam clityn, pro
terra interpres accipit. Verum iam iſta coronidem appoſcunt: eam uerò impingemus
mox, ſi (quoniam de ſupplicantium ritu facta nobis mentio eſt) quæpiam adiecerimus
uelut auctaria: & primò quidẽ, quod in eodem Plutarchi libro enotauimus: apud Per-
ſas ſupplicandi modum eſſe habitum grauiſſimum: quemcp reieciſſe, maximum ha-
beretur nefas, ſi ignem ſupplex excepiſſet, ac ſi uoto excideret, in aquam ſe coniecturum,
foret interminatus. Proinde, inquit, quod petijſſet, conſequebatur quidem: ſed inter-
minationis nomine repoſcebatur ad pœnam, quod præter legem prætercp naturæ ra-
tionem eſſet intentata. Nam & eum, ignem aquæ promiſcere adorum, pronũtiamus,
qui impoſſibilia concipit. Ad ſupplicantium ritum ſpectant porrò, quæ in Græcorum
commẽtarijs obſeruata nobis ſunt: Veteribus, inquiunt, diu receptiſſimi fuit moris, ut
ſupplicantes caput, dextram, genua eius, cui ſe ingererent ſupplices, contingerent: nec
totum tamen caput, ſed mentum modo, ut ſtatuere Homerus uidetur, uel barbæ medi-
tulliũ, quod probat Euripides. Id uerò διὰ τὸ ἡγεμονικόν, quia ſit in nobis pars ea prin-
cipalis, ut in qua logiſticon, id eſt rationalis collocetur potentia. Dextram uerò, διὰ τὸ
πρακτικόν, quoniam inibi maxima inſit ad agendum facultas. Genua, propter motus
& progreſſionis neceſſitatem. Tria uerò hæc ſymbolicè, cõſenſum, actionem, progreſ-
ſum, ad ea quæ peterentur, præſtanda, complecti uidentur, & ueluti οἰωνισμοὶ τῆς ἱκετη-
ρίας τέλους, id eſt auguria finis ſupplicandi. Siniſtram certè attigiſſe, ominoſum cenſeba-
tur, id eſt δυσοιώνισον: quando & improſpera uocabant σημαὶα καὶ ἐπαρίσφα, bona ue-
rò & fortunata, δεξιά. Euripidis carmen quod antè paulo ſignificauimus, eſt hoc,
ὁρῶν σε δεξιὰν πρύμνοντα καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν στρέφοντα, ὡς μὴ σου πόδ' ἴχνη φεύ-
γω. Apud Aſſyrios ſupplicis indicat formam, ſi quis curuatis membris, humumcp
uultu penè contingens, manus poſt tergum cõnexuerit. Supplices alio uocabulo nun-
cupat Græcia proſtropæos: nam & προστρέπειν, Sophocli eſt κατόκτικῶς λέγειν. Lo-
cros uenientes Romam Liuius ſcribit, uelamenta ſupplicum, ramos oleæ, ut Græcis
mos eſt, porrexiſſe. Hinc liquere opinor, cur dicantur uelatæ manus Plauto in Am-
phitryone.

Super Aglaidis uoracitate, de Græco penu paucula. Adephagia. Adepha-
gi qui. De Anacreonte. Cap. XIX

DVm Græca nuper ex Horatij præſcripto, exemplaria ſitienter uerſarem, de-
floraturus quæ noſtras lectiones inſtruerent opulentius, & inſigniter adiu-
tum irent, ſuper Aglaide Megaclis filia quæpiam adnotata comperi: quæ &
tranſpoſuiſſe, operæpretium cenſui, ut nulla non in re ad manum (quod di-
citur) ſuppeterẽt exempla. Hanc igitur tubicinio uitam fouiſſe ferunt, hoccp illi unum
fuiſſe opus: quanquam à delicijs haud abeſſe ſciret, quippe galericulo ſiue aduentitia
coma cõtegebatur caput, quod & tutulum habebat, id eſt uelut apicẽ, ac criſtas qual-
dam, λόφους uocant Græci. Cœnam ſic ferè apparabat, ut carnium minas abſumeret
decem, panum chœnicas quatuor, uini hauriret χοᾶ. Cuiuſmodi uerò cenſeatur uer-
bum hoc, aut quàm capax mẽſuræ id genus, alibi (opinor) hoc opere explicabitur am-
plius. Illud corollarium fuerit, uoracitatem, uel (ut Plautino utamur uocabulo) ſaburra
tionem dici à Græcis ἀδηφαγίαν, ideſt adephagiã. Apud Athenienſes tamen & Bœo-
tios, equos pleniores perfectioresue adephagos comperi nuncupatos. Argiui autem
cibi capaciores eo uerbo homines intelligunt, uerum & gymnaſticos quocp. At hone-
ſta metaphora hoc nomine Lyſias ὑπελόμιδον ναῦν appellauit, id eſt quæ perfectã ple
namcp exigat mercedem. Nam & nautas legimus apud auctores dici ὑπελομίδους: ni
malis adephagon nauem intelligere impẽdij multi. Certè adephaga obſeruauimus de
magnis perfectiscp dici. Adephagi plures ab Aeliano in digitis mittuntur quodammo
do: inter quos Pityrea recenſet Phrygem, Cleonymum, Piſandrum, Charippum, Mi-
thridatem Ponti regem, Timocreontem Rhodium athletam, & poetices ſtudioſum,
Eryſichthona Myrmidonis: qui inde & λιμώδην ſit cognominatus. Alcman uerò poe-
ta ipſum

ta ipſum ſe fatetur πολυβορώτατον, id eſt uoraciſſimum: cui ne primipilus quidem, id eſt militaris par foret annona, ſed ioco forſan in ſe eſt cauillatus.

Coronidem appingere, quid ſit. Coronidis notiones aliquot. Item quid corone. Coracium. Martialis locus declaratur. Quid aſcriberent Hebræi in fine. Diapſalma. Coronitus bos. Coronus taurus. De aſteriſco, et paragrapho & dipla. Parepigraphe. Paragramma. Ad umbilicum perducere quid. Bullæ. De umbilico terrarum pluſcula. Cap. XX

CORonida impoſuiſſe, adagium eſt, ſignificans ultimã rei manum admotam, nec affectum opus, ſed prorſus completum finitumq́: ſiquidem coronis eſt quandoq́ montis uertex, aut ſtructuræ ſummum: quandoq́ uero, quod in fine libri ponitur: unde eſt adagionis origo. Quod in libro De Alexandri fortuna, manifeſtum Plutarchus facit: Dionyſius, inquit, Philoxenũ poetam in Latomias coniecit: quòd quum illi tragœdiam à ſe concinnatam recoquendam emendandamq́ tradidiſſet, totam is ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος πολιγραφῶν, id eſt ab initio ad coronidem uſq́ circunſcripſit: quod eſt expunxit, deleuitq́: nam πολιγραφία eſt etiam ἀποκτεῖναι, quoniam οἱ ἀποθανόντες πολιγραφοῦνται, καὶ πολιαιροῦνται τῶν ἀρχείων. Verum, ut quicquid ad id pertinens nobis compertum eſt, perſequamur: & ſectarum ſummum ita uocant, ut quum dicitur, κορωνὶς τῆς σοφίας. Signat & nauis puppem, quod ſit in eius apice, curuatum roſtrum: unde & Homerus, σὺν νηυσὶ κορωνίσι, quod exponunt, cum nauibus flexas habentibus ſummitates. Alij etiam nigras eo nomine intelligunt, Euſtathio interprete, ad earum interſtitium quæ uocãtur μιλτοπάρυοι, id eſt miltorubentes. Eſtq́ coronis deminutũ à corone. Quæ uox animal ſignat quãdoq́, quod Appion larum eſſe credidit, hoc eſt fulicam, & æthyiam, id eſt mergum: alij cornicem interpretantur: interdum uero cricum hoſtij, hoc eſt annulum, ſicut illud χρυσῆ δὲ τέτρητο κορώνη. Dicimus & coronen in arcu, hoc eſt ſummum cornu & inciſionem ubi neruus ſedet. Vnde, inquit Euſtathius, bonum rerum finem, auream coronen prouerbium dicit. Inueni & id nomen poſitum pro uirilis membri ſummitate: unde eſt, ἐσθέτης τὸ ἀιδοῖον αὐτοῦ ἄχει τῆς κορώνης πτειχῶδες. Coronis autem eſt item ſpecies ficus, quam & coracium uocant, quòd fici ſimiles coruis uideantur colore. Coronis uero in libri calce apponi ſolita, fere hanc præfert figuram ⟆. Nam Ariſtophanis interpretes ſcribunt, eſſe lineam breuem utique, ſed ab inferiori parte flexam. Ex ijs uero amplius Martialis carmen illuſtratur ex libro decimo,

Si nimius uideor, ſeraq́ coronide longus
Eſſe liber, legito pauca, libellus ero.

Hinc eſt illud Plutarchi elegantiſſimum, in ſermone qui eſt An ſeni adminiſtranda res publica: Qui uero, inquit, ciuilibus actionibus & certaminibus innutritũ non permittit ad facem & uitæ coronidem progredi, prorſum ingratus eſt. Apud Hebræos obtinuit mos, ut in librorũ fine unum ſubnectatur è quatuor: aut enim Amen aſcribũt, quæ uox πιστωμένως indicat, id eſt fideliter, uel γένοιτο, id eſt fiat: aut Sela, id eſt ſemper: aut Salem, quod pacem ſignat. Pſalmis præterea quibuſdam diapſalma interponitur: quod uerbum Origenes opinatur ſignare, quod apud Hebræos ſela ex Septuaginta interpretũ tralatione, ac Theodotionis & Symmachi. Fuere qui diapſalma ſtatuerent metri cõmutationem, ut Sudas: alij ſpiritus pauſationem: nonnulli ſenſus alterius initium, aut etiam rhythmi diſtinctionem. Sed inſtitutum repeto. Obſeruatum in Pauſaniæ monumẽtis, deam quoq́ in Sicyonia Coronidem coli, cuius tamen ſimulacrũ peculiare templum habeat nullum: ſed quũ ſacrificij appetit tempus, id in Palladis tranſferunt ſacraria honoreq́ proſequuntur. κορώνη uero non animal modo eſt, quod diximus: unde illud paroemiodes, in eos qui tum grauia, tum nocumenti inferentia plurimum toto petunt conatu, κορώνη πρὸς στόρπιον. Sed & nomine eodem, coronæ ſignatur ſpecies: quin & τὰ πολιφόρα χήματα, id eſt rotundatæ figuræ. Coronidas dicunt pro prie βλαστήματα, id eſt germina. Sunt & de uiolis contextæ corollæ. Coronium appellari bouem quandoq́ adnotauimus, μηνοειδῆ ἔχοντα κέρατα, id eſt lunata habentem cornua. Sed & κόρωνος dicitur taurus, id eſt ὀρθόκορος. Fuit in Peloponneſo ad Pamiſi fluuij dextrã Corone ciuitas, à Bœotiæ Coronia ſic appellatione ducta: uel quòd

mœnium fundamenta defodientibus ænea sit inuenta cornix: cuius fortè argumento rei in Acropoli æneum stabat Pallados simulacrum sub dio, cornicem manu tenens. Non prætereamus quod Hephæstion scribit: in Aristophanis æditione asteriscum, cuius imago uelut stella est, modò apponi, ubi metra uariant. Vtimur uerò, inquit, in drammate tribus modis coronidis signo: primum quidem, quum histrionibus abeuntibus subsistat chorus: uel uice uersa, choro emigrante, remaneant histriones: uel quando lo. iambicis & choricis inter stropham & antistrophum. Paragraphi autẽ nota dicitur in longum protensa linea, uelut punctum in summo habens, hoc modo —. cui sæpe apponitur & nota, quam uocant διπλῶν, id est diplam, quæ trigoni figuram præbet obliqui citra basin, ad hunc modum < Certè signum est paragraphos completæ strophæ aut antistrophi: estq; generis fœminini. Paragraphen, id est παραγραφήν, inter poeticos tropos recensent grammatici, ut scribit Eustathius: id uerò est, quum præcedentia complentes, ad alia transitum paramus: ut apud Homerum, ὡς οἱ μὲν τὰ ποίνυτο πρὶ πρόσθε πόν. At parepigraphe intelligitur, ubi quæ præcedere debuerant, tacentur: ut tamen ex illatis percipi facilè ualeant, sicuti apud Lycophronem,

Λέξω τὰ πάντα νηπιεικῶς ἅ μ' ἐσφρεῖς.

Neq; enim inibi interrogasse quippiã Priamus animaduertitur liquidò, nisi ex respondentis schemate. Locum hunc de paragrapho & paragraphe in dispunctiones suas ex æditione priore transtulit ad uerbum amicus noster: si amicum dicere par est, qui nostros sudores interceptum eat, uelut diplomate impetrato, id est expilandi facultate. Paragramma in Hieronymi epistolis, pro literis accipimus parum curiose positis per librariorum inscitiam, uel impressorum, uti nunc est. Si paragrammata, inquit, reppereris, uel minus aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediãt: non mihi debes imputare, sed tuis, & imperitiæ notariorum, librariorumq; incuriæ. Coronidem uerò duplicem obseruauimus: aut enim epodica est, si post diplam constituatur: aut proodica, si alteram ipsa præcedat diplam. Cæterum, quod Græci coronida impingere dicunt, Latinè, ad umbilicum perducere, non minus rectè dicitur. Nam poetæ elegantissimi, quũ exactum opus significant, ad umbilicos se uenisse, scribunt. Horatius in Epodo,

Promissum carmen iambos Ad umbilicum adducerem.

Quem locum dum exponit Porphyrio, ita scribit: Ad umbilicum adducere, profinire & consummare opus posuit Horatius: quia in libri fine, ex ligno aut osse umbilici solent apponi. In quem sensum & Martialis quarti libri finem ita clausit,

Ohe iam satis est, ohe libelle,
Iam peruenimus usq; ad umbilicos,
Tu procedere adhuc, & ire quæris.

Et alibi idem Martialis,

Nigris pagina creuit umbilicis.

Et Papinius Syluarum quarto,

Noster purpureus, nouusq; charta,
Et binis decoratus umbilicis.

In quo tamẽ cõmonendus est studiosus lector, hanc quoq; eloquendi rationem à Græcis uideri profluxisse. Nam in primo Epigrammatum hoc inueni de Heraclíti tenebris tetrastichum, cuius is fermè est sensus: nõ esse festinanter ad umbilicum Heraclíti euoluendum librum, quoniam perdifficile iter sit, & tenebræ adsint intensiores: quòd si mystes affuerit præmonstrator, claro fiet illustrior sole. Carmina si quis exigat, hæc sunt,

Μὴ ταχὺς ἡρακλείτου ἐπ' ὀμφαλὸν εἶλυε βίβλον
Τοὐφεσίου, μαλεροὶ δύσβατοι ἀτραπιτοί.
ὄρφνη γὰρ σκότου ὄβριμ ἀλαμπέος, ἢν δέ σε μύστης
Εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

Vmbilicos uerò in libris opinor dici, quod in medio ponerentur: nam quicquid est in aliqua re medium, rectè umbilicum appellari. Quippe ὀμφαλοὺς ἀσπίδος, id est scuti umbilicos, interpretatur Eustathius bullas quasdã: sic enim scribit, βούλλας τινας: quæ ornatus gratia adderentur, in meditullio præcipue. Hinc apud Homerum, ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι, uelut umbilicata dicantur scuta, ex umbilici animalis imagine. Verum inter pisces, qui à Græcis cochliæ dicuntur, umbilicos uocamus. Argumento est item

Parnasus

Parnaſus quoq́, quem umbilicum dixere terrarum: quia umbilicus ſit in homine medius. Quorum tamen utrunq́ falſum eſſe, Varro ſcribit, quoniam neq́ locus is ſit terrarum medius, neque umbilicus ſit in homine medius. Attamen Pollio Vitruuius libro Architectonicæ tertio, idipſum confirmat. Nam ſi, inquit, homo collocatus fuerit ſupinus, manibus ac pedibus panſis, collocato centro in umbilico eius, circumagendo rotundationem, utrarunq́ manuum & pedum digiti linea tangentur. Cur uero diceretur mundi medius Parnaſus, ex iis quæ prodidit Strabo coniectare licet: In medio nanque, inquit, uniuerſæ quodammodo Græciæ & intra & extra Iſthmum: immo & totius orbis conſiſtere uidebatur. unde & telluris umbilicum appellabant, fabulam addentes, quam fingit Pindarus: referens, ab Ioue duas dimiſſas aquilas, in eo coiſſe loco, unam ab ortu, reliquam ab occaſu. Quidam uero dixere coruos, aut etiam cygnos: ut in libro De oraculis quæ defecerant, Plutarchus etiam tradit. Sed & in templo quiſpiam monſtrabatur umbilicus, pendentibus ornatus uittis: cui duæ, argumento fabuloſo, incumbebant aquilarum imagines. Et Plutarchus innuit, fuiſſe ibidem locum qui diceretur omphalos, id eſt umbilicus. Et in Oedipode tyranno Sophocles meſomphala mantea dixit: nam eſt oraculorum locus manteum. Pauſaniæ teſtatum theſauris eſt, umbilicum Delphicū ex albo ſtructum lapide, quem ὃν μέσῳ γῆς πόσις ἔνν λέγουσιν οἱ Δελφοί. Verum & in carmine obſcœno, quiſquis eius fuerit auctor, id ita confirmatū animaduertimus:

Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius, orbis umbilicum,
Creten Delia, Cynthioſq́ colles.

Sed & Ouidius ait,

Te meus ante omnes genitor dilexit, & orbe
In medio poſiti caruerunt præſide Delphi.

Papinius quoq́ Thebaidos primo:

Audijt & medius cæli Parnaſus, & aſper
Eurotas.

In quo tamen loco Lactantius grammaticus poſt fabellam aquilarum expoſitam, Vel medius (inquit) cæli, quoniā cataclyſmi tempore, aquæ fuerat diſcrimen, & aſtris: unde & Lucanus,

Hoc ſolum, fluctu terras mergente, cacumen
Emicuit, pontoq́ fuit diſcrimen, & aſtris.

In libro De natura deorum aſtruit Phurnutus, Delphicum oraculum dici orbis umbilicum, id eſt ὀμφαλόν: non quia ſit terrarum medius, ſed ab ea quæ ſciſcitantibus reddebatur ὀμφή, id eſt θεία φωνή, ſeu diuina uox. Dantes uero poeta non aſpernabilis, purgatorij cantu ſecundo, Hieruſalem eſſe orbis umbilicū uidetur innuere. Quod in Pſalmorum expoſitione comprobat Caſſiodorus: nam canit Propheta, Deus operatus eſt ſalutem in medio terræ. Sed Nicolaus theologus mediam habitabilis intelligere maluit. Alibi etiam legimus, Et requieuit in corde terræ. At Ioſephus libro tertio Belli Iudaici, Hieruſalem Iudææ mediam uult. Sunt in fornicibus lapilli nomine umbilici, qui in medio collocati, quodam quaſi concentu & ordine omnem fornicis faciem ſeruant immotam. his comparari mundum poſſe, Ariſtoteles ſcribit, ſeu uerior eſt libri auctor Theophraſtus, quē continet deus, & ſeruat, etiā ſi in medio non intelligitur cōſtitutus.

Vocabula plura ad umbilicum ſpectantia. Vmbilicus pomorum quid. Cochlos, cochlia. Ompnia, & ompnæ quid. Omphaloeſſa unde dicatur. Ambones qui. Infantem per umbilicū nutriri. Vmbilici notiones aliquot. Phalangis partes obiter. Quid croca. Crocodilus marinus unde appellationem ducat: item terreſtris. Stolos omphalodes in ouis quid. Caulis pennarum.

Caput XXI

Scribit uero Iulius Pollux, quod eſt in uentris medio concauum, dici omphalum, id eſt umbilicum & meſomphalium. Qui uero ei circūiectus eſt, locum uocari gangamon: umbilici medium, acromphalium. Nam epomphalium eſt, quod umbilico incumbit: meſomphali uero ſunt placentæ quædam. Omphalotomon, obſtetricē uocant, quæ umbilicum infantibus præcidit. Sicut inſtrumentum quo id præſtatur, omphaliſter dicitur. Attici, omphalon itē dixere imum fici: hæc autem eſt extremitas ab petioli parte diuerſa. Nam & in pomo floſculus, uocatur umbilicus

bilicus quoq; apud Palladium. Apud Aristotelem est testa intectum animal, ab limace seiunctum, cochlos quod nuncupatur: id umbilicum interpretatus est Theodorus: Aristoteles quandoq; cochliam item dicit: sed & limacem, cochlon. Dignum porrò scitu in pomis, ac id genus alijs, umbilicum dici quoq; πυθμένα, id est fundum, cauitatis ratione. Pellem uero umbilicum ambeuntem, græam uocant plerique: quia corrugata, senectutis sit indicium. Nicander in Alexipharmacis arcton omphaloessam uocauit, ἄρκτον τὴν ὀμφαλόεσσαν ἐνάλσας. Quem locum enarrans interpres, omphaloessam τροφώδη intelligit, ueluti dicas nutritiam: nam, inquit, etiam Ceres Ompnia dicitur, ἀπὸ τροφίμου, uelut non ab omphalos, qui est umbilicus, sed ab ompnæ sit deflexum nomen. Sunt autem ompnæ, triticum melle rigatum: unde & Callimachus,

ἢν δὲ θεοῖσιν ὦπι φλογὶ καίεμεν ὄμπνας.

Sunt & ompni, Cereales fructus, ut qui spirandi causa sint, ἀπὸ τοῦ πνεῖν. Quanquam & ompnia manus, quandoq; dicitur pro diuite. Sed & ompnia, nubis magna & auctior. Nisi quis omphaloessam etiam ab umbilico inclinata uoce, nutritiam recte interpretetur: quando, ut Aristoteli placuisse uideo, augescunt in utero infantes per umbilicum: eius uerba subieci, αὐξάνεται δὲ τὰ ζῶα πάντα, ὅσα ἔχει ὀμφαλόν, διὰ τοῦ ὀμφαλοῦ, augentur (inquit) animalia cuncta, quæ umbilicum habent, per umbilicum. quod etiam Anaxagoræ placuisse, ac præterea compluribus, Censorinus auctor est. Quanquam Diogenes & Hippon existimarunt, esse in aluo prominens quiddam, quod infans ore apprehendat: exq; eo alimentum ita trahat, ut quum æditus est, ex matris uberibus. Sunt qui Omphaloessam, Creticã exponãt: nam est Omphalos, Cretæ locus. Callimachus,

πέσε λαῶμον ἀπ' ὀμφαλός. Sed & illud inde est,

ὀμφάλιον μετέπειτα πέδον καλέουσι κύδωνες.

Ab eo loco, Omphalites gentile nomen est, ut inquit Stephanus. Est & suus Thessaliæ Omphalus, siue Omphalion. Omphe autem de qua paulo antè, inquit Porphyrius, uocem indicat quidem, sed diuinam, sicuti ὄσσα. Homerus,

Θείη δὲ μιν ἀμφέχυτ' ὀμφή. Vnde Panomphæus dicatur Iupiter, cui nota est fama omnis, & uaticinium. Nam & uates, Iouis dicuntur nuntij: quando & famam diuinam, id est ὄσσαν, Homerus idem Διὸς ἄγγελον dicit. Est item in re militari umbilicus: siquidem phalangis dichotomia, id est in æqualia sectio, os uocatur & umbilicus, ut inquit Aelianus: ab alijs oraros dicitur, & synoche. Partes phalangis, κέρατα uocantur, id est cornua: sed sinistrum dicitur & οὐρά, id est cauda, aut pes, ut Aeliano eidem placet: dextrum uero cornu uocatur caput quoq;: qua uero longitudo ita secatur, oris & umbilici nomine utimur. Nicandri interpres in Theriacis, ἤτρου, hoc est etron, intelligit geniculum aut umbilicum in ferula: sed propriè (inquit) etron, est post umbilicum locus. Ex medicæ rei professoribus est, exomphalos dici omnes, quibus prominet umbilicus. Verũ tria in ijs obseruari discrimina, quosdam enim pneumatomphalos, id est πνευματοομφάλους nuncupant: alios enteromphalos, nonnullos deniq; hydromphalos. Illud præterea non omiserim, calculos frequẽti motu in maris littore rotundatos, quos Latini umbilicos uocant, ut est apud Ciceronem De Oratore libro secundo, à Græcis, ut nos commonuit Aristoteles, in mechanicis quæstionibus, appellari crocas. Quærit enim quid sit, quòd in littoribus ex lapidibus aut testis grandioribus fiant, quæ uocantur crocæ. Sunt qui ea uoce littus intelligant, unde & marino conciliatum sit nomen crocodilo, παρὰ τὸ διαλαίνεσθαι τὰς κρόκας: quod uerbum, inquiunt, littus indicat, quoniam ad terræ contactum compaueſcat. Sic porrò & terrestris crocodilus crocum reformidat, qua ex re factum illi nomen. Propterea sic lita aluearia non attingit, alioqui mellis appetentissimum animal. Lycophronis interpres: Croca, inquit, littus est, ἀπὸ τοῦ κείρω, quod cædo indicat: tanquam κρόνη, ad quam allisæ confringantur undæ. Porrò in Græcis adnotatum auctoribus est: fluuiales aut marinos lapides dici quoq; etrochalos, item chermadia, & cochlacas. Apud Hesiodum, trochali uocantur senes incuruati ad rotæ similitudinem. Idem Aristoteles De animalium historijs libro sexto, umbilicos pro poris accipit & meatibus in partu & generatione piscium. Ambones uero ad umbilicos spectant nihil: nam eo nomine loca intelligũtur superciliosa montanaq; dicuntur & uocabulo eodem ollarum summitates labraq;. Illud grauius: dici stolon

ὀμφαλώδη

ὀμφαλώδη, id eſt umbilicarem appendiculam, in ouis imperfectis adhuc, in parte acuta: quæ ouo amplius increſcēte, obtenditur latius atq; minuitur, perfectoq;, mucro exitum complet. Legimus porrò ſtolon dictum quoque in animalibus caudæ tenorem, ut Theodorus interpretatur. Nam Ariſtoteles ait, Caudis quoq; ineſſe longiores pilos, ſi ſtolos fuerit breuis, ut equis: alias uero breues, ſi longior ſit ſtolos, ut bobus. fortè caulem recte dixeris, ſicuti pennarum caules nuncupantur Plinio.

Item de embryi nutricatione in utero. Embryū cohærere utero, ſicuti plantis fructus. Carmentes duæ: Poſtuerſa, Proſa. An embryum ſit animal. Embryum unde dicatur. Hypembrium. Embryi pileus. Diadumenus Antoninus cur. Clodij Albini hiſtoria. Choria. Cytaria. Pſacala. Pſacaluchi. Nennus. Sannas. Sanna unde.

Caput XXII

POſtea uero quàm infantilis alimēti paulo antè facta nobis mentio eſt, & miſcellaneam in hiſce libellis doctrinam conſectamur, operæpretiū me facturum opinatus ſum, ſi flores aliquos ad huius corollæ nexum ex medicorum amœnioribus hortulis præcerpſerimus, quibus inſpectantium exhilarentur obtutus, & rerum fragrātia nonnihil afficiatur anima. Igitur Galenus inquit, Communes quædam uenæ ſunt mammis ac uteris, quæ ubi parum habuerint ſanguinis, graciles quidem mammas oſtendunt: inedia uero nonnunquam fœtum perimunt, nonnunquam & ad excretionem excitant, partumq; commouent. Nam in libro De natura fœtus Hippocrates: Alimentum, inquit, atq; auctio à matre ueniens, non adhuc eſt infanti ſufficiens, ubi menſes decem præterierint, & auctior fuerit fœtus. Perlicit enim à ſanguine ad ſe, id quod dulciſſimum. Simul autem & lactis parte aliqua fruitur. Vbi uero hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus cibi requirens, quàm illud quod adeſt, palpitat, & membranas interſcindit, ac initium partus matri affert. Proinde Sententiarū quinto Hippocrates idem, Mulieri (inquit) utero gerenti, ſi mammæ graciles repente fiant, abortit. Ex eiſdem porrò ſcholis & illud eſt, Fœtus utero necti, quemadmodum fructus ſtirpibus iungātur. hi nanq; in ipſis primordijs generationis debilioribus capulis nexibusq; continentur: proindeq; tota delabuntur facilitate, ſi uehemētior incubuerit uentus, poſthac aucti difficilius à plantis reuelluntur: ſicuti rurſum, ubi iam pleniorem adepti maturitatē ſunt, ſponte, nulla extrinſecus craſſante ui, defluunt. Conſimiliter de fœtu aſtruēdum. Quippe ubi primum inſinuatum uuluæ ſemen eſt, ſi agitari uehemētius uel animo uel corpore mulierem contigerit, minimo reſcinditur, ſoluiturq; modulus is, quo conflata ſocietas erat. Idipſum uſu itē uenire compertum, ubi iam maturuit fœtus. At tempore intermedio, incq; poſt principijs firmior eſt coalitus, ac propemodum inſeparabilis complexus, quo nomine ualidiores grauida commotiones citra fœtus læſionem, perpeti ualet. Confixos uero eſſe in utero puerulos, inter Varronis placita eſt, capite infimo nixos, in ſuperna pedibus prorectis, non ut hominis natura eſt, ſed ut arboris, Qui quandoq; tamē præter rationem conuerſi, in pedes prodeant in lucē, diductis paſſiſq; brachijs, matre inde oblæſa inſigniter. Cuius ſanè periculi deprecandi gratia Carmētibus ſtatuæ duabus ſurrectæ ſunt Romæ: alteri quarū Poſtuerſa nomē fuit, alteri Proſa, de recti peruerſiq; partus poteſtate ac nomine. Prodit in libro περὶ σπερμ. Galenus, & Simplicium pharmacorum primo, Embryi cutem initio eſſe ſuperficiem unam continuam, mox ritu cribri foraminibus oppleri. Ad ea uero quæ ſuperiore concinnauimus capite, adijci etiamnum illa poſſunt, quæ De philoſophorum placitis libro quinto Plutarchus ſcribit: Democriti dogma eſſe atq; Epicuri, embryum in utero per os cōnutriri: propterea æditum in lucem, ad mammas ore confeſtim arrepere: eſſe quippe in utero item ubera quædam, è quibus alimentum ducat. Stoici, per inteſtinum & umbilicum. Alcmæon, per totum corpus illabi putat alimentum: quia ſit perinde ac ſpongia, in quam eliquetur ex cibo, quod alendi uim obtineat. Embryum uero eſſe animal, arbitratur Plato, motus argumento & nutricationis, quæ utraq; in utero contingant. Stoici, non eſſe animal colligunt, ſed uteri partem: ueluti fructus plantarum dicimus partes, quæ à maturitate defluant, ſicut embryum quoq;. At Herophilus motum ei relinquit phyſicum, ſed non utiq; ſpiritalem. Motus autem organa, eſſe neruos: & tunc demum animal euadere, ubi profuſum aeris attraxe-

rit

rit quippiam. Fœtu denicꝙ iam figurato, Platonici putant, infundi uitam à ſphæranum animis, animaꝙ totius: ad idem ipſa matris anima ſimul cum uirtute paterna interum conferente, per quam uitam, uelut eſcam, rationalis trahatur anima ad corpus: ipſamꝙ ad ſe uitam contrahat quodammodo, ſub actuꝙ conſeruet, ducatꝙ ſuo. Dicitur uero embryum, ὸ ἐν τῇ γαστρὶ αὐξανόμενον, quod in uentre augeſcit, παρὰ τὸ βρύειν, quo uerbo in augmenti ratione utitur Homerus quoque, καί τε βρύειν ἄνθεϊ λδυκῷ. Hypembryum autem dicitur ſub ubere nuper infans natus. Lectum & illud eſt: puerulos naturali quodam inſigniri pileo, quod arreptum obſtetrices aduocatis uendant credulis: ſiquidem eo ſe adiuuari plurimum opinantur. Antonino autem Diadumeno, pilei loco pertenue fuit diadema, futuri mox imperij præſagium: unde ſit ratio item cognominis. Sicuti Clodio Albino ex albedinis claritate, quam in recens nato fuiſſe tantam patris ad Aelium Baſſianum teſtatur epiſtola, infantibus ex utero alioqui rubentibus, ferè ut linteamina, quibus eſt exceptus facile ſuperaret, Albini adoptata eſt nomenclatura. Sed & eidem imperij faſtigium prænuntiaſſe creditur bos albus purpureis ad plenum cornibus. Embion uocant poetæ lignorum cariem, quam dicũt cæteri ſaproteta. Chorία nuncupant Græci cytaria, id eſt embryi conceptacula. Sunt item choria, quæ ex inteſtinis plectuntur chordæ. Sed quoniã huc prouecti ſumus, ducto exordio nouo, ſpatiemur quadamtenus cum ueteribus ſapientibus, ſi illud commonuerimus antea: embrya quandoꝙ nuncupari pſacala, ſed & nuper æditos infantes. Vnde apud Sophoclem pſacaluchi matres appellantur. Ita cõperias uerba plerunꝙ non adeo multis cognobilia ob infrequentem apud auctores uſum: cuius eſt modi Nennus, quæ uox θεῖον indicat, id eſt matris fratrem. Apud Cratinum Sannas fatuum indicat. Vnde & Sanna uerbum Latinis frequens, puto, defluxit: etiam ſi à narium ſonitu grammatici opinentur ductum.

Embryo quando infundatur anima. Cur per cancrum anima deſcendere, per capricornum aſcendere dicatur. In quam primũ corporis partem inſinuetur anima. Saturnalium ratio Romæ. Ianuarius unde. Sothis. Boream eſſe generationis, Auſtrum uero deorum. Deos meridie ingredi. Templa cur non adirent meridie. De templorum ianuis nota. Silentio colendum deum. Virgilij locus ex Georgico quarto. Caput XXIII

QVærat hic ſolertior aliquis, nec hoc (quod dicitur) Catone contentus, quando nam affundi animam corpori cenſeamus? Poſtea quàm ſemen intra formandi hominis monetam locatum, quod à toto uiri corpore, ut ſcientiſſimis ex Platonicorum ſchola placere animaduerto, defluxerat, traxeratꝙ ſecum à uiri anima formatricem uim, eius potentia diebus ferè quinꝙ & quadraginta ſic eſt affectum, ut ſex primis diebus lac euaſerit, folliculo genitiuo circumiecto ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriore cluditur teſta: quod à phyſicis deprehenſum eſt, nec tacuit in libro De natura pueri Hippocrates. Nouem ſequẽtibus ſanguis, duodecim alijs caro, decem & octo reliquis fuerit figuratum, tunc anima creatur & infunditur. Scribunt Platonici, & in Naturalibus non prętermiſit Macrobius, Capricornum cancrumꝙ dici à phyſicis, ſolis portas: quia in utraꝙ obuiãte ſolſtitio, ulterius ſolis inhibeatur acceſſus. Per has item portas animas de cælo in terras meare, rurſumꝙ de terris cæleſtia repetere. Proindeꝙ hominũ unam dici, alteram uero deorum. Hominibus dicari cancrum, quia per hunc fiat ad ima defluxus: dijs uero capricornum, quia illac poſtliminio cæleſtibus animæ reſtituãtur ſedibus. Ex quo inter Pythagoræ placita cenſetur & illud, à lacteo circulo initia ducere ditis imperium, quia inde delabãtur animæ in mortalitatis naturam. Zodiacum uero lacteus circulus duobus interſecat locis, qua cancer, quaꝙ capricornus eſt: propterea & primam naſcentibus lactis offerri alimoniam. Cæterum quod ex intimo doctrinæ penu auctor eruit Macrobius, acri dignum perpenſione eſt: quippe Plutonis, quod aiunt, galea opertum quadamtenus, ab impoli tioribus (opinor) minus percipi ualet. Quamobrem falli nemo ita debet, ut deſcenſum aſcenſumꝙ hic accipiat ſecũdum ſitum: ſed quia luna cancri domina generationi proxima eſt, Saturnus uero dominus capricorni remotiſſimus: ideo per cancrum, id eſt humarem uegetalemꝙ inſtinctum deſcẽdere animas dicunt. Per capricornum uero, id eſt per

per Saturnium, intellectualemq́ inſtinctum aſcendere. Saturnum enim priſci mentem uocant, qua ſola petũtur ſuperiora. Adde, quòd capricorni Saturniq́ ſicca uirtus, dum ad intima ſpiritus contrahit atq́ colligit, ad contemplandum aſſiduè prouocat. Lunaris autem humor, ſpargit ac dilatat, & circa ſenſibilia animum diſtrahit. Hinc uero ſcitiſſimum reſeratur arcanum: Saturnalia, Romanos celebrare ſolitos, ſolem capricorno geſtante, in quibus feriabantur ſerui, liberorum calceos ſibi circumponentes, omnibus uero inuicem communicantibus: innuente prorſum legis auctore, Per capricorni portam homines, quibus nunc corporis ratione grauis incumbit ſeruitus, euadere in libertatem mox pleniſſimam. Quo item portæ argumento Ianuario menſi conciliatum nomen opinantur. Hac quoq́ ratione Aegyptijs anni principium cancer eſt. Adiacet uero cancro ſothis, id eſt σῶθις, canem interpretantur Græci. Sotheos autem exortus numenia eſt illis gentibus, generationis in mundum initia præbens. Adde, quòd Boream tradunt generationi percommodum, quo fit ut morientes ſpiritu credatur excitare, ſicuti exſoluit Auſter: conſtipat enim addenſans frigidior natura, laxat autem calidior. Ad hæc Boream fingunt ἐρωτικόν, id eſt in amorem pronum. Nam Orithyia rapta, Zeten genuit, & Calain. Auſtrũ contrà, dijs attribuunt: proinde meridie ingruente, in deorum templis panduntur uela: nec homini ingreſſus patet, uelut dijs ſit deſtinatum eundi tempus: in ianuis quoq́, meridiei & Auſtri uiſebantur ſymbola. Nec in ianua ulla, quæcunq́ eſſet hora: loqui fas arbitrabantur. Nam Pythagoricum & Aegyptiorum dogma ſapientũ id fuit, quum deum innuerent ſilentio colendum, à quo ſunt rerum primordia. Ex ijs opinor, Mantuano uati lux infertur clarior, quum Georgico quarto ſic canit,

Ipſa ego te, medios quum ſol accenderit æſtus,
Quum ſitiunt herbæ, & pecori iam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam.

Satis uero fuit Seruio inibi ſic enarraſſe: Tunc, inquit, ferè uidentur numina. Illud porrò & obſeruatione dignum: Animam, quam eſſe mediũ rerum ſtatuunt, iuſſu dei, quem eſſe mundi centrum uolunt, in punctum cordis mediũ, quod eſt corporis centrum, infundi primò, mox per uniuerſa corporis membra propagari: quando currum ſuum naturali iunxerit calori, per calorem ſpiritui corporis, ac per hunc humoribus inſeruerit, poſtremoq́ membris per humores. Solutis uero medijs ijs ægritudinum uiolentia, ſtatim ſe anima cum ſuo illo curru colligit quodammodo, refluitq́ in cor, unde primum effluxerat. Cordis extincto calore, quod erat illius uehiculi ſuſceptaculum proprium, cor deſerit tandem, ſuo illo uehiculo comitante. Principem tamen animæ uim in cerebro, uirilem atq́ iraſcibilem in corde, in iecore concupiſcibilem eſſe ſitam, nemini non (inquit Galenus) perſuaſum eſt. Nam & uulgo iactari ſic propemodũ nouimus, quum fatuum inaudimus cerebrum non habere. Timido & puſillanimi cor deeſſe. Tityo autem iecur eroſum, non poetæ modò canunt, ſed fingunt & pictores, ſculptoresq́. Sed enim prius quàm reuellamur inde, non prætereamus quòd Mercurialibus contentum literis prodidit Iamblichus, duas hominem animas habere, & eſſe quidem unam ab intelligibili primo, atq́ ipſius opificis potentiæ participem. Alteram uero ex circuitu cæleſtium nobis inditam, in quam & anima diuinorum ſpeculatrix irrepat. Sed animam à mundis in nos deſcendentem, mundorum quoq́ circuitus ſequi. Quæ uero ab intelligibili ueniens intelligibiliter adeſt, geneficum circuitum ſupereminet, atq́ per eam & à fato ſoluimur, & ad intelligibilem deum aſcendimus, & religionem habemus ad æterna tendentem: propterea non eſſe arbitrandum, omnia inſolubilibus neceſſitatis uinculis, quod fatum nominant, colligari: quando habet anima principium in ſe proprium, quo ad intelligibile ſeſe conferat. Ex hac uero doctrina eluceſcit (opinor) amplius, cur poeta maximus Aeneidos quinto cecinerit,

Animæq́, umbræq́ paternæ.

De umbra uero alibi plura, unde uberius hic illuſtratur locus. Beatus autem Thomas aſtruendum ait, unam eſſe eandemq́ in homine animam quæ ſentit, nutrit, intelligit. Quòd ſi corruptibilem aias uegetatricẽ ac ſenſilem, reliquam uero immortalem: reſpondemus, In homine ſenſilem animam induere cum uegetandi potentia incorruptibilitatem, quia intellectualis facultas illis adnectatur

tur. Nam ſi, ut in brutis, ſenſilis tantum & uegetatrix ſit anima, eſſe planè mortalem: ordine autem generationis ac temporis, prout ab imperfecto ſcanditur ad perfectum, uegetatrix uis reliquas in embryo præire, animaduertitur.

De prouerbio quod eſt, Diphilo Diphilus tardior. Quot Diphili, & qui, ac unde: quiue dicatur dius. Dij Thraces. Dioſpoliticon. Diatrion. XXIIII

IN ſegnes & extra modum pigros in obeundis, quæ ſemel fuerint iniuncta, prouerbium eſt elegantiſſimum, Diphilo Diphilus tardior. Vtitur eo Marcus Tullius ad Quintũ fratrem libro tertio: Apud herum, inquit, recte erat, in Maniliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. Sed tamen nihil ei reſtabat præter balnearia & ambulationem & auiarium. Videtur architectus fuiſſe Diphilus tardiſſimus in perducendis ad finẽ ſuſceptis operibus. Qualis ille fori Auguſti. In quem operis expectationem diu trahentem, falſum id prodijt imperatoris dictum, Vellem & Caſſius forum meum accuſaſſet: quoniam multi Seuero Caſſio accuſante, abſoluebantur. Ad hunc Diphilum uideri poſſet alluſiſſe Iuuenalis illis uerſibus,

Non eſt Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis, uel Diphilus, aut Erimanthus.

De quo tamẽ idem Cicero non ſatis ad gloriam dixiſſe uidetur: Columnas neq; rectas neq; eregione Diphilus collocarat, eas ſcilicet demolietur: aliquando perpendiculo & linea diſcet uti. Ni mallemus ſatyrum ad poetam Diphilum reſpexiſſe, cuius in prologo Caſinæ meminit Plautus, & in Adelphis Terẽtius, ac Athenæus: ſed & Ariſtophanis interpres in Nebulis, in Bœdam philoſophum à Diphilo integrum fuiſſe concinnatum poema, ſcribit. Aut etiã ad tragœdum uerius Diphilum, de quo illa ſunt in Epiſtolis ad Atticum: Apollinaribus Diphilus tragœdus in noſtrum Pompeium petulanter inuectus eſt: noſtra miſeria tu es magnus. Eandem uirtutem iſtam, ueniet tempus, quum grauiter gemes, totius theatri clamore dixit. Hic uero Diphilus, ſicuti Callipides, ob artis peritiam uidetur in geſticulando fuiſſe moroſior & tardior, unde irrepſit adagium Ciceroni: quanquam arridebit forte amplius id, Diphilum ſe ipſo tunc tardiorem effectum. Dios uero, id eſt ὦν δίους, Euſtathio tradente, Homerus Ioui amicos intelligit, id eſt δὶ φίλους, unde (inquit) concinnatur Diphili nomen. Verum dius item eſt, qui inter homines Iouis quadam imagine præcellit: nam & Clytẽneſtra, dia quoq; dicitur, pulchritudinis ratione: ſicuti ob magnitudinem mare, dium, & dia Charybdis. Dium menſem pro Nouembri accipiunt Græci: ſic enim in Collectaneis rei ruſticæ apud Græcos adnotatum comperi: Democritus & Apuleius talem expectari hyemem aiunt oportere, cuius fuerit modi feſtus dies, quem brumam uocãt Romani: eſt autem quarta & uiceſima Dij menſis, qui eſt Nouẽber. Sunt & montani Thraces Dij, Thucydidi hiſtoria ſecunda, qui Rhodopen colant feré. Eſt & Homero Euboeæ ciuitas Dion, ad Cinnæum, Δίου τ' ἀπὸ πτολίεθρου. Dioſpoliticon uero medendi peritis medicamẽtum eſt, cuius traditur compoſitio duplex: alias ex paribus omnibus, cumino, pipere, ruta, nitro: alias cum reliquorũ pari pondere miſcetur nitri dimidium. Diatrion in ſcholis eiſdem pharmacum: intelligitur ex tribus cõfectum piperis generibus, unde diatrion nuncupatur pipereon. Comprobatur, quod fuerit haud ita medicamen toſum, ex uarijſq; confectum, mixturæ ritu quã caryciam dicunt, aut apri ab gulæ proceribus mirè conditi.

Linguæ uirulentæ taxatio. Homeri & Steſichori cæcitas unde fuerit. Socratis in amorẽ allatratio. Balatrones qui. Ocimum ſerere, aut cuminum quid. Cimbices qui. Antipathia quarundam rerum mira. Libitinæ. Plautinæ familiæ. Mahumeth ſententia præclara. Quid brutum faciat. De Sillis pulchra. Cur philoſophorum Muſeum Timon appellarit Talarum. Sileni unde. Interim Anacreontis, & Cleoboli hiſtoria. Libelli famoſi. Hibera excetra

Caput XXV

ABdalam Sarracenũ ſcribunt nonnulli, interrogatum, Quid in hac quaſi mundana ſcena admirandum maximè ſpectaretur, nil uideri homine præcellentius, reſpondiſſe. Cui ſententiæ illud Aſaph prophetæ ſuccinere, manifeſtum eſt, Dij eſtis & filij excelſi omnes. Quo magis mirum eſt, pleroſq; mortalium ita

ita breuiſſimos uitæ annos tranſmittere inſtituiſſe,ut quum in honore eſſent, brutis & iumentis inſipiẽtibus ſe maluerint aſſimulare.Mitto cætera. Nónne quidam homines ad uenena naſcuntur? Qui quum uelut ſcorpionis ictu optimum quenq; lancinarint,ac fiſtulato uulnere,ut Hieronymi utar uerbis,uiam aperuerint,mox latius ueneni peſtiferam uim fundunt.Atra hominum,ut Plinius inquit,ceu ſerpentum,lingua uibrat,tabesq; animi contrectata omnia adurit,culpantium omnia,ac dirarum alitum modo tenebris quoq;,& ipſarum noctium quieti inuidẽtium gemitu, quæ ſola uox eorum eſt, ut inauſpicatarum animantium uice,obuij quoq; uetent agere,aut prodeſſe uitæ. Nec tamẽ ullũ aliud abominati ſpiritus præmiũ nouere,quã odiſſe omnia.Nil uerò facilius, Apuleius inquit,q; linguæ rabies & uilitas morum:altera ex aliorũ cõtemptu, altera ex ſui.nam uiliter ſemetipſum colere,ſui cõtemptus eſt:barbarè alios inſectari,audiẽtium cõtumelia eſt.Et pro Plantio Cicero:Nihil eſt tam uolucre,q; maledictũ: nihil facilius emittitur,nihil citius excipitur,latius diſſipatur. Sed & in ſacro adnotatũ eloquio eſt: Omnis qui detrahit fratri ſuo,homicida eſt:homicida, in regno dei partem nõ habet. Homerum denicq; literarum principem ideo excæcatum memorant, quòd in Helenã ſtilum diſtringere ſibi permiſiſſet:nec uiſus deinceps unquam fuiſſe compotem, quod delicti perſeuerarit imprudens. Contrà uerò,errore animaduerſo, Steſichorum facilè in reliquum eſſe oculis uſum,quum per palinodiam recinuiſſet, Non uerus ſermo ille fuit,neq; nauibus altis Exiſti fugiens,neq; adiſti Pergama Troiæ. Quin & Socratem produnt,ubi in amorem petulanter eſt inuectus,à dæmone familiari amplius caſtigatum,atq; inde prius quàm ſiniſtri pateretur quippiam,expiatum,amoris eiuſdem præconia cõcelebraſſe.Ita prorſum habet,lingua inſigniter abutitur, qui ad malum utitur. Quòd ſi fetutinas auerſamur,amplius expendendum,nil olere grauius,quàm oris malum & mephitim uirulentam.Non tam emaculanda indumenta, quàm expurgandæ oris ſordes,quãdo fetens ſermo putridæ mentis indicium eſt.Balatronem inuenio ſcurram fuiſſe uirulentum:unde Horatius,Balatro ſuſpendens omnia naſo. Et Hieronymus,Ne me putes in modum ruſtici balatronis cuncta Origenis reprobare. In hoc peſtilentiæ uirus ſcitè conformatus adagio eſt, ut ocimum dicantur ſerere, quum pernicioſus ſe carptorum uituperonumq; ſubducti ſupercilij uibrat idẽtidem ſpiritus, cuius nocentiſſimi non aliud ferè opus eſt,quàm cuiuſq; famam proſcindere, & teterrimi ueneni luridam tabem affigere,qua plurimum uita defloreſcit, parantur rebus exitia, & mentium quoq; (ut ſic dicam) exuruntur intima,quando nihil eſt quòd ſordidus dens & fellenon lita,ſed macerata uox non concutiat: dum luto eodem conſpurcat omnia, nec in ſe ingeſtum diluit,aut de alterius oculo feſtucam excuſſura ſuam prius trabem eximit.Adagij ratio eſt,quoniam (ut Plinius inquit) nihil ocimo fœcundius, cum maledictis ac probris ſerẽdum præcipiunt,lætius proueniet.Qua ratione & qui malè imprecantur,dici poſſunt cuminum ſerere:id enim qui ſerunt,precãtur,ne exeat.Eo uerò uſus eſt prouerbio Sophron,ut Demetrius Phalereus ſcribit, κύμινον ἔσπειρε. ſed & in Sympoſiacis Plutarchus,imprecationibus conuitijſq; ſeri cuminum approbat: ſicuti apium lætius prouenire tradit proculcatum extritumq;.Idem Plutarchus alibi ita ſcribit, Qui uerò liberalem magnificum gratioſumq; cimbica uocant & cyminopriſtem, ideſt cumini ſectorem,facilè riſum mouent.Sunt autem cimbices,qui & micrologi, id eſt minima quæq; plurimi facientes. Quod uerò ad ocimum item ſpectat, eſt rerũ quarundam antipathia mirabilis,inquit in Sympoſiacis Plutarchus: elephas furens ariete uiſo,quieſcit ac conflacceſcit impetus. Viperam ſiſtit fagi ramus,ſi admoueatur. Taurus ferus,ſi ficui deſtinetur,remollitur.Permouet omnia electrũ,aduocatq;,præter ocimum,& quæ fuerint oleo perlita.Coluber nudum hominem timet, operimentis indutum perſequitur.Serpens,ſi ſemel calamo percutiatur,interit: ſi iterũ, cõfirmatur.Brumali ſydere infirmior etiam à ſoricibus infeſtatur:quo argumento ante hyemem parat circa ſe,quibus ueſcantur illi, & parcant. Ocimum etiam miſodulon dici animaduerſum libro undecimo ἐκλογὴν περὶ γεωργίας, quin & nulli rei prodeſſe,quoniã manioides efficiat,& lethargicos,item hepaticos, qui ueſcantur, capræ argumento,quæ hoc unum reformidet in cibis:mulieribus inimiciſſimum cenſetur præcipuè, tanta antipathiæ ui,ut ſi pultario ſubijciatur, inſcia muliere,obſonijs niſi amoto, manũ non admo-

liatur: idq; si ὁλόξυζον fuerit. Verum, ut ad maledicos redeamus, inueni in literis, id genus homines uirulentos, exitiales caniculasq; & sola inuidia ac dicacitate, uel uenenis aspidum lingua cognobiles, rectè dici libitinas, uelut instar libitinæ, defunctorũ præfidis deæ, quam ὠμοτυμβίαν Græci uocant. Apuleius in Floridis, Si quis igitur ex illis libitinis splendidissimo huic auditorio, uelut quædam macula sese immiscuit. Nec me fallit, Acronem in Horatianum illud,

Multaq; pars mei Vitabit libitinam,

scribere esse libitinam lectum, quo mortui efferantur. Sed de Venere epitymbia Libitinam dici, auctor Plutarchus est. Plauti ex Pœnulo scita sententia est, in maledicos ac uelut Scyllæos canes concinnata,

Isthic est thesaurus stultis in lingua situs,
Vt quæstui habeant malè loqui melioribus.

Plautinas familias eleganter, ac (ut solet) doctè nuncupat Hieronymus, eos qui de triuio, de compitis, de plateis circumforanei rumigeruli, & ad uenena producti, ac ad detrahendum modò scioli, impudentius hunc illum proscindunt, cuius sunt modi interloquutores in Plauto, se inuicem procacius impetẽtes. Fuit & Medius quidam ex Alexandri adulatoribus, ac uelut hexarchus & sophistes coryphæus in optimum quenque. Hic alios hortabatur, calumnias in quemuis audacter conflarẽt. Nam etiam si, inquit, uulnus persanarit, in quem morsum infixeris, nihilominus cicatricosus cõuisetur locus. Cæterum, ne lingua nostra sit gladius acutus, dum sale multo hunc illumq; defricamus, meminerimus Archilochi libros ob dicacitatem solam & ingenij uirulentiam à Lacedæmonijs urbe sua interdictos, ne illorum lectione quippiam de ueneno honestis illorum moribus instillaretur, quando ad benedicendum natus homo est, non ad infigendum atrocis linguæ uibrantem aculeum optimo cuiq;, non ad inspergẽdam factis alienis labem: dum ore sæuit rabido, uiperinis orbibus, ac si deo placet, tincta facie, pumicatis dentibus insitum spargens uenenum, de quo genere illud est satyricum:

Hic aliquis, cui circa humeros hyacinthina lena est,
Rancidulum quiddam balba de nare loquutus
Perstrepit, ac tenero supplantat uerba palato.

Meminerimus porrò, quòd Maumeth, sicuti à multis appellari aduerto, habuisse in ore perpetuò narratur, Qui à diuina lege recesserit, brutum euadere: neq; enim plantã cortex facit, sed stupida, & nihil sentiens natura: neq; iumẽta corium, sed bruta anima, & sensibus mãcipata: nec cælum orbiculatum corpus, sed recta ratio: neq; item corporis sequestratio angelum efficit, sed spiritalis intelligentia. Verum & qui se lingua petulantissima conuelli sentit, non ruat in ultionem præceps paria repensurus. Cæterum illud Senecæ subinde repetat: Quid stultius homine uerba metuente? Elegãter Demetrius dicere solebat, eodem loco sibi esse uoces imperitorum, quo uentre redditos crepitus: Quid enim, inquit, mea refert, sursum isti, an deorsum sonent? Quanta dementia est, timere, ne infameris ab infamibus? Sed & M. Tullij commonitio nec prorsum ab instituto dissultat, quæ est in Oratione pro L. Murena: Saltatorem, inquit, appellat falso L. Murenam Cato: maledictum est, si uerè obijcitur, uehementis accusatoris: sin falso, maledici conuitiatoris. Quare non debes arripere maledictum ex triuio, aut ex scurrarum aliquo conuicio. Anacreon Teius quum in Panionum foro ex occursu nutricem cum infante temulentus uexasset, superq; probris infantem incessuisset: mulier, nil aliud quàm deum fertur cõprecata, ut contumelias is laudibus dilueret quandoq;. Annuit uotis deus: nanq; infans, Cleobolus fuit ille uenustissimus, cui postea carminibus suis ampliter poeta satisfecit. Verum, ne si ulterius fuero progressus, uidear fortè ἐκτὸς χοροῦ ὀρχεῖσθαι, idest extra chorum saltare, comprimam stilum, ad alia demigraturus, quæ usui sint legisse, & uoluptati non neglexisse, si auctarij tamen adiecero quippiam. Illud enim aduertendum, maledicta cum risu, rectè sillos dici. Erat autem poematis species comici. Qui id persequebantur, sillographi nuncupati. Initium ex Homerica uidetur doctrina propagatum, ubi subsannatur Thersites, cõuelliturq;, qui in principes dicacitatis plurimum exerebat. Sillos optimè fertur scripsisse Xenophanes. Est inde conformatum uerbum σιλλαίνειν, eo modo dicaciter ludere. Sed & Silenos hinc

corriuari

corriuari,ſcribunt Græci.Apud Aelium Dionyſium eſt aliud item uerbũ πλοῶ, quod eſt in cõtemptu & oratione diaſyrtica leniter oculos aliò transferre.Timon apud Athenæum dicitur Sillographus,qui muſeum appellauit etiam Talarum, philoſophos qui inibi connutrirentur inceſſens. Eſt autem talarus ex uiminibus, qui contexitur calathus,& in quo coagulatur caſeus.ueluti alerentur,ut in panagro pretioſæ aues. Silenos dici,Pauſanias putat, ἀπὸ ἁλικίας τῶν Σατύρων πολλοντας, id eſt inter ſatyros natu grandiores, quos ex Euphemi hiſtoria extimi maris inſulas incolere, prodidit, Satyridas nomine,caudasq́ habere equinis haud minores multo. Eſſe uerò mortales Silenos,ex ſepulchris conijci poſſe,idem ſcribit Pauſanias Eliacorũ ſecundo:nam, inquit, in Hebræorum item regione fuit Sileni monumentum. Deniq́ id prætereundum minus,Auguſtum principem omnium de famoſis libellis cognitionem legis ſpecie maiè ſtatis tractauiſſe,commotum Caſſii Seueri libidine, qua uiros fœminasq́ illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat. Prius facta arguebantur,inquit Tacitus,dicta impunè erant.Si qui proditione exercitum aut plebem ſeditionibus,demumq́ malè geſta republica,maieſtatem populi Romani minuiſſet. Obſeruatum uerò in ſciẽtiſſimorũ libris, eleganter lingua prurientes dici & auribus.Qui tum alijs detrahunt,uirulentiæ ſuæ inſpergentes uirus,tum id agentibus ſeſe libenter accommodant. Cum detrahentibus, inquit Solomon,ne miſcearis,quoniam repẽte ueniet perditio eorum: & ruinam utriuſq́ quis nouit? Hiberam excetram ſcitè Hiſpanum dixit obtrectatorem uirulentum Hieronymus.Eſt uerò excetra,quam uocant hydram.

Super Aeſopo fabulatore excerpta paucula nõ illepida.Quid ænos.Quintiliani locus explicatur. Cur dictus æſopus.Logopœus qui dicatur,& quid logos.Logaœdica metra.Itẽ mythos.Metaxylogia quid.Spermologi.Verbum cur pars orationis,& cur pro dei filio. Cap. XXVI

AEſopum è Phrygia fabulatorem,haud immeritò ſapientem eſſe exiſtimatum, Gellius ſcribit, quum quæ utilia monitu ſuaſuq́ erant, non ſeuerè, nõ imperioſe præceperit & cenſuerit,qui philoſophis mos eſt, ſed feſtiuos commentus apologos & delectabiles,res ſalubriter ac proſpicienter animaduerſas in mentes animosq́ hominum, cum audiendi quadam illecebra induxerit.Super hoc uerò Aeſopo lepidam apud Philoſtratum fabellam comperimus,quam & appoſuimus.Fuit quandoq́ paſtor Aeſopus, forteq́ in propinquo ædis Mercurij greges curabat:proinde quum foret ad ſapientiæ ſtudia procliuior animo,eius adipiſcendæ ergò,nõ deſinebat Mercurio uota concipere. Factitabant id ipſum & plericq́ alij templum frequenter adeuntes, ac multifaria deo pro facultate offerentes munera.Aeſopus,ut qui pauper foret, lactis tantum non magnum libabat modum,fauis quoq́ inſuper oblatis,& id genus alijs haud multis. Forte ita euenit, ut ſapientiam ſingulis pro ratione meritorum diſtributurus accederet deus:quumq́ huic philoſophiam adnuiſſet,illi dicendi peritiam eſſet impartitus,alicui uerò etiam cæleſtium rerum ſcientiam, aut muſicas item modulationes, nec omiſſa pangendorum carminum uenuſtate:animaduertiſſet autem, Aeſopum ſe poſthabuiſſe, cui nil eſſet gratificatus,memor fabellę ſibi in Olympo etiãnum infantulo à deabus Horis lepidius enarratæ,de boue quadam & Solis armento,ad hanc ipſam rem facultatem Aeſopo eſt elargitus.Ex quo illi mox arte contributa multiformi fabellarum concinnãdarum, tantus in apologis euaſit,quantum omnes agnoſcimus:agnouerat & Tyaneus Apollonius, qui accommodatiora ad ſapientiam eius uiri lepidiora figmenta eſt arbitratus, quàm poetarum commenta,quæ de dijs,heroibus ac magnis uiris parum decora,minusq́ ad bonam frugem illectantia ædunt in uulgus.Apologi uerò Aeſopei, ut inquit Fabius, ducere animos ſolent,præcipuè ruſticorum & imperitorũ,qui & ſimplicius quæ ficta ſunt,audiũt,& capti uoluptate facilè ijs quibus delectantur,conſentiũt.Et Horatius in Epiſtolis,ne in poemate quidem humilem uſum huius generis putauit illis uerſibus,

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit,referam.

In hoc uerò commonendi ſumus,fabellarum quæ Aeſopeæ dicãtur,originem ab Aeſopo nõ demanaſſe, quando earum primus uidetur auctor Heſiodus. Vbi uerò libro quinto ait Quintilianus: αἶνον Græci uocant,& ἀποπ-

ποποίησιν, & (ut dixi) λόγους μυθικούς, sciendum est, ænon differre à mytho, id est fabula: quia ænos, ut Aristophanis interpretes produnt, non pueris concinnatur, sed adultis dirigitur: nec consolatorius modò est, sed parænetícus quoq; admonet enim, & docet: quod Hesiodum fecisse, animaduertimus. Aenon, sunt qui apologum interpretentur, item prouerbium quandoq; ut apud Theocritum,

αἶνον θὴν λέγεταί τις, ἔβα καὶ τοῦρον ἀὐ ὕλαν.

In Apostolij Ionia, & apud Ammonium, sic comperi: Aenos, inquit, est λόγος μυθικὸς ἐκφερόμενος ἀπὸ ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν, πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν. Dici uerò αἶνος, idem probat: παρὰ τὸ ἐπαινῶ, quod est exhilaro: quoniam plurimum lætemur narratione id genus. Et Ioannes grammaticus αἶνον interpretatur μυθικὴν παραίνεσιν. Aesopica ridicula & Sybaritica, legimus apud Aristophanem in comœdia, cui titulus σφῆκες. Ad Aesopi uerò laudem pertinet, quod in libro De breuitate uitæ Seneca scribit: Non audeo, inquit, usq; eo te producere, ut fabellas quoq; & Aesopeos logos, intentatum Romanis ingenijs opus, solita tibi uenustate connectas. Sunt porrò, uti nos Hephestionis cõmonet Enchiridion, λογαοιδικὰ metra dactylica, quæ in regionibus alijs omnibus dactylos habent: postremam uerò syzygiam trochaicam. Præcipuum inter hæc censetur, quod ad dactylos duos trochaicam habet syzygiam: dicitur alcaicum decasyllabum,

Καί τις ἐπ' ἐσχατιαῖσιν οἰκεῖς.

Et quod ad tres, uocatur πραξίλλειον.

ὦ δέσποτ' ἔφη θυείδων καλὸν ἐμβλέπουσα,

Παρθένε τὰν λιφαλάν, τὰ δ' ὀνόρθε, νύμφα.

Est logaœdicon quoq; in anapæsticis, quod bacchio finitur. Præcipuum uerò, si post quatuor pedes, spondeo primo & iambo inferatur bacchius. Archebulium ab Archebulo dicitur poeta Thebano, qui eo usus plurimum est. adhibuit & Callimachus,

ἀγέτω θεός, οὐ γὰρ ἐγὼ δίχα τοῦ δ' ἀείσω.

Et hoc ab anapæsto quidem: à spondeo autem,

Νύμφα σὺ μὲν ἀσεβείαν ὑπ' ἄμαξ ἥδη. Ab iambo,

φιλώτορα, ἄρπ γὰρ οἱ σπελὰ μὲν γύνα.

Videtur omnino esse rhythmus solutæ orationi communis & carmini: in quo poetis sit peculiaris dactylus, solutam scribentibus orationem trochæus: sed & inde uideatur concinnatum nomen ab logographis, καὶ ὑπὸ τοῦ ἀοιδῶν. Metaxylogiam scienter dicunt Græci, uerba paucula sententiæ seriem interpellantia: nos interiectionẽ dicimus, parenthesin item illi. Hæc adiecisse uolui propter ea, quæ nobis dicta alibi de uitio, logoidia sunt. Porrò ex Græcis sunt, qui Aesopum hunc reuixisse fabulentur, quod comicus item Plato significauit, quod ipsum de Tyndareo, Hercule, Glauco traditum scimus. Nec illud prætermerim: fuisse Aesopum omnium ferè turpissimum, nec Thersitæ quidem Homerico saltem conferendum: nam ut alia taceam, fuisse nigerrimus proditur: unde illi factum nomen putant, quando Aesopus & Aethiops idem ferè consignificent. Illud fortasse ambiguitatem mouerit nõnullis: unde sit, quòd Aesopum quandoq; λογοποιὸν dici inaudimus. Verum, ut inquit Eustathius, sciendum amplius, logon interdum ueteribus accipi solitum pro fabuloso sermone: proinde logopœus idem est qui mythographus: at posteritas mython fabulis modò reliquit, logon uerò quotidianæ sermocinationi. Quamuis Homerus mython simpliciter pro oratione accipiat, cuius rei in quibusdam uestigia seruantur: nam paramythiam dicimus, & paramythicas orationes. Logos, inquit Hieronymus, multa significat: nam & uerbum est, & ratio, & supputatio, & causa uniuscuiusq; rei, per quam sunt singula quæ subsistunt: quæ uniuersa rectè intelligimus in CHRISTO, qui rectè uerbum dicitur, ut Dei filius. Nam, ut cætera omittam, apud grammaticos pars orationis uerbum nuncupatur: quod erat alijs quoq; commune, quoniam totius est orationis perfectio, uelut eius præcipua pars qua & reliquæ innotescunt, quando in uerbo nomen intelligitur. Sic & diuinum uerbum est inter omnia perfectissimum, eoq; patescunt omnia. Scire tamen licet, Thomam tradẽte in libro De ueritate, uerbum dici modis tribus: & primò quidem, quòd per intellectum concipitur, quod uocant uerbum cordis: secũdum, est uerbi exterioris exemplar

plar,quod uerbum nuncupatur interius:poſtremum,eſt uocale uerbum. Nam & in artifice prima eſt finis intentio,inde cõſequitur formæ excogitatio, mox prodit opus ipſum.Nec ignorandum,ueteres Græcos etiam de Sancto ſpiritu uerbum pronunciare: noſtros autem,& ferè canonicos ſcriptores de filio tantum. Spermologon, Græci nugacem intellígunt, καὶ ἀκεστόμυθον. Verum & uilis contemptibilisq; ſic quoq; dicitur, ut qui aliena uictitet quadra. Hinc in Parallelis Plutarchus nauticam nuncupat ſpermologiam.

Athenienſium aduerſus rebelles ſanguinaria decreta. Cap. XXVII

ATheniẽſem populum aduerſus eos,quos à ductu auſpiciisq; ſuis deficientes comperiſſet,inclementer(ne dicam ſanguinariè) ſe geſſiſſe,ex Græcis notum hiſtoricis eſt:à quibus & quidem Attici nominis ſtudioſis,mandatum literis,ſcimus:decreto ſancitum,ut Aeginetis ſi caperẽtur,manus abſcinderetur dextræ pollex,quo ne geſtare utiq; haſtã poſſent: poſſent autem remis inter nauigandum planè uti. Mitylenæos uerò ἀβανδὸν, id eſt indiſcriminatim,uel cum puberibus iugulari ſtatuerunt,& Cleone quidem auctore,Cleæneti filio. At Samiorum frontes,ſi eos adepti forent,inſcribi, uel (ut Græci dicunt) σίζειν τὴν πρόσωπον. ſtigma,ſeu notam eſſe uoluerunt γλαῦκα,id eſt noctuam.Et hoc,inquit,Aelianus,Athenarum pſephiſma eſt, οὐκ ἐβουλόμην δὲ αὐτὰ, οὔτε ἀθήναισι λειχυρῶσθαι, οὔτε ἀθηναίων λέγεσθαι ὦ πολιὰς ἀθήνας, καὶ ἐλευθέρας ζόν, καὶ οἱ ἑλλήνων θεοὶ πάντες.

Qua ratione Soſipolis deus coli ab Eleis ſit cœptus. Ilithyiæ tẽplum.Bacchi miracula,& feſtum Thyia.Thyomata unguenta, & myracopa.Thyna.

Caput XXVIII

DAemonicas illuſiones,quibus priſcorum hominum rudis ſimplicitas irretita oblaqueataq; in præceps data eſt,ut falſis mancipata religionibus adoraret quod neſciebat,alicubi (opinor) nõ neglexímus. Nunc nõ itidem omittemus,quod inter legendum opportunè ingerere ſe, eſt uiſum. Mouerant quandoq; aduerſum Eleos magna ui Arcades, Exiuerant exaduerſum illi quoq; exercitu haud contemnendo. Comparuit tunc mulier uberibus infantem alens, uti tum eſt uiſum:quin eundem utero ſe geſtaſſe,aſſeuerabat:adiens uerò Eleorum duces, ſomno monitam dixit,infantem illis oblatum ueniſſe,futurum belli ſocium. Vera loquutam arbitrati Elei,nudum infantem hoſti ante omnes in principijs obijciunt:interim impetum dabant Arcades,qui confertim nitibundi,quum proruentes intra teli iactum ueniſſent,iam qui uidebatur infans prius,draconem induerat.Territi ſpectaculo tam meticuloſo ac formidabili Arcades,ac inde ordinibus turbatis, mox ſeſe diſpalati in fugam coniecere.Illos uerò inſequuti Elei cum magna cæde inſignem retulere uictoriã. Reuerſis autem,ex hoc euentu deus eſt factus σωσίπολις, quæ eum præmonſtrat uox, qui ciuitati ſalutem attulerit.Sacellum ibi potiſſimum eſt excitatum,in quem locum à prælio intruſiſſe ſe draco erat uiſus.Verum & inibi quoq; Ilithyiæ ara erecta, ceu ab ea productus ad homines Soſipolis deus foret.Effingi conſueuit puerili ſpecie, chlamyde ſtellis diſtincta,manuum altera λιτρας & ἀμαλθείας ſuſtinente, quod apud Aeginam habet Fortuna.Eſt apud Eleos miraculum alterũ:nam in Bacchi feſto,quod θύϊαν nuncupant,illati templo lebetes tres noctu ſponte implentur uini, foribus accuratè occluſis,obſignatis etiam,ne fraudem ſuſpicari quis poſſit. Quin Andrij quoque quotannis eiuſdem ſolenni die ſpontaneum à templo ſcaturire uinum,prædicant. Obiter illud adnotauero,thyomata ad Thyiam ſpectare nihil:nam eo nomine interpretantur Græci, quod nec omiſere noſtri, ex aromaticis concinnata unguenta, floribus non admiſſis omnino: unde πθυομλύους ſic delibutos nuncupant. Vnguenta uerò quæ ceram recipiunt,aut reſinam,uel id genus alia,uocant myracopa, de acoporum imagine. Thyna uerò eſt in Thracia locus,quod Galenus inquit. Proinde Thymum, è Thyna laudari ab Hippocrate.

De Plutonis templo apud Eleos,quod annis ſingulis ſemel tantum reclu deretur. Cap.XXIX

APud Eleos inter cætera uel numeroſiſſima deorũ templa, fuiſſe item Plutonis περίβολον, id eſt ſeptum & delubrum, memoriæ proditur. Id uerò quotannis ſemel modo aperiri, uetuſtiſſimi fuit moris. Nec tamen ita patens ingredi quẽquam, putabãt fas. Cur uerò ab Eleis honores indeptus ſit diuinos Pluto, ſic ferè explicari animaduerto, Quum Hercules militari manu aduerſum Pylios eſſet profectus, illi præſtò fuiſſe Pallada Eleam, belli ac laborum ſociam. Sed & Herculis odio uiciſſim ad Pylios Plutonem ueniſſe, quod etiam ab illis coleretur eximie. Iis uerò aſtipulari Homerum quoq́, apud quem in Iliade ſic ſcriptum inuenias,

Τλῆθί μοι ἀίδλης γὲ τοῖσι πελώρι@ ὠκὺ ὀϊσθῆι,
Εὖτέ μιν ὠυτὸς ἀνὴρ δῖος ὑὸς ἀιγιόχοιο
γὲ πύλῳ, γὲ νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν.

Elei itaq́ Plutonem, ut ipſis beneuolum & Herculis inimicum templo honeſtarunt: quod per annum ſemel pateat, quoniam unus itidem homini eſt ad inferos deſcenſus.

Timothei ſententia de frugi uictus cõmoditate, Platonis in re eadem commendatio. Cap. XXX

FRugi uictus & præparci, quæ à prudentiſſimis promantur emolumenta, ni fallor, alibi ſum curioſe ſatis perſequutus. Nunc, quod ſe ingerit, exẽplum clariſſimũ præterijſſe nequeo. Quippe genus hoc plurima grauius permouent ſæpe, quàm ex philoſophorum ſcholis, quæ proferuntur documenta. In memorijs ergo traditum ueteribus, Timotheum Cononis Atheniẽſium uel memoratiſſimum ducem, relictis quandoq́ ſumptuoſioribus cœnis ac imperatorijs epulationibus, exceptum conuiuio à Platone in academia. Quumq́ non fuiſſet id miſſuum numero magnificum, nec ullo magnopere apparatu conſpicuum, ſed ſimplex planè, ac μουσικῶς concinnatum: reuerſus ad ſuos Timotheus lætè inſuſurrauit, ὅτι οἱ παρὰ πλάτωνι δειπνοῦντες καὶ τῇ ὑσθραίᾳ καλῶς διάγουσιν. hoc eſt, quos cœna exceperit Plato, in poſterum etiam benè habere. Quin ex hoc etiam adipoſas ganeatasq́ inſectari, ac perſequi epulas deſtitit: quoniam poſterius nil oblectent omnino, ut quas oneroſa crudioreq́, cõſequatur percoctionis moleſtia. Proditur literis illud quoq́, haud ab eo quod prætexuimus, ita diſſultans, Timotheum eundem die quæ inſequuta ſympoſium eſt, fortè Platoni obuium intuliſſe eleganter admodum & ſcitè, ὑμεῖς ὦ πλάτων εἰ δεῦτε μᾶλλον εἰς τὴν ὑσθραίαν, ἢ εἰς τὴν παροῦσαν. Id eſt, uos quidem, ó Plato, in ſequentem magis diem benè cœnatis, quàm in præſentem extantemq́.

Quæ ſit ratio Cereris nigræ apud Phigalenſes. Deſpœna. Simulacri eiuſdem abſurditas. De Cabiris. Ceres Erinnys. Oncæ. Iambici metri origo. Iambe. Cap. XXXI

TIam ſi operis inſtituti initio certiſſimum nobis propoſitum fuit, fabuloſa minus conſectari, uix tamen ſtilo interdum ualemus temperare: ita ſe ingerunt uel à celeberrimis è Græcorum enotata auctoribus. Sed & eo procliuius eiuſmodi admittũtur ineptiæ, ut amplius temporum illorum retegatur uanitas, quæ uſq́ ad ludibrium falſis deorum ſacris mutorum addicta & illaqueata, uel luce ſolis nitidiſſima caligaſſe animaduertũtur. Sic igitur in literis uideor compeſſe: prope Phigaliam Arcadiæ urbem, ſtadijs plus minus triginta, montem fuiſſe Elainon nomine, ac in eo Cereri ſacrum antrum, quam μελαίνῃ cognominant, id eſt nigram pullatam ue (quanquam & apud Theſpias templum fuit ἀφροδίτης μελαίνιδ@) deæ cum Neptuno congreſſum, ſub equina ſpecie celebrant Thelpuſæi. Verum non inde natum Phigalenſes equum uolunt, ſed quam dicunt Arcades Δεσποιναν. Quinimmo indignatione in Neptunum concepta, præterq́ Proſerpinæ raptu conſternatam, ſibi pullam induxiſſe ueſtem, ac in ſpeluncam ſeſe inſinuantem, diu poſtea non eſſe uiſam. Verum, corruptis frugum pluribus, ac graſſante latius in homines peſtilẽtiæ uitabida, deorum quidem nulli ſupererat coniectatio, ubi latitaret Ceres. Vnum Pana, dum uenando hunc, illum montem obit, fortè ingreſſum ſpecu, deam ibi eſſe cõſpicatum: qui & mox Ioui inſuſurrarit: à quo μοῖραι, hoc eſt Parcæ illuc eueſtigio miſſæ. Ab eis uerò demulctam Cererem iram deſiſſe, ac triſtitiam ualere iuſſiſſe. Cauſis quidem hiſce aſtruunt

aſtruunt Phigalenſes antrum illud uideri ſacrum Cereri, atq; ſimulacrum inibi conſecraſſe, habitu quidem in petra ſedentis, ac cætera mulieri perſimile, præter caput, quod cum coma erat equinum, adnexis draconum & ferarum id genus item iconibus. Tunica ad talos demiſſa. Delphis manu ſuſtinebatur: columba uero altera. Cur autem ſic effigiem ſimulacri cenſuerint afformandam, facile (opinor) ſagax uir, nec imperitus rerum bonusq; diſcuſſerit, coniectarit ue. Cereris autē & antri ſic quodam reſponſo meminit Apollo, quum Phigalenſes deum adijſſent,

ἀρκάδες ἀζᾶνες, βαλανηφάγοι, οἱ Φιγαλίαν
Ναΐετε, ἱππολεχοῦς Δηϊοῦς λυκαίηθεν ἄντρου.

Cererem porrò & πόρλω Tegeatæ παραποφόρους nuncupant. Fuit & in agro Thebano Cereris Caberiæ templum, ſicuti Cabirorum quoq;, uenerationis multæ in locis illis. Quippe indignatio eorum credebatur ineuitabilis, hoc eſt ἀπαραίτητος, ut Græci dicunt: nam peſſimo interijſſe exitio memoratur quiſquis templo ſacrilegas admouere manus non eſt ueritus: id quod inſignibus præcipuè docemur exemplis. Fuiſſe in ibi ciuitatem ac homines, qui dicerentur Cabiri, proditū eſt, quorum unus fuerit Prometheus, ad quem peruenerit Ceres. Culta & apud Arcadas Ceres eſt cognomento Erinnys, in ciuitate præſertim quam uocant Oncas, meminit & Callimachus, Quanquam Thebanum item uicum ſcimus eſſe Oncas. Ad Cererem pertinet illud quoque, lamben Metaniræ ſeruam, quæ fuit Hippothoontis uxor, quum Cererem animaduertiſſet nimio plus mœſtam ob interceptam Perſephonem, ridicularia protuliſſe quæpiam ratione metrica, ut deæ mitigaret æſtuantem animum, unde prorepſerit iambi metri appellatio.

Feſti ratio, quod Platæenſes Dædala uocent. Statuas antiquitus ſolitas dici Dædalas. Plateæ ciuitas unde. Aſopus rex. Caput XXXII

DAedala eſſe feſtum Platæenſibus, in Græcorum obſeruatum theſauris eſt. Cur uero ſic, etiã ſi ad fabulas relabi uidemur, nihilominus explicabitur. Nam & priſcarum uanitas ſuperſtitionum hæc plane, ut uera agnoſcit. Ferunt ergo Iunonem Ioui factam iratiorem, quod illi erat admodum familiare, in Euboeam ſeceſſiſſe. Ioui, ut par erat, quũ permoleſta cecidiſſet res ea: nec ulla ratione, ut rediret, poſſet perficere, incertus animi tantus deus ad Cithæronem pergit, à quo monti creditur adoptatum nomen: erat is apud Platæas & potentia conſpicuus, nec ullo ſapientia inferior. Qui, ut erat ſagax cum primis, inopem conſilij Iouem ita pergit cõmonere, ex ligno ſtatuã ſibi curaret cõformari, quam in curru aptè conſtitutam ueſtibus etiam uarijs congruisq; obuelatam duceret, paſſim in uulgus diſiectis rumuſculis, tanquã Aſopi filiam aſciſcat ſibi Platæam uxorem. Paruit omnibus Iupiter: iamq; lignea uxor nuptialiter compta uectabatur cum parochis. At præſenſerat id Iuno: etenim quis fallere poſſit amantem? aduolansq; protinus, ac nouæ nuptæ indumenta ſæuius concerpens, fraude agnita & ſponſali ſimulacro in riſum ſoluta, & hilaritatem, cum Ioue ſuo maturè placatior in gratiam rediit. Quo ex facto numinum obſeruantiſſimi Platæenſes feſta dehinc inſtituere Dædala: quod ueteris fuiſſet moris, Xoana dicere Dædala. Septimo quoq; anno agebantur ea ferè, ſed μικρὰ nuncupabantur δαίδαλα. Nam erant μεγάλα item, ad quæ ſexto demum & uigeſimo anno etiam Bœotij conueniebant. Tot enim annis intermiſſa celebritas fuerat, fugatis Platæenſibus. Platæas dici uolunt ab Aſopi fluminis filia Platæa. Grauior hiſtoria regem mauult Aſopum intelligere. Cæterum dimenſo hoc plenè iam abſoluto, aliud erogare pergamus ad literarium uelut conditum.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros ad clariſſimum Iureconſultum Carolum Rhoinum Regienſem, Præfatio ſextadecima.



Præcellens tua uirtus, nominis iuncta celebritati, quod datum iam in omnes penè terras eſt, ac ſingularis, quam in me meaq; omnia prætuliſti perpetuò, beneuolentia exigere acrius uidebatur, ne ab inſtituto, quod uolentes nobis iniunximus, te ulla ratione, uelut præteritum, abiungerem diſpararem'ue. Nam quum ſingulos noſtri ſudoris curſus delectiſſimis uiris conſecrare ſit propoſitum; iamq; uelut ſtadiodromus, ſpatij dimidiū uidear emenſus, ac mente, oculisq; oleas ſignare, turpiſſimum omnino mihi futurum animaduertebam, ſi indictum te innominatūq; pergerem tranſilire. Ego uero Carole doctiſſime, non ut oblitus, in hunc te locum protuli hactenus, ceu in comperendinum plane uirum conijcerem eminētiſſimum, & omnium quotquot ſunt aut fuerunt, uel (libet enim certiſſimam animi promere coniecturam) futuri mox paulò ſunt, Iureconſultum longè clariſſimum diſertiſſimumq;. ſed quod ſcirem, ſummum illud agens prouidentia nobis inexplicita, & ſapientia inenarrabili hominem ſuum, quem ſacrum eſſe uoluit diuinitatis numiſma, in mundanæ huius quaſi ſcenæ mediano interuallo aſtituiſſe conſpicuum, ut cunctarum ſe animantiū uelut regem agnoſceret, ac prorſus, tanquā deum humano in corpore hoſpitantem: te uero in ſummo humanarum rerum ſcientiæ magnitudine, & eminentis ingenij felicitate ſurrectum faſtigio ſtare, palàm ſit: quando non eſt quidem totius ciuitatis oraculum domus tua, quod de Iureconſultis dictum ueteribus eſt, ſed uerius orbis terrarum uniuerſi, Delphicis ſortibus multo certius adytum, præterq; dempta reſponſorum tortuoſitate obliqua, & plerunq; inconiectabili, ut futurorum caligine obuolutam mirè inſcitiam ad diſquiſitionē non protraham: haud abſurdè, opinor, huius noſtri iudicri metam ferè medianam ſacro nomini tuo deſtinandam duximus. quoniam ſicuti eſt homo nitidius optimi maximi dei ſimulacrum, ita & nunquā laudata ſatis uirtutum tuarum magnitudo præſignis, ac morum examinatiſſima ratio planè ἀναμαρτητον, naturæ rationalis te quaſi typum facit, & icona uerè ſpirantibus delineatam ductamq; coloribus, ac in meditullio ſtantem, ex qua peritiſſimus quiſq; proficiat artifex, & in quam collimare omnes, par ſit, ſi modò ex formula & præſcripto uiuendum eſt, nec brutum malumus induere. Cæterum quibus de cauſis in noſtrum hunc te uelut puluerem obſeruanter admittimus, ut ſcientiæ tuæ theſauris & ingenij lumine quandoq; forſan me collabentem (homines enim ſumus) præfulcires, & arrectum auctoritate, quam eſſe maximam, fallit neminē, circi ſpatia perficere animoſius compelleres, ijſdem ſanè ipſis longius uideor ſummoueri. Etenim unde mihi ea ingenij felicitas & doctrinæ, ut quæ dicantur, te exeant non indignæ? Temeritati meæ acceſſiſſe ipſum hoc item uideri poteſt: qui te legum ſanctiſſimarum rimantem arcana, ac ſeueriſſima (quod aiunt) trutina perpendentem, libelli huius operæ leuioris, & farina prorſum plebeia ſubacti, nuncupatione interpellare, imò etiam laceſſere ſum auſus. Sunt hæc quidem uera propemodum, ſed apud eos modò, qui animi tui cādorem, & mitiſſimum ingenium, ac humanitatem, inter reliquas dotes tuas præcipuè miram, norunt minus. Audaces iſta nos ad te colendum faciunt. Quòd ſi quid tamen delinquimus, & lege agēdum putas, ut iam hinc ſciant omnes, forum me non reclinare, ſi reum peragis, ad naturæ tuæ clementiſſimam prouoco bonitatem. Ad quam, opinor, apoſtolos non abnues. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI SEXTVSDECIMVS.

Vocabula, quibus oculorum explicantur partes. Item plura de oculorum tunicis, & humoribus, & uitijs: glaucomate, suffusione, lagophthalmo, ectropio: item quid cenchros. Caput I

DE OCVLIS, etiam si abunde multa secundo libro, & alibi quoq; recensuimus, nihilominus uaria discutiētibus uersantib; usq; ostentant se pleraque, non citra dispendium studiosæ iuuentutis quæ præteriri queant. Propterea ad eundem scopum sæpius non ueremur collimare, ut subinde excussa sagitta, & umbilicum quandoque contingamus, & numerus non defuisse cum delectu curam, liquidò comprobet. Igitur in oculi meditullio nigricans, cora dicitur, siue pupilla. Eius nitor glena, id est γλήνη, ambiens circulus quandoq; γραμμὴ κυκλοτερής, id est orbicularis uocatur linea: quandoq; uero etiam iris. Albicans totum sphendone appellatur, itemq; logas, sed & cyclopion, id est κυκλώπιον. Oculorum portiones chitonas, id est tunicas nuncupant medicorum scholæ. Etenim insignibus utendum iudicijs, ne fiat ἀμέθοδος ἄκρισις. Sunt autem hæ quatuor numero: extima ceratoides dicitur, albida est, solida, nec scissuram facile recipiēs, neruosa quoq;. Chondrodes, crassior, pellucida. Subest tunica alia rhagoides, siue rhogoides, ab acini similitudine quadam, densa ea est, sanguineaq;. Tertiam uocāt phacoide & crystalloide, necnon hyaloide. Quarta nuncupat arachnoides, tenuissima, ue lut aranea: sic enim, ut Celsus Cornelius adnotatū reliquit, ab Herophilo nominatur. Oculorū uero caua dicūt conchos. Hactenus ex Græcis ferè. Cæterum, operæpretium est, his attexere, quæ ex iunioribus optices studiosi nōnulli prodenda censuerint, dum amplius approbare connituntur, quàm operose natura diuersarum rationum corpora necessariò effinxerit ad oculi constitutionem. Quippe, inquiunt, glacialis humor: uel, uti nuncupant Græci, & quum alibi, tum primo Therapeutices Galenus, κρυσταλλοειδὲς ὑγρόν: quo præcipuè uidendi potentia uiget, mollissimus est, affectionibus in primis obnoxius, quia aqueus sit, ac delicatæ compositionis, καθαρὸς ἀλεεβῶς καὶ διαφανής, aliàs tenuitati spirituum uisiuorum, à cerebro demanantiū ineptior fuisset: neq; item per immaterialem essentiam depuratamq; species exciperet, quarum percipi nequit tactus, nisi à prætenero ac subtilissimo corpore. Quod corruptioni oblæsioniq; fieret maximè obuium, ni obuallatum pluribus loricatumq; denicq; ab occursantibus facile præmuniretur. Huius nanq; est, ἀλλοιωθῆναι πρὸς πνοὴν τῶν ἔξωθεν χρωμάτων, ἵν' ἴδῃ τὰ ζῶον, id est ab colorum aliquo extimorum immutari, ut uisu fruatur animal. Emachinata igitur primum natura est tunicam extimam, quam consolidatiuā neoterici appellant, robustam, pinguem, qua oculi constitutio uniuersa confoueatur præstantissimè. Albam intelligunt, qua tamen nec totus obtegatur oculus, sed quod in eo albicet tantum, ne eius pinguedine præpediatur uisus. Hac maximè frigus defenditur, quod in libro De sensu & sensili, comprobat Aristoteles. Verum si insigniter se rigor intenderit, etiam organum uisus intercipi, Annibalis argumento liquet. Huic subesse tunicam uolunt, quam nos diximus ceratoide, id est corneam, ut uulgò appellant, quoniam pelluceat, ut cornu attenuatum, quo sit speciebus (ut ita interim loquamur) peruia. Tertiam tunicam uocant uueam, de nigroris argumēto, ut obscuretur in ea humor, in quo uisus facultas uiget: quod ni fieret, non ostentarēt se in eo species: uisum enim constipat obscuritas, nec expandi sinit. Nam & uesicæ retrimenta inspecturi medicæ facultatis peritiæ nigram opponunt uestem. Adijcit humori quoq; fuscedo roboris quippiam. Constipatæ densitatis tunicam intelligunt istam, ne laxioribus sese meatibus incluſus humor promat. habere tamen anteriori parte orbicularem pupillæ meatum, qua se uisibilium insinuent species. Intra uero tunicam hanc humorem statuunt album ouorum albugini

bugini consimilem ac pellucẽtem, ut per eum liberius commeent obiectorum species. Sed & glacialis eo subinde humectatur, ne eum ambiens tela siccitate oblædatur. Hic autem omnium intimus humorum est, glaciei affinis maximè humectusq́, ut officia luce possit, non perspicuitate solum, sed etiam innatæ cõplexionis ratione: tenuis præterea, ut motui facilius exponatur: densus item aliquo modo, ut figi sistiq́ in eo simulacra queant, aliàs euanida perirent. Hunc uero bifariam distribuunt, ut sit portio anterior, quæ sphæræ capacioris pars est, & toti oculo concentrica, & ab anteriore uisus æquidistans particula. Est item posterior portio, quam uitream uocant, fouentem alentemq́ glacialem. Hisce uero circumiecta tunicula est pertenuis, quam araneam dicunt. Porrò hac optices ratione, tres omnino habẽtur in oculo humores, tuniculæ quatuor. Sed anatomici alij subtilius ista scrutati, quod in libro De elementis scribit Auicenna; primò quidem uueam à pia matre ducere initia, contendunt: sicuti à dura matre corneam. Sunt autem ijs nominibus ambeuntes cerebrum tuniculæ duæ: mox septem statuunt tunicas, quibus oculi consurgat compages. Primam faciunt coniunctiuam, siue consolidatiuam. Corneam bifariam partiuntur, anteriorẽ putant corneam uocari, interiorem scleroticam. Consimiliter uueam item secant, ut pars anterior uuea dicatur, posterior secundina. Id ipsum & in aranea fit, anteriorem appellant araneam, posteriorem retinam. Verum nec Celsi placita prætereamus: Arachnoides, inquit, media subsedit; eoq́ cauo continet quiddam, quod à uitri similitudine ὑαλοειδὲς Græci uocant. Id neq́ liquidum, neq́ aridum est: sed quasi cõcretus humor, ex cuius colore pupillæ color uel niger est, uel cæsius, quæ in summa tunica tota alba sit. Id autem superueniens ab interiore parte membranula includit. Sub his gutta humoris est, oui albo similis: à qua uidendi facultas proficiscitur, crystalloides à Græcis nominatur. Dignum uero scitu est, Glaucoma oblæsionem nuncupari humoris huius, quem crystallinum appellauit Cornelius, ubi in glaucam demutatur qualitatem. Sicuti prouenit suffusio, quam hypochysin Græci uocant, ubi denset coit́ue humor, quem inter corneam statuunt, & crystallinam portionem. Glaucoma, inquit Aristoteles, cæsiis accidit frequẽtius, luscositas nigris. Nam est glaucoma oculorum siccitas quædam, proinde senescentibus euenit sæpius. At est luscositas humoris copia: propterea & natu minoribus contingere assuevit, quorum est humectius cerebrum. Est item in oculis uitium lagophthalmus, ueluti leporinus intelligatur oculus, qui in sopore non occluditur. Dicitur uero lagophthalmus, ut Celsus libro septimo significat, ubi curatione adhibita, plus æquo cutis excidit́ur, ita ut oculus contegi nequeat. Nam si palpebra inferior minus surrigitur, sed pendens hiat, nec cum superiore coit, uitium facit, quod (eodem auctore) ectropiũ uocãt. Visuntur in oculis quandoq́ & minutiores quidam uelut calculi, eos ab milij quadam imagine cenchros dicunt Græci.

Cur sit oculus globatæ figuræ. Nullum esse corpus omnino perspicuitatis expers. Inde posse Lyncas uidere per parietem. Cur oculus niger, uel cæsius, uidendi ratio in utroque. Visus qui dicatur optimus. Caput II

Sed cur nam parentis naturæ sagax, ac prouida cura orbiculares contribuit oculos? Gentilis quidem Auicennæ interpres non contemnendus, esse oculum circumacta globataq́ prodit figura: quia inter omnes hæc præcipuè impedimenta, & quicquid se ingerat noxium, reclinare potest. Mathematici solertius re perpensa, oculum non suffecturum quantitati capiendæ colligunt, si non sit rotundus. Quippe si pupilla per quam immutatur, non esset sphærica, non perciperet nisi æquale sibi. Liquet uero id, quoniam uisum perfici cõtingit per lineas rectas super eum orientes perpendiculariter, quarum concursus sit in oculi centro. Quòd si esset superficiei planæ, non ingererent se perpendiculares, nisi à superficie æquali. Id ut amplius innotescat, traditur in matheſi à nonnullis, radium à medio rariori ingredientem medium densius frangi ad perpendicularem, ut acquirat fortiorem situm. In sphærica uero figura, sola est perpendicularis linea, quæ ad centrum tendit. Proinde quum orbicularis sit oculus, à quacunq́ parte occurrent radij, ubi oculo insinuant̃, quia id est densius medium, franguntur ad perpendicularem, id est diriguntur ad centrum pupillæ. Quod non fit in quadrata figura: neq́ enim in hac perpendicularis linea tendit ad centrum

trum, ſed dirigitur in rectum, ſi obliqua fuerit: propterea à centro declinans radius ab oculo minus percipi ualet: quod in ſubiecta patet figura,

Oculus quadratus



Additur præterea rotundationis & illa ratio, ut celerius uiſu apprehẽdi multa ualeant, quãdo globoſis ſumma ineſt reuolutionis facilitas. Quod uero & philoſophi aſtruunt & mathematici rationibus comprobant, non fieri uiſum, niſi per medium diaphanum: quia ſpecies non multiplicentur, niſi per diaphana corpora, quorũ ſubtilitas congruat formis multiplicandis ſine materia & materialibus conditionibus, ut quantũ ratio patitur, oculo imprimantur: dignum illud relatu in primis eſt, quum omne corpus ſuſcipiendæ aptum ſit cæleſtis corporis influentiæ, certum eſt, nullum corpus omni carere perſpicuitate, quum ſit communis cæleſtibus & inferioribus. Hinc uero fieri putant, ut denſitas nulla tranſitum inhibeat uirtutum & ſpectrorum, quamuis nos lateat. propter ea lyncas tradi per medium uidere parietem. Cæterum id prætereundum neutiquam: oculos, quibus humoris ineſt multum nigrantes conſpici, quoniã humoris copia tranſpici non ualet ſatis. Eſſe autem cæſios, quibus humecti parum adſit. Id quod in mari uiſitur planè: in quo cæſia intuemur, quæ tranſpici queunt: aquea, quæ minus. At quæ prærupta opaca gurgitibus ſunt, cærulea ſentiuntur, aut nigra. Quæ autem in medio ſunt, inde iam diſcriminantur, quod magis minus ue ita conſtiterint. Porrò indidem item fit, uti interdiu cernere acutè cæſii haud queant: nigri noctu, quoniam in illis lumen, ut inquit Auicẽna, fortius in materiam modicam agere contingit. In his uero humoris multitudo luminis paucitati obluctatur, obſiſtitq́. Nam & humor quiuis noctu difficilius motum admiſerit. Sed & leuiorem motum protrudit, abſcinditq́ ualidior. Quo nomine qui à calore prærualido, aut ex ſole in opacum demigrarunt, nil ferè utuntur oculis. Quippe forinſecus aduenientem motionem quæ iam ineſt, retrudit, præpeditq́. Cæſios plus ignis habere opinatus Empedocles eſt. Nigros autẽ aquæ plus, atq́ inde inopia aquæ interdiu acutè haud cernere cæſios arbitratur: noctu uero nigros ignis paupertate. Sed uiſus, inquit Peripateticorum ſchola, non igni, ſed aquæ tribuendus in unoquoq́ eſt. Viſus eſt optimus & primæ notæ, in quo humoris exceſſus aut defectus nil deliquerit.

Gentibus ſingulis ſuos eſſe mores. Arcadum ritus. Tugurια quis excogitarit primus, & indumenta ex pellibus. Diana Hymnea, Cedreatis, Eurippa. Aeris fundendi repertores. Lycæus Iupiter. De Aegyptijs adnotantur paulo plura. Propertius declaratur. Hypophoræ. Anaphorũ, & allactum quid. Anaphorici. De Caribus paucula, & Phœnicibus. Baiuli. Baſtarne. Pharao apud Aegyptios quid ſit. Ebrietatis diſtinctio ex uino & hordeo. Vitis inuentio. Vinum unde. Pharicum & medicum potio. Thoon, ſiue thonis. Medicinæ inuentio. Thomi. Alexandrini cæli lætitia. Columnæ aureæ inſcriptio apud Memphim. Carinæ mulieres. Caput III

Gentibus ſingulis atque adeo urbibus ſuos eſſe mores, ſuaq́ inſtituta, ſuamq́ ad diſciplinarum ſtudia procliuitatem, ferè notiſſimum arbitror: ſed & Menander rhetor in Epidicticorũ ratione, Mitylenæos citharœdica plurimum ſolitos gloriari, eaq́ re ſibi in primis placuiſſe, ſcribit. Sicuti tibiarum modulis Thebanos. Alexandrinos uero arte grammatica maximè præcelluiſſe, itemq́ geometria & philoſophia. Statuaria præcipuè Athenienſes gloriam ſibi uendicarũt, ac pictura. Crotoniatas extulit medicina. Aeginetas & Hermupolitas fuiſſe Athletas perinſignes, monumẽtis traditur. Arcadas glandibus ueſci, docuit eorum rex Pelaſgus, perſeuerauitq́ diu pleriſque diætæ ratio hæc, inquit Pauſanias, adeo ut Lacedæmonijs ſic quandoq́ reſponderit Pythia,

Πολλοί γ' ἀρηιδίᾳ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,
οἵ σε ἀποκωλύουσι, ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγαίρω.

Quin & καλύβας, id eſt tugurια excogitaſſe fertur primus Pelaſgus idem, ac ex pellibus indumenta: quibus & in Eubœa ac Phocide uſi plurimum tenuioris fortunæ homines. Lycaon eiuſdem filius Iouem dixit Lycæum, & Lycæa inſtituit primus. Is autem agon fuit. Quum uero ad Lycæi Iouis aram puerum immolaſſet, & ſparſiſſet cruorem

rem, in lupum creditur deformatus. Quod uerum arbitratur Pauſanias, ex deorum indignatione aliqua. Sicuti ex hominibus quandoque efficiuntur diſj, uelut Ariſtæus, & Cretenſis Britomartis. Nec tamẽ (inquit) poſt Lycaonem in perpetuum factus aliquis dicitur lupus in ſacris id genus, quoniam decẽnio exacto, ſi homine interim abſtinuiſſet, ad rationalem ſtatũ dabatur reditus. Sic & in Sipylo monte in ſaxum deformatam ferunt Nioben, atque æſtiuo tempore etiam lachrymas fundere. Mitiorem Arcadibus uictum induxiſſe Arcas dicitur primus, ac panis docuiſſe rationem, ac texendarum ueſtium & lanificij quoq;. Dianam coluere antiquitus Arcades cognomẽto Hymneam, ſicuti & Cedreatin, in cedro procera ſimulacro ſtatuto. Apud Pheneatas dicebatur Diana ἵππια, ab equarum inuentione, quas amiſerat Vlyſſes, qui & equeſtris Neptuni ſtatuã erexit: ſed non ex ære, inquit Pauſanias, æris fundendi arte nec dum comperta: quam ſimul & ſtatuas conflandi excogitaſſe feruntur primi Rhœcus, & Theodorus Samij. Arcadas, traditum ueteribus eſt, ruſticioris fuiſſe uitæ, ac uenationi deditos plurimum, quam Cynegiam dicunt, unde Iouis prorepſit cognomentum, Cynætheus quippe hoc dicitur argumento. Proſeleni cur dicantur Arcades, traditum uarie. Apud Lycophronis interpretem nos ſic obſeruauimus, Proſelenos nuncupari contumelioſos, & in probra procliues: nam προσκλεῖν, conuitiari eſt. Eiuſmodi uero fuiſſe Arcadas cognomento palàm fit. Sunt tamen qui fatuos interpretentur, tanquã antiquos dicas, & luna quoque uetuſtiores. Arcadibus Polybius contribuit morum facilitatem, ac naturæ benignitatem, ſummamq; erga omnes hoſpitalitatem, & in deos pietatem ac obſeruantiam. Ammianus Marcellinus auctor eſt, medicis ad commendandam artis auctoritatem ſuffeciſſe, ſi dicerent, ſe Alexandriæ eruditos, tanta erat loci dignitas, & æſtimatio. Habuit ſiquidem Alexãdria omnium liberalium diſciplinarum ſcholas, unde arbitror natum, ut per exochen Alexandria nuncuparetur πόλις, id eſt ciuitas, ſicuti aſty dicebantur Athenæ peculiari ratione. Quando & inibi bibliothecæ poſt alia fuerunt mirabiles, ac loculi monumentorũ ueterum ſeptingenta ferè continentes uoluminum millia. Propterea ſcienter Apuleius eruditos appellat Aegyptios, ſicuti Iudæos ſuperſtitioſos, Nabathæos mercatores, & fluxos ueſtium Arſacidas, frugum pauperes Scythas, odorum diuites Arabas. Quin & ab Aurelio Macrobio dicitur mater artium Aegyptus. Flauius Vopiſcus Aegyptios ſcribit eſſe uerſificatores, epigrammatarios, & ad cantilenas publicas propenſos. Aegyptiorum porrò arcanam ſapientiam abundè teſtari uidetur ſuſcepta illuc excellentium uirorum peregrinatio, ut in illorum literis uerè literatis interioribusq; myſteria pernoſcerent. Aegyptios quoq; nonnulli produnt ex Græcis, omniũ primos ſolem & lunam deos putaſſe, & quod ambitu aterno circumagi ac currere uidebantur, inde etiam θεοὺς nominaſſe, ἐκ τοῦ θεῖν καὶ ἴφεσθαι, id eſt à curſu inceſſuq;. Plato tamen in Cratylo hoc ipſum priſcis Græcorum attribuit. Cæterum illi ſolem Oſirin, lunam Iſin nuncuparunt. Nec id relatu indignũ, quod idem nos commonet Plato, apud quem Socrates in Phædro: Audiui, inquit, circa Naucratim Aegypti priſcorum quendam deorum fuiſſe, cui dicata ſit auis, quam ibin uocant. Dæmoni autem ipſi nomen Theuth. Hunc primum numeros & ſupputationem, geometriam, aſtronomiam, necnon talorum luſum & alearum inueniſſe, atq; item literas. Quibus temporibus imperitarat locis illis Thamus. Verum enimuero quis adeo ueterum memoriarum inſolens, ut Aegyptiorum non norit aſtutias, & ad fallendum ſolers ingenium & uafrum? Aeſchylus neutiquam ignoraſſe uidetur, δόλιοι πλεκτανᾶν χαναὰς ἀγύμφιοι. id eſt, ad nectendum dolos in primis idonea Aegyptus. Theocritus quoque ἣν ἀδώνια ζούσας, οὐδεὶς κακὸς ἄλεσεν τὴν ἐοῦσαν παρέμπαν ἀγυμφίσι. ſubſeſſor nullus uenientem lædit, obrepens Aegyptiacè. Legimus in commentario Alexandrini belli, eſſe Alexandrinos fallaces, ſemper alia cogitãtes, alia ſimulantes, & (ut Ammianus inquit Marcellinus) ad ſingulos motus ſunt excandeſcentes, controuerſi, & repoſcones acerrimi. Flauius item Vopiſcus Aegyptios eſſe ſcribit uentoſos, furibundos, iactantes, iniurioſos, auidosq; nouarum rerum. Vnde Aurelianus prudentiſſimus imperator præcepit Saturnino, cui limitis orientalis ducatũ dederat, ne unquam Aegyptum uideret. Quanquã nec latet quod ſcribit Dion, ſanxiſſe Auguſtum, ne quis ſenatorũ Italiæ limites exiret, ni ipſe quid iniunxiſſet. Quod, inquit, ſeruatur: niſi quòd in Siciliam

in Siciliam & Narbonenſem Galliam libera eſt peregrinatio, propinquitatis ratione, καὶ δι' ὀλίγου τῶν ἀνθρώπων. Ad hæc uerò Propertium reſpexiſſe contenderim illis uerſibus:

At nos è noſtra te ſæua fugauimus urbe,
Cum Tyberi Nilo gratia nulla fuit.

Sed & imperator Adrianus ad Seruianum cõſulem literis exaratis, Aegyptum totam ſe didiciſſe ait, eſſe leuem, pendulam, ad omnia famæ momẽta uolitantem: & mox eſſe homines eos ſcribit, ſeditioſiſsimos, uaniſsimos, iniurioſiſſimos. Et Q. Curtius, Aegyptios ut gentem uanam infamat, nouãdis quàm gerẽdis rebus aptiorem. Sed pulcherrimè omnium libro tertio Arrianus Propertij retegit ſenſum inuolutum alias: Memoriæ proditum eſt, inquit, naturam ſitus, munitionemq; regionis Alexandrum admiratum in nomarchas plures Aegypti præfecturas, nomos uocant, diuiſiſſe, haud tutum eſſe ratum, imperij uniuerſæ Aegypti curam uni modo iniungere. Ac mihi quidem ui dentur Alexandri cõſilium Romani eſſe imitati: nam eadem ducti ratione inſtituere, ut nemini ordinis ſenatorij prouincia Aegyptus, ſed equeſtri tantum uiro decerneretur, ac magnis fulciretur præſidijs. Adiuuat & in Conſolatione ad Albinam Seneca: Loquax, inquit, ac ingenioſa in præfectorum cõtumelias prouincia Aegyptus, in qua etiam qui uitauerũt culpam, non effugerunt infamiam: uelut unicum ſanctitatis exemplum ſuſpexit, & quod illi difficillimum eſt, cui etiam periculoſi ſales placent, omnem uerborum licentiam continuit. Pulcherrimum uerò illud eſt, Aegyptios antiquitus eã obijſſe munia, quæ nunc in Italia baiuli ex Longobardia plurimum propagati, quos municipes mei ſubinde uocant Græco quidem uerbo, ſed paululum modò deluxato, baſtazos, quos Græci βασάζοντας dicunt. ſonat id noſtro uocabulo portantes, ac gerulos, quia oneribus uacent ferendis. Vnde & baſtarnas, cubitorum quinq; nuncupat apud Athenẽũ Poſidonius. Ariſtophanes in Batrachis, quod dicimus, hiſce cõprobat,

ἀν' ἅμαξ' εἰσέβησε, καὶ νεκρὼ δύω,
οὐχ οὑκαῦ ἅμαξαν οὐδ' ἐκατὸν ἀλγύπτιοι.

Currus impoſuit duos, ac mortuos totidem,
Quos nec Aegyptij quidem tollerent centum.

Hinc ſæpe in ueteribus memorijs lectitamus, dici Aegyptios ἀχθοφόρους, id eſt uectu ras onerum corpore factitantes ſuo: nunc item πλινθοφόρους, quo uerbo ij ſignificantur, qui lateres geſtitant humeris. Vel certè anaphoro adhibito, ſeu allacto. Erat uerò eo nomine lignum utrinq; cauum, quo geſtarentur onera. Allactum dici puto, à tralatione, quæ fieret à fatigatis de humero in humerum. Aliqui amphicyrtum malunt appellare, quod ſignat utrinq; gibboſum. Noſtrates conſimile ferè lignum, quo mulieres à flumine aquam geſtitant, utrinq; æqualibus uaſis propendentibus, ac ne dilabi poſſint, clauiculis ligneis ſufflaminantibus, eleganter baiolum nuncupant de geſtandi ratione. Tametſi nec ignoro Sophoclis interpretem uerbum id uſurpaſſe, quum ait, Pædagogus, & pædotribes, qui dicitur baiulus, id eſt βαϊουλος. Anaphorici apud Paulum Aeginetam ad anaphorum ſpectant prorſum nihil. Sunt autem eo nomine, ut interpretantur eruditi, ægrè pituitam craſſiorem reiectantes è pectore: nam ἀναφέρεσθαι ſurſum ferri indicat Paulo eidem, cæterisq;. Hinc & anaphora pro reſpiratione. Plutarchus in Fabio Maximo, οὐ γὰρ ἤλπιζον ἔξειν ἀναφορὰν τῷ πόλιν ἐν τοσούτῳ σφαλεῖσαν ἡλικίᾳ. Dicitur & anaphora Demoſtheni contra Cteſiphontem, ubi peccati cauſa in alium regeritur, unde uerbum ἀναφορᾶν, id agere indicat. Hypophoras uerò ulcera uocant profunda. Scribit Ammonius anaphoram item dici ab odoribus uel tetris uel bonis euaporationem. Quanquam eſt anaphora item, ſeu apophora dominis perſoluta à ſeruis pecunia: ſicuti ἀσφορά, eſt ciuile tributum. Sciendum uerò, Caras ueteribus appellatos fuiſſe, ſeruos, quod factitãdis operis capturas cõquirere conſueſſet ea gens, uelut omnium nata ſeruitio, qui mercenaria prolectaſſent ſtipe. Etiam ſi in re bellica ſcutorum umbilicos & criſtas præterea comperiſſe memorẽtur primi. Nam & in rei argumentum, ἀσπιδίσκιον, id eſt breue ſcutum cum mortuis contumulabant, addito & criſtis. Qua in re id item fuit Phœnicibus peculiare, uti cadauera ſic aſtituerent, ut Occaſum inſpectarent, quum mortalibus cæteris Oriens amplius placeat. Di-

gnum memoratu: Carinas dici mulieres, quæ cantu flebili mortuos in funeribus allectabantur: quoniam ex Caria accerſerentur. Quod uero ad Aegyptios attinet, ſcitu dignum illud quoq; eos à Dione φιλοίνους nuncupari, id eſt in uinum procliues, ac philopotas: quoniam apud eos comperta primũ tradatur uitis, in Plinthine ciuitate, quod Hellanicus ſcribit, ac inde factos uinolentos. Sunt qui ſcribãt, excogitatam ab eiſdem ex hordeo potionẽ, ut uini inopes inde ſibi uoluptatem conquirerent, quando & hac oblectantur ita, ut canant etiãnum ſaltentq;, obeantq; omnia ebriis conſueta, eo tamen interſtitio, quòd qui uino externãtur, in faciem (inquit Ariſtoteles) feruntur: qui uero crithinum hauſerint, caput reſupinant. Vinum quippe παραβαλειν eſt, aggrauatq; caput. Crithina potio carotica cenſetur. Vinolentiæ Aegyptiorum argumentũ euidens; braſicæ uelut ex lege, præguſtatio in cœna: quoniam amethyſtum ſit remediũ id, hoc eſt, ebrietatem reprimat, quod efficere creditur eiuſdem quoq; ſemen. Illud addimus: Hecatæum ſcribere, In Aetolia inuentam primo uitem, quam quia οἶναν dicerent uetares, inde uinum nuncupari οἶνον. etiam ſi ab Oeneo putant alij, in Cratylo item aliud Platone ſtatuente. Inuenio: Aegyptiorum reges quãdoq; paſtores fuiſſe nuncupatos; propterea quòd in ſacra hiſtoria lectum obſeruauimus, Ioſeph & fratres eius in Aegyptum deſcendiſſe in principio paſtorum. quãdoq; uero, quod Manetho Aegyptiorum ſacerdos prodidit, Pharaones. Erat enim dignitatis nomen id, ſicuti Auguſti appellatio apud Romanos. Pharicum autem potionis erat genus, ſeu ab inuentore nuncupatum Pharico, uel ab Arcadicis Pharis, uel ab Phæris in Theſſalia, uel ab ea quæ eſt in Lacedæmonia Pharis. Dicitur item μυδλιώτ, id eſt medicum potio id genus. Pharicum pharmacum, inter thanaſima: id eſt letifera, recenſet Athenæus. Memoriæ traditur illud quoq;: Bocchorum Aegyptijs iura conſtituiſſe, qui fuit ex Aegyptiorum Dynaſtis unus, ſub quo agnum loquutum tradunt, ijs fere temporibus, quibus apud Albam æditi ſunt Romulus & Remus. Inuenio in Græco penu: Thoona, id eſt θόωνα, quem & θῶνιν dicunt, apud Aegyptios fuiſſe artis medicæ repertorem. A quo & mensis cognominetur primus. Traditur illud quoq;: Canobi regem fuiſſe Thonũ, qui Helenæ uim adortus ſit inferre, ac inde ab Menelao interemptus, unde nuncupetur ciuitas Thonis. At thomi, lignorum ſunt acerui, ſed & tritici. Porro Alexandriæ ac tractu propinquo loca ſunt adeo lætis ſubſtructa diuerſorijs & auris, ac ſalutari perflatilia temperamento, ut extra orbem uerſari noſtrum ſibi uideatur, qui in illis agat, quum perſpe uel aprico ſpiritu immurmurantes ſentiantur perflatus. Apud Memphim, ne quid ſcitu dignum præteream, ſcribit Proculus grammaticus in peregrinarum regionum mentione, auream fuiſſe columnam Aegyptijs literis in eam ſententiam, tunc demum fore liberam Aegyptum, quum illuc commeaſſent Romani faſces cum prætexta.

Cuiuſmodi fuerit Aegyptiorum ſapientia. Et cur uiri præſtantes illuc potiſſimum enauigarint. De matheſi paucula. Cap. III

QVia uero paulo ante Aegyptiæ gentis ſapientiam ſum uiſus auctoritatum tibicinibus præfultis efferre plurimum, illud minime diſſimulandum: inter claſſicos noſtrates eſſe, qui opinentur, Chaldæos, itemq; Aegyptios fuiſſe ingenio parum ad ſapientiam facto. Propterea falli debere neminem celebrata ueteribus, etiamq; Platoni, Aegyptiorum ſapientia & Chaldæorũ, quando præſtantis ingenij uiros aliquot ad eos non alio nomine tranſmiſiſſe, exploratiſsimum eſt. Cæterum celebre id, atq; diuinum ſapientiæ nomen de ſola cærimoniarum, & diuini cultus ſcientia uideri propagatum: quoniam apud optimum quenque, itemq; philoſophiæ addictos, quod & in Epinomide comprobatum Platoni nouimus, pro comperto eſt, ſummam ſapientiam in religionis aſſertione plurimum uerſari: proinde, quum circũferretur paſſim, conſtansq; uigeret opinio, eius rei apprime peritos Aegyptios, tanto ſtudio à magnis uiris ſuſceptam illuc enauigationem, ut tanti arcani, ſi qua fieri poſſet, compotes euaderent. Id ut uerum ſciamus, libuit paucula ex Mercurio ſubnectere: An ignoras, inquit, ô Aſclepi, quòd Aegyptus imago ſit cæli, aut (quod eſt uerius) translatio & deſcenſio omnium, quæ gubernantur atq; exercentur in cælo: &, ſi dicendum eſt uerius, terra noſtra totius mundi eſt templum: & tamen, quoniã præſcire cuncta prudentes decet, iſtud uos ignorare, fas non eſt, futurum tempus, quum appareat, Aegy-

Aegyptios incassum pia mente diuinitatem sedula religione seruasse: & omnis eorum sancta ueneratio in irritum casura frustrabitur. è terris enim ad cælum est recursura diuinitas, linquetur Aegyptus, terraq́, quæ fuit diuinitatis sedes, religione uiduata, numinum præsentia destituetur. Hactenus ex Mercurio. Iamblichus uero illorum religionẽ non fere aliud, quàm superstitionem fuisse confitetur magna ex parte, in malorum dæmonum cultu præcipue debacchatos perdocens. Quæ res amplissime gentium earum ruditatem coarguit in primis. Nam ut hebetissimus quisq́ est, ita facillime superstitionum uanitatibus mancipatur. Quas ingenium uegetum doctrinæ nitoribus defecatum excultumq́ præcipue auersatur, allidit q́. Adde, quod præter idololatriæ insaniam mathematicis maxime incubuisse homines illi pernoscuntur. Ad quam rem prolectabat eos regionum illarum benignior tractus, patentibus late cãpis, ac noctibus serenitate perpetua syderali contemplationi nitescentibus. Ego procliuius auido ingenio uires præcellentes ad se perlicuerunt. Nam & in Epistola ad Pherecydem scribit Thales, in Aegyptum se cum Solone commeasse, studio sacerdotes inuisendi, & astronomos. Quin & ab eisdem se geometricis imbutum, non inficiatur. Constantissimum uero illud est: naturalis primæq́ philosophiæ, quæ suis nixa rationũ radicibus demonstratur, nil unquam ab Aegyptijs acceptum aut Chaldæis, quando eius scientiæ aut expertes omnino, aut parum in ea progressi, (quod dicitur) primoribus modo labris prægustasse deprehenduntur. Quod si alicubi tradit Auerrois, apud Chaldæos olim perfectam fuisse philosophiam, non de ijs intelligendum, quorum circumferuntur monumenta: sed id hæreseos continet uanitatem, quæ mundi æternitatem astruens, scientias rerum abolitas sæpius intercidisse opinatur, denuoq́ in emersum sese prompsisse. Nec Abraham uir diuinus omnino Chaldæus comprobatur, creditur ue. Quod si maximè sit, Platonis succurrit bracteata sententia: Inter malos si quis cooriatur non malus, eum uero esse egregie bonum. Ne quis autem mathematicarum nomine suspiciendas putet gentes eas, scire oportet: matheseos studia apud ueteres inter puerorum rudimenta esse connumerata. Porro eiusmodi fere deprehenduntur hæ disciplinæ, ut à limine aut paulo interius consalutatæ in philosophia profecturis multum afferant adiumenti: quòd si in illis diutius morandum gyris, aut etiam consenescendum ducas, non gradus tibi ad altiora pares, sed lapsum struas: quoniam inde errorum scaturigines sese frequenter ostentant. Cui rei calculum adiecisse Atistotelem, non fallit Peripateticos paulo politiores.

Cuius sit rationis prouerbium ab AEgyptiorum templis productum. Pulchritudo perfecta. De Silenorum imagũculis. Obiter de Hephestionis funere, & Grunnio Corocotta, & Nannio Proscenio. Cap. V

NEcdum ab Aegypto digredimur, succurrunt adhuc quæpiam interiorem redolentia, & genuinam doctrinam. Adagium est scitissimum in antiquis literis, Aegyptium templum, de eo qui forinsecus, & in ijs quæ sub aspectum cadunt, perpolitus est, & mirum in modum uenustus, ac elegantiæ omnis perstudiosus, introrsum uero intercutibus madeat uitijs, & sit plane monstrificũ quiddam, & inauspicatum: quales fermè rectè dixeris fœminas corpore quidem prænitidas, & (ut sic dicam) illices, omniq́ decore uisendas, anima uero fœdissimas & promiscuis flagitijs agminatim obsessas, ac uelut lorica circũuallatas, ceu strumam dibapho contegant. Qua specie nil puto inamœnius, nil quod mensum rationis absurdius transiliat. Etenim absoluta numeris omnibus censeri pulchritudo debet, ubi duo ista conueniant, & societatem coeant, nulla solubilem ui, animalis uirtus atq́ præstantia, tum corporis cõcinna linearum, colorum membrorumq́ compacta, beneq́ constituta proportio. Alias mutilata pulchritudo est, nam & Porphyrius dæmones, quorum animi iniqui sunt, corpora item habere deformia pronuntiat. Esse quoq́ naturaliter intus bona, statuit Plotinus, quæcũq́ sint extrinsecus uere pulchra: quippe ex interioris formæ perfectione, atq́ seminariæ rationis uictoria super materiam prouenit externa formositas. Prouerbij autem ratio est quoniam Aegyptijs templa substruere erat moris, marmore antiquis artificum manibus elaborato surgentia, auro splendida, picturis mollioribus egregiè perornata, summa colorũ uarietate distincta, omni demum cultu nitida.

Sed quod præcipuum fuerat, si deum requisisses, cuius exquisito honori tantus impen sus fuisset labor, bone deus, quàm ridicularium inuenisses, quàm prorsum à rationis di ctamine ac præscripto dissitum & sequestratum. Simia erat ea, aut ibis, aut hircus, aut id genus aliquid. Apud illos quidē mysticos ista fortè sensus habent: nobis tamen, ut pro fecto sunt, ridicula fiunt. Sic, inquit Seneca, isti, quos ut felices suspicimus, si non qua currunt, sed qua latent, inspectarimus, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem pa rietum suorum extrinsecus culti. Nō est ista solida & syncera felicitas, crusta est, & qui dem tenuis. falsa ijs circumposita sunt bona, animi inanes, ac uelut longo fallacię delu si somno. auro, argento nitent, intus boni nihil est. At quibus recta placent, nō fulgent extrinsecus, bona introrsus obuersa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectacu lo sui lætus. Intus omne posuit bonum. Sic & in Platonis symposio Alcibiades Silenis Socratem putat persimilem: quod & ex Xenophontis Symposio ualet comprobari: quia introrsum longe foret alius, quàm præferrent extima. Siquidem fuere imaguncu læ quædam Sileni, ita prorsum concinnatæ, ut discludi possent. Sed occlusæ, ridicula ne scio quæ ostentabant. quando & Silenos fuisse turpissimos, idem mōstrat Xenophon. Apertæ ac explicatæ augustius numinis præferebant idolum. In Hephestionis funere, quod magnificentia inenarrabili est ab Alexandro æditum Babylone, in fastigio sum mo stabant sirenes intus inanes sic, uti hominum essent capaces, qui funebrem occine rent næniam. Ab hisce non dissentanea sunt, quæ de Grunnio Corocotta scribit Hiero nymus, seu ficto nomine, seu uero, qui luxu & flagitijs intus erat Nero, foris Cato, am biguus totus, ut ex contrarijs diuersisq; naturis unum monstrum nouamq; bestiam di ceres compactam: iuxta illud poeticum, Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæ ra. Ab ijs uero quæ de templis Aegyptiorum diximus, dissident non ita, quæ de Nan nio Proscenio meretricula prodit Antiphanes, & repetit Athenæus: ea siquidem cultu us exquisitiusq; aureis fulta ornamentis formosæ gratæq; puellæ speciem præferebat, uerum exuta turpissimæ nota nō caruit, Vnde Proscenij irrepsit cognomentum: super qua re falli tamen nonnullos, aliubi (opinor) subsignauimus.

Olympiadis apophthegma scitum de pellice. Itemque alterum in eum qui formosam quidem duxerat, sed non illibati nominis. Interim quid oculis uel digitis uxorem ducere. Alexandri in Olympiadem dictum graue. Cap. VI

PHilippum Macedonem proditum monumentis est, Thessalicam mulierem amasse ardentius. Irroborarat inde opinio uehemens, ueneficijs circumuen tum ab ea Philippum, atque ita eius mentem præpediri illaqueatam demul ctamq; : qui mos in Thessalia nimio plus frequens erat. Id quum identidem inaudisset Olympias, mirè optabat, quandoq; in potestate sua habere mulierē. Quum se ostentasset occasio, accersiri eam iubet. Quam ubi est conspicata forma præsignem, loquendi non imperitam, prudentiæ haud prorsus expertem, χαιρέτω ἔφη, ὦ ὀλυμπιὰς, ἀλλ' ἀβολαί· σὺ γὰρ ἐν σαυτῇ τὰ φάρμακα ἔχεις. Valeant, inquit Olympias, intentatæ calumniæ. Tu quidem in te ipsa ueneficiorum uim habes. Eiusdem porrò Olympiadis alterum, & scitum utiq; circumfertur apophthegma. Duxerat adolescens quispiam præstanti quidem forma puellam longè conspicuam, sed quæ parum integra fama, malè audiret. In hoc, inquit, sopita prorsus ratio est, cæcusq; animo fertur aestu pens: neque enim sibi eatenus indulsisset, ut oculorum iudicio ducendam putaret uxo rem. Quippe non digitis, non item oculis deligere mulierem addecet: quod facitant plerique, rationem ineuntes, nō quidem quo modo illa sit cum eis uictura, sed quantiue niat. Et in ijs quidem omnino prudens & abundè cordata Olympias. Verum alibi natu ram resipit muliebrem, id est deprauatam, & ueneficijs quodammodo imbutam pe stilentibus. Quippe ut insontis cuiusdam necē Alexandro exprimeret filio, identidem grauius insusurrabat nouem mensium in utero gestationem. At magnanimus in eo uti que rex, aliam (inquit) optima parens reposce mercedem. Hominis salus nullo bene ficio pensatur.

Prouerbium, Extra leucoparyphus, intus holoporphyrus. Vocabuli utri usq; cum plerisq; alijs explicatio. Paryphe. Paralurges. Paryphi. Virgatæ uestes

ueſtes, Virgę pro purpura. Candys. Platyporphyra. Stlataria purpurà. Holargyros.

Cap. VII

PRouerbium perelegans uſurpari à Græcis animaduerto, Extra leucoparyphus, intus uerò holoporphyrus: in eum qui ueſtibus quidem frugi utatur, nec ullo maioris impendij fuco inebriatis: intus tamen, id eſt animo luxu diffluat ad delicias uſque uel Alexādrinas, ac totus etiamnum inter cataſtlos ſit, ac Delphiticos cinædulos, quando additamenta ſunt hæc, & uelut corollaria efferueſcentis luxuriæ. Sumptum id, ac propagatum ex hiſtoria: quum Antipatrum quidam laudibus efferrent, quòd eſſet apprimè frugi, ac uictu præparcus, & apprimè auſterus, ἔξωθεν inquit Alexander ἀντιπάτρου λευκοπάρυφος ὄντι, τὰ δὲ ἔνδον ὁλοπόρφυρος. id eſt, Antipatri quidem extima leucoparypha uiſuntur, at intima holoporphyra ſunt. Dici autem à nobis leucoparyphus poteſt, albis indutus ueſtibus: ſiquidem eſt paryphe, ueſtium contextus. Sed & indumentum ipſum, unde eſt illa Tarentinorum παρυφὴ διαφανὴς, id eſt ueſtis pellucida. Nam ὑπαίρυφοι, inde pretioſe ac multa munditia & circumſpecte cōpoſitęq; amicti nuncupātur, & locupletes. Mentio eius uerbi, quum apud alios eſt, tum in Luciani uita. Paryphes apud Pollucem, & paralurges, indumentum appellatur attextam utrinq; habens purpuram. Id uerò ab lonibus dicitur pachyales. Sed & in tunicis uirgæ purpureæ uocantur paryphi: unde & in Latinis literis uirgatæ ueſtes, & apud Poetam Aeneidos octauo, ſagula uirgata, quę haberent in uirgarum modum deductas uias: cui ſententiæ ſubſcribit ſexto Bibliotheces Diodorus: tametſi in eo alluſum Seruius putat, ad Gallicam linguam, qua uirgæ diceretur purpura. Vergilij uerſus eſt,

Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Holoporphyros uerò ſignat totum purpureum: ſicut holoſericam ueſtem legimus, ex ſerico contextam totam. Xenophon candyn uocauit holoporphyron: quanquam alibi haliporphyron legas. Eſt autem indumentum Perſicum candys. Archippus in Pluto etiam platyporphyra huncupat ueſtimēta: ſicuti ſtlataria apud noſtros quandoq; dicitur purpura. Phyalas ὁλαργύρους apud Athenæum legimus, id eſt totas argenteas.

An mores Maſſilienſes in Plauto rectè pro euiratis dicantur. De Maſſilia paulo plura. Item quæ ſit nominis ratio. Inibi mercaturę laus. Plutarchi ſententia reſtituta, quam peruertit interpres.

Cap. VIII

MOres Maſſilienſes in Plauti Caſina, ſunt qui molliculos effœminatioresq; intelligant, ex Athenæi doctrina, abs quo proditum eſt, Maſſilienſes adeo libidinibus remollitos fluxosq; olim fuiſſe, ut morſum prouerbialem non euaſerint. Recténe id à Græco homine in literas promptum ſit, non diſcutio nunc. Neq; enim tam docti uiri, quamuis mortui ingenium mihi arbitror committendum accendendumue: nec in hiſce noſtris lucubrationibus Scyllæi ſpirant obtrectatorum canes, quin infra claſſem uel obeliſco dignos ſtatuo. Vnum ſcio, ciuitatem eam ſeueritatis eatenus acrem fuiſſe cuſtodem, ut Mimis nullum prorſus aditū in ſcenam daret, quorum argumēta plurimum actus cōtinent ſtuprorum. Omnibus quoq;, qui religionis ſimulatione cauſam inertiæ quærerent, portas omnino concluſas haberet. Scribit Cornelius item Tacitus, Maſſiliam Agricolæ ſocero fuiſſe ſedem ac magiſtram ſtudiorum, ciuitatem Græca comitate, & prouinciali parſimonia mixtam ac bene compoſitam. Victus porrò frugi atq; modeſtiæ Maſſilienſium illud non minimum argumentum eſt, quod Strabo inquit, Dotem illis ampliſſimam centum fuiſſe aureos, ad ueſtem quinq;, ad mundum aureum quinq;: amplius uero nullo pacto licuiſſe. Studia præterea bonarum artium adeo in ea urbe exculta, ut nobiliſsimus quiſque ex Romanis pro Attica peregrinatione, eò ad capeſſendas diſciplinas & ingenij cultum magno numero confluueret. Galli quoq; accolæ, gens alioqui fera & barbara, pronis animis ad Maſſilienſium imitationem quandoq; ſe compoſuerint. Memorabile illud eſt, quod grauiſsimi auctores prodidere, Ariſtocraticum quidem illorum fuiſſe principatum, ſed omnes legum æquitate ſuperaſſe. Senatores eorum timuchi uocabantur, ideſt honore præditi: dignitas eum habebat finem, quem uita. Sed timuchus nemo erat, cui

liberi non forent. Erant tamen & sui Naucratitis timuchi, quos Prytanei & cœnarum quæ inibi parabantur, præfectos intelligere Athenæus uidetur. Leges Ionico more publicè proponebantur. Auctor porrò T. Liuius est, ab Vrbe condita libro trigesimo septimo: Massilienses in eo honore, & in ea dignitate apud Romanos fuisse, ac si medium Græciæ umbilicum incoluissent: non enim sonum modo linguæ uestitũq; & habitum, sed ante omnia mores & leges & ingenium syncerum integrumq; à cõtagione accolarum seruasse. Propterea Maximus quoq; Valerius prisci moris obseruantia, charitate populi Romani Massilienses præcipue conspicuos fuisse, prodit. Sed quid ista consectamur diutius? Vnius M. Tullij auctoritas pro Flacco, Græci hominis morsum retundit reuincitq;, folio (quod aiunt) ficulno cauilli compressa lubricitate. Massiliæ, inquit, disciplinam atq; grauitatem nõ solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam, quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus disciplinis, linguaq; diuisa, quum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes eius instituta laudare facilius possint, quàm æmulari. Cęterum ijs iam resectis, illud lecturos nostra hęc, quocunq; prodeant genio, cõmonuisse præstiterit, Massiliam inde appellationis traxisse causam, quod quum fortè illuc Phocenses classe appulissent, uidit gubernator piscatorẽ, quem uocant Græci ἁλιέα, protinusq; μᾶσαι ἐκέλευσε τὸ ἀπόγειον χοινίον, id est religare abterraneum iussit funem: quippe μᾶσαι lingua AEolica destinare significat. quod Timæus tradit. Proinde ἐκ τοῦ ἁλιέως καὶ τοῦ μᾶσαι, dici Massiliam. Sed Græci Massaliam enuntiant, unde gentile nomẽ Massaliotes. Ex quo apud T. Liuium fortè L. Terentius Massaliota. Isocrates in Archidamo scribit, Phocenses magni regis dominatum fugientes coloniam deduxisse Massiliam: cui sententiæ calculum adijcit Aristoteles quoque. Dignum scitu, quod in Solone scribit Plutarchus, Mercaturam comparandis regum amicitijs, ac Barbarorum gentibus conciliandis pollere plurimum. Quin & rerum peritiam excellenter afferre, sed & maximarum ciuitatum initia inde ducta, uelut Massiliam condidit Protus, ab Celtis prope Rhodanum beneuolè exceptus. Aduertant porrò harum lectionũ studiosi, Plutarchi interpretem ægri somnia planè profudisse, quando horum nihil assequitur. Pompeius Trogus libro quadragesimotertio historiam latius exsequitur: sed Peranum conditorem facit, Protum minime.

Vestitus quam esse addeceat rationem. Veris, aut pauonis cognomina quibus adhæreant. Pauonis oratio quæ sit. Dimitros. Vestimenta initiatorum quæ dicantur per parœmiam. Item de Athenienſium mysterijs. Sacerdotales Hebræorum uestes. Quid mysteria, & quid mystæ: item mystile, & thronon. Vestiũ repositoria. Rhiscus quid. Rhiti. Mystron. Mystropolæ. Thranos, seu thranion. Thranitæ. Remigum species. Hæmorrhois cur thonios.

Caput IX

IN uestitu, sicut in pleriſq; omnibus, mediocritatem esse optimam, ut omnia ferè, ita hoc quoq; rectissimè M. Cicero uidetur dixisse. Nam si modum excesseris, ut lecto nimis amœnoq; cultu & magnifico impendio saturatas induuias, & quales luxu perdita fluxaq; excogitarunt ingenia, subluſtri gratoq; uibrãtes splendore, & quod grauius est, diuersas quoq;, & coloribus affectes multifarias Gallicis calciatus, non declinabis facilè liuidi dentis scommata, quæ apud Lucianum consimiliter lectitamus, ἔαρ ἤδη καὶ πόθεν ὁ πεώς; quod nostris ferme uerbis sonat, Iam uer adest, & undénam pauo? Sed & Siciliæ tyrannus Gelo Græcorum legatis respondit, uer illis anni exaruisse: quum ad bellum opem negaret, quãdo est anni portio uer spectatissima, suasq; uires omnium duceret præstantissimas. Pauonis autem gemmãtes pinnæ neminem fallere queunt, quas & ipse miratur, illis semetipsum protegens quum rotari dicitur. Sed & tragicas simias ueteribus per cõuitium celebratas, non longius inde reuelli nouimus. Plutarchus quin etiam in Parallelis: Erat, inquit, ut uerum fateamur, magna circa Demetrium tragœdia, quum uteretur non modò καυσίαις δικίβοις, & auro intexta purpura, sed & auro litis soleis. Mundi quoque imagine ac astrorũ attexebatur illi chlamys, quum Macedoniæ principatu excidit: nec regum quispiam, quãtumuis elatus, illam mox gestare est ausus: adeo inuidiosa erat impendij magnifi-

magnificentia. Dimitron cauſiam obiter, Græci uelut duarum intelligunt mitrarum. Omnis tamen cura pleriſq; de ueſtibus; ſi bene oleant, ſi pes laxa pelle nõ folleat: nam digiti annulis radiant, capilli calamiſtro rotantur. Hiſtorica uero lectio inſigne ad hoc nobis documentum ſuggerit. Legimus nanq;, Lacedæmoniorum regem Lyſandrum, quum Siciliæ tyrannus Dionyſius magni impendij ueſtimenta ad eius filias tranſmittenda curaſſet, dantis munificentiam eſſe aſpernatum, addito elogio, Ne, inquit, ob iſta minus aliquo modo uenuſtæ uideantur. Grauiſsima eſt ad hoc ipſum pertinens Quintiliani ſententia ex libro octauo: Cultus conceſſus atque magnificus addit hominibus, ut Græco uerſu teſtatum eſt, auctoritatem: at muliebris & luxurioſus, non corpus exornat, ſed detegit mentem. Et in Odyſſea Homerus,

ἐκ γὰρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει
ἐσθλή.

Quibus ſignificatur, ex ueſtibus ornamentum ac nomen hominibus plerunq; cõparari. Quòd ſi ediuerſo prætenuem nimiſq; uilem affectaris ueſtitum, cuiuſmodi ſunt quæ triuonaria uocant Græci, aut ut ſordidus, uel ut uanæ religionis aſſimulator ſpectaculo, & riſui inimicis eris, uel etiam ut extremè pauper, inops, Irus, paſſim contemptibilis fies. Ex hac ratione in Græcorum doctrina producitur adagium, Veſtimenta initiatorum, de iſs quæ attrita prorſus ſunt, ac diffluunt uetuſtate, nullaq; temporum uiciſſitudine uariantur, ſed eadem ſunt forẽſia, eadem & triclinaria. Vicem quoq; ſtraguli præſtant eadem, bonumq; ſi non & lecti. Adagij rationẽ ex mutis, quod aiunt, magiſtris hanc didicimus. Myſteria apud Eleuſinem terræ Atticæ duorum generum celebrabantur, magna & parua. Cereri ſacra erant magna, Proſerpinæ parua, poſterius recepta ſunt hæc. Quin & ratio fermè iſta traditur: Ab Athenienſibus petebat Hercules, ut initiari liceret. Lex id uetabat, qua cauebatur, ne peregrinis impartirentur myſteria. At illi & uiri præſignem admirati uirtutem, & omnium capacem animum, ſimul etiam amicitia permoti, quæ uetus ferè ciuitati cum eo intercedebat: ſimul quòd Iouis filius eſſet, dicereturq;, ne quid abnuerent, cui nil negatum uellent, rationem inierunt, qua nec legi derogaretur quippiam, & nihilominus compotem uoti Herculem facerent. Protinus nanq; parua inſtituere myſteria, quibus & illum initiarunt. Verum obſeruatum in iſs, ut quam quis dum initiaretur, ueſtem fortè geſtaſſet, eam ne unquam exueret, donec uicta tẽpore omnino fieret ingeſtabilis. Hinc datus adagio locus, quod & noſtrates Rhodigini exprimere uolentes, ubi quem ita ornatum cõſpicantur, ut ueſte eadem fori munia obeat, domi ſedeat, hyemem iuxta atq; æſtatem cum ea, uelut laborum ſocia tranſmittat: eum ſanctorum imagunculis, quas ſubinde in ſacris ædibus expictas conuiſimus, perſimilem eſſe dictitant: quod illis diuorum ueſtitores indumenta nunquam demutẽt. Sunt inter claſſicos Græcorum auctores, qui ſcribant, ueſtimenta id genus, in quibus foret quis initiatus, moris fuiſſe, tẽplis dicare oblata. Quod Melanthij quoque auctoritate, ut tibicine fulcitur, in libro De myſterijs, τὠλητρίῳ δὲ ταῖς θεαῖς ἀνάθημα καὶ ταῖς σπλαῖς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες. Porrò parua quæ diximus, myſteria erant, uelut πρόθεσις καὶ πρόλυσις magnorum myſteriorum, id eſt præluſtratio quædam ac præuia depuratio. Et ne quid incurioſius omittã dignum hiſce memorijs, ex ſtolis eiuſmodi initiatorum, quidam etiam puerulorum faſcias magna religionis opinione conficiebant. Dignum uero quòd huic potiſsimum inferatur loco: ſacerdotum principem res quatuor ſacris indumentis exprimere, ubi præcellens ingruat feſtorum celebritas, ueluti mundo induatur ipſo. Viſebantur uero hæc uel in peripetaſmate templi Solomonis. Quando, ut prodit Egeſippus, erat id cocco, hyacintho byſſoq; intextum, ac purpura, nõ uticq; otioſa diuerſitatis materia. Cocco ſiquidem igneum figuratur cælum, aer autem hyacintho, byſſo terra, ex qua & progerminat: mare demum purpura, quæ marinis ex conchilijs ducitur. Vt duo ex colore colligas, duo reliqua ex generatione: ſymbolicè autem iſs innuentibus, ei deſtinatum templum, cuius nutu diſtribuantur cuncta. Verum, ut leuius aliquid adnectamus, quod ſaturo coniuiuæ colluere dentes poſsit, uel etiam linere: quanquam ex Academia fortè anſatus ueniens quiſpiam noſtram hanc ſedulitatem, nonnunquam leuioris operæ aliquid hinc inde corradentem, riſu excipiet, ac nos plerunque ὀμφαλίζειν cauillabitur. Tamen, utcunque ſit hoc caſurum, non tam ſupercilioſe ac cenſoriè iſta cõcinnamus, ut inopi in

noſtra menſa non uacet accubitus, memores, ab Heraclito dictum quandoq; in caſulis etiam eſſe deos. Igitur ueſtium repoſitoria Græcis plura ſortiuntur nomina: nam ſunt cheli & ciſtæ, ciſtides, phaſcoli, ideſt φασκωλοι: apud recentiores item rhiſcus, quo etiam utitur Terentius, & expoſuit Iulius Pollux. At Phrygium eſſe nomen, putat Donatus, quo ciſta ſignificetur pelle contecta. At rhiti, hoc eſt ῥῆτοι, in Attica Thucydidi loca ſunt, hiſtoria ſecunda. Eſt & apud Menandrum Candytalis, uerum Perſica uidetur res, in uſum à Macedonibus producta primum. Zygaſtra inueni apud Xenophontem. Tholiam eſſe uelut ciſtam memorant, cuius ſit operculum tholoides, id eſt teſtudinatum. Apud Xenophontem reperi eundem ueſtium marſippos, ὧν ἀναβαλοῦσι. Porrò ut uagemur amplius: ſunt myſteria arcana quædam ſacra, Latini Secluſa uocant, ut diſparata: ſicut ſecluſorium uocant auiarium minuſculum, in quo ſecluſi habentur turdi mox occidendi, ne uidentes cæteri deſpondeant animum. Dicta myſteria, quòd ea δεῖ μύσαντας τηρεῖν ὕθλον, hoc eſt, occludentes oportet intus cuſtodire, nec cuiquam explicare. Scribit tamen Phurnutus in libro De natura deorum, frugibus ab Cerere monſtratis, eidem myſteria celebrantes teſtatiſſimũ feciſſe, ab mutuis cædibus ob neceſſariorum deſiſſe inopiam: proinde nuncupata de ſaturitatis ratione myſteria: eſſe enim μυσιαῦν τὸ κορεῖσθαι: quo argumento & Myſia quibuſdam creditur appellata. Myſtes uerò dicitur myſteriorum peritus, aut qui docet. Sunt qui eo nomine diſcipulum interpretentur. Myſtile uerò aliud eſt, quippe eo uocabulo panem Græci dicunt, quem canibus obijciunt. Noſtri, ut Sextus Pompeius auctor eſt, canicas uocant ex farre furfures, à canum cibo. Sunt qui myſtilem panem interpretentur excauatum, ſorbitioni accommodum. μύσλον enim concauum dicunt, quòd marino aſſimiletur muri, qui, ubi libido occœperit, μύεται καὶ συγκλείεται, id eſt obliteſcit occluditurq;. Myſtron item legitur quandoq; in Græcis auctoribus, unde in conuiuio Macedonico lautitia exſuperantiſſimo, ſingulis decumbentium aurea fuiſſe oblata dicuntur myſtra. Hinc & myſtropolæ, qui id genus diſtrahunt uenduntq;. Quod uerò ad ueſtes attinet, à quibus hic defluxit ſermo, legi apud Græcos, ueſtes floridas ac uariegatas inſigniter dici à Cyprijs throna. Quanquam à Theſſalis eo nomine intelliguntur animalia uarietate diſtincta maculoſaq;, id eſt πεποικιλμένα. Aetoli autem throna dicunt, τὰ φαλάμαια. quod Clitarchus ſcribit, cui in Pharmaceutria ſuccinit Theocritus,

Θεσυλινῶν δὲ λαβοῖσα τὸ τὰ θρόνα ταῦθ' ὑφάμαξον.

Homerus autem, τὰ ῥόδα, id eſt roſas, eo intellexit uocabulo, παρὰ τὸ ἄνω θάειν ἐλαῦνειν γῆς, quòd ſurſum è terra currant. Thronos uero cathedram ſignat cum hypopodio, id eſt ſcabello: à uerbo θρήσασθαι, quod ſedere indicat. Nam κλισμός, ſedes item eſt, ſed inſtructior cultiorq;, uilis autem quæ diphros nuncupatur. Thranos item & thrania, ſiue thranidia, ſellę nuncupantur humiliores. Thranitem turbam dici quum audis, nauticam concipe. Inter remiges qui ſupremi ſunt, thranitæ uocantur: ſicut mediĳ, zygitæ: at infimi, thalamĳ. Cæterum thranitarum inſignis erat labor: nam & longioribus utebantur remis, quo nomine ab trierarchis maiora cõſequebantur prędmia. Quod autem in Theriacis Nicander, hæmorrhoida Thonion dixit, ad Aegypti regem Thonum planè referendum, quia in ea ſcateat regione ſerpentum id genus: quod quum nolens calcaſſet Menelai gubernator Canobus, dum in littus exiſſet, quærendi ſomni gratia, morſu impacto interĳt. Id conſpicata Helena, & indigne ferens ſpinam hæmorrhoidis perfregit, ſpondylis eiectis: unde factum, uti hoc genus & ceraſtæ ſpina conuiſantur difracta.

Veſtium genera plura, quæ uarijs de cauſis ſortita appellationem ſunt. Perone. Combia. Combymata. Batrachium color. Horatius illuſtratur. Caianus locus. Cillium color. Cillos pro aſino. Phæus color. Leucophæus. Plinĳ locus ex libro ſeptimo perpenditur de mantellis. Mitra. Tænia. Tæniopolis.

Cap. X

INter indumentorum autem appellationes, quas eſſe prope innumeras, conſtantiſsimum reor apud illos qui paulo plura lectitarunt, ac ſunt in ſtudijs, quod de Origene ac Didymo traditur, chalcenteri & adamantini, inueni plerąq; de nationum propagata nominibus. Nam ecce in ueteri memoria com-

perimus

perimus Tarantinidium. Id uero proculdubio de uſu, deq; Tarentinorum delicijs profluxit amiculum. Erat item quod diceretur Creticum, quo Athenis ſolitum uti regem proditur. Fuit & tunica quoq; Sardonica, quemadmodum & Sicula. Nam Theræum à Thera, opinor, uel à ferarum imaginibus, quæ uocant θηρία, uarium erat. Phrygium uero indumẽtum habebatur mulieribus dicatum. Fuit & lænæ quoddam genus, δισπορφυρίδα uocant, quam poſteriores etiam epigraphon dixere: ſicut eius artifices deuterurgos nũcuparunt. Significauit ueſtem hanc in Bachis Lyſippus. Cuius uero gentis fuerit hæc, parum comperi. Illud exploratius, Caſiorum inſulas eſſe paulo plures per ambitum Carpatho, quod monumentis Strabo prodidit: unde frequentiſſimum tempeſtate noſtra defluxit Caſiacæ ueſtis nomen: quam eſſe uſui maximo ſcimus Græcis militibus, quos Græco uocabulo paſſim Stratiotas uocamus omnes. Caſianam uocari ab Euſtathio de montis Caſii nomine, minus fallit Græce non imperitos. Diphthera uero paſtoritium creditur ex pellibus indumẽtum. Scribit tamen Herodotus, Ionas byblos dicere diphtheras priſca conſuetudine, quòd aliquãdo byblorum penuria, hoc eſt papyri, pellibus uterẽtur tum caprinis tum ouillis. Sed & barbarorum multos item in pellibus ſcriptitaſſe. βάτταρις uero etiã diphtheras uocari, auctores habemus uel opinatiſsimos. Siſys appellatur uilior quælibet ueſtis: ſiſyra, ex pellibus uilloſis, aut ſimplicius lanea ueſtis. Siſyrna pellis eſt uillis renudata. Penulis uti tribunos pluuiæ tempore, ſcribit in Adriano AElius Spartianus, imperatores autem nunquam. Nam & in Caligula Trãquillus, ut probrum refert, pictas gemmatasq; penulas ſolitum geſtare. Quo nomine factum Adriano imperij omen, prodit Spartianus idem, quòd tribunus penulam amiſiſſet. Quæres ſcitè admodum prouerbij facie quadam in eos ualet dici, quos dignitatibus iamiam amplioribus admouendos coniectamus. Saraballum ueſtis erat Parthorum fluxior: meminit in Danielem Hieronymus, item ad Innocentium. Apud eundem eſt ependytes in Hilarionis uita. Id interpretatur Sudas ueſtem intimã, quam & hypocamiſum uocent. Birrum fuiſſe Romanam ueſtem, Græci ſcribunt: & compro bat libro quarto Martianus: Birrus, inquit, & tunica nomen ueſtis habent. Birrhox apud Macedonas dicitur denſum. Birrham Græci forcipem interpretantur, aut falcem. Eſt etiam notior uulgo byſſacæna ueſtis. Eius ratio nominis à Byzacio demanauit, unde & Byzacẽnus in Aphrica ager, Byſſacænus à Stephano appellatus, ſicut regio Byſſacia. Quanquam nec deſunt, qui Byzantium etiam ſcribant, & populos Byzantas, quos cum Herodiano Gyzantas appellat Herodotus. Propriæ circumpadanorum ueſtes fuere pullatæ, ſicuti parte plurima etiam noſtris uiſuntur temporibus. Id ex Plutarcho compertum nobis eſt, in ſermone qui eſt De ijs qui ſerius puniuntur diuinitus. Neq; enim, inquit, Thracas approbarim, quos etiamnum tẽpeſtate iſta in Orphei gratiam mulieribus ſtigmata inurere, ſcimus: neq; item Eridani accolas μελανοφοροῦντας, id eſt atratis utentes ueſtibus ex Phaethontis luctu. Approbat Hiſtoriam & Polybius. Pellenicæ item lænæ nomen ſibi uendicant plurimum, adeo ut præmij uice Athletis proponerentur uincentibus. Id fieri ſolitum interpretantur, ἐν τοῖς ἱρηλίοις, hoc eſt Iunonis feſtis. Alij cum Hermea, id eſt Mercurij feſta in Pellene Achaiæ celebrarentur, epathlon id genus contribui ſolitum, tradunt: unde facetiſsime in Auibus Ariſtophanes, de eo qui ueſtibus utebatur attritis admodum, ut poſſet de balneolo cogitare conducendo,

Μῶν εὐθὺ πελλήνης πέτεσθαι διανοεῖ;

an, inquit, recta Pellenem euolare cogitas? Nam & ante paulo in eiuſdem ordinis hominem, indigere eum hirundinibus multis pronuntiarat:

Δεῖσθαι δ' ἔοικεν οὐκ ὀλίγων χελιδόνων.

quo ſignificabat, uerno illum indigere tempore, quo multæ ſe proferant hirundines. In quo ad paroemiam alluſum eſt, μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. hirundo una, uer non facit. meminit Ariſtoteles Moralium primo. Chlænam dicebant ueſtem quam tunicæ inijciebant, nos lænam dicimus. Ex ijs aliæ ſunt aploides, id eſt ſimplices: ut apud Homerum, χλαίναι οὖλαι: aliæ autem duplices. Has uerò Attici aplagidas dicunt, & diplaſidas, & dibolos. Paragaudas legimus indumenta ex lino uirilia, ueſtibus alijs ſubijci conſueta. Sunt qui uno uel duobus necti loris arbitrẽtur, ut inde ueſtes dicãtur diloros aut pentelores & monolores: quod ad inficiẽdi rationem referunt alij: dictionibus ex

Græco

Græco & Latino conflatis. Vel legamus monocoros, dicoros, tricoros, tetracoros, & pentacoros: quia totiens colore saturarentur. Dalmatica esse Dalmatarum uestis uidetur propria, religioni nostræ non spreta quoq;. Lampridius in Commodo: Dalmaticatus in publicum processit. In Pertinace Iulius Capitolinus chirodotas nuncupat Dalmatarum. Sicut citratas militares, quas intelligunt uirgatas, quoniam citrosas uestes ab citri similitudine dici, Pompeius Festus scribit. Sic autem in bello Punico appellauit Neuius. Quod in Cœnis retulit Macrobius, qui & citrosas dictas uestes opinatur, non ab similitudine, ut putat Festus, sed quoniam (uti est ab Oppio traditum) uestibus interiectum citreum malum, quod est odoratissimum, tineas necat. Togam prætidiariam in Seuero dicere uidetur Spartianus, qua Imperator, uel omnino qui præsunt, uti consueuere. Quum rogatus, inquit, ad cœnam imperatoriam palliatus uenisset, qui togatus debuerat, togam præsidiariam ipsius imperatoris accepit. Subarmalia idem nuncupat indumenta, armis subiecta, ne (opinor) rubigine inficiãtur uestes pretiosiores. Prætorianos, inquit, cum subarmalibus inermes sibi iussit occurrere. Caracallæ indumenta fuere ad talos demissa, ab Antonino imperatore populo data, unde Caracalla est nuncupatus. Sed & Antoninianæ uocantur caracallæ. Meminit earũ Hieronymus, ut Sextum Aureliũ taceam. Ex tunicis alia uocabatur amphimaschalos, quę liberis congueret, ab axillis ita cognominata. Heteromaschalos seruitijs dicabatur. Erat & tunica dicta orthostadios, qua utebãtur non cincta. Illud hic obiter subnotarim, ne dilatum forsan excidat, ubi Homerus ait chlænam περονήσατο, exponens Eustathius, peronis, id est fibulis, inquit, quas & combia dicimus, colligauit. Sunt qui combymata pro ornamentis accipiant. Inuenio in Græcorum thesauris, Naucratitas in Prytaneo conuiuia solitos agitare in genethlijs, hoc est natalitijs. Vestæ, quam Prytanitida dicunt, necnon in Comæi Apollinis panagyri, stolis indutos candidis, quas etiamnum uestes nuncupant Prytanicas. Illud apud Iosephum uideor obseruasse, sacerdotibus modo uersicolore uti indumento, lege fuisse permissum. Sunt qui prodant, id genus solitum admitti ab ijs qui cælestia uice numinum uenerarentur. Proinde Leuitici decimonono, Veste quæ ex duobus texta est, non indueris. Inter uestes mulierũ proprias, erat diploidion, hemidiploidion, catasticos, quo utiq; nomine tunica uenit animalium figuris intexta, aut floribus: nam & in nostris literis, belluata quandoq; legimus stragula. Inter tunicas recensetur & peplus, ut apud Xenophontem, quãquam apud hunc obseruauimus etiam uiris cõgruere peplum. Nam Armenium scidisse peplos scribit: ni dicamus, barbaros uestibus plerunq; fœmineis gaudere. Sunt qui Eanon eundem putent cum peplo. Sunt qui dispescant ita, ut nullis distinctos uarietatibus eanos intelligant, peplos uero accipiant uariegatos. Quod autem indumentis alijs etiam inijceretur peplus, ex Mineruæ utiq; peplis, libera (ut inquit Pollux) coniectatio est. Perinesa uocabant indumenta, in quorum extremitatibus assuta circumcurreret purpura, insulæ quadam imagine: propterea id forte Anaxilas etiam νῆσον uocauit, id est nesum, siue insulam. Othonem apud Homerum, album interpretantur amiculum ex lana utiq;, non ex lino, prætenue. Fuerunt tamen, qui eo nomine præcandidum episcoporum, & eius loci sacerdotum amiculum intelligi recte putent: id plebecula nobilesq; certatim rochetum dicũt.

Homerus. Αὐτικὰ δ' ἀργῆσιν καλυψαμένω ὀθόνῃσι

id est, confestim uero candentibus amicta othonis. Sunt & uestium pleræq; de coloribus productæ, alurgides, porphyrides, phœnicides, batrachides. Et sunt hæ quidem uiriles, ex quibus batrachida sunt, qui floridam intelligant uestem: sic de colore nuncupatam. Batrachos certe rana est: batrachion uero coloris species, quo ante excogitatas personas, faciem obungerent. Propterea Horatius:

Quæ facerent agerentq; peruncti fecibus ora.

Est item AEginetæ Paulo batrachos sub lingua infantili potissimum tumor φλεγμονώδης, id est cum inflammatione. Cuiusmodi batrachis foret, indicat plane in Caligula Dion: Batrachida, inquit, inducenti, & inde ab colore prasino nũcupato, erat addictus adeo, ut uel nunc Caianum appellent locum, in quo is currus agitaret. Batrachium & phœnicium fuisse Atheniẽsibus dicasteria, auctor Pausanias est, de coloribus appellatione ducta. Muliebria illa censebantur indumẽta: crocotus, id est κροκωτός, crocotion, paralur

paralurgides, omphacinon: cui tamen colori arriſiſſe Alexãdrum quoq; traditur. Fuit & indumentum hydrobaphes, quod mox etiam pſychrobaphes dictum, apparet. Erat cillium item coloris ſpecies, quem poſtea onagrium uocarunt: nam cillon Dores aſinum uocant, & aſinarium cillantera. Phæus color & niger affines admodum ſunt. Phæum tamen ex albo & nigro concinnatum uolunt plerique, myinon item nuncupatum, quod in libro De morali uirtute confirmat Plutarchus, teſtatur & primo De ideis tomo Hermogenes. De pictorum coloribus ſcribens Pollux: Colores, inquit, ſunt andricelon, oſtreon, praſinon, crocoides, cyaneus, cinabari, xanthus, phæus, phlogoleucus, leucophæus. Hunc uero poſtremum intelligo phæum, in quo plus paulo inſit albi cantis qualitatis: ſicut phlogoleucum flammeum quidem, ſed alboris habentem plurimum. Vſum ſcribit Spartianus imperatorem Heliogabalum aurea omni tunica & purpurea, uſum & ex gemmis Perſica, quum grauari ſe diceret onere uoluptatis. Habuit in calciamentis quoq; gemmas, ſed ſcalptas, tanquam & inibi artificum nobilium ſcalpturæ ſubijci oculis poſſent. Tunicas aſemas ſunt qui unicolores interpretantur, ſicut macrocheras manicatas. Palmatam tunicã, & togam pictam priuatus habuit primus, & propriam Gordianus ſenior, quum antea ex Capitolio acciperent imperatores, uel ex palatio. Caracallam ueſtem ritu inciſam barbarico, & conſutam quoq; ad mandyæ modum, inueniſſe Antoninum, ſcribit Dion: ipſumq; non uſum modo ea, ſed milites quoq; ſic conueſtiri imperaſſe, unde Caracalli cognomen eſt adeptus. Quod ſane ut ignominioſum, agnoſcit idem hiſtoricus, quando ab iratis ſic fuiſſe appellatum ſcribit, ſicut Taranta ex monomachi ſanguinarij, & turpiſſimi ac puſilli nomine. Perſarum geſtamina erant, candys, anaxyris, quam & cyrbaſiam dicunt, & cidarin, ac pileum. Sed candys quidem regis erat haliporphyros, cæterorum modo purpureus, quandoque & ex pellibus conſuebatur. Eſt item Capyris Perſarum tunica manicata. Fuit & Perſicæ gentis Candyces. meminit Ariſtophanes. Atrebaticã ueſtem ſunt qui de populorum nomine dictam uelint: etiam ſi Atrabaticas pronuntiat Sudas, de coloris atri ratione. Sunt autem in Gallia Atrebates textrino percelebres. Propterea birros, ueſtis ea Gallica eſt, ab Atrebatibus quandoq; petitos, prodit hiſtoria. Atrebaticas fuiſſe pretioſas, indicat Hieronymus in Iouinianum. Myoton, id eſt μυωτόν, Armeniorum fuiſſe dicunt, ex muribus contextam indigenis, aut eius animalis figura uarie ornatam. Maſſilienſium erat chortæus: uelut rhiza Thracum, Babyloniorum caunaces. Mandya uero phænolæ ſimilis habebatur, cuius meminit in Iphigenia Rhinthon. Et in Tiberij rebus Dion: Facta, inquit, in conuentu quodam pluuia, φαιὰν μανδύην ἐνηνέχθη. ac in re liquum, ueſtem aliam capere auſus eſt nemo. Eiuſdem meminit in Domitiano quoq; Quum, inquit, per naumachiam implueret uehementius, mandyas ſubinde mutabat, aliorum uero neminem permiſit. Mandyan ſunt qui etiam loricium nuncupent, id eſt λωρίκιον, quod penulæ genus foret, qua ſe ut lorica, munirent: Latini mantellum dicunt. De quo intellexiſſe Plinium libro ſeptimo, eruditis fere placet, quum anthropophagos Scythas cutibus humanorum capitum refert, cum capillo pro mantellis uti. Herodotus tamen in Melpomene ſuper eadem re, ἃ τε χειρόμακτρον ἕκτηται, ἐκ δὲ τῶν χαλινῶν τοῦ ἵππου, τὸν αὐχένα ἐλαύνει, ἐκ πύκνου δέρματος, καὶ ἀγαλλόμενος. ὃς γὰρ ἂν πλεῖστα δέρματα χειρόμακτρα ἔχῃ, οὗτος ἄριστος οὗτος λέλεκται. quod eſt, pro mantelibus poſſidet, eiſq; ex habenis equi ſui appenſis, gloriatur. Qualia mantelia ut quiſq; plurima habet, ita uir cenſetur præſtantiſsimus. Chiromactrum uero tergendis manibus dicatum agnoſcit etiam libro ſexto Pollux. Nam & chiromactra uilloſa idem libro ſeptimo dici Laſia, interpretatur, denſitatis ratione. Sed & illud ex Herodoto eſt, Non deeſſe, qui coria hæc humana, perinde ac brutorũ conſuant, utanturq; pro amiculis. Mantelia Cypria, & multitias legimus tunicas in Aureliano Flauij Vopiſci. Sindonem accipiunt nonnulli coloris Tyrij ueſtem: unde & Martialis,

Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Candidam intelligere malunt alij, qua uterentur magi tenuiſsima. Sunt qui eo nomine linum interpretentur prætenue. Scribit Dion, Neronem tunicula obtectum florida, & ſindonio circa collum ſenatores ſolitũ ſalutare. Idem tradit quoq; Sardanapalum, hoc eſt Heliogabalum in palatio ſelegiſſe locum ſibi turpitudinibus aptum, ubi nudus aſſiſtens

ſtens foribus meretricio more, ac ſindonium aureis ſuſpenſum cricis quatiens, uoce mollicula, fractaq; prætereuntes ad Veneris prolectabat ſocietatem. Polymitam intelligit Hieronymus ueſtem diuerſi coloris cõtextam filis: qua, inquit, ueſte polymita, & multarum uirtutum diuerſitate contexta indutus fuit & Ioſeph, & regum quondam utebant filiæ. Apud ſeras, hoc eſt σῆρας, ſunt propriꝝ generis ueſtes ex animali, quod σῆρα uocent Græci, indigenæ aliter omnino, magnitudine dupla, quàm cantharus maximus, alias araneis perſimile, in arboribus quæ dicuntur texere: nam & par eſt pedum numerus, octo utiq; ijs domunculas conſtruunt Seres, æſtate ac hyeme accommodas. Animalium opus filum eſt pedibus obuolutũ, ac prætenue. Aluntur annis plurimum quatuor, cibus ἐκ τοῦ ἑλύμου, id eſt ex pannico eſt. Anno autem quinto, neq; enim illis uita productior, calamus obijcitur uirens, qui omnibus creditur animalibus mira gratus ſuauitate. Cibo id genus ampliter ſaburrata mox rumpuntur diſſiliuntq;. Sic uero immorientibus, in utero plurimum τῆς ἀραχνοδλόνης, id eſt textrinæ comperitur materiæ. Inſula σηρία, Pauſanias inquit, in intimo eſt rubri maris ſinu. Sunt qui à fluuio, quem dicant σῆρα, effici inſulam probent, uti à Nilo Delta. Seras alijs in Scythia conſtituentibus, tractu ad Indos uergente. Poſtremo æſtiuam ueſtem theriſtron dicimus, & theriſtrion. Sicut hyemalem chimaſtrum. Homerus alexamenon appellauit. Cocco tingi ſolita, theriſtra, ſcribunt eruditi, tenuiſsima adeo, uti diaphana forent plane. Meminit capite tertio Eſaias: Auferet, inquit, Dominus diſcriminalia, periſcelidas, murenulas & olfactoriola, mutatoria, uittas & theriſtria. Veſtem quæ nunc dicatur Serica, olim Medicam eſſe nuncupatam, compertũ nobis eſt. Quam uero Syriam uocant multi, hanc autocopon dixere comici. Mitram Homero poſteriores tæniam eſſe dicunt, qua obligetur caput, ſiue faſciam malis dicere, unde & mitrophori nuncupentur. Ex Euripide manifeſtius liquet,

Μίτραις ὠκαλέποις ξυθμίζεσθαι πλόκαμον.

Apud Herodotum quoque eſt, μίτραις κατειλίχατο. Sunt & qui ſic finiant, ex faſcijs orarijſq; concinnatas corollas dici mitras. A miton uero, quod filum eſt, inclinatur mitra. Eſt eodem quoq; nomine zona, quam ſoluere narrantur primũ parientes, dicantq; Dianæ, nato inde illius cognomento, ut appelletur λυσιζώνη. quo nomine etiam Athenis templum uiſebatur cõſecratum. Mitram certe incorruptam dicit Apollonius, ubi conſtat etiamnum pudicitia uirginitasq;. Sed & tænia dici uidetur eadem, unde tænio polis apud Eupolin, interprete Athenæo, pro ea quæ muliebres diſtrahit zonas. Eſt & tænia piſcis prætenuis.

Lacides ueſtes quæ ſint, ac item pilares & ſpira, ac ſpirobolus. Spiropoles. Spilos. Spirachthea. Spirulatim. Anterides. Antes. Antæ. Pilos in Theophraſto quid. Cerui pennas timent rubras. Pilum telum. Quæ dicerẽtur pilę. Cur tauri phœniceis irritentur, contra Domitium. Problematum genera. Auſonius, Virgilius, Ouidius & Hieronymus declarant. Thyſani. Broſſi. Arethyſani. Amphimalti. Croſsi. Tapetes. Strotæ. Stymphalidum hiſtoria. Stymphalia Diana. Senatorum habitus. Vermiculata ueſtis. Scolecidata. Quiſquiliata. Seres uermiculi. Zirę. Ephaptides. Metaxarij. Cœnatoria, uel dipnitis. Chære ſalutatio matutina.

Cap. XI

VEſtes porro uetuſtate dilabentes aclaceras uocauit Ariſtophanes in Comœdia, lacidas: nam & laciſma Græce ſciſſuram nobis indicat. Sunt qui ſpira etiam uocent, id eſt τὰ σπείρα. Nam & apud Xenophontẽ Rerum Græcarum quarto, σπειρία legimus: Aſcenderant, inquit, ſpirijs induti, perinde ac æſtate. Faba porro AEgyptia ſerenda traditur paleato limo, quo deſcendat comprehendatq;. Proinde ſpirobolos nuncupatur auctoribus quandoq; ab ſpiris pro ueſte fit ſpiropoles, etiam ſi melius eſt item indumentum quandoq; ſpiron: nam eſt & militaris ordo ſpira. Spilos uero, ſicut chœrades & myrmeces, & rhachiæ, ac trychata, petræ in mari ſunt ſub aquis delitescentes. Spirachthea cnodala, id eſt reptilia dici animaduertimus, quæ auctiora ſunt & prægraui cauda: quæ in trahendo uelut onus eſt, unde inflexum nomen. Spirulatim ſignat clauiculatim, & capreolatim. Nam in torculari trochlea dicitur eruditis ſpirulatim ſtriata. Eſt autem proprie ſpira, circulorũ genus, quum tales

tales perducuntur lineæ, ut earum portio ultima nõ ad exordium trahatur, ſed paulum ab rigore deflexa infra uel ſupra circulos producat alios arctiores laxiores ue: quam figuram Achanti uolumen in Timæo dixit Plato. Sed ad ſpiron redeo. Latini id genus pilares dicere ueſtes poſſent. quod Martialis ſignificat, quum Epigrammatum ſecundo, de toga ſua quam pertritam conſciſſamq; intelligi uolebat, ita ſcribit:

At me quæ paſſa eſt furioſi cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima ſuam.

Erant ſiquidem, ut Sextus Pompeius ſcribit, pilæ uiriles effigies atq; item muliebres ex lana, quæ compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quod eſſe deorum inferorum putarent, quos uocant lares: quibus tot pilæ, quot capita liberorum, ſeruorum, mulierum circa compita habitabant, ponebantur, ut eſſent iſs pilis & ſimulacris contenti, uiuiſq; parcerent. Hiſce uero imaginibus nullius omnino pretij ueſtes circumponebantur. Proinde pannoſos etiam quandoq; Martialis pilas uocat, ut Epigrammatum decimo in Laurum,

Sed qui primus erat luſor, dum floruit ætas,
Nunc poſtquam deſiit ludere, prima pila eſt.

Sunt & in ratione ædificiorum pilæ quoq;, ex quarum uidentur genere anterides, ſiue eriſmæ, quæ procurrunt ab imo, mox gradatim contrahuntur. Antes uero quadraturæ ſunt, ex quo antæ uocantur quadratæ columnæ. Virgilius,

Iam canit effœtus extremos uinitor antes.

Aegyptiæ porrò fabę thyrſus uti quibuſdam uidetur, ab Theophraſto nuncupat pilos. Sed rotundũ calicẽ eo uocabulo accipere malunt alij. Pilum aũt, inquit in cõmentatione hiſtorica De Romanorũ militia Polybius, telũ eſt, lignũ plerunq; bicubitale, craſſitudine uero digiti, ſpiculo ſpithamæ, id eſt palmi maioris, eouſq; attenuato & acuto, ut poſt ictum primũ neceſſariò flectatur, ſitq; ineptũ ad remittendũ, alioqui cõmune fieret telum. Cæterũ quia de pilis ſermo eſt, aſtruit poetæ illius acutus interpres, ut de eo meũ ſemper fuit iudiciũ, & bene doctus quoq;, etiam ſi naſutiores multi, ſubditis equo calcaribus, laxis habenis toto in illum feruntur impetu, & altius genuinũ infigunt: ab hac pilarũ ſimilitudine ueſtes, quæ in ſpectaculo tauris obijcerẽtur irritãdis, pilas item fuiſſe nuncupatas, quod à tauris peterentur, tanquã effigies hominũ. Vel, inquit, pilæ dicebantur, quod in globũ & luſoriæ pilæ ſpeciem cõuolutæ iactabantur: quanquã rudis antiquitas, ut Pædianus auctor eſt, homines è ſtramine formaret ad eum uſum. Poſt ea, inquit, luxus in tantum auctus eſt, ut ueſtes etiam purpureæ obijcerentur. Quod duodecimo Metamorphoſeon ſignificaſſe Ouidius quoq; uidetur, quum ita canit,

Haud ſecus exarſit quàm circo taurus aperto,
Cum ſua terribili petit irritamina cornu,
Phœnicias ueſtes, eluſaq; uulnera ſentit.

Sed ut nos ex multijuga lectione cultius aliquid aucupemur, quod ingenioſus enarrator minus aduerterit, cuius fiducia haudquaquam in aurem utramq; dormiendum, ſed peruigilate ſemper excutiendi poetarum ſenſus, quibus ille multum intulit claritatis, quum alioqui Heracliti tenebris obuoluti, plurimis iacerent incogniti & inſciti: quod ſane uelut auri coronarij laxamentum dixeris, eminentis ingenij fertilitate condonatum: ſubeſt ſemper fere intercutaneæ eruditionis aliquid, quod non niſi Lynceo conſpexeris: ueluti in eo (quod ait) nimio luxu inſtitutum, ut Phœniceæ ueſtes conijcerentur ad taurorum irritationem. Id uero minus ueritate connititur. nam ex natura rerum oborta conſuetudo eſt: quam & iureconſultus Vlpianus Digeſtis de furtis non ignoraſſe uidetur, ubi ait: Cum eo qui pannum rubrum oſtendit, fugauitq; pecus, ut in fures incideret, furti actio eſt. Hoc & in Inſtitutionibus relatum inuenies De obligationibus quæ ex delicto naſcuntur. Quod ut uerum ſcias, audi quæ doctiſſimus ille Plutarchus in Oratione qua connubialia contexuit præcepta, ad hoc ipſum pertinentia memoriæ mandanda cenſuerit. Qui elephantis (inquit) ſe admouent, ueſtem claram non geſtant, nec puniceam qui tauris, quod huiuſmodi coloribus illa animalia maxime efferantur; ſicuti tigres in tantum aguntur furorem ſonitu tympanorum, ut ſemetipſas dilanient; feles olfactu odoramentorum perturbari & furere, traditur. Idem porrò Plutar-

chus in libro De Alexandri fortuna, liquidius etiamnum tauros Phœniceis irritari esse rariq; scribit, elephantes uero albis. Verum ut ex nostris item literis doctrina corroboretur, apud Senecam libro De ira tertio, ita reperio: Quod accidere uides animalibus mutis, idem in homine deprehendes, friuolis turbantur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad umbrā aspis exurgit: ursos leonesq; mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad minima. Porrò & ceruos rubræ pēnæ aspectu terreri, no'nne & Ausonius comprobat illis uersibus?

An cum fratre uagos dumeta per auia ceruos
Circundas maculis, & multa indagine pinnæ?

Id & Seneca significare uidetur libro De clementia primo: Si feras (inquit) linea, & pinna conclusas contineas, iubeasq; telis incessi, tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntq; formidinem. Sed & in Georgicis libro tertio commeminit Virgilius ubi de ceruis ait,

Puniceæ ue agitant pauidos formidine pennæ.

Quem tamen locum insciti ssime explicari animaduertes etiam ab ijs qui fimbrias expandunt, & ostentui sua habent omnia, & pectus suum bibliothecā rentur. Sed & Ouidius eadem insciti æ labe inuoluitur magis quàm explicatur Metamorphoseon decimoquinto,

Nec formidatis ceruos includite pennis.

Quin & Lucanus,

Sic dum pauidos formidine ceruos
Claudat odoratæ metuentes aera pennæ.

Quod autem odoratas ait pennas, ad id referri potest, quod ustulari ab plerisq; solent, sicuti Insubribus est mos. Hoc ipsum & Hieronymus innuit in Luciferiani & Orthodoxi dialogo: Et pauidorum more ceruorum, dum uanos pennarum euitatis uolatus, fortissimis retibus implicamini. Nec ambitiosum me putet parte hac quispiam, quando indicta insciti aq; multis retegimus. Quod si curiosior aliquis horum euentuum amplius rationem perquirat, cum Alexandro forte respondebimus. Si tamen Alexandri germanus est liber, quod non uidetur quibusdam, styli saliua ductis, aut doctrina hæreſin non resipiente. Problematum nonnulla esse prorsum ambiguitatis expertia: neq; enim dubitandum putabit aliquis, cur uolucribus plumas contribuerit natura. Quippe ut ijs foueantur uestimentorum loco datas liquido patet. Quædam uero ἄλυπα πάντελῶς, ὅσα θεῷ μόνῳ γνώσιμα. hoc est, solutionis expertia omnino, ac deo tantum cognobilia, qui horum constituit essentiam. Dubia enim quæstio est, quamobrem γαργαλιζόμενοι μαχλάς ἢ πέλματα ἢ πλευρὰς γελῶσιν. id est, titillati alas aut plantas aut latera rident. siue qua de causa audientes aliquos atterentes marmora aut secantes aut stridentes, aut ferrum limantes dentibus eueſtigio inhorrescunt. uel cur magnes attrahat ferrum, electrum paleas: leo gallum metuat: coturnices helleborū comedant, hominibus letalem. Ex hoc genere sunt quæ à medicis ἰδιότητες ἄῤῥητοι λέγονται, hoc est occultę appellantur proprietates. Quod autem suum uniuscuiusq; occultum est, id parum habet, cuius reddi causa possit. Male enim quidam horum solutiones subitaneas efficiūt, ualde inutiles, nec fidem facientes. Aiunt enim struthiocamelum ferrum non proprietate ulla, sed potius calore concoquere, quod profecto insulsum est. Leo namq; quum hoc ipso animali feruidior sit, non tamen ferrum conficit. Sunt & suæ philosophis occultæ proprietates: immo uerò etiam grammaticis, quæ πάθη uocantur, σεσημειωμένα τῇ χρήσει, id est ex usu adnotatæ. Tertium uerò genus est problematum, quod medium tenet locum, & ad cognitionem habendam minime ambiguum est, & solutioni subijci tur. Quod ergo de tauro propositum est, esse inter ἰδιότητας ἀῤῥήτους, manifestum uideri potest: nisi quod Auicenna primo Canonis ita propemodum scribit: Aestimationes, inquit, humores permouent, quippe sanguinem agitat rubentium rerum intuitus. quare eum cui è naribus profluere sanguis assueuerit, uetamus rubens quippiam amplius inspectare. Ratione eadem Albertus scribit, ad prælium elephantes excitari. Consimile narratur fere de stymphalidibus miraculum, quas Hercules sagittis impetiuisse dicitur, sed ab eo interemptas, abnuit Camireus Pisander. Aues esse dicuntur ἀνεφοφάγοι, quæ tamen crotalorum abigantur tinnitu: plurimas haberi in Arabiæ desertis, tradunt

leonibus

leonibus ac pardali non mitiores. Aucupatum prodeuntes inuadunt, ac roſtris conuul nerantes interimunt, perforatis etiamnum æneis ferreiſq; munimentis: quod ſi phloinam induant ueſtem craſſiorem, obluctatur ea demum obſiſtitq; immo perinde ac uiſco fixa inhærent roſtra tenenturq; earũ magnitudo fere quæ gruum, ſimilitudine ibin exprimunt, ſed robuſtiora illis roſtra, nec adunca. Porrò apud Stymphalum Dianæ uiſebatur Stymphaliæ templum, & in tecto ſtymphalides aues ex ligno cõpoſitæ formataeq;. Arabiæ putantur uernaculæ, atq; inde ad Stymphalum deuolaſſe. In hac porrò multiplici ueſtium pragmatia, non prætereundum quod ſcribit Dion: Traianum prius quàm imperio admoueretur, oblatam concepiſſe ſpeciem ſenis pallio cõtecti, & ueſte purpurea, coronæ inſigni adiecto, qua forma expingi ſenatores aſſueuere. Vermiculatam ueſtem apud Hieronymum ſunt qui interpretentur dici, ex aquifoliæ grano, quod locis quibuſdam, Plinio tradẽte, uermiculi ſpecie uiſitur. Nam & coccineam ueſtem ſcolecidatam uocari tradunt, uelut uermiculatam: etiam ſi quiſquilium eſt cocci granum, unde corriuari quiſquiliata uideri poteſt. Quod & ipſum animaduertit Hermolaus. Emperonema diptychon apud Theocritum interpretantur diploida, fœminis etiam congruam, Homerus quam dixerit δίπλακα μαρμαρέλω. Veſtitiſſima dicuntur animalia, quæ prædenſo ſunt pilo uel lana. Quod uerò in ueſtibus quandoq; thyſanos dici legimus (nam & Homerus ægida nuncupat thyſanoeſſan) fimbrias intellige, quas item broſſos nominant, uel croſſos, ſi per ὁ micron ſcribatur: nam λρώσσοι uocitantur hydrophora uaſa, id eſt aqualia. Sunt autem thyſani ſchiſmata, id eſt ſciſſuræ quædam: unde apud Pauſaniam Arethyſani, id eſt Martis thyſani. Croſſum etiam pro crátere ac cipit Sophocles. Apud Lycophronem & cæteros aqualia intelliguntur uaſa, cuiuſmodi forte Lagyni ſunt & Xeſtæ. Dicuntur croſſi à λοφῶ, & per conciſionem κρῶ, ſignat id infundo. Tapetes uero inter ueſtes utiq; non ſunt, uerum ea nomenclatura certi generis ſtragula intelliguntur, uel nominis argumento, proculcationem indicantis, id eſt ἀπὸ τοῦ πατεῖν. Amphitapetas putat Aelius Dionyſius ex utraque parte hirſutie præſignes. Hos item amphimallos intellegit Pauſanias. Iis porrò diuerſi, quos heteromallos uocant, id eſt una modo facie hirtos. Omnino tapetas dicunt μαλλωτούς, id eſt uilloſos. Quibus inſternendi incumbit functio, recte uidentur dici ſtrotæ, Græca ratione: memi nit Athenæus. nam apud Perſas leguntur βασιλικοὶ ſρῶτα, id eſt regij inſtratores. Et in Pelopida Plutarchus ſcribit, Timagoram Atheniẽſem ab Perſarum rege dono accepiſſe lectum πολυτελῆ, & ſρώτας ὑφαλοντας. ſed interpres ſeruilia intellexit ſtrata ineptiſſime. Id quod ex Athenæo liquido agnoſcas, qui prodit Perſas ita ſentire, inſternendi artem à Græcis ignorari. Ziras item, id eſt ζείρας, indumenta legimus apud Xenophontem ἀναβάσεως ſeptimo, aduerſus uim frigoris. Siquidem Thracas ſcribit hyeme ſeuiore alopecidibus, id eſt pellibus uulpinis caput præmunire ac aures, necnon ziras geſtare ad pedes protenſas in equis, chlamydes autem minime. Sunt qui ſupertunica geſtari ſolitas prodant ziras, ſicut ephaptidas. Meminit Herodotus quoque. Sed & mitram ſic dici opinantur quidam. Pœciltas, id eſt ποικιλτὰς apud Plutarchum in Pericle, ſunt qui acu intexentes interpretentur, quos Latine barbaricarios dici quibuſdam aduertimus: qua forma metaxarij Iureconſultis nuncupantur ſericum negociantes, quod metaxam uocant Græci. Vitruuius tamen libro ſexto: De paludibus, inquit, tenues colligantur metaxæ. Scribit Dion, Ludorum tempore extenſa ab Cæſare uela ſerica, id παραπετάσματα σηρικά, ne ſpectatores ſole uexarentur. Id autem, inquit, χλιδῆς βαρβάρου ἔργον ὄϛιν, id eſt molliciei barbaricæ opus eſt: ac ab illis ad mulierum noſtrarum delicias nimias eſſe productum. Cœnatoriam ueſtem, δειπνιτίδα uocant Græci, unde eſt illud Dionis in Adriano, Cornelius (inquit) Fronto perueſperi quandoq; ab cœna domum repetens, officium cuidam præſtiturus, ἐν ſολῇ δειπνιτίδι eſt iudicium ingreſſus, ac iudices ita ſalutauit, ut non matutino uteretur uerbo χαῖρε, id eſt aue: ſed ueſpertino, ὑγίαινε, quod ſalue interpretantur. In codicibus Latinis Senatoria ueſtis pro Cœnatoria legitur nonnunquam, ſed mendoſe, ut liquet.

Cur Aeſculapio gallum debere ſe apud Platonem Socrates dicat. Aduerſus Lactantium adnotantur paucula. Caput XII

LActantius Diuinarum inſtitutionum libro tertio, Socratem inceſſit, qui in Platonis Phædone familiares rogauit, ut Aeſculapio gallum quem uouerat pro ſe ſacrarent: timuit, inquit, ne apud Rhadamanthum reus uoti fieret ab Aeſculapio. Dementiſſimum hominem putarem, ſi morbo affectus interiſſet. Quum uero hoc ſanus fecerit, eſt ipſe inſanus, qui eum putet eſſe ſapiẽtem. At ego, ó Lactanti, non te quidem dementem dixerim, quum & prudenter & docte ſcripſeris non parum multa: ſed Socratem, ut temporibus illis bene cordatum hominem contenderim, cuius uita ut Chriſtianæ ſanctitatis imago quædam, laudatur à ſcientiſſimis. Te uero Platonis ſenſum haud quaquam aſſequutum, id argumento eſt, quod quæ obuelatis traduntur figuris, nec niſi allegoricis enarrationibus unquam intelligenda: ipſe, ut ſimpliciter dicta, accepiſti: oblitus (ut uidetur) ſententiæ illius, Nunquam futurum Platonicum, qui allegorice Platonem nõ putet intelligendum. Niſi forte Ariſtotelico more in Platonis uerba, non in ſenſum opertum & profundiorem ſigna intuliſti: quando & ſanctiſſimo doctore Thoma in paraphraſi De anima, comprobante, refellit Ariſtoteles Platonem ſuum hac potiſſimum ratione. Sed attendendum, inquit, non id improbari quod Plato ſenſerit, ſed quod uerborum oſtendat conſuetudo. Cui ſi amplius inhærendum putaris, fient plane rerum commiſſiones meræ, nullo calcis ferrumine interlito, quaſſæ ac nutantes, & (ut Hieronymi abutar ſententia) figmenta è Mimo, uel Attellanarum ludicro: quæ calentibus adhuc rhetorum ſtudijs atq; doctrinis, ſcholaſtico flore plerunq; depingimus ac ludimus. Hoc fuiſſe tibi propoſitum uir doctiſſime ac de Chriſtiana ueritate optime merite, malim equidẽ credere, quàm lapſum tam fœde tamq; pueriliter. Etiam ſi in eandem recidit ſententiam in Apologetico Florens Septimius. Quid uero illis inuolucris ſibi Plato uoluerit, iam nunc ex Platonicorum ſententia promere adoriar. Priſci Aeſculapio medico, Phœbi filio gallum ſacrificabant, diei ſoliſq; nuncium, id eſt diuinæ beneficentiæ morborum omnium curatrici, quæ diuinæ prouidentiæ filia nominatur, cui diem, id eſt uitæ lumen ſe debere fatebantur. Eiuſmodi medicum in ſuperioribus Socrates perquiri iuſſerat, morborum animi curatorem. Præterea priſcorum oracula tradunt, Animas remeantes in cælum pæana, id eſt triumphalem cantilenam Phœbo canere. Reddit ergo deo uotum, ut alacer pæana canens cæleſtem repetat patriam. Socratis uerba in ultima Phædonis parte hæc ſunt: O' Crito, Aeſculapio gallum debemus, quem reddite, neq; negligatis. Penſitent iſta libra acriore ſtudioſi omnes, non arbitrabuntur alienæ famæ conuellendæ gratia, nobis perinde ac de curru garrientibus, hæc euigilata: ſed ueritatis ratione, & ne quid diffitear, Platonicæ doctrinæ propenſiore ſtudio, cui propter illud ſymbolum θείοτητ@, tam afficimur, quàm qui maxime.

De gallinaceis excerpta pleraq; nõ incurioſe. Halij uis. Cur ante lucem canant, curq; aues dicãtur Perſicæ. Medica auis. Medicus pro procuratore. Minerua Ergane. Coccyſſare. Coccyx ſeu cucus. Gallum in ſuo ſterquilinio plurimũ poſſe. Coccygis cãtus, prouerbiũ. Gigleria quid. Cap. XIII

QVoniam uero in galli mentionem incidimus, ut non abſque fœnore hoc ſit factum, & auctario, ut melius poſſumus, legentes dimittamus onuſtos: nec tamen ab inſtituto, & ijs quæ paulo ante prodita nobis ſunt, abeamus longius, aut extra oleas (ut aiunt) feramur, & naſutior quiſpiam in nos regerat illud uetus, Bene prorſus, bene. Sed quo nam iſtud tam bene? Veterum ſententia frequens fuiſſe uidetur: Gallo uim omnia quæ deglutierit, conficiendi adeſſe. Propterea in Veſpis Ariſtophanes,

Αλεκτρυόν@ μὲ ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν.

id eſt, galli me uentrem habere dictitabat. Id uero enarrantes grãmatici: galli, inquiunt, calore uentris feruentiſſimo cuncta percoquunt. Quoniam uero Plinius ſcribit, Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publice ædi ſolitum, ceu gladiatorum: ſciendum eſt id & Athenis factitari cœptum, ut auctor Aelianus eſt, à Themiſtocle ſuperatis Perſis. Adijcit & in ſermone qui Anacharſis ſeu De gymnaſiis inſcribitur, Lucianus, Coturnicum magno ſtudio, non gallorum modo certamina ibidem ſpectari conſueuiſſe. Seueri quoq; filios Herodianus ſcribit, diſſidere ſolitos puerili primum certa-

mine

mine, ædendis coturnicum pugnis, gallinaceorumq; conflictibus. Proditur item memoriæ, Socratem Iphicrati ducí animos adiecisse, quum ei præmonstrasset gallinaceos coram Callia pennis ac rostro dimicantes. Quam utilitatem agnouit & Chrysippus in libro De iustitia, dum gallorum æmulatione iniici nobis ad fortitudinem stimulos & subiici calcaria prodidit. Iucundum uero est, quod obseruatum hac parte non reticebimus: gallinaceis mox compugnaturis allium in cibis obiici solitum, quo acrius decertarent. Ex quo facetissime in ueteri comœdia, ἰσκορδισμένος, id est allio pastus, quod scorodon uocant, pro uehementi ac nimis in pugnam procliui dicitur quandoque. Auctor uero idem Plinius est, Gallinaceos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno à natura genitos. Scrutantur tamen multi, cur nam uni fere animalium sit ante lucem datum canere. Aliquot eius rei adferri pro ingeniorum captu rationes solent. Nam ut hinc potissimum exordiamur, super ea lepidissima ex Luciano fabella adfertur, quam & tralatam appositi. Fuit quandoq; Alectryon iuuenis, hoc est Gallus nomine, hic Marti usqueadeo familiaris est factus, ut cum eo subinde comessaretur, foretq; amorum illius cõscius. Sicubi ergo ad Venerem itaret Mars, aderat comes Alectryon. Quia uero suspectum præcipue habebat Solem, ne rem conspicatus Vulcano renunciaret, pro foribus excubare adolescentem iubebat, significaturum ubi comparuisset sol. Forte ita euenit, ut consopitus excubias proderet adolescens, fieretq; speculatio cæca, ac superueniente clàm Sole, Mars Venusq; complexi deprehenderẽtur, in utramq; (quod dicitur) aurem Alectryonis fiducia decubantes. Factus uero certior Vulcanus, catenis prætenuibus utrumq; mox illaqueat obretitq;, quas ad eum usum diu antea erat commolitus. Sed emissus denicq; è uinculis huiusmodi Mars, in Alectryonem prorsus fit commotior, nec prius irà deferbuit, quàm in eius nominis auem deformarit malefidum custodem: atq; ita ut crista uideretur celsus, sicuti quum hominem ageret, galeam gestarat. Verum ex antiqui admissi memoria, ut se deo expurgent, illatiq; damni formula satisfaciant, hasce aues morem perpetuo seruare, diu ante ut præcinant, ubi mox oriturum præsenserint solem, ne lux obrepat incautis. Sed enim ut ab iocosis ueniamus ad seria, scribit in Diuinationibus M. Cicero, Democritũ hisce ferme causam adortum explicare, cur ante lucem concinant galli. Depulso, inquit, & in omne corpus diuiso ac modificato cibo, cantus ædunt quiete satiati. Qui quidem, ut ait Ennius, silentio noctis fauent faucibus, rursum cantu plausuq; premunt alas. Sunt uero qui salacissimæ auitij eius naturæ acceptum referri astruant oportere euentum eiusmodi. Nam cantu significari Veneris appetentiam, inde est argumentum euidens, quod antequã usui Venerio sufficiant, conticescunt. Esse porrò in more auibus nõnullis, ut procliuitatem & lubentiam ad initum quolibet præeant cantu, quum alibi comprobat Plinius, tum ubi ait, Perdices fœminas concipere superuolantium afflatu, sæpe uoce tantum audita masculi. Contingere autem gallinaceis, quod fere cæteris usu uenire, compertum est, ut peracto cibo, refecto per quietem corpore, ac inde maxime uegeto, libidinis titillentur pruritu. Interuulsus autem somnus, ac idẽtidem repetitus, cantus frequẽtiæ causam facile suggesserit. Lepidum porrò Aristophanis poetæ commentum est in fabula, cui titulus ὄρνιθες, Gallum quandoq; imperasse Persarum gentibus, quo argumento etiam Persica dicatur auis. Atque eo item nomine cyrbasiam & tiaram gestitet rectam, quod regibus tantum licebat, Clitarcho tradente. Adeo uero præpotens ac formidolosum fuisse illud imperium, ut nunc quoq; auibus id genus diluculo præcinentibus prosiliãt ad opera omnes, ceu mulctam ueriti. Persarum denique rex Artoxerxes Cyri iunioris percussori ex Caria, uirtutis præmium contribuit, uti in prima acie gallum aureum in hastæ gestaret apice. Nam Caras omnes Persæ ἀλεκτρυόνας dicunt, id est gallos, ἀπὸ τοῦ λόφους, quos in galeis surrectos habent. Dicuntur enim gallinacei Medicæ aues, à Medis. etiam si in Latinis literis Medicum de procuratore pronunciari animaduertimus, à uerbo μήδομαι, curo. Est huic aui, quod equidem dignum relatu censui, amoris intellectus, & quod miremur in hominem. Auctor quippe Nicãder est: Secundum, qui pincerna regius fuit in Bithynia, à gallo amatum eximie, cui nomen foret Centaurus. Quanquã alibi etiam ab anſere puerum amatum prodit Clearchus in Eroticorum primo. Nomen pueri Theophrastus non tacuit, Amphilochũ appellatũ tradens, ac ge-

nere Oleniũ. In Leucadia uirginẽ eatenus adamauit pauo, ut ea functa humanis, commoreretur. In arce porrò Eleorum Pallados galeæ insidet gallus, ex pugnacis (opinor) naturæ argumento. Sed, inquit Pausanias, Mineruæ sacram arbitrari, quam ἀλεκτρυόνα uocant, possumus auem hanc. Coccyssare, id est κοκκύζειν uerbum habent Græci fictitium ex gallinacei uoce ac coccygis. Est autem eo nomine auis accipitri persimilis, timida adeo, ut reliquarum compaueſcat commercium. Sed Romani, inquit Lycophronis interpres, cucum nuncupant. Apud Senecam extat prouerbium, gallum in suo ſter quilinio plurimum posse. Sed & coccygis cãtus dicitur de ijs qui eadem ingerunt semper. Gigleria nuncuparũt ueteres gallinarum intestina, rebus alijs permixtim incocta. Porrò mentum uocant quæ gallinarum rostris adiacet carnem. In theriacæ ratione gallum syluestrem nominat Galenus: id interpretatus Auicenna fasianum marem eo nomine intelligendum prodit.

An sit in uerbis omnino uis ulla, curq; in sacris plerunq; barbaris uterentur uocibus. Interim de Ephesiis literis. Caput XIIII

QVæstio diu agitata ueteribus est, Insitne uis aliqua uerbis, certa quadam enunciatis formula. Equidem Christianæ ueritatis cultor, qui possit inficiari? quando princeps ille rerum ac summi patris filius, ex uero deus uerus præfatione sacerdotis breuissima seuocetur eliciatur ue à cælesti sede? Cui simile quiddam & priscorum uana superstitio aut habuit aut credidit: quando & Tullum Hostilium Pisonis tradidere monumenta, ex Numæ libris, eodem operatũ sacro, Iouem elicere cælo, quem & inde Elicium uocabant, quod in Fastis cecinit poeta nobilis, conatum, quum parum ex formula quædam obisset, de cælo ictum, atq; cum domo deflagrasse. An non & Olenum Calenum uatem, fortunam Romani imperij astuta interrogatione depeculari adortum, frequens prodit historia? Porrò an non scimus, uerbis alijs impetrantem, alijs depulsorem, alijs uero cõmendantem solitum precationẽ peragere? Quin & ueteri ritu, ne quid uerborum præteriretur, aut præpostere enunciaretur, consueuisse de scripto præire aliquem. Cur uero, inquit Plinius, primum anni incipientis diem lætis precationibus inuicem faustum ominamur? Cur publicis lustris etiam nomina uictimas ducentium prospera eligimus? Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus? In duodecim tabulis non ne excantatas legimus fruges, & mali carminis imitationes? Non pauci & serpentes recantari posse putant, contrahiq; Marsorum cantu etiam in nocturna quiete. Aegyptios irridet Galenus sexto Simplicis medicinæ, qui fascinandi rationes consectarentur, ac in uellendis è terra herbis aut radicibus etiam adiurationes adhiberent, istiusmodi omnia uanitatem plus satis resipere opinatus. Ephesiæ literæ celebrantur Græcorum plerisq;, & Anaxilas apud Athenæum scribit quendam in consutis scytarijs, id est minutis corijs Ephesias habuisse literas scite afformatas. his promitti uidebatur felicitas. Sunt qui sacras putent ac sanctas: alij uero magicas. Erant autem hæ, asci, catasci, æx, damnameneus, æsion, id est tenebræ, lumen, ipse, sol, uerum. Et hæ quidem ueteres censebantur, ab impostoribus uero appositas & alias. Sed utcunque, iudicet de his uita. Illud utique mirari me plurimum fateor, contexi etiamnum tempestate nostra ab id genus maleficis excantamina quædam uerbis prorsum ignorabilibus. Constansq; opinio est, efficacissimum esse modum eum, nec demutare ullo pacto esse fas. Quæsitũ hoc olim quoq; & à doctissimo Porphyrio, quid ita uterentur sacerdotes plerunq; nihil significãtibus nominibus. Quæstioni, ut quæ aduersus Gentiles scribit beatus Thomas, nunc omittã, nititur occurrere Iamblichus inter Academicos cognomento diuinus, astruens nomina eiusmodi nobis prorsum incognita insciaq;, habere tamẽ apud deos notiones suas. Nam & quorundam significata nos esse assequutos, diuinitus intellectu eorum insinuato. Esse nihilominus modum in eis significandi ineffabilem. Si uero quæritur, cur inter diuinorum nomina, cæteris Barbara anteponebantur, illa adfertur ratio, quia sacrarum Gentium, uelut Aegyptiorum Assyriorumq; totum dij sermonem approbauerunt, tanquam sacris maxime congruentem. Propterea, inquit, communes dictiones modosq; loquendi arbitramur cognatæ ad deos dictioni orationiq; adhibendos, præsertim quia antiquior primusq; extitit modus hic loquendi. Et quoniam prima nomina diuinitus

accepe

acceperunt, dum ea cum propria lingua miscerent, tanquam cum familiari consentaneaq; illis uoce contemperantes, ita nobis seruanda perpetuo tradiderunt. Adijcit porrò, non eandem prorsus mentem seruare nomina in aliam tralata linguam: sed esse singulis gentibus propria quædam, quæ alijs uocibus significari nequeant. Quod si maxime interpretari possint, non tamen eandem permutata seruare potentiam. Habere insuper nomina Barbara multam emphasim, id est insinuationis demonstrationisq; efficaciam: habere & concisam breuitatem, minimum uero ambiguitatis & uarietatis multitudinisq; uerborum. Propterq; omnia hæc, superis congruere maxime. Denicq; cõcludens, ritus adorationis antiquos cõseruãdos esse ait intactos: siquidem eorum demutationem fuisse causam, cur debilitarentur uota: quando Græci natura rerum nouarum auidi & præcipites, instarq; nauis saburra carentis, nil habentes obfirmatum ac stabile, non custodissent ab alijs accepta, sed deluxassent subinde, ac multa demutassent. Barbaros uero, ut sunt moribus graues ac firmi, in eisdem perdurare sermonibus incõcussos, proindeq; esse dijs amicos, & gratas offerre orationes, quas nulli unquam ratione quapiam permutare sit fas. Cæterum, ut alia desint, an non pestilentibus uerbis subuersamens, quantumuis sancta, sæpe deflagrat? Certe uenenatas execratus confabulationes Apostolus de seculari (ut inquit Hieronymus) ecclesiasticum fecit Menandri uersiculum, φθείρουσιν ἤθη χρήθ' ὁμιλίαι κακαί.

id est corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ. Sed quia iambici metrum non implet Latina tralatio, sunt qui ita iure Romano donent,

Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

Aethiopum nigredinis & uibrati capilli ratio. Interibi quid sit, resolui in terram & aquam. Bostrychi crines qui. Item de pedibus, unguibus, dentibus, semine Aethiopum. Refellitur Herodoti opinio. Tauri Aethiopici, qui dicunt rhinocerotes. Aphrodite cur. Aethiopion regio. Diana Aethiopia unde. Rhinoceros quando primum Romæ. Lucani locus declaratur, Aethiopumq; solum quod non premeretur ab ulla, &c. Caput XV

AEthiopum nigriciem omnino exustioni & superficiali calori, qui nõ in corde resideat, sed in extremis supernatet, Alexander putat asscribendam. cui rei argumento illud esse, populos eos quum æstuosissima incolant, timidos item esse ac effœminatos. Scythas uero, qui in gelidissima sunt regione, albos esse & animosos. Quod ipsum etiam Gallis fere usu uenit, quibus in corde ac iecore naturalis subsistit calor ac nidulatur, nec ad extima se magnopere promit: indicio est cutis candor. Inde ferme prouenit euentus quoque is, ut febricula inferuescens Aethiops plurimum commoriatur, quod insito ardore, & consequenti siccitate contingere, exploratissimum est. Fit namque in eis ὥσπερ ἀνασοιχείωσις, id est uelut reelementatio, ut interim ita dicere permittamur. Et humectum quod in eis perexiguũ est, absumptum ac exhaustum, reliqua item ad exitum perducit elementa. Calidum quippe alimenti fugit inopia, caliditatis profligatione cooritur frigiditas, adoritur siccitas, & crassatur humiditatis eiectione, quo nomine extincta corpora sicca euadunt & frigida. Ex quo & literarum parens Homerus, quum sciret duo quidem elementa diffugere, ὡς λεπτομερῆ καὶ κουφότατα, id est ut tenuium partium ac leuissima, duo autem in extinctis corporibus reliqua fieri, non absurde inquit,

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

hoc est, uerum quilibet ex uobis aqua terraq; fiat, siccitatem & frigiditatem dicens. Aurelius uero Macrobius Naturalium primo, A terra (inquit) usque ad aquam spacium necessitas à physicis dicitur, quia uincire ac solidare creditur, quod est in corporibus lutulentum. Vnde inquit, Homericus censor, quum Græcis imprecaretur: Vos omnes, inquit, in terram & aquam resoluamini. in id dicens, quod est in natura humana turbidum, quo facta est homini prima concretio. At Plutarchus in libro De Homeri uita: Xenophanes, inquit, Colophonius aquam prodidit, ac terram prima esse rerum principia: id (opinor) ex illo Homerico trahens, Resoluamini in terram & aquam. Significat enim resolutionẽ in elementa, ex quibus constãt uniuersa. Homerico utitur testimonio Hippocrates quoq; cum ait, σωίσκεται γὰρ ζώων ἡ φύσις ἀπὸ τουτέων τῶν εἰρημέ-

νωρ, καὶ τελευτᾶ κατὰ τὰ ἐρημία. ἐς τὸ αὐτὸ, ὅθεν περ σιωπῶντες ἕκαστοι, ὑπτιοῦνται καὶ ἀπιχώρησαν. ἀλλὰ καὶ ὅμηρος ἔφη,

Αλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γέγοιθε.

Meminit in Medicinæ εἰσαγωγῇ Galenus quoq; docens constare hominem nõ ex elementis ipsis, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀναλόγων αὐτοῖς. Cæterum ne ab Aethiopibus abeamus longius, eadem caloris uis efficere prorsus uidetur, ut Aethiopum uibratus sit crinis (sic enim appello, cui contrarius sit demissus, ex Plinio Cæcilio: aut cedens) Scytharum uero ac omnino in septentrionalia reclinantium, promissus. Nam arefactus capillus reflectitur atque incuruatur, sicut & alia. Etenim primo Canonis Auicenna, Feruidæ, inquit, habitationis loca, capillos nigrore inficiunt, ob uehementem uaporum fumidæ naturæ adustionem, ex quibus progigni capillos constat. Vibrari autem contingit eo plane modo quo & ustulata coria. Porrò & feruoris siccitatisq; redundantia imbecillior fit percoquendi cibi facultas: abundanti uero facta resolutione, humectationis quoque facultate detrita, præmaturum contingere senium necesse est. Quippe consenescere anno trigesimo Aethiopum gentes liquet, quas & meticulosas scimus ex numerosa spirituum resolutione. Verum ut ex quinto De animalium generatione consequimur, & ex Galeno Constitutionum uel craseon secundo: Capillorum crispitudo eueni re plurimum ratione duplici uidetur: altera est quam exposuimus, caloris ui ac siccitatis: altera est de meatuum tortuositate, per quos egrediuntur. ut enim hi dispositi sunt, ita & capilli emergentes afficiuntur. Contingit hoc quandoq; ex uaporis item debilitate ac cutis duricie. nam erumpens capillus adeo tenuis est, ut se minus ualens tolerare corrugetur cõtrahaturq; quod filo cõtingit, si ui per arctum transeat. Sed uibratio hæc haud sane decora est. Verum caloris ratio eadem efficere item creditur, ut Aegyptij, Aethiopesq; blæsis sint pedibus. Nam quemadmodũ ligna, ita etiam corpora animantium deprauari à calore solent: quod in capillis probauimus. Crispitudo uero ueluti pilorum blæsitas est. Hic obiter adnotandum ex cælestium rerum peritis, Venerem genituræ dominam corpora producere longa, candida, spissis capillis, aut molliter flexis, uel gradata pulchritudinis uenustate compositis, crispis quoq; aut crinibus bostrychis comata. Sic uero fœmineam dicunt cæsariem Græcorum scientissimi. A quibus ἰθύτεα χθὸν uocantur, qui sunt capillitio demisso: nam οὐλότατον τείχωμα nuncupat Herodotus, præcipue uibratum capillitium. Porrò unum uidetur mirum, quum sint (ut uidemus) nigerrimi Aethiopes, & compares habeant ungues, cur nam eorundem dentes non candidi modo sunt, sed quàm cæterorum candidiores? At si acrius intueamur, nulla prorsus admiratio fit reliqua. ungues etenim nigricant, quia cutis etiam nigra est, & ex cute ungues proueniunt, hoc est ex nutrimenti superfluo, terrestri, delato exterius ad cutem, unde denigrantur quidem, sicuti nutrimentum carnis & uapor nigricat, ad cutem foras attractus, caliditate solis adurente. Nec tamen inde credendum, superfluitates omnes eiusmodi in hominibus esse nigras. Quod falso de genitali semine Indorum & Aethiopum adcredidisse Herodotus historia tertia uidetur. Semen enim omnium album est, spiritus admixtione, ut docuit scitẽter Aristoteles. Nam genitura, spuma est, spuma autem alba est. Quod nec antiquos homines latuisse uidetur, namque deam quæ rei Venereæ præest, ab ea ipsa facultate Aphroditen nominarunt. Dentes uero ideo candent, quia albescere illa solent, quibus uis solis humorem detrahit, dummodo nihil inficiatur. Exhalat enim redundans humor, congregatur uero & condensatur purius humidum. Quo modo ceram albescere cernimus. Cutem uero superinficit calor ex adustione humidi ad ipsam attracti, nec euaporantis, atque ab exhalatione alterius impuri. Dentes minime: sed totus eorum humor in uaporem à calore conuertitur atq; exhalatur: quod fit item in ossibus defossis. Hæc enim ratione eadem albiora sunt. Porrò ut locum hunc cludamus quandoq;, sciendum quia de Aethiopibus mentio est, Aethiopion item dici Lydiæ regionẽ quandam, à qua Dianam uolunt Aethiopiam appellari: uel quod quum apud Aethiopas ageret, eam Apollo abduxit. Alij uero, παρὰ τὸ αἴθειν deflecti putant: eandem putantes quæ & luna, ut Callimachus. Aut quia sit Hecate, quam semper facibus esse instructam, creditũ est, & Eratosthenes prodit. Illud fuerit uelut corollariũ, quod in Bœotijs rebus se uidisse Pausanias monumen-

tis

tis prodidit: tauros Aethiopicos, ab euentu nuncupatos ῥινοκόρως, id est rhinocerotas, in summa nare singulos cornu habere, sed & super id alterum, haud sane magnum: in capite uero, ne initio quidem ullum omnino comparere. Sunt qui eodem nomine in Aethiopia proprij generis aues intelligãt. Festus, Aegyptios boues. Narem certe ῥῖνα dicunt Græci. Rhinon uero pellem nuncupant & scutum. Rhineæ sunt nigriores caricæ. Hippopotamum & rhinocerota primo uisos Romæ scribit Dion, Augusto de Cleopatra triumphante, etiam si Pompeij ludis factum id Plinius tradat. Est autem, inquit Dion, elephanti similis rhinoceros, cornu in nare habens, unde sit nomen. Rhinobolos inueni pro uentis positos. Rhinen uocant auro fundendo aptum instrumentum, unde ῥίνλω τεχνησίχρυσον legimus quandoq;. Cæterum in mentione hac non differamus Lucani ex libro tertio locum, ubi ita canit:

Aethiopumq; solum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi poplite lapso,
Vltima curuati procederet ungula tauri.

Id uero exponens auctor Sphæræ, zodiacũ in signa distribuit Cardinalia, & regiones. Cardinalia intelligit, in quibus contingant articuli temporum, æquinoctij utriusque & solstitiorum, arietem, libram, cancrum, capricornum. Regionum nomen habere alia. Cæterum, quoniam commentitia est distinctio hæc, nec ullius ueterum roborata testimonio, facile reijci ab eruditis potest, ac debet. Ipse Agisimbas intelligo, aut eiusmodi alios ultra æquinoctialem constitutos. Proinde nec subesse zodiaci septentrionalibus signis, ni taurinus pes ultra æquinoctialem protensus uiseretur: quod in libris Compositionis magnæ indicat perspicue Ptolemæus. Quin cernitur inibi stella, ad tauri pertinens pedem. Sunt qui id astruant item, ueteribus consuetum, septentrionalia modo signa expendere ac obseruare.

Allegoricè quæpiam de Atlante ac filiabus, ex Græco penu percepta. Hyades. Pleiades. Maia, seu Mæa, id est μαῖα, quàm uarie usurpentur à Græcis auctoribus. Atla quid.

Caput XVI

IEgebamus nuper interpretamẽta quędam in Hesiodum, à Ioanne grammatico non omnino inscite aut absque genio concinnata. Ex ijs paucula hæc, propter eos qui poetis acrius inuigilant, & unam inde sibi apposcunt palmam, præcerpsimus. Atlas (inquit) axis est, hemisphærium utrumq; diuiduum faciens, dispescẽsq;: quod supra terrã, quodq; infra est. Iapetum uero patrem cæleſtem intelligimus motũ. Quippe initijs rerum corpore hoc & mundana mole confusanea, partium ordine indiscreto, aerem contigit motum sorti ri celeriorem, atq; ita hemisphærium utrumq; disparari, & omnino in artus digeri. Atlantis filias celebrant poetæ Pleiadas Hyadasq; & astra item reliqua, quod post molis uniuersæ digestionem secretionemq; cœperint astra uisitationem facere. Columnas uero continere memoratur Atlas idem,

Αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.

Has nõ fere esse aliud interpretamur, quàm polum utrumq;, Boreum Notiumq;. Sunt qui scribant, eidem filias fuisse duodecim, & filium Hyantem, quem in Libya peremerit serpens. Proinde quinq; ex sororibus fletu ac mœrore cõtabuisse, quas mox in astra transtulerit Iupiter, quę sint & dicantur Hyades, quarum legantur apud Hesiodum nomina: Phæsole, Coronis, Cleia, Phæa, Eudora.

Νύμφαι, ἃς τέκετο Πλειὰς καλέεσι φύλ' ἀνθρώπων.

Proclus uero Diadochus in eundem Hesiodi locum, septem tradit Atlantis filias Pleiadas, Celæno, Steropen, Meropen, Electram (quã & ab sparsis crinibus Cometen nuncupant, etiam si Maiæ hoc contribuit Arati interpres) Alcyonen, Mæam, Taygetam. Cæterum non esse has aliud intelligit quàm ἑπτὰ σφαιρῶν, id est, angelicas septem sphærarum uires: & Celæno quidem Saturniæ sphæræ, Steropen Iouis, Meropen Martis, Electram Solaris, Alcyonen Veneris, Mæam siue Maiam Mercurij, Taygeten Lunæ. Illud operæ leuioris hic plane adiecero, μαῖαν Græcis nunc patris matrisq; matrem signare, qua uoce ut patria passim utantur Patauini pro amita: nunc etiam nutricem, ac eam quæ medelæ causa parientibus assistit, quæq; umbilicum

præcidit

præcidit, quam ὀμφαλοτόμον etiam nuncupant. Eſt & προσφώνησις πρὸς πρεσβύτην μητικὴ, id eſt honeſta aduerſus ætate grandiorem alloquutio. Apud Ariſtotelem quarto De animalium hiſtoriis, Cancrorum maximi dicuntur mæa, hoc eſt maiæ: ut Theodoro etiam placet. Atla uero in cæli ratione ad Atlantem attinent nihil. Quæ autem ea ſint, ex Marci Manilij Aſtronomicon tertio, amplius inſpicienti liquere poteſt. ſic enim ſcribit,

Et quoniam toto digeſtos orbe labores,
Nominaq; in numerum, uiresq; exegimus omneis,
Atla uocant Graij. Et alibi,
Fortunæ perquire locum per ſidera cuncta,
Quæ primo pars eſt numeroſis dicta ſub Atlis.

Qui dicantur ſuper chœnice ſedere, ex Pythagoræ ſymbolo. Quid chœnix, chœnicides. Chenicometræ. Tetrametrum. Hemihectus. Tomẽtum. Gnaphalode. Plemnæ. Chnoæ. Plemæ. Syringes. Pleon. Tormata. Enalata. Hamaxedonia. Declarantur item Pythagorica quæpiam. Interibi de ſole inuiſibili ex Platone, necnon de patre & filio, & mundi anima. Idearum ratio. Cheniſcus. Aries Phryxi. Taurus Europæ. Crij ac Tragi nauigia.

Caput XVII

PYthagoram illum ſapientiſſimum, ob idq; precipue tanto dignum nomine, quod eo ſe indignum perpetuo exiſtimarit, multa & præclara reliquiſſe præcepta legimus, ſed ſymbolice admodum & operte. Reliqua nunc ad diſcuſſionem non reuoco. Quæ ad præſens negocium faciunt, adducentur ad partes, præſertim quæ in aliorum commentarijs non rebulliunt. Nec quenquam hoc nomine inceſſimus, quod inhumanum eſt: quando & M. Tullius primæ adeo inter Latinos notæ, Serapionis partem uix milleſimam aſſequutum ſe, non erubeſcit fateri: & id ad Atticum ſcribens. Adagium nobile eſt in eos, qui parum ſecundum hominem uiuunt, plurimumq; obbruteſcunt, bonumq; ſi non in plantas quoq; abeant, ſuper chœnice ſedent. Eſt uero chœnix, ut hoc explicetur primum, quantum quis uno die queat abſumere, id eſt ἡμερήσιον τροφὴ, uti exponit Sudas, & menſuræ item nomen, ita Syris nuncupatum, uti opinatur Palladius. Poſitum uero id uocabulum & apud Herodotum libro ſexto: Regibus, inquit, Spartæ ad cœnam non euntibus mittuntur binæ chœnices farinæ, & uini ſingulæ cotylæ: præſentibus dupla dantur omnia. Lectum in Athenæi monumentis eſt, Corinthios eò felicitatis prouectos, ut ſeruorum myriadas ſex & quadraginta poſſederint, ex quo Pythiam arbitrantur chœnicometras appellaſſe eos. In Plutarchi Sympoſiacis, homochœnicas poſitos inuenio, pro iis qui eidem accumbunt menſæ. Grammatici medimno, quod (Suda interprete) ſex capit modios, chœnicas octo & quadraginta contineri ſcribunt, cuius numeri ſexta pars octo habet: cuius dimidium, id eſt quatuor, dicitur tetrametrum, & hemiectus, id eſt ſextæ partis dimidium. Sunt & in rota chœnicides, quas plemnas item uocant, id eſt modiolos. At libro duodecimo Strabo, cauitates quaſdam ad Sinopen ſaxoſas chœnicidas dici prodit. Syringas quoque, id eſt foramina, quibus axis inſeruntur ſumma, inuenio chonas etiam dici, uelut monſtrat Sophocles. quanquam & axis ipſius ſumma pars, dicitur quoque ſyrinx. Apud cuius interpretes in Helectra etiam comperi, chnoas appellari ἱππικὰ φρυάγματα, id eſt equinos fremitus, aut φυσήματα καὶ πνεύματα. Dicuntur uero plemnæ, id eſt πλῆμναι, quoniam ab axe impleantur. Plemas uero undas accipiunt, in Oceano præcipue: unde ſit plemyra, id eſt inundatio. Nam apud Athenæum eſt plemochoe figlini ſpecies. Pleon uero, id eſt πλεών, dicitur annus, de Pleiadum nomine per quandam exochen, ut ſcribit Theon. Nec illud reticuero, quoniam excurſus hoc genus ſtudioſis arriſuros, ſpondet animus, plemnam rotæ uocari quoq; tormam. Suam habent & Cretenſes tormam, cui qui præficitur, tormarches nuncupatur. Pauſanias erudite uerbum inde concinnauit ἐκτορμεῖν, quo ſignificatur excurſus præter id quod deceat. Tomentũ uero eſt quo infarciuntur culcitræ: gnaphalon uocant Græci: ex quo & γναφαλώδη, uelut tomentícia dicuntur, quæ mollia ſunt, ac ad uſum eum accommoda. Cucurbitæ quin etiam interior pars ſemen continens, candoris ratione

cum

cum mollicie traditur γναφαλώδης. Postremo qui rotam prohibent exire clauiculi, uocantur enelata, id est ἐνήλατα, quæ item hamaxedonia recte uocitaris. Cnemas uerò radios dicunt ab chœnicide pertingentes ad apsida: unde & τροχούς Græci uocant ἑξάκνήμους, quibus radij insint sex. Verum & in deorum curribus apud Homerum octacnemi dicuntur rotæ. Tetracnemon Ixionis rotam nuncupat Pindarus. Sed ut ad institutum reuertamur: quid multi in huius enarratione symboli, in medium contulerint, ne a symboli plane uenirent, recensere non uacat modo. Publica materia est in rem præsentem ire, omnibus licet. Equidem si extra quàm Plutarchus, tantus in literis literatis uir dispicere potuerit, aut alius quiuis, excogitare quippiam nefas omnino censerim nec debet nec potest: profundius aliquid, & à prioribus, etiam si illorum nominibus semper assurgimus, necdum perspectum, in eo tam inuoluto tamq; modo gryphi contexto symbolo latere contenderim. Id demum innotescet, si sensum alterum produxerimus, quem uiri de literis benemeriti ingenium solertissimum, & Platonicis initiatum sacris non improbauit. Præcipit ergo auctor clarissimus primo, ne super chœnicem seamus, eo nimirum nomine non utique cibaria, nec quid eiusmodi concipiens, sed rationalem animæ partem signans mystice. Ea enim potentia tanquã chœnice nunquam fallente, omnia metimur, iudicamus, examinamus, mittimus in digitos. Propterea, ne ignauo ac torpenti ocio & resina (ut ille ait) pigriore, cauendum insinuauit, tacitis uelut ambagibus, præsignis philosophus, rationis actum remittentes amittamus etiam, sicuti Musonius dicebat. Quin dialectica exercitatione ac regula dirigamus assidue, & excitemus. Præterea, inquit Pythagoras idem, ne aduersus solem emingamus, aut inter sacrificandum unguem resecemus, innuens occultius, postquã per moralem philosophiam superfluentium uoluptatũ illecebras resecuerimus, ac uelut eminxerimus, & unguium præsegmina, tanquam acutas iræ prominentias & animorum aculeos excusserimus, mente sedata prorsus ac depurata diuinæ demum rei intendere, ut sic demum contemplationi nos ipsos addicamus mancipemusq;, cuius pater ac dux meritò dicitur sol. Siquidem ante hunc (quem uidemus) solem, Plato alterum in mundo cogitat inuisibili, imaginem dei patris primam, uerumq; filium. Hoc, ne quis forte male feriatus risu, & quidem Megarico per inscientiam excipiendum putet, ceu in hoc philosopho probabilia hæc non sint, de patre ac filio recondite, ac diuinitus in epistola ad Hermiam Plato sic propemodum scribit: Vtendum est nobis pacto & lege certa, testando deum rerum omnium ducem præsentium & futurorũ ac ducis & causæ patrem dominum. Qua in parte doctissimorum sententia est, Per omnium ducem, mundi animam intelligi: quæ, quia sit motus principium, per triplicem temporũ gradum omnia explicet. Vbi uero patrem dicit, & dominum, summum deum ipsumq; bonum significari. Mediam uero inter hæc diuinam mentem inseri, quoniam ita repetat, ducis, & sub nectat etiam causæ. Nam apud Platonem sæpe regis nomine ipsum indicatur bonum: causæ uero appellatione, mens: ducis denicq;, anima. Et quoniam causa mentem signet, ideo astruunt Platonici, intellectum ipsius boni filium mundi architectum proximum extitisse. Proinde in Epinomide Plato: Diuinissimũ uerbum mundum uisibilem exornauit. Sed & Platonicus Philon in libro De causis: Conandum, inquit, est in primis ad ipsum ens, id est de quo dicitur, Ego sum qui sum, ascẽdere: aut saltem ad ipsius imaginem, sacratissimamq; rationem, uerbumq; primogenitum. Porrò per eiusmodi rationem atq; uerbum fieri omnia, secundum Heraclitum & Platonem, Amelius item Platonicus asserit. Quanquam Alogij hæretici uerbum negant esse deum, spreto Ioannis Apostoli Euangelio & Apocalypsi. In ijs uero monitos omnes uelim, Platonicorum nonnullos dei patris filium deum per substantiam à patre, quod Arriani faciunt, secernere. Sed enim Iamblichus Aegyptiorum aduocat mysteria, in quibus patris & filij ratio constituitur diuersa, sed eadem conceditur substantia. Extat & Mercurij mysterium nobile: primus deus & unus, primi pater est dei, quem gignit in solitaria sui permanens ipsius unitate. Est autem exemplar filij, quo nominatur suimet filius, & sui pater, atque unipater, deus uere bonus. Ille enim fons est idearum, à quo utiq; uno per se sufficiens deus se ipsum explicauit in lucem. propterea per se sufficiens nominatur, suiq; pater: est enim principium, Deus deorum, unus ex uno, super essentiam omnem, principiumq;

essentiæ

eſſentiæ. Deus præterea qui omnipotens eſt & dicitur, in mente ſibi inhærente creandarum rerum naturas effingit, ac pingit quodammodo, quæ in corporibus iſtis ſentimus, omnia: illic cœlorum globi, ac elementorum moles, omnium denique etiam animalium gignuntur formæ, quas in diuina conceptas mente dei fomento eſſe ac dici ideas, non ambigunt Platonici. Quin inde autumant factum, uti cælorum ideam, deum Cælum ſæpius pronunciarint ueteres: ſic & Saturni formam, Saturnum deum, ignis, Vulcanum: aeris, Iouem atq; Iunonem: ac modo eodem deinceps. Quod ſi quis naſutior ridendos arbitratur Platonis hæreſim ſequutos, ſciat Auguſtinum in libro octogintatrium quæſtionum non ſpreuiſſe ideas, ubi ait: Tanta uis in ideis conſtituitur, ut niſi his intellectis, ſapiens eſſe nemo poſſit. Porrò beatus Thomas quæſtione decimaquinta, articulo primo: neceſſarium ait ideas in diuina mente conſtituere, per quas intelligantur rerum aliarum formæ præter ipſas exiſtentes. Forma uerò rei cuiuſpiam præter ipſam exiſtens ad duo pertinet, uel ut exemplar ſit eius cuius creditur forma, uel ut ſit cognitionis principium, prout cognobilium formę in cognoſcente dicuntur. Quo autem ad utrumque ideas conſtituere uidetur neceſſarium. In omnibus ſiquidem, quæ nõ fortuito generantur, formã eſſe ſinẽ generationis neceſſe eſt: neq; enim agens ageret propter formam, niſi quatenus in ipſo eſt formæ ſimilitudo. Quod bifariam cõtingit: quippe in agentibus quibuſdam præexiſtit forma rei faciendæ ex naturali eſſentia, ut in iis quæ per naturam agunt, ueluti hominem generat homo. In quibuſdam uerò per intellectum, ut in his quæ per eum agunt: nã domus ſimilitudo in architecti præexiſtit mente, quæ domus idea eſt. Quia igitur à deo factus eſt mundus per agentem intellectum, in mente diuina formam eſſe oportet, ex cuius ſimulacro compactus ſit mundus. Qua in re ideæ conſtituitur ratio. Quod autem in Diuinis nominibus capite ſeptimo Dionyſius ait, Res à deo non cognoſci per ideas: intellige, extra ſe exiſtentes. Qua ratione in Platonem inuehitur per calumniam Ariſtoteles, ceu non in intellectu eas locarit, ſed per ſe exiſtentes enunciarit. Quia uerò de chœnice diſſertatũ diu eſt, hic poſtremo bonarum literarum candidatos uelim cõmonitos, ne falli quis paulo inſcitior poſſit: chenıſcum ad chœnicem pertinere nihil. Sic enim Græce & ſcribitur & enunciatur, χοινικ&. Dicitur uerò ea nomenclatura nauigium, anſeris imaginem præferẽs in ſummo, quem uocant Græci χῆνα. Qua ratione illum item Phryxi κριὸν, id eſt arietem interpretantur eruditi: ſicuti Europen qui rapuit taurus, apud Lycophronem, non aliud fuerit, quàm ταυρόμορφον τύπωμα, id eſt tauri forma præſignis nauicula. Quin in Libya fuiſſe nauigia legimus, quæ dicerentur Criȷ & Tragi.

Quo ſenſu accipiendum illud Pythagoricum, Stragula obuoluta ſeruari debere. De Plotino obiter. Itemq; imaginem dei annulo non inſcalpendã. Quomodo philoſophia ſit mortis meditatio. Imaginem principis obſcœnis inferre, quid ſit. Caput XVIII

SEd nos ad Pythagoram reuocemus gradum, à tantarum rerum incomparabili excellentia, quarum contemplatione caligat mens, rapiturq; tranſuerſa, ueluti altioribus merſa tenebris. Eſt ergo Pythagoræ ſymbolum aliud, Stragula conuoluta habeto. In hoc uerò, ut in reliquis, occluſiſſimum latere ac ænigmaticum ſenſum, nemo eſt qui neſciat: ſed quo is pacto è latebris & Heraclitiantro ſit euocandus, non ferè eſt qui in literas promat. Ego uerò ſcientiſſimum philoſophum ſtragulorum nomine inferiores animę uires intellexiſſe contenderim: quoniam rationi in capite ueluti in arce conſtitutæ ſubijciantur ſtragulí quadam imagine: quod obuolutum ſeruari debere præcipitur, quoniam iraſcibilis ac concupiſcibilis potentia comprimenda ita eſt, ac retundenda penitus, ne diſiecta proſiliensq; aduerſus rationis tanquam principis imperium conſurgat. Vel ſententia non ita longius abeunte, ſtragulorum nomine corporeos ſenſus accipe, qui obuoluendi ſunt, id eſt conuertendi, ut Plotinus inquit, ad utens, hoc eſt ad ratione pollentem animam, quæ plerunque rapta tranſuerſim ita affici debet, perinde ac corpore non utatur, dum conſurgit altius, inſeritq; cælo caput, ac alias tumultuantes ſenſus conticeſcere prorſum cogit. Quin & anima ad hunc affecta modum dolet, diſtineri ſe corporeis uinculis tamdiu, quod feciſſe Plotinum Porphyrius ſcribit, adeo ut imaginẽ ſui nullam aut ſtatuam effingi uel duci

ære, aut ratione alia pateretur. Ad quod ipsum symboli partem alteram spectare, prudentibus probari facile potest. Ita enim habet, Stramentis surgẽs collige ipsa, figuramq; confunde. Porrò quid aliud per morum disciplinam meditamur, quàm ut animam à corporis sequestremus affectu? Quid per speculandi compotem scientiam aliud perquirimus, quã ut à sensibus abducamur longius. Propterea totum hoc philosophandi genus esse mortis meditationem, grauissimè prorsum dixit Plato, & est ab Aurelio Augustino adnotatum, ac M. Tullius non est oblitus. Hoc ipsum denicq; Zoroastrem ueteris theologiæ auctorem eminẽtissimum significasse arbitror, quum esse alatam animam cõminiscereturac confractis alis labi in corpus præcipitem, rursumq; lætius plumantem, ac denuo factam uolucrem superna repetere. Quid si non aliud innuat symbolum id quoq; ex fontibus eisdem. Dei figuram ne inscalpas annulo? Quod ipse sic fermè interpreter, quoniam & sine cortice nare didicimus: non esse animam, quæ imago dei est, ex Platonis doctrina, mersandam in corpus, quo planè, uti annulo gemma, animæ uis contineri uidetur, nec mancipãdam sensibus. Illud uerò ex historia nos minimè fallit, quandoq; capitalem admisisse fraudem, qui principis imaginem nũmo uel annulo inscalptam latrinæ, aut lupanari, uel etiam obscœnis, ut enotatum à Seneca est, intulisset. Ad quod si Pythagoricũ id respectare, contenderis, nimirum in prætenuem labantemq; reclinabis parietem: & personam tibi induces, faciem minime.

Delphorum ciuitatem dici Pytho. Pythium quàm multis habeatur locis. Pytheum quid, & qui Pythij. Xenophon restituitur, & declaratur Quintilianus. Salpistica crumata. Odontismus. Epinicia. De pythico nomo & agone, plura. Item de Pythone, quem uocant Delphinem. Delphicum oraculum fuisse prius Terræ, ac Neptuni. Hexametrum qui cecinerit primus. Itẽ pluscula ad oraculum Delphicum pertinentia. Apollinis cognomina aliquot. Cur homo dicatur phos. Phodes quid. Cognitionis esse innatam nobis cupiditatem. Melãthusa. Thyia, unde thyiades. Castalia cur. Delphi cur. Cerdous. Ptea. Ptous.

Caput XIX

PYtho, ut pristina itẽ respectemus interpellata præsepia, ciuitas erat in Phocide, cuius incolæ dicerentur Delphi: unde est, πυθοῖ ὧν ἀγαθέᾳ. Fuit & in Creta Pythium, in Gortynæ meditullio, cuius incolæ dicti Pythies, ubi & Apollinis uisebatur templum. Erat & suum Macedonibus Pythium, ubi & Pythia fiebant. Porrò Pythium prope Astacenum sinum, unde Pythiani dicti, & Pythiana pocula. Pytheum uerò dicebatur oraculi locus. Pythium quoq; & Delium aræ dicebantur, uel templa Pythio Apollini aut Delio dicata. quod ex Liuio liquet. Nam Spartæ Pythios inuenio nuncupatos, qui Delphos ad consultanda oracula mittebantur, qui item publicè cum regibus pascebantur. De ijs apud Xenophontẽ mentio est, sed perobscura in libro De Lacedæmoniorum republica, dictione quoq; mendosa in Latina tralatione. Quin & Athenis erant Pythij & Deliastæ, ut scribit Philochorus apud Sophoclis interpretem in Oedipo coloneo. Sed & libro primo Quintilianus in etymologiæ rationibus quæri ait: unde Bruti, Publicolæ, Pythij: quem locum ignorare se interpretes fatentur: quum tamen historia sexta meminerit Herodotus quoq;: Non negligendum uero illud: fuisse item Pythicum nomon auleticum, cuius partes quinque ex ratione expugnati ab Apolline draconis, pera, catacleusmus, iambicum, spondeum, catachoreusis. Pera quidem, id est πεῖρα, dei consilium habet, esset ne dignus congruens ue certamini locus. In cataceleusmo draconem prouocat. In iambico pugnat, in quo & inflantur tubæ, quæ salpistica uocãt crumata: dicitur & odontismus, id est dentium arietatio, & fremitus, quod draco faciebat, quum sagittis impeteretur. Spondeum uero uictoriam significat. In catachoreusi epinicia, id est celebritas ex comparata uictoria ab Apolline continetur. Sunt qui aliter distinguant, & Anacrusin uolunt esse certaminis præludium. Amperam uero primum certandi periculum. Cataceleusmum, certamen ipsum. Iambum autem & dactylum pæana, qui eiusmodi efficiatur rhythmis uictoriæ gratia. E quibus alter hymnorum sit proprius, iambus autem obloquiorum. Syringes uero belluæ deficientis langorem imitantur, efficiuntq;. Traditur illud quoq;, Pythium carmen pro heroico dici, quoniam sit ab Apolline oraculis

celebratum. uel quod Pythone confecto, territi accolæ texuerint hexametrum primi. Inuenimus qui ſcribant, uiolentum fuiſſe hominem Pythonem, Draconis cognomento, qui dum ſagittis debellaretur, inter adhortandum proclamaſſe Apollinem ferunt, uel Latonam, ut Macrobio placet, ἴε παιάν, id eſt immitte feriendo, unde inoleuerit mos, ut conſerturi aciem ſic Pęanis celebrationem clamitent. Sed & Apollo Athenienſibus opem dei aduerſus Amazonas implorantibus, uerbis ijſdem inuocari ſemet auxiliatorem, hortaricq; præcepit. Illud non omiſerim: Delphinem nuncupari ab Apollonio libro Argonauticon ſecundo, draconem ab Apolline confectum. Cuius etiam uerſiculos appoſui,

ὣς ποτε τειρομένῃ ὑπὸ δειρὰδι παρνησσοῖο
Δελφίνῃ πέλωρον ὀϊστεύσειεν ἑκάεργος.

Id ipſum uero interpres item cõprobauit, additq; à quibuſdam maſculino genere pronuntiari, ab alijs fœminino, quod (inquit) melius eſt. Sic uerò appellat in Periegeſi Dionyſius Apher: id quod pleriſq; negotium faceſſit. Quod autem Delphines uocaretur, qui Delphicum cuſtodiebat oraculum, Leandrus dixit, & Callimachus. Sciendum autem: Pythicum agona, craſſantibus in adeuntes Cirrhæis, labefactatum, fuiſſe ab Theſſalo reparatum Eurylocho, quem Achillem dicunt iuniorẽ, ut ſcribit Euphorion. Fuit quoq; agon hic initio χρηματίτης, ueluti pecuniarium dicas, quoniam uincentibus, ea fuit merces propoſita: mox autẽ Stephanites, nexis lauro corollis, ex Theſſalicis Tempe tralata ab pubeſcente puero: quod ob draconto ctoniam in Creta apud Chryſothemidem Apollo expiatus, Theſſaliam ingreſſus illinc ſecum arborem pertuliſſet. De loco autem uidentur nuncupari Pythia, cui nomen πυθώ, uel ab oracula ſcitantibus, quod dicunt πυθώνεσθαι, uel quod inibi computruerit Python. Nam πύθεσθαι ipſum id indicat planè: Homerus, Λοξὴ ὁσίη πύθεται ὄμβρῳ.

Dicebatur tamen prius Nape, mox & Petreſſa, item Criſſa, demum Pytho. Scitu non indignum & illud: ſicuti Olympiada dicimus uigeſimam aut trigeſimã, ita & Pythiada uſurpari ab eruditis conſueſſe: ſed & Nemeada eodem modo. In hac uerò Delphici oraculi mentione adnotandum uehementer: proditum ueteribus, oraculum id fuiſſe γῆς, id eſt terræ, ac Daphnida promantin, id eſt prædiuinatricem, quæ nympharũ una fuerit prope incolentium. Sed enim apud Græcos olim circumlata ſunt carmina, quibus fuit titulus Eumolpia. Muſæi credebatur opus. In eo traditũ, auctor Pauſanias eſt, Neptuno ac Terræ oraculum fuiſſe commune: ac terram quidem per ſe dediſſe reſponſa, Neptuno ad id ſubſeruiſſe Pyrcona, id eſt πύρκωνα. Sic enim habet carmen

Αὐτίκα δὲ χθονίης σφῶϊ δὴ πινυτὴν φάτιν μῦθον,
Σοὶ δέ τε πύρκωϊ ἀμφίπολον κλυτοῦ ἐννοσιγαίου.

Inſequentibus porrò annis Themidi oraculum eſſe datum, ferunt. A qua mox dono acceperit Apollo, Calauria Neptuno uiciſſim tradita. Quin & conſtans tenet fama, Promantin fuiſſe principem Apollini Phemonoen, quæ hexametrum quoque cecinerit prima. Cæterum Bœo, id eſt Βοιώ, indigena mulier, hymnum quæ apud Delphos concinnauit, ab hyperboreis eſſe conſtitutum cecinit oracullum: ex quibus ὠλῆνα, ideſt Olena uaticinatũ eſſe primum, ac primũ quoq; hexametrũ ceciniſſe. carmen ita habet,

ἐνθάδε οἱ ὕμνησαν χρησήριον ἐκτελέσαντο
Παῖδες Ὑπερβορέων παγασὸς, κατὰ νῆα θοῦριν. Et mox hymni fine,
ὠλῆνα, θ' ὃς ἐγκώμιον πρῶτος φοίβοιο πεφάτισται,
πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων ἐκελαδήσατο καλλιγενείων.

Olenis Lycij hymnorum conditoris meminit hiſtoria quarta Herodotus. Parnaſum, à quo nuncupatur mons, fuiſſe Cleodoræ filium tradunt nymphæ: à quo item παρναϊάνακτα, id eſt Parnaſius appellationẽ trahit ſaltus. Volantium præterea auium addiuinationem eius quoq; ferunt inuentum. Sciendum uerò, apud Ariſtotelem Meteororum primo, Parnaſum montẽ in Aſia item locari: quod doctiſſimis hominibus ſcrupulum iniecit uel moleſtiſſimum. Et ſunt, qui interpellatos eſſe Græcos arbitrentur codices, quoniã eius rei mentio fuit nulla coſmographis. Cæterum & parte hac ſtudioſos, ut in pleriſq; alijs, demerebimur pleniſsime, quando in Periegeſi Apher Dionyſius Bactros incolere ait, χώρῳ ὑπερτέρῳ ἱερημνοῖς ὑπὸ παρνησίοι. Et Rhemnius Fannius

Parnaſum

Parnasum latè prope montem rura tenentes. Et rursum alibi: Parnasi montis sub celsa rupe Arienos. Corycium antrum, à nympha Corycia dictum uolunt, à cuius filio Lycoro, ciuitati factum Lycoriæ nomen sit. Ex Lycoro Hyamus nascitur, cuius filia Celæno Delphum ex Apolline concepit, à quo nuncupati Delphi. Quanquam alij ab Delpho Neptuni filio & Melanthusæ, opinentur dici, ut prætereantur quæ scribit Macrobius. Melanthusa uero Deucalionis traditur filia. Sunt qui indigenam memorent uirum Castalium, cuius fuerit filia nomine Thyia, quæ Dionysio consecrata primũ, deo celebrauit Orgia & Bacchico afflatis numine nuncupationem fecit, ut ab ea uocentur Thyiades. Castaliam aquam potu quoq; dulcem, à Castalio dictam tradunt, aut à mulie re indigena, quam Acheloi filiam intelligi uoluit Panyasis: ita enim de Hercule scribit,

πολύνοσον νιφόεντα θοοῖς ἐξ ποσὶ πορήσας,
ἐκ Φασκαλίης ἀχελωίδος ἄμβροτον ὕδωρ.

Inueni & qui tradant, Delphicum oraculum Saturni fuisse prius. Propterea in Alexandra Lycophron, οἳ δ' ἀμφὶ βωμὸν τὸν παλαίστεως κρόνου.

& quæ sequuntur. Colebatur & cum Apolline Dionysius. Nam quum eius membra concerpsissent Titanes, Apollini ἀδελφῷ, id est fratri eius apposuerunt in lebetem conjecta. Is uero tripodi adiecit, quod Callimachus scribit, ac Euphorion. Ex hac item historia sunt qui Delphorũ inflectant nomen, ut dicantur quasi adelphi. Sciendum porrò ex Græcorũ doctrina (Sunt enim & nobis cæca quodammodo testimonia, non Iureconsultis solum, quæ absentia ingeniorum monumentis sententiam posteris suam dictare non desinunt) uideri Apollinem non plus uatem, quàm philosophum: quando & huic rei argumentum facile suggerant dei cognomenta. Dici siquidem ab ijs, qui nunc primum Musarum initientur sacris, Pythium à discendi usu, atque interrogandi, quod πυνθάνεσθαι uocant. Delium uero & Phanæum, ubi ueritatis quippiam interlucere incipit. Ismenium autem ubi comparata scientia est cum loquendi facultate. Horum denique quum scientiæ facultas in actum promitur insimul disertando philosophandoq;. Apollinem porrò eundem, Παλαιπάτορα Græci autumant, quod oraculorum monstrãt pleraq;, eiusdem quippe est soluere ambiguitates, ac facere: quam rem eo retulimus gratius, ut eum non eatenus imperitũ censeas, quàm uidetur nostrorum nonnullis, qui ita pronuntiauit, soluat Apollo. Acesium Apollinẽ apud Eleos eundem Pausanias putat, quem Alexicacon dicant Athenienses. Nec mirum ita ex sciendi uel discẽdi potestate cognominari Apollinem. Quippe Plutarchus ille doctissimus uitam homini putat εἰς γνῶσιν τοῦ θεοῦ δοθῆναι, ad cognitionem à deo esse contributam: quoniam cognitio non gloriam solum parit, sed uirtutes in actum producit. Nam si latitasset Themistocles, Xerxem non repulisset à Græcia. Sed & hominem ipsum Græcos ueteres non aliunde magis φῶτα nuncupasse, à lumine, quod uocant φῶς, quàm ob insitum ac prævalidum cognitionis amorẽ, quo inardescimus, ut cognoscamus cognoscamurq;. Vnde Olophoia Nicandro in theriacis dicuntur φῶτα ἀναιρούμενα, id est hominem quæ perimunt. Quanquam apud Homerum pro pernicioso capiatur simpliciter dictio hæc. Sed & φωτόνειν, quo uerbo indicatur generatio, inde corriuari opinor, unde fluxerit uocabulum nostrum, idem respiciens negotium. Quin & Photion, pro iucundo capitur, & grato. Nec me fallit tamen grammaticos scribere, dici φῶτα, de loquendi usu, qui sit homini proprius, παρὰ τὸ φῶς, τὸ λέγω. cui sententiæ Theologus etiamnum astipulari uidetur. Phodes uero, id est φῶδες, maculæ dicuntur rubentes in cruribus ex ignis propinquitate nimia inductæ. Lycophos autem, sicut ἀμφιλύκη νύξ (inquit Porphyrius) dicitur, quòd auroram præcedit spatium. Nam aurora est, quæ solem præeundo adnuntiat. Priorem sententiam adiuuat Manilius Astronomicon primo:

Omnia conando docilis solertia uicit,
Nec prius imposuit rebus finemq; modumq;,
Quàm cælum ascendit ratio.

Cæterum & animam ipsam ex philosophis nonnulli esse substantiale lumen statuere, præcipuo argumento id coniectati, quod ex omnibus insciti am maximè auersatur, ac compauescit animus, obscuraq; & tenebris obuoluta refugit summa ui, ac perturbatur

inde. Sic autem amabile putat lumen, ut nil ex ijs quorum nobis iucunditatem natura conciliat & gratiam, magnopere citra illud expetat. Qui uerò inscitum ignorabilemq; se facit, tenebrarum alumnus, & uitam ipsam κγνοπαφῶν, id est citra cadauer sepulchrum faciens, quod sit æditus in lucem, graue ac molestũ arbitrari uidetur, atq; inde se remis uelisq; abdicare. Quæ quum ita sint, quid plurium cognitionem parit, aut quid demum cognobiles nos ipsos facit ualidius latiusq;, quàm ipsa scientia? hac siquidem principe se unusquisque potest tollere humo, uictorq; uirûm uolitare per ora. Etiam si pleriscq; Græcanicum illud arrideat sæpe, λαθε βιώσας. ad quos alludens Horatius,

Nec uixit malè, qui natus moriensq; fefellit.

Illud ex abundanti demum adiecerimus, quoniam multa de Apolline præstruximus, dici hunc ueteribus Latonæ filium, quam intelligi noctem uolebant, ex qua tanquã matre gigni sol uidetur, quod significat Sophocles, & interpretatur Eustathius. Dicitur uerò nox, Latona, de obliuionis ratione, quæ consopitis obuenire consueuit. Additur Iupiter pater: quoniam fati pars quædam, Apollo est: ac uelut μεσεινὸς ζεύς, id est particularis Iupiter, uel quia in aeris & cæli feratur ambitu: quorum utrunq;, Iouem dicimus. Adijciamus illud quoq;, Vlion dici Apollinem apud Milesios & Delios, sicuti commeminit Geographus, quod hygiasticum indicat, id est medendi potentem: quippe οὔλειν signat rectè ualere: sicut Diana nuncupatur Artemis, quod ἀρτεμέας, id est incolumes præstat. Apollinem denicq; ratione uocant eadem μουσηγέτην, qua & Dionysium μελπόμενον, ut auctor Pausanias est. Sunt qui & Cerdoum nuncupent, id est κερδῶον, quia oraculis æditis ad lucrum cõferre insigniter crederetur. Cæterum, cognomen id Mercurio adoptant alij, ut qui negotijs præsit ac lucro: qua ratione marsypium illi contribuunt, ac Angelum uocant: sed & κλῶπα, id est furem. Ptoum quoq; Apollinem appellauit Lycophron, cuius filium fuisse dicit Hectora: quod Stesichorus approbat, & Alexander Aetolus. Cognomẽti ratio ex formidine Latonæ iniecta ab fero sue, quum Apollinẽ peperisset ac Dianam, unde dicta est Ptea, eodemq; modo Apollo ac Diana.

De Cambysis uesania, & morbo sacro. Qui dicerentur Caberi dij & Pattaici. Anactes pueri. Anaces. Cabareni. Cabus. Cabæsi. Item de Vulcano delibata paucula. Aphthæ quid. Vlpiani codex perpenditur. Pthas. Aphthas. Athyrophonus. Athyrotus. Atypus. Stomatica quæ. Cap. xx

CAmbysem Persarum regem ab ipsis natalibus graui admodũ laborasse morbo ferunt, eum quidam sacrum nominant. proindeq; multa sæpe fecisse, quæ uel infimæ fortunæ uirum dedecerent, nedum tantum principem: nam cuius corpus adeo infestaretur, eius ne mens quidem magnopere constabat. Hinc enim pleraq; per uesaniam facta memorãtur. De Prexaspe quandoq; scitari perrexit, Cuiusmodi me uirum (inquit) arbitrãtur Persæ, aut qui nam de me sermones ab eis instituũtur? Tunc is, Omnia, inquit, illis arrident plurimum, te mirãtur, tibi applaudunt: sed unum nequeũt nõ improbare, quòd uino largius, quàm pro dignitate indulgeas. Ergo (inquit Cambyses ira præferuidus) mẽtiti sunt prius, quum in senatu rogante me, ecquid uiderer Cyro patri adæquandus, respondere: Cyro uideri me aliquanto præstantiorem, cui adessent illius omnia, prætereaq; imperio adiecissem Aegyptum, & mare. Quo tempore à Crœso illam quoq; dici sententiam, sum memor: Mihi quidem, ó rex, hoc uno saltem Cyro patre inferior uideris, quòd necdum tibi eiusmodi sit filius, qualem te is & genuit, & educauit. Cæterũ dispice, ó Prexaspes, ipse ne, an uerius desipiant Persæ. Etenim si filij tui in uestibulo residentis media cordis, nil frustrato ictu, sagitta confixero, euidens fiet argumentum, uana esse quæ garriant Persæ: sin aberraro, delirare me putato, ac nil ementiri Persas. Protinusq; arcu arrepto, ac sagitta in destinatum excussa locum, prosiliens gaudio dissecari puerum iussit: ac se artifice dextra egregiè collimatum ostendens, An non (inquit) fides inde tibi fit, haudquaquam me desipere? Cæterum, & illa furentis planè hominis indicia item uel manifesta, quod templa legesq; ludibrio habebat. Nam quum Aegypto foret potitus, Vulcani tẽplum ingressus multo derisu eius simulacrum est insectatus. Erat autem simillimum ijs dijs, quos Pattaicos uocabant Phœnices, uel (ut aliqui scribunt) Pattæcos, in triremium proris circumferri solitos, Pygmæorum quadam imagine. Erat & in Aegypto Caberorum templum

templum, quod citra fraudem, sacerdote excepto, ingredi nemo poterat: id etiam irrupit Cambyses, ac per multam iocorum licentiam simulacra ibidem erecta cauillatus omnia exussit. Constructa uerò confabricataq; & hæc ipsa erant, eodem ferè mẽsu quo & uulcani statua. Porrò discluſis item conditorijs, mortuorum inspectare cadauera, maximæ duxit uoluptati. Verum de Cambyse satis superq;. Quod de Caberis facta mentio est, sciendum, esse qui καβέιρους, dæmonas interpretentur: quamuis sint & Caberij populi inferioris Asiæ, quorum sit ciuitas Caberia, ut inquit Stephanus. Erant & in Bœotia Caberij, ut Pausanias libro nono. Cabarni Cereris sunt apud Parios sacerdotes. Cabus uerò, id est κάβος, frumentaria est mensura: unde Cabæsos dicimus, qui expleri nequeunt. Pherecydes scribit, ex Cabera Protei filia, & Vulcano tres Caberos, totidemq; nymphas Caberidas esse ortas, & utrisq; templa esse dicata. In Lemno uerò, ac Imbro Caberos præsertim honori habitos. Erant & Teletæ Caberorum in Samothracia: eorum nomina etiam Mnaseas apposuit. Sunt uerò quatuor numero: Axieros, Axiocersa, Axiocersos. Sed per hos intelligi putant Cererem, Proserpinam, Plutonem. Adijciunt & Casmilum, qui sit Mercurius, quod scribit Dionysodorus. Dici uerò Caberos putant alij à Caberis, qui sint in Phrygia mõtes, quoniam inde sint tralati. Sunt qui duos tantum Caberos initio fuisse tradant, maiorem quidem natu Iouem, & Dionysium iuniorem. Memorabile uerò est, quod de Caberorum narratur Teletis: ijs si quis fuisset initiatus, quanta libet mare occupasset hyems, euadebat, quod de Vlysse proditum memoriæ est. Hac item ratione dissidentibus ad Troiam Græcis, Agamemnonem facile seditionem cõsopisse, quum in uentris ambitu porphyrida haberet, id est purpuream tæniam, quã eo loci ijs imbutos sacris habere, moris erat. Apud Amphissam Locrorum ciuitatem telete fiebat ἀναλκτῳ παίδῳ. Eos aliqui Dioscuros intelligunt, alij Curetas. Sunt qui etiam καβέιρους, uti auctor Pausanias est. Anacas dici Dioscuros interpretatur Plutarchus, διὰ τὰς γενομένας ἀνοχάς, id est ob belli cessationem factam cum Atheniẽsibus ob Helenæ raptum, quum essent in urbem admissi, uel quia impendio curarint, uti Athenienses ἀνακῶς, id est quiete uiuerent, ac tranquille. Quo argumento etiam reges dici anactas. Sunt qui ob astrorum ἀποφάνσιν appellari Anacas opinẽtur, quoniam Atticis ἀνέναι signet ἄνω, id est supra. Quod uerò de Pattaicis item dijs commeminimus, sciendum est, Horum scribere, dici Pattaicum, siue Pattæcum, quasi apatęcum, extrita de principio litera, quę adimi in pleriſq; aut adijci quãdoque solet. Sicuti à Memphiticis dicitur Vulcanus Phthas: sed in Græcorum doctrina etiam Aphthas. Sunt & suæ medicis aphthæ, uerum ea intelliguntur oris ulcera, quibus præcipuè infestentur infantes. Vnde Aphthiphum corriuari placet eruditis, quem eiusmodi uexet affectio. Atq; ita reponendum in Gellianis codicibus libro quarto, & apud Vlpianum Digestis de ædilitio edicto, ut sic denique redeat in artus luxata lectio. Quæsitum est, inquit Iureconsultus, an balbus & blæsus & aphthiphus, isq; qui tardius loquitur, & uarus & uatius sanus sit: & opinor sanos esse. Hactenus Vlpianus. At si sunt oris ulcera aphthæ, quæso quanam ratione ulcerosus fuerit sanus? Sed audi Aeginetæ Pauli sententiã Medicinæ primo: Adnascitur, inquit, infanti ulcus, quod dicitur aphtha, tribus generibus: unum subalbidum est, aliud subrubens, tertium uerò nigrum, ut eschara: pessimum hoc, καὶ θανατωδέσατον, id est maximè mortiferum. Porrò uidetur inibi Iureconsultus loquutionis & linguæ prauitatem attingere. Quo fit, ut si diuinare permittimur, malim Athyrophonum, uel Athyrotum substituere, quibus festinata nimis in loquendo celeritas significetur: incommoda forsan & hæc, sed minus. Apud Sophoclem in Philoctete, Athyrostomos dicitur Echo, quam loquacẽ intelligi uoluit, ac garrulam. Apylotum, id est ἀπύλωτον, Aristophanes pro eodem accipit fere. Sunt tamen codices, in quibus legatur Atypus, quasi minus præformans uocem, id est ἄνευ τύπου. De aphthis porrò multa Celsus, & in Diffinitionibus Galenus. Sciendum uerò stomatica dici Græcis medicamenta, quæ malo huic medentur: sicuti cæteris item, quæ in ore contingunt, uitijs.

Qui nam fuerit Hyperbolus Athenis. De saxo, quod hyperbolum uocant. Hypobolus ager qui, & astictos item. Argyrocopeum quid. Ostracophoria, quid.

Cap. xxi

HYperbolum Chremidis filium, Charonis fratrem, prauitate ac uerſutia in fallendo præſignẽ fuiſſe ferunt. Lucernas quãdoq; factitauit, uenditéq; ſed nec ſynceriter, nec citra fraudem, plumbum immiſcebat æri, quo pon derоſiores factæ maius demererentur pretium, alioqui & peruerſiſſimis erat moribus. Hic tamen poſt Cleonis potentiã ductare populum Athenis adortus eſt. Primus (ut aiunt) ex infima nota gradum illum adeptus, quum nobiliores uereri populus cœpiſſet, ne democratiam ſoluerent. Demum & ipſe teſtulis eſt labefactatus, ut commeminit libro octauo Thucydides, non timore aliquo potentiæ uel dignitatis, uerum ob prauitatẽ & ciuitatis dedecus. In Samum profectus inimicorum inſidijs interijt, ac defunctus eius culeo inſutus in mare eſt præcipitatus, quod ſcribit Theopompus. Hyperboli meminit Antiphon ad Nicoclem, & in Bruto M. Tullius, cui ſimillimum Romæ fuiſſe prodit Seruilium Glauciam, qui ſit publicè interfectus. Andocides de eodem ſic fere prodit: De Hyperbolo quidem dicere erubeſco, cuius pater, inſcripto uultu, etiamnum in Argyrocopeo, ita uocant, ubi cuduntur nummi, publicè ſeruiuit. Matrem uerò uenditaſſe panem ferunt. Inceſſitur porrò Hyperbolus, ut litigioſus, imperitus, ὀψιμαθής, id eſt qui ſerò diſcere exorſus ſit. Maximus Tyrius Hyperbolum fuiſſe Lacedæmonium prodit, laſciuientis populi ſceleſtiſſimũ adulatorem. Illud denicq; nouimus, poſtremum omnium exilio, quod oſtracophoriam uocant, mulctatum fuiſſe Hyperbolum, Nicia & Alcibiade diſſidentibus, ut uerum prorſus illud agnoſcatur, ὧν δὲ διχοσασίη καὶ ὁ πολυκρατὴς ἔμμορε τιμῆς. Teſtulis uertere ſolum coactus eſt Hipparchus omnium princeps, Cholargeus. Præterea, quod ſcitu equidem arbitror dignum, hyperbolos dicebant lapides, quibus ad ceruicem religatis, conſcelerati in profundum demergebantur. Ariſtophanes, ἄρας μετέωρον, εἰς τὸ βαράθρου ἐμβαλῶ, ἐκ τοῦ λαιρυγγὸς ἐκκρεμάσας ὑπερβολον. id eſt, tollens ſublimem in barathrum detur babo, appenſo ex ceruice hyperbolo. Hypobolum uerò, quod nec ſcitu indignum eſt, agrum dicebant creditoribus obnoxium, lapidis indicio uel columnæ, proinde de eo ſic pronuntiabant ἔστηχθαι τὸ χωρίον, id eſt ſignatus eſt ager. Nam huic diuerſum aſtictũ uocabant, id eſt ἄστικτον.

De Hyperboreis, Arimaſpis, Abari. Arimphæis, necnon de medicamẽto, quod dicatur rha ponticum. Rhadix. Rhadica, uel ridica. Plinij locus reſtituitur in Hyperboreorum mentione. Cap. XXII

HYperboreorum unguenta, & pollucibiles dapes, ut in locis illis, poſt quas euidens conſequatur exitium, in prouerbium uenire poſſe, animaduerto ex hiſtoria. Quippe ponè montes Rhiphæos, ultraq; Aquilonem gens felix, ſi credimus, quos Hyperboreos appellauere, annoſo (ut Plinius inquit) degit æuo, hoc eſt annis mille, ut alij prodũt, & retulit Strabo. Ibi creduntur eſſe cardines mundi, extremiq; ſyderum ambitus. Viritim gregatimq; diſcordia ignota, & ægritudo omnis. Mors non niſi ſatietate uitæ, epulatis delibutisq; ſenibus luxu, ex quadam rupe ſalientibus. Hoc illis ſepulturæ genus beatiſſimum. Antimachus eoſdem cum Arimaſpis Hyperboreos facit. Quos eſſe uiros Scytharũ unoculos, Herodotus ſcribit, ita nuncupatos, quia illarum gentium uocabulo arima unum ſignat, ſpu uerò oculum. Sed quod mirũ ſit, uidetur auctor idem alibi fabuloſum arbitrari, qui tamen uerſus quoſdam Arimaſpeos nominat, ab Ariſteo conditos Proconneſio, ſicuti Strabo item ſcribit, qui etiam putat, ex Scythica fortè hiſtoria luſcos Cyclopas ab Homero tralatos. Damaſtes uerò in libro De gentibus, ultra Scythas, inquit, Iſedonas incolere, ſuper hos Arimaſpos, ulterius eſſe Rhipæos montes, ex quibus flet Boreas, ubi ſint etiam perennes niues. Poſt hoſce montes Hyperboreos pertingere ad mare. Arimaſpos in Alexandri hiſtoria legimus, euergetas item dici, id eſt beneficos, quoniã Cyrum extrema commeatuũ laborantem inopia, uti ne humanis quidem abſtinerent carnibus milites, ſubuecta frumentorum ui magna iuuerint munifice. Quo argumẽto ab eodem euergetæ dici cœpti. Non prætereundum, eſſe ab Venetis nobilibus, dum ſeptentrionalia peragrarent, obſeruatum, nullos eſſe Rhipæos montes, quos recẽtiores certatim tradiderũt, & ueteres coſmographi: uerũ loca ea omnino plana uideri. Scribit Hiſtoriarum tertio Polybius, omne quod intra Tanaim & Narbonem ad Septentrionem

trionem uergit, ad ſua tempora fuiſſe incognitum, ſomniarecꝫ ſi qui de ijs loquantur, uel ſcribant. Hyperboreos tradit Diodorus, Græcis quidem omnibus, ſed Athenienſibus præcipue, atque Delijs ſocietate ac beneuolentia fuiſſe iunctos. Præſtò eſt & in hiſtoria hac miraculum aliud. Nam Abarin Hyperboreum ferunt ſagittam per orbem terræ circumtuliſſe, nihil omnino ueſcentem. Hunc Abarin Seuthæ filium, non ignarum literarum oracula ſcripſiſſe, traditur, quæ Scythica nuncupentur, & nuptias Hebri fluminis, Apollinis aduentum ad Hyperboreos, ratione metrica, abs quo ſagittam acceperit, quam diximus. Huius & Gregorius theologus commeminit in epitaphio ad Magnũ Baſilium. Narrantur & in regionibus illis Arimphæi haud Hyperboreis diſſimiles, quibus ut Hyperboreis, ſedes ſint nemora, alimenta baccæ, capillus iuxtà fœminis uirisꝫ probro detur, ritus clemens. quo nomine etiam ſacros haberi inuiolatosꝫ eſſe etiam feris accolarum populis: nec ipſos modò, ſed illos etiam qui ad eos perfugerint. In hac uero Hyperboreorum mentione, ſuccurrit opem feramus Plinio Hiſtoriæ naturalis libro quarto, ſic ferè ſcribenti, uti eſt in peruulgatis codicibus: Apud Hyperboreos, inquit, credũtur eſſe cardines mundi, extremiꝫ ſyderum ambitus, ſemeſtri luce & una die ſolis auerſi. non ut imperiti dixere, æquinoctio uerno in autumnum. Semel in anno oriuntur ijs ſoles, brumaꝫ ſemel occidunt. Inſignis hic comparet depraua tio, ſed errorem minus aduertentes eruditorum nõnulli colaphum audacter Plinio impingunt, quando cæleſtium rerum ſcientia fieri prorſum non queat, uti à tropico in tropicum perpetuus inoriatur dies, aut intendatur nox. Hæc quidem κατὰ τυφλῶ λῆλα. Sed quoniam totus Plinius mendoſus eſt, facile adducor, uti uerba opiner tranſpoſita, & ſic omnino ſcribendum, Semeſtri luce & una die ab æquinoctio uerno in autumnum. Non ut imperiti dixere, ſolis auerſi. Quòd ſi benignus admittat lector, nil ab ſurdum proferri aduertet. Nam ſolſtitiales dies libro ſecundo, in eadem dierum ratione æſtiuos intelligo: ſicut brumam pro hyeme. Quod uero de Thyle pronuntiat Plinius, utrocunꝫ legas modo, diſſentaneum eſt quadamtenus, ſed ita, ut Plinium coarguentes iuuet nihil. Cæterũ & inibi poteſt error inoleuiſſe, ut ferè legendum cenſeam, In Thyle nullas eſſe noctes ſolſtitio indicauimus ad cancri ſignum ſole tranſeunte, nullosꝫ contra per brumam dies. hæc ſiquidem ſenis menſibus continuis fieri arbitrantur. Illud obiter adnotauerim, quia de Scythia mentio eſt: eſſe Rha Scythiæ fluuium, de quo inditum ſit medicamini præſtantiſſimo nomen, quod Ammianus ſcribit: nam Rha barbarum uel Ponticum nuncupatur. In eius, inquit, ſupercilijs quædam uegetabilis eiuſdem nominis gignitur radix, proficiens ad multiplices uſus medelarum. Rhadix uero in Theriacis aliud eſt, nam ab eius accuſatiuo ſunt qui Latinum formari rectum putent, quod eſt rhadica, frequens apud agricolationis magiſtros uerbum. etiam ſi ridica legitur modo. At etiam rheon, Pontica radix, inquit Medicinæ primo Paulus, ῥαπόντικα ὧν χωρὶς ῥ᾽ α.

A mari habitandum procul. Maritimos mores dici de impuris ſordidisꝫ. Neptuni & Mineruæ certamen unde natum. Celeuſtæ qui ſint. Plutarchi interpres refellitur. Erotidia. Halia. Eleutheria. Caput XXIII

PLato in libris De republica fugiendum eſſe mare, cenſuit, perinde ac improbitatis magiſtrum. Nam ut ab eo quiſqꝫ maxime remotus ſit, ita optime rem publicam adminiſtraturum. Mare attingentes, inquit Strabo, deteriores effecti latrocinari cœperunt, & hoſpites mactare: quandoquidem multis implicити, in eorum luxuriam & lucra ſordida ſocietatemꝫ auaritiæ dilapſi ſunt. Hinc factum, ut maritimi mores ex adagio pro peſſimis celebrẽtur, ac ſordidis. Quo forſan argumento ueteres Athenienſium reges in eo allaborarunt plurimum, uti à mari ciues abducerent, agrisꝫ inſuefacerent colendis: unde inorta uidetur fabella, Neptunum de regione cum Minerua diſceptantem, ab ea ſuperatum, olea quam moriam dicunt, iudicibus præmonſtrata. At contrà maritimis rebus ciuitatẽ præcipuè applicuit Themiſtocles. Qua re aduerſus nobilitatem auctior euaſit populus, ad nautas & celeuſtas & gubernatores potentia recidente. Scitu non indignum: Plutarchi interpretem celeuſtas remiges eſſe interpretatum incurioſius, quum ſint celeuſtæ, ut ſcribit Sudas, qui remigibus præſunt, ac epibatis. Quibus uini item, carnis, olei, aliorũ id genus incumbit cu-

ra. Inde magnus eſt in nauibus celeuſtarum uſus. Celeuſtam uidetur Plautus hortatorem dicere, uelut ſit nauigationis moderator. Trierarchus inquit Sudas, nauí præeſt, Proreus, ſeu proreta remigibus tantum. Hic proræ inſidet, puppi gubernator. In Romana hiſtoria maritimos colonos ſacroſanctam habuiſſe uacationem legimus.

Coniugalis amor quatenus progredi debeat. Coniunx dicatur, an coiux. Pulchritudo triplex. Amor item triplex. Concubitum ab ijs excludi. Platonis apologia. Laus amoris. In quibus uituperetur Plato: curq; eum Satonem, non Platonẽ nuncuparit quidam. Sata, pro menſuræ ſpecie: item cabus, & batus.

Caput XXIIII

SExtum in Sentẽtijs ſcripſiſſe, auctor Hieronymus eſt, Adulterum eſſe quiſquis in uxorem ſuam ardentior eſt amator. Quippe in uxorem alienam omnis amor turpis eſt, in ſuam uero nimius. Sapiẽtis eſt, uxorem amare, ſed iudicio, non affectu. Libidinis pruritus rationis examine reprimendi, nec præcipites ferri in concubitum debemus: fœdius nihil, quàm uxorem amare perinde ac adulteram. Venit in mentem hiſtoriæ, cuius auctor Seneca eſt, qui à ſe cognitũ quendam teſtatur, ornatum hominem, qui exiturus in publicum faſcia uxoris pectus alligabat, & ne momento quidẽ præſentia eius carere poterat, potumq; omnino nullum ſibi, niſi alterius præguſtatũ labris, uir & uxor hauriebat, alia itẽ pleraq;, nec inepta minus faciẽtes, in quæ improuida uis affectus erũpebat. Origo quidem amoris honeſta erat, ſed nimietas deformitate non carebat. Nil autem referre arbitramur, q̃ honeſta cauſa quis inſaniat. Quæ uero uxor dicitur, etiam coniunx nuncupatur, ſciunt id uel ἀναλφαβήτοι. Sed, inquit Cæcilius Minutianus Apuleius in libro De orthographia, ſunt qui ſcribant coiux, citra ullum omnino N, à coeo. alijs addere unum placet, & coniux dicunt. ſunt qui duplex, ut ſit coniunx, ex opinationis uarietate in uerbi deductione. Scaurus & Soſipater Cariſius N ex ſecunda reijciunt ſyllaba. Sed illa grauiora: in Platonicorum ſanctarijs obſeruatũ nobis eſt, Amorem non ferè aliud eſſe, uel dici à recte duntaxat ſentiẽtibus, q̃ pulchritudinis deſiderium. Pulchritudinem uero triplicem ſtatuit Plotinus, quum non aliud omnino ſit, q̃ ex pluriũ concinnitate cooriens gratia. Hanc ſi in animo perpendas, ea nimirum ex uirtutũ ſplendore uenuſtas eſt. Si in corporibus requiras, coloribus lineisq; mira coaleſcentibus congruitate decus conflabitur gratiſſimum: ſed nec ſonorum modulata iucunditas pulchritudinem reſpuit. Triplex pulchritudo ſenſus tres habet ſubſeruientes, triplicem uero imperitãtem amorem. Radios ex animæ claritate uibrantes interior mentis percipit oculus. Corporea autem gratia corporeus perfruit uiſus. Muſica uero conſonantia aures permulcet ſolum. Iam hic tactui locum non ſupereſſe, facile colligimus. Qui hunc inſuper ad pulchritudinis exigit perfruitionem, brutum reſipit, hominem exuit, rationem allidit: qui enim in tactu uſus pulchritudinis? Vna eſt, quã ſentias ex fœdo attritu, uoluptas: ſed nec alio magis rationis expertia titillãtur. Quid, quòd hæc pulchritudini prorſum diuerſa colligitur? An non fatemur præferuidum Veneris impetum ad intemperantiam prolicere? Intemperantia uero nónne incõcinnitas quædam eſt? Incõcinnitas porrò nõne deformitas? qua quid pulchritudini aduerſum magis? Valeant igitur libidinis incentiua, ſecernatur, fugetur procul intempeſtiua titillatio ab amoris Platonici honeſtiſſima integritate. Hunc ille aſſeruit in Sympoſio. retulit & Plotinus Platonis magnus aſſectator. Hinc & Socrates Delphico ſapiens oraculo amoris ſe fatetur famulum. Et qui rerum omnium diffitebatur ſcientiã, quod Maximus ſcribit Tyrius, ut ſunt uirtutis rationes, atq; opiniones diuinæ, in quibus nimio plus ſibi ſophiſtæ placent, amandi tamen ſciẽtiſſimum ſe profitetur doctorem. Qui ergo ferre Dicæarchũ poſſumus, parum recte parumq; prudenter Platoni Theoninum infigere dentem conatum, quod extra rationis modulum, & prudentiæ præſcriptũ amori habenas laxaſſet? Virtuti, honeſtati, rebus diuinis præfigi meta nulla poteſt. terminos iſta neſciunt, nullis circũſcribunt pomœrijs, quo progrediare auidius, eo cumulatior inde promicat laudum nitor, & perfectio plauſibilior, quã concipit Plato, & mox generoſiore fœtura, ex feraciſſimo promit ingenio, è cuius fontibus ambroſia iucundiore manantibus nil fœdum, nil ſeſe profert non illuſtre, non magnificum, & quod uetus Pythagoreorum ſymbolum, τὸ θεῖον non ſapiat. Nam ut iuxta

Theognin

Theognin, è ſquilla non prouenit roſa, non item hyacinthus, ita ediuerſo ex Platonicis muſeis nil omnino profluit, quòd nænias redoleat Hibericas: grauia omnia, ſublimia, nitida, ſed quæ Delium ſæpe requirant natatorem. Nam Heraclíti tenebras nulla non ingerit pagina. Adeo ferri non poteſt Platonis inſcitus ſugillator, & zoilus quidam ineptiſſimè garriens Trapezuntius, qui in philoſopho perilluſtri eloquentiã ſentit utiq; inenarrabilem adeo, ut ſi natura queat, aut uelit humana uti uoce, non alia uideatur planè uſura, q̃ Platonica in rebus generi accommodatis tranquillo quietoq;: ſed in optimi cuiuſq; perniciem uirulentũ proferri iudicium. Sed ad diuerticulum redeo. Suffragari porrò amoris præſtantiæ gentium quoq; multarũ conſenſus uidetur. Quippe Athenas aduertimus, unde ſciẽtiarum uelut fluenta in orbem terrarum effuſa, Academiæ gymnaſium nobile Pallados quidem numini dedicaſſe: cæterum inibi quoq; amoris ſimulacrum ita excitaſſe, ut res diuina utriq; perageretur. Statuam uero ab Piſiſtrato excitatam, proditur memoriæ, quum amare Charmũ cœpiſſet. Inibi porrò ignem ſolitos ſuccendere, qui lampadas ſacras geſtitant diſcurrentes, auctor Plutarchus eſt. Lege quoq; ſanxit Solon, ne amare ſeruum liceret, ceu in honeſtorũ præcipuè decuriam rem amatoriam ſeuocaret, dignos prolectans, indignos autem reiiciens omnino. Nam & in Piſiſtrati amorem dilapſus fertur ipſe quoq;, qui ſapiens creditur, quando mercaturæ prætextu peregrinari adortus memoratur πλυτηείας ἕνεκα καὶ ἱστορίας. Quin & dicere ſolitum ferunt, γηρῶσκειν ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενον, id eſt ſe multa diſcentem perpetuò, in ſenium ferri. Multis præterea ueneration i Erotidia ſunt, ſicuti Athenienſibus Panathenæa, Eleis Olympia, Rhodijs quæ uocantur Halia. In ſacris porrò popularibus uniuerſim ferè honorabatur amor. Ante congreſſum cum hoſte Lacedæmonios amori ſacra obiſſe, palàm eſt, ceu ſalutem demum ac uictoriam unus is pariat. Quod ipſum ex parte in Creta item factitatum, ſicuti auctor Soſicrates eſt. Iam apud Thebanos ſacra quæ dicitur cohors ex amantibus conflatur amatisq;. Amori autem gymnaſio dicato, Samij, ſacra quæ obeunt, uocant Eleutheria. Platonicus Phædrus magnum eſſe deum amorem comprobat, apud deos homines q; mirandum, quum propter alia multa, tum propter eius originem. Amor certe omnibus ad omnia eſt ingenitus. Quod Dionyſius Areopagita in libro De diuinis nominibus, ex Hierothei ſacellis ſic explicat: amorem ſiue diuinum, ſiue angelicum, ſiue ſpiritalem, ſeu animalem, aut naturalem dicas, inſitiuam quandam intellige, commiſcentem q; uirtutem, quæ ſuperiora quidem ad inferiorum prouidentiam perlicit: æqualia rurſus ad ſocialem ſui inuicem cõmunionem conciliat: ac poſtremò infima quæq; prolectat, ut ad ſublimiora potioraq; cõuertantur, immo ueluti fomite quodam igneo amplius ſuccenſa reſiliant. Quoniam uero extẽte Platonis uidemur apologiã ſuſcepiſſe, amplius aduertendum, tanto uiro nec defuiſſe inter Græcos, qui κακολογίας, id eſt maledicẽtiæ dicacitatisq; illi notã uelint inuſtam. Quando & Gorgias, quum in dialogum ſibi cognominẽ incidiſſet, ad familiares conuerſus dixiſſe fertur, ὡς καλῶς οἶδε πλοῦτων ἰαμβίζειν, id eſt q̃ bene Plato nouit proſcindere. Damnatur item ut κακοήθης καὶ φιλοδόξ☉, id eſt moribus prauis & gloriolæ captator. Antiſthenes quoq; de pectoris ſterquilinio uirulentia in eundem effuſa, eſſe Sattonem pronuntiauit, non Platonem, ædito item tituli eiuſdem dialogo: forte à σάτηω, quod onero ſignat, tanquã humeros præferret oneribus geſtandis natos. Sata uero Hebræa uox eſt, aut Syra, menſuræ genus indicans, ſeſquimodij capax, quod ſcribit Hieronymus: ſicuti Geneſeos capite decimooctauo, cabum legimus, & Batum. hinc illud Matthæi, ἐμφυσῶν εἰς ἀλδύρα σάτα τρία. Eloquentiam ut ad Platonem redeamus, nemo non admiratur, quis enim eo uel inimico iudice, ut diximus, in dicendo uberior? Iouem certe autumant philoſophi, ſi Græcè loquatur, ſic loqui. Quod & Cicero non improbat. Certe adeo ſupra proſam pedeſtrem q; aſſurgit orationẽ, ut Delphico quodam oraculo uideatur incitatus. Poſtremò hunc uelut Moyſem alterum admiratur Numenius Pythagoricus, etiam ſi præſto calumniator eſt, ab eo lectorem falli aſtruens, quoniam Veteris & Noui inſtrumenti uerba Platoni coaptans nunq; tria ſimul, rariſſimè duo, ſingula plurimum hinc inde conſarcinans ex Platonicis libris, nec unde quid ſumatur exprimens, id agat, ut neſcientibus, ab Platone euangelica perſcribi, facile perſuadeat, unde Chriſtianis uiris detrimentũ illatum agnoſcatur magnum quidem, ſed Græciæ maximum, ut quo non queat excogitari maius.

Amor apud Heſiodum quid. Amoris parentes diuerſi. Spartani amatores. Vulgaris amoris uituperatio. Qui ſit anteros, Selemni aquã ab amore abſoluere. De Iynge paucula. Amor, an recte uulgò dicatur cæcus. XXV



Heſiodus uero in Theogonia primò quidem factũ cecinit chaos, mox terram & tartarũ, deinde prodiſſe amorem affirmat. Eum uero locum allegorico, & proinde reconditiore ſenſu quidam interpretatus, Amorẽ, inquit, intelligo non Veneris filium, quo enim pacto naſci hunc concipiamus, matre necdum producta? Verum amorem accipere antiquiorẽ alterum oportet. puto autem eſſe hunc inſitam unicuiq; eorum, quæ ſunt, naturalem uim cauſamq;, qua eſſe expetit unumquodq; : hoc quidem intellectu, illud autẽ ſenſu, id eſt τὸ μὴ νοερῶς, τὸ δὲ ἀιδιωτικῶς. Et amorem quidem ex chao & terra natum fabulatur Heſiodus: at Simonides, ex Venere ac Marte. Acuſilaus, ex nocte ac æthere: Alcæus, ἐκ τοῦ ἔριδος & ζεφύρου, ex lite ac zephyro: Sappho, Veneris & cæli filium prodit: alij etiamnum aliter. Nam & Olen, id eſt ὦλην Lycius, qui peruetuſtos Græcis hymnos concinnauit, in Ilithyæ hymno illius filium amorem facit. Inter deos omnes amorẽ præcipuè Theſpienſes colunt: ſed & qui in Helleſponto ſunt, Pariani. Quod uero ad Platonici amoris pertinet ſanctitatem, qui totus ferè περὶ ψυχῆς erat, οὐδὲ τοῦ σώματος, id eſt animæ, non utiq; corporis, inuenire eſt in ueteribus memorijs, Lacedæmonios eandem hæreſin eſſe conſectatos. Nam inde ſunt celebrati in bello militares ordines, ex amatis amatoribusq; conflati, quos quum Macedo Philippus conſpicaretur, conſpiratu tacito nitibundos, animã omittentes prius q; demigrarent loco, aut mouerẽtur gradu, male (inquit) ſit ijs, qui hoſce putãt, turpia uel facere uel pati. Ex ijs porrò fontibus eſt itẽ Afranij illud, Amabit ſapiens, cupient cæteri. Amor autem formæ, inquit aduerſus Iouinianum libro ſecundo beatus Hieronymus, rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus: turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit. Inde & Plautinus amator in Ciſtellaria, Nullam mentem animi habeo, ubi ſum, ibi non ſum, Vbi non ſum, ibi eſt animus. Diuerſum autem amori deum ueteres Anterota nuncuparunt, ut eſt apud M. Tullium De natura deorũ tertio: Ex Venere ac Marte natus, inquit, Anteros dicitur. Ante Academiæ ingreſſum amoris excitatã fuiſſe aram à Charmo Athenienſiũ primo, epigrammate aſtipulante, Pauſanias ſcribit. In ciuitate uero Anterotos uiſebatur ara, quã μνῆμα dixere ἀνάθημα, id eſt inquilinis dicatam. Quoniam Athenienſis Meles Timagoram peregrinum hominem amore ardentem aſpernatus, ut ſe à petra in præceps daret, imperauit. Quod quũ is, ut qui in omnibus adoleſcenti obſequutũ uellet, animæ etiam num prodigus impleſſet largiter: tanta ſubijt Meletẽ pœnitẽtia, ut ex eadem ad imum ſe mitteret. Vnde factum, ut Anteros Timagoræ ἀλάστωρ, id eſt ultor crederetur τοῖς μνήμασι νομίζειν. In Eleorum gymnaſio, ea parte quæ dicebatur μαλθώ, ſtabant amoris & anterotos Icones, ſed ἔρως palmaceum tenebat ramum, quem auferre niteretur anteros. Athenienſes nanq; & Elei Anterota agnoſcũt, ut numen. Verum in ijs iam complicanda ſunt uela: quoniam ἄλις δρυός, ut dicitur, id eſt ſatis quercus, aut uerius (ut Cicero inquit) ἄλις σπουδῆς, ſatis ſtudij: quod ad amorem attinet, aliubi ad partes reuocandum. Sed illud differendum haudquaq; : fuiſſe in Achaia ciuitatem Argyram nomine, ac fontem quoq;. Et in propinquo fluuium Selemnum, ab adoleſcente dictum, qui Argyræ nymphæ oblaqueatus amore, ac deſiderio extabeſcens ſit à Venere in eum deformatus. Vnde Selemni aquam id adeptam laudis ferunt, ut ea ablutos amore liberet tam uiros, quàm fœminas. Quod ſi eſt, inquit Pauſanias, omni auro pretioſior eſt Selemni aqua. Eſt inter Erotica infamis quoq; Iynx. Propter quod ſcitè admodum procu piditate uehementi dicitur Iynx Pindaro, ἴυγγι δ' ἅλωμαι ἄτορ, νεμνία θυγέμεν. Eſt uero iynx amatoria auicula, prius mulier, Echus filia aut παιθᾶς, quæ ueneficijs præpeditum Iouem in Iûs deſideria coniecit: quo nomine ab irata Iunone eſt in auitium tranſcripta. Illud hic haud præterierim, fingi à ueteribus amorem cæcum, quod liquidò mõſtrauit Theocritus Idyllio, cui titulus θερισταί, ubi ait, τυφλὸς δ' ὢν αὐτὸς ὁ πλοῦτος, ἀλλὰ καὶ ὦ φρόνησος ἔρως. id eſt non cæcus modò eſt Plutus, uerum & curarum amor plenus. Id eo adnotaui libẽtius, q; male feriatos audio nõnullos palam hoc inficiari, tanq; pullato tantũ circulo receptũ, nec à ueterũ ullo ſancitũ. Afferẽ quin etiã ratio, quoniã ſit imprudentiſſimus Cupido: nam ut eſt ab Ariſtotele Rhet. tertio proditũ, In oculis pudor eſt.

IOANNIS MARIAE GORETTI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros, ad reuerendum patrem Hippolytum à Treci Mediolanensem Oliuetani montis abbatem & cœnobitam, Præfatio septimadecima.



Abius Quintilianus, Romanus facile dixerim Aristarchus, iubet optima & statim & semper tradenda. quod consilium, ut expeditissimum, ita etiam uerissimum nouimus: sed à paucissimis satis diligenter expensum. Nam quàm longe à uero scopo aberrauerint, qui maiorum nostrorũ memoria compendium (ut ipsi putabant) quærentes, uix gustatis bonarum artium elementis, statim illotis (quod aiunt) pedibus maximas grauissimasq; disciplinas arripuerunt, mox consequens & patrum & hæc ipsa nostra abunde satis declarauit ætas. Existimabãt enim illi præclarè secum agi, si hisce humanitatis studijs, ut in speciem leuioribus, magno supercilio contemptis, illicò se conferrent ad ardua: quippe quæ aut fructum adferrent uberiorem, aut existimationem maiorem sibi conciliarent apud uulgus. Properabant certe ad præstantissima quæq; : sed εὐπρέπειαν illam, atq; intermedios quodammodo gradus quosdam, aut neglexerunt, aut minime necessarios crediderunt. Quo factum est, ut quæ maxime uidebãtur expetere, non satis plenè, sed ueluti per transennam ac densiore interposita nebula, cognouerint: destituti nimirum præsidio rerum illarum, quæ ad maiora percipienda comparari solent. Atq; id etiam causæ fuit, quo minus insigniter doctos ætas illa media protulerit. Habuit ingenia (fateor) felicissima, uirosq; magnos, Haymones, Hugones, & Richardos à sancto Victore, Rupertos, inter theologos: Fulgosios, Accursios, Panormitanos, Felinos iuris prudentiæ interpretes: Nicolos, Forliuiẽses, Arculanos, Haliabbates, cum tota Arabia, in re medica. Sed hi omnes dum huiusce tenuis (ut uolunt) doctrinæ curã omnem uel abijciunt uel improbant: dij immortales, qualem in uitam hanc barbariem, quales in omnes disciplinas tenebras inuexerunt. Videntur mihi, ne illud quidem nouisse, quod nouerunt: nam iuxta Periclis sententiã, referente Thucydide, Qui nouit, neq; id quod sentit, exprimit, perinde est ac si nesciret. Et quod iam dicebam, patrum nostrãq; hanc ætatem satis declarauisse præproperam præposteramq; in omni literarum genere institutionem, huc pertinet: ut nos scilicet fortunatos nimiũ, bona si nostra norimus, ostenderem. In re medica inuenti sunt, qui relegatis barbaris conuersionibus, omnia ad pristinum nitorem reuocarunt, & ut gnaui agricolæ in bono solo runcationem adhibuerunt: qualis Leonicenus Vicentinus, Linacer Britannus, Guilielmus Copus Basiliensis, Ioannes Manardus: &, quorum gloria adhuc crescit, Antonius Musa Brasauolus, Nicolaus Bonaciolus. Horum enim institutũ tanto applausu à iunioribus exceptum, ut iam nemo sit, qui non malit ex ipsis purioribus fontibus, quàm turbidis riuulis, bibere. Idem in explicatione Platonicæ Aristotelicæq; philosophiæ conati sunt Leonicus Thomæus, & Nyphus Sueſſanus. Idem in mathematicis Georgius Purbachius, Monteregius, Herlinus, Gemma Phrysius. In iurisprudentia Vlrichus Zasius, Budæus, Oldendorpius, Alciatus. quanquam in hac professione bona pars ita mordicus retinet barbariem, ut nonnulli coacti sint totam interpretandi rationem ad arbitrium scholasticorum & nostri fori gryphos conuertere, quum contrà fieri oportuerat. Iam uero (quæ sua dignitate maiestateq; prima nominanda fuit) in theologia Christiana, ubi Augiæ stabulum repurgandum, multi fuerunt quorum opera, si grati uideri uolumus, adiuti sumus. Sed quum ex his nonnullis obstet uel liuor iniquus, uel prauum morosorum hominum iudicium, uel maligna calumnia potius, unum atque alterum, quos iam mors ab inuidia liberauit, nominabo. primumq; proferam magnum illum heroa Desiderium Erasmum Roterodamum, uirum quum in omni disciplinarum genere maximum, tum in hac parte sepso quodammodo maiorem. Huic tanquam Herculi Theseum, adiungo Fabrum Stapulensem. Quid, obsecro, omnes isti effecissent sine cognitione linguarum aliarumq; bonarum artium? idem, opinor, quòd architectus non adhibita

hibita calce, non ligno, non lapidibus in maximis & ampliſſimis erigendis ædificijs. Sed næ ego iam ſum ineptus, qui longius exempla mihi petenda putem, quum tu præſtantiſſime uir, unus multorum mihi inſtar eſſe poſſis: num ſine maximarum rerum cognitione ad ampliſſimas dignitates euectus es? Quid, quæſo, cauſæ fuiſſe exiſtimas aliud, quum ueſtrum collegium, atque adeo uniuerſus ſacer ſenatus, te dignum ſuis ſuffragijs decerneret, cui adminiſtrationē grauiſſimorū negotiorum committeret, quàm quòd te ſumma eruditione, exactiſſimo iudicio, & illo quidem longo rerum uſu confirmato præditum cognoſceret? In omni præterea uita conſtantem & grauem, non uoluptate, ſed recto officio cōſilia moderantem, eccleſiaſtici denique ciuiliſq; negotij non ignarum. Quas tot tantasq; animi dotes nunquam poſſideres, ſi hæc manſuetiora ſtudia ſuo tempore non adhibuiſſes. Quod idem & huic noſtro accidit Cælio, qui ſi eruditius quædam uidebitur ex Platonis, Ariſtotelis, ac reliquorum placitis interpretari, quàm conſueuit rudioris ſeculi uulgus commentatorum, attribuito & Græcis & Latinis literis politioribus, quarum perſtudioſum eum fuiſſe in omni uita, facile teſtabitur & Antiquarum lectionum opus iam ſatis pridem euulgatum, & nouæ iam acceſſiones copioſiſsimæ, uarijſq; rebus cognitu digniſsimis refertæ. De cuius operis æditione quum Camillus Richerius affinis meus, homo tui ſtudioſiſsimus, nonnihil ſollicitus eſſet, ac oculum (ut aiunt) circumferens, diſpiceret quibus conuenienter inſcribi poſſint libri aliquot: inter multos, tu uenerande Hippolyte, mihi occurriſti, unus omnium maximè dignus, qui huiuſce nuncupationis particeps fores. Quam meam ſententiam ita approbatam à Camillo ſtatim uidi, ut ipſe ſibi hunc ſcribēdi laborem libenter ſumpſiſſet, niſi perexiguo temporis ſpatio plures ſeſe obtuliſſent epiſtolæ dedicatoriæ conſcribendæ: præſertim quum Arlenius Peraxylus noſter, qui ſuam hac in re nobis operam impertire uoluit, affirmaret Frobenianos apud Baſilienſes iuſtis operis æditionem maturare. Accipe igitur reuerendiſsime pater, hoc à me qualecunq; noſtræ amicitiæ μνημόσυνον. Et dum per maximas occupationes & ſeueriora ſtudia tibi integrum fuerit, ſucciſiuas aliquot horas dabis hiſce legendis libris. Quod quoties feceris, toties meæ ſemper in te beneuolentiæ, obſeruantiæ ac pietatis agnoſces indicium. Deus te nobis diu ſeruet incolumem. Vale.

Ferrariæ, nonis Nouembris, anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI DECIMVSSEPTIMVS.

Inſaniæ cauſa ex atræ bilis uitio. Phlegmatici humoris, & melancholici deſcriptio. Enthuſiaſmus. Effectus porrò uariſ humoris bilioſi, quo ad mores. Phyſodes melancholia. Caput I



AGITAVI DIV MÈCVM, quæ nam foret huius intemperiei ratio, qua homines ſæpe ita à rationali abeunt ſenſu, conſternanturq́ prorſum, ut mira quædam ac ſtupenda contingere illis, animaduertamus. Comperi deniq́ parte plurima hoſce affectus admirabiles adeò, tamq́ omnino inopina biles, bilis atræ, quam melancholiam uocant, uitio proueniré. Quid ueró hoc nomine ſit prudẽtioribus intelligendum, inſinuat Galenus libro De interioribus tertio: Phlegmaticos, inquit, ſeu pituitoſos humores, intelligo abſolute, quibus humiditas & frigiditas dominatur: melancholicos uerò, quibus frigiditas & ſiccitas. Propterea Ariſtoteles: Atra autem bilis, inquit, non per ſumma, ſed natura penitus frigida, ſi modum excedit, hominẽ facit attonitum, aut obtorpentem, aut anxium, aut formidoloſum, quum materia eiuſmodi ſcãdat cerebrum: ut Galenus idem approbat planè. Et in ſententijs Hippocrates, Si mœſtitia & metus longo tempore tenet, atra bilis in uitio eſt. Et ſuper eodem loco Galenus idem: Conſtat, inquit, quoſdam inſanos euaſiſſe ob iracundiam horridam excandeſcentiam' ue, aut triſtitudinem atrocem & immanem, quia corpus perpeſſum ad hos affectus idoneum paratumq́ fuerat. Et Auicenna primo Canonis, Quum multa abſque cauſa ſeſe oſtentarit triſtitia, humoris aduſtio euacuati neceſſaria, ne in melancholiã dilabatur. Si uero humor is admodum incaleſcat, ſecuritatem animi cantilenasq́ parit, & mentis alienationem, ac ulcerum eruptionem, & alia plerunq́ generis eiuſdem. Bilis quippe atra, ferri inſtar, quando multum ad frigus intenditur, friget ad ſummum: quando contrà ad calidum ualde reclinatur decumbitq́, calet ad ſummũ. Quod mirum uideri non debet, ſiquidem uidemus calcem illi ſimilem aqua perfuſam feruere ſtatim, atque exurere. Quòd ſi uictu quotidiano redundet, mores nihil immutat, ſed morbũ melancholicum tantummodo creat. At quibus habitus natura talis conſtiterit, mox his multa, & uaria morum genera exoriũtur, uelut alius aliam habitus intemperiem ſortitus eſt. In quibus enim multa & frigida bilis eſt atra, hi ſtolidi ſunt & ignaui. In quibus permulta & calida, hi perciti & ingenioſi, amaſii, propenſi ad omnem excandeſcentiam & cupiditatem, nõnulli etiam loquaciores. Multi item, quod ille calor ſedi mentis in uicino eſt, morbis ueſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico efferueſcunt. Quos, ut Paulus inquit, ἐνθεασικοὺς nuncupant (Nam ἔνθους, dicitur furens, & πνευματοφόρος. At enthuſiaſmus eſt, quum anima ex deo illuſtratur tota) ex quo ſibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur: quum id non morbo, ſed naturale intemperie accidit. Proinde M. Tullius: Ariſtoteles, inquit, eos etiam qui ualitudinis uitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens, atque diuinum. Maracus ciuis Syracuſanus poeta, etiam præſtantior erat, dum mente alienaretur. Sunt qui ſcribant, mulierem illiteratam, dum atra bile agitaretur, latine loqui conſueuiſſe: ceſſante uero ægritudine, nõ quiuiſſe. Quod autem ex habitu melancholico effici Ariſtoteles opinatur, ut ſæpenumero angamur, & animo ſuccumbamus, aliàs ſecuritate geſtiamus, multi etiã præ mœrore mortem ſibi laqueo conſciſcant: Auicẽna prima tertij, cauſam ſe horum effectuum ignorare, fatetur ingenuè. Quod ipſum & Serapio facit, qui tamen bilem atram, rem adeo diram, adeoq́ meticuloſam uidetur putaſſe, ut à malo dæmone eius impetus excitari confiteatur, & Auicenna ſapiens non negarit. Archelaus Macedonum rex atræ bilis habitu ſibi maiorem in modum confidebat, & nunquam non ſpei plenus erat. Macri; inquit tertio De locis

affectis, ſiue De interioribus Galenus, & nigri ac hirſuti, & quibus latæ ſunt uenæ, aptiſſimi cenſentur, ut huiuſmodi in ipſis humor cumuletur. Fitq; interdū, ut rufo colore homines affatim in melancholicā temperaturam recidant. Poſt hos uero flaui, Idq; ſi uigilijs multisq; fuerint laboribus innutriti, ſolicitudine addita, & uictus tenuitate. Melancholicæ genus tertium, dici Paulus ait, φυσώδεις ἡ ὑποχονδριακόν, ex inflammatione hypochondriorum circa ſtomachum.

Exempla inſaniæ maximè mira. Alienatio in morbis unde ſit. Lucretij furor, & Accus delirium inopinabile: item Piſandri. Interim ſtomachi cum capite ſympathia. Lucretij delirium. Minyæ filiarum admirandus appetitus. Item de Timanthe ac Cleomede. Ebrietatis exemplum inauditum. Adriani furor. Herba inſaniam concinnans lapides uerſandi. Caput II

SEd & illa magis utique miranda: Imaginatio corrupta, & præter naturam, nec unius ſpeciei. Quoſdā inuenias, inquit Galenus tertio De interioribus, ſiue De affectis locis, qui ſe putent figlinum uas, quamobrē contactū hominum, & omnino propinquitatē expaueſcunt, ne quo modo cōminuantur decurtentur ue. Alij gallum conſpicati, prius q̄ ędat cantum alas excutere, ipſi quoq; cōſimiliter brachia motitāt, mox & canunt. Sunt quos perpetuo timor percellat, ne mundum fulciens Atlas, ſeruansq; laſſeſcat, isq; feratur in præceps, & omnes una pereant ruina. Proinde fugam ſemper meditantur, ut (ſi fieri poſſit) ſeſe extra mundana clauſtra prorípiāt. Proditur autem cæleſtium rerum ſtudioſis, ſi hora ea, qua partus cōpletur, aut fuerit terræmotus, aut cælum tonuerit, quiſquis eo ſtatu in lucem prodierit, ſemper futurum corpore tremulum ac inſtabilem, & qui dubio greſſu trepidantibusq; ueſtigijs tectorum labem reformidet, ac tonare perpetuo louem, opinetur, quati terram, & naturæ totius lapſum anxie ſibi confingat, unde humanioris uitæ proturbetur ordo mire præpeditus. Et cuidam prædiuiti famem timenti, inquit Celſus, ſubinde falſæ hæreditates nunciabantur. Timor, triſtitia, uitæ præſentis tædiū, odium quoq; hominum eſſe uidentur melancholicis communia omnibus. Amare mortem, non ita. Attamen pleroſque inuenias mire exoptantes eam. Hippocrates melancholicorum accidentia duobus cluſit, timore, & mentis corruptione: qua quicquid uident, odio habent, & triſtes ſemper uiſuntur, & perterriti. Nam ſicuti tenebricoſa loca plerumque timore perfundunt, ſic & bilis atra mentis loco ſe circumfundens, pauorem inducit. Alienationes uero, quæ in febribus pérſæpe eueniunt, fieri creduntur ex colligatione cerebri cum alijs membris, non ex ęgritudine in eo concepta. Propterea eiuſmodi nec maniacos dicimus, nec melancholicos, non item phreniticos. Eſt enim alienatio hæc, accidens acutiſſimæ febris, proueniens ex uaporis calidi multitudine, cerebrum ſcandentis. Habet enim ſtomachus cum capite ſympathiam. Cuius ratio eſt in neruo magno, qui à capite ad ſtomachi os protenditur, quo fit, ut præter alia membra id ipſum ſtomachi os amplius ſentiat. Sed redeo ad inſanorum inuſitatā ſpeciem, Qua in parte non eſt Euagoræ Cyprij Regis repentinus furor latius explicandus. T. Lucretium in libro Temporum, legimus, amatorio quidem poculo in deliriū abijſſe, uerum ita, ut interuallata interſecta q̄ inſania carminibus concinnandis libriſq;, ſpatium daret. Quos ad obelum & unguem reuocatos, Cicero poſtea deterſerit. Mox tamen ægrius ferens, ſibi manum admouit. Sparſum taceo, quem ſcribit Seneca inter ſcholaſticos inſanum, inter inſanos ſcholaſticum. Minyæ cuiuſdam filias eo percitas furore legimus, ut humanis ueſci carnibus appeterēt. Imò etiam filios ad eam rem ſortirentur, ac Leucippam, Hippaſum filium quem petierat ſors, laniandum exhibuiſſe. Eſt mania, ſiue furor item, ubi leuiſſimis de cauſis mortem quis ſibi pergit cōſciſcere. Quod Cleonęo factum Timanthi eſt pancratiaſtæ, qui quum athleticā deſiiſſet, uirium tamen tentamenta capiebat, arcum ingentem quot diebus intendens: cęterū, peregrè profectus, receptam intermiſit meditationem: reuerſus poſtliminio, quum ſe itidem experiretur, non ualens amplius arcum intendere, in ſuccenſam uiuum ſe pyram immiſit. At Cleomedes Aſtypalæeus pycta, quum in pugna Iccum peremiſſet, ac eo nomine ab Hellanodicis foret dānatus, & exutus uictoria, triſtitudine inſaniuit. Reuerſus Aſtypalæam pergens in puerorum diatribam, ſubuerſa, quæ tectum fulciret, columna, puerisq; ad ſexaginta

ſexaginta attritis, à ciuibus ad ſupplicium quæſitus, in Pallados ſacellum defugit, ac in κιβωτόν, id eſt arcam, ſeſe intruſit: qua mox conſciſſa, nuſquam eſt compertus. Apollo ſuper iis conſultus reſpondit,

ὕσατ' ἠρώων κλειομήδης ἀσυπάλαιος,
οὐ θυσίας τιμάτε μηκέτι θνητὸν ἐόντα

Cæterum Acco, cuius apud Plutarchum mentio eſt, in commentario De Stoicorum contrarietatibus, profeſſæ inſaniæ mulier, præcipue mira inter omnes eſt, qui à communi ſenſu ſequeſtrati adeo demẽtant (ut Apuleij uerbo utamur) adeoq; obbruteſcũt, ut nullatenus uice hominum ſint, mentis illo uigore diuino interextincto. Fuit igitur Acco eius delirij, ut cum ſe amplius contemplaretur in ſpeculo, ſicuti in epitome paræmiarum Tarræi ac Didymi relatum inuenio, imaginem ſuam perinde ac mulierem alteram alloqueretur, innueret, ſummurmuraret, arrideret, interdum cõminaretur, promitteret, ſubblandiretur, & quicquid confabulantes ſolent, numeris omnibus impleret. Nec ſatis, argumentum ueſaniæ conſtantis alterum: ſcribunt alij, etiam clauos non nunquam ſpongia, ueluti malleo impingere conatam. Expinxit & ſuis Piſandrum ueſania coloribus, qui terrore maximo perfundebatur, necubi animæ ſuæ occurreret, à qua uiuus eſſet deſtitutus. Verum, nec tranſiliamus hac parte mirum præcipue exemplum uinolentiæ, raro aliàs percognitæ. Auctor Timæus eſt, fuiſſe Agrigenti domum quandam cognomento τριήρη: id eſt triremem, euentu tali. Adoleſcentes aliquot illuc conuenientes conuiuium hilarius agitabant, mox, uti aſſolet, quum incaluiſſent uehementius, ita decuſſi mente ſunt, itáque externati, ut in triremi ſe opinarentur conſtitutos, mariq; altius undabũdo, hyemem ingruere atrocem. Proinde, uelut naufragium ueriti, tanquam egeſtis, quæ intus forent, nauigium facturi leuius, uaſa omnia, & quicquid mero feruidis occurrebat, in uiam, ceu in mare feſtinantius iactare adorti ſunt, accurrentibus hinc inde, qui proiecta diriperent. Inſequenti die, ubi affuere magiſtratus, factum coarguentes, quum illi necdum ſatis edormiſſent, reſpondere, ſe mortis metu præoptaſſe, quæ in naui forent, diſperdere, & fluctibus deuorari. Admirantibus mentis ſtuporem uniuerſis, qui inter eos uidebatur natu grandior, Ego ò uiri Tritones præ formidine infra thalamos me conijciens in imo iacui. Quumq; amplius delirare animaduerterentur, dimittuntur ab ignoſcente magiſtratu, commoniti modo grauius: cauerent in reliquum inuitationem eiuſmodi brutalem. At illi, uelut gratiam fatentes: Si, inquiunt, ſeruati ex tam procelloſis undis portum fuerimus aſſequuti, inter marinos deos uobis, ut ſeruatoribus in patria ſtatuas ſurrigemus. Auctores habeo, Oreſtam ad Hebrum ciuitatem ab Oreſte conditã, fuiſſe Adrianopolin nuncupatam de principis Adriani nomine, qua tempeſtate is furens, ac ciuium cæde ad libidinem graſſatus reſponſum accepit, In furioſi cuiuſpiam domũ obreperet. Nam inde remollitam inſaniæ uim, proditum literis eſt. Quumq; furenti ſenatores ſubtraxiſſet pleroſq; Antoninus, etiam Pij cognomentum eſt aſſequutus. Illud nec tranſiluerim, Antonianis militibus per ſqualentia loca ex Parthis redeuntibus herbam eſſe compertam quę letiferam conciinnaret inſaniã, ſic ut ueſcentibus incumberet opus unum lapidem mouere omnem, acuerſare, quum præterea nil aliud memoriæ inhæreret. mox uero bilem conuomentes moriebantur. Huic malo ſolum eſt uinum ἀνυπαθὲς.

De ratione item delirij, ex medicorũ doctrina. De imaginoſo, & nocumentis imaginandi potentiæ, necnon cogitatiuæ, & memorialis. Quot modis dicatur phantaſia. Phãtaſtici cur dicantur. Catulli locus explicatur. Cornelio item Celſo lux infertur. Interim Theophili deliriũ, & Galeni, ac Thraſylai, Bizari qui, & unde, necnon Macarones. Caput III

CAeterum ingrediamur parumper medicorum ſcholas, non ut transfugæ, ſed ut exploratores, præfloraturi quod haſce lectiones adipoſiores ac ſuculentiores faciat, ut lubentia ipſa lubentiores, ut ſalibus Poetæ nobilis interim utamur, ad legendum noſtris initiati teletis adlubeſcant. Auctor Auicenna eſt ſextæ primi, Animalem uirtutem duas continere poteſtates, apprehenſiuam, & motus compotem. Apprehendendi uim bifariam item diſtribuit: aut enim manifeſta fit apprehenſio, ut quum ſenſu aliquid percipimus: aut clandeſtina, & latens.

De hac uero Galenus, & medicorum plerique agẽtes, quantum ad ſanitatis pertinet cuſtodiam, & ęgritudinum curam, trifariam modo diſtribuiſſe contenti, Imaginandi uim ſtatuere, qua ſenſibilia apprehenduntur omnia. Item cogitandi facultatem, ſiue diſcernendi, quæ facienda à non faciendis diſcernit. Sequitur poſtremo memoriæ poteſtas, quæ præterita nobis ſuggerit. De ijs igitur tertio Morbi Galenus agens: deq; accidentibus earum, ab imaginatione ducit exordium, ac eius eſſe nocumentum unum putat, qui dicatur ſtupor. Aliud quod congelatio, Aliud alienatio. Nocumentorum uero diſcretiuæ potẽtiæ aliud dicitur ablatio, ſicut amẽtia. Aliud diminutio, ut ſtultitia. Aliud corruptio, ut deſipiẽtia. In memoriali autem poteſtate, aut deſtructio ineſt actionis, ut in Lethargia, aut deminutio motus, & uocatur Inſania. Eſt & aliud, quod inſaniã item dicimus. Nam alienatio duobus modis fit, aut non bene imaginamur, aut parum rectè recordamur. Porrò imaginandi potentia oblædi ſola poteſt, incolumibus alijs, ſicuti Theophilo medicæ artis perito cõtigiſſe nouimus, qui quum decubuiſſet æger, in angulis domus occinentes arbitrabatur adeſſe tibicines, cantoresq;. Quumq; conualuiſſet, integra mente narrabat omnia, quæ in ægritudine concepiſſet. Vnde liquido coniectatum, diſcretiuam uim, ac memorialẽ gradum tenuiſſe, imaginatione tantum oberrante, ac extra quadrum, quod aiunt, promota. Nam & diſcernendi potentiæ modo inferri nocumentum poteſt, cæteris duabus lineam non mouentibus, memorabili cuiuſdam exemplo, qui Romæ occluſis ædibus, de feneſtris uaſa tranſeuntibus oſtentabat, ſciſcitatus, an allideret? Cæterum, quia unumquodq; ſuis appellabat nominibus, manifeſtum fit, memoriã, imaginationem q; minime oblæſas fuiſſe, cogitandi, ſeu diſcernendi poteſtate deminuta, quoniã quid faciendũ foret, parum diſpiceret. Nam & poſtremo ſcitari perrexit, an etiam puerum præcipitaret, annuentibusq;, confeſtim impegit. Huic uero diuerſam, dum puerum ageret, Galenus expertum ſe affectionem prodit. Nam quum per æſtatem febris quateretur ardore, ex cubili prominentes atro colore feſtuculas uidere ſe opinabatur, ueſtes quoq; floccorum plenas. Quos quum ſubinde carptim colligere adniteretur, & ex aſtantibus dixiſſet amicus quidã, Videtis ne hunc iam floccos conuellere, ac congregare feſtucas? Aduerti inquit, quæ dicerentur, nam ratio mihi prorſum conſtabat. Et recte inquam dicis, proinde aduertas amplius, ne in phrenetios dilabar malum. Scribit porrò Thucydides, peſtilẽtia quadã atrocius graſſante: infectos ea tantam obrepſiſſe omnium inſcitiam, ut parentum, amicorum, & ſui met obliuiſcerentur. Sciendum præterea: phantaſiæ nomen uarie capi tum à philoſophis, tum à medicis. Eſt enim quandoq; Phantaſia intellectus, uel rationis deprauatio, uel cogitationis, proinde à communi iudicio deuios ſimplex uulgus phantaſticos nuncupat. Nam & tertio Interiorum Galenus: Affectio, inquit, quæ dicitur phantaſia, nil aliud eſt, quàm intellectus corruptio. Eſt item phantaſia phantaſticæ uirtutis operatio, ſcilicet motus à ſenſu ſecundum actum facto. Ita nanq; ab Ariſtotele, ſecundo De anima deſcribitur. Tertio dicitur phantaſia de theſauro, ſeu uirtute animali formarum ſuſceptarum prius in ſenſu cõmuni, cuſtode. Ex ijs uero, quæ latius perſequi collibuit, dilucet, opinor, Catulli ſenſus illis uerſiculis,

Non eſt ſana puella, nec rogate,
Qualis ſit, ſolet hæc imaginoſum.

Nam & Cornelius Celſus indidem mutuari lucem poteſt, Quippe tertio medicinæ libro, phrenetios ſpecies exequens, tertiũ inquit, inſaniæ genus eſt, cuius ſpecies duæ ſunt: nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem inſanientem Aiacem, uel Oreſtem poetarũ fabulæ ferunt: quidam animo deſipiunt. Nam quod lepidiſſimi poetæ ſenſum ad ſpeculi rationem reuocant nonnulli, aut laruas neſcio quas concipiunt, ægri ſomnia cẽſenda ſunt, quæ inter ipſas quoq; ineptias euanuerint. Quod ęquo animo accipiant quæſo, legentes, neq; enim mihi cum quoquam commiſſum, ut Liuiana utamur phraſi, bellum eſt, imò nec occultius quidem. Verum uix tempero mihi in tanta plerunq; ſciolorum inſcitia, calamo nimis prurientes, quanquam auribus præſtaret. Noſtram uero interpretationem ad uerbum ferè, in Catullum æditis commentationibus, nuper ſibi tyrunculus quidam aſſeruit, uindicias nil ueritus, ut qui æditionem alteram non expectarit. Verum dicẽdi genus planè puerile, ut alia taceam, facile ab impoſtura

poſtura lectorem uendicabit. Tametſi amplius in eo ſibi placet, quàm in anulo Polycrates, ut eſt apud Libanium. Lego in ueterum monumẽtis, Thraſylaum eo percipi fu rore ſolitum, ut Piræum ingredientes naues, ſuas arbitraretur. proinde abeuntes, remi grantesq; ingenti applauſu excipiebat, quod ſi qua naufragium feciſſet, nil inde mœro ris cõcipiebat. Hunc fratris cura ubi à morbo abſoluiſſet, narrabat, nunquam ſe uixiſſe iucũdius quàm furoris tempore, quoniam abeſſet triſtitia, uoluptas fuſim arrideret. Dignum uero relatu, imaginoſos id genus homines dici paſſim Byzaros, credo, ab inconditis moribus populorum, qui in Ponto dicuntur Byzares, ut inquit Stephanus, meminit Valerius Flaccus, Byzaresq; uagi. Sunt & in eo terrarũ ſitu Macrones quoque, quos ab Eubœa colonos arbitrantur, unde & nomen, quoniam Eubœa quãdoq; Macris ſit nuncupata, quod Dionyſius Chalcidenſis ſignificat. Alij uero dici Macronas putant, quia apud eos plures comperiãtur macrocephali, id eſt capitis iuſto longioris, ut apud Perſas grypos inuenias pleroſq;, id eſt aduncinaſi. Ex hac doctrina, cuius auctor mihi eſt Apollonij interpres, demanaſſe puto, ut hebeti iudicatu, rudesq; homines Macaronas dictitet ſimplex plebecula, cui ſæpe imprudenti allinitur quippiam ex uetuſtatis colore ſucculento.

Delyrium quandoq; ex imbecillitate contingere. Triplex delyrij ſpecies, cum riſu, ſtudio, & agreſti mentis ardore. Ecſtaſis. Iupiter Cappotas. Alieni qui intelligãtur, & coalemi. De catacopis, & paracope, & enthuſiaſmo, Mammacuthis, & diuinaculorum fraude. Gyrgatum quid. Blennus, blenna. Diana Hemereſia. Luſus regio. Pœcilliæ piſces, Maniæ deæ. Digiti monumentum. Ace locus. Potniades deæ. Acmanos regio. Sophroniſter lapis.

Caput IIII

VErum, ut incudem eandẽ ſubinde, quod dicitur, porrò tundere pergamus, apud Galenum itẽ legimus ex Hippocratis doctrina, mentis cõmotionem quandoq; ex defectu cõtingere, quo manuum, ac pedum tremores. Hæc ſi quidem membra propter potentiæ ipſa mouentis imbecillitatem infirmas habent motiones, ita & cerebrum uacillat, delirumq; euadit, quo nomine nec uehemens admodum id unquam exiſtit commotionis genus, ſed mediocre, & ut quiſpiam dixerit, ioculare, nugatoriumq;, & uelut puerile, ac facetum. Solet enim Hippocrates iocos, & nugas uocare inſaniam mediocrem, quaſi feſtinam, non mordacem, nec ſerio uſurpatam. Quod uero ex defectu nonnunquam contingat deſipientia, ſuggerit argumentum Hippocratis aphoriſmus, qui ſeptimo libro inſertus ita legitur. A profluuio ſanguinis deſipientia, & conuulſio, malum. Idem Hippocrates alibi: Delira, inquit, quæ cum riſu accidunt, tutiora ſunt, quàm quæ ſerio. Nullum delirium, Galenus ait, citra periculum eſt: attamen cum riſu minus habet diſcriminis. Quod enim furibundum & efferum & agreſti quodam mentis accidit ardore, maximo cum periculo eſt. In meditullio autem utriuſq; eſt, quod cum ſtudio eſt, ſeriumq; delirij. Omnia uero delira cerebro accidunt affecto, ſiue per ſeſe, ſiue per conſenſum & affectum cõmunem. Differunt autem inuicem per cauſas ipſas efficientes: ſi enim calore cõſiſtit delirium duntaxat, citra nocuum ſuccum, ſimile quodammodo ei eſt, quod ex ebrietate contingit. Si flaua bile, cum ſtudio infeſtat, quæ ſi impendio cremetur, ut iam ad bilis atræ naturam accedat, inſania fit ſatis furioſa. Plutarchus tria & ipſe genera uidetur agnoſcere, melancholiam, phrenetin, paracopen. Sunt qui hanc deminutionem interpretentur. Nam idem alibi Plutarchus Catacopos furore percitos intelligere uidetur. Ecſtaſin, id eſt ἔκστασιν, Galenus finit ὀλιγχόνιον μανίαν, id eſt inſaniam perpetem. ἔκπληξις ab eodem dicitur διανοίας ἔκστασις, id eſt cogitationis ſtupor, ex repentina conſternatione extrinſecus adueniente. Alienos in hoc genere nuncupat Firmicus Matheſeos tertio, Si cum ſole, inquit, in octauo ab horoſcopo loco Mars, aut Saturnus fuerint inuenti, facient alienos, delyros, aut phreneticos. Nam qui ſtulta meditantur & cogitant, Coalemi uocantur. κωλύειν, cogitare indicat, uel ſentire: ἀλλήματα uero fatua dicuntur. Hinc Cimoni cuidam Plutarchus ſcribit, ob amentiam, Coalemi cognomen factum. Enthuſiaſmus eſt quidem mẽtis ſtupor, ſed ex illuſtratione diuina. Mammacuthum inuenio quendam fuiſſe ſola illuſtrem fatuitate, ſicuti fuit & Melitides: unde apud Ariſtopha-

nem, κεχλιῶτες μαμμακυθοι dicuntur, id eſt hiantes Mammacuthi. Hinc factum opinor, ut homines id genus quandoq; Mamaluchos dicamus. Gyrgathum uero lectum dicebant, in quo mente deuij & ſpiritibus afflati immundis uincti diſtinerentur uerſarenturq;. Vnum ueteris impoſturæ ac uanæ ſuperſtitionis documentũ præterijſſe hac parte nequeo: halicaccabi radicem ſolitos bibere uaticinãdi callentes, quòd furere ad confirmandas ſuperſtitiones aſpici ſe uolebant. Quia uero inſaniæ perſequimur ſpecies, uenit in huiuſmodi pragmatiam gynæcomania, uenit & ortygomania, doxomania, ornithomania, & id genus alia plura, quum quis in re quapiam debacchatur præcipue. Blennum Græci, id eſt βλεννόν, ignauum dicunt, & fatuum. Eſt & βλέννα apud illos μύξα, id eſt mucus: ſed per ρ ſcribere malunt alij, πλέννα. Nec prætereatur illud hac parte: tribus à Gythio ſtadijs in Laconia lapidem ſtetiſſe illaboratũ, in quo quum ſediſſet Oreſtes, ceſſaſſe à furore, Pauſanias ſcribit: ac propterea, inquit, ex Doricæ linguæ proprietate dicitur lapis Iupiter καπαῶτας, uti ipſe interpretor, παρὰ τὸ καπαύειν, quod communi lingua καταπαύειν enuntiatur, ſignatq; ſedare. Pindarus in Nemeis,

Κρέοσων δὲ καπαύει δίκαν τὰν προδόταν ἀνήρ.

Hoc uero cenſeri eo debet grauius, quòd Græcus uir Muſurus, Latineq; ſcientiſſimus, Venetijs, Pauſaniæ ſenſum quæſitus à me, palàm ignorari à ſe, citra ruborem eſt confeſſus. Ab hoc uero haud ita diſparatum illud quoq;: eſſe ſpeluncã in montibus ſupra Nonacrin, ad quam furentes Prœti filiæ defugerint: ſed mox, arcanis quibuſdam ſacrificijs ac purgationibus, eas in regionem cui nomen λασοῦς, perduxit Melampus, ac perſanauit in Dianæ templo: quam ex euentu, ἡμεραλόσιαν nuncuparunt Clitorij. Sunt hi Arcadiæ populi, & Clitor fluuius, qui in Aroanium influere narratur: in quo flumine reperiantur piſces pœcilliæ, quibus ſit uox turdorum aſſimilis. ſed ſunt, qui parum conſtanti fide id proditum uelint. In Arcadia porrò pergenti ex ciuitate quam μεγαλίω uocant, Meſſeniam uerſus, dearum occurrit templum, quas & regionẽ ſimul templo circũiectam, μανίας nuncupant. Eas eruditi Eumenidas interpretantur. Illuc item furore correptum peruenisſe Oreſtem ferunt. Quin & à templo haud longe fuiſſe ſupercilium, in quo uiſeretur Ἀλκτύλου μνῆμα, id eſt digiti monumentum: quod furoris ui ibidem digitum ſibi Oreſtes arroſum uoraſſet. Quo facto, Eumenidas illi ſealbas ingeſſiſſe, quum prius nigro colore occurrerent formidoloſæ, ac ita demũ reſipere cœpiſſe. Vnde & Ace, id eſt ἄλη, dicitur locus, ubi adhibita primum medela eſt. Apud Potnias Bœotiæ ciuitatem fuiſſe puteum, legimus, ex quo ſi aquam hauſiſſent equæ indigenæ, furoris ui concitabantur. Sed & inde Potniadas nuncupari deas, comperimus, quas μανιοποιούς interpretantur. Ab Lycophronis proditum interprete eſt, Melanthium Antiochiæ regionem, quia inibi à furore Oreſtes interquieuiſſet, cœpiſſe Amanon dici. Brocum, accentiuncula in fine locata, ſtultum accipiunt Græci. In prio re autem ſyllaba attelabum indicat uox, & locuſtam. Broccos intelligunt Latini, quibus prominent dentes. Brocci cuiuſdam meminit Cæcilius, alterius etiam Seneca. Illud porrò adieciſſe nil obfuerit, Herculem inſania uehementius agitatum, quum uel Amphitryonem interfecturus uideretur, lapide à Minerua impacto, eſſe cõſopitum, ac lapidem σωφρονιστῆρα nuncupatum. Verum fœcunda in gente Meneni, ut Horatius inquit, uerſari diutius, abutentis otio fuerit. Id itaq; quod ſequitur, perpendiſſe magis operæpretium ſit.

A quibus traditum ſit, Ingenioſos melancholicos eſſe: ac quæ ſit eius rei ratio. Bilis atræ ſpecies. Lux ſicca, anima ſapientior, quid ſignificet. Cholera quid. Cap. V

PLato in libro De ſcientia, ingenio pollere eos præcipue ſcribit, qui furore quodam percipi atq; concitari ſoleant. Democritum quoq; prodidiſſe, animaduertimus, ut quiſq; ingenioſiſſimus ſit, ita maxime quati furore. Quod ipſum & in Phædro approbari uidetur, ubi enotatum inuenias, Poeticas fores fruſtra abſq; furore pulſari: quanquam haud ambigo, diuinum quendam intelligi afflatum ea parte à Platone. Verum, nec eum ipſum naturæ rerum periti aſtruent contribui, niſi melancholicis. Sed & Ariſtoteles, quoſcunq; in quauis facultate præſtantes melancholicos extitiſſe pronũciauit, Vt me (inquit Cicero) nõ pœniteat hebetiorem eſſe

esse. Nam & heroica dicitur affectio, id est ἡρωικὸν πάθος. Cæterum, cur ita contingat, hoc est quod diu & anxie quærimus. Nam sunt quibus Aristoteles parum satisfaciat, affectantibus semper ingeniorum acuminibus quiddam adiposius, plenius, diuinius. Proinde in hac quasi comitiaria doctorum statione imbuti utriusque philosophi mysteriis, præcipue tamen Platonicis, medicæ quoq; artis claritate illustres, tam abditæ quæstionis inuolucra, fulti etiam ope diuina, sic fermè explicare aggrediuntur. Vt primum quidem melancholiam, id est bilem atram esse duplicem contendant: quarum alteram medendi scientiã professi, physicen, id est naturalem dictitent: alteram uero adustione contingere, asseuerent. Et physicen quidem non ferè aliud uolunt, quàm densiorem sicciorem q; sanguinis portionem. κατακαιομένην uero, id est adustam, in quatuor species partiũtur: aut enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis, aut pituitæ salsioris combustione concipitur. Ex adusta, iudicio & sapientiæ nocumenta inferuntur: dum enim exardescit humor is, crematurq;, furorem concinnare solet, & concitationem commoliri. Sicubi uero restingui contingit, eo quod subtilius est clariusue euanescente, unaq; modo fuligine uelut subsidente tetra, stolidi concinnantur & stupidi. hunc uero habitum, melancholiam dictitant proprie, amentiamq; atq; item uecordiam. Solam uero bilem atram, quæ physice nuncupatur, iudicium confouere atq; sapientiam, compertum est. Nec tamen id censeri perpetuum debet. Nanq; si sola sit, ab omni sequestrata admixtione, nigricante nimium densaq; mole, spiritibus fuscedinem injicit, animo terrorem, hebetudinem ingenio impertitur. Quo nomine Moralium septimo Aristoteles: Bilioſus, inquit, atra bili nec ad consultandum omnino est aptus. Si uero simplici commisceatur pituitæ, quum frigidus obstiterit circum præcordia sanguis, crassa quadam frigentis naturę ui, ignauiã conciliat & torporem. Oportet autem atram bilem neq; paucam esse, adeo ut sanguis, bilis, spiritus ueluti suffrenatione deficiantur, unde ingenij prouenit inconstantia & memoriæ fluxus. Nec rursum exuberare adeo, ut ceu molesto succumbentes oneri, à marcore uix excitari posse uideamur. Proinde necessarium omnino, quantum eius patitur ratio, esse eam prætenuem. Tunc enim absq; nocumento forte largior etiamnum admittetur, etiam si in bilis fuerit æqui libro, quod ad pondus attinet. Exuberet itaq; bilis atra, uerũ subtilissima, nec tenuioris pituitæ circumfusus desit humor, ne inarescat omnino, fiatq; durior protinus. Non tamen usq; promiscerí pituitæ uolumus, præcipue si largior ea fuerit & frigidior, ne inde algorem contrahat. Sed bili sanguiniq; ita promisceatur, ut ex tribus unum consurgat corpus, dupla sanguinis ad reliqua duo proportione compositum, ubi octo sanguinis partes, duæ bilis, duę item bilis atræ portiones existant. Accendatur quadamtenus à duobus illa bilis atra accensaq; fulgeat, non uratur. Hoc significasse illud Heraclíti uidetur, Lux sicca, anima sapientior. Spiritus ex hoc humore creati primo quidem subtiles sunt: etenim sub angustioribus atræ bilis eiusmodi compressi meatibus, uehementiore ob unitatem calore in primis attenuantur, perq; arctiores expressi meatus, subtiliores erumpunt. deinde calidiores similiter, atq; eadem ratione lucidiores. tertiò agiles motu, actione uehemẽtissimi. quarto item stabili solidoq; humore iugiter emanantes actioni diutissime seruiunt. Tali autem animus noster obsequio fretus, indagat uehementer, perseuerat inuestigando diutius. facile quæcunq; perueſtigauerit, inuenit, clare perspicit, syncere dijudicat, ac diu retinet iudicata. Obiter uero hic legentes commoneo, ne omissum studiosis decoquat: cholerã non (ut uulgò) pro bile, uerum pro intestinorum affectione à medicis capi, duobus generibus apud Hippocratem: alteram enim ὑγρὰν dicit, id est humectam, de qua ex Paulo facta nobis mentio alibi est: alteram uocat ξηρὰν χολήν, hoc est siccam choleram eadem productam ratione ac causa, & in eisdem, at citra uentris solutionẽ & uomitus, uel (ut Galenus ait) ἄνευ ἐμέτου καὶ διαρροίας. Sunt qui ita finiant, χολέρα ἔλκωσις κάτωθεν ἀπὸ γαστρὸς, καὶ ἄνωθεν ἀπὸ στόματος ἐμέτος. Dicitur inde cholera quoq; fistula uel canalis, quo uibratior è tegulis defertur aqua. Sed nos iam prætorium dimittamus.

De cicadis acanthijs, & achetis. Tettigonijs, cercope, ac calamæa. Mulieribus ornamentum esse silentium, Acation quid, & oneuon, ac oneui piscatores, Cur cicadarum aliæ canant, aliæ minus. Enceladus quid, bombycia. En

tomia. Aethaliones cicadæ cur. Alia item de cicadis non ingrata, & ex Platone fabella repetita. Caput VI



Icadas quasdam inuenio in Græcorum libris uocari acanthias, non quia, (ut Suidas inquit) species sit hæc insecti illius: sed epitheton est obuersantis inter spinas quas illi acanthas uocãt. Sicut etiã achetas, nõ cicadæ species est: sed epitheton, ἀπὸ τοῦ ἀχεῖν, hoc est, à cantu, ueluti argutam dicamus. Stephani monumenta præferunt, ab Athamanum urbe in Aetolia, quam Acanthon dicunt, nuncupari acanthias cicadas: quæ quoniam ferè cõsilescant, ut Simonides atteſtatur, inde receptum, ut qui non loquantur, eo ferè exprimãtur nomine. Vnde est illud Hermolai Barbari, Malui diuinator uideri, quàm Aetolia cicada. cui displicet, meminerit, Aristarchum non alia magis ratione uatem existimatũ, quàm quod librariorum, aut uetustatis in Homero uitia uel cum famæ periculo scrutari uoluisset. Quod si est, Pontani solertiam mirari licet, qui in libro De aspiratione, lenam Acantida Propertio de loquacitate nuncupatam, & aurium offensaculis, prodere sibi permisit. Nisi quòd apud Theocriti interpretem obseruatum est, dici acanthida auem colore uariam, uoce λιγυρὸν, id est stridulam, quam ex uarietatis ratione pœcilidam item nuncupent. In spinis, quas acanthas uocant, habitare Aristoteles & Alexander scribunt. Appellantur aues hoc genus acanthilides quoq;. Sunt ex Græcis, præsertim de Grammaticorum decuria, qui manifestum putent, masculas cicadas canere, quæ apud Hesiodum dicãtur achetæ. Esse uero mutum fœminarum genus, quæ nuncupentur tettigoniæ, documento etiam nobili, Fœminis præcipuum ex silentio adesse ornamentum: unde sit illud Sophoclis ex Aiace mastigophoro, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. Conferre ad idipsum, & luscíniarũ fœmellarum ἀμελὲς, id est cantus priuationem. Auctor Pausanias est, cicadam maximam nuncupari achetam. At ἐλάχιστον τέττιγον, id est minimam cicadulam, dici cercopen, id est λοφκώπλω, etiamq; calamæum. Quæ sit post hanc, titigonium, fortè à uerbo πτίζειν, de quo alibi hoc opere facta nobis mentio est. Acation uero, ad acãthias spectat nihil: nam nauiculæ species eo intelligitur nomine, utrinq; remis agitata: sed sic, ut remigum unusquisque δικωπίας ἐρέτης, id est remos ducat duos. Hoc eo intertexui libentius, quoniam uerbi cõmeminit Plinius, & id incuriosius explicatur, etiam Græcorum plerisq;. Scitu dignum & illud: oneuon dici machinam summis acatiorum partibus impactam, qua circumpositis funibus, extraherentur è profundo grauissima quæq;, adeo ut piscibus suffertum rete nullo negotio uel homines duo ualeant educere. Sunt ex piscatoribus, qui elecaten uocent, id est ἀλεκάτην. Piscatores ipsos ea operantes inueni, qui oneuos item dicant. Cæterum nobis in semitam denique redeundum. Quæramus igitur, Cur nam cicadarum aliæ canant, mutis quodammodo alijs? Nempe, ut quinto De animalium historijs Aristoteles ait, ὁμοίως δὲ ἔν τε τοῖς μικροῖς, καὶ ἐν τοῖς μεγάλοις. οἱ μὲν διηρθμένοι εἰσὶ τὸ ζῴωμα οἱ ἄδοντες, οἱ δὲ ἀδιαίρετον ἔχοντες οὐκ ἄδουσι. Sunt, inquit, quæ canunt, præcinctu diuiduæ, siue maiores, siue minores sint: quæ autem non canunt, indiuiduæ constant. Sed planius in libro περὶ ζωῆς καὶ θανάτου, id est De morte & uita: Habent, inquit, animalia id genus pleraq; diazoma, id est præcinctum, cui insitus est spiritus: is quandoq; foras mouetur, quandoq; uero ediuerso: unde contingit nunc eleuationem fieri, nunc depressionem eiusce pelliculæ. Quum enim exit spiritus, attollitur: sicut ingrediente, deprimitur. Perinde enim insectis portio ea mobilis est, ut in spirantibus pulmo, & in piscibus branchiæ. Porró pellicula concussa faciunt sonum. Sicut in calamis pueros interdum uidemus factitare, quibus prætenui folliculo indito, sonum eliciunt. Sic & cicadis, quæ canunt, calidiores enim sunt, & imo spiritalis motus maior, ut interpretatur Thomas. Proclus uero Diadochus, ὁ πτίξ inquit ἄδει τὸν τῶν πτέρυξι τρίβων ἑαυτὸν καὶ τὸν ἦχον ἐκπέμπων. id est, canit cicada, seipsam atterens sub alis, atque ita sonum emittens. Plinius ex Aristotelis doctrina, Vocem non habere, scribit, nisi quæ pulmonem, & arterias habent. Idcirco & insectis sonum esse, non uocem: intus meante spiritu, & incluso sonante. Verum, alia murmur ædere, ut apes: alia cum tractu stridorem, ut cicadas. Quia uero hoc genus intus habere sonum uisitur, hinc enceladum insecti speciem appellari, astruunt grãmatici. Vniuersim uero bombycia uocant quidam

quidam, à bombo, ut opinor: ſicuti ab inciſuris, entomia, id eſt inſecta. Scribit Theocriti interpres, dici cicadas quandoque æthalionas, πρὸ τὸ αἴθεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. id eſt, quia à ſole amburantur: concinere enim tũ, ubi cauma fiat, id eſt inardeſcat amplius calor. Fuit & ab hoc animali ueteribus concinnata comminatio, χαμόθεν οἱ τέττιγες ὑμῖν ᾄσονται. id eſt, à terra uobis concinent cicadæ. Significatur enim agri uaſtitas cum arborum exciſione. Verum, ſic allegorice pronuntiatũ uehemẽtius grauiuſq; putat Demetrius Phalereus. Quæ uis ſua eſt orationis conciſæ. Propterea & ſymbola ob breuitatis aſſimulationẽ, efficaciora multo ac grauiora cenſeri. Quod enim breuius profertur, multorũ ſuſpicionẽ præſtat. Porrò lepidam ex Platone cicadarum fabellam haudquaquam hic trãsgredi debemus. Apud quem Socrates in Phædro aſtruit, In meridie non dormiendum, ne (inquit) à cicadis rideamur. Nam quos uiderint agentes, ut oportet, illis præmium tribuunt, quod deorum conceſſione traducere ad homines poſſunt. Fertur enim hoſce olim homines fuiſſe ante Muſas. Natis inde Muſis, cantuq; monſtrato, illorum nonnullos uoluptate cantus uſqueadeo delinitos fuiſſe, ut canentes cibum potumq; negligerent, imprudenterq; perirent, ex quibus deinceps cicadarum genus ſit propagatum, munus hoc nactum à Muſis, ut alimonia non indigeat, ſed abſque cibo & potu, quamdiu uixerit, cantet. Poſtea uero ad Muſas proficiſcatur, quam quis hic Muſam colat, renunciaturum. Ergo Terpſichore renuntiantes, qui præcipue illam in choreis cœtibusq; celebrarint, eam ipſis propitiam reddunt, atq; itidem alijs pro ſua cuique uenerationis ſpecie.

Nil uideri abſq; luce. Colores uariari pro lucis diuerſitate. De columbarum collo. Lucretij locus declaratur. De iridis coloribus, & apparentijs quas uocant ſymphaſis. De luce nonnulla. Entelechia colorum. Cap. VII

MAthematicæ diſciplinæ, ac naturalium rerum ſtudioſi, nil uideri abſq; luce, proinde nec diſcerni colores quoq; abſq; luce eadem, ualidis argumentorũ comprobant rationibus. Aſtruitur & illud, ut conſequens, corporum colores apud uiſum diuerſos euadere pro lucis diuerſitate ſuper ipſos orientis. Nam in claritate mediocri turbidiores plerunq; uiſuntur, in illuſtri uero clari ſcintillantesq;. Argumentum euidens, in ſolis deliquio colorata omnia, inſita priuari uenuſtate. Liquet id amplius in columbarum mirè ſplendicãtibus pennulis, quas in earum collo conuiſimus: nanq; etiã ſi unius ſint coloris, uarijs tamen aſpectibus uarie illuſtratæ ſub differenti ſpecie oculis exhibent ſeſe. Cuius ratio eſt, quia mouendi uim à luce color ſuſcipit: quo uero amplius ab illa mouetur, amplius & ipſe mouet. Imbecilliores autem colores eſſe in intenſioribus, ſicuti imperfectum, in eo quod perfectum eſt. Ideoq; pro lucis complemento eſſe coloris completi gradum in mouẽdo. Quod autem de columbæ pennulis aſtruximus, ſciendũ, quoſdam exiſtimare, diuerſos re ipſa eſſe inibi colores, diuerſasq; ſuperficies ex diuerſarum portionibus pennularũ radiantes. Verum diſertiſſime ſuper ijs libro De rerũ natura ſecundo, Lucretius hiſce uerſibus cõmeminit:

Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris,
Lumine qui mutatur in ipſo; propterea quòd
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget.
Pluma columbarum quo pacto in ſole uidetur,
Quæ ſita ceruices circùm, collumq; coronat.
Nanq; alias fit, uti claro ſit rubra pyropo:
Interdum quædam ſenſu fit, uti uideatur
Inter cæruleum uirideis miſcere ſmaragdos.

Sed, ut plenius Lucretij ſenſa referemus, ubi rectam appellat lucem & obliquam, aſtruunt mathematici, ſolis lumen, aut primarium dici, aut ſecundarium, aut tertiarium, & deinceps. Et primarium quidem intelligũt, ubi illapſus ſunt radioſi. Secundarium, uel accidentale, in loco illuſtrato ab illapſu eiuſmodi, qui oblique per omnem partem medij diffunditur, ut eſt cubiculum totum. Tertiarium, quum ex ipſo cubiculo lucem recipit locus alius, alioqui opacus. Columbini colli ſubmutantis colores meminit Hieronymus aduerſus Ioannem Origenis conſectatorem. Columbarũ, inquit, colla ad ſingulas conuerſiones colorem mutant. Sed & Martianus De nuptijs Philologiæ: Arceſilas

ſilas, inquit, collum intuens columbinum dubitabat, ſiquidem hac permotus uarietatis incertitudine, amplius aſtruere ἀκαταληψίαν cœpit, id eſt incomprehenſibilitatem. Sed & Nero Cæſar diſertiſſime, ut primo Naturalium quæſtionum Seneca tradit:

Colla Tiberiacæ ſplendent agitata columbæ.

Quo tamen uerſu legi commodius Cytheriacæ poteſt, ſed ſyllabæ menſus nonnihil refragatur. Meminit & Academicorum ſecundo M. Tullius. Neq; uero hoc loco expectandum, ut de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam. Nõ enim is ſum, qui quicquid uidetur, tale dicã eſſe, quale uideatur. Et rurſum: Nam & in remo ſentio non eſſe id quod uidetur. Et in columba plures uideri colores, nec eſſe plus uno. Quod ad ſyllabam attinet, uariatum in ea comperias, uti Metamorphoſeon quintodecimo:

Armigerumq; Iouis, Cythereidasq; columbas.

Sed enim ut ad colorum rationes regrediamur: aduertendum amplius, eſſe colores in corporibus ex elementorum refractione cooriẽtes, quibus cõpinguntur. Hoſce uero haudquaquam ſpeciem uariare ex lucis ui, quin album ſemper ſit album, & nigrum, nigrum: niſi quatenus intenduntur, uel remittũtur. Sunt & colores, quos apparentias dicunt recentiores. Nam apud Firmicum inuſitatius quandoq; dici aduertimus, homines bonæ apparentiæ. Ariſtoteles primo De generatione, συμφάσεις appellauit, ut in iride, ubi uſitur color rubens, quẽ minus uſitate rubeum idem dicit Firmicus, ni mendoſa ſunt exemplaria: rubens inquã, albido permixtus: quia materia eſt rara, & radius ſolaris fortior. Contiſimus autem ſolis lucem ferè coloris eius. Quod ſi denſior fuerit materia, & imbecillior radius, reſilit obſcurus ac nigricans color, qualem in nubibus cernimus. Colores autẽ intermedij, cuiuſmodi cinericius eſt, fiunt ubi materia denſet minus, & radius ſit aliquanto fortior. In urina porrò ſubinde mutantur colores, ſi in ſolari radio inſpectetur: prouenit autem id ex uarietate lucis ſolis, qui quum in motu perpetuo ſit, nunc unum oſtentat, nunc aliud. Propterea medicorum periti in luce temperata diſpicere malunt. Quod rurſum ad irim ſpectat, prædicant ruſticiores: oſtentante ſe inibi colore rubro, albido adiuncto, haberi fertilitatis prognoſticum. Ratio uero eſt, quia quum rarior ſit materia, facilè peruincitur à ſole, ut inde pluuiæ iuges aut largæ conſequi nequeant, quæ plurimũ ubertati ſeminum officiunt. Sed ratum & quodammodo decretorium hoc cenſeri haudquaquam debet. Lucem uero Ariſtoteles ſcribit, corporis intelligi qualitatem luminoſi, ab eodem profluentem, ut formam in diaphanum. Quam ob rem exceptum ab eo lumen actum eius eſſe, id perficientem, à quo ſuſcipitur: nec id ſubſtantiali ratione, uerum accidentis potius. Nec me fallit, in Ariſtotelicos aciem ab Auguſtino dirigi, ac bellicum cani quodãmodo, dum diſceptatur, ſit ne lux ſubſtantia an accidens, quando ſuperficie una eademq; duo poſſe ambiri corpora, plura ſint argumento, ueluti cineris cum aqua permixtio, candens ferrum, ignis fumo perfuſus. Luminis porrò egreſſum ab corpore lucido, exceptum obiecto terminato, uocant Peripatetici colorum entelechiam.

Quid foret robur in carcere, & quæ dicantur digna robore: ac de Prytanei alimẽtis, & theſauro. Dechas locus carceris. De Philopœmene paucula. Iuuenalis locus & Propertij alter explicatur. Item uocabula nõnulla ad carceris loca pertinentia. Tullianum. Cæadas locus. Aureis catenis nocẽtes uincire, Aethiopum fuit. Orygmata. Anancæum. Sphalos. Strophæus Mercurius. Lethe Perſarum carcer. Spoliarium. Cap. VIII

Arcerem ſcribit Cicero in L. Catilinam libro ſecundo, uindicem nefariorum ac manifeſtorũ ſcelerum maiores noſtros eſſe uoluiſſe. Et T. Liuius ab Vrbe condita libro primo, Ancum Marcium refert, ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominũ, diſcrimine recte an perperam facti confuſo, facinora clandeſtina fierent: carcerem ad terrorem increſcentis audaciæ media urbe imminentem foro ædificaſſe. Nec ſatis, ſiquidem humana rabie latius etiamnum ſerpente graſſante q;, in ipſo etiam carcere, formidoloſo diroq; aſpectu locus alius requiri cœpit, quando quotidiana & proinde leuia remedia parum efficacia noſcerentur. Robur ædidere nomen, quo maleficum genus hominum præcipitabatur: ſic nuncupatum, quod ante arcis robuſteis includeretur ſicuti

Sex

Sex.Pompeij fragmenta nos perdocent,& ſignificaſſe Plautus,deprehenditur, quum ait, Ego uos ambo in robuſto carcere ut pereatis.

Hinc facinora magnitudine rara,nouitate dira & inauſpicatiſſima,robore digna, magnis auctoribus appellari ſolent. Quod uidetur Apuleius cõfirmaſſe in oratione diſertiſſima,ut Auguſtinus dixit,de magia: O mirum,inquit,commentum: ò ſubtilitas digna carcere & robore. Sicuti ratione diuerſa Prytanei digna alimentis nuncupantur, quæ cum uirtute perpetraris. Nam Athenienſibus maximus hic honos. quod Socratis exemplo De oratore libro primo comprobat Cicero. Sed & Maximus Valerius exemplorum priſcorum libro ſexto, de robore quoſdam præcipitatos ſcribit. Meminit Titus quoq; Liuius Aſiatici belli octauo libro. Non deſunt, & quidem multi æris homines, nulli rei, præterquam ſibi freti, qui illud Iuuenalis,

Horrida quale facit reſidens in codice pellex,

quicquam ad hoc pertinere aucupentur. Et cæcos ſylueſcentesq; doctores nugas ineptiolasq;,hallucinatione ridicula, effutire meras pronunciẽt,quum Satyrus dubio pro cul codicis nomine συμβολικῶς, & operte robur intellexerit, in quod meretricula iam magno natu ob perpetratum ſcelus fuerit impacta,atq; inibi nendo uitam ſuſtentare ſolita ſit. Verum hæc commenta etiam ſi uera maxime forent, nimis accerſita, nimisq; coacta ſunt, uixq; doctrinæ & acuminibus cohærentia poetæ illius.Quid,quòd ſi intenderis,oppugnãte nullo reuicta æquantur ſolo? ac(quod aiunt)media tenentur, tanquã citharœdi procœmium,afflicta,nec coalita.Quid enim minus facere mortua poteſt, quàm nere? De carceris robore præcipitabantur nocentes, ut præpoſitæ probant auctoritates non in cuſtodia detinebantur. Quod uero ad huius opinionis fulcimentum,& uelut tibicinem aduocatur Propertius,id totum nil eſſe intelligo: ſed & alij intelligent:quod ut fiat facilius & ſyncerius,uerſiculos poetæ ſubtexemus:

Et grauiora rependit iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua loquuta mea eſt:
Noſtraq; quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi uincula ſentit anus.

Primum rogo uos eruditi omnes, qui nõ ad Ariſtophanis modo lucernam euigilaſtis, ſed Cleantis quoq;,& (quod Fabius ait)in ſudata ueſte duraſtis, fuligines lucernarum bibendo,ad procinctum enixa uirtute dum tenditis,quod nam eſt hic robore dignum crimẽ? Deinde, quo iure zelotypa mulier ancillam minus ad animum reſpondentem, in publicæ pœnæ locũ intruſit? Quo nam modo præterea duæ ſententiæ cohærẽt, nec diſſimilitudine diſſultant? Quę me impenſius(inquit Cynthia)laudauit,dat pœnas,& penſa grauiora cogitur perficere.Petale,quia coronas tulit ad monumenta,non neruo debetur, ſed protinus impingitur in præcipitij locum publicum. Extrita mihi iſta uidentur.Qui intriuit, totum exedat:& quas faber ſtruxit compedes, ipſe ferat:ſicuti iactatum prouerbio eſt,& meminit Auſonius. Verũ, ne quis in hiſce libellis Rhodium putet ſacrificium,deſinamus aliena grauius aut inſectanter conuellere, neq; enim pro poſita nobis obſtrigilatio ulla eſt, nec doctorum hominũ diſpendio gloriolas inanes captamus,tunc enim Homericum illud poſſet grauius inſuſurrari,

ὀπποίου τ' ἔπιθε τέτυκτο, ποίου τ' ἐπακτύσεις.

Monitos tantum legentes uolumus, quid ſenſerint alij, quíd ue ipſi promamus in album, οὐ πρὸς ὥρολογίοντας, id eſt non idem opinantes. Candore eodem ac ſimplicitate,ſicubi lapſi fuerimus, reuocent ad libram,quoniam hominis eſt in pluribus conniuere: nam & ipſi noſtra quoq; alliſuri uidemur (neq; enim ita nos amamus aut miramur,ut neſciamus perdere)ſicubi potior ſe oſtentarit ratio.Et cum riuali, & ſine riuali poſteritati allaboramus.Redeo igitur ad inſtitutũ.Si M. Tullij ingeſſero illud ex Oratione pro Murena: Lacedæmonij, inquit, quotidianis epulis in robore accumbunt. Cretum nemo guſtauit unquam cubans. Eſt prouerbium quoq; ſcitiſſimum compar priori,ſed ambiguitate,& ſignificatu remotiore feſtiuius, theſauro dignus,in eum qui teterrimo ſupplicio flagitijs adobrutus ſit differẽdus.Docent T.Liuij,& Plutarchi monumẽta.Etenim ad auctoritatum tibicines recurrendum perpetuo,quibus arrecti ſtemus,ſicuti uarris indago,id eſt plagarum ſeries. Theſaurum fuiſſe domicilium ſubterraneum

raneum apud Meſſenios, neq; auras, neq; lucem exterius excipiens. Nec ullæ carceri fores erant, ſaxo immani intruſo occludebatur. In quem quum magnus Græciæ imperator Philopœmen fuiſſet impactus, mox hauſto ueneno interijt. Hic eſt obiter is Philopœmen, quem Græcia poſt eximias antiquiſsimorum ducum uirtutes, perinde ac extrema ſenectute filium, in ducem produxiſſe narratur. De quo item nobile eſt Romani cuiuſdam elogium, fuiſſe hunc inter Græcos poſtremum, flacceſcente iam illa animorum ingentium, ut aſſolet, fertilitate. Sicuti & Brutum pronuntiauit quidam Romanorum ultimũ. Legimus porrò apud Plutarchũ eundem, Spartani carceris locum fuiſſe Dechada nuncupatũ: in quo ultimo deſtinatos ſupplicio ſtrangulari, mos fuit. Id uero nocturno tempore ſolitum fieri, libro quarto Maximus docuit Valerius. Tale ferme apud Romanos erat Tullianũ, locus in carcere, ubi paulum aſcendiſſes, ad leuam circiter pedes duodecim, depreſſus humi, eum muniebant undiq; parietes, atq; inſuper camera lapideis fornicibus uincta, ſed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis facies eius erat. In Tulliano fuiſſe Lentulo fractam gulam, in Catilina Hiſtoricus ſcribit. Apud Spartanos item locus erat Cæadas nomine, cuius hiſtoria prima commeminit Thucydides: ut apud Siculos quoq;, in quem maleficum genus hominum conijciebant. Apud Perſas domicilíũ fuit cineribus refertum. Illud uero ſcitu iucundum: apud Aethiopas moris fuiſſe, nocẽtes aureis catenis uincire. Inuenio & orygmata dici loca, in quibus ſcelerati excarnificarentur. Xenophon Rerum Græcarũ libro quinto Anaeæum uidetur pro carcere accepiſſe: ſicuti Iſæus quoq;. Et ἐργμοφύλακα pro carceris præfecto. Calliſthenes uero, ut docuit Harpocratio, anogæum accipit, hoc eſt cœnaculum ſupra terram. Quidam etiam pro uiríli membro capiunt, quod ſit neceſſitatis commercium. Penteſyringon in carcere fuiſſe, Pollux ſcribit, lignũ, & item ſphalon, ſicut tympanum inter carnificis recenſet inſtrumenta. Videtur & ſtrophæi, quem Mercurium intelligit, ſtatuã in carcere coli ſolitam, inſinuare. Auctores ſunt nobis: apud Perſas fuiſſe carcerem nomine Lethen: in quem impingebatur nemo, niſi moriturus: quæ cauſa loco nuncupationis rationem præſtat. Spoliariũ dici quidem uidetur ſpoliorum receptaculum. At Senecæ, Lampridioq; locus excarnificationi dicatus.

Carceris genera. Quid ceramus, & ceramicum flagellum, & domus. De Labyrintho, barathro, œcema, chamætypia, galeagra. Latomus, latomis, latypis, líthurgice, Tullíj, lithotriuice, cauea. De canis cubitalibus, Tulliano, líbera cuſtodia, cõperendinatis reis, Charonia ianua: item de Metœcio pluſcula. Scaphephori. Xenocratis hiſtoria. Scyros, Scyrotes lapidaríj. Lithologi. Cotoriæ. Las. Laperſæ. Laos populus cur. Liſtrotum. Liſtri. Liturgia. Cæeti. Coi. Oreſcoi. Ariſtomenis hiſtoria. Ancones. Tarichempori. IX.

CArceris genera ueteribus tria fuiſſe inuenio: unum, quo immodeſti & parum culti compellerentur, ut noctu à doctis condocefierent, & bonarum artium profeſſoribus, quæ ad bonos mores & uitæ modum pertinerent. Alterum, quo ære alieno implíciti, & qui carceris tædio ab ínita uitę petulantia abſterrendi ſunt, detinerentur. Tertium, quò immanibus pręſignes flagitíjs, cælo & hominum cœtu indigni: uitíjs ac uitæ turpitudine defamatiſſimi, ac propediem plectendi, tenebriſq; & pedori addicẽdi intruduntur. Carcerem Cyprij ceramon uocãt. Id & Homerus teſtari uidetur Iliados quinto, ubi Martem ſcribit, ab Oto & Ephialte in uincula coniectum,

Χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.

id eſt, decem ac tribus menſibus æneo in ceramo uinctus iacuit. Eruditiores tamen eo uerbo ollam accipere malunt. Obiter dignum ſcitu, in Georgicis ab Didymo proditum, fructus ex arbore non dilabi, ſi Homericum hoc inſcribatur carmen: quod & decimo εἰλογῶν περὶ γεωργίας, relatum aduerti. Et quia ceraminæ dicuntur item figlina, inde ceramicum flagellum pro oſtraciſmo poſitum. Cerama tamen ſcribit Athenæus, dicta, quamuis argẽtea forent, uel aurea. Athenienſes uero, qui mitibus nominibus & manſuetis rerum triſtitiam obtegere conſueuerant, urbaneq; minuendo, uim atq; atrocitatem lenire, carcerem domum nuncupabant, ſicuti tributum coordinationem ciuitatis. Sunt qui labyrinthum quoq; nil aliud, quàm carcerem fuiſſe tradant, in quo non

foret

foret incommodi quippiam, niſi quòd qui aſſeruabatur, effugere non poterat: unde & labyrinthũ dici putant, quia λα ſit particula uocum intendens notiones, & βύειν obturare ſignet, ac claudere. Ex quo & labyrinthodes, pro flexuoſo poſitum, id eſt λαβυεῖν δώδη. Tralatum & in nugaces nomen, παρὰ τὸ πολλαῖς λύκλοις λόγων χρῆσθαι. Eſt item labyrinthus Theocrito, piſcatorium inſtrumentum, καὶ ἐκ χοίνων λαβυεινθοι. In hoc illud obiter adnotandum: in Plutarchi monumentis proditum, Non uideri ſimile ueri, Minoem Athenienſium iuuenes, tributi nomine ad ſe quotannis miſſos, perdidiſſe: ſed ad miniſterium potius ſubſeruaſſe ſibi. Ex quibus propagati multi, & Cretenſium habiti numero, Delphos quandoq; ſunt miſſi. Proinde Bottiæorum filias generis memoriam colentes, feſtis diebus concinere aſſueuiſſe, ἴωμεν εἰς ἀθήνας, id eſt eamus Athenas. Barathrum Athenis, ſiue (ut enuntiant alij) berethrum, locus erat profundior, putei modo, in quem nocentes deturbabant. Eius ſuperiora dura quidam erant ac rigida, infima uerò laxa & mollia, ut deſcendentes facilè demergerentur. Abuſus uidetur dictione hac in Philippicis Demoſthenes, ut inquit Harpocratio, & pro pernicie tantum ex tralatione poſuiſſe. Barathros genere maſculino putat Ammonius, homines dici barathro dignos. Barathra tamen propriè cataractas uocant, uel (ut Arcades uocant) zerethra, id eſt excauata loca, in quæ demergantur flumina, παρὰ τὸ βαίνειν, ab aquarum ingreſſu, uel quaſi ἄβατα, quod ex cauitate peruia non ſint, nec adeunda. Sunt qui cœnoſa eo nomine loca intelligant. οἴκημα Græcis ædificium quidem eſt, ſed & pro carcere poſitum inuenias: unde eſt illud hiſtorici Dionis, Quum iuſſiſſet Cæſar Catonem duci in carcerem, ac is promptiſſimè ſequuturus uideretur, nec pauci comitarentur, affuit & M. Petronius, qui ab eo increpitus, quòd ante ſenatus dimiſſionem digrederetur, Malo (inquit) eſſe cum Catone ἐν τῷ οἰκήματι, quàm hic tecum. Indicat ea dictio chamætypion quoq;, id eſt impudicarum locum, quod inibi ineunt iacentes. Scribit idem hiſtoricus, ab Caligula plures in galeagram coniectos necatosq;. Apud Herodotũ hiſtoria tertia, uidetur Gorgyra eſſe ſubterraneus carcer: nam ea uoce indicant Græci priuatim cuniculũ, ſeu cloacam, qua defluant aquæ. Iam uerò latomias Syracuſanas quis nõ nouit? Eas à Dionyſio crudeliſſimo tyrãno factas, Cicero auctor eſt in Verrem libro ſeptimo. De ijs Cicero idem alibi ita refert, Latomias Syracuſanas omnes audiſtis, plericq; noſtis: opus eſt ingens, magnificum regum ac tyrannorum: ex ſaxo totum eſt, in mirandam altitudinem modo depreſſum, & multorum operis penitus excisum: nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum undiq;, nihil tam tutum ad cuſtodias nec fieri nec cogitari poteſt. In has latomias, ſi qui publicè cuſtodiendi ſunt, etiam ex cæteris oppidis Siciliæ, deduci imperantur. Latomias dici carcerem Syracuſis Siculorum lingua, Pedianus auctor eſt. Alij apertius, quòd inde exciſi lapides fuiſſent ad urbis ſuſtructionem. Iocus eſt Sabini apud Senecam Controuerſiarum quinto: Ne, inquit, quenquam ueſtrum decipiat nomen ipſum, Latomiæ illæ minimè lauta res eſt. Sed & Polemo ſophiſtes, ut eſt apud Philoſtratum, quum lapidoſo articulorũ morbo infeſtaretur, medicis ſubinde inferebat, perfoderent cæderentq; Polemonis lithotomias. Extat obiter apud eundem, Herodis de eadem re id pertritum: Veſci oportet, manus non habeo: eundum eſt, pedibus careo: dolendum eſt, tum uerò manus adſunt & pedes. Fuiſſe Spartæ quoq; latomias, Plinius ſignificat: quum earum anguſtias Ariſtomenem Meſſenium euaſiſſe ſcribat, uulpium aditus ſequutum. Erant & Romæ prope Tullianum, ut Varro meminit, qui & Tullianum dictum ait, quòd fuerit à Tullo rege additum carceri, quod tamen pro quolibet carcere poſſe capi, Apuleius docet. Tullios autem riuos dicũt, aut uehemẽtes ſanguinis proiectiones, artuatim effluentis. Ennius, Miſſo ſanguine tepido, tullij efflantes euolant.

Fortè ij ſint, quos alibi à Græcis aulos docuimus uocari. Porrò id uehemẽter animaduertendum, pronuntiari ex Græca ratione lithotomiam, & Latinè dici lapicidinam, & latomiam quoq;. Quin & latomion, unde λατόμιον μαρμαρίνον, ubi excicduntur marmora. Ex quo & Apollinis marmarini templum apud Caryſtum: quia λᾶς ſignat lapidem, per conciſionem, à λαΐας: uti in magno obſeruatum etymologico eſt, & τέμνω, incido. Nam & latomi dicuntur lapicidæ, ut ſcribit Euſtathius, qui etiam latypi uocantur. Latype uerò eſt, quod à lapidibus abraditur, ſculpendo ue excutitur. quam rem &

ſcyron dicunt:unde ſcyroten,id eſt σκυρωτὸν ὀδόν, legimus apud Pindarum: quo uocabulo lithoſtroton intelligunt.unde Scyro inſulæ conciliatum nomen, quæ argilloſa ſit, καὶ λιθηγέως. Lapidarios,lapidum artifices intelligo, ex Firmici Matheſeos quarto: Naupegos(inquit) facit,aut ſtructores,lapidarios pollinctoresq;. Apud Thucydidem inter miniſtros lithologi recenſentur,qui architectis ſubſeruiant. Cotoriæ autem lure conſultis loca ſunt,unde effodiuntur cotes.Signat tamen λᾶας & fluuium, atq; item ciuitatem:quamuis à Stephano dicatur λᾶ potius.Meminit Lycophron, καὶ λαῶν πυρώσεις. Ab ea occupata Dioſcuri appellantur Laperſæ.Laam uocauit Homerus,

οἵ τε λάαν εἶχον, οἵ θ' οἰτυλον.

Lithurgice uerò,& lithotriuice,ad præſens propoſitū parum faciunt. Nam illa, ad eos qui in metallis lapides cædunt,pertinere uidetur.Lithotriuice,lapides excolentium elaborantiumq; eſt,ad operum ornamenta.Illud uerò non inepte huic inſeretur loco:populum Græcis λαόν nuncupari, ut in Olympijs arbitratur Pindarus, de iactu lapidum fabuloſo Deucalionis & Pyrrhæ.At ſcribit Philochorus, Cecropa populi Athenienſis numerum in digitos uolentem mittere, iuſſiſſe in medium à ſingulis conferri lapidem,atq; ex facto σοὺς ὄχλους cognominaſſe λαούς.Liſtrotum, id eſt λιστρωτόν, ab lapide non inclinatur: ſed æquale ſignat & politum, in Nicandri Theriacis.Nam xyſteres, id eſt apta rebus poliendis inſtrumenta, liſtri nuncupantur. Sed & apud Homerum legimus, λίστροισι πλατέεσσι. Liturgion intelligunt Græci, miniſterium publicitus exhibitum: unde liturgiam recentiores accipiunt, quam modo miſſam nuncupamus. Tychos,Herodotus hiſtoria ſeptima, poliendis lapidibus inſtrumenta intelligit, quibus tamen prægrandibus in bello uterentur Aegyptij.Valla bipennes accepit eo uerbo, Græci cuneum item.Fuit item carceris ſpecies cauea: nam & Seneca inquit, Itaq; effœminatiſſimam uocem illius Rhodij exiſtimo,qui quum in caueam coniectus eſſet à tyranno, & tanquam ferum animal aleretur, ſuadenti cuidam, ut abſtineret à cibo, Omnia(inquit) homini dum uiuit,ſperanda ſunt.Caua cubitalia in mœnibus, ſagittis excutiendis aperta,uocat Liuius,quæ modo baliſtarias dicimus uulgo.Liberas cuſtodias legimus in hiſtoria,quum uiri magnæ exiſtimationis non in uincula coniecti, ſed domi apud ciues cuſtodiebantur.Hoſce quidam comperendinatos rectè dici reos contendunt,quòd necdum abſoluti planè ſint,ſed uelut uadimonio quodã aſtricti: uel quia nec comperta ſatis crimina,uel quoniam innocentiam non plenè comprobarunt.Liberam cuſtodiam Græci ἄδεσμον dicũt φυλακήν. Inter carceris ianuas fuit & quæ nuncupatur Charonia, qua producebantur, qui ultimo ſupplicio eſſent afficiendi: ab Charonte,ſiue Charone: utroq; enim inflectitur modo, quod ex Martiano liquet.Sed & in Atticis elegantijs Thomas Magiſter: Abuſiuè,inquit, Charontis nauem Theorida Aeſchylus uocauit.Vocabatur & nomophylacij ianua. Sunt qui locum Athenis, ubi carcer foret,Metœcium,hoc eſt μετοίκιον appellatum contendant. Quod uerò relatu arbitror non ingratum: auctor Harpocratio eſt, Metœcum dici utiq; inquilinum aduentitiumq;,qui in alienam emigrat ciuitatem manendi propoſito. Metœcium autem drachmas duodecim ſignificare,quas quotannis perſoluere cogebantur id genus homines:quod Eubulus ſignificat.Iſæus uerò innuit, uiros quidem drachmas conferrè duodecim conſueuiſſe,mulieres autem ſex. Id qui non contuliſſent, abducebantur ad ciues,conuictiq; uænum ibant.quod contra Ariſtogitonem Demoſthenes teſtatur. Cogebantur & naues inſcẽdere inquilini:ſicut in Philippicis à Demoſthene item adnotatum eſt.Illud uerò obiter quoq; ſubnotaſſe,nil officiet: inquilinos etiam ſcapheas à comicis quandoq; nuncupari,quoniam in pompa ſcaphas geſtarent:unde & ſcaphephori nuncupantur quoq;.Sed & eorundem filiæ uaſa geſtabant aqualia, & præterea σκιάδιον. Meminit Legum decimo Theophraſtus. Scribit in Vitis decem rhetorum Plutarchus:publicanum quãdoq; Xenocrati manum iniecíſſe, ac ducere conatum ad Metœcium:illum uerò à Lycurgo liberatum,ductumq; in carcerem publicanũ, ut qui quod minus deceret,facere adortus foret. quod quum in maximam Lycurgi laudem ceſſiſſet,mox occurrens illius filijs Xenocrates, Celerrimè, inquit, par pari relatum: nam quòd mihi ſuppetias benignè tulerit,paſſim ab omnibus celebratur. Cæterum denique carceris ſpecies apud Lacedæmonios eſt, quæ creditur ſpelunca quædam, unde

ſit etiam

ſit etiam nomen: quippe cæci uocantur rhochmi, ideſt ſciſſuræ, quas efficiant terræmotus. Sunt tamen qui cauitates id genus nuncupent κώους, id eſt coos: unde Homerus feras, oreſcoos appellet: quod prodidit Strabo, & ab Euſtathio relatum, ſcio. Erat apud Corinthum eo nomine carcer, quo fures cuſtodiebantur, & fugitiui. In Ceadam, inquit Pauſanias, à Lacedæmoniis coniiciebantur, qui ob inſigne facinus uidebantur plecten di. Nam & illuc contruſus Ariſtomenes, euaſit tamen, aditus uulpium ſequutus, quæ cadauera conſectabantur: quod docuit Pauſanias, nec omiſſum à Plinio eſt: uerum Latomias nuncupat, ut notauimus. Sed Ariſtomenem hunc in inſula Rhodo apud generum Damagetum ex morbo eſſe functum fato: idem prodidit Pauſanias. Anconas porrò dixere Carthaginenſes tenebricoſum in tyranni aula domicilium, in quod conijcerentur, quibus ſuccenſuiſſet tyrannus. Sunt & ancones, in domo partes quædam. Sed & per quietem oblata, & uitæ innuentia τὸ κώμιον, eodem cenſentur nomine. Quin & fluminum prominentiæ ad ripas: ſed & montium ſumma. Vbi uerò ſignatur corporis pars, id eſt cubitus, prouerbio inde datur locus, ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενοι, id eſt cubito qui emunguntur: quo philoſophus utebatur Bias. Id autẽ genus ſunt tarichempori, id eſt ſalarij.

Qui commẽtarienſes, & phylacti. Phyllis. Phyllon. Foliatum unguẽtum. Obiter de cornicularijs paucula. Cornuti milites. Clauicularij. Regradationis militaris ordo. Entelos, pro cornicularío. Cap. x

SEd nec illud per incuriam tranſiliamus, uideri in noſtris literis commentarienſem dici carcerariorum præfectum atq; recognitorem, quia in commentarium cuſtodias referret. Ita enim ab Imperatore ſubnotatum aduertimus, Codice De ijs quos tenet carcer incluſos: Id, inquit, aperta diffinitione ſancimus, ut aut conuictos uelox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret. Iubemus, antè trigeſimum diem ſemper commentarienſis ingerat numerum perſonarum, uarietatem delictorũ, clauſorum ordinem, ætatemq; uinctorum. Meminit Vlpianus Digeſtis De pœnis: Nec pati, inquit, præſides debent optiones, ſiue commentarienſes damnatorum pecunia abuti. At Digeſtis De iure fiſci, aliud omnino commentarienſis eſt: nam Paulus inquit, Quoties apud fiſcum agitur, actorum poteſtas poſtulanda eſt, ut meritò his uti liceat, eaq; manu commentarienſis adnotanda ſunt. In ſanctis item literis uideor alicubi uerbum hoc legiſſe. Fuit apud Cumæos magiſtratus, quem phylactum nuncupabant. Eo qui fungeretur, reliquum quidem tempus carcerem aſſeruabat: nocturno autem conuentu, in ſenatum ueniens reges manu apprehenſos educebat è curia: quos tamdiu detinebat, donec de eorum imperio clàm ſenatus ſententiam pronuntiaſſet, iuſte ne agerent, an ſecus. Phyllis uerò aliud eſt: nam eo nomine intelligitur in Samothrace Geophanium, cuius in Alexipharmacis meminit Nicander. Phyllon Græci foliatum uocant unguentum, quo locupletiores fœminas uti Romæ ſolitas, Galeno credimus: quod ex malobathro conficitur: cuius tria genera, folij appellatione intelliguntur. Sed inſtitutum repeto, ne fortè dum manum poſcor (ut dicitur) pedem porrigam. Quod ad commentarienſem attinet, ſcribit Pedianus, Accenſum, nomen eſſe ordinis & promotionis in militia, ut nunc (inquit) dicitur princeps, uel commentarienſis, aut cornicularius. Quidam commentarienſem intelligunt, qui commentarijs præſit. Græci nomen id ſuis literis exſcribentes, Commentareſios pronuntiant, ac eos interpretantur dici in legibus, qui commentaria conſcribant, & in criminum iudicijs ſubſeruiant. Sunt & qui nunc, inquiunt, chartularij uocantur. Cornicularium uerò obiter ſunt, qui putent corniculis militantem: ſicuti à cornu, dicti cornicines. Equites tamen ob inſignem operam corniculis à Papyrio donatos, & armillis, Titus Liuius ſcribit. ſicut alibi, etiam catellis, ac fibulis. Cornicularia fuit Plauti quoq; fabula. Sed eſſe dignitatis nomen liquet Codice De officio diuerſorum iudicum: Sciant, inquit, principes & cornicularij & primates officiorum iudices. Corneolæ uerò gemmæ, ut nunc dicuntur, ad hoc nil ſpectant: quæ inde ita nuncupari uidentur, quia inter onyces cornea quoq; uiſatur uarietas. Tribuni cornicularium dici inuenias Statagematon tertio apud Frontinum. Et Valerius ſcribit: Lectorio à tribuno plebe Cominio diem dictam, quòd cornicularium ſuum ſtu

pri causa appellasset. Adiutores cornicularíorum legimus apud Iureconsultos: Firmicus Matheseos tertio, in Solis decretorum ratione: Quòd si, inquit, his sic positis, in quibus dictum est locis, Mars se aliqua societate coniunxerit, uel si cum ijs fuerit inuentus, erunt homicidijs publicis præpositi, & exceptores earum sententiarum, quæ de hominum capitibus proferuntur, aut cornicularij, aut commentarienses, quibus damnatorum cura committatur, seu clauicularij, uel carcerum custodes. Cornuti, inter milites ab Ammiano recensentur Marcellino: Cornuti, inquit, & braccati usu præliorum diuturno firmati. Apud eundem est quoq; cornutorum tribunus. Vtiq; Dion in Domitiani uita, quem Cornicularium Tranquillus dicit, principis libellos curasse tradit, ac emendasse. Nisi quòd Clodium non nominat Dion: cuius hæc sunt uerba, καὶ σιγηρὸς ἐν τῇ προσηκούσῃ καὶ αὐτὸς ὢν ἐγκρατὴς τε, ὁ τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διέπων. Adijciamus hic superpondij loco illud ex Diuo Hieronymo: Finge, inquit, aliquem Tribunitiæ potestatis suo uitio regradatum. Nunquid ex Tribuno statim fit Tyro? Non. Sed inde Primicerius, deinde Senator, Ducennarius, Biarchus, Circitor, Eques, dein Tyro.

Cornicem albam prope Rhodigij mœnia uisam. Item de albis coruis. Cornicis festum. Coroniſtæ. Coroniſmata. Hirundinum festum. Nictycorax. Cicuma. Byas, seu bubo. Cap. XI

SOlent Rhodigini mei perelegans usurpare prouerbium, ubi rarenter quid admodum, & ferè nunquam obtingere, uolunt significare: dicunt enim perinde esse infrequens, ac sit alba cornix. Ceu ferè non uisatur auitij id genus albicans. Nam & Marcus Tullius Familiarium epistolarum septimo, ipsum hoc innuisse uideri potest: Quod, inquit, quasi auem albam uidentur benè sentientem ciuem uidere. Cæterum, scitu commemoratuq; condignum est, quodq; hisce nostris intexatur commentatiunculis: uisam temporibus meis, dum ista proderem, duorum ferè stadiorum spatio à patriæ mœnibus, post diuæ Mariæ templum, quod peruetustum stadio fermè ab urbe seiungitur, cornicem albam, capite nigricante, sicuti cæteris, alarum apicibus in rubedinem uergentibus. Nec erat expressus candor, sed liuens aliquo modo. Fuit ea mensibus aliquot omnibus conspicua, nõ parum multis, ceu planè uisenda res foret, ob insolentem speciem, ad spectaculum confluentibus. Inter quos ipse quoq;, ut protinus monumentis insererem, quod unum supererat æstuantis animi, & (quod dicitur) rosam quæ præteriisset, anxiè conquirentis lenimen. Quin & nõnullis abijt res ea in prodigium: quòd post eam uisam, loco nunquam fuisset pax: tumentibus tunc perniciosissimis bellorum procellis, ac latius grassante ferri licentia, quo Italiæ fundamenta in multorum perniciem atrocissimè quatiebantur, debacchante Occasu in Venetum imperium, dira cladium magnitudine, & olygijs (ut Græci dictitant) malis, totq; præclarissimarum urbium funeribus adeo attenuatum concussumq;, ut diu nutans uastissimam comminaretur ruinam. Porrò, quod à proposito dissentaneum non est, scimus coruum quoq; candido nitore conspicuum, quandoq; à Britannorum rege missum dono Siciliæ regi Alphonso. Contigit res ea memorabilis, Calisto pontifice Christianæ reipublicæ summa moderante. Proditum memoriæ illud quoq;: apud Tolletum in macello publico, unam modò comparere muscam per integrum annum, albedine insigni notabilem. In ueteribus autem memorijs obseruatum: Bœotia Thracum impetu, & bellico furore deuastata, redditum ijs, qui stragibus superfuerant, ex intimo specu oraculum, Ibi sedem firmaturos, ubi coruos albentes conspicati forent. Id uerò in Thessalia mox factum ad Pagæticum sinum. Illorum nanq; oblati aspectibus sunt, Soli qui dicebantur sacri corui, quos uino madentes pueri gypso litos emiserant. Eiusmodi quæpiam & in Athenæi Dipnosophistis comperta nobis sunt, libro octauo. Extat Ammiani nobile distichon, breuitate ac elegantia scitissimum, cuius is propémodum sensus est: Facilius multo esse, coruos reperisse albos, uolantesq; testudines, quàm rhetorem ex Cappadocia probioris notæ:

Θᾶσσον ἐλοι λευκοὺς κόρακας, πλωτὰς τε χελώνας
Εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκιλω.

Sed

Sed & perdicem albam, item passeres, & ursam quandoq; uisam, & coruos, Aristoteles scribit. Illud adijciamus ex abundanti, quoniam cornicis facta mentio est: apud Rhodios festum (siue ludicrum foret id) solitum celebrari, in quo cornici aggregatio fieret quædam hordei, & id genus rerum aliarum: unde id, καὶ τῇ κορώνῃ παρθένος φέρει σύκα. id est, cornici uirgo fert ficos. Qui uerò eiusmodi præessent curæ, dici coronistas inuenio: sicuti in libro De nominibus Alexandrinus commeminit Pamphilus. Quæ ab eisdem præcinerentur, id est τὰ ἀοιδίμενα, uel (ut in alijs reperio) τὰ διδόμενα, id est quæ dabantur, coronismata uocabant. Eiusmodi quippiam & hirundinibus in eadem fiebat insula, ut est apud Theognin tertio De sacrificijs, quæ in Rhodo celebrarentur. Id uerò χελιδονίζειν dicebant, quod ita concinerent, ἦλθε, ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς. id est, Venit, uenit hirundo pulchras ducens horas, & annos pulchros. Quoniam uerò & coruorum commeminimus, ex superpondio item adnectam illud: nycticoraca, id est nocturnum coruum dici item cicumam: Sicuti qui Græcè est byas, apud nos bubo nuncupatur. Sunt qui otum dicunt nycticoraca: Hieronymus noctuam.

Digitorum ratio ex Auicenna. Eorundem quoq; nomina ex Polluce. Scytalides, seu phalanges. Inibi quid scimalissare. Dactyli idæi. Curetes. Corybãtes. Indices libri, & didascalici. Societatis ineundæ mos arcanus. Digitorum nomina quibusdam esse amuleti uice. Magica eorundem implexio. Alcmenæ historia. Pharmacides icones. Paraphysis quid. Agnata membra, an irrita. Exostoses. Franciscus Philelphus. Quomodo fit habentibus gemina genitalia. Item de quodam habente in utraque manu & etiam in utroque pede digitos sex. Onychismus quid. ὀνυχίζειν. Onyches xylini.

Caput XII

DIgitorum rationem multi quidem cum Galeno De utilitate partium primo, præclarè sunt exsequuti, sed & primo Canonis Auicenna. Ex quo paucula mutuati, qui mos noster in legendo est, præcerpendi, quicquid scitu non ingratum ingerit sese, huic loco impegimus. Igitur, digitis (inquit) naturæ sagacis decreto tria modò officula compactim modulateq; adnexa, sunt attributa: ne si plura paulo forent, sequeretur quidem in ratione motuum adiumentum aliquod, sed imbecillitatis nocumentum adesset insigne, in apprehẽdendo præcipue. Quòd si pauciora tribus forent, firmitas utiq; esset conspicua: uerum fieret motuum ab eo, quod necessarium est, diminutio: quos amplius exigit ratio, quàm robur mensum transcendens. Interior pars carnosa est, ut sit portio ea, uelut molle stratum, cæteris digitorum partibus. deinde, ut suauius cedat ijs, quæ apprehenduntur arctius, nec ulla prorsum consequatur oblæsio. Extima uerò destituta carne sunt: primũ, ne inutile onus accederet: mox, ut armorum uicem in feriendo præstaret pugnus. Pollex uerò, inquit Princeps, omnium existit digitorum iustitia: quippe sicuti Iustitiæ munus est, unicuiq; quod suum est, reddere: sic & suum pollicis uidetur, digiti cuiusque actionem iuuare, dirigere, ac æquiualentem omnibus utilitatem impertiri. Quod & quartodecimo De animalibus Auicenna idem comprobat. Articulos digitorum scytalidas uocant, uel (ut Aristophanes) phalangas: tres sunt hæ digitorum cuiq;, præter magnum, duabus modò compactum. Nomina digitorum apud Pollucem sunt hæc: Micros, id est paruus. Parameses, qui sequitur, ὁ παρὰ τοῖς ἰατροῖς ἀνακείμενος, & ab illis appellationem sortitus. Meses, id est medius. Pòst, lichanos: qui de officij ratione Latinis index est, quanquam & indices sunt libri, quos didascalicos uocat Græcia, quibus præcepta continentur. obseruatum hoc ex Varrone, Rusticæ rei primo. Reliquus, antichir, aut megas: & ἀντίχειρ quidem, ut inquit Galenus, ἀπὸ τοῦ ὅλην τὴν χεῖρα ἴσον αὐτὸν δύνασθαι, quod toti æquipolleat manui. Lichanon, ἀπὸ τῆς χρείας, idem arbitratur, nomẽ indeptum, id est ab usu, credo ἀπὸ τοῦ λείχειν, quod signat lingere. Quidam hoc nomine medium accipiunt. In pedibus ijdem habentur digiti, sed non ijsdem appellationibus, quia nec eundem præstant usum. Ab Atheniẽsibus qui medius est, catapygon item dicitur. Significat ea uox scortum & cinædum. Illud neutiquam prætereũdum, σκιμαλίζειν, id est scimalissare, apud Græcos esse propriè, quũ digito pertentamus, ecquid oua

gallinæ conceperint.quanquam & uerbo eodem utuntur, ubi pollicem medio applicantes plagam inferimus ludibrij cauſa. Sed & protenſum oſtentantes contumelioſe digitum medium,rectè dicuntur σκιμαλίζειν. Ridiculum uerò quod in Moralibus Plutarchus refert:quoſdam conſueuiſſe digitorum nomina perdiſcere, atq; alexicacorum uice,id eſt mala auertentium,uti in terroribus,tacitè unumquenq; dinumerantes. Non diſſimulandum tamen,eſſe qui non ad digitos Plutarchi ſententiã referant, ſed ad dactylos idæos.Proindeq; non ἰδίων δακτύλων in Plutarcho,ſed ἰδαίων legendum uideri.Sunt autem qui & Corybantes ac Curetes,qui etiam Lares creduntur,quos ita natos ferunt:quippe Opem in Idam Cretæ fugiendo delatam monti manus impegiſſe,acinde emerſiſſe Curetas, quibus à montis nomine, & facti qualitate ſit dactylorum inditum nomen.Curetas uerò ex oculorum formoſa ſpecie nuncupatos,id eſt ἀπὸ τῶν κορῶν, id eſt à pupillis.Fuiſſe item ineuntibus ſocietatem regibus morem legimus uetuſtiſſimum,dextras implicarent,ac inuicem pollices peruinctos nodo arctius conſtringerẽt, atq; ita profuſum in extima cruorem,ictu leui demanãtem prolibare. Quod arcanum cenſebatur fœdus,ceu mutuo ſacratum ſanguine. Ante regiam Alcmenæ Herculem parituræ,ſtetiſſe digitis pectinatim implexis Lucinam,quo partum præpediret, narratur à mythicis:eluſam uerò ab ancilla Galanthide, quod Alcmenam diceret peperiſſe: quibus mox auditis,illa receſſerit,ac ſtatim leuata partu ſit Alcmena. In Græcorũ theſauris animaduerto,Thebis habitu muliebri ſtetiſſe iconas,dici à Thebanis pharmacidas:ueniſſe autem lunonis monitu mulieres Alcmenæ parturienti moram iniecturas, uerum ſophiſmate lepido à Tireſiæ filia Hiſtoride abactas. Sunt porrò in manibus pedibuſq; παραφύσεις, id eſt agnationes,ubi ſuperfluens adnaſcitur digitus ratione materiæ exſuperantis. De qua re ſic Plinius, Membra animalibus agnata inutilia ſunt,ſicut ſemper ſextus in homine digitus. Quod ex illo forſan Ariſtotelico uideatur ſumptum libro De generatione quarto: Quibus autem habere gemina cõtigit genitalia,alterum maris,alterum fœminæ, iſs ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur. Ipſe uidi Bononiæ quendam de plebe inopem ſenis in manu utraque digitis, immo in pedibus quoq;.Superfluens digitus inter auricularẽ annularemq; interſitus agnoſcebatur, magnitudine ad reliquorum reſponſum:mobilis præterea,& ad omnem uſum, ut aſſolet, accommodus. Manus inſigni erant latitudine: nil præterea quod deceret minus. Hoc eo adnotaſſe libentius uolui,ut ſciremus,decretorium non eſſe, agnata membra inutilia haberi,& irrita.Alioqui apud Paulum Aeginetam legimus,Ex digitis qui παραφυόμενοι dicuntur,alios eſſe carnoſos omnino,alios oſſa habere & ungues quandoq;. Horum autẽ alij ex articulis prodeunt,à ſcytale alij.Sed hi prorſum ἀκίνητοι, hoc eſt immobiles ſunt:cæteris mobilibus quãdoq;.Sunt item apud Galenũ Therapeutices quartodecimo,dentes qui παραφυόμενοι nuncupentur, qui naturalibus adnaſcantur. Sunt item quæ in hoc genere dicuntur exoſtoſes, id eſt ἐξοστώσεις. Franciſco Philelpho tres fuiſſe teſtes,proditum ſcio. Apud Strabonem onychiſmum dici aduerto unguium cultum & elegantiã.Siquidem ὀνυχίζειν, diligenter exquirere eſt.Onyches xylini Herodoto hiſtoria ſeptima ſunt lignea inſtrumenta nauium armamentis contorquendis.

Animalibus cunctis ineſſe rationis orationiſq; uim, ex Porphyrio. Itẽ de Apollonio Tyaneo quæpiam. Cap. XIII

POrphyrius in literis ueteribus doctiſſimus libro De ſacrificijs tertio, afferre ſe opinionem ſcribit tum ueram tum etiam Pythagoricam: Omnem ſcilicet animam ſenſibus & memoria præditam,eſſe rationalem,habereq; rationem & orationem interiorẽ exterioremq;,qua inter ſe loquantur animalia.Quorum uerba non diſcerni à nobis,nihil mirum ſit,quum barbarorũ etiam multorum ſermonem minimè diſcernamus, neque tam loqui,quàm indiſtinctè uociferari putemus. Addit,ſi credendum ſit antiquis atq; illis qui patrum noſtrorũ,& noſtro tempore extiterunt,eſſe qui dicant,ſe audire ſermonem animalium atq; intelligere:ſicuti apud ueteres Melampus & Tireſias ac Thales: nuper uerò Apollonius Tyaneus, quem dicunt in amicorum cœtu,quum audiret hirundinẽ alijs nuntiare, aſinum prope urbem onuſtum cecidiſſe,triticumq; humi diffuſum: declaraſſe audita, idq; ita fuiſſe compertum. Subiungit,Ariſtotelem,Platonem,Empedoclem,Democritum,aliosq; qui ueritatem

de anima

de animalibus perſcrutati ſunt, participationẽ rationis orationisq; in animalibus comperiſſe. Illud uero hic obiter legentes monitos uolo: Philoſtratum libro quarto, Apollonij hiſtoriam illam de intellectu colloquij auium, aliter narrare. Neq; enim hirundinem, ſed paſſerculum fuiſſe ſcribit: in alijs item diuerſus eſt aliquo modo: ita tamen, ut ſententia ferè ſit eadem. Summa uero, hæc omnia eſſe nil aliud, quàm uanitates & immundorum ſpirituum fallaciſſimas præſtigias. Quis neſcit, Apollonium hunc magica ſolum fuiſſe inſignem? Siquidem ut aptiſſimè colligit Euſebius, aduerſus Hieroclem, qui Philoſtratum Euangeliſtis præponebat, non modò inter deos admirandosq; uiros locum non habet, ſed ne inter philoſophos quidem ab aliquo reponitur. Quamuis reperiam, à quibuſdam ut deum fuiſſe cultum, & ſimulacrum eius ſub Herculis Alexicaci nomine conſtitutum, ab Epheſiis fuiſſe honoratum. Sed & Antoninus Caracalla magiæ deditus ac goetiæ Apollonium amplexabatur plurimum, illi etiam heroo ſubſtructo, ut ſcribit Dion: etiam ſi, ut in Epitome legimus, μαγος ἐπὶ ἀκεραίᾳ. Qui magum fuiſſe hunc hominem, ambigit, Philoſtratum legat: quamuis omnium, qui unquam hiſtoriam conſcripſerint, mendaciſſimũ: acrius rerum pondera perpendat, ueritas interlucebit, etiam ſi immẽſa cauì ſpirant mendacia folles. Neq; tamen, inquit Euſebius, hodie quoq; deſunt, qui expertos ſe dicant, eius nomini inuocato magicas ineſſe uirtutes adſuperſtitioſa quędam peragenda. Quibus equidem non facile adducor, ut fidem aliqua ex parte præſtandam putem, quando ex harena mihi planè funiculum nectere uidentur. Quæ ſi quis probare poteſt, is mihi nec nare nec omnino literas perdidiciſſe, aut primoribus ſaltem præguſtaſſe labris, cenſebitur. Cæterum nec ab Philoſtrati uanitate abijt longe Flauius Vopiſcus, qui Apollonium ceu auguſtius numen ueneratus, per quietem Aureliano imperatori ingeſtum ſcribit, ſubmonentem: Aureliane, ſi cupis uincere, nil eſt quòd de ciuium meorum nece cogites: Aureliane, ſi imperare uis, à cruore innocentium abſtine: Aureliane, clementer te geras, ſi uiciſſe cupis.

Qua ratione animã exui alis, traditum ſit, aut eaſdem reparare. De quatuor paradiſi fluminibus. Caput XIIII

NOroaſtrem, abs quo omnis ueterum theologorum ſapientia demanaſſe creditur, memoriæ prodiderunt Chaldęi quidam non indocti homines, ſolitum dicere, alatam eſſe animam, fractis uero alis ac gradu (quod aiunt) deiectam, in elementa ferri præcipitem, tum illis ſuccreſcentibus in gradum reponi, & ad ſuperos reuolare. Hoc & Pythagoricũ dogma eſt, immo uero etiam Platonicum, à magno in primis Plotino confirmatum, libro octauo Enneadis quartæ, de animæ deſcenſu in corpora. Franguntur autem alæ, ſiue interuelluntur, ubi inclinatio uegetalis naturæ intenditur ad corporea gubernanda. Et poſtquàm ab incolumi innoxioq; habitu melioris prouinciæ gubernandæ longius aberrauit anima, & uelut ſartum tectum ſibi elocatum prodidit, redemptura neglecta: qualis quidem habitus penes ipſam totius animam, ut Platonicè dicebam, uigebat. Hinc & ſcienter quem fregiſſe alas dictitare, uelut adagio poſſumus: quando diuinis omiſſis aut neglectis, quæ ſola uerè ſunt, imagines ſequitur & umbras: hoc eſt, ſomniat in ſenſibus, terrenis tantum intentus, nil magnopere ſuſpiciens. Quod Procli comprobat doctrina, ubi tres eſſe prodit cõuerſionis ſpecies. Quis enim ad aliquid ſe deterius conuertitur, dum à perfectione propria labitur: uel deterſus nitidatusq; conſurgit ad melius, propter propriæ uitæ uigorem actionemq; naturalem: uel reflectitur ad ſeipſum, propter cognitionem ſibi conſortem, mediamq; ſpeciem motionis. Conuerſio quidem erga deterius, paſſio quædam eſt animæ alas abijcientis, & in obliuione iam poſitæ ſuijpſius, ſimulatq; altiorum. Cõuerſio uero & ad ſe & ad melius, non ſolis competit animis, ſed ipſis quoq; diuinis: ſicuti nos Parmenides docuit. Sed & Syneſius eruditè admodum: Optima, inquit, in animis affectio uel habitudo, ſpiritale uehiculum leuius efficit, abſtergitq; habitudinis deterioris proſunditatem. Tractibus nanq; naturalibus, aut attollitur in ſublime ob caliditatem atq; ſiccitatem: idq; apud Platonem alarum aſſumptione ſignatur: & apud Heraclitũ ſignificat idem, ſplendor ſiccus, anima ſapiens. aut craſſeſcit humeſcitq; ſpiritus, unde immergitur terræ ſeceſſibus naturali pondere deliteſcens, expulſusq; in ſubterraneam regionem. Zoroaſter porrò, abs quo exorſi ſumus, qui non Aeſopum modò (ut dicitur)

attriuit,ſed omnis literaturæ interioris penitiſſima ingreſſus uidetur, refici poſſe dilapſas perdocuit,ac confractas alas:ex conditorioq́ ac ſpelunca, & (ut planè dicam) ex ærumnarum piſtrino,unde uelut de crypta ſupernum raro ſuſpexerit lumen,ubiq́ compeditus diſtinetur animus, dum agit ac utitur ſenſibus, emerſum patere, ſi ex fluentis quatuor,quibus (inquit) paradiſus Dei abluitur & irrigatur, hauſerimus nobis ſalutares aquas. Adiecit & ſingulorum quaſi nomenclaturam:Eius,inquit,quod ab Aquilone profluit,nomen interpretari rectum ualet: quod ab occaſu,expiatio; quod ab ortu, lumen:quod à meridie,pietas.Id uero eſt,inquit Plotinus,ſi quodam reminiſcẽtiæ munere ad entia cõtemplanda faciamus exordium.Gregorius porrò profluentium ex paradiſo amnium tropologicam exponens rationem:Quatuor fluminibus,inquit,de paradiſo egredientibus terra commadeſcit:quia ſolidum noſtræ rationis ædificium, prudentia,temperãtia,fortitudo,iuſtitia continent: his enim quatuor uirtutibus tota boni operis ſtructura conſurgit. Quatuor flumina paradiſum rigant, quòd dum his quatuor uirtutibus cor affunditur, ab omni deſideriorum carnalium æſtu temperatur. Idem & tertiodecimo Diuinæ ciuitatis libro Aurelius Auguſtinus ſcribit:ſed addit,Paradiſum eſſe uitam beatorum: ligna eius, omnes utiles diſciplinas, & lignorum fructus, mores piorum,& lignum uitæ,ipſam bonorum matrem ſapientiam, & lignum ſcientiæ boni & mali,tranſgreſſi mandati dæmonicis obſidijs experimentum.

Non uerba Platonis attendenda,ſed ſenſum. Quæ ſint animarum alæ.Quid in eiſdem, auriga & equus geminus. Columbæ geminæ apud Virgilium quid ſint. Caput XV

CAeterũ,de quo necdum uerba fecimus,quærat hic aliquis, quas nam in anima intelligere alas,aut poſſimus,aut debeamus. In quo doctos omnes commonitos uolumus, nihil eſſe quod nos uocabula in Platone, uel hæreſeos eiuſmodi auctoribus turbent. Rudis enim, inquit Dionyſius Areopagita,& temerarij hominis eſt, non uim rei attendere, ſed uim facere uelle uocabulis.Solent enim de nominibus altercari, qui non diuinas res exquirunt, ſed ſonos uerborum ſectantur,& aurium tenus ea recipiunt,quæ mente uolutare recto pioq́ iudicio debuiſſent. Igitur,ut ad rem ueniamus, geminas alas accipio geminum inſtinctum menti ingenitum,ad ſuperna animum eleuantem.In intellectu quidem inſtinctum ad diuinum uerum.In uoluntate inſtinctum ad diuinũ bonum pro uiribus conuertentem.His uero remiſſis,è cælo labi animam,Pythagoricis placet.Aut planius,animæ alas contemplatiuam intelligamus uirtutẽ,atq́ item moralem,quas ueritatis diuinarumq́ rerum contemplatione ac intuitu recuperet,quemadmodum terrenorum appetitione atq́ caligine amiſerat. Porrò apud optimum maximũ poetam diuini operis libro ſexto, Columbas geminas, ad aureum ramum inueniendum duces, non aliud quàm haſce alas eſſe contenderim, quibus connitentibus erigitur mens ad ſapientiam, auri nomine ſæpius ſignificatam. Sed & à Venere mittuntur, quia amor diuinorum eximius alis præſtat alimenta,quibus ſurrigimur,mox & in deum tranſimus. Quam rem illa ſignificant,

Tollunt ſe celeres,liquidumq́ per aera lapſæ
Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt.

Addamus præterea & Platonis inuolucra in animæ itẽ ratione, quæ ſi accipienda ſimpliciter putes,nec ultra apium (quod dicitur) quippiam introſpexeris, anilia eum putes deliramenta contexere. Vbi ergo philoſophus is uires animæ diſtribuit ac ſecat in partes quodammodo, rationem quidem aurigæ uocabulo, prudentioribus monſtrat. Appetitum uero geminum,equi indicant gemini.appetitum quidem rationis compotem,equus bonus:appetitum eiuſdem impotem,equus malus.Animum autem, quam diu integer & alatus ſit,ſublimem ferri, Plato uult, & diuino aſpectu frui. Poſtea uero quàm alas amiſerit,deferri,quoad ſolidum aliquid nactus fuerit, tum terrenum corpus ſubeuntem conſtituere animal mortale atq́ immortale. Ali itaq́ & augeri animæ alas, dum pondus ſibi coniunctum ſublime tollit, ubi genus deorum incolit, bonitateq́ & ſapientia & pulchritudine animus præſtat:minui uero & perire,dum uitijs animus deprauatur atq́ degenerat,bigarum auerſus prauitate.Digna prorſum ſententia,quæ uncialibus literis ſeu pollicaribus ſubnotetur, quo uel cæcutientibus ac nuſcitioſis ingeratur liquidius.

Vehicula animæ tria. Item quid animæ idolum, & quid umbra. Maronis locus exponitur. Animas uiolenter pereuntium posse hostes insectari. Statuarum ordines. Colossi unde. Signa quæ dicantur proprie. De sensibus ætherei corpusculi mira.

Caput XVI

VErum enimuero, quia in ueterum theologorum scita de animi ratione incidimus, placet, parumper sepositis alijs, quæ plurima sese ingerunt, in easdem excurrere amœnitates. nec id tamen frustra, sed ut Platonici Maronis profundiorem scientiam, Cimmerijs adobrutam tenebris, promamus in lucem, sicuti ex Platonicorum doctissimis accepimus, ex quibus plerique animam tribus utiuehiculis produnt: primo quidem immateriali & simplici, id est cælesti: secundo materiali & simplici, id est aereo: tertio materiali atq; cõposito, hoc est ex elementis quatuor constituto. Et primo quidem uitam infundere rationis impotem, sed mortis nescíam. Secundo irrationalem item, sed longæuam, quæ uidelicet composito corpore aliquando dissoluto, ad certum superfit tempus in simplici corpore. Tertio denique uitam & ratione cassam, & unà cum dissoluto corpore dissoluendam. Porrò in prima uita uehiculo communicata sensum esse cõmunem atq; impatibilem. In secunda patibilem atq; communem, id est per uehiculum uniuersum, sensum pariter uniuersum. Denique in tertia sensum diuisum pariter atq; patibilem. Prætereo parte hac quæ Platonẽ insectati promunt, umbram animæ poetis celebratam, ab Platone uehiculum nuncupari: in qua cernatur animus, & localiter moueatur. Quippe esse ipsum inuisibilem, umbrã uisibilem, ipsum localiter immobilem, quia sit incorporeus. Quòd uero per locum mouetur, locum metitur, qui ab incorporeo nequit mensurari: quî enim mensuretur spatiũ ab non spatio: umbram uero utrunq; præstare, quia magnitudinem habeat, etiam si non corporis, sed superficiei. Verum ad Platonicos redeo. Vehiculum primũ intellige æthereum corpusculum, acceptum ab æthere: immortale indumentum animæ, naturali quidem figura rotundum propter ætheris regionem: sed in humanã effigiem sese transferens, quãdo humano insinuatur corpori, rursumq; ubi exsinuatur, priori restitutum figuræ. Hoc uehiculum Zoroaster πνεῦμα uocauit, id est spiritum: quia propter tenuissimam & splendidam puritatem est quasi non corpus. Quod tamen persæpe nimio corporis elementalis affectu adeo sordescit ac grauatur, ut caliginem contrahat elementalem, quam animæ umbram prisci theologi nuncuparunt. Actum uero uiuificũ, quem ædit anima in corpusculum huiusmodi, animæ idolum. Id uero in nobis geminum intelligunt: alterum quidem ab anima nostra, alterum uero ab anima mundi. Et nostrum quidem ab anima nostra separari nequit, sed ab effectu uacare. Mundanum uero ab anima nostra reuelli ac dispesci omnino ualet. Porrò probabile putabant ueterum theologorum scientissimi, animas hominum uiolenter pereuntium, quos βιοθανάτους uocant, quippe inexpiatas, uehemẽtius diuexari perturbationibus. Posse quin etiam hostes insectari inimiciter, cui fomites non suggerat modò humana indignatio, sed diuina item permittat Nemesis, nec desit dæmon. Superesse uero in anima sensum, antiqua sapientum uestigia insequutus, nec tacuit Maro noster, simulq; ultionis auidam affectionem & aerei usum corporis. Quid enim sibi uelle aliud putamus id,

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Equidem, ut qui affatim Platonicis imbutus foret sacris, imaginem rationalis animæ esse putat primam illam sentiendi naturam. Sed inferat curiosior quispiam, & medullas item rerum ingeniose scrutatus, cur magnam pronuntiat imaginem? Nempe quia reliquorum est fons sensuum communisq; sensus. Et magno præterea utitur corpore, scilicet aereo. Quod quidem huic insinuatum quodammodo fit angustum, hoc uero exutum explicatur in amplum, elemẽti id aerei natura exigente. Fuere tamen qui simplicius Virgilianum eruerent sensum: nam quum statuarum ordines ferè comperiantur hi, ut pariles sint uel magnæ uel maiores aut maximæ, & pariles dicantur, quum humani corporis modulus seruatur, cuiusmodi surrigebantur sapientibus uiris: magnæ si infra sesquialteram cõtinetur statura, quæ Augustæ uocãtur etiam, quales regum sunt, ac imperatorum, hinc magnam dici imaginem à Didone, quæ ingemiscat, non excitatum iri statuam, quod sibi manum admouisset non citra infamiæ labem. Denique statuæ

tuæ maiores, quibus commenſus foret duplicatus, quales heroum uiſuntur. Nam maximæ diſs optimis maximis ſacræ multo etiam auctiores compingebantur, unde colloſſos nuncupabant de hiantis uaſtæ inanitatis ratione, uelut κόλπῳ ὅσσῳ. Sed ad Platonicos redeundum: ſi illud non omiſero, quæ humani habitus ſtatura minores ſunt, uniuerſim ſigna dici, ex quo & ſigilla, etiam ſi proprietas parum attente cuſtodiatur quandoq́, quod & in multis. Porrò

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Imaginem ab umbra diſtingui, ſignificat: ſiquidem eſſe imaginem ſtatuit, in aereo ſenſum corpore, at corpus aereum animæ umbram. Sicuti craſſius hoc & hebetius, terreumq́ corpus carcerem nuncupauit, uitam uero in hoc profluentem ab anima, quia ſit animæ ipſius actus, imaginem etiam uocat Plotinus, & ſimulacrum: quæritq́, nunquid anima hinc abeunte, pereat ſimulacrum. Et non perire quidem aſtruit, ſed deſinere ulterius imaginem eſſe. Placet ſiquidem non Plotino ſolum, ſed & Numenio, nihil uſquam uitæ perire, quia uita ſit quidam æternitatis, id eſt primæ intelligentiæ ſplendor, & indiſſolubile uinculum uniuerſi. Attamen ſeparare hoc Homerus uidetur in Hercule, ſimulacrum eius ad inferos demittens: ipſum uero inter deos adnumerans. Vtrunq́ ſiquidem uerbis obſeruat, & quòd inter deos, & quòd apud inferos diuerſetur, diuiſit igitur. Fortè uero, inquit Plotinus, ſermo ſic erit probabilis, quippe actiua uirtute præcellens erat Hercules, exiſtimatus quoq́ ob probitatẽ eſſe deus, ſiquidem actioni mancipatus, contemplationi non utique. Alioqui totus apud ſuperos ſtatueretur. Sed inde nimirum & apud ſuperos eſt, & aliquid eius interim eſt apud inferos. Diſparationem uero hanc ſignificaſſe item Ennius uidetur: ſicuti à Lucretio De rerum natura primo, commemoratur: Acheruſia, inquit, templa fingit Ennius,

Quò neq́ perueniant animæ, neq́ corpora noſtra,
Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.

Verum, prius quàm ab hiſce iucunditatibus Platonicis abeamus longius, addamus præterea ſecretiora quædam ex ſacrariis eiſdem. Actum uiuificum animæ in uehiculum, hoc eſt æthereum corpus, animæ idolum appellari diximus. Sed illud ſciendum, opinatos fuiſſe ueteres, ineſſe huic idolo phantaſiæ uim rationis minimè compotem & confuſaneam. Eiuſmodi item ſenſus, ut uiſus per uehiculum totum fuſim propagetur: propagetur & auditus. Sed ſenſibus iis haud ita perfrui multos, neque item ſæpius. Ineſſe uero illis eam poteſtatem admirabilis naturæ, ut ſphærarum tacitus alias concentus perſentiatur. Auditui ſubijciatur & uox dæmonica, uiſui obuia ſint & corpora, ſi abiuncta quadamtenus terreni, & proinde craſſioris ſarcina corporis, in æthereum ſeſe anima corpuſculum ſeuocarit. Siquidem Mercurij filium Tatium rite, rectéq́ ſacris expiatũ proditur, exclamaſſe illicò, agere iam ſe in corpore mortis neſcio, tralatumq́ alius miranda præcipuè & intueri & audire. Quod approbans Mercurius, id ipſum uſu ueniſſe ſibi teſtatur. Sunt qui monumentis prodant, nec tacuit Platonicus Olympiodorus, Tyaneum Apollonium eorundem poteſtate ſenſuum, quum in urbe ageret, tanq́ de illuſtriore ſpecula, quæ in Aegypto fierẽt, proſpectaſſe atq́ item enũtiaſſe. Sed hæc uiderint illi. Quando quid fallaciſſima poſſent dæmonum ingenia, quibus præpedita tunc humana mens diſtrahebatur, omnes nouimus: quibus, mundo in ueſpertinũ uergente, cælitus micantiſſima CHRISTI lux affulſit. Arbitratur Plotinus intellectum primum eſſe, eſſentiã primam, à quo & in quo ſint intellectus alij, non ſolum per ideas, uerum etiam per proprias (ut ita dixerim) exiſtentias intellectuales animæ, ſecundum intellectualem ſibi propriam facultatẽ, etiam dum ſunt in corpore. Sicuti lineæ à centro ad circumferentiam uſq́ perductæ non diſcedunt à centro, dum circumferentiam contingunt. Hinc effici uult, ut intellectus prophetæ hominisq́ abſtracti, etiam ſi in Oriente tantum eſſe uidetur, proſpiciat tamen quæ & in Occaſu gerantur: quia intellectus omnes in ſe inuicem, & ubiq́ ſunt; quandoquidem ſunt ſemper in ſimplici mente diuina tota ſemper ubiq́ præſente.

An ſit philoſophandum. Omne genus ſcriptorum excutiendum. Ariſtoteles cur diceretur anagnoſtes. Ariſtotelicorum librorum ratio docta. Tetraotos qui. Philoſophiæ laus.

Caput XVII. Non

NOn ambigo, minimè defuturos, qui noſtrum hoc inſtitutũ Timoniano dente inceſſant, uel etiam Vatiniano proſequantur odio, & eos præcipuè, qui ſunt iſtiuſmodi amœnitatum rudes, καὶ ἀνήκοοι, hoc eſt auſcultationum exſortes, limo cœnoq́ dum luteſcunt: ubi ad hunc modum in intima philoſophorum ſacraria, & Platonicorum in primis diuertimus, quorum ſymbolum eſſe proprium nouimus, τὸ θεῖον: uel quod (ut M. Tullius ait) quibuſdam, & ijs quidem non indoctis uiris totum hoc diſplicet philoſophari. Neoptolemus uero ille Enniānus philoſophari ſibi ait, neceſſe eſſe, ſed paucis: nam omnino, inquit, haud placet. Quam ſententiam Gellius interpretatus, guſtandum dixit de philoſophia, non in eam ingurgitandum. Fortè quod non ſit noſtrum onus, nec ijs humanioribus ſtudijs magnopere rerum illa ſubtilitas congruat. Ego uero qui ex Platone didiciſſe uideor, philoſophi officium eſſe, diuina tenere, humana gubernare: prius enim diuinam, id eſt abſolutã ipſius boni naturam per ſapientiæ claritatem contemplatur: deinde, ad id bonum, uelut ad finem humanas operationes dirigens, humana diſpenſat: non paucis, quod & Cicero quoq́ non abnuit, philoſophandum arbitror: nec curſim id genus libros tranſeundos, præſertim ſi ueram quis philoſophiam inſiſtat, non palliatam, non ἐκπώγωνον, id eſt ex barbitio, non fucatam, non quæ populari auræ rationalis animi generoſam mancipet diuinitatem: ut nil efflet, niſi gloriolas inanes, nil captet tumens, niſi rumuſculos ſecundiores. Nec tam præclara rerum ſcientia, ex qua, uelut ex equo Troiano, innumera prodit ſapientium caterua, ab hiſce ſtudijs floridioribus ſequeſtratur: niſi quis bene rectèq́ uiuendi rationem, quod perabſurdum foret, uelit ab oratore auferre, cum eiuſmodi rerũ doctrina, ſine qua mancus ſit, ac prorſus inutilis, ni garrulum quendam fingamus eum, & nil aliud, quàm ſtrepentium more graculorum, obturbantem, proflantemq́ quicquid in buccam uenerit. Sed utinam uel frequentius, immo uero ſemper præſtare id ipſum poſſemus. Equidem pro uirili ab antiquitatis noſtræ ueſtigijs nuſquam uel latum unguem reuellar. Scimus profectò, quum ueteribus omnibus uſitatiſſimi fuiſſe moris, ut omne ſcriptorum genus excuterent, nullas quas poſſent, commentationes illectas intactasq́ præterirent, tum Ariſtoteli uel in primis, qui ex nobili lectionis multijugæ uariantisq́ cura eſt à Platone anagnoſtes nuncupatus, tanquam lector foret infatigabilis, & χαλκέντερος planè, ut Græci dicunt, ac ſititor inexplebilis. Vnde mox illi ingenio inenarrabili tria philoſophiæ munia ſuſcepta pertractataq́ ſunt, phyſicum, metaphyſicum, morale. Sed ita, ut alphabetis tribus omnia ſit complexus: iam enim publico bono in parerga excurremus: nam phyſicorum libri, elementa implent omnia. Siquidem octo leguntur De rerum naturalium principijs, De cælo ac mundo quatuor, De generatione ac corruptione duo, De meteoris quatuor, De animæ hiſtoria tres, De animalium motu unus, duo qui parua (ut modo dicitur) naturalia complectuntur. Huic uero ſententiæ uetus ſuffragatur attitulatio. In qua more Homerico ita enotabatur librorum ordo: ut phyſicorũ diceretur alpha, qui primus: beta, qui ſecundus: & deinceps. Quam rationẽ in Moralibus, item eſt ſequutus. Nam ni demutilati forent temporum incuria, ac præcurtati, plenum literarum numerum in ethicis, politicis, œconomicis agnoſceremus. Id ipſum & in Metaphyſicis conſequeremur, ni pleraq́ deprauaſſet uetuſtas. Quæ autem de plantis, aut de animalibus tanto ſunt concinnata philoſopho, iam elementa non ſunt, ſed uelut ex elementis coaptatæ ſyllabæ. In quam ſeriem ueniunt & magna moralia. Omnia uero hæc problemata, & phyſionomica addiuinatio conſequebãtur, quæ ab elementis diſſita longe ſunt. Quando nec in re grammatica de oratione quicquam diſſeritur, ni literarum præceſſerit cognitio cum ſyllabis & dictionibus. Quamobrẽ, quum anguſtæ omnino mentis ſit, intra unam ſe porticum aut academiam continuiſſe, pergamus hiſce uarietatibus & doctis ſeceſſibus hoſce libellos excolere, ut ſi quis fuerit eorum genius, nitidiores, ac ſuo more unguentati ueniant in manus hominum. Nec philoſophiæ nomen exhorreſcamus, quando hæc eſt uerus germanusq́ πρῶτος, id eſt auribus inſignitus quatuor, quo nomine eum Græci interpretantur, qui multa uiſu conceperit, multa & auditu. Nam, ut Ariſtoteles docuit, & non tacuit Plutarchus, & ante eum Theophraſtus, primæ notæ uirum addecet, quæ ſunt, contemplari, rurſumq́ obire, quæ oportet, congruaq́ uitæ hominis

minis ſunt. Proinde Plato, ingentibus quibuſdam admirandiſq; bonis legitimorũ philoſophorum animos refertos eſſe prædicat, ac poſt corporis mortalis interitum, diuinis epulis ueſci, ueritatiſq; campum cum diſs unà circũluſtrare. Idq; ex eo potiſſimum promereri, quòd in omni uita deſiderio ſcientiæ diuinæ flagrauerint. Inſcitia uero adobrutos iſs comparat, qui uitam omnem in ſubterranea quadam ſpelunca trãſegerint. Seneca porrò ad philoſophiam cõfugiendum monet, quòd eiuſmodi literæ non apud bonos modo, ſed & apud mediocriter malos inſularum loco ſint. Scitum quoq; Luciani illud, detornatumq;, ac uelut ex oraculo propagatum, philoſophicis myſteriis non initiatos, id eſt οὐκ ἀφιλοσόφους, ut inquit Plato, dici ἐν τῷ σκότῳ ὀρχεῖσθαι, hoc eſt in tenebris ſaltare. Hæc deniq; non ementita nobis ſuggeret in ſalo Fortunæ (ut ille ait) medicamina, quibus plerunq; longinquitas, & ignorabiles gentes auctoritatem conciliant, ſed quæ citra diſſimulationem dici recte poſſint θεῶν χεῖρες, id eſt deorũ manus. Quanquam defamatos homines ac erraticos incolasq; ganearum ſordentium, & demortuos quodammodo nomen ſæpe ſibi uendicare ſanctiſſimum intuemur dolenter; quum tamen Harmodiũ & Ariſtogitonis nomina, ne unquam ſeruis indere liceret, decreto Athenienſes cauerint. Et quoniam noſtratia hæc humanitatis ſtudia obloquentes multi inceſſere non deſinunt, ceu ſolidi probiq; adſit nihil, ſed humentia plane omnia, & neſcio quomodo congeſtitia, architectos interim imitabimur, qui in palationis ratione, uliginoſo ſolo, fiſtuca adhibita, ſic addenſant, ut ſuſtinẽdis mox oneribus quibuſcunq; abunde ſit par. Sint porrò quæ de philoſophiæ petuntur ſacrario, uelut ſuccidaneum quiddam, quo delicatioris ſtomachi faſtidium detergatur.

Heroum quid ſit. Expenduntur apud Thucydidem loca duo. Heręum quid. Hermæa. Muſea. Diaſia. Pandia. Demetria. Hiera picra. Peliæ uaticinatrices. De Craniis, & Cranone. Epicrano, & de Herophile, ac Sibyllis. Cionocranion. Epicraſis quid. Cranion ſophotaton. Caput XVIII

MAgnæ uirtuti heroum excitare, ueteris fuit moris. Id & Acriſio fuiſſe poſitum, Apollonij interpres ſcribit. Sed & leocorium, quod Athenis erat, heroum item dicebatur. Significari autem eo nomine monumentum, putant eruditiores, uſitata & Latinis auribus dictione. Plinius libro decimo, quam ob cauſam incolæ, quod uocant heroum, in eo loco fecere, appellatum Iouis & Virginis. Androgei aram Pauſanias ſcribit, in Attica ἡρῷον dici. Polion uero in Lesbo locus, inquit Stephanus, ubi erat Tantali heroum. De Vlyſſis heroo penes Lacedæmonios, apud Plutarchum in Cauſis hiſtoria eſt: ſed in ratione ciuilium præceptorum ſcribit idem, Theagenem heroa cœnaſſe epitaphij cuiuſdam. Thucydides quoq; hiſtoria tertia, Platæenſium à Lacedæmoniis obſidionem deſcribens, & quorundam eruptionem per hoſtium munimenta, inquit, Pergebant autem conferti Thebas uerſus ἡ δεξιᾷ ἔχοντες ἀνδροκάτους ἡρῶον, quæ uerba non aliud nobis reddunt, quàm dextra habentes Androcatis heroum. At Laurentius tranſtulit, Iunonis templum ab Androcate ædificatum. Quòd ſi quis putat heroum ſignificare Iunonis templum, fallitur: ſed doctiſſimus interpres legiſſe uidetur, non ἡρῶον, ſed ἡραῖον: qui lapſus equidem procliuis eſt, ac lubricus. Eſt uero Heræum planè Iunonis templum. Quis enim neſcit, Iunonem dici heram? Sed & eiuſdem feſta dici Heræa inuenias, uel apud T. Liuium: ſicuti Mercurij Hermæa. nam Muſea, Muſarum ſunt: Iouis, Diaſia & Pandia: Cereris, Demetria. Sed ad Heræum redeo. In uerſiculo tamen illo ex Ennio apud Ciceronem De officijs primo,

Vos' ne uelit, an me regnare Hera.

Pro Fortuna dici Heram interpretantur. dicunt & gratiam ſignificare, atq; item auxilium. Dicitur item Græcis, ἡραία ζωή, id eſt regalis uita: quoniam ſit Iuno, ἡ βασιλέα, quod de Euſtathij doctrina eſt. Fuit in Thracia quoq; ἡραῖον τεῖχος, id eſt Heræus murus: ſic uero dicebatur locus quidam, cuius in Philippicis commeminit Demoſthenes. Hiera uero ad præſens inſtitutum nil facit. Ea ex aloe concinnatur, ut ſtatuit Galenus, quam nonnulli picram quoque appellant. Heræum item ſtare Pauſanias inquit, à Mycenis ſtadiorũ quindecim ſpatio, in humiliore montis Euboeæ loco, de Aſterionis filia ſic nuncupati, prope quem fluat, quæ dicitur Eleutherij aqua. Ea uero quæ ſacra obeant, uti πρὸς καθάρσια, id eſt ad expiationes. Xenophon Rerum Græcarum ſeptimo, ab Argiuis

ab Argiuis apud Phliuntem muro circummunitum ſcribit Tricranon: Quod, inquit, ſupra Heræum eſt, ab Sicyoniis autem in montanis munitam Thyamiam. Heræum, id eſt Iunonis templum ante urbem Platæarum libro ultimo agnoſcit Herodotus, interpretis etiam aſtipulatu. Herophile ſibylla fuit, quam Græci Iouis & Lamiæ Neptuni filiam tradunt, quæ mulierum prima cecinerit oracula. Quo in genere fuit apud Cumæos Δημώ, apud Hebræos Sabba, ut prodit Pauſanias, Beroſi, & Erimanthes filia. Phaennis apud Chaonas, apud Dodoneos Peliæ, id eſt πελειαι. Nam & hæ uaticinio fuere inſignes, ſibyllæ tamen dictæ non ſunt. Verum, ut ad Thucydidem redeamus, ut Vallæ comprobari lectio item poſſit, illud facit, quia in eiſdem locis libro eodem fanū Iunonis hiſtoricus ſtatuat. Nec uideri poteſt interpres imperitia lapſus, quum libro ſecundo, ubi ita Græcè ſcribitur, καὶ τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἡρῶα πάντα, Baſilicas Latinè pro heroïs reddiderit. Nec diſſimulandum tamen, uideri quandoq; Laurentium in aurem utranq; dormire, ſicut libro quinto, ubi Thucydides ait, καὶ κατῴκισαν αὐτοὺς ἐν κρανίοις τῆς κεφαλληνίας. ipſe crania interpretatur uertices: quum tamen, licet unitatis numero, Cranion eſſe Cephaleniæ ciuitatem, cōſtet uel auctore Stephano. nam Cranō in Theſſalia eſt. Quam prius Ephyram uolunt nuncupatam, Cranonem uerò dictam de Cranonis nomine, illic regnantis, quem peremerit Oenomaus. Sunt ex Græcis qui ita prodant: Cephalenia, inquiunt, tetrapolis eſt, Pale, Cranæa, Samæa, Pronæa. Quamuis & Cranon, alterius ſit ciuitatis nomen, in qua duos modo coruos reperiri perpetuò, Callimachus ſcribit in Admirabilibus, & Theopompus: qui, ubi alios progenuerint, abeunt ipſi, compares ibi relinquentes. Cranion uerò Græcè tum locum ſignat, tum caput. Vnde Rerum Græcarum quarto Xenophon, ab columna excidiſſe cionocranon prodigioſe, tradit, quo columnæ innuitur caput. Sed Valla fortè maluit Latinè, quàm ſemigræcè ciuitatis nomen exprimere, etiam ſi hoc fieri magnopere non debeat, nec ſoleat. Credamus tamen id iure factum, quando tralator inter graues cenſeri poteſt, ac auctoritatis non conuellendæ, cuiuſmodi appellant Græci ἀκινήτους, tanquam dicas non mouendos. A crano connectitur elegans dictio Græcis epicranon, quod columnæ item caput ſignificat. Sed apud Euripidem etiam κρήδεμνον, ſiue reticulum aut uittam, quum ait, ἐπίκρανον κεφαλῆς. Olecranon uerò interpretantur ancona, id eſt cubitum. Epicraſis autem medicorum ſcholis uerbum eſt uel frequens. Dicitur eo nomine aura τῆς κακοχυμίας, quum ſenſim, quod malum eſt, educitur, reponiturq; itidem, quod bonum. Cranius, id eſt κρανεῖον, menſis eſt appellatio, qui Lacedæmoniis ferè totus ſacer quum foret, expeditionibus abſtinebant eo, quod ſignificat Thucydides. Quia uerò cranion Græci caluariam dicunt, hinc facetiſſimè σοφώτατον κράνιον appellamus plerunq; ſtultiſſimum intelligi uolentes.

Sepulchrorum religio. Plinij locus explicatur. Quibus datum in urbe ſepeliri. Perſarum regum ſepulchra. Gentium in ſepeliendo ritus. Thucydidis ſepulchrum. Icrium quid. Hepheſtionis funus. Cinerarij. Monumenta cur. Cap. XIX

SEpulchra uiolaſſe, ſummum eſſe prioribus habitum ſcelus, indicio pleraque ſunt. Nam ea quidem proximè accedunt, ut opera putētur publica, quando religioni cōmendantur. Vbi corpus demortui hominis condas, inquit lex, ſacer eſto. Hinc illud ex ſecundo Naturalis hiſtoriæ Plinij, Terra nos à reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater, operit, nullo magis ſacramēto, quàm quo nos quoq; ſacros facit. Sed & in Numa Plutarchus mortuos appellat ſacros, quorum ſacra ſint ſepulchra: quod & Græcorum ſententia comprobatur, qui enuntiant ſubinde ἀκίνητα μὴ λίνειν, non mouenda monentes relinqui oportere: quod & in prouerbialem ceſſit uſum. Id poſt alios teſtatur in Amatorio ſermone Plutarchus. Sunt è Iurisconſultis, qui ſacrum dici ſepulchrum opinentur, in quo caput hominis ſit reconditum, etiam ſi membra abſint reliqua. Quin offenſo capite, uiolatum intelligi ſepulchrum: quoniam ſit ſenſuum arx caput, ac rationis: eoq; amoto, reliqua iacere ignota prorſum ac omni decore exuta. Quamobrem quicquid honoris capiti contribuitur, uniuerſo planè contributum corpori exiſtimatur: quæ Ambroſii ſentētia eſt. Proinde nulla ferè tam efferata gens, quæ non habendam ſepulchrorum rationem ſenſerit: præter neſcio

quos Lotophagos, quos ex ultima prædicant barbarie ſuos in mare defunctos, capedunculis ac loculis prorſum neglectis abijcere: parum intereſſe aſſeuerantes, humo ne an aqua, an igne diſſoluerentur. Albani etiam curam mortuorum agere, nefas arbitrabantur. Sabæi corpora defunctorum æque atq; ſtercus ducebant: quin etiam reges in ſterquilinia reijciebant. Troglodytę mortui ceruicē pedibus alligabant, & raptim cum riſu & iocis efferebant, nullaq; loci habita cura, mandabant terræ, ac ad caput cornu ca primum affigebant. Diſertè Mecœnas dixiſſe putatur,

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Altè cinctum putes dixiſſe. Habuit enim, inquit Seneca, ingenium & grande & uirile, niſi illud ſequundis cinxiſſet. Verum hos, ut immanitate ac barbarie notiſſimos nemo non uituperandos execrandosq; cenſuerit, longè etiam magis Scythas, quibus moris erat inter epulas honoris cauſa mortuos uorare. Nec tamen Scythis omnibus id fuiſſe in more, auctor Herodotus eſt hiſtoria quarta. Fuere & qui canes nutrirent in Hyrcania, quibus uita functos uorandos obijcerent: proinde etiam ſepulchrales dictos, docuit Strabo. Illud uero hac parte præſtabilius forte uidebitur, ex lege duodecim tabularum, Veſtibulum aditumq; ad ſepulchrum uſucapere non licuiſſe. Sancitum quoque lege ſcimus, ut grauis irrogaretur mulcta, ſi quis buſtum uiolaſſet, aut ex ſepulchro columnam deieciſſet fregiſſeue. Apud Athenienſes ſepulchrorū tanta cura fuit, ut etiã peremptos bello, ſi quis dux honeſtare ſepulchro neglexiſſet, capite plecteretur. Spartæ cadauera ueſte contegebantur punicea, oleæ præterea ſolijs adiectis. Epitaphium carmen quo exprimeretur nomen, indere haud fuit fas, ni uir is in bello eſſet ſtrenuè perfunctus. Mulieri honos habebatur idem, modo ἰόφῶς interiſſet. Auctor Modeſtinus eſt Digeſtorum uigeſimooctauo, in conditionis humanæ memoriam ſepulchra ſtrui cœpta: unde cur eadem dicantur monumenta liquido perſpicimus. Macedonibus item ſic tradito more, ut uix ullum militiæ tam ſolenne munus eſſet quàm ſuos ſepelire. Apud Hebræos lege cauebatur, ne hoſtem inſepultum quidem relinquerēt. Vlpianus Iureconſultus: Sepulchri, inquit, uiolati actio infamiam irrogat. Paulus quoq; ita ſcribit, Rei ſepulchrorum uiolatorum ſi corpora ipſa extraxerint, uel oſſa eruerint, humilioris quidem fortunæ ſummo afficiuntur ſupplicio: honeſtiores in inſulam deportantur, aut relegantur, aut in metallum damnãtur. Caius tamen ait: Sepulchra hoſtium religioſa nobis nõ ſunt: ideoq; lapides inde ſublatos in quemlibet uſum cõuertere poſſumus, nec ſepulchri uiolati competit actio. Scribit Appianus, inter præcipua, cur legẽ agrariã recuſarint diuites, fuiſſe, quod impium ducerent monumenta maiorum ad alienos tranſire. Etiam ſi Pomponius ſcribit: Dominis fundorum, in quibus ſepulchra fecerint, etiam poſt uenditos fundos adeundorum ſepulchrorū eſſe ius. ἀποτάφους eleganter uocant Græci, qui maiorum ſepulchris ſint exuti. Veterū autem ſepulchra in agris fuiſſe, quum multa comprobarint, tum quod Vlpianus ſcriptū reliquit: Diuum Adrianum pœnam ſtatuiſſe aureorum quadraginta in eos qui in ciuitate ſepulchrū feciſſent, quam fiſco inferri iuſſit. Et in magiſtratus eandem ſtatuit pœnam, qui id paſſi forent. Quin & publicari iuſſit locum, & inde cadauer transferri. Relatum tamen in Chronicis, Traianum intra Vrbem ſolum omnium, & in foro ſepultum, quum morbo apud Iſauriæ Seleuciam interijſſet. Sed ducibus etiam datum ac poſteris, Plutarchus ſcribit, ut in foro ſepelirentur. Memoratum in literis & illud ſcio, ſepulchra in urbibus admiſſa quandoq;, quod poſtea Duellio conſule inhibuerit ſenatus: imperatoribus tamen datum & Veſtalibus, ut in urbe contumularentur. Nam & nocentes uirgines in campo ſcelerato intra urbem adobruebantur uiuæ. Perſarum reges in monte qui Perſepoleos arci ab oriente incumbebat, nomine Regius, ſepeliri mos erat. Mirum dictu, in eius meditullio ſuſtructiones uiſebantur, quæ reges caperēt defunctos: ſed ita ut aſcenſu nullo, machinis ſublata conditoria reponerentur. Hepheſtionis funus Babylone ab Alexandro celebratum, quæ toto ſunt terrarum orbe unquam ædita, facile exceſſit magnificentia & ſumptu, quando ad duodecim talentorum millia traduntur infuſa: quo nomine in prouerbij faciem trahi ſcienter poteſt. Poſtremo in hoc uetuſtatis iucunda ſubit recordatio. Stabant maiorum ſepulchra lineamentis aſtructa exquiſitiſſimis, nõ deerat columnarum copia, ſplendebant cruſtationes, niteſcebant & ſigna ac tabulæ, ſpecta

ſpectabantur ducti ære aut marmore uultus artificio pereleganti. Scribit Marcellinus, Thucydidis ſepulchro fuiſſe Icrium appoſitum. Id uerò cenotaphij gnoriſma, id eſt ſignum fuiſſe Athenienſibus patrium ac legitimũ, ubi quis patria excidẽs, inibi haud foret ſepultus. Icrium uerò, ſurrectum uocant lignum. Nam & CHRISTVM ab Iudæis icrio ſuffixum fuiſſe, traditum eſt. Sunt eo item nomine tabulata nauium, uel & theatrorum. Erant in concionibus quoq; icria, ſuper quibus ſederent, ante uſum theatri. Illud auctarium item fuerit: Vigilantium quendam, aut uerius dormitantium (ut inquit Hieronymus) cinerarios & idololatras ſolitum appellare omnes, qui martyrum reliquias uenerantur.

Item de ſepulchris pluſcula & ſepeliendi ritu. Columnæ in ſepulchris. Stelæ. Pilæ ſtantes. Iſocratis ſepulchrum. De Philagri ſepulchro, à Metello extructo. Verſus longi, qui. Epicediũ. Threnus. Calpis. Iniectio glebæ quid. Virgilij locus explicatur. Eria quid, & ſparteria. Hieronymi locus reſtituitur. Hyrcani hiſtoria. Xenodochia quis ſtruxerit primus. Hydria quid. Seueri hiſtoria. Cap. XX

DE ſepulchris uerò apud Solonem non ferè comperiuntur plura, quã ne quis ea deleat, neue alienum inferat: ſtatuta item pœna, ſi quis buſtum columnamq; uiolarit aut deiecerit. Poſtea uerò propter ſepulchrorum amplitudines, quæ in Ceramico uiſebantur, ſancitum lege eſt, ne quis ſepulchrum faceret operoſius, quàm quod decẽ homines effecerint triduo, ne ue Hermas liceret imponi, nec de mortui laude, ni in publicis ſepulturis, nec per alium, niſi per eum qui publicè ad eam rem conſtitutus foret, dici licebat. Verum, mox ubi increuit luxuria, ſpectariq; ea cœpit ſepulchrorum magnificentia, quæ Romæ uiſebatur frequens, Demetrius lege ſanxit, ut ante lucem efferrentur, & nouis ſepulchris etiam ſtatuit modum. Nam ſuper terræ tumulum erigi columellam iuſſit, quæ trium cubitorũ menſum non excederet: aut menſam, uel labellum. Menſarum meminit etiam in Decem rhetorum uitis Plutarchus, Iſocratis ſepulchro inſculptum arietem tradens cubitorum triginta, in quo eſſet Siren cubitorum ſeptem, ratione ſymbolica: prope item fuiſſe mẽſam, quæ poetas haberet, ac eiuſdem præceptores, in quis & Gorgiam aſtronomicam inſpectantem ſphæram, & aſſiſtentem Iſocratem. Columnarum in ſepulchris morem ſcribunt quidam, nobilioribus modò fuiſſe contributum, quo eorum faſtigium cęteris eminentius ſignificaretur. Columnarum ratio, inquit Plinius, erat attolli ſupra cæteros mortales. Quod & arcus ſignificant, nouitio inuento. Hoc uerò ſepulchralium columnarum genus, à ſtando, στήλας uocant Græci, minores uerò etiam ſtelidas. ſed & στήλας Herculis nuncupari in Græcorum monumentis obſeruauimus. Noſtri, ſtantes appellant pilas. Verum & alicubi Plinius excitatas ſcribit ſtelas literis incognitis. Plato Legum duodecimo, Nullum in loco fœcundo & agro ad cultũ parato fieri ſtrui ue ſepulchrum iubet: uerum is, inquit, locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, & ad id tantum commodus, uiuentibus nil prorſum inferat nocumenti. Neq; enim à uiuis, minus item à mortuis terræ matris fœcunditas præpediri debet. Sepulchrum porrò exſtrui uetat altius, quàm uiri quinq; diebus totidem excitare poſſint: lapides non maiores, quàm ut poſſint defuncti laudes quatuor ſolùm heroicis uerſibus æditas comprehendere. Quos, ut Cicero inquit, longos uocauit Ennius. Nam & Diomedes: Heroicus (inquit) etiam hexameter dicitur, & pythius, uel epicus, & pyrrhichius, ac bucolius: ſuper quas appellationes etiam Latinè longus pes uocatur. Longos uerſus hexametros dici, Gellius item ſubſcribit, approbatq;. Scribit Ammonius, proditum à nonnullis, epicedium uocari, quod defuncti laudem continet, mediocri adhibita commiſeratione: ſed threnum cani in calamitate ipſa ab ancillis ante conditum cadauer, ac etiam pòſt, quin anno item uertente. Relatu dignum ex Græcorum theſauris: Metellum nepotem curioſius Philagri ſepulchrum exſtruentem, lapideum appoſuiſſe coruum. Id quum foret intuitus Cicero, in eius leuitatem iocatus: Hoc, inquit, ſapientius à te factum, πέπραται γὰρ σε μᾶλλον, ἢ λέγειν ἐδίδαξε, uolare magis te docuit, quàm dicere. Sepulchra magnifico illuſtria impendio, ex admiratione Mauſolei monumẽti à Romanis dici Mauſolea, ſcribit Pauſanias. Qui & Helenes mulieris indigenæ apud

Solymos ſepulchrum fuiſſe tradit præcipuè admirandum. Antiquiſſimum ſepulturæ genus putat idem M. Tullius, quo apud Xenophõtem utitur Cyrus. redditur enim terræ corpus, & quaſi matris operimẽto obducitur, quo ritu ſepultus ſit Numa rex, ſepulta & gens Cornelia: donec è patritijs Cornelijs primus Sylla cremari uoluit: talionẽ (opinor) ueritus, quum C. Marij reliquias apud Anienem ſitas diſſipari iuſſiſſet. Sepulchrũ antè non eſt, quàm iuſta facta, & corpus incenſum. Humatos propriè dicebant, quos humus iniecta contegeret. Eum morem ius pontificale confirmat. Nam prius quàm iniecta gleba eſt, locus ubi crematum corpus eſt, nihil habet religionis, iniecta gleba tumulis, & humatum eſt, & gleba uocatur, actum denique multa religioſa iura complectitur. Ex hoc uerò ritu copioſius explicato enarratur amplius Maronis locus ex ſexto Aeneidos, in quo plus iuſto inareſcunt interpretes:

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
Inijce, nanq; potes, portusq; require Velinos.

Impium porrò cenſebatur, uiſo cadauere inſepulto, non iniecíſſe puluerẽ: quod in Antigone indicat Sophocles. Et Athenis Buzyges eos eſt execratus, qui inhumatum cadauer neglectui habuiſſent. Quod autem Seruius ait, abſente cadauere fieri ſolita quædam ſolennia ſacra: exponebãtur quidem in Legibus à Cicerone: uerum ita laceri circumferuntur codices, ut Delio nõ ſolum natatore opus eſſe uideatur, ſed amplius ipſo M. Tullio. Ad hæc porrò reſpicit Horatianum illud,

Quanquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit,
Iniecto ter puluere, curras.

Hinc & Græci, ſepulchra dicunt ἤρια, hoc eſt eria, ut Theocriti interpres ſcribit in Pharmaceutria, παρὰ τὸ ἐπιχεομένῳ τοῖς νέκροις ἔραν. id eſt, ab ea quæ mortuis inijciatur, terra, quam uocant eram. Sunt qui eria opinentur dici, non ſurrecta, ſed iacentia ſepulchra. Apud Hieronymum ad Pammachium ex Origenis ſententia de reſurrectione, ſic legitur modo, Et quaſi ἀντήριον, id eſt ſeminarium mortuorum, ſinu terræ confouetur. Mendum eſſe in uerbo Græco exemplarium, dilucet: nec quid reponendum ſit, conſtat magnopere. Si coniecturæ ſupereſt locus, Hieronymianæ interpretationi aptius uidetur, ut ἀναρτήριον legamus, id eſt ſepulchrum, quo reuicturorum cõtinentur ſemina: quando ita ſtatuebat Origenes, in ratione humanorum corporum manere quædam ſurgendi antiqua principia, ſicut truncus, rami, folia, poma in ratione ſeminis ſunt. Monumentum, inquit Florentinus, res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita: quòd ſi corpus uel reliquiæ inferantur, fiet ſepulchrum. Aegyptios legimus, præſignem magnificentia conſtruere ſepulchra conſueuiſſe: quanquam in domorum ædificatione incurioſi admodum forent. Siquidem ſepulchra defunctorũ domos ſempiternas: quoniam apud inferos infinitum ſit tempus, uocant. At domos ipſas, uelut diuerſoria opinantur, argumento uitæ breuioris, ac momento tranſeuntis. Auctor Ioſephus eſt, & repetit Egeſippus libro primo, Hyrcanum quum ab Antiocho premeretur obſidione, ut auro redimeret, quod ferro nequibat, reſerato Dauid ſepulchro, auri talentorũ tria millia inde eruiſſe: ex quibus Antiocho trecenta erogarit, ut obſidionem deſineret, ac pretio emptus digrederetur. Mox ut facti inuidiam leuaret, eadem pecunia Hyrcanus fertur primus xenodochia ſuſtruxiſſe, quibus aduentantes exciperẽtur pauperes. Hydriam appellat Dion, in qua πορφυροῦν λίθον, Seueri oſſa fuerint recondita, Romamq; ex Britannis relata. Eam quum paulo ante mortem afferri iuſſiſſet Seuerus, cõtrectans inquit, χωρήσεις ἄνδρα, ὃν ἡ οἰκουμένη οὐκ ἐχώρησεν. uirum (inquit) capies, quem terræ orbis non cepit. Itidem in Parallelis Plutarchus, ὑδρίαν uocant χυσίλατην, in qua Demetrij reliquiæ ad filium ſint relatæ. Sed eandem, calpim uocat quoque. In Tiberij Gracchi uita Plutarchus idem, illo populum ad ſuffragia uocante, hydrias ſcribit à diuitibus direptas, quo nomine ſuffragatorias ciſtellas innuit plane. Apud Strabonem libro duodecimo, Hydria ſunt planè loca, ubi ſcaturiunt aquæ. At Theodoro philoſopho quum mortem tyrannus comminaretur, & ſepulchri iacturam: Habes, inquit, cur tibi placeas: hemina ſanguinis in poteſtate tua eſt, qui cantharidis uim es aſſequutus. nam quo ad ſepulturam, ó te ineptum, ſi putas mea intereſſe, ſupra terram, an infra puſcam. Thyeſtes apud Ennium luculentis ſanè uerſibus execratus Atreum, Sepulchrum

chrum esse portum corporis arbitratur, & in eo mortuũ requiescere. Inde, ut eo careat frater, extentis optat precibus. Condiunt Aegyptij mortuos, & eos domi seruant: Persæ, cera circumlitos item coaptant, ut quàm maxime permaneant diuturna cadauera. Magorum mos fuerat, non humare corpora suorum, nisi à ferís essent antè laniata. Assyriorum sepulchra regum in paludibus pleraq́, palustribusq́ in locis fuisse cõdita, traduntur. Moris quoque ueterum fuit, pluribus locis excellentium uirorum monumenta struere: quæ res ambagiosam admodum efficit historiam. Mortuum in Sicilia Anchisen cecinit Maro. Pausanias in Arcadia defunctum scribit, & eiusdem sepulchrum ad montis radices uisitatum quandoq́, Anchisiam quod uocant prope Orchomenon: nec fuisse in nauibus cum AEnea, uerum aduenisse ἐπὶ προφασίῃ τινὰ, illuc prope Laconiam filio appulso.

Ritus item Gentium ad idem spectantes. Nouendialia sacra, Vicennalia, Tricennalia. Ratio iustorum, quę defunctis exhibentur. Hemacuria. Sepulchrorum coronæ. Pothos corolla. Amaranthus. Vidi liquores, apud Papinium qui sint, & cur comburerentur cadauera. Paræbasium. Pluto cur defunctis præsidere creditus. Sepulchrorũ ianitores. Mors infamissima quæ sit. Threnodes. Byblij. Cap. XXI

POstea quàm abundè multa de sepulchris congesta nobis sunt, adijciamus carptim & de sepeliendi ritu: quamuis & hunc paulo antè paucis attigerimus, Tot autem penè esse modos, quot gentes, non ferè obscurum est. Auctor Polybius, si humanis cessisset paulo illustrior Romæ, moris fuisse: in forum eundem efferri, ac stantem constitui, recumbentem uerò rarius: aderat mox, si per ætatem ac præsentiam licuisset, filius, uel certè sanguine iunctorum unus, qui defuncti præconia oratorie persequeretur. His uero ex ritu confectis, cõtumulabatur mortuus. Pueri imago patri persimilis in illustri domus astituebatur parte. Quod, inquit, adolescentibus ad uirtutem & fortia facinora eximium fuit incitabulum. Hinc Cæsarem legimus amitam laudasse annos natum plus minus duodecim. Tiberium autem uel annorum nouem in patre idem implesse. Apud Gerrhos (Scytharum hi populi sunt) ubi rex perfunctus fato est, defunctum eius capiunt inceratum, aluo euulsa atq́ expurgata, quam silere contuso & thymiamate apijq́ semine & anesi quũ expleuerunt, resuunt denuo, plaustroq́ impositio, ad aliam protinus emigrant gentem. Eum uerò qui excipiunt, eadem agunt quæ regij Scythæ: aurem decidunt, crinem circũtondent, brachia circumcidunt, frontem nasumq́ cõsauciant, sinistram manum sagittis traijciunt. Mox idem ad populos alios, quibus uiuens imperitarit, cadauer transfertur. Deniq́ contumulantes, concubinarum aliquam prefracta gula simul sepeliunt: sed & pincernam, coquum, equi agasonem, ministrumq́: item qui fuisset à nuntijs, necnon equos, & omnium primitias. Rursumq́ anno circumacto hæc obeunt, quinquaginta ex ministris, qui non alij sunt quàm Scythæ ingenui, strangulant, totidemq́ interimũt equos. Alios uerò Scythas, quum decesserunt, proximi in plaustris collocatos ad amicos circumferunt: eos illi excipientes epulum cadauer comitãtibus præbent. Mox peractis diebus quadraginta, humo mãdant, capite exinanito ablutoq́. Persarum in luctu mos est, detondere in lugubri ueste coniuges ac liberos. Apud Indorum sapiẽtes occupare diem fati, pulchrum, uiuosq́ cremari se iubent: immo & coronati, more ac lege Indorũ hymnos ac laudes deorum concinunt, documento præclarissimo, quàm potens, quàm ualida, quamq́ insuperabilis sit humana mens, quum quid agere cõstituit. Quibus autem segnis ætas, aut incõmoda ualitudo est, expectatam mortem pro dedecore habent, nec ullus corporibus quæ senectus soluit, honos redditur: inquinari putant ignem, ni spirantes recipiat. Hermione, inquit Geographus, ciuitas est non ignobilis, in qua iactatum diu, breuissimũ inde ad inferos haberi descensum, quo nomine defunctis non erogari naulum. Ethnicorum porrò moris erat, diebus nouem mortuos flere: unde & Nouendialium sacrorum enata consuetudo. Ex qua & Cottam Messalinum quandoq́ coargutum legimus, quòd quum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur, Nouendialem eam cœnam dixisset, ceu lessum planè tunc foret factum. Dei cultores, inquit Strabus, septem diebus exsequias celebrant: unde Ecclesiastici uigesimo secundo, Luctus

ctus mortui ſeptem dies, luctus autem fatui omne tempus uitæ eius. Septenarius quippe quietem ſignificat, unde ſeptima dies Sabbatum, id eſt requies dicitur: celebrant ergo ſeptimam diem mortuorum, optantes illos cum Domino conquieſcere, exanclatis uitæ huius ærumnis impatibilibus. Dici quoq; illud poteſt: Sicuti tertia dies mortui agitur à fidelibus, ut anima quæ eſt triplicis naturæ, requieſcat: ita ſeptimus celebratur dies, ut anima corpori reconcilietur, quæ carne illiciẽte peccauit. In ſeptenario enim tria ſunt, & quatuor: ternarius pertinet ad animam, quę irraſcibilis, & cõcupiſcibilis, ac rationalis eſt: quaternarius ad corpus, quod ex quatuor conſurgit elementorum poteſtatibus. Azanen Arcadis fuiſſe filium, Pauſanias ſcribit, quo moriente, certamina ſint propoſita primum, præcipuè uerò hippodromia id eſt equorum curſus. Ab hoc Azane dici Azaniam uolunt regionem. In Chronicis Euſebij legimus, Conſtantini uicenalia Nicomediæ acta, ac ſequenti anno Romæ ædita. Apud Hieronymum eiuſdem nominantur tricenalia. Sed ad mortuum ea nihil. Sic enim celebritas nuncupari uidetur, quæ tum uiceſimo, tum triceſimo imperij anno peracta eſt. Ita tamen, ut uel defunctis accommodari poſſint uocabula. Ab Varrone proditum, & Catone eſt: maiores in funeribus uti conſueſſe tum nigro, tum cæruleo colore: nam in adoleſcentum morte cæruleum adhibere ſolenne fuit. Nõ prætereundum temerè, quod Onirocriticorum primo ſcribit Artemidorus: eorum qui ſibimet laqueo gulam fregerint, nomina ſupprimi à domeſticis in mortuorum cœnis. Propterea exitium id cuidam præmonſtratum, qui nomen ſe amiſiſſe ſomniarat. Parentationes Græci ἐπεί σματα uocant, & πρόθεσις, γενέθλια, id eſt nona, τεσσαρακονταλόγους, id eſt triceſimas. Sed & Necyſia, ac Geneſia. Nam Geneſia, inquit Ammonius, diem nũcupamus, quo quis fato eſt functus: ſicut genethlia, quo eſt natus. Bœotij Hæmacurias, qua uoce in Olympijs utitur Pindarus quoq;, qui & ſepulchrum dixit amphipolon, quod in ciuitatis conſtituatur meditullio, ubi conditores contumulare, ueteris fuit moris. Pothos, corolla dicebatur ex potho, qui duplex eſt: alter hyacinthi flore: candidus alter, quo ſepulchra coronabant, unde cõciliatum rei nomen, ut quæ deſideratis iam foret deſtinata. Proinde apud Theophraſtum, Pothos Latinè Deſiderium redditur ab Theodoro. Amarantho ſepulchra item coronari ſolita, Philoſtratus ſcribit, orto ab Theſſalis initio, Achillis tumulo ad eum modum coronato. Eſt autem apud Galenum Amaranthus helichryſos, id eſt Aurelia, ut Theodoro placuit. In hac uerò tam multa funerum mentione, per incuriam minimè prætereundum illud Papinij ex Syluarum ſecundo, in Glauci epicedio,

Quid Cilicum flores? quid munera graminis Indi?
Quodq; Arabes Pharijq; palàm eſt, Vidiq; liquores
Arſuram lauere comam.

Ab eruditis omnino aliter, quàm ſuſpicetur Domitius, enarrari: nam uerbum uidi, à uideo inflexiſſe planè uidetur: quum potius epitheton, de loco factũ cenſeri poſſit & debeat, à Syriæ urbe Vida: propterea de ſtyrace intelligendum, de qua Plinius & cæteri. Paræbaſium in Arcadia inuenio fuiſſe monumentum apud Megalopolin, ijs qui in bello aduerſus Cleomenem ceciderant, dicatum, nomine adoptato: quoniam παρεσπόνδησεν εἰς αὐτούς, id eſt fœdera cum eis eſt tranſgreſſus Cleomenes. Inde & Paræbaſius cognominatur campus. Sed ultimo ferè non prætereundum illud loco uidetur, Veterem fuiſſe Græcis morem cadauera comburendi, quod à Septentrionalibus diu item ſeruatum, animaduertimus. Exuſtionis uerò ratio affertur non una, alijs opinãtibus, quod in nobis diuinum eſt, igneo ueluti uehiculo ad ſuperna ſubuectum cæleſtibus inſeri, ſubſidente, quod terrenum eſt. Alij in eo purificationẽ quandam intelligere maluerunt: quoniam ſit ignis ἀγνιστικόν quiddam, id eſt expurgandi uim habens: nam & purgationes, quas catharmos uocant, non citra ignem fiebant, quod ſignificat Euripides, ubi Clytemneſtræ corpus igni depuratum ſcribit. Sed ſententiam priorem in Scyllæ rogo approbare uidetur Lycophron: & præterea Indorum gymnoſophiſtæ. Comburendi morem ab Hercule conditum, malè concipiunt quidam, exuſto Argio Lycimnij filio, relatis modò ad patrem oſſibus, quem incolumem ſe reſtituturum, fuerat pollicitus. Heraclitus, qui ignem prodidit rerum principium, in eũdem corpora reſolui debere pronuntiauit. At qui aquæ principem locum dedit Thales, cadauerum

adobrui

adobruitionem comprobat, quo humore ualeant resolui. Lectum deniq; alicubi est, eorum quæ ad defunctorũ spectent cultum, Plutonem fuisse auctorem primum: quo nomine creditum, mox uita functis præsidere. Sepulchrorũ ianitores uidentur dici, quibus illa incumbit functio, ut sepulchra aperiãt, cludantq;. Firmicus: In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoscopo partiliter constitutus pollinctores faciet, ac funerarios, mortuorum cadauerum custodes, aut sepulchrorum ianitores. Mors infamissima ueteribus censebatur, quam sibi quis sponte conscisuisset, quo nomine etiam sepulchro prohibebatur, ni causa proferretur congruens: unde & declamantibus celebrata lex, Qui sibi manum admouerit, insepultus iaceat. Antoninum philosophum scribit Iulius Capitolinus, honori Faustinæ uxoris mortuæ nouas puellas instituisse Faustinianas nomine. Alexandriæ obolis conducuntur, qui mortuos fleant, quod munus solicitè adeo ac plenè præstant, uti ad eos pertinere funus putes. Ii ergo ab re uocantur threnodes. Apud Cyprios inuenio sepulchrorum custodes dici Byblios.

Qui fuerint Metelli Macedonici filij apud Plinium. Item apud eundem diadematis legendum sit, an Dalmaticis. Caput XXII

QVod autem libro septimo Plinius scribit, Macedonicum Metellum à quatuor liberis illatum esse rogo, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus: uno censorio, quæ singula quoq; paucis contigere: quæsitum anxiè inter doctissimos quoq;, qui nam fuerint hi Macedonici filij. Et inde illa celebris nata disceptatio, diadematis, paulo pòst legendũ sit, an Dalmaticis. Et Hermolaus quidem, cui multum debent Latinitatis candidati, diadematis penultima productiore, legi oportere, suspicatur: tum ex uetere lectione, tum quòd inter Metellos fuisse diadematos quosdam, Cicero auctor sit: Vetus quidem lectio plurimi apud me momenti est, sed ea indiget interpretatione, aut alterius saltem auctoris calculo. Nam Ciceronis auctoritas nil uidetur certi afferre. Beroaldus uero & ipse de literis nostris optimè meritus, Dalmaticis astruit reponendum, uetere expuncta lectione. Itaq;, quum Plinium profiteretur, dijs hominibusq; fauentibus, suis dictasse auditoribus: quoniam Pedianus à L. Metello subactos Dalmatas scribat, & in Epitome Liuiana significetur idipsum. Sed hominis ingenium demiror, & consuetam illi in re literaria diligentiam appello: unde enim augurari potest ex Asconio, & Epitome, L. Metellum Dalmaticum eius fuisse Metelli filium, de quo agit Plinius? Ab uno ex Metellis superatos Dalmatas, uidemur omnes scire. Diadematum uero eius, de quo negotium est, Metelli fuisse filium, ambigunt plerique. Sed nobis, opinor, ducibus perplexitas tolletur omnis, & Pliniana lectio male interpolata suo restituta nitori clarescet amplius. Ego diadematis defendo apud Plinium. Sententiam uero hanc suffulcit, tanquam triarius apprimè nobilis, in libro De Romanorum fortuna Plutarchus: Fortunam, inquit, magnificè extollit Cæcilius Metellus Macedonicus, senex à liberis quatuor elatus cõsularibus, Q. Balearico, L. Diademato, M. Metello, C. Caprario. Hactenus Plutarchus. Vbi uero ipse L. Diademato reposui, Græcè ita habet, λευκίου διαδήματος: unde, opinor, ambiguitatem omnino tolli, quin lectio uetus minimè sit confodienda, siue is L. Metellus Dalmatas uicerit, siue alius prænomine eodem.

De Aleijs campis, an recte uacui transferantur. Obiter περὶ παρηχήσεως. Alea quid, & epialos febris, quam habeat rationem. Alesius mons. Halea Pallas. Halea certamina, & Halotia. Thalamæ urbs. Plutarchi locus restituitur ex Agidis & Cleomenis uita. Caput XXIII

ALeios campos Strabo prope Mallum & Magarsa constituit, meminit & Plinius in Ciliciæ situ. Græcè dicuntur ἀλήια πεδία, mentionem facit in Bellerophontis fabella Homerus, exposuit Eustathius. Et ab errore quidẽ nuncupatos interpretantur: quod scribit Porphyrius, quia ἀλᾶσθαι Græcorum lingua errare sit, quoniam per eos oberrarit primum excussus pegaso Bellerophontes solus. Inueni tamen inter nostros qui campos uacuos Latinè sint interpretati, ceu planè epitheton foret id, non loci proprium nomẽ. Id quàm recte, uiderint ipsi: neq; enim quenquam uelut opere censorio notatum uolumus. Certe consimile est, quod paulo antè de cranijs retulimus, Non debuisse autem ita Latinè enuntiari, illud esse argumen

to uidetur: si modò quis dicenda reguſtet amplius, nec deuoret, ſed recenſum itidem agat: quod non deſunt ex Græcis, qui Aleios dici campos putent non ab errore, ut fere creditur, ſed ab oppido quod Alas nuncuparetur. Adduntq́, inter Pinarum & Cydnum amnes collocari. Sed amplius Hermogenes περὶ εὑρέσεως quarto tomo, ubi agitur περὶ παρηχήσεως, quam eſſe finit orationis uenuſtatem ex uocum ſimilitudine, diuerſa tamen notione, ut apud Xenophontem, πάθεα γὰρ παιδίων, mox Homeri adducens carmina de Aleijs campis, ſubiungit, eſſe uſum poetam παρηχήσει, ob uocum conſonantiam: quippe, inquit, Aleium eſt loci proprium nomen, ἀλᾶσθαι autem uerbum, ἀλεείνων uero participium. Homeri carmina hæc ſunt,

ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ ἀλήϊον οἷο θ' ἀλᾶτο,
ὃν θυμὸν λατέων, πάντων ἀνθρώπων ἀλεεινῶν.

Cicero in Thuſculanis ita conuertit,

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum ueſtigia uitans.

Aleium interpretantur quidam, οὐκ ἔχον λήϊα, τοτέστι σπορὰς πεδίας, uel χωρὶς βοσκημάτων. Scribit hiſtoria ſexta Herodotus, Perſarum copias deſcendiſſe in Ciliciæ campum Aleium, id eſt in planiciem maritimã, uti eſt ſuſpicatus Valla interpres. Aleij campi meminit in Periegeſi Apher Dionyſius, ſed præteriit Fannius. Auctor Pauſanias eſt: Aleſium eſſe montem Arcadiæ prope Mantineam: ſic ab errore nuncupatum τῆς ῥίζας. Fuit apud Tegeatas Pallados Haleæ delubrum, quod ſtruxerat Haleus: hinc certamina dicta ſunt quoq; Halea. nam Halotia nuncupata creduntur, quod in prælio Lacedæmoniorum multos abduxiſſent captiuos. ἀλέαν uero teporem Græci dicunt, unde & ἠπίαλον nuncupant febrem: uti ab Aegineta proditum Paulo eſt, παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, quod clementer excalfaciat. uel uocatur epialos, uerbo à mari tralato, quod ἤπιον μὲν φαίνεται, χαλεπὸν δ' ὑφέρχει, id eſt mite quidem uidetur, re autem difficile eſt. Nec me fallit, recentiores ferè nomine hoc febrium frigora intelligere. Hyphalon, in mari ſaxum latens uocant Græci, unde fortunæ hyphalos dicit Libanius, occultas intelligens inſidias. In humanis utique corporibus phlegma hyalodes, id eſt ὑαλῶδες, omni eſt alio frigidius. Id ſi redundet, nec putreſcat tamen, citra febrem inducit frigus, quod recaleſcere nequeat. Si computruerit ex toto, inoritur febris, quam uocant ἀμφημερινόν. ſi ex dimidio, ea quæ ἠπίαλο θ' nuncupatur. Sunt ex Græcis, qui eo nomine frigus putent intelligendum, quod febrem præcurrat. Dignum uero quod non omittatur, in Galeni lectum monumentis, qui in melancholiæ rationibus μελαγχολίας inquit, cauſa eſt bilis atra, qui humor ψυχρότερός ἐστι καὶ ζωφώδης. Propterea ſic affecti ſunt ὑποδεεῖς, triſtesq́ ſuſpicioſi prorſum καὶ μισάνθρωποι, ac ſolitudine gaudentes, ueluti Bellerophon: mox autem quæ prætexuimus, Homerica ſubſcribuntur carmina. Cæterum, in Aleios campos incurrit Plutarchi locus in Agidis & Cleomenis uita non male ſolum tralatus, ſed corruptus plane. Paſiphaæ, inquit, id eſt πασιφάας templum erat, & manteum in thalamis, hoc eſt ἐν θαλάμοις. Eum locum ſic propemodum interpres Latinitate donauit: huic erat templum, & ſacrificium in urbe conſtitutum. tanquam Spartæ foret id: at Stephanus Meſeniæ urbem Thalamas intelligit Theopompi auctoritatem ſequutus, unde ſit gentile nomen Thalamataæ. Scribit Tryphon, & refert Ammonius, Thalamas cum accentiuncula in fine, dioſcurorum ſacellum indicare, in penultima uero ferarum luſtra. Fuit & uillæ nomen Thalamus Polybio in Elienſium agro.

Qui dicantur mandragoram bibiſſe. De mandragora paulo plura. Obiter de orationis aſperitate, Et quid cataphora. Caput XXIIII

MAndragoram bibiſſe, doctè ac eleganter ij uidentur poſſe dici, qui uelut aſpide icti ſomniculoſa, nimis deſides ſunt, atq́ ita quodammodo à ſenſu diſſiti abiunctiq́, ut excitari non queant. Auctor mihi Demoſthenes in primis, cuius ex Philippica quarta uerba ſubieci, ἀλλ' οὐδ' ἀνεγρεθῆναι δυνάμεθα, ἐπὰν μανδραγόραν πεπωκόσι, ἤτοι φάρμακόν ἄλλο τοιοῦτον ἐοίκαμεν ἀνθρώποις. hoc eſt, uerum nec quimus excitari, ſed conſimiles hominibus uidemur, qui mandragoram, aut id genus pharmacum aliud biberint. Qua in parte obiter enotandum uidetur, Hermogenus

genis illud primo De ideis tomo, esse uerissimum, ubi περὶ τραχύτητος agit, difficulter admodum in Demosthene καθαρὰν τραχύτητα, id est puram reperiri asperitatem. Nam ut eam leniret, seipsum intermiscendo id est consequutus. Sunt enim notiones asperæ omnes, ubi inferior superiore loco positũ incessit, aut uerbis quoquo modo illi se iniurium præstat, nec id dissimulanter. Cuiusmodi foret, si ita enuntiasset orator, ijs qui mandragoram hauserint, aut quod eiusmodi medicamentum, persimiles estis. Sed ut eò unde sum digressus, stilum reuocem, sic item in Timone repperi apud Lucianum, πῶς γὰρ καθάπερ ὑπὸ μανδραγόρᾳ καθεύδοντες, ὅς ἔστι τῶν ὀρκωμότων ἀκούοντες, ἔστι οὓς ἀδικοῦντας οὐκ αἰσθάνεσθε. Quonam inquit modo, ô Iupiter, tanquam sub mandragora dormis, qui neque peierantes audis, nec iuris uiolatores aduertis? Idem quoq; Lucianus inter magnificas Demosthenis laudes, ab illo inquit solitos excitari Athenienses, uelut ex mandragora dormientes. Ratio uero est, quoniam (ut ex Græcis aliqui scribunt) is fructus hypnoticus est, quo significatur somni conciliator. Plutarchus in Symposiacis, Somnum quippe fieri putant frigiditate. Quamobrem hypnotica pharmaca parte plurima uim habent ψυκτικήν, id est frigefacientem, cuiusmodi esse dicitur mandragora. Quin obliuionem item creditur inducere: unde ille ait, καὶ φανεῖται πολλὴν τὴν μανδραγόραν ἐληκυθοκώς. id est, multum uidebitur hausisse mandragoræ. Et Plinius, Mandragoræ folia grauedinem afferunt etiam olfactu, quanquam mala in alijs terris mandantur. Nimio tamen odore obmutescunt ignari, potu quidem largiore etiam moriuntur. Vis somnifica pro uiribus bibentium, media potio cyathi unius. Bibitur & contra serpentes, & ante sectiones ustionesq;, ne sentiantur. Ob hæc satis est aliquibus, somnum odore quæsisse. Sed & Dioscorides Syluæ medicinalis libro quinto, τὰ δὲ μῆλα ὀσφραινόμενα, καὶ ἐδιόμενα καρωτικά, καὶ ὁ ἐξ αὐτῶν χυλὸς, πλειονάδηντα δὲ καὶ ἀφώνους ποιεῖ. Poma, inquit, olfactu & esu carotica sunt, consimiliter & eorum succus, copiosiora etiam mutos reddunt. Mandragoram Pythagoras uocauit ἀνθρωπόμορφον, tanquam humanam effigiem præferat: nam radix homini simillima est, quod Auicenna quoque prodidit, & uulgò ferè ita uisitur: propterea Columella,

Quamuis semihominis uesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœstamq; cicutam.

Zoroaster Diamonon uocabat, aut Archinen: Romani etiam mala canina: aliqui & Circeam, quòd philtris credatur res peraccommoda. Mandragoram fœminam thridaciam nuncupant, marem uero morion. Scribit magnus Albertus, mandragoram sic hominis figuram præferre, ut sexus, & aliorum accidentium differentias ostendat. Super mandragora porrò historiam legimus relatu non iniucundam apud Iulium Frontinum Stratagematon secundo: Annibal, inquit, missus à Carthaginiensibus aduersus rebellantes Aphros, quum sciret, gentem esse auidam uini, magnum eius modum mandragora permiscuit, cuius inter uenenum & soporem media uis est: tunc prælio leui commisso, ex industria cessit. nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, & omni uino infecto, fugam simulauit: quumq; Barbari occupatis castris, in gaudium effusi medicatum merum auidè hausissent, ac in defunctorum modum strati iacerent, reuersus cepit eos, ac trucidauit. Postremò id item memorabile, Mandragoram si applantetur uitibus, ita uim infundere, ut inde infectum uinum bibentibus cataphoram inducat, id est collapsum in soporem. Quanquam nec ignoro, esse suam oratoribus quoq; cataphoram. Nam Hermogene tradente De inuentionibus tomo quarto, dicitur τόνος longior spiritus productio, quæ inter accusandum cataphora nuncupetur. Quippe etiam in Apologijs esse talis potest, cataphora non potest.

Externo bello intestinum sæpe restingui. Scorionis Dacorum ducis historia ad id appositissima. Columna, belli index. Caput XXV

ANimaduersum id enotatumq; ex lectione historica, quospiam inter quos naturalis esse cõiunctio debeat, ita sæpe inuicem dissidere, secq; immaniore quodam modo iurgijs afficere dissultantes, ut rixa quoq; euasura breui in prælium uideatur. Eos tamen, si in alieno malo spe constituta, nimis temerè, nimisq; improspicienter audeat quis inuadere, sic ferè usu uenire compertum est, ut ab intestino auersi dissidio, coalescentes animis, conspiratu mirabili,

coorien-

coorientes,irruentem incautius aduentitium hoſtem peſſimo perdant exitio. Suggeruntur ad hoc ex ueteribus memoriis exempla plura, documentum unum præſigne in primis præteriſſe nequeo. Fuit Scorio Dacorum dux, ut uidetur, non malus, nec à rerum diſpiciẽtia omnino abiunctus.is quum ſciret diſſociatum quidem armis ciuilibus populum Romanũ,non tamẽ occaſione inde arrepta laceſſendum exſtimulandum'ue arbitrabatur:quanquam imperita uulgi temeritas non deeſſet, multa & præclara ſubinde minantis:quoniam uelut ex ſpecula proſpectans, conciperet, poſſe obtingere, ut bello externo ingruente, domeſtica reſtinguerẽtur incendia, & uoluntatum coalitu in idem tendentium,funeſtior peregrinis inflígeretur clades. Popularium uero animos lepide repreſſit reprehenditq;. Canes ſiquidem duos ipſis inſpectantibus cõmiſit,iſq; mox acrius ac perinimiciter compugnãtibus lupum ingeſſit:eum uero,illi omiſſa protinus inter ſe ira,ut communem hoſtem alacriter inuadentes confecere. Quo exemplo ingenij perſpicacis dux,& in cõiectandis rebus ſolertiſſimi,ab impetu Romanis profuturo barbaros inhibuit. Quibus id propè ſolenne ſemper fuit, ut bellum externum diſcordia excitaret inteſtina:rurſumq; auerteretur hæc hoſtili malo ceruicibus imminente.Ex abundanti adiecero,legentibus obfuturum nihil: Romæ portam Carmentalem uerſus fuiſſe Bellonæ templum,ante quod ſurrecta ſtabat belli inferendi columna index.

Canum millus, atq; inde prouerbium. Item canum ornamenta alia,ſeu munimenta. Armillati canes. Deræambus. Perideræum. Stelmoniæ. Telamoniæ.

Caput XXVI

VEnaticis canibus collare munimenti cauſa addi ſolitum, quo retundi luporum impetus poſſet,nouimus ex grammaticorum gloſſematis, & Pompeij præcipuè Feſti,inter gloſſularios non ultimi nominis, qui id etiam uocari millum ſcribit. Sed M. Varro Rerum ruſticarum libro ſecundo, dicere melium maluit. Is millus ex corio concinnabatur,ferreis confixus clauis. Inde factum, ut quicquid præſidio nobis eſt, prouerbio quodam, id eſſe munimento pronuntiemus, perinde ac ſit millus cani. Poetæ armillatos uidentur appellaſſe canes ex hac ratione, quoniam millus ſit iſs armillarum uice. Apud Græcos deræambus eſt latum corium ob canis collum. Dicitur & perideræum, atq; item perideris. Xenophon in libro De uenatione,ita ſcribit: Canum ornatus ſunt, λέρακα, ἱμάντες, στλμονία. In quo illud aduertendum,quas Xenophon ſtelmonias uocauit, id eſt faſcias, quibus canum latera præmuniuntur: Pollux telamonias dixit.

Augurium canarium: deq; ſacro quod caniculæ fieret. Iupiter Icmæus,ſeu pluuius. Periſcylaciſmi. Cynophontis. Enodios. Enodia quæ dicantur. Lapis à cane morſus. Cynicus annus qui. Canis habere oculum quid. Item de cynomyia,cynocephalo. Ariſtogiton canis. Cynæpodes. Cynæ arbores. Cinus. De ſchino,& lentiſco,& Suſannæ hiſtoria. Cynura. Cymæ. Cymata. Cynanches & ſynanches interſtitium,ac paraſynanches. Cyro inter paſtores quod fuerit nomen. Cyrus unde dicatur. Cyre cur dicta Ceres. Apocynon quid uocent Græci. Cytinus. Balauſtium.

Caput XXVII

CAnarium in antiquis libris dici augurium, obſeruauimus, cui agendo conſtituerentur dies, prius quàm frumenta uaginis exirent, & ante quàm in uaginas peruenirent, à cane ducto uocabulo. Siquidem rutilæ canes, id eſt non procul à rubro colore immolabantur, ut ait Atteius Capito, canario ſacrificio pro frugibus,deprecandæ ſæuitiæ cauſa ſyderis caniculæ. Legimus in Græcorum monumentis, Exurente quandoq; Cycladas inſulas cane, atq; inde ſterilitate multa ac ſiccitate conſequuta, qui in Ceo habitabant, ex oraculo Ariſtæum Apollinis & Cyrenes filium accerſiuerunt. aduenit is, ex Arcadia ſecum quibuſdam ductis, templumq; erexit Iouis, quem uocauit Icmæum, quaſi tu pluuium dicas. Canem quoq; rebus diuinis operatus placauit, Ceiſq; legem inſtituit, ſingulis annis eiuſdem ſeruarent exortum cum armis,ac eidem rem obirent diuinã; ex quo Argonauticon ſecundo Apollonius,

Κεῖος δ' ἐπὶ νῶϊ ἰόφιν
ἀμπλείῳ πεπάροιθε ἰέζουσι θυηλάς.

Cur

Cur uero placãdis caniculæ ardoribus immolarentur canes, nulla (quod sciam) idonea redditur ratio. nam & Ouidius Fastorum quarto ita canit,

Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat, nil nisi nomen habet.

Cur autem rutilæ, forsan de Aegyptiorum superstitione duxerit initia, quando boues ruffos gentium illarum ritu immolare permittebatur, quod Typhoni colore persimiles uiderentur, à quo necatus Osiris fuerat: quin homines item coloris eiusdem ad Osiridis sepulchrũ mactare ueteres assueuerãt reges: quo nomine pauci id genus in Aegypto comperiebantur, externi tamen plures. Alioqui inuenio, canem fuisse uictimam expiationibus peraccommodam, quo nomine à Lupercis quoq; sacrificiorum adhibebatur ritibus, & Græci homines ad expiandum canes adhibere soliti sunt, immoq; in plerisque locis periscylacismi seruabantur: sic enim uocabant, quæ ex canibus res diuina fiebat. Festum uero ipsum recte à canum cæde nominari Cynophontis potest. Cuiusmodi apud Argos celebratum uidetur quandoq;. Proserpinæ item catulos cum cæteris purgamentis efferunt. Adnotatum in Pausaniæ thesauris, In Phœbæo (loci id est nomen) utramq; Epheborum portionem Enyalio, quem interpretantur Martem, canis immolare σκύλακα, id est catulum, ut qui deorum fortissimo uictimam secernerent ex mitioribus fortissimam. Cæterum nullos (inquit) ex Græcis catulo facere animaduerti, Colophoniis modo demptis, hi siquidem τῇ ὠοδίῳ furuam immolant catellam. Sunt uero nocturna Colophoniorum sacrificia. Quid sit autem Enodios in Pausania, forte nonnullis uideatur nebulosum. Lego Enodiam dici quandoq; Dianam, etiam si uenatoria item nuncupantur enodia, Mercurium Enodion quoq; appellãt. Signat porrò enodium quod in uia est. ὠώδιον uero pro enotijs capiunt, quia tumescant aures. ὠὸδῷ est, quum dicimus, in opere significamus, & uita, ac fide. Auctor Plinius est, lapidem à cane morsum, usq; in prouerbium discordiæ uenisse. Solent quippe catuli plerunq; coniectum in eos lapidem mordicus impetere, etiam si ab eo icti haud fuerint, quamobrem dentes utiq; lacessunt sibi, lapidem haudquaquã oblædunt. In quam sane tendiculam sæpius præcipites eunt imprudentiores, quos uideas ab asino calce impetitos, eundem, immo se uerius referire. Quum impensius animaduerti debeat id, neminem nisi à seipso lædi, & proinde in alios refundi querelas haud debere, sed in nosmetipsos: cogitandumq; non quo pacto alium ulciscamur, sed nos potius puniamus, castigemus ac corrigamus. Illud fuerit auctarij uice, quod ex thesauris Pollucis adnotabimus: Canis (inquit) oculũ habere dicitur is, qui nimio plus impudens est. Id uero ex Homerico profluit fonte, apud quem Iliados rhapsodia prima sic legimus,

Κωὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

id est canis habens oculos, cor autem cerui. Et alibi idem Homerus, κύνα ὠαιδῆ, id est impudens canis: sicuti cynomyia pro impudentissima dicitur, compacta dictione à cane, qui impudens est, ac myia musca, qua nil fere audacius, Homero quoque astipulante. Sed & Cynocephali cognomentum, quod quum alijs tum uero Pericli adhæsisse legimus, non fere aliud quàm impudentiam & rapacitatem signat. Aristogiton uero, Cydimachi canis ex audacia cognominabatur. Equos porrò quospiam minus probandos cynepodas fuisse nuncupatos inuenimus. Cynas uero arbores intelligit Plinius, ex quibus indumenta sibi comparent Arabes, folio palmæ simili. Easdem & cynos dici Plinio eidem libro tertiodecimo sunt qui uelint, etiam si ex Theophrasto De stirpibus quarto, cuci legendum summoneat Barbarus Hermoleos. Hanc denique arborem ab Daniele significatã in Susannæ historia capite decimotertio. At Hieronymus in Commentarijs in Danielem, schinum legit, & prinum, id est lentiscum & ilicem: quod sane Danielis indicant uerba, si modo ex prophetæ eius sunt officina. nam quum sub schino uisam à se Susannam dixisset calumniator Venerius, respondit Daniel, Angelus scindet te medium: alludens ad uerbum σχίσαι, quo significatur scissio. Itidem quum ab altero dictum foret, Sub prino: intulit, Manet angelus domini ut secet te medium. nam πρίσαι, secare indicat quoque. Lectionem hanc confirmat in Iulio Aphricano idem Hieronymus, & ab eo mutuatus Sophronius. Cinopeta quæ colunt Aegyptij, ὡς ὄὸλω λαθόντι, in Artemidori Oniroceriticis reptilia intelligunt, τὰ ὠὸν ὡς ὠὸλω κινούμενα. Sed

redeo

redeo unde ſum digreſſus, ſi prius commonuero, eſſe inter lauri genera cinum quoque Plinio. Sed cynura Lycophroni petræ dicuntur aſperæ. Cymæ autem, ſeu cymata præteneros dicimus in braſſica præcipuè coliculos, uere appetente progerminantes, uelut κυήματα planè ſint, id eſt fœtus. Cytini flores dicuntur mali punicæ: nam ſylueſtris punicæ uocant balauſtia. Cynanche item de canis uidetur natura profluxiſſe: de ea etiam ſi tertio libro uerba fecimus ampliter, nunc tamen Aeginetæ Pauli ſubtexuiſſe placita ex libro Medicinæ tertio, non fuerit omnino πάρεργον. Igitur ſynanche conflatur, inquit, ex inflammatione muſculorum, qui ſunt ἔνδον τῆς φάρυγγος, id eſt intra fauces: at paraſynanche, eorum qui extra. Modo item compari, qui intra λάρυγγα ſunt muſculi, id eſt guttur uel arteriam, ſi inflammatione infeſtari occœperint, cynanchen producunt: ſicuti qui extra, paracynanchen. Communis uero omnium affectio, eſt ὀχλήσεως καὶ πόνος μετὰ ἀναπνοίας, cynanchicos præterea in Paulo eodem, ita affectos dici, obſeruatum eſt. Galenus intima infeſtantem colli, κωλύγχλω dicit. Synanchen uero ad extima nuere amplius, immoq; ἧττον πνίγειν, eſſeq; ἧττον κινδυνώδη. Dignum uero quod parte hac minime tranſiliamus: Medos canem appellare ſpaca, id eſt σπάκα, unde dicta σπακώ, Mitradatæ conſerua, qui Cyrum ſuſcepit exponendum: Græcè dici ualet κυών, à qua quoniam ſcribit hiſtoria prima Herodotus aliud illi nomen impoſitum, ſcire licet ex Græcorum theſauris, Agradaton inter paſtores fuiſſe nuncupatum, mox de fluminis Cyri nomenclatura dictum Cyrum: uel quod in luſu, quem dicunt Βασιλίνδα, inter coætaneos illi κυεσθῆναι, contigit, id eſt dominatu potiri. Nam & apud Cnidios Cyre uocatur Ceres: uel ut τὸ ζῆν κυείαν, id eſt uitæ princeps. Apocynon uocant officulum in phryni, ſeu rubetæ, aut buffonis latere compertum ſiniſtro, quoniam canum impetus inhibeat. A cane ſydereo, quem aſtrocynon dicunt Græci, at ſolechyn Aegyptij, Cynicum comperior annum appellari, qui annis compleatur mille quadringentis ſexaginta. Viſitationem porrò id ſydus facere quadriennio interiecto.

De canum generibus adnotantur plura, deq; eorundem rabie, & diui Bellini templo in Rhodiginis paludibus. Cypſele, cypſelides, cypſeli. Parippi. Muli & canes cur facilius peſte inficiantur, uniuerſimq; bruta omnia. Prouerbium de cane imbelli. Cynea quid. Cynulchus. Canum panagyris. Cinopeta.

Caput XXVIII

POſtea uero quàm in canum pragmatiam incidimus, non grauabimur pſucula, quæ hinc inde aucupati ſumus, huic potiſſimum loco impingere. Canes igitur in primis generoſas aduertimus, Laconicas, Arcadicas, Locridas, Celticas: unde & Ouidius Metamorphoſeon primo,

Vt canis in uacuo leporem quum Gallicus aruo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille ſalutem.

Ibericæ item celebrantur & quæ uocantur carinæ, id eſt καρῖναι, Creticæ, moloſſicæ, eretrinæ, hyrcanæ, Indicæ. Legimus porrò nuncupari canes quoſdam pſyllicos, puto, ab Achaiæ ciuitate: ni Cypſelicos malis, quando eſt in Arcadia munitus locus Cypſela, cuius apud Thucydidem mẽtio ſit hiſtoria quinta. Eſt & in Thracia nominis eiuſdem adiacens Hebro ciuitas. Nam Cypſele, id eſt κυψέλη uaſis eſt, aut menſuræ ſpecies. Cypſelidas uero aurium dicunt marmorata. Cypſeli ſunt, quos etiam apodas uocant hirundinibus ſimiles. Porrò ſunt Elymæi canes à populis in meditullio Bactrorum & Hyrcaniæ. Caſtorij autem, & Menelaides, & Harmodij à dominis appellationem traxere. Illud minus prætereundũ, prodidiſſe quoſdam, Laconicas antiquitus eſſe ex ulpibus natas, & canibus, quo nomine appellari etiam quandoq; alopecidas. Sicuti Arcadicæ ex leonibus creduntur proueniſſe, unde & leontomiges dictæ. Indicarum ſobolem prodit Ariſtoteles etiam ex tigribus factam. At Nicander Colophonius ex canibus Actæonis Indicos ſcribit propagatos, quæ à rabido furore reſipiſcentes, Euphrate tranſmiſſo, in Indos uſq; aberrarint. In parte Indorum, ubi regnaſſe Sophites memoratur, & gentem eſſe ſapientia præcipuè inſignem, nobiles ad uenandum traduntur canes: quiq; latratu abſtineant, quum uidere feram, leonibus maxime infeſti. Iucundum relatu id quoq;: Chaonidas & molottidas prolem tradi eius canis, quem æremoneſio ubi conflauit Vulcanus, immiſſa quoq; anima, Ioui dedit dono: is uero Europæ, hæc Minoi

Minoi, Minos Procridi: illa uero Cephali esse uoluit munus. Eius hæc fuit natura, ut uitari non posset, ubi insequi occœpisset. Sicuti Teumesia uulpes fuisse narratur incomprehensibilis. Quæ ratio utrumq; deformauit in lapidē. Sunt qui Chaonidas, de Chao inter luporum genera memorato, progenitas suspicentur: atq; inde nuncupatas. Creticos canes in duo genera distribui animaduerto: alios enim diaponos dici audio, alios uero parippos. Et illis quidem in uenando gloria plurima: noctes enim addunt labori, sæpeq; feris assidentes dormiunt, mox orta luce depugnant. Parippi uero cum equis currere consueuere, tanta quoq; arte, ut neq; præcedant unquam ferè, nec subsequantur. Reperio item, prope paludes quæ ad meridiem sunt, esse canes qui dicuntur cynamolgi, quibus lac bubulum cibus gratissimus. Eorum cum Indicis bobus certamina Ctesias celebrat. Pyrrhi canis custodia domini longe clarissimus, & quia in defuncti quoque rogum assiluit. Hesiodo interfecto assistentes canes etiam auctores cædis coarguere latratu. Honori defuncti canis ciuitatem constituisse Magnum Alexandrum, Theopompus scribit. Nobilis est Atalantæ canis Aura nomine: quam quum Calydonius sus peremisset, bruto sepulchrum indigenę construxere. Sicut in Hellespōto, quod uocant cynosema. Sic enim interpretari libet, ne fabulosa consectari uideamur. Geryonis canis Gargitios nomine, Cerberi frater, ab Hercule cæsus, in Iberia quoque monumentum habet. Actæonis canum apud Aeschylum nomina hęc, Corax, Harpyia, Charon, Licitas. Nam Hippocētaurus Xenophontis fuit canis. Sicut Lethargus Hippamonis, qui etiam cum domino sepultus dicitur, testante quoque epigrammate, quo significatur Hippammoni fuisse equum nomine Podargum: canem uero (ut diximus) Lethargum: seruum uero qui dicitur Babes. Sed & epigramma ipsum apposuisse præstiterit,

ἀνθρὶ μὲν ἱππάμμωνι ὄνομ' ἦν, ἵππῳ δὲ πόδαργος,
κὰκ κυνὶ λήθαργος, καὶ θρᾴττων Βάβης.

Dicuntur uero lethargi canes, clandestine taciteq; adeuntes, ac morsum infigentes: unde adagium in eos qui ironico ingenio & ad dissimulandum aptissimo, denicq; excarnificant, & letali ueneno animam quoque lancinant. Syagrum dicit Sophocles canem qui suum uenationi sit aptissimus. Est & proprium nomen Syagrus Herodoto, itē Philarcho. Sunt qui agrestem suem syagrum intelligant. Apud Lynceum syagria leguntur quoque. Aschedorum Siculi syagrum nuncupant, sicuti meminit Aeschylus, id est ἀγρέσλωρον. Apud Theocritum est in Daphnide ac Menalca Lampurus canis nomen, ex ratione albicantis caudæ, ut inquit interpres, uel à peruigili cura & solerti custodia, παρὰ τὸ λάειν καὶ ὁρᾶν, id est à uidendi seruandiq; diligentia: uel quoniam sit uulpi assimilis, quam lampuron uocant. Videtur & Acalanthis nobilissimi canis nomen: unde illud est Aristophanicum,

ἀκαλανθὶς ἐπεγρομένη τυφλὰ πίλτεα.

Acalanthis festinabunda occęcatos parit. Quidam tamen eo nomine aues intelligunt, quas nonnulli basilicas nuncupant. Mæram, id est μαίραν dicunt Orionis canem: proprie tamen eo nomine capra significatur λύκῳ μέλαινα, id est ex albo nigricans. Vertagos dici canes legimus uerbo, uti uolunt, peregrino apud Firmicum Matheseos quinto, sponte qui in uenationem exeant, leporibus infesti præcipue. Martialis,

Non sibi, sed domino uenatur uertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Fuit & apud Locros ξυλίνη λύκη, id est lignea canis: sed ea habet historiam. Quippe Locro cuidam reddita sors est, ibi ciuitatem conderet, ubi canis lignea morsum ei infixisset: quo nomine quum ad alterum enauigasset maris littus, calcauit κυνόσβατον, id est cynosbatum: inde quum suspicaretur finem habere oraculum, ciuitates condidit, quas Locri habent Ozolæ. Catenarium canem legimus apud Senecā, sicut apud alios lucernarium. Dignum uero relatu quod in Hecatæi lectum monumentis est, fuisse in Tenaro serpentem meticulosum, quem dixerunt ἄδου κύνα, id est Plutonis canem: quoniam morsum euestigio insequeretur mors, ueneni potestate uiolenta. Eum tamen ab Hercule ad Eurysthea fuisse productū, unde irrepserit Cerberi fabella. Quem princeps Homerus dixit ἄδου κύνα. Caninam mortem Græci difficilem intelligunt, quo-

niam difficulter animam efflare deprehenſum ſit animal hoc: à quo etiam prouerbium eſt, λύσσας κυὸς λυσῶντος, quod eſt noſtris uerbis, Rabidi canis morſus: in eos qui infecti ipſi malorum congreſſu, alios itidem inficiunt. Etenim recepta opinio eſt, & expoſita à Luciano, non modo rabie agitari, & aquam expaueſcere, quos ita affectus canis momorderit, ſed & ipſos item retinere uim, eundem imprimendi morſum, atq; ita deinceps fieri hydrophouicos omnes, hoc eſt timorem aquæ concipere, ut fiat quædam rabidorum catena. Lucianus, καὶ σὺ πάνυ ἔοικας αὐτὸς ὑπ' ὀλιγάνθρωπος λαχὼν τὸν πολλῶν ὑδροφοβίαν, μετακεκλωκέναι κἀμοὶ τὸ λύσσημα. Scribit Homerus, Apollinem peſtem Græcis immittente, mulos primum & canes concidiſſe. Id uero exactius interpretantes eruditi, ex odorandi præſtantia factum, coniectant: qui ſenſus adeo in mulis præcellat, ut derelicti alicubi uel odore ſolo redeant in ſemitam. proinde huiuſmodi rabidam uim concipere facilius, præcipueq; canes purum in primis aerem exigentes: ſed & inter hos albi eo amplius, quoniam coloris eius corpora quàm nigra, ſint rariora, atque laxiora. Quanquam non latet, ab Porphyrio apud Homerum λευκὰς ἀγροὺς accipi non albos ſed celeres: ſicuti per paralepſim aliubi ἀργίποδας item canes dicit. Putat Heraclitus Ponticus, iumenta peſte infici primum, quia deiecta in terram, & prona in paſtum οὖν κοσώδεως ἐκεῖθεν ἀτμούς trahant procliuius homine, cuius eſt ſurrectum corpus, purius & ſublimi ſpirante. Illud neutiquam negligendum, canes ubi mire in Venerem feruntur, dici σκυζᾶν, ſicuti ſues καπρίζειν, uaccas τωρεύειν, equos ἱππομανεῖν, id eſt equire: unde productum in fœminas libidinoſas conuitium ab uno animalium modo. Aegritudines canum præterea tres uideor præcipue comperiſſe, λύσσαν, hoc eſt rabiem, podagram, cynanchen. Verum rabies ſanari difficulter poteſt, podagra non omnino medicinam neſcit, at cynanche ſiue angina euidens promittit exitium. Porrò quicquid rabidus canis momorderit, interit certiſſimè, homo tantum euadit, ſed uix. Ariſtoteles uero libro De animalium hiſtorijs ſeptimo: Canes (inquit) tribus laborant uitijs, rabie, angina, podagra. Facit rabies furorem, & quæ momorderint, omnia rabiũt prius homine, ſicuti & legit & interpretatur Nicolaus Leonicenus. Intereunt canes hoc morbo, & quæ morſa ſunt, prius homine. Scribit ſeptimo De animalibus Albertus, iam ſe hominem uidiſſe, cui in brachio morſum infixiſſet rabiẽs canis, anno autem ſeptimo poſt cicatricis locum intumeſcere cœpiſſe, atq; intra biduum interiſſe. Auicenna quoque quorundam ſententias aduocat, qui dicerent, poſt duodecimum à morſu annum in rabiem aliquando incidere nonnullos. Quod uero ſerius, quàm cætera animalia tabificam rabiẽdi uim perſentiant homines, efficit id naturæ diſſimilitudo. Nam & in contagioſis morbis homines ab hominibus & ſanguine coniunctis inficiuntur facilius. Cæterum rabies canum Syrio ardente, peſtifera in primis homini eſt, atque ita morſis letalis aquæ metus, uti Plinius inquit: Ad morſum uero unicum eſſe remedium & quidem oraculo quodam repertum, idem ſcribit, Radicem uidelicet ſylueſtris roſæ, quæ cynorrhoda appellatur. Nobis uero ſuppetit potentius adhuc medicamen, ſed & ipſum cælitus petitum. Eſt in Rhodiginis paludibus diui Bellini templum miraculorum frequentia celeberrimum, & affluxu hominum etiam notiſſimum. Erectæ ædis cauſa ferè publica eſt. Pulſus is diuus Patauio, graſſantibus nobilium pleriſque, quod ſeuerius ſanctiusq;, quàm ab illis probari poſſet, epiſcopum ageret, infectantibusq; inimiciter aduerſarijs, in paluſtre agri noſtri ſolum, quindecim millibus paſſuum Rhodigio diſtans, diuertit. Quum manus hominum euaſiſſe uideretur, canum rabiem nõ euaſit, à quibus ueſtigio conuulſus diſcerptusq;, mox in diuorum indigitamenta relatus, templum in illis emeruit locis, in quo & arca marmorea ferreis occluſa cancellis latet ſanctiſſimum eiuſdem corpus. Templi uero ex necis genere ea cæleſtis eſt proprietas, ſi quis clauem ſibi quæſierit, qua ædis ualuæ recludantur, ac ea candente quicquid rabie agitari orſum ſit attigerit, præſentiſſimum eſt remedium, & nunquam non uerum. Timoris uero aquæ, ὑδροφοβίαν uocant πάθος. Cauſa ex eruditorum ingenio affertur non una. Sunt qui opinentur, immoderatam ſuperuenire ita affectis corporibus ſiccitatem, humecto ſubſtantiali penitus demutato. At Rufus in melancholiæ ſpeciẽ euadere ſentit morbum hunc, ueneno humorem id genus aſſimulante. Scimus autem ex melancholicis alios alia metuere. Sunt qui arbitrentur, canis à quo impactus ſit morſus

ſus, imaginem ab ijs concipi in aquis, atq; inde compauèſcere. Poſtremo autem ante-quam huic capiti coronidem impingam, ſuccurrunt aliqua item: id prius ex hiſtoria, quod apud noſtrates etiamnum durat. Apud Bactrianos uulgo prouerbium uſurpari ſolitum, Canem timidum uehementius latrare, quàm mordere: altiſſima quæque flumina minimo ſono labi. Porrò dicitur Græcis λύων, de cane, ut docuit Euſtathius, παρὰ τὸ κύω, quod amare nobis indicat. Cyneam uero quum legis, pellem fluuiatilis intellige canis, quam capitis tegumento galeæ uice ueteres adhibuiſſe palàm eſt, inde ſeruatum, ut pro galea dicatur cynea. Cynulchos uocant qui ſecum ducant canes. Panagyrin porrò canum menſe Auguſto ab Romanis ſolitam celebrari, auctores Græci ſunt, monumento urbis captæ ab Gallis. Tunc uero cædebantur canes, qui & ἀνύλακτοι, id eſt ſine latratu agebant, anſeribus ampliter ſonoreq; inclamantibus. Hoc ipſum arbitror à Plinio ſignificatum libro uigeſimonono, ubi canes ait annua pendere ſupplicia inter ædem Iuuentutis & Sumani, in furca uiuos arbore fixos ſambucea. Cinopeta in Nicandri Theriacis beſtiæ intelliguntur, quæ in ſolo motantur, uelut κινώπεδά πνα ὄντα, uti iam attigimus paulo ante.

Conditionem filiæ quærere, quid ſit apud T. Liuium. Itemq; de uindicijs plura. Epheſis quid, & Eccletus. Martialis explicatur, necnon Quintilianus de aſſertione ſecunda.

Caput XXIX

TEnarrabamus paulo ante in Patauino gymnaſio prouincialibus auditoribus noſtris conſenſu petiti multorum, librum T. Liuij ab Vrbe condita tertium, ubi is incidit locus, qui eſt de Appio decemuiro, à quo uindiciæ ſecundum ſeruitutem decretæ ſunt, dum Virginiam puellam ardentius & occæcato animo deperiret, cuius ſponſus Icilius in hæc affectu nimio & indignitate rei prorupit: Virginius, inquit, uiderit de filia ubi uenerit, quid agat, hoc tantum ſciat: Si ipſe huius uindicijs ceſſerit, conditionem filiæ quærendam eſſe, me uindicantem ſponſam in libertatem uita citius deſeret quàm fides. In hunc ſcopulum ubi impegimus, locum uideri perobſcurum interfati ſumus: poſſe tamen, quantum ex Iureconſultorum non incurioſa lectione aucupemur, ſic ferme explicari. Paulus ſiquidem Digeſtis De diuortijs, lege prima, ſic ſubnotatum reliquit, Dirimitur matrimoniũ diuortio, morte, captiuitate, uel alia contingẽte ſeruitute utriuſq; eorum. Hinc Icilius innuebat, fore ut ſponſalia dirimerentur cum Virginia, ſi pater ſuperſediſſet à uindicijs ſecundum libertatem: quoniam ſponſam, quæ ad ſeruitutem recidiſſet, non eſſet ducturus, proindeq; conditionem illi alteram eſſe quærendam. Simul & alluſiſſe uideri poteſt ad uerba ſolennia ſponſalium diſcutiendorum, quorum meminit Caius titulo eodem, lege ſecunda: Item (inquit) in ſponſalibus diſcutiendis placuit renunciationem interuenire oportere: in qua re hæc uerba probata ſunt, Conditione tua non utar. Sicut in repudijs comprobantur hæc, Res tuas tibi habeto, Res tuas tibi agito. Et hoc erat uxori nuncium remittere, ut in Epiſtolis ad Atticum Cicero: Vxori, inquit, Cæſar nuncium remiſit. Niſi quis putet, immo dixiſſe Icilium, quærendam filiæ conditionem, quoniam ut Paulus idem adſtruit Digeſtis De regulis iuris: Quod attinet ad ius ciuile, ſerui pro nullis habentur: nõ tamen & iure naturali: quantum enim attinet ad hoc, omnes homines æquales ſunt. Inde & Caius ait, Cum ſeruis nulla eſt actio. Propterea Paulus ſcribit, Libertatem eſſe rem inæſtimabilem. Sententiam noſtram præfulcit M. Tullius pro Cælio, Confer te alio, habes hortos ad Tyberim, ac diligenter eo loco præparaſti, quo omnis iuuentus natandi cauſa uenit. Hinc licet conditiones quotidie legas, Cur huic qui te ſpernit, moleſta es? Dignum ſcitu quod in Antonino philoſopho ſcribit Iulius Capitolinus, Fauſtinam imperatoris uxorem apud Caietam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe, id eſt bene naſatos ac mutoniatos ſeu draucos conquiſiuiſſe, qui laſtaurum agerent ualide. Verum quia de Liuio agimus, ut in hoc quoque nobiliſſimum conditorem rerum opera noſtra, qualiſcunq; ſit ea, iuuemus: quæ ſint uindiciæ, item explicabimus: eo quidem gratius, quoniam hallucinationes multorum in eo intellexiſſe uidemur, quas eodem (quod dicitur) oleo expunctas obliteratasq; reluemus. Poſitum uero uerbum id apud Iureconſultos quoq;, & Pomponium Digeſtis De origine iuris, lege ſecunda: ubi uindicias pro ſententijs quidam interpretantur, quum uindiciarum nomi

ne nil prorſus aliud intelligamus & aſſertionem, quæ ſi à ſeruitute ad libertatem foret, uindiciæ ſecundum libertatem dicebantur. Si uero à libertate in ſeruitutem, uindiciæ ſecundum ſeruitutem pronunciabantur. Liuius, Decreuiſſe uindicias ſecundum ſeruitutem. Et in legibus Duodecim tabularum, Dare uindicias ſecundum libertatẽ, eſt pronunciare uel decernere aſſertionem eiuſmodi. Et ut apertius tota res percipiatur & illuſtrentur in Liuio tenebræ, Cimmeriis quandoque atriores. Lis uindiciarum eſt, inquit Aſconius Pædianus, quum litigatur de ea re, cuius apud prætorẽ incertum eſt, quis debeat eſſe poſſeſſor: & ideo, qui eam tenet, dat prædes litis uindiciarum aduerſario, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua iurgium ſit. Sunt autem, inquit, prædes ſatisdatores locupletes, pro re de qua apud iudicem lis eſt, ne interea qui tenet, diffidens cauſæ, poſſeſſionem deteriorem faciat, tecta diſſipet, excidat arbores, & culta deſerat. Hoc uero eſt quod perobſcure Liuius ſignificat, quum inquit, Quum ſtaret aſſertor puellæ, ut uindicaret, ſponſoresq́ daret, atq́ id ipſum agi, diceret Icilius, ſedulo tempus terens, dum præriperẽt internuncij miſſi in caſtra, manus tollere undiq́ multitudo, & ſe quiſq́ paratum ad reſpondendum Icilio oſtendere. Præterea ſentẽtiam hanc adiuuat & Boethius ex Topicorum commentario primo. Vindex eſt, inquit, qui alterius cauſam ſuſcipit uindicandam: ueluti quos nunc procuratores uocamus: unde lex Aelia Sentia, Aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubet. Dicitur et in aliis quoq́ rebus uindex. Liuius libro tertio: Volſci & Aequi coniunctis exercitibus Latinum primum agrum populati ſunt, deinde poſtquam nemo uindex occurrebat, ad mœnia urbis Romæ acceſſere. Vindiciæ, inquit Feſtus, appellantur res eæ, de quibus controuerſia eſt: de quibus ſic Cincius, Vindiciæ olim dicebantur, quæ ex fundo ſumptæ, in ius afferebantur. Seruius Sulpitius uindiciam eſſe ait, ab eo quod uindicantur res ex controuerſia. Porrò ſubit in hoc propoſito, ut manum præbeam Valerio Martiali, Epigrammatum primo, cuius uerſiculi morem hunc uindiciarum continentes conuelluntur magis à grammaticis quàm enarrentur. quod hoc genus ſcitamenta nec primoribus quidem labris guſtarint, ac nec extremis (ut dicitur) digitis attigerint, etiam ſi contentioſum funem ducere gaudeant plerunq́. Scribit ad Quintianum, quem libellorum ſuorum faecit aſſertorem, ne darentur quodammodo uindiciæ ſecundum ſeruitutem: quoniam Fidentinus (ut ipſe dicit) plagiarius, illos recitabat pro ſuis: rogatq́ ut det prędes, ſe domi num nihilo deterius in poſſeſſione futurum. Quæ omnia iocoſe feſtiuiterq́ de iudiciorum more tralata, carmini poeta inſeruit. Eiuſmodi uero id eſt,

Commendo tibi Quintiane noſtros,
Noſtros dicere ſi tamen libellos
Poſſum, quos recitat tuus poeta.
Si de ſeruitio graui queruntur,
Aſſertor uenias, ſatisq́ præſtes.
Et cum ſe dominum uocabit ille,
Dicas eſſe meos, manuq́ miſſos.
Hoc ſi terq́ quaterq́ clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

Illud autem Quintiliani ex libro Oratoriarum inſtitutionum quinto, huic adnexum quodammodo eſt. Nam de præiudicijs agens, ea in tribus uerſari generibus adſtruit: in rebus, in iudicijs ad ipſam cauſam pertinentibus, aut quum de eadem cauſa pronunciatum eſt, ut in reis deportatis & aſſertione ſecunda. Sed & libro undecimo Succurret, etiam ſi apud alios iudices agetur, ut in ſecunda aſſertione, aut in centumuiralibus iudicijs duplicibus. Eleganter uero à Græcis tralatio hæc à foro in aliud forum dicitur Epheſis. Extat Demoſthenis oratio, cui titulus Epheſis: dicitur item Eccletus. Hæc autem Latine prouocatio eſt: unde ἐφεσιάσιμον δίκην legimus apud Galenum Therapeutices primo, id eſt iudicium prope dixerim prouocatorium. Quæ uero ſit hic aſſertio ſecũda perobſcurum eſt, ego ad ueterem manumiſſionum morem id ſpectare contenderim. Scribit enim Maximus Valerius, Athenis inſtitutum memorabile ſeruatum, ut ingratitudinis conuictus à patrono libertus libertatis iure exueretur. Ab eodẽ item refertur: Maſſilienſes treis in eodem manumiſſiones reſcindi permiſiſſe, nec quarto errori

rori ſubueniendum putaſſe. Sed & Romæ ſolitam quandoque adimi libertatem, teſtatum in Digeſtis libro quadrageſimo: Ni rem malis unam eandemq; intelligere apud diuerſa tractatam tribunalia. Scribit tamen libro tertiodecimo Annalium Tacitus Cornelius, actum in ſenatu Nerone imperante de libertorum fraudibus, efflagitatumq;, ut aduerſus male meritos reuocandæ libertatis ius patronis daretur. Sed eam relationem conſules incipere non auſos, ignaro principe. Mox uero ſententiam eualuiſſe, Diſpiceret quiſque merita tardeq; concederet, quod datum non adimeretur. In Traiani epiſtola quadam legimus, Aſſertionem denegandam iis qui ex eiuſmodi cauſa in libertatem uindicabuntur. Agitur uero inibi de expoſiticiis, quos dicunt Græci ἐκδίκους. Idem Tacitus libro eodem aſtruere animaduertitur, Ad ſeruitutis malum non relabi, qui forent uindicta emiſſi manu. Idq; ſic ab Tiberio ſancitum prodit. Autor Tranquillus eſt, à Claudio imperatore ingratos, & de quibus patroni quererentur, reuocatos in ſeruitutem. Aſſertio, inquit Priſcianus, tam à ſeruitute in libertatem, quàm à libertate in ſeruitium trahi ſignificat. Auctores ſecundi apud Vlpianum Digeſtis De euictionibus, fideiuſſores intelliguntur. Iudicium uero aduerſus ingratos libertos, & uelut à patrono deficientes, Apoſtaſium dicebatur, uel ἀποστασίου δίκη. Eius commeminit Lyſias ad Ariſtodemum, & in Athenienſium republica Ariſtoteles. Erat & apoſtaſium aduerſus peregrinitatis reos iudicium.

Thargelion, id eſt θαργηλιών, menſis qui ſit. Thargelia feſta. Thargelus olla. Sextum Thargelionis diem fuiſſe Græcis auſpicatiſſimum. Thargelia regina.

Caput XXX

THargeliona eſſe quidem Græcis menſem, haud ferè ambagioſum eſt. Qui uero ſit is non conſtat magnopere. Sunt qui Februarium putent ac interpretentur, Aprilem malunt alij: quos, etiam ſi non latet, quàm difficilis hęc cenſeatur ratio; in qua multum deſudaſſe Theodorus animaduertitur, probabiliora dicere contenderim: quippe Apollini ſacer is, & Dianæ cenſebatur, quod Thargelia comprobarint feſta, ollaq; Thargelus dicta, id eſt θάργηλος, in qua percoqueren tur fructuum primitiæ Apollinis honori, qui apparerent iam. Dici θαργηλιών putatur ratione etymologica, quia ſol θέρει τὴν γῆν, id eſt terram excalfacit. Cæterum illud gratius multo: diem qui eſt menſis huius ἑκαμβαίου, uti dicunt Græci, ſextus, habitum, proſperiore euentu rerum, ueteribus non Athenienſibus modo, ſed & aliis auſpicatiſſimum, quemq; lapillo prorſum numeres meliore. Illud uero felicitatis argumentum ſane primum & magnum quoque, quod hominum ſapientiſſimus eo in uitalem prodiiſſe lucem Socrates narratur. Inde & Perſarum afflicta potentia eſt, quo nomine receptum Athenienſibus eſt, τῇ ἀγροτέρᾳ capras trecentas immolare, uoti Miltiade damnato. Rurſum apud Platæas prælio nobili ſuperata gens eadem hoc ipſo die, cuius item donum ſit, apud Mycalen comparatum decus. Quin & Perſis eſſe fatalis quodammodo dies hæc uiſa, quando ea quoq; ab Alexandro Darij traduntur conciſę opes. Sed & Alexandrum eadem ædítum ferunt, & ex humanis item conceſſiſſe. Illud auctarium ſane fuerit, Thargeliam genere Mileſiam, forma & ſapientia conſpicuam, quę annis triginta apud Theſſalos eſt potita regno, demum ab Argiuo, quem uinctum habebat, nec atam memoriæ prodi.

Solere interdum homines pleroſq; nimis quàm leuiculis rebus ſtultè operam impendere ſeriam. Atq; inibi Platonis decretũ. Prius de atechnia, cacotechnia, matæotechnia.

Caput XXXI

INter ea quæ diſſertatione multijuga, ingenioq; excuſſo in primis, de ratione dicendi à ſtudioſis tractari ſolent: illud item aduerto minus neglectum, nullam utiq; eſſe artem, quæ res Græcis dicitur ἀτεχνία, quando nullis commuuniti præceptis, nulla prorſum doctrinę ui adminiculatiores plerique, quamodo impetus tulit, aut dictauit neceſſitas, eunt præcipites. Quibuſdã id arriſit etiam num, ut artem faterentur quidem, ſed malam: dicendi poteſtate ſæpius ingenijs deprauatis in labem tralata multorum. Eſſe uero & κατατεχνίαν, non improſpere forſan, ἀλλ' εὐτύχως coniecerint aliqui, quam inanem artis imitationem interpretantur eruditiores: ſicubi laboris inſumitur plurimum, operæprecio nullo. In quam ſane decuriam

transferuntur, quibus inter declamantium sudores uita atteritur uniuersa. Profert seip sum hoc in alijs quoque, nunquam non se ostentantibus, quis horæ pereant bonę, com perto etiam, qui ciceris grana per longius missa interuallum citra frustrationem in a cum insereret. Quod contemplatus Macedo Alexander, ut qui esset ingentis ac gene rosi spiritus rex, hominis uanitatem irrisam leguminis eiusdem modio censuit donan dam. Sed enim more iam nobis recepto in pluribus, ad partem hanc Platonis graue decretum non prætereamus. Fuit Cyrenæus quidam Anniceris equorum agitatione ac curruum nimio plus sibi placens, & quod confecutione quadam adnexum huic est, eius rei molestus quandoque ostentator. Quo nomine in Academiam ueniens Plato ni gestiebat nimis quàm auide inanes flans glorias, artificij sui uim, ut ipse rebatur, mi ram ingerere commonstrareq. Iuncto igitur curru, nunc inspectante eo, pro artis mo do & ratione procurrebat: nunc raptim, sed scite admodum & prorsum apte, resiliens, circumactis equis recurrebat: ac subinde progrediens remeansq. artificij curulis nu meros implebat plane omnes, cursu ita cõtemperato, ut eandem in procursu recursuq. omnino orbitam, Græcis dictam ἁρματοτροχίαν, teneret, moderamento nunquam fal lente. Id alijs, uti addecuit, fortè mirum accidebat. At enim philosophus Plato, inani eius ac uacante damnata sedulitate, conatum eiusmodi criminabatur, inquiens, ἀδώκη τόν ὅτι, τὸν εἰς μικρὰ οὕτω, καὶ οὐδενὸς ἄξια τοσαύτην φροντίδα καταπεπιεμένον, ἀνὴρ μεγαλων πόνων ἀπουδάσαι. πᾶσαν γὰρ αὐτοῦ τὴν διάνοιαν εἰς ἐκεῖνα ἀποτεθεῖσαν ἀνάγκη ὀλιγωρεῖν τῶν ὄντως θαυμάζεσθαι δικαίων. id est, fieri nequit, eum qui in parua sic, & nul li prorsum rei tantum impendat curæ: grandioris quicquam moliminis sollicitè ac pro spicienter attentare: omnem quippe ratiocinij uim ac intelligentiam illis fere impen sam, quæ solidam continent, ac ueram admirationem, habere neglectui, necesse pro pemodum est. Callitechniam legimus item in Plutarchi Lycurgo, & apud alios: signifi catur eo uerbo artis pulchritudo ac excellentia.

Gallinaceorum Athenis compugnantium in theatro spectaculum: queq. tradantur eius rei initia. Monosiri aues. Caput XXXII

GAllos pyctas compugnaturos Athenis committi solitos, alicubi (opinor) in Latinis relatum literis est, ubi rixosarum auium laniſtæ totum plerunq. pa trimonium, pignus aleæ, uictor gallinaceus abstinuisse legitur. Et nos aliubi sed strictim commeminimus. Quam uero rationem habeat res ea, pauciori bus forsan notum. Ego autem sic comperi, fusis fugatisq. Persarum copijs, lata ab Athe nienſibus lege, sancitum ut publico theatri spectaculo in pugnam producerentur gal linacei per diem annis singulis. Rei uero leuiculæ prima specie hæc traduntur primor dia. Quum aduersus Barbaros ciuitatis uires produceret Themistocles, forte concer tantes inq. mutuam coorientes perniciem, dum strenue ac gladiatorio more inuicem se rostris fodicant, gallos est contemplatus: nec id acerrimo & ingenij solertis impera tori insuper spectaculum fuit, aut ociosa pugna. Siquidem aduocatos in concionem mi lites sic protinus hortari, atque in prælium cœpit incendere. At, inquit, non pro patria utique decertant hi, neq. item pro patrijs dijs aut heroibus: sed nec de gloria dimicatio est, aut de libertate, uel liberorum salute: uerum, quod alteri succumbere, ac superbas pati uictoris leges neuter animum inducat. Quum à Themistocle uehementius pro nunciarentur hæc, additis quæ tempus exigeret, alijs pluribus, ita coorti itaq. animati milites sunt, ut in hostem summa proruentes alacritate nobilem inde sint uictoriam in depti: eiusq. monumentum rei seruatum mox quotannis, ut exemplo irritati, memo resq. ueterum gestorum, ad id genus plura excitarentur uirtutis opera. Cæterum apud Xenophontem inquit Socrates, εἰς μὲν μάχην ὁρμωμένῳ καλῶς ἔχει ἡγούμενον ὑποτρέχειν, ὥσπερ γύπιοι τοὺς ἀλεκτρυόνας σπουδὴν ποιήσαντες συμβάλλουσιν. Lego item apud Alexan driam aues haberi monosiros, unde pugnaces subnascantur gallinacei, si bis aut tere uis incubarint.

Fluminũ simulacra uarie nunc humana, nunc bubula exprimi specie con sueuisse. Neptuno tauros immolari omnino nigros. Cap. XXXIII

Quoniam

QVoniam poetæ multa illuſtres fabuloſitate in fluminum mentione, quaſcunq; collibitum fuerit illis imagines circumponunt, ac uelut graphice delineantes conformant, uiſum ad præſens, quæ mihi ſuggerit hiſtoria ex ſuperſtitione ueteri, ſtudioſis communicare, quo in poeticis fiant quaſi Mæandris adminiculatiores. Compertum igitur illud in primis, non ſolum diuinis cultos honoribus fluuios, ſed & iconas illis ac ſimulacra dicari frequẽter conſueſſe: uerum non modi unius, ſiquidem ἀνθρωπομόρφους, id eſt humana eos ſpecie effinxere nonnulli, quibus bubulam alij effigiem induxerunt. Vnde βούκρανον Acheloum in Trachinijs uocat Sophocles, id eſt ταυρόκρανον. In ijs Eraſinus eſt, Eurotas item apud Lacedæmonios, Aſopus apud Sicyonios ac Phlyaſios, apud Argiuos Cephiſus. Hominis figuram præfert Alphæus, Cephiſum Athenienſes hominem monſtrant utique, ſed ita uti promant ſe nihilominus cornua, Syracuſani & Anapum in Sicilia forma inſignium eadem. Cyanen uero fontem fœminea circumueſtiunt ſpecie, Crimniſium quoque, & Telmiſſum humana honeſtari facie legimus. Pueri ſpeciem formoſioris adamarunt Agrigentini, in eo qui cognominis ciuitati erat fluuius: quin & apud Delphos dicatæ ex ebore fluminis ſtatuæ aſſcripſere nomẽ, at pueri nihilominus ſimulacrum erat. Auctor in Deorum natura Phurnutus, fluuios effingi plerunq; λοξοκεφάλους καὶ ταυροπρῶτας, ex undarum uiolento impetu, qui mugitibus aſſimile inſonet quiddam. Nam & de Scamandro Homerus, ταῦρος ὣς ὅτε ταῦρος. Quin & ratione eadem Neptunus Mycetas nuncupatur, cui & tauros immolant πάμμελανας, ob maris colorẽ. Taurinæ formæ rationẽ illam promit Sophoclis interpres, q; ueluti boues flumina terram perſcindant, uel quod fluuijs fere adiacent paſcua.

Diſcordiarum primordia inter Platonem Ariſtotelemq; ſummates philoſophos, nõ ex æmulatione inorta, uerum ex uitæ potius ratione diſſimili. Caput XXXIIII

INter Ariſtotelem Platonemq; haud cõueniſſe ſatis ex ingenij monumentis, quæ ignoraſſe nemo ferè poteſt, palàm fit. Odium quod ex æmulatione auidiſſimum eſt, literarum & gloriæ ratione exortum poſſet uideri, ſed à Græcis proditum ſecus, animaduerto: qui Platoni offenſiorem factum Ariſtotelem uolunt, quod eius uitæ inſtituto oblectaretur minus. Quippe curioſius circumueſtiebatur Ariſtoteles, calciabaturq;, quin & comam cõtondebat item delicatius. Iſtiuſmodi uero à Platonis aberant grauitate plurimũ, qui quãtus quantus nil niſi ſapientia prorſum fuit. Annulis digiti niteſcebant onuſti, & in hoc ſibi placebat nimiũ. Inerat & in facie μωκία quædam, id eſt irridendi ſtudium, importunior nec aberat loquacitas, quæ ipſa & mores coarguebat. Omnia uero hæc à philoſopho abhorrere inſigniter, fallit prorſus neminem. Proinde quum ea intueretur Plato, rarius hominem admittebat. Pluris autem longe Xenocratem faciebat, & Speuſippum, cæteroſq; cum quibus præter alia libenter ac ſæpe confabulabatur, de philoſophicis ſemper arcanis promens quippiam, quo illi abirent nunquam non doctiores. Fuſius uero iſta & latius in Varia exequitur hiſtoria Aelianus. Paucula hæc nos modo præcerpſimus Platonicæ dignitatis ſtudio, ſimul & ingenij admiratiõe humani, in quo uirtutum eminentiſſimarum quandoque ſeſe promunt germina, ſed & uitia inoleſcunt inſignia. Quam utiq; ſocietatẽ adeo diuerſam poſſe coiri, uix impetraret fidem, ni exemplis hinc inde ſcaturientibus abunde cõmoniti, uel immaniora multo compaueſcere interdum cogeremur. Adeo nihil non audet inenarrabilis hic Proteus, omnia transformans ſeſe in miracula rerum. Super Ariſtotele uero illud amplius dignum memoratu: quum iudicium ueritus Athenis profugiſſet, ſcitante ex eo quopiam, cuius nam modi uideretur ei Athenienſium ciuitas, παγκάλη, ἔφη, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γεραλέᾳ, σύκῳ ἐπὶ σύκῳ. Sycophantas nimirũ innuens iuſto plus inibi progerminantes. Rurſum quærenti, Quid ita Athenas deſtituiſſet, ὅτι οὐ βούλεται, ἀπεκείνατο, ἀθλιωτέρους δι' ἁμαρτεῖν εἰς φιλοσοφίαν, Ne, reſpondit, in philoſophiam bis delictum eant Athenienſes, τὸ πρὸς σωκράτους πάθος ἀνιστόμενος, καὶ τὸν καθ' ἑαυτὸν κίνδυνον. Proditum & illud monumentis eſt: quum philoſophus hic extrema ſibi ingruere præſenſiſſet, dolore ac ſpe in lachrymas amplius profuſum primæ cauſæ miſericordiam intentius imploraſſe. Quin

& Homeri ſententiam ex Odyſſea uehementer approbaſſe, qua nõ eſſe immortalibus dijs indecorum pronunciatur, hominis induere naturam, quo ab erroribus ſeuocentur mortales. Qua in re Chriſti præſenſiſſe aduentum augurantur nonnulli, eius uiri gloriæ in primis addicti.

Sileni ac Midæ congreſſus. Terram haberi continentem extra orbem noſtrum, decꝫ in ea ciuitatibus & hominum moribus. Caput XXXV



Theopompum inter Græcos hiſtoricos non incelebrem prodit in Varia hiſtoria Aelianus, mandaſſe literis, Midam Phryga, & Nymphæ filium Silenum mutuis quandocꝫ uſos congreſſibus. Erat quidem Silenus deo natura inferior, homine tamen melior, ſi utiꝫ immortalitatis etiamnũ compos. Et plurimis utiꝫ ultro citroꝫ dictis, mox & Midæ ſic eſſe fabulatum Silenum, Europam, Aſiam & Libyam quoꝫ eſſe inſulas plane, ut quas ambitu complecta tur ocean us. Haberi autem extra orbem hunc, eam quæ ſola ſit continens, cuiusꝫ ſit infinita magnitudo: eſſe uero inibi animalia prægrandia, ſed & homines amplitudine ad nos dupla, uitæ quoꝫ ſpatijs menſu compari. Quin & plurimas maximasꝫ ciuitates, legibus omnino & uiuendi inſtitutis noſtris haudquaquam ſimilibus, uerum inter eas præcellere duas præcipue, inuicem prorſus diuerſas: alterã dici Machimon: εὐσεβῆ autem, id eſt Euſeben alteram, cuius incolæ perpetuam ducant pacem, diuitijs affluentibus, quando ex terra ſuccreſcant fructus citra cultum omnino ullum. Neꝫ uero ſerẽdi illis curã incũbere: perſeuerare porrò ſanos, καὶ ἀνόσους, id eſt ſine ægritudinũ moleſtia. Demigrare deniꝫ uia ridibundos & hilares uſquequaꝫ. Adeo uero ſine ambiguitate iuſtos eſſe, ut ne dij quidem indignũ opinentur, eos uel frequenter inuiſere. At qui Machimon incolant eſſe pugnaces, & naſci armatos, ac bellum aſſidue gerere, collimitaneos plurimum euertendo: quippe gentiũ multarum eſſe compotem unam modo ciuitatem. In ea cenſeri hominum myriadas ducentis haud pauciores, quos nõ abſumpſerint bella, morbis plane conficiuntur. Sed perrarũ id eſt. Intereunt uero in prælijs ſaxis percuſſi aut lignis: nam ferri ictum non admiſerint. Auro argentoꝫ abundant eatenus ut ſit ibi aurum uilius quàm apud nos ferrum. Hoſce uero in noſtrum quandocꝫ orbem adortos enauigare, ad Hyperboreos appuliſſe: quos cum inaudiſſent noſtrorum hominum fortunatiſſimos, ipſi ut uiles ſunt aſpernati, ac humiliter ſordideꝫ agẽtes, propter eaꝫ ulterius pergere neglexiſſe. Cæterum id mirabilius multo, eſſe inibi homines item Meropas nomine, quorum ciuitates & multæ ſint & inſignes. Viſitari autem in regionis parte ultima locum, quem dicant Anoſtum, id eſt ἄνοσον, hiatui perſimilem: ſed nec tenebris obtentũ, neꝫ item lumine. Aerem uero incumbere turbido inſynceroꝫ ſuffuſum rubore. Flumina circumluere duo: unum uoluptatis dici, triſtitiæ ac mœroris alterum. Vtriꝫ adnaſci arbores magnitudine qua proceriores platani. Haſce eius poteſtatis fructus producere, ut qui guſtarit, indeſinentes effundat lachrymas, demumꝫ ſic interiatur. At uoluptatis arbores diuerſum efficere omnino: nam pomo ueſcẽtes deſideria prorſum alia deſinunt, anteactas quoꝫ ætates denuo repetentes: ſiquidem ſenectam exuere primum, ac uigorem induere, perꝫ quoſdam uelut gradus, effectos iuuenes tranſire mox ad pueriles annos, ac demum infantiliter cõmori. Lectum & illud in Græcorum theſauris, fuiſſe in Macedonia hortos, qui dicerẽtur Midæ, roſis ſponte ſuc creſcentibus foliorum ſexagenum, odore cæteras anteeuntes multo. Inibi tenet fama apud Macedonas, Silenum captum.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros, ad uenerandum Franciſcum Pilumnum Rhodiginũ iuris pontificij ſcientiſſimum, Præfatio decimaoctaua.



I cui ab ineunte ætate, quam eſſe prudentia ſenum confouendam adminiculandamq́, traditum eſt, ita inhæſi, ut addicerem me totum, ueluti ridicæ cuidam firmiori, tu is es Franciſce parens optime: ſit enim hæc tui præfatio ueriſſima, ad quem in anguſtis lætioribusq́ meis rebus cenſui defugiendum perpetuò, ne quod adoleſcentiæ commune uitium eſt, in lubrico conſtitutus per inſcitiam à rationis rectitudine abirem longius, quod ex Homero dicticiſſem puer,

Νεωτέρων δ' ἀνδρῶν φρένες ἀρτέθονται.

Tu uero rerum diuturniore uſu prudentiſſimus, clemẽtiſſime amplexatus, perinde ac filium es, nullo unquam reclinato incommodo. Nec id conſilijs modo eminentiſſimis fidiſſimisq́, ſed opera quoq́ uel ampliſſima, ut ædes tuas nunquam mihi occluſas ſenſerim. Nec illud repeto nunc, qua me ſemper tũ apud prætores, tum apud ciues noſtros ingenuitate, nullo prorſum liuoris fuco ſordida celebrandum, etiamq́ ultra meriti rationem extollendum ſis arbitratus. Et ſunt hæc quidem mentis propè diuinę germina, reminiſcentisq́ quid nam uicturi gignimur, ordo quis datus. Quamobrem immenſa ſunt quæ tibi à me hoc nomine debeantur. Nec aliud ferè apud animum meum ſolicitius aut anxius magis diu perpendi, quàm ut rationem inirem aliquam, quæ tibi me, & ſi non gratiſſimum, quod noſtri calculi modus non patitur, at non ingratum omnino præmonſtraret ſaltem. Verum omnem, quod aiunt, funiculum mouenti, dum apte diſpunctam rationem uolo, illud ſe demum noſtræ obtulit imbecillitati, ut hiſce commentatiunculis noſtris, ſi modo tantæ rerum excellentiæ futuræ pares ſunt, nomẽ tuum, mihi nunquam non uice quodammodo numinis habitum, in perpetuitatis memoriam dare: ut ubicunq́ Latinæ linguæ ſonus fuerit non infrequens, mortales intelligant uniuerſi, quàm clementer quamq́ officioſe mecum egeris, quamq́ hoc uno nomine, non tibi modo, ſed et tuis omnibus debeã: ſi uolo is eſſe, qui ut eſſem adniſus perpetuo ſum. Tuæ uero partes ſunt, quæ pro uirili offerimus, lætiore frõte excipere. Tenuia quidem forſan ſunt, ſed beneficia te nõ fœnerari certo ſcio. Quod ſi laxius mecũ ageret fortuna, & uotis euentus reſponderet, munificentius multo gratiusq́ tractarere. Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, ſupererunt forſan & alij qui aureum te conſtituãt. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI
ANTIQVARVM LECTIONVM LIBER VNVS, qui decimusoctauus.

Spartanorũ mores explicantur. Nomi polemici qui. Gymnopædiæ. De Orníthia, & Diana Orthia, ac Dionysii festo scieria. Iuuenalis locus de orbe Lacedæmonio, & pædæmate. Item de pueris Bomonicis. Lactantij grãmatici locus restituitur. De fœminarũ nuditate. Inibi Martialis locus explicatur de libidinosa Lacedæmone. Quibus furari honestum. Cardaces qui. Quintiliánus illustratur. Scutorum literæ. Græcorum latrocinia. Cap. I



LAcedæmoniorum rempublicam plurium monumentis celebratam, habuisse præclara & eximia pleraq́, quum multa alia argumento sunt, tum illud in primis, quod Plato ille, quem diuinum omnis nuncupat antiquitas, quiq́ non docendi solum, sed etiam dicendi fuisse agnoscitur, essecq́ etiam num magister optimus, libros De legibus non aliter concinnarit, quam ut in eos congereret, quicquid singulari prudentia institutum sancitum'ue comperisset in Cretensi republica Spartanaq́, necnon Attica, quam nouam dicunt. Quoniam prodat Timæus, ante ingentem terrarum inundationem fuisse Athenas alias tum in Græcia, tum in Aegypto, quas à Pallade conditas edit catasq́ uult. In quibus ea fuerit gubernationis forma, quam in libris De republica sit Plato complexus. Scitum & illud: uelut orbem Hercules obierit, una præcinctus pelle, ac una communitus clava: sic & Spartanos ab una scytala & frugi ueste ac uili, Græciæ uolenti imperasse, & ne moto quidem scuto, tyrannicos sæpe spiritus retudisse. Quin traditum nonnullis, Athenienſium fuisse, mysteria celebrare ac pompas ducere, Eleorum certamina statuere: Spartanorum autem, si quid deliquissent hi, cædendo castigare. Scribit tamen Rhetoricorum primo Aristoteles, Quibuscunq́ ciuitatibus res muliebris male habeat, sicuti Lacedæmonijs, uideri ijs fere dimidium abesse felicitatis. Mira certe sunt quæ prodit historia. Lege siquidem apud eos sancitum erat, ut senior, si forte uxor ei esset floridior, aptaq́ etiamnum tollendæ proli, & iuuandæ patriæ, delectum ex iunioribus quempiam, moribus præcipue exploratis probisq́, posset ad eam admittere. Quam ubi is generoso implesset semínio, quod inde natum foret, educaret, ut conceptum natumq́ legitime. Quod si quis uxorium onus ut molestum grauaretur, nimisq́ impeditum, ingenuæ tamẽ prolis desiderio obmolliretur: tunc licebat, si quam is fœcundam generosamq́ animaduertisset, adducto prius in eiusmodi sententiam uiro, eam quærendę prolis gratia adire. Nec id ex propalata subſtrataq́ passim natum pudicitia uideri potest, quodq́ id genus fœminæ ad Veneris prolubia forent procliuiores. Legimus quippe pauperculam quandam interrogatam, Quid nam marito dotis foret, respondisse, Patriam pudicitiam. Altera uero, quum quæreretur ex ea, an cum uiro coisset: Minime, inquit, sed ille mecum. Quædam porro, quum fuisset clàm compressa, fœtumq́ perdidisset, sic nulla emissa uoce se constantem ac tolerantem præstitit, ut elisо conceptu reiectoq́, parentes aliosq́ latuerit proximos: quippe dolorum magnitudinem, quibus (ut assolet) lancinabatur subinde conuellebaturq́, uicit ignominiæ timor. Tantum erat uel in muliebri ingenio tolerantiæ robur, ut nõ immerito uideatur Horatius cecinisse Carminum primo,

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percussit campus opimæ.

Nam, ut inquit Aemilius Probus, Lacedæmoniorum moribus summa uirtus in patientia statuebatur. Seneca scribit, Lacedæmonios consuesse liberorum suorum indolem experiri publice uerberibus admotis, illos subinde adhortando ut flagellorũ ictus fortiter perferrent: item laceros ac semianimes rogando ut perseueranter uulnera præberent uulneribus. Quam rem copiosius exequitur Lucianus in sermone qui est De gym

nasiis

naſiis,& ſignificat Thebaidos quarto Papinius,

Et oliuiferi Eurotæ Dura manus.

Expoſuit & Lactantius grammaticus,gentis in eo crudelitate taxata. Laconibus hoc item fuit peculiare,omnia impenſius cælare.Propterea id innuens hiſtoria quinta Thucydides, τὸ λεγυπῆδες, inquit, ἀγνοεῖν. quum de Lacedæmoniis loqueretur. Apud eundem obſeruatum quoque,Nomos dici polemicos cantilenas Lacedæmoniis in hoſtibus congrediendis concini ſuetas.De gymnopædiis,quas nudi certantes concelebrabant iidem,mentio Thucydidi etiam fit:τερπόμενοι,inquit,ὠιτὰς τὰς γυμνοπαιδίας:Sed ad patientiam redeo. Cretum quidem leges, inquit Cicero, itemq; Lycurgi laboribus erudiunt iuuentutem,uenando,currendo,eſuriendo,ſitiendo,algendo,æſtuãdo.Spartæ uero pueri ad aram uerberibus ſic accipiuntur,ut pleriſq; ſanguis è uiſceribus exeat: nonnunquam etiam,ut quum ibi eſſem,audiebam,ad necem. Quorum non modo nemo exclamauit unquam,ſed ne ingemuit quidem. Hoſce pueros Seruius grammaticus Bomonicas,ueluti dicas, ſuper aris de uictoria contendentes,appellari ſcribit.meminit & Lactantius ſuper octauum Thebaidos,ſed codicibus fœde interpellatis:nam ſcribitur modo Suominicæ.Concertatio autem ea, ut idem teſtatur, diamaſtigoſis uocabatur,hoc eſt diſſlagellatio,quis plura poſſet uerbera ſuſtinere. Plutarchus in Lycurgo,Puerorum multos, inquit, in ara auguriſ cæſos uerberibus mori uidimus.In Apophthegmatis Laconicis,in ara Orthiæ Dianæ id ſolitum fieri ſcribit. Cui ſententiæ ſuccinit & Papiniſ interpres. Hinc in Plauti Captiuis, feſtiue Lacones leguntur Plagipatidæ. In Græco Plutarchi codice ita relatum aduertimus, ὧν πολλοὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς ὀρθίας ἱεραλκοῦντας ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς. Atque ita legiſſe animaduertitur interpres.Nam eſt Ornithia Sudæ augurium,Iulio autem Polluci aucupium. Poterat uideri emaculandus Plutarchi codex, uti pro Ornithia ſubſtitueretur Orthia. Verum ex Græcorum obſeruatum fidelia eſt,Ornithiam fuiſſe luſum,in quo euerberarentur pueri. In Ariſtidis uita Plutarchus idem auctor eſt, in pugnæ memoriam cum Mardonio cædi ad aram Ephebos, quod quum ſacrificanti Pauſaniæ incurriſſent barbari, uirgis loriſq; ſunt reiecti ab inermibus,ex quo & Lydia pompa diſſlagellationem conſequebatur. Sed enim quia de Orthia Diana,& diamaſtigoſi facta nobis mentio eſt, remotiora quæpiam nec in triuiis recantata,hinc iam ſubnectere pergamus.Nam ita in Græcorum mihi compertum theſauris eſt: primum in Laconia Limnæum locum eſſe Orthiæ ſacrum Dianæ.Eius ſimulachrum id eſſe memorant, quod ex Taurica eſt ab Oreſte & Iphigenia tralatum. Qua in re probabiliora uidentur aſtruere quàm Athenienſes qui in Braurone relictum uolunt. Sed ſacrorum eos poſt alia pleraque coarguit ritus:ſiquidem Aſtrabacus & Alopecus, à quibus id compertum primo eſt, mox dilapſi in amentiam ſunt.Paulo poſt Limnatæ,& aliq; quidam,Dianæ quum rem diuinam obire adorti eſſent,in diſſidium primo,pòſt & in mutuas proruperunt cædes: multis uero in ara peremptis,reliquos qui calamitati ſuperfuerant,morbi abſumpſere.Reddita conſultantibus inde ſors eſt, ἅιματι ἀνθρώπῳ τὸν βωμὸν ἁιμάσσειν. id eſt, ſanguine humano aram eſſe cruentandam. Propterea immolari cœptus, quem intuliſſet ſors: donec Lycurgus immolationem ad Epheborum diſſlagellationem tranſtulit:nam ſic cruore humano oppletur ara.Simulacrum ipſum quod exhibet ſacerdos, utpote perexiguum,leue eſt. Quod ſi uel formæ uel dignitatis ratione minus ſe conuerberando ſæuiant pueri, tunc mulieri effici oneroſius creditur atque ingeſtabile.Dianam uero non Orthiam modo nuncupant, uerum & λυγοδέσμαν: quoniam in uirgultorum, quæ dicunt λύγους, denſitate comperta memoratur: quæ ſimulacrum circumplexa, ὀρθὸν, id eſt rectum, illud ſtatuebant: unde & nominis profluxiſſe ratio uideri poteſt.Sed inſtitutum repeto,ſi illud adiecero, in Arcadia non longe à Stymphalo Dionyſii fuiſſe templum, cuius feſtum σκιοφόρια nuncupant, in quo ex Delphici Apollinis reſponſo diſſlagellentur mulieres.Præterea qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt,corpora iuuenum firmari labore uoluerunt. Hoc Spartiatæ etiam in fœminas tranſtulere, quibus magis palæſtra,Eurotas,ſol,puluis,labor,militia eſt in ſtudio, quàm fertilitas barbara. Puellas ergo aſſuefaciebant non minus quàm pueros, & uerſari nudas, & quibuſdam in ſacris ſaltare, & canere præſentibus ſimulq; aſtantibus iuuenibus. Propter

ea

ea Propertius quoq; quadam elegia ita canit:

Multa tuæ Sparte miramur dona palæstræ,
Sed magè uirginei munera gymnasii:
Quod non infames exercet corpore laudes,
Inter luctantes nuda puella uiros.

Saltationem uero hanc, siue id genus alteram significasse Iuuenalem eo uersiculo:

Qui Lacedæmonium pædæmate lubricat orbem.

putat in libro De orthographia Cæcilius Minutianus Apuleius, ac legendum pædæmate, prioribus syllabis diphthongum recipientibus: quia sit utrobique apud Græcos, ᾳ, & uerbo eo plane saltationem innui. Cæterum hac parte illud obiter legentes monuerim: Platonem quoq; libro De republica quinto non improbasse mulierum in gymnasiis exercitia, quoniam omnium operum natura compos sit fœmina. Voluit quoque, ut non puellæ solum, sed etiã anus nudæ cum uiris luctarentur: et quæcunq; exercitationes uiris contribuantur, easdem mulieribus impertiendas esse dicit. Et quia res absurda prorsum uidetur, ipsius Platonis uerba subieci. Nudandum igitur, inquit, corpus erit mulieribus, quando quidem pro uestibus uirtutem induent, communicãdumq; in bello, & in omni alia ciuitatis custodia. Qui uero nudas riserit mulieres, ratione optimi cuiusdam ita nudatas, inanem circa ridiculas nugas carpens sapientiæ fructum, neque quid rideat, neque quid agat intelligit. Huc porrò Martialem respexisse contenderim illis uersiculis ex libro quarto,

Argiuas generatus inter urbes
Thebas carmine cantet aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledeas Lacedæmonis palæstras.

Nam interpres ad Helenæ raptum alluſum putat, uel ad Venerem, quæ illic coleretur. Sed redeo ad uiros. Scribit libro tertio Quintilianus ad hunc modum. Minus Lacedæmone studia literarum, quàm Athenis honoris merebuntur, plus patientia & fortitudo. Rapto uiuere, quibusdam honestum est. Hæc uero imperitioribus subobscura uideri haud ambigo: ideo aliqua à nobis afficientur luce. Sic uero apud Plutarchum in Apophthegmatis obseruauimus: Spartanorum moris fuisse, literas modo pro necessitate discere, reliquarum uero disciplinarũ nihil omnino admittere, nec homines magis quàm libros. Erat autem illa ipsis disciplina, ut honeste parerent, labores constantissime tolerarent, pugnandoq; aut uincerent aut interirent. Ob quod quum Athenis rhetorum quispiam Lacedæmonijs imperitiam obiecisset, respondit Pausaniæ filius Plistonax, Recte dicis, soli namq; Græcorum nil à uobis mali didicimus. Scribit tamen in Protogora Plato, Antiquissimum apud Græcos, & plurimum sapientiæ studium in Creta & Lacedæmonia extitisse, ac sophistas inibi plures quàm alibi usquam repertos: dissimulare autem solitos ac imperitiam prætendere, ne Græcos alios superare sapientia deprehenderentur, ac ad idem studium accenderentur. Et mox paulo addit, Lacedæmonios optime ad philosophiam & sermones esse educatos, etiam si à principio rudes uidentur: uerum eiaculari statim magni momenti uerba contorta breuiaq;, uehementis modo iaculatoris: cuiusmodi enunciare uiri sit tãtum absolute docti. Quod uero ait Fabius, quibusdam rapto uiuere, honestum, de Spartanis item intellígendum. Apud quos Irenes sunt & Melirenes, id est ἔιρενες καὶ μειράκιες: rectus autem, unitatis numero est, ἔιρην: uocant autem hoc nomine, qui iam annum secundum è pueris excessere. Melirenas uero natu grandiores inter pueros. Iren igitur pueris præscribit (neque enim unquam sine magistro sunt) firmioribus quidem ut ligna ferant, minoribus uero olera, quæ omnia furto quæruntur. Quod si quis per incuriam deprehendebatur, flagris insigniter afficiebatur, ceu negligenter ineptéq; furari uideretur. Alias, si propositæ quæstioni parum accurate quis respondisset, ab Irene pollici infigebatur morsus. Furantur item, ut Xenophon tradit, ex cibarijs quicquid ualent. Eius uero negociationis curam nobile retegit exemplum: quum leonis catulum quidam surripuisset, ac inuoluisset pallio, eiusq; uentrem unguibus ac dentibus fera discerperet, latendi studio, pertinax ille silentium ita seruare perrexit, ut inde interiret. Persis item uiden-

tur

tur lege permiſſa fuiſſe furta. Nam qui rapto uiuerent apud eos, Cardaces uocabantur: quia carda, uirile ac bellicoſum ſignat. Apud Pauſaniam & Ammoniũ, Cardaces pro militibus accipi uidentur. à Caribus uerbum eſſe propagatũ, ſcribit Euſtathius. Apud Aelium Dionyſium, impios homines dici Cardacas, obſeruaui. Eſſe enim mercede militantes barbaros, apud Theopompum: Simpliciter uero, inquit, Perſæ quemlibet fortem furacemq; cardaca uocant. Cares primos mercede militaſſe, auctor Pauſanias eſt. Tauros Scythas Herodotus ſcribit in Melpomene furandi licentia ſibi uictum comparare, atq; item ex bello. Refert Gellius, apud ueteres Aegyptios, quod genus homines conſtat & in artibus reperiendis ſolertes cum primis extitiſſe, & in cognitione rerum indaganda ſagaces, furta omnia indiſcriminatim fuiſſe licita, & proinde citra ullam noxam pœnamue. Sed & poeta nobilis AEneidos nono, de Latinis ita canit,

Caniciem galea premimus, ſemperq; recentes
Conuectare iuuat prædas, & uiuere rapto.

Sed quod paulo ante ab eodem de Latinis eiſdem pronuntiatur:

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoq; gelu duramus & undis,

Videtur item de Spartanis tractum moribus. Nam, ut Seneca nobis auctor eſt, libro Suaſoriarum primo, Omnibus ſua decora ſunt. Athenæ eloquentia inclitæ habebantur: Thebæ ſacris: Sparta armis. Ideo Eurotas amnis hanc circumfluit, qui puritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam. Sed illud aduertendum: eſſe autores qui prodant, non aqua infantes, ſed uino ablui à mulieribus ſolitos, experimentum quoddam ipſorum habitudinis ita facientibus. Etenim dicunt huiuſmodi rerum periti, ægritudinibus obnoxios, admoto mero debilitari ac reſolui: qui autem ſit ualetudinis obfirmatæ, amplius acuere ac obſtipare habitum. Cæterum, quia non latet, à Græcis plerunq; Romanos conuelli, ut qui piraticam quandoque uel exercuerint uel permiſerint, paucula, quibus ineptum reprimatur ſupercilium, ex hiſtoria Thucydidis prima collibuit exſcribere. Antiquitus (inquit) Græci, ac maris accolæ barbari, quiq; inſulares erant, ubi amplius traiectu mutuo ſe cœperunt inuiſere, ad latrocinia mox ſunt conuerſi ductantibus uiris uel præpotentibus propriį cauſa lucri, & ut imbecillioribus inde uitæ fomenta compararentur. Quòd ſi in urbes incidiſſent immunitas, uicatimq; cultas deprædabantur. Indeq; ſibi uictum ferè uendicabant: quando, ut uidetur, nullum ex facto comparebat dedecus, quin gloriæ potius promebatur nonnihil. Dilucet uerò & nunc ex continentis habitatoribus nonnullis, quibus id agere uel honeſtiſſimum. Et mox: In pleraq;, inquit, Græcia uetuſtus necdum exoleuit mos. Et rurſum: Ipſa hæc latrocinia dilabentibus multis, Troianum bellum decennale effecerunt, quod tamẽ fama longe minus fuiſſe, hinc coniectatio euidens: quod poſt id è ſedibus ſuis exacti ſunt Græci, nequeuntes per ocium augeſcere. Illud uero neutiquam prætereũdum: Lacedæmonijs fuiſſe morem, lambda in ſcutis geſtare, ὡς παρασημον, id eſt notæ inſignioris gratia, ex principe nominis litera, uelut charactere ſe ipſos præmonſtrãtibus. Sicuti Meſſenij, M literæ nota ſe cognobiles prębebant. Eupolis,

ἀσπιδ' ἀγων ἐλλὼν ἐχθρὸν ἐλάβοντα τὸ λαμβδα.

Legimus in ſpectatæ fidei libris, Spartanum militem uehementius coercitum, quòd procinctus tempore auſus ſit uideri ſub tecto. At poſtremis Romani imperij ferè temporibus pluma & flexilis lectulus armato etiam in delicijs fuere, ac gladijs pocula grauiora, ſiquidem teſta bibere iam pudebat. Maximiano autem Cæſare Perſarum uallo direpto, gregarius miles, quum Parthicum forte ſcutum comperiſſet, in quo ſeriatim collucentes uiſebantur margaritæ, per rei inſcitiam gemmis abiectis, ſolo abijt pellis nitore contentus.

Laconicæ magnanimitatis exemplum ex Xenophonte. Cur Spartani dicti quandoq; Ophiodiri. Item Spartam fuiſſe alterum Græciæ oculum. Eurotas, Sparta, Lacedæmon, unde appellationem traxerint. Sparti qui. Scedaſi filiæ, Cetoeſſa Lacedæmon cur. Cæeti, Coi. Oreſcoi. Cap. II

POstremò uirtutis Laconicæ ac magnanimitatis ſingulare apud Xenophontem libro rerum Græcarum ſexto, argumentum nobis ſuggeritur, quo ciuitatis eius magnifici ſpiritus facile omnium oculis ſubijciũtur. In Leuctrica pugna à Thebanis proſtrata, excíſa attritaq́ prorſum Lacedęmoniorum gloria eſt, nam ab ea uix amplius emerſere. Accepta igitur tam inſigni clade, ſuæ cuiq́ aduenit calamitatis nũtius. At quorum propinqui cæſi in prælio fuerant, in publicum ſe proripiebant nitidi & hilares, aut (quod æque magnum eſt) hilaribus ſimiles. Quibus ſuperſtites fuerant neceſſarij, hi ferè in luctum ſe dantes, domi continebantur, rari admodum priuatos lares egredi. Et ij quidem ultra fidem triſtes, & fronte nimis corrugata, & demiſſis oculis, diceres omnibus exutos, ſolum deniq́ exilij cauſa uertere. Ex hac uero uirtutis admiratione uideri Pindarus poteſt, Lacedæmona ſic celebrandã duxiſſe, uti in Iſthmijs ὑψίπεδον diceret θέρμπνας οἰκέων ἕδος. id eſt, altam Therapnæ inhabitans ſedẽ. Quando ad loci ſitum referre haud queas: ſiquidẽ ita Homerus canit, οἵ ῥ' ἶφι πολλὼ λακεδαίμονα κητώεσσαν.

Quibus concaua indicatur Lacedæmon. Nec inde ſeiungitur id prouerbij facie ab Maximo Tyrio prolatum, Amor nil adeo infeſtè odit, quàm neceſſitatem ac metum: ut qui magnanimus ſit, præcipueq́ liber, ipſis nimirum Lacedęmonijs liberior. Illud item nequeo præteriſſe: obſeruatum à me in Græcis literis, Lacedæmonios quandoq́ à Pythia nuncupatos φιλοδείρους. eius appellationis ex hiſtoria ueteri hanc promunt rationem. Quadam tempeſtate ſerpentium multitudo mira in Laconia ſuccreuit: facta inde annonæ caritas eſt incredibilis, coactiq́ indigenę ſerpentes in eſcam humanam uertere: unde nomenclaturæ nouæ data occaſio. Quod in admirabilium relatione Ariſtoteles ſcribit. Idem libro Rhetoricorum tertio, metaphoras eſſe quatuor inſinuans, addit, eam probari in primis, quæ dicatur κατ' ἀναλογίαν. Cuiuſmodi fuit de Lacedæmonijs Leptinæ dictum non negligendum, τῷ ἑλλάδα ἑτεροφθάλμον γεγονέναι, id eſt Græciam factam unoculam. Quin & Pompeius Trogus, Athenas Spartamq́ ceu duo Græciæ lumina celebrat miraturq́. Cimon uero Athenienſis hortabatur, ne Græciam negligerent χωλὴν γεγονυῖαν, Sparta pereunte. Sed enim, ut diximus, apud Leuctra Spartana uirtus attrita corruit, in nihilum dilapſa ferè, infeſto numine, ſi credimus, ob ſcelus admiſſum in Scedaſi puellas, Molpiam & Hippo, uti à Pauſania relatum ſcio, etiam ſi ex Plutarcho alibi Miletiam ſcripſimus. Meminit quodam reſponſo etiam Apollo, quod ſic habet,

Λύκῤῥα τέ μοι σκιόεντα μέλει, καὶ ἀλίσιον οὖδας,
Καί μοι τῶ σελεδαίου μέλεϊ λυαγγέα πῦρα.

Cæterum, in hac tam fuſa de Spartanis mentione, adijciamus, quæ apud Græcos inter legendum præcerpta nobis: in regione ea principem regnaſſe Lelega indigenam, unde ſubiectis adoptata nomenclatura. Ex eo Myleta natum memorant, cuius fuerit filius Eurotas: hic ſtagnantes per regionem aquas dioryge, hoc eſt foſſa perduxit in mare, unde flumini origo & nomen. Perfuncto ſin e liberis rege, principatum excepit Lacedæmon, qui Iouis dicebatur filius, Spartam Eurotæ filiam uxorem is aſciuit ſibi. Initio regni primum quidem à ſe dici Lacedæmonios iuſſit. Mox & conditæ ciuitati uxoris indidit nomen. Sicuti ab Amycla eius filio Amyclas tradunt nuncupatas. Vbi Hyacinthi Amyclæ filij uiſebatur monumentũ, Apollinis ſubiectum ſimulacro. Spartium, uulgò ferè notum uocabulũ, licet origine omnino ignota, eſt craſſius filum quo ſuimus calceos, indicat id libro quinto Athenæus, putria calceorum ſpartia accenſens: unde & ſpartiaria rectè dicetur cæra. Verbi origo Græca: nam ſparta dicuntur funes, & licia: Spartos uerò Palæphatus ſcribit, quum proximarum eſſent regionum, aduerſus Cadmũ ſubitò conſtitiſſe, ac propter repentinos quaſi de terra contractus ex omni parte confluentes, Spartos nuncupatos. Quod Ammianus quoq́ Marcellinus probabile habet. Meminit Gellius: Ego (inquit) Sparta apud Homerum, non plus Spartum ſignificare puto, quàm Spartos, qui dicuntur in agro Thebano nati. Hippias Delius, uti Apollonij interpres ſcribit, gentis cuiuſdam nomen fuiſſe Spartos, pronuntiat. Pindarici enarratores ex Androtionis ſententia, fugiſſe ex Phœnicia Cadmum ſcribunt, μετὰ ἰκανῶν σποράδων. id eſt, cum Sporadibus multis, unde ob miſcellum & quaſi confuſaneum

fuſaneum genus dici Spartos cœpiſſe. Sporades uero ſparſi nuncupantur. Lacedæmona Cetoeſſam, id eſt κητώεσσαν nuncupant, & magnam interpretantur, uel quia cete habet grandius. Verum Cętaeſſam, ſiue κητωέσσαν, Zenodotus mauult ſcribere: ut intelligamus καλαμινθώδη. Aſtipulari uidetur & Callimachus, ubi ait,

ἵππους κητωόντας ἀπ' εὐρώτεο νομίσαι.

In Laconica uerò ſcatet herba calaminthe, quam nepetam Romani dixere, ut ſcribit Dioſcorides. Alij ab rimis ſic nuncupatam opinantur, quas terræ motuum ui contingit fieri. Eos autem Cæetos appellant. Terræ motibus uerò Lacedæmon obnoxia eſt. Fuit & ſpecu inibi carceris uice, Cæetum dicebant. Sed cauernas id genus ſunt qui Coos uocent: quo argumento feras Oreſcoas pronuntiat poeta nobilis, quod eſt in ſpecu decubantes.

Qui ſint apud Appiani interpretem aptatores. De Harmoſtis pluſcula. Plutarchi locus reſtituitur ex Alcibiade. Harmoſteres. Harmoſyni. Itemq; qui dicerentur epiſcopi. Agonij dei. Agonia. Agones. Exagonia. Angones, & phylacæ. Ciceronis ſoluitur nodus ex Epiſtolis ad Atticum. Proſcopi. Perinei. Cap. III

VErum prius quàm à Sparta digrediamur, addenda & ſcitu non indigna pleraque, explicandusq; in primis Appiani Alexandrini locus ex libro quarto Ciuilium bellorum, ubi ferè ſic legitur: Tribunus plebis Titius legem protulit Conſulatum ſub præſentium triumuirorum conſtitutione in quinquennium uacare, Antonij ſcilicet, Lepidi, & Cæſaris: qui pari modo ac conſules illum obtinerent. hos quiſpiam Græcorum Aptatores commodè diceret, quod Lacedæmonij reipublicæ ſubiecta diſponentibus impoſuere nomen. Hactenus Appiani interpres. Quos uero Aptatores dicat, quǽue foret eius magiſtratus uis, ſcio ambiguum quàm plurimis uiſum iri. Proinde harmoſtas ipſe intelligo: eos ad ſubiectas ciuitates mitti ſolitos cum magiſtratu, ſcribit Harpocratio: & ante retulit Eratoſthenes in uoluminibus De bonis malisq;. ſed meminit Demoſthenes quoq; pro Cteſiphonte. Indicat uerò liquidius in Alcibiade Plutarchus: Cum Chalcedonijs, inquit, bellare adortus eſt, quod defeciſſent, Lacedæmoniorũ præſidio ſuſcepto & harmoſte. At interpres, uerbi offenſus nubilo, dum eloquentiæ pandit uela, miras effudit nugas: etiam ſi mox, harmoſtem urbis præfectum interpretatur. Sunt qui interpretẽtur, Harmoſtas apud Spartanos præfuiſſe arcibus efficiendis & ciuitatum inſtaurationibus. Apud Corinthios autem, qui mœnium reſtitutioni præficerentur, inuenio epidemiurgos dici conſueſſe, quando ſua eſt ciuitatum ferè ſingulis magiſtratuum nomenclatura. Teleutiam harmoſten celebrat Rerum Græcarum quinto Xenophon. Cæterum, hæc ad Appiani ſenſum parum congrua uideri poſſunt: propterea amplius quærendum. Auctor uerò eſt Halicarnaſſeus Dionyſius, Corrupto ciuili ornatu in Græcorum ciuitatibus, coactos fuiſſe nonnullos in urbes iterum tyrannicas regiasq; poteſtates inducere, nominibus uelantes decentioribus: ut Theſſali archos, id eſt principes: Lacedæmonij harmoſtas: quum formidarent, reges eos & tyrannos appellare. Iis iam (opinor) mira infertur Appiano lux. ſed & Iſocrates in Panegyrico id ipſum planè confirmat, ubi ſic ſcriptum inuenio, ποσῦχοι δ' ἀπέχουσι τῆ ἐλευθερίας, καὶ τῆ αὐτονομίας, ὥς τε ἅπαν τὸν τυράννοις εἶσι, τὰς δὲ ἁρμοστὰς κατέχουσιν, ᾗσιν δὲ ἀνάστατοι γεγόνασι. hoc eſt, tantum uerò abſunt, ut fruantur libertate, ſuiſq; uiuant legibus, ut hæ quidem à tyrannis ſint oppreſſæ, alias harmoſtæ occuparint, aliæ uerò ſolo ſint adæquatæ. Harmoſtas Spartanorum fuiſſe numero uiginti, alicubi legiſſe uideor. Harmoſteres autem lapides dicuntur in eodem liminis loco commodè coaptati. Harmoſyni uerò Spartæ compeſcendis mulieribus fuere magiſtratus, quo ornatius agerent. Harma uerò currum Græci dicunt, à quo diuerſa uiſatur harmamaxa. Nam primo ἀναβάσεως Xenophon, in harmate ſediſſe Cyrum, ſcribit: in harmamaxa uerò Epyaxam Syenneſis Cilicum regis uxorem. Porrò in ſcholiographis Græcis ita lego: Quos ad ſibi ſubditas obnoxiasq; ciuitates mitterent Athenienſes ſpectatum, quid in quaq; fieret, epiſcopos fuiſſe uocatos ac phylacas. Hoc uero eo appoſui libentius, ut nodus explicaretur M. Tullij ex ſeptimo Epiſtolarum ad Atticum: Vult (inquit) me Pompeius eſſe, quem tota Campania

& maritima ora habeat episcopũ, ad quẽ delectus & negotij summa referatur. Extat & Leonidæ epigramma in Mercurium, ubi eum episcopum nuncupat ad hunc modum,

Τᾶν ἀιγῶν ὀνομεὺς Μόσιχ' τὸν ἐπίσκοπον ἑρμᾶν
ἔστασ' ἀμπολίων ὐδάκιμον φύλακα.

Scipionem item Aphricanum à senatu missum esse episcopum gentium regumq́, Plutarchus scribit. Episcopum & scopon, pro eodem ferè accipit Eustathius præpositione redundante, sicuti in uerbo ὠνοβούκολος, & plerisq́ alijs: Verum, inquit, uidendum amplius, episcopum'ne & scopon etiam ὀπτῆρα dicere liceat: quod uocabulum apud Sophoclem positum scimus. Certè apud Pindarum in Nemeis, dici Acastum obseruauimus Magnetum σκοπόν, ideſt episcopum ac regem, accedente interpretum calculo, Ξωιεῶα μαγνήτων σκοπὸν πείσαισ' ἀκοίταν.

Episcopos dici uelut ὠσκοποῦντας, id est superintendentes, aduigilantesq́, ut necessaria nõ desint, auctor est Hieronymus: id quod significantius indicat Græcis ὠσκοπεῖν, quàm Latinis inspicere. Arcadius Iureconsultus episcopũ intelligit pani, & cæteris uenalibus præfectum, quæ ad quotidianum spectent uictum. Certaminum præsides inuenio appellatos nunc ephoros & epoptas, nunc etiam episcopos. nam Agonios deos legisse apud Platonem uidemur. Agonia tamen est Græcis ἀπεκνία καὶ ἀγεννησία, id est liberorum & generandi exsors facultas. Vnde apud Aelianum, Διεφθάρθω ἡ νοσσιὰ, καὶ ἐμοὶ ἀγονία καὶ μή ποτε καὶ γυναικῶν καὶ ἀγέλης ἐπιβαλοῦ. Cæterum, & in sanctis quandoque literis obseruasse uidemur ἀγόνους χοὰς, pro ijs quæ uita functis proliban tur: quorum esse sterilitas agnoscitur propria. Nam & γῆς ἀγονία dicitur nonnunquam in ueteribus libris, quàm sæpe numinis incusserit indignatio. Quod si cubi ἀγώνια scriptum inuenias, tunc quæ ad ludos & certamina spectant significantur planè: quoniam & epitaphij leguntur Agones. Sed Angones, tela sunt gentium plerisque peculiaria. Agon item locum indicat, sicuti in eo, καλὸν δ' ὄρχησιν ἀγῶνα, & ἀγεσθαι δὲ ἐν ἀγῶνι καθήμενοι: sed & multitudinem, ut λῦτο δ' ἀγών, ac aceruum uel congregationem: unde legimus, μετ' ἀγῶνα νεῶν. Exagonia dicũtur à Luciano, quę ad causam non pertinent, uelut extra certamen. Agonem interpretantur etymologici, ἀπὸ τοῦ μὴ γωνίαν ἔχειν, quia careat angulis, & sit orbicularis figuræ. Alij, ab ἀγύω inflectunt, quod indicat congrego. Hesiodus,

ὄρχαμον δ' αὖ ἀγῶνα θεὸν ὡς ἱλάσκονται

Deniq́, ut institutum repetam paucis: Episcopi Dianæ, templum legimus fuisse in Elide, quod Aristarchium diceretur. Id quũ expilasset Sambicus cruciabiliter per annum in quæstionibus habitus interijt. nata inde parœmia, Sambico grauiora pati. Proscopi uerò, id est πρόσκωποι, remigantes dicuntur nautæ apud Thucydidem: sicuti perineos uocat redundantes, extraq́ remigij munus: uel seruos quoq́. Episcopa denique intelligimus, quæ scopum assequuntur, cõtinguntq́. Vnde apud Herodotum historia tertia, ἐπίσκοπα τοξεύειν, quod est, sagitta umbilicum ferire.

Laconici breuiloquij commendatio. Item de orationis breuitate excepta ex Phalereo pleraq́. Argiuorum in dicendo breuitas. Ionum nimia longitudo. De clauibus, & Laconico ferro. Cap. IIII

DE Laconum breuiloquio carptim ex Platone facta nobis paulo antè mentio est. Nunc illud amplius, quod uaria scrutando excerpsimus: ac primum quidem succurrit, ueteribus id fuisse in Græcia percelebre, facilius multò esse philosophari, quàm Laconum sermonem imitari. Suppetit historia ad id non iniucunda. Disceptantibus Lacedæmonijs cum Argiuis de finibus, uerbosiorem paulo epistolam illi Spartam misere, minitantes, plurima se illis detrimenta illaturos, ni cederent. Lacedæmonij, ut quibus nil ferè prolixa oratione foret odiosius, porrò & illorum uanitatem non pili facerent, nil ferè aliud scribendum censuerunt, quàm uerbum unum, ἄκα. id uerò nostro sermone signat, si: ueluti insinuarent, Si eualuerit is, ista exsequemini, quæ nunc timidius promittitis. Proditum & id memoria est: interrogatum Charilaum, cur paucas admodum leges sanxisset Lycurgus, respondisse, ὅτι ὀλίγα λέγουσιν, ὀλίγων καὶ νόμων δεῖ χρέα. pauca dicentibus, legum item paucitas sufficit. Suggeritur deniq́ ad hæc quod scribit Plato in Alcibiade secundo, de Spartanorum

norum hominũ prudenti oratione. Nam oſtenſurus, in uoto non hoc uel illud bonum eſſe petendum, niſi quis prudentiam fuerit conſequutus: ſed ſimpliciter bonum, à deo quandoq; ita redditam ſortem tradit. Hæc dicit Ammon, Placere ſibi magis Lacedæmoniorum benedictionem, quàm reliquorũ cuncta Græcorum ſacra. Benedictionem uerò, inquit Plato, nullam prorſus aliam deus mihi dixiſſe uidetur, quàm illorum orationem, permultum enim illa à cæteris differt. Demetrius quoq; Phalereus περὶ φράσεως, colon breuius ac paucis multa comprehendens, grauius putat ac uehementius: proinde, inquit, Lacones βραχύλογοι in primis, hoc eſt breuitatis ſtudioſi. Imperijs quoq; conciſa adductaq; oratio præcipuè congruit. Et quilibet dominus ſeruo monoſyllabus eſt. Productior uero orationis tractus, ſupplicantium legentiumq; proprius. Sed & ſenes, inſita imbecillitate, μακρόλογοι, id eſt impendio ſunt loquaciores. Breuitatis Laconicæ ex epiſtolio illud profertur exemplum: Lacedæmonij Philippo, Dionyſius Corinthi. Certè habet breuitas apophthegmaticum in primis & gnomologicum, & id ſapientius, quòd in arcto multorum ſemina continet: ſicuti grano quantulocunq; integræ arboris uis ineſt. Hinc & Stoicorum breuia & acuta, tertio De finibus à Cicerone laudantur. Cæterum ſcire conuenit, eiuſdem breuitatis fuiſſe Argiuos ſtudioſos. proinde in Pindari Iſthmijs, ἀργείῳ τρόπῳ, id eſt Argiuum modum, pro breui poſitum, animaduertimus. Contra, Ionas legimus μακρολόγους, quod longiore uterentur uerborum ambitu. Obſeruatũ item nobis, Laconicas claues ueteribus habitas ex noui tate præſtantes. Sed & Laconica celebrantur calciamenta, & ſaltationis ſpecies quædam. Quinetiam flagella, inueni & Laconicũ dici ferrum. Qua in parte ſciendum amplius, ex temperaturis metalli eius aliam uocari Chalybdicã, aliam Sinopicã, quandam etiã Lydiam. Sed ex ijs Laconica, Sinopica, Chalybdica ſtructuris congruebat præcipue. Verũ Laconica etiã limis terebriſq;, itẽ characteribus ac lithurgicis. Lydia quoq; limas emittebat præſtantes, uerum etiã gladios & nouaculas quæ xyria dicunt, & xyſteras. Hæc Daimachus in commentarijs quæ inſcribuntur Poliorcetica.

In quibus fœde ſugillarentur Spartani. Dijronoxeni qui. Item xeni. Epixenum. Theoxenia. Xeniſmus. Hoſpitum expulſio è Sparta, Roma, et è ciuitate Platonica. Scias, quid. Agnites. Iuno AEgophagos. Capræ immolatio. Xeniam capere, quid. Quæ apud Spartanos comperiantur ſcitu digna. Ferri fundendi ratio à quo excogitata primum. Cap. v

Sed nunquid integris ita illibatiſq; fuere moribus, & amuſitata probitate, ut flagitio prorſum nulli aut labeculæ inuenuſtiori ſuperfuerit locus? Minimè uerò: nam diuinũ eſt, quod labe caret. Lacedæmonios fuiſſe ſordidos, præparcoſq;, ac ſmicrologos, quo nomine ſignificatur is, qui parua & precij propenullius, nimio plus magnifacit, & admiratur: quum multa coarguunt, tum uel oraculum egregie comprobat: cuius in Bœotijs rebus meminit Pauſanias quoq;,

ἀ φιλοχρηματία ἀπάρταν ἐλᾷ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

quod eſt, Pecuniæ ſtudium ad interitum Spartam ducet, aliud uerò nihil. Inuritur & Spartanis crimen aliud: nam, ut auctor Theopompus eſt, inceſſitur à celeberrimis auctoribus Laconum ξενηλασία, quod uerbum ſignat hoſpitum expulſionem. Siquidem non tempore omni peregrinis licebat Spartam adire, ſed præſtitutis diebus. Quod ab Lycurgo ſancitum auctor eſt Thucydides, ne æmuli politiæ modi eius fierent, ac inde perdiſcerent, quo in uirtute proficerent. Quanquam malint hinc enatum morem alij, ne rubiginis affricarent quippiam: ſiquidem corpora peregrina, & peregrina cõſectatur oratio: noua autem oratio κίνησις καινὰς ὠφέλει, unde affectiones inoriri multas, neceſſum fere. Peculiarem barbaris omnibus, auctor Eratoſthenes eſt, hoſpitum eſſe exactionem, quo nomine propter Buſirim infamantur Aegyptij quoq;. etiam ſi ea nomenclatura nullus unquam fuerit uel rex uel tyrannus. Illud planè mirum, à Platone quoq; hoſpitum probari expulſionem. Cæterum, fœdant eos tamen comici appellatione dedecoroſa quandoq;: nam Dijronoxenos nuncupãt, id eſt per ſimulationes & ironiam fallentes hoſpitem. quanquam ſcribit Herodotus, à Laconibus xenos peculiarius barbaros intelligi. Eodem nomine tamen & miſthophori intelliguntur, id eſt mercede ſtipendia facientes, unde ijs præfectos dicebant xenagos. Epixenum uerò

id est ἐπιξῳῶν, nil cum xenis cõmercij habet. Est enim eo nomine stipes, super quem carnes concidere consueuerunt coqui: unde exit Aristophanium illud,

ὥσπερ ὑπ' ξύλου θελέσω τῷ κεφαλὴν ἔχων λέγειν.

quo significatur, Si uera non dixero, abscindatur caput mihi. Theoxenia autem, id est θεοξένια, fuit apud Pellenen agon Apollinis honori, quem Theoxenion nuncupant. Certabant in eo uiri indigenæ, argenti positis præmijs. Xenismon uerò sacrũ dicunt, quod Dioscuris fieret. Quod ad hospitum attinet expulsionẽ, Romę id quandoq; factitatum, auctor est Ammianus Marcellinus, etiã si codicibus præcipuè interpellatis. Postremo (inquit) ad id uentum indignitatis est, quum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorũ inopiam pellerentur ab urbe præcipites, & auctoribus liberalium disciplinarum impendio paucis sine respiratione ulla extrusis, tenerẽtur mimarum asseclæ ueri, quiq; id simularant ad tempus. Et tria milia saltatricum ne interpellata quidem cum choris, totidemq; remanerent magistris. Et mox: Quum esset, inquit, aliquando uirtutum omnium domicilium Roma, ingenuos aduenas plericq; nobilium, ut Homericarum baccarum suauitate lotophagi, humanitatis multiformibus cõmodis retentabant. At nunc inanes quorundam flatus uile esse, quicquid extra Vrbis pomœrium nascitur, æstimant, præter orbos & cælibes. Quin & legum octauo, ex Spartana forsan imitatione Plato sancit, ne post annos uiginti quàm in urbem cõmigrarint, liceat permanere. Liberos item eorundem ab anno uigesimo pellit, numeri uerò eius initium facit, annum ætatis quintumdecimum. Xeniam capere, apud Plutarchum est, locum in quem diuertas à magistratibus impetrare, ubi diuersoria minus suppetant. Xenones pro xenodochijs capimus, Codice De sacrosanctis ecclesijs: qua in parte nominantur, sed corruptè, gerontocomia, brephotrophia, ptochotrophia. Duos tãtum, ut aliqui uolunt, ex omnibus hominibus dicuntur Spartani ciuitate donasse, hoc est λεωσφετέρους fecisse, Tisamenum uatem ac Hegiam eiusdem fratrem. Spartanos item primos donis hostem corrumpere adortos in bello contra Messenios, Pausaniæ credimus: ac Martiam uirtutem uænalem facere, Aristocrate Arcadum rege muneribus delinito. Præterea, Lacones ut infidos descripsit & Euripides in Andromacha,

Σπάρτης γὰρ οἰκοῦσι δόλια βουλεύτηρια.

id est, Spartæ inhabitatores, dolosus senatus. Et Aristophanes,

οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὐθ' ὅρκος μένει.

hoc est, Quibus nec ara, nec fides, nec iusiurandum manet. Quod ad peregrinos attinet, exciderat penè, quod reticendum non est. Pausanias Cleombroti scitante quodam, quid ita Tyrtæum ciuitate donassent, Ne (inquit) nobis unquã peregrinus fuisse dux uideatur. In Spartano agro Iouis templum fuisse, Pausanias scribit, qui diceretur σκοτίτας: puto, de regionis nomine, ita ex arborum densitate appellationem indeptę: quercubus enim frequentissima est. Innuit tamen auctor idem, τὸ σκότος id est tenebras non factas arborum densitate, sed Iouem sic fuisse cognominatũ. Fuit locus item Spartæ, qui diceretur Chorus, in quo gymnopædiæ fiebant, & Apollini choros ephebi ducebant. In propinquo ostendebatur γῆς ἴφος, id est terræ sacellum, & Agoræi Iouis: quando & pallas cognominabatur ἀγοραία. Erat in Lacedæmone item μοιρῶν, id est Parcarum sacellum. Visebantur & quæ ἀρχαῖα uocantur ἐφόρεια, in quibus Epimenidæ Cretensis monumẽtum. Exeuntibus autem ex foro occurrebat, quam dicunt σκιάδα, ubi & conciones habere, ueteris fuit moris. creditur Theodori opus Samij, quem omnium primum ferri fundendi excogitasse rationem, proditum memoriæ est, ac inde statuas conflasse. At per Chalybes, inquit Ammianus Marcellinus, erutum ac domitum primitus ferrum est. Dactylos Idæos ferrum primo excudere adortos, scribit Bibliotheces decimoseptimo Diodorus, ab deorum matre artem edoctos eiusmodi. Pendebat inibi & Milesij Timothei cithara: quem improbasse Lecedæmonij seruntur, quòd septem ueteribus chordis quatuor adiecisset, ut Pausanias scribit. Signat uero Scias, id est σκιάς, arbustum, quandoq; & tectam scenam. Quin etiam testudinatum σκιάδιον legimus, in quo sedisset Dionysius. Robustiores item rami uocantur sciadæ: & corporis umbra, unde concipiuntur horæ. Quum uerò in Spartana historia Agnitam legimus, Aesculapij cognomẽtum accipere debemus; simulacrum cuius, ex

agno

agno, quæ planta eſt, foret exciſum conformatumq́. In eadem nominatur etiam Iuno ἀιγοφάγος, apud Lacedæmonios tantum id adepta cognomentum, quando & deæ capras immolant. Sacellum ab Hercule primo erectam ferunt, qui & princeps capras immolarit: quoniam pugnanti aduerſus Hippocoon tem ac liberos, nullum à Iunone ſe ingeſſiſſet impedimentum, ſicut ferè aſſueuerat. Ad rem uerò diuinã adhibitas potiſſimum capras, quòd aliarum uictimarum haud ſuppeteret facultas: ſicuti cõprobat in Laconicis rebus Pauſanias. Quum uero meritas de Hippocoonte pœnas exegiſſet, Pallados quoq́ ſacellum conſtituit ἀξιοποίνου. Verum, in eo quod de capra ſcribit auctor hic, uehementer aduertenda poetæ Ouidij ſententia ex quadam elegia, ubi animalium quæ ducerentur, pompam deſcribit in Iunonis feſto,

Duxq́ gregis cornu per tempora dura recuruo,
Inuiſa eſt dominæ ſola capella deæ:
Illius indicio ſyluis inuenta ſub altis
Dicitur incœptam detinuiſſe fugam:
Nunc quoq́ per pueros iaculis inceſſitur index,
Et pretium auctori uulneris ipſa datur.

Triplici ſemita incedere, qui fabulas allegoricè interpretentur. Quo pacto intelligenda deorum certamina. Itẽ nomina tum maſculina tum fœminina. Dioſcuri qui, & Pſoæ quid, ac Stachys, necnon Aegides. De Mercurio nonnihil. Argas. Argus quid ſint. Saturni ratio, & Idearum, & Tantali. Cap. VI

VVm Heſiodi interpretamenta quępiam, alioqui Græcarum antiquitatum etiam ſtitor, ac inexplebile (ut ſic dicam) dolium, accuratius attentiusq́ uolutarem, præcerpturus indidem, quod haſce lectiunculas noſtras adiutum iret, incidi fortè in quaſdam allegoricas enarratiões, quod alibi monuimus: non uſquequaque reijciendas, etiam ſi perſæpe leuicula neſcio quæ, ac extriuio prorſum ſeſe ingerunt, nihilominus libellum deflorauimus, ac quocunq́ genio noſtris commentatiunculis adglutinauimus: ut quamuis inſititia, haud ſecius unà cum alijs coaleſcentia eant in corpus. Alibi alia pro re nata attexentur, nunc illud adnotabimus. Fabularum allegorias tribus metimur modis: aut enim phyſicè interpretamur, aut ethicè, aut theologicè. ac phyſicam quidem allegoriam intelligimus, ubi ad naturam fabulamenta reflectimus. Sicuti quum deos compugnantes Homerus effingit, elementorũ nobis diſſidentem innuit naturam. Nam Neptunus diuerſum Phœbo in acie locum tuetur. Id uero ambagibus tacitis caliditatem ſiccitatemq́ humoris & frigoris potentiæ obniti colluctariq́ ſignificat. Et in totius diuiſione, Ioui ignea obtigit ſubſtantia, Neptuno aquea, Plutoni aerea: hæc enim portio eſt, quam Homerus ζόφου dicit νόφος, id eſt caliginem obſcuram: quoniam intimo priuatur lumine, uerum ſolis, lunæ, ac ſyderum niteſcit ſplendore. Terra in meditullio relicta eſt compaſcua, ut ſic dicam, ſed & olympum adiecit poeta: ſiue eo nomine intelligatur mons, ut terræ portionem, ſiue cœleſtis claritas puritasq́, ceu & elementis connumeretur quinta ea eſſentia. quod philoſophorum magni nominis pleriq́ ſtatuerunt. Proinde congruenter admodum duo hæc communia dicuntur: terra quidem nutu ſuo grauis & ponderoſa, ob idq́ infima: ſuperne autem cœlum ex leuitate genuina, ſi tamen leue id dici conuenit. Interſitæ uerò naturæ nunc quidem ſurſum protolluntur, nunc in ima deijciuntur. Elementorum autem proprietates inuicem alioqui compugnantes, ob ſiccitatem humectatio nemq́, rurſum ex calore ac frigore, ſi coalitu tamen conſono moderatoq́ & analogico coeant, progignunt uniuerſa. Si diſſideant, per partes diſſoluuntur pleraq́, uniuerſitate ipſa perſeuerante. Propterea conſtare omnia Empedocles amicabili fœdere canit, quandoq́ uerò ſingula ferri νείκεος ἄχθεα, id eſt litis pondere. Sed & Martis Veneriſq́ appoſitiſſime concinnata fabella idipſum indicat. Siquidem id pollet Venus, quod apud Empedoclem φιλία, id eſt amicitia. Mars uerò eſt νεῖκος, proinde coeunt quandoq́, interdum abeunt diuerſi diſſultantq́. Deprehendit autem eos ſol: alligat Vulcanus, λύσε δὲ ποσσὶν ὦκα, emittit Neptunus, quibus præmonſtratur doctioribus, calente ſiccaq́ poteſtate, ac diuerſis potentijs, humectis frigidisq́, nunc quidem conſpirare cuncta ac coaleſcere, nunc rurſum diſcapedinari ac relui. Significat coortum hunc ac

conſpiratum analogicum harmonia, quam poſt Homerum poetæ multi ex Marte ac Venere progenitã fabulantur. Compari quoq; ratione Dioſcuri, id eſt Caſtor & Pollux ad duo referuntur hemiſpheria, præcipueq; ad tropicos duos, quod Parabates Iulianus ſcribit. Quanquam nec latet in medicinæ commentarijs apud Græcos, parotidas quaſdam dici dioſcuros. Sicut in eiſdem nominatur ſtachys, adiacens pſois pars. Sunt uerò pſoæ lumbi. Nam ouis aut ſuis ſtachyn pronuntiari quandoq; inaudias. Eadem quoq; ratione Iouis Aegida interpretamur, & Pallados, quando eo nomine procellas affectionesq; in ſublimi contingentes intelligimus, quæ catægides nuncupantur, & ægides, ſed & æges. Siquidem Iupiter ſit aer, ubi id genus formidoloſa concipi ſolent. Ad quem Pallada item referunt eruditiores. Illud ſciendum obiter: Aegida dici ab Aelio Dionyſio & Pauſania rete ex coronis contextum. Quem uerò uſum habeat genus hoc, non explicant apertius: probabile tamen ſit, laneas ab eis coronas intelligi. Moralis uerò allegoria eſt, quũ ſit ad mores relatio, ut ſi Pallada dicamus cum Marte diſſidia agitare, nimirum rationis impotem animæ partem aduerſus rationalem potentiam attollentem caput intelligamus: quodq; bonum eſt, obluctari malo. Vbi uerò Latonæ aduerſatur Mercurius, ratio ſignificatur, quæ rimatur aſſidue, reconditq; in memoriæ theſauris, cui ex diametro contraria λήθη eſt, quam obliuionem interpretamur. Sic & Panoptem Argum omnia uidentem, intelligimus ſolertem quendam perſpicacemq;, ac (ut inquit Euſtathius) πολυπράγμονα, qui omnibus intereſſe ſatagat, & quantũ fieri poteſt, uniuerſa oculis ſubijcere, ut nil prorſum lateat, ſpectetq;, ut inquit Homerus, τὰ ὄπιθεν καὶ ἔμπροσθεν. Sic & manibus actuoſum, multaq; obeuntem ſubinde, centimanum dicimus. Alium magna terrarum ſpatia citra fatigationẽ pedibus tranſmittentem æneo crure perinſignem comminiſcimur. Auditioni præcipue intentum, aſini aures habere dictitamus. Sciendum tamen, ab Sophoclis interprete, Argum accipi pro cane, qui fuerit panoptes. Illud uerò hic adijciamus obiter quodammodo Mercurium nuntijs præſidem, ex quo Angeliam finxit eiuſdem filiam Pindarus, dici Argiphontem, ut in Pauſaniæ lexico adnotatũ obſeruauimus, quia ophioctonos fuerit, id eſt ſerpentis necator, quem (inquit) uocant aliqui ἄργλω, id eſt Argen. Verum, qua ratione ſerpentem confecerit Mercurius, hoc uerò dicere ſuperſedit. Illud ſcimus, Argan fuiſſe cognominatum Demoſthenem De morum feritate ac natura immiti. Alias qui præter annorum rationem ſapit, Argas item dicitur. Mercurium triceph alum appellarunt, quia phyſicum amplectatur & ethicum ac logicon: uel quoniam cæleſtis ſit ac marinus & terreſtris. Apud Bœotios Mercurius colitur λάφυρος, id eſt albus. Genitum ex Mercurio Hermaphroditum fingunt ob planetæ naturam quaſi mediam, quippe creduntur fœmineæ qualitatis Venus ac luna ex humoris abundantia, cui dominantur. Nam humecta uis in gignendi poteſtate materiam ſuggerit. Soli uis contribuitur maſculina caloris potentia, quem excitat, cui inſitum ſit humidum excalfaciendo formam inducere, ac excalfactum animare. Sed redeo, unde ſum in hæc digreſſus. Theologica uero allegoriarum ratio ea ferè traditur, quum dicimus nomina deorum maſculina ſignificare in diuinis actum efficientẽ, fœminina autem potentiam capientem. Præterea quòd cælum ſuo motu tẽpus producat, abſumens perpetuo quæ gignat, imago quædam eſt, referens deum Cælum & Rheam atq; Saturnum filios deuorantem: in quibus Cælus eſſentiam præfert diuinam, Rhea eiuſdem uitam ſignificante, Saturno uerò eiuſdem mentem. Nam Saturni filios ideas rerum ſcienter interpretamur, intelligentia diuina intus genitas, quæ ſicuti producuntur à mente, ita & in eandem reuocãtur, illas in ſe quodammodo abſorbentem. Item quum ζῆνα eſſe deum coniectamus, ueluti ζωῆς χορηγόν, id eſt uitæ ducem datorémue, Δία uerò, ut per omnia ſeſe porrigentem, δι' ὃν πάντων φοιτῶντα: quod etiam approbat Pſellus. In cuius monumentis proditur illud quoque: Tantalum, ignem ſignare æthereum, πάππαν δὲ ὅλων τὸν σφαιρῶν, quia per ſphæras porrigatur omnes, inuehaturq; aere, ut lemor multo. Petram uerò ſphæram accipit, quæ ἀπλανὴς dicitur, id eſt erroris neſcia. Linguam deniq; intemperantem ad id refert, quòd elementum hoc πάφλαζεν καὶ σωὶ χεῖ, id eſt ebullit, conſonatq;. Tantalum poſtremo in Oeconomicis ſcribit Xenophon, apud inferos perpetuo agere compauidum, ne bis cogatur mori. Aſtrui & illud non inepte

ineptè poteſt: Tantalos eſſe, ac cenſeri nos omnes: quippe ſitimus quidem bona omnes uera, ſed omnes inſomnia bibimus. dum uerò Lethæas aquas ingurgitamus ampliter: interim umbratilem quandam nectaris, & ambroſiæ ſtillam ſummis præguſtamus labijs: unde, qua exurimur, Tantali anhela inoritur ſitis.

Quid fabula: & fabularum genera. Cur dicantur Aeſopeæ fabulæ. Quintilianus illuſtratur. De epimythio & promythio. Fabulus quid, & fabiolus. Fabularum in oratione utilitas. Inſuper cur fingatur Thamyris à muſis excæcatus. Thamus. Theut. Mileſiorum figmenta. Suis teſtamentum. VII.

VIa uerò ad fabulas recidimus, quas nec ipſas omnino eliminat philoſophia, adijciamus porrò ex Aphthonio paucula, qui adhortationis ad bonã frugem gratia, narrationem eiuſmodi admitti ab oratore item, non abnuit. Fabulam ergo finit orationem eminentem quidem, ſed quæ εἰκονίζοι τὴν ἀλήθειαν, id eſt imaginem præferat ueritatis. Nomenclaturam quoq; eſſe diuerſam prodit ex inuentorum ratione, aliam nanque Sybariticam dici, Ciliſſam aliam, aut Cypriam. Aeſopeiam tamen præualuiſſe appellationem, quòd optime omnium Aeſopus fabellas ſcriptitarit. Quod innuere, quanquam obſcurius, Oratoriarum inſtitutionũ quinto Fabius animaduertitur, quum ait, Illæ quoq; fabulæ, quæ etiam ſi ab Aeſopo originem non acceperunt (nam uidetur primus earũ auctor Heſiodus) nomine tamen Aeſopi maxime celebrantur, ducere animos ſolent. Fabularum uerò genus unum dicitur λογικόν, id eſt rationale: aliud ἠθικόν, id eſt morale: tertium denicq; mixtum. Et logicum intelligitur quidem, ubi agere hominem quippiam comminiſcimur: in ethico, brutorum exprimimus mores: quod ex utroq; confuſaneum eſt, mixti nomen indipiſcitur. Attexi autem apologis hoc genus plerunq; documentum aſſolet, quo figmenti uenuſtioris reuelatur utilitas: id ἐπιμύθιον Græci nuncupant, affabulatio dici Latinè ualet: quòd ſi prætexatur, προμύθιον appellabitur rectius. Fabulus obiter ad fabulas pertinet nihil. Eſt autem Catoni fabulus albus, ſicuti eruditioribus placere animaduerto, candida faba. atq; ita reponendum apud Columellam in boum cura, Quando & papauer album ab Romanis fabiolum uocari, ſcribit Dioſcorides. Fabilam dici Latinè zeam, coniectat Dionyſius. Sunt qui apud Columellam legant bulbulis, uel etiam ualuolis, id eſt leguminum folliculis, fabæq; in primis: ſic etiam dictis, quia uallo excutiantur. Illud uerò amplius adnotandum, quod περὶ γοργότητος tomo ſecundo ſcribit Hermogenes, Fabellas præcipuè uoluptatem prædulcem orationi inſpergere, ut in Platonis Sympoſio, quando nata eſt Venus, parato conuiuio diſcubuerunt dij quidem cæteri, & Metidis, id eſt conſilij filius Porus, id eſt affluentiæ deus. Rurſus quod de cicadis ex eiuſdem Phædro eſt: ſed & apud Demoſthenem in Oratione contra Ariſtocratem. Porrò ſecundum dulcedinis gradum habere ſcribit idem Hermogenes, narrationes quæ ad fabulas quàm proximè accedant, uti ſunt quæ de Troiano bello commemorantur. Tertio autem loco ſtatuuntur, quæ in fabularum participatum raro admodum ueniunt, cuiuſmodi ſunt Herodoti omnia. Pauca enim inſunt fabuloſa, ut quæ de Pane dicuntur, & Iaccho, & alia non ſanè multa, proinde ineſt ijs dulcedinis minus. Quoniam uerò de fabulis mentio nobis plurima eſt, in quibus maxime uerſantur poetæ, ſæpius ueritatem inuoluentes, corollarium adijciemus illud: ex Homero credi manaſſe primum, uti apud Dorion Peloponneſi Muſarum indignatione dicatur Thamyris excæcatus: Ego, inquit Pauſanias, morbo illi corruptos eſſe oculos, contenderim. Quod ipſum poſterius Homero quoq; uſu ueniſſe compertum eſt. Memoratur & illud, Balyram fluentum inde appellationem contraxiſſe, quòd in calamitate illuc lyram abiecerit Thamyris, qui Philamonis fuerit filius, & nymphæ Argiopes, quæ ad Parnaſum incoluerit: ſed ubi utero ſe geſtare animaduertit, in Odryſas commigrarit, quòd illam in domum non admitteret Philamon. Hinc factum, ut Thamyrin nunc Odryſen uocent, nunc Thraca. Thamum uerò Hieronymus in Ezechielem ſcribit, Hebræorum ac Syrorum idiomate, Adonidem indicare. Quin eiſdem Iulium quoq; ſignari menſe, quo amaſius is fato conceſſerit. Mileſiorum porrò figmenta in ſcholis ab cirratorum turba decantari conſueſſe, auctor in Ruffinum Hieronymus eſt. Sed & à Sue cõditum teſtamentum cachinno, inquit, Beſſorum membra concutit.

Eſſe

Esse inter homines quosdam uelut natura principes, atq; item seruos. Delphicus gladius. Qui sint angari. Astandæ. Veredarij ducis Mediolani. Pegasarij. Stathmi. Postæ. Stathmia. Phryctoria. Item de agarico, & angonibus. Item qui opiones, & tessenarij. Opion quid, & meconium. Agonice. Herculei agones. Agari Scythæ. Cereales. Anabasii. Parangariæ. Paraueredi. Veredum. Cap. VIII

ARistotelis summi philosophi ex Politicorum primo, egregia sententia est, Esse inter homines ἄρχον μὲν τῇ φύσει, καὶ ἀρχόμενον δι᾽ τὴν σωτηρίαν. hoc est, imperans quidem natura & parens, propter conseruationem. Nam qui mente prospicere rem potest, natura imperare uidetur ac dominari. Qui uerò corpore ita affectus est, ut exsequi ista possit, nil ipse admodum dispiciens, ἀρχόμενον, καὶ φύσει δοῦλον. quod est, paret natura, atque seruit. Nihil enim natura facit tale, qualem chalcotypi, id est ærarij fabri, Delphicum gladium diuersis usibus accommodum ex inopia. Hosce uerò homines ita seruituti mancipatos publicæ in primis, angaros recte dici animaduerto: manet id uerbum hodiéque: & angarias in re militari apud Vegetium uidemur legisse. Sed et Iureconsultus Arcadius Digestis De uacationibus, Angariarum (inquit) prohibitio, personale munus est. Apud Vlpianum uerbum quoq; reperitur angariari, Digestis De priuilegijs ueteranorum. Meminit Nigidius item, ut est à Gellio adnotatum. Hinc, opinor, nostrates item unius adiectione elementi, tangaros formasse: quo nomine signant rusticiores istos ferina quadam mente, & nimio plus ab humaniore usu ac urbaniore sequestratos. Angarias legimus primo Codicis De sacrosanctis ecclesiis, & parangarias: has uerò interpres accipit, in quibus uertitur personarum opera, & rerum impendia. Legitur & uerbū idem paulo pòst De episcopis & clericis: Exactiones (inquit) angarias uel parangarias, ecclesiasticis personis non imponant. Angaros tamen inuenio nuncupatos regum nuntios in Perside: nam & illarum gentium esse uocabulum Herodoto uidetur. Sicuti Astandæ ferè notionis eiusdem, hoc est grammatophori, siue tabellarij, qui certis itinerum spatijs permutarentur. Darium Persarum regem fuisse quandoq; regis astandam, Plutarchus scribit in libro De Alexandri fortuna: quo argumẽto illius, inquit, coarguitur seruilis ignobilitas. AEschylus in Agamemnone,

φρυκτὸς δὲ φρυκτῷ λόγῳ ἀπ᾽ ἀγγαλειοῦ πυρὸς ἔπεμπε.

Quibus signa facibus data, & per successionem quandam significat, quum angarum ignem dicit. Iis uerò nuntijs nihil pernicius transcurrere in rebus humanis, Herodotus opinatur. Meminit & Xenophon libro Pædiæ octauo, Velocius ire credebantur nuntij huiusmodi, quàm sit gruum uolatus. Cyrus uidetur horum auctor primus. Memorabile est, quod ad hanc sententiam Cleomedes scribit in libro De contemplatione orbium cælestium, Persarum regem, quum arma Græciæ intulisset, ita disposuisse homines à Susis per stationes Athenas usque, ut quæ à se in Græcia gererentur, significari Persis, uoce per stationarios excepta, possent. Eam uerò uocem, proditum historiæ est, huiusmodi exceptione progressam, quadraginta octo horis à Græcia in Persas peruenisse. Non omittendum, Mediolani principem, ueredarios item habuisse in Italia, qui dispositi per modica interualla celeritate inenarrabili alius ad alium literas perferebant. Pegasarios item nuncupant cursores, qui certis itinerum spatijs diuertūt. Stathmos dicunt mãsiones id genus: uulgus simplex etiam postas: catalyses Græci quoq; De stathmo Herodotus historiarū quinto. Sunt qui itineris mensum diurni stathmum interpretẽtur. Sudas, militare diuersorium. Stathma uerò, seu stathmia, quæ libræ lancibus inijciuntur. Hemerodromum, id est cursorem, Philippidem celebrat historia sexta Herodotus: etiam si ab diurni cursus ratione, sol Græcis dicitur hemerodromus. Hemerodromos dici speculatores putat Liuius, quia ingens die unò metirentur spatium. Obiter uerò illud legentes cõmonuerim, Phryctoria dici in libro De mundo, ab Aristotele (si modo ex illius officina prodijt liber hic, id quod doctorum aliquot inficiantur planè) speculas quasdam prominentiores: ex quibus ostentatæ faces è longinquo præsignificarent, quid in quaque regione factum esset noui: adeo ut in die una, quid in tota Asia fieret, rex facile perciperet. Phryctos uerò id genus faces uocitant, in quibus sunt

sunt & obeliscolychni nuncupati. Phytoria uerò Græci seminaria dicunt, seu plantaria, unde mox transferuntur plantæ, πφοτπλύμενα; ut Bithyni dicunt. In Plutarchi monumentis relatum inuenimus, opionas & tessenarios dici eos, qui nuntiorũ ac speculatorum fungantur munijs: nimirum exemplarium sit. At opion, succus est lacteus è scapo papauerum syluestrium inciso manans, qua ratione rhœadis sunt cognomen sortita. Meconium uero ex papauere exprimitur. Tessenarij cum flatili rectius dicuntur ἀπὸ τοῦ θέω, τὸ τρέχω; id est curro. Sicuti opiones uidentur nuncupari ab ὀπῆς, quod speculatorem indicat. Thessameni uocantur Græcis etiam suppliciter apprecantes. apud Hesiodum, Archilochum & Apollonium: quoniam δέεσθαι, petere significet, ac supplicare. Opaonem Herodotus historia quinta, ministrum intelligit, quem paulo antè hypaspisten dixerat, id est scutiferum. Verum, ut ad angaros reuertar, sunt ex Græcis, qui id uerbum non pro operario tantum accipiant, ac ministro, sed pro achthophoro item, siue baiulo: unde & mulos quandoq; angaros dici, ex probatissimis auctoribus compertum nobis est. Angariam quoq;, sicuti iam attigimus, inuoluntariam uocant necessitatem, & quod uiolenter iniungitur. ἀγγαροφορεῖν, onera ferre dicunt, permutatione ac uicissitudine quadam, uti Orion scribit. Est ἀγγαρεύεσθαι uerbum aliud, utitur eo in Sicyonio Menander: id uerò indicat, non solum ad onera ferenda cogere, sed quamlibet hoc genus necessitatem. Quos item recusantes cogimus, ut nobis sint itineris duces, angaros rectè dixeris. Angara uero etiam ipsos stathmos, hoc est mansiones ac diuersoria, in quæ angari, hoc est tabellarij peracto diei perso, diuertant. Paraueredos item legimus: hinc paraueredorum dicuntur munera, ubi exagris excitantur, qui onera auehant, uel bellica organa, principum iussu uel reipublicæ. Veredum, sunt qui pro uehiculo accipiant. Angones uerò tela sunt magnitudinis mediæ. Nam & in Sarmatia fuit urbs & amnis Agarus, unde Agarico radici datum nomen, ferè creditur. Agonicen certaminis uictorem accipe. Agonem Heracleoticum Herculeum intelligunt nonnulli. Pollux, gymnicos agonas γεμνόπορον Herculeos dici autumat. Agaros Scythas scribit in Mithridatico Appianus serpentium morsibus solitos adhiberi, quo nomine Mithridatem assidue assectatos. Inuenio denique, cereales anabasios q; dici eos, qui emittantur, rumores aliquos dissemināturi: uelut semina sparsurum emisit Triptolemum Ceres. Sed ab equorum insensu, curruum'ue, anabasii nuncupati.

Ficulnum lignum cuiusmodi sit. Fici folia cur dicantur thria. Thrinacia. Thapsus. Atharathrion. Curq; ficus arbor amara ipsa, fructus tamen prædulces gignat, & cur non iciatur fulmine. Ischas. Phelomata. Olynthi. De caprificatiõe. Ficorum interim genera plura, & in ijs de puerorum ludo. Cenchramides. Farctum fici. Carpi. Gluma. Erineos an sit agrestis ficus. Opos. Opora unde. Opias caseus. Sycomorus. Morus. Phytalus. Cymalitus. Syca unde dicantur. Hamadryadum historia. Ficedula. Martialis locus. Sycophantæ. Vireta ficus. Ficari. Cap. IX.

FIculnum lignum notæ est asperitatis atq; amaritudinis: sed & folium ex scabricie dictum à Græcis uidetur θείου. Nec nos moueat flatilis ratio, nam in alijs hoc item fit: thrinaciam thapsi radicem nũcupat Nicander, quod in Trinacria, quæ est Sicilia sit frequens, quam & trinaciam uocant. Thapsum uerò in Thapso insula Sporadum una inuentam ab Crateua memorant. Eius est uiridior succus & ægritudinem assimulantes, ac uideri cupientes ualitudinarij, eo faciem perlinunt. Sed ad ficum redeo, si tamen commoneantur eruditi, apud Homerum & ueteres Græcos pro Sicilia Thrinaciam scribi, ut flatilem recipiat prima. Et in Etymologico id testatum nouimus. Atharathrion in Plauti Pseudolo interpretantur eruditiores, libi speciem ficulnis obuallatam folijs. Sunt qui thria inde opinentur dici, quoniam in treis uisantur distincta portiones. Ligno item copiosior ineſt succus: inde exustum, grauem prorsus & acutum reddit fumum. quod facetissime Aristophanes exprimit in comœdia, cui titulus σφῆκες. Id & Aristoteles Problemate quodam comprobat. Proinde ab eruditis agitatur quæstio, Qui fiat, ut arbor amarissima fructum producat prædulcem, ac pinguedinis multæ: adeo, ut Ananius iambographus etiam σῦκα τὸ

χυσοῦ

χρυσοῦ κρίσω, id est auro pronuntiarit esse ficos meliores. Accedit admirationi, quod inter frugiferas arbores ficus modo est ἀνάνθεος, id est citra flores. Quòd uero nec de cælo tangitur, id utiq; uel amaritudini acceptum referri oportet. Id genus quippe non attingunt fulmina, quod uitulus comprobat marinus, atq; hyæna. Ratio autem propositæ ambiguitatis illa esse nonnullis uidetur, quòd arboris dulcedo, quantacunq; sit, in fructum secernatur: proinde, quicquid reliquum fiat in ligno succi, in amaritudinẽ degenerare. Id uel hepatis præcipuè argumẽto patet, quod ipsum dulcissimum est, quod feculentum, quodq; bilioſum est, in locum unum sequestrato, ac quodammodo percolato. Inesse autem ficui succi bonitatem, quam euchymiam dicunt: eo probant indicio, quoniam adnata illi ruta dulcior euadat, & chymi mollioris, ceu indidem deliquata iucunditate: ni diuersum magis astruat quispiam, ficum uidelicet, dum alimentum sibi conciliat, eximere quod acre, quodq; amarulentum est. In Paro insula ficos rubentes uocant hæmonias. Leucerineon ficum dicunt albam. Cydoneas ficos, hyemales intelligunt Achæi: præcoces rectè prodomos dixeris ex Theophrasto: fortè protericas quoq; nam & Seleucus ita ficum genere quodam nuncupat, maturius promẽtem fructus. Ischadas uero Atticas fuisse prędulces, testis est Dinon, & retulit Theocriti interpres in Daphnide. Ischada in Sophocle, pro anchora interpretantur grammatici. Sed & ficum quandam ibidem quoq; fuisse sacram nuncupatã, adnotauimus, ut mox item dicetur: non superstitionis argumento, sed gratiæ ac communicationis mutuæ, ut inanimatorum exemplo in bonorum participatum cæteros item admittamus. Quando & Romani fuit moris, lucernam minime extinguere, ut uolentes perfrui possent, ipsis nihil indigentibus. Græci præterea Athenienses q; in primis ficos maturitatis falsam præferentes speciem, φήλακας uocant, hoc est phelacas: quia phelomata dicantur impostura deceptionesq;: nam & φηλῶ, decipere est. Hinc & uerbo parum luxato, qui mos imperitæ plebis est, plerique uulgo pro fraudibus, phedolias usurpant. Eas ficos Lacones cœcadas dicunt. Alioqui ficos ante quàm matureſcant, olynthos ijdem Græci, nos dicimus grossos, sed non multitudinis tantum numero, quod quidam tradiderunt: quando & Martius apud Macrobium ita scribit, In millibus tot ficorum non uidebitis grossum. Et tertiodecimo Naturalis historiæ Plinius de Aegyptia ficu, Sed grossus eius non matureſcit, nisi incisura emisso lacte. Olynthos in Theriacis Nicander, etiam coccygas dicit: quoniam simul cum aue coccyge uerno tempore promant sese. Sunt qui primitiuas ficos dici olynthos putent, ac grossos. Astruit Macrobius, quæ maturitatem nesciant, ita nũcupari. Sunt inter Græcos qui ita distinguant, ut primum sit olynthus (quanquam apud Eustathium bis olonthon inuenio scriptum uno quidem loco, sed & alibi eodem modo) mox phelax, inde sycon, id est ficus, postremò ischas: unde & forma deminuta, ischadia nuncupantur, παρὰ τὸ ἴσχειν, quia ulterius fieri prohibeatur augumentum autumnali hora. Plericq; eo nomine aridas intelligunt ficos, & attenuationis argumento dici ischadas putant: quanquam & tragemata omnia, eo quoque uocabulo signari credunt, Aristophanis testimonio in fabula Pluto. In nostris literis nonnullos inuenias, qui aridam ficum, caricam dici putent: quum sit tamen fici species carica (Plinio tradente) in Syria. Et in Caria ficum eiusmodi copioſe enasci, Strabo auctor est. Sunt qui prodant, in Græcia, Cilicia, Cypro sui generis ficũ, quam uocent olynthophorum, quæ antea quidem ficum ferat, ponè uero olynthum. Nam ficum prope solam esse biferam, non est obscurum, quòd attrahentis potentiæ uiribus, superq; arboris eius raritati acceptum referri conuenit, quarum beneficio humectæ potestatis plurimũ sibi ascíscat, & inde copioſius fructum producat alatq;. Coroneos, est ficulnæ arboris species, meminit Aristophanes: quam etiam coracium uocant, id est κορακίου: quia fructus coraci, id est coruo, sit assimilis colore. Festiuus est antiquitatis mos, in hac mentione non utiq; prætereundus. Consueuisse lusitantes puerulos in sublime ficos, seu ischadas, uel uuæ acinos iactare, moxq; hiantes ore excipere. Ischades Atticæ probabantur (ut diximus) præcipue: nam & Aristophanes ait,

οὐδ' ἡγλυκύτερόν ἐστιν ἰσχάδων. nil dulcius ischadibus. Et Indorum rex Amitrochates per epistolam ab Antiocho mitti sibi ischadas flagitauit. Persarum quoq; reg i indidem pergratas fuisse ischadas, scribit Dinon; etiam si apponi modo consuessent, quæ

imperio

imperio obnoxia ferret regio. Erāt in ijs Aegilides pulcherrimæ, ab Aegila tribu appellatione ducta: nā chelidonias uocabant erythromelænas, id eſt in nigro rubētes. Apud Theopompum Tithraſiæ laudantur item. Sunt & quæ brigindarides dicantur, barbarè quidem, ſed quæ bonitate præcellant. Iſchadas Iulius Pollux ita diſtinguit, ut alia recens dicatur, alia uirens, item uetus & ſicca, itemq; ſale condita. Comici etiam iſchada nouere κοπίην. Nouellæ autem ficus ſycades dicuntur, quamuis & adultas quidam eo nomine intelligant. Memorabile eſt, quod in cōmentatione de euchymia, de ſe Galenus prodit, qui annum agens octauum & uiceſimū, quum abſceſſum uereri cœpiſſet, qua hepar diaphragma cōtingit, horæis omnibus bellum indixit, ficis exceptis, ac uuis egregiè matureſcentibus. Non deſunt tamen, qui eſu ficorum ſanguinem conciliari parum probum cenſeant, quando hinc ſcaturiat pediculorum fœda multitudo. Agreſtem ficum uocant erineon, id eſt caprificum. Erineon, ut ex Pauſaniæ theſauris percipi licet, Græcorum nonnulli olynthum dicunt: tragum autem Meſſenij. Id quod ſymbolicè ſignificauit Apollo Ariſtomeni & Theoclo uati de ſalute conſultantibus reſpondens,

ἐς τε τραγὸν οἰνῆτα νέδης ἐλεοβρόου ὕδωρ,
οὐκέτι μοσχεύω ῥόμαι.

Erat autē Neda fluuius, cuius uiſuntur fontes in Lycæo monte. Tragus uerò non hircus intelligebatur: ſed erineos arbor in aquam Nedæ prona, ac foliis humorem quodam modo hauriens, unde à Theoclo coniectatum, ingruere Meſſenijs fatale malum. Erinei fructum dicunt erinon, ut eſt apud Ariſtotelem, & repetit Euſtathius: quem etiam ficubus circum appendunt, Pauſania tradente, ut ficos contineant, quod uocant ἐρινάζειν, uel συκάζειν. cuius rei etiam Columella commeminit. Ni id arrideat amplius, quod libro quintodecimo Plinius ſcribit, de culicibus in caprifico enaſcentibus. quorum meminit ſecundo De hiſtorijs plantarum Theophraſtus, & in Cauſis itidem ſecundo libro. Verum & circum appenſio illa ipſum hoc, ut coniectare libet, ſignificarit: nam puluis & caprificatio hoc quoq; præſtant, ne fici decidant, humore tenero abſumpto. Naſcuntur uerò culices ex caprifici pomorum granis, quæ etiam in alijs frumenta noſtri uocant, cenchramidas Galenus, ex quadam milij ſimilitudine. Cenchramidas ſunt, qui in fico etiam carpos nuncupent: ſicut pericarpium uocant, quod circumiectum eſt humidum, cum ambeunte corio. Carpi nomine oliuarum item ſanſas intelligunt. Glumas uocant ficorum folliculos, à glubendo, ſicut in granis quoq;. Farctum ficorum legimus in Columellæ Ruſticare, Farctum (inquit) fici ſpecioſius efficit, ac plenius. Id pulpam uocat Palladius. Erineon, ut commonuimus, arbitrantur multi ſylueſtrem ficum, ſed nō eſt. uerum, ſui generis habetur erineos, ut alijs placet, ab Dorica ciuitate ſic nuncupata, ſiquidem erineon dicūt: quod Lycophronis interpres prodidit. Quia uerò peſſimi generis inibi habentur fici, propagatum inde, ut id genus omnes ita nominentur. Auctores habeo: lacteum in ficu humorem dici opon, id eſt ὀπόν. Sed & eodem ſignatur uocabulo, ramis agglutinans folia humecta uis, unde producatur opora. Sunt qui arborum lachrymam ſignificare opon autument. Verum ea nomenclatura nuncupatur propriè, quo concreſcit lac, coagulum. Proinde qui ſic denſet, coitq; caſeus, opias uocitatur. Philoſycos dicitur, cui plurimum arrident fici, quas arbitrātur nōnulli uelut duces purioris uitæ māſuetioriſq;, quando ἱερὰν συκῆν Athenienſes nuncupant, id eſt ficum ſacram, locum innuentes (ut putant aliqui) ubi ea ſit nata primum. Sed & fructum ἡγητηρίαν uocant, hoc eſt hegeterian. Quin & ueterem primumq; fuiſſe Athenienſibus cibum inde, ſcribit Aelianus: ſicuti Arcadibus glāde ueſci, antiquiſſimum fuit: Tirinthijs uerò, ijs quas uocant ἀχυρώλλας. Id uerbum quid indicet, qui ſe ſcire diceret, non inueni. Indis autem calami ſolennes fuere in menſa: Carmanis, palmæ: Mæotis milium, & Sauromatis: Perſis, cardamum ac terminthus. Calliſtruthias ficos reliquis præſtare omnibus in urbe Roma, credit Athenæus. Inueni & iſchadas chelidonias, quæ etiam chelidones nuncupentur, meminit Athenæus, & nos paulo ante. Ficorum cuſtodes, ſycori rectè dicuntur, id eſt συκωροί. Palathas uocant Græci ficos inuicem connexas. Hinc illud ex hiſtoria eſt: Perſarum regem in bellicæ deæ templo ſacris ſolitum initiari, ſtolam exuiſſe propriam, ſumpta ea quam olim

ante regnum antiquior Cyrus geſtaſſet: ac σύκου παλαθης ἐκφαγόντα, etiam terminthũ uoraſſe oxygalæ poculo hauſto. Deam uerò bellicam quis Palladem coniectarit. Ficariam intelligere Palladius uidetur fici arborem. Quia uerò eius arboris folia diximus θεῖα uocari: hinc Græci, quis dedit ore rotundo Muſa loqui, θειάζειν dicunt folia id genus colligere. Sicut συκάζειν, præter id quod dictum iam eſt, ficos colligere indicat. Liquet id Dionis hiſtoria, Inuſta (inquit) ſuſpicionis eſt labes Liuiæ, cui ipſe haud aſſentior, ficos adhuc in arbore propendentes ueneno ab ea fuiſſe litas, quia inde ſoleret Auguſtus ὠμοφαγείᾳ συκάζειν, id eſt ficos manu præcerpere propria. Viretam ficum nec dum maturam dici, apud eruditiores obſeruatum eſt. Ficorum animalia, apud Ariſtophanem pſenes dicuntur, & cnipes. Traſiam uerò non aceruum modò ficorum putãt, ſed ex calamis intextam tabulam, in qua refrigerantur. Plantaria eiuſmodi ficeta nos, at Græci συκίδας nuncupant. Poſtremò illud uacantis operæ non fuerit uticę: caprificationem dici à Plinio, quum macie corticis aſtringente ſe ex ægritudine, iuſtoq; plus uitalia arboris comprimente, perpetuis inciſuris diducunt, ac ueluti cutem laxant: id quod eſſe ſalutare, commonſtrant cicatrices internato corpore expletæ. Sed cur nam remedij genus dicitur caprificatio? An à caprifici ſimilitudine, quæ muros prorumpẽs tumida proſilit? Nam & Martialis calculum adijcit: marmora Meſſalæ findit caprificus & uenuſtè per metaphoram Perſius,

Et quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto iecore exierit caprificus.

Ni à ſimilitudine culicum malis, qui in caprifico enati ad ficos euo antes ora aperiunt earum, quod ipſum & caprificatio dicitur: quod ſi eſt, facilè quorundã uanitas deſcarificatione coarguitur. Sycon eſſe dicunt, ὠρεκωμαπικὸν ἕλκος in oculis & ſede: id & ſycaminon uocant. Sed propriè ſycamina dicuntur mora, ut Paulus inquit. Arborem uerò ipſam ſycamineam, ſed ſyceam quoq; Hippocrates, & ſycen Aegyptiã ſycomoron dicunt, & ſycomoreã. de ea, nõnulla Strabo libro ultimo: & in Dipnoſophiſtis Athenæus. Ex Hippocrate illud item eſt: morum, arborem dici, & moreon. Aegyptiam ficum, ſiue morum, etiam moroſycon dicit Celſus. Sycomora dici opinantur ex Græcis nonnulli, ab ignauo inertiq; ſapore: quo argumento Syllam Athenienſes eſſe dicebãt, συκάμινον ἀλφίτῳ πεπασμένον, id eſt ſycomorum polenta conſperſum. Sycophantas eſſe delatores eorum, qui ex Attica ficos exportarent, nemo non nouit. At, inquit Alexis apud Athenæum, malè hoc conceptum uideri: nam qui bonus uir eſt ac ſuauis & ficos apponit, ſic decuit nuncupari, quoniam ita ſuos retegat mores: nunc uerò prauo ſuaue adnexum ambiguitatẽ parit, unde nam ſic habeat. Poſtremò, ut ſine radio cumulentur omnia, obſeruatum in literis eſt: prope Cephiſſum à Phytalo Cererem hoſpitio ſuſceptam, quæ honoris ergò plantam fici mox illi contribuerit. quod inſculptum monumento Epigramma abundè teſtatur, quod ita habet,

γνθάδ' ἄναξ ἥρως φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητρα, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνε,
λῶ ἰδὼν συκῆν θυητὸν γόνον ἀζομάζει
ἐξ οὗ δὴ πιὰς φυτάλου γόνος ἔσχεν ἀγήρως.

In locis haud ita diſſitis uiſebatur & Cymaliti ſacellũ, ſiue is heros fuerit, ſiue *Icarius*, id eſt fabas ſeminarit primus. Quæritur denicq; inter non incelebres Græcis auctores, unde nam ſyca, id eſt fici nominis rationem trahant: & ſunt qui Syceam ex Titanibus unum tradant, quod in Georgico ab Dorione proditum, libro De ſtirpibus ſecundo, Tryphon ſcribit. Eum uerò Syceam quum inſectaretur Iupiter, ab terra ſuſceptum matre, quæ & plantam remiſerit ὡς ἀστειβῆ τοῦ παιδός. At Pherenicus ab Syca maluit Oxyli filia, qui cum Hamadryade congreſſus ſorore Caryam genuerit, ac Balanum, Crannium, Oream, Aegirum, Pteleam, Ampelum, Sycam, quæ Hamadryades nuncupentur nymphæ, unde & arboribus conciliata nomina: cui ſententiæ aſtipuletur Hipponax, ubi ait, συκῆν μέλαιναν ἀμπέλου καπνιώτιν.

Ficedulam Græci ſycalida uocant, ac ampelida, uel ampeliona quoq;, ut tradit Pollux. quod ideo non tacuimus, ut grammaticos commoneremus, quo pacto intelligi Martialis illud debeat,

Quum

Quum me ficus alit, & paſcar dulcibus uuis,
Cur potius nomen non dedit uua mihi?

Quos dicamus inaffectatos capillos, affectatos'ue, Galericulus. Capillamẽtum. Phenace. Capillare. Capilliana ruta. Euphorbi cincinni. Pericephalea. Epaphæreſis. Stlengis, ſeu ſtrigil. Item de capillorum ornatu pluſcula. Quæ dicantur focalia. Cap. x

DE capillorum ratione alibi affatim diſertatum à nobis eſt, nihilominus quæ ad id ſpectantia inter legendum ſeſe oſtentarint, conuerremus (quod dicitur) cum puluiſculo, cumq; ipſis manipulis, modò occurſent relatu nõ indigna. Neque enim minutias quiſquilias ue cumulatius exhibere legentibus, conſilium eſt: etiã ſi quandoq; ſigna faſcesq; ſummittimus, ut omnibus ſuppetat quod præcerpant, ſintq; noſtri libelli uice Delphici gladij. Igitur capillos nulla decoris affectatione exultos inuenio in claſſicis auctoribus appellari inaffectatum capillitiũ. In Apologetico ſcribit Apuleius, Capillos ſeſe habuiſſe non amœnos ac delicatos, nec ad lenocinium decoris promiſſos, quales affectati dicuntur, ubi anxia quadam cura franguntur in gradus, colunturq; ſtudioſius à cincinnatulis & troſulis, qui (ut Seneca tradit) ſolicitiores ſunt de capitis ſui decore, quàm de ſalute, qui inter ſpeculũ pectinemq; occupati ſunt, qui ue concinniores eſſe malunt, quàm honeſtiores, qui rempublicã turbari ſuam minus curant, quàm comam. Lego præterea curioſum huiuſmodi capillitij cultum dici comoticon genere tam maſculino quàm neutro: nam comotria emplectriã ſignat, quæ muliebres adiuuat delicias implicando excolendoq; uenuſtius. Comos, ornatus eſt, quum arte quadam ſucciduntur capilli detondenturq;. Coſmotica medicamenta capillis uenuſtandis excogitauit nimia medicorum ſedulitas. Qualia ab Archigene compoſita, memoriæ proditum eſt, quibus docet flauos & criſpos capillos fieri ſalis ſpuma, intermixta myrrha. Galenus quoq; medicus alioqui grauis, coſmotica recenſet, quibus nigricet capillus, aut in candorem perducatur, uel euadat rufior. Quin commemorat etiam, uidiſſe ſe mulieres compluſculas immodica affectati capillitij defunctas curioſitate, quum caput huiuſcemodi medicamẽtis letifera frigiditate uexaſſent. Hac in re ſcitu dignum Alexandri apophthegma, qui capillos tingentem cõſpicatus, μὴ inquit τὰς τείχας βάλῃς, ἀλλ' εἰ δώσασαι τὰ γόνατα. Euphorbi aurei cincinni paroemiæ faciem habent in Philoſtrati heroicis, quòd coma eſſet prænitida, & in ea ſibi nimium placeret Troianus Euphorbus. Caput comere, ubi uitæ ingruant diſcrimina, Spartanis fuiſſe peculiare, credimus Herodoto. Eſt & comotrion muliebre inſtrumentum apud Iulium Pollucem. Scribit Ambroſius in Hexaemero libro ſexto, Comam eſſe reuerendam in ſenibus, uenerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata eſt: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flacceſcit. Præſto eſt Ouidiana id comprobans ſententia,

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Sed & Apuleius, Mulierem etiam uenuſtiſſimã, ſi capillitio nudetur, licet illa cælo dieſta, mari ædita, fluctibus educata: licet, inquam, Venus ipſa fuerit: licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & balteo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, ſi calua proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo. Quamobrem galericulum conſuunt nõnulli ex alienis capillis ad uelandam caluitij deformitatem, ubi fuerint natiuo capillorum nudati flore. Id appellari inuenio capillamentum. Horatius etiam caliendrium dixit. Græci phenacen, ἀπὸ τοῦ φαναπίζειν, quod decipere eſt: quod uerbum etiã apud noſtrates uulgò durat, ut phenaciſſare, pro imponere uſurpent. Decipimur autem, ὅτε τὸ ἐπεισάκτου ἡ κόμης, id eſt ex aduentitia coma. Calamidas uocant harundineas acus formandis cincinnis, aut uelamentis comparatas, quarum uicem implent modo æreæ uel argenteæ aciculæ. Pericephaleam intelligunt Græci muliebrium capillorum ſpiram capiti circumuolutã, tametſi communi æſtimatione uox ea galeam indicat. Epaphæreſin apud Martialem mollius interpretantur comæ ornamentum, uarijs locis capillo ſucciſo. Apud Galenum, ſanguinis legi-

mus epaphæresin,pro detractione.Adnotatu dignum: ſtlengida dici Latinè quidē nota ſignificantia ſtrigilem,ſed & ea uoce indicari quandoq; ductam ex auro bracteam ſiue laminulam,qua coronabantur nō mulieres tantum,uerum & uiri: quod indicat per initia quarti libri Athenæus.Scribit Columella: Romæ publicos fuiſſe capitum & capillorum cōcinnatores.Ex canonicis uerò Decretis illud eſt, Mulieri datam eſſe comā tum operimenti gratia,tum ad ſubiectionis memoriam: proinde ſi qua religionis cauſa crines ſibi amputarit,anathema iudicatur.Capillare,Martialis accipit pro unguento ad capillos excogitato illis uerſiculis:

Non erubeſcit murice aureo nobis
Diuidere mœchæ pauperis capillare.

Capillianam uerò rutam idem appellaſſe uidetur de herbarum florumq; capillamētis. Sunt qui ferrum,quod uibrandis capillis candeſcit,apud Horatium focale appellatum putent Sermonum ſecundo:

Quæro,facias' ne quod olim
Mutatus Polemon,ponas inſignia morbi,
Faſciolas,cubitale,focalia,potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas.

Ego uerò longè aliter ſentio:nam id uerbum focalia, non à foco deflexum puto, ſed à faucibus inclinatum potius, dicíq; eo nomine colli ornamenta: quod ſignificat etiam Acron,atq; Porphyrio.quanquam ægritudinis remedia uerius appellarentur focalia: quod item innuit Porphyrio,& monſtrat apertiſſimè Quintilianus.Palliolum,ſicut faſcias,quibus crura ueſtiuntur,& focalia,& aurium ligamenta ſola excuſare poteſt uale tudo.Hæc Martialis item innuit,

Quid recitaturus circundas uellera collo?
Conueniunt noſtris auribus illa magis.

Sed & in Diſtichis:

Quòd lana caput alligas Carine,
Non aures tibi,ſed dolent capilli.

Focalibus item aures obturabant recitaturi,ne obſtrepentium clamore exterrerentur. Parthorum eſſe ſcribit Seneca,capillum effundere:Germanorum autem iungere,Scytharum ſpargere.

Capillos dici à Græcis τείχας, inde deriuata pluſcula.Trichaices qui.Trichilæ.Trichorum.Spartiani locus,& Papinij.Diſtega,& triſtega.Trichina.Trichides.Trichiæ.Tricæ.Tricinus quæſtus.Strangalides quid.Philippi dictum,in eum qui inficiebat capillos.Extricati uniones.Phœbæ capilli qui. Cap. XI

QVia uerò Græcè capilli dicuntur τείχες, inde appellatos comperimus trichaicas,qui aſſiduè uerſentur in prælijs, ueluti aſſiduè concutientes ac motantes criſtas,in quibus plerunq; capillorum quadam imagine propendent equinæ ſetæ:unde illud, Criſtaq; hirſutus equina.

Trichaicas tamen Heſiodus intelligere maluit, quoniam Cretam populi tres habitarint,Pelaſgi,Achæi,Dores: ut

πάντες γὰρ τειχάικες καλεῶνται, οὔνεκα τειχέων
ναῖον ἐκὰς πάτρης ἐλάσαντες.

id eſt,trichaices uerò nuncupantur omnes, quoniam procul à patria terram diſtribuerunt trifariam. Porphyrius tamen pugnaces intelligit, ut qui trichas concutiant aſſiduè, ἀπὸ τοῦ θρασυνόμ. Porrò trichina uocant ijdem Græci, ex pilis aut ſetis contexta. Trichilas apud Cæſarem ſtragulæ ueſtis prætenuis genus,ſunt qui putent. Trichypha puellarū indumenta apud Pherecratem poetam legimus, Athenæo referente. Trichides quoq; piſces,qui etiam thriſſæ dicuntur,ut putat Ariſtophanis interpres,à capillis appellationem trahunt, quòd prætenuia habeant oſſa. Hinc etiam trichiæ, ut inquit Pollux. Quo uerò hi diſtinguantur piſces, docet De hiſtorijs quinto Ariſtoteles.Ex phalerica,inquit,fiunt arades,ex ijs trichides,ex quibus poſtea trichiæ.Theodorus,trichidas interpretatur ſardinas: trichias uerò ſardas. Eſt & trichia mammarum uitium, pilarem uocant morbum. Vbera enim tota fungoſa ita ſunt, ut ſi poculo forte pilum hauſerit

hauſerit mulier, dolor moueatur in mammis, qui non ſedatur, donec pilus uel preſſus exeat ſponte, uel cum lacte exſugatur. Nam ſtrangalides, globuli intelliguntur, quoties humor non cõcoquatur, nec exeat, ſed redundet. Trichorum uerò legimus apud Spartianum in Peſcennino Nigro: Domus, inquit, eius uiſitur hodie Romæ, in qua ſimulacrum eius in trichoro conſtituit. Quæſitum ab eruditis, ignoratumq́, quid inibi trichorum: etiam ſi eſt apud Papinium Syluarum primo:

Quid nunc ingentia mirer?
Aut quid partitis diſtantia tecta trichoris?

Quo in loco ingenioſus interpres, Trichora (inquit) ædificia tribus pinnis ſurgentia. Sed cur ſic, id uerò tacuit. Apud Dioſcoridem libro quarto, uerbum id uideor comperiſſe, ubi de lathyride uerba faciens, ita ſcribit, Καρπὸν δὲ ἔχει ἐπ' ἄκρῳ τῷ κλάδῳ τειχωρον πολυφυλλον, ὥσπερ κάπαρεως, ἐν ᾧ τρία σπερμώματα, διειργόμενα ἐλύτροις ἀπ' ἀλλήλων, πολυφυλλα, μείζονα ὀρόβων. Eum locum ita uertit Hermolaus, A capite germinũ fructus loculamentis tribus, ut capparis, rotundus, & ſemina in eo terna, tunicúlis inuicem diſcreta, orbiculata, & maiora eruo. Trichorum hic, à trium capacitate dici cõiectari poteſt. Ipſe & ab diſtributione triplici, trichorum poſſe deduci arbitror. χωρίζειν nanq́, diſparare indicat. Diſtega & triſtega in ſanctis literis, bicamerata & tricamerata interpretatur Hieronymus aduerſus Iouinianum primo. Sunt qui à contignationum numero ita dici opinentur. diſtegum domicilium appellat Dioſcorides quoque. Apud quem acaciam in Cappadocia ſemen ferre legimus in folliculis iugatis, τειχώροις ἢ τετραχώροις, id eſt trilocis uel quadrilocis. Trichoriam dicebant Spartæ, triplici ſerie conſtantem chorum, Hac parte notandum & illud: in doctorum indagine à Marcello ſubnotatum, tricas dici Latinè, dempto atq́ extrito afflatu: unde inflectatur tricinum, pro tardo & impedito uel exſucco, ut ſunt capilli. Hinc apud Varronem tricinus quæſtus & uber inuicem opponuntur. Tricas, Hieronymus pro tendiculis accipit ac laqueis, quas impoſtor ſæuiſſimus ſtruat: Quas nunc diabolum, inquit, nectere credis tricas? quas parare arbitraris inſidias? Extricatos uniones Iureconſultis dici opinantur perpolitos, & ab genitiuis maculis depuratos. Quia uerò de capillorum medicaminibus facta pauło ante mentio eſt, ſuccurrit ab hiſtoria exemplum haud aſpernabile. Quum Macedo Philippus ex Antipatri amicis quendam adlegiſſet iudicem, moxq́ aduertiſſet, ab illo barbam infici & capillum, eueſtigio amouit hominem, addito elogio, Qui in pilis infidus eſt, qualem in negotijs remur futurum? Capillos denicq́ puros ac ſplendicantes, dici phœbas comperi, id eſt φοίβας.

Veneris caluæ atq́ item armatæ ratio. Qui nam ex mulierum capillis funes nexuerint. De Venere item pluſcula, ac teſtudine, & hirco. Aræ Mutiæ apud Plinium quæ ſint. Mutia feſta, & Marcellea. Cap. XII

IN hac uerò capillitij mentione ingerit ſe quod Lactantius monumẽtis prodidit, Venerem cognomẽto Caluam apud Romanos in religionis cultum ueniſſe, ea præcipuè tempeſtate, qua Vrbe à Gallis ambuſta, quum obſidione arctius premeretur Capitolium, iamq́ ad extrema foret uentum, ex mulierum capillis, aliarum rerum inopia, tormenta connectere ſunt compulſi. Qua in parte amplius adnotandum: à Carthaginienſium mulieribus factitatum id quandoq́, ut capillos ſibi reſecuerint, implicandis funibus ad machinarum in bello uſum. Auctor uerò mihi eius hiſtoriæ Plutarchus eſt, in ſermone quem De fœnore cõcinnauit. Adijcit uerò irridens Lactantius, Turpius id Romanis contigiſſe, quàm ſi armatam Venerem conſecraſſent: quod feciſſe Lacedæmonios, frequens prodit fama, ubi Meſſenio bello armati ipſi cum armatis mulieribus, indiſcriminatim & paſſiuo (ut ita dicam) concubitu permixti ſunt. Alioqui in libro De Romanorum fortuna, idem refert Plutarchus Spartiatas dicere, Venerem ubi Eurotam tranſmittat, ſpeculum abijcere, ac ceſtum: haſtam uerò arripere, & inſertare ſcutum, Lycurgo ſeſe componentem. Armatæ Veneris meminit Fabius, atq́ item Pauſanias. Extat & de ea re Leonidæ hexaſtichum. Scribit Iulius Capitolinus in Maximinis, tanta fide Aquileienſes contra Maximinum pro ſenatu fuiſſe, ut funes de mulierum capillis necterent, neruorum facultate defecti excutiendis ſagittis. Hiſtoriam quoq́ aliam de fune ex capillis mulierum con-

cinnato rati protrahendæ, pluribus exſequitur Pauſanias. Apud Eleos Veneris Vraniæ templum fuit, cuius ſimulacrum pede altero teſtudinem premebat. Simulacrũ uerò alterum etiam hirco inſidebat. Dici autem Venerem uolunt Pandemum, id eſt πάνδημον. Horum quæ ſit ratio, alijs coniectandum, relinquere ſe, Pauſanias tradit. Deteſtudine alicubi benè me collimaſſe, opinor. Quod uerò Murtiæ ſedes dicuntur, Liuio ab Vrbe condita primo, eſſe Venerem intelligendam, ex Plinij decimoquinto liquere amplius, opinor. Meminit præter cæteros etiam Varro. Sed quum libro ſecundo, capite nonageſimooctauo Plinius ſcribit, Ad aras Mutias in Veiente loca eſſe, in quibus in terram depacta non extrahantur: ſunt ex Lynceis, qui non Mutias agnoſcant, ſed Murtias reponant. Verum, quid ſi Mutias tueamur? Scimus utiq; ex Pediani ambuſtis theſauris, Q. Mutium Aſiam ſingulariter rexiſſe, adeo ut dies feſtus à Græcis honori eius inſtitueretur, quem Mutia uocarũt. Commeminit actione in Verrẽ quarta M. Tullius: ſicuti Marcelleorũ, quæ Marcelli gratia colerẽtur Syracuſis. Quare ſicuti Aphricano in Iouis cella eſt poſita ſtatua, Catoni in curia, ita Scæuolæ uirtutis admiratione, cuius Valerio item mentio eſt, apud Veientes excitari potuerunt aræ. ni ad ueterẽ Mutium relatum malis.

De affectione quam medici capillitium dicunt. Item defluuij capillorũ ratio. Capilli & ungues cur in defunctis augeſcant. Cap. XIII



St & affectio quædam medicæ rei peritis, quam uocant capillitium. obuenire enim quãdoq; compertum eſt, ut cum urina craſſa carunculæ exiguæ, aut ueluti capillamenta exeant, & præcipuè candida. Quidam uerò corpuſcula eiuſmodi per urinam tantæ longitudinis reddidit, ut nonnulla ad cubiti dimidium extenderentur. Id uerò ita contigiſſe, creditum: quoniam abliguriſſet is integro anno prius orobum & fabam ac caſeum partim muſteum nouellumq;, partim uerò etiam inueteratum. Nec ſecius alij quoq;, quibus cum urina eiuſmodi promuntur capillamenta, craſſioris ſucci cibarijs ueſcentes id ipſum ſunt perpeſſi. proinde humore id genus uſto in renibus, capillis perſimiles ſubſtantiæ generantur. Modus porrò curandi cauſæ huic, rationiq; patrocinatur plurimum. Nam ab extenuantibus medicamentis, ſimul cum humectiore uictu ita affecti ſanitati reſtituuntur, fiuntq; ſuæ ſpontis. Carunculæ uerò exiguæ ſubſtantiæ, renum indicia ſunt: capillamenta uerò nequaquã: non enim renes ad eiuſmodi ſubſtantiæ ſpeciem exſolui queunt. reſoluta uerò & eroſa ueſica, ſquammulę promũt ſeſe: ſicuti auctor probat Hippocrates. Obiter uerò ex eiſdem ſcholis eſt & illud, Capilli defluuium ſummam alimenti inopiam indicare, atq; interdum fortaſſis ſuccorũ labem. Sed & in ijs qui tabe infeſtantur, ſi quod deſpuunt, nares offendat in ignem iniectum, & defluant capilli, letale arbitrãtur. At in defunctis cur augeſcunt ungues, & promittuntur capilli? Forſan, inquit libro ſecũdo De dubijs animæ Plotinus, quia corpus animatum non illuminato, ſed calefacto corpori ſimile eſt, poſt animæ demigrationem ſupereſt in eo ad breue uitale ueſtigium, quaſi ſub lumine calor: calor (inquam) naturalis, ſpiritusq; aptus motibus.

Felicitatem eſſe rem diuiniſſimam. Virum bonũ felicemq;, cur quadratum dicamus, & tetragonum. Quadratum dici de numero, figura, corpore. Plinthion. De fortuna quippiam. Equeſtris fortuna, & in imperatorũ poni cubiculis ſolita aurea. Cap. XIIII



Eterum ſententia grauiſſima eſt, ſi aliud quicquam ſit, deorum munere hominibus datum, par eſſe, felicitatem quoq; inter ea recenſeri, quoniam præſtantiſſimum quiddam eſt in humanis rebus. Et nobiliſſimũ effectum, conſentaneum eſt, à cauſa produci nobiliſſima. Quòd ſi à deo eſſe hanc maximè inficiari placeret, quia per uirtutem & diſciplinam quandam & exercitationem proueniat, diuiniſſima tamen uideatur, neceſſe eſt. Nam uirtutis præmium finisq;, optimum quiddam & diuinum beatumq; creditur. Hic autem eſt felicitas ipſa, uirtute nobilior. Quoniam uerò felix uel ſemper uel maximè omnium agit contemplaturq; ſecundum uirtutem, fortunamq; fert optimè, ac per omnia omnino decenter: hinc natum, ut hunc uerè bonum, ſineq; uituperatione ad libellam æquum, nec fucatum ſotenſi ſpecie, totum teretem atq; rotundum, ut inquit Horatius, quadratum item appellemus

lemus. Sic enim Græcè dicitur, ἀγαθὸς ἀληθῶς, καὶ τετράγωνος, ἄνευ ψόγου. de quo ille ait, Sapiens uno minor est Ioue. Sed & Sextium dicere solitum accepimus: Iouem plus non posse, quàm bonum uirum. Hic longè ab eo diuersus, quem publicis uerbis designamus, ut quum candidatos omnes uiros bonos dicimus. Hic primæ notæ innumerabilibus constat laudibus, quod etiam Fimbriæ Licinij suspensa sententia facile indicarit: & in Moralibus Plutarchus, Viri boni nuncupantur modo, dicunturq́, sicuti hippocentauri, gigantes, Cyclopes: incusabile autem opus, integrumq́ uirtute, citraq́ labem, non facile reperias. Quod uero de quadrato prætexuimus uiro, ut liquidius innotescat id, paulo altius ex literis interioribus tota repetenda res est. Quadratum igitur reperio dici scienter in numeris, figura, corpore. Numerum quadratum intelligi uolunt eruditi, ex seipso in seipsum resultantem, ut quater quatuor sedecim constituunt: etiam quaternitas ipsa numerus est perfectus, ui enim in se numerum complectitur denarium, ultra quem non propriè est numerus: nam reliqui ultra, qui dicuntur numeri, priorum sunt replicationes. Continet autem denarium hoc modo, quia habet quatuor, tria, duo, unum, quæ simul colligata denarium manifesto conficiunt. Figura item quadrata perfecta est, continetur enim quatuor lineis æqualibus, quatuor quoq́ æquales habens angulos. Corpus quadratum perfectum etiam intelligitur, ut est cubus: habet enim sex superficies quadratas æquales, quarum unaquæq́ quatuor habeat lineas, & quatuor angulos, & quomodocunq́ iaceat, semper rectus stat, eodem se modo habens, quia portiones omnes æquales sunt. Consimiliter uir bonus ac felix: semper eodem se habet modo, & uirtutum potestate, quibus insignis est, retinet in omnibus æqualitatem quandam. Est igitur felix numerus quadratus, quoniam ut partes quadrati numeri similes sunt, ac æquales: sic & uiri boni operationes in quacunque re ac fortuna semper erunt similes, & mediocritatem illam uirtutis semper seruantes. Et ut numerus quaternarius continet in se omnem uim & perfectionem numeri, eodem modo uir bonus & felix complectitur uirtutis perfectiones omnes, quibus bene & recte utitur in quacunq́ forma. Est item felix, ut quadrata figura, & ut quadratum, quod lineis constat quatuor æqualibus, totidemq́ rectis angulis: neque enim uir bonus, uarius est, nec mutari à Fortuna ualet, sed æqualis semper est, ac rectus. Est etiam ut cubus, quia in quacunq́ fortuna inflexus perseuerat unde consequens fit, ut à uituperatione seiungatur, nec omnino quid faciat indecorum, sed generose ac constanter se in quolibet Fortunæ afflatu habeat. Hic uero est uir ille, quem Plato in Protagora diuinum uocat, & sacratissimum. Sed & Laconibus id fuit perfamiliare, ut quum aliquem admirarentur, diuinum esse prædicarent uirum: quando per uirtutis excellentiam (uti aiunt) ex hominibus dij fiunt. Cauendum (inquit Plato) primò est, ne quid in Deum uerbo aut opere aliquando peccemus: deinde, ne quid aduersus diuinos homines. Deus quippe nimium indignatur, quoties quispiam illius similem improbat, aut probat dissimilem. Dei autem similis est, uir bonus. Neq́ uero lapides, ligna, aues sacra existimes, hominem nequaquam. Immo sacratissimum omnium est uir bonus: prophanissimum contrà, uir malus. Sententia autem de uiro tetragono est apud Aristotelem Moralium primo, sed & Rhetoricorum tertio. Verum, ex Simonide eam est mutuatus, quod in eodem Protagora testatur Plato, qui in carmine quodam ad Scopam Creontis Thessalici filium, Difficile esse ait, uirum uerè bonum fieri manibus pedibusq́ ac mente tetragonum, id est quadratum, absque uituperatione fabricatum. Meminit auctoritatis huius Damascius quoque. Sicuti uero, quæ supra nos est, uirtutem heroicam dicimus, & diuinam: ita diuersum habitum, uocamus immanitatem: quippe, qui reliquos prauitate anteeũt, immanes recte dicimus, infamamusq́: id quod morbi excellentia obuenit quandoque. Hosce autem rarenter spectamus, quemadmodum diuinos quoque. Illud parergon fuerit: Plinthion geometris dici, omne tetragonum: ut auctor est Theon. Quoniam uero de felicitate plurimus nobis sermo est, quam à Fortuna contribui, uulgò receptum ferè est: sciendum ex eo argumento, principem omnium Bupalum Fortunæ simulacrum fecisse, polum in capite gestans, & manuum altera sustinens Amaltheæ cornu. Sed & Pindarus, post alia quæ de Fortuna canere permisit sibi, etiam φορέτωλον nuncupauit. Equestris For-

tunæ templum fuiſſe, legimus in Taciti Annalibus, apud Antium, nec in Vrbe ad ſua tempora uiſitatum. Sed ἐξδυτηρίας, id eſt uiſcatæ inibi agnoſcebatur ædes, ceu ab ea nos obretiamur, unde ſunt fortunæ uiſcata beneficia Senecæ. Fortuna uero aurea in cubiculis uiſebatur imperatorum, qui iamiam morituri ad ſucceſſurum deferri eam curabant: quo argumento rerum proſperiorem alicui euentum comprecantes prouerbij facie, ad eum aureæ fortunæ tranſitum optamus. Hanc in Seuero Spartianus regiam item nuncupat.

Quadratum corpus quod ſit. Quadrata compoſitio. Quadrati uerſus. Quadratum agmen. Quartarij. Quadratarij. Albarij. Albini. Quintiliani locus ex libro primo, capite De geometria. Caput XV

QVia uero de quadrato facta mentio eſt, adnotandum illud quoq; quadratum corpus apud Celſum Medicinæ ſecundo, uideri eſſe, quòd ſit ſtaturæ mediæ. Corpus (inquit) habiliſſimũ, quadratum eſt, neq; gracile, neq; obeſum: nam longa ſtatura, ut in iuuẽtute decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur: gracile corpus, infirmum: obeſum, hebes eſt. Columella de canibus ſcribens, Probatur (inquit) quadratus potius, quàm longus, aut breuis. Item de gallinis: Sint matrices robuſti corporis, quadratæ, pectoroſæ, magnis capitibus. In bobus tamẽ Palladius membra exigit quadrata & grandia. Ex qua ſimilitudine quadratam quoq; compoſitionem, id eſt æquabiliter fuſam, inuenias apud Quintilianum libro ſecundo: Quæ lenis (inquit) & quadrata, ſed uirilis tamẽ compoſitio. Et in Oratore M. Tullius: Sic minime animaduertetur delectationis aucupiũ, & quadrandæ orationis induſtria. Et mox paulò, Quin redigeret omnis ferè in quadrum numerumq; ſentẽtias. Corporatos intelligere animaduertitur Firmicus, magnos corpore, uerũ haud citra proportionem, & quos honeſta conuenuſtet pulchritudo. Structuram intelligimus quadratã & optimam, ubi penultimo pyrrhichio ſuccedit pæon primus, qui quadriſyllabus eſt pes, ex longa & tribus breuibus: unde & quadrati quoq; nuncupantur pedes. Quadratos item uerſus à claſſicis auctoribus appellari obſeruauimus: nam A. Gellius Noctiũ Atticarum libro ſecundo, Aeſopi apologum ſcribit à Q. Ennio in Satyris ſcitè admodum & uenuſtè uerſibus quadratis eſſe concinnatum, quorum duo poſtremi ſunt, quos habere cordi & memoriæ operæpretium putat: ſunt autem hi,

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum,
Ne quid expectes amicos, quod tu per te agere poſſis.

Idem libro quarto ex Ennio eodem uerſum hunc aduocat, quem numero quadrato compoſitum ſcribit, ex libro cui titulus erat Scipio,

Qui propter Annibalis copias conſederant.

Acron quoq; Horatianus interpres uerſiculum quadratum dicit,

Scribere uerſiculos amore perculſum graui.

Quadratorum item uerſuum meminit libro tertio Diomedes: Metro, inquit, trinario ſi acceſſerit quarta dipodia, fit uerſus quadratus, qui quater feritur. Rufinus, Tetrametri (inquit) quadrati uocantur. Tetrametros pedibus octo conſtare, prodit Priſcianus. Quadratam poſtremò ſtructuram ſunt qui intelligant, quæ continua ſit, nullis ſectionibus interpellata. Quartarij ſunt Feſto, muliones mercenarij, qui quartam partem quæſtus aſſequebantur. Quadratarij eſſe uidentur Sidonio marmorarij, ab quadraturæ ratione: Vide, inquit, ut uitium non faciat in marmore lapicida: quod factum ſiue ab induſtria, ſeu per incuriam, mihi magis quàm quadratario liuidus lector aſcribat. Dicuntur formula eadem albarij, qui parietibus albarium inducunt: Iureconſultis etiam albini, modo ne mendum ſit exemplarium. Quadratum agmen legimus apud hiſtoricos frequenter, ac T. Liuium in primis. Cuius nam modi foret id, uariè exponitur. Interim illud Senecæ perplacet ex octauo Epiſtolarum: Sextium (inquit) quum lego, uirum acrem, uerbis Græcis, Romanis moribus philoſophantem, mouet me imago ab illo poſita, ire quadrato agmine exercitum, ubi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnæ paratum: idem (inquit) ſapiens facere debet, omnes uirtutes ſuas undique expandat, ut ubicunq; infeſti aliquid orietur, illic parata præſidia ſint. In hac quadrati mentione ſuccurrit opem Quintiliano feramus Oratoriarum inſtitutionum primo, capite de geome-

de geometria: At ſi quinideni per latera, inquit, quini in fronte ſint, ex illo quod amplectuntur, quartam deducent, eodem circumductu. Hæc ſi ad hunc modum legas, uel nullus erit ſenſus, uel ineptus, aut omnino falſus. Sed legendum, Ex illo quod quadrata complectuntur, quartam deducent, eodem circumductu. Nam quadrata area paulo antè poſita pedes habet quadraginta per ambitum, intus centum. Hæc autem circumductum habet eundem quidem, ſed intus pedes modò quinque ac ſeptuaginta, ut deſit ad centum pars quarta, id eſt uigintiquinq. Locum hunc primi, quum Mediolani profiteremur, ſtipendijs Franciſci Gallorum regis, ambuſtum ac decurtatum reſtituimus in integrum.

Quadrantaria Clytemneſtra apud Cæcilium, quæ intelligenda.

Caput XVI

AT illa quadrantaria Clytemneſtra libro nono apud Fabium qualis nam, aut quæ eſt? Locus eſt ex profeſſo obſcurus, & atriore allegoria, ſiue ænigmate obuolutus. Suſpicor, à Cæcilio, ex cuius officina id manauit, impudicam eo nomine Clytemneſtram ſignificari. Hoc ut ſentiam, adducor M. Tullij auctoritate, qui in Oratione pro M. Cælio ita ſcribit: Niſi fortè mulier potēs quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. In quo uidetur quidem orator innuiſſe pretiū perſolui ſolitum ab ingredientibus balneū, propter illud Horatianum,

Dum tu quadrante lauatum Rex ibis.

Et Iuuenalis ad eandem ſententiam,

Cædere Syluano porcum, quadrante lauari.

Tamen rem turpem altius intuētibus inſinuaſſe uelatis uerbis internoſcitur: ſiquidem quadrantes fuiſſe proſtitutarum pretium, capturam'ue, à Plutarcho commonemur in M. Tullij uita, ſic prodente, Adoleſcentem quendam in Clodij ſororis loculos pro argenteis nummis quadrantes immiſiſſe æreos, quo nomine deluſa puella Quadrans eſt cognominata ex concubitus pretio. Vel, ut ipſe ait Græcè, κοναδραντία. ex æreis uero numiſmatis minimum, inquit, κοναδράντης nuncupatur. Apud Hieronymum illud eſt obſeruatum: Rideo (inquit) aduocatum, qui patrono egeat, quadrante dignam eloquentiam nare ſubſanno.

Cybelen uideri à cubo nuncupatam. Cubus unde, & quid. Item quid Cybe, ac Cybelis, & Cybele. Matroa. Matragyrtes. Mataiſmus. Cyberneſia feſta. Cybus. Cybiotates. Suetonij locus explicatur. Caput XVII

CVbum Cybeleio numini dicatum, ſcribit Martianus Capella, indeq; ἀπὸ τοῦ κύβου, deam ipſam appellationem duxiſſe. Cubum finiunt Græci, qui in ambitu baſin habeat, aut etiam calculum omnem tetragonum, id eſt quadratum. Vnde & ſtelas uocant cubicos lapides cum epigrāmatibus. Apollodorus, ἀπὸ τῆ κυφότητο inflecti uerbum putat. Quippe in caput ſaltare, κυβισᾶν dicunt. Nam cyben, ſiue cuben, caput interpretantur. Cybelis uero etiam bipennis dicitur. Hinc & aurium foramen cybele. Ab inclinatione igitur cubum nuncupant, quia facillimè prouoluitur, ac uelut in caput ſalit. Cybelen uero eſſe matrem magnam, ſciunt omnes: unde Matroa, id eſt μητρῶα, dicebantur illius ſacra: & Matriazin, eſt ea obire, inde & Matragyrtes. Mataiſmus uero infatuatio eſt: nam Seleucus Glycyſidem eſſe pomum refert, ſpecie fici: quod auerſentur præcipuè mulieres, ματαϊσμοῦ metu. Matroum etiam pro loco Athenis accipit Libanius, ubi concionaretur Demoſthenes. Quod ad Matragyrtem attinet, adnotandus uidetur interpretis Plutarchi error, ex Cleomenis uita, ubi auctor Ptolemæum regem Matragyrtem ſubſannans nuncupat. Tralator mitratum intellexit: etiam ſi μητραγύγτης ſcribitur, non Mitragyrtes. Poterat illi aurem uellere Plutarchus, qui antè paulo Ptolemæi taxans molliciem, inter mulierculas & comeſſationes tranſegiſſe illum ſcribit, ac myſteria obiſſe, & tympana tenuiſſe, quæ ſunt Matris deûm propria. Matragyrtæ ſtatuam fuiſſe Athenis, ſcribunt Græci, qui quum mulieres Matri deûm initiaret, ab Athenienſibus eſt necatus. Pythagoram memoriæ proditur, eiusq; hæreſin ſequutos cubicis rationibus præcepta uoluminibus eſſe complexos. Conſtituiſſeq; cubum ducentorū ſedecim uerſuum, eosq; non plures tribus in una conſcriptione eſſe oportere, putauiſſe. Hanc autem ſimilitu-

militudinem ex eo ſumpſiſſe, quòd is numerus uerſuum (uti cubus) in quemcunq; ſeſum inſederit, immotam efficiat ibi memoriæ ſtabilitatem. Græcorum quoque comici poetæ interponẽtes choro canticum, diuiſerunt ſpatia fabularum, ita partes cubicaratione facientes, ut intercapedinibus leuent actorum pronuntiationes. Eſt uero in numeris cubus, quum omne latus eiuſdem numeri æqualiter in ſe ſoluitur: ſicuti fit, quum ter terna ducuntur, atque itidem ipſe numerus triplicatur. Cubum porrò in geometria principem inueniſſe Archytam, in Republica teſtatur Plato. Cyberneſia, ſiue κυβερνήσια, nil ad Cyben faciunt. Nam ſunt eo nomine feſta, Theſeo ex Creta redeunte, inſtituta, Nauſithoi gubernatoris honori, & proretæ Phæacis: etiam ſi Phereclus, Simonidæ magis placet, Theſei nauis moderator. Sed Nauſithoo & Phæaci erecta etiamnum Heroa ſunt. Cybum, id eſt κύβον, Paphij Catinulum uocant. Vnde Aegypti regem Cybiotatem dictum opiner, ob ſordes turpiſſimas, ut ait Suetonius: ceu paropſidem delingeret, ne quid omnino deperiret. Interpretes ea parte aut tacent aut delirant.

Ex diuerſis cæli habitibus diuerſos euadere hominum mores. Perſarum ritus. Picta cœna, ſeu Telia. Saporis & Valeriani hiſtoria. Quintiliani locus emaculatus declaratur. Lucanus item illuſtrius enarratur. Perſes quid. Perſithea. Paſithea. Perſus piſcis. Perſinus. Perſica unde. πόρσι, in ueteribus libris quid ſit.

Caput XVIII

INter Platonis placita, quæ haud parum multa norunt, qui uaſtiſſimum illius doctrinæ pelagus enauigare, fauentibus dijs hominibusq; non expauere, illud item obſeruauimus, ſcienter admodum ac uerè dictum, Ex uarijs cæli locis aſpectibus'ue diuerſas ingenerari morum κρᾶσις, ſiue contemperationes: quo argumento in Græciæ tractu indipiſcendis diſciplinis uideri aptiores multo, quàm aliubi homines. At qui in Phœnicen uergant, Aegyptum'ue, cumulandæ pecuniæ, id eſt (ut Græcè dicam) πρὸς ἀργυρισμόν, mirè credi ſagaces, ingenio ad id præcipuè facto. In furorem uero iramq; procliues ac lubricos, quotquot barbarorum innutriti bellis comperiuntur. Præcipuè autem Scythæ immani feritatis ſæuitie graſſantur. Nam Italos fieri regales, obſeruatum ferè eſt: Gallos uero ſtolidos, leues Græcos, Aphros ſubdolos: ſua eſt Syris auaritia: Siculi acuti: luxu perditi Aſiam incolentes, ac uoluptatibus obretiti: Hiſpani elata iactantiæ animoſitate præpoſteri. Firmicus tamen ex operis inſtituti propoſito: Aſianos, inquit, plurimos uidemus, ac penè omnes ſobrietatis præferre inſignia. Et Græcorum leuitas frequenter modeſtæ grauitatis pondus accipit: & effrenata Scytharum rabies quandoq; humanitatis clementia mitigatur. Innuit hoc ipſum uel comicus Ariſtophanes edocens, immanendum eſſe τρόποις ἐπιχωρίοις, id eſt moribus locorum propriis atque uernaculis. Retegit & id iactatum apud Græcos, νόμῳ καὶ χώρᾳ, quo ferè commonemur, inſtituta diuerſa pro locorum uarietate eſſe, ueluti legem, quæ peregrinos haudquaquam deceat allidere. Mores quippe, ſicuti plantas, ad regionis habitum qualitatem'ue habere reſponſum, liquere opinor. Hinc Thebanis tibiarum familiare ſtudium eſt. Eloquentiã inſequuntur Athenienſes. At Creticæ exercitationes uenationibus conſtant præcipuè, ac montanis itineribus, item curſu ac iaculatione. Theſſalus equitandi geſtit peritia. Currus agitant Cyrenæi. Aetoli graſſantur: iaculantur Acarnanes. Suum eſt Thracibus peltarum ſtudium. Et apud Herodotum Cyrus, operis calce φιλέειν dicit ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων, μαλακοὺς γίνεσθαι, id eſt, natura ſic comparatum, ut in mollibus locis molles proueniant. Ex quo Lucanus,

Emollit gentes clementia cæli.

Et Ptolemæus tertio Cõpoſitionis magnæ, Aſiaticos eſſe prodit caſtos abſtinentesq; quin & ueſtitu præcipuè moderatos. quod facit, inquit, Saturni & Iouis coniunctus aſpectus. Proinde facturum me operæpretiũ arbitror, ſi quæ hiſtorica mihi lectio ſuggerit, cumulatius hinc inde flores præcerpendo, moreti cuiuſdã imagine, lecturis hæc qualiacunq; exhibuero. Sed nec ab inſtituti operis conſilio diſſita pragmatia eſt, ne quis fortè naſutior Cænotimon dentem imprimat, νοῶ coarguens τὸν ξόανον, ceu peregrinetur mens, abeatq; à propoſito longius. Quippe nullis circumſcribimur cancellis, excurſus in quælibet liber eſt, nec anguſtiore pomœrio cludi nos patimur. Neceſſaria

ria denique oratoribus cognitio hæc, quod poſt alios docuit in Epidicticorum ratione Menander rhetor, ubi ſcrutandum præcipit in laudum prolibatione: cuiuſmodi cenſeatur gens uniuerſa, an ſit doctrina præcellens, ut Græci: an legibus & iuſtitia inſignis, ut Itali: an illuſtri fortitudine, quales fuiſſe Gallos & Pæonas, compertum eſt. Igitur, ut inde auſpicemur primum: Perſas Strabo auctor eſt de dubijs rebus uino iam hilariores cõſultare. Reges auguſtioris uice numinis uenerari. Verum, nec ſtatuas erígere, non templa conſtruere, non aras. Mos gentis eſt, æditiſſimis quibuſq; conſcenſis montibus, Ioui hoſtias immolare. Vniuerſum cœli ambitum Iouem arbitrantur. Soli item rem diuinam obeunt, ac lunæ: ſed telluri quoque & igni & aquæ & uentis, quibus gubernantur ſolis. Iouem nuncupant Belum, Herculem Sandem, Anaitida Venerem. Inde in eandem cum Manichæis recidiſſe hæreſim uidentur, in eo in primis quòd duo inducunt principia: bonum quidem unum, mali uero cauſam alterum: atq; illum Hormuſdatin dicunt, hunc Arimanin, qui ſit pernicioſus infeſtusq; dæmon. Feſtum peragunt, quod uitiorum uocant interitum, in quo ſerpentiũ & animalium etiam ferorum uis magna immolatur, dum bono dæmoni ſe gratificari ſtudent. Diuerſo autem, id eſt Arimani moleſtiæ plurimum inferre. Perſarum more maritos in bella ſequuntur mulieres, curribus ſubuectæ auratis, ac muliebri mundo inſtructæ pretioſiſſimo. Eiſdem, inſpectante quopiam uomuiſſe, aut ueſicæ retrimenta reddidiſſe, ſummum nefas. Perfrui uoluptatibus omnibus ſtudent uehementius. Liberorum diſciplina ternario perficitur numero: ut equos agitent perite, ſagittas doctius excutiant, denique uera loqui ſciant, uelintq;. Ante quinquennium aut quadriennium (ut Straboni placet) ni fuerint alterubi interpellati codices, in patris conſpectum non admittitur filius, ut ſi inter educationis munia, ſicuti aſſolet, fuerit interceptus, minore doloris ſenſu conuellatur parens. Quæ feciſſe, turpe ſit: ea nec dixiſſe, honeſtum. Mendacio nil fœdius. Turpe cuiquam debere. Sed & in flumen urinam profudiſſe, aut ſpuiſſe, uel omnino manus abluiſſe: fluuios ſiquidem colunt religioſiſſime. Natalitiam cœnam quotannis apponit rex: dicitur Perſico uocabulo ticta, Græcè uero πίλαι. Eidem quoque annis ſingulis ebrietas ſemel permiſſa. Quum Mithræ diuina res peragitur, ſaltat etiamnum, Aſiaticis alijs abſtinentibus die eiuſmodi. Verum, ſicuti equitare, ita & ſaltare diſcunt Perſæ, modulatam id genus motionem corporis robori conferre plurimum, arbitrati: quod ſeptimo Hiſtoriarum ſcribit Duris. Indorum regi largius ſe inuitaſſe, ſummum nefas. At Perſici regis luxum id item parte plurima retegit. Capiti ſiquidem imponebatur inſigne, quod (ut prodit Dinon) ex myrrha parabatur, & labyzo. Eſt uero odorata labyzus, & myrrha longè pretioſior. Lectulus porrò regius ſic fermè concinnabatur, ut capiti incumberet pentaclina habitatio, in qua perpetuò ſeruarentur auri talenta quinque millia. Dicebatur uero ædificium id, βασιλικὸν πεσκεφάλαιον, id eſt regium puluinar. Rurſum pedibus adiacebat triclinon, in quo recondita haberentur argenti talenta tria millia: nuncupabatur locus, βασιλικὸν ὑποπόδιον, id eſt regium ſcabellum. In cubiculo ſupra lectum aurea uitis ſtabat, gemmata, id eſt λιθοκόλλητον, racemis item propẽdentibus ex lapillis pretioſiſſimis. Nec longè crater aberat aureus, Samij Theodori opus. Aqua fuit in Perſis item aurea cognomento, ex qua rex modò potaret, ac inter filios natu maximus, alijs protinus morte mulctatis. Vxores ducere quàm plures, receptus mos eſt. Verum & pellices alere non pauciores, atq; id quærendorum liberorum gratia, & ſobolis propagandæ: quando & reges quotannis præmia in eos conferunt, quibus maior filiorum numerus. Saporem Perſarum regem in bello, arietini capitis ſimulacrum lapillis interſtinctum geſtare pro diademate ſolitum, ab celebri traditum auctore eſt. Hic eſt, qui ſuperbia inſita humano altius faſtigio prouectus Valerianum, qui fuit Romanorum præcellens Imperator, in Meſopotamia uictum captumq; in id neceſſitatis malum coniecit, ut ſeruiliter incuruatus illi equum inſcenſuro gradum ſuamet ceruice faceret. Inter Perſica indumenta & calaſirin inuenio pulcherrimam omnium. Erant etiam, quæ Actææ nuncupabantur ueſtes, ita contextæ, ut miliacei grani auream per totum præferrent imaginem. Cidaris uero eiſdem fuit capitis indumentum. Quod crobylum Athenienſes dicunt, cordylen Cyprij: quanquam nomine eodem capitis item dicitur ex plaga tumor. Veſtibus Perſas uti laxioribus,

teſtis

teſtis eſt Aſtronomicon quarto M. Manilius,

Et Syriæ gentes, & laxo Perſis amictu.

Inter barbaros præcipuè zelotypos eſſe Perſas, proditum hiſtoria eſt, ac in ea re peracerbos ſe ac difficiles præſtare: nec uxores modò ſollicitè aſſeruant, ſed ſeruas item ac concubinas, ita ut domi occludantur: aut ſi prodeundum ſit, obſeratis ferantur uehiculis. Quorum occaſione tutus in Perſas Themiſtocles euaſit. Scire tamen conuenit: apud Perſas neque aureo annulo, nec zona, aut moníli, uel ornamento alio inſigniore, ni ex regis munere, ac gratia, uti fuiſſe fas. Porrò apud eoſdem ita receptum moribus: in bellum ituros ante regem in throno ſedentem cum ducibus coire, ac ſingulos in cophinos ad id paratos ſagittam conijcere, qui mox ſigillo obſignentur regio. Demum peracto bello ſingulis ſagittam ſuam repetentibus, deſideratorum iniri rationem. Ad tripodem ire, in Perſicis inſtitutis quid ſit, hinc liquere poteſt. Ferreus ſtabat tripus ante regiam perpetuò: ſi cui uero Perſarum factus eſſet iratior rex, in templum defugere haud licet: non item aliò, ſed apud tripodem regis cogitur expectare ſententiam, nemine prorſum cuſtodiente. Mittitur uero ſæpe poſt dies aliquot ab rege, qui hominem iugulet. Obſeruatum illud quoque: zona ſolitum apprehendi, apparitoribus qui traderetur excarnificandus. Scribit Bardeſanes Syrus: legem fuiſſe Perſis, qua filias, ſorores, matres quoque in connubij iura admittere, non duceretur impium ominoſum'ue. Quod Strabonis item comprobant monumenta: & Septimius Florens repetit. Ex qua hiſtoria illuſtratur, ſimul & emendatur Quintiliani locus libro tertio, ubi ita ferè ſcribitur. Et ſi quod eſt exemplum deforme poſteritati traditum, quale libidinoſus uir Perſes in muliere Samia inſtituere auſus dicitur primus. Legendum puto, In matre ſua, uel in matre & filia, uel (ſi placet) Samia intelligatur proprium nomen. Sentẽtiam alteram ſubijciemus ſtatim. Perſes autem (ſed non hic, ut opinor) antiquiſſimus fuit Perſarum rex, à quo & cognominati Perſæ, quem Medeæ filium Stephanus intelligit: quamuis Herodotus ſcribat libro Hiſtoriarum ſeptimo, à Perſe Iouis & Andromedæ filio, Perſas dici: quum Cephenes dicerentur prius à Græcis, ab accolis uero Artei. Sunt codices tamen ueteres, in quibus legatur præſes, non Perſes. Porrò Magos quoq; cenſuiſſe, Socion libro uiceſimotertio ſcribit, iuſtum uideri cum filia & matre congreſſum. Ex quo etiam Catullus,

Naſcatur Magus ex Gelli matriſq; nefando
  Concubitu, & diſcat Perſicum auſpicium:
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
  Si uera eſt Perſarum impia religio.

Quod uero Lucanus hoc ipſum etiam Parthis attribuat, fortè Plinianum illud reſpexerit, ex libro ſexto: Perſarum regna, quæ nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria, Perſicum & Hyrcanum Caucaſiis attolluntur iugis utrinque per deuexa laterum. De ſinu uero Perſico alibi Plinius idem: Perſæ Rubrum mare ſemper accoluere, propter quod is ſinus Perſicus uocatur. Ratio uero ex Strabone elici poſſe uidetur: Et ſi adhuc (inquit) Perſæ regnant, proprium habẽtes regem, uiribus tamen ſunt longè inferiores, & Parthorum regi adhæreſcunt. Id quod in Craſſi rebus confirmat Dion: factum id aſtruens poſt Alexandri interitum, quum tabeſcerent res Macedonum. Carmen Lucani ad id ſpectans, quia ad manum eſt, ſubieci, ut uolentibus item præſtò ſit:

Parthorum dominus quoties ſic ſanguine mixto
Naſcitur Arſacides, cui fas implere parentem.

Nec ignoro, Q. Curtium ſcribere libro ſeptimo: in Naura regione cum parentibus ſtupro coire, moribus permiſſum. Illud mirum magis, à Chryſippo proditum γὼ ϐοῶ πϑτρὶ πλικῶν, congreſſum cum matre, filia, ſorore parum prudenter uitio uerti. Adhæc nimirum reſpicit Ouidianum illud:

Gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genitrix & nata parenti
Iungitur, & pietas geminato creſcit amore.

Aemylius Probus & Plutarchus auctores ſunt, apud Athenienſes fas fuiſſe, ſororem in matrimonium capere. Agathius Gottici belli ſecũdo, facta huius turpitudinis mentione

tione, rem haud ita ueterem arbitratur argumẽto præcipue, quod Semiramis à filio necata feratur, cuius concubitum appetijſſet impudentius. Id quod de Artaxerxe ac Pariſatide memoratur quoq;, niſi quod hæc reiecta modo iracundius fertur & ſpreta: quod impium eſſet, nec patrium, nec ferè humanis moribus receptum. At noſtri temporis, inquit, Perſæ priſcos exuere mores, alienis imbuti legibus, Zoroaſtris præcipue, qui & Zarades nuncupatur. Perſæ item, ſicuti omnes fere eius tractus homines, ſubnigri ſunt graciles, uel colore liuido pallentes, caprinis oculis torui, & ſupercilijs in ſemiorbium ſpeciem curuatis. Omnes inter epulas feſtosq; dies gladijs cincti cernuntur. Qui fuit ueterum mos Græcorum, ab Athenienſibus deſitus primum, uti auctor eſt Thucydides. Prandendi, exceptis modo regalibus menſis, præſtituta eſt hora nulla. Sed uenter unicuique uelut ſolarium eſt. Eo autem uellicante, obuijs ueſcuntur, nec ultra ſatietatem ingeritur quippiam. Callidi ſunt, ſuperbi, crudeles: uiuis hominibus cutes detrahunt per partes, ſed & integras quandoque. Miniſtris inter epulas nec hiſcere licet, nec ſpuere. Aduerſum ingratos diræ ſanciuntur leges. Super corio prædamnati iudicis ſediſſe iudicantes, aut fictum, aut deſitum mox eſt. Perſicæ fœminæ ut pulchritudinis gratia inſignes celebrantur. Perſici tractus urſos ultra omnem ſæuire rabiem tradunt. Apud Perſas nil aut pingitur aut omnino fingitur præter uarias cædes ac bella. Verum, ne quid omnino quod mihi in lectione compertũ ſit, diſſimulem, lego apud Græcos Leſbios fuiſſe in Venereis fœdiſſimos, adeo ut ne capiti quidem parcerent, σύμασι μολωόμενοι, id eſt ore inquinati: quod Theopõpus ſignificat, & meminit Stratis. Hanc fœdita temilli excogitarunt, ac in muliere experti ſunt primum. Ad quod forte Fabij reſpicit ſenſus. Sed & Lesbiam muſicam intelligimus corruptam ſcurrilemq;: quoniam Lesbius Phrynis in ea talem ſe præſtiterit: nata inde parœmia, μετὰ λέσβιον ᾠδόν. Adijcia mus poſtremo quod obiter ingerit ſeſe, πόρσω dici interdum λυδιστὶ βόλον, id eſt cuborum iactum quendam. Perſitheam Venerem nuncupari. Paſitheam ſcribit Sudas, & eſſe tantummodo deæ nomen tradit. Apud Plutarchum id compertum quoq;. Sed & alibi opinor commeminiſſe me. Mneſimachus comicus Paſitheam prodit Charitis, Vulcani in Lemno uxoris ſororem, atque à Somno amatam, qui & eo nomine habitare in Lemno inſtituerit. Meminit & Iliados quintodecimo Homerus, ſed aliter. Paſitheam ſunt qui Euphroſynem putent. Cybele quinetiam, ut quæ ſit Mater deũm, recte dici Paſithea poteſt. Apud Heſiodum in Theogonia, Nereidum una eſt Paſithea, ſic dicta interpretis aſtipulatu, quoniam παρὰ πάντων θαυμάζεται, id eſt omnibus ſit admirationi: uel ad quam currunt omnes, ἐς ὃν πάντες θέουσι. Eſt in lucubratione eadem, Paſithoa Oceani & Tethyos filia. Porrò Perſica, ex Perſide aduecta Plinius ſcribit, ridenda medici non indocti ſententia, adſtruentis dici Perſica, uelut per ſe iniqua, id eſt citra uini & ueteris & odorati potum: quoniam frigidæ illorum prauitati, unde ſit pituitæ ſuccretio, præcipue ſic obuiam eatur, Galeni aſtipulatu. De alimentis ſecundo, qui & per initia menſæ ijs ueſcendum præcipit. Perſus etiam piſcis eſt in mari ſuccreſcens rubro. Perſinon, Ephebum interpretantur. Illud grammaticæ rei ſtudioſos moneo, legi quãdoq; in ueteribus libris πρός: id uero ad Perſas attinet nihil: ſignat autem πρός σε, nec aliud ferè. Scribit Ioannes Monachus, in Danielis libro compertum fore ut Græcorum quidam Perſarum regna euerteret, id quum Alexandro patefactum foret, munifice multa Iudæis eſt impertitus.

Non eſſe legem ueram, quæ ad optimum non perducat. Lex quid. Cur in numina referãtur leges à ueteribus. De Minoe, Dracone, Zaleuco. Legũ nullam eſſe bonam ex Gnoſticorũ ſententia. Legum laus, & cur Platonis leges frigeant pleriſq;. Nomophylaces. Caput XIX

SEd enim prius quàm ad ulteriora pergamus, quæ haud parũ multa ſuperſunt, quærat hic interfatus quiſpiam, Legem ne arbitremur ueram legitimamq;, adeo inauſpicata, improſpera, impiaq; uel præcipientẽ, aut (quod paulo minus eſt) ferentẽ? Ego uero neutiq;, ut qui ſciã traditũ à me aliàs, Legem eſſe (Pindari ſentẽtia) deorum hominumq; reginã: rurſumq; eſſe, legis finem iuſtitiam: legem, principis opus: principem, dei uniuerſa exornantis ſpirantem imaginem. Quamobrem ubicunq; principum inſtitutiones aut ciuitatum ueræ nõ

ſunt,hoc eſt ad optimum ratione certa non dirigunt: legis haudquaquam uideri nuncupatione,ſacro'ue dignas titulo. Quinimmo decreta dici uerius, edicta'ue ac inſtituta. Siquidem lex uera, lex bona eſt, æterna item, & mutationis prorſum neſcia, immo & eadem ubique, ſi modo uera. Nam quæ ingeniorum afflatu ſubinde locis temporibuſq; interpolata diſtinguitur, & Protei modo formam euariat, neutique lex dicenda eſt. Legem ex Platonis ſcientia ſic fermè poſſumus finire. Lex eſt gubernandi ratio, formulaq; uera,finem ad optimum per commoda media nos producens,tranſgredienti pœnam,parenti præmiũ præfigens. Quæ quia à ſummo eſt bono, ac rurſum in idem refluit: hinc ueteres legum latores, earum inuentiones eſſe diuini muneris arbitrati, (quod eſt à Diodoro adnotatum) in diuerſorum numinum uim referre adorti ſunt: ueluti Zoroaſter Bactrianis Perſisq; leges tradens in Oromaſin: Triſmegiſtus, ſeu Minas,ut uolunt alij, Aegyptijs in Mercurium: Charondas Carthaginienſibus in Saturnum: Draco & Solon Athenienſibus in Mineruam: Maumeth Arabibus in Gabrielem: Zamolxis Scythis in Veſtam: Plato Magneſiis & Siculis in Iouem & Apollinem: Minos Cretenſibus, ut uulgatior fama tenet,ac Parrhaſii monumentis traditur, in Iouem eundem. Euſebius tamen à Platone falſum eſſe id, peruinci tradit: ſed uerum comprobat Politicorum ſecundo Ariſtoteles. Meminit & in Moralibus. Sed & Euſebius mox paulo: Minos(inquit)leges ac fora conſtituit. Verum etiam primo Legum Plato non abnuere uidetur. Qui & ipſe Legum libros à Deo exorditur,quem communem prædicat legum conditorem. Id & in Protagora comprobat, artes illas adſtruens quæ ad uictum ſpectent, ab Prometheo, id eſt ab humana prouidentia eſſe contributas. Legem uero bene feliciterq; uiuendi ab Ioue, quo nomine diuinam intelligi prouidentiam uoluit, per Mercurium, id eſt angelicam inſpirationem eſſe admirabiliter infuſam. Quod ſi eſt,ſicuti eſt profecto, dilucet opinor Iureconſultum uirum mercatori bono,uel etiam medico longe anteire, Minoemq; tanto fuiſſe Galeno eminentiorem, quanto eſt corpore præcellentior animus. Eſt ſiquidem ciuitatis anima lex. Quod ſi plures comperiantur in ciuitate leges, non multæ tamen eſſe creduntur ciuitatis animæ. Nam inter magiſtratuum multifarias conſtitutiones una nihilo ſecius publica lex eſt, communis ſcilicet recte uiuendi regula, qua uno utique calle ad publicam prouehimur felicitatem. Adde quod philoſophus differendo frequenter lites conſerit,quas legumlator ſoluit. Illius argutiæ inutiles ſæpius: quod ſi utiles,paucis utiq; utiles. Huius nunquam non emolumentis redundans diſciplina,& ubiq; ac nemini non neceſſaria. Denique ex formula ſua uiuere,id eſt bene,quanto ſatius eſt quàm loqui bene,ac ſe licem eſſe quàm uideri: tanto legumlatoris quàm philoſophi facultas præſtantior. Iureconſulti uero laus illa præclara, publicum dici eum patronum, ciuitatis oraculum,diuinæ mentis ac uoluntatis interpretem. Nomophylacas uocant Græci, qui legibus præeſſent,eosq; qui illis parerent,laudibus proſequerentur,nec minus honoribus: qui autem non parerent,pœna mulctarent. De Dracone obiter ſcitu non indignum,quod Rhetoricorum ſecundo Ariſtoteles ſcribit, Ex nominis ratione duci quandoque argumentum,ut in Draconem Nomotheten, Non eſſe hominis leges, ſed draconis plane. Et apud Euripidem Hecuba uirulentius illud in Venerem iactat: Recte prorſum dici Aphroditen, quod ἀφροσυνης ἀρχη θεα, id eſt inſipientiæ princeps dea ſit. Sed redeo ad leges. In ciuitatibus, inquit Plutarchus, alia ad honeſtatem pertinent, quædam & ad neceſſitatem. Honeſtorum uero omnium illud multo maximum eſt εὐνομια, id eſt legum bonitas. Neceſſariorum autem, εὐπορια, id eſt rerum affluentia. Lex(inquit Marcus Tullius)uinculum eſt ciuitatis, libertatis fundamentum, fons æquitatis, Mens, animus, conſilium, ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus ac neruis ac ſanguine & membris uti non poteſt. Legum porrò miniſtri magiſtratus. Legum interpretes iudices. Legum denique omnes idcirco ſerui ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Propterea qui Locris leges conſtituit Zaleucus, quum ſanxiſſet ne quis armis obſeptus ſenatum ingrederetur, poſtea quàm urente bello, armatus ſenatum adijt, ſucclamauit quidam, Legem ſoluit Zaleucus. At is conuerſus, non ſoluturum quidem, ſed corroboraturum pronunciauit: moxq; cum gladio ipſum ſe tradens uitam abrupit, quæ tranſgredienti ſanciebatur pœna. Legem eſſe omnium

omnium diuinarum humanarumq; rerum notitiam ſtatuit Chryſippus. At Demoſthenes in Ariſtogitonem oratione priore: Lex (inquit) eſt, cui omnes homines decet obedire: præſertim quia lex omnis, eſt inuentio quædam & donum dei, ac ſapientum dogma, conſultorum inconſultorumq; emendatio, ciuitatis demum conſenſus congruentis. Differt autem à pſephiſmate lex: quoniam ψήφισμα ad tempus eſt, ſiue πρὸς καιρόν: lex autem perpetua eſt, καὶ πρὸς ἅπαντα χρόνον. Poſtremo uelut auctarium adijciamus & illud ex Seneca: Legem oportere eſſe breuem, quo facilius ab imperitis teneatur, uelut emiſſa diuinitus uox. Iubeat, non diſputet. Nil mihi uidetur frigidius, nil ineptius, quàm lex cum prolegomenis. Hinc iactatum forte Platonicarum legum frigus. Gnoſtici, uelut ex Platonicis accepimus, ut peruincerent, boni prorſum nihil eſſe in mundo, nullas adſtruebant uel naturæ uel hominum leges eſſe bonas, & quæ dicantur uirtutes, eſſe nihil.

Ad meridiem uergentes cur timidi. Ad ſeptentrionalia audaces. Italiæ ſitus laus exquiſita. Diagramma quid, aut programma. Diagraphe, diagrapharius, diagrapheus. Germanorum mores. Caput XX

Sed enim, ut ad hominum mores regrediamur, iam illud (opinor) apud bene ſentientes conſtat, Qui exuſtas à ſole mundi partes incolant, ita caloris exuberantia in extimis torreri, ut intima frigoris plurimum concipiant. Proinde inſigniter ad timiditatem degenerare, & effœminatiorem naturam: quo nomine ſeruituti ferè mancipati omnes animaduertuntur: dilabitur enim calor, meatibus corporum laxatis, & quodammodo hiantibus, ſideris propinqui intemperantia. Argumento eſt cutis nigricans, educti forinſecus inſiti caloris copia. At qui rigentia mundi, pruinis geluq; torpentia terunt, nimio plus audacia præcellunt, candentibus corporum extimis. Vtriq; tamen inhumani feriq;. Cæleſtium rerum ſtudioſi aliquot Saturno acceptam referunt meridianorum timiditatem, uitamq; æui contractioris: ſicuti Martis planetę Septentrionalium ardorem bellicum, & animi præſtantiam. Quando iſs ſidera eiuſmodi influere ac præſidere exſuperantius uideantur. Cæterum medianæ regiones hinc calore, hinc frigore contemperatę, ad habitumq; in primis congruum reuocatæ, tum prudentiora promunt ingenia & ſapientiora, tum imperijs præcipue adnata factaq;: cuiuſmodi ferè Italiæ ſitum uideri Vitruuius opinatur, ſed & rerum probatur argumentis; namq; temperatiſſimæ ad utramque partem, & corporum membris, & animorum uigoribus pro fortitudine ſunt in Italia gẽtes. Quippe ueluti Iouis ſtella inter Martis feruentiſſimam & Saturni frigidiſſimam, media currens temperatur: eadem ratione inter ſeptentrionalem meridionalemq; ab utraq; parte mixtionibus temperatas Italia, & inuictas habet laudes. Proinde conſilijs barbarorum refringit uires, forti manu meridianorum cogitationes: etiam ſi ex acuto feruore mente expeditius celeriusq; moueantur, uelut ad arctum uerſi ex infuſi cæli craſſitudine, ac ob aeris obſtantiam humore refrigerati ſtupidis penè noſcuntur mentibus. Quod ex ſerpentibus brumali ſidere torpentibus perſpicuum fit. Adnotatur & interſtitium illud: in meridianis finibus ex altitudinis breuitate ad mundum uoces inaudiri prætenues & acutiſſimas. Ad extremos ſeptentriones ſub cæli altitudine grauiores, ſpiritibus uocum humore oppletis. At quæ mediana incolunt nationes, uti in diagrammate muſico, medianę uocis ſonum in ſermone præferunt. Eſt autem obiter diagrãma quandoque geometria quadrangulis ſiue triangulis delineata. Et omnino deſignationes, ut uentorum ac aliorum id genus, quibus utimur in libris plerunque. Sed & libri item titulus ac inſcriptio ſic nuncupatur. Sunt qui diagramma edictum interpretentur, aut decretum. Clodium Plutarchus ſcribit diagramma propoſuiſſe, quo Ciceroni interdiceretur igni & aqua. Programma idem ſignat ferè. Vulcatius in Auidio Caſſio: Programma in parietibus fixit, ut ſi quis cinctus inueniretur apud Daphnem, diſcinctus rediret. In Lucullo idem Plutarchus, ἀλλ' ἐκώλυεν ἐκτιθέναι διαγράμματα. ut dixi, Latine poſſumus edicta interpretari ex Tranquillo in Cæſare, & cæteris. Plutarchi interpres in Demoſthene, limitem tranſtulit pro diagrammate. Programmatis uocabulo utitur Imperator Codice De legibus & conſtitutionibus, libro primo. Διαγραφαὶ autem compoſitiones dicuntur & pacta. Intelligitur tamen id uerbum quandoque καὶ ὧν ζωγραφι-

τοῦ φίναξ. Diagraphariũ utique eum dicunt, qui publica repetit, id eſt διαπράττοντα τὰ δημόσια. Eſt diagramma etiamnum merces, quam ex præſcripto quis capiat: ſicuti præfinire ſolitos accepimus ædiles, quantum capturæ nomine acciperet meretricum quælibet. Sed & ingruente bello, quum ratione cenſus ciuium ſingulis præſcribebatur, quid conferendum foret, diagramma nuncupabatur. Nam & diagrapheus rei huic diſpiciendæ præpoſitus eſt appellatus. Sed nimirum à diuerticulo iam repetenda fabula eſt, ne in parerga nimis diu excurramus, etiam ſi amplius renident interdum. Nos itaque omiſſa generis cura, ſpeciatim quæ ſuperant, exſequamur. Auctores ſunt, Germaniæ incolas eſſe immanes animis atq; corporibus, & ad inſitã feritatem uaſte utraq; exercere. Hinc Aſtronomicon quarto Manilius,

Flaua per ingenteis ſurgit Germania partus,
Gallia uicino nimis eſt infecta rubore,
Aſperior ſolidos Hiſpania contrahit artus,
Martia Romanis orbis pater induit ora.

Sed Germanos repeto. Prius quàm pubertatem attingant, plurimum operimenta neſcire, corporum nuditate gaudẽtes. Diuturnam eſſe illis puerítiam. Virilitatem ingreſſos ſaga denicq; admittere, aut arborum contegi libris, etiam ſi obrigeſcant hyemali ſæuitia, uel paruis rhenonum tegumentis, magna ſic quoq; parte corporis nuda. Adeoq; uiribus attribuere multum, ut ne latrocinijs quidem parcant, ceu maximo robori, maximum item ius præſto ſit. In tanta tamen feritate, quod præcipue mirum eſt, eſſe hoſpitibus benignos, necnon ſupplicibus pacatos. Carnibus ueſci ferè crudis. Deorum loco eos modo habuiſſe quos cernerent, à quibusq; beneficia ſentirent, Solem, Vulcanum, Lunam. Venationibus ſtudere plurimum ac rei militari. Fœmineum cõgreſſum ante uiceſimum annum appetiſſe, parum apud eos decorum. Fœminis tamen illic auctoritas pluríma. Memoriæ proditur, quaſdam acies inclinatas iam & labantes, à fœminis reſtitutas, conſtantia precum, & monſtrata comminus captiuitate. Ineſſe quin etiam ſanctum quiddam ac prouidum arbitrantur, quo nomine conſilia nec abnuunt. Veledam legimus, ſtationem imperij Veſpaſiano tenente, numinis loco habitam: ſed & olim Auriniam. Propterea in Syluis Papinius,

Captiuæq; preces Veledæ.

Fuit & gentibus illis celeberrimum Tanfanæ templum, ab Germanico Cæſare æquatum ſolo. Auctor Agathius eſt in Gotthici belli ſecundo libro, Germanos uatibus fœminis uſos quandoq;, ueriſſimo item euentu. Sacras uocat Plutarchus in Cæſare, ac ex fluminum uerticibus & ſtrepitu futura cõiectaſſe. Scribit Herodianus, Germanos cen ſeri natandi peritia, ut qui tantum in fluminibus lauentur. Eſſe uero in primis pecuniæ auidos, nunquamq; non auro pacem Romanis cauponari ſolitos. Appoſitiſſima uero, quæ ad hoc ipſum pertinentia ſcribit Seneca, ſimul autem & uitæ peraccõmoda: Quid (inquit) Germanis animoſius? quid in curſu acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriunturq;, quorum una illis cura eſt, alia negligentibus? quid induratius ad omnem patientiã? Hos tamen Hiſpani, Gallicq;, necnon Aſiæ Syriæq; molles bello uiri, ante quàm legio uiſatur, cedunt: ob nullam rem aliam opportunos, quàm ob iracundiam. Germanis uero, ſed & Barbaris inſitum omnibus, ut ſe in aduerſis humiles præſtent, diſparesq; in ſecundis. Verum & fluxioris cenſentur fidei. De Germanis illud amplius plane monſtrificum, proximis annis in Gallia hominum in bibendo capacitatem fuiſſe omnibus miraculo: quippe ſingulis menſis ſinguli quaternos quartarios uini exiccarunt, ſic ut potores nouẽ amphoras exinanirent binas. Ne miremur amplius bicongium M. Tullij filium, aut Mediolanenſem tricongium Torquatum: etiam ſi apud Tranquillum potorem legerimus amphorarium.

Pannoniorum mores, Britannorum, Gallorum. Martialis explicatur. De Braccis & Anaxyride, ac Campeſtribus, & Rhemenſi tela. De Angonibus Francis. Matrona iugo. Campago.

Caput XXI

Panno-

PAnnonios quidem feroces intelligi Papinius uoluit in Syluis,
Pannoniusq́ ferox, arcuq́ horrenda fugaci
Armenia. Herodianus uero auctor eſt, eius regionis homines eſſe quidem corporibus prævalidis atq́ proceris, & in pugnã cædemq́ paratiſſimis, uerum ingenio pingui & hebeti: quamobrem haud facile ſentire, ſi quid agas dicas ue aſtute ac ſubdole. Vbi uero apud Tibullum legimus,
Teſtis quoq́ fallax Pannonius,
rebellem intelligunt. Extant Auſonij elogia ſcitiſſima in hanc concinnata gentem.
Armiferis alui quos ego Pannonijs. Et alibi:
Saluere Auguſtum iubeo natumq́ patremq́,
Imperijs grauidas qua ſeco Pannonias.
Mira porrò nunc eſt gentis eius in uictu lautitia, mirum & in condiendo ingenium. Summi, infimi, medioxumi, coquendi artem ſagaciter tenent. Vſurpatur ab eis adagium, Extra Pannoniam non eſt uita, aut ſi ſit, non tamen eſſe ita. Pleroſq́ eorum in literarum ſtudia peracutos aduerti, quum Patauij prouincialibus profiterer. Affectant præcipue ſtudia hæc noſtratia, audiendi porrò auidiſſimi omnes, ſtudendi non adeo. Veſtium in patria neglectus, in Italia non uſquequaq́ incurioſi. Illud obiter adnotaro, quod eſt non ita frequens: Pannoniæ partem dictam quandoque Valeriam, quod Valeriæ Diocletiani filiæ honori eſt contributum. Pannoniacos augures in Seuero memorat Spartianus. Sed & in Alexandro Lampridius: Fuit & orneoſcopos (inquit) magnus, ut Hiſpanorum & Pannoniorum augures uicerit. Nec prætereundum: ex Pannonia prodijſſe imperatorem Probum, Sirmij natum, uirtutis tantæ, ut inuulgatum uel apud celeberrimos ſit: ſi diutius ſuperfuiſſet, futurum fuiſſe, uti terrarum orbis Barbaros non haberet. Nam & ipſe prædicabat, Breui milites neceſſarios haud futuros. Natus eſt, quod iure miremur, agreſti patre, ut inquit Sext. Aurelius, ac hortorum ſtudioſo. Hic Gallos & Pannonios uineas habere permiſit. Quin opere militari Almam montem, Eutropio tradente, prope Sirmium & Aureum in Mœſia ſuperiore uineis conſeuit. Sirmienſe uinum miris efferunt laudibus Pannonij. Eiuſdem Probi circumfertur dictum non ſilentio inuoluendum, Annona gratuita milites ueſci non debere. Gentes porrò non paucas animaduertimus conciliandæ formæ gratia ſubinde herbarũ ſuccis ritu perpetuo corpora ſua linere. Fœminarum id inter Barbaros proprium. Apud Dacos & Sarmatas etiam mares corpora narrantur inſcribere. Plantagini ſimile, glaſtum in Gallia uocatur: eo Britannorum coniuges nurusq́ totum oblinentes corpus quibuſdam in ſacris nudæ incedunt, Aethiopum colorem ſic imitatæ. Sed & Britanni omnes eodem inficiuntur glaſto, quod (ut Cæſar inquit) cæruleum exhibet colorem, ut ea ratione horridiores hoſti ſeſe ingerant in prælijs. Vnde commonemur, ut doctius interpretandos monſtremus Valerij Martialis uerſiculos, quàm ſint interpretes ſuſpicati. Leguntur uero hi libro undecimo,
Claudia cæruleis quum ſit Rufina Britannis
Aedita, cur Latiæ pectora plebis habet?
Germanos item cæruleos dici ab Horatio nouimus, quod ad cæſios oculos referri poſſe animaduerto. Nam qui ſub Septentrionibus agunt, tradente Vitruuio, immanibus ſunt corporibus, candido colore, directo capillo & rufo, cæſiis oculis, ſanguine multo: quoniam ab humoris plenitate cælicq́ refrigerationibus ſunt conformati. Qui uero ad axem accedunt meridianum, breuioribus uiſuntur corporibus, colore fuſco, capillis uibratis, oculis nigricantibus, cruribus inualidis, ſanguine exiguo. Hieronymus in Hilarionis uita Germanum quempiam coma rutilum dicit, quod ad cæruleum colorem ſunt qui referant, Horatij carmine ad comprobationem allato: quàm bene, nõ ſtatuo nunc. Britannos præterea capillo uſus promiſſiore, cætero corpore abraſo curioſius, præter labrum ſuperius, frequens prodit hiſtoria. Britannos ut hoſpitibus feros, inceſſit Horatius. Vxores habuiſſe traditur, denos duodenosq́ inter ſe communes, præcipueq́ cum fratribus fratres, ac cum liberis parentes. Nati inde ijs aſſcribebantur, à quibus uirgo adducta primum. Illud obiter adnectam, Britanniam eſſe πορίζουσαν, & inſulam, Tito imperante Romanorum primum deprehendiſſe Cn. Iulium Agricolam

lam. Id quod ex Dionis hiſtoria nouimus, qui in Seuero, Britanniæ gentes ait præcipuas Caledonias & Mæatas, quę montes incolant aſperos, & aquis indigos, & campeſtria deſerta ac paluſtria, ſine ciuitatibus, domibus, agrorum cultu, fructibus tantum & pabulo uictitantes. Piſcitium nec guſtant quidem: agunt in tentoriis nudi, ſine calceis. Curribus in bello utuntur, equis paruis, ſed præuelocibus. Famem, frigus, miſeriã omnem ferunt conſtantiſſime. In paludes coniecti perſeuerant dies multos, capite modo prominente ex aquis. Cibum parant, quo fabæ menſura ueſcentes famem non ſentiunt, neque item ſitim. Leporem, gallinam, anſerem admiſiſſe in menſam, maximum nefas: alere tamen iſta non abnuebant, ſed animi tantum gratia. Delectum ac tributa iunctaq; imperij munia obiſſe haud grauate, modo abeſſet iniuria: hanc enim ægre patiuntur. Audaciam temere proruentem, & cum ſalutis ac uitæ neglectu Celticam nuncupat Ariſtoteles: nam (ut Strabo inquit) præter uim & audaciam nullum ad prælia adiumentum habent. Gallos ſcribit Cicero, iuriſiurandi ac deorum religione nulla commoueri. Nam cæteri, inquit, pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt, Galli contra omnium religiones. Quinimmo & cum diis immortalibus bella geſſere, quando & celebre in terris, ut tum res erant, impetu hoſtili Delphicum oraculum inuadere ſunt auſi. Si quando uero metu perciti propitiandos deos arbitrantur, humanis hoſtijs templa fœdant. Auctor tamen Strabo eſt, Gallos eſſe ſimplices, ac nulla morum malignitate. Propterea Martialis,

Et tumidus Galla credulitate fruar.

Quod ad ſtoliditatem referunt alij, & Cæſar Gallorum conſilia, ut ſubita inceſſit, ac repentina. Accedit Polybij auctoritas tradentis, Gallos ira potius atq; impetu moueri quàm ratione. Sed & Gallos omnes admodum deditos religionibus tradit. Verum qui affecti ſint morbis grauioribus, aut periculis infeſtentur, aut pro uictimis homines immolare, aut ſe immolaturos uouere, quòd niſi pro uita hominis homo item reddatur, non poſſe deorum immortalium numen placari arbitrentur. Fuiſſe quoque quiſta turoſa haberent ſimulacra, quorum contexta uiminibus membra ſpirantibus complerent hominibus, quibus ſubiecto igni crudeliter incluſi exanimarẽtur. Hominem præterea diuinationi deſtinatum in tergo ferientes, ex ipſo impatientiæ afflictandiq; modo uaticinia concipiebant, quoſdam etiam ſagittis configebant, patibulo etiamnum in ſacris ædibus ſuffixos. Gallorum & illud proprium, à Dite patre ſe prognatos arbitrari: quo argumento temporum ſpatia metientes, non dies, ut cæteri, ſed noctes mittunt in digitos. Bardi, inquit Ammianus Marcellinus, fortia uirorum illuſtrium facta heroicis uerſibus cum dulci lyræ concinebant modulo. Druidæ ingenijs celſiores, ut Pythagoræ decreuit auctoritas, ſodalitijs aſtricti conſortijs, quæſtionibus altarum rerum occultiorumq; erigebantur: ac humana deſpectantes animas eſſe pronunciarunt immortales. Galli ueteres celſioris erant ſtaturæ omnes ferè, ac candidi rutiliq;, luminum toruitate terribiles, iurgiorum auidi, & ſublatius inſoleſcentes: metuendæ complurium uoces placatorum, iuxta & iraſcentium: terſi tamen pari diligentia cuncti, & mundi. Inter eos non ferè compertus qui militiæ detrectandæ cauſa pollicem ſibi præcideret: quod genus iocaliter Murcos dicunt. Vini auidum ferebatur genus, adeo ut uel humiliores ſenſum ebrietate continua hebetarent, quam eſſe furoris uoluntariam ſpeciem pronunciauit Cato. Moræ præterea narrantur impatientes. Ab Iulio menſe Gallos conſueſſe procinctus exordia ſumere, obſeruatum in auctoribus eſt. Lampridius in Alexandro Cæſare, Gallicanas mentes eſſe duras prodit, ac retrogradas, ſæpeq; imperatoribus graues. Proinde Alexandri ſeueritatem non tuliſſe: quo argumento in uico, cui Sicilia nomen eſt, fertur occiſus. Pollio Treuellius inſitam Gallis leuitatem ſcribit, ac res nouas affectare. Idem, quum amiſſas eſſe Gallias, nunciatum imperatori Galieno foret, arriſiſſe illum tradit, ac intuliſſe mox: Non ſine trabeatis ſagis tuta reſpublica eſt? Nam & quum uaſtatam Aſiam audiſſet: Quid, inquit, ſine aphronitris eſſe non poſſumus? Galliarum ſtudia ut florentiſſima celebrantur Hieronymo, qui & Gallici ſermonis ubertatem nitoremq; Romana condiri ſolitum grauitate ſcribit: ſicuti Aſianum tumorem Attico ſale ſiccabant Græci. Hinc Gallicanum cothurnum legimus dici. Apud Sotianos Gallorum gentem mos uetus irroborauit quandoque, uti ſexcentos circa ſe

rex

rex haberet ex prudentioribus, quos dicant ipſi uerbo patrio Silodunos: id Græce ualet, συχωλιμαίους. Regi conuiuunt hi, ac commoriuntur, ipſis ita cooptantibus: proinde ueſtitu utuntur eodem ac uictu, ſed & poteſtate. Commoriuntur autem quicunque regem interceperit caſus: adeoq; id obeunt uolentes, ut qui timidius ſubterfugerit, nec dum ſit inuentus. Gallorum porrò eſt ueſtes ferre intonſas, Bibliotheces ſexto Diodoro tradente: uariiſq; coloris braccarum nomine, de quibus notiſſimum eſt illud Taciti Cornelij, Cecinna uerſicolori ſagulo, braccas barbarum tegmen indutus, togatos alloquebatur. Apud Ouidium Ponticos populos braccis aduerſus frigoris iniuriam uti ſolitos legimus,

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Scribit Mela Pomponius, Sarmatas braccatos totum corpus, & niſi qua uident, etiam ora contegere. Apud Hieronymum & Ambroſium pro femoralibus, ſicuti uulgo, dici comperies: quæ alioqui tum ſuccinctoria, tum campeſtria, ut apud Horatium, nuncupantur:

Penula ſolſtitio, campeſtre niualibus auris.

Meminit Volcatius Gallicanus in Caſſii uita, & M. Cato quandoque, campeſtri ſub toga cinctus proceſſiſſe, ab Aſconio traditur. Aurelius Auguſtinus ciuitatis diuinæ libro quarto decimo, Campeſtria, inquit, Latinum uerbum eſt: ſed ex eo dictum, quod iuuenes qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant. Vnde qui ita ſuccincti ſunt, campeſtratos uulgus appellat. Operas uero campeſtres ex Cicerone pro Plancio ſequeſtres accipimus, penes quos pecuniæ ab candidatis deponebantur: quos ſignificat Plinius, ubi ait, Quum apud Catonem pecunias deponerent candidati. Ab braccis braccarios in Alexandro Cæſare legimus apud Lampridium, ſicuti plauſtrarios item & uitrarios. Scribit idem, Alexandrum eundem braccas geſtaſſe albas, non coccineas, ut ſolebant prius, qui & faſciſs ſemper eſt uſus. Campagum, ad campeſtria facit nihil: eſt autem Iulio Capitolino barbarum calciamenti nomẽ, ſicut anaxyris item calcei fuit genus: ab cuius ſimilitudine rumicis quædam ſpecies ſic quoque dicta comperitur. Verum anaxyris (inquit Euſtathius) ſignat quod Romani bracion dicunt, ἐκ τοῦ ἀναστύρεσθαι, demutata σ litera in ξ, quod uſu uenire quandoque probant grammatici. Alibi Euſtathius idem, id eſt Iliados ſecundo, non bracion ſed bracam ſcribit. Anaxyridas Strabo tradit libro undecimo, eſſe frigoribus commodum geſtamen. Dignum relatu in Gallorum mentione illud quoq; eſſe inter Gallos qui dicantur Rhemi, à quibus propagatum telæ genus tenuitate præſtantiſſimum, quod ab illis modo luxata parum dictione decurtata ue, Rhemenſe dicatur paſſim: quanquam & in laudis participatum textrino eo reliqua item admiſſa Gallia. Gallos prodit Agathius haud prompte uolentes q; per æſtatem pugnas inire, ſed in algoribus grate admodum, dum rigent in primis: tunc enim eſſe præualidos, & laboribus ſeſe libenter ingerere, ut qui frigoribus inſueuerint, ac gelida præcipue incolant. Francis, inquit idem, tela ſunt, quæ angonas uocant ipſi, quibus res magnas ubi opus fuerit gerunt: eorum pars maior obducta ferro eſt, in parte ſuperna circa ferri aciem ipſam recuruæ extant utrinque, tanquam hami, laminulæ quædam arcuatæ præacutæq;, ſed pronæ, ac in ima reclinatæ. Francos ſcribit Ammianus Marcellinus, Salios ab conſuetudine nuncupari ſolitos. Francis familiare eſt, inquit Vopiſcus, fidem ridendo frangere. Matrona celebre eſt in Gallia iugum, ei caſum fœminæ nobilioris nomenclaturæ occaſionem præbuiſſe, ſcribit Marcellinus.

Cur Hiſpaniæ ſubterranea incolere dicatur Plutos. curq; in ea campos finxerit Elyſios Homerus. Hiſpanorum mores. Caput XXII

Hiſpaniæ uero felicitatem inſigniter admiratum Poſidonium oratoria quadam eloquentiæ ui ſeſe latius expandentem tradidiſſe ferunt, Hiſpaniæ ſubterranea non infernum, ſed Pluton ipſum, id eſt opulentiæ deum inhabitare: tanta eſt in eo terrarum tractu metallorum fœcunditas. Immo uero et literarum parens Homerus, opum eius prouincię gnarus in primis, nec uirtutum aliarum neſcius, in ea Elyſium effinxit campum, & piis dicatam ſedem, ad quam uaticinans Proteus Menelaum cecinit emigraturum. Hiſpanos autem ipſos eſſe

ingenio inquieto auidoq́ in nouas res: propterea ab historicis relatum scio, Hispaniam omni alia terrarum parte esse reparando bello aptiorem, partim quidem locorum, partim uero hominum ingenijs. Quamobrem prouinciarum utique prima inita Romanis quæ continentis sint, postrema omniũ ductu auspicioq́ Augusti Cæsaris demum perdomita est. Hispanum porrò fuit, punctim magis quàm cæsim hostem adoriri: proindeq́ gladijs uti breuitate habilibus mucronatisq́. Sicuti uero Gallis supra umbilicum nudis depugnare moris erat: ita Hispani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus in bella pergere consueuerant. Atq́ hæc quidem uniuersim de Hispanis. Iberorum uero iacula multis hamis ferreis fuisse inserta, ex historia nouimus. Ferini uero prorsum ac deprauati harum gentium mores fuere, quando non abnuebant, ex lotio, quod intra cloacas asseruatum diutius fuisset, lauacra comparare: retrimentis denique contusis, dentifricia sibi atque coniugibus quærentes. Id quod in more Cantabris fuisse, ijsq́ qui in collimitio sint, compertum est. Humi cubitare non Iberis modo insitum, sed & Gallis. Verum, micrologia Iberorum propria est, ut Phylarchus scribit; res namque minimas plurimi faciunt, & auaritiæ studio semel tantum die cibum capiunt, quam rem μονοσιτίαν Græci uocant. Sunt & hydropotæ, & in tam auido ingenio uestibus tamen amiciuntur uel precio sissimis. Taceo quod Marcus Tullius Aphros, Hispanos, Gallos, ut immanes deformat ac barbaras nationes: sed hoc generis est. Callecos omnino esse ἀθέους, hoc est sine deo, proditur. Celtiberis ignoto deo, collimitaneisq́ in Aquilonem uergentibus, rem diuinam, luna uisitationem plenam faciente, obeuntibus noctu ante fores cum peruigilio & tripudijs. Auctor Artemidorus est, mulieribus monilia ferrea gestare consuetum, è quibus in uerticem surrectos coruos itidem ferreos decumbere in frontem longius, ut propendens inde uelum umbellæ uicem præstet defendendo soli: mundus hic summe illis precio sus: apicẽ aliæ pedali mensu protollunt, comamq́ apte circumnectunt, galericulo atri coloris superiecto. Quum gererentur in Cantabria res, filios, ne fierent hostilis præda & ludibrium, matres contrucidarunt: quin & puer, quum parentes compediti asseruarentur cum germanis, omnes confodit. Promiscua uero hæc Gallis, Thracibus ac Scythis. Quum omnibus cis Iberum Hispanis arma Portius Cato ademisset, adeo ægre passi, ut multi mortem sibimet ipsis consciscerent, ferox gens nullam uitam rati sine armis esse. Mulieribus & illud proprium, opere rustico sumptum suum exercere. Puerperæ uiris, ipsarum uice decumbentibus administrant. Infantem æditum in fluminis abluunt ripis. Proditur memoriæ, in Liguria quoque exactis mensibus, quandam mercede fodientem doloribus incumbentis partus conuelli cœpisse: quumq́ urgeretur acrius, paululum se subduxisse, atque enixam mox laborem repetisse, ne captura periret: pro re nata puerulo pannis obuoluto: quem inuenisse crederes, non peperisse. Quod ne fabulosum quis putet, auctor M. Varro est, in Illyrico sæpius id ipsum usu uenire. Sed & inibi uirgines passiua Venere uti: ac quibus cum licuerit congredi: & è quibus uelint sibi liberos quærere. Barbaricæ amentiæ, agrestisq́ ac truculentæ immanitatis euidens hinc argumentum: Cantabros quippe ferunt iuris hostium factos, ac patibulo affixos, in tanta supplicij diritate nihilominus perinde ac gestientes, pæana concinere. Eiusdem quoque gentis illud est: uiros uxoribus dotẽ numerare, filiasq́ ex asse instituere hæredes. Lusitanorum ingenia insidijs apta traduntur ac uersatilia. Inspectis humanis extis futura coniectant. Dextras captiuorum præcisas numinibus obtulisse pium illis præcipue. Hydropotę in primis, id est aquæ potores, qui montana incolant: fronte mitris culta pugnam ineunt: hircus in epulis gratus maxime. Bastetanis permutatio in more est, nummorum loco. Aegyptiorum item ritu ægrotos producunt, ut à prætereuntibus, quos eiusmodi quippiam infestarit, aliquid salutaris afferatur. Degere hisce moribus Callecos ferunt, Astures, Cantabros, uniuersim denicq́ ad Pyrenea iuga.

Mysorum mores, item Thracum. Ctistæ. Ctitæ. Bendidia. Qui dicantur Abij: & aliorum quoq́ populorũ ratio. De Getis nonnulla. Itemq́ de Orpheo non indigna scitu, ac Lebethrijs, & Tereo. De antro Zerinthio, ac Hecate, Cynosphago, Ostrogotis, Vuisigotis, M. Crasso, Mysia Cerere, & Myseo.

Caput XXIII. Mysos

MYſos legimus deorum cultui adeo emancipatos, ut eſitandis animantibus eximie abſtineant: quo nomine etiam ab eis pecora declinari omnia. Viuendi ratio illis in melle, lacte, caſeo. Ex diuinorum autem cura & pacato genere uitæ deicolas uocant, & capnobatas, id eſt fumi conſcenſores. Obiter illud iucundum ſcitu: perraro in Myſia reperiri aſinos, quibus recta ſint ilia: inde natoadagio, ut ὀσφὺν κατηγὼς, ἤγουν κατεαγώς, id eſt ile fractum habens, dicatur ex Myſia aſellus. Myſios omnium Aſiam incolentiū opulentiſſimos ac feliciſſimos dicit in Heroicis Philoſtratus. Myſas item Amazonum more ex equo bellatrices. Hieram quoq; Telephi uxorem, mulierum fere maximam equitatui imperaſſe. Sunt & in Thracia, qui omnino à muliebri congreſſu abſtineant. Propterea Ctiſtas nuncupari, ueluti creatores, ſicuti interpretantur quidam. At Euſtathius, ubi Homerus Athenas uocat ὀυρανίας, exponens inquit, uel bene conditas, uel quæ bonos haberent poliſtas, id eſt conditores: quos Ctitas uocat tragœdia, extrita S litera. Sanctos item cenſeri, ac omnifariæ compotes libertatis. Ex uitæ autem modo dici ab Homero Abios, ceu à uita ſequeſtrati poſſint uideri, quum mulieres neſciant: qui hominum ſtatus ſit quodammodo diminutus ac ſemiplenus. Sed ab Antiphonte Abij dicuntur, qui multum poſſidēt uictus: uelut Homerus axylon regionem dicit polyxylon. Poſſunt etiam Abij appellari diu uiuentes, item qui legibus utuntur & politia, aut qui arcubus non utantur. Myſos ſuperiores uocari à poetis Abios, putat in Heroicis Philoſtratus, qui ſint equarum paſtores, earumq; lac hauriant. Tráuſorum in Thracia gens natos liberos ſeſe adflictans deflet, quod magnis in uita malis occurſuri in lucem emandentur. Perfunctos humanis per ſummam libertatem ueteri more contumulat. Alicubi ſingulis uxores adſunt plures, uiſendo inter eos certamine: ſi uiro contingat hominem exuere, quam is dilexerit plurimum. Victoriæ præmium mors, & commune conditorium, reliquis miſeriam inſigniter deflentibus. Virgines non aſſeruare, ſed promiſcue ut collibuerit, cum uiris congredi, Thracum moris eſt. Vxorum cura uel præcipua, quas à parentibus magna uiaeris ſibi conſciſcunt. Ocio perfrui præclarum, agricolatione contemptiſſima prorſum. Rapto ſibi uictum conciliaſſe, honeſtiſſimū. Eiuſdem gentis ſacra fuere Bendidia, Platoni celebrata etiamnum, ut Strabonem præteream. Hinc apud Xenophontem, Bendidium, id eſt βενδίδιον, nominatur Athenis ad Munichiæ templum Dianæ, Græcarum rerum libro ſecundo. Thracas prodit Thucydides, ubi nil extimeſcant, eſſe φονικώτατον γένος, id eſt ſæuiſſimum genus. Thracas eſſe in Venerem præcipue procliues, illis uerſibus teſtatur Ouidius, de Tereo Metamorphoſeon ſexto agens, & Philomela:

Digna quidem facies, ſed & hunc innata libido
Extimulat, pronumq; genus regionibus illis
In Venerem, & flagrat uitio gentiſq; ſuoq;.

Orpheum Thraca proditur memoriæ Teletas deorum excogitaſſe primum, itemq; ſcelerum expiationes, morborum medelas, præterea' que iræ diuinæ auerruncationes. A mulieribus concerptum ferunt, quod illarum uiros abduceret, quum ſibi uino audaciam quæſiſſent: unde inſtitutum etiam uiris, ut in reliquum uinolenti in aciem prodirent. Sunt qui de cælo ictum memorent, quod myſteriorum aperiret arcana iis, qui prius minime in eius rei ueniſſent participatum. Non deſunt, qui defuncta uxore in Theſprotidis Aornon autument ueniſſe, ubi olim fuerit νεκυομαντίον: quum uero Eurydices animā euocaſſe adcredidiſſet, & conſequi, animaduerſo errore, ipſum ſibi manum admouiſſe, quum doloris uim perferre nequiret. Memorant Thraces ad Orphei conditorium luſcinias ſuauius concinere ac grandius. At qui Pieriam tenent Macedones, ac ciuitatem Dion, à mulieribus peremptum arbitrātur. Certe ex Dio montem petenti columna occurrit, cuius ἐπίθημα ſit lapidea hydria, qua Orphei oſſa continean tur, uti ferunt indigenæ: tralata ad ſe à Libethra ciuitate in Olympo, quam euerterat funditus torrens nomine Sys: ædito prius Dionyſii ex Thracia oraculo, fore ut peſſimo interirent exitio Libethrij ὑὸν συὸς, quum Orphei oſſa inſpexiſſet ſol. Quod euenit, hominum adfluxu columna euerſa, ad paſtorem in ſomno ſuauiter canentem audiendum properantiū. Adnotandum & illud, ab Hebro flumine haud ita eſſe diſſitam

ciuitatem

ciuitatem nomine Zonam, poſt quam haberi Orphei quercus, ſub quibus ſit Zerynthium antrum, quod tamen in Samothrace ſtatuant alij, & Lycophron eſſe Zerynthium ſcribit, κωσσφαγοῦς θεοῦ, quam Hecaten interpretamur. In Thracia regnaſſe Terebitror, Pauſanias inquit, & ſuppetit coniectura multiplex, Daulidi ſuper Chæroneam um, uulgatior fama tenet. Megarenſes putant circa Megaridis nuncupatos fontes. Arimperaſſe: pleraque enim Helladis olim occuparunt Barbari. Perpetrato autem in Philomelam ſcelere, ac Ityn, ſibi manum conſciuit Tereus. Conſtructum uero illi ſepulchrum, & ſacra inſtituta anniuerſaria, in quibus hordei loco calculis utantur. Atque ini bi comparuiſſe primum epopa auem ferunt. Nam & mulieres in auiculas deformatas fabulantur: quoniam hirundo & luſcinia lugubre quiddam concinant, & querulum. Getas carnibus non ueſci conſtans opinio eſt, & tradit Poſidonius. Ex Pythagoræ uero decretis inſtituti origo eſt. Quando Zamolxim Getam Pythagoræ ſeruiſſe, & ab eo ſcientia cæleſtium rerum amplius imbutum, certior fama tenet: remeantemq; mox in patriam, regni participem factum, atq; ex pręſagiorum claritate deum quoq; creditum. Sciendum hoc item, Getas nunc Gothos ab eruditis credi, quorum aliqui Oſtrogotæ nuncupantur, tanquam Orientales illorum uocabulis Gothos dixeris: ſicuti Vuiſigotæ dicti qui Occidentalium ſeſe regionibus infudere. Obſeruatione dignum ex Dionis hiſtoria, Marcum Craſſum Auguſti auſpicijs Myſos & Baſternas edomuiſſe prælijs frequentibus, ac illorum regem Deldona manu ſua interemiſſe, mox & Thracas debellaſſe, uexaſſe & Getas: qui tamen opima ſpolia retuliſſe non memoratur. Getas, inquit Dion, ultra Aemum habitare ad Iſtrum nouimus. Qui uero à Romanis nuncupantur Daci, & ab ſeipſis quoq;, hoſce Græcorum nonnulli Getas dicunt: recte ne an ſecus, non ſtatuo nunc. Illud hac in parte obiter non reticuerim, Myſiam quandoq; legi Cererem, ſicuti eius templum prope Pallenen Myſeũ. Sed hæc ad regionem pertinẽt nihil, quando à Myſo quodam ſic dici deam comperio: qui fuerit Argiuus patria, quiq; Cererem exceperit domo. Celebrabatur ſeptem diebus feſtum, ſed tertio excedebant templo uiri omnes, ſubſiſtebant mulieres, pulſis etiam canibus maſculis. Sequenti die redibant mares cum multis iocis ac ſcommatibus.

Scytharum inſtituta. Apoſcythiſmus quid. Vnde dicantur Scythæ. Anacharſidis inuenta. Carrago quid. De Scythicis calciamẽtis, & Perſicis. Dauorum ſeruile nomen unde propagatum. Hiſtria quid ſit apud Herodotum. Daulus quid. Daulis unde. Sarmaticus ludus. Scytharion. Thapſus. Melinus color. Chryſoxylon. Cap. XXIIII

Scytharum pleriſq; communia eſſe omnia præter enſem & cyathum à multis proditum ſcimus. Inter promiſcua uero, tanquam ex præſcripto Platonis, eſſe item uxores liberoſq;. Aeſchylus etiam æquitatis ſeruatores dixit Scythas. Multi & ſimpliciſſimos arbitrantur, minusq; in malum procliues. Gentis eius integritatem, Anacharſis & Abaris abunde uidentur comprobare: ſed & plerique alij generis eiuſdem. Anacharſidis ſapientiam ex inuentis ab eo facile indicari multi adſtruunt: quando folles excogitarit primus, anchoram bidentem, & figuli rotam. Quod tamen ultimo poſitum loco eſt, minus recte dictum uidetur: quoniam figularem orbem antiquior illo etiam Homerus nouit. Nec ignoro tamen, Apuleio in Magia, Scythas dici ſordidiſſimos. Eos omnium principes communibus uſos legibus Clearchus ſcribit. Mox non infeſti modo iniurijq; in mortales omnes euaſere, uerum & in miras delapſi delicias ſunt ex omnium affluentia. Illuc uero immanitatis prouecti, ut cunctis ad quos accederent, nares præciderent. Ab hiſce porrò apoſcythiſmum dicimus, cutis in capite cum capillis abſciſſionem ludibrij cauſa: quod illis quandoque calamitatum magnitudine contigiſſe animaduertimus. Scytharum proprium, lactis gratia ſeruos occæcare. Item illud, uti mucronibus, quos pro numinibus colunt, eductis, iurent ſe permanſuros in fide. Scythas eſſe iracundos, nominis argumento comprobari poteſt, quando non aliunde gentis appellatio profluxiſſe creditur, quàm ἀπὸ τοῦ σκύζεσθαι, quod iraſci ſignat. Quanquam non latet, ab Herculis filio Scytha nuncupatos tradi à pleriſque, abs quo, Herodoto auctore, Scytharum pagati reges. Scythicas uero apud Alcæum, calciamenti genus inuenimus, σκυθικὰς

ἐσσανυσάμενοι, meminit & Stephanus. Sicuti Laconicas albas apud Athenæum, & Perſicas in Ariſtophane legimus quandoq;. Sed mulieribus tantum congruere interpretantur. Et Amyclaidas apud Euſtathium, in Amyclarum inuentas urbe, & ab Alcibiade, Alcibiadas. Scythas eſſe coloris rufi, in Sanitatis ratione ab Galeno traditum eſt: ſic uti Aegyptiorum nigritia eſt propria, Gallorum candor. Quia uero carris plurimum utantur Scythæ, hinc illud Pollionis Treuellij: Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Geſſacem fugere ſunt conati. Sic uero interpretantur nonnulli, ut carragi nem facere, uerbo barbariem reſipiente, ſit perinde ac ſi dicas, Conclamare uaſa. Sed & Carraginem facere dixeris non recte minus, Viam aperire, qua commeent plauſtra: quando & ratione hac, carraginem uſurpat pleraque Italia, uel prouerbio teſte. Sed in Claudio idem Pollio, carraginem pro carrorum multitudine accepiſſe uidetur omnino. Et Flauius Vopiſcus in Aureliano: Tuum eſt (inquit) quærere, ubi carrago ſit hoſtium. Sunt inter Scythas prope Hyrcaniam, quos uocant Daas, à quibus plericq; Dauorum ſeruile Athenienſibus nomen corriuatum fabulantur. Id Straboni probabile non fit, ob inſignem locorum intercapedinem, qua Græcis nullum cum illis gentibus fuiſſe commercium coniectat. Proinde quum ex locis unde uectarentur mãcipia nomenclaturam ducerent, ut Lydi, Syri, Getæ: propius uero eſſe à Dacis nuncupari: quando & hos quoq; olim Dauos uocitari ſolitos arbitratur. Sunt uero hi ex aduerſo Germaniæ, ad Iſtri fontes. Nam Daulus omnino aliud eſt: ſignificat enim denſum, quod Pauſanias interpretatur: unde Daulidi nomen impoſitum coniectat Euſtathius, quod denſa arboribus forent circumiecta loca. Idem tamen libro decimo Pauſanias à nympha Daulide nuncupari ciuitatem mauult. Sunt qui à tyranno Daulieo. Δαῦλος ἰσχνός, eſt apud Aeſchylum, id eſt denſior barba. Daulum etiam dicunt ſemuſtum lignum. Erat item apud Argos feſtum Daulidis, in quo fuit imitatio pugnæ Prœti in Acriſium. Getas autem ſunt qui ad Pontum conſtituant, in ſolis exortum reclinatos. Daas autem & Daſas appellatos inuenio. Getarum (inquit Stephanus) lex eſt, manibus defuncti uiri uxores mactare. Maximum eſſe Scythis iuſiurandum Herodotus ſcribit, per regias ἑστίας, id eſt (ut Valla interpretatur) ſolia. Hiſtia tamen idem uidetur quod Veſta: quæ uox, ut alibi indicauimus, focum ſignat, larem, deam. Et ante paulo auctor idem docẽs à Scythis coli Hiſtiam ante omnes, Veſtam intelligit interpres. Sed & in Græcorum lexicis obſeruatum eſt, Hiſtiam pro Eſchara capi, id eſt foco, item textrice muliere, ac domo, & cœna. Scythis porrò & Sarmatis peculiare, equos eunuchos facere, quoniam ſic euadant mitiores: habent autem nõ magnos admodum, at acres præcipue pernicesq;, nunquamq; non rebelles. Nulla populis collimitia, nullæ domus, pabulo & pecori, non aruo ſtudent, in plauſtris agunt fere, unde & Hamaxobiorum prorepſit appellatio. Tympana curribus imbri & hyemi defendendæ appinguntur ex corio: iuſtitiam colunt nõ legibus, ſed inſita ingenij promptitudine. Furti crimen apud eos longe grauiſſimum, ut quibus immunita ſint omnia, & facile uolentibus expoſita. Auri & argẽti odium ad cæterarum gentium amoris æquilibrium. Amictus illis ex ferarum pellibus, aut murium, aliàs ueſtium uſus ignotus. Hinc illis alieno facile parcentibus conſummata excuſſaq; morum ſanctitas. Haud dubie intelligas, ibi expeti diuitias, ubi earum uſus prępon deret. Et quod non deſinas admirari, apud illos amplius naturæ inſita uis pollet proficitq;, quàm apud alios examinata ſapientiæ documenta. Illud etiamnum admirabilius, unum modo Scythicum genus à condito æuo exterarũ gentium iuga neſciſſe. Romanaq; illos arma, quibus omnia concutiebantur, audiſſe potius quàm ſenſiſſe. Darium temere aſſultantem, fœdiſſime reiecerunt. Cyrum uel cum manipulis, quod dicitur, deleuerunt. Alexandri ducem Zopyriona ita proſtrauere, ut ne pyrphorus quidem reliquus fieret, quippe corporis robur illis excellens, ſed animi magnitudo excellẽtior, nil ſibi ex bello prẽter gloriã quærentis. Quia uero de Scythis mentio eſt, nõ prętereamus quod Flauius ſcribit Vopiſcus in Carino: Exhibuit (inquit) ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil eſt. Ex Græcis compertum porrò commentarijs eſt, ſcytharion intelligi lignum Scythicum, quod tum thapſus dicatur, tum chryſoxylon, unde melino colore inficiantur lanæ, flauiq; item fiant capilli.

Athe-

Athenienſium mores, ac inuenta præclara: & cur ijdem Autochthones dicti. Cur Cecrops duplicis naturæ. Romanorum grauitas. Monophyes. Diphyes. Eunomia duplex, In arcem referri quid. Heniochos Athenienſibus dici pro ditiſſimis. Aexonum dicacitas. Sphettorum ſuggillatio. Romanorum laus. Romanos fuiſſe ciues Romano ſubiectos imperio.

Caput XXV

SEd ad mundi portionem, literarum claritate, ac ſapientię fama perilluſtrem, à qua in cæteras gentes quaſi corriuata traditur humanitas, ac uelut per traduces propagata, ſi ſtylum retraxero, multa ſeſe mihi agminatim ingeret rerum nobilitas, quę ſe carptim explicari, & canis Aegyptij imagine quadam, uti eſt apud Aelianum, uelut fugiendo, non facile patiatur. Verum iſta exequi ad plenum non eſt noſtri inſtituti, ut quibus propoſitũ, non paſſim nomina dantes ſacramento rogare, ſed delectum agere, ita ut cultæ ſint, ac uiribus præſignes copię, potius quàm numeroſa multitudine graues. Propterea Ionicã ſilentio inuoluemus molliciẽ, & choreis delicijſq; mancipatos animos. Necnon Bœotiam ruditatem, ac Thebanam ſuem. Athenas conſpicor fulgurantis eloquentiæ cuiuſdam, & ſapientiæ exquiſitioris auguſtius ſacrarium. Quo nomine abblandientes demagogi reliqua dixere Græcis communia omnibus: at quæ in cælum prouehat homines, uiam ſolos ſcire Athenienſes. Reddi tum illis quandoq; oraculum legimus, Tanto cęteris eos fore excellentiores, quantum aues alias præcellat in nubibus aquila. Pytheam tamen dixiſſe quandoq; accepimus, ſic uti uænale lac domui illatum indicat prorſum ineſſe morbi quippiã: ita quo pergat Athenienſium legatio, ægrotare ciuitatem, neceſſario intelligi. Eius urbis in excolenda uita eximiam curam inuenta præclara apertius commonſtrant. Illi ſiquidem acceptum referunt auctores celeberrimi lanificium, oleum, uini uſum, arandi ſerendiq; frumenta glande ueſcentibus præmonſtratam rationem. Vnde & Autochthonas eſſe cognominatos ſcribit in Theologumenis Apollodorus, quoniam terrã primi colere adorti ſint. Meminit Demoſthenes in oratione πρὸς τῆς παραπρεσβείας, μόνοι γὰρ τῶν πάντων αὐτόχθονες ὑμεῖς. Quin & illius regem Cecropem non alia magis cauſa naturæ duplicis fabuloſa narrauit antiquitas, quàm ex connubij ratione excogitata: ſicuti multis placet. Quippe ante Cecropem brutorum more in Græcia mulieres concubitu utebantur miſcello: unde fiebat uti pueri μονοφυεῖς dicerentur, id eſt naturæ uniuſ: quia matrem modo agnoſcerent, patre prorſum incerto. Vbi uero ferinos id genus mores ſuſtulit Cecrops, effecti quodammodo διφυεῖς, auctori ipſum id adoptarunt cognomen. Pueros ab initio ſtatim ita erudiebant, ut nandi uſum διὰ τὰς ναυμαχίας, id eſt propter nauales bella, & literas condiſcerent. In pleriſque tamen à linea deerraſſe tam nobilis ciuitas agnoſcitur. Nam munerum & lucri inexplebilis ardor ita inceſſitur, ut iactatum uulgo ſit, Atticum uel morientem manũ porrigere. Ariſtophanes in Nebulis Athenienſium impudentiam infamat item, quum ait, In facie comparet ἀτῆιικὸν βλέπω, id eſt Atticus aſpectus. Dicuntur quandoq; κολάκων κόλακες, id eſt adulatorum adulatores. Celebratur & à comico eodem Athenienſium dysbulia, id eſt δυσβουλία, quod eſt conſultatio mala: proinde etiam Eupolis, ὦ πόλις πόλις, ὡς δυτυχεῖς μᾶλλον, ἢ καλῶς φρονεῖς. Quibus innuit, eſſe quidem Athenienſes felices, uerum non ſapere multum uel diſpicere. Factum id Neptuni indignatione fabulantur: at regeſſiſſe Mineruam, ut male conſulta nihilominus feliciter caderent. Proditum tamen clariſſimis auditoribus ſcio, Athenienſes publicis conſilijs diuinos quoſdã ſacerdotes, quos Mantes uocant, adhibuiſſe. Nam & Lacedæmonij regibus ſuis augures aſſeſſores dabant. quin & ſenibus, ſic enim conſilium nuncupant publicum, augur intererat. Nam ut in Politicis Ariſtoteles præcipit, Eunomia duplex creditur: una quidem, uti eſt iuris conſtitutio recta: altera, quum iuri ſapienter, ac ut ratio dictat conſtituto obedientes ſe homines præſtant. Denique eumo miam iudiciorum præſidem alteram, opinatur Demoſthenes. Athenienſes porrò Plutarchus ſcribit, tum ad iram, tum ad miſericordiam fuiſſe lubricos, ac ſuſpiciones arripere celeriter, quàm edoceri per quietem maluiſſe. Solitos item laudantibus arridere cauillantibus haud ſane moleſtos, ad opem quoque humillimo cuiq; ferendam promptiores. Auctor in Oratione pro P. Seſtio M. Tullius, Athenienſes longe à Romanorum

rum grauitate fuiſſe diſiunctos: quoniam in urbe Romana orta grauitas, & magnitudo animi uideretur. Quidam uerò ex Græcis præcipuè, Athenas dixerunt Græciæ museum, ideſt μουσεῖον. Pindarus etiam culmen firmamentumq́, hoc eſt ἕρεισμα. Thucydides uerò ἑλλάδ' ἑλλάδα, id eſt Græciæ Græciam. At Pythius Veſtam Græcorum, & Prytaneum. Qua loquendi hyperbole templum Conſtantinopolitanum excellentiæ incomparabilis, κόσμου κόσμον appellare ſibi permiſit quidam, quæ res mundi mundum indicat. Iam Atticorum aures teretes ac religioſas celebrant grauiſſimi auctores: ad quas qui ſe accommodat, is uerò exiſtimandus eſt Atticè dicere, ut nil ſentiatur inſolens, nil ineptum, ornata omnia, grauia, copioſa. Quin Athenis clariſſimus irroborarat mos, in concione eos qui eſſent in prælijs interfecti laudari, eamq́ quotannis recitari neceſſe erat. Athenienſes Liuius ſcribit, literis uerbisq́, quibus ſolis ualent, bellum geſſiſſe in Philippũ. Ex Acropoli & Propylæis, inquit Pauſanias, ἡ θάλασσά ὅτι σωόπ῾, id eſt mare conſpicuum eſt, ac inde Aegeus ſe in præceps dedit, quum redeuntis Theſei uela eſſet intuitus nigra. Mox uerò Aegei ſubſtructum heroum ab Athenienſibus eſt. In Attica hiſtoria legas quandoq́: in arcem quoſpiam relatos, uel ἐν ἀκροπόλει ἐγγεγραμμένους. tu damnatos intellige, ac donec mulctam ſoluiſſent, ignominiæ obnoxios. Eorum nomina in Acropolin referebantur, unde ſic nuncupati. Illud obiter adiecerim, ne pereat, alioqui nil offecturum, quod Aelius ſcribit Dionyſius: ab Athenienſibus ditiſſimos nuncupari heniochos, id eſt aurigas ἁρματοτροφοῦντας, id eſt curules equos alentes, quem ordinem fuiſſe axiologon dicit, id eſt auctoritatis plurimæ. Fuere tamen in Attica Aexones dicacitate inſignes adeo, maledicaq́ uirulentia, ut ἀξωνεύειν figuratum inde uerbum ſit, quo ſignetur potiſſimum intoleranda mordacitas. Sicuti agreſtis item nota Sphettijs inhæſit in Attica eadẽ, unde infamatur Sphettius Chærephon. Verum urbis Romanæ nulla maior laus, quàm quæ à nobili Græcorum nata auctore eſt, qui orbis epitomen dixit eſſe Romam. Nam cæteris hominibus Romana præſtitiſſe ingenia, M. Tullius ſcribit. Quod uerò prodit Dion, admiratione prorſus dignum: reges ab Romanorum imperatoribus ſolitos diademata accipere. Cæterum doctrinæ à Græcis exempla petenda, à Romanis autem uirtutis. Græcæ autem genti, adulandi morem eſſe proprium familiaremq́, prodidit Iudaici excidij primo Egeſippus. Imperator uerò Conſtantius urbi Romanæ iam proprior, ſenatus officia, uerendasq́ patritiorum effigies ore ſereno contemplatus, non ut Cyneas Pyrrhi legatus, in unum coactam multitudinem regum, ſed mundi totius adeſſe aſylum, concipiebat animo. Fuit & qui imperij & uirtutum larem eſſe Romam pronuntiarit. Deniq́ interrogatus barbarorum quidam, quid nam de Romana urbe ſentiret: id ſibi modò placuiſſe aiebat, quòd ibi quoq́ homines mori perdidiciſſet. Iureconſulti deniq́ Romam communem pronuntiant patriam, quòd Romano ſubiecti imperio Romani haberẽtur ciues. Id quod lege lata ſanxit Antoninus. Porrò, qui Romanæ ciuitatis iura nõ habuiſſet, filios in poteſtate non retinebat, qui uentrem inſequebantur potius.

Cretenſium mores. Nõnulla de Spartanis. Periœci. Agelæ. Andrion. Cœmeteriũ. Calophori. Xylophori. Xenicæ menſæ. Ephori. Coſmi. Epharmiotæ. Clarotæ. Lerium quid. Oleria feſta unde. Cretomartis. Dictyna. Aphæa. Carme. Item de Aegina, Lero, Ceo. De Caſſio Longino critico. Hieronymi locus reſtituitur. Cap. XXVI

Ranſmittendum uerò paulum in Cretam inſulam: eam prodit Ariſtoteles, uideri natam & factam, ut Græciæ totius principatu perfrui queat. Mari ſiquidem adiacẽt ferè Græci omnes. Hæc autem in alto ſita, cunctis quodam modo incumbit, quando hinc ſeſe ingerit Peloponneſus, illinc oſtentatur Aſia. Quamobrem legum latori inter prima illud fuit, ut nil præſtabilius aſtrueret, quã ſi ad libertatis rationem conſtituatur ciuitas. Cretenſis reipublicæ claritatem Spartanæ ciuitatis inſtituta retegunt, illam plurimum imitata. Agricolationi Spartæ deſeruiunt, quos uocant Elotas. Cretenſes ad eundem uſum adhibent, qui nuncupantur Periœci. In Creta puerorum habebantur conuentus, qui Agelæ appellabantur, id eſt greges. Virorum autem erant conuiuia dicta Andria Syſſitia, id eſt uiriles ſodalitates. Spartæ uerò Phiditia, quæ tamen ipſa olim, ut in Creta, dicerentur Andria. In ijs utiq́

infimæ fortunæ homines indiſcriminatim cum honeſtioris ampliorisq; loci uiris de publica alimonia parem conſequebantur portionem apud Cretenſes. Scribit Athenæus, Conuiuantibus duas fuiſſe deſtinatas domos, unam quarum dicerent andrion, alterã in qua dormirent hoſpites, cœmeterium: in andrio duæ primæ conſtituebantur menſæ hoſpitibus deſtinatæ, propterea q; xenicæ nuncupatæ, mox ſequebantur reliquæ. Serui muneri huic deſtinati uocabantur calophori, ab aliis etiam xylophori à ferendis lignis. Ephori uiſebantur Spartæ, ueluti quidam tribuni plebis, quinq; numero. In Creta uerò coſmi, ſed numero plures, decem nanq; creabantur. Poteſtas utriuſq; magiſtratus compar. Senatus in utraq; republica ſimilis. Sed illum Cretenſes uocant βουλήν, id eſt conſilium. Regiam uerò poteſtatem ab inſula excuſſam, in iis quæ ad bellicum ſpectant uſum, ad coſmos reiecere. Phiditia Lacedæmoniorum eo diſsita ab andriis animaduertũtur, quod apud illos uiritim præſcriptum quippiã exigebatur: quod qui cõferre ſuperſediſſet, à republica reiiciebatur. Liberalius in Creta citra ullam exactionẽ indiſcretè omnibus alimenta publicitus ſuggeruntur. Cretenſium uerò illud peculiare, ut in participatum omnium ſeruos admittant, gymnaſiis ſolum, armisq; interdicant. Cretenſem uictum fuiſſe tenuem, id eſt ὄψιλῆ καὶ αὐσηρόν, auctor in Lycurgo Plutarchus eſt, circunfertur tamen Epimenidis uerſiculus, quo & apoſtolus Paulus abutitur, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Quam ſententiam lepidè ad ſyllogiſmum, qui ψευδόμενος dicitur, reflectunt. Signat uerò id uerbum mentientem, quia ipſum ſe refellat: nam Cretẽſis Epimenides fuit. Ephamiotas dici in Creta ſeruos legimus. Fuit & inibi, qui appellabatur Mnœus cœtus, eo fermè loco, quo fuere Theſſalis Penetæ. Amphamiotas lego apud alios, ſicuti à ſortitione Clarotas item nuncupatos. Plurimum item laudis eorundem meditationes aſſequuntur, quippe ab ineunte ætate ſic laboribus innutriuntur, & armorum uſui, ut ad capeſſendam fortitudinem audaciamq; mirè proficiant. Saltatio illis quam Pyrrhicham uocant, à Curete præmonſtratam, non ſine belli peritia eſt, quando in armis ea peragitur. Nauigandi ſolertia illis quoq; prima, nato inde (ut Straboni credimus) adagio, Si quis iron agat imperitum, Cres neſcit pelagus. In maſculis amoribus ita fermè agunt, ut ui amatum abducant, nullis perſuaſionum circunductibus. Qui inhibere cooriantur, turpitudinis labe non carent. Amorem conciliat non tam forma, quàm roboris præſtantia. Et amaſium quidem λλινόν dicunt, id eſt illuſtrem: amantem uerò Philæthora, id eſt ardentem. Legitima autem illis hæc ſunt, ſi credimus, citra ullam prorſus fœditatem. Nec eam inficias hac parte, eius inſulæ homines à ueteribus multis deformari proſcindiq; conuitiis, ut qui peruerſiſsimis forent moribus, improbitate, perfidia, mendacio, ignauia perinſignes: cuiuſmodi ferè Aeginetas fuiſſe compertiſsimum eſt: ſed & Lerios quoq;, unde illud Phocylidæ elogium: Lerij mali, non unus quidem, alter uerò minimè: ſed uniuerſi, excepto Procle, mali. Lerium autem, ideſt λέπειον, lilij caput indicat: de quo lepidior Græcis concinnatur fabella, Id auſum quandoq; de albedinis præſtantia cum Venere in certamen prodire: indignata uerò dea, ſic deformatum, uti aſini pudendo euaſerit perſimile. De Cretenſibus attendenda magnopere Polybij ſententia: Cretenſes (inquit) terreſtribus ac naualibus prælijs ad inſidias, furta, rapinas, nocturnos inſultus, & omnia doli genera promptiſsimi ſunt: in prælio autem ſegnes, timidi, ac prorſus inutiles. Hæc uerò Epimenidis uerſiculum adiuuant plurimum: quem tamen eleuare audent nonnulli, quod diximus. Aeginam uerò eſſe inſulam Cycladum unam, ſciũt uel pullati, quæ prius Oenone dicta, mox ab Aſopi filia Aegina, Aeaci matre ſic indepta nomẽ fertur. Eiuſdem ſoror Thebe ciuitati quoq; adoptauit nomenclaturã. Proinde Attico bello iuſsi ex reſponſo Thebani cognatos ſibi adſumere, Aeginetas cooptarunt ſocios. Oenonen uerò ab Oenone item quadam nuncupatam, Græci ſcribunt. Vt hoſpitales animaduerto laudari Aeginetas, id eſt φιλοξένους. Ex quo in Nemeis Pindarus de Aegina,

Ματρόπολίν τε φίλαν ξένων ἄρουραν. Apud eoſdem Hellenium fuit promontorium, apud quod inſigniter Hellenius colebatur Iupiter, quòd Aeaci filij extentis precibus ſit ſedata ſiccitas nimia æſtuoſaq;: uel, uti ſentiunt alij, aquarum alluuies, qua uniuerſa tantum non infeſtaretur Græcia. Verum, quia de Creta nobis dicuntur pleraq;

pleraq́, Hieronymi codicẽ repurgemus: nam de Grunnio uerba faciens in omnes declamãte, Creticum diceres esse Longinum, inquit. tu autem, criticum repone. Id quod ex historia parum animaduersa, fluctuante sententia, suspicatus est ex eruditorum senatu quidam. De Longino sic scribit Sudas: Longinus, inquit, Cassius philosophus, Porphyrij philosophi præceptor, multæ eruditionis, etiã criticus fuit. Vixit Aureliani temporibus, ab eodem interemptus, quod cum Zenobia consuesset, Odenati uxore. De insula eadem illud iactatum ueteribus circunfertur. Quicquid usquam prouenìat, id optimè omnium haberi in Creta. In Ceo insula lex lata olim, uti Menandri quoq́ suffragio comprobatur: Qui rectè uiuere nequeant, turpiter ne uiuunto. Significabatur autem, sexagenario maiores aconito uitam finire oportere, ne reliqui cibarijs deficerentur. Cretensium tamen in liberorum educatione laus ea circumfertur insignis, quòd liberæ conditionis pueros cogebant primum, memoriæ leges commendare, nõ citra melos concinnatas, ut ex musica uoluptate afficerentur: ac illę sic ediscerentur procliuius, ne quandoq́ iniustè si egissent, in inscitiam crimen refundere pergerent. Mox uerò deorum hymnis animum adijciebant. Postremò præstantium uirorum perdiscebant laudes, opinor, ut omnium imperita ætas, exemplis obblandiẽtibus ad uirtutem amplius incenderetur. Illa obiter adiecisse, nil obfuerit: Olerum esse in Creta ciuitatẽ, unde Oleria dicatur Pallas, & Oleria festa eidem dicata. Cretomartin uerò, id est κρητόμαρτιν colunt, quæ Carmes filia fuerit & Iouis, quæq́ cursu delectetur & uenatione, Dianæ grata in primis. Eam quum amaret Minos, insequereturq́, illa fugiens in retia capiendis demissa piscibus se præcipitem dedit. Sed deam fecit Diana. Eandem colunt Aeginetæ quoq́, comparuisse ipsis opinati: sed ἀφαίαν cognominant, sicut Cretenses δικτύνναν. Quo tamẽ cognomine Diana quoq́ significatur, ut in Laconicis rebus à Pausania proditum scimus.

Albanorum qui ad Caucasum sunt, mores: deq́ seruis qui apud eos Sacri nuncupantur. Cap. XXVII

ALbani, qui ad Caucasum Iberiæ adiacent, corpore prægrandi, nec inuenusto perhibentur, ingenio minimè fucato aut subdolo. Nummorũ quoque plurimum imperiti. Vltra centum numerando non progrediuntur. Sicuti nec pondera norunt, aut mensuras, neq́ item bẽlli, ciuilitatis, agricolationis ullo modo gnari. Armantur tamen, exeuntq́ in pugnam, sed Armeniorum more. Linguarũ apud eos uarietates sex & uiginti. Aranearum illic uirus cogit ridibũdos emori, interdum etiam flendo, nimio suorum desiderio. Dij apud eos, Sol, Iupiter, Luna, sed hæc præcipue. Sacerdos eius post regem primas habet. Sacris præest seruis. Sacræ item regioni. Seruorum plericq́ numinis afflatu uaticinantur. Præcipuum ex ijs inerrantem syluis sacra peruinctum catena sacerdos annuis epulis sumptuosius saginat, mox ad immolationẽ producit, cui ad id muneris destinatus hasta sacra per latus cor transfigit, tum ex labentis modo concipitur uaticinium. Apud Albanos plurimus senectuti honos. Defunctorum uel meminisse apud eos sceleris loco: cum quibus tamen pretiosa infodiunt, inde genti paupertas summa.

Massagetarum mores: item Tapyrorum, Bactrianorũ. De Phigaleis pulchra, Caspiorumq́, ac Derbicum item ritus. Cap. XXVIII

MAssagetarum ritus eximiam præferunt cõtemplantibus admirationẽ, deos omnes despicantur. Vni modo Soli rem diuinam obeunt, equo immolato. Singulis sua sunt coniugia, sed & cum alienis congressus, uerum nec clandestini: in propatulo id fit, suspensa è curru pharetra. Eximium apud eos mortis genus, si iam magno natu frustilatim dissecentur, ac interfitis ouium carnibus, mixtim uorentur. Morbis tabescẽtem interisse, calamitatis censetur genus. Proinde eiusmodi in laniatum, ueluti impij, abijciuntur feris. Pedestri, equestriq́ militia præsignes. Arma illis arcus, gladius, thorax cum securi ænea. Aureis succinguntnr zonis, gladijs diademate porrò cultis. Aurea & equorum ornamenta. Argento carent, & ferri rara illis copia: æris auriq́ metallis fœcundissima regione. Insulares uerò exuti seminio radicibus uictitant herbarũ & fructibus non urbanis. Indumenta ex arborum libris. Potus illis expressus è pomis, quicunq́ esse potest, succus. Quibus in palustri loco sedes

ſunt,piſcitio aluntur,integumenta corporum è phocarum corijs conſuunt. Adiacent Hyrcanis Tapyri. Genti mos eſt,ut ſuſceptis liberis aliquot,uxores alijs item habẽdas, quærendæ prolis gratia, tranſmittant. Sicuti Catonem Portium Hortenſio indigenti Martiam eſſe impertitum, ueteri Vrbis more, poſt alios cecinit etiam Lucanus. Vinũ his adeo gratum,tradit Bæton,qui Alexandri fuit βηματιστής, in libro De itineribus eiuſdem, ut eo perinde ac unguento oblinerentur,quod ipſum cõprobat Cteſias quoq;. Inſuper & δικαιοτάτους, id eſt iuſtiſſimos eſſe prodit. Sed de barbaris minus fortaſſe mirum:quoniam Phigalei (Meſſenijs adiacent hi) uino eatenus adlubeſcunt, ut non alibi quàm in cauponis habitent, hoſpitibus domos elocantes cum uxoribus, hoſtilis tubæ ne in ſomno quidem ſonum perferentes. Hos ut in mœnibus cõtineret,belli tempore imperator Leonides,non alia conſequi ratione potuit, quàm ſtructis inibi cauponũ tabernaculis. Id quod de Byzantijs prodidit Aelianus. Superioris ſententiæ Pauſania auctore locupletiſſimo. Bactrianorum efferatos mores explicans Oneſicritus, quamuis non omnino Geographus nobilis aſſentiatur,ſenio iam feſſos, aut etiam morbo implicitos canibus obiectari prodit,diu ad id opus deſtinatis, quos & proprio gentis uocabulo Sepulchrales nuncupent. Caſpiorum pietas illa præcipua eſt: parentes, haud ſecus ac feras immanitate cõſpicuas,occluſos & arctius aſſeruatos fame necare,præſertim ubi ſeptuageſimum emenſi annum fuerint. Sunt & qui ita ſcribant, Quiſquis eam tranſcenderit annorum metam,in ſolitudine aſtitui: alios rei euentum è proximo curioſius inſpectare. Siquidem quem aduolantes aues unguibus ac roſtris concerpſerint,uiolentius ex ſandapila diripientes,felicitatis argumentum arbitrantur. Si à feris aut canibus conuellantur,non ita. Quòd ſi à nullo attingatur, deflent perinde ac infeliciſſimum. Derbices delicta omnia etiam minima,ultimo digna ſupplicio cenſent. Tellurem deam agnoſcunt. Rebus diuinis fœminînum nullum adhibent, ſed nec in menſam admittunt. Septuagenario grandiores iugulãt, aduocato ad epulas proximo quoque,miſerrimos arbitrati, qui morbo intercipiũtur,ut ſcribit Hieronymus quoq;. Vetularum carnibus non ueſcuntur,præfocatas modo condunt. Si cui fatalis aduenerit ante præſtitutam metam dies,itidem ſepeliunt.

Medorum,& Armeniorũ ritus. Vermes niuium. Niuis rubẽtis ratio. Veſtes talares quarum ſint gentium. De Anaitide Perſarum dea pleraq; nõ ingrata. Ciceronis locus explicatur pro lege Manilia. Sacarum feſta. Saca dies. Mediſmus quid. Cap. XXIX

MEdorum mores cuiuſmodi fuerint, Perſæ illos plurimum imitati, præcipuè declarant. Operimenta corporum illis ſunt, tiara, cittaris, pileus, manicatæ tunicæ,anaxyrides,ſtola quam Perſicam nuncupant. Equitandi porrò ſolertia,ſagittas excutiendi ſtudioſa exercitatio,cultus,regũ adoratio nõ aliunde, quam ex Medis propagata. Medicorum regum eſt,uxores multas ſibi quærere. Quem morem incolas item montium ſeruare,alioſq;,proditum eſt: intra ſeptenarium ſubſtitiſſe numerum,nefas. Mulieribus quoq; decorum, uiros habuiſſe quàm plures, paucitas deformat,& infelicitatis creditur genus,præcipuè ſi quaternarium non exceſſerint. Qui ad Aquilonia reclinantur magis, ob locorum tenuitatem ex frugiferis arboribus ſibi alimenta conquirunt,ex toſtis amygdalis panibus comparatis. Poma item perſiccant teruntq;,inde globantur in maſſas. Vino utuntur, quod ex certo radicum genere prolicuerint. Veſcuntur & ferarum carnibus: nam mitiora pecora negligunt. Armeniorum mores medicis perſimiles. Aquilonia eius tractus mirè niualia ſunt. Proditur memoriæ,per montana pergẽtes repente ita grumis niuium adobrui, ut nuſquam emineant: exerũt illi haſtilia,quæ ad eum uſum comparantur, tum ne præfocentur, commeante aliquo modo ſpiritu,tum eo ſigno ab inſequentibus opem implorãtes, ſæpeq; ita euadere incolumes. Progignuntur ex niue item animalia quæpiam,hirta pilis & rubida,quoniam & ipſa nix uetuſtate rubeſcit: quod ex Ariſtotele eſt,quinto De animalium hiſtorijs: Apollonides uermes nuncupat, Theophanes uerò teredines mõtanas, in quibus concipiatur humor uel in potu gentibus illis gratus. Prodit quodam loco Homeri interpres nobilis Euſtathius,inibi quãdoq; rubentes uiſitari niues, quòd loca illa ſint μιλτώδη, hoc eſt milto ſcateant, ſiue minio, unde exhalationum ui inficiatur nix

nix. Quæ ratio item ſanguinis copia largiore effuſa, rorem reddere cruẽtum quadamtenus poteſt: quod apud Troiam factum quãdoq; ſignificat Homerus, quum φάσλας ἁμαρτίνας dicit, id eſt cruentũ rorem. Armeniacam ueſtem Theſſalicam intelligunt, hoc eſt talares tunicas. Quas in tragœdijs etiam Aetolicas appellare, moris eſt. Lõgiores autem ueſtes geſtare, Theſſalicum putãt, ex ſitu frigidiore ad Boream ſpectãte, unde & ſcenici cultus prorepſere. Armenios à Phrygibus propagatos, produnt nõnulli; & propterea τῇ φωνῇ πολλὰ φρυγίζειν, id eſt linguæ ſono Phrygem agere. Perſicis dijs immolant Medi, Armenijq;. Sed hos Anaitidem colere in primis, fama eſt, ita more condito, ut uel nobilitate præſtantes eius miniſterio dedicent filias, quæ inibi corporis pudicitia in uulgus data, uelut inde auguſtiores factæ mox traduntur uiris, nemine non coniugia id genus alacriter admittẽte, tanta ſæpe humanis animis oborítur caligo, cõcepta ſemel peruerſiſſima religionum uanitate. Huiuſmodi quippiam de Lydorum mulieribus prodit Herodotus, quæ paſſim ſubſtratæ amatoribus, hoſpitali eos plerũq; benignitate confouent, ac donis afficiunt pluribus longè, quàm excipiant ipſæ. Eum tamen haberi delectum, ut in turpitudinis fœdera condignos modò admittãt: ne quis fortè uel litigantium aquarios (ut ſic dicam) in participatum opinetur ueniſſe. Quod de Anaitide Perſarum dea diximus, ſciendum amplius: Sacarum feſta quæ dicuntur, eius numinis honori eſſe dicata, quãdo & ſacer illi dies uocatur Saca. In ijs uerò turba uirorum iuxtà & mulierum miſcellanea largius uina ingurgitare aſſueuit, uel uſq; ad ſtuporem. Celebritatis ratio ex hiſtoria eſt, quòd Cyrus per temulentiam Sacarum copias ad internetionem deleuiſſet in caſtris, quæ differta uino, ſimulata fuga, reliquiſſet ipſe. lucũdum relatu eſt: ſtatuam ex auro ſolidam primum in Anaitidis templo poſitam, quod annales prodidere: quoniam eſſet illis gentibus numẽ eius ſacratiſſimum. Direptam ædem ferunt, quum bellaretur in Parthos ab Antonio, uulgata inde fama, eum qui uiolare templum, ſacrilegas admouẽdo manus auſus fuiſſet primus, oculis eſſe captum membriſq;, ac ita denicq; expiraſſe. Propterea quum Bononiæ à ueterano cœna hoſpitali, ſcitari Auguſtus inſtitiſſet, uera'ne eſſent quæ iactarentur uulgò: reſpondit, Eius nunc maximè cruorem exhauris Imperator: ego enim ipſe ſum: & quicquid mihi eſt, ex ea conflatum præda eſt. Deam hanc ſunt qui Dianam interpretẽtur, quam à Lydis eximiè coli, Herodoto credimus & Pauſaniæ in Laconicis rebus: ſed Strabo etiam ab Armenijs inſigniter ſuſpici prodit, præcipuè Zeletica regione. nam fuit etiam Armeniæ regio Anaitis. proinde hanc à Cicerone ſignificari deam, puto, quum pro lege Manilia, Romanos Tigranis regnum ingreſſos, barbaris ſuſpicionem præbuiſſe ſcribit, quòd fani locupletiſſimi & religioſiſſimi diripiendi cauſa, in eas oras exercitum adduxiſſent. Id parergon fuerit: mediſmum Thucydidi, id eſt μεσιτμόν dici, quum Medorum partes quis fouet, ac amplexatur.

Cappadocum mores. Cappa triplex peſſimum, quid. Cur præſignia tam uitio, quàm probitate, dicãtur Cappadoca. Cappadocius panis. Heptacometarum ritus, & Moſynœcorum. Inibi quid Moſynos. Stathmi. Paraſtades. Allagæ. Manſiones. Vares, hoc eſt βαρεῖς. Item de Tibarenis. Stammata quid. Mel, quod ſtupidos facit. Colchorum mores. Cap. xxx

CAppadocum mores parum excuſſos, parumq; ex fide habitos ueteribus, argumẽto eſt quod Sudas ſcribit, iactatum uulgò, τρία κάππα λάκισε, triplex cappa peſſimum: quo gens deformatur triplex, Cretum, Cilicum (nam inde etiam frequens Græcis uerbum eſt κιλικίζειν, quod eſt aſtutè maleficeq; circumuenire, ſicuti ἀγυπτιάζειν) denique Cappadocum. Sed & idem κάππα διπλοῦν, pro malo interpretatur. Irrepſit inde forſan ſimplici plebeculæ, ut præſignem cuiuſpiã prauitatem manifeſtius pleniusq; præmõſtrare geſtiens, uſurpet frequẽtius, Eſſe illum ex Cappadocia. Sed & in laudem enũtiatur quãdoq; id ipſum. Fortè quoniam in Cappadocia, quum quãdoq; equina defeciſſent armẽta, moniti Apollinis oraculo indigenæ ab Agrigento uſq; ſeminium petiere: unde ſuccreuerint longè præſtantiora. Agrigentini uerò equitij gloriam, Pindaro aſtipulante, ſacra Græciæ certamina indicant. Sunt qui indidem ſeruitia item proba mitti ſolita interpretẽtur. Eſt & plauſibilior ratio alia, quam inferemus mox. Enotatũ annalibus eſt, quum in ea gente regium genus

interextinctum periſſet, ſenatum populumq; Romanum cõceſſiſſe, ut ſui iuris liberiq; dehinc Cappadoces forent. At enim principes re uniuerſa amplius perpenſa, enixiſſime libertatem quam concoquere nequirent, recuſare inſtiterunt, oraregq; ut regem habere liceret. Romani, rem nimio plus admirati, extare quibus dulce illud inſitumq; libertatis nomen ſorderet, recuſarentq; quod nõ cæteri modò mortales, ſed cuncta animantia uitæ ſæpe diſpendio ſumma expetant ui, liberum illis permiſere, ut quando libertatem pati non poſſent, regem ut collibuiſſet, conſtituerent. In Cappadocia optimos fuiſſe artopœos, ſcribit Athenæus, ſicuti & in Phœnicia Lydiaq;. Cappadocius panis, mollis intelligitur, cuiuſmodi in Cappadocia fieri cõſuerat: eum Syri, lachman uocant: à Græcis, ab teneritudine dicitur apalos. quod idem non tacuit auctor quoq;. Heptacometas inuenio dici barbaros quoſpiam ad Ponti regionem: eos Scythicum montem incolere, Stephanus putat. Cydiſſam hunc intelligit Strabo. Agreſtis naturæ exſuperantia hi præcipuè celebrantur. Nonnullis eorum ſuper arbores degentibus: aliis uerò in turribus: unde & Moſynœci quoq; nuncupantur: quippe moſynos, turres dicũt. Scribit in Onirocriticis Artemidorus, Moſſynes canum more in propatulo peragere concubitum: quod, inquit, gentibus aliis ἄτιμον νομίζεται. Sunt ex Græcis tamen, qui moſynos pro ligneis malint domibus accipere, ſicuti Apollonij interpretes. Ad quod alluſerit poeta ipſe, quum inhabitare illos dicat ὑλήεσσαν γλῶ, id eſt nemoroſam terram. Sicuti animalium ſepta tectaq; dicuntur ſtathmi, atq; item zooſtaſia, & omnino agreſtes domus uocantur ſtathmi. Apud Homerum in Odyſſea, pars ianuæ ita nuncupatur: paraſtada appellauit tragicus poeta. Sunt & in hiſtoria ſtathmi, ut alibi diximus, quos intelligunt loca quieti præſtituta iter agentibus. Allagas uocant alio uocabulo. Sic interualla locorum ſupputari ſtathmorum numero aduertimus. Adhoc pertinet illud Hieronymi quoq;, id interpretantis ad Fabiolam: Hæc ſunt caſtra filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt de terra Aegypti. quas Græci, inquit, ἀπαλρσεις uocant: nos propter linguæ proprietatem ſignificantius, manſiones. Stathmodotem, in Demetrij uita apud Plutarchum dici inuenias, eum qui militibus hoſpitia diſtribuit. Nam eſt ſtathmus, στρατιωτικὴ κατάλυσις. Sunt & prope Pitanem ſtathmi: unde uinum ſtathmitas celebratum Græcis. Stathmos apud Herodotum, & hyperthyra interpretatur Valla cardines & poſtes: rectius forſan facturus, ſi ſtathmi appellatione limẽ intellexiſſet. Hyperthyri uerò lapidem, qui hoſtio ſuperincumbit. In Ciſsia regione fuit Darij ſtathmus nomine Anderica. Stammata uerò in ratione militari, ſunt militibus in acie deſtinata loca: unde eſt illud Hieronymi parœmiæ quadam facie pronuntiatum: Cur (inquit) omiſsis, ſuper quibus pugna eſt, de ſtammate ac loco certaminis egrederis? Porrò domus undiq; occluſæ, ac turrium modo ſuſtructæ uerbo ὑψηλοῖς βαρεῖς, à Palæſtinis dicuntur. In eodem mundi ſitu habentur & Tibareni: nam Tibarenida terram nuncupat Argonauticon ſecundo Apollonius. Iuſtiſsimos dicunt hos. Nec prius prælio cõgredi cum quopiam, quàm diem, locum, horam, ex fide hoſti denuntiarint. Memorabile eſt quod Nymphodorus ſcriptis mãdandum cenſuit: ſi quando pepererint inibi mulieres, uiri in lectulis decumbunt, ut puerperæ apud nos, illis curioſe uxoribus præminiſtrãtibus. Tibarenos Ephorus ſcribit, luſum amplexari in primis ac riſus, quòd in ijs maximam felicitatis partem arbitrentur conſtitutam. Moſynœcorum è lignis deſilientium in peregrinos prætereuntes aſſultatio ſanguinaria gentis truculentiam amplius infamat. Quin & in tam alta barbarie ſceleris tamen intellectus eſt. Naſcitur in Heptacometarũ arboribus mellis genus medicati. Eius uirus hauſtum ſtupidos facit, exſternatq; mentem. Hoc genere tres Pompeij cohortes ad interitionem cõtrucidaſſe illos, cõſtat, infeſtis animis eiuſmodi potum propinantes. Colchos dici nunc Lazos, enotatum aliubi eſt. Sunt uerò tumidiores natura, & præter decorum natura iactabundi: nec abſurdè forſan, quando non alia ferè gens gloria cenſeatur excellentior, aut felicitate, uel diuitijs, necnon morum præſtantia cum loci opportunitate. Regia illis inſignia ſunt, aurea corona, lapillis diſtincta pretioſis, longior ueſtis, auro intexta, calcei rubro infecti, mitra item auro & gemmis uiſenda: chlamydem geſtaſſe purpuream, illis nefas, alba utiq; permittitur, nec uilis tamen, quin auro intexta utrinq;: fimbriæ propendentibus lapillis, & apparatu alio plane inſignes.

Indorum

Indorum ueterum ac recentiorum ritus. Arbor tala. Herculem coli ab Indis, gigantis nomine. Acratopotiæ certamen. Bibaces philosophi. Xenocrates. Philosophorum genera duo. Brachmanæ. Germanæ. Linum Indicum. Animam qui primi immortalem asseruerint. De columbis melinis, & nymphis Meliadibus. Hypomelides. Meliæ astragali. Orontis cadauer mirum. Milium. Meline. Melij homines cur. Caput XXXI

INdos ueteres ante quàm in eos expeditionem iniſſet Liber pater, non aliis ferè cultos moribus fuiſſe, perhibet hiſtoria, quàm Scythas. Nullæ ergo illis domus, nullæ urbes, nec immortalium deorum templa erant. In plauſtris tranſmittebatur uita non alia, quàm nomadica, nulla ſacrorum cura. Non aliunde integebantur corpora, quàm ex occiſarum in uenatu ferarum pellibus. Alimenta ſuggerebat arboris cortex, quæ illarum gentium uocabulo Tala nuncupatur: in cuius faſtigio prodeunt uelut cucurbitulæ agreſtes, cuiuſmodi in palmis conuiſuntur. Nec non ferarum incocta caro. Diu uero pòſt, commeante illuc cum exercitu Libero patre, & inædificatæ urbes ſunt, ſancitæ leges, templa quoq; ſtructa diis. Vini item ratio, ac ferendi præmonſtrata illis. Armorum ſcientia tradita, ſed & unguentorum, ac ſatyricæ ſaltationis, quam Cordaca dicunt. Herculem quoque Indiam appetiſſe, conſtans fama tenet, & auctor probat Megaſthenes. Proinde ab illis coli religioſius, uerum Gigantis nomine. Iuſtitia inibi adeo ſancta, ut proditum monumẽtis ſit, ab Indis exteras gentes nunquam bello appetitas, ne quid parum iuſti interim admitteretur. Sepulchra illic defunctorum honori nulla. Quando uirtus & uitæ integritas propagandæ memoriæ amplius ſufficiat. Memorabile illud eſt: Indiam eſſe prorſum ſeruitutis expertem: nemo enim ibi uel indigena, uel externus ſeruitutem ſeruit. De Lacedæmonijs, ſi helotas modò exemeris, id ipſum quoque narratur. Indos in ſeptem diſtribui ſpecies, proditum ſcimus: principe loco philoſophis conſtitutis, quibus una tantũ ſacrificula incumbit cura. Interim uero & diuinacula, quando uis hæc non alij ferè contingere creditur, quàm ſapienti. Si quem præſagia ter fruſtrentur, ſilentij perpetua mulcta irrogatur. Secundo loco agricolationis periti, tam à cæteris feriati, ut inter congredientes acies, uolantia tela, armorum ſtrepitum, nihilominus omnis expertes curæ iniuncta ſibi munia obeant, nec laceſſantur uel minimo. Inſequuntur hoſce pecoris magiſtri, mox & opifices inſtitores ue. Quinto ſtatuunt loco bellandi peritos, & armis tantum innutritos. Ab ijs uiſuntur, quos dicere epiſcopos recte poſſumus. Horum uero muneris eſt, quid in quaq; geratur parte, peruigili cura explorare, ac mox regi inſinuare, uel magiſtratu fungentibus: ſicubi regia abſit poteſtas. Mentientibus mulcta irrogatur grauis. Sed necdum deprehenſus proditur quiſpiam. Poſtremò habentur, qui iuſtitia culti in primis ac ſapientia ſuper republica cum rege uel magiſtratibus capita conferunt. Per connubia porrò genera promiſcere, nefas: in ſua ſe pellicula, intraq; modulum proprium continere ſe, cogitur unuſquiſque. Philoſophia tantum neminem diſcludit. Mores gentis priuatim relatu haud indigni. Carbaſis talaribus corpora cõuelantur. Soleis præmuniuntur pedes. Caput linteis globatur: inaures propendent, ſi opulentiores ſint, elephantini. Sed aureis ornamẽtis nec lacerti carent, nobilioribus præſertim. Capilli cura non negligẽs: detondent tamen rarius. Mentum quoque illis intonſum: facie reliqua ſpecioſius leuigata. Sed illud anxiè inficitur, nec fuci uniformi genere. Furti ſe alligaſſe, ſcelus apud eos nefarium. Literas prorſum ab Indis ignorari, pleriſq; proditur. Proinde legibus uſos non ſcriptis, ac memoriæ præſidio cuncta diſtribuiſſe. Alicubi tamen reperio, in ſindonibus ab illis ſcriptitatum: uerum, elementis haudquaquam peregrinis uti. Simplicitatis ac parſimoniæ argumenta plura. Lis apud eos rara. Teſtibus non indigent, aut obſignatione ulla. Fide plurimum tractantur omnia. Nec domui aſſeruandæ curioſius intendunt. Vinum neſciunt, præter quàm diuinæ rei cauſa. Potus illis ex oryza. Ex hordeo ferè cibus. Sunt qui Indos eſſe Philœnos, id eſt uini amatores, eatenus prodant, ut Calano moriente, præter gymnica & muſica ab Alexandro propoſita certamina, etiam acratopoſiæ, id eſt meraci potus, ſit inſtitutum: in quo primas occupanti, talentum foret præmium: ſecundas autem, minæ triginta: tertias, decem. Mortuos uero inibi ſtatim,

quinq; & triginta, mox etiam ſex. Qui plurimum bibit, ac uicit, meri choas perficcauit quatuor, nomen homini Promachus. Sed hunc cur miremur? quum ab hoc aditu laudis ne philoſophi quidem abſtinuerint: quãdo tyranno Dionyſio, in feſto quod Choes dicitur, aureæ corollæ præmium ei proponente, qui uini choam hauſiſſet primus, inſigne id Xenocrates arripuit. Sed Indos repetamus. Incolumitatem exercitio quærunt & perfrictionibus: adhibentur ſtrigiles ex hebeno præcipuè corporum expolitioni, in qua deprehenduntur curioſiores. Superſtitio illa in ſacris plurima, non iugulandi, ſed uictimas præfocandi, ne quid deminutũ honori diuino cedat. Indos uero hoſce in primis deos eximie uenerari, Iouem pluuium, Gangem fluuium, & Indigetes genios. Si à rege abluantur capilli, feſta dies agitur, mittunturq; dona ampliſſima, geſtiente unoquoque opes ſuas certatim oſtentare. Sunt qui à ſapientibus eorum deos credi putent, quicquid colere adorti ſint, præcipueq; arbores, quarum oblæſio capite expiatur. Lunæ curſu tempora metiuntur: nec ut plerique, orbe ſyderis pleniore, ſed ubi curuari cœpit in cornua. Indos philoſophos ſunt qui bifariam partiantur, ut alios Brachmanas nuncupent, quos & Brachmas uocant: alios uero Germanas. Brachmanũ placita eſſe, uitam præſentem credi oportere, ueluti conceptum uitalem. Mortem uero, egreſſum ad ueram felicemq; ijs uitam, qui recte fuerint philoſophia imbuti. Propterea meditatione multa ad mortem inſtrui. Item mundum habere tempus initiale, tendereq; in interitum. Eſſe quoq; globatum forma. Deumq; uniuerſorum opificem moderatoremq; per cuncta meare. Mundi exorſus eſſe ab humectationis elemẽto principe. Rurſumq; præter elementa quatuor, quintam haberi naturam, unde cælum promicuerit, & tot tantorumq; ſyderum præſignes, collucentes'ue oculi. Chaldæos & Indorum magos humanam animam eſſe immortalem, primos omnium tradidiſſe, Pauſanias monumentis prodidit: quos multi præterea Græcorum ſint inſequuti, in primis autem Plato. Et in libro De pomo, quiſquis fuerit auctor, adnotatum inuenias: ſcholaſticos qui morienti aderant Ariſtoteli, quum is iam exſpiraſſet, ſic uirum affatos, Qui philoſophorum animas excipit, & tuam colligat, in ſuis recondens theſauris, uti animam addecet rectihominis & perfecti, qualem te nouimus. In philoſophiæ communionem uxores non admittere: ne ſi improbiores paulò natura comperiantur, arcana rerum prophanis infundant pectoribus: ſi uero ad bonitatem factæ, ne à uiris diſcludantur, diuertantq;. Siquidem quibus uoluptas, dolor, mors contemptibiles fiant, non facile ſeruitutem concoquere. Hoc genus eſſe dijs amicum, Hierocles ſcribit, ſolicq; deſponſos præcipue. Ab omnicq; abſtinere creophagia, id eſt carnis cibo uictuq;. Agere item uniuerſum tempus hypæthrios, id eſt ſubdiales, ac ueritatem amplexari præcipue. Lineis contegi amiculis: quæ certo nentur è lapidis genere, ignibus inuicta: ſed quæ nec perpurgẽtur aqua; uerum ubi ſordes inſederint, in flammam coniecta ſplendeſcunt. Ex Germanis uero cenſeri eos honore præſtare, qui ſyluicolæ dicantur, uini, Veneris, ac omnino humanioris uictus expertes. Ab ijs proximè coli medendi peritos: quorum philoſophia circa humani corporis contemplationem diſtringatur: uerum, non aliunde peti medicamenta ferè, quàm ex uictus ratione. De Indis illud amplius: mulieres alioqui pudicitia celebres, elephanti tamen pretio oblato, amatoribus pudorem ſubſternere, nullo inde præfloratæ famæ diſpendio. Quin laudi facinus ducitur, quòd tanti earum forma cenſeatur. Nuptiarum ritus non ferè alius, quàm ut ubicq; ferè dotis lenocinium abiũgatur omne. Virgines quum eſſe nubiles cœperint, in publicum à parentibus producuntur. Accurrẽte (ut aſſolet) multitudine, libera illis datur optio, è iuuenum turba uirum ſibi eligendi, quẽ uirtute aliqua inſigniter præſtantem putent. Apud Catharos Indos inroborauerat mos, uti cum defunctis uiris deflagrarent uxores. Natum id ex ueneficij crimine, quo ſublatus à quapiã dicebatur maritus. Apud eos, quibus imperauerat Sophites, pulchritudo eximiæ uenerationis eſt, quo nomine infantes acriter explorãt, ecquid ſint ad pulchritudinem & robur facti: neq; enim aliàs educantur. In matrimonijs item cõtrahendis præter uenuſtatẽ cum proceritate nil curant magnopere. Oritæ defuncto rum cadauera feris obiectant uoranda. Cedroſi, inhoſpitales ac feri, ungues tota nutriunt uita, ferarum amicti exuuijs. Cete in cibos adhibent, quorũ ſpinis trabalibus tecta cõtignant, ſquãmis tegularũ uicem ſubeuntibus. Gedroſii ab alijs dicunt hi. In Polyhiſtore

ſtore Cedroſij. Sed uitiatum putant codicem nonnulli. In Indis porrò traduntur enaſci columbæ, ut Aelianus inquit Variæ hiſtoriæ primo, μήλιναι τὸν χρόαν, id eſt melini coloris: de quo Hermolaus aliqua. Sunt tamen & nymphæ dictæ μηλιάδες. Nam aſtragali, etiam μήλιαι dicuntur. Milium Varro ex Græcorum theſauris produci ſcribit, quod illi melinem dicant. Scire tamen licet: melinem Dioſcoridi, & Theophraſto eſſe panicum: id quod à noſtris eſt item obſeruatũ. Melios, id eſt μελίους, homines in Theogonia uocat Heſiodus, uel (inquit interpres) quoniam ex Meliis ſint nymphis progeniti, uel quòd nati ſub arborem fraxinum, quam uocant Meliam, ſint abiecti. Hypomelides poma ſunt, ut Gargilius Martialis aſſerit, cuius utitur teſtimonio frequenter Palladius, ſorbo ſimilia, mediocri arbore, flore candidulo, dulcedine acuto ſapori remixta. Indos fuiſſe hominum primos, probabile Pauſanias habet, ſi areſcente mole terrena, ſolis ui enatum prodijt humanum genus. Fuiſſe item cęteris longè proceriores, uel Orontis argumento, qui Indorum generis eſt creditus, oraculi Clarij teſtimonio, Syris conſulentibus, cadauere comperto in Orontis fluuij alueo, cubitorum undecim, & amplius. Nauigia Indis ſunt ac Aethiopibus, nec pice lita, nec cõpacta ferro, ſed laqueis arctantur. Cauſam facti augurantur nonnulli, quia inſint in eo mari ferrum ad ſe pertrahentes petrę. Id haud uidetur uerum, quoniam Romanorum claſſibus illic res gerentibus, nil obuenit eiuſmodi. Potior ratio eſt, quæ de metalli promitur inopia, ſed nec aliunde inuehi licet, quando ne fiat, morte caueri traditur.

Taxilitarum mores perabſurdi in filiarum nuptijs. Carmanorum ritus. Caput XXXII

SEd enim quæ de Taxilitis memorãtur, etiam ſi perabſurda prorſum, & quæ uix impetrent fidem, à pleriſq; cenſebuntur, nihilominus tam honeſte prodi, à nobis poſſe adiudicauimus, quàm prodita ſunt, auctore præſertim graui, & cui propemodum diſpudeat non adcredidiſſe. Eſſe uero indici tractus urbem Taxilem, ex Strabone, Stephano, cæteris ferè, notiſſimum. Inibi ergo fortunæ tenuioris homines, inopia premente, filias habentes illocabiles, ut quoquo poſſint, foras tamen obtrudant, ętate florem attingente, productas in foro ſtatuunt, incinentibus tubis claſſicisq;, quibus alias cani bellicum, moris eſt. affluente paſſim multitudine, adeunti propius puella corporis poſtica reuelat, ingeritq; mox & antica. Si hac ratione non diſplicuerit, nubit. Traditur & illud: functos fato uulturibus obiectari: ſed & uxores in multorum uenire participatum. Carmanis id ineſſe peculiare, ſcribunt Græci, ut in conuiuijs percuſſa faciei uena, profluentem inde cruorem uino commiſceant, atque propinent, amicitiæ fine ſtatuentes, ſanguinem guſtaſſe mutuum. Mox uero unguentis caput collinere, repercutiendis uini exhalationibus.

Sogdiorum iuuenum admirabilis animi magnitudo. Caput XXXIII

SOgdianam eſſe regionẽ, tradunt coſmographi, prope Bactrianos, cuius incolæ dicantur Sogdij, uel etiam Sogdi. Eſſe uero locorum pleraque inculta, & habitatoribus uacua. Cuiuſmodi fuerint incolarum mores, uel uno retegi argumento facillime poteſt. Quum in eo ſitu res gereret Macedo Alexander, producti ad eum ſunt Sogdij ad triginta ferè numero captiui, ut facile apparuit, & nobilitate præſtantes, & corporis robore haudquaquam inter poſtremos. Iuſſerat eos ad ultimum abduci ſupplicium rex: id ubi animaduerſum ab eis eſt, putares emiſſos uinculis domeſticum repetere ſolum, maxima alacritate pæana patrium, adhibito & modulatiore corporis motu, more choreas ducẽtium, recinere adorti ſunt. Renuntiatur id Alexandro, qui mirabundus, ſupereſſe cuiquam tantum animi, tantumq; elatæ mentis, ut mortis horrorem non compaueſceret, ſcitari ab eis perrexit, quæ nam lætitiæ tam importunæ, tamq; inopinæ ratio foret. At illi, Non alia (inquiunt) ratione geſtimus, quàm quòd terrarum principis imperio fatalem deſtinatumq; ſibi eſſent ſubituri diem. Quacunq; occaſione alia morerentur, conſueta cæteris perturbationc ſortem oblatam fuiſſe laturos. Nunc, ut fortes addecet, mortem eſſe ſibi in uotis: proindeq; cantu lætitiaq; laſciuire. Tum tanta animi magnitudine uerſus in ſtuporem rex: Cupio (inquit) noſſe, an ſit uobis optabilis uita citra ullas inimicitias meas? At illi, nunquam inimicos egimus, uerum nos quum hoſtiliter inuaderes urens uaſtansq; omnia

hoſtiliter

hoſtiliter, occurrimus uim repreſſuri. Quòd ſi benignitate potius, quàm diuexatione, certare nobiſcum perrexeris, dabimus operam, ne officiorũ uiciſſitudine ſuperemur. At rex, Verum, quibus obſidibus pollicitationes obfirmatis? Vitam, inquiunt, quam contribueris beneficio tuo, fidei conſtantiæq; pignori obijcimus, reddituri, quando cunq; reflagitaris. Hiſce uero illi conditionibus emiſſi, quam dederant fidem, obſtinatis animis egregiè præſtiterunt, populares ſuos ſynceriter Macedonibus conciliantes.

Aſſyriorum ritus. Diſtinguantur ne à Syris Aſſyrij. Ilium, Troia, Dardania, ciuitas una. Grammatia quid. Piſces deorum loco. Syrorum item mores, & Phœnicum. A quibus inuẽta primum aſtronomia, arithmetica, geometria. De Aſtreo pauca. Phœnicoſtola iacula. Iamblichus. Adad, & Adargatis. Virgo cæleſte ſignum. Chalcidia pocula. Siriaſis quid. Sirrum. Sirrus. Sir ciuitas. Phœnigmum quid, & ſiræum, aut ſycion. Syriſcus. Cap. XXXIIII

ASſyriorum mores magna ex parte Perſici ſunt. Illud peculiare, ut ei negotio deſtinati triumuiri, integritate cõſpicui & nobilitate præſtantes ea maximè ratione iam maturas uiris puellas coniugio peruinciant: nam productas palàm, conuocata per præconem multitudine, locare ſe eas uelle pronuntiant, remq; peragunt, ut quæq; dignitate præcellit, ita elocantes principe loco. Babylon uero, quæ fuerat Aſſyriæ caput, cur ab Hieronymo purpurata dicatur meretrix, etiam ſi Roma inibi ſignificatur, & de mulierũ eius loci impudicitia, ſubſtrato hoſpitibus pudore, alibi (opinor) uberius explicatum. Mos uero genti illi peruetus, ægrotos in uijs proponendi exquirendiq; à prætereuntibus, an morbo id genus norint remedia. Etenim nemo tam improbè malus fuerit, qui ſciens nõ gratè impertiatur. Coma illis haud ſanè magna. In manu inſignis ſcipio eſt, prominet è faſtigio malũ uel roſa aut lilium, uel omnino eiuſmodi quippiam. Mortuorum luctus inibi, qualis fermè in Aegypto. Defunctus eorum melle conditur & cera. Aſſyrios præterea in prælijs capita ferreis præmunire galeis barbarico conſertis ritu, ut penetrare eas, non uſquequaq; fuerit promptum. Clypeos porrò geſtare haſtasq; & pugiones Aegyptijs perſimiles; clauas item ligneas ferro inductas, ac lineos thoraces, auctor Herodotus eſt. Sed addit, Syros à Græcis nũcupari, à Barbaris Aſſyrios, uel Attyrios uerius, quod ſcribit Dion, in quibus uiſantur & Chaldæi. Porphyrio & Acron, Quæ nunc (inquiunt) Syria eſt, olim adiectione ſyllabica uocatur Aſſyria. Stephanus, Babylonium tractum Aſſyriæ nomine intelligit: quanquam & Aſſyrios alteros ſtatuit, quod Xenophon item primo Rerum Græcarum facit, Syris adiacentes: diſtinguit & Strabo & alij plures. Id quod in Ilio, Dardania & Troia factitatum. Sed, inquit Lycophronis interpres, Dardanus ex Samothrace cataclyſmi tempore ad Troiæ loca tranſmiſit, ac condita Dardania, humanis eſt perfunctus, uiſebaturq; inibi eius ſepulchrũ: at poſterius Dardania, Troia, Ilium ciuitas facta eſt una. Syrorum gentem eſſe natura leuem, obſeruauimus, adq; nouãdas res procliuem. Inde illud in Aureliano Flauij Vopiſci, Rarũ eſt ut ſeruent fidem Syri, immo difficile. T. Liuius, Syri & Aſiatici Græci, leuiſſima genera hominum, ſeruituti nata. Eſt & ludis celebritatibusq; adeo deditum genus, ut Antiocheni, quorum & maxima & feliciſſima urbs eſt, toto ferè anno tum in urbe tum in ſuburbijs non aliud impenſius curarent, quàm ludos & feſta. Hiſtoriarum quoq; ſextodecimo Poſidonius, Syrorũ inceſſens delicias, oleo perungi eos pretioſo arguit, linìq; unguentis, diei partem maximam in grammatijs (ſic autem communes uocant concœnationes) cibis ſaburra & potu. At M. Cicero, qui fuit oratoris pater, Romanos Syrorum uænalium eſſe diſcebat ſimiles: nam ut quiſq; optime Græce ſciret, ita eſſe nequiſſimum. In Syria, inquit Vlpianus Digeſtis de cenſibus, à quartodecimo anno maſculi, à duodecimo fœminæ uſq; ad ſexageſimum quintum tributo obligantur. In Syria fluuium nomine Chalum, χάλυν, celebrat ἀναβάσεως primo Xenophon, in quo uiſantur piſces magnitudine inſignes, ac miti manſuetoq; ingenio: Eos, inquit, deos arbitrabantur Syri, nec iniuria affici patiebantur, ſicuti neq; columbas. Omnes autem Syrias uoluptatum ſcatere illecebris, auctor eſt Ammianus Marcellinus. Piſcium aurata ſimulacra, penatium loco illis ſunt. Sed & in templis argentei uiſebantur piſces. Syros præterea Fortunam impenſius colere, Pauſanias tradit, cuius ſimulacrum apud Orontem concinnarit Sicyonius Eury

Eutychides. Sunt & Syri ad iocos & cauilla in primis factum genus. Sed & cultui diuino non incuriose mancipatum. Proinde in Syluis Papinius,

Quod ramis pia germinat Damascus.

Inceſſitur tamen Syrorum gens, ut mortalium auidiſſima, ſicuti Hieronymus inquit, necnon uafricia nimis ſolers, atteſtante id ipſum adagio ex Sudæ monumentis, σύρος πὸς φοίνικας. hoc eſt, aduerſum Phœnices Syri: ubi uerſuto imponere ſatagit uerſutus. Sunt enim in Syria Phœnices quoq;. Fuere item Syri quandoq; in hortis operoſiſſimi: quod Plinius ſcribit, producta inde parœmia, Multa Syrorum olera. Phœnicum laus peculiaris in nauigandi præſtantia, & purpurarum piſcatu, quando Tyriam præſtare cæteris purpuram perhibent. Sidonij uero muneris à nonnullis creditur arithmeticæ ac aſtronomiæ excogitata ratio: quoniam nauigantibus utraq; peraccommoda. Sicuti geometriam ad Aegyptios reijciunt, ob agrorum menſus identidem neceſſarios, nunquam non collimitijs pereuntibus, Nili exſuperantia oblimatis metis. Sed in Mercurium cæleſtis ſcientiæ primordia renuit Manilius illis uerſibus:

Tu princeps auctorq; ſacri Cyllenie tanti,
Per te iam cælum in terris, iam ſydera nota.

Auctor uero eſt Theon, quoſdam eſſe arbitratos, Aſtræum mathematicum excogitaſſe primum aſtrorum nomenclaturam: quo argumento, aſtrorum ſit dictus pater. Traditur illud quoq;, uetera de atomis placita à Mocho Sidonio propagata primum. Illud obiter adnotarim, ab Pindaro eleganter dici phœnicoſtola iacula, quæ mittant Phœnices. Verum, de Aſſyrijs illud amplius, quod libro quinto ſcribit Egeſippus: in Iudaica captiuitate pleroſq; compertos, qui bimones aureos deglutiſſent, quum adornarent fugam. Id poſtea ſpecie miſerabili inter alui inquinamenta aurũ legebant. Quod quum inſpexiſſet Aſſyrius quidam, mox eſt in omnes propagatum. Inde diſſecabantur miſeri adhuc uiuentes, ac uentris euiſcerabantur ſecreta, dum inter retrimenta aurum quæritur, duobus milibus nocte una diſciſſis. Deum uero Aſſyrij, quem ſummum habent ac maximum uenerantur, Adad, uerbo gentium illarum proprio, nuncupant. Significat autem non aliud ferè, quàm unum. Adijciunt & deam nomine Adargatin, ſiue ea ſit etiam Atergatis, quod alibi indicabitur. Omnia horũ numinum poteſtati ſubiecta, opinantur, ſolem interpretati terramq;. Argumento eſſe, quòd Adad ſimulacrum inſigne radijs cernatur proclinatis, ceu uirtutis cæleſtis uehiculum illi ſint in terrenam adnuentes molem. Schematiſmo autem diuerſo terræ, ſeu Adargatis imagunculæ confingebantur, in ſublime radijs ſurrectis. Quod cæleſti affluxu progerminẽt cuncta planè de terreno, uelut fermento. Commeminit deæ item Baſſus in commentario, quod in Germanici Phænomena concinnauit, ubi de Erigone mentio eſt: cuius ſit leonem inter, libramq; domicilium. Virginem (inquit) dici Cererem, arbitrati ſunt plerique, ſpicarum quas tenet, indicio. Alij Adagartin malunt. Sunt qui & Fortunam, quoniã ſine capite aſtris inſeritur. Obiter uero ſciendum: à Nigidio Figulo iuxta M. Varronem doctiſſimo, Virginem dici Iuſtitiam, uel æquitatem. Sub ſiniſtra quæ ſpicam habet magnitudine inſigni, quam ideo Virgini contribuunt (quod ſcribit Theon) quoniam ſit res præcipuè pia agricolatio. Virginem ſunt, qui Ioue genitam fabulentur, uelut Heſiodus, Δίκη διὸς ἐγγεγαῶτα. At nonnulli Aſtræi filiam malunt καὶ ἡμέρας. Ex Chalcide porrò Syriæ ciuitate, à Monico Arabe condita, propagatus creditur Iamblichus, philoſophiæ myſterijs copioſe imbutus. Illud obiter adnotarim, ambigere Euſtathium ab utra Chalcide ducantur pocula dicta Chalcidica apud Comicum. Siriaſis ad Syros pertinet nihil: eſt enim eo nomine cerebri inflammatio, & panniculorum quos uocant μηνιγγας, auctor Paulus. Sirrum nuncupant ſubterraneã foſſam, id eſt cuniculum: λάκκον item dicunt. Sed & excauatio, in quam ſemina deponũt, eodem cenſetur nomine. Vbi recondantur in ſubterraneis frumenta, ſirros intelligit etiam Varro, Sir, in Illyrico ciuitas πολυάνθρωπον. Syriſcus uas plexile, in quo fici exponuntur uænales, meminit Alexis apud Athenæum. Phœnigmum ſeptimo Therapeutices Galenus, id eſt φοινιγμόν, pharmaci genus intelligit communicatum denicq; τοῖς ἀκονοῦσι: ex thapſia concinnatur, aut napy, ac id genus alijs. Siræum, ex Pauli monumẽtis, ficorũ uocant decoctum plericq;, cum defruto nomine participato: ſicyon eſt ab Hippocrate nuncupatum.

Arabum

Arabum ritus maximè miri. Zira. Siſyra. De ratione ueneni ſcitu non indigna pleraq;. Item de uiperis pulchra, & palſamo, ſeu balſamo. Scopeliſſare quid. Arabarchiæ uectigal. Arabarches. Lyciarches. Syriarches. XXXV

ARabum mores præcipua digni admiratione: primum, fratres honore filios anteire, traditur: quia natu grandiores ſint. Omnium bonorum participes conſanguinei ſunt: qui tamen cæteros ætate præcedit, dominus exiſtit, cenſeturq;. Communis item uxor, immo uero una omnibus. Ingreſſurus ad eam baculum ante fores deponit. Moris enim eſt, ut baculum unuſquiſq; geſtitet. Eo uiſo, reliqui congreſſui parcunt. Illa tamen cum ſeniore noctes agere dicitur. Cum matre coiſſe, haud quaquā cenſetur impium. Deprehenſum adulterum mors eueſtigio conſequitur. Hic uero non alius eſt, quàm aliunde genus ducens. Arabum amiculas ziras, id eſt ζειρὰς uocat Herodotus: ſicut Caſpiorum ſiſyras: unde Pactyes quoque dicti ſiſyrophori. Relatu iucundum in hac mentione, quod ſequitur. Erat filia regi mira ſpecie inſignis: erant & mares filij numero quindecim, quorū ſinguli ardentius ſororem amabant: propterea q; non deſinebant per uices ad eam uentitare. Aſſiduis uero illa congreſſibus delaſſata, lepido commento eludere omnes adorta eſt. Bacilla ſibi parauit, nihilo ab eorum bacillis diſcrepantia: quumq; unus ex fratribus fortè digrederetur, arrepto quod depoſuiſſet baculo, confeſtim illa compar ſubiecit. Id uidentes cæteri ab ingreſſu temperabant. Ita aliquandiu à Venereis facta quies. Sed quum fortè omnes in forum coiſſent, id intuitus ex eis quiſpiam, ſororis congreſſum petit. Verum, bacillo ante fores animaduerſo ex more, quum fratres alios agere in foro ſciret, adultero dari operam coniectans, pergit inde trepidus & ira ardens ad patrem, quid uidiſſet, quid pro uero afferret, nuntiat. Indignabundus & minarum plenus accurrit is, baculum uidet, ingreditur, innocentem repperit filiam. Adijciamus porrò, quod notandum cenſuit Vlpianus: Arabum pleroſque in prædia inimicorum lapides aggerere conſueſſe, quod σκωπελίζειν dicunt, id eſt ſcopeliſſare, quo ſignificabant, interituros malo leto, qui ea colere adorti forent, inſidijs illorum qui ſcopulos poſuiſſent. Quo fit, ut nemo audeat, crudelitatem ueritus inſidiantium. Id, inquit, grauiter perſequi ſolent præſides ad pœnam uſque capitis. Dignum ſcitu: in Arabia uim balſami magnam ſubnaſci, uti Pauſanias arbitratur: qui tamen palſamum pronuntiat, balſamum minimè, in Bœotijs rebus. Amare porrò uiperas tum arboris ſuccum, quo alantur plurimum, tum etiam umbram: nam & in odoriferis ſyluis ſerpentes, ſiue ſerpulas, ut ueteres loquebantur, repperiri frequentiſſimas traditum eſt: & ſcribit Bibliotheces quarto Diodorus. Vbi uero Arabibus appetat tempus balſami ſucculentum excipiendi humorem, Scytalas fert unuſquiſq; duas aduerſum uiperas: quippe inuicem ijs alliſis, ſono illas abigunt. Interfeciſſe nanq; cauent cum primis, balſamo ſacras opinati. Quòd ſi quem forte mordicus apprehenderint, fit uulnus, perinde ac ferro illatum, ſed ueneni timor nullus: quando cibis paſtæ odoratis uiperæ uirulentiam letalem alias, mitiore permutant poteſtate. Inſignem quippe uenenis molliendis uel accendendis uim habent alimenta. Siquidem in Phœnicia compertum, uel halitu modò truculentioris uiperæ pernecari hominem: quod radicum illic ſuccreſcentium potentia, creditur fieri. Arabici porrò inſtituti, & quidem legitimi fuit illud quoque, ut ſi parte aliqua regij corporis cauſatio ſe oſtentaſſet, proximi ipſum id aſſimilarent: quippe cenſeri ridiculum, morientem regem certatim adniti, ut ſimul contumularentur, ni idem & in corporis præmortua parte præſtarent. Luxum regis in thus ferentibus locis eum legimus apud Athenæum, ut in dies ſingulos talenta impenderentur Babylonia quindecim. Illud haud prætereundum omnino: ex Arabia in Aegyptum uim animalium inſignem ſolitam adduci, quo nomine uectigal Arabarchiæ celebratur Iureconſultis: cui qui præeſſet, diceretur Arabarches. Ad quod ſcienter eruditis coniectatum, id ſatyricum liquidò ſpectare, Aegyptius, aut Arabarches, dormitantibus in aurem utranq; interpretibus, ut aliàs non infrequenter. Nam ſic in Epiſtolis ad Atticum & M. Antonius Arabarchæ fœdatur appellatione, ceu Aegyptius foret publicanus, ob exigendi ſanguinariam atrocitatem. Lyciarcham tamen intelligunt ludorum præſidem, qui in Lycia celebrarentur: & Syriarchem, eorum qui in Syria.

Nabatæo

Nabatæorũ mores. Nabaten uocari ex adulterio conceptum. Reges apud Homerum ſolitos ſibijpſis ſeruire. Saracenorum inſtituta. Erembi qui, & unde. Cap. XXXVI

NAbatæos eſſe felicium Arabum gentem, omnibus arbitror notiſſimum: à Nabate quodam ſic nuncupatam Græci ſcribunt: dicíq; Nabaten ex adulterio conceptum. Horum continentiã laudibus efferunt celeberrimi auctores, necnon cumulandis aſſeruãdisq; diuitijs curam exactiſsimam. Illud admiratione non caret: mulctam dici publicè ijs, qui rem aliquo modo decurtarint imminuerint'ue. Augeſcẽtibus opibus, honor eſt domino exquiſitus. Rara inibi ſeruitia. Miniſteria ex cognatione frequentiora, uel ſibi unuſquiſq; miniſter eſt. Quo more ne reges quidem expertes ferunt, à quibus identidem parari dicuntur conuiuia. In ijs plura duodenis exſiccaſſe pocula, ignominioſum. Rex ibi auctoritatis adeo dilutæ, ut non ſibi modo, uerum & alijs interim adminiſtret, ideſt non autodiaconum modo agat, ſed antidiaconum quoq;. Cæterum & Homerici reges eius quoq; modi comperiuntur, ex quo item αὐτοσχεδίους inueniuntur, id eſt ſibi ipſis ſubſeruientes: quando Priamus etiam ἀνιοχᾶ, id eſt aurigatur. Achilles concidit carnes. Icit fœdus, immolatq; Agamemnon. Meminit libro primo Athenæus. Nabatæorum ſuſtructiones impendio pretioſæ. Vrbes nullis communitæ mœnibus uiſuntur. Summa enim regioni pax. Equorum quibus carent, uicẽ implent cameli. Perfuncta fato corpora retrimentitiæ ſordis loco illis ſunt. Regium cadauer, ut ritè contumuletur, in ſterquilinia deiectatur. Sol illis ſacratiſsimum numen. In arula res illi peragitur diuina, quam in ara excitarint. Sarracenos conſtituit Ammianus inter Aſſiriam & Nili cataractas, & Blemmyarum collimitia, qui omnes à caluo (quod dicitur) ad caluum bellaces cenſeantur. Seminudi agunt, coloratis ſagulis pubetenus amicti. Nemo unus eorum ſtiuam attigit, uel arborem coluit quærendo uictui. Errant ſemper nulla lege, nullo lare. Vita eſt illis perpetua fuga. Vxores mercennariæ ac conductæ ad tempus ex pacto. Verum, ut adſit matrimonij ſpecies aliqua, dotis nomine offertur marito haſta cum tabernaculo. Ita uero palantur aſſidue, ut alibi nubat uxor, pariat alibi, & procul liberos abducat. Victus uniuerſis caro eſt ferina. Lac præſto eſt exuberantiſsimum. Frumenti ac uini uſus pleriſque ignotus. Interpres Homeri quidam Erembos Troglodytas interpretatur, & Sarracenos, id eſt Ἀραβαπλωνούς. Dici autem Erembos, παρὰ τὸ εἰς τὰ ἔρεμα δύνειν. quia ſubterranea incolant. Sed appellantur Erembæi quoque. Ammianus idem alibi ſcenitas Arabas Sarracenos dici nunc opinatur.

Aegyptiorum inuenta, & eorundem ritus. Artophagi Aegyptij cur. Cyllestia. Ammonij unde. Pan, ſeu Mendes. De ſuibus. Hermotybies. Cici. Calaſiris quid. Laura locus deliciarum. Dulcis cubitus apud Sardis. Ochi regis hiſtoria. Omphale. Lydorũ libido. Abrotonum. Laurea in potu quid. Laura ciuitas, & Croton unde. Lauria locus. Plutarchi locus in Themiſtocle de Lauriotico prouentu. Cap. XXXVII

VId uero de Aegyptiorum ingenijs, deq; eorum doctrina ſentiendum uideretur, abunde alias exſequuti ſumus. Nunc nihilo ſecius prolibabimus quæpiam eiuſdem gentis peculiaria, ne quid per incuriam tranſiliamus, uelut conniuentes, quod noſtros libellos adiutum eat. Igitur quia in artibus repertendis ſolertem fuiſſe gentem eam, & in cognitione rerum indaganda ſagacem, multi prædicant, compertum id in literis ante omnia. Ab Aegyptijs ex cæleſtium rerum ſcientia & obſeruatione anni rationem excogitatam primo: inde in portiones duodecim, quæ de lunæ nomine menſes nuncupantur, diſtributam. Græci quidem fuit moris, tertio quoq; anno ut fieret aptior temporum reſponſus, menſem interijcere, quem intercalarem dicimus. At Aegyptij, re uniuerſa (uti uiſum eſt) comperta certius, ſingulis quidem menſium treis dierum attribuentes decadas, euoluto denique anno, quinq; etiamnum ſuperadijciebant dies. Traditum porrò, duodecim deorum rationem ab Aegyptiorum ſcientia Græcos ad ſe corriuaſſe. Primos item deorum excitaſſe aras, conflaſſe ſimulacra, ac templa cõſtruxiſſe. Quin & animalium effigies ſaxis inſculptas oſtendiſſe. Quæ ad gentis mores ſpectant, & inſtituta à cæterorum ingenijs diſſita lon

gè comperiuntur. Nam taceo illud: ueterum Aegyptiorum alimenta ab herbis petita, paluſtríq; caule, eam quam agroſin uocant, unde irrepſit mos eadem díjs ſupplicandi. Mox uerò ad piſcitium tranſiſſe, ac nonnullos ad carnes, pellibus ad integumenta corporum reiectis: ſicuti ex arundinibus attexebantur domus. Aegyptios Hecataeus artophagos nuncupat, qui cylleſtijs ueſcerentur. Colleſtes uocat Herodotus ex olyra, id eſt ſiligine confectos. Proditum à ſacerdotibus eſt, à Mercurio déinde artium diſciplinarumq; excogitatos modos. Cæterũ, ferri hæc poſſunt: illa, admiratione non carent. Tenet quippe fama, fœminas inibi negotia obire, cauponã exercere, ac id genus alia pleraque peragere. Viros autem domi ſe continere, quæ aliàs muliebris cenſentur muneris, tractantes. Onera item capitibus geſtare, uirorum eſt, humeris autem fœminarum. Veſicæ retrimenta reddunt fœminæ ſtantes, uiri ſedentes. Ciborum ſuperfluitates intra domeſtica cõſepta excernuntur. Veſcuntur in propatulo, uijsq; Sacerdotium nullum adit mulier: uirile habetur id. Maribus parentes alendi neceſſitas nulla. Filiabus autem ſumma. Scribunt non uti nos, à ſiniſtro in dextrum pergentes, ſed ediuerſo: prædicant tamen ipſi, nos in ſiniſtrum produci, ſe uerò in dextrum. Literæ eorum biſariæ ſunt, ſacræ, ac populares. In deorum cultum præter cæteros ſtudio feruntur exſuperantiſſimo. Virilia circuncidere non diffitentur, ſed rationem promunt, ut mundiores ſint. Sacerdotum tota leuigantur corpora, omni prorſum decuſſo pilo, ne quid ſordium ſe proferat in re diuina. Amicula linea ſunt, calcei papyracei, alijs uti nefas. Aegyptiorum díj uniuerſim quidem Iſis & Oſiris, quem Bacchum intelligant. Seorſum uerò & alij plures. Nam apud Thebas arietina facie coli Iouẽ traditur, quòd Herculi ſeſe ita uiſendum præbuerit, ut arietis detruncati pelle corpus obſepſerit. Quia uerò Iouem Aegyptij Ammonem dicunt, inde Ammoniorum, quos Aegyptiorum atque Aethiopum colonos prodidere, cognomen celebratum, ſimul & oraculi apud eoſdem uulgata fama. Sed de hoc paulo item plura mox. At mendeſii inter octo deos Pana connumerant, quos priores duodecim illis opinantur. Eius ſimulacrum caprinam præfert faciem. Crura uerò hircina ſunt, non quia talem arbitrentur eum, ſed ueritatis arcanum myſtico adumbratur uelamẽto. Aegyptiacè uerò Pan dicitur Mendes, quo nomine hircus item deſignatur. Quanquam eſt quoque in Thracia ciuitas Mende, uel Mendis: ut eſt apud Apollodorum, unde Mendæum uinum. Sunt & in Sicilia prope Palicos Mendæ. Inter animalia antiquis obſeruationibus conſecrata mneuis & apis ſunt notiora: mneuis ſoli ſacer eſt, ſuper quo nihil dicitur memorabile, ſequens lunæ. Suilli pecoris apud Aegyptios deteſtatio ſumma. Argumentum euidens, ſi quis tranſeunter ullo modo belluam attigerit, eueſtigio cum indumentis omnibus in flumine abluitur. Propterea inibi ſubulcis interdicitur templis uniuerſis: nec per connubia quiſpiam cum eo genere affinitates conciliarit. Animal id nec díjs immolatur ullis, præter quàm Libero ac Lunæ: niſi ubi plenam uiſitationem illa facit, liberum enim tunc ſacrificium eſt, nec ſuillam carnem à menſa reijciunt. Maximus apud eos ſenectuti honos. Veſtes non aliæ magnopere, quàm lineæ, circa crura ambitu extremo fimbriatę, quas calaſiris uocant. quanquam ibidem calaſiries item pugnatores uocantur: ſicuti etiam hermotybies. Sunt quibus calaſiris intellígatur equeſtris tunica latior, quam & xyſtida uocant: dicitur quoque ἱππικὴν χλαῖναν, Græcorum lexicis hac in re præcipuè uitiatis. Laneas ueſtes intuliſſe templo, profanum. Scelus item, inuolutum ijs cadauer condidiſſe. Aegritudinum ibi non unus eſt medicus, ſuus eſt unicuiq; morbo deſtinatus. In funeribus is irroborauit mos, ut decedente aliquo, caput ſibi muliebris familia & uultum deformet luto, excurrat deinde per urbem, ac ſe plangat: conuerberãtur & uiri renudatis pectoribus: ſalinarijs mox condiendum traditur cadauer, quum odoribus, tum etiam ſale. muliebre corpus domi diutius aſſeruatur, ne Venerea fœditate à ſalinarijs inquinetur, quod experimento cognitum quandoque eſt. Vnguenta Aegyptijs, præſertim in paluſtri ſolo, ex Sillicypriorum fructu, ipſi appellant κίκι. Cogebatur Aegyptiorum unuſquiſq; deſtinato magiſtratui, quo ſe artificio tueretur, palam facere. Quòd ſi quis ementiretur, morte luebatur mendacium. Eam legem ad Athenienſes quoq; tralatam, à Solone, auctor Diodorus prodidit. Hortorum curam eſſe familiarem Aegypto, ſcribit ex Callixeno Athenæus: quamobrem accedente aeris temperatura

tura, florum copiam quacunq; anni parte abunde ſuppetere, præter aliarum rationem terrarum. quo ductus argumento Martialis libro ſexto ſic iocatur,

Vt noua dona tibi Cæſar, Nilotica tellus
Miſerat, hybernas ambitioſa roſas,
Nauita deriſit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis ut intrauit limina prima tuæ.

Poſtremo, nec illud ſilentio inuoluendum: in numeroſa Aegyptiorum regum ſerie, mandatum literis, etiam fœminas quandoque regnum tenuiſſe. Ganeata eorundem cibaria literis commendarunt multi: ſed palàm facit hiſtoria potiſſimum, qua proditur memoriæ, aduerſus Perſarum regem Ochum expedito cum exercitu irruiſſe Aegyptium regem, móxque à Perſis ſuperatum. Quum ab Ocho tractaretur humane, etiam menſæ adhibitus, ridere perrexit Perſicam lautitiam, ut tanto principe indignam prorſus. At ſi collibeat (inquit) noſſe, cuiuſmodi eſſe deceat felicium regum menſam, imperato meis olim coquis, cœnam parent Aegyptiam. Quum adnuiſſet Ochus, arriſiſſentq; plurimum id genus condimenta: Malum malè (inquit) ô Aegyptie, diſperdant te dij, qui hiſce neglectis, uiliores affectaſti dapes. Fuit apud Alexandrinos locus Lauram nomine, in quo omnium quæ ad delicias ſpectarent, uiſebatur forum. Sicuti fuit apud Samios Laura quoque, Polícrate tyranno ſtruente: ut apud Sardis qui eſt, dulcis cubiti exhiberet imaginem, Lydorum in primis mollíciem amplexatus. Quando gens ea Venereorum appetentiſſima in hortorum amœnitate cum mulieribus congredi multum diuq; conſueuerat. Eorum principatum ubi arripuit Omphale, poſt alias irrogatas pœnas, uxores uiridario præcluſas ſeruitijs proſtituit, unde conciliatum loco nomen. Meminit Athenæus, ſed & Plato in Phædro. Quo (uti arbitrantur) argumento, Dioſcorides libro tertio, abrotonum etiam γλυκὺν ἀγῶνα uocari ſcribit. Quum uerò ait Gellius, Romanis mulieribus in potu familiaria fuiſſe, lauream, paſſum, murinam, lauream pro lora dictam uolunt eruditiores. Nam ſcribit Varro, Grandiores natu mulieres loram bibiſſe, uel garum, uel defrutum, uel paſſum quam dixerit murrinam Plautus, uti nonnullis placet. Crotonis ciuitatem dici Lauram, compertum mihi eſt, ab Laura Laciníj filia, Crotonis uxore, à quo ciuitati factum nomen. Fuit in Attica item Laurium, locus metallorum ferax: quod prodidit inter cæteros Herodotus & Sudas quoque. Hinc apud Plutarchum in Themiſtocle, Laurioticus celebratur prouentus. quam rem aut non percepit interpres, aut neglexit: ſicuti in Nicia quoq;, ubi metalla in Laureotica recenſentur, id eſt ἐν τῇ λαυρεωτικῇ: at interpreti ſatis fuit, In agro, transferre: ni forſan decurtati codices ſunt. Laura, pro uia, ſeu uico eſt apud Herodotum libro primo, ueluti per quem fluit populus.

Aphrorum ritus diuerſiſſimi. De Mauruſiis pluſcula, & Cinganís. Aegidis origo, & quadrigarum. Hammata quid. Necnon de Carthaginenſibus. Ammon Iupiter unde: Parammon Mercurius. Gorgia quid. Gorgones animalia. Boues retro paſcentes. Plagion ſchema. In Libyam remittere ægrotum quid.

Cap. XXXVIII

APhricam eſſe hominibus fœcundiſſimam, auctor probat Herodianus: proinde gentes diuerſiſſimæ in eadem, & moribus miris maximè. Nobis omnia conſectari, non eſt conſilium, cum delectu curioſo, quod hactenus fecimus, paucula ex ſtrue cumulata præcerpemus. Aphricam M. Tullius omnium uocat prouinciarum arcem, natam ad bellum contra urbem Romanam gerendum: Adyrmachidas ad Aegyptum uergentes eiſdem ferè uti moribus accepimus, quibus & Aegyptij narrantur imbuti. Vxoribus in utroq; crure armilla ineſt ærea. Caput inſigniter comatum. Si quos, uti aſſolet, pedunculos ceperint, premordent, ac mox abijciunt. Virgines iam maturas uiro aſtituunt regi. Quæ præcipuè illexerit animum, præfloratam dimittit. Naſamonum ſingulis de more adſunt uxores plures: cum quibus uel palàm congredi, receptum apud eos eſt, prius ſcipione prætento. Nuptiali cœna diſcumbentium ſingulos adit noua nupta Veneris gratia. Cõgrediuntur illi, domo allatum donum contribuentes. Sicubi iuriſiurandi uſus ueniat, concipitur id per uiros qui olim apud eos plurimo uirtutum ſplendore enituerint. Affuſis precibus ad maio-

rum monumenta, futurorum ſcientiam aucupantur incubantes manibus. Fidei ſanctio maxima, inuicem ſibi idem propinaſſe poculum. Cuius ſi inopia fuerit, è cinere idem petitur argumentum. Mauruſii duriſſimis inſueti, in paruis degunt tugurijs, ubi liceat uix reſpirare. In humo dormiunt nuda, ſi qui delicatiores paulò ſunt, aliquid ſubſternunt. Veſtes pro temporibus euariaſſe, legibus prohibentur. nam laceras craſſioresq; omnibus geſtitant horis. Pane carent, ac uino, quin bonis omnibus, ſine quîs humanior degi non queat uita. Tritico ueſcuntur tamen, ac ſiligine, hordeoq; uerum incocto, nec trito in farinam, belluarum utique more. Apud eos nefas eſt, uiros uaticinari. Fœminarum modò ea eſt functio. Nam ſacrificio proprio dijs obito, antiquis non inferiora æduntreſponſa. Videntur Mauruſii è Phœnicia oriundi: quoniam Hebræis ex Aegypto demigrantibus duce quidem Moſe prius, mox Ieſu Naue filio, patrias coacti ſedes linquere in Aegyptum, inde in Aphricæ ultima defugere. Argumento ſunt lapideæ columnæ apud Tingen oppidum, in quîs Phœnicum lingua conſcriptum: Nos à facie fugimus Ieſu prædonis, filij Naue. Dicuntur autem Aphricæ indigenæ, quòd eis nulli ſint uetuſtiores. Quo nomine illorum rex Antæus, eſt dictus terræ filius. Hæc autem ratio & Didoni Carthaginis condendæ occaſionem facile præbuit. Mauruſios denique Cinganos appellari nunc, coniectatio eruditorum eſt, quòd ab Sarracenis pulſi, per omnem ſint Europen diſiecti. Scatet feris Garamantum ſitus. Tenet conſtans fama, auerſari eos hominum commercia, immo uerò etiam aſpectum fugitare. Arma illis nulla, quando nec tueri quidem ſe audent. Macas memoriæ proditum eſt, ſumma capitis curioſius deradere, relictis in meditullio capillis, quos ſuccreſcentes circumtondent eadem cura. Poſſent uideri ſacerdotes noſtri ritum inde mutuati, niſi quòd capitis corona ex Romanæ eccleſiæ inſtitutione regnum præfert, quod in CHRISTO expectatur. Capillorum uero decuſſio temporalium indicat bonorum depoſitionem. Gnidanum uxores fimbriarum copia perſtrepunt, pretium id concubitus eſt, quo pluribus quæque uiſatur exculta, eo plauſibilior eius forma cenſetur, ceu quam adamarint innumeri. Machlyes comam in occipitio connutriunt. Auſes uerò capronas è fronte demiſiſſe, gaudent. A uirginibus honori Mineruæ, quam indigenam arbitrantur, certamen æditur quotannis: arma, lapides ſunt, fuſtésque: ſi qua ex ictu deceſſerit, falſa cenſetur uirgo. Quę omnium præſtantiſſime depræliata eſt, à cæteris Græca condecoratur armorum facie. Subuehiturq; curru per Tritonidis ambitum paludis. Putant uero Mineruam Neptuno prognatam, & palude eadem. Coargutam uerò grauius à patre, indignabundamq; inde, adoptandam ſe Ioui inſinuaſſe. Promiſcuus porrò illis, ac ferarum prorſus more paſſiuus cum mulieribus congreſſus. Troglodytas Aethiopum inenarrabili pedum celeritate mirantur rerum conditores. Non articulatior illis uox: uerum, qualis in ueſpertilionibus inauditur, ſtridor. Cibus non aliunde, quàm ex ſerpentibus lacertisue, ac omnino reptili genere. Lybicum uerò inſtitutum id item eſt, ut quos in uenatione uel pugna elephantes attriuerint, magnificè ſepeliant, ac hymnos præterea concinant. Quorum id ſit argumentum, ἀγαθοὺς ἄνδρας εἶναι τοὺς ἀνηπάλους γηρομένους θηείῳ πότμῳ, id eſt uiros eſſe bonos, qui tam atroci belluæ ex aduerſum ſteterint: quod mors glorioſius comparata γηράϊου ſit τοῦ ἀπημαλύνω. Atlantes propriis carere nominibus tradunt, ſolos hominum, quod nobis compertum ſit. Hoſce memorant orientem execrari ſolem, ac omnifariam ingerere conuitia, quia ipſos perurat, & inutilem reddat regionem, caloris exſuperantia ambuſtam. Aphris porrò paſtoribus mos ille uetus eſt, quadrimis filijs uerticis uenas aut etiam temporum, lana quam ſuccidam dicimus, adhibita, inurere, compeſcendis è capite fluctionibus. Propterea q; inter omnes proſperiore uti ſe putant ualetudine, ac reuera eiuſmodi comperiuntur. Quòd ſi amburendis uenis fortè ſpaſmo corripiantur pueri, inſperſam hirci urinam, præſentiſſimum malo remedium arbitrantur. Aphras mulieres ſuper ueſtem nudas geſtare caprarum pelles fimbriatas, ac rubrica litas: unde apud Græcos defluxerit Aegidis appellatio. Quadrigarum item morem indidem in Græciam demanaſſe, produnt. Sepeliendi ritus à Græca non ita abiungitur conſuetudine. Riſu non caret, quod in more Naſamonibus eſt, qui ſedentium habitu mortuos aſtituunt, id ipſum & inter moriẽdum curioſius attendentes, ut ſedentes expirẽt. Aphros porrò

porrò traditum eſt, gentem eſſe ad omnem auram ſpei mobilem, atque inſidam. Numidas ante omnes barbaros in Venerem effuſos. Ammon celeberrimum eſt Libycis numen, cui de paſtoris nomine, à quo illi primò erectum ſimulacrum eſt, appellationem factam, in Meſſeniacis rebus auctor Pauſanias eſt, ſicuti Babyloniorũ Belus ab Aegyptio quodam Belo creditur nuncupatus. Scitu uerò dignum: dici non Iouem modò Ammonem, ſed & Ammoniam Iunonem. Quin & Parammon Mercurius colebatur in Libya quoq́, ſed ita, ut Elei in Peloponneſo eiſdem pariter rem obiſſe diuinam memorentur. Pindarici interpretes id produnt modo: ab Libycis Ammonem nuncupari Iouem, atq́ ſic etiamnum coli. Hammata in frictionis ratione pro faſciis accipit Galenus: His, inquit, de cauſis etiam τῶν ἀμμάτων circumactus fieri cõuenit, quos fricantes circa totum uentrem adhibent. Maxyes in parte capitis dextra comam enutriunt, in ſiniſtra decutiunt. Minio linunt corpora, ſeq́ à Troianis propagatos, fabulantur. Oblinuntur colore eodem Zygantes, quibus ex ſimijs alimenta ſunt. T. Liuius perfidiam Pœnis attribuit, quam uel Punica maiorẽ in Annibale fuiſſe, ſcribit. Cicero calliditatem: ſicuti numerum Hiſpanis, robur Gallis, artes Græcis, Italis ſenſum, Romanis pietatem, ac religionis ſapientiam. In floridis Apuleius Carthaginem miris efferẽs laudibus: inibi pueros omnibus imbui diſciplinis, ſcribit, quas & oſtentent iuuenes, doceant ſenes. Eſſe porrò Carthaginem eius prouinciæ magiſtram uenerabilem, Aphricæ Muſam cæleſtem, camenam togatorum. Carthagine imperatores tollebantur in crucem, ſi proſpero euentu, prauo conſilio rem geſſiſſent. Carthaginenſium iuuentutem uidetur non citra probrum Ennius tunicatam dixiſſe: quoniam primum tunica nõ uterentur Romani, mox ſubſtrictam admiſerint, breuemq́, citra humerum deſinentem, quam uocant exomida. Carthaginenſium item mores inceſſit Plutarchus, ut amarulentos, triſtes, ſubditis graues, in terroribus haudquaquam generoſos, in ira peragreſtes ac feros, pertinaces in ijs quæ ſemel complacita ſint, ad luſum & gratiam immites aſperosq́. Pœnos eſſe acutiſsimam gentem, Columella ſcribit. Scitu uerò dignum: Carthaginem ueteribus dici quandoque caccaben, id eſt κακκάβη: quod illarum gentium lingua equinum indicet caput. Ad quam rem Virgilianum illud ex Aeneidos primo alludere, neminem (opinor) fallit. Miſnam dici Carthaginenſium nauale, compertum nobis eſt. Illud hic obiter ſubnotarim: eſſe in Libya Gorgonas animalia κατωβλέποντα, id eſt ſemper deſpectantia, ouibus creduntur agreſtibus ſimilia, aut uitulis, ſicuti quidam uoluere: Peſtilens ijs eſt oris halitus, quippe intereunt mox afflata omnia. Sed nec innocentior ab oculis radius manans, ubi concuſſa, quæ à fronte in oculos propendet, coma, ſpectarint aliquid. Cognitum id à Marij militibus aduerſus Iugurtam bellantibus. Eſſe item in tractu eodem, Herodoto auctore, boues opiſthonomos, id eſt retro paſcentes, id exprimentibus cornibus quæ adnuunt proclinanturq́ in ima: tametſi hiſtoriam conuellit Athenæus ſub aliena perſona, quoniam à nullo præterea hiſtoricorum ſit comprobata. Gorgia, id eſt γόργια, ad Gorgonas pertinent nihil: nam dicuntur eo nomine Dorienſibus hiſtrionum perſonæ. Eſt & ſchema ſimiliter deſinens, quod gorgion dicunt: cuiuſmodi apud Thucydidem hiſtoria prima, φαίνεται γὰρ ἡ νῦν ἑλλὰς καλουμένη οὐ πάλαι βεβαίως οἰκουμένη.

Eſt apud eundem ſchema item plagium, ubi quid ita enuntiatur, uti ad unum referri queat, queat & ad alterum. Sicuti quum interpres ait, dici hæc ab Themiſtocle ualent, ſed & ab Thucydide. Illud uero Galeni ex Therapeutices quarto, aduerſus Theſſalum & aſſectatores: Si, inquit, medicaminum ſeries numeroſa cum diætæ ratione nil prorſum ægritudinem alleuarit, ἀποπέμψουσιν εἰς λιβύην τὸν ἄνθρωπον, id eſt in Libyam hominem remittent. Hiſtoriam (opinor) latentem complectitur. Ex claſsicis quippe auctoribus id exploratius eſt, homines in Aphrica ſalubri eſſe corpore, ac pleroſq́ diſſolui ſenectute, morbumq́ haud ſæpe ſuperare quenquam.

Clepſydræ notiones plures. Hydrologium quid. De clepſydrio item. Iupiter Ithomatas. Ephydor. Ithomea feſta. Diametri notio recondita. Plutarchi locus explicatur in Demetrio. Quid ſit per diametrum moueri. Ariſtotelis obſcuritas illuſtratur. Cap. XXXIX

CAeterum relictis denicq; gentium moribus, quos miſcellanea quadam ratione ac promiſcua, ut ſe inter legendum obtulere, prætexuimus, ad inſtitutum, ueluti poſtliminio redeamus. Atq; illud attingamus primum: clepſydram dici quãdoq; Aſtronomicum organum, horas metiens. Clepſydris, inquit Martianus, lunæ magnitudo cognoſcitur. Hydrologia uidetur appellaſſe Cleomedes in tractatu De cæleſtium orbium contemplatione, quibus ſolem dimetiebãtur: Pauſania uerò auctore, ſcimus in uertice montis Ithomes arcis Meſſenenſium, unde Ithomæa dicantur feſta, Iouis ἰθωμάτα honori dicata, fontem fuiſſe nomine Clepſydram, in Arſinoen fontem alterum influentem: credo, quia quandoq; exundet, quandoq; deficiat. Fuit & in arce Athenis eodem nomine fons ita nuncupatus, quòd ſtare incipientibus Eteſiis impleatur: flacceſcẽtibus autem, deſinat: conſimili ferè ratione, qua Nilus. Propterea de M. Antonio ſcribit Appianus in Parthico: Athenis profecturum ad bellum, ex ſacra olea ſibi ſertum pręcerpſiſſe: porrò & ab Clepſydra uas aquæ plenum detuliſſe ex præcepto ſecum. Legimus & Metichen ſcortillum Clepſydræ cognomentum ſibi adoptaſſe, quum ad Clepſydram cõcubuiſſet, ac uniuerſa defluxiſſet aqua. Euboli quoque poema dictum legimus Clepſydram, quod auctor prodit Athenæus Dipnoſophiſtarum libro tertio ac decimo. Qui clepſydræ æqualitatem cuſtodiret, ephydor dicebatur. Quia uerò eſt horonomicon uas clepſydra, hinc præfinito dicentes, ad clepſydram id agere, pronuntiamus. Ex quo Cicero: Cras ergo ad clepſydram. Hinc διαμετρημένην ἡμέραν dici à Græcis audias. In tres autem partes diſtribuebatur aqua, una quippe agentis erat, rei altera, tertia iudicum. Diametrum uerò appellarunt, quod à iuſta deficit dimenſione: ut eſt apud Dinarchum in Calliſtrati Iſangelia. Ex quo Plutarchi uerbis lux infertur plurima in Demetrio, cuius filius in Thebarũ oppugnatione, quum plures fruſtra cædi aduerteret, eo nomine querebatur apud patrem. Qui commotior, τί λυχνοφαίνεις inquit ἢ διαμέτρου ὀφείλεις τοῖς ἀρθυπνοῦσι; quid moleſte fers, an diametrum trucidatis debes? Hanc doctrinam non eſt interpres aſſequutus. Nec illud negligendum, quod primo de animalium hiſtoriis prodit Ariſtoteles: animalia πεζὰ καὶ πολύποδα moueri κατὰ διάμετρον. Nam diametrum lineam item dicimus ab angulis quadrati ad angulos tranſeuntem oppoſitos. Multipeda uerò, dum ſtant, quadrangulam planè formam deliniare uidentur: uerum, in progreſſum, non per rectam lineam pedes protendunt, ut homo, ſed à dextro in ſiniſtrum, uiciſſimq; à ſiniſtro in dextrum. Diametrus, inquit Martianus, Latialiter diſtermina dicitur. Clepſydram graphicè Apuleius expingit. Clepſydrij auſcultationes inuenimus apud Philoſtratum, quibus Adrianum Tyrium aſcriptum refert, ab Herode Attico, tanquam rei maximè arcanæ. Item Pauſaniam Cappadoca unum ex ijs fuiſſe ſcribit, qui clepſydrij participes forent, quos (inquit) aliqui uocant διψῶντας, id eſt ſitientes. De clepſydræ porrò ratione in encycliis quæſtionibus Ariſtoteles.

Vocabulum lutra quàm uarias recipiat notiones. Elytron. Anelytra, Luntæ aues, ac coniſticæ. Elutriare. Labandria. Luter. Lura. De lutrophoris, & corriuatis à lutra dictionibus. Hydrophoros puella. Hydrophoria feſtum. Erinnys unde. De aquiminariis: aquariis itẽ, ac Cerere Luſia, & Erinnye, Arione equo. Neptuni & Cereris eiuſdem fabella. Puncta. A punctis. Neptunus cur Hippius, & deus maris. Neptunus itẽ Hippodromius. Luſius fluuius, & Gortynius. Aquatio, aquatus, adaquare. Cap. XL

IVtras ſunt qui in noſtris literis aquas immundas dici à Græcis interpretentur, opinor inde adductos, quia Sudas λοῦτρον exponit, τὸ ἀπόνυμα τὸ ῥυπαρόν. Sunt & lutræ fibrorum è genere, quas nunquam mari accepimus mergi. Haſce uerò etiam lytras (Varrone auctore) dicimus, quia radices arborum in ripa ſuccidant. quamuis poſſit uideri etiam à luendo lutra nuncupari, quòd aquis ſe lutet, quoniam enhydris Græce interdum nominetur. Elytron uerò cruſtam dicunt pennas ſuperuenientem, quaſi uagina incluſas, ut in ſcarabeis: nam inde anelytra dicuntur, quæ detectas habent pennas, uti apes. Luntæ uocantur aues, quæ lauandi uſu non carent: ſicuti coniſticæ merſantes ſe puluere, uelut pulueratrices. Lutra Græci genere neutro etiam balnea dicunt: ſicuti etiam lutronas, ut Xenophon. Balnei uerò

uerò aquam lutrion, ut Aristophanes ἐν ἥρωσι, noua etiam cōmœdia lutas. Inuenio & lutrophorum appellari, qui nouis nuptis lauacra deferebat, Athenis quidem ex Callirrhoe, aut ex Enneacruno, alibi uerò undecunq;. Puerum genere propinquissimum eo fungi solitum munere, scribunt nonnulli. Fœminam uerò in eo usu intelligere uidetur Pollux. Quin & in Veneris templo apud Sicyonios uirginem, quæ annuo fungatur sacerdotio, lutrophoron dici Pausanias scribit. Nymphica item lutra fuisse dicta, reperio. Erant & sui defunctis, qui cælibem transmisissent uitam, lutrophori, id est pueri hydriam tenentes, qui super monumentum astituebantur. Lutra uas item apud Latinos. Vnde Elutriatum uellus apud Plinium, quod de uase in uas tralatum est, quod transuasare item dicitur, sed rarius. Elutriare lintea ex Laberio apud Gellium, pro lauare positum uidetur. Sicuti Labandria, quæ ad lauandum sunt data. Luteridium sunt qui Latinè labellum interpretentur: alij & capulam. Putant ex eruditioribus aliqui, à lura dici elutriare uerbū: id uerò est os culei: unde & lurcones, capacis gulæ homines. Apud quosdam luter uas est, quo miscetur aqua uino. Eius cōmeminit Hieronymus in louinianum. Et quoniam de aquis mentio est, aquarios lego nuncupatos hæreticos quosdam, qui aquam offerebant solam in calice sacramenti. Apud Ciceronem in Epistolis familiaribus à Cælio concinnatis, uidentur esse aquarij, qui aquam circunferunt uenalem. Nisi ego, inquit, cum aquarijs & tabernarijs pugnarem, ciuitatem ueternus occupasset. Iuuenalis,

Veniat conductus aquarius.

Aquaria prouincia in Cicerone aduersus Vatinium, Cura est quæstoris, præfecti mercibus, quæ uel mari uel omnino aquis subuehuntur, ne quid exportetur. Sed & publicis aquis præfici solitos quosdam, scimus. De quibus quandoque sit senatusconsultum factum, ut quum eius rei causa extra Vrbem forent, lictores binos, & seruos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios, accensos & præcones totidem habere liceret. Hosce dici quandoq; aquarum curatores animaduerto, interdum & aquarios. Iulius Frontinus, Ille aquariorum tollendus reditus, quem uocant punctam. Et mox docet, fuisse quendam qui appellaretur à punctis. Pertinebāt & ad eandem aquarum rationem, qui uocabantur uillici, castellani, silicarij, tectores. Sed hæc fermè ministeria erant. Alibi Frontinus aquariorum fraudem nominat, quos aquas ex publicis ductibus in priuatorum usum deriuare deprehendisset. Super qua re Cælij Rufi ædita quoq; legebatur oratio, cui titulus fuit De aquis, ubi aquariorum dolo, irriguos agros, tabernas, cœnacula perpetuis salientibus coarguebat instructa. Vnde illustratur Cælij eiusdem locus, de quo diximus. Qua in parte mirari quiuis potest interpretum uanitatem, sæpius in uado hærentium, aut prora illisa uel suppressa etiamnum nauí, uix enatantium. Memorabile illud quoq;, ad institutum quod pertinet præsens: aquarum Athenis præfecturam Themistoclem gessisse, compertisq; nōnullis, aquas per dolum corriuasse, quum damnandos curasset, ex mulctatitia pecunia æneum puellæ conflauit simulacrum, quam hydrophoron uocant, ab Persis mox Sardis tralatam, & in Matris deûm templo collocatam. Leguntur hæc quidem in Plutarchi parallelis, sed non citra scaturiens mendum. Fuit Athenis festum quoq; hydrophoria, lugubre, in eorum memoriam, qui cataclysmo perijssent, meminit Apollonius. Aquiminaria uasa apud Pomponium Iureconsultum ab aqua deducuntur, ut sint ad abluendas manus instrumenta: quæ escario argento contineri putat. Scribit Herodotus historia prima, Aquiminaria duo Apollini Delphico fuisse à Crœso oblata, aureum argenteumq;. A Græcis περιῤῥαντήρια nuncupari uidentur. Aqualem cum aqua, ubi in Curculione Plauti legimus, notionem arbitror manifestam. Aquarium in Pomponio Digestis De seruitute rusticorum prædiorum, esse locus uidetur, unde ducitur aqua in fundum riguum. Sunt & aquilices apud Callistratum. Aquarios inter seruitia computat Digestis de fundo instructo legato Vlpianus: Hostiarij (inquit) topiarij, diætarij, aquarij domui tantum deseruientes continebuntur. Quod ad Eustochium scribens comprobat Hieronymus, In lignarios, inquit, & aquarios damnauit. Aquationem pro irrigatione accipit Palladius, qui & aquatam mulsam dicit, aqua dilutam multa. Nec adaquare uerbum uulgò frequens idem reformidat. Lusiam, id est λουσίαν, inuenio cognominatam Cererem

in Arcadia apud Thelpuſam, quòd olim ei quærenti filiam congredi concupiſſet Neptunus, id ut uitaret dea pudica in equã ſe deformauit. Dolo percognito, deus equum induit, ac mox Cererem adiit. Quæ initio factum tulit permoleſte: inde ira deſita, Lacœpit, quoniam indignari apud Arcadas ἐρινύειν dicitur. Ex ablutione uerò Luſiæ prorepſit appellatio. Sunt qui Luſiæ ibi ſimulacrum non Cereris eſſe coniectent, ſed Themidos toto (quod aiunt) cælo incõſideranter aberrantes. Et concubitu eo natam ferunt puellam, cuius nomen non initiatis enuntiaſſe, nefas arbitrabãtur. Natum item equum Arionа. Qua ratione Hippion Neptunum Arcadas putant cognominaſſe primum. De Arione hoc intellexiſſe in Iliade Homerum uolunt,

οὐδ' ἔκφυ μετόπισθε ἀείονα δῖον ἐλαύειν,
ἀδρήσσου ταχὺ ἵππου, ὅς ἐκ θεόφιν γένηται.

Sed & in Thebaide ſic legimus,

ὡς ἄδρας θ' ἑφύγῃ ἐκ θηβῶν εἴματα λυγρὰ
φέρων σὺν ἀείονι κυανοχαίτῃ.

Sunt qui tradant, omnium principem Neptunũ equos domuiſſe, arte etiamnum equitandi excogitata, unde cognominis nata occaſio. Sicuti etiam deus eſt maris habitus, enauigandi ſcientia mortalibus cõmunicata, claſſe quoque conflata primum, cuiſ à Saturno præfectus. Id quod Cretenſium placitis continetur præcipue. Fuit & Thebis Hippodromij tẽplum Neptuni: quod Chryſippus ex carmine ſignificat Pindarico ex Iſthmijs. Hippij cognomen inde productum, arbitratur Phurnutus, quod mari celerime iter peragatur, uelut equorum functionem ſubeant naues. In Arcadia interluit Gortyna uicum fluuius initio Luſius cognomento, quòd natum ibi Iouem abluerint, mox & Gortynius, cuius aqua creditur omnium frigidiſſima.

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN ANTIQVArum lectionum libros, ad ornatiſſimum doctiſſimumq; Angelum Bragadinũ, patritium Venetum, ac Domini cani inſtituti profeſſorem reuerendum, Præfatio decimanona.



S. T. genus hominum (ſi modo tales appellandi homines, & non potius ſub humana ſpecie, belluæ) uenerande pater, qui in uniuerſum omnes liberaliores oderunt diſciplinas: exiſtimantq; natura li quodam habitu facile ſe poſſe ſecernere uerum à falſo, æquum ab iniquo, honeſtum à turpi, & (ut paucis dicam) omnia rerum diſcrimina uidere. Ad quorum opinionem ſi cõniuere uellemus, quanta perturbatio rerum omnium conſequeretur? quanta confuſio? Nam maximas uirtutes clariſſimasq; diſciplinas iacere omnes neceſſe eſſet tam barbara dominante ſcientia. Non ſunt igitur huiuſmodi homines audiendi: nec tam rationibus (quas reijciunt) refellendi, quàm ut inſani ad cognatos & affines deducendi, uel Anticyram deportandi, qui artem ipſa natura certiorem ducem excludunt. Sunt item alij qui literarum cognitionem libẽter amplectuntur, ſed nonnullorum

nonnullorum uel prauo iudicio perſuaſi, uel proprio naturæ uitio inducti, non putant hanc παιδείαν quam tum rectam ad bonas artes inſtitutionem, tum humanitatem appellare poſſis tam neceſſariã, ut ſummopere de ea ſibi comparanda ſolliciti eſſe deberent. Quorũ etiam niſi iampridem exploſa ſententia eſſet, male cum rectioribus agere tur literis, atq; dolerẽ uicem patrui mei, qui bonam uitę partem in hiſce ſtudijs conſumpſiſſet. Sed me recreat præſtantiſſimorũ hominum & inſtitutum & auctoritas, in quorum iudicio & mihi conquieſcendum cenſeo. Nam in priſca eccleſia & hac noſtra, qui ſummi ſemper habiti ſunt, ij magna cum laude in his etiam literis uerſati ſunt. Id confirmatius ut credam, facit Origenes Adamantius, in quo uiro tanta fuit eruditio, ut etiam acerrimi hoſtes ſanctiſſimæ religionis noſtræ, quales Porphyrius, Proclus, alij, fatereñ tur eum exactiſsimam omnium liberalium diſciplinarum cognitionẽ tenere. Facit Euſebius Pamphili: faciunt Gregorij, alter Nazianzenus, Nyſſenus alter: atq; huius frater Baſilius uerè Magnus, qui poſt acceptum baptiſma rhetoricen profeſſus eſt aliquãdiu, quod munus adeo magnifice impleuit, ut Libanius ſophiſta celeberrimus, ſuas declamationes Baſilij cenſuræ ſubijceret, Nazianzenus magnificentius contempſit: quantum tamen & in hac parte potuiſſet, oſtẽdunt orationes tanto artificio elaboratæ, ut ueluti Chriſtianum quendam Demoſthenem agnoſcas. Hic tamen non rhetoris ſed theologi cognomentum promeruit. Huc nõ aduocabo inter Latinos Tertullianos, Cyprianos, Hieronymos, Auguſtinos, & quos multos habet noſtrum, uel hoc ſolo nomine felicius, ſeculum. Legiſti opinor (cuius iam mentionem feci) Baſilij commentarium De gentilium libris legendis, Expendiſti (ni fallor) quid cõſilij dederit nepotibus, quibus optime conſultum uoluit. Frangatur igitur tot tantorumq; uirorum auctoritate, iſtorum peruerſitas ac parum liberalis opinio: qui quum ad nullam partem humanitatis aſpirare poſſunt: nec alios quidem id debere facere arbitrantur, & quod propter ignauiam ſe aſſequi poſſe deſperant iudicio factum uideri uolunt. Nec tamen eo ſpectat oratio mea, ut cuperem grauioribus de manu excuſsis literis ſtudioſos perpetuò hic hærere, ſed oſtenderem quàm non obfuerint tractantibus ſacra, quantumq; potius præſidij, ubi cum cauilloſis congrediendum hæreticis, attulerint: quòd quum multi, tum tu Angele doctiſsime, ac Venetæ nobilitatis præcipuum decus, omnium optime uides, quippe qui in hoc ſpatio magna cum laude decurriſti, & iam maiore cum admiratione res maximas adminiſtraſti: ut nobis dubitandum relinquas, maior ne in te ſcientia rerum an peritia ſit literarum. Et ut nullum non liberalium artium genus tibi diſcendum cognoſcendumq; cenſuiſti, ita religionis & bene uiuendi ſtudia tanquam præcipua tibi propoſuiſti ac delegiſti. Quod quum antea minimè ignorarem, proxime tamen ex ſermone ac prædicatione affinis mei Ioannis Mariæ Goretti hominis integerrimi & utriuſque noſtrum amiciſsimi illuſtrius neſcio quomodo apparuit. Qui uir tuam prudentiam, morum uitæq; conſtantiam ac ſanctimoniam ita admiratur & extollit, ut me quoque ad uehementius te amandum inflammauerit, utq; ad eum quo te complexus eram amorem, magna iam fieret acceſsio: quamobrem quum in id toto pectore incumberem, ut diſpicerem quippiam quod inſtar arabonis eſſet initæ amicitiæ, & perpetuæ meæ in te ſymbolum obſeruantiæ, optimum factu ſum arbitratus, ſi nuncupatione huius decimi noni libri animum erga te meum teſtificarer. Sunt enim in hoc opere quàm plurima à tuis ſtudijs non abhorrentia tractata loca, quum ex omni philoſophia, tum hac noſtra ſanctiſsima Chriſtiana. Tu uerò pater uenerande ſuſcipe hilari uultu hunc librum tibi inſcriptum, teſſeram noui amici, ſed qui officio & obſeruantia nulli ueterum ſit conceſſurus. Vale.

Rhodigij, ſeptimo idus Nouembris, anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI DECIMVSNONVS.

Alopeciæ morbo unde factum nomen. Hydrocephalæ affectiones. Pericranos. Quid Alopecium. Alopecades. Vulpio. Vulpis fraus. Scolios. Scolopes. Scolopomachærion. Cerdo. Cynalopex. Cinados. Smila. Bassarus. Bassæ. Scolecum, id est uermiū species. Alopeconesus. Apollo Epicurius. Scandalum unde. Bassiadæ. Aethon uulpes cur. Alopeces. Pfyæ. Cap. I

ALOPECIAM morbum inde dici, Galenus arbitratur, quum alibi, tum apud Hippocratem Sentētiarum libro sexto, quia uulpina sit affectio: quod approbat item Paulus Aegineta libro tertio, ubi in humano capite areas & glabreta capillus deciduus facit. Idem erat ophiasis: sed hæc à serpente (inquit Galenus) cui subsimilis est, nominis rationem ducit. Ex succi prauitate utraq; res consurgit, quemadmodum & madarosis, id est glabritas. Plura in Cornelij Celsi De medicina libro sexto. Cęterū, quod in Gręcis monumentis ad hunc usum comperi, minime dissimulandum: Est, inquiunt, pathos psiloticum, hoc est decutiens pilos morbus, alopecia dictus, ex proprietate urinæ animalis eius. Vbi ēm lotium id fuerit affusum, euestigio infructuosus efficitur locus, arescentibus herbis, nec succrescentibus nouis. Morbum hunc inuenio ἀλωπεκίασιν dici quoq;. Verum, uberius ut ista prosequamur: circa cutem capitis (inquit Galenus) sese promunt affectiones hæ, μελικηρίς, meliceris, atheroma, id est ἀθέρωμα: in extimis uerò alopeciasis. Sunt & hydrocephalæ affectiones. Earum species nouimus quatuor; aut enim coit aqueus humor in cerebri meditullio, & panniculi: aut panniculum inter, ac os: aut inter os, & pericraniū: aut in ossis, & cutis medio. Pericranos (inquit in libro, cui titulus ὅροι ἰατρικοί, Galenus) est pellicula neruosa totum complexa craneum. Verba ipsius hæc, περίκρανός ἐστιν ὑμὴν νευρώδης, πάντη συνεχὴς τῶν τοῦ κρανίου. Ambeuntes uerò cerebrum panniculi μήνιγγες dicuntur. Eos finit idem, σώματα νευρώδη καὶ ἀραχνοειδῆ. Lego alopecia item uulpium lustra recte dici. Alopecades uerò uafer est. Vulpionem nostrates uocāt, & in Apologetico Apuleius. Nam Cicero De officijs primo, fraudem uulpeculæ attribuit, uim leoni. Proinde Lacedæmonius Lysander, quum ei ulti o uerteretur à nonnullis, quòd fraude subinde agere uideretur, Quò (inquit) leonis peruenire pellis non pōt, uulpinā assuisse haud dedecuerit. Huiusmodi uero uafricie insignes homines ac panurgos, ex interpretatione Procli Diadochi, scolios uocat Hesiodus, id est tortuosos obliquosq;, ubi ait σκολιὸν ἰθύειν, hoc est, scolium dirigit castigando, & ad simplices reuocat mores. Scolopas uerò dicunt Gręci surrectos palos, ex qua (opinor) similitudine inter chirurgica organa reperias apud Galenū scolopomachæri on, uelut cultellulum dixeris pali imagine. Nam smila in eodē usu esse uidetur cælum. Scolecas autem uermes interpretamur, quorum species aliquot. Nam qui sunt in uiētibus lignis, ac humectis, uocantur σῆπες, qui in aridis tripes, uitium dicuntur ices, cornuum ipes. leguminū troges, uestium σῆπες: sicuti chartis qui adnascuntur, appellantē tilphæ. Scolon & scandalum (inquit Hieronymus in Pelagianos) apud Grecos, ex offensione ac ruina nomen acceperunt, id est ab σκάζω, quod est claudico. Sunt qui scandalum interpretentur offendiculum. Vulpem porrò dici item à Græcis cerdo, notissimum arbitror, à cerdosyne, quæ astutia est, maxime fallens, Sed & cerdos astutiam indicat uulpinam. Aristophanes in comœdia cui titulus ἱππεῖς. Δόλιαν κερδὼ, πολύμοχθον. hoc est, dolosam cerdo, multisciam. Philostratum quendā lasciuiuscule se ornantē idem Aristophanes uocauit κωναλώπεκα, id est cynalopeca, ex cane ac uulpe cōcinnata dictione, nisi ad Cynnā scortillum referre malueris. Cinados tamē, inquit Theocriti interpres, uulpes nuncupat à Siculis, παρὰ τὸ κινεῖσθαι ἀναιδῶς, id est ab impudēti motu, uel quia

quia doloſe moteſ: meminit pro Cteſiphonte Demoſthenes, ſed & Ariſtoteles. Ex noſtris martem dici Latine opinãtur nonnulli. Martialis, Venator capta marte ſuperbus adeſt. Sunt qui eo nomine feram quãlibet intelligant: alij, paruũ animal genitalia nunc proferens, nũc retrudens: quod Ariſtophanij interpretes adnotarũt. Refert Harpocratio, cinadion dici à Siculis uulpem. Eſt item apud Sophoclem cinados. Eo quoq; nomine nauis Menelai gubernatorem nũcupatum, Pauſanias ſcribit: cuius fuerit monumentum in promontorio, quod in Laconia uocant ὄνου γναθον, id eſt aſini maxillam. In Sudæ lectum monumentis eſt, uulpem apud Herodotũ nuncupari baſſarum. Baſſarica, ut ex Græcis cõperi (ſcripſit Dionyſius Apher, ſeu Mileſius, ut alij uolunt) opus multa obſcuritate inſigne. Baſſæ autem locus eſt in Cotylio monte prope Phigaliam in Arcadia, Vbi celebratur Epicurij Apollinis templum, nato inde cognomine, quòd in peſtilenti morbo tuliſſet opem. Qua ratione ab Athenienſibus dicitur Alexicacus. Baſſiadæ autem celebrãtur in Aegina, generis auctore Baſſo, etiam ſi apud Pindarum Budidas legit Didymus, de Budione progenitore. Alopeconeſus uerò inſulæ nomen eſt, uel (ut inquit Stephanus) Helleſpontiæ Cheroneſi ciuitas: inde ex oraculo adepta nomen, ut ibi Athenienſes ciuitatem cõderent, ubi uulpium catulos comperiſſent. Eſt & Alopecia inſula Straboni libro decimo. Illud denique ex Pindarico ſcitum carmine eſt, τὸ ἐμφυὲς, ὅτ' ἄιθων ἀλώπηξ, ὅτ' ἐείβρομοι λέοντες ὅμαλ' ἄξαινον ἦθος. ideſt inſitũ ethos uulpes morem haud exuit, non item amplius fremens leo. Aethon uero nuncupatur uulpes, ut uaframẽtis ignita: uel quia dicatur lampuris quoq;. Alopeces medicis carunculæ ſunt lumbis circũiectæ: quas item pſyas dixit ſummus eiuſdem artis auctor Hippocrates: etiam ſi pſyas Hieronymus renes interpretatur.

Aſciam cruribus illidere, quid. De Antiphonte, ac Dionyſio. Dolabella ne dicatur, an dolobella. Dolabra quid. Cap. II

ASciam cruribus illidere, ex Apulei doctrina per paroemiã dici de ijs uideſ, qui ipſi ſibi mala accerſunt impingũtq; aut ſponte aut per temeritatẽ: quod genus nimio plus frequens eſt. Sæpe etiã per libertatis exſuperantiam. Ad quod ſcita hercle & digna quæ nõ prętereatur, ex Philoſtrati ſophiſtis ſuggeritur nobis hiſtoria. Siquidem Dionyſio Siciliæ tyranno amplius ſcrutante, ubi terrarum exquiſitius haberetur æs: reſpondit ſophiſtes Antiphon, ut erat ingenij extẽporalis, ſemperq; in numerato, Optimũ ſe noſſe Athenis, ubi erectę ſtarent Harmodij & Ariſtogitonis ſtatuæ. Fuerant uerò hi tyrannicidæ. Innuebat Antiphon, eſſe itidẽ Dionyſium ab eiuſmodi hominibus dignum qui contrucidaret. Verum, dicacitas tum petulans tum nimia, homini male ceſſit, ac inter alia euidens peperit exitiũ. Aſciam nonnulli etiã dolabram dici rentur, unde inclinetur dolabella, ut ſecunda ſyllaba prorſum habeat A, non O, ut ferè uulgò receptum eſt. Quod Cæcilius Minutianus Apuleius in libro De orthographia, monumentis prodidit. Cæterum, eſt item ruſticum inſtrumentum dolabra, quo in ablaqueationibus utuntur ruſtici, atq; item glebis diſſipãdis interarandum. Sed & dolabris ſubruta Sagunti mœnia, T. Liuius ſcribit.

Craterem Helenæ, habere prouerbij formam. Nepenthes Homericũ quódnam ſit. Piſta medicamina. Epipaſta. Chriſta. Item nepenthes auſcultationes. Antiphon cognomento Neſtor. Alypiæ ars. Caput III

CRaterem Helenæ, apud Philoſtratum eundem prouerbij forma enuntiatũ, animaduertimus, de ijs quæ nobis æſtuationem mentis leniunt, ſolicitudinem ſedant molliuntq;, & diſſerenato animo, ac frõte erugata exporrectaq; curarum obliuionem inducunt. Ita enim in Sophiſtarum uitis, in epiſtola ad Antoninum legimus conſcriptum, πόσε φρόνησμα ἔσῳ ἄειστε ἰωωτῳ, καὶ τὰ ἄχθη σοι κουφιεῖ τῆς γνώμης, ὥσπερ ὁ κρατὴρ τῆς ἑλένης τοῖς ἀιγυπτίοις φαρμάκοις. Qualis uerò fuerit crater hic, uerbis potiſſimum Plinij ex uiceſimoquinto Naturalis hiſtoriæ percipi facillime quadamtenus poteſt: Homerus (inquit) primus doctrinarum & antiquitatis parens gloriam herbarum Aegypto tribuit, herbasq; Aegyptias à regis uxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud Nepenthes obliuionem triſtitiæ afferens, & ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum. Porrò ſunt ex diligentioribus, qui rimati exactius, cuius nam modi foret pharmacum id, ex quibusq;

concin

concinnaretur, ſuſpicati ſunt eſſe bugloſſam: propterea quod de ea ſic prodiderit Galenus, καὶ τοῖς οἴνοις ἐμβαλλόμενον εὐφροσύνης ἄπορον γίνεται. id eſt, uino iniecta hilaritatem inducit. Scribunt medicorum ſcientiſſimi, euentus mirabilis eam cenſeri rationem, quòd ſanguis inde clarior fiat, expurgatiorq́, porrò & cor confoueatur, à quo mox & hepar: id autem ſic affectum laudabilem ſanguinem producere, unde coornatur lætitia. Medicamenta uerò hoc genus dicebantur piſta, id eſt πιστά, iuxta Aeſchylum, quòd ebiberentur uelut ποτὰ uel πόσιμα. Erant & quæ uocarentur epipaſta, quo niam inſpergerentur: poſtremo & χριστά, quæ litu proderant. Tres uerò hæ pharmacorum ideæ Homero celebrantur in primis. Dignum item relatu, quod enotatum reliquit idem Philoſtratus: Antiphontem illum, qui à perſuadendi potentia Neſtor eſt cognominatus, nepenthes auſcultationes promittere ſolitum, quando nullus tam atrox eſt, infeſtusq́ dolor, cuius uellicationes ciuili eloquentia non lenire modo, ſed excutere etiam quiret. Ex quo arbitror Plutarchum ſcribere, ab Antiphonte excogitatam τὴν ἀλυπίας τέχνην, id eſt artem alypiæ: quæ uox triſtitiæ carentiam indicat.

De Archytæ tabella, ſeu Platage. Plangon. Nympha. Dagys. Item quid crotalum, & crotalus. Crocala. Cocalia. Aſcari. Lumbricorum ſpecies. Aſcarophori. Aſcarides. Ciriæ. Cirrhas. Teniæ. Aſcalabus, & galeotes. Cirrhus color. De Platagonio quæpiam non inſcita, & Telephyllo, ac Anemone. Phennis quid. Partiliter. Platice. Cap. IIII

ARchytæ fabri tabella in Græcis plerunque auctoribus celebrata, quem habeat uſum, egregie Politicorum octauo, præmonſtraſſe Ariſtoteles uidetur, ad uerbum ferè ita prodens: Inſimul, inquit, neceſſarium eſt, pueros re quapiam diſtineri exerceri'ue. Proinde Archytæ tabella rectè admodũ & ſcitè fertur excogitata: exhíbent enim pueris eam, ut eius detenti luſu, nil eorum quæ ſunt domi oblædant comminuántue, quando inſitum pueritiæ, nuſquam quieſcere. In quo tamen etiam atq́ etiam commonendi ſumus, in codicibus Græcis ita adnotatum reperiri, καὶ δεῖ οὖν παῖδας ἔχειν τινὰ διαζωβήν, καὶ τῶν ἀρχύτου πλαταγὴν οἴεσθαι γράφειν καλῶς. Vbi Philoſophus hic platagen dicit, quam Aretinus tabellam nobis reddidit, translatiue nimirum ac defunctorie interpretatus. Id cur, nondum comperi: niſi quòd buxeam quandoque fuiſſe platagen, ex Leonidæ tetraſticho, ubi πυξινέα nominatur πλαταγή, animaduerto. Sic autem habent primores uerſus,

Εὔφημόν τοι σφᾶιραν, ἐϋκρότάλόν τε Φιλολλῆς
ἑρμείη τόνδε πυξινέῳ πλαταγῶ.

Græci tamen finiunt, eſſe inſtrumenti ſpeciem platagen ſonori & obſtreperi ex ære: unde illud, ὁ δὲ πλαταγὴν χαλκοῦσάμενος ἐπλατάγει.

Sunt qui putent platagen æneum eſſe crotalum. Apollonius eius mentionem facit, Χαλκείῳ πλαταγῆι ἐνὶ χερσί τινάσσων Δούπησε. Plangona inuenio in Græcorũ doctrina, ſed eo nomine ornatum intelligũt puellarẽ, nympham item nuncupatum, & dagyda. Sunt qui coronam uelint capiti concretam: aliſ Veneris effigiem, ἀπὸ τοῦ πεπλάσθαι ἐκ κηροῦ, quòd ex cæra compingatur. Crotalum uerò doctiſſimi interpretãtur calamum ſciſſum propriè, ac ſtudioſius cõparatum, ut efficere ſonum queat, ſi quis uerſet manibus: unde & maſculino genere crotalus dicit, qui lingua eſt expeditiore, ac uoce ſonanti, & propè tinnula, loquaci quoque: ſicuti Euſtathio credimus, qui ex teſta, ligno, ære, concinnari ſolitum ſcribit crotalum. Inueni qui crotalum intelligant inſtrumentum muſicum, quo in deorum cærimoniis utantur Aegyptij: & à uerbo Græco inflectãt κρούω, quod pulſo eſt. quamuis non deſint, qui pro plauſtro reſonanti accipiant. Quidam annulum interpretantur ex ære, qui ferreo quatiatur baculo: unde illud ex poetica officina,

Coppa Syriſſa caput Graia redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.

Dicuntur & quibuſdam fluminum calculi lapilliue crocala. Nam cocalia, id eſt κωκάλια, ſunt inter animalia quæ teſta conteguntur, ſicuti limaces. Sunt qui crotala dicti quoq́ aſcaros putent. quanquam & ſandalia quædam eodem cenſentur nomine. Aſcarophoron uerò, φορτηγόν interpretantur, id eſt onera ducentem geſtantémue. Aſcarides autem

des autem,ut in parerga excurramus protinus,Galeno ſunt lumbrici minores, uermibus ſimiles:nam qui oblongi uiſuntur latiq́,uocantur λειρίαι, quod aſſimilentur κειρίαις, ut dicemus. Nuncupantur ratione compari & ταινίαι. Sunt tamen Athenæo piſces ſic nuncupati:at quum apud Eupolim legimus tæniopolim, id eſt ταινιόπωλιν, zonas ſuendentem muliebres intelligendum Græci arbitrantur. Sunt & lumbrici rotunda ſpecie,ac ἀσιθαμιαῖοι, aut etiam maiores. Lumbricos uniuerſim ἑλμίνθους appellãt. Ciriæ uero,ſeu λιρίαι, inde nominis rationem habent, quoniam cirias uocant Græci inſtitas, ſed & zonas,quibus reuinciuntur lecticuli. Ariſtophanes in Auibus,

οὐδ' ἂν χαμεύνῃ πάνυ γε κειρίαν ἔχων.

Dicitur ciria item ἀπαργάνωσις, id eſt faſciatio. Cirrhada οἶνλω, id eſt uitem, appellauit Nicander, τλῶ μέλαιναν ἄμπελον, id eſt nigram uitem. Cirrhum, colorẽ rufum intelligunt:ſicut hypocirrhum, ſubrufum. Cirrhum dicere uermiculum potes,quod colore medio eſt inter album nigrumq́, ex Dioſcoridis decreto. Aſcalabum uero,ſeu aſcalaboten,ab Atticis galeoten dici, tradit Nicandri interpres: Videtur autem(inquit)eſſe lacerta,in quam fertur deformatus Abas Metaniræ filius ab Cerere, quam à matre ſuſceptam hoſpitio is moleſtè tulerat, ſimul & inſtitutam illius honori rem diuinam riſu fuerat proſequutus, & in deam immurmurans neſcio quid. Quod ad infantium lumbricos attinet,ſciendum ex philoſophi placitis,nullum animal in cibi cõcoctione,quę in uentriculo efficitur,procreari, quod aſſerunt nõnulli, ſed in reliquijs cibi putreſcentibus,quæ à natura reſpuuntur,formata,uentriculum petunt,concoctio in uentriculo perficitur,in aluo excrementa putreſcunt. Cæterũ,ut ad platagen redeamus,eam fuiſſe pueritiæ dicatam,in Sympoſiacis teſtari Plutarchus uidetur: Si autem (inquit) dare nõ oportet,ueluti pueris interquieſcere neſcientibus,haſtam uel enſem, ſed platagen & pilam:ſicut temulentis ferulam tradidit deus,leuiſſimam molliſſimamq́, ut feriant quidem,uerum non lædant. Hinc adagij forma obrepit non inſcita,ut arbitror,aduerſum eos,qui prudentiæ inopia,aut ingenij obtuſa quadam hebetudine, uel etiam,ut ſępe ætatis uitio repueraſcunt, uelutiq́ ad luſus redeunt pueriles, hoſce enim ad Archytæ platagen eleganter recidiſſe pronuntiamus. Eam uero fertur Archytas excogitaſſe primus, unde & appellatio ducta. Platagonion uero,inquit Pollux,nuncupatur crotalum,ſiſtrumq́,quo utuntur nutrices,dum lenire infantes cupiunt,qui difficilius conſopiantur,addit, Amantes quoq́ platagonio luſitaſſe. Hoc uero Græci quidam interpretantes ita accipiunt, eſſe platagonium papaueris,& anemones herbæ folia ἀπὸ τοῦ πλατάσσειν ἦχον ἠχεῖν, id eſt à ſono quem colliſa faciunt:ijs ſiquidẽ periclitabantur,ecquid amaſiis ſuis forent grati, eſſetq́ affectus mutuus. Siquidem pollici imponentes ea, & indici,mox collidebant,quod ſi percrepuiſſent, aut ruborem concepiſſent,quo nomine Rhodia uocabant,amari ſe augurabantur: ſin minus, ut fruſtrati ingemiſcebant. Id ipſum uero planè ſignificat Theocritus hiſce uerſibus,

ἔγνων πρὰν, ὀκάμον μεμναμένου, εἰ φιλέεις με,
οὐ δὲ τὸ τηλέφυλλον ποτιμαξάμενον πλατάγησεν,
ἀλλ' αὔτως ἀπαλῷ ποτὶ καρπῷ βρεμαχάνθη.

id eſt, cognoui uel prius. quando periclitante me,an amarer abs te,neq́ telephyllon in ſonuit colliſum, ſed uanè molli in brachio conflaccuit. Vbi telephyllon, poetæ illius interpretes eſſe autumant papaueris ramum, cuius foliis intra manum colliſis, ex ſono(ut diximus)de amore coniectabant,dictumq́ putant,quaſi ἁπλέφιλον, quod amorem præmonſtret. inde ſunt, qui non per Y, ſed per I, ſcribendum aſtruant. Alij putant eſſe, ῥιζίον πθαμνῶδες κάτωθεν ἀναβαίνον τρίκλωνον. Dioſcorides libro ſecundo,andrachnen ſylueſtrem aliquibus dici aizoum ſcribit, aliquibus etiam telephion, cui ſit excalfactoria uis & ulceratoria,quam poeta ſignificarit. Apud Ariſtophanios enarratores in Equitibus,inuenio uerbum πλατυγίζειν ſignare peculiariter,ſiniſtræ platagonium imponere,moxq́ dextra impacta,ſonum elicere. Quod autẽ de anemone commeminimus,ſcribunt nõnulli ex Græcis,ex Adonidis ſanguine prognatam. Soſibius ait,apud Laconas eſſe anemonias,quæ uocentur phænides: ni φωνίδες fuerit rectius, quo pilæ ſignantur luſus. Platicem appellant eruditiores, tractatum quo uniuerſim ac

pinguius imbuuntur rudes, informanturq́, ut mox partiliter ſubtexatur doctrinæ ratio. Firmicus. Debet (inquit) is qui inſtituitur, primum platice imbui, ut iſs apertioribus leuioribusq́ compoſitus atque formatus ſecretiora deinceps genituræ confidentius conſequatur.

Athenodori & Philoſtrati iudicium de Iulio Polluce. Cap. V

ATHenodorum legimus, cauillatum genus dicendi minus altis ſubnixum radicibus, Iulium Pollucem eſſe ueluti Tantali hortos dictitare ſolitum, rem uidelicet leuiculam, & momenti non magni, quæq́ eſſe aliquid uideatur, quum ſit nihil ferè. Sed & Philoſtratus de eodem ita ſibi ſcribere permiſit: Pollucem (inquit) Naucratitem ambigo, doctum ne appellem, an imperitũ, an quod fatuum fortè uidebitur, doctum pariter & indoctum.

Byzantij laus præcipua. Byzantios fuiſſe οἰνόφλυγας, id eſt uinolentos. Macedonis Philippi dictum præclarum. Cap. VI

BYzantium Thraciæ ciuitatem perilluſtrem, utriuſq́ linguæ monumentis celeberrimam, ſors Delphica uel præcipue extulit, quæ ſcitantibus Megarenſibus ad eam pertinens reddita, fermè ſic eſt,

ὄλβιοι οἱ κείνῳ πόλιν ἀνέρες οἰκήσουσιν
ἀκτῆς θρηικίης ὑγρὸν παρὰ πόντον.

Felices uero futuri pronuntiantur uiri, qui Thracij littoris ciuitatem habitabunt ad Ponti os. Quanquam non me fallit, Byzantios ita quandoq́ à Græcis conuelli, ut acolaſti dicantur, id eſt intemperantes: quippe qui in Venerem ferrentur præcipites, & uinum. Quod in Varia hiſtoria recenſuit Aelianus, illos plurimum in caupona ſolitos uerſari prodens: proinde ἐκ τούτων inquit ἔξεσι νοεῖν, ὅτι καὶ πρὸς ὄπλα, καὶ πρὸς πολέμους ἀλκτηριώτατοι διάκεινται Βυζάντιοι. Narratur illud quoq́, Quum uehementius obſidione premeretur Byzantiũ, nec in mœnibus contineri tamen ciues poſſent, quod in tabernas ex more diuerterent uinarias, Leonides eorum dux ad mœnia excitari cauponas imperauit. Quo effectum ſophiſmate eſt, ut in officio continerentur Byzantij. Approbantur uerò hæc Damonis quoq́ auctoritate. Subſcribere & Menander uidetur, ubi ait, μεθύσους σοὺς ἐμποδους ποιεῖ τὸ Βυζάντιον, ὅλως ἔπινε γὰρ νύκτα. Illud adiecero obiter, Argiuos item ac Tirynthios & Illyricos quoque, ut uini cupidiores à grauiſſimis Græcorum inceſſi plerunque. Denominatum uero Byzantium creditur à conditore Byzante, uel quod ductor claſſis quidam fuerit Byzes nomines. A Byzanto rege uocari Byzantium, ſcribit Diodorus. Diu autem poſt Conſtantinopolis nuncupata, & noua Roma. Felicitati ac pulchritudini ciuitatis, Macedonis Philippi calculus plurimum item ſuffragatur. Auctor quippe in Sophiſtarum hiſtoria Philoſtratus, Ductanti aduerſus Byzantios inſtructiſſimas copias Philippo Leonem ſophiſtem obuiũ ſe ingeſſiſſe, atque ita ſcitari inſtitiſſe: Quid tibi (inquit) factum, ὁ imperator, qua uenoſtra exſtimulatus iniuria in nos proruis armatus? At Philippus: Quoniam (inquit) patria tua omnium ſpecioſiſſima ciuitatum, in ſuos amores me facile pellexit: proindeq́ ad deliciarum mearum portas appropero, ſigna illaturus. Sed, inquit Leo, amatores qui redamari poſtulent, armis minime graſſantur: neq́ enim bellica, ſed muſica expetunt organa, qui amori ſtudent. Citharœdus Stratonicus eſſe Byzantium dicebat Græciæ μασχάλω, id eſt ſubalam. Sicuti Rhodios eſſe prædicabat albos Cyrenæos, & procorum ciuitatem, quum illos animaduerteret ſpatalonas & thermopotas, id eſt fluere delicijs & calidum haurire: Heracleam uero Androcorinthum: Leucadios putres Corinthios: Ambraciotas autem Membraciotas.

De Pythagora enotantur pluſcula: item quibus argumentis comprobetur fuiſſe magus. De boue Empedoclis. Numæ inſtituta cur credantur Pythagorica. De Pythagoricis plura, & qui Pythagorij uel Pythagoriſtæ. Ca. VII

PYthagoram philoſophum, quem ut diuinum uirum ſuſpicit, & admiratur Plato, ea fuiſſe ſapientia legimus, ea mentis acie, nunquam non collimante, inſuper & animi bonitate, ut cõſulentes nunquam falleret, ſalubria ſemper forent illius monita. Hinc effluxit appellatio nobilis, ut Pythagoricus dicere-

retur

retur tripus: tanquam uera nihilo ſecius, quàm Apollò, effari cõſueſſet. Cæterum inde quoq́, diuino quodam afflatu, uiro ipſi inditum nomen, Ariſtippo tradenti credimus. Sed & augurem fuiſſe, lectum eſt, ac uaticinijs ab eo auctoritatis plurimũ adoptatum. Verum enimuero nil tam exquiſite afformatum, nil adeo amuſſitate aut graphicè con cinnatum, compoſitum elaboratumq́ cura peruigili, cui rubiginis non affricetur aliquid, aut loliginei ſucci labecula ſordidior allinatur. Etenim comperti nobis cauillato res neſcio qui, ac caniculæ, qui uiro alias coryphæo propemodum, magicæ uanitatis crimen inuſtum uelint. Ea ſeu uera ſint ſeu falſa, hiſce noſtris commentationibus adglutinaſſe, uiſum operæpretium eſt. Timon Phliaſius, ſicuti auctor Plutarchus eſt, ita ſuper hac re ſibi ſcribere permiſit,

πυθαγόρην δὲ γόητα ἀκλινοντ' ὦτα δόξας,
ὅστις ἐπ' ἀνθρώπων σεμνηγορίης ὀάεσσιν.

Pythagoramq́ tuere magum, qui nomine flagrans
Pergeret eloquijs homines captare uenuſtis.

Proditur item memoriæ, quum ſuperuolantem ſuſurraminibus magicis excantaſſet aquilam, ita deduxiſſe, ut mitem redderet, ac prorſus cicurem. Propterea Ammianus: Pythagoras (inquit) femur ſuum apud Olympiam aureum oſtentabat, & cum aquila colloquens ſubinde uiſebatur. Ad hæc ſi quãdo gallum gallinaceum plumantem candidius cõperiſſet, ueluti fratrem (ſi credere libeat) amplexabatur, amabatq́. Legimus id quoq́, fuiſſe urſam quampiam feritate conſpicuam, magnitudine inuſitata, quæ uiſentibus modo horrorem incuteret. Eam uero uir hic accerſitam demulctamq́ apud ſe aluit. Mox dimiſſurus, ueluti conceptis uerbis, iureiurando (ut ſic dicam) adegit, nulli animantium cunctarum, damno oblæſioni ue futuram. Abiens illa in ſyluas ſe conicit ſuas, ſummaq́ fide, quod inter homines quoq́ perrarum eſt, in quod adiurata receſſerat, præſtitit. Hinc fortè Pythagoricam necromantiam per literarum numeros & lunæ ſolitam exerceri, recenſuit Auguſtinus. Narratur certe idem Pythagoras, bouem ubi prope Tarentum conſpexiſſet fabaciam ſegetem morſicatim corrumpentem, tum etiam proterentem pedibus, bubulco inſinuaſſe, Bouem moneret, frugibus parceret. Ridens buſequa: Ego (inquit) bouatim non didici, tu qui uidere ſcholarũ id genus experiens, obeas uicem meam. Eueſtigio Pythagoras auribus ſeſe admouens, ſui artificij quæpiam immurmurauit. Res additur mira: Obedientiſſimus bos, ut ab eo qui amplius ſaperet, edoctus, lacerare mox ſegetem deſtitit: quin etiam in futurum eiuſmodi pabulo abſtinuit: ſed & bubulum deſiit obſequium, factusq́ de rureſtri colono ambulator urbanus, Tarenti placide conſenuit, de manibus hominum uictitans, ut ſolida demum ac plena admiratio fiat. Verum, ut iſta iam reſecemus, Pythagoram proditur memoriæ, quum noui quippiã excogitaſſet in geometria, Muſis bouem immolaſſe: quod (inquit apud Ciceronem Cotta) non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare uoluerit, ne aram ſanguine conſpergeret. Cæterum, auctor idem M. Tullius eſt, tantum exiſtimationis apud ſuos eſſe adeptum Pythagoram, ut ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex eis quæreretur Quare ita eſſet, reſpondere non uererentur Αὐτὸς ἔφα, hoc eſt Ipſe dixit: ipſe autem erat Pythagoras. tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam ſine ratione ualeret auctoritas, quæ obeſt plerunque diſcere uolentibus. Deſinunt enim ſuum iudiciũ adhibere. Id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum uident. Obiter uero illud adnotarim in Græcorum commentarijs obſeruatum, ἐκεῖνον & αὐτὸν capi pro nominibus propriis: nam & Homerus Thetin inducit ſic dicentem,

Τίπτέ μ' ἐκεῖνον ἄνωγε μέγας θεός.

Et apud Ariſtophanem αὐτὸς dicitur de Socrate. Scribit in Magia Apuleius, Pythagoram proxime Metapontum, in Italiæ littore, quam ſucciſiuam Græciam fecerat, quum à piſcatoribus euerriculum trahi animaduertiſſet, fortunam eius boli ſiue iactus emiſſe, ac precio dato, mox irretitos piſces mitti iuſſiſſe. Id cur factum à uiro philoſopho, ſuperſedit Apuleius explicare. Plutarchus in ſermone qui eſt, Quo quis pacto etiam ab inimico iuuetur: Fieri ſolitum uideri uult, ut per ea tacitis uelut ambagibus

insinuaretur, à crudelitate abstinendum semper, & moderationi insuescẽdum, plus habendi resecta cupiditate. Mirantur historici, unde nam fieri potuerit, ut Romanos in participatum Pythagoricæ doctrinæ aduocarit Pompilius Numa, quum eo posterior aliquanto agnoscatur Pythagoras. Verum amplius perpendenti mihi id sanè haud uidetur dissentaneum, Pythagorica instituta non ferè alia fuisse, quàm quæ in magna Græcia uarentur, ante illum multa annorum comperta serie: factum uero, ut Pythagoræ nuncuparẽtur sacra, quòd ea is rationibus præfulcire adortus sit primus, ac munienda luculentiora facere planioraq́. Pythagoram uiuum fuisse à Cylonijs exustum, Plutarchus idem prodidit. Factum hoc Laertius scribit in Milonis Crotoniatæ domo, à quodam, quem in disciplinam admittere abnuisset. Scitu uero dignum illud, ex Pythagoræ instituto propagatum: Empedoclem quãdoq́, ubi Olympia uicissent equis, quod animatis ex præscripto abstineret, ex myrrha, thure, aromatibus alijs bouem concinnasse, quem ad panagyrin conuenientibus distribuerit, quod parœmiæ quadam imagine usurpari à nobis potest, in ijs quæ de saccaro passim coaptari conformariq́ animaduertimus. Lego deniq́ in Græcorum thesauris, Pythagoræ sectatorum quosdam fuisse cõtemplationi rerum sic omnino addictos, ut inde nuncuparentur θεασιωί, ceu uenerabiles quidam, Nonnullos autem humanis, ex quo & politici sunt appellati. Alios porrò mathesim amplexatos, tum geometricam, tum astronomicam: quo nomine mathematicos esse uocatos. Nec id prætereundum, eos qui cum ipso congrederentur Pythagora, dici Pythagoricos; horũ uero discipulos, Pythagorios: cæteros autem, Pythagoristas.

Mineruam cur Lacedæmonij Chalcioecum uocent. T. Liuij & Plutarchi codices emaculantur. Chalcopus. Chalcotypus. Thalamus æneus. Delphi cum templum æneum. Item fori Romani tectum. Chalcidicum. Cap. VIII

CHalcioecum fuisse Pallados cognomẽtum Spartæ, certatim Græci ferè omnes tradidere. Id cur sic, uideri ambiguum potest, ac indagine certa perquirendum. Ne uero inscitior quispiam diutius scrutatum eat, quid ex mutis (quod aiunt) mihi compertũ magistris sit, pergam hinc promere. Dictam igitur sic glossularij interpretantur, uel quia domum haberet æneam, quam uocant χαλκοῦν, aut quia ex Euboea Chalcidenses fanum construxere. Templi eo nomine post Thucydidem libro primo, meminit Aemylius Probus: in id Pausaniam confugisse memorant, atq́ inibi interisse, matre etiamnum principe, audito filij scelere, ad occludendum illi egressum lapides ingerente. Meminit & in Parallelis Plutarchus in historiæ eiusdem explicatione. Sed & in Commentatione, quæ est περὶ ἀδολεσχίας, hoc est, de loquacitate, addita item historia altera templi spoliati, & lagenæ inanis ibidẽ ab expilatoribus relictæ. Quin & nono Variæ narrationis Aelianus, & in Laconicis rebus Pausanias, qui eandem poliuchon esse arbitratur, id est πολιοῦχον. Templi substructionem à Tyndaro institutam primo tradit, mox & filios perficere adortos non quiuisse, destinatis ad opus Aphidnæorum spolijs. Cæterum, multis annis post perduxisse ad umbilicum Lacedæmonios, ex ære simulacro cõflato, cuius auctor fuerit Gitiadas uir indigena, qui & cantica cõcinnarit Dorica, & præterea in laudem deæ hymnum. Porrò esse inibi quoq́ alterum Palladis templum, quam dicunt ἐργάνην. Quin ad sinistra Chalcioeci erectum item Musis sacellum, quod non clangentibus tubis, progrediãtur in prælia Lacedæmonij, uerum tibia, lyra, cithara præcinentibus. Sed ad rem. Taceo nanq́ in dextris Chalcioeci eiusdem Iouis simulacrum planè omnium antiquissimum, quæ ænea habeãtur. Hisce uero fulti auctoritatibus, quis calculum adijcit Græcorum schola uniuersa, commonemur, ut T. Liuij codices temporum iniuria decurtatos, & librariorum inscitia maculosos extergamus, & genuino restituamus candori. Ita enim libro trigesimoquinto ab Vrbe condita, scriptum passim lectitatur. Aetoli circa Chalciotem, Mineruæ id est templum æreum, congregati cæduntur. Reponendum censeo Chalcioecum, expungendum Chalciotem. Consimile irrepsit in Plutarchi libros mendum, apud quem in Agidis & Cleomenis uita sic legitur: è regibus Agis quidẽ in asylum, quod Chalcicon uocant, Cleombrotus autẽ in Neptuni templum confugit. Sub-

ſtitue ut in Liuio, Chalcioecum, eraſa dictione nihili & adulterina. In libro eodem Plutarchus tradit, Leonidam eſſe Chalcioeci ſupplicem factum: ſed interpres locum integrum præteriit. Mentio ędis huius in Plutarchi eiuſdē Apophthegmatis eſt frequens. Chalcodontis phanum in Attica, recenſet idem in Theſeo. Chalcopus Erinnys firma dicit, infatigabilisq;. Chalcotypus plaga eſt illata ferro. Erat & χαλκοῦς θάλαμος apud Argiuos in ſubterraneo ædificio. Eum ſtruxerat cuſtodiendæ filiæ Acriſius, quod ſcribit Pauſanias. At demolitus fertur Perilaos tyrannus. Sed & templum quandoq; Delphicum ex ære factum, Græci ſcribunt. Quin & Romæ forum magnitudine quidem fuit inſigne, ſed in primis, quòd æneum eſſet tectum. Propterea nō mirandum magno pere, æneam fuiſſe ædem Pallados. Chalcidicum eſſe genus ædificij, ab urbe Chalcidia nuncupati, auctor eſt Feſtus, quo forſan argumento Minerua Chalcidica regione Vrbis nona, ſtatuitur à P. Victore, amplius tamen uidendum.

Chalceum quàm multa ſignet apud Græcos. Chalcea Feſta, ſeu Athenæa, uel Pandemus. Exchalciare uerbum. Chalceati dentes. Orichalcum. Chalcenterus cur diceretur Didymus & Bibliolathas. Exodion Didymi. Diexodica. Eudromi qui dicantur. Petronianus Valerius. Codones quid ſint. Tubarum ſpecies. Codion.

Cap. IX.

Halceū uero, id eſt χαλκεῖον, plures apud Græcos recipit notiones, quandoq; enim ahenum ſignat, aut ex ære uas quodlibet: nam & in pleriſque Italiæ locis id genus uaſa dici nunc quoq; audias chalcedra, quaſi à χαλκός, quod æs indicat, & ὕδωρ aqua, ſit dictio compacta, ueluti aqualia ſignificentur conceptacula ex ære ducta, conflata ue. Eodem porrò nomine & fabri nuncupatur æraria officina. Dignum uero obſeruatione, lapſum uideri fœdè Polyhiſtorem Libycorum tertio, dum ea appellatione in Libya ciuitatē intelligit. Neq; enim, ut inquit libro duodecimo Polybius, ulla eius nomenclaturæ in eo mundi ſitu ciuitas eſt: ſed ſunt (inquit) χαλκουργεῖα, id eſt ærariæ fabricæ. Porrò chalcea, feſta quædam erant, quæ nonnulli uocant Athenæa. Alij etiam Pandemum, quoniā ab omnibus celebrarentur, quanquam mox à cerdonibus tantum aut operarijs & fabris præſertim, ut refert Harpocratio & Apollonius Acharneus. Quo argumento prodidere quidam, Athenienſes primum ærariam fabricam exercuiſſe, quod ſcribit Euſtathius. Fuit & Menandri fabula, titulo Chalcea. Scribit Phanodemus, non utique Mineruæ ſacram fuiſſe Chalceorum celebritatem, ſed Vulcano. A dictione autem Græca, quæ chalcos eſt, lepide quidam uerbum concinnarūt exchalciare, quod eſt ære ſpoliare, ac nummos auferre. Luſit facetiſſime quiſpiam in Voranum Q. Luctatij Catuli furaciſſimum libertum, quem quum deprehendiſſet nummularius nummos de menſa ſubtrahentem, ac in calceos ſibi infarcientem, Belle (inquit) te nummularius exchalciauit. Chalceatos dentes, ex hac item ratione legunt nōnulli apud Plautum. Chalcenterum inde appellatum tradunt grāmaticum Didymum ob infatigabile ſtudium: ſicuti à Demetrio Trœzenio, ut ſcribit Athenæus, dicebatur Bibliolathas, ex uoluminum numeroſitate, quæ incredibiliter concinnaſſet, quando fuere tria millia ſuper quingenta. In quorum ſex uaniſſime in Ciceronem inuehitur, ſillographos imitatus maledicos ſcriptores, quamobrem doctis auribus haud ſatisfacit, ceu immania frementē leonem putidulis uocibus inanis oballatrans catulus. Didymi ἐξοδείου nominat in Rufinum Hieronymus, & in Exodum commentaria uidentur intelligi. At diexodicas hiſtorias intelligimus, curioſius latiusq; conſcriptas, ut uel tenuiſſima quæq; non omittantur. quando & Aphrodiſeus Alexander eo dialecticem à rhetorica diſpeſci tradit, quòd oratione non utatur diexodica, id eſt πλατυτέρα καὶ καθολικωτέρα. Sunt & diexodi aquarum, id eſt ductus. Sed & uentorum diexodi nuncupantur, id eſt ἐκπνοαί. Exodium denique pro exitu accepiſſe uidentur Plutarchus & Appianus in Craſſi rebus, ἐς τοιοῦτό φασιν ἐξόδιον τῶν κρωσσου στρατηγίων, ὥσπερ τραγῳδίαν πλουτῆσαι. quia è theatro cedentes cantum, auctore Polluce, concinerent, quem exodium dictitabant. Sed & tunc tragœdiæ ſpecies in Parthorum exhibita conuiuio eſt. Illud ab hoc haud ita diſſentaneū, ab Græcis εὐδρόμους, id eſt eudromos nuncupari, qui ingenij facilitate præceleri mul-

in breui obierint. Nam ſic Petronianũ Valerium legimus honeſtatum, ſiquidem ætatis anno tertio ac uigeſimo humanum tenuit Ius ac diuinum, medicinæ nec imperitus ut ciuilia præteream, & toties obitas legationes in digitos non mittamus. Illud libenter adnotarim ex interprete Aſpidis Heſiodicæ: Orichalcum eſſe uideri æneum metallum, id eſt chalcoma, quod in montibus enaſcatur. Aiunt alij, quorum eſt Philoponus, eſſe materiam metallicam quidem, ſed ære pretioſiorẽ, quę (inquiunt) modo non comperitur. In Pompeij Sexti fragmentis lego, quoſdam etiam aurichalcum enuntiare, uelut diction̄e ab auro & ære cõnexa concreta'ue, quoniam auri præferat colorem. Proinde inueni, qui uulgo dici Ottonem opinentur. Quin ita quoq; in Plauti fabula Pſeudolo adnotatum reperi: Di immortales, aurichalco cõtra non carum fuit meum mendacium. Græci utiq; ὀρείχαλκον pronuntiant, correpta principe ſyllaba. Hinc codonas ex orichalco legimus: ſunt autem codones, id eſt κώδωνες, quos uulgo ſonalios uocamus, ex equorum phaleris propendentes plerunq;. Et in epigrammate, ὀρειχάλκου λάλα κύμβαλα. hoc eſt, ex orichalco garrula cymbala. Sed & columnas, id eſt ſtelas indidem conflatas quoq; obſeruauimus. Codonas ex Græcis nonnulli tubæ partem interpretantur latiorem, quæ ſit generis non unius, quando ſunt Libyſticæ tubæ, necnon Aegyptię; atq; item Tyrrhenicæ: quas omnium primus Arichondas opem Heraclidis ferens intulit Græciæ. Codion uero nuncupant Græci ſylueſtrium bulborum florem coronamentis inſertum apud ueteres. Tubas Tyrrhenicas ut uocis uel ſoni acutiſſimi intellexiſſe Sophocles uidetur in Aiace maſtigophoro, interpretis etiam aſtipulatu. In India naſci orichalcum, ſcribit Diodorus Bibliotheces tertio. Strabo Coſmographiæ libro tertio & decimo, & ab eo mutuatus Stephanus: Apud Andira, inquit, lapis reperitur, qui exuſtus tranſit in ferri uim. Mox cum terra quadam καμινευθεὶς, id eſt in fornace cõcoctus ἀφιεῖσι ὑδράργυρον, ſtillando pſeudargyrum exſudat. Dein, ſi æri promiſceatur, fit orichalcus. Apollonij interpretes Argonauticon quarto, dici orichalcum opinantur, ἀπὸ ὀρέου τινὸς γηγενέος εὑρεθῆναι. id eſt, ab Orio quodam inuentore. Apollonius,

Λαμπετίη δ' ὣς βουσὶν ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ
πάλλῃ ὀπιδνεύουσα καλαύροπα.

Orichalcum metallis omnibus fuiſſe pretioſius, coniectat Seruius grammaticus, Plautinum illud aduocans ex Milite,

Ego iſtos mores orichalco comparem.

Ariſtoteles ὑπὲρ πελεταῖς, abnuit ſpeciem metalli huius comperiri uſquam. Pleroſque enim ſuſpicatos, nominari orichalcum quidem, cæterum haudquaquam eſſe, uerum & hoc de iis unum cenſeri, quæ prodita temere ſint. Orichalci factiti; meminit libro decimotertio Strabo.

Aes cur à Græcis χαλκὸς dicatur. De chalco nummulo, & dichalco. Aeris inuentio & auctoritas. De Combe puella. Chalcas unde dicatur. Chalcis piſcis. Palea æris. Apothetæ. Synclides. Aeneæ uxor. Creuſæ raptus. Coræbus. Meteoroleſchę. Chalcothece. Leſche quid, Aeneum uinculum cur pro perpetuo. De adamante paucula. Telephia uulnera, & chironia. Cyſoleſches. Leſchenorios Apollo. Aenea pocula ueterum. Cap. x

AEs autem, Græci χαλκὸν dicũt, uti præſtruximus. Eius uerbi etymon aferri uarium ſolet, opinatis quibuſdã inde corriuari, quòd fortitudini ſit accommodum, quam ἀλκὴν uocant. Adiecta craſſioris ſoni litera ex lingua Doricæ proprietate. Ioannes Grammaticus in commentario in Heſiodum, à Chalybum gẽte inflectit, ut dicatur Chalcos, quaſi Chalybos. Apud eos uero in Scythia populos primitus inuentũ traditur ferrum. proindeq; Chalcon id nuncupauere: nam ante ferri uſum æs memoratur compertum. Propterea id ferro nomen impoſitum: quod Euſtathius quoq; ſignificat. Et quum apud Homerum legimus χάλκεον ἔγχος, non utique æneum interpretantur, ſed ferreum, ex ueteri more appellatione propagata. Quod uero armis uterentur æneis prius, non ferreis: aſtipulatur Heſiodus eo uerſu,

χαλκῷ

χαλκῷ δ' ἠργαζοντο, μέλας δ' οὐκ ἦεν σίδηρος.

Aere laborabant, necdum ferrum erat nigrum. Sunt qui ferrũ putent per appoſiti formam dici χαλκοῦν, παρὰ τὸ χάειν τὸν ἀλκὸν, quòd fundat diſſipetq; interemptorum uires. Chalcida Eubœæ ciuitatem arbitrantur appellatam nonnulli, quòd ibi primum ærariæ fabricę memorentur compertæ. Quanquam alij, quod Euſtathius ſcribit, à Combe puella Chalcidis cognomento, Aſopi filia, duci uocabulum putant, cui æneæ armaturæ inuentionem acceptam referunt. De qua intellexiſſe Ouidium arbitrantur Metamorphoſeon ſeptimo,

Adiacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum uulnera Combe.

Quam Iamben tranſtulit Planudes, uti meminit Cæcilius Minutianus Apuleius. Chalcos, id eſt χαλκοῦς, apud Plutarchum inuenies in Catonis ſenioris uita. Interpres, æra ſimpliciter reddidit: quum tamen traditum eruditis ſit, obolum Atticis chalcos complecti octonos, uel (ut Plinius) denos, binis chalcis conſtat quadrans: unde dichalcus etiam dictus. Aerarios porrò fabros in Lemno inſula fuiſſe plures, comperio, qui omnium primi ænea commoliti tela, Sintiesq; hinc uocitati traduntur, qua uoce nocumentum Græca ratione ſignatur, nata inde fabula, exceptum à Lemnijs lapſum de cælo Vulcanum. Quod referunt alij ad eos, qui crebri uiſuntur in inſula ignium crateres. Chalcem Euſtathius purpuram interpretatur. unde appellari Chalcantem cõiectat, ut qui profunde uaticinia cõciperet: quanquam & ab æneo colore fingi potuiſſe nomen, non inficiatur, quem tamen purpureum intelligit. Apud Ariſtotelem eſt inter piſces nomine chalcis, quem æricam Theodorus reddidit, ab alijs dicitur etiam zygnis. Aes porro in ſacris & excantationibus magnam habuiſſe ueteribus auctoritatem ac uim, ſcribit Theocriti interpres in poetæ Pharmaceutria, propterea q; in lunæ deliquijs adhiberi ſolitum, καὶ ὑπὲρ τῶν καταχθονίων, id eſt, & hominum morte: purius enim cæteris habebatur, καὶ ἀπελασικὸν τῶν μιασμάτων, id eſt pollutionũ expiatorium. Inde eo utebantur in purificationibus uniuerſis, ut in libro De dijs ſcripſit Apollodorus. Quin & Coræ, ſeu Proſerpinæ ſacerdos Athenis æneum pulſare inſtrumentum aſſuerat, quod ἠχεῖον uocant. Apud Laconas rege defuncto lebetibus obtinnire, fuit ueteris inſtituti. Et Sophocles in Tragœdia, cui titulus Rhizotomi, id eſt radicum ſectores: Medeam ſcribit herbas ſecantem, ſuccos in cados refudiſſe æneos: herbas uero æneis ſubſecuiſſe falcibus. Ex quo & Virgilius,

Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte uenení.

In his uero potiſſimum ſacris ænea adhiberi uaſa Macrobius ſolita ſcribit, quibus delinire aliquos, aut deuouere, aut deniq; exigere morbos uellent. Sed & Carminius libro De Italia ſecundo, Thuſcos æneo uomere in cõdendis urbibus uſos, in traiectitijs eorum ſacris, ſe inueniſſe ſcribit. Quin & ſabinorum ſacerdotes æneo cultro attonderi conſueuiſſe. Aeris porro ſonos, ceu rem potentiſſimam, multis rebus Græcorum uetuſtiſſimos adhibuiſſe, palàm eſt. Cur uero æris diſſono crepitu deficienti lunæ auxilia rentur antiquiores, quod & Manilius ſignificat, ſed & Ouidius,

Te quoq; luna traho, quamuis Temeſæa labores
Aera tuos minuant:

Alexander etiam rationem affert eiuſmodi: Aes & ferrum, inquit, quatiunt mortales, quod inde abigi dæmonas, creditum ſit: quo tempore ſydera hæc uim ſuam ad terras non perducant, quæ & hominibus proſit, & improbos retrudat dæmonas. Moris huius meminit Titus item Liuius ab Vrbe condita uigeſimoſexto: Campanorũ, inquit, imbellis multitudo, cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ ſilenti nocte fieri ſolet, ęditi clamorem. Et, ut Plinium præteream, etiam Thebaidos ſexto Papinius: Procul auxiliantia gentes æra crepant. Paleas inuenio ramentulas dici æris, palearum imagine quadam, quæ iam liquato ære ac percocto expuuntur flatu uehementiore, uti Plinius ſcribit. Etiam ſi non latet, Hermolao ſecus uideri. Cæterũ & adiuratiſſimis arriſit hoc. Porro addamus quod ſcribit item Ioannes Grammaticus: ærarias fabricas quandoq;

leſchas nuncupari: quoniam pauperiores, hyemali præſertim ſydere, illuc caloris gratia ſe conferrent, ac (ut aſſolet) nugari plurimum conſueuiſſent. Sicuti Romæ in furnarias domos, ex quo Horatius,
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos.
Propterea Heſiodus,
πάρδ' ἴθι χάλκειον θῶκον, καὶ ἐπ' ἀλίην λέσχην,
ὥρῃ χειμερίῃ. Vbi ærariorum ſedes prætereundas monet, ac nugas, arationis tempore. Seniorum porrò congreſſum conſultandi cauſa, tragicus quidam, Euſtathio referente, σύγκλητον λέσχην nuncupauit. Erat Spartæ, ut prodit Pauſanias, leſche λεσχανῶν. Sunt autẽ Crotani Pitanatarum portio. Pitana uero fuit tribus. Nam & Menelaũ Pitanatem legimus. unde & Græcorum exercitus Pitanates dicitur quandoq́, & πιτανάτης ἀγών, in Pitana celebratus. Hinc adnotatum: Spartæ natos infantes in Leſchen ſolitos deferri, ut ab ſenioribus exploraretur, ecquid corpus foret εὐπαγὲς καὶ ῥωμαλέον, id eſt compactum bene firmumq́. Quòd ſi apparuiſſet ſecus, exponendus infans amandabatur ad Taygetũ in Apothetas, id eſt ἀποθέτας, id loco nomen eſt Βαραθρώδες, hoc eſt abiecto ac profundiori. Quod autem ſyncleton, leſchen appellari diximus, ſciendum amplius, Suda interprete, ſynclydas nuncupari conuenas, & συμμίκτους, id eſt commixtos. unde ad Pyrenen ſtatuunt coſmographi συγκλύδων πόλιν, id eſt conuenarũ ciuitatem. Eſt uerò Leſche, id eſt λέσχη, nunc confabulatio, nũc nugæ. Dicebatur & publicus locus, in quo uerſarentur πτωχοί, id eſt mendici, inuicem garrientes. Signat & cõuiuijs deſtinata publicitus loca, id eſt λαπισήια, ſeu cœnacula; item ſermones, inibi qui haberentur: deniq́ tepentia loca dici eo modo ualent. Fuit apud Delphos Caſſotis fons, à nympha ſic dictus Parnaſia. Super Caſſotida uero ædificium, quod à Delphis Leſche dicitur, à diſſertationibus quæ ibi fierent: & multa eiuſmodi fuiſſe in Græcia, teſtari Homerus uidetur in Melanthi iurgio cum Vlyſſe,
δὲ θέλεις δύδειν σχετλίου ἐς δόμον ἐλθών,
ἀλλ' ἐπὶ ἐς λέσχην, ἀλλ' ἔνθάδε πολλὰ ἀγορεύειν.
Leſcheos uero, id eſt λέσχεως, de bello ſcripſit Troiano: in quo, unà cum auctore Cypriorum carminum Aeneę uxorem facit Eurydicen, tradentibus alijs Creuſam: quam auctore Pauſania, deûm mater & Venus liberarint à Græcis. Sed & in pleriſque alijs, à communi diſſidet ſententia Leſcheos. Nam Caſſandræ gratia ueniſſe Corœbum, & à Neoptolemo peremptum, multi tradunt: hic autem à Diomede mauult. Leſchas apud Plutarchum inuenies in Lycurgo: cuius uerbi notio, ex ijs quæ diximus, coniectari libere poteſt. Aeneum uinculum, pro perpetuo, accipiunt poetæ: quoniã, ut inquit Porphyrio, æris metallum rubigine non conſumitur. Horatius,
Diductosq́ iugo cogit aheneo.
Cuiuſmodi adamantina item dicuntur, tum quia ſit ferri ſpecies adamas, ut nonnulli Heſiodi aſtruũt interpretes, tum lapidis inſita denſitate ignibus, ac ferro inuicti, quam uis plumbo & leonis hircíq́ ſanguine molliatur. Aeris porrò auctoritatẽ indicat illud quoq́, quoniã ærea cuſpide, ſiue etiam ferrea Telephum ſanaſſe Achilles perhibetur. unde natum adagium Euſtathius ſcribit, ὡς ὁ τρώσας καὶ ἰάσατο. quòd qui uulnus intulit, ille idem perſanabit. Qua in parte illud obiter quoq́ ſubnotãdum: Vulnera, quæ malignitatis præferant multũ, dici τηλέφεια τραύματα, ut quæ ſalutarem Achillis numen requirant. Veluti & Chironia dicuntur λυσιλαθῆ, id eſt quæ medicam uix recipiant curam, & Chironem aliquem reſpectare uideantur, ut inquit Paulus Medicinæ quarto. Quod uero de leſche diximus, id neutiquam prætereundum: dici cyſoleſchen cinædologum, id eſt ſermone turpem. Nam ueteres tam cyſthon dicebant, quàm cyſon: ſicuti auctor probat Euſtathius, Iliados rhapſodia octaua. Leſchenorion ueteres Apollinem cognominarunt, quod interdiu in cœtus coeant uiri, ac uti aſſolet fabulentur, noctu uero ſeiunctim conquieſcant. Meteoroleſchas inuenio apud Plutarchum dici phyſicos ante Platonẽ conſueſſe, ut qui nugas profunderent meras de ſublimium ratione. Platonis uero illuceſcente doctrina cum uitæ ſanctimonia, & dogmatum religione, quoniam τὰς θείας καὶ νοεροφόρους ἀρχὰς ἐπὶ τὰ ἔξω τὰς φυσικὰς ἀναγκαίας, abſci cœpta

cœpta philoſophiæ calumnia. Lego denique, poculis æneis uſos eſſe priores, ac præcipue, qui diuitijs præſtarent. unde & eorũ repoſitoria chalcothecas uocabant. Verum id ex auri argentiq́ paucitate fieri ſolitum, innuere Athenæus uidetur. Nam Macedonum rex Philippus phialiũ nactus aureum, id puluino ſubiectũ ſemper habebat ferè.

In cubiculo nola, quid ſit in Oratorijs Quintiliani inſtitutionibus. De tintinnabulis. Iaſſæorum hiſtoria. Cap. XI

TVlius Pollux Onomaſtici ad Commodum Cæſarem libro ſexto, loquacis ſynonyma, ut lectio ſuggerebat multifaria, congerens in unum, denique ſic ait: Ahenũ ex Dodone, Iliade longiora garriens, Alcini apologus, Arabius tibicen. Hactenus is. Quod uero principe loco poſitum eſt, & Græcè ſic habet, Δωδωναῖον χαλκεῖον, id eſt Dodonæum tintinnabulum: cuius meminit uel Euſtathius: anſam præbere mihi eſt uiſum ad explicandum Quintiliani (aut quiſquis fuit auctor primus) inenodabilem nodum, in quem impacti plericq́ omnes cohæſerunt. Obſcuritas uero nodata hæc, eſt libro octauo, In cubiculo nola. Coniectura ducor ex Græcoadagio, eſſe itidem hoc prolatum in garrulum deſidentẽ dies totos domi, & nugali uerborum futilium importunitate, & copia exundanti detinnientem, ut obſtrepera loquacitate, uti pica uerboſiore obſurdeſcerent aures, ac ueluti tintinnabulo cõuulnerarentur. uel (quod arridet amplius) eos intelligamus, qui domi quidem & in cubiculo, ubi ſilentij eſſe uſum, Varro ſcribit, fluenta uerborum promũt: in foro autem, ubi ciuili eloquentia gloriam ſibi comparant uiri præſtantes, ut teſtis cõprobat Homerus, aut in ſenatu, altero ingeniorũ theatro, penitus conſileſcunt, fiuntq́ (quod Græci dicunt) etiam piſcibus magis muti. Nolam ſiquidem pro campana dici obſeruauimus: etiam ſi apud recentiores ſæpius: nil tamen obſtat, eſſe uerbum id inter inuentu rara, cuiuſmodi adnotata Politiano quædam. Meminit quodam loco Laurentius quoq́. Sed occurrent recẽtiores, nouitium cenſeri inuentũ id. Ego de nouitate nihil diſputo. Vnum ſcio, fuiſſe ueteribus quoq́ ex ære inſtrumentum id, aut proximum, quo remotioribus ut conuenirent, daretur proponeretur ue ſignum. Quod duabus fulcimus auctoritatibus: præterq́ hiſtoriam Valerius Martialis in Apophoretis,

Redde pilam, ſonat æs thermarum, ludere pergis:
Virgine uis ſola lotus abire domum.

Aes nanque thermarum tintinnabulum ſignat, quo è gymnaſio lauaturi reuocabantur ad thermas. Sed & Iuuenalis,

Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas.

Hiſtoriam uero hanc apud Strabonem, ad hoc ipſum præcipue ſpectantem, obſeruauimus. Iaſſus, inquit, incolas habet parte plurima piſcitio & piſcatu uictitantes, quum in fœcunda ferè ſit regio, uerum piſculenta. Hinc iucundum narratur factum, documento etiam magno futurum, quantum ſæpe nos fallat opinio. Oſtentabat inibi citharœdus artem. Audiebant, ut tum eſt uiſum, attentius laſſæi omnes, mox uero ut æditum tintinnabulo (ſic enim κώδωνα interpretamur) ſignũ uendendo piſcitio eſt: confeſtim cum ſua ſibi muſica deſtituto artifice, auolarunt omnes, uno uix excepto, qui oblæſo erat auditu, proinde captum eum artificij ſuauitate opinatus citharœdus, propius accedens: Eſt quod agam gratias, inquit, & quidem maximas, tum quòd muſicæ negligens haud quaquam uidere, tum quòd deſpectui me prorſus non habueris. Nam reliqui quàm primum tintinnabulo cecinit ſignum piſcarium, dicto citius hinc ſeſe prorupuere. At is, uelut commotior ac excitatior: An, inquit, increpuit æs. Eo uero adnuente, Bene tibi ſit (inquit) magiſter optime: ac conſurgens ad uiuarium feſtinabundus ac currit ipſe quoq́. Illud autem Virgilianum ex tertio Aeneidos,

Stipatq́ carinis Ingens argentum, Dodonæosq́ lebetes,

ideo dictum uolunt, ut oraculo domeſtico foret Aeneas inſtructior, ex hiſtoria.

Super Phauorino adnotata quæpiam minus extrita. Arſenothelyes. Eunuchorum deteſtatio. Vocis acutæ ratio in eunuchis, item nuditatis barbitij, cur ue amaſii ſint. Vocis magnitudo uel paruitas unde ſit, ex Galeno. Læquid. Interim imperatoris laudem eſſe præcipuam, indignationem comprimere

mere. Dyſtrapeli. Atrapeli. Peſcennij Nigri hiſtoria. Eunuchos non lædi in ſpiracula deſpectantes, alijs omnibus præfocatis. Cap. XII

PHauorinum uel Gellij monumentis percelebrem, fuiſſe patria Gallum, quod apud eundem libro ſecũdo ipſe uidetur fateri, memoriæ proditum eſt, ex Arelate oppido prope Rhodanum. Inter philoſophorum familias à multis connumeratus. Ab alijs uero, ſophiſtis inſertus, quod hominis fecit eloquentia, & rhetoricę ſtudium ſingulare. Dignum ſcitu eſt: uirum hunc ita cooptatum, qua quidem inter ſapientes, qua uero inter oratores, diphyen fuiſſe ac androthelyn, hoc eſt naturæ duplicis & uirum ſimul ac fœminam: cuiuſmodi ſunt androgyni, qui nuncupantur & hermaphroditi: ab Ariſtotele dicti quoq; arſenothelyes, id eſt maſculofœmini, ſicuti uertiſſe Theodorum ſcimus, quãquam id cenſent eruditi fidelius, quàm felicius. Sed hi non ſunt androgyni proprie, quoniam eo nomine à Philoſopho intelligantur animalia, quæ ipſa ſe ineunt, uti inter piſces trochus. In Phauorino præterea tria fuere maxime mira. & primum quidem, quòd Gallus quum foret, Græce tamen optime ſciuerit: adeo ut gentis illius eloquio, ueluti dolatorio leui gatus excomptusq;, præterq; ſapientia imbutus celebre ad poſteros nomen dederit. Deinde, quum foret eunuchus, adulteraſſe tamen conſularis uiri uxorem creditus ſub ijt eo nomine iudicium ab eodem poſtulatus: adeo libidinis etiam erat præferuidæ. Poſtremo principi Adriano factus offenſior, nihilominus inde nullo affectus incommodo ſuperuixit. quæ laus imperatoris eſt uel maxima, qui ex æquo diſceptaret cum eo, quem iure ſuo poſſet euertere: ex quo illud ſic à Philoſtrato enuntiatur, Βασιλεὺς δὲ κρείττων, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ εἰ χέρνιβι, ἢν ὀργὴν μέγαν. id eſt, præſtabilior cenſetur rex, ſi inferiori iratior indignationem comprimat. Lectum quoq; eſt, quum Phauorini uerbum quãdoq; proſcidiſſet Adrianus, ceu infrequens, ceſſit is: accuſantibus uero amicis, ſuriſit iucundius, ac mox, Sinite (inquit) illum uideri omnibus doctiorẽ, quando illi præſto ſunt legiones triginta. Hic eſt denicq; Phauorinus, qui ſynchronũ æquo animo Plutarchum ob illuſtre nomen concoquere non poterat, numeroſis quæ ædebat uoluminibus infeſtus præcipue. Hic non abſurde prorſum illud ſubiecero: dyſtrapelos & atrapelos uocari à Græcis, qui in ira uel affectione alia immobiles perſeuerant, nec ulla ui ab inſtituto queunt reuelli. Effœminatæ porrò ac degenerantis naturæ in Phauorino illa ſe promunt indicia manifeſta, nuda barbitio facies, uel magno natu, etiã ſenio ultimo iam appetente, uox inſuper acuta & tenuis, qualis ferè eunuchorum natura perno ſcitur. quos eſſe tertium genus hominum pronunciauit Alexander Cæſar, nec uidendum, nec in uſu habendum à uiris, ſed uix à nobilibus fœminis, Tametſi barbaris uno fidei nomine fuiſſe integris eunuchos pretioſiores, Herodoto credimus. Omnes ſiquidem agoni, hoc eſt ſeminis expertes, ut pueri, mulieres, decrepiti, ſpadones oxyphoni ſunt, id eſt acutæ uocis. Viri autem grauis, & Βαρύφωνοι, ut Græci dicunt. Quod antiquitatis & literarum parens Homerus hiſce uerſibus monſtraſſe uidetur, in quibus de uirili muliebriq; uoce, ita canit, quamuis aliud agere uideatur,

Τοῦ δὲ βαρυσθαλχοντι πάρίσατο πότνια μήτηρ,
ὀξὺ δὲ ἰωλύξασα, καρῃ λαβε παιδὸς ἑοῖο.

Huic autem grauiter gementi aſtitit mater uenerabilis,
Acute uero lamentabunda, caput ſui apprehendit filij.

Alibi porrò idem poeta ſeniores cicadis comparat, quæ animalia ſunt planè ὀξύφωνα. Cæterum effectus hic manifeſtus utiq;. At ratio non fortè obuia. Plutarchus quidem præciſe nimis & obſcure contingere iſta ſcribit, διὰ τὸ λεπτὸν τοῦ πνεύματος. hoc eſt, ex ſpiritus tenuitate. Verum iſta fuerant enarratius promenda in literas: quod nos, facro afflante ſpiritu, magna inſequuti nomina implebimus, quæ nobis uelut ſubſcudes ſunt ac ſecuriclæ, quibus ſcienter tigna inuicem peruinciuntur. Nam ſicuti linea, cæteraq; tenuia dimenſionem duntaxat unam ſortiuntur, craſſa uero pleraque plures obtinent, ita uox etiam tenuis unam dimenſionem habuerit. Vnum autem efficere acmo uere, facilius eſt quàm plura. Ergo quum prædicta illa ſpiritum habeant imbecillum, non niſi parum aeris moueri ab illo ſpiritu poteſt. Minimus autem eſt, qui dimenſione conſtat

conſtat una, quem tenuẽ eſſe, uocemq; talem ab eo proficiſci, neceſſe eſt. Vox autem acuta, quæ tenuis eſt. Igitur qui prolifico ſemine carent, uocẽ hinc merito reddunt acutiorem. Viri robuſti, quoniam ſpiritu ualeãt, multum aeris incitare queunt: qui quum multus ſit, tarde mouetur, uocemq; efficit grauiorẽ: motu enim ueloci & tenui uocem reddi acutam, conſtat iam. Porrò qui natura ſunt calida magnam emittere uocem ſolent, quia multum in his aerem, frigidumq; ineſſe, neceſſe eſt. Caloris enim uis facile ad ſe & ſpiritum trahit ac aerem, eoq; amplius id agit, quo amplior eſt: uox autem magna, tum oritur, quum aeris multũ agitatur, utq; acuta quum celeriter, ſic grauis quum tarde. Adde, quòd ſublatis teſtibus, tentio quoq; meatuũ laxatur: ſicuti in fidiculis & ſtamine, ſublatis ponderibus, quæ textrices Græco uerbo λαισὰς, id eſt læas nuncupant. Laxatis uero iis, principium quod moueat uocem, eadem ratione laxatur. Teſtium ſiquidem natura meatibus adnexa ſeminalibus eſt, qui meatus ex uena tendunt, cuius ex corde origo eſt. Iuxta ipſum principiũ, quod uocem mouet. Quamobrem meatibus immutatis ſeminalibus ætate, qua excernitur ſemen: pars illa item immutatur, qua immutata, uox etiam mutatur, maribus maximè, ſed & fœminis: quanquam obſcurius, quod quidam dicunt τραγίζειν, id eſt hircire, ubi inæqualis mittitur uox. Galenus uero ὠὶ τέχνης, tractatu De ſignis, cauſam uocis magnæ uel paruæ, non uidetur in caliditatem aut frigiditatem retuliſſe: ſed amplitudini aſperæ arteriæ potius magnam aſcripſiſſe, & inſufflationi tamen uehementiori. Paruam uero anguſtiis eiuſdem: & in libro De uoce, in eandem refert arteriam acutæ grauisq; uocis rationes: arctum enim iter acutam, amplum & ſpatioſum grauem uidetur efficere. Anguſtia ſiquidem & expanſio cauſam præbẽt aeri, ut uelociter aut tarde moueatur. Verum, ne quid uideatur contrarium, ſic ſtatuunt eruditiores, uocem magnam effici utiq; à caliditate primo & mediate, aerem plurimum agitante. Poſtremo autem atque immediate ab aſperæ arteriæ amplitudine, ac uehementi inſufflatione. At magnitudo & paruitas uocis, inquit Galenus, non fit ex caliditate ſemper, neq; præcipue, ſed per accidens. Eſt & Platonici eruditi ſuper eadem re ſententia, quæ ſcitamentis hoc genus congruit planè: Cur, inquit, ita acutæ ſint uocis eunuchi, ut ſæpe mulier an eunuchus loquatur, niſi uideas, ignores? Id uero ex ſuperflui humoris abundantia effici reſpõdendum. Ipſe enim arteriam per quam ſonus uocis aſcendit, efficiens craſſiorem, anguſtat uocis meatũ, & ideo uel fœminis uel eunuchis uox acuta eſt, uiris autem grauis, in quibus uocis trãſitus habet liberum, & ex integro patentem meatum. Naſci autem ex pari frigore in eunuchis & fœminis parem penè importuni humoris abundantiã, etiam hinc liquet, quòd utrunq; corpus ſæpe pingueſcit. Certe ubera propè ſimiliter utriq; grandeſcunt. Septentrionalium, inquit Albertus, & fœminarum uox euadit acutior quàm meridionaliũ, ob pulmonis mollitiem & arteriæ, quæ arctior item intelligitur. Molliorem certe uocem facit organorum humectatio, debiliorem pulmonis imbecillitas ac reſolutio. Aegrotantium acuitur uox, quia ſiccitas arctet meatus, uel etiam ex intemperanti frigiditate, aut forſan ex opprimente humectatione. Peſcennium Nigrum Romani imperij ſtatione potitum legimus uoce adeo fuiſſe canora, uti in campo loquens per mille paſſus audiretur, ni obniteretur uentus. Obiter uero hic eſt Peſcennius, cui reliquo corpore candido, in nigredinem adeo abierat ceruix, ut Nigri cognomentum inde prorepſerit. Sed curnam eueniat eunuchis, ut ſint ἄτρεχεις, id eſt glabri, perinde ac mulieres? Hæ utiq; frigoris ui denſa corporis habent ſpiramenta: ſiquidem obſtipat arctatq; frigus, proinde non ferè pilis ad exitum meatus patent. Eunuchi porrò, utpote humidi & ualde redundantes. Nam hac de cauſa locorum pleraq; nimia humoris exſuperãtia adobruta, rurſumq; nimis areſcentia aut ſaxoſa, & caluoſis conſimilia, uel ut Græci dicunt, ἐοικόσι τοῖς φαλακρώσεσι, herbas haudquaquã proferunt. Illud quoq; non indignum quæſtione, opinantur eruditi, unde'nam ſit, quòd eunuchis Venerij proluuij incentiua interextincta haudquaquam ſunt, uerum ſæpe amoribus irretiũtur, quod de Phauorino aſtruximus. Nempe multis, quum pubeſcerẽt, ſubſecti teſtes ſunt, aut eliſi, & quodam modo ἡμιπελεῖς εἰσὶν ἀνοὐχοι, id eſt eunuchi quidem ſunt, ſed non pleni. Et qui hepate ſunt natura feruentiore, ac genitalia uaſa poſſident capaciora, uſum quidem imaginantur

tur,concipiuntq́,ſed non perficiunt,nec uoti euadere compotes queunt,quoniam uerenda ipſa efflaccuerint. Qui enim tumeſcere facit ſpiritus, emarcuit, qui à ſemine ortus per ſeminales meatus ferebatur ex eis partibus, quæ circa lumbos habentur, ut in pueris ſeminales occæcantur meatus. Dignum equidem ſcitu,in pleriſq; terrarum locis uideri ſpiracula,è quibus peſtifer erumpat uapor, quo præfocentur deſpectãtia omnia, præter eos quibus excíſa ſunt genitalia. Cuius rationem euentus incõpertam ſibi Dion ſcribit. Illud ex Græcis obſeruatum, quibuſdam in bello præformidine intercipi uocem. Proinde Menelaum laudare Homerus uolens,ut minime formidoloſum in bello βολὼ ἀγαθὸν appellat, ut qui uocem nullo minueret terrore. In oratore demum tragœdorum uocem exigunt eruditi,ſicuti acumen dialecticorum, ſententias philoſophorum,memoriam iureconſultorum.

Super uocis ratione adnotata pluſcula,deq́ ſoni ac uocis interſtitio. Pollucis obſcuritas illuſtratur. Tertiata uerba quæ intelligantur. Thraciæ portæ admirabilis naturæ. Cap. XIII

SEd enim quia de uoce mẽtio eſt,non grauabimur peripateticas ſcholas ingreſſi amplius de eadem ratiocinari. Primas igitur ac principes ſonorum differentias acumine ac grauitate tradunt cõſtare. Quæ appellationes,ab iis quæ tanguntur tralatę, ſonis accõmodantur. Vt enim quod in mucronem faſtigiatum eſt,momẽto penetrat, quod uerò hebetius retuſiusq́ eſt, non ita,ſed cum mora & ſegniter. Cõſimiliter uibrata uox & acuta auditũ peruellit ac fodicat: grauis obtundit, ueluti trudendo. Euenire autem utrunq́ celeris aut tardi rationem motus, liquet. Quãobrem haud ita mirum quod in Pompeij rebus ſcribit Dion: populi clamore diſſono ſuperuolantem coruum grauius ictum decidiſſe, ὥσπερ ἐμβρόντητον. Super quo & multa Plutarchus. Hinc etiam percipi illud poteſt,à læuigatis corporibus latioribusq́ acutiorem promi ſonum: quoniam ab iis celerius agitetur aer, celeriusq́ diſſiliat, unde & auditus ualide citoq́ laceſſitur. Videtur autem nõ eſſe aliud ſonus,q̃ eliſus aer, paſſusq́. Aer autẽ ipſe duplex: alter, qui inter colliſa deprehenſus proſilit: alter, qui ab hoc incuſſus primum, mox ſucceſſu motus ad ſenſorium euadit. Hoc uerò id demum eſt quod inaudimus. Interſtitium uerò illud ſeruandum magnopere: dici in animantibus tantũmodo uocem, quod inanima eſſe uocalia nequeãt, ni metaphoricè abutaris proprietate, ut ſi organa nuncupes uocalia, quod iis quodammodo affor mari uerba & effingi alloquia uideas. Sed nec animalia cuncta rectè uocẽ habere pronuntiaris, quando exſanguibus uocis nulla ſupetit facultas, ſicuti inſectis, & iis quæ cruſta integuntur. Nam ea quæ concentum etiam promere ſentiũtur, ut cicadæ, quam habeant rationem, alibi edocuimus. Tribus porrò uox ſonus ue conſtare planè uidetur: primum eſt, quod plagam incutit: mox, cui ea ipſa incutitur: tertio ſtatuitur loco id, in quo hæc aguntur. Aerem ſanè in utroq́ haberi, neceſſe eſt, quanquam nõ eodem modo. Nam ad uocem elidendam non omnis accommodari aer ualet: ſed ſolum ſpiritus is, quem anhelitu reciproco promimus aduocamusq́. Huius uero munia duo, ueluti etiam linguæ: quam prompſit natura, tum uictus neceſſitati perficiendæ, & ſaporibus præguſtandis, quod omnibus ferè animantibus adeſſe conuiſimus. Tum uero ad loquutionis articulatam rationem, quod ad uitæ excellentiam pertinet, & uni modo inter cuncta homini contributũ: nam hinc pſittacen ἀνθρωποῤῥλωττον dici comperimus ab uno loquendi uſu. Propterea in Timæo ita ſcribit Plato, Verborũ autem effluxio, miniſtra prudentiæ, effluxionũ omnium optima eſt atq́ pulcherrima. Ratione eadem in ſpiritu reciproco duplex recognoſcimus naturæ propoſitum, & ſcopum quidem unum habet intimi caloris refrigeratio perneceſſaria. Alterum uero ſermonis conformatio, ac uocum dearticulatio, in mille abiens uarietates, nõ perneceſſaria quidem, ſed ad infinitos mortalium uſus inſigniter accõmoda. Anhelitus organum guttur eſt. Huiuſmodi igitur nũc admiſſus, nũc remiſſus aer, arteriæ deſtinato alliſus, uox eſt. Quamobrem tuſſis, & id genus ſoni plures, ubi irraucuerimus, quanquam eiſdem cõcipiuntur partibus, à uocis definitione abiunguntur, quoniam cõſilium abeſt, & animi certa intentio. Eſſe nanq́ uocem finiunt, ſonum ex ſignificandi propoſito æditum. Præmonſtrat

ſtrat autem uox omnis aut ægritudinem naturalis affectus, aut uoluptatem, qualis eſt brutina uox: aut ea quæ hominũ neceſſitates exigunt, infinitis propemodum uocabulis inuicem diſparata. Membra reſpirationi deſtinata ſunt, lingua ea quæ fiſtulis duabus interiacet, nunc cõniuens, nunc reſurgens. Tum arteria quæ ad pulmones pertingit. Ex iſs uerò lux infertur (opinor) Iulio Polluci ſecundo Onomaſtici ſic ſcribenti: Epiglottis eſt ſimplicis organum uocis, lingua uerò articulatæ. Scribit porrò Galenus in libro De uoce, Exſufflationem eſſe quidem uocis materiam, effici tamen eam, commiſſo thorace ab intercoſtalibus muſculis, quibus nihil agentibus, animal uocis priuatur uſu. Nam quum ex alto prolapſus foret quidam, afflicto dorſi initio, tertio die exiguam admodum uocem emiſit, at quarto prorſum obmutuit, reſolutis ſimul cruribus. Verum nec ſpirationẽ amittebat, neq; difficulter ſpirabat, quoniam intercoſtales modò nerui affecti erant omnes, nullis omnino uocis particulis affectionem ſentientibus. Sunt autẽ hæ uniuerſim quidem guttur: per partes uerò chartilagines tres, quibus accedunt nerui è cerebro demiſſi: & ligula, quam uocant epiglottida. Illud obiter adnotarim, dici quandoq; uerba tertiata, quæ imperfecta enuntiantur & lapſitantia, ubi uix tertia proferuntur, intermediis deuoratis pauoris opere. Singulari autem dignum admiratione, quod in Seueri rebus prodit Dion: ad Byzantium turres ſe uidiſſe numero ſeptem, ab portis Thraciis in mare uergentes. Eas ſi quis præter ſeriem impuliſſet, uox prorſum ædebatur nulla. Quòd ſi ad primam quis inclamaſſet, aut lapidem impegiſſet, exceptum illa ſonum reddebat, ac mox ſequens, & deinceps, donec ad extremam perferretur uox, ſic uti perturbatio interſtrepens ſentiretur nulla omnino. Xenophon Rerum Græcarũ primo, Byzantij portas quaſdam celebrat, ὡς τὸ θρᾴκιον καλουμένας, id eſt ad Thracium quæ dicerentur.

Sonus quomodo illabatur auribus. Cur ouali figura aures & lingua. Item pleraq; muſicæ conſonantiæ organa. Ficos obeſſe uoci. Cap. XIIII

IRadunt uerò phyſici, & quidem claſſici, ac uerè aſſidui, quod equidem adnotandum hac parte, etiam atq; etiam eſt uiſum, ſonum in orbicularem figuram multis gradatim amplificatam circulis ad aures peruenire, non aliter, quàm in ſtagno ex iactu lapidis ab alto circuli multiplicantur ad littus. Themiſtius etiam in libros Ariſtotelis De anima, paraphraſi ſecunda, ita ſcribit: At aer qui primò inſonat, nõ abiungitur ſic, ut ad auditum ipſe accedat, ſed proximũ ſibi & continuum aerem commouet, atq; hic ſubinde alium excitat eo modo quem in fluctibus cernimus, in quibus alter alterum trudit, & pulſus obiter ſequentem impellit. Hinc Vitruuius: Mouetur, inquit, uox circulorum rotundationibus infinitis, uti ſi in ſtantem aquam lapide immiſſo, naſcantur innumerabiles undarum circuli, à centro creſcentes, & quàm latiſſimè poſſint, uagantes, ni loci interpellarit anguſtia: eo tamen interſtitio, quòd in aqua circuli æqua planicie in latum mouentur: uox etiam in latitudinem progreditur, & altitudinem gradatim ſcandit. Concentum uerò ex grauibus acutisq; conflatum, uelut unam formam, & hanc rotundam quidem, ſed oualem illabi auribus, arbitrantur Platonicis innutriti ſcholis. In qua quidem octaua uox, quaſi per acutiorẽ uerticem, uocis primæ latitudinem ſibi cõtinuans, ex ſeipſa atq; prima unam iam conflat uocem. Atq; ſicut oculus oualem rotunditatem, tanquam unam uidet figuram, quamuis hinc latam magis, inde minus: Sic auditus uocem ex graui, octauaq; reſultãtem hauritt tanquam unam, ab amplo quodam profundo, quaſi in acutam ſublimitatem oui inſtar gradatim ſeſe ac ſuauiter attollentem. hinc item fieri opinãtur, ut & eiuſmodi quaſi figuram audiendi inſtrumento natura tribuerit, ſimilemq; inſtrumento loquendi: & ars præterea ſimilem, quo ad fieri potuit, muſicis inſtrumentis. Ea certe conſonãtiora ſunt, quæ ouali figuræ propinquiora. In uocis denicq; ratione non habendum inſuper Græcorum præceptum, qui uocale putant adiumẽtum, ſi ficis abſtineamus: quod Hegeſianax Alexãdrinus tragœdiam optimè credatur egiſſe, quoniam annis duodeuigin ficos in cibum non admiſiſſet.

Zame fons canoras reddens uoces. Calaſtri pueri, qui ſint. De Carneade & Antipatro. Calamouoas qui dicatur. Calamophori. Quid arteria, & unde. Pſi-

de.Pſithyriſſare.Pſias.Pſithia uitis,quę & pramnia.Antiphona quæ dicãtur.Antiſpaſis.Parocheteuſis. Cap.xv



T quia de uocũ ratione ex philoſophiæ ſacrariſs,quæ uiſa ſunt, abundè præcerpſimus: nunc quæ tum hiſtoria, tum grammatici ſuggerunt, promiſcuè adijciantur,ut uel pullato circulo non deſit, ex quo ſupellectilem ſibi comparet.Lectum igitur in ueteribus memoriſs primũ, eſſe in Aphrica fontem Zamen,ex quo canoras effici uoces Varro ille doctiſſimus prodendum cenſuit. Sed nec Vitruuius ignorauit,tradens, Quæſitos à regibus ad id muneris pueros, quos etiã calaſtros nuncuparint,uel (ut aliſ codices præferunt) cataſtlos.Carneadem Plutarchus ſcribit fuiſſe μεγαλοφωνότατον, id eſt maximæ ac ſonantiſſimæ uocis. Antipater uerò Stoicus eam uocis magnitudinem quum nec poſſet,nec uellet aſſequi,aggreſſus Antilogiarum concinnare libros,cognominatus & ipſe καλαμοβόας eſt, id eſt calamo uociferans. Calamophori autem in Græca hiſtoria dicti milites, qui inopia preſſi Chium inuadere cogitantes,ita conſilium iniere, ut quibus res placeret, calamos proferrent. Quum in auribus tenuis quidam obtinnit ſonus,dicitur id Græcè ψιθυρίζειν, id eſt pſithyriſſare, παρὰ τὸ ψίειν ἢ ταῖς βύραις, ἤγουν ταῖς ἀκοαῖς, ut inquit Theocriti interpres, quod ſignat tenuiter mouere in audiendi ianuis: nam & paulo antè idem auctor, ψίειν expoſuit pro λεπτύνειν, id eſt attenuare. Vnde ſit apud Homerum ψιὰς, id eſt pſias, quæ ſignat ἡ λεπτὴ τοῦ ὕδατος ἔκδοσις, id eſt guttatim factã humoris erogationẽ. Impropriè tamen etiam de arborum ſuſurro dicimus pſithyriſſare. Pſithiam autem uitem Græci quidam intelligunt,quæ dicatur & pramnia. Arteriam uerò qua commeat ſpiritus per diaſtolen aut ſyſtolen, Albertus dici opinatur, ueluti arctam aeris uiam. Sed homini Græcæ doctrinæ ignaro facilè ignoſcẽdum. Arteria, peregrina dictio eſt, proinde etymon Latinum nequit admittere. Illi ergo quorum genuina uox eſt, ex aeris nomine, hoc eſt ἀπὸ τοῦ ἀέρος καὶ τηρεῖν, quod ſeruare indicat, inflecti uerbum ac compingi tradunt. Genere neutro uſus eſt De rerum natura quarto Lucretius, ubi an ſit corporea uox,latius perquirit. Verſiculi eius ſunt hi,in quibus correptè,nõ (ut uulgò aſſolet ferè) tractim enuntiatur penultima:

Corpoream quoq; enim uocem conſtare,fatendum eſt,
Et ſonitum,quoniam poſsint impellere ſenſus:
Præterea radit uox fauceis ſæpe,facitq;
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.

Adnotemus & illud doctiuſculè à Plutarcho poſitum in ſermone De oraculis, quæ defecerant.Nam quia Græci φωνὴν dicunt uocem,inde ἀντίφωνα futurorum dicuntur ab eo quæ facta paulo antè, uentura mox uelut digito ac uocis perfunctione quadam præmonſtrant.Emandatus,inquit,à Mardonio eſt ad Amphiarai oraculum ſeruus ſcitatum ſuper iſs quæ adminiſtrarentur.At is per quietem putauit, dei miniſtrum ſibi aſſiſtentem,primò quidem uoce repellere,ceu abeſſet deus:mox uerò, ut minus obſequẽtem manu etiam obtrudere:poſtremò pertinacius perſeuerãti lapidem benè magnum in caput impegiſſe. ταῦτα δ' ὧν ὥσπερ ἀντίφωνα τῶν μελλόντων. id eſt,hæc autem erãt, uelut futurorum antiphona.Superatus nanq; Mardonius eſt,regis adminiſtro Græcos uelut futurorum antiphona.Superatus nanq; Mardonius eſt,regis adminiſtro Græcos inductante,ac lapide ictus cecidit.Dici opinor antiphona, quoniã res uocis munus impleret. Sicuti ἀντίθεος, æqualis deo intelligitur. ἀντίχειρ pollex, manui æquiualens reliquæ.Antiſpaſis uerò medicis eſt in cõtrariam partem reuulſio,ut quum e naribus profluit ſanguis, in poſtrema capitis per cucurbitulas attractio fit, uel ad ima corporis totius.Parocheteuſis apud eoſdem,eſt in proxima corriuatio.

Scruta quid ſint,& quid ſcrutaria,item ſcrutarius,ſcuta,ſcutriſcũ, ſcrutea, ſcrutariã facere.Enarratur Horatius.Scutariſ qui ſint, organariſ, bracteariſ,tribuni armaturarum,& ſtabuli,parietariſ,thurariſ,ſcripturariſ,ſcriptura. Cap.xvi Eſt apud

ESt apud Horatium in Epistolis uersiculus hic,
Vilia uendentem tunicato scruta popello.
Scruta, uerbum rarum est, quando id Latinæ elegantiæ studiosi haud ferè præter paucos admodum, admittendũ censuere. Sed cuiusmodi sit uerbi eius notio, rarior etiamnum est infrequentiorq́, qui se scire profiteatur. Nam Acroni & in alijs item parum curioso satis superq́ usum est dicere, scruta uulgus scrutas uocat: aliter, scrutum est fractum milium: sunt qui pelles, aut intestina interpretentur. Sicq́ illud in Epiphanij epistola legunt & intelligunt: Nunquid coriarius aut scrutarius erat deus, ut pelles animalium conficeret, ac ex pellibus tunicas consueret? Ego uerò amota omni uesica, quæ gloriolas captantibus, ac scribentibus catacritica, huncq́ lacerantibus, & illum obliquis nunc rhetorum strophis, nunc apertioribus (uti aiunt) tibijs, nimio plus familiaris est, eo uerbo ueteramenta omnifaria significari puto, quæ quum usu iam detrita sint, pretio item deminuta censentur. Hinc significãter ab Horatio utilitatis appositò expressa præmonstrataq́ sunt. Ex qua origine factum, ut scrutaria dicantur utilissima quæq́. Quod ut sentiam, Lucilius facit, apud Gellium Noctium Atticarum libro tertio: neq́ enim quem sequar, laudare auctorem pigeat:

Quid ni & scruta quidem ut uendat scrutarius laudat,
Perfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

Sunt qui apud Horatium scuta legant pro uase rusticis accõmodo usibus: unde sit scutriscum Catoni quoq́. Scrutea uerò in Plauto pro catachysmatis, hoc est missilibus, etiam si subtimidè, interpretantur utilitatis ratione: seu quod è folliculis pelliceis, qui & pasceoli nuncupantur, mitti assuessent. Rentur alij, scrutum esse uasis genus è scroto, id est corio consuti. Ad Horatianum carmen allusum ab Hieronymo est in Hilarionis uita: Ab Iudæo, inquit, audiuit utilia populis scruta uendente. Sidonius item Apollinaris scruta uocabulum in centurias allegisse uidetur: Nunc (inquit) friuola quædam, nunc ludo apta uirgineo scruta donabat. Quo in loco sunt qui imagunculas pueriles operis dulciarij scruta posse accipi, augurentur. Omnino quisquilias nescio quas & prorsum nihili munuscula, accipere oportet. Ad hæc, quæ de scrutorum significantia pronuntiauimus, planè alluserit Apuleius Fabulæ Græcanicæ libro quarto: Enimuero uos bonæ frugi latrones, inter furta parua atq́ seruilia, timidiculè per balneas & aniles cellulas reptantes, scrutariam facitis. Scutarij qui sint, ex uerbis Firmici dilucet: Mercurius, inquit, cum Venere in horoscopo partiliter constitutus in diurna genitura scutarios faciet, uel imperatorum protectores, uel qui proprio excubitu salutem principibus seruent. Sic apud eundem organarij dicuntur, uel qui organa compingunt, aut qui pulsant. Vespertinus, inquit, Mercurius si cum Venere fuerit inuentus, cordatos, ingeniosos, musicos, uel organarios faciet. Scutariorum tribunos legimus apud Ammianum Marcellinum: sicuti alibi armaturarum tribunos, item stabuli Cæsaris tribunum: sic autem organarij uocantur, ut bractearij. Facit (inquit idem) artifices, inauratores, bractearios, argentarios. Parietarij sunt parietũ substructores: thurarij, thura tractantes ac uendentes. Ex eadem forma, scripturarij profluunt, quos publicanorum & mancipum tabelliones intelligunt eruditi: quod prodidit Nonius. Nam publicanorum ratio dicitur scriptura, uti innuit pro lege Manilia M. Tullius. Ad rem uerò pecuariam propriè spectasse uidetur scriptura: quod significat Plautus quoq́.

Super Mæandro & Protagora relatu nõ indigna quæpiã. Magorum sentẽtia de diuinis rebus. Item nõ temerè ab eisdem admitti aliquos in disciplinã. Item de sophistis plusscula. Parij sophistæ. Ancalidophori. Ancalides. Phaceli. Sophisma. Philosophema. Aporema. Cap. XVII

MAeandrum Protagoræ patrem adeo opulentia & omnifaria rerum copia præcelluisse, scribunt ex Græcis nõnulli, ut Xerxem Persarum regem, à quo mox Græcia concussa est, & domo & donis excipere ausus sit, qua occasione illi insinuatus, Protagoræ filio magorum congressum impetrauit, quãdo Persarum magi in doctrinæ participatum non temerè quenquam nisi iussu regum admittunt. Vnde is de ratione diuina falsam, immo inauspicatissimã traxisse opinionem

uidetur. Siquidem quodam loco ita exordiri ausus est: De dijs utrum sint, an non sint, nihil habeo dicere. Quo argumẽto pulsus is ab Athenienſibus est. Magicum uerò dogma est, ut Philostratus putat, clàm quidem rem diuinam obire, palàm deum abrogare. Quo facto quid excogitari insolentius queat? nisi quòd causa propter quam ita faciunt, longè execrabilior tumidiorq; est. Neq; enim uideri uolunt, si qua in eis uirtus eniteſcat, à diuina ui, uelut ex fonte perenni in riuulos corriuari. Qua ſententia quid omnino infantius, quid magis brutum ſit, non magnopere diſpicio. Primus hic Protagoras mercede traditur docuiſſe. Quæ res, inquit Philoſtratus, uituperari nec poteſt nec debet. Quæ enim impendio aliquo nobis conſtant, gratiora demum ueniunt: quoniam, ut inquit etiam Hieronymus, putent gratuitæ merces: dictus tamen inde eſt, λόγος ἐμμισθος, id eſt oratio mercenaria. Prodit Moralium nono Ariſtoteles, conſueſſe Protagoram, ubi ea perdocuiſſet, quæ profiteretur, diſcipulum iubere æſtimationem proferre quanti ipſa ea faceret quæ tradita imbibiſſet, ac id demum accepiſſe. Primum item hunc ſophiſtem cognominatum accepimus. Hoc uerò nomine dixerunt ueteres, ut Græci ſcribunt, non modò oratores præſignes & ſumma dicendi copia perilluſtres, ſed & philoſophos quoq; dictione non uſquequaq; infantes. Nam & Plutarchus auctor eſt, ſapientes, à nonnullis etiam ſophiſtas nuncupari. Sicuti & apophthegma teſtatur illud, μισῶ σοφιστὴν, ὃς τις οὐκ αὐτὸς σοφός. odi ſapientem, qui ſibi ſapiat nihil. Et Ariſtarchus Theodectæ pater, olim uix ſeptem fuiſſe ſophiſtas, pronuntiauit, mox tantam eorum ſcaturiſſe multitudinem, ut pullatam exſuperaret turbam. Sophiſtarum tamen artem, perinde ac in patrem, in Gorgiam referimus. Sophiſtices uerò, quæ ſecunda dicitur, principem ferunt Aeſchinem. Qui tamẽſi ut φιλοπότης ἡδὺς καὶ ἀνειμένος, hoc eſt uini appetens uoluptarius ac remiſſior inceſſitur: primus quoq; inter ſophiſtas creditus eſt, θέως λέγειν, hoc eſt diuinè dicere. Ad hæc pertinet planè Fabij illud ex libro undecimo: Diſcurſare uerò, & (quod Domitius Apher de Sura Manilio dixit) fatagere, ineptiſſimum: urbaneq; Flauus Virginius interrogauit de quodam antiſophiſte ſuo, quot milia paſſuum declamaſſet. Noſtri ſic diſtinguunt, ut rhetor ſit qui literas docet, atq; artis traditor eſt eloquentiæ. Sophiſta uerò, apud quem dicendi exercitium diſcitur. Orator, qui in cauſis priuatis & publicis plena & perfecta utitur eloquentia. Sed de oratoris & ſophiſtæ interſtitijs Cicero in Oratore plura. Attingit & in cõmentariolo περὶ φιλαδελφίας Plutarchus. Plato autem ſophiſtas ubiq; omnia profitentes inducit, iactabundos, glorioſos, temerarios, inſuper & auaros: nec illibatæ prorſum uitæ, ſed ſequioris. Nam & in libro De Platonis definitionibus Speuſippus, Sophiſtam eſſe dicit, iuuenum nobilium atque diuitum mercenarium uenatorem. Hoſce Plato, quamuis omnia profiteantur, nihil prorſum ſcire conuincit, ut maleficos item inſectatur, atq; ueneficos. Philoſophos nanq; arbitratur, qui ſtudioſius ueritatem aſſectentur, operis tantum ipſius intuitu ac perpenſione. Sophiſtas uerò intelligit, qui opinionem modò affectent, opinionis ipſius amore. Hos item amarius inceſſens Seneca, Illos mihi (inquit) circulatores ſophiſtas, qui philoſophiam honeſtius neglexiſſent, quàm uendunt, in faciem ingeret. Sunt inter ſophiſtas, qui ab Ariſtotele in proœmio Rhetoricis ad Alexandrum, parij nuncupantur. Forte quia ſophiſmatum tendiculis obretirent illaquearentq; eos, quibus cum diſertarent. πάσσειν certè Græci nunc fidelem intelligunt, nunc κάπχειν, id eſt cui detinendi uis ineſt. Ariſtophanes in Nebulis, ſophiſtas accipit pro mathematicis, ijsq; qui de ſublimibus diſertationes inſtituunt. Alias uerò, inquit interpres, ſophiſtas intelligimus οὐς περιττολόγους, id eſt eruditos. Porrò ſcribit Gellius, Protagoram inſyncerum quidem fuiſſe philoſophum, ſed acerrimum ſophiſtarum: adoleſcentem quoq;, uictus quærendi gratia, uecturas onerum corpore ſuo factitaſſe. Sudas quinetiam ſcribit, fuiſſe prius φορτοβαστάκτην, quod ſignat onerum geſtatorem. Et in quadam epiſtola Epicurus phormophorum uocat, id eſt ſportuligerum & xylophorum. Cuiuſmodi homines dicuntur ancalidophori, ſicut aſini quoq; ancalidas ferentes, ideſt ligna ulnæ menſura. Nam & grauia lignorum onera apte colligata, phaceli uocantur: quando ſic Thucydides ſcribit, φορτοῦντες ὕλης φακέλους, id eſt ferentes materiæ phacelos. Mirum uerò id de Protagora, ſi patre diuite, ac etiamnum inui-

dioſo

dioſo eſt natus. Sophiſmata Xenophon edulia intelligit, quæ eſitandi prolubium illectent. Qui, inquit, iucundè ueſcuntur, hiſce ſophiſmatis haudquaquam indigent. Philoſophema, inquit octauo Topicorum Ariſtoteles, eſt demõſtratiuus ſyllogiſmus. Argumentum dicitur dialecticus ſyllogiſmus: ſophiſma, ſyllogiſmus litigatorius: aporema, ſyllogiſmus dialecticus contradictionis.

Pythij hominum ditiſſimi hiſtoria, decꝙ uxoris eiuſdem non uulgari prudentia. Cap. XVIII

QVoniam Mæandri opes attigimus, ſuccurrit tempeſtatis eiuſdem uir alter Pythius nomine, cui ſe tota ui ſic deniꝙ fortuna infudit, ut reſidens Celænis, urbe in Phrygia, natione Lydus, Atys filius, Perſarum exercitum terræ mariꝙ graue, ac Xerxem quoꝙ hoſpitio excipere auſus ſit, & quidem exſuperanti magnificentia. Quin adeo ſuperfuit illi animi magnitudo præſignis, & pecuniæ uis immenſa, ut inſuper ad belli uſus & ſtipendia polliceretur. Sed nõ hic primum uiri ſeſe raro aliàs audita largitas prompſit. Quippe Dario ante Xerxis patri auream elargitus fuerat platanum, & ex eadẽ quoꝙ materia uitem. Quamlibet generoſum principem tam munifica, tamꝙ inenarrabilis benignitas, uel uſꝙ ad aras & ultra deuincire abundè potuerat. At in uirum hunc exerta tamen barbari regis barbara efferatáꝙ ſæuities eſt. Siquidem natu maximum ex Pythij liberis, cui petebatur militiæ immunitas, medium diſcindi iuſſit Xerxes. Eiusꝙ diſciſſi dimidium ad uiæ dextram, reliquum ad ſiniſtram locari, & illac demum copias pertranſire omnes, luſtrationis imagine quadã. Fuit & Pythio ſingularis prudentiæ uxor. Ea lepido commento uiri infinitam cupiditatem auro congerendo compeſcuit. Quum enim is totam ferè ciuitatem refodiendis theſauris attereret, adeo ut non temerè ibi aliud rerum obiri poſſet: pleriꝙ uerò etiam laboribus uicti interirent, iuſſit ſagax mulier omnifaria, quibus duci in primis maritum ſciebat, conflari cibaria ex auro. Aberat tum Pythius, aduenienti igitur aurea apponitur menſa. Inſuper ex auro omnia. Is necdum cõſilij gnarus, nec quò tenderent iſta percipiens, elegantia rerum oblectabatur, mox quæ forent eſui, flagitat inferri. At proba uxor aurea item obſonia pergit inferre. Stomachanti iam & eſurire ſe, amplius inclamanti (fames nanꝙ & bilis naſum conciunt) Quæſo, inquit illa, ne excandueris, & pax ſit rebus. An non ſentis Pythi, præ unius auri ſtudio in ciuitate omnia iam perire, agriꝙ colendi ſtudium penitus deſtitutum? Quin intereunt item homines. Quod ſi pergis, quid aliud in eſcam ceſſurum ſit, non uideo. Quid plura? Salubri commento Pythius reſipiſcens, auri quidem ſtudium non remiſit omnino: altius enim auiditas inhæſerat, ſed quintam modò ciuitatis partem in opere continuit. Hunc Pythium accepimus, imparem dolori, quo miſere ob immanem filij necem à Xerxe, conflictabatur, quum paulo molliore animo foret, nec ſatis adeſſet roboris ad uindicias ſecundum libertatem, quando nemo poteſt inuitus ſeruire, in monumentum ſe coniecíſſe, quod ipſe tumuli uertice excitarat. Atꝙ inibi flebiliter quod ſupererat uitæ, compleſſe, ſummittente illi diebus ſingulis cocta cibaria uxore, cui principatus moderamina per manus tradiderat.

Hiſtoria Paridis paulo remotior, decꝙ inter deas iudicio, & Dardano eiuſdem filio. Interim & de Amãdro loco, qui & Parius. Ceſtos hymnus qui. Item agonos. Paridem ab urſa educatum. Cap. XIX

DE Paride allecto inter deas de formæ præſtantia certantes iudice, uaria pro ingenij captu afferri ſolere, uel inter eos qui ἀγοραῖοι nuncupari ſolent, & ſunt, ideſt uulgares uilesꝙ, non me fallit. Nunc illud iure Latij donabimus, quod dum iſta proderemus, ex Græcorum theſauris interluxit. Parin uidelicet hunc Priami filium educatum patris iuſſu in loco, quem Amandrum dixere, mox uerò & Parion de ipſius nomenclatura, tribus ferè annorum decadibus. Atque inibi quum natura ingenioſus foret, nec ad doctrinarum ſtudia ineptus, Græcis imbutum diſciplinis. In quibus ubi haud parum promouiſſe eſt uiſus, etiam Veneris laudes, oratione ædita, prolibauit: inꝙ ea Palladi ac Iunoni præſtare contendit. Quando, ut uidetur, deæ nomine concupiſcentias eſſe intelligendas ſignificabat, atꝙ uoluptates: ſicuti

meminit Athenæus quoq;,unde mala omnia ſeſe mortalibus agminatim,ac fluenti ex æſtuantis more affundant. Atq; hinc fabellæ occaſionem datam, inter diſceptãtes deas captum iudicem,datumq; Veneri malum,id eſt uictoriam. Quin & Paris idem atq; in eandem hymnum ceciniſſe narratur, quem uocant ceſton. Belli uerò primordia hinc prorepſiſſe,quod euolutis iam ſpatijs annorum triginta, à patre accerſitus emiſſusq; ad rem diuinam obeundam,quum Spartam appuliſſet,Helenam rapuerit. Ex qua Dardanum ſuſceperit filium,quod Dionyſium Scytobrachiona, monumentis ferunt prodidiſſe. propterea in Homeri Iliados rhapſodia tertia ſcriptum reperiri,

ἄγονόν τ' εἶναι, ἄγαμόν τ' ἀπολέσθαι. id eſt,ſine ſemine eſſe,& citra nuptias mori. ut ſchema ſit πολύσπορον: prius enim ducitur uxor, mox prolis ſuſceptio conſequitur. Eſt enim agonos,qui aſpermos, id eſt ſine ſemine ac filijs: quamuis exponant alij, μὴ γεγνηθέις, id eſt non natus. Sunt autem Hectoris ad Paridem uerba. Cæterũ prolificiſeminis priuationem agoni nomine intelligit Dioſcorides. Sicut in fœminis ſterilitatem atocion idem appellat frequenter: tametſi non deſunt, qui aborſum malint intelligere. Nec illud omiſero,ab alijs proditum,poſt Hecubæ oblatam in quiete ſpeciem Archelao ſeruo traditum Paridem in Ida exponendum,cui quum diebus decem ubera ſubmiſiſſet urſa mitis, re animaduerſa idem Archelaus ſublatum educauit ut filium. Sunt ex Græcis,qui inter deas iudicium fuiſſe ſomnium prædicent, in Ida Paridi oblatum, unde is coniectarit fore ſibi in Græciam nauiganti propitiam Venerem, nauigaſſe autem Heſionem repetiturum.

Senectutem imbecillem euadere ob adoleſcẽtię intemperantiã. De Gorgiæ ſenio præuiridi. Cap. xx

MIlonem Crotoniatem,memorię proditum eſt, quum iam ſenex eſſet,athletasq; ſe in curriculo exercentes ſpectaret,ſuos lacertos amplius intueri cœpiſſe,illachrymantemq; dixiſſe: At hi quidem iam mortui ſunt. Verũ, inquit Cicero,non tam iſti,quàm tu ipſe nugator: neq; enim ex te unquã es nobilitatus, ſed ex lateribus & lacertis tuis. Et poſt multos item uerſus Iſta ipſa,inquit,defectio uirium adoleſcentiæ uitijs efficitur ſæpius,quàm ſenectutis: libidinoſa enim & intemperata adoleſcẽtia effœtum corpus tradit ſenectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem,eo ſermone quem moriens habuit, quem admodum ſenex eſſet, negat ſe unquam ſenſiſſe ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet. Lucius uerò Metellus poſt conſulatum pontifex maximus, ita bonis uiribus extremo ætatis tempore fuiſſe narratur, ut adoleſcentiam non requireret. Sed enim omnes fere corporis robore,ſenſuum integritate,ingenio uegeto, memoria firma exſuperaſſe Gorgias Leontinus uidetur. Itaq; produci in adagium Gorgiæ ſenectus uaret,de optima,nec annis exſoluta, quæq; uireſcens omnium præſtantia ſemper quodãmodo pubeſcat. Quæ omnia fuiſſe in eo uiro, Græca memorat hiſtoria, etiam ſi ætatis annum attigiſſet octauum ſupra centeſimum. Cuius rei quum ab eo rationem ſcitaretur quiſpiam, reſpondit, οὐδενὶ πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πρωξας, id eſt ad id ætatis peruenniſſe,quod uoluptatis cauſa nil ſibi unquam permiſiſſet facere. Fuit uerò Charmantidæ filius,Empedoclis diſcipulus,præceptor Poli Agrigentini, item Periclis & Iſocratis & Alcidamantis. Thraſymachum & Gorgiam omnium primos arte quadam uerba iunxiſſe, auctor eſt in Oratore M. Tullius. Hic porrò Gorgias, ut eſt apud Platonem, de omni re quæcũq; in diſceptationem quæſtionemq; uocaretur,ſe copioſiſſimè dicturum,profitebatur. Isq; princeps ex omnibus auſus eſt in conuentu poſcere, quæ de re quiſq; uellet audire. Ei quoq; tantus honor habitus eſt à Græcia ſoli,ut Delphis non inaurata (ut cæteris) ſtatua, ſed aurea planè ſurrigeretur. Quod De oratore libro tertio commemorat Cicero. Gorgiæ alterius meminit libro nono Quintilianus.

Aetatum humanæ uitæ diſtributio. Ex catalogo eſſe quid ſit, uel extra catalogum. Fabulam ætatis peragere,apud Ciceronẽ quid. Vitę metam quã ſtatuãt plerique. Tranquilli locus explicatur in Auguſto de Mimo uitæ. De Moſe iucundum ſcitu. Plinij loca duo ex undecimo Hiſtoriæ naturalis, de pubertatis ratione amplius explicantur. Cap. xxi

Et quoniam



T quoniam ingeſſit ſe nobis ſenectus, ſuccurrit, ut nonnulla de ætatum diſtinctione promamus in medium, eo quidem procliuius, quod mirum eſt, quàm non omnino ſuper ea re conſentiant auctores. Quippe doctiſſimus Varro, & πολυγραφώτατος, quinque ætatis gradus æquabiliter putat eſſe diuiſos, ac unumquenq; præter extremum, in annos quindecim. Propterea ſectio prima annum quintumdecimum attingens pueros habet, ex puritatis ratione ita nuncupatos. Secunda ad triceſimum porrecta adoleſcentes, ab incrementi notione nomen indeptos. Iuuenes ſectionem faciunt tertiam ad annos quinque & quadraginta. Quibus inde appellatio facta, quòd in bellicis uſibus reipublicæ adiumento forent. Et inde huiuſmodi ex catalogo eſſe dicuntur, ſicuti ultra catalogum, qui iam militiæ habentur inepti. Ad annorum decada ſextam ſeniores perueniunt. Reliquum uitæ tempus ſectionem habet quintam. In qua qui agunt, iam uocantur ſenes. Ex hac Varroniana ætatum diſtributione commoneor, ſcitè admodum & congruenter uitæ tempora fabulis comparari. Nam & Cicero, Qui hiſce (inquit) auctoritatis præmijs ſplendidè uſi fuerunt, ij mihi ſunt uiſi fabulam ætatis peregiſſe, nec tanquam inexercitati hiſtriones in extremo actu corruiſſe. In fabulis uero actus ſeruari quinq;, nõ arbitror eſſe quem fugiat, quando nec perſona quinquies egreſſa ultra exire poteſt. In quo attente animaduertẽdum, ubi & quando ſcena uacua ab omnibus ſit perſonis, ut in ea chorus uel tibicen audiri poſſit: id enim quum uiderimus, ibi actum eſſe finitũ debemus agnoſcere. Hinc illud Tranquilli ſic poſſe legi animaduerto in fine Auguſti Cæſaris uitæ, Et amicos admiſſos percunctatus, ecquid his uideretur Mimum uitæ commodè tranſegiſſe? Quam lectionem id uidetur approbare, quod mox infertur, ὅτε λοιπὸν καὶ πάντες ὑμᾶς μετὰ χαρᾶς τὶ ποιᾶτε. Hippocrates, ſicuti libro De die natali prodit Cenſorinus, ſeptem ætatis conſtituiſſe gradus deprehenditur, ac primũ quidem anno ſeptimo terminaſſe, ſecundum quartodecimo, tertium duodeuiceſimo, quartum triceſimoquinto, quintum duodequadrageſimo, ſextum ſexageſimoprimo, ſeptimum ad uitæ coronidem protendit. Solon decem fecit hebdomadas. Staſeas addidit etiamnum duas, & plenioris uitæ ſpatia annis quatuor & octoginta metitus eſt, quod præſcriptum ſi quis tranſmittat, idem illi uſu uenire, quod ſtadiodromis & quadrigis ultra deſtinatum procurrentibus. Hetruſci uitalem menſum hebdomadibus finiunt duodecim, quod Varro ſcribit. Aſtrorum peritus Dioſcorides anno centeſimo uitam circumſcripſit, cordis ratione, quod in anniculo menſum habeat drachmarum duarum, in bimo quatuor, inde procurſu pari in annum quinquageſimum. A quo decrementa ſupputẽtur ad æquilibrium, quę ambitu peracto, ad metam redeant eandem. proinde non ſupereſſe ſpatia, uiſceris eius dilapſu. Quam hæreſim fuiſſe item Aegyptiæ gentis, Plinius ſcribit. Mathematicorum doctiſſimi, inquit in Claudio Treuellius Pollio, homini uitæ ſpatium contribuunt annorum centum & uiginti, & menſum hunc à nemine excedi, eo item addito, Moſen dei familiarẽ annis quinq; ſolum utiq; tranſgreſſum eſſe modum hunc, qui quum quereretur, quòd iuueni occumbendum foret, ab incerto reſponſum numine, quempiam eum numerum haud exceſſurum. Galenus in libro cui titulus ὅροι ἰατρικοί, ætates ſtatuit omnino quatuor: ex quibus primam facit τῶν νέων, id eſt iuuenum: ſecundam, τῶν ἀκμαζόντων, id eſt uigentium: tertiam, τῶν μέσων, id eſt mediorum: poſtremam, τῶν γηρόντων, id eſt ſenum. Iuuenes poſtmodum eſſe ait temperatura calidos humectoſq;, ueri præcipuè aſſimiles. In uigore conſtitutos, calere ſimul areſcereq; ætatis modo. Medios, eſſe pronuntiat frigidos ac ſiccos, perinde ac autumnus eſt. Sunt uero humecti cum frigiditate ſenes, τοῦ χειμῶνι παραπλήσιοι. Effloreſcit in iuuenibus ſanguis: in uigentibus, ξανθὴ χολή: in mediis, μέλαινα: in ſenibus, τὸ φλέγμα. Et hæc caloris intimi ratione omnia. Hic uero aduertendum amplius Plinianum illud ex undecimo Hiſtoriæ naturalis: Pubeſcentem hominẽ maxime nodum quendam ſoluere, quod ægritudine ſentiatur præcipue. Auctor quidem Cenſorinus eſt, poſt ſeptimum quenq; annum articulos quoſdam, & in his noui aliquid naturam oſtendere. Quod & in Elegijs ſignificarit Solon. Sed & Alexander pubeſcentes pueros hirciſſare ſcribit, ob uocis aſperitatem raucam, ab hircis ita uocem efferẽtibus producta uerbi ratione. Siquidem

naturam tunc corpora diſſociantem, multã, repentinam q̃ ætatis efficere mutationem, augeſcentibus fœminarum uberibus, marium uero thorace, humeris, teſtibus. Accedere item morborum mutationes, ſolutiones ue. Equidem à pube ex macilentis craſſeſcere pleroſq̃ animaduertimus, ac euadere ſaniores. Sed & quibuſdam contingere diuerſa omnia. Quippe ita obtingit ferè, ut quicquid fuerat ante pubertatẽ redundantis materiæ, ac excrementitiæ, unà cum ſemine ſecernatur & menſibus, unde ſanioris ſunt ſtatus argumenta, ſeſe promentibus, quæ diuerſum concinnabant. Quibus uero proſperior ante id tempus ſuppetit ualetudo, iſs gracileſcunt corpora, morbis ſubinde obnoxia. De ipſa ſiquidem natura, καὶ ἢν καλῶς ἐχόντων ἡ ἀπόκρισις γίνηται, id eſt & iſs quæ bene habent, fit excretio, ſemine, aut menſibus ſequeſtratis. Sciendum & illud, ab pubertatis tempore puerorum deſinere hirciſſationem, quod aſpera arteria prorſum abſoluta iam æqualitatẽ admittat. Ex iſs dilucere Plinij altera poteſt obſcuritas, ubi ait, Puberſcit homo ſolus, quod niſi cõtingat, ſterilis in gignendo eſt ſeu maſculus ſeu fœmina.

Aetates humanas planetarum conſequi rationem. Mercurius cur negociſs præeſſe dicatur & lucro. Vnde ſit quòd præmaturo coitu barba promitur celerius. Tranquilli in Nerone locus de iuuenalibus ludis. Nymphis coæuus qui dicatur. Martialis & Apuleius declarantur, necnon Horatius. Iuuenalia cur. Philoſophorum placita & Auicennæ de ætatibus: item de fabula ætatis. Vocabula plura quibus ætates à Græcis diſtinguuntur: parectatus, triacatus, apodromi, apobomia ſacra, baliciotæ, baliotæ, balari, ballæ, pempeli, genea. Neſtoris ætas quomodo intelligenda. Caput XXII

ILlud uero concinnè admodum huic parti appingetur ex Procli, inter philoſophos haudquaquam poſtremi, doctrina, ætatum ordinem ſequi ordinem uniuerſi. Quippe princeps ætas lunarem conſequi poteſtatem animaduertitur. Tunc enim ex nutritiua uegetaliq̃ degimus potentia, & in utriſque porrò humecta uis præcellit. Secunda Mercurialem, quando literarum citharæq̃ & luctæ, ac denique conſimilium nobis ſtudium ingeneratur, & arithmetices in primis, ut auctor probat Ptolemæus. Ideoq̃ forſan decantatum, negotijs illum præeſſe ac lucro. Inconſtans porrò ſydus traditur, ac omnino eiuſmodi quale id cui adhæſerit, cum benignis benignum, exitiale cum exitialibus. Tertia Veneream, quando obturgeſcunt membra ſeminibus, & ad genituram protinus incitantur. Qua in parte ſciendum amplius, ubi laſciuiente pruritu & Venerio prolubio nimis approperetur coitus, præmaturè item barbam promi, quoniam concubitu augeſcit circa renes inſitus genuinusq̃ calor, quo fit, uti affluentius ſumma corporis uapores ſcandant, quæ eſt pilorum materia, unde illuſtratur Martialis illud libro undecimo,

Inde tragus celeresq̃ pili, mirandaq̃ matri
Barba.

Adiuuatur & Apuleius in Magia. Inueſtem puerum accepiſti, ueſticipem ilico reddidiſti. Quarta ſolarem, tunc enim regnat uigor, ætatiſq̃ perfectio properat, ætasq̃ media. Vt uero ſol fons luminis, & cæli oculus, ac mundi mens, ut priores dixere: conſimiliter iuuenilis ætas flos uitæ delibatus. Verum prius quàm ad ulteriora pergamus age Tranquillo ſuccurramus, apud quem in Nerone qui ſint iuuenales ludi, ambigunt eruditiores, nodum uero exſoluit hiſtoricus Dion, qui ab Nerone iuuenalia ſcribit celebrata, ὥστε πινὰ νεανισκεύματα, propter ſuam barbam, quam tum primum raſerat, pilis in aureum coniectis ſphærion, & Capitolino dicatis Ioui. Mars porrò uirilitati dominatur, planeta calidus & ſiccus, ac præparans ad robur. Sexta ætas Ioui ſubijcitur, quæ prudentiam & uitam actiuam ciuilemq̃ deſiderat. Septima Saturnum reſpicit, in qua naturæ cõſentaneum, à generatione ſequeſtrari, & à corporeis abiungi, alteram & incorpoream affectando uitam. Nam decrepitos inuadens Saturnus implet naturæ ſuæ malis, frigiditate, pigritia & triſtitia querula. Sed enim nec illud omittendum: ratione admodum diuerſa præfici infantibus, dum geſtantur utero, planetarum (ut ſic dicam) uultus, quoniam primo conceptionis menſi Saturnus præeſſe narratur, Iupiter ſecundo, tertio Mars, Sol quarto, Venus quinto, ſexto Mercurius, ſeptimo Luna, rurſum uero octauo Saturnus, nono Iupiter. Inde quoq̃ partus fieri improſperos

proſperos coniectant menſe octauo, at nono optimos. Verum ut poſtliminio redeamus, philoſophorum placita præferre uidentur: tres tantum dici ætates, incremẽti, ſtatus, diminutionis. Quod ex Ariſtotele aucupantur, tertio De anima, ſic ſanciente: Neceſſe (inquit) eſt, omne quod generatur, augmentũ habere, ac ſtatum, & decremẽtum. Sed idem philoſophus in libro De moribus, ſentire diuerſa deprehenditur. Auicenna autem prima primi, capite De complexionibus: Aetates, inquit, omnes quatuor ſunt: adoleſcentia prima eſt, ad annum ferè producta trigeſimum: ſecunda uero conſiſtentiæ nuncupata, uel pulchritudinis ad annum ferè quintum poſt trigeſimũ: conſequitur inde diminutionis occultæ tempus, quæ ſenectus nuncupatur, ad annum ferè ſexageſimum. Subeſt mox ætas, quæ ad manifeſtũ nos interitũ præcipites agit, in qua qui diutius perſeuerat, dicitur νύμφαις ἰσόλιξ, id eſt nymphis æquæuus. Suppartitur inde adoleſcentiam in minuties alias, quas qui expetit nouiſſe, & locum habet, ac quem adeat auctorem. Sciendum uero ætatum commenſus non ubiq, nec ſemper haberi eoſdem, ſed euadere diuerſos pro conſtitutionis ratione, aut ſexus, uel etiam regionum, ac terrarum ſitus, cæli quoq, & uictus temperamenti, & aliorum plurium. Nam ſexto De ſanitatis regimine Galenus: Stato, inquit, annorum numero ætates circumſcribere nequimus, quod tamen quidam faciunt, niſi latitudinis modo. Nanq pubertatem auſpicantur aliqui anno quartodecimo, alij anno adiecto, aut etiam alio modo. Et quibuſdã decrementi exordia cõtingunt, mox ab anno trigeſimo. Alijs, quinq accedentibus. Proinde ſignatè Princeps in ætatum diſtributione aduerbium ferè, adijcere ſolet. Porrò, quia de fabula ætatis mentio facta nobis pauloante, ad id ipſum Apuleiana facit ex libro Floridorum tertio concinna ſententia: Deinde, inquit, regreſſi ad populum renuntiauere, Philemonem poetam qui expectaretur, qui in theatro fictum argumentum finiret, iam domi ueram fabulam conſummaſſe: enimuero iam dixiſſe rebus humanis ualere & plaudere. Adiuuat & ad Lucilium Seneca. Quo modo (inquit) fabula, ſic uita: non quàm diu, ſed quàm bene acta ſit, refert: nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas: quocunq uoles, deſine: tantum bonam clauſulam impone. In hac uero ætatum mentione ac pragmatia uehementer adnotandũ, quod ſcribit Magnus Albertus, Virilem ætatem ac ſenum præcipuè inſigniter areſcere. Cui rei argumentum ſuggerat membrorum durities & laxior cutis, ac corrugata, quod frigiditas efficit cum ſiccitate. Quippe laxat hæc, contrahit in rugas illa. Frigidum enim complicat conſtringendo. Ex ijs porrò liquere arbitror, cur ſit in Epiſtola ab Horatio enuntiatum,

Nigros anguſta fronte capillos.

Quo iuuenilis indicatur ætas. Ex Græcorum autem doctrina comperimus, nomina ſic per incrementa diſtingui, ut ſit primò βρέφος ſtatim natus puer, mox παιδίον: ubi iam inceſſus datur, pædarion: pòſt dicitur παιδίσκος: at παῖδα nuncupant, qui encyclicas obire diſciplinas denicq ualet. Inſequentem uero ætatem πάμιλα uocant: parectatum quoq, qui à pueritia in pubertatem protenditur, & βουπαῖδα, & ἀνηπαῖδα, ac mellephebum: mox habentur ephebi. Hos triacatæos appellant Cyrenęi. At Cretenſes dicere ἀποδρόμους malunt, non quia curſum deſierint, quod præpoſitionis innuere poteſtas uidetur, ueluti ἀπιχθύς dicitur, qui piſcitio abſtinet. Apobomia ſacra, quæ non in altari peraguntur, ſed in pauimento, uel ſolo: & apud Callimachum apotriches, qui ἄνηβοι intelliguntur, id eſt impuberes. Verum apodromi nuncupantur, qui per ætatem certamina currendi publica necdum adiere. Sunt qui ſic ſtatuant, ut γένηβοι, id eſt puberes, qui annum quintum & decimum uel ultra, nati ſunt, intelligantur. ἄνηβοι autem, id eſt impuberes, duodecimum, aut eo etiam minores. Baliciotæ apud Cretenſes item uocantur ſynephebi. Baliotę dicuntur progenitores. Ballas Cypriį gradus nuncupant. Balaros Cyrnij exules dicunt, Pauſania tradente: quod nomen Sardiniæ montana incolentibus adhæſit, quum illuc ſeceſſiſſent à Carthaginienſibus deficientes. Libyes autem Corſicam incolentes inteſtinis agitati diſcordijs in Sardiniam commigrarant. Sequitur miracion: inde mirax, qui & neaniſcus, uel neanias, id eſt iuuenis. Hoſce uero ἱππεῖς, id eſt equites appellant Spartani. Sicuti inter eos qui præſident, hippagretas. Iis inhærent nymphij, uelut ſponſos dicas: poſtea eſt pater: inde uir νέος, id eſt iuuenis

& uirens

& uirens: mox uir meſos, id eſt medius: inde à canicie, hypopolios: pòſt geron, id eſt ſenex, qui & presbytes: inde eſchatogeros, poſtremò poliocrotaphi. Senectutem Galenus trifariam diſtribuit: in prima conſtitutos, ὠμογέροντας uocat, id eſt uirentes, ac crudos ſenes, quos etiam πρόβεβηκότας uocant nonnulli: in ultima uero, πεμπέλους, id eſt pempelos, quoniam uti aſtruunt etymologici, iamiam ad inferos mittendi uideantur. Nec illud in hac ætatum pragmatia præteriero: geneam Græcis, id eſt γρηΐαν dici, pariendi ac generandi perfectius ſpatium, quod annorum triginta periodum conficit: quo nomine ſexageſimũ attingens annum duas uidetur uitæ impleſſe geneas. Si uero ultra pergat, in tertia iam utiq; recenſebitur. quod de Neſtore cecinit poeta, quem periodicas geneas perfeciſſe duas humanas pronuntiat, ceu δὶς τριακοντατριετίας dixiſſet, quæ uocãtur γρηΐαι ἀνθρώπειοι. Aureas ætates in uita tres modò intelligunt, iuuentam, uirilitatem, ſenium: nam infantia & decrepita nullum præferunt uoluptatis argumentum. Ab inſtituto non diſſentaneum prorſus illud fuerit: ſenilem cutem, quia ætate aſperior fiat, paguron à Caſandra dici. Eſſe uero inter cancrorum genera paguros, ſciunt plerique omnes.

Aeneam pietate in deos ac parentem inſita, clementer à uictoribus tractatum Græcis, ac liberum abire cum domeſticis permiſſum bonis. XXIII

ETiam ſi non me fallit, è Græcis auctoribus celeberrimum Dionem, condito uolumine, conatum rationibus multis, & à uero haud ita diſſultãtibus argumentis comprobare, ab Ilienſibus fuiſſe Græcorum exercitum bello uictum fugatũq; : nec ab eo Ilium, quod Homerus cecinit, expugnatum. Nihilominus quæ ab aliis prodita ingerunt ſe nobis, dum in libris noſtra planè ſupellectile uerſamur, allidere, ueluti abortiua non ſuſtineo: ut qui Maronem tractant aſſiduè, & interpretãtur, ſufferti amplius habeant aliquid, unde auditoribus ſuis ſatisfactum eant. Igitur ſic compertum mihi ex adiuratiſſimis: Ilio expugnato, captorum fortunam Græcos, qui genti ſuus eſt mos, clementer eſſe amplexatos ac miſeranter. Eoq; nomine à uictoribus pronuntiatum ducibus, liberorum unuſquiſq; ex domeſticis rebus unum quid tolleret auferretq;. Tunc Aeneam, cunctis aliis facile neglectis aut neceſſitate reiectis, patrios ſelegiſſe quos aſportaret deos. Id quũ intuerentur Græci, plurimumq; ea re forẽt oblectati, eidem permiſere: iterum quod uellet, ex bonis ſibi caperet. Qui geminata pietate, multò iam ſenio feſſum parentem humeris ſubiens efferre properabat. Ea quum (uti erant) ſtupenda uictoribus acciderẽt, uiro maximè pio domeſticis cedentes omnibus, quotquot iure belli erant adepti, abire quò uellet, liberè permiſere, fatentes, hoſtilitatis remitti iura, & manſuetudinẽ induere aduerſum eos qui uerecundè in deos ſe ac parentes ita gerant.

Citharœdi prudens reſponſum apud Alexandrum fidibus utentẽ ruſticius. Quo pacto Linum peremerit Hercules, à quo muſica imbuebatur. XXIIII

ALexandrum Macedona, Philippi filium, quum puer etiamnum ageret, ac genas necdum conueſtiſſet pubertas, citharæ ferunt operæ quippiam impendiſſe, interq; inſtitutionem (uti aſſolet) ac rudimẽta prima, certam ex fidibus canore pulſari, quum identidem cõmonefaceret peritus artifex, ſicuti exigere uidentur τὰ κιθαρίσματα, id eſt citharœdicæ leges: Et quid intereſt, Alexander inquit, ſi hanc pulſaro. At is, Si uti rex paulo mox futurus hæc infers, nil ſane: at ſi artifex, planè multum. Videtur autem hic haud quaquam rerum uir imperitus Lini euentum prorſus expauiſſe: is nanq; puerum itidem Herculem cithara imbuebat, qui quũ inconcinnius ruſticiusq; uteretur fidibus, excanduit in eum Linus. At indignabundus Hercules illi plectrum impegit letiferum.

De tityris, ſilenis, ſatyris, quæ ſit nominum ratio. Sillus quid. Bacchus cur dicat Phleon: itẽ cognomina alia. Aphlaſtus quid, & phoſſones, & phoſſonium. Orariũ, oron, orobachi. Coruus cur ſatyra dicatur auis. L. Florus illuſtratur egregie. Caput XXV

Qui cum

QVi cum Dionyſio per tripudia & feſtos luſus pleraq; terrarũ obiere, nunc ſatyros nuncupant, quandoq; & tityros, puto de cantuũ laſciuia, quæ τὰ σίσματτα dicunt, quibus id genus ducí magna parte, animaduertitur. Satyros autem, ἀπὸ τοῦ σατύρειν, uocitatos opinantur. Nam Sillani appellantur, ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν. Quod & alibi attigimus. Sillon autẽ morſum cum luſu uocant ingrato infeſtiuoq;. Scribit Nicandri interpres: quos ipſi ſatyros dicimus, ab antiquis Silenos nuncupari conſueſſe. De Satyro capto ad Apolloniam, qui οὐδ' ὁτιοῦν σωφρόνως loqueretur, in Sylla Plutarchus. Silenis indumenta fuere ἀμφίμακκοι χιτῶνες, id eſt utrinq; uilloſæ tunicæ. Quod tacitis uelut ambagibus plantandi ex Dionyſio artem innuit, ac item palmitum conſtipationem. Quia uero apud ueteres φλύειν multum ferre fructum, id eſt τὸ πολυκαρπεῖν indicat: hinc factum, ut Dionyſiũ dicerent φλειῶνα. quin eundem Protrygen appellarunt, & Staphyliten, ac Omphaciten: ſed & modis itẽ alijs, ac ſane diuerſis. Tityrum ſunt qui auem item interpretentur, aut calamum quoq;. τυρλῶν dicitur certe ex calamo tibia. Parabacchum legimus ab Eratoſthene dici in orationibus Demoſthenem quandoq;: puto, quia eloquentiæ ui furore percipi interdum uideretur. Nam & Phalereus Demetrius illum quoq; pronuntiaſſe quædam tradit, uelut γνθονσιδντα, ſicuti μὰ γλῶ, μὰ κελώας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα. Aphlaſtum uero ad Dionyſium nihil: eſt enim eo nomine puppis, quæ & aphlauſtus dicitur per euphemiſmum, quaſi aphlaſtus καὶ ἄκαυστον, quoniam religionis cauſa partem illam exurat nemo. Quippe inibi deorum uiſebantur expictæ imagines, nauibus præſertim regijs, ſed & militaribus. Partes autem alias recte euphlaſtas nuncuparis, uelut δύκαυστας, quod expicis litu ignium ſint fomenta. Porrò uela ipſa phoſſones uocitantur, id eſt φώσωνες, ex uerbo φῶς, quod illuſtro indicat, de candoris proprietate. Vel quia intumeſcant uento, παρὰ τὸ φυσᾶσθαι ὑπὸ ἀνέμων. Phoſſonium item pro ſindone reperias: orarium uocant Romani. Oron autem, ruſticum dicunt inſtrumentum: quod docuit Iſæus: uerum ab Aeſchylo & Menandro lignum appellatur, quo calcatam premunt uuam. Orobacchi, coriaceos indicant utres. Quoniam uero ab Satyris exorſi ſumus, id forſan expendiſſe præſtiterit: quid ita coruum ſatyram auem dixerit in Valerij Coruini hiſtoria L. Florus. Et ſunt qui ad fellationem putent referendum, de qua Martialis,

Corue ſalutator, quare fellator haberis,
In caput intrauit mentula nulla tuum.

Et Plinius libro decimo: Coruos, inquit, ore parere aut coire, uulgus credit. Id ab Anaxagora item traditum. Verum libro De animalium generatione tertio, negat Ariſtoteles. Commeminit libro ſeptimodecimo Auicenna. Quid ſi ad ſaturam paludem, ſeu ſatyram, relatum malis? Ea uero Pontina eſt, uigintiquatuor urbium olim locus capax. Virgilius Aeneidos ſeptimo,

Qua ſaturæ iacet atra palus, gelidusq; per imas
Quærit iter ualles, atq; in mare conditur Vfens.

In agro autem Pontino rem geſtam, auctor idem Florus eſt, necnon A. Gellius, ac Titus Liuius, etiam ſi apud hunc Pomptino legitur. Quo autem argumento coruum paludis nomine ſignificarit diſertiſſimus hiſtoricus, ex Theone ſumi poteſt apud Aratum, qui prodit, cornicem ac coruum inſigniter aquis oblectari: quod earũ alitum corpora inaruerint uehementius: proinde humentia expetere admodum, quin & ſolitudinis amicum animal coruus eſt, prouerbio ſuffragante, βαλλ' ἐς κόραλλας. Erat proxime Tarentum locus item Satyra, uel Satyrion, ut Stephanus.

Diuerſi populorum mores, breuibus, ac miſcella enotati opera. Qui nunquam riſerint. De Ceo ſene canicíem coloribus obſcurante. Cap. XXVI

TIam ſi pauloante gentium diuerſarum mores, ut ſeſe inter legendum ingeſſerant, præcerpſimus enotauimusq;: tamen quæ rurſum occurrunt, allidere aut præfocare nequimus: ſicuti illud eſt, Stagiritis fuiſſe legem, quam prorſum uereq; opinatur Græcam in Varijs narrationibus Aelianus, ὃ μὴ κατάθου, μὴ λαμβάνε. quod non poſuiſti, ne tollas. Sed & Biblium tantæ uirtum integritatis ac abſtinentiæ accepimus, ut ſi quid intereundum ei fuiſſet alieni oblatum

tum, omnino intactum præteriret, οὐ γὰρ ἤγειτο τὸ κοιοῦχον βύρεμα, ἀλλὰ καὶ ἀδίλημα, ceu eiuſmodi non inuenta forent, ſed iniuſtitiæ germina. Lucanis lege ſancitum ſcimus, ne quis ſole occaſo diuertentem hoſpitem exigeret: quòd ſi feciſſet, κακοξενίας agebatur reus, atque eo nomine mulctam ſubire, prorſus neceſſum erat. Dardaneos ſub Illyride ter tantummodo in uita balneis operam audio ſolitos dare, nuptiarũ & partionis tempore, ac denique mortis. Indis omnino fœnus ignotum. Quin & maximum inibi nefas iniuriam uel facere uel pati. Proinde nulla illis ſyngrapha, nullum depoſitum. Sardoa lex eſt, ſeneſcentes iam parentes fuſtibus letaliter à filijs cædi, ac mox contumulari. Turpe ſiquidem arbitrantur, multo confectum ſenio ſupereſſe diutius, quum in pluribus aberret corpus, annis feſſum denique. Illuſtrius uero multo inſtitutũ illud, quo peraguntur ἀγῶνες δίκαι, id eſt otij iudicia, quæ ſubirent temerè ac citra uitæ propoſitum agentes: ſic enim exprimebatur illis, ut unde alerentur, magiſtratibus approbarẽt. Derbicæ dicuntur ipſi quoque, certam ætatis metam tranſgreſſos perimere, uiros quidem immolantes, mulieribus autem præfocatis. Lydæ mulieres prius quàm coniugia inirent, corpus in uulgum dabant: iunctis, ſi deliquiſſent, ueniæ ſpes nulla. Athenienſibus pridem inoleuerat, ut ſi fortè homini occurriſſent inſepulto, terræ mandarent, gleba iniecta: ſed ita, ut exortum ſpectarẽt. Rurſum & illud ſeruatum diu, Ne bouem, cuius opera, uel aratro uel curru uterentur, omnino immolarent, ὅτι καὶ οὗτος ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. id eſt, quoniam & hic colonus ſit, ac laborum quoque noſtrorum particeps. Perſarum mos eſt, cibis expleri prius, ac (ut Plautinè loquamur) ſaburrari, mox potui & propinationibus indulgere largius. Quo etiam tempore ueluti in hoſtem depugnaturi, ueſtes exuunt. Illi uero hominum mores comperti peculiares, Clazomenium Anaxagoram riſiſſe nunquam, immo ne riſus quidem ueſtigium omnino ullum prætuliſſe. Huic quoque rei inimicatum inſigniter Ariſtoxenum ferunt. Quin & Heraclitum, ὅτι πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ ἔκλαιεν. id eſt, quæ ſint in hominum uita, fletu proſequebatur omnia. Nec illud à moribus hominum abiungitur expingendis, ſiquidem facta noſtris nos plerunque coloribus ſuppingunt. Ceus quidam narratur Lacedæmona ueniſſe, iam utique æui maturus, uerum elatior impendio & confidens quantumuis, inſuper caneſcens caput inficere conatus, annos obſcurabat. Ita uero affectus, quum in concionem prodiens peregiſſet, quorum cauſa uenerat, exſurgens Archidamus Lacedæmoniorum rex, τί δ' οὐχ ἕφη ὅπως ὑγιὴς εἶπαι, ὃς οὐ μόνον ἐν τῇ ψυχῇ τὸ ψεῦδος, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ κεφαλῇ πεδιφορεῖ. Et quid nam, inquit, ſalubre dixerit hic, qui non in anima modò mendacium circumfert, uerum & in capite? Philippum item Cæſarem ſcribit cum Eutropio Sextus Aurelius, ab quinquennij ætate ſeueri adeo, & triſtis animi fuiſſe, uti nullo prorſus cuiuſquam commento ſolui in riſum potuerit.

Zeuxin ſpectatũ Helenam à ſe pictam neminem admiſiſſe, ni erogata prius ſtipe, quo nomine appellata eſt meretrix. Epicuri dictum nobile, Videri felicem, cui uitæ ſuppetant neceſſaria. De pecuniæ cura difficili. Cap. XXVII

ZEuxin pictura nobilem, inter cætera eius artificij, haud parũ multa quæ circumferuntur, & hominum deſideria uix explent, Helenam quandoque ab eo expictam ferunt, cui tantum ſanè attribuerit, ut non temerè nec quemlibet, ac (ut Græci dicunt) ὡς ἔτυχε, ſpectatum admitteret, ni ξηνὸν ἀργύριον, id eſt propoſitam pecuniæ quantitatẽ erogaſſet. Quo expreſſum nomine Græcis eſt, uti Heracleote ſic mercenariam ſtipem ab adeuntibus, ac uelut manuarium æs corrogante, mox Helenam dicerent illam ἑταῖραν, id eſt meretricẽ, ceu planè capturas ſibi, proſtituto corpore, ab inuiſentibus turpiter quæreret. Lepidè ſic, ut interpretari libet, deformato item artifice, ut qui auidius quæſticulum corraderet. Id quod prudentiſſimus quiſque facile aut ſpreuit aut neglexit. Nam tantus ille uoluptatis aſſertor Epicurus, cum loue ſe promptius de felicitate in certamen uenturum, aſſeuerabat, ſi maza modò ſuppeteret ac aqua. Scires Gargetij ſenis hæreſin aliud præſcribere omnino, quàm prætendant uerba. Obſeruatum apud Hieronymũ eſt: Helenas dici quæ maritis ualere iuſſis, aduleros conſectantur, nulla interpellatæ uerecũdia. Cæterum, quod ad nummariam pertinet curam, parerga uelut opera, id item ſuppingemus, ab adiuratiſſimis proditũ monumentis

numentis, ὥσπερ ἐχῖνον λαβεῖν μὲν ῥᾴδιον, σωέχειν δὲ χαλεπὸν, οὕτω καὶ τὰ χρήματα. quod eſt, ſicuti echinum utiq; capere facillimum eſt, retinere difficillimum, ita & pecunias. Sententiæ huic ſuccinit ferè Anaxagoræ illud ὧν ἕνεκα πρὸς βασιλέας, χρήματα χαλεπὸν συναγείρασθαι, χαλεπώτερον δὲ φυλακὴν τούτοις προθεῖναι. id eſt, pecunias cumulare, arduum eſt, uerum cuſtodire difficilius multo. Nec relatu indignum quod grauis auctor in primis prodit Archilochus, quanquam nõ citra cõſuetum illi καινοῤῥημοσύνην: nummos ſæpe uel minutijs hinc inde corraſis, nec ſine ſudore cõparatos, πολλάκις εἰς πόρνης γυναικὸς γύτρον καταίρειν. id eſt, in proſtitutarum delabi interanea frequenter.

Animos hallucinãtes malis edoctos ſæpius reſipiſcere. De Hierone, Ptolemæo ſecundo, Phrage, & Damocrate paleſtrita. Cap. XXVIII

IOminis prudentiam fortunæ indulgentia nunquam non remiſſiorem laxioremq;, malis ſæpenumero ad ſe redire, ac (ut ſic dicam) in numerato & procinctu ſtare, nõ ſanctis modò teſtatum literis, quarum eſt ſcopus in cõniuens ueritas, ſed & nobilibus exemplis aliquot palàm factum. Ex ijs aliqua attigiſſe, intereſt plurimum uitæ, ut inde edocti à linea idẽtidem non aberremus, ſed in harena uerſemur noſtra, id eſt ex formula uiuamus, ne alioqui in decuriam tranſcribamur, non tam male uiuentium, quàm male pereuntium. Igitur proditum memoriæ eſt, Siciliæ tyrannum Hierona fuiſſe prius & priuatum, & planè omnium præcipuè inconcinnum inelegantemq;, & agreſti porrò natura inconciliabilem ferumq;, ac prorſum à fratre Gelone nil diuerſum. Sed enim poſtea quàm ægritudine implicito à publicis curis indulta uacatio, feriariq; abundè licuit, febre interpellante, hominum factus elegãtiſſimus eſt. Siquidem quod uel inuito recuſantiq; otium exmorbo impertiebatur, εἰς ἀκρόσματα πεπαιδεύμενος, id eſt, doctis impendere diſciplinis adortus eſt. Quamobrem iam ſuæ ſpontis, ac prorſum cõualidus Simonide utebatur Ceo, ac Thebano Pindaro, necnon Bacchilide, ὁ δὲ γέλως ἄμουσον ἀνθρώπου. Ipſum hoc & Ptolemæo ſecũdo uſu ueniſſe, compertum eſt. Quin auctor item Plato eſt, Phragen non alia magis ratione ſacris initiatum philoſophiæ myſterijs, quàm quòd ἡ νοσηροφία ἐργουται αὐτὸν τῶν πολιτικῶν σχολάσαν εἰς τὴν φιλοσοφίαν ἔρωτα. id eſt familiaris ægritudo à ciuilium cura ipſum abducẽs in ſapientiæ amorem cõiecit. Quòd ſi eſt, nimirum extentis optanda uotis triſtior ualetudo Critiæ fuerat & Alcibiadæ, ac Pauſaniæ inſuper Lacedæmonio, & compluribus id genus alijs. Porrò & palæſten legimus Damocraten pedibus ægrum, ut ſi qua effici poſſet, morbum diſcuteret, certamina adijſſe ſacra, eoq; productum denicq;, ut in ſtadio lineam ſibi circumduceret, aduerſarijs iuſſis extraherent ui ſi poſſent: nequeũtibus uerò, abijt demum coronatus. Faciunt porrò ad hæc quæ ſcribit Manilius Aſtronomicon primo,

Sed quum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quenq;
Aduigilare ſibi iuſſit fortuna premendo,
Seducta in uarias certarunt pectora curas.

Super Electra adnotãtur paucula, quæ dicta prius Laodice ſit. De Gyge, qui mulieres primus ἐυνούχισεν. Necnõ de Alcimi Lydorum regis felicitate. Interim & Xanthi memorãtur duo, poeta, & hiſtoricus. Cap. XXIX

XAnthum fuiſſe melicum poetam, puto omnibus notũ, qui Græca paulo uberius attrectarũt. Ab eo autem præter cætera, id item proditum memoriæ eſt, Electram Agamemnonis, nõ ea utiq; initio fuiſſe nomenclatura, ſed dictam Laodicen. Quippe Agamemnone perempto, nupſiſſe Aegiſtho Clytemneſtram, qui & principatu ſit potitus: Electram uerò, ut quæ neglectui foret, cõſenuiſſe uirginem: qua ex cauſa, ab Argiuis id eſſe nominis ſortitam, ἀπὸ τοῦ ἀμοιρεῖν ἀνδρὸς, καὶ μὴ πεπειρᾶσθαι λέκτρου. id eſt, quòd uiri expers fuerit, nec lecti experiens. Fuit & non incelebris rerum conditor Xanthus, patria Lydus, qui & uoluminibus quatuor Lydiaca fertur complexus. In eorum ſecundo, id quod haud relatu indignum opinatus ſum, Gygen omnium principem ſcribit, dum Lydis imperaret, γυναῖκας εὐνουχίσαι, id eſt mulieres eunuchas feciſſe, ὅπως αὐταῖς χῶτο ἀεὶ νεαζούσαις

σεις, id eſt ut illis perpetuò iuueniliter florentibus uti ualeret. Cæterum amplius memorat Xanthus idem, Lydorum regno potitum quandoq; Alcimum, qui & præcipua fuerit inſignis pietate, ingenioq; mitiſſimo. Proinde ſtationis eius tẽpore uniuerſo Lydis altiſſimam contigiſſe pacis pinguiſſimæ tranquillitatem, & diuitias quoq; affluentiſſimas. Et ita quidem, ut intrepidè ageret unuſquiſq;, omninoq; citra inſidiarum ullũ metum, uel (ut Græcè dicam) ἀδεῶς, καὶ ἀνεπιβουλεύτως. Id eo adnotaui libẽtius, quod inde adagionis ſpeciem poſſe aptius conformari, palàm eſt; ubi quis ἐν εὐποτνίᾳ τε καὶ εὐδαιμονίᾳ διάγει.

Qua ex cauſa prædicent Delij, philoſophum nõ incelebrem Syrium Pherecydem tam tetro tamq; exitiabili peremptum fato. Cap. xxx

SVper Pherecyde, quem ferunt Pythagoræ doctorem, alibi hoc opere commentati ſumus: nunc & ad id quæ ingerunt ſeſe, haud inſuper habebimus, ut locupletior, etiam ſi craſsiore (ut uocant) Muſa, fiat lucubratio. Igitur ſcribunt celeberrimi è Græcis conditoribus, in morbi (ut ſic dicam) propyleis ab eius corpore deliquatum ſimilem uiſco calidum ſudorem, mox & ferinum quendã, poſtremò ſuccreuiſſe pediculorum ſobolem diram, qua colliquatis carnibus cõtabuerit. Sed antea, conſpectu horrorem incutiente, familiarium reclinare conſuetudinem cœpiſſe. Vbi uerò acceſsiſſet quiſpiã, ex eo ut haberet ſciſcitaturus, ὅτε δὴ ὁπῆς δή τινὸς θύρας διέρας τὸν δάκτυλον, φίλον γεγονότα τῆς σαρκός, ἐπέλεγεν, οὕτω δρακεῖσθαι καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ σῶμα. hoc eſt, per ianuæ peruiam portiunculam digito immiſſo, iam carne prorſum renudato, addebat, corporis reliquum compari affectũ modo. Memorare autem Delios ferunt cõſueſſe, Apollinis indignatione philoſopho tetram adeo incuſſam plagam, quòd tumidius inſolentiusq; cum diſcipulis in Delo ſedens, multa quidem de ſapientia ſua oſtentaſſet: uerum & id reticere non quiſſet, Nulli unquam ſe deorum immolaſſe, nihilq; minus iucundè ſibi ad id temporis actos uitæ annos: nec citra omne incommodum minus, quàm qui Hecatombas ſubinde oblatum eant. Quo dicti tumore, uel leuitate potius, quam κουφολογίαν uocant, grauiſsimam rependiſſe pœnam, probabile prorſum fieri. Scribit Hiſtoriæ naturalis ſeptimo Plinius, copia ſerpẽtium è corpore prorumpente, Pherecydem exſpiraſſe: adeo infinitam eſſe morborũ multitudinẽ.

Herculeas columnas prius Briarei nuncupatas. Epaminondæ paupertas & magnanimitas, Perſarum regis munera ſpernentis. Cap. xxxi

TAriſtoteles quidem tantus in doctrinis uir, leuicula tamen quæpiam in libris non reformidaſſe, animaduertitur, quando Herculeas ſcribit columnas prius fuiſſe Briarei nuncupatas. Nam, inquit, poſtea quàm ab Hercule purgata terra eſt, & mare item, comparuitq; omnino is in genus hominum beneficus, Briarei monumenta nulli prorſum rei eſſe, arbitrati pleriq;, in Herculem loci appellationem facilè corriuarunt. Scribit Tacitus quod ad rem uehementer facit, celebratas in Germanico Oceano Herculis columnas, ſeu (inquit) Hercules adĳt, ſeu quicquid ubiq; magnificum eſt, in claritatem eius referre conſenſimus. Cæterum, etiam ſi nec huiuſmodi negligenda uſquequaq; duco, nihilo ſecius multo illud grauius, uitæq; commodius longe: quod Græca uerſanti nuper compertum mihi eſt, Epaminondæ Thebanorum principi, tantumq; non Græciæ totius, unum modò affuiſſe indumentum, & quidem rude ac pertritum, addo etiam ſordeſcens ſatis: quo nomine, ſi quando expurgandum fulloni traderet, interim ueſtis inopia alterius, domi ſe continebat. Quamuis autem à re familiari ſic haberet, nihilominus à rege Perſarum uim auri haud paruam ad ſe tranſmiſſam non admiſit. Quo fit, inquit Aelianus, ut reſpuẽtis animus maior longe ampliorq; uideatur, quàm dantis. At quia ex fide parum forſan promi hæc à nobis, opinabũtur aliqui etiam ſerĳ, ſuper tota re hiſtorici uerba ſubſcribam: cui (opinor) in rem adducti præſentem haud colaphum ducent. ἐπαμεινώνδας φησὶ δεῖν τείβωνα καὶ αὐτὸν ῥυπῶντα. εἴποτε δὲ αὐτὸν ἔσωκεν εἰς λυαφεῖον, αὐτὸς ἐπώλουν οἶκοι διὰ ἀφείαν ἑτέρου. ὧν διὰ πενίαν ἢ πολιουσίας ὤν, τὸ πορφυροῦν βασιλέως πέμψαντος αὐτῷ πολὺ χρυσίον, οὐ προσήκατο. καὶ εἶπε ἐγὼ νοῶ, μεγαλοφρονέστερος δὲ τοῦ διδόντος, ὁ μὴ λαβών.

Hominum

Hominum ingenia tyrannica uel mitia, ex geſtis rebus facilè plerunq; cõiectari. De Pericle, ac Gelone: item de Dionyſio poſteriore. Catapultæ inuentio. Cap. XXXII

SVppetit ex hiſtoria plerunq; uel tyrannica hominum ingenia, uel mitia in primis & popularia ſpectare. Id ipſum & mihi nuper uſu uenit Græca uolueti quæpiam: quippe animaduerti, Athenis prætura dum fungeretur, Periclem inter alias uel hanc cenſuiſſe ſtatuendam legem, Vt ni parente natus quis foret ciue utroq;, in reipublicæ participatum haudquaquam admitteretur. Cæterum, tumor hic planè, nimio plus ſibi applaudentis illuc erupit demum, uti in eundem grauior expeteret Nemeſis, Etenim quum ei duo eſſent liberi, Paralus & Xanthippus, graſſante publicitus ſæuo peſtilentiæ malo, uterq; eſt abſumptus. Quamobrem ſobolis legitimæ ac ſolenni cõceptæ toro inops Pericles, reliqui habuit nil prorſum, niſi ut ſpuriorum præſentia ſuperſtitum, ſed reipublicæ ipſius ſanctione expertium, æſtuãtem leniret animum. At contrà, ſi Gelonis expendas animi altitudinem, & in Siciliam uniuerſam benignitatẽ eminentiſſimam, quis nõ illius alliſam uelit animi elationem, huius uerò bonitatem rarenter uiſam aliàs, amplexetur exoſculeturq;? Hic quippe uictis Carthaginienſibus apud Himeram, & occidione occiſis, factus Siciliæ totius compos, exſuperanti mentis magnitudine in forum pergens nudus alacriter pronũtiauit, Siculis ſe principatum reſignare. At illi ore conſono ſucclamantes, id ſe non admiſſuros, aſſeueranter prædicarunt, ut qui populares eius, gratiſſimosq; mores diu antea forent periclitati, diuerſos longe à monarchico ſpiritu, intolerãdo plerunq;. Argumento eius facti eſt, in templo ſurrectum ſpecie nuda ſimulacrum. Sed & rei geſtæ teſtimonium dictat epigramma. Quam uirtutem ſi promere ſciſſet Dionyſius poſterior, etiam ſi multa principatus propugnationi comparaſſet, catapultam quoq; excogitaſſet primus: tyrannide, quam omnium in Europa maximam adamante munitam, gloriari ſolebat ſuperior Dionyſius, uiolẽter Dionis opera excuſſus, nõ omnium inops infeliciter, quod uitæ ſupererat, ac turpiter tranſmiſiſſet, hebetiore etiamnum uiſu ex meri intemperantia, ſicuti à Theopompo proditum monumentis, ſciunt politiores paulo. Id quod mirum uideri præcipuè debet, quando longæ naues aderant quingentæ, peditum uerò centum milia, equitum decem, armorum, commeatuum, pecuniarum uis immenſa: tantum autem facinus eſt adortus Dion duabus tantum onerarijs nauibus primò præfultus, uti prodidit Diodorus.

Philippum uictoria elatũ, ne unquã fieret rationis impos, iniunxiſſe puero, mane ingreſſus diceret, Homo es Philippe. Cap. XXXIII

DOſtea quàm apud Cheroneam Macedo Philippus Atheniẽſium profligauit opes, felicitate nimia efferri aliquãtulum cœpit, ſed ita, ut rationis tamen limites nec tranſcenderet nec proculcaret, proinde ad iniuſtitiam aut uictorum ludibria & ſubiectorum iniurias nec dilaberetur. Id ne fieret quãdoq;, uti ſunt plerunq; hominum ingenia, in peius mutabilia, ſic propémodum cauit: nam ex pueris uni muneris id modò iniunxit, ut ad ſolis exortum ingreſſus inclamaret, Meminiſſet hominem eſſe ſe. Id ab eo conſtanter adeo ſeruatum ferunt, ut nuſquam omnino uel progrederetur ipſe, uel familiariũ quempiam, aut aliorum regis operam requirentium admitteret, quàm quot diebus puer intonuiſſet ter, Φίλιππε ἄνθρωπος εἶ.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros ad doctiſſimum iureconſultum Zachariam Rhodiginum, Præfatio uiceſima.



Iulli unquam, doctiſſimè Zacharia, grauior incubuit cura patriã demerendi, ac omnes ciues ſuos: ego planè eum eſſe me, poſſum profiteri, quando ueterem Athenienſium ἀμνησίαν inſequutus, traditis obliuioni omnibus, reiectisq́, animum quæ repetita ualẽt exulcerare, ac magna ex parte obductum uulnus refricare: quippe infecta ne tẽpus quidem πάντων πατήρ, uti Pindarus inquit, reddiderit: non deſino pro uirili utroſq́ propagare in æuum, ut iam hinc cuncto terrarũ orbi, qua modò Romanæ linguæ ſonus pertingat, palàm fecerimus, eſſe in rerum natura Rhodigium, quod ad hanc diem (nec dici tamen arroganter uelim) Cimmeriis obuolutum tenebris latuerat penitus. Eadẽ porrò animi ſimplicitate ciuium nonnullos duxi ſcriptis meis (ſi quis tamen eorum futurus eſt genius) illuſtrandos. Nam antiſtiti reuerendo Ioanni Mariæ Mattarello unũ noſtri, ut ſic dixerim, certaminis ſtadium cenſui dicandum. Exigebant id mores eius exculti ſſimi, doctrina ſingularis, & quam ſuſtinet honeſtiſſimè dignitas clariſſima. Exigebat, immo efflagitabat, ut ſignificantius agam, ſanguinis coniunctio, & larium ſerè communium, peruetuſta quidem, ſed tamen prædulcis memoria. Nunc autem in neceſſitudinis ratione ſentire ſum uiſus aurem mihi denuo peruelli, & inſuſurrari grauius, uiri me non boni ſubiturum crimen, ſi Zachariam meum ab iiſdem manantem fontibus præteriſſe ſuſtinerem. Ego uerò Iureconſultorum ſcientiſſimè toto feror animo in tui nominis gloriam, ſi modo is ſum, qui tibi in maximo doctrinæ faſtigio diu iam conſtituto ad laudem aliquid poſſim adiicere. Quoniam, dum in Romana profiteris academia, tuarum uirtutum ſplendorem ipſe uniuerſis abundè patefacis, ueterum placita ſapientum in ſanciendis legibus promendo in lucem nitidiſſimam. Adeo ut obſcuritatis nubilo ampliſſime diſcuſſo & ſqualore omni deterſo, in poteſtate omnium, qui te utuntur doctore, quod mirum eſt, ſi quid aliud, omnino comperiantur. Equidem parum perſpicaces illi eſſe mihi uidentur, ſi qui ſoli lumen afferre contendant: ſed enim conſanguinea huc me affectio tranſuerſum rapit, ut quantulacunq́ ex libellis noſtris promi gloria poteſt, eam lætiſſimo uultu tecum ueniam participatum. Tantum ab eſt, ut mentium hyſtricularum approbem uirus, quo contacta extabeſcunt omnia, dum alienæ derogando famæ, quod ſanguinarium eſt, ſcientiam in ſe profundiorem probare hominibus uolunt, etiam ſi noctuinis oculis nunquam non caligare uel luce nitidiſſima pernoſcuntur. Sed libitinas facio miſſas. Illud grauius multo reliquum fit mihi, ut amanter extenteq́ doctiſsime Zacharia obteſtari nõ deſinam, quæ de myrotheciis noſtris qualiaqualia comperiantur, nunc primum in odores ſpargũtur, & laborioſiſsimis euigilata curis, neq́ enim perfunctoriam remur ſcribendi pragmatiam, publicum tandem indipiſcuntur, munuſcula boni conſulas, putesq́ non quidem magnitudini ſatisfactum tuæ, ſed ab imbecillitate noſtra, id demum quod eualuimus munificentiſsimè oblatum. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI VICESIMVS.

Octimeſtris partus cur raro uitalis. Cap. I



VM pauloante aſtrueremus, præfici à cæleſtium rerum peritis, nõ ętatibus modò planetas, ſed & infantibus prius quàm promantur in lucem, quanquam (ut prætexuimus) ratione diſparili: adiectum id quoq; Octimeſtrem partum ideo non ferè cenſeri uitalem, quia Saturnum habeat epiſcopum, cuius frigiditas ac ſiccitas uitæ plurimum contrariæ ſint. Adnò tandum uerò nunc, eſſe inter apprimè doctos qui aſtronomica ratione eliſa, aliud quod ſequantur magis, excogitent. Siquidem embryon ſæpe menſe ſeptimo, ab uteri conceptaculis egreſſum affectare, ac in id colluctari plurimum, uerũ conatu excidere, atq; interim fatigatum effici imbecillius. Quòd ſi necdum refectis uiribus, octauo rurſum eundem petat conatum, oblæſum frequentius intermori. Hippocrates ſummus medẽdi artifex, qui tam fallere quàm falli neſcit, oneroſam moleſtamq; ac perdifficilem eius menſis geſtationem autumat, tum matris ratione grauiter affectæ, tum uteri incommodius ſe habentis, ac quodammodo ingeſtabile onus reſpuentis. Proinde ſi ſe oſtentet partio, dupliciter inde utero geſtantes uexatas, & à fœtu prodeunte, & affectione propria, inſigniter imbecillitate urgeri. Vnde conſequutione probabili fœtum item oblæſum raro non emori. Alicubi tamen, quod huic ſententiæ calculum adiicit: corpore uegeto ſcimus ac ſucculento robuſtoq; prægnantes, octauo etiam promere uitalem fœtum. id quod in Hiſpania uſu uenire, ſcribit Auicenna; & in Aegypto Ariſtoteles.

Fabulam fieri quid ſit. Vitam noſtram eſſe item fabulam. Platonis de ſe apophthegma. Cap. II



Abulam fieri eleganter doctęq; uſurpamus pro eo quod eſt, munĩs uitalibus perfungi, & abire (ut Plautus inquit) in communem locum. Perſii ſatyrici poetæ id auctoritas comprobat:

Indulge genio, carpamus dulcia, noſtrum eſt,
Quod uiuis: cinis & manes & fabula fies.

Hoc uerò ex illo Horatiano apparet profluxiſſe:

Iam te premet nox, fabulæq;, manes.

Quin facerè luſiſſe putatur quidam non omnino malus nec imperitus, Viuentes etiam num fabulam eſſe. Quæ ſententia, mirum eſt quàm graphicè noſtris nos pingat coloribus: quoniã uti fabulæ nec uera inſunt nec ueriſimilia, compari modo uita noſtra nec ueritatis quicquam nec certitudinis habet, niſi illud quo certius nihil, Hominem bullam eſſe, ſed multo magis ſenem, ut M. Varro ait. ex quo rectiſſimè uidetur Euripides,

οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅς τις ἐξεπίσταται,
τὸ ὄψιον μέλλοιμ' ἢ βιώσεται.

quod noſtris uerbis ſonat, Mortalium nemo eſt, qui craſtinum ſibi audeat polliceri. Et quod grauius aliquanto eſt, οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά. hoc eſt, uita non uerè uita eſt, ſed calamitas. Sicuti Euripides idem ſubnotauit ſententialiter. Vnde & Palladas ſcitè,

δακρυχέων γεγόμην, καὶ δακρύων ἀπεθνήσκω.
δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον ὅλον ἔκλαυσα.
ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀθλιώτατον, οἰκτρόν,
συρόμενον ἐπὶ γῆς, καὶ δακρυόμενον.

Lachrymans ſum natus, ſed & lachrymans morior: in lachrymis uniuerſam comperi uitam; ô genus hominum lachrymoſum, debile, miſerabile: tractũ in terra, ſolutumq;.

Nos tamen opinionum illecti uanitate, nobisq; blandius ementientes, ſpes inanes omnino cõfouemus, quod ad præſentem attinet uitæ ſtatum, nec philoſophum audimus eminentiſſimũ Platonem ſubinde inſuſurrantem τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι. quam ſententiam iure Latiſ ſic donamus, Spes eſſe uigilantium ſomnia.

Maronis locus ex primo Georgico, Septima poſt decimam felix. Lunam humectare, non arefacere. Tetradiſtæ qui ſint. Cap. III

ERat in manibus nuper Maronis Georgicon liber primus, eo gratior nobis quòd Columellæ teſtimonio poeta hic, ut in aliis ſummus, ita & agricolationis diſciplinam carmine potentem fecit. Quo nomine eum plerique omnes bene literati adprobiq; obſeruant, ueluti πρώτην ἱερὰ, id eſt templorum ſacra. Ita eſt doctrina multifarius, & morum ſanctitudine præcellẽs. Inibi ergo hoſce uerſus legebamus, ubi lunarium ratio dierum pertractatur,

Septima poſt decimam felix, & ponere uites,
Et prenſos domitare boues, & licia telæ
Addere.

Quæſitum diu & anxiè in eruditorum ſcholis, quid ſit quod poeta nobilis ait, Septima poſt decimam felix. Seruius multa quidem affert, ſed quia dictorum rationes minus protulit, poſteris amplius quærendi curam iniecit non mediocrem. Nos ergo quæ apud cæleſtium rerum peritos obſeruauimus, hinc iam attexere pergemus. Illud autem traditur primum, Lunæ calorem eſſe imbecillem prorſus, adeo uti nequaquam ita unquam augeſcat, ut ſiccitatem queat inducere. Cæterum ad humectationem uſq; modò progredi. Vnde & illud conſequutione quadam manifeſtũ, pro luminis copia, & ex eo etiã caloris, corpora humectari. Cõſimiliter ad defectum tendente lumine, humectationis detrimenta fieri & caloris. Sciendum & illud: lunam priore dichotomia excalfacere plus atq; humectare quàm ſequenti, ratione (ut prætexuimus) augeſcentis aut decreſcentis luminis. Ex iis deprehendere periti rerum, increſcẽtis lunæ ſpatia eſſe plantationibus uelut decretoria, quoniam humoris exſuperantia ſemen madeſcens celerius uendicet incrementa. Vbi uerò deteritur lumen, cædi optimè materiam, quæ areſcat tunc attenuetur ue: propterea nec carie cõputreſcat. Quamobrem apud Maronem, quum ſeptima poſt decimam nominatur, neutiq; decimamſeptimam intelligi poſſe: quamuis id nõ abnuat interpres. Hanc ſiquidem ponendis uitibus incõmodam cenſeri, propè in confeſſo eſt, ob luminis detrimenta. Verum probabilius id, aut ſeptimam ſignificari, quæ ſit poſt decimam prima, & melior, id eſt quamdecimam, quæ dies comprobari omnium calculis poteſt, luna tum plenam faciente uiſitationem: aut dies collaudaſſe duos, credamus poetam agricolationis peritiſſimum, ſeptimum ac decimum, ſed hunc eo amplius. Septima utiq; luna dimidio orbe ceſa cõuiſitur. Decima amphicyrtos, id eſt utrinq; gibboſa. Et utrobiq; humor affatim, caloréq; radicibus affundi facilè poteſt. Quòd uerò ſeptimadecima die ſubuectari in areã fruges, poeta Heſiodus prodit, nõ aliunde uideri natum poteſt, quod item ex Procli interpretatione liquet, quàm quod à circumacto lunari orbe protolluntur ferè uentorũ afflatus euentilandis frugibus peracõmodi. Scire tamen licet, M. Manilium Aſtronomicon quarto, ſeptimam poſt decimam ex Maronis imitatione, pro decimaſeptima accepiſſe: ſic enim de cancri partibus ſcribit,

Prima rapit, nec ter quintæ clementior uſus,
Septima poſt decimam luctum, & uiceſima portat.

In collectaneis Rei ruſticæ apud Græcos ita lego, Eſſe qui ſtatuant, augeſcente modò luna plantationi incumbendum: tendente uerò in damna lucis, haud quaquam. Alij ab quarta in octauamdecimam rectè plantari autumant. Nec de eſſe, qui ab decima ad uiceſimam quippiam fieri id genus uetent, ὅπως μὴ τὸ φῶς αὐξῇ συγκαταχωσθὲν τῇ φυτείᾳ. Illa uerò rectior obſeruatio, luna inferna permeante id agere: ſupra terram autem poſita, cædere materiam. Ad rem fortè illa nil admodum attineant, ſed enotaſſe prius nil obfuerit, quod poſitũ à Plutarcho ſcimus: Aegyptios fabulari, eadem die Oſiridis eſſe peractum interitum. Pythagoreos uerò antiphraxin eam diem mathematica ratione nuncupare, & abominari in primis. Tetradiſtas denicq; à Græcis uocari uita laborioſos, ac

ſos,ac multis occurſantes turbinibus,conflictatosq; crebris Fortunæ aſſultibus, neque id citra gloriam tamen: ab Hercule ducta uocabuli ratione, quem quarta natum luna ferunt. Sunt qui coitionem eo nomine intelligant familiarium iuuenum περὶ παιδικὰ γινομένων. Lunæ κατωπτασμῶν καὶ σκιᾶς rationem literis mandauit omnium princeps Anaxagoras. Sed quum Athenienſes concoquere philoſophos nequirent, in uincula impactus, uix eſt à Pericle ſeruatus.

Sententia triplex de lunari lumine. Quibus probetur rationibus, lunam repercuſſu lucem non propagare. Caput IIII

IN hac lunæ mentione ſubeunt obſeruata in ueteribus memorijs digna relatu uel præcipue. Scribit enim Architecturæ nono Vitruuius, ſed & in libro De orbium cæleſtium contemplatione Cleomedes, inter Beroſi placita contineri, Corpus lunæ pilam eſſe dimidia parte candidam, altera ceruleam. In coitu uero, ſolis ardore corripi, conuertiq; partem eius candentem proprietate quadam naturę luminis ad lumen trahendi, quo quidem tempore noſtri auerſam dicant eam: quæ enim non uiſuntur, quæq; latent, ita nuncupantur. Plinius: In coitu utique non cerni, quoniam hauſtum omnem lucis auerſa illo regerat unde acceperat: quum uero plena fuerit, ut conſpici tota poſſit, aduerſa. At Græci per diametrum hæc & dimetientē lineam obiecta appellare ſolent. Ceruleam uero, hoc eſt inferiorem eius partem, quia candens non ſit, propter aeris ſimilitudinem, obſcuram uideri. Eandem porro ſententiam in deo Socratis exprimit Apuleius. Sunt qui lunam à ſole illuſtrari autument, unde & nothum eius lumen uocarit Catullus: uerum per refractionem illuminare aerem, quod uſu uenire in ſpeculis conſpicimus, ſplendentibusq; argenteis laminis, ſiue argyromatis. Haſce duas ſententias in Pſalmorum enarratione quum retuliſſet Auguſtinus, difficulter inquit perſpici poſſe, utra demum ſit uerior. Magnus uticq; Baſilius in Hexaemero, lunæ corpus eſſe magnum comprobat, & ſplendidiſſimum omnino poſt ſolem, etiam ſi non ſemper eius conſpiciatur magnitudo propter ſchematiſmi uarietatem. Extat & ſententia tertia, Miſceri eius lucem propriam ſolari lumine, ac huiuſmodi fieri, haud utique carentem ipſam affectu, nec uelut corpora ſolida, ſplendida, micantes habentem ſplendores, illuminantemq; aera repercuſſu, exceptis à ſole radijs, quos deinde ad nos regerat à ſole alterata (ut ſic interim dicere permittamur) tali temperamento proprium habens fulgorem, non primo quidem & per ſe, uerum per participationem. Hanc opinionem eruditi ſaniorem interpretātur, quàm ſit ea, quæ lunam aſſerit per reflexionem illuminare, regeſtis ab ipſa fulgoribus: quam rem à luminoſis fieri corporibus, quando ſunt ſolida, animaduertimus. Quod uerò impoſſibile ſit, lunam repercuſſu lucem propagare, hiſce (opinor) ferè rationibus Cleomedes idem comprobat. A corporibus ſolidis non eſt quidem extra naturæ modum, reflexionem fieri, non item ab aqua, cui ipſi ineſt denſitas quædam: at à raris corporibus refractio fieri nequit: quî enim fiat, ut ab aere aut igne repercuſſus efficiātur, quum eiuſmodi tam extrorſum quàm introrſum radios admittant? ſicuti ſpongias oppleri aqua, animaduertimus. Adde, quòd qui ex refractione ſeſe promit ſplendor, prætenuis eſt, ac ferè nullus. A luna uero non terra modò colluſtratur, ſed & mundi uniuerſa, quū regeſtus lucis, ne duorum quidem ſtadiorum menſum ſuperferatur. Liquet id in ſpeculis, & id genus alijs. Quòd ſi lunari amplitudini acceptum referri oportere, contendat quiſpiam: ſciat uero is, tam in paruis quàm uaſtioribus lucem regerentibus analogi rationem haberi conſimilem. Porrò ſi luna repercuſſu colluſtraret, neq; quum in cornua ſinuatur, neq; item dichotomos uel diuidua terræ lucem infunderet: quando quæ reflexu illuminant, ad rectos angulos lucem promunt. Proinde orbe pleno, ad occidua ſolemq; ipſum fiet lucis reflexio. Lunæ uero mediana tantum terræ ſplendorē affundent, orbis uniuerſus minime: quippe ex meditullio tantum, rectiangulus radius ad terram promi poteſt. Quòd uero ab orbe toto colluſtretur terra, euidens inde ſumi argumentum poteſt: nam ubi emergere primum ab orizonte incipit curuatura, proiectantur ad terram radij, deuexis partibus cælum non terram ſpectantibus.

Lumen eſſe cæleſtium uirtutum uehiculum. Cur à nobis longius abeat ſol, nec luna eundem præferat ſchematiſmum. An item à planetis illuſtretur, uti à ſole. Rurſum quid lumen, ex Plotino & Proculo. Caput V



Sse uero lumen cæleſtium uirtutum, & quidem omnium ueluti uehiculum, in Meteorologicis libris Auicenna ſcribit, & comprobat Albertus in libro De ſomno & uigilia. Inde ambiguitas haud contemnenda exoritur: Si ita ſit, ueluti propemodum aſſentimur, cur nam ſtatis temporũ cardinibus longius abeat à nobis ſol, nec luna eundem præferat ſchematiſmum aſſidue. Hæc uero qui æqua lance penſitarit, ſumma diuini examinis ratione diſpenſata, comperiet. Siquidem terrena fragilitas cæleſte bonum, quamuis inenarrabile, pati diutius nequiſſet. Proinde diuinæ prouidentiæ inconniuens acies hyemali ſydere longius ſolem abduxit, ut noctium humecta opacitate reficeretur terra, exuſtione alias primo quoq; tempore peritura mortalium uſibus, & animãtium cunctarum: nam & ſic etiamnum perit parte haud contemnenda. Eadem uero diuinitatis diſpenſatione, nec perpetes, eoſdemq; ſolis ad nos profundit radios luna, ſed nunc parcius, nunc uberius pro ſchematiſmorum ad ſolem euariatione. Qua ex cauſa neq; item proprio admodum eſt condecorata lumine. Quòd ſi in diſquiſitionem euocet quis illud quoq;, an lunari ſyderi lucem fœnerent planetæ item alij, ſicuti ſol, aſſeueranter aſtruendum, non fœnerare: quod ſilentis lunæ dictat ratio, quem coitum uocant, quo penè deſtituitur luce, quia ſplendoris de ſole hauſtum habeat nullum in aduerſo nobis diſco, futura non adeo lucis inops, ſi quid à planetis mutuaretur. Porrò de lumine ſubnectamus hic ſcitu digna pleraque, ex magnis comperta auctoribus, & illud in primis, ex Plotino ac Proculo: eſſe lumen, uiſum quendam aſpectumq; numinum, per cæleſtium oculorum radios profuſum, emicansq; procul. Eſſe item diuinum quẽdam ſpiritum, à quo & ſpectentur omnia, & quantum in eo eſt, ab omnibus ſpectetur ipſe quoq;. Hunc nuſquam extingui aſtruunt, ſed ſydera conſequi perpetuo. Eſt denicq; lumen quaſi numen quoddam in mundano hoc templo, dei ſimilitudinem mortalibus ingerens. Quod ipſius boni filium nuncupat in republica Plato. Eſt uero cauſa, conſeruatio, excitatio quæ naſcuntur omnium, non ſecus ac ſtruthij aſpectu conſoueri traduntur oua.

Item de lunari lumine. Cur ſelene. Cur in Dianæ ſacris faces, & cur tergemina Diana, & Hecate. De Geryone paucula. Hecatompedon. Plutarchi codex emaculatur. Hecatombæum. Hecatombe quo ritu celebraretur. Mænides. Canes cur immolentur Hecatæ. Virgilij locus ex Bucolicis. Dictina. Triuia unde, & Diana. Caput VI



Vnam uero de ſolari fonte haurire, uel nominis etymo coniectant eruditorum ſcholæ: nam ſelenen dici, quòd lucem nouam habere perpetuò uideatur. Adijciunt calculum & Dianæ ſacra, quæ uocant Artemia, in quibus ex hoc argumento geſtantur faces. Quia uero triplicem faciat uiſitationẽ luna, quum ſurgit in cornua, & falcata dicitur, quumq; diuidua eſt, & quum orbe circumacto: hinc propagatum autumant poeticum commentum de triformi Diana. Vnde ſit & Maronis illud decantatum grammaticis, diuerſeq; pro ingeniorum captu expoſitum,

Tergeminamq; Hecaten, tria uirginis ora Dianæ.

Quod exprimens Auſonius in ternarij numeri grypo, inquit,

Tergemina eſt Hecate, tria uirginis ora Dianæ.

Verum in eius loci enarratione, ut nil prorſum diſſimulem, uaria (ut dixi) promuntur à ſtudioſis pro inuentorum ratione. Sunt enim qui Hecaten ibi tergeminam dici opinentur, quia ſit (ut ſcribit Orpheus in Argonauticis) trium capitũ, eam ſiquidem τεισσοκέφαλον inde appellat, ita quòd dextrum caput ſit equi, ſiniſtrum canis, medium hominis agreſtis. Eſſe quoque Tartari filiam, eiuſdem comprobat carmen, πρπρόσπως ἑκάτη. Ex quibus Seruium coarguere nituntur, iterationem eſſe tradentem ibi. Nam etiam ſi Hecaten dici Proſerpinam ſæpe inuenias, tamen intelligi quandoq; ſeparatum numen. Putant alij, quia multi Hecaten cum Iunone coniungunt, ut ſit eadem lumo,

Diana

Diana & Proſerpina: ex quibus Hecate, ut eſt apud Lucanum, commune efficiatur numen: idcirco, ne alterutrum poeta damnaret, utrunq; dixiſſe. Nam eſſe item, qui Hecaten Perſeo Titane, & Aſterie Latonæ ſorore prognatam ferant. Cui elementa ſubiecerit Iupiter, feceritq; cælo hereboq; potentem, ut cecinit poeta nobilis: unde etiam Hecaten dictam uoluit Heſiodus, à multiplici uidelicet poteſtate. Aiunt & illud Græci, terniones, id eſt τὰς τριόδους, apud inferos cenſeri admodum, ut qui ſint Hecates numini conſecrati. Cui item argumento comparari trigla piſce rem diuinam fieri, & ſurrigi in triuiis ſimulacrum, quod (ut inquit Ariſtophanis interpres, & approbat in Deorum natura Phurnutus) luna, Diana, Hecate, idem crederetur numen: cui ſole occiduo, uice ſacrificij cœnam mitterent ditiores in neomenijs, quam famelici pauperes diriperent uorarentq;, à dea factum id cauillantes. Quòd ad triglam attinet, ſic in Euſtathij monumentis legimus: Trigla (inquit) ex ueterum ſententia, Dianæ creditur ſimulacrum: quatenus (ut Cilix poeta aſcribit) ſic dicitur, quoniam ter anno gignat. Luna uero tertio poſt coitum die manifeſtam uiſitationem facit. Hecaten in Bœotia præcipuè coli ſolitam, ſcribit Theogoniæ Heſiodi interpres. Dici autem Hecaten, ἀφ' ὃ τὸ ἑκάστου πρόνοιαν, quòd uniuſcuiuſq; prouidentiam gerat. Nam quicquid in terra uiſitur, ac mari, fato ſubijci: quod ut numen, uenerentur plericq; omnes. In Pachyno Siciliæ promontorio Hecatæ cenotaphiũ exſtructum ab Vlyſſe legimus, ob nocturnos ab illa immiſſos terrores. Hecatomphonia ex lege immolari à Meſſenijs ſolita, in Septem ſapientum conuiuio auctor Plutarchus eſt: tanquam ex hoſtibus centum interemiſſent, ut inquit Pauſanias. Id ſacrum obijt Ariſtomenes Ioui ἑκατόμπεδα. Verum, ad præſens negotium nihil, ſicuti nec Hecatompedon, quod fuiſſe Pallados templum autumant, omnibus lateribus pedum omnino centum. Id & Parthenon dicitur pleriſque. Plutarchus in Pericle Hecatompedon parthenona uocat, qua in parte, in codices Latinos irrepſit labecula: nam circumferuntur ad hunc ferè modum, Hecatompedon parte noua. Verum, Græcè ſic, ἑκατόμπεδον παρθενῶνα Callicrates & Ictinus perficere ſunt exorſi. Neque item Hecatombæon, ad Hecatem ſpectat, qui Athenienſibus menſis erat, Soli ſacer: cuius quia tunc magnus ſit curſus, inde tempori factum nomen, quando numerus is ſignare magnitudinem aduertitur plerunq;, quod probant Hecatombæa. Menſis hic Cronion dictus ueteribus quoq; à ſacrificijs, quæ Crono fierent, id eſt Saturno. Hecatomben ſacrificium quandoq; ſic ſolitum celebrari comperiſſe uideor: Aræ primum uno in loco centum ſtruebantur ceſpititiæ, inibi centum mox immolabantur ſues, oues totidem. Quòd ſi Imperator rei daret operam diuinæ, centeni feriebantur leones, aquilis nec paucioribus, aut id genus animalibus cæteris. Quod & à Græcis factitatum item nouimus, præcipuè cum latius graſſaretur peſtilentia. Sed ad rem. Theagenem quendam domi Hecates ſimulacrum, quod Hecateum uocant, adeo ſuperſtitioſe coluiſſe, Græcorum monumentis adnotatum eſt, ut nuſquam omnino proferret pedem, ni id conſuluiſſet prius. Hecate præterea Mænida putant immolari, quòd ſit quibuſdam maniæ, id eſt furoris cauſa, ut ijs qui dicuntur σελαγιαζόμενοι. Antiphanes certe Mænidas uocat hecates cibum: eſt autem notiſſimus piſcis. Quanquam ſunt & leucomænides, boacas nuncupant quidam. Alibi poeta idem mænidas & triglas Helenæ dixit cibaria. Mænis à Theodoro dicitur alec. Porrò & Hecate canem immolari, in Mimis prodidit Sophron: quippe, ut ſcribit Lycophronis interpres, canis latratus carmina ſoluit omnino, καὶ τὰ φάσματα, ſicuti æris tinnitus quoq;, aut eiuſmodi quippiam. Propter ea in Alexandra Lycophron,

Σκυμβόλου ἄντρου κωσοφαγοῦς θεᾶς λιτῶν.

Ad hæc reſpectare Virgilianum illud ex Bucolicis, nemo non emunctæ (quod aiunt) naris aduertit,

Neſcio quid certe eſt, & Hylax in limine latrat.

Dictinam ſcribit Phurnutus, non Dictynam: ἀπὸ τοῦ βάλλειν δίκτυα τὰς ἀλιτύνας. Nam inquit, δίκτυον indicat τὸ βάλλειν. Dictyneum & Phœbeum loca ſunt prope Spartam, de templis puto eorum deorum dicta. In Apuleij magiæ Apologia prima obſeruatum illud quoq;: ad magorum cæremonias aduocari Mercurium conſueſſe, carminum uectorem

ctorem, & animi illicem Venerem, ac noctium conſciam lunam, & manium potentem Triuiam. Ad malignos certe ſpiritus, loco mouendos, diuinationemq; per mortuos explendam, Ptolemæus in quadripartito conferre putat cæleſtem harmoniam, quando luna fuerit magiſterij domina, colatq; louis ædes, Sagittarium uel Piſces. Triuiam dici, quoniam triplici ſit figura inſignis, ait Baſſus Phænomenon Arati interpres: nam eadem eſt Luna, Diana, Proſerpina, id eſt cæleſtis, terreſtris, & inferna. Et Proſerpina quidem, aut quia noctu luceat, uel quòd humilior currat, & terris præſit. Nam & boum habere bigam creditur, quod eius detrimenta non terra modò, uerum lapides, animalia, & lætamina ſentiunt quoq;, quæ lunæ incrementis eiecta uermiculos parturiant. Diana uero, quoniam arboribus ac fruticibus augumenta inducat: quo forſan argumento etiam Phyllada nuncupauit Callixenus apud Athenæum, ni etiam foliorum ibi contextum malis accipere aut ramos, ut eſt apud Ariſtophanem. Denique crementis lunæ deſecta ligna furfuraceis tinearum terebrationibus fiſtulaſcunt. Dianam dici uolunt, quaſi Dimen, quod die appareat noctuq;: nam & bigam contribuunt propter duo uiſitationis tempora, aut ob celeritatem. Sunt qui par equorũ unũ tradant album, nigrum uero alterum: quoniam hyeme ac æſtate luceat plus, quàm autumno aut uere. Quod uero pauloante de lunæ ſchematiſmo triplici protulimus, apud Heſiodicos enarratores comperimus illud item: adcredidiſſe pleroſque Geryonem tricipitem, hoc eſt τεικέφαλον γηρυονῆα, non eſſe alium quàm lunam. Sed alij ea fabula ſignari prodiderunt hyemale ſydus: alij tempus ipſum, in quo præſens, præteritum, inſtans, ueluti tria cenſeantur capita: poſtremò ad triplicem lunæ mutationem quot menſibus prouenientem calendarum, nonarum, iduumq; diſtributionem referri oportere, contendunt auctores eminentiſſimi.

Septem ab alijs dici lunæ permutationes. Quid phaſis. Iugum dici de Libra. Cicero inibi explicatur. De Diana, quam uocant Agroterã & Endymione. Cur Lunæ appellatione mũdus ſignificetur, necnon mens noſtra. Lunę domus, qui cenodromos dicitur. Synaphia in eadem quid, aut aporrhœa. Lunus deus. Virgilij locus ex libro tertio, Quà ſe, Plena per inſertas fundebat luna feneſtras.

Caput VII

SVnt autem qui diſſecantes curioſius ſeptem faciant Lunæ permutationes, easq; dicant phaſes, quo uerbo utitur in libro De menſibus Theodorus quoq;. Sed & Ariſtoteles Meteororũ primo, in cometarum ratione: Euenit, inquit, hoc Mercurij ſtellæ, διὰ γὰρ τὸ μικρὸν ἐπαναβαίνειν, πολλὰς ἐκλείπειν φάσεις. id eſt, quia parum à ſole abſcedit, multas relinquit phaſes. Sed & pauloante Anaxagoram refert, ac Democritũ dixiſſe, cometas non eſſe aliud, quàm σύμφασιν τῶν πλανητῶν ἀστέρων, hoc eſt (ut uerbo uerbum reddam) coapparitionem errantium ſtellarum. Quanquam eſt apud Pollucem, phaſin dici delationem eorum, qui in metallicis aut emporijs aliquid peccaſſent, uel etiam in uectigalibus, ut qui publica uſurparent. Ac omnino phaſis dicitur cuiuslibet occulti criminis apud magiſtratus indicium. Meminerunt uerbi huius Dinarchus & Demoſthenes. Præterea ſi quid orphanorum tutores in domorum elocatione fraude agerent, eius denuntiatio factiq; recte appellabatur phaſis, ut Lyſias commeminit. Sed illud non prætereundum utiq;, à Chalcidio perpenſe traditum, fieri uiſum uel tuitione quam dicũt phaſin, uel intuitione quam emphaſin, aut detuitione quam uocant paraphaſin. Eſſe autem phaſin, ubi aliqua ſimpliciter uidentur, ac propriè, nec reijcitur uiſus. Emphaſin, quando radij fragmento ad oculorum aciem recurrẽte, res uidentur ut in ſpeculis & aqua. Paraphaſin intelligunt, quoties non in cute ſpeculi, ſed introrſum, & tanquam in penetralibus ſimulacrum inuenitur, obumbrante nigredine aliqua, ut in pellucidi quidem, ſed fuſcioris uitri lamina. Fit enim ut ipſi noſmet uidentes intra ſpeculum eſſe opinemur, nec os noſtrum è ſpeculo, ſed intra ſpeculum uidere. Sed ad lunam redeo. Primam in ea phaſin ſtatuunt, quum exoritur emergitq; ue à ſole. Et corniculatio dicitur, aut corniculans luna. Ea uero à Græcis figura Menoides nominatur, ſicuti Martiano propemodum credimus: etiam ſi apud Firmicum Matheſeos quarto, non citra mendum (opinor) monoides legitur.

Vnde

Vnde lunata conchylia dicantur Plinio. Sunt tamen qui emergentem primitus lunam artitocon nuncupent, mox menoide. Postea est dichotomos, hoc est dimidio orbe cęsa uel diuidua. Porrò amphicyrtos, quod est, utrinq; gibbosa. Inde panselene, siue plena: è solis regione quum normaliter steterit, ut Marcellini uerbo utamur. Rursusq; amphicyrtos, ac denuo dichotomos. Demum luminis uniuersitate priuatur, quum silere intelligitur: & ab Græcorum scientissimis synodica nuncupatur, uelut cum sole commeans, ut tradit Theon. Ex hac schematismorum diuersitate subinde euariante in sanctis literis legimus quandoq;, per Hiericho, quod uerbum lunam indicat, mundum significari: quia ueluti luna, in continua sit transmutatione. Non desunt qui mentem nostram lunæ nomine accipiendam putent, quæ pro conuersionis ratione ad solem suum schematismos euariat, luminis & umbrarum diuersitate ac uicissitudine, etiam si splendoris facultate nunquã exuatur prorsum: sed nec uniuersa item enitescit, quando rationis impos pars, tanquam cõstipatior ac apta minus, fulgorem non admittit. Dignum uero quod non prætereatur: lunæ motum quendam cenodromon dici, id est λιγνόδρομον, si per uacuum currat, id est planetarum nulli coniuncta. Id quod ex Firmici uerbis dilucere amplius potest, Matheseos quarto: A Saturno, inquit, defluens luna, si ad nullum feratur, sed per uacuum suos dirigat cursus, patrimonium misera laceratione dilapidat. Synaphiam, id est συναφειαν uocant Græci, quum stellæ cuipiam uel planetæ per radiationẽ luna coniungitur, sicut quum abscedit ac defluit, aporrhœam dicunt, seu ἀπορροίαν. In ijs postremò, quæ de luna diu commentamur, nec Ciceronis quidem nodus ex Diuinationum secundo, prætereundus silentio est, qui paulo impolitioribus, uelut sufflamen molestius, inijcere morulam potest. Lucius inquit Tarutius Firmanus Romam in iugo quum esset luna, natam esse dicebat. Iugum hic, libram accipe ex Solino in Polyhistore, & Græcis præterea, qui Scorpij priorem partem ζυγὸν dicunt, id est iugum. Nam in Rei rusticæ præceptis Zoroaster, sicuti in primo De agricultura libro, cuius apud Græcos incertus est auctor, adnotatum comperi, tria fecit autumnalia signa, ζυγόν, σκορπίον, τοξότην. Denicq; quando Diana eadem cum luna est, transmittentibus Hilissum terrę Atticæ fluuium, unde Hilissiades nuncupentur Musæ, occurrit (Pausanias inquit) regio, quam dicunt ἄγρας, ubi fuerit Dianæ ἀγροτέρας templum, quòd inibi uenatam primò deam fabulantur è Delo profectam, quo nomine simulacrum arcu erat insigne. Lunam denicq; ab Endymione amatam fabulantur, atque inde filias esse susceptas quinquaginta. Vero similius fit (inquit Pausanias) uxorem illi fuisse Asterodiam, siue Chromiam, uel etiam Hyperippem, natosq; ei liberos, Epeum, Aetolum, Pæona, puellam Eurycœdam. Ab Epeo autem dictos uolunt Epeos, quibus imperauit: à Pæone Pæonas ad Axium fluuium. Fuit Aethlij filius Endymion. Eius sepulchrum Elei ostendunt. Heracleotæ, qui ad Miletum sunt, in Latmum secessisse prædicant, ubi Endymionis agnoscitur adytum. Porrò adijciamus de luna quippiam ex historia & priscæ religionis uanitate: ab Carrenis Lunum deum eximio ueneratione ritu coli: quoniam sit ab prudentissimis traditũ, qui Lunam fœmineo credat nomine appellandam, itaq; habendam prorsum, muliebribus mancipatum delicijs uitam transmissurum, seruitutis onere ingestabili. At qui masculorũ decuriæ ascribendam censuerit, eum uero uxori pro arbitrio iniecturum frena, reclinatis facile uel elusis perruptis ue insidiarum tendiculis omnibus. Nam Græcis quoq; Aegyptijsq;, etiam si uti fœminam uidentur enuntiare, mystico tamen sensu deum planè credi. Sed illud Virgilianum Aeneidos tertio, cuiusnam modi est in pestilentiæ mentione? Penates nanq; ingestos per quietem Aeneæ scribit, quà se

Plena per insertas fundebat luna fenestras.

Cur enim ait, Luna plena? nempe quia canonica pestilentiæ ratio ab syderum positu ex cælestium rerum præcipuè studiosorum obseruatione producitur. Quippe si plenilunio coitu ue œconomi cardinis exortiui planetæ sint odioso aspectu aliquo parum felices, sæuam inoriri pestilentiam: grauiorem autem multo, si occurrat octaui domicilij œconomus maligno syderis alterius uultu: grauissimam denicq; alterutro luminum laborante, ociissimo pestilentiæ præsagio. Nec illud negligendum, inter senescentem ac

nouam

nouam lunam diem ab Atticis dici γένου καὶ νέαν. ex eo quòd ea die possit uideri extrema & prima luna.

Memoria matutina, quæ intelligi debeat. Quintiliani locus explicatur. Rursum de memoriæ ui pluscula. Caput VIII

MEmoriam matutinam dici quandoq; inaudias, nec aliam prorsum intelligi, quàm quæ firma constansq; sit, ac eorum quæ semel apprehenderit, retinentissima. Siquidem syncerius cohærentiusq; adglutinãtur, quæ profe rente se die, percipimus, quo iam auctiore subsultat uirtus ea, hebescitq;. Nec id alia magis ratione, quàm rerũ turba (uti assolet) sese ostentantium ingerentiumq;. Proinde recepta obfirmataq; etiam inter politiores opinio est, Iuniores percipiendis, quæ tradantur, à natura uideri magis factos, quoniam omnium penè ignari comperiuntur. Etenim quibusdam imbuti aduentitia mox non æquè hausta recipiunt. Sed seniores item amplius uegeta mente pollere, traditum est. Ex ijs uero quæ de Aristotelis fontibus in hosce libellos corriuauimus, facile Quintiliani locus explicatur ex libro Institutionum oratoriarum primo, scribentis, Natura nos tenacissimos esse eorum, quæ rudibus annis percipimus. Cæterum id exactè obseruandum tamen, pueros admodum, ac senes item iam prouectiores, ideo memoria minus pollere, quod in motu incessanter ac perpetim agant. Et illi quidem ex genuino cremẽti officio, at hi decrementi damno deminutione ue. Suppetit & in pueris ratio quoq; illa, q; annis aliquot nanis persimiles animaduertuntur, quos præcipuè fluxa esse memoria hebetiq;, non ferè latet. Sicuti omnes quibus superiora corporum uastitate nimia cum reliquis portionibus responsum non habent. Siquidem in hisce uis sensus primatis onere premitur inutili ac ingestabili, propterea in tam obesa & crassa materia designari aut exprimi formæ rerum non possunt, sed quasi frustrãtur & dissiliunt plagæ. Nec initis modò imaginibus præduri & spissi sensus resistũt, sed si quas ob insignem earum pulsum admiserint hauserint ue, non ita uidentur admittere, ut quum reminiscí uolunt, facile ad imperium subeant, aut recto itinere ad conductum sequantur. Verũ, quia in memoriæ mentionem uolentes incidimus, non inutile fuerit in Peripateticorum sacraria diuertisse parũper, in quibus affatim potentia hæc rationalis animæ ad examen libramq; reuocatur. Ergo in Aristotelis interpretatione Themistius inquit, Præterita modò dilapsaq; iam ad memoriæ thesauros pertinere. Nam extantia sensui subijciuntur: instans uero spem confouet. Semper uero animus, quoties meminisse uult, hoc autem est, ad imagines conuerti eorum, quæ olim perceperit, necessariò adhibet dilapsum tempus. Hinc fit, ut quum aliquis meminit quippiam, dicat, huius se antehac aliquando aut sensum aut intellectum habuisse. Hinc in libro De oraculis quæ defecerãt, Plutarchus, esse diuinationi antistrophon memoriam scribit: dum præterita uelut præsentia, asseruãdo facit: quippe fluunt uniuersa, simul & dilapsa pereunt, ueluti fluctu auferente cuncta. Ipsa uero hæc animæ facultas perinde ac occursans non existentibus iam phantasiam circumponit, ac essentiam. Est igitur memoria non sensus, non imaginatio, non intelligentia, sed alicuius horum habitus aut affectio, quum tempus adiungitur, quo facta impressio est, & derelictum in anima spectrum est. Vnde consequens illud est, Animalibus ijs memoriam adesse, quæ sensum & notitiam temporis habeant. Nec meminisse parte animæ alia, quàm sensuali. Nam qui in præcipitium aliàs abierit asinus, si rursum ei occurset locus, in memoriam reuocabitur statim, se aliàs in ima dilapsum. Eo tamen discerniculo disparantur ab homine bruta, quod non solum se uidisse aut quandoq; audisse, commeminit rationale animal, uerumetiam extantis temporis spatia ab elapso secernit. Brutis uero illud modò suppetit, se nunc corruere, aut olim esse in præceps delata. Rursum homo recordari se, animaduertit: quod brutis adest haudquaquam. Interanimãtes uero memoriæ facultate pollent in primis, quibus expurgatior absolutiorq; imaginatio est, cuiusmodi pernoscuntur apes & columbæ. Obliuioni autem obnoxiæ, quibus uis ea offensior turbulentiorq; est: sicuti usu uenire uermibus liquet, ac muscis. Siquidem in ea parte animi statuenda memoria est, in qua imaginationis potentia uiget. Quoniam uero in sensu principe simulacra rerum insita sunt, princeps autem sensus in

ſus in quibuſdam mollior dilutiorq́ habetur, in quibuſdam rigidior, item alijs in motu eſt, alijs quieſcit, neceſſe eſt, ſimulacra in eo condita eandem conſequi imitariq́ rationem. Hinc illa numeroſo diſcrimine ingeniorum uarietas. Deſultoria & fragilis in paruulo memoria eſt (ut præſtruximus) ex iugi motu. In ijs qui ætate media ſunt, quæ conſtans adultaq́ dicitur, quia ſtatu indecliui temperatoq́ exigunt, firmiſſima & tenacißima eſt. Sicuti uero in profluentem impreſſus ſignatorius anulus imprimit nil obſignatq́, ita illorum memoria conſeruare nil poteſt, qui aut ægritudinis uiolentia, aut ætatis fluxu agitatione raptantur continua. In ijs item memoriæ uis nulla fere, quibus duriuſculi & inflexibiles ſenſus ac corneoli quodãmodo ſint. Qui enim fiat, ut annuli impreſſionem recipiat lapis? Illud uero reticendum haudquaquam, quod in conſolatione comprobat Boethius, & non inficiantur Platonici nonnulli, à ſenſibilibus non imprimi formas in anima, tanquam à ſigillo in cera: uerum ſicut ſunt in anima naturales ſubſtantiæ uires, intellectus, ratio, imaginatio, ſenſus, ita rerum quoque cognoſcendarum rationes habet, quaſi uires eſſentiales. Vbi igitur aliquid meditatur, ſeipſam ex natura ſui uirtute in actum naturalem circa idipſum educit: quod ſi attentius meditatur, & diutius idem, in hoc ipſum ſe ualentius conformat, idq́ eſt meminiſſe, hinc & facilius reminiſcitur. Si formæ (inquit Plotinus) reſiderent, conſideratione ad reminiſcendum nequaquam indigeremus.

Reminiſci quid ſit. Aliud eſſe iterũ diſcere, aliud reminiſci, ex placitis Ariſtotelicis. Et qui in reminiſcendo ſoloœciſmus. Pauca de Platonis reminiſcentia ex Procli doctrina. Animam non eſſe tabellam literis uacuã. IX

REminiſci uero, ex Ariſtotele idem Themiſtius ait, eſt ex aliquo ueſtigio conſeruato & incolumi referre ſe in cognitionẽ eius quod memoria excidiſſe uideatur. Diſparatur uero apud Peripateticos reminiſci, ab eo quod eſt iterũ diſcere. Siquidem qui reminiſcitur, ab ipſo ſe mouetur, & ex principio quodam incolumi & manente eius. At qui addiſcit, ex præceptore mouetur. In reminiſcendo id uſu uenire quandoq́ ſolet, ut quum nominis alicuius meminiſſe uolumus, in affine aliud deerremus. Proinde oberrãtes, ueluti ſoloœciſmum admittimus, ut ſi Leophanis reminiſci ſtudeas, & in Leoſthenem deflexeris, ſoloœciſmus eſt. Ad ea uero quæ alibi adnotata nobis ſunt de Platonis reminiſcentia, attexamus & Procli comprobationem: Diſciplinas, inquit, eſſe reminiſcentias illud confirmat: quod enim reſpondentes ex ſeipſis omnia dicant, maximũ eſt reminiſcentiæ ſignũ. Animas uidelicet rationes ſermonesq́ ex ſeipſis promere, atq́ ſolo ſciſcitante quopiã indigere. Neq́ eſſe tabellas uacuas literarũ, quæ extrinſecus figuras accipiãt. Sunt enim ſemper inſcriptæ, & ſi ipſe ſcriptor eſt intus. Neq́ tamen omnes inſcripta poſſunt legere, uel quod inſcripta ſint, cognoſcere: quippe quum ob geneſicã obliuionẽ oculus earum ſit ſordibus circũfuſus, atq́ ex ipſa obliuione in perturbatiões inciderint. Opus modo eſt auferre quod obſtat appoſitũ, innoteſcetq́ tum demũ uerum eſſe Platonicũ illud, Animam omnia noſſe, ſoloq́ indigere quodam ad reſpondendum extrinſecus incitante.

De Attico Herodis filio memorię nullius. Scipionis apophthegma in Appium, item Themiſtoclis. Cur Muſæ Iouis & Mnemoſynes filiæ. Qui Amnemones in Cnido. Muſa quid ſit, ac unde dicat. Themiſtoclis dictum de memoriæ arte. Muſonia ars. Lethe fons ad Trophonij ſpecu. Item alter Mnemoſynes dictus. Caput X

ITquoniam de memoria ſatis multa non citra delectum congeſſimus, illud minus reticendum opinamur, quod & ipſum in eundem dirigitur ſcopum. Atticum Herodis ſophiſtæ filium præter ingenij hebetudinem ac ſtoliditatem, ita fuiſſe memoria nulla, ut ne elementorum quidem nomina perdiſcere aut retinere unquam potuerit. Cui infortunio ut mederetur pater, quatuor & uiginti pueros coęuos & à literis cognomina ſingulos habentes cum filio ſimul educabat, ut hac ſaltem ratione illi inſiderent. Suppetit in tractatu hoc exemplum item aliud, quanquam diſſimile. Petebat Appius Claudius cenſuram cum Scipione Aphricano, à quo Carthago deleta eſt. Vt uero fauorabilior fieret, memoriam

quoq; oſtentando, nominatim à ſe populum Romanum ſalutari prædicabat, quum is omnes ferè ignoraret. At Scipio illudens: Vera (inquit) narras: ego enim nõ ut multos cognoſcerem, ſed ne ab ullo prorſus ignorarer, ſum adnixus. Illud uelut auctarium adiecero, ad ea quę alibi ſunt enotata nobis, quod Proclus Diadochus in Heſiodicis enarrationibus ſcribit: Muſas ideo tradi Iouis filias & Mnemoſynes, quia ad procinctum in literaria uelut palæſtra tendentem neceſſe ſit, νοητικὴν εἶναι καὶ μνημονικήν, id eſt intelligendi percipiendiq; poteſtate, atq; item retinendi præcipue pollere. Iouem autem contribuere τὸ νοητικόν, at Mnemoſynen τὸ μνημονικόν. Quæ uoces à mneme producuntur, quo uocabulo memoria ſignificatur: unde & Amnemones in Cnido nuncupati, ſexaginta delecti ex optimatibus uiri, uelut epiſcopi, ad quos de maximis rebus referrent. Dicebantur uero Amnemones ἀπὸ τοῦ ἀνυποδύθωσιν, quia in iudicium non uocarentur: aut certe uelut πολυμνήμονες, id eſt memorioſi. Pauci uero ex poetis, quorũ Alcmæon eſt, Muſas Cæli filias & Terræ prodiderũt. Muſam interpretatur Euſtathius, animę cognitionem, quæ diuinum ſit quiddam ſicuti anima item. Id ſenſiſſe Homerus uidetur, quum θεαὶ dixit ἀπὸ τοῦ θεῖν, id eſt cognitionis celeritate. Ab indagine uero dici Muſa uidetur: quippe ex ſapientum ſententia, gnoſtices copiæ mater eſt indagatrix inopia. At Platonicorum ſententia nobilis, Muſarum nomine cæleſtes intelligit cantus. Quo argumento & Camœnas dici quandoq; opinantur. Haſce uero à Ioue proficiſci, quoniam uti eſt apud Plotinum, mundi totius animum frequenter Iouis appellatione nuncupet Platonis ſchola, cui calculum adijciat illud Platonici Maronis,

Principio cælum ac terras camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Inde namq; colligi, ut ab Ioue mundi totius ſpiritu ac mente, quoniam cęleſtes moueat ſphæras, ac regat, muſici cantus Muſarum nomine ſignificati, cooriantur & profluant. Quam rem innuit illud quoq;,

Ab Ioue principium muſæ, Iouis omnia plena.

Quoniam uigeat ubique Iupiter ac impleat omnia, & cælum, citharam uelut quandam (uti eſt ab Alexandro traditum Mileſio) uerſet agitetq;, cæleſtes inde ac harmonicos proliciens cantus, non prætereundum quod ſcribit Diodorus, Alexandrum Macedonem in Perſas bellum moturum Ioui & Muſis ſcænica celebraſſe certamina, quæ inſtituiſſet Archelaus rex, in diem nonum celebritate producta, quod Muſarum ſinguli ſuus foret deſtinatus dies. Adijciamus id quoque, Themiſtocli quum artem memoriæ polliceretur Simonides, ſiue is alius fuerit: Obliuionis (inquit) mallem, nam memini etiam quæ nolo, obliuiſci non poſſum quæ uolo. Muſoniam artem quum audis nuncupari, ad Muſas nil ſcito attinere. Nam Conſtantinus quum limatius ſuperſtitionum ſectas conquireret Manichæorum & ſimilium, nec interpretes inuenirentur idonei, de niq; Muſoniano adhibito, qui erat utriuſque ſermonis facundia clarus, uoti compos, quod perite is functionem obiſſet, Muſoniam inde dici artem uoluit. Verum iam recepti canendum: neq; enim de memoria aut de Muſis propoſita nobis commẽtatio eſt. Illud modo adieciſſe non fuerit uacantis operæ, apud Trophonij ſpecu fuiſſe fontem, qui diceretur Lethe, cuius aquam haurirent deſcenſuri, ut omnium quæ antè uidiſſent, irreperet obliuio: rurſum alter item erat, quem μνημοσυνης, id eſt memoriæ uocabant, ut hauſta inde aqua, omnium recordarentur quæ uiſuri erant. Sed hæc ſunt ὀδοῦ πέρατα, ut eſt apud M. Tullium.

De Scopeliano ſophiſte pleraq; non indigna relatu. Vitam eſſe uigiliam. Tranquilli hiſtoria illuſtratur. Vites in Aſia haberi prohibitas ab imperatore Domitiano. Caput XI

Scopelianum ſophiſten uel præſtantiſſimum, Philoſtratus ſcribit à liuidis quibuſdam & dentis rubiginoſi ac male feriatis hominibus ex eo fuiſſe orſum, quod intemperans foret, καὶ λιθυραμβώδης, hoc eſt dithyrambicum tumorẽ oratione proflaret. Id parum recte ingenio facundiſſimo eſſe

esse inustum, nititur comprobare, & perficit plane quod intendit, ac inter reliqua Scopeliani præsignia nocturnum illius studium summis effert laudibus. Eum siquidem ἀϋπνότατον ἀνθρώπων fuisse commemorat, hoc est inter mortales omnes somni parcissimum. Solitumq; subinde scitum illud proferre, ὦ νὺξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μοῖραν θεῶν. id est, ó nox, tu quidem sapientiæ diuinæ obtines plurimum. Narratur sæpe à uespera in diluculum lucubrationem protulisse, quo nomine scitissimum inde promi adagium potest, ut Scopeliano more dicamus eos libris inuigilare, qui summe lucernarum fuligines hauriunt, & inexplebiliter ac minus iusto ualetudinem cum somno computant. Elegantissimũ est illud Plinij Cęcilij de auunculo: Repeto, inquit, me correptum ab eo quum ambularem: Poteras (inquit) has horas non perdere: nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studijs non impertiretur. Quid illud ex Historiæ naturalis præfatione, Dum ista mussitamus, pluribus horis uiuimus: profecto enim uita uigilia est. Aristoteles uero scientissimè, ut omnia, De animaliũ generatione libro quinto: Somnus, inquit, talis sua natura esse uidetur, ut uiuendi & non uiuendi interliminium sit. Et neque omnino sit, qui dormit, neq; non sit. Viuitur enim potissimum uigilia propter sensum. Et Plato De legibus septimo, καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Nullus, inquit, consopitus indicaturæ cuiuspiam fuerit, non magis quàm qui iam hominem exiuit. Et facetè Plutarchus, Etiam si breuissima sint hominis uitæ spatia, nihilominus sopor præterea, ueluti publicanus, dimidium aufert indidẽ. Hinc natum & Aristotelicum id ex primo De moribus, οὐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου τοὺς εὐδαίμονας τῶν ἄλλων, id est, felices nil admodum à cæteris diuersos fieri uitæ dimidio. Proinde scienter Plinius quoq; in uinolentos ac censoriè declamans: Interea (inquit) ut optime cadat, solem orientem non uident, ac minus diu uiuunt. Et quoniam ad manum uigiliæ sunt, succurrit nunc Senecæ id ex Epistolis prouerbiale, Ad faces & cereos uiuere, de luxu perditis hominibus, uita quorum in contrarium circumagitur, lucifugæ infames, ac lychnobij, quibus res sordida est, trita & uulgari uia uiuere. Qui si nossent satis iacturam temporis, sumptus preciossimi, Theophrastum annos natum octoginta plus minus frequenter ad lachrymas compulisse: nec Theophrastum modo, sed & complures alios, Socraticum illud sæpius succinerent sibi: Abite procul hinc hostes sacrilegi, abite quamprimum animi mei fures, ne à me ipse abire compellar. Siquidem quid esse existimamus aliud, inanes curas, superuacuos ludos, somnum diuturnorem, negocia non necessaria? Certe Aristotelicum est, βίου εἶναι λογικῆ ζωῇ, id est βίου proprie ad naturam spectare rationalem, quum ζωὴ & hominis sit & brutorum, quin plantarum quoq;, sicuti adnotauit Ammonius: proinde si uerbo disparamur, re magis multo seiungi addecet. Sed postliminio redeundum. Proditur memoriæ, Scopelianum in declamationibus, in quibus Darius effingeretur aut Xerxes, tanto impetu ac uehementia solitum dicere, ut ex Polemonis assectatoribus quidam eum ut furentem ac omnino debacchantem scommate urbanius lacessiuerit, τυμπανίζειν illum dicendo. Cui Scopelianus: Tympanizo, inquit, sed Aiacis scuto. Dignum scitu id quoq;, quod Græcorum monumenta præferunt: edixisse quandoq; imperatorem, ne in Asia uites haberentur: quoniam uini ubertate, seditionibus agitari uideretur. Legationem publicam uisa tum res exigere, uirumq; tum prudentia præsignem, tum uero in dicendo minime infantem, sed qui foret uelut Orpheus aliquis aut Thamyris. Igitur omnium suffragijs huic muneri præficitur Scopelianus. Qui tanta eloquentiæ ui atque dexteritate iniunctam obijt prouinciam, ut non solum id consequeretur quod erat caput, ne cui fraudi foret, plantasse uites: sed insuper ut pœna irrogaretur, qui eo munere abstinuisset. quin & ornatus donis honestissimè dicitur ab imperatore. Hæc eo libentius sum exsequutus, quoniam ad ea pertinent quæ Tranquillus memorat in Domitiano, ab eius enarratoribus prætermissa. Ad summam, inquit, uini ubertatem, frumẽti uero inopiam, existimans nimio uinearum studio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret, utq; in prouincijs uineta succiderentur, relicta ubi plurimum dimidia parte: nec exsequi rem perseuerauit. Apollonius uero Tyaneus ex hac historia, eunucham terram esse ab Domitiano factam conquestus est, quod alicubi à me item subnotatum scio. Scopelianum

uero fuiſſe Apollonio ſynchronum, ſiue contemporaneum, multa quidem patefaciũt, ſed Apollonij præcipue adhunc ipſum epiſtolæ, quem ſub Nerua item floruiſſe Græca teſtantur monumenta.

Hominem cenſeri prudentiſſimũ, quia ſit capitis non magni modi. Inibi quæ ſit congrua capitis uel magnitudo uel figura. Cur magnis uiris caput aperire, moribus receptũ ſit. T. Liuij ex primo ab Vrbe condita locus aduerſum uitilitigatores diligẽter explicatur, ex more in ſacris caput uelandi. Hippocratis imago pileata, & laus eiuſdẽ. Bruti ſtatuæ cum pileolo & pugiũculis. Lyſimachi cornua. Periclis caput magnitudine uiſenda. Schinocephalus. Cephalegereta. Carides cur dicantur. Caput XII

QVæſitum ab eruditiſſimis eſt, quid nam cauſæ ſit quod animantium prudentiſſimus homo ſit. Id aliqui capitis paruitati aſſcribendum cenſuerunt: minimum enim id in homine ad reliqui corporis proportionem, & qui ea parte deminuta ſunt, eſſe ferme prudentiores, compertum eſt, quàm qui grandiori, quos μεγαλοκεφάλους uocant Græci, ſicut illos μικροκεφάλους, qui habitu corporis ſunt contrario: ni forte probabilius fiat, quia ſit prudentiſſimus, ideo tale ei contributum caput. Cæterum hac parte illud minime diſſimulandum, prodi monumentis à Galeno medicæ profeſſionis poſt Hippocratem principe, libellis ijs quorũ attitulatio eſt μικροτέχνη, hoc eſt parua ars. Caput paruum eſſe indicium proprium male conformati cerebri. Quo in loco enarrator Hali Rhodoan cauſam quoq; aſſcribit conſtrictionem coarctationemq; uentrium cerebri, ex qua ſpiritus animalis libere minus ualeat expatiari, addita quoq; eorum imbecillitate, quæ inde producuntur. Etenim ſi exigua ſit radix, uix inde prodire aliquid magnum poteſt. Proinde inter diſſidẽtes eminentiſſimorum ſententias, ita ſtatuendum uidetur: caput paruum ab Ariſtotele laudari, quod oſſium & ambeuntis carnis aut cutis mole non extuberet, quod genus ferè in brutis uiſimus, quæ propterea capitis quoq; ſunt demiſſi. Quod ſignificat Ariſtoteles De partibus quarto: Solus, inquit, homo animalium omnium erectus eſt, quoniam eius natura atq; ſubſtantia diuina eſt. Officium autem diuini eſt, intelligere atq; ſapere quod nõ facile foret, ſi uaſta corporis moles aſſideret. Pondus enim tardiorem reddit & mẽtem & ſenſum communem. Quamobrem concretione ac pondere grauiore opprimente, corpora uergere in terram neceſſe eſt. Et mox: Quare, inquit, bruta hominibus ſunt demẽtiora: etenim inter homines pueri uiris, & inter uiros pumiliones mente deficiunt. Cuius rei cauſa, quod principium animi admodum difficile motu, corpulẽtumq; in ijs eſt. Caput uero quod intus exigue capax ſit, cerebrũ oblædit, ac proinde uituperabile cenſetur, deq; eo Galenum intellexiſſe, euidens comprobat ratio. Accedit & Ioannis Alexandrini in Hippocratis epidemias commentatio, in qua ita legimus, Caput paruum ſemper malum eſſe, ſicuti & paruum pectus. Hoc enim ideo malum, quia pulmonis do micilium eſt ac cordis, quæ membra latius exigunt ſpatium. Occluſum enim anguſtijs cor minus motatur, indeq; præfocatur naturalis calor ac debilitatur: unde indigeſtio conſequitur & ſuperfluitatum accumulatio. Capitis uero laxior requiritur capacitas, quia multarum eſt uirtutum conceptaculum, ſenſiuarum uidelicet quæ præcipuę ſunt, & motum preſtantium. Si enim amplum fuerit cerebrum ad capitis proportionem, manifeſtum eſt, calorem naturalem bene agere, magnis quoq; ſphõdylibus, magnis item pectoris oſſibus, quæ obliquè à ſphondylibus exoriuntur. Hinc uitalium uirtutũ optima prouenit conſtitutio, & mox corporis totius connutricatio peraccommoda. Porrò primo Canonis Auicenna, Orbiculari figura eſſe tornatum caput uideri uult, tum capacitatis ratione, tum ut nocumentis minus occurſet. Eſſe tamen quadamtenus oblongum, quoniam neruorum ex cerebro propagines per longitudinem conſtituantur. Extumeſcere item uerticibus geminis, ut illis ueluti ſupercilijs prominentibus preſentius ſuppetat neruis tutamẽ. Sed & Galenus eam capitis eſſe ſtatuit figuram optimam, quæ orbicularis ſit, ac ex parte utraq; preſſa leniter: & rotunda quidem, quoniam ea figurarum ſola capaciſſima eſt, aut quia ex cælo infuſa nobis eſt rationalis anima. Scribunt Platonici, deos capitis figuram ad mundanę rotundationis ſimilitudinem compegiſſe. In

In eoq́ duos illos animæ diuinos circuitus interlocasse. Ac esse membrum corporis diuinissimum, & reliquorum facile princeps. Cui totum corpus connexum diis subesse ac parere iusserint. In Platonis Timæo id obseruatum certe est: caput quoque dici non principale solum, sed etiam totum in corpore. Reliqua enim solum, ut capiti seruiant, adiuncta esse. Proinde colligunt periti, hominem contemplationis gratia esse natum. Qua forte sententia in ueteri etiam disciplina inoleuit, ut uirtute aliqua uel nobilitate aut dignitatis amplitudine conspicuis uiris aperire caput, consensu gentium comprobetur. Quãquam eius rei rationes alias Plutarcho Plinioq́ placuisse non ignoro: quod alibi quoq́ adnotauimus. Certe diuinissimo in nobis membro diuinitus enitescentem in aliquo præstantiam reuerenter & religiosa quadam obseruãtia excipere, congruentissimum fuisse arbitror: quando non corporea, non fluxa & instabili nostri parte cæleste donum honore prosequimur, sed mente, quæ (ut Lactantius scribit, ac prius docuerat Plato) in summo capite collocata tanquam in arce, sublimis speculatur omnia, & contuetur. In sacris contrà, uelatur caput, quod Virgilius scribit, ac in Quæstionibus est ab Plutarcho expositum. At qui Saturno rem diuinam obibant, capita retegebant, dicebanturq́ lucem facere. Hac uero parte T. Liuio succurrendum, ab Vrbe condita libro primo: quem quum Mediolani publicè Gallorum regis Francisci stipendio ascitus profiterer, irruerunt in me nescio qui male feriati, quod sic legissem, Augur ad leuam, eius capite uelato sedem cœpit. Vti Numæ caput obtectum intelligatur, non auguris: quod illi adstruebant, quoniam infrà dicat Liuius, Actij erectam statuam capite conuelato: & ad hoc ipsum nonnihil libro decimo. Sed rudes homines retundit in Numa Plutarchus, ex quo paucula hæc excripsimus, γνῶθι τῶν μάντεων ὁ πρωτόνων, τὸν μὲν εἰς μετεμβείαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παρασὰς κατηύξατο. Illud uero est haud ita dissitum, apud Macedonas censeri λωρεὰν βασιλικωτάτην, Causias cuipiam dedisse purpureas & chlamydes. Pilei denicq́ umbraculo Hippocratis imagines contegebantur, ut significaretur quammaxime custodiendam partem illam, in qua tanquam domicilio princeps animus residet, & intelligendi pontificium positum est. Etiam si nobilitatis id haberi argumentum nonnulli ex Græcis interpretantur. Et præterea omnium nobis bonorum fuisse auctorem Hippocratem, scribit ad Glauconem Galenus. Idem in libro De crisibus non desinit Hippocratem amplius honestare, admirabilem appellando. Hic uero Hippocrates est, qui discipulos adiurat suos ante quàm doceat, et in uerba sua iurare compellit, ac silentium sacramento extorquet, sermonẽ, incessum, habitum quoque præscribens. Marci Bruti statuis pileolus addebatur cum pugiunculis duobus, restitutæ libertatis argumento ipsius maxime opera & Cassii. Id quod decentius multo est, quàm Lysimachi cornua, qui proripientem se ab aris taurum repressit. Ex capitis mensu parum congruo, ac longiore Periclem cognominatum accepimus Atticis poetis Schinocephalum: namq́ scillam interdum schinon appellant. Cratinus uero etiam λεφαλιγερέτην ab diis uocatum comminiscitur, ut qui nimio plus in caput extumuisset. Alibi de eodem ita pronunciatum aduertimus, ἐκ κεφαλῆς ἐνδεκαπλόου βόρυβον πολὺν ἐξαντλεῖ. Vtiq́ hoc nomine turpitudini tegendæ artificum ingenio imaginibus addebatur galea. Caridas inter pisces ita nominari credunt, quia cara, id est caput totum occupet ferè.

Cur capite deminuti ferè impetuosi sint. Cephale unde corriuetur. Cepus quid, & unde. Aram potentiarum animę esse in capite, quod & Olympus dicitur, & Trito. De Tritogenia pluscula. Virgilij locus de Olympo omnipotente. Vranos pro capite. Tripsis. Diatrimma. Triton. Nili nomina.

Caput XIII

AD ea uero quæ hactenus de capitis modulata ratione diximus, uehementer faciunt & quæ in librum De sensu & sensili ad hunc ferè modum prodidit beatus Thomas: Caput, inquit, ac cor situ opposita sibi inuicẽ sunt, ut cerebri frigiditate huius contemperetur calor. Inde uero fit, ut paruo capite homines iuxta morborum aliorum proportionem impetuosi sint ac uiolenti, quippe cordis calore non satis per cerebrum reflexo. At in dispositione di-

uerſa, affectio item prouenit contraria. Capitis paruitas, inquit Medicinæ primo Paulus Aegineta, prauæ cerebri conſtitutionis peculiare indicium eſt. Magnitudo autem non utique neceſſario bona. Nam ſi cæli regionis ſ̃ ampliore ui, materiam probam affatim artifici ingenio ſuggerentis id obueniat, indicium utique bonum. At ſi ſola materiæ copia, οὐκ ἀγαθὸν. Sed enim quia ſatis ſuperq̃ philoſophiæ ſacrarijs caput inſeruimus, clathris nil admodum officientibus, mutuemur & à grammaticis aliquid, quæ noſtra ipſorum harena eſt. Scribit Oppiani interpres cephalen, id eſt caput, dici παρὰ τὸ καλύφεσθαι, quod areſcere ſignat: quia inaruerit pars ea, ut quæ oſſea plurimum ſit. Apollodorus uerbi etymon rimatur, ut à καλύπτω profluat, quod eſt operio: quoniam ſit cerebri integumentum, ueluti καλύφη τις οὖσα. Alij uero quod inibi κεῖται τὸ φῶς, quaſi κεφάλη, de luminũ uidelicet interlocatione. Aut à λάπτω, quod indicat nobis ſpiro, quia ſit difflationis locus. Vnde & domi qui perflatum haberet locum, uocabant cepum, id eſt κῆπον. At id eruditius multo, quod ex Ioannis grammatici commentario in Heſiodum obſeruauimus ſuper eo uerſu,

οὐδ' ἀθανάτους θρασπόλεμον ἄθελον.

Neque, inquit, animales potentias & affectiones colere uolebant, puta κρατεῖν θυμοῦ, id eſt iram comprimere ac remollire. Et mox: Ara, inquit, horum deorum, id eſt animalium potentiarum eſt in capite locus, ubi rationalis reſidet facultas. Nam & Euripides inquit,

οὐκ ἔστι πειθοῦς ἕδρανον ἄλλο, πλὴν λόγου,
Καὶ βωμὸς αὐτῆς ἐν φρεσὶν ἀνθρώπων φύσει.

Suadelæ ſacellum non eſt aliud, præter orationem: ipſius autem ara eſt in hominis natura. Idem quoque interpres alibi: Olympus cælum eſt & uniuerſus mundi ambitus, quod undique colluceat: ſed & cæli quadam ſimilitudine ſphæroides hominis caput, in quo eſt τὸ ὁλολαμπὲς λογιστικὸν, id eſt hinc inde eniteſcens rationis facultas, Olympus dicitur. Sed & in primum Iliados Euſtathius οὐρανὸν apud Homerum ab antiquis pro capite accipi ſcribit, proinde Pallada è cælo fingi deſcendiſſe, quæ amplius intumeſcentem Achillis iram comprimeret. Minerua autem, inquit, eſt ἡ παρ' αὐτῷ ἀγχίνοια. Tritogeniam Democritus allegorice prudentiam interpretatur, ut ſcribit idem Euſtathius, dictam ſic, quod ab ea oriantur tria, bene cogitare, bene dicere quæ ſis meditatus, demumq̃ bene perſequi cogitata dictaq̃: quæ eſſe actionum genera tria, in noſtris literis Varro docuit: tametſi mentis agitatum nõ putat actionem uulgus. Et quia de Olympo facta mentio eſt, ſcribit Cęcilius Minutianus Apuleius Olympum etiam dici Iouẽ: unde Næuius,

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Ex quo Virgilius, omnipotentis Olympi: quod ſi eſt, falluntur qui legendum arbitrantur omnipatentis Olympi. Nam & Ennius ait,

Deceſſit Olympius antro.

Auctor quinetiam Diodorus eſt, Iouem eſſe Olympium cognominatum ab Olympo præfecto, abs quo ingenij cultum acceperit. Sed & deos, qui opem aduerſus Gigantas tuliſſent, Olympios appellari uoluit, necnon Dionyſium Herculemq̃. Auctor Liuius eſt, Olympium eſſe templi Iouis prope Syracuſas nomen. Illud uero in Græcorũ commentarijs extritum, & in Heſiodi Aſpide ab interprete relatum: Caput ab Aeolibus dici τεῖτλον, unde Tritogenia Pallas, ut uolunt aliqui, quod ex Iouis capite ſit nata. Verum & in ea re mira eſt opinionum diuerſitas. Nam ſunt qui tertia menſis die coniectẽt natam, & inde Athenienſibus is dies ſacer deę creditur. Et Pallas nuncupatur, uel quia eadem eſt quæ luna, quæ ab coitu tertia die uiſitationem facit: aut quoniam ſit aer, qui dicitur τρίτον, id eſt tertius. Additur & id, quia τρεῖν, id eſt compaueſcere hoſtes faciat, quum ſit ipſa prudentia. Vel quia nobis tria gratificetur, βουλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς, πρᾶξειν δικαίως, id eſt bene cõſulere, recte iudicare, bene facere: id quod antea paulo adſtruximus. Sed lepidum inde prouerbium non reticebo, quo filius optatur Tritogenes, nequaquam uero Tritogenia, quoniam ſint puellæ πολυσλάπανοι, id eſt impenſæ multæ. Sic uero ſonat Græce, πῶς μοι τριτογμὴς εἴη, μὴ τριτογήσια. Tripſin autem, id

id eſt, τρῖψιν nuncupant Græci, quam frictionem nos: at μηρῶν διατείμασιν femorum intertrigines intelligunt. Triton uero Neptuni filius eſt, ac Amphitrites, cuius ea uiſebatur forma, uti ſuperna umbilico tenus hominẽ præferrent, inferna autem ad uræum Delphinem, uti foret plane Ichthiocentaurus. At Neptunũ quoq; Tritona in Alexandra nuncupauit Lycophron. Sed & Nilum, quod tribus olim inſignitus ſit nominibus. Siquidem dictus primo eſt Oceanus, mox ab curſus celeritate Aetos, id eſt aquila, poſtremo Aegyptus. Nili uero appellatio recentior de limi nouitate.

Super Lydorum inuentis & mollicie adnotata paucula. De Lydio ornatu, & maſturbatione. Aleæ & teſſerarũ ac pilæ luſus inuẽtores, necnõ aurei argenteiq; nummi. De caryce & candaulo cibis. Eunuchas fœminas quis fecerit primus. Agneon locus, ſeu dulce certamẽ. Omphale. Item pilæ inuentores. Phennis unde. Caput XIIII

LYdos omnium primos caupones inſtitoresq; extitiſſe, aliquot ex Græcis memoriæ commendarunt, necnon aleæ luſum & teſſerarum excogitaſſe: item pilæ, & id genus alia plura. Quo argumento ludi à Lydis uideri poſſunt appellati. Sed & aureum quoq; argenteumq; nummum principes feriendum curaſſe. Sunt qui ſcribant, Cyrũ Lydis ſuperatis ademiſſe arma, & talares geſtare ueſtes iuſſiſſe, quo nomine remollitos cauponariã factitare cœpiſſe. Lydium certe ornatum pro molli & parum uirili in Iconibus accipit Philoſtratus illis uerbis de Pelope, ἐσκλᾶται δὲ ὁ μὲν τὸν λύδιόν τε καὶ ἁβρὸν τρόπον. Lydorum porrò illud etiamnum peculiare, meridianis horis turpiter manibus indicere Thalaſſionem, ut fierent ſine fœmina mariti: unde & Lydum uolſum legimus à Plauto dici. Super qua re aliubi aduocata nobis plura. Lydos improbitatis primas retuliſſe, adnotatũ à Græcis eſt, Aegyptijs gradu ſecundo conſtitutis, Caribus autem tertio. Legimus item Lydam gentem uel cum primis auguriorum, omninoq; diuinationum ſuperſtitionibus fuiſſe mancipatã. Deformat prouinciam eandem M. Tullius pro Flacco, Quid porrò, inquit, in Græco ſermone tam tritum atq; celebratum eſt, quàm ſi quis deſpicatui ducitur, ut Myſorum ultimus eſſe dicatur? Nam quid de Lydia dicam? Quis unquam Græcus comœdiam ſcripſit, in qua ſeruus primarum partium non Lydus eſſet? Quod de aleæ luſu diximus, ſciendum ab Euſtathio proditum, λυβέαν, id eſt cuborum uſum, & πεττέαν, id eſt peſſorum, à Palamede fuiſſe excogitatum apud Troiam, etiam ſi ad Aegyptios id referunt quidam. Quamuis apud illos non tam παικτική, id eſt luſoria foret ratio hæc, quàm philoſophica, & ex intymis eruta doctrinæ conceptaculis. Eius formam & modum proſequitur libro primo Athenæus. Nam & apud Homerum luſu hoc genus oblectantur proci, præterq; coniugij Penelopes omen captant. Amplius de Lydis compertũ nobis, Andramyten gentis eius regem omnium primum fœminas εὐνουχίσαι, id eſt eunuchas feciſſe, eisq; eunuchorum uice uſum, quod in ſecundo rerum Lydiarum prodit Xanthus. Lydorũ deniq; emollita improbitas illuc progreſſa fertur, ut alienas uxores uirginesq; in locum producentes, quem à re Agneona uocarunt, omnes conſtuprarent. Vnde tyrannidem aſſequuta Omphale, ſtupratarum una, illatas ulciſcẽs iniurias, ſeruis dominas proſtituit in loco eodem, quem, rei atrocitatem mollientes, Lydi γυναικῶν uocant ἀγῶνα, id eſt mulierum certamen, & γλυκὺ ἀγῶνα, id eſt iucundam & dulcem luctam. Carycem, ganeatum cibum excogitarunt hi, de quo multa qui opſartyca ſcripſerunt. Alterum item genus candaulum dicebãt, ex elixa carne ac pane caſeoq; Phrygio cum anetho & pingui iure. Quod de pila diximus, ſciendum porrò eius inuentionem Nauſicaæ contribui ab Agallide corcyrea grammatica, in Sicyonios id referente Dicæarcho, alijs uero in Lacedæmonios, quibus & gymnaſia aſſcribuntur primis. Harpaſtum, ſeu Phennida comperit Phæneſtius, quod retulit luba: ab miſſione, id eſt ἐκ τῆς ἀφέσεως nuncupari Phennida, opinantur. Sphæricam dicunt Græci pilæ luſum. Ariſtonico Caryſtio Alexandri ſphæriſtę ſtatuam ob ludendi artificem modum Athenienſes erexiſſe, proditum monumentis eſt. Apud Homerum non uiri modo, ſed & mulieres pila oblectantur.

Quàm latè pateat animæ rationalis imperium in corpus. Vnde ſit grauidarum mollicies, & appetitus abſurditas. Imaginationis potentia in generando. Ouium hiſtoria fœtus producentium albos inſpectis coloris eius uirgis. Caput XV

IN hac Lydorum mentione ſuccurrit, quod auctor Herodotus prodit, pluresq; præterea ex eiſdem haurientes fontibus, Crœſi filium naturali impedimento mutum, repente uiſo patris periculo uocalem euaſiſſe, atque exclamaſſe, homo ne perimas Crœſum. Quin & in reliquum quoq; tempus fuiſſe uocis compotem articulatæ. Id multis ſcio uiſum iri præter hiſtoricam fidem, ac ex Græca prolatum uanitate. Verum conſideranti mihi rationalis animæ uim poteſtatemq; in terrenum hoc hebesq; corpus, nil profecto uideri incredibile debet. Nam inde certior eſt eruditiſſimorum coniectatio, animam eſſe formam excellentiſſimam ac ſubſiſtentem per ſe, nec peregrino adminiculo, ac uelut ſubſtrato indigentem. Quoniam manifeſtum ſit, tam præſigni in corpus imperio non pollere formam, quæ per corpus exiſtat. Quàm uero procliue humanum corpus deprehendatur ad animæ obſequia, inde modo coniectari poteſt, quod cæteris collatum terrenæ fecu lentiæ modum contineat non magnum, & eum quidem prætenuem, defecatiorum au tem elementorum partem uberiorem, ut pro cæleſtis animæ præſtantia cõceptaculum item compingeretur, quantum ratio patitur æque præſtans. Argumento eſt, uiros ingenio præſignes ſæpius eſſe molliculos carne, præmacros, & ualetudine nonnunquam parum ſequunda. Hinc Platonis illud ex Timæo: Potuerat, inquit, deus tam ſolidum corpus hominis concinnare, ut nocumento forinſecus occurſanti minus foret obnoxium. Sed mollius efficere præoptauit, quo eſſet contemplationi paratius. Adnectit porrò, animi præpotentis motiones proprium corpus quandoq; reſoluere ac diſſoluere. Sed cur item ex animantibus cunctis homini tantum riſus eſt datus? datæ ſimiliter & lachrymæ? nempe ex poteſtate quam in corpus habet anima. Sed age, affectus qui phantaſiam conſequuntur, diſpiciamus: ſunt uero hi quatuor numero, appetitus, uoluptas, metus, dolor. Qui ubi uehementius ſe intenderint, non corpus modo exagitant proprium, ſed & peregrinum afficiunt nonnunquam. An non liquet, quàm ardentes euibratosq; motus, irarum æſtus concitent in corde? quo titillatu iecur libido permulceat, immo uero & pulſum afficiat emutetq;? Nam ex uibratiore eius aſſultu medicæ profeſſionis ſolertiſſimus Eraſiſtratus Antiochi in nouercam Stratonicen amorem deprehendit. Vnde apud Galenum agitata quæſtio eſt, ſit ne pulſus aliquis eroticus. Rurſum & maleficorum ex nocendi auiditate oculus fixis obtutibus nónne præmolles faſcinare infantes creditur? Quid uero prægnantium deſiderijs apertius? quis ſæpe in utero geſtatorum commaculatur caro, inuriturq; tenellis expetitæ rei nota. Eius tamen euentus, ſimul & faſtidientis ſtomachi ratio ſic à phyſiologis reddi ſolet: quod conceptu inito, & proinde menſibus repreſſis, ſanioſus ſanguis intra uenas cohibitus, & ad ſtomachi uillos redundans ac hepar, nauſeam concinnat, & cibi faſtidium, abſurdarumq; appetentiam rerum. Nec prius naturalis reſtituitur appetitus, quàm ſanguis eius modi in ubera copioſius cœperit corriuari, ſtomacho liberato. Quid, nónne in uſu Venereo cogitatio utriuslibet animo tranſuolans effingere ſimilitudinem exiſtimatur? Quæ ratio (ut Plinius inquit) plures in homine quàm in cæteris animantibus diuerſitates producit: quoniam uelocitas cogitationum, animiq; celeritas, & ingenij uarietas, multiformes imprimit notas, quum cæteris animalibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus ſingulisq; in ſuo cuique genere. Produnt tamen nonnulli, & in animalibus alba naſci, ex genitoribus alba imaginantibus. Sicuti relatũ de pauonibus eſt. Marcus uero Tullius Thuſculanarum primo: Similitudo, inquit, magis apparet in beſtijs, quarum animi ſunt rationis expertes. Ab Hebræo uiro Iacob in canalibus, quo poturæ ducebantur oues, uirgas diſcolores fuiſſe diſiectas, ut inibi initis ouibus, euariantis lanitij producerentur fœtus, alibi commonuimus. Sed ipſum id in equarum quoque gregibus factitatum legimus in Hiſpania. Hanc uero eſſe naturæ uim, comprobat uel Fabius in controuerſia, in qua de matrona agebatur, quæ Aethiopem peperiſſet. Quin ab

ab Hippocrate proditum, liberatam à se quæ adulterij suspicione mox supplicium subi tura uidebatur, quod pulcherrimum ædidisset filium, ac inde parentibus absimilẽ, cum monuisset inspectandum, ecquid artis pictoriæ in cubiculo modi eius foret: quo comperto, ambagiosa soluta quæstio est. Taceo & quosdam gulæ uentricq; mancipatos ita sæpenumero ganeata quædam cibaria concipere animo, ita iamiam deglutire, ut saliuam suam consimili sapore inficiant. Quàm uarij lætitiã consequuntur euentus? quàm multos ita exspirasse legimus? Sed & nonnullos leuatos item morbo. Quantum uero efficiat dolor, quem fallit? Iam pueris, quandoque & adultioribus potione amara nec dum ori admota, linguæ tamen humor infici amaritudine præsentitur, quam rem uehe mens efficit imaginatio. Qua ratione nonnullis & aspectu aliquo & auditu stupẽt den tes. Quin & sanguinem humanum si spectent effusum aliqui, spiritu intercepto, nimio miserationis affectu sæpe collabuntur. At timor quàm efficax quandoq; animaduerti tur? Ex prælatis despicientes speculis ita nonnunquam caligine offendimur, ita defici unt uires, ut metu exsuperante corruamus præcipites. Timore subito non trepidat mo do cor & subsultat, uerum & arrigũtur comæ, ac intercipitur uox, sæpe uero & uita aut affectiones consequuntur tum graues, tum diuturnæ. Sed & usu uenire compertum, ut timore prẽsigni etiamnum morbi discutiantur, cuiusmodi singultus & quartana febris. Quod si formidini uehementissimæ uehementior accesserit auiditas, mirus sæpe pro mitur inde effectus, quod in Crœsi filio patuit iam. Plura ex ratione physica congeri in unum poterãt. Sed nos hæc ex occursu, & succisiua quodammodo opera mussitamus: proinde in nostram reflectemur denicq; harenam, idem mox argumentũ repetituri, hoc est ex ijsdem hausuri fontibus, unde rigemur satis.

Exempla historica ad idipsum. Caput XVI

THistoria uero promi aliqua ualent, quibus inenarrabilis, nec sine stupo re uis animæ in corpora quædam ubertim explicatur. Nam ut præteream quod Auicenna scribit, fuisse quendam, qui quum uellet corpus suum paralysi oblædebat, nec à noxijs feriebatur animalibus, nisi quum ea ipse co geret, quæ tamen mox, ut sic demum impleatur admiratio, intermoreren tur: Scribit Aurelius Augustinus, fuisse quosdam, qui aures pro arbitrio mouerent uel singulas, uel ambas simul. Item qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli oc cupant, deponerent ad frontem, reuocarentq; quum uellent. Illud uero admirationem fere excedit omnem: quosdam repertos, qui eorum quæ deglutissent incredibiliter plu rima & uaria paulatim contrectatis præcordijs, tanquam de sacculo quod placuisset, integerrimum proferrent. Iam nec illud abditum: nonnullos uoces auium pecorumq; & aliorum quorumlibet hominum sic imitari atq; exprimere, ut nisi uideantur, discerni omnino nõ possint. Nonnulli ab imo sine pudore ullo ita numerosos pro arbitrio so nitus ædunt, ut ex illa etiam parte cantare uideantur. Idem Augustinus expertum se re fert, quendam solitum sudare ubi uellet. Notum etiam est, aliquos flere quum uolunt, ac ubertim etiam lachrymas profundere. Narratur præterea presbyteri cuiusdam Re stituti nomine, stupenda naturæ uis. Is ubi collibuisset (rogabatur autem frequenter ut faceret) se auferebat à sensibus, & iacebat similis mortuo, ut non solum uellicantes atq; pungẽtes minime sentiret, sed etiam si igne amburetur admoto, sine ullo doloris sen su, nisi ex uulnere postmodum perseueraret. Non obnitendo autem, sed non sentiendo immotum seruasse corpus, eo probabatur argumẽto, quod uelut in defuncto nullus in ueniebatur anhelitus. Hominum tantum uoces, si clarius loquerẽtur, tanquam ex lon ginquo, se postea audisse referebat.

Quid sit imaginatio, siue phantasia. An cum opinione coniũgatur. Prius, cur imaginatio uisum dicatur uel uisio aut phantasia. Catalepticus qui, & euphantasiotos. Caput XVII

SEd enim quia de phantasia paulo ante facta nobis mentio est, ac nesciũt pleriq; quid phantasia sit, breuibus afferam quid in Peripateticorum disciplina super ea re contineatur: sicuti in Themistij paraphrasi tertia De anima ob seruauimus, ubi sic ferè adnotatum legitur. Nam & hic nostra hæc, cuiuscunq;

cunque ſint modi, ἐφολκίδα plerunq́, id eſt inſtruit apparatq́ uberi (ut ſic dicam) uiatico. Imaginatio eſt motus animæ, quem ſenſus in actu poſitus creat. Cæterum, quoniam uiſus ſenſuum omnium acerrimus præſtantiſſimusq́ eſt, inde imaginatio uiſi, & uiſionis nomen accepit: & phantaſia dicta ex argumento lucis, ſine qua cerni & uideri non poteſt. Animalium quoq́ uita actiones q́, magna ex parte uiſis reguntur. Propterea quod in ijs imagines diu hæſitant, & ſimillimæ perpetuis ſenſibus ſunt. In hoc tamen diſtinctio illa ſuccedit, quod alia uiſis ducuntur, quia uim nullam ſuperiorem hac habent, ut bruta. Alia, quod plerunque accidit, ut nobiliorem potentiam aut morbus intercipiat, aut ſomnus impediat, neceſſe eſt imaginationem ſequantur, ut homines. Plato ſenſiſſe uidetur, imaginationem nihil aliud eſſe, quàm ſentire aliquid, & illud ita opinari eſſe, ut ſentiatur. Ariſtotelem ſequuti, imaginationem cum opinione nõ ſemper coniungi, demonſtrant: quoniam ſit imaginatio quaſi quædam impreſſio & ueſtigium ſenſus, non complexio opinionis & ſenſus. Nam remos ſi mergas, uidentur infracti, primumq́ id ſenſus iudicat, deinde imaginatio ſequitur. Sed opinio, quæ uiſis obſiſtit, utrumq́ coarguit. Catalepticum uocant Græci, id eſt καταληπτικόν, qui conceptas animo ſpecies cõtinet, ac exhibet mox uel pictura uel ſculptoris artificio. At qui omnium imagines concipit ingenioſe, ὑφαντασιωτὸς nuncupatur.

Ventorum finalis ratio quæ ſit, deq́ eorundẽ materiali cauſa. Flatum à uento diſtare. Aeoli pilæ quid ſint. Aera pro pila. Empedoclẽ dictũ fuiſſe Colyſaneman. Aſininæ pellis propriũ. Aeolus cur uentorũ rex. Cap. XVIII

INter alia quæ ingenio ſingulari, doctrina nequaquam extrita uel plebeia, prompſit in literas auctor Seneca, illud inſigniter obſeruandũ ingerit ſe modo de uẽtorum ratione, quod & apponam, ſed ipſius maxime uerbis ob elegantię concinnitatem & ſententiarum iucundam grauitatem. Ergo uentos, inquit, dedit ſummus ille rerum artifex ad cuſtodiendam cæli terrarumq́ temperiem, ad euocandas ſupprimendasq́ aquas, ad alendos ſatorum atq́ arborum fructus. Quos ad maturitatem cum alijs cauſis adducit iſta iactatio, in ſumma cibum attrahens, & ne torpeant permouens. Dati quoque uenti ad ulteriora pernoſcenda, quippe fuiſſet imperitum animal, & ſine magna experiẽtia rerum homo, ſi circumſcriberetur natalis ſoli fine. Dedit item uentos parens deus, ut commoda cuiuſq́ regionis fierẽt communia, non ut legiones equitesq́ geſtarent, nec ut pernicioſa gentium arma tranſueherẽt. Hactenus de uentorum cauſis finem complectentibus ex Seneca. Cæterum quum ſit exhalatio duplex, ut Ariſtotelica nos placita commonent, nec omiſit Albertus: una quidem uapida & humida, altera uero fumida & arida, earum neutra ſine altera inuenitur, at ſimul ambæ: uerum à dominante atque exſuperante altero totum appellatur. Quæ itaq́ plus humidi habet exhalatio, ea pluuiæ aquæ principium eſt: quæ autem plus aridi, principium creditur & cauſa materiaq́ uentorum reliquorumq́ flatuum. Proinde ita finit Albertus, Ventum eſſe uaporem terrenum, aeris ſuperiora tranſcendentem, et aerem ipſum fortius percutiendo impellentem. Porrò ſicuti non omnis utcunque fluat aqua fluuius dicitur, ſed quæ fluendi principium fontem habet: ita nec flatus quidem omnis uentus nominatur, ſed ſui fluxus tanquam fontem habens principium. Nam ex terra ſuſpirationes flatus quidem ſunt, quoniam flant, nec tamen uenti ſunt dicendi. Auctor idem Albertus eſt, Ventum omnem fieri ex uapore frigido & ſicco: auſtrum uero eſſe calidum, non exhalationis natura, ſed loci. Sunt qui uentorum materiam eſſe opinentur calidam exhalationem aridamq́. Nec tamen uideri calidos uentos, quod aerem moueant, qui multo & frigido uapore offertus agnoſcitur. Ita namque è corpore prorumpens flatus prope os, calidus: quum longius abierit, frigidus ob eandem euadit cauſam. Omnis utique exhalatio tam arida quàm humida, ob inteſtinum calorem euaporat, ac ſuperna petit. Sunt utique qui uentum eſſe finiãt, aeris fluentem undam, cum incerta motus redundantia. Naſci uero quum humorem offendat feruor, cuius impetus uim exprimat ſpiritus flantis. Argumento eſſe Aeoli pilas æneas, cauas, quibus inſit punctum anguſtiſſimum, quo aqua infundatur: hæ uero admotæ igni, prius quàm incaleſcant, ſpiritum concipiunt nullum: at ubi feruere cœperint, mox euidens proſilit flatus

flatus. Illud obiter adnotasse nil puto officiet: æram apud Callimachum pro pila item capi & globo. Sed ad rem. Addunt ijdem & uentorum proprietatem miram in Lesbo ferè apud Mitylenem obseruatam: ubi Austro flante ægrotant homines, at Coro tussiunt, à Septentrione in integrum facile restituuntur. Verum frigore urgente, in angiportis plateis ue consistere nequeunt: quoniam parum prudenter ab architectis positum sit oppidum, magnificè aliàs exstructum. In quod uitium ne dilabi inter ædificandum Athenienses possent, Andronici cura octogonos excitata turris est marmorea, collocata in lateribus singulis uenti imagine contra suum cuiusque flatum. In turris demum uertice metalis præsto erat prominentia, superincumbente Tritone æneo, dextra uirgam intendente, quæ flantis uenti imaginem indicaret. Nam ita libratus stabat Triton, ut circumagentẽ perpetuo spectaret uentum. Cælestium rerum scientia imbuti, stellarum potestate contingere ista contendunt. Euocari siquidem protollíq; uentos ab Oriente Solis ui, Iouia autem potentia à Septentrione, Lunari ab Occasu, Martia à Meridie. Sed & signa uentos prolicere: sicuti triangulum igneum orientales, triangulum terrestre meridionales, aereum triangulum occiduos, triangulum aqueum septentrionales uentos. Quin & ratione ea de elementis triangulorum nomenclaturam esse enatam in signifero. Ex eisdem scholis est, Libram dici uentorum signum, quod sole in ea constituto, ubertim meridionali uento suppeditetur exhalationum materia. Notissima quoq; quantũ ad hoc attinet, Aristotelis sentẽtia ex Meteororũ secundo, ὁ δὲ ἥλιος καὶ πώει, καὶ στωμύλλει τὰ πνεύματα. quod est, Sedat sol & cõcitat flatus. Tenues enim ac debiles exhalationes ui redundantis caloris reprimit atq; tabefacit. Verum in libro quem de uentis cõcinnauit, plura de ijs Theophrastus. Equidem cunctanter apponendum quod sequitur: uerum tam prodendum nobis, quàm proditum ueteribus est. Legimus Empedoclem quandoq; nuncupatũ Colysaneman, id est κολυσανέμαν, quæ uox eum indicat qui uenti inhibet flatum: nam quum Agrigentini uento infestarentur uehementiore, illum auertisse Empedocles dicitur, circumpositis urbi pellibus asinorum innumeris. Sed enim quia poetica tradit fabulositas, uentorum esse regem Aeolum, quid in ueterum Græcorum libris ad id compertum mihi attexere non grauabor, ac illud primum, Aeoli nomine annum intelligi oportere, menstruis temporum periodis duodecim peruinctum, cui ab uarietate mira conciliatum nomen: neque enim μονοειδῆ consurgit φύσει, nunc gelicidijs horridior, nunc uerna mitescens iucunditate, æstiuis nunc flammatus ardoribus, denique sordentis autumni prouentu onustior, ὥρας χειμερίας ποικιλλόμενον. Filiorum duodenarius numerus mensium continet rationem, sex muliebris sexus æstatis fertilitatem præferunt, mares prædensam concretamq; hyemalem uim. Hippotes Aeoli pater præcelerem temporis indicat uertiginem. Ventis creditur Aeolus imperare, nunc laxans, nunc comprimẽs, quia ἔμπλοοι αἱ πνοαὶ φοραὶ, καὶ ὑπόδεσμόν πνέουσαι.

Ventorum species aliquot, uulgo haud ita notæ. Apogæa retinacula, seu epigæa. Amusium organum. Strobilus quid. Coccalus. Strobiline resina. Conos. Pallas Anemotis. Sardinia cur pestilens. Sardoa herba. Sardonius risus. Plesistius uentus. Plesignathus panis. Physignathos. Acrophysium. Plæsion. Plinthion. Plutarchi in Solone locus. Physema pityinon. Ventorum aræ. Tempestas quid, & uis maior. Tropeæ pluuiæ. Boreæ templum, & festa. Boreasmi. Tempestatis ædes. Caput XIX

Aeterum præter celebratã omnibus ferè uentorum rationem uniuersam sciendum est, quosdam naturæ peculiaris quibusdam dominari locis, ex quibus proflatus initia indipiscuntur. Nam uti nos edocet in libro, cui de mundo titulum apposuit Aristoteles, si tamen auctor is est legitimus, qui ex humecta perflant terra, apogæi nuncupãtur, quos matutino in primis spirare Theophrastus tradit, uapore refrigerato. Quanquam & nauium retinacula quædam dicuntur apogæa, seu apogea, id est ἀπόγεια: sicut etiam epigæa. Qui uero ex sinu quopiam euaporent, eccolpias appellauere. Qui ex mari ipso, dici à nostris Altani solent. Cum ijs proportionem habent aliquam ex fluuijs stagnisq; consurgentes. At qui

discissa

diſciſſa concerptaq́ prouoluant nube, ſi diſcuſſionem craſſitudinis in ſeſe contorſerint, τυφῶνάς à Græcis, à noſtris turbines uocantur. Sin autem minus denſi, ecnephiæ. Fiunt hi (ut Ariſtoteles inquit) uere quidem, ſed autumno in primis. Apud Gellium libro Noctium Atticarum decimonono ita legimus: Quin turbines etiam crebriores, & cælum atrum, & fumigantes globi, ac figuræ quædam nubium metuendæ, quas typhonas uocabant, impendere imminereq́ depreſſuræ nauem uidebantur. Plinius etiam prodit ad hunc modum. Repentini flatus maiore illati pondere incurſuq́, ſi late ſiccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ uocatur à Græcis ecnephias. Sin uero depreſſo ſinu arctius rotati effregerint, ſine igne, hoc eſt ſine fulmine, uorticem faciũt, qui typhon uocatur, hoc eſt uibratus ecnephias. Et mox, Quod ſi maiore depreſſæ nubis eruperit ſpecu, ſed minus lato quàm procella, nec ſine fragore, turbinem uocant, proxima quæque proſternentem. Idem ardentior, accenſusq́ dum fuerit, præſter uocatur, amburens contacta pariter ac proterens. At enim flatus, qui cum aqua tumultuoſe profuſa inhorrentes & fragoſi feruntur, exhydriæ ab Ariſtotele dicuntur. Quicunq́ uero in rectum proflant, euthypnoi nuncupantur. At qui in ſua ſe reflectunt primordia, ſicuti Cæcias, reflexi flatus. Ex uiolentis autem flatibus categis eſt, deſuper pulſans cum fragore. Thyella, hoc eſt procella, flatus eſt cum tumultu ualido efflans, exq́ improuiſo inter flandum proſultandumq́ uehementer ſtridens. Lælaps autem & ſtrobilus eſt flatus reuolutus ex inferno loco ſurſum uerſus. Eſt tamẽ & ſtrobilus nux pinea, unde illud, καὶ ξανθοὶ μυελοὶ ἐκ στροβίλων. Arbores quoq́ nucleos ferentes pineos, quos & coccalos uocant, eodem cenſentur nomine. Quin etiam carduus, qui in mẽſam commeat, Dioſcoridis teſtimonio ſtrobilus dicitur. Apud Galenum pinea reſina ſtrobiline nuncupatur. Eſt item ſaltationis genus ſtrobilos Polluci. Arborem ipſam Conon dicunt, ſed & ſtrobilon quandoque. Eſt tamen Conos etiam Polluci dulciarij genus ex nucleis pineis & amygdalis. Montem Pergami στροβιλοειδῆ appellat Strabo, quia in acutum deſinat. Sed & Carcini item poetæ filios lego ſtrobilos nuncupatos, concinnato inde prouerbio per ironiam, Felicior Carcini ſtrobilis. Strobili quoque ſunt limacæ ac marini ceryces. Terræ autem anaphyſema, hoc eſt cum tumore efflatio, eximo flatus eſt, uel effractiore uomitu terræ ſeſe, eruptione facta attollens. Qui quum reuolutus fertur, multum quoque ſecum affert æſtum, præſter terreſtris appellatus. Sicuti Ariſtoteles monuit. Quod ut exprimeret Apuleius: Anaphyſemata, inquit, Græci eos nuncupant ſpiritus, qui de fundo uel hiatibus terræ exploſi ad ſuperna maris ſolent deuenire. Hi quum maiore ui torti ſunt, fit procella, quæ præſter à Græcis nomen accepit. Seneca: Præſter, inquit, eſt igneus turbo. In hac porrò uentorũ diſpenſatione illud haudquaquam omittendum, uentos quandoque (quod diximus) ſibiipſis aduerſos ſpirare motu quodam reciproco, ſicut qui inde appellantur Palimboreæ, ueluti retrogrados dixeris Boreas. Putat Theophraſtus iſta prouenire locorum montiumq́ prominentia, quibus occurſantes flatus, quum nequeant tranſilire, neceſſario repercuſſi reſiliunt. Sicuti in Macedonia uſuuenire obſeruatum eſt, ubi Boreas Boreæ aduerſus difflare animaduertitur, montium ſupercilijs, & Olympi in primis atq́ Oſſæ reiectus. Ventum proſperius flantem Homericè dicas uticq́ πλησίστιον, id eſt uela implentem. Sicuti panem quiſpiam protulit πλησίγναθον, id eſt maxillas obfarcientem. Ad quam imaginem conformatur & phyſignathos, id eſt inflãs buccas. Nam & Acrophyſium Thucydidi ferreum uidetur roſtrum inſufflando accõmodum, libro quarto. Plaſion uero eſt quadrati agminis conformatio. Dicitur & nomine eodem ex lignis quadratũ pegma, quod plinthion uocãt aliqui. Propterea in Solone Plutarchus: Leges, inquit, κατεγράψαν εἰς ξυλίνους ἄξονας ὧν πλαισίοις πολὺ ἐχουσι σχῆμα μέσους. Eum uero locum Plutarchi interpres non eſt aſſequutus. Pityinon phyſema ex Græcis nonnulli nomine peculiari reſinam intelligunt piceam. Amuſium comperio dici uentis reperiendis excogitatum organum. In agro denique Sicyonio uentis ſuſtructam fuiſſe aram inuenio, ſacrificij more noctem unam occupante modo quotannis: ſed & in foſſis quatuor, arcana fiebant quædam placandis à ſacerdote truculentioribus uentis, qui & Medeæ, uti ferunt, ἐπῳδαῖς adhibere, id eſt excantationes, ſolenne habebat. Apud Mothonem quoq́ Peloponneſi ciuita-

tem

tem, Pallados fuit templum ἀνεμώπιον, Diomede ſimulacrum dicante: quod ante id uiolentiores loca ea uenti inſigniter oblæderent, haud tempeſtiue ſatis perflantes, qui mox fuſis deæ precibus, deſierint, nullūq; deinceps calamitatis genus incolis indidem enatum: unde cognomentum Minerua eſt adepta. Dignum relatu illud quoque: obſidente Cyzicum Mithridate, oblatam per quietem Ariſtagoræ Mineruam eandē, quæ commoneret aduenisſe ſe, uti modulatorem Libycum in Ponticum induceret tubicinem: proinde ciues iuberet bono eſſe animo. moxq; ualidius flante Auſtro, afflicta eſt claſſis Mithridatica & machinæ parte plurima diſiectæ. Quòd ſi Græca quis uerba impenſius requirat, ἔγω γε ἔτως ἥλιον τὸν λιβυκὸν αὐλητὴν ἀντὶ τοῦ ποντικοῦ Καλπιτὴν ἐπάγουσα. Traditum ueteribus illud quoque: cæleſtis iniuriæ unum haberi genus, quod tempeſtates nuncupamus, ut quum deuolutæ grandines atterunt omnia, aut percellit impetuoſior procellarum peruicacia, quam ſanè cladem uim appellamus maiorē. Quod horridi ſyderis poteſtate cōtingere obſeruatum eſt, cuiuſmodi arcturus cenſetur, item orion, hædi quoque. Repentinas pluuias procelloſasq; uulgò etiam tropeas uocant, æſtiua conuerſione commodum peracta obtingentes, ubi præcipuè geminatis caloribus aer incēditur, ac inde uaporum euectio fit copioſior. Boreæ templum fuiſſe à Græcis ſtructum apud Iliſſum, quod eius uiolentia Perſarum claſſis naufragium feciſſet, auctor Herodotus eſt. Quin Athenis Boreaſmos nuncupabant, qui Boreæ feſta ducerent, ac conuiuia celebrarent, ut ſiccus ſpiraret. Romæ porrò regione prima fuiſſe ædem tempeſtatis, P. Victori credimus, & tempeſtates populi Romani ritu eſſe ſacras, Cicero ſcribit. Illud hac parte nequaquam ſubticuerim, quod noſtram adiuuat interpretationem, alibi depromptā in literas de Sardinia peſtilenti. Nam Pauſanias inquit, eius inſulæ aerem eſſe δολερὸν ὡς ἐπίπαν καὶ νοσώδη, id eſt turbulentum ferè ac morboſum. Cui rei anſam, inquit, præbent concreſcens ſal, & graues auſtri ac uiolenti: nam montium altitudo Boream repellit retundit'ue. Idem porrò Pauſanias herbæ ſardoæ mentionem faciens, quam ſelino, id eſt apio ſimilem dicit, ac mortem cum riſus ſpecie afferre, naſciq; in ambitu fontium præcipuè, ſubdit: inde Homerum ac poſteros, Sardonium riſum nuncupaſſe, τὸν ἐπ' οὐλομέλῃ ὑγιᾶ. Sardoniam eſſe ranunculi ſpeciem prodit Dioſcorides libro ſexto, ac in cibis potu'ue mentis alienationem concinnare, & cum labrorum contractione conuulſionem facere ridentis ſpecie, à quo euentu Sardonius dicatur riſus miſerabili inter homines dicterio. Propterea herbam ſceleratam dixit Apuleius, ſi eius tamen eſt De plantis commentarium. Noſtri etiam dicunt herbam riſus. Sciendum porrò, Aegineta Paulo auctore, quacunq; cauſa labris contractis conſequatur riſus imago quædam, ab ſimilitudine dici Sardonium quoque.

Super Polemone enotata quæpiam: Manu ſolœciſmum facere quid. Quintilianus illuſtratur. Varus Pergæus. Pelargi cognomen. Item quid typos bis, & tyrbe. Type. Cap. XXV

POlemonem fuiſſe apud Græcos ſophiſten haud ingratum, minimeq; infantem, ſat notum ex gentis eius monumentis, reor. Succurrunt ex ea hiſtoria, quibus uelut floribus, noſtri libelli lætiores fiant. Celebrabantur Smyrnæ Olympici ludi, præſidebat Polemo, tragœdia fortè actitabatur, inibi inſulſus actor quum ô Iupiter exclamaſſet, manum in terram protendere perrexit: rurſum quum diceret ὦ γᾶ, in cælum ſuſpectabat, manum eódem intentans. Demiratum uero hominis imperitiam Polemonem ferunt, ex theatro ſe proripuiſſe inſuſurrantem, οὗτος τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε, quod eſt, manu hic ſolœciſmum fecit. Hoc uerò eo appoſui gratius, quoniam Oratoriarum inſtitutionum primo Quintilianus, in geſtu quoq; nonnullos putaſſe, ſcribit, ſolœciſmi uitium ineſſe, quum aliud uoce, aliud nutu uel manu demōſtratur. Huic opinioni, inquit, neq; omnino accedo, neq; planè diſſentio. Sed ad Polemonem redeo. Erat itidem Smyrnæ fluxa mente & moribus adoleſcens. Suppetebant affatim diuitiæ, intemperantis naturæ magiſtræ nequiſſimæ. Varus nomen fuit homini: quanquam erat & alter Varus Pergæus ſophiſtes, quem à forma naſi Pelargum uocabant, id eſt ciconiam. Sed hic de quo nunc agimus, aſſentatoribus nunquam non erat obſeptus, quorum ueneficijs corruptus imbiberat

animo, esse se omnium formosissimum, staturosissimum, arte quoq; & robore in palæstra omnes antecellere. Immo ne Musas quidem suauius cantillare. Quin & sophistas quoq; plerosq; dicendi ui exequabat opinione sua. Nam & declamatorium attentabat forum. Id uerò agentem frequentabant, quibus fœnori pecunias erogaret, siquidem usuris persolutis ascripturi, declamantem audisse. Inter eos fuit quandoq; etiam Polemo, qui tamen mox auscultatione eiusmodi abstinuit: quo nomine, quum æs alienum minus dissolueret, instabat adolescens importunius, typos illi subinde intentans. Erat id iudicium, quo ijs interdicebatur foro, qui creditoribus non paria facerent (Tyrbę autem obiter festum Dionysii est in agro Argiuo, ex Pausaniæ thesauris) Ea molestia perpulsus Polemo, ac præterea multorum stimulis, ad audiẽdum hominem pergit. Insulse declamabat is, sed ex more. Negotium nimis diu protendebatur. Finis comparebat nullus. Barbarismis & solœcismis perstrepebant omnia. Tum stomachabundus Polemo exsiluit, ac protentis manibus, Vare (inquit) typos profer. Quibus uir eruditus innutritusq; eloquẽtiæ disciplinis palàm faciebat, malle se iudicium subire, quàm id genus ineptias ineptissimas pati diutius. Hunc item Polemona proditum memorię est, uiuentem adhuc suo ipsius iussu contumulatum, quòd articulari morbo, quem arthritida illi dicunt, uiolentius infestaretur, iacentemq; in conditorio identidem inclamasse, ἔπαγε, ἔπαγε, μὴ γὰρ ἴδῃ με σιωπῶντα ἥλιος. Obducas (inquit) obducas, absit ut tacentem me intueatur sol. Rursumq; flentibus ubertim amicis cognatisq; Date, inquit, mihi corpus alterum, & mox emigrabo. At prius quum subinde à medicis dissecaretur, insusurrabat illud, ἐκτέμνετε τὰς πολέμωνος λατομίας, excidite Polemonis latomias. Quod ad typos attinet, illud ex abundanti adiecero, esse demonstrationis genus quod Græci τύπους uocant, id est formas, & ὑπογραφὰς, id est descriptiones: nam finitiones, horismos dicunt. Fuit & ueteribus festum, quod dixere τύπας: quanquam & eo nomine plagas intelligimus. Sicut τύπτης, percussor dicatur: nam typias uocatur τὸν τοῦ χαλκοῦ τις τροχῶν.

Manum in Aetolis habere, ac mentem in Clopidis, quid sit. Aetolorum furta. Aetoli epitheton quid sit, & unde. Aetoli bellaces, ac monocrepides. Legati Carthaginiensis historia. Clopia κλωπαῖα. Caput XXI

St Aristophanis poetarũ facetissimi comœdia, cui titulus ἱππῆς, id est Equites. In ea, Cleon remis uelisq; proscinditur: inter probra alia, quibus eius infamatur uita, illud item est: ubi Cleonis manus esse in Aetolis scribit, mẽtem uerò in Clopidis. Sed rectius commodiusq; fuerit, Græca subtexuisse uerba, quæ solicitius forsan studiosorum requirent aliqui,

τὰ χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπίδαις.

Quid uerò sit, in Aetolis manum habere, poetę interpretes appositissimè explicant, & meminit Eustathius: quum in sortis extremæ hominẽ, semperq; in petendo paratum, ac nil nisi rapinas meditantem, ut qui nil suauius opinaretur, quàm accipere, dici interpretantur. Ioci autem gratia ex uerbi Græci notione consurgit: nam αἰτεῖν, petere significat. Sed & qui Ethnica scripsit, Aetolum esse epitheton, quandoq; scribit ab αἰτεῖν. Quod uerò infertur, in Clopidis fuisse mentem: urbanissimè item in depeculatorem pronuntiatur, quando κλοπὴ furtum indicat. Vrbanitas uerò inde elicitur, quia Cropidæ in Leontide recensebantur tribu. Dum ergo signari loca uidentur, mores impostoris ac nefarij hominis scitius occultiusue reteguntur, comicoq; insperguntur felle. Faciunt ad hæc, quæ apud Athenæum legimus & Polybium obseruata. Aetolicum fuisse rapere τὰ τῶν πέλας, id est res eorum qui prope forent, νῦν δὲ καὶ τὰ πόῤῥω, id est nunc & quæ remotiora. Sed & bellaces tamen fuisse Aetoli produntur, ac propterea μονοκρήπιδες, id est crepidæ unius: quod Pindarici nouerunt interpretes, & ad Hernicos transtulit Maro:

Vestigia nuda sinistri
Instituere pedis, crudus tegit altera pero.

Nec omisit in Cœnis Macrobius. Quod autem de manu in Aetolis diximus, adnotandum & illud quod in historijs posuit Plethon Gemistus: Carthaginẽsium legatum ad

Andro

Andromachum miſſum, poſtea quàm elatè multa minaciterq́ diſſeruit, denicq́ manum producentem nunc ſupinam, nunc pronam, iuſſiſſe remitti Timoleontem. Quod irridens Andromacho geſtu compari manu prolata, primo quoq́ tempore ut inde enauigaret, præcepit. Verum ad inſtitutum redeo. Clopia, id eſt λλωπεία, ſaltationis fuit ſpecies, meminit Theatricorum quarto Iubas. Dignum ſcitu: λλωπᾶδαι Græcis dici, clàm taciteq́, id eſt ἀλοφητὶ facere quid, uel loqui, aut furari. Audaciam magnam paroemiæ forma quadam Polybius Hiſtoriarum quinto, Aetolicam dicit.

Pterophori apud Plutarchum in Othone quinam intelligendi. Item quid ptera, aut pteromata. Plutarchi locus reſtituit. Peripteron. Pſeudoperipteron. Cylarabis. Pterophori ſacerdotes. Ptila quid, ac unde. Pennatis pedibus ſalutare. Pterygophorum pro ſuccino cur. Cap. XXII

PLutarchus in Othonis uita: Iam (inquit) nuntiabat, Vitellium imperatoris dignitatē atq́ potentiam ſibi uendicaſſe, καὶ πτεροφόροι σωρηδὸν ἐφοίτων, ἀεί τι προσχωρεῖν ἐκείνῳ φράζοντες. hoc eſt, & pterophori aſſidue aduenie bant, illi ſubinde accedere quippiam afferentes. Verbum id pterophori, quid ſibi uelit, non ſatis tenuiſſe interpres animaduertitur. Ego curſores tabellariósue eo nomine intelligo: quoniam Dionis hiſtoria prodit, eos peregrè proficiſcētes ſurrectas in capite pennas geſtare conſueuiſſe: cui ſententiæ adijcere calculum id Satyrici poetæ creditur,

Tanquam de Catis aliquid, toruiſq́ Sicambris
Dicturus, tanquam diuerſis partibus orbis
Anxia præcipiti ueniſſet epiſtola penna.

Eſt & Pterophoros in Septentrionibus ad Rhipæos montes nuncupata regio, ab aſſiduo niuis caſu, pennarum quadam ſimilitudine, quod Herodotus ſignificat, & à Plinio relatum ſcio. Sic enim barbara inculta q́ Scytharum gens opinatur, pennis eſſe oppletum aerem, proindeq́ non patere in longinqua proſpectum, neq́ item tranſitum. Pennas uerò πτερὰ uocant Græci: quāquam ſunt etiam ptera, uel (ut eſt apud Vitruuium) pteromata in templis muri duo, ut Strabonis quoq́ monumentis comprobatur, ad altitudinem eorum utrinq́ cōſurgentes alarum uice. Meminit Plutarchus quoq́, ſed & Plinius in Mauſolæi mentione. Aptera uerò Cretæ ciuitas eſt, unde in Pyrrhi uita ex Plutarcho, Oroeſus nominatur Apteræus: quòd non uidens interpres, præteriit: quem præter Stephanum commonere Pauſanias potuit. Cui à Ptera Delphici templi conditore urbi factum nomen placet πρὸ δήκης γράμματος. Quin & mox paulò Pyrrhum Argos irrupiſſe, Plutarchus ſcribit παρὰ τὴν κυλάραβιν, quod eſt, ad Cylarabin. At uocabuli nouitatem admiratus tralator tranſiluit. Eſt uerò Pauſaniæ Argis gymnaſii nomē Cylarabis, ab Stheneli filio nuncupati. Sed à diuerticulo repetendum inſtitutum. Leges item peripteron ædem, quam circulatam intelligunt. Hinc & pſeudoperipteron non prætermittunt architecturæ magiſtri. Succinum Dioſcorides pterygophorum appellat libro ſecundo, quia ſtramina proliciat floccoſq́ & fimbrias, ut ab eruditis eſt traditum. Inuenio item ptera, id eſt πτερὰ neutro genere dici Babylonis arcem. Nam eſt in Medis ciuitas Pterion: in Sinope autem Pteria. Signatur & Pterophori nomine πτερὸν τὶ σφαπωπηόν, uel ex eadem pennarum ratione, hoc eſt ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς λόφοις πτερῶν. Sunt in Aegypto ſacerdotes ſic quoque nuncupati. Ptila in eandem ueniunt pennarum notionem: dicunt uerò ſic, ἀπὸ τοῦ ἐν ὕψει πέτεσθαι πίλεν καὶ πόπεν τὸν ἀέρα, id eſt ab aere icto interuulſoq́ inter uolandum. Illud autem Hieronymi ad Florentium: Pennatis, ut aiunt, pedibus te ſalutauerim, celeritatē indicare uidetur nimiam, ab Mercurij talaribus paroemiæ facta uerſura.

Plutus diuitiarum deus, cur cæcus effingatur. Herodis ſophiſtæ munifica, & proinde mirabilis natura. Chalcidiſſare. Auaritiæ improbatio. Aloadæ qui dicantur. Auri laus ex Pindaro. Liberalitatis cōmendatio. Deum quoq́ eſſe uenalem. Cap. XXII

PLuton eſſe diuitiarum deum,& quidem cæcum, neminem puto qui neſci at: cui ſaltem eius nominis comœdia apud Ariſtophanem nõ ſit incogni ta. Plutarchus uero auctor eſt,emanaſſe celebratum illud,in una omnium quæ ſub ſole ſunt, urbium Sparta ſeruari diuitiarum deum & cæcum & iacentem, ut picturam inanimatam ac immobilem. Quod ibi uictus faci litate, & communi cœnandi inſtituto efficeretur,ne furto diuitiæ conciliarentur, mat ſupio (ut inquit Hieronymus) ſuffocato,uel potius (ut ait Theophraſtus) honori ha berentur.Nam,ut taceam quod prudenter Seneca inquit, multum eſſe, diuitiarũ con tubernio nõ corrumpi,& affluentibus hinc inde diuitijs, uitiorum fomitibus, animum ſeruare inconcuſſum: certe Philoſtratus inquit, non ſunt tractabiles diuitiæ, debentq́ inter ardua & difficillima quæq́ connumerari. Qui enim diuitijs (ut ſic dicam)inebri antur,ac pauloante exſucci,mox uel ricinis diſtentiores euaſere, non deſinunt ſubinde iniurios ſe præbere,& in magna amplaq́ fortunæ laxitate cæcutiunt. Quòd ſi opulen tiæ adhiberetur utendi ratio,reciperet iam uidendi uſum Plutos. Quod ſophiſtæ Hero di factitatum, ſcimus: apud quem minime luminibus captus diuertiſſe uidetur is deus, quando bonorum affluentiam & annuas obuentiones ad liberalitatis uſum contulit, quod ſciret τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν εἶναι πάσης κακίας, id eſt auaritiam eſſe totius uitioſitatis metropolin.Quę res illi,ut taceam quòd eum Rufus Perinthius Græcorum nuncupabat linguã & orationis regem, immortalem apud poſteros gloriam compara uit. Amicos ſiquidem ampliter confouebat,ciuitates gentesq́ inopia adobrutas ſuble uabat.Erat enim hic theſaurus illi acuratiſſimus, multis bona ſua impertiri.Addebatq́, congruere in primis non abutenti diuitijs, indigentibus opem ferre, ut deſinant indi gere:non indigentibus item, ne fortè quandoq́ indigeant. Inconſultũ uerò diuitem ac ſordidum, cumulandisq́ pecunijs immorientem,ac nil aliud, quam manubinarios cir cumſpectantem amicos,& Cyniram, de quo eſt apud Libanium, ſpirantem,eſſe mor tuum prædicabat Pluton.Theſauros porrò,in quos nullo fine congerantur opes, Pluti carceres uocabat.Eos qui ſepoſitam pecuniam uice numinis colerent, Aloadas eſſe di cebat.Qui quum in uincula Martem coniecíſſent, eidem mox rem diuinam obire per rexerunt. Illud certè uelut ex oracuło promptum uideri poteſt, quod Aſtronomicon quarto Manilius ſcribit,

Victuros agimus ſemper,nec uiuimus unquam:
Pauperiorq́ bonis quiſq́ eſt, qui plura requirit:
Nec quod habet,numerat:tantum,quod non habet, optat.

Poſtremo,elegans eſt apud Græcos uerbum χαλκιδίζειν, id eſt Chalcidiſſare, quod ſi gnat auidius pecuniæ inuigilare,quoniam eiuſmodi fuiſſe Chalcidenſes feruntur. Pin darus aurum admiratus,de quo ſic pronuntiat, ἀεθόμενον πῦρ ἄτε δαπέτου νυκτί, μεγα νορ ἔξοχα πλούτου, id eſt ſplendicat perinde ac noctu ignis, extra diuitias Megano ras, id eſt quibus inſoleſcunt ferè homines ac efferuntur: uel quæ magnificentiæ plurí mum adijciant,& ad agendum uim ſingularem. Extat & Pindari ſententia illa præcla ra, ὁ μὲν πλοῦτος ἀρετᾶς δεδαιδαλμένος φέρει τῶν τε καὶ τῶν κομπόν. quibus innuitur, ſi comes adſit uirtus, tum demum & ſuis & quæ ex uirtute ſunt commodis,peropportu ne diuitias perfrui. Verum Callimachi præclara ſuccurrit commonitio, quam præter iſſe in mentione iſta, piaculum fuerit penè,

οὔτ' ἀρετᾶς ἄτερ ὄλβον ἐπίστατο μῦθος ἀοιδᾶς,
οὔτ' ἀρετή, ἀφνοῖο, δίδου δ' ἀρετῶ τε καὶ ὄλβον.

Cæterum & Sappho ſcientiſſimè, πλοῦτος ἀνὴρ ἀρετᾶς οὐκ ἀσινὴς πάροικος. Diciuerò in hoc propoſito & illud ſcienter poteſt,Eſſe deum uenalem:ſed nõ alio prorſum num mo uenalem, quàm quo ipſe cæteros emit, id eſt charitate in pauperes liberali. Virtu tes aliæ diuinarum uirtutum umbræ ſunt, non imagines. At qui in pauperes liberalem munificumq́ ſe præſtat, deum exactè imitatur. Eadem quippe in munificentiæ ratio ne cauſa eſt liberalis hominis & dei. Capaneũ fuiſſe talem prodit Euripides, ut opum affluentia intumeſceret nihil, nec elatius ſaperet,quàm pauperum quis, τὸ μηκέτι πένε σθαι. At quendam tradit Chryſippus, ſub mortis tempus aureos deglutiſſe non pau

cos

tos, atq; ita perfunctum fato. Alium uerò tunicæ plurimos insuisse, atque ea indutum citra honorem alium se contumulari mandasse.

Diuitiarum usum quem esse deceat. Vsia & periusia, quo differant. De Marco Antonio, Ptolemæo, Bione. Diuitiarum genera duo. Aristodemi, Caij principis & Neronis historia. Professio senatoria quæ dicatur. XXIIII.

ET Græcus quidem hic rectè admodum & synceriter, exq; mortalium usu in primis. Sed & apud Rabirium poetam M. Antonius persanctè, quum fortunam suam ad alios emigrãtem ingemisceret, Hoc habeo quodcunq; dedi. Illud (inquit Seneca) quod suspicis, quo te diuitem quoq; ac potentem putas, quandiu possides, sub nomine sordido iacet: quum donasti, beneficium est. Propterea notissimus poeta,

Extra fortunam est, quicquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Diuitias ueras docet Aristoteles dici eas, quæ necessaria uitæ suggerunt, & utilia ad ciuitatis & domus societatem. Iis siquidem sufficimus ad bene uiuendum. Esse diuitias non ueras, quarum acquisitionem χρηματιστικὴν nuncupant, id est pecuniariam. Hæ uerò dicuntur infinitæ, nec ueræ, quoniam appetitum non explent. De quis item intellexisse Solon uidetur, sicuti commeminit etiam in libro περὶ φιλοπλουτίας Plutarchus, πλούτου δ' οὐθὲν πέρμα τεθεσμένον ἀνθρώποις κεῖται, hoc est, diuitiarum nullus est constitutus finis hominibus. Nam diuitiæ quæ necessarijs rebus constant, finitæ sunt. Extant autem organa œconomici & politici. Iis enim utuntur ad domus & ciuitatis administrationem. Diuitias ueras ex naturæ fontibus principia ducere, palàm est: alteras uerò minime. Moderatam opum uim Græci usiam uocant, redũdantem uerò periusiam. Elegans extat Platonis dictum, uolenti se dici diuitem uerum, μὴ τῷ οὐσίαν πλείω, ἀλλὰ τῷ ἀπλησίαν ποιεῖν δεῖ ἐλάσσω, id est non opulentiæ adijciendum, sed cupiditati inexpletæ detrahendum. Ad hæc autem Epicuri illud spectare, non latere arbitror: Si ad naturam uiues, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Etenim, sicuti prudentissime Seneca scribit, congeratur in te, quicquid multi locupletes possederunt. Vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura uestiat, & eò delicíarum opum q; perducat, ut terram marmoribus abscondas, & non tantum habere tibi liceat, sed calcare diuitias, Accedant statuæ ac picturæ, & quicquid ars ulla luxuriæ elaborauit, maiora cupere ab his disces. Naturalia desideria finita sunt, ex falsa opinione nascẽtia, ubi desinant, non habent: nullus enim terminus falso est. Plato autem De legibus quinto, Diuites ualde simulq; probos esse, arbitratur impossibile: propterea q;, nec felices. Et mox: Pecuniarum, inquit, cura ultimũ honoris teneat locum. Hinc illud Ptolemæi laudatur eximiè, qui apud amicos cœnitare assuetus, sæpe etiam dormire, si quandoque illis rep oneret, uasa commodo ab eisdem sumere non uerebatur: stragula item, ac id genus alia plura, quod ipse in domestica supellectile nil admodum præter necessaria haberet, ἀλλὰ τῷ πλουτεῖν ἔλεγε τὸ πλουτίζειν εἶναι βασιλικώτερον. Nam ditare quàm ditari, magis uideri regium, assueuerabat. Quid, quòd immodicæ diuitiæ (sicuti docuit Apuleius) uelut ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt quàm regunt, quòd habeant irritam copiam, noxiam nimietatem, libitinariorum modo expetitam uotis, ac feralium ambulonum. Deniq; is plurimum habet, qui minimum desiderat. Quippe animus est, qui diuites facit: pecunia ad animum nihil pertinet. Aurum, argentum, magni leuatiq; mensarum orbes terrena sunt pondera, quæ amare nequit syncerus, ac sui memor animus. Rem familiarem largam & uberem populo elargitus est Crates. Diogeni & Antistheni pera fuit & baculus, quod regibus diadema. Proinde iucundum Bionis illud, qui quum apud Theognin legisset,

πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδαμασμένος οὔτέ τι εἰπεῖν,
οὐδ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δὲ οἱ δέδεται.

Paupertate quisquis premitur, nec dicere, nec facere quippiã ualet: obligata siquidem lingua illi est. Quo, inquit, pacto ipse inops tantũ nugaris deblaterasq; aduersum nos?

Diogenes diuitem indoctum esse ouem asseuerabat uellere aurato. Cæterum in hoc usu scitissimum est illud Horatij ex Epistola ultima,

Quid uici prosunt, aut horrea? quid ue Calabris
Saltibus adiecti Lucani? si metit Orcus
Grandia cum paruis, non exorabilis auro?

At Spartiatæ Aristodemi scitum hercle circumfertur apophthegma, cuius in pragmatia de prouerbijs commeminerat Chrysippus. Is uerò quum diuitijs excidisset, ac (uti assolet) insimul & amicis foret exutus, dolenter inquit

Χρήματα, χρήματ' ἀνήρ, ψωμιχὸς δὲ οὐδεὶς τιμᾶται ἐσθλός, οὐδὲ τίμιος.

id est pecunia, pecunia uir, pauper nemo bonus est, aut honore dignus. Caius princeps nepotinis sumptibus (quod ait Tranquillus) omnium prodigorum ingenia superauit, aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem. Hic non toto uertente anno, sex milia, septingentas & quinquaginta myriadas aureorũ prodegit. Nero diuitiarum & pecuniæ fructum non fere putabat alium, quàm prodigentiam. Nam sordidos esse ac deparcos, quibus ratio constaret impensarum. Quadragenis in punctum sestertijs aleam lusit, id est denis aureorum millibus in singula puncta, non in singulos aleæ casus. Professionem senatoriam pro eius ordinis censu, comperi apud recentiores.

Carthaginensium & Homeri sententia de diuitijs, item M. Crassi ac Cæsaris. Eulogiæ quid. Εὐοῖ. Eua mõs. De Solone, Themistocle, Timotheo, Pelopida: item de Pluto cæco, & Phryne. Aphnij sacellum. Thesaurũ recondendis pecunijs structum à Minya primũ. Tirynthi mœnia. In adulteros lex prima. Domitiani in ædificando prodigentia Cap. XXV

Carthaginienses uerò, ut docuit Aristoteles, non optimos solum, sed & ditissimos censebant magistratibus admouẽdos, ueluti arbitrarentur impossibile, eum qui egestate premeretur, rectè synceriterq; magistratũ gerere, aut quietem optare. Diuitias porrò esse deorum donum Homerus canit,

Καὶ θεσπέσιον πλοῦτον κατέχουσι κρονίωνες.

Et rursus,

Ζεὺς δ' ὠκὺς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι.

Sed & Solon, Diuitias (inquit) habere quidem cupio, per iniuriam uerò consequi nolim, subsequitur enim mox supplicium. Inter L. Metelli felicitatis argumenta id recensetur, Pecuniam magnam bono modo inuenisse. Insulas collustrans Themistocles pecuniam hinc inde corrogabat. Adijt & Andrios, urgensq; infestius, Duos (inquit) ad uos affero deos, Vim, & Suadelam. At illi nec minus festiuè, Duos quoque apud se, & magnos quidem residere deos intulere, Paupertatem & Impossibilitatẽ, qui nummos illi erogari prohiberent. Succurrit & in mentione ista lepida equidem, nec inutilis historia super citharœdo Timotheo. Agebat is apud Archelaum, sed quum spe aliquanto parcius ab eo donaretur, non desinebat illum lacessere. Quin succinens quandoque commation illud, σὺ δὲ τὸν γηγενέταν ἀργυρον αἰνεῖς, tu autem terræ filium argentum laudas? Intendebat in Archelaum. At is festiuiter, σὺ δὲ αἰτεῖς; tu autem petis? Marcus Crassus eos ut pauperes miserabatur, inquit Dion, qui ἐκ καταλόγου οἰκοῦσιν, id est domestico reditu exercitum alere nequirent: adeo, inquit, erat πολυχρήματος καὶ φιλοχρήματος. At legionem intelligere Plinius maluit: Dion, sicuti retuli, στρατιώτην, quod & Plutarchus. Cæsar fuit in primis χρηματοποιός, duo esse astruens, quibus paretur principatus, custodiatur item, ac augescat quoq; milites, & nummariam uim. Sed hæc mutuis necti auxilijs: quippe alimentis contineri milites, illa uerò militari ope accumulari. Nec minus scitu iucundum id est: Eulogias dici munera, quæ prælatis offerant subditi, & quæ sacra petentes concilia deferant presbyteri. Dicuntur uero eulogiæ, uelut benedictiones planè sint. Nam & ad Vitalem Hieronymus, Satis (inquit) miror, quid causæ fuerit, ut quum in benedictionibus & tuis & illius perferendis, fidelis extiterit, in retenta epistola negligens comprobetur. Εὐοῖ autem obiter, uox Bacchantium est: unde Eua, Messeniorum mons est nuncupatus. Pelopidam uerò scribũt eruditi, quum ab amicis incusaretur, quòd pecuniæ cogendæ, rei in primis necessariæ, parum curiosus foret: Per Iouem, respondisse, necessariæ, sed Nicomedi huic. Erat Nicomedes

comedes claudus ac mutilus. Illud poſtmodum adijciamus, quod non ingratũ in Sympoſiacis refert Plutarchus, ubi diuites inceſſit domicilia comparantes triacontaclina, & eo etiamnum ampliora. Horum, inquit, conuiuia panagyriarcho uerius, quàm ſympoſiarcho indigere uidentur. Ego autem uulturijs contenderim potius codonophoris & atratis ſandapilarijs. Plutum enim arbitrantur aplutum, ac cæcum uerè, καὶ ἀδιέξοδον, id eſt citra decurſum, ni teſtes ſortiatur plures, ſicuti tragœdia ſpectatores. Nam & nobile ſcortum Phryne, atq; eo nomine prædiues, mœnia Thebana ſubſtructuram ſe, pollicita eſt, modò aſcribi paterentur ciues, ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη, id eſt, euertit Alexander quidem, ſed reſtituit Phryne. Diuitiæ omnes, inquit Hieronymus, de iniquitate deſcẽdunt: & niſi alter perdiderit, alter inuenire non poteſt. Vnde uulgatior ſentẽtia mihi uidetur ueriſſima, Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Illud uerò non inſuper habendum, in Tegeatum agro eſſe montem Creſium nomine, id eſt κρήσιον, in quo fuerit Aphnij ſacellum. Nam ubi cum Aerope congreſſus eſt Mars, ueluti memorant Tegeatæ, natus inde Aphnius matri nihilominus inhæſit, partui quamuis immortuæ, ac ex uberibus ui numinis paterni multum copioſumq; lac ſuxit. Qua ratione in deos tralatus, Aphnios, ideſt diues, fertur nuncupatus. Theſaurum recõdendis pecunijs, hominum primus ſtruxiſſe Minyas traditur. Fuit hic Chryſæ filius ex Chryſogenia nati & Neptuno. A quo nuncupatos ferunt Minyas, quibus imperitarit. Hic præterea Minyas diuitijs creditur cunctos anteiſſe mortales. Miratur Pauſanias, in celebrandis pyramidibus Græcos hiſtoricos multum operæ impẽdiſſe, theſauri huius præcipuè memoria digni, nullam prorſum feciſſe mẽtionem. Sicuti nec mœnium apud Tirynthum. Minyæ filius Orchomenus fuit: unde Orchomenij nuncupati. Ad eum uir Argiuus uenit Hyettus poſt Moluri cædem, in uxoris adulterio deprehenſi. Is ab Orchomeno regiõis parte accepta, omniũ primus in adulteros legem ſanxit, quam poſtea ſit imitatus Draco Athenis. In hac denicq; diuitiarum ratione ſuccurrit Chæronæi Plutarchi ſententia præclara: Quòd ſi, inquit, admiratur aliquis impendia in Capitolio magnifica, ſi unam in Domitiani principis domo porticum ſpectaſſet, uel baſilicam, aut balneum, uel item concubinarum diætam iuxta Epicharmi illud in perditum ac bonorum profligatorem,

οὐ φιλάνθρωπος τυγχάνεις, ἔχεις νόσον, χαίρεις δὲ δοῦναι;

Tu quidem haud humanus es, morbo afficeris, dare gaudes: in Domitianum pronuntiaret itidem, οὐκ ὄνασβις, οὐδὲ φιλόπιμος τυγχάνεις, ἔχεις νόσον, χαίρεις οἰκοδομῶν, ὥσπερ ὁ Μίδας ἐκεῖνος, ἄπαντα θιγὼν χρυσᾶ, καὶ λίθινα βουλόμενος γίνεσθαι. id eſt, non es tu quidem religionis ſtudioſus, neq; item honoris cupidus ac famæ, morbum ſentis, ædificare gaudes, ac Midæ illius more, lapidea tibi effici aurea concupiſcis.

Lapidem Lesbium in funeſtas admitti domos ſolitum. De Herode ac Lucio, item Marco imperatore. Lapis niger in comitio. Romuli monumentum.

Caput XXVI

LEsbium lapidem eſſe ſubtriſti aſpectu accepimus, ac nigricante, quo nomine in funeſtas quandoq; ueniſſe domos, ex Philoſtrati quoq; hiſtoria condiſcimus. Ab eo nanq; proditum eſt, Herodem ſophiſten, diuitijs perilluſtrem ex luctu forma domus ſubmutata, parietum ornamenta florida tum uelis nigricantibus, tum lapide Lesbio induxiſſe, ex quo emerſit facetiſſimum ſcomma Lucij cuiuſdam, ſapientis quidem uiri, ſed Herodi etiam perfamiliaris. Is ergo pueros conſpicatus rhaphanidas, hoc eſt radices, ſic Græcis nuncupatas perluere, quæſiuit, cuius nam foret ea cœna. Audiens uerò Herodi eam parari: Atqui, inquit, Rhegillæ Herodes iniurius eſt, qui alba ueſcatur rhaphanide in funeſta & pullata domo. Quæ illi renuntiata eatenus inſederunt, ut mox domeſticas tenebras, & parietum (ut ſic dicam) nubila diſcuteret, ne ludibrio ſtudioſis & magnis uiris fieret. Fuit alioqui Lucius is naturæ, ut uidetur, paulo mordacioris ac liuidæ. Marcus Romanorum imperator Sextio phiſoſopho utebatur familiarius ex Bœotia. Inuiſebat perſæpe illius domũ: Romam nuper uenerat Lucius hic: ex occurſu inſtitit ſcitari, quonam aut cur pergeret. reſpondit Imperator, καλὸν καὶ γηράσκοντι τὸ μανθάνειν, pulchrum etiam ſeneſcenti diſcere;

peto philoſophum Sextium, percepturus quæ necdum edidici. Tũc Lucius prolata in cælum manu, O' Iuppiter, ait, Romanorum imperator, iam appetente ſenio, geſtans librum, qui pueris mos eſt, præceptorem adit. At meus imperator Alexander annum ſecundum & triceſimũ agens mortuus eſt. Erat uerò Sextius Cheronenſis, Plutarchi ex ſorore nepos, qui de Pyrrhonica philoſophia decem concinnauit libros. Meminit uiri in M. Antonino philoſopho Iulius Capitolinus. Niger porrò lapis in comitio funeſtũ indicabat locum, uel ut alĳs placet, Romuli morti deſtinatum.

Nobilitatem in aſtragalis geſtare, quid. De Herode item, ac Rhegilla uxore. Aſtragalus quid, ac epiſphyrion, & aſtragaliſis. De talorum figuris, aut numeris. Diagrammiſmus quid: grammæ item, ſeu lineæ. Cuborum inuentor. Peſſorum luſus. Petteutice. Coleps. Midas iactus. Aſtragali in ſacris menſis. Aſtragalion. Caput XXVII

NObilitatem in aſtragalis habere, ex adagio uidetur rectè dici de eo, qui generis præſtantia tumens, nulla ipſe propria nititur uirtute: quum præſtet tamen ingeniũ excoluiſſe, in quo uera ſunt ſtemmata & genuina hominis excellentia, ſicuti à Platone ſummo philoſopho comprobatum, ſcimus. Nam in pedibus nobilitatis inſignia, ſi aliud adſit nihil, geſtare, odioſa tantum eſt, & inanis oſtentatio. Nec eiuſmodi hominem ab imagine, quam ſcientiſsimus artifex concinne, uel (ut Græcè dicam) γραφικῶτερος expinxerit, magnopere diſtingui, cenſendum eſt. Præterea prudenter admodum Socrates ille in Apuleĳ Floridis, quum adoleſcentem uidiſſet diutile tacentem: Dic aliquid, inquit, adoleſcens, ut te uideam. Sic enim hominem uoce, uti figlinum ſono pernoſcimus. Quod Platonem quoq; dicere ſolitum, ferunt. In hoc genus parœmia item congruit uetus, τὶς πατρὶ αἰνέσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες ἦσι; Quis patrem laudabit, niſi improbi filĳ? Sic enim natura comparatum, ut nullapræſtantes uirtute, parentum itidem obſtrepant laudibus. Nec ignoro, deluxatam à Chryſippo parœmiam,

Τὶς πατρὶ αἰνέσει, εἰ μὴ δύδαίμονες ἦσι;

quod refellit Dionyſodorus. Sed ad prouerbium redeo, cuius ex hiſtoria ratio eſt. Erat Herodi ſophiſtæ, cuius facta nobis mentio eſt, Rhegilla uxor nomine. Eam ob peccatum haud ita momenti magni, iuſſit à liberto Alcimedonte cædi. Fortè tunc geſtabat utero, agebaturq; à cõceptu menſis iam octauus. Igitur hominis imprudentia ingeſtis in uentrem plagis, non ferens mulier iniuriæ uim, immaturo partu, naturæ cõceſſit. Eo nomine poſtulatus cædis eſt Herodes apud Romanum ſenatum ab uxoris fratre: nomen uiro Bradeas fuit. Is maiorum claritate longe princeps eſſe, nec minor nobilitatis oſtentator. Argumẽtum generis erat in calceis epiſphyrion Menoides eburneum. Id ſignificat fibulam cornicantem, qualis fermè figura in luna eſt, quum tenuem uiſitationem facit, uel etiam paulum craſſeſcit. Prodiens igitur is paratu magno ad peragẽdum reum, de cauſa quidem pauca ferè, aut nihil: in laudibus uerò propriis etiam nimius, immo uerò totus, Quũ multa iam de familia perilluſtri emugiſſet homo imperitus, ſcommate illum excepit Herodes, Tu, inquiẽs, in aſtragalis nobilitatem geſtitas. Eſt autem aſtragalus Latinè talus. Plinius de Polycleto, Fecit & talis nudos ludentes, qui uocantur aſtragalizontes. Et ſunt in Titi imperatoris atrio, quo opere nullum abſolutius, pleriq; iudicant. Dicuntur & aſtriæ, ſed à poetis tantum, ut ſcribit Pollux: ſicuti Ariſtophanes etiam aſtrichos uocauit. Sunt & in columnarum ſpiris partes dictæ aſtragali: ſicut torus, atq; item ſcotia, ſeu trochilus, & ſupercilium, necnon plinthus. Dignum relatu, quod in Ariſtotelis primo Rhetorico enotauimus, talorum ludum dici aſtragaliſin: ſicuti etiam ſphæriſin, pilæ nuncupat ludum. Sed & cybian & pettian, id eſt κυβείαν καὶ πεττείαν, id eſt calculorum luſum: quando & apud Homerum proci, πειρώσιον πρὸ πύργου θ' ὑψηλοῦ ἑστᾶσι πόντο. Petteuticen quoq; dici animaduertimus. Quum uerò centum forent proci, octo inſuper adiectis, quatuor peſſi ac quinquaginta parte una, totidemq; altera, è regione diſtribuebantur, ſpatio inter utroſq; relicto, in quo peſſus ſtabat unus, Penelopes nomine, in quam ſortito peſſum collimabant: ex deiecta futuri captantes omen matrimoniĳ, ſi peſſorum præterea nullum attigiſſent. Peſſorum item pro calculis mentio

lis mentio eſt Herodoto. ἀστρίζειν eſt talis ludere, apud Callimachum: ut probat etiam auctor Euſtathius. Aſtragalum Nicander & κώληπα dixit. Sed & Homerus, κόψ' ὄπιθεν ἰώλιπα ταρσώ.

Cubus, inquit in Atticis elegantijs Thomas magiſter, eſt uaſis cuiuslibet cauitas. dicuntur & cubi, τὰ ὀστέμφυλα ὀστᾶ, id eſt punctis diſtincta oſſa, quibus utuntur οἱ ταυλίζοντες; id eſt tabliſſantes, ut eſt apud Diomedem duobus locis. Cubus, ſeu teſſera lateribus conſtabat ſex, talus autem quatuor. In ludendo autem teſſeris utebantur tribus, talis uerò quatuor: id quod in Diuinationibus Cicero commonuit, & ex ea obſeruatione Valerius Martialis,

Non ſum talorum numero par teſſera, quum ſit
Maior quàm talis, alea ſæpe mihi.

Nec illud indignum ſcitu, in talo figuras in cadendo uicem habuiſſe numeri. Monada enim ſignificans uocabatur κύων, id eſt canis: canicula uero & à Perſio dicta:

Scire erat in uoto damnoſa canicula quantum
Raderet. Propertius autem canes nuncupauit eo uerſiculo,
Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Hic iactus etiam chios dicebatur. Cous uerò, qui & hexites, ſenio eſt, mendoſis parte hac Ariſtotelis codicibus: binarius & quinarius numerus in talis non erat, ut in cubis, hoc eſt teſſeris. Quin & in talario ludo numerus quidã Steſichorius dicebatur, qui non alius erat, quàm octonarius: quoniam eius poetæ conditorium magnifico exſtructum impendio, ex octonis (ut Pollux inquit) conſtabat omnibus, angulis uidelicet, columnis, gradibus. Fuit in Himera Siciliæ ciuitate, alij in Catana ſcribunt. Euripides uerò numerum continebat quadragenarium, quoniam uidetur unus fuiſſe Euripides prefectorum quadraginta, poſt triginta tyrannos Athenis exactos. Fuit uerò in teſſerario ludo Midas iactus, & quidem fortunatiſſimus. Venus cõſurgebat ex talis quatuor iactatis, ubi diuerſam omnes oſtendiſſent faciem. Teſſerarij ludi ſpecies fuit ueteribus diagrammiſmus, à uerbo γραμμίζειν, adhibebantur (ut inquit Euſtathius) calculi ſexaginta, tum albi, tum nigri. Meminit Philemon, μεθύλλ, ἀγραμμίζει, κυβεύει. Sed ludum hunc grammas item dicunt, id eſt lineas. Cubicum luſum à Palamede inuentum, Pauſanias ſcribit. Erant porrò in ſacris menſis aſtragali, quorum iactu uaticinia concipiebant: ut ſi me iacente, id emerſerit, fiet hoc: ſin minus, haud fiet. Aſtragalion ueſtem, id eſt ἀστραγαλεῖον, talarem intelligunt Græci. Scitum & illud Fabij ex libro undecimo, coarguentis cantandi morem in actionibus, Et ipſam, inquit, fori ſanctitatem ludorum talarium licentia ſoluere. Lora aſtragalota legimus apud Athenæum, diſſlagellationi accommoda. Aſtragalum Odyſſeæ decimo, in Elpenoris nece, ſunt qui pro iugulí coniuncturа interpretentur: alij ſphondylum malunt.

Cur lunulas geſtarint in calceis Romani ueteres. Nobilitatem nil prodeſſe, ni adſit uirtutis meditatio. Terræ filij, qui dicantur. Cap. XXVIII.

APud Romanos, auctor Plutarchus eſt, omnes qui nobilitate præſtarent, lunulas in calceis ſolitos geſtare: unde & lunata pellis Martiali, & apud ſatyricum poetam,

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

In id argumentum rationes afferuntur plures, illa interim arriſit plurimum. Etenim huic inſtituto affuiſſe uideri poteſt nobile antiquitatis documentum, tacitis uelut ambagibus commonentis, non inſoleſcendum, nec proſperiore ſucceſſu efferendos animos, inconſtantiæ rerum ſemper memores, qua humana cõflictantur: cui argumentum præbeat luna, quæ primo quidem ex obſcuro prodeat, mox ſplendido refulgens nitore uiſenda conſurgat facie. Sed quum iam clariſſimam præferat candoris ſpeciem, rurſum conſeneſcens defloreſcit, donec ratione quadam reciproca in nihilum denuo redeat. Illud non prætereundum, uideri aliarum quoq; gentium fuiſſe inſtituti, lunulas in calceis geſtare, quando Eſaiæ tertio ita legimus, In die illa auferet Dominus ornamentum calciamentorum & lunulas & torques. Sunt tamen, qui lunulas inibi aureas accipiant bullulas, collo circumiectas. Cæterum, ab inſtituto non alienum

omnino

omnino,& ad uitæ mores eximiè pertinens: quod Lycurgum prædicare ſolitum accepimus,qui ciuibus ſuis identidem comprobare adnitebatur, nil profuturam illis nobilitatem,& quod ab Hercule uiderentur propagati,niſi ea facerent meditarenturq́, quibus ille hominum ſummus euaſiſſet:catulorum etiam argumẽto, quos eiſdem progna tos parentibus educationis diſſimilitudine,moribus etiam longe diuerſis oſtentabat, quum lucernarius foret unus, alter uenaticus, & qui generoſos ſpiritus alunt, laboribus innutritus. In hac uerò nobilitatis mentione,adieciſſe ſuperpondij quippiam,non fuerit oneroſum,opinor, eo quidem amplius, quòd multi nominis uiri ac primæ quodammodo notæ non omnino doctis auribus paria uidẽtur feciſſe, dum terræ filios pro ignobilibus aſſeueranter exponunt & prædicant. Quando uel una Fabij reuincantur auctoritate ex Oratoriarum inſtitutionũ libro tertio: Multum, inquit, auctoritatis affert uetuſtas,ut ijs qui terra dicuntur orti.Quod uerò ex Iuuenale affertur,

Vnde fit, ut malim fraterculus eſſe gigantis,

potes ad Pygmæos referre, qui & ipſi terra æditi ferãtur: quod indicat Philoſtratus in Imaginibus,in Herculis mentione: abs quo perempto Antæo,conſilio inito, aduerſus Herculem irruiſſe Pygmæi traduntur,fratris mortem ulturi. Antæus quippe terra natus memoratur. Quia uerò ex Quintiliani uerbis,terra orti uidentur dici,quorum genus aboleuit uetuſtas, inde lux Ouidio infertur Metamorphoſeon primo,

Iupiter è terra genitam mentitur, ut auctor

Deſinat inquiri.

Sunt qui monſtroſi corporis homines,dici terræ filios putent. Certè in Oedipo coloneo legimus apud Sophoclem, χθόνιον, id eſt terreſtrem,pro nobili & indigena. Scribit in Apologetico Florens Septimius, terræ filios dictitari uulgò, quorum ſit incertum genus. Sicuti ignotos item,aut ex inopinato apparentes, de cælo ſuperueniſſe dicunt. Sed enim cælum & terram, inquit, matrem ac patrem, honoris gratia uenerationiſq́ recte appellarit unuſquiſq́. Sunt qui terræ filios, ſæuos dici ac immanes homines putent, quando & Callimachus, immanitate ac truculentia præſignes feras terra prognatas intelligi uoluit. Non prætereundum uerò, quod ſecundo Politicorum ſcribit Ariſtoteles:Putãdum,inquit,eſt,priſcos illos homines,ſiue ex terra ſint geniti,ſiue ex corruptione aliqua ſeruati, ſeminis fuiſſe ignaros & imprudentes, quod eſt de terra natis inuulgatum. Legimus porrò,quod ab inſtituto diſſitum non eſt, præſtantiſſimos uirtute,prudentia,uiribus,Iouis filios à poetis dici conſueſſe:ſicuti ab omni ſeiunctos humanitate,uelut marinis æditos fluctibus, Neptuno fuiſſe adoptatos: quod Lycophronis interpres ſcribit,qui & robore inſignes in eandẽ uocat decuriã. Scribit tamẽ Cæcilius Minutianus Apuleius in libro De orthographia: Ignobiles,ac quorũ ignoretur genus,terræ filios à Cicerone & alijs nuncupari.Nam quum Epiſtolarũ ſeptimo, Cornelius, inquit,tuus ſummo genere natus,terræ filius,ironicos dici interpretantẽ.T.Liuius libro ab Vrbe condita primo,Veteri cõſilio condentiũ urbes, qui obſcuram atq́ humilem conciendo ad ſe multitudinem, natam è terra ſibi prolem mentiebantur.

Vocabula plura de rebus conformata quæ geſtantur. Item ad id pertinentia alia. De hypomochlio,uecte ferreo,& lingula. Sera. Moloche,ſeu malache. Serra. Serram ducere. Serratura quid. Vectiarius quid, & mochlos. Mochlia. Exholcyſmus. Phragma. Vectigaliarij. Fiſcarij. Sceuophora. Comiſtrum. Phoretrum. Phorion. Phractici ſatellites. Cap. XXIX

VErſabamus nuper theſauros Iulij Pollucis, ex ijs ueluti cella quadam proma, hæc deprompſimus, quibus grãmaticorum ſupellex inſtructior fiat. Hydrophoros dici, qui aquam ſubuehant: xylophoros, qui ligna: hylophoros,qui materiẽ:plinthophoros,qui lateres:pelophoros,qui cœnum aut etiam uinum: phryganophoros, qui ſarmenta. Poſitum id nomen in quadam Lyſiæ epiſtola,apud quem eſt & xylophoria. Ex eadem ſunt forma,copropho ri,qui fimum aut ſtercus ferunt. Nam comicus Plato, uentrem copragogũ dixit. Sunt & qui umbellam geſtitent, ſciadephori: ſicut lampadophori,qui faces. Phalangas dicunt, quibus baiuli ferendis utantur oneribus. Ea Plato, ut idem auctor eſt Pollux, ſi

di

ἀπὸ κάλων μόλος, ſceuophoria nuncupat. A phalangis certè phalangarios appellari, animaduertimus, quos eſſe quandoq; hexaphoros, interdum tetraphoros tradunt: quod Architectonicæ decimo repetit Vitruuius. Vectis autem ferreus dicitur, quo onus alioqui uel multis immobile manibus, unius preſſione hominis protollitur. Quod uecti ſubiicitur, hypomochlion ab Ariſtotele dicitur in Mechanicis, ſi tamẽ de familia non ſummouetur liberis. Corruptè apud Vitruuium legitur hypomodion. Pars uectis quæ onus ſubit, & hypomochlio incumbit, lingula uocatur. Dici hypomochlion uidetur, ex ὑπὸ Græca præpoſitione, ſub, nobis ſignificante, & μόχλος, quæ uox indicat planè uectem, quo utuntur plerunq; parietum perfoſſores. Scribunt ex Græcis nonnulli, mochlon communius dici catopegium, puto quia retro impingitur ianuæ. Vectes remiſſarios legimus apud Catonem. Inueni qui ſeram quoq; nuncupent organum, quo ad aliquid mouendum utamur. Moloche uero eadem eſt, quæ malache, id eſt malua: uti auctor Athenæus eſt. Vnde illud Epicharmi, πρωτόφρων ἐγὼ γε μολόχης. id eſt, ego malua mitior. Hinc & Columella,

Et moloche prono ſequitur quæ uertice ſolem.

Serram prodit Gellius, eſſe nomen ordinis militaris, è ſtrenuiſſimo quoq; cõtracta. Vegetius ſcribit, dirigi in fronte conſueſſe, qua quidem hoſti reprimendo, qua uerò aciei turbatæ reſtituendæ. Hinc apud Varronem Rei ruſticæ tertio, ſerram ducere, pro eo quod eſt fortiter pedem conferre obnitiq;, hoſti ſeſe ingerendo. Serratura uerò ſectio eſt, ſerra quæ fit. A uecte inflectitur uectiarius apud Vitruuium: Ipſum, inquit, torcular ſi non cocleis torquetur, ſed uectibus & prælo premitur, quadraginta pedum longitudine conſtituatur, ut ſit uectiariis ſpatium expeditũ. Vectigaliarij eſſe uidentur Firmico, qui uectigalia conſectantur & redimunt: Erunt, inquit, aut publicani aut uectigaliarij uel curioſi. Apud eundem, ut obiter aliquid enotemus: fiſcarij leguntur ab fiſca: Faciet, inquit, imperatorum exactores, & qui annuas fiſcariorum præſtationes repetant, & qui diſcuſſiones rationales tractare conſueuerint. Sunt & uectes Vitruuio item, qui per ſucculam traiecti, quamdiu ab uectiariis ducuntur, funis ipſe ductarius ſucculæ circumuoluitur ſpiratim. Hæc autem trahendis aut ſuſtollendis oneribus excogitata ratio eſt. Apud Lucianum, mochlion, glyphion, copeus, colapter, hermoglyphices ſeu lapicidinæ inſtrumenta ſunt. Sceuophora item à Græcis uocantur, quæ Latina hiſtoria impedimenta dicere conſueuit. Baiulorum merces comiſtrum appellatur & phoretrum, etiam phorion. Sunt & clitellę ephippia quædam, quæ iumentis imponuntur doſſuariis ad onera commodius geſtanda: uulgus, detorto à Græcis uocabulo, baſtos nuncupat: nam βαστάζοντας pro baiulis dici ab illis, aliubi hoc opere adnotatum, non excidit. Quoniam uero de mochlo facta mentio eſt, ſciendum, dici à Galeno mochliam oſſis tralationem, ex eo quod eſt præter naturam, in id quod ex natura eſt. Sicut exholcyſmus eſt oſſis tralatio ex ſuperficie in profundum. At phragma, ex profundo in ſuperficiem. Phractici ſatellites quidam nominantur à Poſidonio apud Athenæum, quos corporis cuſtodes habuit Athenienſium tyrannus Athenion.

Inuidiæ deteſtatio. Quid inuidia. Prouerbium, Aegyptio Scytha non inuidet. Βασκανία ridicula. Coros pro inuidia cur. Palamedis poemata. Tiberij liuens ingenium.

Cap. XXX

Inuidia nullum eſſe pernicioſius crimen humanis ingenium mentibus, à magnis proditum auctoribus, ſcimus, ſed Baſilio in primis. Hoc uerò etiam ſi inuidioſo minimum infert moleſtiæ: præcipuum tamen & inteſtinum inuidi malum eſt. Nam ſicuti rubigo ferrum, ita inuidia animum hominis, ubi inſita eſt, conſumit: ut dicere ſolebat Antiſthenes. Et uerius ut uiperas tradunt aliqui, uentre in quo genitæ ſunt corroſo, naſci: eodem modo liuor oppreſſum exedit animum. Propterea & Q. Curtius inuidos homines nil eſſe aliud ſcribit, quàm ipſorum tormenta. Eſt enim inuidia ex proximi commodo proueniens dolor, originem ex ſuperbia ducens, ſicuti interpretatur Auguſtinus. Ea uerò eſt propriæ amor excellentiæ, unde huic affectioni fomenta ſuggeruntur. Sed illud in hac peſte prorſus peſtilentiſſimum, quòd liuidus mentis æſtuationem grauius diſtrahentem ne-

mini

mini audeat omnino aperire. Sed defixus hærens in uno obtutu (ut Virgiliano abutamur uerſiculo) non uellicatur modò, ſed lancinatur, ac demum excarnificatus tantæ ſo licitudinis rationem comprimit: credo, diuino iudicio protinus irrogante ſupplicium. Ita ẽm intolerabilius uritur, dum fateri erubeſcit, inuidiæ ſe ſtimulis exagitari, ſequundis amici rebus ingemiſcere, fratris fortunam uideri nimiam. Eſt enim huius mali proprium, ut gentilis ſui unuſquiſque æmulus ſit. Verum, ex gentilibus quoq́, ne ignotis quidem inuidet aliquis, at notioribus tantum uicinisq́, aut eodem quæſtu aliáue ſimilitudine coniunctis, ut coætaneis, propinquis, fratribus. Et ſicuti ærugo præcipua eſt frumenti calamitas, ita inuidia inteſtinus etiam amicitiæ morbus. Inter hos furor hic execrabilis ſæuit & debacchatur. Inde datus apud eruditos prouerbio locus, Aegyptio Scytha non inuidet: quando in diſſimiles, & quos nunquam nouerimus, non exeritur uirulenta rabies. Quæ apud quoſdam adeo uidetur abominanda, adeo nulla prorſum ratione ferenda, ut inuidos putent etiam ſolo aſpectu nocere, ut bonæ etiamnum habitudinis corpora, quibus illi inuideant, extinguantur, aut eorum relangueſcat nitor, & omnis conflacceſcat gratia. Perinde ac pernicioſa mali uis, & radius peſtifer ab oculis profluat, quo mortale corpus inficiatur, ac grauius oblædatur, uel uſq́ in tabem. Adeo naturæ gignere in toto corpore, & quorundam oculis quoq́ uenena placuit, ne quid uſquam mali eſſet, ut inquit Plinius, quod in homine non reperiretur. Quãquam non me fallit, eiuſmodi ſententiam à grauiſſimis uulgarem putari, & anicularum fabulis perſimilem. Cæterum, ſcire conuenit, aliud plerunq́ Chriſtianę ueritatis aſſertores ſtatuere, q̃d à Priſcis uiris proditum ſit. Ego uerò, quantum ad doctrinam pertinet, quam hiſce libellis inſpergimus, plurimum ueteres conſector,

Nullius addictus iurare in uerba magiſtri,
Quo me cunque tulit tempeſtas, deferor hoſpes.

Sed redeo ad inuidos, quorum inauſpicata infelixq́ natura, ſicuti Plutarchus ſenſit & docuit, optimum quenque uirulentia ſua inſectatur, ſed in primis, quem ſummo niſu ad uirtutem ſe propipientem intueatur. Quo nomine Themiſtoclem ferunt, quum etiam num adoleſcens foret, nihil ſplendidum à ſe fieri, inde coniectare ſolitum, quòd inuidos adhuc nactus non foret. Etenim quemadmodum cantharides lætioribus frumentis & uiridioribus innaſcuntur roſis: ſic & inuidia eos arrodit præcipuè qui boni ſunt, quiq́ ad gloriam uirtutis graſſantur uia: Nec laudes concoquere iam ualet, ſed uelut ſatietate quadam liuidè auerſatur. Inde coron pro inuidia poſitum inuenimus in Pindari Nemeis, digna ſententia quæ ubique legatur, ὅσι δὲ καὶ κοῖλῳ ἀνθρώπων βαρὺς ἀνταῖσαι. Quibus eſſe occurſu grauem liuidam hominis mentem, ſignificat. Quæ & magnos quandoq́ uiros inficit, quando eius quoque ſtimulis proditur à nonnullis, ab Homero Palamedis in Græcorum caſtris perempti poemata concerpta fuiſſe aut exuſta, etiam ſi Agamemnonis id poſteris allinant pleriq́. Non præteribo parte hac Tiberij uanitatem, qui magiſtrum architectona, quòd maximam porticum in latus ita procumbentem, uti ruinam minaretur, ingenij ſagacitate mira in integrum reſtituiſſet, admiratus eſt, καὶ ἐζηλοτύπωσε inquit Dion, quo nomine illum pecunia donatum Vrbe interdixit. Quum autem acceſſiſſet ſupplex, ac quo procliuius fieret compos ueniæ, ex induſtria uitreum alliſiſſet poculum, moxq́ idem oſtendiſſet ἄθραυστον, id eſt infractum illęſumq́, etiam interfecit. Obſeruatum tamen, felicitatis magnitudinem ac ſplendorem ſæpenumero inuidiæ uirus retundere atq́ interextinguere. Neq́ enim credibile eſt, Alexandro aut Cyro inuidiſſe quempiam imperitantibus iam & cunctorum dominis. Sed ut ſol eius umbram, ſupra cuius caput aſtiterit ſuis aſpergendis radijs, aut prorſus extinguit, aut longe minorẽ reddit: ita & felicitas, quum magnam nacta altitudinẽ fuerit, & ſupra inuidiæ caput aſtiterit, ſplendorẽq́ inſperſerit ſuum, eam attenuat expellitq́. Sed nec miſeris inuidet aliquis. Vnde præclare dictum à ſophiſte accepimus, inuidos homines libenter commiſereri. Sciendum præterea, inuidiam duntaxat eſſe hominis, & aduerſus hominẽ: neq́ enim inter feras inuidia fuerit, ut quibus nullum ſit de felicitate alterius iudicium, neq́ gloria titillentur, aut dedecore moueantur: quibus rebus incrementa inuidiæ ſubijci, palàm eſt. Sunt qui oculorum affectioni liuorem per ſimilem

ſimilem faciant,& rectiſſimè quidem.Illi quippe lumen clarius ferre nequeunt,& ad omnem ſplendorem caligant,quod eſt item inuidiæ proprium. Cuiuſmodi uerò ſint inuidiæ faces,graphicè Ouidius exprimit illis uerſibus:

Pallor in ore ſedet,macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies,liuent rubigine dentes,
Pectora felle uirent,lingua eſt ſuffuſa ueneno,
Riſus abeſt, niſi quem uiſi fecere dolores.

Dignum ſcitu illud in hac mentione:ueteres ferrarios fabros ante fornaculam ſolitos ridicularia quæpiam appendere,inuidiæ auertendæ gratia.Ea uerò dicebantur baſcania. Eſt autem baſcanus,qui oculorum acie βάσκει, id eſt pernecat corrumpitq; uiſa.

Quem Aegyptium ſophiſten intelligamus. Decꝯ Proteo allegoricè pluſcula. Cap. XXXI

AEgyptium ſophiſtam,ex prouerbio adnotauimus poſſe dici de eo, qui ſuſpenſas habeat uitæ rationes,ſemperq; aliunde pendeat, hoc eſt ex aſtantium iudicio.Nam ſicuti à doctiſſimis traditum ſcimus,Nihil omnium eſt quod fugere ſapiẽs æquè debeat,quã ad oſtẽtationem uiuere, ac populares curas ſequi.Quod pleroſq; omnes philoſophiæ ſectatores feciſſe,Hieronymus adeo uidetur comprobaſſe,ut illos gloriæ animalia nuncuparit, & auræ popularis uilia mancipia.Vera autem ratio eatenus uitæ dux eſt habenda, ut etiã ſi uniuerſi reclament homines,nil eorum mutetur quæ rectè ſemel fuerint inſtituta, etiam ſi infamiã uel pericula pro rectè factis ſubire dimicareq; pro aris focisq; neceſſe ſit. Qui uerò imbutus innutritusq; ſecus eſt,nil ab eo differt,quem Aegyptiũ appellauimus ſophiſtam:qui arbor fiebat & aqua & fera, & poſtremò quicquid collibuiſſet: ſiquidem iuſtitiam laudibus efferet,modò id ex animo audientiũ eſſe intelligat.Quandoq; uerò ratione eadem uituperare itidem permittet ſibi,modò auditori (etiam ſi turpiter) arride reiniurias animaduertat:atq;,quod aſſentatorum eſt proprium,ut polypus ad ſpeciem ſubiecti ſoli colorem permutat, ita & ipſe ad uoluptatem audientium ſententiam nunc hocnunc illo dictabit modo.Sophiſten uerò hunc Proteum intelligunt auctores magni,ſicuti hydram Plato,& repetit Euſebius,callidiſſimum item fuiſſe generis eius hominem.Sunt qui putent Proteum eſſe ueritatem ipſam, quæ quia latet, ac alta premitur rerum caligine:ideo traditum à mythicis, ſenem Proteum in antro obdormiſcere. Porrò ipſe hic in uarias tranſit effigies,ut poeta omnium maximus ſcienter canit,

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignemq;,horribilemq; feram,fluuiumq; liquentem.

Siquidem dum ratione ducitur ingenium ad ueritatis indaginem, uariæ tunc cooriuntur rerum formæ,quæ ueritatis ſpeciem oſtentantes, animis noſtris fallaciarum nubila obiectant.Multa enim putamus uera ac bona,quæ non ſunt. Itaq; Protei conformatio imaginum falſarum rationem continet, quibus deludimur. Sunt enim qui in uoluptate ſummum ſtatuant bonum. Hanc per ſuem exprimi concipimus. Alius expleſſe iram,crudelitatis conceptaculum, inter optanda maximè opinatur. Tunc in tigridem demutatio recognoſcitur. Draco autem eorum nobis errores innuit, qui terrena pulchritudine felicitatem metiuntur. Inuenias qui ambitione & ſuperbia:id exprimit leo: nam flamma etiam iræ typum habet.Fluuij liquentis nomine intelligo eos, quorũ ſententia,animæ poſt mortem corpoream tribuit nihil: ſed uita hac fluxa & inconſtanti, qua ſingulis momentis in decliue, hoc eſt ad interitum ducimur euidentiſſimum, totum metiuntur hominem. Verum,quo plures ingerunt ſe nobis obices, eo inſtandum acrius,& toto (ut Græci dicunt) pede eatenus enitendum obnixius, donec ſuæ ſe figuræ reddat ambagioſus Proteus,ut ueritas demum illuceſcat. quam magno & excellenti ingenio uiri,enixè perueſtigare adorti quidem ſunt, ſed conatus omnium ceſſiſſe in irritum,res ipſæ perdocent:cederentq; etiamnum,ni ſaluator præpotens CHRISTVS ex ſacris æterni patris fontibus tanti arcani prompſiſſet oracula. Nec fruſtra à M. Tullio nuncupatis expetitum uotis ſciremus,ut tam facilè poſſet uera inuenire, quàm falſa conuincere.De Proteo Herodotus item hiſtoria prima, & poſt eum Diodorus, alij

quoq; plures, ad Aegyptiorum regum morem hiſtoria relata: quibus familiare fuit, leonis aut tauri uel draconis priorem partem in capite geſtare, necnõ arborem, quin ignẽ quoq;, principatus inſignia.

An credibile ſit, ſilentem lunam aliquid in nos agere. Qui dicantur Icadiſtæ. Athenæi locus declaratur. Cap. XXXII

QVæſitum à doctioribus naturæ arcana rimãtibus, tum ut ſic perfectius ingeniũ expolirent, tum ut poſteris ſe uixiſſe teſtarentur, Sit ne à luna defluus effectus aliquis dum ſilet, dumq; in coitu eſt, quando lumine nullo, aut ſanè minimo, uirtute quoq; eſſe prætenui, aut prorſum nulla, probabile uideatur. Certè ſi intimo non omnino exuitur ſplendore, quod alibi ſentire Cleomedem adſtruximus, defluere inde aliquid, conſentaneum eſt. Inter Galeni tamen placita reperimus, lunam eo ſchematiſmo, quod interlunium appellamus, nil omnino ſuæ uirtutis affundere. Proinde apud eum conſurgit menſis dierum numero ſex & uiginti, addito etiamnum ſemiſſe. Tot enim diebus inſigniter, nec uanum nobis lumen inſinuat, abſumpto ferè triduo, dum ſolis radios ſubit, donec in emerſum properans, conſuetum induat habitum. Dici tamen non improbè poteſt, lunari ui tunc affici aliquo modo inferiora hæc, quatenus dum agit nihil, ſubducta luminis poteſtate, nocumentum affert nonnullum, quæ incrementum adepta adoleſcentiæ uim impertitur, largius alendo ac ſucculentius amplexando. Poſtea uerò quàm de luna ſatis multa exdiuerſo congeſſimus, farraginem (ut ſic dicam) adiuuabit noſtram illud quoq;, ſi Epicureos docuerimus à Græcis, & Athenæo præcipuè Dipnoſophiſtarum libro ſeptimo, εἰκαδιστάς, id eſt Icadiſtas nuncupari, quoniam Icadas colerent, quas intelligimus ferias Epicuri nomine inſtitutas menſibus ſingulis uiceſima luna, qua natus credebatur is, quem ſuperſtitioſe adeo uenerabãtur, ut uultus geſtarent per cubicula, circumferẽtq; ſecum. Immo uerò, ut quinto De finibus Cicero ſcribit, non in annulis modò, ſed & in poculis haberent. Feriarum mentio quoq; eſt libro operis eiuſdem ſecundo.

Adulationis malum. Quid cercopiſſare. Quæ climacides. Adulatorũ appellationes diuerſæ. Crocidiſſare quid. Carphologia. Carpi, carpiſculi, carpæ, pericarpia. Capreolus. Tylæ. Crocylia. De Dionyſii adulatoribus, & Antigoni. Adulatorum cognomina plura. Colax unde, & item Cœlia, & Bucolos. Cœla. Stena. Clymenus pro Plutone. Cælius mons, qui & Querquetulanus unde. Thopica. Thopes. Tiberij & Porcelli hiſtoria. Climax quid. Cap. XXXIII

ADulationem perpetuum eſſe malum regum, quorum opes aſſentatio ſæpius quàm hoſtis euerterit, Q. Curtius ſcribit. Abs quo proditũ item ſcimus, id eſſe nationis Siculæ uitium proprium germanumq;: ſicut Græcorũ quoque, ut indicat Hieronymus: Scit ipſa, inquit, me non nota, ſed audita narrare: nec ex aliquo in me beneficio, more Græcorum, gratiam lingua reddere. Cynicum Diogenem ſcitè admodum & uerè ſolitum dicere, accepimus, κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας. id eſt, præſtare ad coruos redigi, quàm adulatoribus exponi. quoniam illi morticina modò confectentur, hi etiamnum uiuos bonosq; laniatu peſtifero excarnificare non deſinant. Et Anaxilas dixit, adulatores eſſe diuitum σκώληκας, id eſt uermes. At Pindarus quum adulatores pſithyros appellaſſet, id eſt σὺν ψιθύροις, παρὰ τὸ ἀρέμα ὑποψιθυρίζειν, id eſt ab inſuſurratione, illorum eſſe dixit ἄμαχον λακόν, id eſt inexpugnabile malum. Quin ſicuti pueris ſimia uidetur decentior pulchriorq;, itidem & imprudentium pleriſq; ac adulatorum ſæpe uideri potentes, aut dici ſapientia præcellere, ac omnifariam ſcatere bonis. Cæterũ ab ſtultis probentur illi quidem, dum ſapientibus ſimiæ prorſum ſint. At Solonem è regno egiſſe præcipitem Cræſus memoratur, quòd adulari neſciret. Poetæ item Philoxeno mortem intentabat Dionyſius, quòd eum uerſus proprios recitantem, abſurdos quidem & inconcinnos laudantibus cunctis, ſolus audiret immobilis. Quæ res, pernicioſa uitiorum eſt altrix. Ea demum, inquit Ammianus, laus grata eſſe poteſtati debet excelſæ, quum interdum & uituperationi ſecus geſtorum pateat locus. Monet Seneca, adulatoribus non eſſe præbendum latus

latus, qui artifices ſint ad captandos ſuperiores. Habere enim hoc in ſe naturale blanditias, ut quum reiiciantur etiã placeant, ſæpeq; excluſas nouiſſime recipi. Remedium tanti mali eſt, nolle laudari. Et alibi Seneca idem: Pro ſua quenq; portione adulatio infatuat. Dicamus, uos quidem dicitis me eſſe prudentem: ego autem uideo, quàm multa inutilia concupiſcam, nocitura optem. Adulatorum porrò guttur dicitur in Pſalmo ſepulchrum patens. In præceptis ciuilibus Plutarchus ſcribit: Demetrij adulatores indignum putaſſe, quo illum (opinor) arctius illaquearent, ac compeditum tenerent, cæteris regium nomen impertiri. Nam Seleucum elephantarchen nuncupabant, Lyſimachum uerò gazophylaca, at Ptolemæum nauarchum, Agathoclea neſiarchen. Idem alibi Plutarchus nil intentius cauendum, quàm adulatores monet, quoniam nullum ſit pernicioſius genus, quodq; in præcipitium feſtinantius iuuentutem agat: quippe parentes ac liberos radicitus exterunt. Relatu dignum eſt, λεροκιδίζειν uerbum adulatoribus congruere, ubi ſubblandiendo floccos piloſq; ex ueſtibus legunt, quos uocant Græci κροκίδας, item γναφάλια & τύλας. Ex quo elegantiſſimè Galenus phrenetios ſigna commonſtrans, eſſe in eis, inquit, ſtultam manuũ iactationem, κὰι κροκιδισμὸν κὰι καρφολογίαν, id eſt crocidiſmum ac carphologiam, id eſt feſtucarum collectionem. Crocylia uerò ciuitatis eſt nomen. Eadem figura dicitur ῥαγίζειν, id eſt acinos, quos uocant rhagas colligere, quod faciunt uuas comedentes: Carporum uerò in Europa copias ab Aureliano afflictas, prodit hiſtoria: quo nomine, Carpicum ſenatus eum appellauit. Quod indigne is ferens: Supereſt, inquit, patres conſcripti, uti carpiſculum etiam me dicatis. Erat autem eo nomine calceorum genus notiſſimum, unde calceis forſan indita modò plebeia nuncupatio. Olearum item uermiculi uocantur carpæ, auſtrino prouenientes flatu, ſicuti in uitibus ipes. Sed & fœnum græcum inuenio carpum appellari: quin & balſami ſemen. Encarpa in Trachiniis uocat Sophocles, euaporationes ex floribus factas & fructibus in ſacris. Pericarpia carnem intelligunt ſeminibus circumiectam in pomis. Capreolus bicorne ferramentũ eſt. Scribunt Græci, λῃκωπίζειν eſſe adulatorum uerbum item proprium, tralatione tamen à brutis ducta, quæ caudam mo tantia, quam dicunt κίρκον, ſubblandiri aſſueuerint. Id uerò noſtris literis cercopiſſare dicetur rectè. Fuiſſe iuniori Dionyſio adulatores legimus plures, quos etiam plerique Dionyſiocolacas nominant. Hi primum ſe non acutè admodum uidere aſſimulabant, quia ſic afficeretur Dionyſius. Expuenti quoq; faciem obijciebant, quam is conſpueret: nec ſatis, ſuperfluitates oris collambebant etiam: quæ euomuiſſet, melle dulciora uideri, aſſeuerantes. At Apollophanes Antigoni adulator, illius dicebat fortunã ἀλφαβηλίζειν. Sunt qui ex adulandi geſtu, adulatorem nunc paranchoniſten, nunc ſchematothecen nuncupent, quoniam ſit propémodum Proteus quidam. Pſomocolax legitur quandoq; in ueteribus libris. Eſſe is uidetur, qui panis ac bucellæ gratia, quam uocant pſomon, fuſim abblanditur. Qui uerò etiam plagas pati poteſt, pſomocolaphum (opinor) rectè dixeris. Nam & colax indidem ſibi nomen uendicat, quoniam cibum etiam colon uocent, unde & bucolos. Quin cœlia quoq;, id eſt uenter, hinc originem ducit. Cæles autem Vibenna Etruſcæ gentis dux, Cælio monti nomen cõciliaſſe memoratur, quem ob ſuppetias latas ſedem accepit ab Priſco Tarquinio, ſeu alius quiuis fuerit is: qua de cauſa etiam Thuſco data uico nomenclatura. At olim mons Cælius dictus, uti comperio, Querquetulanus, quòd eſſet ſyluæ id genus frequens fœcundusq;. Sinum Euboicum dici Cœla, ſcribit Liuius. Sed & fauces uocari cœlas, quas item ſtena nuncupent, id eſt σγνὰλ. Cyprias uerò mulieres aſſentandi artificio pernobiles, quum in Syriam tranſmiſiſſent, climacidas legimus nuncupatas, quoniam acclinatæ currum inſcenſuris regũ uxoribus gradum ſtruerent, ac uelut ſcalam arrigerent, quam uocant climaca. Eſt item ſchema, quod dicunt grãmatici climaca & climacoton. Dicitur uerò pulchritudinis ſchema, panegyricis plurimum orationibus accommodatum. Clymenum uerò coli quum audis ab Ermionenſibus, non alium (Pauſania tradente) accipias, quàm Plutonem. Nam & inibi uiſebatur hiatus, per quem eduxiſſe Cerberum Hercules memoratur. Dici autem Clymenon interpretantur, ὅτι πάντας πρὸς καλεῖται εἰς ἑαυτὸν, quod ad ſe accerſat omnes: uel ὑπὸ πάντων ἀκούμενον, id eſt quem audiunt om-

nes. Esse quoq; Plutonem hunc, testatur Epigramma de Orpheo concinnatum,

ὃς καὶ ἀμειλίκτοιο βαρὺ κλυμένοιο νόημα
καὶ κῆρ ἀμείλικτον θυμὸν ἔθελξε λύρᾳ.

Quod ad climacidas spectat, amplius aduertendū: anaboleos, id est ἀναβολεῖς dici Græcis, & Plutarcho in uita Crassi, qui equum inscensuris adiumento sunt. Sed & pro scala capi, prodit Sudas. uerbum id transferre neglexit Plutarchi interpres. Climax porrò certaminis est genus Sophocli in Trachiniis. Thopica item adulatoria intelliguntur. Nam adulatorij & ementiti sermones uocantur thopes. Ab adulationis malo nec illud seiunctum: Tiberio fortè obuenit, ut in decreto quodam uerbo uteretur haud Latino satis: id quum amplius noctu uersasset, mox rei grammaticæ studiosos consuluit: tunc Capito Ateius, Etiam si, inquit, ueterum nemo hoc uideatur uerbo usus: at nunc abs te ius accipiet, interq; antiqua recensebimus. Porcellus sermonem excipiens, Tu inquit, Romanorum hominibus, ô Cæsar, πολιτείαν dare potes, uerbis non potes.

Vitæ diuturnioris breuioris q; rationes ex philosophorū scholis: item de ratione maris & fœminæ in plantis, atq; inibi Plinius illustratur. Vlysses cur dicatur corax, seu coruus. Cap. XXXIIII

LOngioris aut breuioris uitę discrimina esse bifaria, proditum ab eminentissimis est. Sunt enim animalia quædam, quæ uitæ comperiuntur lōgioris per totā speciē, sicut homo: diutius enim uiuit hic, quàm equus. Alia uerò sunt, quæ inter se differunt. Nam inter homines habentur, quorum spatiosior uita est, quod ipsum duabus de causis contingere potest: altera promitur ex cōstitutionis ratione: ex regionū diuersitate altera. Qui in regione agunt calida & humida uel temperata, proculdubio longiora sortiūtur uitæ spatia, sicuti Aristoteles arbitratur, quā qui in frigida. Præterea, qui sanguinei sunt, annosiores degunt. Existunt enim calidi & humidi, quibus uitam consistere maximè deprehenderunt scientissimi. Melancholici uerò ratione diuersa commoriuntur uelocius: suntq; prorsum oligochronij. Neq; credendum, magnitudinē corporis uel paruitatem, esse diuturnioris uitæ causam. Equus enim breuioris est uitæ, quàm homo, & insectorum multa sunt ἐπέτεια, hoc est annuum tantum tempus degentia. Neq; item plantæ animalia exsuperant uitæ longitudine, quando inter ipsas annuæ sunt pleræq;. Neq; item sanguine prędita superant exsanguia, quoniam apes multa præcellunt, quæ sanguinem habent: nec rursus exsanguia, sanguineis diuturniora. Etenim quæ malaca uocantur, epetia quidem sunt, sed sine sanguine. Neque in terra degentia iis, quæ in mari. Nam ex terrestribus multa uix annum implent. Et in mari quoq; pleraq; sunt uitæ breuioris. Nam mollioris durioris q; testæ animalia breue admodum durāt tempus. Verum, ut ratio euidens proruatur effectus huius: ita omnino coniectandum uidetur, ut ueterum prætereamus sententiam, statuentium, fellis priuationem uideri longioris æui argumentum. Omne animal est calidum & humidum. & quod sit calidum, hinc peruincitur: Omne enim uiuens alimento indiget: alimentum in principio contrarium est, in fine simile. Vnde necessarium uidetur, id à principio aliquo intimo commutari. Hoc autem non aliud est, quàm calidum. Proinde, omne uiuens caliditatem habet. Sed calidum sine humido nequit consistere: hoc enim est proprium calidi subiectum. Propterea, quod uiuit, utrūq; habeat necesse est: his enim uita constat. Senectus uerò, quæ corruptioni proxima est, frigida est ac sicca. Amplius uerò corrupta iam, & mortua. Porrò quia senescentia exsiccātur assiduè ac necessario. Siquidem calidum assiduè in humidum agit, ac diuexat illud, simulq; seipsum. Nam humido corrupto per accidens, & ipsum flaccescat, necessum uidetur. Vitæ longioris causa agnoscitur prima, si genuina humectatio talis fuerit, ut non facilè arescat exteraturq; ab intimo calore. Proinde pinguia longioris uitæ sunt. Nec facilè cōputrescunt. Illud enim pinguedinis proprium, ut partes agglutinet, quia uiscidi habet multum, & inde aeris quoq; plurimū, pingue enim aereum est. Aer autem sic se habet ad aquam & terram, ut ignis ad omnia elementa. Qui illorum respectu imputrescibilis est. Itaq; & aerem respectu aquæ & terræ nescire putredinem, certum est. Deinde si humectum hoc non pingue solum, uerum cum calore compari fuerit

rit copioſum, conſequetur ratio ſecunda diuturnitatis uitæ. Nam ſi humidum proportionem non habet ad calidum, largitate ſua & redundantia illud præfocabit, uel ipſum concreſcet. Propterea inquit Ariſtoteles, δύο γὰρ τὰ αἴτια, πότε ποσὸν καὶ τὸ ποιόν. id eſt duæ enim cauſæ ſunt, quantum & quale: quod eſt, multum eſſe quidem, ſed non extra proportionem. Qua ex cauſa, inquit, homo diuturnitate uiuẽdi multa præcedit animantia. Quibuſdam uerò animãtibus humidum ineſt pingue, indeq; duo proueniunt. Nam eiuſmodi humectum non exſiccatur facile, quod iam diximus. Rurſus nec facile frigeſcit, quum pingue aereum ſit. Aer uerò calidus: quod uerò calidum eſt, non ferè concreſcit, immoq; nec pinguitudo. At in quibus fuerit aquaticum humidum, uitæ procul dubio ſunt breuioris. Tale enim humectum craſſius eſt frigidiusq;, immoq; etiam concretioni obnoxium. Cæterum ex ijs quæ iam nobis expoſita ſunt, euidentius illa pernoſcũtur. Quum ſit genitale ſemen ſuperfluitas digeſtionis tertiæ, etenim calidum percoquens plus ſæpe digerit, quàm ad nutricationem uideatur neceſſariũ & augmentum, idq; ſuperfluum fit ſemen: quæ frequentius coeunt, breuioris ſunt uitæ, & maturius ſenectute conficiuntur. Nam quum ſuperfluum eiuſmodi intemperantia coitus egeſtum fuerit, id demum emittitur humidum, quod nutrimento deſtinatum à natura fuerat, unde exſiccatio conſequitur. Inde fit, ut muli equos exſuperent uiuendi diuturnitate. Itemq; uniuerſim fœminæ mares, quia plus hi egerant urinæ genitalis, quod & in paſſeribus perſpicuum eſt. Alioqui quum ſit mas calidior fœmina, & uitam longiorem ſortiri eum, nõ diſsimile ueri eſt. Quam rem & in plantis intelligimus, etiam ſi impropriè maſculus & fœmina dicũtur in ijs. Maſculus ſiquidem propriè eſt, qui in aliquo generare poteſt: fœmella, in qua generari poteſt: qua ratione maſculus & fœmina eſſe in plantis non queunt. Ea tamen diſtinguũtur appellatione, quòd quædam illis inſint maſculorum proprietates & fœminarũ. Nam quia maſculus maioris eſt uirtutis ut plurimum, quàm fœmina: ideo planta, cui maior uis adeſt fructus promẽdi, maſculi indepta nomen eſt: cui autem minor, fœminæ. Et Ammianus Marcellinus maritari palmas tradit, ac ſexum facile diſcerni: quin & fœminas concipere marium illitas ſeminibus, adeoq; inuicem oblectari, ut enixius ſeſe appetentes, ne proflatu quidẽ ualidiore auerti queant. Hæc uerò ideo exſequuti ſumus, ut Pliniana eruditio amplius innoteſceret: ſic enim Naturalis hiſtoriæ libro tertiodecimo legimus: Arboribus, immo potius omnibus quæ terra gignit, herbisq; etiam, utrunq; ſexum eſſe, diligentiſsimi naturæ tradunt. Quum tamen Ariſtoteles libro De animalium generatione primo, marem à fœmina non ſeparari in ijs ſcribat. At Dioſcorides Syluæ medicinalis libro ſecundo: Anagallidis, inquit, ſpecies duplex, flore differens: quæ enim cyaneum habet, fœmina dicitur: quæ phœniceum, mas. Quin & De ſtirpibus libro tertio Theophraſtus: Arborum, inquit, differentia publica eſt, qua fœmina masq; diſtinguitur: quorum alterum fructiferum, alterum ſterile aliàs eſt: ubi uerò ambo fructifera, fructum meliorem præſtat fœmina: niſi fortè mares eas libeat uocare: ſunt enim quibus ita uideatur. In Aſclepio autem Mercurius: Deus, inquit, ut omnia, utriuſq; ſexus fœcunditate pleniſsimus, ſemper uoluntatis ſuæ prægnãs parit, quicquid uoluerit procreare. Amplius Hexaemeri tertio cũ magno Baſilio Ambroſius: Eſt etiã, inquit, quod mireris: nã ipſis ſexus pomis in eſt, in eſt arboribus ſexus diſcretio: quippe palmam uideas, dactylos quæ promit, plerunque ramos proclinantem ſuos, ſeſeq; ſubmittentem, ac concupiſcentiæ & amplexus ſpeciẽ quodãmodo arbori prætendentem, quam marem palmam nuncupant ruſticorum pueri. Palmam igitur illam fœminam intelligunt, quæ ſexum ſubiectionis ſpecie confitetur. Quo ſanè argumento agricolationis periti ramis eius dactylorum, uel maſculæ palmæ ſemina præſtruentes, ueluti perfunctionis ſenſum infundunt, ac expetiti concubitus exhibent gratiam. Quo affecta munere ſurrigitur denuo, ac planè hilarior comam protollere animaduertitur. Verũ quia de uitæ diuturnitate loquuti multa ſumus, ſciendum, Vlyſſem ab Lycophrone coraca dici, hoc eſt coruum, ὅτι ὁ πολυχρόνιος, quoniã ætate iam feſſus interijt, ab Telegono interemptus, quem ex Circe ſuſceperat: cuius rei uel Oppianus commeminit.

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN LIBROS LE-ctionum antiquarum Lodouici Cælij patrui, ad dominum Antonium Campum ciuem Rhodigij, Præfatio uicesimaprima.



Eatam ciuitatem, quæ sapientum consilijs rectè gubernetur, doctissimorum antiquorum sententia comprobatum esse, nemo est qui ambigat: quum felicem illam dixerint eius dominis aut philosophantibus, aut philosophis dominantibus: utpote qui rationabili mentis intuitu inducti, quæq; innoxiæ probitati dissona fuerint, proficua sint, an nocua perscrutati, solam ueritatis tutelam aucupati confoueant: cuius claritate subiectorum mentes illustratæ, de facili conquiescunt. His libenti adhæsi animo, quos patriæ patres dicere non abnuentes, consequuti eorum iudicijs, unanimes cõquiescunt. Quorum consortio te probissimè Antoni Campe ascriptum cognoscens, qui & priuatorũ negotiorum factura, & publicorum magistratuum administratione, quibus uiros ostendi iudicatum est, apud omnes tantæ auctoritatis haberis, ut eorũ animos in te perpensos allexeris, naturali quodam (ut sic dicam) innato impetu, tanto affectu me deuinctum reddidisti, ut tibi semper deditissimus, nihil in me habeam quin in tuæ probitatis commodum cedere destinauerim. quòd & si tenuioris meæ fortunę paruitate saginatè tibi palàm facere nequeam, antiquum id olfactus adagium, Mola quidem salsa litant, qui non habent thura: in huius certioris certitudinis uadimonium uolumẽ hoc uigesimumprimum literatissimi patrui mei maximis uigilijs primò elucubratum, pòst castigatissimè reformatum, tui inscriptione ædendum curaui. Quòd & si munusculum quidem pauxillum sit, tibi tamen gratissimum fore non dubito: qui ab ipso humanioris literaturæ principia adeptus, talis euasisti, qualem te nunc nostra cognoscit respublica. Id igitur lubenti accipies animo, meq; tibi deditum, doctissimiq; tui præceptoris nepotem fouendum cura. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI VICESIMVSPRIMVS.

Cur ſexus uterq; minus in plantis diſtinguatur. Cur Iupiter dicatur mas & fœmina. De Proteo nõnihil. Iupiter phyſicus qui. Cur Herceus Iupiter ocu lorum trium. Iupiter imperator. Pentapylon Iouis. Arbores in quo ſimiles habeãtur inſectis, & quo differant. Inſecta cur ſi diſſecentur uiuant, ſed non diu. Cingere arborem quid ſit.

Caput I

AETERVM quia huc producti ſumus, cum Platonicis ita poſſumus contemplari. Maſculina uirtus & fœminina, id eſt generandi & concipiendi, quæ in animalibus ſunt diſcretæ, coniunctæ in plantis ſunt in eodem plantæ corpore: ob hoc duntaxat, quia natura plantæ ita eſt inſerta cõmuni naturæ, ſicuti plantæ corpus communi corpori. Vis autem maſculina & fœminina ad naturam pertinentes coniunctæ ſunt in uniuerſali natura, quamuis in aliis ſeparatæ. Sicut uiſus, ubi perfectus eſt, uim perſpicacem habet, cum illuminante coniunctam: ſimiliter intellectus. Sic Orpheus naturam mundã numq; Iouem marem uocat & fœminam, eodem modo & Mercurius. Hac ratione aeris animam Iouem Iunonemq; appellant. Nam & phyſicum Iouem, quum dicebãt, uti prodit Theon, aera intelligi uolebant, quando ut aſtruunt Stoici, hic eſt, ὁ διὰ πάντων διήκων, id eſt per omnia commeans. Hunc & Protea dixere nonnulli, quod innuit Homerus, quum ait,

γίγνεται ἠέρι ὕδωρ καὶ ἀγνὸν ἔνδρεπον ὑλιπέτηλον, καὶ πῦρ.

Eſt utique hic omnium fons. Sed redeo unde ſum digreſſus. Animam terræ non ſolum Cererem dicunt, atq; Veſtam: ſed etiam Plutonem cum Proſerpina coeuntem. Sic uero hæc allegoriam habent, ueluti & illud, Iouem tribus inſignem oculis, quorum unus modò foret in fronte, reliqui uti aſſolet, Priamo fuiſſe patrium deum, id eſt πατρῷον, in aulæ hypæthro, id eſt ſubdiali portione, ad cuius aram capto Ilio defugerit: quod Pauſanias ſcribit. Eius ſimulacrum eſt mox Argos tralatum à Sthenelo Capanei filio. Trium oculorum ratio prouidentiam continet triplicem: nam cælo imperare creditur, ſed & apud inferos ab Homero, Ζεὺς τε καταχθονίοις dicitur καὶ ἐπουρανίοις πρυτανεύειν. At Aeſchylus Euphorionis etiam in mari Iouem uocat. Illud commonuero, eſſe qui Hercium Iouem non à uallo, intra quod coleretur, nuncupatum aſtruant, uti ferè creditur, ſed ab arcendo, quoniã mala putaretur arcere, proindeq; flatilem non admittere. Hercion pro domo accipi, adnotauit Sophoclis interpres. Nec obiter præteriero, ex Præneſtina urbe tranſuectum Iouis imperatoris ſignum, inq; Vrbis regione octaua collocatum. Sed in Palatina regione Pentapylon Iouis arbitratoris fuiſſe legimus. Sed à diuerticulo repeto fabulam. Coniunxit uero natura ſexum utrũq; in arbore, quia nequit hæc ad aliam coeundi gratia progredi: quamuis alibi alter præualeat, tunc; appropinquare plantas, neceſſe eſt. Verum quia in uitales rationes uolentes incidimus, id obiter inſertum huic parti attexemus. Plantas eatenus conſimiles entomis uideri, quatenus ut entoma, ſiue inſecta, interciſæ uiuunt. Eius ratio, inquit Thomas, reddi poteſt, quoniam eis inſit anima actu quidem una, potẽtia uero plures. Hoc tamen differre deprehenduntur, quod entoma præciſa conſectaq; uiuunt quidem, ſed non perdiu: cuius ratio euidens. Nam ſi perdurare diutius deberent, organa illis diuerſa forent neceſſaria, ut os & ſtomachus: quod non fit. Neque enim habere poſſunt in qualibet corporis portione principium, quo nutrimentum admittant: immoq; nec perſeuerare diſſecta diutius queunt. At plantæ reciſæ uiuunt diu, quoniam in qualibet ferè parte potentia & uirtute germen habent ac radicem. Hoc uero in nodis fit, propterea durant, quia tra here alimentum ualent: gignunt quoque, quum germinandi inſita ſit uis. Cingi arbo-

rem obiter intelligi uoluere antiquiores, ubi quis nocumenti proposito per ambitum delibrasset corticem, quo intermoreretur planta.

Climactericos annos à Ptolemæo haudquaquam probari. Caput II

SCribit uero in Noctibus Atticis Gellius, obseruatũ in multa hominum memoria expertumq́, senioribus plerisq́ omnibus sexagesimum tertium uitæ annum cum periculo & clade aliqua uenire aut corporis morbiq́ grauioris, aut uitæ interitus, aut animi ægritudinis. Hunc item annum appellari tradit climactericum, id est gradarium uel scansilem. Cuius mentionem quoq́ in Epistola ad Caium Nepotem Augustus fecerit. Proinde uitæ breuioris unũ id esse argumentum, colligunt ex doctioribus plerique. Siquidem auctor Iulius Maternus est, propterea sexagesimum tertiũ annum ætatis præcipuè uideri periculis insignem: quoniam numerus uterq́, septem & nouem, qui decretorij maleficiq́ sint, & ad uitam succidendam pollentes, in unum quasi confluant: nouies enim septẽ, & septies nouem sexagintatres efficiunt. & ob id climactericus præcipuè annus is uocatur: quia à septimo incipiens, uitam hominis quasi per gradus quosdam agat. Ita & quinquagesimus quartus, & alij minores climacterici nuncupantur, quoties aut per septem aut per nouem cõsurgunt. Ad ipsa porrò hæc respectare Senecæ illud uidetur ex septimo De beneficijs: Sic, inquit, in hoc studio multa delectant, pauca manent: licet nescias, quæ ratio Oceanum effundat, ac reuocet: quare septimus quisque annus ætati signum imprimat. Cæterum illud grauissimè adnotandum, altiusq́ omnino menti imprimendum, summis quidem uiris rationes hasce numerales arrisisse plurimum, propterea q́ plurium uoluminibus insertas. At astrologorum princeps Ptolemæus, atq́ in ea decuria prudentissimus, ex asse placita eiusmodi reiecisse atque allisisse, animaduertitur. Quando sua se dogmata perscripturum pollicitus, id se præstaturum ait, non per partes & numeros ineffaces, & causæ rationem non habentes, quæ superfluè multi, nulla ad persuadendum ratione fabulantur. Nam quum numeros dicit, dodecatemoria significare deprehenditur, & qui climactericos annos ex numerorum obseruatione sola conficiunt, ut enneadicos & hebdomadicos.

Quibus constet sanitas, quibus'ue consurgant morbi. Cur tam longæui ante diluuium. Cur Cyrnij macrobij. Mellis præstantia in producenda uita. Democriti historia. Manna quid. Proegumena in morbis quid, & catarchonta: item accessio, & paroxysmus. Hygienus qui. Item gymnastes, ac pædotriba. Caput III

SAnitatem, Alcmæon scribit, isonomia contineri, hoc est æquabilitate facultatum quarundam, humecti uidelicet, calidi, sicci, frigidi, amari, dulcis, & id genus aliarum. Quòd si monarchia se in his ostentarit aliqua, tunc uero cooriri morbos, & mox consequi interitum. Diocles ægritudinum plurimas innasci ex elementorum in corpore anomalia scribit, καὶ τὸ κατασήματος. Erasistratus in alimẽti copiam & cruditates corruptionesq́ morborum causas reiecit, quippe moderationem & αὐτάρκειαν, id est sufficientiam esse sanitatem. Obseruatũ in Galeni thesauris, Similarium quas uocant partium sanitatem, calidi, frigidi, humidi & sicci symmetria constare: quod uerbum Latinè commensum dicas, uel etiam cõuenientiam. Instrumentalium uero, similarium coaptatione ac responsu, numero, magnitudine, figura. Vbi uero iustum ac summum incrementum, id est (ut nuncupant Græci) ἀκμὴν, indepta fuerint corpora, mox arescentibus nimio plus uniuersis, reddimur planè macilentiores & rugosi quoq́. Qui sanè status animalis appellatur senium: cuius analogum in plantis dici φύανσις solet, siccitate moriens & ipsa. Quæ genitis interitum præstruit insita ui. Est & alterum ex substantiæ ipsius fluore, ob caloris potestatem inductum exsuperans malum ac ineuitabile: unde citra docentem ingenerantur cunctis escæ ac potus desideria, instaurandis quæ per momẽta euanescunt. Sicca restituit cibus, humecta uero potus. Accedit his spiritus reciprocatio & arteriarum pulsus, quis aeream igne amq́ substãtiam insigniter confouemus. Et unus hic quidem tuendæ sanitatis scopus: nam alter excrementitiæ feculentiæ spectat egestionem. Cæterum de ijs alibi fusius.

Stoicorum

Stoicorum ſcholæ calidi defectu obrepere ſenium autumant. Aethiopas anno triceſimo conſeneſcere, Aſclepiades arbitratur ex ambuſtione ſolari. Nam frigoris ratione diuerſa, in Britannia ætatis anno centeſimo ac uiceſimo ſenium contingere. Obſtipari ſiquidem in ijs locis corpora, obſeptumq; ſeruari genuinum calorem, qui euaneſcat in Aethiopibus, ſolis ui laxatis eorũ corporibus. Sed cur nam adeo longæui ante uniuerſalem terrarum inundationem homines fuiſſe narrantur? A Chriſtianis theologis eius rei rationes promuntur aliquæ: corporibus quippe bene compactis parentum primorum, tam longæ ætatis beneficium præcipuè aſcribendum, rentur. Quæ temperaturæ bonitas quo abierit longius, eo degenerarit magis. Conſequebatur & uictus moderatio inſignis, necnon alimenti præſtantia. Cui à diluuio multum acceſſerit prauitatis, quoniã dilutiora euaſerint omnia, terræ item ex Oceani ſalſedine uberi fertilitate corrupta. Suppetebat porrò principibus illis uiris omnifaria herbarũ, fructuũ, lapidumq; ſcientia, quibus produci uitam in immenſum ſalutari temperamento, ac inenarrabili ope tunc potuiſſe, non ferè diſſonum uero eſt. Aderat & benignior clementiorq; ſydèrum aſpectus, quem motus rotata uertigo annorum ſerie numeroſa demutarit. Sed affuit in primis ſapientiæ diuinæ prouidentia ſagax inculpabiliſq;, ea maximè ratione mortalis naturæ incrementa procurantis. Auctor Athenæus ſcribit, Cyrnios qui Corſicam incolant, ideo eſſe macrobios, ſiue polychronios malis dicere, hoc eſt longæuos: quoniam mellis cibo utantur aſſiduè, quod apud eos in buxo natum (ut Bibliotheces ſexto ſcribit Diodorus) habetur copioſius. Et interrogatus Democritus, quo'nam pacto ſanum quis poſſit agere: Si interna, inquit, melle rigaris, oleo autem extima. Quin Pythagoræ conſectatorum menſa pane conſtabat melleq;, ſicuti prodit Ariſtoxenus. Ille uero ipſe Democritus, quum ingruerent Theſmophoria, ne domum funeſtaret, rogatus, dies aliquot uitam produxiſſe dicitur ſola mellis anaphora, id eſt euaporatione: quanquam alij calentium panum odore id factum malunt. Alioqui melle oblectatus aſſiduè philoſophus is in annum centeſimum nonumq; fati diſtulit diem. Non præteundum uero, quod in ſanctis literis nuncupatur manna, dici à Græcorũ ſcientiſſimis aeromeli, ceu aereum intelligi mel uoluerint. Propterea ſic finitur, ἡ ἄνωθεν χορηγουμένη τροφή. Dicitur & angelorum panis, ceu ab angelis ſuppeditatus. Sunt qui ambliſion uocent quoq;. Manna eſſe rorem, ſcribit Auicenna, qui fiat diuerſus pro excipientium rerum qualitate. Mel denique dijs eſt ac hominibus gratum, quòd in altaria fauus uenit: & mel ad principia conuiuij & ſecundam menſam adminiſtratur. Illud fuerit auctarium ex Therapeutices primo: Morborum cauſas in ipſo concinnatas coortasq; animali, πρηγούμενα nuncupari: ſicut extrinſecus morientes, προκατάρχοντα ἄτομα. Nec illud relatu indignum: apud Plinium ac Celſum dici acceſſionẽ in morbis, quam Græci paroxyſmum ſcitè nuncupant, ubi in febre, ſeu ſtata fuerit, ſeu erratica, ab redeunte malo in pugnam irritatur naturæ uis. Compertum id nobis quoq;: eum qui tuendæ ſanitatis artem profiteatur omnifariam, ὑγιεινὸν ab Græcis nuncupari: ſicut gymnaſtem dicunt, qui ea modò teneat, quæ exercitij ſunt. Nam & appellatione ea ſic utitur Eraſiſtratus. Pædotriba uero ſic eſt ab gymnaſte diuerſus, uti à medico coquus: nanque hic betam, lentem aut ptiſſanam alias alia condit ratione, nec tamen quas habeat quodq; eorum uires, nouit ſatis. At medicus nil horum uti coquus condiet, uerum eius quod fuerit concinnatum, uim ediſſeret ſcienter. Itidem gymnaſtes omnium planè exercitiorum uirtutes ac rationes pernouit. Pædotribam non latent palæſtrici motus, latet autem quid eorum efficere quiſque ualeat.

An mors ulla dici naturalis poſſit. Naturale, non uno intelligi modo. Fatum capi pro natura. Virgilij locus explicatur. Caput IIII

QVoniam uero in uitæ uel contractæ uel productioris contẽplatione diu iam uerſamur, inferamus & quæſtiunculam fortè doctrinarũ myſterijs nunc primum initiatis futuram non omnino iniucundam, Sit'ne mors ulla, quæ dici recte naturalis poſſit. Ac eſſe quidem preclaris magnisq; auctoritatibus ſuffulciri ac comprobari ualet. Nam primo Canonis Princeps: Et hæc eſt, inquit, naturalis mors, cuicq; indiuiduo deſtinata ratione cõplexionis primæ ad metam, quam ſuapte ui con-

ui continet ad intimam humectationem conſeruandam. Idem apud Ariſtotelem in libro De morte ac uita, non incurioſus lector comperiet. Sed & primo De ſanitatis moderamento Galenus, capite primo, duas eſſe naturales corruptiones ſcribit, quas productorum corporum nequeat ullum euadere: altera eſt, quòd areſcimus perpetuo: altera ſubſtantiæ effluxus inceſſanter genuini caloris ui conficit. Verum enimuero argumentari aduerſum hæc modis aliquot planè licet. Ac primum quidem, quod Ariſtotelis teſtimonio in Moralibus, eſt ultimũ terribilium mors: proindeq; haudquaquam naturalis: quippe quod naturale nuncupatur, amicũ quippiam & conueniens ſimul amplecti uidetur. Porrò ſi dicitur morbus, corporis habitus contra naturam, quanto id de morte cõſtitui probabilius poteſt? An non uitam dicimus naturalem? id ſi eſt, mors contra naturam erit, uelut contraria. Deinde ſi præter naturam ſenectus, eo amplius mors ipſa. Deniq; ſi eſſet homini mors ulla naturalis, eſſet nimirũ ſecundum naturam, aut ratione formæ, aut ratione materiæ. Siquidem in formam & materiam natura diſtribuitur, ex ſecundo Auſcultationis phyſicæ. Verum ex forma non contingit mors, quum ſit immortalis anima. Non item ex materia, quoniam & hæc ipſa perſeuerat eadem ſub utroq; tranſmutationis termino. Cæterum, ut ambagioſæ quæſtionis diſcutiatur nubilum, ſcire oportet, non uno tantum modo dici naturale. Nam quandoq; ut artificiali oppoſitum, intelligi neceſſe eſt: cuiuſmõdi eſt ex materia & forma coaptatum corpus, quæ naturæ dicuntur, quod in ſe habet motus & ſtatus principia: ſicuti legitur in ſecundo De auſcultatione phyſica. Alia item ratione nũcupatur naturale, ut aduentitio obiectum, ſiue poſt generationẽ comparato, quod Moralium ſecundo innuit Ariſtoteles, quum ait, Nullum eorum quæ naturaliter exiſtunt, aliter inſueſcere. Et ſeptimo eiuſdem tituli uolumine, Facilius eſt, inquit, conſuetudinem immutare, quàm naturam. Ideo nanq; & conſuetudinem demutare difficillimum eſt, quia naturæ ſimilis eſt: ſicut canit poeta Euenus. Tertio modo dicitur naturale, quod rei neceſſariũ eſt, cui naturale traditur: ad eamq; materialis, formalis aut finalis cauſæ habitudinem poſſidet: qua ratione medicorum peritiſſimi, res naturales ſeptem prodidere. Quarto modo naturale aliquid intelligimus, quod cuipiam congruit, ut ſit, uel ut conſeruetur. Sic enim eſſe naturalem equis auenam pronuntiamus, & locum locato. Poſtremò naturale eſt, quòd neceſſario rei naturam conſequitur, cuius eſt, ita quòd in ea exiſtentiæ ſuæ principium habet. Huic uero naturali uiolentũ ex aduerſo conſtituitur. Qua ratione, ut eſt Meteororum quarto, putrefactionem eſſe naturalem colligimus, ambuſtionem uero uiolentam. Quin in libro De maraſmo, ſenium à Galeno ſecundum naturam conſtituitur: Nec tamen, inquit, ſicuti connutricatio & crementũ: ſunt enim hæc naturæ opera, ſenium uero non opus, ſed affectio conſequens neceſſario. Quando animantiũ nulla in lucem prodijt uitalem ſenectutis neſcia. Proinde ſecundum naturam obuenire eſtimatur, ut quæ neceſſariò conſequatur omnia, quæ à natura diſpenſantur. Quo ſanè modo & mortem eſſe naturalem, colligi poteſt: quæ ineſt homini ex materia phyſica iam poteſtatibus animæ ſubſeruire amplius nequeunte. Quam quidem materiam eſſe corruptibilem ſcimus, nec manere eandem ſub utraq; tranſmutationis meta: ſicuti manere hylen, prudentiſſimi naturæ rerum comprobarunt. Hanc uero moriendi naturam etiam fatum dicimus. Nam & quinto Auſcultationis phyſicæ Ariſtoteles fatalem nuncupat generationem, quæ ritu fiat naturæ. Hinc Virgiliani carminis diſcutitur nubilum ex quarto Aeneidos,

Nam quia nec fato, debita nec morte peribat.

Quippe quod ſecundo loco poſitum eſt præcedentis expoſitio uidetur, qui mos eſt Virgilio uel frequentiſſimus. Quid enim eſt fatalis mors, aliud quàm debita & naturali proueniens diſcraſia? Sunt quibus tripartita Seruij diſtributio amplius arrideat: fatalis, naturalis, fortuita: quando & Cicero ait, Multa mihi imminere uidebantur præter naturam, præterq; fatum: quem locum perpendit Gellius, ſed ita, ut incertiores ſimus quàm prius: ipſe ſic, ut Maronem, interpretor. Nam extra fati rationem non eſſe uiolentam mortem, quam planè indicabat orator, ex ſecunda Philippica liquet: Cloodij, inquit, te fatum, ſicuti C. Curionem manet: quoniam id domi tuæ eſt, quod fuit illorum

rum utricꝫ fatale. Audio ab elementarijs noſtram uellicari ſententiam, ſed non mirum faciunt, ſi quando ſupra ferulam ſapere cœperint, quanquam difficilimum ſit, incinent illud ſibi, alabaſtrus unguenti plena nobis putet. Siquidem ex uepreculis extracta nitedula publico excuſſa bono conatur arrodere.

Aphetica in cælo quæ dicantur ab aſtrorũ peritis, & qui aphetæ: item apheteria quæ ſint. Aphanetæ ſtellæ, ac ſynodicæ, & acronyctæ. Proſthetes planetæ, ac aphæretes. Caput V

INter alia quę haud parum multa ſuis complexi uoluminibus ſunt eius addiuinationis ſectatores, quæ de ſyderum ratione concipitur, ſi modò concipi ulla poteſt: obſeruatum nobis id quoꝫ, quod & arripuimus, quando labor hic noſter planè miſcellaneus eſt, ac (ut ſic dixerim) congeſtitius. Eſſe in cæleſti templo loca quædam, Græco nuncupata uocabulo aphetica, carcerum imagine quadam, quas uocant apheterias. Dicũtur uero ſic, quoniam inde uitalem auſpicemur decurſum: ſicuti aphetas item appellauere annorum diſtributores, quos ex apheticis locis putant, quodam uelut afflatu, procurſum in uitam elargiri, perinde ac à linea certantes emittuntur quadrigæ. Eſſe uero aphetas Ptolemæi obſeruatio arbitratur ſolem, lunam, horoſcopum, partem Fortunæ, & prædominantes in illis locis erraticas ſtellas. Sunt qui aphetas dici opinentur radiorum emiſſores, ſeu iaculatores, aut proiectores. Illud uero ex literis eſt noſtratibus: Aphetas quoꝫ dici Magneſiæ ciuitatem, facto inde nomine, quod in illis locis Herculem liquerint Argonautæ. Appellant & eodem uocabulo locum prope Athenas, ubi Xerxis primum infeliciter cõcuſſa ſit claſſis. Apheteria uero genere neutro machinas obſidendis urbibus accommodas ſignant. Aphanetas, id eſt ἀφανήτας, uocant ſtellas, id eſt abſconſas, ut quas Solis orbe contegi, manifeſtum fiat: quo ſanè argumento ſynodicas nuncupant, uelut cum ſole commeantes. Nam acronyctas intelligunt, quæ tunc oriantur, quum occidat ſol. Aphæretas dicunt planetas numerum imminuentes, quando efficiuntur tardiores. Nam ratione diuerſa, addentes ad numerum uocant προσθήτας.

Super Hermogene ex Græcis deprompta quædam periucunda. Cap. VI

INgeniorum illud præcox genus non temerè unquam peruenire ad frugem, dictũ eſt à grauiſſimis auctoribus. Id ſi alias unquam, in Hermogene deprehenſum maximè eſt. Cui uix dum pubeſcenti uim ingenij miram & doctrinam minus peruulgatam, neꝫ ex triuio (quod aiunt) natura indaginì adnexa curioſiori ingeſſit, adeo ut natus annos duodeuiginti artem concinnarit rhetoricen, quæ non citra admirationem omnium atteritur manibus. Nec indignum putarit philoſophus Muſonius declamantẽ præſentia ſua honeſtare. Immo uero nec Marcus imperator, ad quem extant uerba illa: ſicuti auctor Philoſtratus eſt: Venio, inquit, ad te imperator pædagogo indigens rhetor, quem etiamnum ætas moratur. Quo nomine à Marco munificè dimiſſus eſt. Cæterum ipſe hic ingenioſus adeo, & ultra ætatem diſciplinis imbutus expolitusꝫ, agens quartum & uiceſimum annum mente lapſus eſt, nulla euidenti cauſa. Propterea Antiochus ſophiſtes ita in eum eſt cauillatus, ἑρμογένης ὁ γὴ πᾶσι γόρωι, γὴ δὲ γέρουσι πᾶις. quod noſtris uerbis eſt, Hermogenes inter pueros ſenex, inter ſenes puer. Quod & in prouerbium duci poteſt, de ijs quorum ingenia concitata primo, & uegeta deflacceſcunt mox, ac ueluti bulla euaneſcunt. Fuerunt & qui urbanè iocarentur, uerè appellaſſe Homerum λόγους πτερόφντας, quod eos ueluti pennas abieciſſet Hermogenes. Vixit quidem diu, ſed ut unus ex multis. Memoriæ proditum eſt, mortui corpore diſſecto, cor hiſpidum fuiſſe repertum, ſed & magnitudine uiſenda.

Procœmio male uti, quid ſit: item de Philagro ſophiſte: item dici procœmium pro hymno. Caput VII

PRocœmijs male uti, tralatione pereleganti de ijs dicitur, qui negotium quod piam obituri, initia, & quæ conatum præcedunt, minus uident, aut curant. Sumptum id ex Attici Herodis uerbis, quibus Philagrum ſophiſten repercuſſit, ὀλίγας μοι, ἔφη, οὐ καλῶς προοιμιάζεσθαι. uideris, inquit, mihi procœmijs non

non bene uti. Illum uero ijs coarguebat, quòd parum accuratè auditorum beneuolentiam uenaretur, quam esse constat, ueluti proœmium declamaturo, & sese ostentaturo. Fuit Philagrus hic, Cilix patria, Lolliani auditor, sophistarum uehementissimus, sed & maximè iracundus. Narratur quandoq; dormitanti auditori pugnum in malam impegisse. Natura porrò difficilis erat, & minus tractabilis, quæ res nec ipsum fefellit: nam scitanti amico, quid ita non placeret ei filios tollere, Quoniam, inquit, nec mihi ipsi placeo. Apud Thucydidem dici animaduertimus, ἐκ προοιμίου ἀνθόλωνος, quod ex hymno interpretantur, quando & hoc indicet proœmium. Id uero adnotatum ex historia tertia. Ratione porrò haud absimili, epilogo male uti scitè dicitur, pro eo quod est infeliciter rebus uel dictis coronidem impingere. Nam Herodoto calculum apponente, epilogum dicimus, quicquid factis uel sermonibus loco ultimo adijcitur, κάρτα τε ἐοικότως ἱερεῖσιν τοῦ ὠιδλόγου. Proœmium cœnæ legimus apud Athenæum, quo nomine intelligi uidentur, quæ inferuntur primum. Ipsum id indicat ferè propoma quoq;.

De Aristide Adriano. Qui dicantur uomentes. Scomma in Philippum.

Caput VIII

ARistidem patria Adrianũ ex Mysia, Eudæmonis filium, proditur, dicendi copia & ui expressisse Marco imperatori, ut Smyrnam motu terræ ac hiatibus labefactatam, & funditus penè euersam restitueret: cum monodia, hoc est oratione querula & flebili frequens eliceret suspirium, mox uero etiam lachrymas, ac demum intulisset, ζέφυροι ἐρήμῳ αὐτὴν καταπνέουσιν. hoc est, desolatam perflant Zephyri. Erat quandoq; in Ionia imperator Marcus, necdum Aristidem nouerat. Euocatum ergo ad se ita interrogare perrexit: Quando, inquit, te audiemus? Hodie, ait ille, proponas, cras uero audias, οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμουτῶν, ἀλλὰ τῶν ἀκροβουτῶν. hoc est, non ex uomentibus sumus, sed ex eorum numero qui accuratè dicunt. Vomentes uero intelligebat, qui extemporali uterentur oratione. Ad quam quum minus ipse procliuis foret natura, ut assolet, rem totam ut incuriosam aspernabatur irridebatq;. Hic porrò Aristides scommate Philippum lacessere, non expauit, quum Arimaspos μονομμάτους, id est unoculos illi cognatos dictitaret.

Vomentes item qui dicantur. Pompeij scomma in Marcellinum. Vomitus ratio. Drimyphagia quid. Cotabissare. Lecanion. Lecane. Lebetion. Scapha. Ecbolia, & phthoria, item emetica. Caput IX

SEd enim scitu non iniucundum, uomentes dici non hosce modo, de quibus facta nobis mentio est, uerum & luxu item diffluentes eodem intelligi uerbo, ut qui repletione nimia uomere sæpius cogãtur. Digni prorsum hoc nomine, qui in morem pinus exterantur, sicuti Lampsacenis olim esse interminatum Crœsum, Græcis credimus, ni ueternum primo quoq; excutiant tempore. Scitissima est Pompeij ad hoc ipsum sententia. Nam dissidente illo apertius iam cum Cæsare, Marcellinus ex ijs unus, qui essent ad honestiorem locum à Pompeio producti, eum in senatu proscindere grauius cœpit, ut qui Cæsaris partes mutato consilio, foueret. Quo nomine commotior Pompeius, Nónne erubescis, inquit, ὁ Marcelline, dum honestè minus de meis rebus loqueris? An excidit, Opera mea ex muto te uocalem factum, ἐκ δὲ πεινατικοῦ ἐμετικόν, hoc est, ex famelico quoq; uomitorem? Certe qui auidius in dies epulis distenduntur, & ultra quàm genuinus stomachi calor perficere queat, infarciuntur, aut quotidianam cruditatem Laconicis excoquunt, aut uomitu leuant, aut catharticis extrudunt. De uomitu, primo Canonis Auicennæ: Quum, inquit, uorãdi assiduitate repletio superfluxerit, aut eius quod est in stomacho quispiam inundauerit motus, ad uomitum est festinãdum. Sed & alibi Princeps idem: Hippocrates, inquit, uomitum collaudauit quot mensibus per biduum nõ intercisum, ut sequenti educatur, quod priore haud quiuerit. Hac autem ratione sanitatis pollicetur securitatem. Sed frequentius hoc agere, arbitratur malum. Nam & Rasis quarto Almansoris: Vomitus, inquit, admitti frequenter haud quaquam debet, inde nanq; stomacho insigne infertur nocumentum, quippe cuius uirtus destruitur. Rarenter si fiat, approbatur uel Galeni auctoritate, quarto De utilitate particularũ. Sed & Rasis idem

post

poſt nimiam cibi ingeſtionẽ fieri ſuadet, aliàs durum eſſe ait. Alibi uero uomitus temperati hæc recenſet emolumenta, in primis expurgari ſtomachum ſcribit, digerendi facultatem effici auctiorẽ, corpus detergi ac nouari, caput cum ſenſu leuius fieri, uiſum acui. Plinius undecimo Naturalis hiſtoriæ: Vomitiones, inquit, homini ad hæc in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculis, maxime autem dentibus. Cornelius Celſus Medicinæ primo, Vomitum quotidianum ei qui ualere ac ſeneſcere optarit, reiiciendum commonet: nam & Aſclepiades in uolumine De tuenda ſanitate, uomitum excluſit: offenſus puto eorũ conſuetudine, qui quotidie reiectando uorandi facultatem moliuntur. Nam plerique (ut cenſorie queritur Seneca) uomunt, ut edant: edunt, ut uomant: epulas quas toto orbe conquirũt, nec cõcoquere dignantur. Et alibi idem auctor: Quid enim, oro te, liberale habent iſti ieiuni uomitores, quorum corpora in ſagina, animi in macie, & ueneno ſunt? Plutarchus porrò uomitus & alui ductiones medicaminum ui, eſſe ſcribit μίαρὰ πάραμύθια πλησμονῆς. id eſt, mala repletionis ſolatia: certandum potius ὑδροποσίᾳ καὶ ἀσιτίᾳ, id eſt aquæ potu ac inedia, decurrendum πρὸς κλυσῆρα, id eſt ad clyſterem. Medicamenta uero eſſe ueluti echolia et phthoria, quibus intemperantes mulierculæ partum abigant, ut impleantur denuo & Veneriis perfruantur delicijs. Illud non tranſiluerim: eſſe Græcis drimyphagiã, quum ciborum acremẽta, ſiue (ut ait Palladius) acredines quæruntur, quibus obturbetur ſtomachus, atque ad uomitum fiat procliuior. Emetica uero cenſentur, id eſt ad uomitum propẽſiora, quę ſunt θυρυσάδη, id eſt pectoris lati. Ex grãmaticorũ uero theſauris illud eſt, Bene potos quoſdam uomere conſueſſe: id nõnulli κοτταβίζειν dicunt, ſiue cotabiſſare. Vas eiuſmodi negotio accommodum dicitur lecanion, item lebetion. Sed & ſcapham nuncupauit in Anagyro Ariſtophanes. Lecanion & delicatus dicitur cibus. Lecane peluim indicat: unde illud parœmiodes in Lucullo apud Plutarchum, λεκάνη δὲλφὶνα οὐ χωρεῖ, Delphina peluis non capit: utimur innuentes re pretioſa quem uideri indignum. Sicuti apud Seleuciam ſuperbe pronũtiauit rhetor Amphicrates, quum amplius rogaretur, artis ſuæ documenta inibi promeret.

Nil prorſum corpori indulgendum uoluptatis nomine. Iuliani imperatoris hiſtoria. Sophoclis dictum. Carcerem inſtruere, quid ſit. De Platone, Pythagoreis, & Plotino, & Ageſilao. Cap. x

DIcato non minor bene uiuendi, quàm ſciendi magiſter, Tantum, inquit, corpori indulgendum, ut philoſophiæ miniſterium præſtare poſſit. Nam & apoſtolus Paulus ille celebratus magiſter gentium, Non oportere, ait, nos prouidentiam aliquam corporis habere uoluptatum nomine. Quoniam qui curioſius intentiuſq; illi uacant, animam uero cuius eſt imperare proprium, deſpectui habent: nil admodum ab ijs diuerſi uidentur, qui ut organa q̃ optima habeant, ſummo ſtudio conquirunt: artem uero, cuius gratia comparantur, negligunt. Quamobrem, inquit magnus ille Baſilius, ratio diuerſa potius ſeruãda. Nam caſtigare corpus, & compeſcere illius impetus, ut immanem quandam belluam, oportet, & eiuſdem aduerſus animam temerarios motus rationis habenis compeſcere: nec uoluptatibus frena remittere, animæ curam prorſus abiiciendo, ne inſtar aurigæ, impetu equorũ & uiolentia rapti feramur in præceps. Nam imperator Iulianus, qui in Perſica interijt expeditione, turpiſſimum uideri pronuntiauit, animæ prædituũ excellentia, corporis gaudia captare. Quod ab eo dictum ueriſſime inde abunde liquet, quoniam ab coniugis interitu Veneriis prorſum abſtinuit, ceu attentius obſeruaret, quod de Sophocle apud Platonem legimus, lętari eum iam ſeneſcentem conſueſſe, quia prędabidi tyranni tendiculis euaſiſſet. Menſa uero, ut ſomni parſimoniam non memorem, adeo utebatur tenui, ideoq; admiranda, ut uideretur alioqui ad inopiam recaſurus. Ariſtotelis decretum eſt ex Moralium ſecundo, In uniuerſis ab uoluptate cum primis cauendum, quando de ipſa incorrupti haud iudicamus. Proinde ut Troiani ſenes, inquit, erga Helenam ſeſe habuerunt, ſic & nos ad uoluptatẽ ipſam eſſe affectos decet, paſſimq; illorum uti uocibus: hoc enim pacto ab ea ſecreti minus delinquere cõperiemur. Propterea Pythagoram ferunt, quum audiſſet quendam ex familiaribus, cibis exercitatio

nibusq́, ut pinguis fieret curare, dixisse, Non cessare illum molestiorem sibi carcerem instruere. Quæ res cedere in prouerbium potest de ijs qui teterrimi mancipij, ut sic dicam, saginæ intenti nil omnino suspiciunt, uel prospiciunt: sed proni, uelut pecora, terrena modo meditantur & cogitant, tanquam quod supra nos est, nostræ omnino curæ non sit, optimeq́ cum illis decidat fortuna, si numerosis & fumãtibus patinis titillatur relanguescens appetitus, distenditur uenter, Sardanapali obuoluuntur plumis, anima uoluptatum congerie remollita fatiscit. Neq́ uenit in mentem, Platonem, quum corporis habitudine uteretur nimium prospera, quæ ueluti uitis luxurians foret resecanda, Academiam insalubrem Atticæ locum delegisse, qua quod redundans nimiumq́ sentiebat, loci intemperie supprimeretur. Quid, quod peritissimi ex medicis astruunt, summam corporis ualitudinem esse periculosam? Ita profecto est, corpus hoc animi pondus ac pœna est, premente illo urgetur, in uinculis est, ni sapiẽtiæ studium accesserit, & illum respirare naturæ rerum spectaculo iusserit, ac à terrenis dimiserit ad diuina. Equidem maiores sumus, & ad augustiora geniti, quàm ut corporis nostri mancipia simus, quod non aliter inspectare decuerit, quàm ut arctius libertati nostræ obiectum, circunductumq́ uallum, ac planè loriculam. Huius habitaculi ueneficijs imbuti ac deliniti, ut Porphyrius scienter & sensit & docuit, altiore hic opprimimur somno, propterea diuina contemplaturis abstinentiam ab animalibus necessariam arbitratur. Quando & ueterum sapientum plericq́ omnes summa declinabant cura, quicquid animam arctius corpori adnecteret, ac (ut sic dicã) ferruminaret. Vnde notissima Pythagoreorum expetita solitudo ac templorũ lucorum' ue inhabitatio: & quorũdam etiam celebrata occæcatio, ne quid usquam foret, quod contemplandi suauitatem interpellaret. Tantum aberant, ut corporis saginæ uacarent attentius, qua carcer obsepitur durior. Temperare nequeo mihi, quãdo huc producti sumus, quin Plotini philosophi sæculo illo singularis sententiam ad hæc maxime facientem, huic inseram loco. Auctor siquidem Porphyrius est, uirum hunc summa sapiẽtia, pudore quodam affici solitum, quòd anima eius esset in corpore, proindeq́ quibus esset ortus parentibus, neq́ etiam qua patria oriundus, æquo animo narrasse. Idem quinimmo tantopere indignabatur, effigiem corporis tradere pictoribus & plastis exprimendam, ut quum Amelius obsecraret, ut imaginem suam permitteret effingi: Quasi uero, inquit, non satis hanc imaginem ferre sit, quam natura nobis ab initio circumdedit, etiam censes imaginis huius imaginem diuturniorem insuper posteris, ut opus spectaculo dignum, relinquẽdam. Scribit Xenophon, quod proposito nostro uehemẽtius inhæret, Agesilaum illum magnum & Spartanorũ regem, corporis imaginem sibi statui summa ui abnuisse, quum id ei gratificatum irent nonnulli. Cæterum animi elaborare monumenta, nunquã destitisse, quum ita conciperet, Illud statuariorum, hoc suum ipsius esse opus: rursumq́ id esse locupletum, hoc autem bonorum. Meminit historiæ in quadam ad Luceium epistola etiam M. Tullius. Sed redeo ad Plotinum, cuius morientis uerba literis planè aureis, & si quid auro reperitur etiamnum pretiosius, perscribenda: quia quid nostrum cuiq́ meditandũ obeundumq́ sit, summa ueritate præscribunt, non duxi per incuriam transmittẽda. Nam quum iamiam foret animam acturus, perrexit ad eum inuisendum Eustochius, sicuti ab eodem relatum sibi, Porphyrius scribit: habitabat is Puteolis. Ad huc (inquit Plotinus) te expecto, atq́ equidem iam adnitor, quod in nobis diuinũ est, ad diuinũ ipsum quod uiget in uniuerso, redigere. spiritumq́ his uerbis emisit. Quamobrem omne studium adhibere, ut corpori quàm optime sit, hominis esse uidetur seipsum ignorantis, nec intelligentis oraculum uiri magni, Non esse hominem id quod uidetur. Nec cuiusmodi sit honesti facies, quæ si oculis cerneretur (ut in Phædro docuit Plato, & est à M. Tullio repetitum) mirabiles amores excitaret sapientiæ. Corpus certè uiuentis hominis, quia sit planè carcer, ab Homero semper dicitur demas, sicut mortui soma: quoniam ut docuit Plutarchus, relinquatur ceu σῶμα. Esse autem Plotinum humanis perfunctum, scribit Firmicus, quum per totam eius cutem magnis humoribus nutrita pestis erupit, ut putre corpus, deficientibus membris, corrupti sanguinis more tabesceret, perq́ omnes dies ac horas, serpente morbo, minutæ uiscerum partes

tes defluerent:& quicquid pauloante integrum uideras,ſtatim confecti corporis exul ceratio deformaret,ut ſic corrupta & diſſipata facie, tota ab illo figura corporis diſcederet,ac in mortuo(ut ſic dicamus)corpore ſolus ſuperſtes retineretur animus.

Homo uerus quid ſit, ex Platonicorum ſententia.Duas eſſe quodammodo in nobis animas. Valeriani imperatoris uirtutes eminentiſſimæ. Cap.XI

QVamuis autem maiore ſit opus ſapientia,ut quiſque noſtrum quid tandem ipſe ſit,perſpicere ualeat,& ex unguibus(quod dicit)agnoſcere:præſertim quod ſingularis neceſſaria uidetur mentis expiatio,ſine qua ueluti lippitudine craſſiore obſeptis obſtipatiſq; oculis uibrans ſolis lumen pati nequimus.Naturę intima certe pertingere,prorſum impoſſibile.Expiationum uero illa efficax in primis, uoluptatum, quas ſenſus pernicioſi ſatellites prætendunt, contemptus. Tamen in præſentia pro uiribus promere iam enitar, quæ mihi Platonicorum magiſtra lectio ſuggerit,ex qua uelut cella quadam proma, mira ſæpe nobis ſufficitur rerum excellentia.Igitur hominem uerum,inquiunt,non eſſe corpus,illud argumento eſt,quoniam hoc utimur ut inſtrumento. Neq; item eſt uita corpori propria & adnexa addictaq;, quando hæc nobis eſt cum brutis quoq; communis, & quia nonnunquam huic ratio ipſa,per quam ipſi ſumus,aduerſatur & imperat. Non porrò quiddam ex corpore & eius uita propria conſurgens,hoc enim eſt animal.Non denicq; ex anima rationali & uiuente irrationali coniunctum,quoniam ex indiſſolubili et diſſolubili unum conficinequeat.Sed quod & antea multo fuiſſe ab Homero uate ſancitum,acute compro bat Plutarchus,hominem eſſe animam,id eſt ſubſtantiam incorpoream rationalem,ex diuino quidem intellectu exiſtentem, in ſe uero conſiſtentem,corpori autem nõ inhærentem,ſed potius aſſiſtentem,atq; ipſa ſui præſentia uitam hanc producentem in corpore, ex qua & ipſo corpore compoſitum animal appelletur. Vita autem huiuſmodi animatio & uiuificatio dici debet:communi tamen licentia,illam quidem animam dicimus primam,hanc uero ſecundam,atq; à prima eiuſq; uiribus ſecundam,uiresq; eius oriri. In prima quidem ab intellectu ratio,à ratione imaginatio proficiſcitur. In ſecunda,uires quoq; tres præcipuæ ſunt:imaginatio,id eſt communis ſenſus quidam:deinde ſenſus exterior in partes quinq; diuiſus:poſtremo potentia genitalis,quæ & natura uocatur,generationis,augumenti,nutritionis origo.Porrò non eſſe animam cõpoſiti partem,in libro De beatitudine ſignificat Plotinus,ubi ait,Animã non eſſe cõiuncti portionem,teſtatur ipſa eius à corpore ſequeſtratio. Vbi ſeparationem intelligimus duplicem:unam per moralem philoſophiam,qua ſe à perturbationibus corpori ſeruiẽtibus ſegregat:alteram per contemplatiuã,qua ſe à ſenſibus et imaginatione ſeiungit.Debet uero philoſophus ad utentem rationem inſtrumentũ hoc cõuertere, ut ei libentiſſime pareat,& rationem ipſam ab hoc uſu ſeuocare, quoad fieri poteſt,ad contemplandum. Vel id prorſum agere quod Valerianus,de quo quũ de cenſore creando in ſenatu ageretur,ita pronuntiatũ uoce omnium una, ſcribit Trebellius Pollio, Valeriani uita cenſura eſt:Is de omnibus iudicet, qui eſt omnibus melior: is de ſenatu iudicet,cui nullum inuri crimen poteſt:is de noſtra uita ſententiam ferat,cui obijci quicquam nequit. Valerianus uel ab incunabulis tantum non cenſor fuit: Valerianus in tota uita cenſor,prudens ſenator,modeſtus,grauis,amicus bonis,tyrannorum hoſtis,criminoſorum inimicus ac uitiorum multo magis. Cenſorem hunc accipimus, imitari hunc omnes uolumus,genere hic eſt primus,ſanguine præcellens,uita emendatus,doctrina clarus, moribus inſignis,exemplũ antiquitatis. Hic tamen talis tantusq; mox imperator ab Perſarum rege Sapore infeliciter captus memoratur.

Hominem ab alijs finiri ex anima corporeq; concinnatum. Homo interior & exterior qui ſit. Cap. XII

ATqui dicat aliquis,uideri quidẽ hæc acute ſatis ſolerterq; excogitata,eſſe tamen prẽter communem hominum conceptum,quando ut Auguſtinus ſcribit,nõ totus homo,ſed pars melior hominis anima eſt:at quũ eſt utrunq; coniunctũ ſimul,tunc demum cõſurgere conflariq; hominis nomen.Quod tamen & ſingula ſibi uendicent, ſiquidem cõmuni quadam

loquendi lege, illatum conditorio hominem pronuntiamus, corpus tantum intelligentes: rursumq; ad cælestia tralatum, aut in barathri supplicia intrusum, dum animam modo significamus. Cui rationi seu cõsuetudini calculum adjicit etiam scriptura, animam interiorem appellando hominem, corpus uero exteriorẽ, ceu duo plane sint homines, quum simul utrunq; sit homo unus. Significare obscurius hoc ipsum Eustathius quoq; animaduertitur, ubi ὠὼς inquit, id est ipse, nunc quidem dicitur de anima tantũ, nunc de corpore uel mortuo: ut apud Homerum,

ὠὼς δὲ ἐλώρια τοῖχι κώεσι.

Nunc uero & de utroq;, id est homine cõposito. Proinde perpendendũ amplius, qua ratione dicatur homo ad imaginẽ dei factus: & esse item terra pronuntietur, denuoq; in terram abiturus. Dici nanq; illud rationalis animæ intuitu, palã fit acrius inspectanti, qualem deus insufflando, uel (si cõmodius dicitur) inspirando indidit homini, id est hominis corpori. Hoc autẽ corporis ratione, qualem hominẽ ex puluere finxit Deus, cui & animam est impertitus, ut sic concinnaretur animale corpus, id est homo, in animam uiuentẽ. Varro item ille doctissimus, quum animaduertisset, in hominis natura duo esse quædam, corpus & animam, addubitauit primum, an hominis appellatione intelligi tantum anima deberet, cui ita foret corpus, ut equiti equus: an corpus tantum aliquo modo se habens ad animam, sicuti ad potionem poculum. Mox uero hominem non animam solam statuit, non item corpus, sed quod ex utrisq; cõsurgit: proinde summum hominis bonum, quo euadat beatus, ex utriusq; rei bonis constare.

Adam & Euæ allegorica ex Platonicis significatio. Cap. XIII

VErum nec uacantis operæ fuerit, attexuisse huic potissimum loco, qua ratione Mosaicam doctrinam, & uelata mysteria Plotinus, Origenes, & Ammonius per allegoriæ acumina secretiora sint interpretati, etiam si facta nobis alibi quoq; mentio est. Astituunt enim primum personas duas, hominem ipsum quasi Adam, & humanum animal inde emanans atque degenerãs, quasi Euam, quæ ex consopito Adam tracta narratur: quoniam animal ex se tunc propagat anima, quando ex priore inter cælestes uigilia ad naturalia labens, diuinorumq; oblita iam dormit, & somniat. Proinde tunc affundere uitam corpori dicitur, Euæ nomine significatam, quæ & prior errore deuio prolapsa, illius denique suffragium impetrat. Quamobrem quum esse traduntur duo in carne una, duas uelut in corpore uno animas recte accipi posse, arbitrantur. Verum, hæc sint illorũ placita, nos ne latum quidem unguem à Christianorum patrum scitis reuellimur.

Argiuo scuto dignus, prouerbium, quam rationem habeat præter Zenobij sententiam. Certaminum festorum præmia uaria. Sagma quid. Plutarchilocus explicatur ex Arato. Defenditur lectio in Lactantio grammatico. Scutum sacrum. Sigmata in scutis. Sagmaria. Solenoides. Scutariæ fabricæ, & id genus aliæ. Cunicularij. Sacos cur dicatur. Scuta genibus illisa quid indicarent, ac quid peruersa. Cap. XIIII

ARgiuo clypeo dignus, dicitur ex parœmia, ut Zenobius scribit, de eo qui eximia ob generositatem ueneratione sit dignus: idq; ex argiuorum ueteri more propagatum, quo honestioribus pueris cõtribueretur honoris, ut scutum gestantes pompam ducerent. Cæterum, quę fuerint eius rei initia, non ferè traditur. Ego tamen omnem (quod dicitur) lapidem proruens uideor aliquid eruisse certius, quod & protinus hisce libellis insperſi. Legimus uero, fuisse Argiuorum regem Enhippum felicitatis miræ, cuius clypeum, qui apud Græcos insigniter rem gessisset, accipiebat, ut per urbem incedens honestaretur, unde obrepserit in ignauos prouerbium, cuius etiam meminerit Callimachus. Mentio item & regis & scuti, est apud Papinium hisce uersibus:

Celsam subeuntibus arcem,
In gradibus summi delapsum culmine templi
Arcados Enhippi spolium cadit, æreus orbis.

Lego item in Græcis auctoribus, apud Argos celebrari consuesse festa certamina Hereæa

ræa quę dicerentur, ac Hecatombęa: in quibus uincenti æneũ contribueretur ſcutum, ſicuti apud Achaiæ Pellenem in Theoxenijs, ac Hermæis chlæna, quam nos lænam dicimus. Apud Marathonem in Heracleis argentea phiala. Quippe hoc genus panagyres paſſim in Græcia celebrabantur, uti Thebis Iolaia, quæ & Heraclea: Megaris Diocleia: apud Aeginam Aeacia, & Delphinia. In Geræſto Gereſtia propter Neptunum. Amarynthia in Eubœa. Porrò in hac ſcuti mẽtione addamus & aliud quod uſui ſit legiſſe: ſcuti thecam dici ſagma, teſtimonio Ariſtophanij interpretis in Comœdia cui titulus ἀχαρνῆς, ſuper eo poetæ uerſiculo, τὶς γοργόν' ἐξήγειρεν ἐκ τοῦ σάγματος; quis Gorgona excitauit ex ſagmate? Nam ſage, inquit, id eſt σάγη, ſcutum indicat: unde & panſagia dicatur panoplia, id eſt armatura. Sagmatis meminit etiam Sophocles, κἀμίσατ' ἐχνη σὺν καλοῖσι σάγμασι.

Lactantius grammaticus in Thebaidos nonum: Corythus theca, inquit, arcus ſolius, ſicut pharetra ſagittarum, ſagma ſcuti. Quem tamen locum uelut repaſtinaturus quidam, expuncta lectione tum uetere, tum etiam uera (ut conſtat) ſacconiam repoſuit, errore manifeſtario. Sagma inuenies & apud Pollucem Onomaſtici ſeptimo, καὶ σάγμα τὸ ἐλύβου, τὸ τῆς ἀσπίδος. ſed & libro decimo, ſagmata iumentorum ex quorundam ſententia, Philippicorum quinto inueniri, ſcribit. Quin & Leuitici quintodecimo: Sagma ſuper quod ſederit, immundum erit, quo nomine uel ſellam interpretãtur, uel inſtratum, quo mollior fiat ſeſſio: proinde in Hebræo equitaturam haberi. Sagma pro aceruo accepiſſe Plutarchus animaduertitur in Catonis ſenioris uita, εὗρε μόλις ἓν πολλοῖς σάγμασιν ὅπλων, καὶ νεκρῶν σώμασι. Non prætereundus Plutarchi eiuſdem locus in Arato, quem ſcribit apud Corinthum paraſſe πρᾳξικόλας μικρούς. & mox aſſuiſſe εἰς σάγματα: quod capſas indicare interpres eſt ſuſpicatus. Tradunt Græci, canthelia dici aſinorum ſagmata, & quæ his imponuntur, texta uiminea. In puppibus quoq; procurua ligna ſcænæ gratia ſtruendæ, canthelia uocari. Sigmata ſcutorum inuenimus apud Xenophontem Rerum Græcarum quarto: ea uidentur fuiſſe inſignia elementi figura, quibus uterentur Sicyonij, οἱ δὲ ἀργεῖοι ὁρῶντες τὰ σίγματα ἐπὶ τῶν ἀσπίδων, ὡς σκυωνίους, οὐδὲν ἐφοβοῦντο. Et mox, πολύσει ὑμᾶς τὰ σίγματα ταῦτα. Ab ſagmate porrò ſagmarias dici mulas, animaduertimus. Sagmaria Sudas interpretatur, τὰ βασαζοντα τῷ ἀρσκόλῳ, καὶ μεταφορικῶς τῶν ὠνητελείων. Equum ſagmarium leges apud Lampridium in Heliogabalo. Scuta quædam comperi ab Dione in Macrino dici ἀσπίδας σωληνοφόλεις, tanquam fiſtulæ aut aluei præferrent imaginem. Eſt apud Arrianum ſcuti ſacrimentio, quod de Palladis templo quum detraxiſſet Alexander, eo ſemper prælato, prælia ineibat. Scutarias fabricas legimus quandoq;, ſicuti & loricarias, item arcuarias, in quibus ſagittæ, miſſilia, caſſides, omniaq; armorum genera coaptari conformatiq; in exercitu etiamnum aſſuerant: ubi, quicquid uſum ex ſe præſtaret commodum, non inſuper habebatur, quando & cunicularios nec defuiſſe, palàm ſit, quibus una ducendi per ſubterranea cuniculos, Beſſorum more, incumberet functio. Scutum Græci quandoq; σάκος dicunt, ab Sacis inuentum primo, uti coniectatum grammaticis eſt. Non prętereundum uero quod in auctoribus eſt obſeruatum, ſi genibus illidantur ſcuta, proſperitatis uideri indicium plenum. Nam quum haſtis feriuntur clypei, iræ documentum eſt, ac doloris inſigne. Verum, ſi peruerſa geſtentur ſcuta, defectionis indicium eſt uel apertiſſimũ. Porrò ſcutum hoſtibus oſtentaſſe, proditionis fuiſſe argumentum, palàm hiſtoria ſexta Herodotus facit. Illud uero ex hiſtoria ſuperpondium fuerit: oſtentabat Aphricano iuniori adoleſcens quidam affabre compactum ſcutum, & exquiſitius expictum: at is, Decet, inquit, Romanum uirum in dextra magis, quàm in ſiniſtra ſitam ſpem putare.

Iouem lapidem iurare, apud Gellium quid ſit. Ciceronis locus explicatur ex Epiſtolis. Priui ſilices. Priuæ uerbenæ. Cap. XV

Ellij ex primo Noctium Atticarum uerba hæc ſunt: Iouem, inquit, lapidem, quod ſanctiſſimum iuſiurandum eſt habitum, paratus ſum ego iurare, Virgilium hoc nunquam ſcripſiſſe. Quæſitum memini ex me à doctiſſimis iuuenibus, dum Patauij iſta muſſitaremus, quid ſibi uellet lapis Iupiter apud Gel-

lium auctorem perilluſtrem & facundię haudquaquã extritæ obuiæq́. Reſpondi tum pro tempore, arbitrari me loci eius nubilum Sexti Pompeĭ enarratione diſcuti clariſſi me, apud quem legiſſem, iuraturos per Iouem, lapidẽ tenere ſilicem ſolitos, eiuſmodi ferè uerba enuntiantes, Si ſciens fallo, qui me deſpicit, ſalua Vrbe arceq́, bonis eĭciat ut ego hunc lapidem. Ad quam uerborum conceptionem amplius penſitatiusq́ inſpi cienti, alluſiſſe M. Tullium liqueret Epiſtolarum familiarium ſeptimo, per maximam interpretũ hallucinationem: ita enim ſcriptum inuenias, Delicię uero tuæ noſter Aeſo pus eiuſmodi fuit, ut ei deſinere per omnes homines liceret: is iurare quũ cœpiſſet, uox eum defecit in loco illo, Si fallo ſciens. Meminit T. Liuius ab Vrbe condita libro pri mo & uiceſimo: Eaq́, inquit, ut rata ſcirent fore, agnum læua manu, dextra ſilicem reti nens, ſi falleret, Iouem cæteros q́ precatus deos, ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet, & ſecundum precationem caput pecudis ſaxo eliſit. Sed & alibi Ti tus Liuius idem huiuſmodi iuriſiurandi formulam latius exſequitur. Verum, ſi quid etiamnum ſubſultare uidetur apud ingenia lectionis multæ, & id genus quæſtiunculis perexercitata, audiant queſo Polybium ita ſubſcribentem: Ergo, inquit, Carthaginien ſes deos patrios iurati ſunt, deinde Romani, per lapidem ſecundum uetuſtiſſimum ri tum, Martis Quiriniq́ numinibus additis, iuſiurandum præſtiterunt. Ritus uero lapi dis fuit huiuſmodi: Fecialis ſumpto in manibus lapide, poſtquam de fœdere inter pa tres conuenerat, hæc uerba dixit: Si recte ac ſine dolo malo hoc fœdus, atq́ hoc iuſiu randum facio, dĭi mihi cuncta præſtent felicia: ſin aliter aut ago aut cogito, cæteris om nibus ſaluis, ſolus ipſe peream, uti lapis hic è manibus meis decidet. Nec loquutus plu ra, manu lapidem excuſſit. Apud Græcos irroborauerat mos, ut iurantes mydrum te nerent: eſt autem eo nomine ignitum ferrum, fœdusq́ tandiu perſeuerare compreca rentur, quandiu latuiſſet mydrus, quem mox in mare deĭciebant. Meminit in Anti gone Sophocles. Sed & Callimachus,

φωκείων μέχεις καὶ μύϊγ μέγας ἐν ἁλὶ μύδρος.

Priuos lapides ſilices, priuasq́ uerbenas ſecum fœciales ſolitos ferre, prodit Romana hiſtoria.

Haſtarum auctoritatem fuiſſe ueteribus religioſam. Materæ deæ. Haſta pu ra, & præpilata quæ ſit. Sceptrum Agamemnonis pro deo. Tyli ferrei. Ha ſtam & caduceum mittere. Caducei ratio. Quid cerycium, & quid ceryces. Seneca declaratur. Præconum ſpecies. Plutarchi locus reſtituitur ex Pelo pidæ uita de Alexandri Pherei haſta. Cap. VI

HAſtas, in ueteribus memoriis legimus, regĭ faſtigĭ inſigne diadematis lo co fuiſſe, quas dixere Græci σκῆπτρα. Nam & à rerum origine deorũ im mortalium uice cultas, obſeruatum item eſt. Ex cuius ritus memoria diu quoq́ cuſtoditum, ut deorum ſimulacris adderẽtur. Hinc lectum eſt, eſſe in Sicilia urbem, cui nomẽ Aegion, antiquiſſimã quidem & dearum reli gione celeberrimã, quæ Materę nuncupentur, quarum ſimulacris tum Meriones, tum Vlyſſes haſtas affixerint, inſcriptis etiamnum dicantium nominibus. Scribunt Apol lonĭi interpretes, ab Cæneo adeuntes compulſos per haſtam iurare: cui, neglecto deo rum cultu, preces fundebat, rem quoq́ faciebat diuinam. Quippe factus elatior, ut ſcri bit Euſtathius ſuper Iliados primum, quòd Neptuni munere ex puella uir eſſet factus, prætereaq́ inuulnerabilis, & (ut Graeci dicunt) ἄτρωτος, in fori meditullio ſurrectam fixit haſtam, proq́ deo cenſeri iuſſit. Sed & Pheræus Alexander immanis tyrannus ac ſanguinarius, quum auunculum Polyphrona peremiſſet, haſtam qua facinus obierat, coronatam ſacrauit, eiq́ ut deo rem facere diuinam perrexit, tychona appellans, id eſt τύχωνα: puto, quòd ictu haud foret fruſtratus, παρὰ τὸ τυγχάνειν. Locus hic eſt planè interpellatus in Pelopidæ uita, incurioſe admodum, ne dicam inſcitiſſime donata La tinitate. Quin & in T. Liuiĭ hiſtoria ab Vrbe condita libro quadrageſimo, lectum eſt, nuntiaſſe pontifices inter prodigia alia, haſtas motas. Et libro primo ſecundi Punici belli, Lanuuĭ haſtam ſe commouiſſe, quam ſcilicet Iunonis ſignum tenebat: ſed & ha ſtam Martis Præneſte ſua ſponte permotam, idem tradit. Curitinq́ Iunonem dictam

tradunt

tradunt ab huiuſmodi haſtæ latione, quæ lingua Sabina Curis diceretur: quod Sextus Pompeius refert. Vnde à priſcis inſtitutum, ut nubentiũ caput haſta comeretur, quam cælibarem nuncupabant, quod ſint in Iunonis tutela matronæ conſtitutæ. Eius certe ſigillum in pilo ſublatum Plutarchus tradit. Qui auctor item eſt, lanceam in regia poſitam fuiſſe Martis nomine inſignem. Lancea quoq; donari ſolitos, qui in bellis acriter ſtrenueq; pugnantes laudem meruiſſent. Id ideo inſtitutum Sextus Pompeius refert, quia haſta, ſumma armorum & imperij erat: quamobrem & captiuos ſub ea ſolitos uæ nire, quos Græci λογχαλώτους ἢ δορυλήπτους uocant. Sicinium Dentatum Plinius ſcribit fuiſſe donatum haſtis puris duodeuiginti. Haſtam puram grammatici intelligunt ſine ferro. Id enim fuiſſe præmium apud maiores eius qui tunc primum uiciſſet in prælio, ſicuti ſcriptum in libris De gente populi Romani: unde poeta nobilis,

Ille uides pura iuuenis qui nititur haſta.

Donatus puram quidem accipit ſine ferro: ſed addit, pacis id eſſe ſignum, non belli. Præpilatas inuenimus haſtas dici, quæ ferreas habent cuſpides, quaſi præferratas: quanquam & præpilatum ſit quoq;, quod ferro utiq; caret, ſed in mucronem tamen eſt exacutum, ut locuſtarum cornua, quibus natant. Præpilata uidentur Græcis & Herodoto hiſtoria ſeptima, recte dici τυλωτὰ, uelut callo obdurata, quod τύλον uocant. Ruidũ pilum in Plinio accipiunt eruditi, non tam quòd ferrum non habet, quàm quòd aſperum impolitumq;. Auctor ex Artemidoro Strabo eſt, Megabaros Aethiopas cõſueſſe clauis quas geſtitant, addere tylos quoq; ferreos. Cheroneos legimus ex diis omnibus colere præſertim ſceptrum, quod Vulcanum affabre feciſſe, Homerus ſcribit, datumq; Ioui, à quo diu poſt ad Agamemnonem peruenerit. Appellant autem δόρυ, id eſt haſtam. Templũ quidem publice nullum ei dicatum uiſebatur: nihilominus quot diebus res illi fiebat diuina, apponebatur & menſa omnifariam carnibus ac bellarijs onuſta. Legimus fuiſſe uetus adagium, quod ex Pauſaniæ monumentis eſt, haſtam & caduceum mittere, quod eſt (ut arbitror) permittere, ut pro arbitrio quis bellum ineat, ſiue etiam pacem amplexetur. Docet id Polybius libro quarto: Quod quum, inquit, Rhodij intellexiſſent, propoſitum ſuum ad finem perducere cupiẽtes, legatum ad Byzantios Aridicem miſere, ac cum eo Polemoclem cum triremibus tribus, uolentes, id quod in prouerbio eſt, haſtam ſimul & caduceum Byzantijs mittere. Aut de ijs dicatur qui adhortantur quidẽ, ſed interim etiam minantur, uel qui pacem utiq; oſtendunt, ſed bellum mox inferunt. Scimus præterea Carthaginienſes, quum bellum uellent, Romam haſtam miſiſſe. Caduceum uero eſſe pacis inſigne apud Græcos, caduceatorum quoq; nomen demonſtrat: ſic enim uocantur, qui ad pacem mittũtur legati. Apud barbaras gentes, inquit Polybius, florentes capiti corollas impoſuiſſe, pacis ferè eſt atque amicitiæ ſignũ. Qua uero forma caduceus foret, ita in Græcis auctoribus adnotatum inuenimus: Cerycium, inquiunt, lignum erat rectum, utrinq; duos cõtinens ſerpentes implexos inuicem, ita ut ſe mutuo & ex aduerſum intuerentur, quales illi uocant ἀντιπρόσωπους. Ferunt id caduceatores, & inde illis iniuriam intuliſſe, maximum habebatur nefas. Et rectum quidem lignum συμβολικῶς & operte orationis rectitudinem ſignificat: ſerpentes uero impliciti caſtra caſtris iuncta nobis innuunt occultius, quibus ſe diſſidentes conciliatura uoluntates, orationis inſerit uirtus. Sed de caduceo aliqua item in medẽdi ratione Plinius, plura Macrobius in Cœnis. Cerycium uero, ne quem Græca offendat dictio, caduceum planè ſignat. Nam eſſe id legatorum geſtamen, finit Pollux, quando & Mercurij uirga dicitur ὑμηνίνη ῥαῦδος. quanquam & Cerycia uocant præconum ſeu caduceatorum mercedes, qui nuncupantur Ceryces. Habebantur uero hi generis non unius: nam alij myſtici erant, ſic dicti à Ceryce Mercurij filio, & Pandroſi Cecropis filiæ. Fuiſſe hos Athenienſes proprij generis, tradunt multi, & munus eorum minus fuiſſe uulgare, coniectatio certa eſt. Nam & Seneca ſcribit: Non uis niſi conſul, aut prytanis, aut ceryx adminiſtrare rempublicam. Cerycum honeſte meminit in Decem rhetorũ uitis Plutarchus. Fuere certaminũ item præcones, alij etiam in pompis, quidam uenalium quoq;. Cerycium porrò etiam præconium ſignat. Dicerem plura, ſed alieno loco ſatis multa: niſi quòd Euſtathij ſententiam pręterire nequeo

tradentis, Caduceatores aut cerycas fuiſſe ἀσύλους, id eſt nefas fuiſſe à quoquam uiolari, quod crederentur θεῖον γένος, id eſt diuinũ genus, ex origine quam præſtruximus: proinde in Odyſſea Vlyſſes exploratoribus comitem adiecit ceryca, ἀφ' ἑνὸς ἄσυλον, Achilles uero cerycas Iouis nuncupat nuncios & hominum, quoniam ſacrificiorum quoq; miniſterio adeſſent. Athenæus quinetiam coquinariam exprimẽs dignitatem, eius eſſe argumentum cerycas Athenis ſcribit, qui & coquorum & butyporum haberent ordinem: quod prodidit Clidemus Protogoniæ primo. Ceryca item dicunt Græci, nos buccinum.

De auctionum haſta & magiſtris. Cicero & Fabius explicantur. Item locationum & ſalutis haſta. Cap. XVII

QVia uero dicebatur Romæ auctio haſtæ, res uel imperitis notiſſima, quũ publice ciuium bona diſtraherentur, hinc refrixiſſe haſtam eleganter pronuntiamus, quum deſitum tandem ſignificamus, ceſſatumq; uel à magiſtratu uiolento & ſordido, aut tyrannica rabie deſæuiendi in miſerorum bona. Nam & M. Tullius eloquenter & ſcite, haſtam Cæſaris refrixiſſe, dixit. Sed & haſtam ſperare ſcelerati ac perditi homines dicuntur, quod ex eadem eſt farina, qui ciuium affectant bona. Sicut haſtam uibrare dicuntur, qui ſanguinariam huiuſmodi conſectantur auctionem. Cicero De officijs ſecundo, Dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint & ſperabunt. Quam P. Sylla quum uibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem trigeſimo & ſexto anno poſt à ſceleratiore haſta non receſſit. Lucius uero Sylla, quantum nobis ſuggerit hiſtoria, addidit & uocem intolerabilẽ. Nam quum poſita in foro haſta, ciuium bona uenderet, prædam ſuam ſe uendere, ſequiſſime dictitabat. Proinde haſtam huiuſmodi perticam quoq; triſtem nuncupari nouimus. Et Tacitus Cornelius ſcribit, Heluidium Priſcum tribunum plebis aduerſus Sabinum ærarij quæſtorem contentiones proprias exercuiſſe, tanquam ius haſtæ aduerſus inopes inclemẽter augeret. Apud Tertullianum in Apologetico haſtarium dici legimus, uenditionẽ id genus: In haſtario, inquit, uectigales ſumus. Nec illud parte iſta omittendum, ut obſcuriſſimum Ciceronis & Quintiliani locum aperiamus: magiſtros dici, qui bona ſub haſta uendunt. Vnde id in Epiſtolis ad Atticum libro primo: Vnà agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucullus & P. Scipio, & is quem putabat fore magiſtrum, ſi bona uænirent, L. Pontius. Et libro ſexto, De poſſeſſionibus hæreditatum & poſſidendis bonis, magiſtris faciundis uendendisq; ex edicto & poſtulari & fieri ſolet. Ex ijs inquam infertur lux uerbis Fabij libro ſexto De iocis: Peruenit res, inquit, uſq; in ænigma. Quale eſt Ciceronis in Pletorium, Fonteij accuſatorem, cuius matrem dixit, dum uixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Dicebantur autem, dum uixit, infames fœminæ ad eam cõuenire ſolitæ, poſt mortem bona eius uæniebant: quanquam hic ludus per translationẽ dictus eſt, magiſtri autem per ambiguitatem. Hactenus ex Fabio. Ad hoſce porrò magiſtros fortè reſpexit Marcus item Tullius, ubi ait, Heus tu manũ de tabula, magiſter adeſt, in Familiaribus epiſtolis: etiam ſi non excidit, quid alibi præceptum à me ſit. Cæterum obſeruauimus & illud: haſtam in claſſicis auctoribus non de auctionibus uenditionibusq; modo dici, ſed & de locationibus, quæ publice fiant. Vnde aſſueti haſtæ appellati eleganter, qui eam conducere conſueuerunt. Docuit hoc T. Liuius ab Vrbe condita, uigeſimoquarto libro: Quum cenſores, inquit, ob inopiam ærarij ſe iam locationibus abſtinerent ædium ſacrarum tuendarum curuliumq; equorum præbendorum, ac ſimilium rerum, conuenire ad eos frequentes, qui haſtæ huius generis aſſueuerant, hortatiq; cenſores, ut omnia perinde agerent locarentq;, ac ſi pecunia in ærario eſſet. Cornelius Nepos in Attici Pomponij uita, de hac item intellexiſſe uidetur, ubi ait, Ad haſtam publicam nũquam acceſſit, nullius rei neque præs neque manceps factus. Quin & Ouidius libro quarto De Ponto:

Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,
Et minui magnæ non ſinet Vrbis opes.

In Quintiliani uero declamationibus, haſtam ſalutis dici inuenies, de frumenti uendi-

tione

tione in fame ac penuria non ferenda. Sed ſi ſemel, inquit, ponis haſtam ſalutis & redemptores uitæ admittis, & nos admone, melius uendes. Apud Pomponium iurecon ſultum Digeſtis De origine iuris, ſic item lego: Deinde quum eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſet, decemuiri litibus iudicandis ſunt conſtituti.

Haſtici ludi, ſiue xyſtici. De xyſto, & deriuatis inde. Trigonum apud Elidem, & maltho. Caſei ſpecies. De Aeganea & Ancyle bis, ac Gæo, & Sigymno. Item plura ad haſtas pertinentia. Cloſtra quid. Necnon quid rectis aut infeſtis haſtis uenire. Phalanx quid, & ceraunobolos legio cur dicatur. Pſili. Hoplitæ. Peltaſtæ. Currus bellici. Quadorum bellum. Cap. XVIII

HAſticos uero ludos, quos in Latina quandoq; hiſtoria lectitamus, Græce contenderim appellari xyſticos, uelut & gladiatores quoq; xyſticos nuncupatos, ſcimus, quòd haſtili uterentur, quod ξυσὸν Græci uocant: quanquam & eo nomine dicitur locus, in quo exercentur athletæ. Xyſti pro telo meminit Arrianus: Xyſtis, inquit, quæ prælongæ haſtæ ſunt, corneis aduerſus tela, quæ palta uocant, utebantur. meminit hiſtoria prima Herodotus, inter Crœſi donaria. Xyſtarchum uero pro gymnaſii principe legimus. Nuncupatur quandoq; dromos xyſtos, id eſt curſus xyſtos, ut in Ariſteæ Orpheo,

ὦ μοι παλαίστρα καὶ δρόμος ξυστὸς πέλας.

Id eſt, erat mihi palæſtra & dromos xyſtos prope. Xenophon in Oeconomico xyſtum pronuntiauit ſimpliciter, ἐν ᾧ τοῦ ξυστοῦ περιπατοῖεν. quod eſt, ſi in xyſto obambularent. Hinc xyſtos paradromidas etiam dicunt: noſtri uero ambulationes & ambulacra. Xyſtida uero tunicam interpretãtur talarem, muliebrem: alij tragicum putant indumentum. Sunt qui prætenuem ueſtem eo nomine accipiant. Eſt & xyſtis alio uocabulo dicta ſtlengis, hoc eſt ſtrigil: unde xuſticos, ſeu xyſticos legas pro indoctis quidem, ſed in cute curanda nimio plus ſatagentes. Legitur id nomẽ apud Epicharmum & Diphilum. Ambitus item gymnaſii apud Elidem totus dicebatur xyſtus, quoniam Hercules Amphitryonis exercitij gratia quotquot ſuccreſcerent ſpinę, ſingulis diebus ἀναξύειν, id eſt eradere conſueuerat: ſicuti auctor Pauſanias eſt, Eliacorum ſecundo. Intra eum uero ambitum eſt alter, quem à figura uocant trigonum. Quin eſt tertius quoq;, cui nomen à mollicie loci μαλθώ. Ad gymnaſium id uia erat, quam ab exploratorum ſilentio σωπλὼ nuncuparunt. Erat & Dianæ ſacellum Φιλομείρακος, ex gymnaſii propinquitate dea cognominata. Aduertendum amplius, ξυσὸν apud Athenæum pro caſeo accipi, quem raſilem dicere queas: nam eidem χλωρὸς, uiridis ac recens eſt, & præmollis, cuiuſmodi in fiſcellis circumfertur. ξηρὸς, caſeus aridus eſt, coptos autem præduru. Quin pomorum quorundam eſu in corporibus chymum produci xyſticum, idem tradit, cuius meminerit Praxagoras. nam quæ non perficiuntur craſſiorẽ reddere chymum. Aeganeam ſcribit Euſtathius, iaculi leuioris eſſe ſpeciem, ἀπὸ τοῦ ἄγαν ἴεσθαι, quòd longius mittatur, uel quod ancyle ex pelle concinnaretur caprina: quippe capram uocant αἶγα. Signat uero ancyle, iaculi anſam, quam uocant λαβὴν: eſt tamen ancyle item iaculum quoddam, unde ancyliſtæ qui eo utuntur. Ancylia uero in Romana hiſtoria, neminẽ (opinor) latere poſſunt. Dies quibus ea mouerentur, religioſi ad iter habebantur. Apud Lycophronem ſigymnum iaculi genus eſt. Apud Pauſaniam gæus, ſiue gæum dicitur telum omnino ferreum, aut embolium ὁλοσίδηρον. Meſancylon nominat Euripides, & fortè idem ſit quod ancyle. Sigymnum uero ſignum Apollonius ſcribit, dicuntq; eo uerbo ſignari alicubi parua peltaria. Eſt item ancyle cubiti curuatura & poculi genus, cottabis accommodum. Vnde apud Aeſchylum cottabos legimus ancyletos. Vt uero ad haſticos redeamus, non ineptum foret, eo item uocabulo equeſtres ludos intelligere, quorum nunc uſus eſt multiplex, & ſæpe haſtis concurritur, & dicuntur uulgo cloſtra, quòd clauſtris obſepiantur temporarijs, ſicuti ueteribus Euripos, ſiue Nilos, ut in Legibus Cicero ſcribit, circumducere moris fuit. Quoniam uero de haſtis mentio nobis plurima eſt, haſta præconis inſectari, non aliud ferè arbitror, quàm curare, ut bonorum ſub haſta uẽditio fiat. Cicero De lege agraria, iubet eos agros uenire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto Cappadociaq; poſſederit.

Num

Num obſcuræ uidentur propè haſta præconis inſectari Cnei Pompeij exercitum, qui uenire iubeant eos ipſos agros, in quibus nunc ille etiam bellum gerit. In Philippicis uero quum tabulas dicit ab haſta, non alias intelligit, quàm emptionis ſub haſta factæ. Sunt & haſtæ gramineæ Ciceroni item Actione in Verrem ſexta: In quibus, inquit, neq; manufactum quicquam, neq; pulchritudo erat ulla, ſed tantum magnitudo incredibilis, de qua audire ſatis eſſet, nimium uidere plus quàm ſemel. Haſtarum repoſitoriũ Homerus ſyringa uocat Iliados decimonono: Iulius Pollux, dorothecen: alij etiam dorodochen. Haſtæ poſtremum quod ferreum eſt, uocatur ſauroter: quanquam eo nomine ſunt qui intelligunt locum item, in quo reponatur haſta. Scribit hiſtoria ſeptima Herodotus, quoſdam Perſarum lanceis ſuffixa geſtaſſe mala punica aurea pro ſaurote ribus, id eſt corollis, ut ualla interpretatur. Medium uero etiam ancyle appellant: unde ἀγκυλίζειν uerbum, uel ἀγκυλίζεσθαι. Lignum iaculi ipſius à quibuſdam dicitur ſtyrax. Alij ea uoce intelligunt haſtæ partem, quam manu tenemus & affigitur terræ. Styracion dicitur à Thucydide, pro ſpiculo, ut interpretantur nonnulli: συραξίῳ inquit ἀντὶ τοῦ χρυσάμυλου ἀντὶ βαλάνου εἰς μοχλόν. quod eſt, ſtyracio uſus iaculi pro balano ad ſeram. Et Xenophon Rerum Græcarum ſexto: Alium (inquit) baculo, alium ſtyrace percuſſit. Styrax item Dioſcoridi lachryma arboris cuiuſdã eſt, cotoneo perſimilis, in qua flaua præcellet, ſordeſcensq;, ac reſinoſa, & thrombos, id eſt guttas habens ſubalbidas. Ex ſtyrace in Syria unguentum concinnant, quod ſtyracinon uocant chriſma: id eſſe caroticon, traditum eſt. Iulius uero Pollux ita: Haſtæ (inquit) prominens, ἀιχμή uocatur, id eſt cuſpis & epidoratis & ſtyrax. Apud Euſtathium ſic obſeruauimus: Styrax, inquit, plantæ ſpecies eſt, unde ſunt iacula ſtyracina corneis conſimilia. In Piſidia uero prope Selgam Lacedæmoniorum coloniam potiſſimum haſtilibus accommodus habetur ſtyrax, quia ſit acrior minusq; ſuccoſus: id quod Aeliani cõprobatur calculo, ſed & Strabonis. Nec illud præteriero: à Cyprijs iacula dici ſigynas: quanquam uocabulo eodem Ligures caupones intelligunt ac inſtitores. Sariſſas uocant Macedones præ longas haſtas, unde Sariſſophori nuncupantur. Poſtmodum ſunt, eodem tradente Polluce, haſtilia quædam naumacha, teſte etiam num Homero, ea uero prælonga erãt. Acinaces Arrianus ſcribit, eſſe haſtas Perſicas. Idem tradit: Equitibus haſtas Macedonicas pro barbaris meſancylis datas. Gæſa ſunt Gallorum propria tela, ſicut ſariſſæ Macedonum, Germanorum frameæ. Sed & fortes uiros dici à Gallis gæſos, adnotatum à Seruio eſt. Geſatas tamen appellari ab eiſdem mercenarios milites, Plutarchus auctor eſt. Porrò illud item haud negligendum, quod & paroemiæ formam habet. Rectis, an proclinatis haſtis uenio? quod eſt, Amicum ne uultis, an hoſtem? ductũ uero id ex hiſtoria. Lyſander ſiquidem quum Bœotiorum agros peruaſurus foret, quæſiuit ab illis, πότερον ὀρθοῖς τοῖς δόραξι, ἢ κεκλιμένοις δι' ἃ προσίωσι τὴν χώραν αὐτῶν. id eſt, ſurrectis ne an infeſtis haſtis per ipſorum agros iter faceret? Illud quoq; Ciceronis pro Murena, prouerbij faciem habet, Iacet, diffidit, abiecit haſtas. Haſtarũ uero uſus agnoſcitur duplex: aut enim è manu utimur, & uocantur anchemalæ uel orectæ, nam ὀρέγειν ſignat, manu percutere: aut mittimus, ſicuti quę dicuntur à uibratione palta, id eſt iacula. Cõtus utrunq; implere uſum poteſt: à quo & contobolia dicitur, uelut etiam ſariſſa, atq; item hyſſus. Stadia uocatur pugna, & συσταδὸν pugnare, ubi comminus certatur. Vnde & anchemachi nuncupantur, qui ita pugnant, ſeu haſta id faciant, ſeu enſe. Non ignorandum tamen: ueteres lignis corynisq;, id eſt clauis depugnare conſueuiſſe, quæ ratio militum phalangibus nominis cauſam præſtitiſſe creditur. Siquidem ligna nuncupantur phalangia. Argumẽto eſt, quòd ex materia compactas ſuſtructiones etiam phalangas uocitamus: & inde forſan phalangia nuncupata, quæ è trabibus telas contexunt. Et quæ nauibus ſubijciuntur hermata, id eſt ſuſtentacula, dicuntur item phalangia. Ad digitos quin etiam uerbum id reuocat Ariſtoteles. Nam qua flexus conſtat, condylus (inquit) appellatur: qua nõ flectitur, phalanx. Phalangem Macedonicã, quam Latine cuneum Liuius uocat, prædenſi ordinis excogitaſſe omnium princeps dicitur Philippus, Alexandri magni pater, ducto ab heroibus exemplo, quos clypeis clypeos iunxiſſe, cecinit poeta nobilis. Quo ritu qui armantur, phalangitæ dicuntur. Sunt & eodem nomine equites

ne equites. Illud non prætériero, cuius in Nerone cõmonuit Dion: Psilos Græcè nuncupari leuioris armaturæ milites, quibus opponuntur quos hoplitas dicunt Græci ijdem, graui præmunitos armatura Macedonum ritu: scutis quoque in orbem circumactis, necnon hastis longioribus. psili, seu uelites arcu utuntur, & iaculo, item funda. Horum meditullio peltastæ sunt, id est cetrati, scuto protecti modico, & lanceas proferentes haud ita longas. sed & curruum item in bello interstitia tria. Addamus de hastis illud quoq; esse qui hastæ cuspidem, quam terræ infigimus, ab Homero quandoq; etiam uriachon tradant nuncupatam, ab alijs crospon, uel grosphon. In hac rei militaris mentione non prætereunda sopite nobilis historia ex Dione, qua memoratur, aduersus Quados, id est κουαδους, ut ipse ait, bellũ M. Antonino Philosopho gestum, in quo quum siti ac æstu præcipue conflictarentur Romani, hostium multitudine circumsepti, nec ullum omnino effugiũ pateret, repente celitus aquæ uis magna est præcipitata. Id factum interpretatur Dion, quòd Aegyptius Arnuphis magicis excantaminibus dæmones quosdam & aerium aduocasset Mercurium. Qua in re sciens mentitur historicus aliàs grauis. CHRISTI namq; uirtus largos effudit imbres: erat namque in exercitu Christianorum τολγμα, id est legio, cuius precibus id ipsum Imperatore exigente, aquarum effusa est copia, & crebra in hostes fulmina excussa: unde cerauno-bolos dicta legio, M. Antonino ita sancientie. Historię fit à nobis alibi item mẽtio, sed fide parum integra. Verum, de ijs satis iam superq;, ad alia deniq; faciendus gradus.

De Isthmo. Prouerbium quod est, Isthmum perfodere, quam rationem habeat. Papinij locus ex quarto Syluarum explicatur. Qui adorti sint rerum naturæ faciem hic aut alibi mutare. Chalcidicũ fretum ponte iunctum adaggeratumq;. Isthmi notiones, & deriuata. Aula. Aulon. Euripus. Tænia.

Caput XIX

ANgustias, unde procedit Peloponnesus, Isthmon dici, nemo nõ paulo politior nouit. In eum locum, inquit Plinius, irrumpunt è diuerso maria, omnemq; ibi lancinando uorant latitudinem, donec contrario incursu equorum tantorum in quinq; millium passuum interuallo, exesis utrinq; lateribus, angusta ceruice Pelopõnesum contingat Hellas. Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatur sinus. Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc angustiarum termini. Multos historia prodit, spatium id adortos interscindere, ut nauibus pateret nauigabilis meatus. Memoratur uero in primis Demetrius rex, dictator Cæsar, ut Tranquillus etiam auctor est, Caius princeps, Nero Domitius. Verum, quia omnium conatus non in irritum modo cessit, sed & exitu infausto id fuisse inceptum, compertum est: quia, ut inquit in rebus Corinthiacis Pausanias, diuinitus constitutis rebus manum inijcere non licet, siquidem Gnidios Isthmum intercidere adortos Apollinis deterruit oraculum: inde nata elegantis adagij ratio, ut qui improsperius & inauspicato rem quãpiam conantur commoliunturq;, Isthmum perfodere prædicentur. Quando id ipsum adorto Nerone, scaturijt inter initia cruor, uti prodit Dion: mox ululatus flebiles & mugitus auditi, uisa & simulacra multa. Quibus haud ille territus ligonem arripuit primus, ac cæteros insequi exemplum coegit. Quod uero ad Demetrium spectat: illud perpensione dignum amplius, fuisse à quibusdam proditum literis, eum ab architectis, ne prohibitum exsequeretur, deterritum: quod quum illi metarentur, renuntiassent, sinus Corinthiaci mare esse altius, quàm quod ad Cenchreas: itaq; intermedium si intercideret locum, uniuersum ad Aeginam transitum, quum ipsa pariter Aegina, & proximas insulas demersum iri. Porrò nec nauigationi alueum futurũ habilem, ob affluxus rapidam uarietatem, qualis in Euripo uiseretur. Ex historia uero huiusmodi amplius commoneor, quo sensu enuntiarit in Syluis Papinius de uia Domitiana:

His paruus, nisi deuiæ uetarent,
Inous freta miscuisset Isthmos.

Sed nec me fallit, uerbum deuiæ, quod sensui præcipue congruit ac historiæ, ab interprete acutissimo expungi, proq; eo reponi Lechiæ, nec syllabarum mensu offendi se significat. In quem uelut scopulum impactus Hermoleos, ut est in re literaria Lynceus,

atq;

atq; optime de re Latina meritus, uerbum Cenchreæ ſubſtituere mauult. Sentit & ipſe hoc non omnino accommodum, ſed minus putat habere morulæ, quàm id Domitij. Ego nil immutandum contenderim, quãdo ſic illibatior prolicitur ſenſus. Quod ſi cui amplius arridet nouitas, hiſtoriæ nihilominus inhærendum, non inficiabitur, quiſquis citra liuoris labeculam ſibi iſta expendere permittet. Sed ad inſtitutum redeo. Memorabile uero id quoq; eſt, Herodem Athenienſem, cuius alibi quoq; cõmeminimus uel ſæpe, tot tantisq; fuiſſe diuitijs inſtructum, & (quod omnia excedit) tanta fuiſſe animi magnitudine, ut quamuis plurima paſſim non tota modo Græcia, ſed in Italia quoque opera ædificaſſet, quæ uiro haud dubie immortalitatem comparatura uidebãtur: tamen altior & inquies animus nil ſe dignum perfeciſſe opinabatur, quoniam Iſthmum non perfodiſſet. Splendidum ſiquidem arbitrabatur, continentem abſcindere, maria diuerſa coniungere, ambitũ ſex millium & uiginti ſtadiorum (tot enim ferè nauigando conficiuntur) in breue conijcere. Affectabat ille quidem hoc, ut magnificum & illuſtre, uerum ut poſſet, ab Imperatore non auſus impetrare, deſtitit: ueritus, ne uitio illi uerteretur, uelut id animo agitanti, cui ne fuiſſet quidem Nero par. Dignum relatu id quoq; conſimili conatu excidiſſe Nicanorem Seleucum, qui perfodere excogitarat ſpatium à Boſphoro Cimmerio ad Caſpium mare, quo tempore à Ptolemæo Cerauno ſit interfectus. Eſſe uero id interuallum centum quinquaginta millia prodidit Claudius Cæſar. Idem ſtudium in mutanda rerum naturæ facie Aegypti reges agitauit, ut nauigabili meatu proſcinderent interſtitium à rubro mari ad Nilum, qua parte uocatur Delta, Seſoſtri omniũ principe, ut in Meteoris prodit Ariſtoteles, id tentare adorto, inſequuto mox Perſarum rege Dario. Sicuti poſt alios commeminit in Hexaemero magnus Baſilius. Denicq; Ptolemæus foſſam eduxit latitudine pedum centum, altitudine triginta, uſq; ad Fontes amaros: ultra deterruit inundationis metus, excelſiore tribus cubitis, ut Plinius ſcribit (quod uanum Strabo putat, & refellit auctor libri De proprietatibus elementorum: quoniam meridiana ſeptentrionalibus altiora non ſunt: quod male opinati ſunt quidam) mari rubro comperto, quàm terra Aegypti. Contra legimus ab Plethone Gemiſto proditum, Euboeos Peloponneſiaci belli tempore, poſt Athenienſium in Sicilia cladem, quum ab eorum defeciſſent ductu, fretum Chalcidicum adaggerare ſic adortos, animaduerſa Athenienſium potentia, ut ſingulis modo triremibus meabilis pateret tranſitus, ad tanti moliminis rem aſſumptis Boeotijs quoque. Quin et anguſtias ponte iunxerunt. Id quum prohibere Athenienſes conarentur, in caſſum allaborarunt, conatu excidit Philippus quoq;. Quod uero ad Iſthmum attinet, abs quo exorſi ſumus: ſcribit in tertium Sententiarum Hippocratis Galenus, Tonſillas eſſe locorum ad iſthmum attinentiũ inflammationes. Per iſthmum uero oportet, inquit, intelligere partem illam quæ os & gulam interiacet, quæ per metaphoram quandam ita nominatur ab ijs, qui propie dicuntur iſthmi. Sunt autem anguſti quidam terræ tranſitus inter duo maria ſitæ. Iſthmum uero grammatici inde tradunt, quia iſthmata ſint πὲ βήματα, hoc eſt gradus: eſt enim βαθμὸς τόπος, id eſt inter duo maria meabilis locus. Illa uero ex theſauris Iulij Pollucis ſunt: guttur propter anguſtias dici iſthmum, ex quo portiones utrinq; poſitæ, pariſthmia apte uocantur. Sed & alibi colli recenſens ornamenta, Quę collo (inquit) circumponuntur, peritrachelia uocantur, & periderea, item deræa & hypoderia: ſicuti hypoderides, iſthmia, plocia, ſtomia, malacia. Porrò nec illud ignorandum: iſthmum, ubi anguſtam terram ſignat, quam duo lancinent maria, aulam quoq; nominari: ſicuti quandoq; etiam dicitur ἀμφίπλοξ & ἀμφοτερόπλους. Nam porthmon, ſiue fretum Aulona item uocant ac Eurípum. Tæniam uocat Strabo terram anguſtam inter mare ac foſſam quandam: ſed mendoſe impreſſi codices πανία præferunt.

Equo Sophocleo ſimilis, prouerbium quid inferat. Item Damiani & Sophoclis hiſtoria. In quo taxetur Sophocles. Plauti defenſio. De equo Probi Imperatoris. Cap. xx

Equo



Quo Sophocleo ſimilis, adagiũ in eos eſt, qui ætate feſſi & imbecillo corpore, animi tamen uigorem ſeruant etiamnum. Philoſtratus in Damiano ſophiſta, καὶ ἄδην ἀνδρὸς παραπλήσιον τῷ σοφοκλεῖ ἵππῳ. & uirũ inquit, uidi perſimilem equo Sophocleo. Sed & mox infertur ratio, νωθρὸς γὰρ ὑφ' ἡλικίας δοκῶν, νεαζούσαν ὁρμὴν ἐν ταῖς σπουδαῖς ἀνεκτᾶτο, id eſt languidus quamuis ætate uideretur, tamen iuuenilem in ſtudijs refouebat impetum. Erat autem Damianus hic, de quo hæc Philoſtratus dixit, Epheſius, ſummo loco natus, opulentia magna, & (quod omnia exſuperat) diuitijs bene utebatur. Fuit præterea eloquentiſſimus, adeo ut Soteri, Soſi, Phædri & Cyri, ludibria uerius Græcorum fuerint, quàm ſophiſtæ digni, de quibus mentio fiat. De Sophocle uerò, qui iam ſenio confectus inſaniæ à multis accuſabatur, ut Plutarchus ſcribit in libro qui eſt An ſeni adminiſtranda reſpub. copioſeq; M. Tullius: Sophocles, inquit, ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit, ſed quum propter ſtudium in re familiari negligentior foret, poſtulatus à filijs eſt, ut ſicuti more Romano male rem gerentibus patribus interdici bonis ſolet: ſic illum uelut deſipientem, à re familiari remouerent iudices. Tum ſenex dicitur, eam fabulam quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipum coloneum recitaſſe iudicibus, quæſiſſeq;, num illud carmen deſipientis uideretur. θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος ut inquit Plutarchus, παρεπέμφθη μετὰ λειόχου καὶ βοῆς τῶν παρόντων, id eſt quum id apparuiſſet admirandum, plauſu & clamoribus aſtantium reductus eſt, uelut cygneũ neſcio quid, & ſolito dulcius uicina morte ceciniſſet. Satyrus uerò, ut eſt apud Ariſtophanis interpretem, Sophoclis apologiam huiuſmodi fuiſſe prodit, εἰ μὲν εἰμι σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ. εἰ δὲ παραφρονῶ, σοφοκλῆς οὐκ εἰμι. ſi Sophocles ſum, non deſipio: ſi deſipio, Sophocles non ſum. Scire tamen oportet: in Aiace maſtigophoro Sophoclis frigus taxari, ut qui tragicos affectus in comœdiæ humilitatẽ remollierit, dum mortuo iam Aiace, de eiuſdem ſepeliendi ratione frigidius orationem producit, quàm par erat. Vt hinc commoniti Plauti Amphitryonem uellicantes, diſcere tandem incipiant, eruditiſſimum quenq; poetarum multa plerunq; ſibi permittere. Quod autem de equo dictum Sophocleo eſt, arbitror in eo alluſum ad tragici cothurni maieſtatem, qui ſit ueluti equeſtris, comicæ humilitatis ratione: unde in Arte poetica Horatius,

Et tragicus plerunq; dolet ſermone pedeſtri.

Vel quia poetæ furoris diuini afflatu perciti uicem equi implent: equitis uerò inſidens numen, ſiue is Apollo ſit, ſeu Muſa, ſiue quiuis alius. Nam & in Sibylla hoc ipſum ſeruauit poeta nobilis

Ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore uertit Apollo.

Equus porrò imperatoris Probi in parœmiæ formam deduci item poteſt. Is erat nec decorus quidem, nec ſtaturoſus, uerum celeritate tanta, ut diurnis ſpatijs centum obiret miliaria, uel in decimum diem labore haud interpellato. Eum tamẽ fugaci magis quàm fortiac ſtrennuo congruere militi pronuntiauit Probus idem. Et quoniam noſtrorum libellorum farrago uaria eſt, hic illud impingam ex Græco petu,

ἵππους μελαίνας οὐ καλὸν πάντως βλέπειν, ἵππῳ δὲ λύκων ὄψις ἀγγέλῳ φαῦσις.

Coloneus Oedipus cur dicatur. Colonos fuiſſe in Attica duos. Euryſacion quid. Colonarij. Colonitæ. Colonæ. Colonarium quid. Columbariũ. Colũba unde. Interim & de equo Sophocleo, & de Antigones ſyrmate. Domitius coarguitur. Rhinocoluſtes Hercules. Apoſyrmata. Syrmæa. XXI



Aeterum ingerit ſe difficultas haud quaquam ex triuio, & quam Lyncei noſtrates, etiam ſi trans parietes proſpectare ſibi uidentur, non explicuerunt ſatis, quid ita Sophoclis tragœdiæ titulus ſit factus, Oedipus coloneus. Sunt qui à loco ſentiant fieri uocabuli corriuationem: ſed ubi nam gentium reperiatur is, aut cur ſic dicatur, parum docte, parumq; exacte perpendiſſe pernoſcuntur. Id nos, ut id genus alia pleraq;, ex ſcientiſſimorum pomœrijs proferemus. Igitur apud Pauſaniam ita primum legimus. Hac regionis, inquit, parte apparet Timonis turris, qui ſolus nouit, nullo pacto fieri poſſe, ut quiſpiam beatus ſit, niſi aliorum hominum conſuetudinem declinarit. Oſtenditur etiam agger, qui κο-

λωνὸς ἵππιος, id eſt colonus equeſter dicitur, in quem primum Atticæ locum Oedipo dem ueniſſe, aiunt. Nam & inibi uiſebatur equeſtris Neptuni ara, necnon Mineruæ itidem equeſtris. Heroum præterea Pirithoi, Theſei, Oedipodis, Adraſti. Habebantur & æris metalla, unde Chalcopus uia Sophocli nuncupata, quoniam ea pateret ad inferos deſcenſus. Quin Atticam quoq; illam οὐ ἵππου, id eſt equis inſignem, Sophocles idem uocat in Oedipo Coloneo: aut quia inibi fertur Neptunus equos iugaſſe primus, ac inhibuiſſe frenis: uel quod Athenienſes equitatu pollerent, ac nautica re. Proſerpinã per Chalcopum ad inferos raptam, ſcribunt nõnulli. Porrò Onomaſtici ſeptimo Iulius Pollux, duos fuiſſe colonos ſcribit, quorum alter diceretur ἵππιος, id eſt equus, in quem cõfugerit Oedipus. Ad quod forte prouerbium reſpectat, quod de equo Sophocleo prætexuimus, eo quidẽ procliuius, ſi inibi quoq; habitauit Sophocles, quod in quinto De finibus Cicero ſignificat. Alter uerò in foro erat colonus apud Euryſacium, quò quia cõuenirent mercenarij, colonitæ ſunt nuncupati: ſicuti meminit Hyperides. Euryſacion interpretatur Harpocratio Neptuni templum, ni mendum exemplarium eſt. Nam id Aiacis malunt alij intelligere, qui Euryſaces diceretur à ſcuti magnitudine. Eſt uerbum id apud Sophoclem quoq;. Colonus uerò hic forẽſis dicebatur, ſiue agoræos. Colonia item oppidum fuit, cuius meminerit libro primo Frontinus: Boios Hetruſco bello ab Aemylio Paulo inibi eluſos ſcribens, quod & Catullus ſignificarit, tametſi incognitum ſibi loci nomẽ fateatur interpres. Colonas porrò & colonos, id eſt κολωνούς, terrarum ſupercilia aut etiam promontoria uocant Græci. Sunt qui colonas dici Latinè pagos, opinentur: uti apud Thucydidem hiſtoria prima, ἐς δὲ κολωνὰς τὰς προαιδλας ἱδρυθέν. Colonidà uicum, in Philopœmene agnoſcit Plutarchus. Oedipi colonei meminit in Magia Apuleius, ſed codicibus inſigniter interpellatis. Fuit & Spartæ locus, Pauſania tradente, qui diceretur Colona, ex aduerſum Ioui Ambulio, & Palladi Ambuliæ. Inibi uiſebatur item Dionyſii κολωνάτα templum. Colonariam uerò conditionem in Canonicis decretis, diſtinctione octuageſimaſeptima: & apud Iureconſultos eam accipio, quæ ad rem ruſticã tractantes pertinet. unde & colonarios in Epiſtola Cælij humiliores intelligimus homines, forteq; ruſticanas tribus: Nolo te putare, inquit, Fauonium à colonarijs præteritum, optimus quiſq; nihili eum fecit. ſic enim uidetur legẽdum. Colonicas leges Varro appellat, colonis dictas: ut eſt, Colonus in agro ſurculario ne capras compaſcat. Coloniam Columella intelligit, quantum uillico ſubijcitur: Coloniæ, inquit, ſuæ terminos nõ excedat uillicus. In Epiſtolis ad Atticum, colonarium eſſe arbitror publicum, unde publicanis aſcitum nomen: ſeu uectigal, quod pro re penderetur ruſtica. De aquæductu (inquit) probè feciſti, colonariũ uide ne ullum debeamus: quãquam audio, eam illic commutatam eſſe legem. In eundem ſenſum dixit Cæſar libro Ciuilium bellorum tertio. Columnariũ eſſe uidetur Pomponio Digeſtis De argento legato, ad bibendi uſum uas comparatũ, etiam ſi minus fallor, plauſibilius uſum irpleriſq;, ſi colum legas nitarium. Sunt qui columbarium poſſe ſcribi putent: quia Vitruuio ſic dicatur hauriendæ aquæ per tympana idoneum organon. appellari uerò ita ab κολυμβᾶν, quod urinare indicat, unde & columbæ item appellatæ creduntur. Poteſt & columnariũ pro cartibulo accipi, quæ Varroni menſa eſt lapidea columellę unius. Quod ad colonarium attinet, aduertenda in primis Higini diſtinctio de agrorum limitibus: Vectigalium, inquit, agrorum ſunt obligati quidã reipublicæ pop. Rom. quidam coloniarum aut municipiorũ aut ciuitatum aliquarum. Et quia ab Oedipo exorſi ſumus, illud itẽ opera uelut parerga huic parti impingamus: fuiſſe apud Thebas fontem, Oedipodiam cognomento, quoniã ibi cędis paternæ cruorem abluiſſet Oedipus. In propinquo Hectoris uiſebatur monumentũ, ex oraculo illuc oſſibus ab Ilio tralatis. Adnexũ & illud: eſſe prope Thebas locum, qui dicatur σύρμα ἀνηγόνης, quoniam quũ Polynicis cadauer tollere nequiſſet, illud protractum in ardentẽ Eteoclis cõiecit pyrã. Nec me fallit, aliter Pauſaniæ ſententiã à Domitio tralatam, ſuper illud Satyricũ, Syrma uel Antigones. uerum Pauſaniæ uerba ſunt hæc, καλεῖται δὲ ὁ σύμπας ὅπος σύρμα ἀνιγόνης. ὡς γὰρ τὸν πολωνίκην ἄρασθαι πεθυμοῦντα νεκρὸν ἀδελφοῦ ἐφαίνετο ῥᾳδίως, ἀλλὰ ἐπιγόντος ἕλκειν αὐτὸν, ἐς ὃ εἵλκυσέ τε καὶ ἐπέβαλεν ὧν τὸν ἐτεοκλέους ἀνημμένον πυρᾷ. In ea porrò parte ſingulari certamine cõpugnaſſe Polynicẽ ac Eteoclẽ, ſignificat idẽ auctor, mutuiſq; ſe uulneribus cõfeciſſe, ubi & Menœcei extabat monumentum. Et Herculi

Iunonem lac præbuiſſe Iouis fraude, putant Thebani. Haud lõge demum ſub dio Hercules ſtabat φινοκολούστης cognomento, quoniam Orchomeniorũ Cerycibus nares amputaſſet, qui uenerant tributa repetituri. Apoſyrmata in medendi uſu dicuntur deſquãmationes. Syrmæa cibi genus ex adipe ac melle, expurgando accõmodum: unde συρμαίζειν Herodoto purgare eſt. Fuit & Spartæ Syrmæa certamen, in quo uincenti præmium erat ſyrmæa.

Hippon apud Græcos dictiones intendere. Hippobinus. Laſtaurus. Proculi hiſtoria. Taurus quid. Elephantini libri. Orica iuga. Cillones qui ſint. Plura ab hippos deriuata. Hippomanes. Hippobotæ. Hippotrophiũ. Hippotrophia. Polion. Prophoros, & acoſte quid: item lochia. Hippodromus ſophiſta. Bupori obeliſci apud Herodotum qui ſint. Hippoſtaſium. Statos equus. Hippocoryſtæ. Corys. Coryna quid. Hippotigris. Taraxippus. Amphion & Orpheus magi. Marmax procorum Hippodamiæ primus. Hippocentaurus qui. Ampyx. Sclerus. Hippagus. Hypagus. Plinij locus perpenditur.

Cap. XXII

ET quoniam equi facta mentio eſt, ſubnotabimus hic protinus nonnulla ex ſupellectile grãmatica, quæ qui curioſius uerborum ſectatur proprietates, uocabula proruit hinc inde, quibus locupletior inſtructiorq; fiat loquendi ratio. Quoniam igitur equum, Græci ἵππον dicunt, animaduerto id nomẽ multifariam prodire in uſum doctorum. nam ſcitè admodum & doctè hippobinum uſurpant pro eo, qui meretricio amore debacchetur, aut qui inexplebiliter Venerea cõſectetur, quem Latinorum nonnulli etiam laſtaurum dicunt, ſed Græcè tamen, ut ex Athenæo liquet. Nam eo uerbo Pompeius Leneus nobiliſſimo hiſtorico, uelut næuũ inuſſit. Id uerò ſignare hominem libidinis ualidæ, in libro De grammaticis & rhetoribus auctor Suetonius eſt. Cuiuſmodi narratur Proculus inter minuſculos Romanorũ tyrannos, qui quum ex Sarmatia puellas abduxiſſet centum, ex ijs decem una conſtuprauit noctè, omnes intra quintumdecimum diem. Vocabuli ratio hæc, quia Græcorũ lingua λα dictiones intendit, taurus uerò eſt pudendorum pars: ſicuti adnotatum à Galeno ſcimus, necnon à Quintiliano. Eam ſub oſcheo poſitam Euſtathius interpretatur: quanquam eſt & apud Trœzenem nomine eodem fluuius, ex quo Tauria nominatur apud Sophoclem aqua. Alij laſtaurum dici putant, quaſi λασιόπωρον, quòd hiſpido ſit pudendo: ut idem Euſtathius aſtruit. Nam laſtaurocaccabum apud Chryſippum in libro περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, legimus eſſe delicatioris edulij genus, uti eſt apud Athenæum, ut quòd ſit libidinis incentiuum, ſicuti apud eundem leguntur ὑποβινητιῶντα βρώματα ratione eadem. Eſt & Las uiri proprium nomen, cuius ab Achille interempti, quem ambiuiſſe Helenam ferunt, uiſebatur monumentum in Araeno Laconiæ, ut ſcribit Pauſanias. Laſtarnos quidam malunt ſcribere, ut ſint οἱ περὶ τὸν ὀρρὸν λασιᾶς, καὶ πόρνοι πυκνὸς ὄντες. Cillones uerò apud Ciceronem in Saluſtium, cinędi ſunt ac turpiter cecuentes: quia cillere, motitare eſt. Verum apud Nonium eo uocabulo intelliguntur ſupercilijs prominentibus: quanquã ſyllones præferant peruulgati codices. Sed ad hippobinum redeo. Inuenio id nomen poſitum in Ariſtophanijs Batrachis, cuius fabulæ interpres, à laſciuia id duci ſcribit: quoniam in magnis rebus ἵππον Græci accipiant, ſicut ἱππόπορνον, cinædus dicitur magnus. βινεῖν autem ſignat coire, unde illud in Epiſtolis ad Pætum: Quum loquimur terni, nihil flagitij dicimus: at quũ bini, obſcœnum eſt. Hinc & Seuinus, hoc eſt σεβῖνος, ducitur: quod nomen eſt apud poetam Platonẽ. Porrò hippon dictiones augere, ex Galeno quoq; didicimus, qui ſeptimo Simplicium pharmacorum auctor eſt, hippomarathron dici fœniculum ſylueſtrem ab inſigni magnitudine. Id uerò dici rectè, Dioſcoridis auctoritas comprobat: nam tertio libro Syluæ medicinalis, Hippomarathron, inquit, Romani uocant fœniculum erraticum: eſt autem marathron, fœniculus ſylueſtris grandior, ſed & hippoſelinum eodem modo à magnitudine nuncupari uidetur, cui ſententiæ aſtipulatur Dioſcorides idem. Eſt autem hippoſelinum, quod olus atrum Romana uocatur lingua. ἱππομανῆ, Sophocles Aiacem nũcupat, uelut μεγάλως μαινόμενον, ideſt inſigniter furentẽ, ex ratione metaphorica, quando

ca,quando uti nobilis canit poeta,
Scilicet ante omnis furor eſt inſignis equarum,
Vel,ut præſtruximus, quia ἵππος ὡσὶ μεγάλου τάσεται: nam ἱππογνώμονα dicunt, ἢ μεγαλογνώμονα. Hippomanes quoq; appellari pratum ualet, ceu ἄνθεσι, id eſt floridũ. ἀφ' ὧν οἱ ἵπποι μαίνονται. Sic & βου dictiones intendit,unde apud Herodotum hiſtoria ſecunda,obeliſci bupori nominantur: quos Rhodopis quæſtu ditata meretricio Delphis dicauit. Nec ambigitur apud Græcos, quin magnos intelligere oporteat, etiam ſi aſſandis bobus aptos Valla buporos accipit, ridicule, ni fallor. Apud Nicandri interpretem ſic comperi:Hippomarathron,inquit,herbæ ſpecies eſt:uerum Theophraſtus eſſe hippoſelinum dicit,quod in petroſis proueniat locis, ab magnitudine ſic nuncupatur,uel propter equorum ſtranguriam. Hippobotas Chalcidẽſium,ex hiſtoria dici nouimus prędiuites,gloria quoq; præcellentes,Hippotrophium libro ſextodecimo Coſmographiæ Straboni locus eſt equis alendis accommodus,qualis ad Syriæ Apamiam uiſebatur,equarum uel ſupra triginta millia capiens: admiſſarios, ὀχεῖα ille uocat, trecentos. Inibi & logiſterium fuiſſe ait ſtratioticum, id eſt exercitui recenſendo deſtinatam partem. Cronippum præterea Græci nuncupant magnas nugas. Cronia nanq; uidentur eſſe nugalia omnia & prærancida quodammodo: ſed de hac uoce non ſunt hic ingerẽda plura.ne planè fiat quod Græci autumant, Iouis Corinthus, dum idem ſubinde inculcando repetimus:quamuis non ignorem eſſe apud Platonem, bis terue dici quod pulchrum eſt. Sicuti uerò ab equis magnitudinis petita ratio eſt, ita de elephante:nam libros ueteribus elephantinos eſſe nuncupatos ex amplitudinis ratione, ſunt qui opinentur: ijs uerò trigintaquinq; numero & tribuum & tribulium continebantur nomina. Scribit tamen in Tacito Flauius Vopiſcus, in libris hoc genus ſolita perſcribi ſenatus conſulta,quæ ad principem pertinerent. In Vlpia uerò bibliotheca ſeruabantur hi. Sed à diuerticulo fabulam repeto. Hippicum eſſe menſuræ nomẽ,nouimus,Plutarcho docente:Sed quum,inquit,nec perennibus fluuijs,nec lacubus quibuſdam, nec uberibus fontibus regio abundaret,& plericq; Atticorum puteis uterentur manufactis, lege ſtatuit Solon,ut ubicunq; publicus puteus eſſet, intra hippicum homines uterentur. Eſt autem hippicum quatuor ſtadiorum diſtantia. Orica iuga quum legimus apud Aeſchinem ὧν ἕνεκα περὶ τῆς παραπρεσβείας, de mulis dici interpretantur, quos appellari oreas,auctor cũ Ariſtophane Homerus eſt. Hippalectryon dici uidetur ſtaturoſus gallus. Putant aliqui eſſe marinum animal, etiam ſi in rerum id natura compertum quandoq;,abnuant philoſophia imbuti plerique. ἱπποτροφίαν, id eſt equorum nutricationẽ, quòd ea res magno conſtet impendio,apud Spartanos inter execrationes uſurpari ſolitam,ſcimus ex Græcorum libris. Nam & Ariſtophanius ille ſenex ita queritur, ἀλλ' οὐ δύναμαι δείλαιος οὐδὲν δακνόμενος ἀλλὰ τῆς ἀπάνης καὶ τῆς φάτνης. id eſt,nequeo miſer dormire,me nanq; mordicus lancinat impenſa & præſepe. Archidami Spartanorum regis filia,mulierum prima,inquit Pauſanias,equos alere adorta eſt: primaq; curru adepta uictoriam eſt in Olympicis. Eius heroum uiſebat in regione, quam de platanorum copia plataniſtam uocant. Philoſtratus in Hippodromo ſophiſta, Olympiodoro eius patri gloriæ adſcribit,quod hippotrophia cũctos præcelleret Theſſalos. Hic uerò eſt Hippodromus,ut obiter aliquid ſubnotemus, qui Homerũ dixit ſophiſtarum patrem,quum Nicagoras tragœdiam eſſe matrem,pronuntiaſſet. Et rurſus Homerum eundem uocem, Aeſchylum uerò ſpiritum appellauit. Hippoſtaſiũ eſſe uidetur equorum ſtabulum,ſicuti boum buſtaſium. Nam & equum ab armento ſequeſtratum iam, & ſtabulo ac præſepi applicitum, Græci eleganter ſtaton, id eſt σταῖον dicunt. Hordeo dum cõnutritur equus, ἀκοσήσαι pronuntiatur:quoniam ut interpretantur gloſſematarij,acoſten hordeum uocat Nicander. Sed apud Theſſalos cibaria & alimẽta omnia nuncupari acoſtas,traditum ueteribus eſt. Sunt qui apud Homerum Iliados rhapſodia ſexta,legant ἀγοσήλας ὧν φάτνης. exponantq;, ſordidatus in ſtabulo. Nam γύτρος, ideſt gœtus,ſordes indicat. Eſſe uerò equum animal philolutron ac philydron, ideſt balneogœtus,ſordes indicat. Eſſe uerò equum animal philolutron ac philydron, ideſt balneorum & aquæ expetens,auctor probat Ariſtoteles. Hippocoryſtas dici Apion arbitratur, qui equinis ſetis ornatas geſtant galeas. Riſit hoc Porphyrius, putans eo nomine

equites

equites intelligi, quoniam κορυσσὸς armatum indicet, ac ferè pro pedite accipiatur. Corys uerò, inquit, ideſt galea, fit ab κορύσσω, quod & κορθύσσω dixit Poeta, id ſignat in altum tolli: unde & à capite nutans uirga, dicitur coryna: ſed pro claua inde ponitur quoque. Hippotigrin animal celebratum inuenias in Antonino Caracalla, ex Dionis Nicæi hiſtoria. Taraxippum inuenio nuncupari heroum Myrtilo à Pelope ſtructum, in quo & rem diuinã illi obierit, ut perpetratæ cædis iram leniret. Nominis ratio eſt, quod in eo loco Myrtili arte iniectus ſit Oenomai equis terror. Sunt qui ab Oenomao id ſolitum peragi, fabulentur. Quidam inibi infoſſa aliqua à Pelope, ſibi ab Amphione tradita Thebano: quibus non Oenomai modò exterriti ſint, uerum exterreantur omnes, illac tranſeuntes equi. Fuiſſe uerò Aegyptij putant magicæ peritum Amphiona: propterea petras illi in Thebarum mœnibus ſuſtruendis uiſas obtemperare, ſicuti Orpheo ratione eadem feræ obediuerunt. Fuit & in Iſthmo Taraxippus Glaucus, quem peremiſſent equi. Illud obiter adnotarim, Marmaca omnium primum ueniſſe Hippodamiæ procum, anteq; alios ab Oenomao necatum, eius equas tradunt uocatas Parthenian & Eripham: quas quum iugulaſſet Oenomaus, iuſſit ſepeliri: à Parthenia uerò impoſitum fluuio nomen. Eſt & alter Harpinates, à ciuitate Harpina, quam inhabitarit Oenomaus, ſic à matre nuncupatam. Illud poſtremò non negligendum, uideri apud Plutarchum dici Hippocentaurum, pro equitatore præſtantiſſimo & prorſum inexſuperabili. Ipſe, inquit, ſe ait perniciter currere, illum autẽ uolare, ſe commodè in equo uehere, ἀλλὰ τὶ πρὸς ἱππόκενταυρον ὄνον, quod eſt, ſed quid ad Hippocentaurũ hunc? Ampyx, aurata dicitur catena ſetas uinciens equinas in frontis ambitu: unde & Martis equi chryſampyces Homero dicuntur. Sunt & qui eo nomine reticulum intelligant muliebre. Equas in partu uacare admodum purgamentis, ſcribunt naturales: ea uocat Ariſtoteles lochia. Lochæos uerò diphros Græci ſellas intelligunt, in quibus commoditatis cauſa ſeſſitent parientes. At humor cruentus aquoſus q; intra membranas contentus, quibus obuoluitur embryon, prophoros dicitur. Eſt & polion, id eſt πῶλιον, quod ante partum emittit equa. Propheres uerò dicitur re ipſa iuuenis, aſpectu tamen ſenex, cui contrarius dicitur ſclerus. Hippagum ſcribit Plinius à Salaminijs inuentum. Hermolaus pro eo reponendum præcipit hypagum, quia ſic recognoſcãt Græci. Nos apud Herodotum hiſtoria ſexta duobus locis hippagogas dici naues, equis ſubuectandis deſtinatas, obſeruauimus.

Quæ dictiones item Græcis amplitudinis ſignificantiã habent. Aeginæa mercatura. Quid rhopon. Rhopes. Rhopographi. Strabo illuſtratur, item Virgilius. Aeginæum pro magno. Rhoptron. Aetnæũ item pro magno, ſic & Parnaſium. Pſammocoſium. Pſamathos. Amathos. Gargara. Carcinus unde. Rhypæa. Rhox. Melan. Aſteriũ. Cyaneum. Agroſtes. Rhypos.

Caput XXIII

SEd enim eiuſdem linguæ proprietate in rerum quaſi uaſtitate exprimẽda, nõ hippos modò in uerbis, quæ ex pluribus conſurgũt, ſuggerit menti amplioris ſignificantiæ notam: ſed & plera q; comperiuntur alia, uſum eũdem in magnis auctoribus iũctim implẽtia ac ſeparatim: quippe grãdiora quãdo q; Aeginæa dici animaduertimus, quod ex talenti ratione productum, grãmatici cõiectant, id in ea inſula exſuperabat Atticum. Quãquam nõ latet, uenalium onera nũcupari etiã Aeginea: unde corriuati, qui dicuntur Aegineopolæ, hoc eſt ἀγοραιοπώλαι, mercium id genus uẽditores: Hos intelligunt nõnulli, qui & Pantopolæ nuncupẽtur Græcis. Nam eſt ibi factum emporium, ob inſitã loci ſterilitatem hominibus maritimã negotiationem obeuntibus. Vnde inquit Strabo, Rhopon multimodis rebus conſtantem, Aeginæam dicimus mercaturam: ſic enim Græci ſanciunt, rhopon, id eſt ῥῶπον ſignare παντοδαπὸν φόρτον, id eſt miſcellaneum onus. Hoc eo libentius appoſui, quia Strabonis tralatio ſubſultat. Meminit uocabuli Galenus Therapeutices primo, οἱ γὰρ ῥῶπον ὀλαβέρμονοι καὶ πρὸς ψωτείαν ἐελζουσι. qua in parte pictorum & unguentariorũ mixturas intelligunt: quod cõprobare Heſychius uidetur. Dicuntur & rhopes ſyluoſæ plantæ, unde & rhopographi nuncupantur. Vulgus nau-

ticum rhopon nũc gropon dicit,ut reor,dictione luxata, qui mos imperitis eſt uel frequentiſſimus.Rhopen uerò & rhipen dicunt Græci momentũ uel ictum aut oculi motum.Rhoptra apud Archilochum,petaura dicũtur laqueorum,ſiue ſcandalethra,id eſt flexuoſa ligna capiendis feris uel auibus.Rhypæon in Achaia conſtituunt terrarum peritiſ, unde Rhypæos pro Achæis accipimus. Et Stephanus ait, Rhypæ ſeu Rhypæa eſt Achaiæ ciuitas,unde Rhypæus.Rhox phalangij ſpecies,quia ſit ῥαγί, id eſt uuæ acino ſimilis:os uerò in uentris habet meditullio:id genus & melan uocatur: ſecũdum autem genus aſterion dicitur,cui ſunt in corpore colluçentes uirgæ: cyaneum nuncupãt genus tertium,ſicut quartum agroſtem:quintũ ſphecium ab ſimilitudine, quod & dyſderi eſt,hoc eſt δύσλικες: ſextum appellatur myrmecium: inter legumina comperitur ſeptimum. Rhypon pro ſigillari cæra Pollux accipi ab auctoribus tradit. Pro cæris quoque in Epiſtolis ad Atticum legimus rhypos, de uetuſtatis ratione nomenclatura accerſita.Rhoptra denicp cõcaua,& βυρσοπαγῆ, id eſt corio compacta Plutarchus nũcupat in Craſſo:quibus in prælijs Parthi,adiectis etiamnum echijs,id eſt ἠχέοις, horrẽdum elideret ſonum.Porrò ætnæum item pro magno reperies in libris auctoritatis nõ dilutæ:unde & cãtharus ætnæus, magnus intelligitur apud Ariſtophanem in comœdia cui titulus ἀρλῶν. De montis Aetnæ magnitudine, uel quia Aetnæi equi habeãtur præceleres,& in currendi certaminibus inclyti. Ex qua ratione, Virgilium quocp fratres appellaſſe ætnæos,ſimile ueri eſt. Cõſimiliter apud Ariſtophanem eundem in comœdia cui titulus ἀχαρνῆς, dicuntur ἄνδρακες παρνάσιοι: quem locum enarrans interpres,Parnaſium ex more pro magno fatetur poſitum. Ab harena quocp quam uocant pſammon,dictio configurata eſt,pſammocoſius,quæ pro immenſo accipi numero uidetur.Nam Eupolis ἐν χυσῷ γῇ, ſpectatores appellat pſammocoſios, numeroſos intelligens. Verbum autem coſia, eſt numerorum deſinentia poſt centum: dicunt enim diacoſia,triacoſia,tetracoſia,& deinceps.Sic etiam gargara pro multitudine excellenti poſita inuenias:ſicut apud Ariſtophanem ἐν βατβοις, Intus nobis ſunt gargara:poſitum id uerbum apud Sophronem quocp.Et in tragœdia legimus, Pecuniarum gargara.Quin carcinum,quæ uox cancrum ſignat,hinc duci opinantur eruditiores,à pedum multitudine:quanquam à capitis motatione,ita dici putant alij, quaſi caracinos quidã ſit.Pſamathon uerò harenam dicunt marinã,ſicuti fluuiatilem amathon.Pſamathe in Bœotia locus eſt,uel fons.

Quos dicamus equos Lycoſpadas.Lycos frenũ, ſeu lupatum. Lycophilios.Lycophos.Lycophones.Lycea Diana.Lapis ſacer. Oreſtis expiatio. Oreſtis ſcena.Lupus.Lycopodes qui.Lymax. Lymata. Itẽ Phaſiani equi, & Neſæi.Chelidon.Veredi.Veredarij. Chamelæ.Curſus publicus, uel fiſcalis.Tractatoria facultas.Phoruades.Trophiæ.Empyi. Atrophi equi,& anagogi.Lactiſtę.Cacopodes.Caballatio quid.Exophthalmus.Cœlophthalmus.Chamelæ.Cæſaris equus,& Caligulæ.Cirſi.Lichenes.Ephippiũ. Fuluius,qui equam inibat.Onochelos. Aſini caput à Iudæis coli. Hippona,& onoſcelis,& hippo.Equus primus.Neptunus Hippius cur.Centrineces.Encentrides qui.Peroriga.Plinij locus perpenditur. Equus ligneus apud Troiam.Caianus locus.Aeolopolus quid. Cap. XXIIII

DIgnum uerò obſeruatione cẽſuimus, & quod huic potiſſimum loco adglutinemus,dici à Græcorum ſcientiſſimis quoſdam equos lycoſpadas, id eſt λυκοσπαλλᾶς. Id uerbum quam habeat rationem,ambiguum & tenebris aliquo modo obuolutum,ſcio uiſum iri,quando eſt haud ita frequens. Ego uerò etymon duplex comperiſſe uideor:alterum eſt de freni genere, quod lycon uocent, noſtri lupata dicunt:ſicuti Georgico tertio Virgilius,

Nanc̃ ante domandum
Ingentes tollent animos, prenſic̃ negabunt
Verbera lenta pati,& duris parere lupatis.

Quo in loco Seruius,& qui ab eo mutuati ſunt plures, eſſe lupata tradunt frena aſperrima,ſic de lupinorum dentium ſimilitudine nuncupata, quos eſſe inæquales conſtet, unde

unde & morsus infigatur summi nocumenti. Hoc uero frenorum genus equis adhiberi præseruidis ac ferocientibus, sæpeq; ob insitam animositatem rebellibus, ut retundatur impetus, hebescatq; generositas nimia, moris esse, nemo non nouit. Sicuti etiam lycon dici lupum, unde lycophilios pro suspecto ponitur & latenti, ut est apud Aelium Dionysium, & Menander ita scriptum reliquit, λυκοφίλιοι μὲν εἰσιν αἱ ἀλλαγαί. id est, suspectæ quidem conciliationes sunt. Nam & lycophos pro tenebroso positum inuenimus, aut pro crepusculo, quando lupi color cinereus est, nec nigredinem præferens intensiorem, quod inquit Eustathius. Per hyemis autē tempora Spartani lycophonas, id est λυκόφονας, ad dormiendi usum stibadibus promixtos sibi substernebant, θρόμακα πολὺ ἔχειν τὸ τῆς ὕλης δονούσης. Lyceæ Dianæ templum apud Trœzenios fuisse ab Hippolyto excitatum, auctor Pausanias est, qui tamen eius rationem cognomenti ignorare se, fatetur: sed ex Macrobio aucupari (opinor) licet, ubi differitur, cur Apollo dicatur Lycigenetes ac Lycos. Ante templum lapis uisebatur sacer dictus, in quo Trœzeniorum uiri nouem à cæde materna Orestem feruntur expiasse, adhibitis quum expurgationibus alijs, tum aqua ex fonte, quem ἵππου λεχωὼ dicunt: nam & hic apud Trœzenios mōstratur, Pegaso terrā ibi pulsante, scaturisse. Fuit apud eosdem ante Apollinis sacellum locus, quem Orestis scenam dixere, quòd nondum is expiatus, nemine eum recipiente, ibi diuersaretur. Adobrutis uero in propinquo purgamentis, enatam laurum memorant. Lupos denicq; serrulas uocamus manubriatas, agrestium usibus accommodas. Lymax ad lycos pertinet nihil: nam est eo nomine apud Phigaliā fluuius, in Arcadia, in quem purgamina sordesq; coniecerint Nymphæ, quum Iouem peperisset Rhea. Sordes autem Græci ueteres lymata uocarunt, uel Homero teste, quum ait, λύματ' ἔβαλον. Dicuntur & lymaces petræ. Veredos, si modò non aberrat interpres, alias æris non multi, apud Procopium Persici belli secundo libro, equos accipimus publicos. Sunt qui à celeritate trahendæ rhedæ sic opinentur dici, quorum aurigæ nuncupentur ueredarij. Martialis,

Parcius utaris moneo, rapiente ueredo
Prisce, nec in lepores tam uiolentus eas.

Et in Distichis,

Stragula succincti uenator sume ueredi,
Nam solet à nudo surgere ficus equo.

Veredarium metaphora decenti legimus apud Hieronymum: Quia singulæ, inquit, metuunt Veredarium Vrbis offendere. At Procopius idem ueredarios intelligere uidetur, eos qui celeriter equis inuecti regum literas prouehunt. Equorum publicorum in hoc usu, commeminisse Ammianus uidetur Marcellinus: Transeo, inquit, quòd quidam per ampla urbis spacia subuersosq; silices sine periculi metu properanter equos uelut publicos, signatis (quod dicitur) calceis agitant, familiarium agmina tanq; prædatorios globos trahentes à tergo: ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto. Procopij, uel interpretis sententiam adiuuat Firmicus Matheseos tertio: Regum, inquit, nuncios ueredariosq; reddent. Cursus publicus dicebatur aut fiscalis, quum ab imperatoribus certis locis equi id genus præceleres destinabātur: quibus non utebantur alij, nisi facultate impetrata, quam uocant tractatoriam. Sed redeo ad lycospadas. Sunt qui malint lycospadas inde dici, quòd qui pullina ætate in lupos inciderint, si periculum euadant, insigniter bonitate proficiant, ac pernicitate. Cæterum perpensione dignum, cur nam eiusmodi casum consequatur euentus hic, nisi dicamus, ideo credi uehementiores effici equos ab ea impostura: quoniam, ni fuissent natura tales, haudquaquam dilabi eualuissent: neq; enim prudentem euasisse Vlyssem dictitamus, Cyclope declinato: sed ideo declinasse, quia foret prudens. Equos uero ad sonum quemlibet uel minimū compaescentes, expressius Græci ψοφοδεᾶς nuncupare solent, dictione compacta à ψόφος, qui est sonus, & δεῖος timor. Quod uero in eiusdem linguæ monumentis legimus quandoq; Lycopodas, ad equos ea res omnino pertinet nihil. Nam ea uoce tyrannorum satellitium ferè significatur. Erant uero hi corpore uegeto, & animo præsigni iuuenes. Vocabuli ratio est, quia pedes lupino circumtegerent corio, aut quia in clypeis lupi gestarent insigne. Phasianos equos inuenimus ab eius auis inusto insigni,

uel quoniam ad Phasin equi habeantur pulchritudine præstantes. Nesæos equos nuncupat Herodotus, qui prægrandes nascerentur in Nesæo Medicæ regionis campo: sic enim Stephanus etiam scribit, νησαῖον πεδίον, pudendo cuiusdam errore, qui eo uocabulo significari insulares est opinatus. Auctor Plutarchus est: Pyrrho speciē oblatam, uelut Nesæo equo inscenso, ducem se illi præstaret Magnus Alexander. Id quod non percipiens interpres transiliuit. Sed & in Græcos codices irrepsit mendum: nam Νισαῖον ἵππον legit. Meminit & loci & equorum Arrianus quoq, sed & in Legibus Plato, ut Strabonem præteream & Ammianū Marcellinum. Equos gregales Græci phoruadas dicunt, id est φορβάδας, domesticos uero trophias, id est τροφίας. Nam empyi intelliguntur, quos suppuratio infestat, quæ inter equorum recensetur morbos: sicuti crithiasis, id est hordeatio, & lymphaticus morbus, quem dicunt νυμφιᾶν: in quo ad tibiæ sonum quies contingit, fronte demissa quod uocant κατωπᾶν. Sunt inter equos qui uocentur athletæ & agonistæ, item hodœporici & pompici, quos itinerarios dicere potes. Porrò & stratiotici, id est militares. Atrophos intelligit equos Xenophon, ἀχρηνημονδυμάτους tertio, imbecillos, quicq consequi uix ualeant. Anagogos autem contumaces, & qui ubi constitueris, consistere abnuant. Nam lactistæ, id est λακτισταί, sunt eidem, calcibus qui impetunt peruicacius. Quidam nominantur cacopodes quoq, sicuti & κακοσκελεῖς. Caballatio, uoce haud ueteribus trita indicat Iureconsultis, alendi publicos equos munus. Digna uero scitu & illa: equum prominentibus oculis exophthalmum dici, sicut cœlophthalmum, qui contrario affectus modo est, cuius in recessu cauo oculi sunt. Chelidon ungulæ dicitur concauitas, sed & in canibus eodem modo. Est & chelidon supra cubitum pars. Chamelas, id est χαμηλάς, uocat Xenophon ungulas pleniores carnosasq citra cauitatem. Et in libro περὶ ἱππικῆς scribit Simon, sicuti ab Xenophonte relatum scimus in tituli eiusdem commentatione, equos ὀψοπόδας internosci etiamnum sono, siquidem increpat uelut cymbalum, in solo cauatior ungula. Auctor porrò historicus Dion, Cæsari Lusitaniam gerenti natum esse equum διφυὰς τὰς τῶν ποδῶν ὁπλὰς ἔχοντα. id est, cui gemina foret in anteriorum pedum ungulis natura, qui mox illum elatè admodum gestaret, reliquos omnes ἀναβάτας recusaret, unde immodica de se sibi cœpit polliceri. Cirsos nuncupant, qui adnascuntur equorum tibijs. Lichenas ossicula uocant, canini dentis imagine genibus equorum, & prope ungulas agnascentia. Dioscorides esse tylos dicit, id est callos. Pedes anteriores prosthios appellant, cæteros uero opisthios. Pedum uirtus eupodia uocatur. Ephippeion esse interpretantur sellam: ephippion uero est currentium equorum certamen. Lego in Plutarchi Parallelis: Fuluium quendam mulierum odio, equam solitum inire, unde uenustior enata puella sit, quam dixere Hippo: sicuti Ephesius Ariston, ex asinæ initu formosam progenuit Onoscelin: quod Admirabilium secundo Aristoteles, siue alius, scribit. Nam Onochelon Christianorum deum quidam intellígere maluerunt, auribus asininis, altero pede inungulato, librum gestantem togatumq. Nam & asininū caput uice numinis coli à Iudæis solitum, Cornelius Tacitus mendacium (ut Septimij Florentis utar uerbis) loquacissimus prodidit, quòd in Arabia siticula deprehensi, onagris ducibus, perducti ad aquarum scaturigines sint. Sed inter Græcos quoq nominis haud obscuri Damocritus aureum asselli caput à Iudæis cultum, non tacuit: nec ritu quidem sacrorum neglecto, septimo quoq anno peregrinum hominem perduci assueuisse, scribens, ac ἡμίθηλα, id est frustillatim concisum necari. Onochelos autem Dioscoridi libro quarto, herba est, dicta quoq Alcibiadion. Stabuli uero deam Apuleius Hipponem uocari tradit, ut placere doctioribus animaduerto: quanquam plericq Hipponam & legunt & interpretantur, ut est apud Tertullianum: sic & apud Iuuenalem legunt: Iurat solam Hippo, & facies olida ad præsepia pictas. ea nimirum forma qua Dido & Manto, pro Didonem & Mantonem dicimus. Illud minus omiserim, quod est in Pindari Pythijs obseruatū, & ab interpretibus enarratum curiosius: Neptunum à mythicis appellatum tradi Petræum, quòd olim super saxo consopitus urinam profuderit genitalem, unde enatus sit equus primus, quem dixere Scyphion. Lactantius uero grammaticus, in Thessalia terram tridente percussam scribit, à Neptuno, ex quo mirum

mirum dictu, prosiluerint equi duo, Scyphios & Arion, inde nata Thessalicorũ equorum præstantia. Quia uero equitandi artem, id est τὸ ἱππικὸν, primus excogitarit Neptunus: inde factum opinatur Pausanias, ut dicatur Ἵππιος, potius quàm causa aliat quando & in equorum certaminibus Homerus per Hippium Neptunum iurare Menelaum fingit. Sed & qui hymnos scripsit antiquissimos, Pamphus, Neptunum dicit ἵππων δωτῆρα, id est equorum datorem. Seruius grammaticus, in cõtentione cum Minerua de Athenarũ nomine, ab Neptuno littore percusso, equum scribit productum, sed à nostris coarguitur. Apud auctorem ἐκλογῶν περὶ γεωργίας libro nono, sic comperi adnotatũ: Terram initio fuisse aquis adobrutam, emersisse primum Atticam: eius amore ducti Neptunus & Minerua de ciuitatis constituendæ nomine litem intendere: Ioui complacitum, eius esse urbis pontificium, qui pulcherrimum excogitasset munus, tunc portubus & naualibus ab Neptuno urbem excultam, Minerua oleam producente in Acropoli: quo argumento euasisse superiorem. unde institutum, oleastro uictores coronare. Petræum denique dici uolunt alij, quòd reuulsis in Thessalia montibus, qua uocantur Tempe, emiserit Peneum, ac stagnantes prius agros renudarit. Ex quo Callimachus, φεύγε δὲ καὶ πλωτὸς ἐλισσόμενος δόμος ὕδατι μοῦνος. Fuerant & Petræo Neptuno instituta certamina. In hac denique equorum mentione, illud ex Homero addidisse, offecerit nihil: Centrineces nũcupari equos centro obedientes. Centra uero, inquit Eustathius, sunt quæ encentrides item dicuntur, id est inhærentes calcaneo stimuli, quibus excitari equos nouimus. Ichthycentrum est fuscina. Erant & suæ furibus encentrides, quibus per parietes obrepebant, uelut factitasse Corœbus dicitur apud Pausaniam. In collectaneis Rei rusticæ libro tertio apud Græcos, monemur, palmites mense Martio capiendos πρὸς ἐγκεντρισμόν, id est ad insitionem. Quin mox paulo idem auctor appellat, τὰ εἰς ἐγκεντρισμὸν ξύλα. In libris cõperi eisdem, equos ἑτεροφθάλμους haberi quibusdam pulcherrimos, cuius fuerit modi Alexandri Bucephalus. Hippocampum interpretantur aurigarum scuticam, flectendis equis accommodam, unde nomen. Et apud Helicẽ ciuitatem dicitur stetisse Neptunus æneus habens ἱπποκάμπην in manu. Denique perorigam dici inuenio, eum qui equos admittit: eo enim adiutante, equa alligata celerius initur, nec equi frustrata cupiditate impulsi semen eiiciunt: quo fit ut apud Plinium libro octauo, capite De equis, rectius forsan peroriga legatur, quàm auriga: ut modò agnoscitur, quem ab equa laceratum scribit: quanquam apud Varronem historiæ eiusdem relatione, auriga item circumfertur. Ἵππον δούειον, id est equum Durium, Epei opus fuisse, Pausanias interpretatur machinam muris dissoluendis, cuius æneum simulacrum in Acropoli fuerit. Equos statura pusillos uocant ἵππους, sed & gynnos posteri nũcuparunt: sicuti homululos dicere nanos consueuimus, παρὰ τὸ ἐσφῆσθαι τῷ ἄνω. Nanorum pudenda pro magnis ferè usurpantur Græcis. Equus dysgargalis nuncupatur in libro περὶ ἱππικῆς apud Xenophontem, qui est δυσπόπακτος ac difficilis, qui ne tactum quidem aut titillationem pati queat, γαργαλισμόν Græcis dictam. Addamus porrò: Incitatum, id est ἰγκίτατον, esse equi nomen apud Suetonium, præter interpretum sententiam. Id quod ex Dionis lectione amplius dilucet, opinor: Afficiebatur, inquit, Caligula gestanti batrachida. quo argumento Prasini cognomen est illi adoptatum. Sed & locum certantium quadrigarum uel hac tempestate Caianum dicunt: ex equis unum sic amauit, uti ad cœnam inuitaret, annona quoq; apposita & hordeo, quin & aureo poculo uinum propinabat: per illius salutem fortunamq; concipere iusiurandum solitus: consulem quinimmo designare constituerat, feciſſetq;, ni consilia interpellasset mox interitus. Equinos pullos ubi Homerus ἀιολοπώλους uocat, interpretantur grammatici uarios. Id reluit Porphyrius, ἀίολον signare astruens ταχύ, id est celerem, ἀὴρ γὰρ ἀέλλης, id est ab procella ducto uocabulo, quæ ab ἄημι flectatur, & εἰλεῖν, quia spiritu uersat omnia. Nam & bellacem Corythæolum dicunt, qui motat assiduè galeam: sicut Martem Corythaica nuncupat Homerus quoq;.

Prouerbium de Corintho supercilioſa, quam habeat rationem. Corinthi felicitas. Aes Corinthiũ cur pretioſum adeo. Mixobarbari qui ſint apud Corinthios. Aeetes.

Caput XXV

Strabo

STrabo non hiſtoricus modò præſignis, ſed philoſophus quoq; & mathematicus, adeo celebris & peruulgati nominis, ut eum Theſſalonicenſis Euſtathius per quandam exochē geographi nomine perſæpe ſignificet. Is inquam Strabo poſt multa de Corintho commemorata libro octauo, demum ita ſcribit: Ciuitas ipſa Corinthiorū ampliſſima diu fuit & opulentiſſima, ſiue uiros innumerabiles ad ciuile regimen peritiſſimos, ſiue eximias opificum artes animo uertas. Ager aūt non admodum telluris bonitate pollebat, quippe qui obliquus foret & aſper, unde ſupercilioſam Corinthum uocant uniuerſi, & ceſſit in uulgare prouerbium, Corinthus ſupercilijs curuitatibusq; laborat: cuius etiam meminit Euſtathius. Eius adagij mentionem faciens quidam, ingenuè ſatis fatetur, non ſe uidere ubi nam uſui eſſe poſſit, niſi (inquit) quis detorqueat ad hominē intractabilem, aſpero ingenio, & ſibi ipſi inæqualem, parumq; ſibi conſtantem. Ego uero aliud ſpectaſſe prouerbij conditorē primum, contenderim: nam quia non conſequitur ager reliquam ſuæ urbis felicitatem, inde dicti uim Straboni manaſſe opinor: quando nil eſt tam diuitijs inſtructum, tamq; artibus & uirtute præclarum, nil poſtremò in humanis rebus adeo numeris omnibus abſolutum, quin aduerſi aliquid & improſperi inſit protinus, & affricet mortalium rubigo, & fortunæ (ut ſic loquar) liuor liuidiſſimus, quod ueluti labecula, ac uerius nubilum, lætitiæ infuſcet ſplendorem. Quamobrem ubi Corinthum dicimus ſupercilioſam, id quidem meo iudicio innuimus, Omnia utiq; ineſſe, quæ & placere ac poſſint etiam faſtidientem allectare: uerum eſſe aliquid unum, quod offendat quadantenus, quoniam nil ſit ex omni parte beatum. Ex ijs uero, ni fallimur, & noſtra ita amamus, ut neſciamus perdere, perſpicuum iam eſt introſpicienti exactius, adagij uis quò tendat & quid uelit ſibi. Quòd ſi quis in ſtudijs adeo inſolens eſt, ut Corinthiorum neſciat felicitatem, is Homerum conſulat, qui Iliados ſecundo Corinthum diuitem uocauit, ἀφνειὸν πτολίεθρον: quod tamen ex Geographi ſententia, ad emporium inibi conſtitutum refert Euſtathius. Nam & Thucydides Græciæ emporium uocat Corinthum. Audiat & L. Florum ita ſcribentem: Corinthus Achaię caput, Greciæ decus, inter duo maria Ionium & Aegæum, quaſi ſpectaculo expoſita. Et infrà, ubi ruinas eiuſdem felici breuitate tranſcurrit: Quid ſignorum? quid ueſtium? quid ue tabularum raptum, incenſum, proiectum eſt? quātas opes uictor abſtulerit & cremarit, hinc ſcias, quòd quicquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incendio ſuperfuiſſe cōperimus. Nam & æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit iniuria, quia incendio peruſtis plurimis ſtatuis atq; ſimulacris, æris, auri argentiq; uenæ in cōmune fluxere. Hinc æra Ephyreia celebrata Virgilio, quibus quum uehementius caperetur Auguſtus, etiam dici Corinthiarius cœpit. Traditum porrò in fabulis eſt, quod repetit in Epidicticorum ratione Menander, de Corintho & Iſthmo Solem Neptunumq; contendiſſe, ſicuti de Athenarum ciuitate cum eodem Neptuno Mineruam. Et quid pluribus agimus in re confeſſa? M. Tullius in Rullum, Deinde agrum optimum & fructuoſiſſimum Corinthium uenire iubent. Nam quod in Græcæ gentis contemptum dicere Philippus ſolebat, habere ſe λαῶν τὴν ἐμπολὴν, ut Pauſaniæ teſtatum monumentis eſt, quum in Eubœa Chalcidem præſidio teneret, in Iſthmo Corinthum, in Theſſalia ſub Pelio Magneſiam, præſens forſan inſtitutum nil iuuerit. Significabat autem Philippus ciuitates eas eſſe, uelut Græciæ claues, ac ἐρμηνείας τῆς τὴν ἐμπολὴν. Nec illud quod proximè ſe ingeſſit, non omnino parergon, omiſero: coli ab Corinthijs ſolitos, qui dicerētur mixobarbari, quos non fuiſſe alios, quàm Medeæ liberos, proditum hiſtoria eſt. Nanque habitauit ea Corinthum, quumq; fames eſſet inorta ualidior, Cereri ac Lemnijs nymphis obita re diuina, illa comprecante deſiit malum. Sed & Corintho Aeetem Medeæ patrem quandoq; potitum, ſcimus. Quippe ſolis fuiſſe filios & Antiopes Aloeum & Aeetem, quibus diſtribuerit regionem pater, illi quidem Arcadiam, Corinthum huic, qui propria non contentus ſorte, ciuitatem Buno Mercurij filio reliquit, quam poſteris denique is reſignaret, in Colchos ipſe demigrauit. quam rem carmine complexus Eumelus ſit.

Iouis Corinthus prouerbiū, quem habeat ſenſum apud Philoſtratum. Quæ dicantur anacalypteria, & encalypteria. Nymphæ quid, & unde. Encalymmata

mata. Epicalymmata. Edna. Opteria. Diaparthenia. Necrocorinthij qui ſint, & quid defunctus. Mortuale, morticinum. Sepultura. Necropernas. Lycophronis ſuggillatio. Caput XXVI

PRorſus quia de Corintho nobis mentio eſt, pergamus porrò attexere adagium alterum ab eadem productum ciuitate: ita enim habet, Iouis Corinthus. Id uero quo enuntietur ſenſu, enarratū ampliter à Suda nouimus, & Ariſtophanis interprete, ac pleriſque alijs. Sed & in literis Latinis alicubi expoſitum, non incurioſus lector inueniet. At quia diſſonum quiddam apud Philoſtratum ab horum ſemita deprehendimus, ut quæ mox afferrentur, clarius & apertius innoteſcant, totam Græci ſcriptoris ſententiam, quæ ad præſens negotium ſpectat, tralatam huic loco inſeremus: moxq; quid ipſe ſtatuam, non grauabor pluribus explicare. Iudicabunt uolentes, neq; enim ſine prouocatione ſunt hæc. Ergo ita habet: Antipatro, inquit, qui tum imperatori ab epiſtolis erat, auidius affectante filiam, quæ fuerat ei forma haud ſanè cōſpicua, Hermocrati in matrimonium tradere, non cenſuit is arripiendam felicitatem eiuſmodi. Immo nuptiarum conciliatrice inſtante acrius, ac uiri potentiam memorante: Doti, inquit, magnæ non ſeruiam, neque ſoceri ſuperbiæ. Quum uero etiam iuncti ſanguine ad nuptias omnino propellerent, quòd Iouis Corinthum eſſe putarent Antipatrum, non ceſſit prius quàm ab imperatore accerſitus Seuero, puellam ſibi iungi paſſus eſt. Quo tempore ſcitante ex eo familiariū quodam, quando eſſet anacalypteria præbiturus, Vrbanè (inquit Hermocrates) immo uero encalypteria, poſtea quàm ita deformem ſum ducturus. Cæterum mox paulo etiam dimiſit, quòd neq; oculis foret grata, nec moribus commoda. Hactenus ex Philoſtrato. Iam neminem arbitror ita hebeti iudicatu, etiam ſi ferè ſit elementarius, cui non perſpicuè pateat, nihil eorum quæ Græci in literas miſere, cum Philoſtrati ſententia congruere, & proinde aliud quærendum. In quo ne amplius fatigentur bonarum literarum ſtudioſi iuuenes, quibus hæc qualiacūq;, ſummis tamen laboribus congeſta procudimus. Ego Iouis Corinthum hic intelligo feliciſſimum quendam hominem ac præpotentem, uirgula quadam oblatum diuina: quiq; tanto imperatori, qui uice numinis coleretur ab hominibus, eſſet in primis charus. Nam ſicuti tradunt mythici, quū Aletes Corintho eſſet potitus ex Iouis Dodonæi reſponſo, uideretq; nobilem ac præualidam ciuitatem ſubiectam ſibi, eam Iouis appellauit Corinthū: unde irrepſit prouerbij ratio apud Philoſtratū. Et nos in id genus rebus uti concinnè poſſumus. Sudas tamen alicubi ab hoc ſenſu non eſt omnino deuius, quum ſcribat, Iouis Corinthum eſſe paroemiā de ijs quibus quandoq; lætius arriſerit fortuna, mox uero non ita. Scribit tamen ex Græcis Damon, id quod ab Pindaricis relatum interpretibus ſcio, dici in eos paroemiam, qui nimis quàm elati magnos uideri ſe uolunt, ſibiq; placent plurimum, ac oſtentant, mox tamen timidè, perq; ſummum abeunt dedecus: quod Corinthijs ſanè obuenit legatis, dum Megarenſes audacius in concione rebellantes inceſſerēt, dicerentq;, ni ſumptum de ipſis ſupplicium eſſet, fore uti meritò ingemiſceret Διοσκόεινθος: ad quam uocem ue hementius ſuccenſi Megarenſes, lapidibus Corinthios impetiuere, quibus in fugam uerſis, cædentes illi terga identidem ſucclamabant, πῶς Διοσκόεινθος, feri Iouis Corinthum. Vt uero plenam præſtemus operam, & hiſtorici nubilum diſcutiamus, ſciendum eſt, anacalypteria in Philoſtrato dici munera, quæ uir & domeſtici atq; amici ſponſæ contribuebant, quum primum retecta uiſendam ſe præberet: nam apud Græcos ἀνακαλύπτειν reuelare eſt, & anacalypſis reuelatio eſt. Hæc ab alijs theoretra item dicta inuenimus. Sunt qui Pindarum putent, Agrigentum ideo in Olympijs nuncupaſſe ſacrum, quod olim eſſet Proſerpinæ contributum ab Ioue, εἰς τὰ ἀνακαλυπτήρια. Nam & in Timoleone Plutarchus ſcribit, eſſe Proſerpinæ ſacram Siciliam, καὶ γὰρ τοῖς γάμοις ἀνακαλυπτήριον αὐτὴν δοθῆναι, id quod ſexto Bibliotheces opinor indicaſſe Diodorum: etiam ſi aliud præfert Latina tralatio. Sunt & qui nymphas dici ſponſas interpretētur, ἀπὸ τοῦ νεῶν πρώτως φαίνεσθαι, quia nunc primum uiſendas ſe præbeant, quum antea prodeant obtectæ. Aliàs uocantur nymphæ dulcium aquarum fontes, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ νᾶσι φαίνεσθαι. Encalypteria uero facetiſſimè uidentur dici, quæ dentur quum puella obuelata

nolit

nolit uideri: quod ſanè congruit deformi, ἐγκαλύπτειν enim integere eſt & obuelare. Vnde & cancrorum loculoſa opercula rugoſaq́, epicalymmata uocant πτυχώδη. Anacalypteria uero edna item dicuntur, & opteria, proſphthencteria quoq́: Agias uero comicus etiam diaparthenia: quoniam διαπαρθενεύειν, deuirginare ſignat, ut uerbo utamur recentioribus frequentiſſimo. Anacalypteria poſtremò donorũ nuncupatur dies. Scitu præterea dignum & illud in hac Corinthi mentione tam multa, νεκροκορωθίους, id eſt Corinthiorũ defunctos uocari in hiſtoria ſigna fictilia, quæ Corintho euerſa, Romam impleuere, quoniam ex recluſis ſepulchris eam excerperent prædam. Obſeruandum & illud: νεκρόν dici Latinè defunctum, hoc eſt cadauer: quod Hieronymus mortuale morticinũq́ uocauit. Plinius, Vt qui latiſſimè rura metatus fuerit, ultraq́ famam exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? uel quum ad menſuram auaritiæ ſuæ propagauerit, quam tandem portionem defunctus eius obtineat? M. Tullius ſepulturam quoq́ nuncupauit, ut quum ait, Illam inſepultam ſepulturam. Emortualem diem Plautus appellare uidetur, in quo quis mortuus eſt. Necropernas uero dicitur poetis Achilles, quòd premortui Hectoris cadauer uendiderit. ἐκ τοῦ πέρνημι participium conformatur πεπρασ. Sic autem apud Lycophronem comperi, cui tamen ducens quandoq́ colaphum interpres, nil ueretur eum βαρβαρόγλωσσον nuncupare. Illud poſtremò ſubnotandum: de Corinthi nomine confingi Græcis uocabulum κορινθιάζεσθαι, quod ſcortari ſignat & lenocinari, id eſt μαστροπεύειν.

Super Heraclide ſcitu digna quæpiam de Græco excerpta penu. Lepidum Ptolemæi factum. Caput XXVII

MVltos ingenio & ui percipiendi quæ tradantur, anteire alijs, notius eſt quàm ut ſit pluribus probandum. Sed & illud à Quintiliano traditũ non præterit nos, neminem reperiri qui ſit ſtudio nihil conſequutus. Id equidem non argumentis modò ualet comprobari, quia multum facit in qualibet re quantulacunq́ ſedulitas, ſed exemplis quoq́, quæ nobis paſſim hiſtoria ſuggerit. Relíqua miſſa facimus. Heraclidæ tantum commeminiſſe collibuit parte iſta, cuius in ſtudijs diſciplinarum cura mirè ab auctoribus prouehitur. Erat uero hic natione Lycius, hebeti ingenio, & ad politiorem cultum ineptiſſimo: tamen ſedulitate, ac lucubrandi, fuligineſq́ lucernarum bibendi, & in ſudata ueſte durandi laboribus, ac propoſito pertinaci, id demum eſt aſſequutus, ut à magnis auctoribus dignus ſit habitus qui inter facundiæ ſtudioſos recenſeretur, immo etiam elegantiſſimus appellaretur atq́ eloquentiſſimus. Quod eo mirabilius contingit, quia eum ut πολύφαγον, id eſt uoracem, notat hiſtoria. Relatu iucundum eſt, quod ei uſu ueniſſe proditur memoriæ: ſiquidem re ipſa edoctus eſſe nihil, quod improbus uolentis labor & pertinax non peruincat, librum concinnauit, cui titulum fecit πόνου ἐγκώμιον, id eſt laboris laus. Fortè ita euenit, obambulabat quadam die, eumq́ librum manibus geſtans apud Naucratim (eſt ea Aegypti urbs) Ptolemæo factus obuiã eſt, facũdiæ ſtudioſo & ipſi: ab eoq́ interrogatus, quid nam eſſet id quod prompſiſſe in literas uidebatur, reſpondit πόνου eſſe ἐγκώμιον. Capit librum Ptolemæus, ac facetiſſimè primo elemento, hoc eſt π expuncto abraſoq́, ita ut reliquum fieret ὄνου ἐγκώμιον: quod non aliud profecto eſt, quàm aſini præconium. Accipe, inquit, & lege laudis nomen attitulationemq́.

Qui maledicta leniter tulerint, Antigonus, Philippus, Auguſtus. De Demochare, qui dicebatur Therſites. Caput XXVIII

TOlogium uetus eſt, & nulla non hora iracundis iſtis, ac tumẽtibus ingerendum, Eſſe in primis regium, male audire: In ea re ob inſignem animi moderationem pleroſq́ eximie laudatos, neminem, puto, fallit qui paulo humanior ſit. Nos quæ ad manum ſunt exempla, non præteribimus uelut conniuentes. In primis uero ſeſe oſtentat Antigonus, cui tantum ſuperfuit animi, modò uelis, omnia ſupergredientis, ut uel manipulares petulantius lingua utentes leniter ſit paſſus. Incumbebant illi regio tabernaculo, nec ſibi temperabant, quin quod periculoſiſſimè quidem, ſed libẽtiſſimè perſequuntur homines, qui non continent redituras per iugulum uoces, male de rege ſuo exiſtimarent & loquerentur. Ex proximo exceperat

exceperat omnia Antigonus, quippe interiacẽte modò lineo, ut ſic dicam, pariete. Extanduiſſet alius, protinuſq; ultimi ſupplicij terrore perfuſos abripi iuſſiſſet homines Atis comiter ac ſedate: Abite (inquit) longius, ne obloquentes fortè obaudiat rex. Idem itinere nocturno, & præmoleſta ob cœni altitudinem uia, ubi milites ægrè ferẽtes animaduertit, palamq; illi improſpera omnia imprecantes, adire eos perrexit, qui præcipuè uoragine impliciti diſtinerẽtur: quumq; eos explicuiſſet, nec eſſet ab eis per cognitus, Execremini (inquit) Antigonum, qui uos in haſce coniecit difficultates: ei uerò qui inde uos extraxit, bene precemini. Affulſit & patientiæ uirtus, inſtrumẽtum ad tutelam regni præclarum, Philippo regi: ſiquidem perbenignè Atheniẽſium legatione audita, demum iamiã remigraturis, Ecquid (inquit) noſtis, quòd à me gratum in ciuitatem ueſtrã proficiſci ualeat? Aderat fortè Democharis, ob nimiam & procacem linguã cognominatus Therſites: is ergo excipiens, Si te (inquit) ſuſpenderis. Commouerat tam intempeſtiuũ, tamq; atrox reſponſum legatorum reliquos, exortaq; omnium cum fremitu indignatione, molliter Philippus, Nuntiate (inquit) Atheniẽſibus, multo elatiores uideri, qui ob animi impotentiã hiſce non abſtineant, quàm qui impune dici permittãt, ac iniuriæ inſolentiã facile concoquant. Hiſtoricus Timagenes Auguſtum, uxorem, domum uniuerſam procacius impudẽtiusq; proſciderat in libris, ac dicaciter lapidauerat. Monuerat Imperator, ut facile appareret illi non imperaſſe iram, moderatius lingua uteretur. Pergenti etiamnum ac liberius naturæ indulgenti, ſatis habuit, domo ſua interdicere.

Cõſtantiæ bonũ. Leuitatis fœda ſuggillatio. De animi mobilitate. Deſultorium ingeniũ. Fortunæ appellationes diuerſæ. Volaticus qui. De Tutilina dea. Plinij locus explicatur ex libro octauodecimo. Cap. XXIX

QVi officiorum rationem in obeundis uitæ munijs, quidq; deceat & aptum perſonis ſit, temporibus, ætatibus, exactiſſima cura ſibi ſcrutandum, cenſuerunt, tandem deprehendiſſe ſunt uiſi, nil eſſe quod tam deceat, quàm in omni re gerenda conſilioq; capiendo ſeruare conſtantiam. Nanque ita quoq; natura comparatum, ut quiſquis ſe aliquid ordine ac recta mente complexum confidit: uel iam geſtum, ſi obtrectetur, acriter tueatur: uel nondum ẽditũ, ſi interpelletur, ſine ulla cunctatione ad effectum perducat. Hæc quũ ita profecto ſint, & calculis omnibus paſſim & fœde damnetur leuitas ipſa ſine ampliatione, quãdo uel plebeculæ imperitæ eiuſce turpitudo uitij planè liquet, natum adagium eſt, ut deſultorium nuncupemus ingenium, quod mobile eſt, uarium, ac omni tipula leuius, facileq; momentis horarum ad tenuiſſimum quenq; afflatum in diuerſa tranſiliens inſtar folio rum, quæ, ut Poeta inquit,

Mobilibus uentis arida facta uolant.

Aegri proprium eſt, nihil diu pati, & mutationibus, ut remedijs uti. Semper præſentibus eſt infeſta leuitas, quæ eo preſſius enixiusq; cauenda, quòd natura humanus animus agilis eſt, ac ad motum pronus. Mobilis, inquit Seneca, & inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in nota omnia & ignota dimittit, uaga & quietis impatiens. Quod non miraberis, ſi originem inſpexeris. Ex cæleſti nanq; deſcẽdit ſpiritu, cæleſtium autem natura ſemper in motu eſt. Quod uerò ad deſultorium attinet, Felix quoq; Capella De nuptijs Philologiæ primo, deſultoriam fortunæ leuitatem nuncupaſſe uidetur: ita enim ſcribit, Tunc enim omnium garrula puellarum, & contrario ſemper fluibunda luxu, leuitate pernix deſultoria geſtiebat: quam alij ſortem aſſerunt, Nemeſinq; nonnulli, Tychen quàm plures, aut Nortiam. Quam uerò rationem habeat dictum hoc, pergam iam explicatius enarrare: ſi commonuero prius, in hoc uſu dici à Seneca uolaticum hominem: ita enim ad Lucilium ſcribit, Meminiſti quum quendam affirmares, eſſe in tua poteſtate, dixiſſe me, uolaticum eſſe hominem ac leuem, & te non pedem eius tenere, ſed pennam: mentitus ſum, pluma tenebatur, quam remiſit, ac fugit. Ambroſius uolaticum ſermonẽ lepidè dixit, qui ſit de auitio inſtitutus. Quod uerò ad fortunã ſpectat, ſunt qui Plinianum illud ex decimooctauo Naturalis hiſtoriæ, de calua intelligãt fortuna, quum ait, Tertiam ex his no

minare ſub tecto, eſt religio. At ipſe Auguſtini doctrinam inſecutus Tutilinam malim: ſic enim ſcribit Ciuitatis diuinæ libro quarto, Sata, inquit, frumenta quamdiu ſub terra eſſent, præpoſitam uoluerunt habere deam Seiam. Quum uero iam eſſent ſuper terram, & ſegetem facerent, deam Segetiam: frumentis uero collectis atq; conditis, ut tuto ſeruarentur, deam Tutilinam præpoſuerunt. Quæ Pliniano ſenſui congruere qui non uidet, Leberide prorſum cæcior eſt. Equeſtris Fortunæ ædem uouit Fuluius prætor in Hiſpania, quod ſtrenua equitum opera in Celtiberos uſus foret.

Deſultorij equi unde, & qui dicantur. Iulij Pollucis codex uindicatur à uitio. Hamatrochia. Harmatrochia. Amphigyi. Amphippi qui ſint: item hamippi, & prodromi. Caballi. Manni. Caput XXX

DEſultorios equos uideo dici à deſiliendo: nam ut Sex. Pompeius ſcribit, paribus equis, id eſt duobus, Romani utebantur in prælio, ut ſudante altero tranſirent in ſiccum. Nam & pararium dicebatur æs, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. Eum uero Scytharum pleriſque morem fuiſſe, Ammianus prodit Marcellinus, binos trahendi equos, ut iumẽtorum uires foueat permutatio, uigorq; ocio integretur alterno. Sed Romanum morem amplius intuenti plane indicat T. Liuius quum libro ab Vrbe condita primo ait, Ad equos emendos dena millia æris ex publico data: & quibus equos alerent, uiduæ attributæ. Iulius uero Pollux libro Onomaſtici primo, equitum ſpecies recenſens ita ſcribit: Hippotoxotæ, doratophori, contophori, hypaſpiſtæ, ſceuophori, hippagogi, anippi, hi uero duos habebant equos, alter ab altero trahebatur: ita demum exercitatis militibus, ut in alterum nullo negocio tranſilire poſſent. Sed in iſs Pollucis uerbis labes extergenda eſt: ſiquidem non anippi, quæ uox ſignat ſine equis, ſed amphippi legendum eſt. Comprobat quod adſtruimus uel hiſtoria prima Herodotus, Maſſagetas eſſe ἱππότας καὶ ἀμφιππους, id eſt ex equis præliari & pedibus prodens. Impegimus ſæpe in eum ſcopulũ, mendum irrepſiſſe manifeſtum erat: quid ſubſtitueretur, non facile peruidebamus. Deniq; lapſitantibus conniuentibusq;, manum quaſi præbuit Aelianus, qui de phalange diſſerens, quæ antiſtomus dicatur, à duplici frontis ſeu oris obiectu, quaſi occeps: ita inſtituta, ut mediis tergis inter ſe oppoſitis conſtet: ita denique infert, Valet, inquit, hoc inſtruendi genus potiſſimum contra Barbaros, qui loca amni Iſtro uicina incolunt, quos amphippos cognominant, à mutatione equorum: ex aliis enim equis in alios tranſilire conſueuerunt. Traditum & hoc à Suda, in parte quæ eſt De uocabulis rei militaris. Sed hamippos item dictos quandoq; aduertimus: & ita forte ſcripſit Pollux. Sed eo uocabulo pedites cum equitibus diſpoſitos, accipiunt Thucydides ac Xenophon, quos Philochorus prodromos dicit. Hamippos apud Sophoclem in Antigone dici inuenio celeres, ueluti equos adæquantes curſu. quod adnotarunt ſcholiaſtæ. Hamatrochiam uero dicunt aſſociatum curſum, οἷον ὁμοδρομίαν. At Harmatrochia rotarum plane orbitam indicat. Ne autem in leuicula exire nos cauilletur quiſpiam, interſtitionem hanc Callimacho in Homeri enarratione fuiſſe incognitam, miratur Porphyrius. Amphigyi dicuntur manibus & pedibus qui luctantur, aut fortes, uel ambo thoracibus communiti, aut deniq; ex aduerſum certantes. Caſſiodorus tamen in epiſtolis: Equi, inquit, deſultorij ſunt, per quos Circenſiũ miniſtri miſſus denunciant exituros. Illud uero parte hac commonendi diligenter ſumus: aliud omnino deſultorem uideri, aliud deſultorium equum. Nam illud ad hominem utiq; ſpectat equos alentem docentemq;, qui dicantur deſultorij. Docuit nos id Varro Terentius, in cuius libro De ruſticis rebus ſecundo ita legimus: Itaque peritus belli alios eligit, alit, ac docet: aliter quadrigarius, ac deſultor: neq; idem qui uectorios facere uolet. His aſtipulari Liuius quoq; uidetur libro ab Vrbe condita tertio & uiceſimo: Numidis, inquit, deſultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat, tanta uelocitas ipſis, tamq; docile equorum genus eſt. Quin & eum qui certat, recte deſultorem dixeris: quod comprobat Vlpianus Digeſtis De præ ſcriptis uerbis: Tuq; deſultor in his cucurreris & uiceris. Cicero pro Murena ait, Qui neſcio quo pacto mihi uidetur prætorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in

in quadrigarum curriculum incurrere. Desultorem porrò designat Elegiacum illud scientissimè concinnatum:

Est etiam aurigæ species uertunnus, & eius
Trajcit alterno qui leue pondus equo.

Caballos intelligere uidetur Hieronymus maiores equos: sicuti mannos accipimus minores: Caballos, inquit, cernam equis cedere.

Equitum species plures. Dimachæ. Epigoni. Monippi. Zygij. Pareori. Parasyri. Siræi. Siræ. Parabates. Anabates. De curribus bellicis, & certaminũ sacrorum ratione. Erichthonius quadrigarum inuentor. Nomina armorũ quibus equi muniuntur. Clibanarij. Cataphractarij. Bastalus. Subsellares quid. Catalogi libri, & tactici. Selma. Sellium. Selmides. Nauium structores primi. Nauale bellum item omniũ primũ. Catastromata. Propli naues. Aminocles naupegus. Buccellarij. Seuir. Ostensionales. Cãpion. Agema. Sarissophori. Amici equites. Laphytæ. Centauri. Hippocorystæ. Astrabe. Vngula equina. Coryphæa quid. Cucuma. Borchiæ equorum. Borysthenes equus. Cap. XXXI

IN hac uerò rei militaris mentione addamus & aliqua, legentibus futura non ingrata. Qua in parte illud fuerit primum: equites quosdam ab Alexandro institutos, quos à duplici genere pugnæ appellabant dimachas, & hi quidem ex equo pugnabant peritissimè, ubi uerò exigeret necessitas, & foret regio equitatui inepta, cuiusmodi Græci uocãt ἀφίππους, mox desilientes ex equis congrediebantur, ut pedites, ne omnino forent ἀπόμαχοι, idest pugnæ expertes, & Lydium paterentur incõmodum. Idem Alexander agmen pubescentium puerorum triginta millium numero, epigonos appellabat. Hi uerò barbari erant Macedonicis instructi moribus. Dicuntur epigoni uelut posteri: nam & Thebanorum epigoni leguntur aduersus Thebas excitasse bellum. Quos non fuisse alios Eusebius scribit, quàm interfectorum posteros. Libyes ex curribus pugnabant, sicuti apud Homerum heroes: hic enim nouisse monippos non uidetur: sic enim uocitant uno depugnantes equo, Qui uerò iugum subeunt equi, zygij nominãtur, qui latera stipant, pareori, penultima extense pronuntiata (etiam si Dionysius discrepare quadantenus uidetur) & parasyri, ac etiam siraphori, item siræi: sicuti eorum habenæ siræ, ac pareoriæ dicuntur. Duobus modò equis ad currum adhibitis, heroes depugnasse, in Iconibus Philostratus scribit, etiã si Hector audacia præstans quatuor uteretur. Vectabula hæc, seu iumenta, Græci uocant ἅρματα πολεμικά, in quibus præstò auriga est, pugnat parabates, aut aliud quid facit etiã propter synodiam, ut inquit Eustathius. Eum Plato anabatam micraspida uocauit, Homerus Iliados Υ,

ἀνδ' ἔβαν, οἳ δίφροισι παραιβάται, ἡνίοχοί τε,

id est currum inscenderũt paræbatæ ac aurigæ. Dionysius libro octauo, parabatas pro aurigis accipit, quos Athenienses apobatas uocabant. Aristophanis interpres currum inscẽdere solitos scribit, hoplitem & parabatem, ac id genus currus à Theseo excogitatos primum. Epibatæ uerò sunt, qui mercede naui uectantur aliena: sed Atticis eo dicuntur nomine ad pugnam parati bello nauali. Anabatæ uerò in equis intelliguntur, ut scribit Ammonius. Sunt apud Xenophontem ἀναβάσεως primo, ἅρματα δρεπανηφόρα, currus nos dicimus falcatos. Erichthonius autem omnium princeps, ut Arati uetus testatur interpres, currus equis iunctis docuit quadrigis solaribus persimiles compingere. Qua sanè admiratione est inter cælitum tralatus imagines, quod nõ tacuit Manilius Astronomicon primo, heniochi nomenclatura insignis:

Heniochus studio mundumq́, & nomen adeptus,
Quem primum curru uolitantem Iupiter alto
Quadriiugis conspexit equis, cæloq́ sacrauit.

Scribit uerò Theon, cælestem Heniochum uel esse Bellerophontis idolum, uel Trochili: Callithea qui est natus, sacerdote apud Argos prima, quiq́ currum iunxit primus. Alij esse Myrtili dicunt. Sunt qui Cillantis Pelopis aurigæ, aut Oenomai quoque.

Porrò equitatus ipſe hippicum dicitur à Græcis. Verum ex armaturæ genere diuerſa ſortitur nomina, ſiquidem alij ſunt equites cataphracti, alij acataphracti. Cataphractos intelligi eos uolo, qui non ſolum ſua corpora, ſed etiam equos lorica undiq; muniunt. Hos ſcribit Vegetius eſſe quidem à uulneribus tutos, ſed propter armorum impedimenta & pondus capi ſumma facilitate. Et Q. Curtius equitibus tradit equisq; Perſarũ tegumenta fuiſſe ex ferreis laminis, ſerie inter ſe cõnexis. Cataphractos equites, ſcribit Ammianus Marcellinus, etiam clibanarios nũcupari. Idem inter equeſtres copias cataphractarios recenſet ſagittarios, formidabile genus armorum. Lampridius in Alexãdri Cæſaris oratione de Perſis perdomitis innuere uidetur planè, cataphractarios ab illis clibanarios uocari. Loricatos equites dici cataphractos Liuius tradit. Equites antiquitus non habuiſſe thoracas, ſcribit in commentatione De Romanorum militia Polybius: Verum, inquit, in ſubligaculis periclitabantur, ad inſcenſum deſcenſumq; præceleres. Eorum clypei ex bubulo concinnati corio, placentis erant umbilitatis perſimiles, quibus in re diũtina uti moris fuerat. Scribit in Adriano grauis auctor Dion, equites qui uocãtur Baſtai, Danubium armatos enataſſe. Cataphractas naues & aphractas recenſet Hiſtoriarum quinto Polybius. Sunt & qui dicantur chryſophalari, aut etiam argyrophalari: cuiuſmodi in ludis produxit Antiochus, qui Epiphanes quidẽ ferè cognominatur, ſed ex geſtorũ ratione etiã Epimanes à furore. Ex acataphractis uerò alij haſtati habentur, alij ferentarij. Haſtati, qui manus conſerunt, & comminus haſta decertant: quorum alij ſcutum gerunt, & θυρεοφόροι uocantur, hoc eſt ſcutati: ſine ſcuto alij haſta impugnant, hi nomine ſpeciali haſtati uocantur & contati. Ferentarij equites ij dicuntur, qui eminus ſolent dimicare, quorum alij iaculis utuntur, alij arcu iaculantur. Quos Tarentinos uocamus, arcu utuntur: qui equites ſagittarij, & à nonnullis Scythæ etiam uocantur. Tarentinorum duo faciunt genera: alios nanque ſuo nomine Tarentinos uocant, qui è longinquo iaculari conſueuerunt: alios leues, qui pugnam comminus ſubeunt. In ſacris uerò certaminibus duo erant certandi equis genera, Synorides, & Celetes. Synoris erat biga è duobus equis, non pullis, ſed adultis: quanquam poſt è pullis quoque iuncta eſt. Inueni tamen apud Ariſtotelem in libro De mundo, etiam in bello uſos Synoride. Celetes ſingulari currebant equo, quem monatora etiam Græci uocant, ut eſt apud Ariſtophanis interpretem. Acceſſerunt & alia duo Calpe, & Apene: de quibus etiam alibi facta nobis mentio eſt. Calpe trahebatur equa, ſed ita ut extremum curſum anabatæ, hoc eſt ſeſſores ipſi deſiliendo, apprehenſis manu habenis, perficerent. Apene mulas iungebat. Campion porrò curſum uocabant non rectum, nec ſimplicem, ſed flexiones habentem, quas uocant καμπάς. De Synoride Ariſtophanis interpres in Nebulis, ita: Σωωρὶς, inquit, eſt currus non plenus, ſed ex duobus iunctus equis, quem nunc diphron uocamus. Quanquam eo propriè dicitur nomine, in curru pars, ubi cum parabate uerſatur auriga: unde etiam inclinatur, quaſi ἀνοφόρῳ, id eſt duos ferens, auctor Euſtathius. Falcatas uero in bello quadrigas eſſe unicum nonnullarum gentium auxilium, multiplex prodit hiſtoria, & Q. Curtius non prætermiſit. Vt uerò ad equites redeamus. Inuenio equites quoſdam dici bucellarios in Romano exercitu, ſed ueteribus haud quaquam. Eo nomine Gallogræcos intelligere maluit Sudas. Nam & Seuir, rara item uoce, ut coniectant ex doctis nonnulli, equitum indicat præfectum, unde Seuiralium ludorum prorepſerit appellatio. Scribit Iulius Capitolinus in M. Antonino philoſopho ad hunc modum: His ita geſtis, adhuc quæſtorem, conſulem ſecum Pius Marcum deſignauit, & Cæſaris donauit appellatione. Et Seuirum turmis equitum Romanorum, iam conſulem deſignatum creauit. Et ædenti cum collegis ſeuirales ludos adſedit. Corruptè tamen codices omnes Seuerum præferunt, non Seuirum. Oſtenſionales milites apud Lampridium uidentur dici, qui oſtentui modò habentur in urbibus, non bellicæ rei cauſa. Scribit Arrianus, Hipparchiam dici alam, quæ quingentis, inſuperq; duodecim conſtaret equitibus. Idem & quoſdam equites in Alexandri exercitu Sariſſophoros appellatos tradit: ſicuti & non nullos, qui dicerentur amici. Nec non alam equitum, quæ dicatur agema: quãquam & de peditibus dici ἄγημα, idem teſtatur Arrianus. Equis caſtratis Barbarorum pleroſq; uti

uti in bellis ſolitos, legimus: ne aut fœminarũ uiſu exagitati captẽtur, aut in ſubſidijs ferocientes prodant hinnitu denſiore uectores, & per ſpacia diſcurrãt ampliſſima. Lapythas porrò & centauros fuiſſe nobiles Theſſalorum equites, Palæphatus ſcribit Incredibilium primo. Apud Homerum hippocoryſtas, ſunt qui interpretentur in galeis equinas habentes ſetas, ut aliàs commonuimus. Sed, inquit Euſtathius, ſi ita foret, Hippocorythas dicere debuerat, qua forma corythaices nuncupantur, & corythæolos appellatur Hector. Eſt igitur hippocoryſtes, qui & hippiocharmes, ideſt ἱππιοχάρμης, hoc eſt ex equo bellator: quoniam χάρμη dici pugnam, nemo non nouit. Aſtraben eſſe aſinum interpretantur nonnulli, aut mulam. Quidam ὑποζύγιον omne, id eſt iumentum, quo ſubuectentur homines. Dicitur & aſtrabe in ephippijs lignum, quod manu continent ſedentes. Sunt qui doſſuarium mulum aſtraben nuncupent. Aſtrabelaten uerò aurigam, aut notophorum, id eſt dorſo ferens, ac gerulum iumentum. Podoſtrabe autem uenatorum eſt inſtrumentum capiendis feris concinnum. Equorũ colores præcipuos hoſce cõperi, badium, aureum, albineum, ruſſeum, mureum, ceruinũ, giluum, ſcutulatum, album, guttatum, candidiſſimũ, preſſe nigrum. Equinas ungulas à Stygis aqua ſolas non perrumpi, Pauſanias ſcribit. qui obiter illud addit quoq; ſibi non ſatis eſſe conſtitutum, an eo ueneno perierit Alexander. Denique prius quàm hinc reuellamur, ſubnotemus & illa quæ auidas etiamnum explere aures ualeant: equos quippe armis præmuniri, ſciunt omnes, ſed eorum nomina (ni fallor) nota pauciſsimis. Igitur quæ à fronte propendent, prometopidia: quæ ab auribus, parotia: pareia, quæ maxillas præfulciunt, appellari debent: proſternidia uerò, quæ pectus: parapleuridia, quæ latera obiacent: paramerídia, quæ femoribus, ſolet ea uulgus coxalia nuncupare: patacnemidia, tibijs apponi cõſueuerunt. Illud item huic parti attexuerim libenter: equitantium adminicula, quibus pedes inſerũtur, ut ſeſsio fiat commodior, & ſtaphas nuncupat inſcium uulgus, ab Auicennæ interprete, primo Canonis dici ſubſellares, quia ſub ſella propendeant, ut docti interpretantur. Monet autem ínibi Princeps, nõ oportere ſubſellares, aut pedum integumenta eſſe iuſto arctiora, quoniam eius membri motus longè facilius arcere ualeat frigus. Coryphæam in libro περὶ ἱππικῆς Xenophon equini capitis uinculum intelligere uidetur, quum obſeruandum amplius monet, in os frenum quo pacto admittat, ac quo etiam κορυφαίων circum aures. Cucumam ſunt qui habenalia putent ornamenta ex ære orbiculata, è medio bulla protuberante, unde uulgò forſan borchias uocant. Boryſtheni equo, uenationibus aptiſsimo, ſepulchrum ab Adriano ſubſtructum, ſcribit Dion. In Græcis auctoribus ſic fermè uideor comperiſſe, ſelma poſitum pro cathedra, unde ſellium inclinatur. Propterea nauis θύσελμος dicitur, id eſt θώκος, ut eſt apud Theocritũ, quæ ſedilia habeat accommoda. Sunt qui funes dici ſelmidas pronuncient, & naues nuncupari euſelmos, quę apte rudentibus ſint inſtructæ. Denicq; libros, in quis deſcripta militum nomina ſeruarentur, catalogos dici à Græcis, alicubi obſeruauimus: ſicuti armorũ magiſtros uocari tacticos. Tactica contemnere, apud Libanium eſt rem militarem neglectui habere. Bellorum peritiam dici tacticen quoq; Plutarchus ſcribit. Adijciamus illud item ex Thucydide ac Libanio declamatione quadam futurum ſtudioſis non ingratum: Corinthios omnium primos naues concinnaſſe, quæ formam præcipuè præferrent, frequẽtior quæ nunc eſt. Iidem inter Græcos primi triremes compegiſſe memorantur. quando & nauium fabricator, quem Naupegum uocant, Aminocles patria Corinthius Samijs naues fertur conſtruxiſſe numero quatuor. Nauale bellum, ex ijs quorum ad nos propagata memoria eſt, uetuſtiſsimum traditur, quod aduerſum Corcyrenſes eſt ab Corinthijs geſtum, annis plus minus ad noſtram, inquit, memoriam ducentis ſexaginta. Naues porrò, quibus in barbaros ab Atheniẽſibus eſt depugnatum, cataſtromata per totum nec habuiſſe, prodit idem Thucydides. Cataſtroma uerò eſſe uidetur tabulatum in naui ſuperius. De quo Pollux, Propli naues dici à nobis præcurſoriæ ualent.

De Aeliano ſophiſta quædam inuulgata minus. De Socrate & Aglao Pſophidio. Caput XXXII

AElianum ſophiſtam (ut protinus eo à nobis ornetur cognomento, cui ex ingenita modeſtia & prudentia perſpicaci ipſe imparem ſe, ut Romanæ grauitatis uirũ decuit, perpetuò aſſeuerauit) proditũ memoriæ eſt, quum minus ſibi uirium ac uehementiæ uel ſpiritus adeſſe, non eſſet neſcius, ꝙ ut declamatoriam palæſtram calefaceret, in qua deſudarent quidem multi, laudem referrent perpauci, ad ſyntaxes, & ad promendum quippiam quo ſe uixiſſe apud poſteros teſtatiſſimum faceret, ſe totum intruſiſſe. Quod quidem uſque ad ſtuporem impleſſe, narratur. In dicendo apheliam maximè affectauit, quam nos ſimplicitatem dicimus. quæꝙ (uti prodit Fabius) ſimplex & inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in fœminis amatur, ornatum. Nicoſtrati uetuſtatem expreſſit, ad Dionis tonum reſpicit quandoꝙ. Huic olim occurrit Lemnius Philoſtratus librum indignanter & cõcitatè lectitanti. Inſtitit quærere, quidnam foret ſub incude: Elaborauimus, inquit, Gynnidis accuſationem (ſic enim tyrãnum uoco) qui pauloante Romano imperio infamiæ labem inuſſit morum turpitudine. Cui Philoſtratus grauiter admodum: Admirarer (inquit) impenſius, ſi uiuẽtem accuſaſſes. Siquidem ſuperſtitem tyrannum laceſſere, uiri opus cenſeo: functum uerò fato cuiuſque. Cedit hoc in prouerbium, cuiuſmodi & Plinianum illud ex præfatione Naturalis hiſtoriæ, Cum mortuis non niſi laruas luctari. Porrò illud de Aeliano uelut ſuperpondium addamus, quod in eo uiro non parum admirationis habet. Quippe prædicare ſolitum ferunt, nunquam ſe extra Italiam peruagatum, nauem nunquam inſcendiſſe: mare nec nouiſſe quidem, quo nomine in magna erat auctoritate, ueluti patrij moris ſtudioſus in primis. Conſimilia ijs ſunt, quæ à Socrate narrantur in Platonis Phædro, ubi illo dicente, O admirabilis uir abſurdiſſimus quidam uideris, ac hoſpiti, non incolæ ſimilis, quando nec fines noſtros tranſiſſe unquam, neꝙ extra mœnia ipſa egreſſus uideris. Mox Socrates ita, Ignoſcas optime Phædre, nam diſcendi cupidus ſum, agri uerò & arbores nihil docere me poſſunt, ſed homines qui in urbe uerſantur. Cognata his ferè, quæ item de Aglao Pſophidio prodita memorię ſunt, quem etiam ſcitante Gyge, tunc ampliſſimo terrarum rege, Apollo felicem pronunciauit, qui ſenior in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo paruum, ſed annuo uictui large ſufficiens prædium colebat, nũquam ex eo egreſſus, atꝙ ut ex uitæ genere manifeſtum eſt, minima cupiditate minimum in uita mali expertus: quod Plinius ſcribit.

Antipatri præſtantia in ſcribendis epiſtolis. Epiſtolam quid illuſtret præcipue. Deorum præceptores qui dicantur. Mos referendi in deos. Faſtigium decernere quid. Plutarchi locus de Acroterio domus Cæſaris. Antigoni hiſtoria. Laſanophorus quid ſit. Caput XXXIII

ANtipatrum Hierapolitanum ſcribunt ex Græcis nonnulli, adeo in literis conſcribendis præcelluiſſe, ut in ea re non temerè excellentior reperiatur alius. Fuit hic Seuero imperatori ab epiſtolis, cuius etiam res geſtas uidetur hiſtoria complexus. Sed epiſtola proprium erat uiri opus. In ea ſplendidum quiddã inſonuit, nec à decoro imperatoriæ dignitatis recedebat. Perſpicuitas inerat ſententiarum iuncta magnitudini. Aſyndetorum, quæ nos diſſoluta dicimus, iucunditas mira. Etenim ea in primis epiſtolam illuſtrant. Fuit Seueri eiuſdem filiorum itẽ præceptor: propterea dum laudibus eum meritis optimi iuuenes onerarent, ſubinde deorum præceptorem nuncupabant. Quæ res & in prouerbium trahitur, ut quiſquis principum aut optimatium etiam liberos inſtruit, is deorum dicatur inſtitutor. Nam & Ariſtophanes μακάρων δεῖπνον dixit regia conuiuia, hoc eſt beatorum epulas. Non ferè eſt qui neſciat, ex adulatione natum, ut imperatores perinde ac dij haberentur colerenturꝙ. Euſtathius tamen in Iliados primum, ex ui benefica aut præclaro inuento intelligere maluit: unde, inquit, Cæſar apud Romanos primus uiuensꝙ, dei nomen eſt ſortitus: ſed & eiuſdem filius Auguſtus. At inquit in Apologetico Tertullianus, maledictum eſt, ante apotheoſin deum Cæſarem nuncupare. Auguſtus, ne dominum quidem ſe dici patiebatur: eſt enim hoc Dei cognomen. Et Tacitus inquit: Deũm honor principi non ante habetur, quàm agere inter homines deſierit.

Noũimus

Nouimus tamen ex Appiani Alexandrini hiſtoria, templa Iulio Cæſari, ueluti deo publicis ſtatuta decretis. Atq; inſuper cõmune ipſi clementiæq; conditum unum. Et quia Lucianus ille blaſphemus cognomento, qui nec diſs nec hominibus pepercit, uti Lactantius inquit, cum riſu quandoq; Auguſtum deum nuncupat: Plutarchum habemus auctorem, Lyſandro item, ſed primo Græcorum templa fuiſſe erecta. Cyro mortalium primo adorationis cultum fuiſſe delatum, ſcribit Arrianus, quam humilitatem Perſæ poſtea ſeruarint, & Medi. Quando ut Curtio etiam credimus, inter deos recenſuere reges, tanquam maieſtas imperij ſalutis ſit tutela. Conſecratũ quoq; uiuum ſentientemq; accepimus Apollinis iuſſu & Iouis deorum ſummi, uti tum creditũ eſt, aſtipulatu Euthymum pyctam, ſemper Olympiæ uictorẽ, & ſemel uictum. Amplius de dictatore Cęſare ſic propemodum Tranquillus, Ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi, paſſus eſt: ſedem auream in curia, & pro tribunali thenſam, & ferculum Circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos. Meminit & in Philippicis M. Tullius iiſdem ferè uerbis. Herodianus autor eſt, in Seueri apotheoſi exſtructum fuiſſe ſuggeſtum, lignis ingentibus compactum, ſpecie quadrangula, equis lateribus in faſtigij formam. Quod extrinſecus intextis auro ſtragulis atq; eboreis ſignis uariiſq; erat picturis exornatum, intrinſecus uero poſitum eſt minutũ tabernaculum, tertiumq; item ac quartum ſemper ſuperiore contractius, poſſis eius ædificij formã comparare turribus iis quæ in portubus extruuntur, naues nocturno igne dirigentes, quas uulgo pharos nuncupant. Porrò quum legimus, faſtigium imperatori decretum, intelligendam etiam arbitrantur dignitatem humano faſtigio celſiorem, aut templum faſtigio inclitum, uel etiam conſecrationem, quam & ἀποθέωσιν Græci uocant. Verum ut hæc incertè uideantur allata, ſic illud planè firmius, & ex reconditiore doctrina: faſtigium in hoc uſu id haberi prorſum, quod acroterium Græcis dicitur. Nam in Cæſare Plutarchus ab T. Liuio proditum ſcribit, Ingruente Cęſaris nece, oblatam Calphurniæ ſpeciem in quiete, ut acroterium domui Cæſaris accumbens, ac ſenatus decreto uenerationis & ornatus cauſa ſurrectum, opinaretur defractum comminutumq;, ac proinde (ut aſſolet) deſiderio fleſſe uberius. Ex Vitruuio coniectare licet quid acroterij nomine intelligendum. nam libro tertio acroteria nuncupat angularia & mediana: uidentur autem omnino ſtatuæ, ſic in ædificijs plerunq; excitari conſuetæ. Plutarchi interpres per imperitiam acroterij nomine ſacellum reddidit: ſed in eandẽ tendiculam & Tranquilli enarratores incurioſius præcipitantur, ubi Suetonius ait, Calpurniam eſſe imaginatam collabi faſtigium domus. Libro ultimo Macedonici belli auctor T. Liuius eſt, faſtigia aliquot templorum à culminibus abrupta, ui tempeſtatis fœdæ diſſipata. Lucius quoque Florus faſtigium in domo decretum Cæſari ſcribit. Acroteria Dioſcoridi ſunt extrema corporis. Apud Herodotum legimus, nauis acroterium in ſtatuæ manu apud Delphos. Nec apud Romanos tantum, & quos diximus, putet aliquis hunc conſecrandi morem irroboratum increuiſſe. Reges maximos ac potentiſsimos legimus, uiri tutis admiratione aut munerum uel artium repertarum in deos fuiſſe relatos. Nam & M. Tullius non ſolum perfectus orator, ſed etiã philoſophus, non dubitauit dicere, deos qui publicè colerentur, homines fuiſſe. Qua ratione filiam omniũ optimam doctiſsimamq; approbantibus diſs immortalibus, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium pollicetur conſecraturum. Eſt uerò huic loco peraccommodum, & ſcitu Hercle dignum, quod lectum de Antigono eſt. Quem quum ex adulatione, quæ peſtilens & uirulenta nulli nõ rei inducit tabem, Hermodotus in poemate ſolis dixiſſet filium: Non hæc, inquit, de me ſentit laſanophorus: ueluti obſcure inſinuãs, quum alimentis egeam, quum inde retrimenta fiant plura ſubinde egerenda, mihi ſanè mortalis uideor, non dei filius aut ſolis. Siquidem eſt laſanophorus, qui matulam domino ſubijcit. Laſanum quippe uirorum eſt, ſicuti fœminarum trulla ſcaphium dicitur: ueluti Pollux ſcribit, Eupolidem ſequutus. Laſani meminit Horatius,

Te pueri laſanum portantes œnophorumq;.

Laſanum & chytropus, item tripus ac pyroſtates, pro eodem uaſe à Græcis accipiũtur: quod Sophoclis & Heſiodi interpres ſcribit.

Cur multis rebus sit contributum dei nomen. Iuuenalis locus perpenditur de Pecunia dea. Veterum de deo placita. Deū inuenire esse impossibile. Homochetæ dij. Dei descriptio perdocta. Diuina quomodo indipiscamur. Deus cur dicatur. Cap. XXXIIII

AEterum nec homini solum sacri nominis participatio facta est, & contributus honor: uerum (uti Augustinus inquit) etiā diuinis muneribus: nec utiq; quòd deos ea crederent, sed quoniam sciebant nemini talia, nisi aliquo deo largiente, concedi. Quorum deorum nomina non inueniebant, earum rerum nominibus deos appellabant, quas ab eis sentiebant dari, aliqua inde uocabula inflectentes: ueluti à bello Bellonam nuncupauerunt, non bellum: item à cunis Cuninam, non cunam: à Segetibus Segetiam, non segetem: à bobus Bubonam, non bouem. Vel etiam nulla uocabuli declinatione, ut res ipsæ nominantur: ut Pecunia dicta est dea, quæ dat pecuniam. Hic uerò illud obiter subnotandum, Aeris deum ex Varronis spicilegio, ab Augustino dici Aesculanum. Proinde admiratione uideri dignum potest, quid ita Iuuenalis sibi scribere sic permiserit,

Etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Verum enimuero quem nam dicere deum uerum oporteat, parum ueteribus constitisse uideo. Nam Milesius Thales, qui omnium primus naturalia exactius scrutari est ausus, aquam esse dixit, de qua nata omnia sint. Deum autem esse mētem, quæ ex aqua cuncta formauerit. Pythagoras uerò deum esse animum credidit, per uniuersas mundi partes, omnemq; naturam commeantem atq; diffusum, ex quo omnia quæ nascuntur animalia uitam capiant. Anaxagoras auctor est, deum esse infinitam mentem, quæ per seipsam moueatur. Cleanthes & Anaximenes, æthera dicunt esse summum deum. Ex quo & Virgilius,

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno permixtus corpore fœtus.

Aristotelem putat Lactantius dissidere secum ac pugnātia & dicere & sentire, sed summam tamen unam mentem mundo præesse testari. Parmenides (quod uel alibi à me relatum scio) commentitium quiddam coronæ similitudine effecit, stephanem appellat, continentē ardore lucis orbem, qui cingit cælum, quem autumat deum. Alij etiam num aliter. At Cotta ille apud M. Tullium: Roges me (inquit) quid aut qualis sit deus, auctore utar Simonide, de quo quum quæsiuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unam diem postulauit: quum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit: quumq; sæpius duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero quæreret cur ita faceret. Quia quanto (inquit) diutius cogito, tanto mihi res uidetur obscurior. Hinc Plato semper ferè diuinus, deum putat indictum, innominabilem, & (ut ait ipse) ἀῤῥητον ἀπονομαστόν, cuius naturam inuenire difficile est: si inuenta sit, in multos eam enuntiari non posse. Platonis hæc uerba sunt, θεὸν εὑρεῖν μὲν οὐ ῥᾴδιον, νοήσαντα δὲ ἀδιώρατον. id est deum quidem inuenisse haud facile est, intellexisse autem impossibile. Sed mox de Platonis dogmate plura. Deum tamen ita sibi describere permisere nonnulli, ut dicatur ratio, rationum fons, rerumq; artifex omnium, forma uniformis & omniformis, substantia immobilis, omnia mouens: in motu status, in tempore æternitas, in summis profunditas, summitas in profundis, in multitudine unitas, in debilitate potestas: natura fœcundissima naturarum, fœcunditas fœcunditatum naturalissima, æterna, uitarūq; uita: sensus sensibilium, sensuum lumen & perspicacia: intelligentia talis, uti ipsa rerum intelligendarum sit bonitas, & intellectus cuiuslibet ueritas, & gaudium uoluntatis. Id uerò leuius: homochetas ueteribus nūcupari deos, qui in templi eiusdem ac sacrorum uenirent participatum: ὁμωχέτας Græci pronunciant: & commeminit historia quarta Thucydides. Illud adijciendum ex theologicæ ueritatis myrothecio est, Dei substantiam, sicuti est, ne angelorum quidem ullum peruidisse. Propterea in sanctis literis, Regi autem seculorum immortali, inaccessibili. et rursum, Lucem habitat inaccessib. lem. Inde

Inde à prudentibus ſcienter quoq; traditum, quod à propoſito diſſidet haud multum: moralia uſu comparari, rationis indagine perquiri naturalia: uerum non aliter magnopere, quàm oratione à deo peti diuina oportere. Hæc ſiquidem, uti à Platone traditum nouimus, pro uitæ puritate nobis inſinuantur uerius ac reteguntur, & uerbis aut doctrina infundi queant. Sed & illud per incuriam haud præterierimus: eſſe deum ſtabilem unitatem, ac ſtatum unicum: quod à Platonicis aſſeritur ſubtiliſſimè. Proinde ita collige, Quiſquis deum aſſequi exoptat, & multitudinem pro uiribus reclinet, ac motum. Deum uero eſſe appellatum prodit Phurnutus, ἀπὸ τῆς θέσεως, quoniam creduntur dij θετῆρες καὶ ποιητοὶ τῶν γινομένων ὅλων.

Alexandrum appetiuiſſe dici ſe deum. Lacedæmoniorum prudens in eo decretum. Antigoni commonitio ad filium. Caput XXXV

NOn fruſtra dictum à ueteribus animaduerto, auctoritatis non dilutæ uiris, Sæpe quundas res ſapientium animos fatigare, at probare aduerſas. Siquidem externantur quandoq; fortunæ afflatu proſperiore uiri alias magni & cælo pares quodammodo. Miſſos nunc facio cæteros: Alexandri magnitudinem & omnium capacem animum, quis non nouit? At is Dario iam excuſſo, & Perſarum regno, præterq; tot tantarum q; gentium principatu potitus, ueluti felicitate multa ebrius, ſapere ſupra hominem cœpit, ac ſibi denique uideri deus. Quo nomine datis ad Græciæ ciuitates literis, ridicule ſatis inſtitit petere, decreto publicitus ipſum ſtatuerent deum: & quæ minus ei impertita fuerat natura, ab hominum expectare inſtitutis, non eſt ueritus. In eo igitur alia alij decretis approbarunt. Lacedæmonij uero ſic, ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἐστω θεός. id eſt, poſtea quàm eſſe uult deus Alexander, eſto ſane. prorſum Laconicè ac patrio more, Alexandri ſtupidum tumorem coarguentes. Quanto demum prudentior ac circumſpectior Antigonus, qui filium intuitus ſubditis uiolentius utentem ac ſuperbius, οὐκ οἶδας ἔπαγε, ὦ παῖ, τὸν βασιλείαν ἡμῖν γνώμην εἶναι δουλείαν; id eſt, an ignoras, ò fili, regnum noſtrum non ferè aliud eſſe, quàm ſeruitutem glorioſam? De Alexandro amplius id compertum nobis, multos adcredidiſſe: regis eius imagines auro argento ue inſculptas geſtantibus, amuleti uicem præſtare, plurimumq; in qualibet re adiumenti afferre. Quo ſanè argumento in Macrianorum familia uiri paſſim ac mulieres, non in uaſis modò, ſed & ueſtibus ac reticulis, dextrocherijs quoq; ac annulis perpetuò Alexandrum geſtaſſe memorantur.

De Titormi Buſſequæ incredibili robore: itemq; de Milone paucula. Vnde natus adagio, Alter hic Hercules. Caput XXXVI

SVm memor alibi à me Crotoniatæ Milonis factam mentionem, nunc de Græco penu id ſe oſtentauit, quod & arripuimus: fuiſſe Buſſequam Titormum corpore ſtaturoſum, uiribus præcellentem. In eum ubi incidiſſet Milo hic Crotoniates, uirium fiducia elatior, ac ſibi placens percupiebat, uiſa proceritate inſigni, illius periclitari robur. At is non ſine ironia, poſſe nil ſe magnum, aſſeuerebat. Mox tamen in Euenum deſcendens, reiecta ueſte, permagnũ arripit lapidem, quẽ primò quidem ad ſe pertraxit, inde & propulit, bisq; ac ter ipſum hoc effecit, poſtea ſuſtulit, ſed non ultra genua: demum humero impoſitum ad quinquaginta fere tulit orgyias, id eſt ulnas, proiecitq;. At lapidem uix emouebat Milo. Cæterum, eo nec contentus Buſſequa pergit in armentum, ſtansq; in medio ferociſſimi omnium maximiq; tauri pedem corripit, furentemq; ac inde ſe proripere adnitentem fruſtra, retinet conſtantiſſimè. Nec ſatis, quinimmo manu altera prætereuntis fortè tauri alterius pedem apprehendit audaciſſimè, ac comprimit ferociter. Id quum intueretur Crotoniates, in cælum manibus ſublatis, ὦ Ζεῦ, ἔφη, μὴ ὄφρα Ἡρακλῆα ἡμῖν ἔτροφον ἔπασας; id eſt, ò Iupiter, inquit, an alterum proſeminaſti nobis Herculem hunc? Hinc denique prouerbij demanaſſe primordia, memorant, ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς. hic alter Hercules. Titormum fuiſſe patria Aetolum, prodidere nonnulli, & commeminit Athenæus, qui inde illuſtratur plurimum, ut eſt nimio plus conciſus ac demutilatus.

Periandros fuiſſe duos, Miltiades tres, Sibyllas quatuor aut decem, Bacchides tres. Quos educauerint bruta. Apellis dictum de Protogonis Ialyſſo.

Caput XXXVII

QVum interlegendum excerpendumq; concisa quædam mihi se ingesserint, breuitate comparí nostris hisce commentationibus duxi inserenda: ne quod aliquo modo relatu dignum est, si prætereatur, ex formula damni illati mecum agant φιλομαθεῖς, nil affectantes grauius, quàm ut πολυμαθεῖς dici ualeant & sint, quando nil dulcius quàm omnia scire. Illud igitur fuerit primum, quod ποικίλης ἱστορίας undecimo, non prætermisit Aelianus: Periandros fuisse duos, sapientia illustrem unum, sed tyrannide alterum: Miltiades uero tres. Sibyllas quatuor, Erythræam, Samiam, Aegyptiam, Sardianam: sunt qui sex item adiiciunt, inter quas Cumæam, Iudæamq;. Cumææ meminit Agathius Gottici belli primo, & Italicensem uocat, quæ prope Cumas speluncam inhabitarit: unde oracula ædere solita, Aeneæ quoq; adeunti futura prædixerit omnia. Huius carmina apud Aenam ciuitatem Iuliano imperante, combusta, scribit Ammianus Marcellinus. Sibyllas porrò in ijs quæ de CHRISTO aut alijs ad humanam salutem spectantibus sunt uaticinatæ, probabile habet Augustinus, seu bonæ fuerint seu malæ, à deo inspiratas: nam prophetiæ donũ bonis esse commune ac malis, sicut etiam gratiæ aliæ sunt gratis datæ. Cur autem sic, nouit auctor omnium Deus. Bacchides postmodum tres, ex quibus unus tradatur Hellen, id est Græcus modò, uel (ut in alijs scriptum comperi) ex Bœotiæ Eleone: alius Atheniensis, tertius denique Arcas. Præcerptum illud quoq;: Cyrum à cane educatum, à cerua Telephum Auges filium & Herculis: at Neptuni & Tyrus Peliam ab equa: quin Alexandro item Priami ursam alimenta suggessisse, adnotatum est: sicuti Aegistho Thyestis & Pelopiæ capram. Nec illud præteritur: nobilem pictura Protogenem annis uix septem celebratam omnibus, Ialysij imaginẽ absoluisse: quam ubi est contemplatus diu Apelles, primum quidem stupentem ferunt obmutuisse, inopinam admiratum excellentiam: mox uero intulisse, καὶ πόνῳ μέγας καὶ ὁ τεχνίτης γε μὴν τῆς χειρουργίας ἥκει, ἧς ὁ οὐρανὸς εἰ τύχοι, ὁ πόνῳ αὐτοῦ οὐρανοῦ ψάυσει. id est, & labor magnus & chirurgiæ artifex gratia, quam si uir hic assequatur, tum uero cælum contingent planè labores eius.

Quos ab infimo gradu ad maximum dignitatis fastigium euexerit prosperior fortuna. Interibi quid tymbalus & tymbades, necnon catapontistes. Oecotrips qui sit. Caput XXXVIII

IRis plerunq; haud ita nobilitate insignibus fortunæ sequundioris afflatum, sine ullis imaginibus etiamnum sic affuisse, nos commonet historia, ut uirtute sua facile maioribus præluxerint, ac ignoti antea, inde aliquo haberi numero exorsi sint. Quis enim nescit, filium Histaspis Darium Cyri φαρετρόφορον fuisse? Nam postremus illi ὁμώνυμος, ab Alexandro uictus, etiam lictorio functus dicitur munere. At Macedonũ rex Archelaus Simiche natus serua deformatur. Auum Philippi Menelaum in spurios desiisse, memorant. Sicuti eius filius Amyntas Aeropes dicitur seruus. Perseus, opes cuius afflixit Aemylius Paulus, fuit quidem Argiuus genere, ac ignobili prognatus patre. Eumenen inopi æditum parente ferunt, ac tymbalo. Nam & tymbadas nuncupant pharmacidas mulierculas, ἀπὸ τοῦ περὶ οὓς τύμβους ἀστατεῖσθαι καὶ οὓς νεκροὺς ἀκροωτηριάζειν. id est, quoniam sepulchra oberrent mortuos demutilaturæ. Antigonus Philippi, qui & ἑτερόφθαλμος, id est monoculus erat: indeq; Cyclops item cognominatus, ὠμοσυργός fuit, hoc est artificio se confouebat. Latrocinia uero exercuit etiam Polyparchon. At Themistocles barbaros qui nauali bello superauit, quiq; solus oraculorum responsa nouerat discutere, Thracia natus matre est. Phocion χυσὸς cognomento, patre fuit qui δβιδυκας, id est cochlearia conficeret. Demetrium Phalerea seruisse apud Timotheum & Conona, proditur memoriæ, hoc est fuisse οἰκότριβα. Quo nomine (ut in Declamationibus significat Libanius) Græcis significatur, qui parentibus seruitutem qui seruierint, est æditus. Nam esse οἰλέτης potest, qui ἀχμάλωτος, id est captiuus. Oecuria, id est τὰ οἰκονόμια, in Trachinijs intellígit Sophocles, cohabitationis præmia ac dispensationis domesticæ. Epaminondam obscuris prognatum parẽtibus, ignorat nemo. Sicyoniorũ tyrannus Cleon fertur, & καπαπουλᾶς, id est pirata fuisse prius, qui non præda contentus, captos etiamnum in mare dat præcipites.

Diogenis

Diogenis apophthegmata duo, in Demosthenem unum, in Spartiatam alterum. Scita quoq; Aristotelis commonitio ad medicum, à quo iuuisebatur æger. XXXIX



Iogenem ferunt prandij causa in cauponã quandoq; diuertisse, moxq; quum prætereuntem foret conspicatus Demosthenem, inuitare ad idem perrexisse: eo autem minus obtemperante, Erubescis ó Demosthenes (inquit) cauponam ingredi: atqui dominus tuus hic quot diebus obuersatur. populũ innuens obscurius, quoniam multitudinis serui ferè sunt ἀγυμνήγορροι καὶ ῥήτορες. Quum uero Spartiata quidam laudibus efferret Hesiodicum carmen, quod in Ergis legitur, οὐδ' ἂν βοῦς ἀπώλοιτο, εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. id est, nec pereat bos utiq;, ni affuerit uicinus malus. Audiens Diogenes, καὶ μὰ Δί' ἔφη Μεσήνιοι καὶ οἱ βόες αὐτῶν ἀπολώλασι, καὶ ὑμεῖς αὐτῶν ἐσὲ οἱ γείτονδε. Atqui, inquit, & Mesenij periere & eorundem boues in uicinia uobis constitutis. Quippe Mesanam bello afflixerant Lacedæmonij. quod disertissimè amplius persequitur Pausanias. Sed quia excellentis uiri sententias appositimus, non insuper habeamus scitum Hercle, ac philosopho congruens in primis apophthegma Aristotelicũ: nam quum iaceret grauiter affectus, ac eum inuisens medicus quæpiam mandaret, μήτε inquit Aristoteles ὡς βούλομαι θορυβῆσαι, μήτε ὡς σκαιωσύνα, ἀλλὰ διδάξας πρώτερον τὴν αἰτίαν, οὕτως ἔξεις ἕτοιμος πρὸς τὸ πείθεσθαι, διδάσκων ἐκ τούτων μηδὲν χωρὶς αἰτίας προσφέρειν. ne mihi perinde ac bussequæ aut fossori medicam adhibueris manum, sed reddita omnium ratione prius, dicto audientiorẽ es habiturus, ut qui citra causam nil te proferre iam docueris.

Socratis in lasciuientes noctu adolescentes constantia. Eiusdem apophthegma de Alcibiadę muneribus: item in eum qui diceretur magnũ quippiam expetere arduumq; factu: necnon de ocio. Caput XL



E uero longius à philosophia seiungamur, proditum memorię scimus, quando q; multa iam nocte à cœna domum sese commodum recipientem Socratem, quosdam adolescentiũ intemperanter ac lasciue grassantium plerunq;, perterrefacere adortos quum esse uenturũ præsciissent: illi ergo per tenebras ingessere se armati facibus, & Erinnyum cultu reliquo: id conspicatus Socrates, nil admodum compauidus, quod eos sciret alijs itidem solitos illudere, ocio abutentes, placi de prorsum subsistens, quærere ex eis cœpit, uti ex alijs item in academia consuerat, aut Lycio. Succurrit & alterum eiusdem animi plane inuicti exemplum. Congerebat ambitione quadam in Socratem munera Alcibiades: eorum admirata multitudinem Xanthippe ac indicaturam, digna opinabatur quæ à Socrate non respuerentur. At is, Et nos (inquit) ambitione tenemur quapiam, ambitiose ista mittit Alcibiades, itidem nos ambitiose non admittimus. Circumfertur Socratis eiusdem dictum aliud, nec præclarum minus, cui quum suggessisset nescio quis, arduum uideri admodum, id cõsequi quod concupisceret quidam, ἀλλὰ μεῖζον ὄντι ἔφη, τὸ μηδὲ ὧν θυμεῖν τῷ ἀχλῶ. at maius fuerat, inquit, initio ne optasse quidem. Ab eodem quoq; memorari solitũ accepimus, ἀργίαν εἶναι ἐλευθερίας ἀδελφήν. id est esse libertatis fratrem ocium: argumento esse, prædicabat Indos Persasq;, qui & fortissimi censeantur & liberi cum primis. Esse autem utrosq; ociosos præcipuè πρὸς χρηματισμόν. At Phrygas Lydosq; operi maximè intentos, seruitutis malo premi assidue.

Super Euridamante pycta, & notę dicacitatis homine Zoilo adnotata de Græco penu quæpiam. Caput XLI



Vibus contigerit hominibus disparatum à reliquorũ mensu uiq; ingenium, alibi hoc opere non negleximus, nunc quę occurrunt exempla duo, ad tabulas (quod dicitur) Ceritum non reijciemus, sed ut ineant protinus suffragia, permittere in animo est. Fuit pyctes nobilis Euridamas, Cyrenæus patria, inter certandum fortè, quem ualidum nactus fuerat, dentes ei plagarum ui & frequentia excusserat aduersarius. Cui ne spectaculo animum adderet, proindeq; insuperabilis cooriretur, omnes deuorabat. Qua ratione ad illum ne minima quidem facti suspicio peruenit. Zoilum qui in Homerum, Platonem, aliosq; complures acerbè uirulenterq; stilum

ſtilum diſtrinxit, fuiſſe Amphipoliten accepimus, ac propterea θραλικὸν ἀνδραποδιστὴν dictum ab Pontico Heraclito: & Polycratis auditorem, qui aduerſus Socratem accuſatorio ſpiritu orationem concinnarat, cognominatum ferunt κυνὰ ῥητορικὸν, id eſt rhetoricum canem. Habitu ferè eo fuit, ut barbam quidem amplius promitteret, capite uel ad cutem deraſo, indumentum nec genua contingebat. Dicendi cura erat ei uel maxima, ſicut odij quoq; ac cum pleriſq; inimicitiarum: quumq; lingua foret uirulentus, ac unumquenq; proſcinderet audacius, quidam haud ſanè illiteratus ex eo inſtitit quærere, ut quid procliuiter adeo alienam laceratum famam pergeret, quod inquit, ποιῆσαι κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι, id eſt male facere cupiens nequeo.

Scitum Dionyſii reſponſum, quòd relictum à parente imperium nequiſſet ſeruare. Caput XLII

DE Dionyſio poſteriore facta iam aliquoties mētio nobis eſt, illud huic ſuppingam parti, ſicuti non Hercle indignum. Annalibus adnotatum compe rí, Dionyſium & Philippum Amyntæ congreſſos quandoq; quumq; hinc inde multa forent pronuntiata, utí par eſt, demum illuc prouectus eſt Philippus, ut ex Dionyſio amplius quæreret, qua eſſet factum ratione, quod præclarum adeo illuſtremq; à patre acceptum principatum nequiſſet aſſeruare, eo excuſſus ab inimicis. Ad ea Dionyſius non inſcitè prorſum, nec illepidè, ὅτι τὰ μὲν ἄλλα μοι κατέλιπεν ὁ πατὴρ, τῶν δὲ τύχων, ἃ ταῦτα ἐκτήσατο καὶ διεφύλαξεν οὐκέτι, quoniam, inquit, alia quidem reliquit mihi pater, fortunam uero qua hæc ſibi quæſierat cuſtodierat q;, non utiq;.

Meſonis aſſimulatus furor, ne cum Athenienſium reliquis Siculam iniret expeditionem, quòd aſtrorum peritia futuram prænouiſſet afflictionem. Caput XLIII

NAuigaturis in Siciliam belli cauſa Athenienſibus, claſſe iam inſtructa, ex catalogo erat unus item aſtrorum peritus Meſon, qui quum ingruentiū uim malorum artis beneficio, uti tum eſt creditum, uelut ex ſpecula eminentiore proſpectaret, miſſionem quoquomodo quærens, ne initam obiret militiam, quum in irritum cederet conatus omnis, demum inſaniam aſſimulauit, ac multa ut ſibi fidem compararet, dixit fecitq;. Inter alia etiam domui, quam inhabitaret, faces ſubdidit. Quibus ſanè omnibus adducti bello præfecti, uerum arbitrati furorem, dimittendum cenſuere hominem, ueſania percitum ac debacchantē planè, felicius longè, quàm Vlyſſes olim, quem ingenioſe ſolerterq; deprehenderat Palamedes. Meſonis aſſimulationem, & quidem Athenis, diſpicere quiuit nemo.

Dicta uel facta quorundam ſcitu digna, quæ ex diuerſo, miſcella uelut opera ſunt in unum congeſta. Homeri laus. Oſtraciſmi inſtitutor primus. Pindarí & Corinnæ hiſtoria. Boreæ honores apud Thurios. Caput XLIIII

ALexandrum imperatorem nobiliſſimū fuiſſe ira præferuidum, indicio multa utiq; fuerint, ſed & Ariſtotelis commonitio prudens, qui illum conſpicatus omnibus, ac per omnia ſuccenſentem, per epiſtolam ſalubriter ſic perrexit admonere ac remollire, ὁ θυμὸς καὶ ἡ ὀργὴ οὐ πῶς ἴσους, ἀλλὰ πῶς οὐ κρείττονας γίνεται, σοὶ δὲ οὐδεὶς ἴσος. id eſt, furor & ira non aduerſus æquales exeruntur, ſed in meliores præſtantioresq;, at tibi ex æquo ſtat utiq; prorſum nemo. Cercidas ex Arcadia Megalopolites, quum iam conclamatus, ac in Proſerpinæ peculio adnumeratus decumberet, ad ſuos conuerſus, iucunde ſe à uitâ demigrare pronūtiauit, quod animo concepiſſet, mox paulo ex ſapientibus quidem cum Pythagora congreſſurum ſe, ex hiſtoricis cum Hecatæo, ex muſicis cum Olympo, ex poetis cum Homero: inter hæc autem animam egiſſe, proditur memoriæ. Palaton ζωγράφος ſiue pictor, quum Homerum deſcriberet, illum quidem uelut uomentem exprimebat, poetas uero reliquos per ambitum aſtitutos ἐμεμισημένα ἀγυρμένους, id eſt quæ reiecíſſet is, abſorbentes. Cliſthenem ferunt Athenienſem oſtraciſmi, ſeu teſtularū rationem omnium principem induxiſſe, primumq; eiſdem damnatum ſuffragijs. Pindarus nouem Lyricorum princeps quum Thebis in poetarum ueniſſet cōmiſſionem, per auditorum inſcitiam quinquies

à Corinna

à Corinna fertur uictus. Classem coegerat aduersum Thurios, instructamq; ducebat Dionysius. At uehementior coortus Boreas, naues disiecit omnes, attriuitq;. Quo tanto permulcti beneficio Thurij, Boreæ uti deo sacra peregere, insuperq; in ciuitatis iura cooptarunt, domo itidem illi cõparata. Vt minus iam mirandum accidat, dici ab Atheniensibus uentum hiunc λιβεστῶ, id est affinem: à Pausania etiam Megalopoliten.

Zaleucum filio iussisse alterum ex oculis erui, alterum sibi, ut lata à se de adulterio seruaretur lex. Adulterij pœna apud Gortynam. Caput XLV

ZAleucum, de quo aliubi paucula commentati sumus, inter alias ferunt, quas Locris constituit leges, sanxisse illam quoq;, Vt quisquis deprehenderetur mœchus, pœnas lueret, excussis oculis. Hoc (sicuti uidet) ut sanguinarium quũ improbaret dæmon, Aelianus inquit, præter opinionẽ, præterq; spem, in auctorem regessit primum. Nam ubi Zaleuci filius adulterij est conuictus, ex paternis sanctionibus præstitutũ subire supplicium cogebatur. Quod ne irritum fieret, post ea quàm semel erat complacitũ, qui sanxerat, pœnæ sibi partem irrogauit, ac uelut partiario legis corroborauit integritatem: nam filio excuti oculum iussit, at sibi alterum. Quod sic exprimit Aelianus, ὡσὲρ τὸ ἑτέρου τῶ τὸ παιδὸς ὀφθαλμῶι, ἀνταβῶσαι τὸν ἑαυτὸ, ἵνα μὴ ὀνειδίσκ@ τυφλωθῆ πλέως. Apud Gortynam adulter deprehensus ad magistratus per ciuitatem producebatur, lana coronatus. Qua re illi plane mollior opprobrabatur natura effœminatiorq;. In reliquum præterea ignominiosus erat in primis & reipublicæ in nullo particeps. In Aegypto qui in spontaneo deprehensus adulterio foret, uirgis ad plagas mille cædebatur, muliere naribus demutilata.

Silentij bonum ex Græco distícho. Animantia silentio quandoq; salutem tueri. Numæ institutum. Tacita Musa. Gnathænæ meretricis historia lepidiuscula. Silentiarij qui dicantur. Comes, magistratus multiplex. Domitiani uerbum, silete. Caput XLVI

DE silentij bono, quantumq; insitæ præferat prudentiæ lingua præparca, & nos alibi commentati sumus. Et animantia ratione cassa præmonstrant salutem suam plerunq; alto tueri silentio solita. Nam æstu oriente digressi aëres & syderis uapore coacti nimio, ac occidua petentes, ubi Taurum superaturi montem sunt, aquilis abundantem, dum uolucres compaueſcunt infestissimas, rostra lapillis occludunt, ne clangorem eliciat uel ultima necessitas, quos uolatu pernici collibus eiectent transmissis. Sed & rei præstantiã non Pythagoræ modò indicat echemythia, uerum & Pompilij institutum, qui quum uaticiniorum plurima in Musas referre consueſſet, unam ex ijs præcipuè ab Romanis coli uoluit de silentij ratione Tacitam nomine. Et Græcanicum quidem illud amplius patefacit,

ἀρρήτῳ ἐωτέωμ γλώσσῃ σφρηγὶς ὠικείδω;
ἱρείσωμ γὰρ ἐωτέωμ, ἢ λιτεώων φυλακή.

Verum & ad ipsum id lepida confert historia, etiam si decora non satis est quæ inducitur, gesta res. Ex Hellesponto in Atticam uenerat amator quidam, Gnathænæ scortilli fama illici pellectus, quumq; admissus commodum accubuisset, erat inter pocula loquacior impendio, ac planè (ut Græci dicunt) φορτικός. Id mirabunda mulier, cupiensq; finem, sic illum adorta fertur, An non ab Hellesponto te profectũ dicis? quum adnuisset is, Et quo (inquit) pacto ciuitatum illic primam ignorare uideris? Scitante autem eo quænam foret hæc? Sigeum, respondit Gnathæna, ἁ ἐμμελῶς ἀπὸ τὸ ὀνόματ@ παπίγασφ αὐτόν. id est, aptè admodum & concinnè ex nominis ratione silentium illi suadere est uisa. Scitu uero dignissimum id quod augurantur nõnulli: Romæ familiam fuisse Silentiariorum: quippe aduocatur Sudæ Silentiarius Paulus quandoq;, cuius & circumferantur epigrammata non illepida. Dici uero de silentij ratione, quod in sacris seruaretur, ueluti eius foret pontificium id, ac tanquam præfectura. Verum inepte ista prodi, comprobat Procopius De bello Persico uolumine secundo: etenim Adolium scribit Acatij filium, genere Armenũ, in palatio imperatoris fuisse ad ea quæ sunt quietis, ministrum. Quod, inquit, munus Romani silentiarium uocant: & quia principis arcanorũ essent conscij, sunt qui auricularios item uocent. Obiter apud Ammianũ Marcellinum

cellinum, Domeſticorum comitem ſæpicule obſeruauimus dici: ſicuti & Orientis comitem, & Magontianæ, ſed & largitionum. Non prætereundum in hac ſciendorũ mole congeſtitia, quod ſcribit Dion, Quum (inquit) per uim & ſuperbè in armorum ludis ab Adriano quædam peterent Romani, nil eis omnino diſtribuit, immo Domitiani illud iuſſit pronuntiari, Silete.

Prudens Olympiadis apophthegma, quo Alexandri tumorem repercuſſit, diuina ſibi quærentis in uita. Caput XLVII

OLympiadem Alexandri matrem prodit hiſtoria, quum inaudiſſet filium diutius ſepulturæ honoribus exutum, iacere uelut neglectum, grauiter eo nomine indoluiſſe, flentemq; inter crebra ſuſpiria inclamaſſe altius miſerabiliusq; ὦ τέκνον, σὺ μὲν οὐρανοῦ μεταχεῖν βουλόμενος, καὶ δὴ καὶ ἀποδύσῃ, νῦν οὐδὲ τῶν κοινῶν μέρους, καὶ ἴσως πᾶσιν ἀνθρώποις μεταχεῖν ἔχοις, γῆς τε ἅμα καὶ πάφου. id eſt, ô fili, tu quidem cælum tibi uendicare ſatagebas, hocq; unum feſtinabundus habere opus uidebare. At nunc quæ cæteris ex æquo cõmunia omnibus cenſentur, ne ijs quidem potiri uales, terra & conditorio. Qua ſanè ratione uiſa Olympias eſt, non imprudens nec inſcita mulier, & ſuam ipſius commiſerari fortunam, & filij tumorem coarguere.

De inſula Samo, & in ea feris quæ dicantur Neides, & hirundine alba, Aeſopo, Hermodice item Midæ uxore, Cumæis prima quæ nũmos cudit. Adulterij ſupplicium apud Lepreos quod fuerit. De Lucania, ſeu Samothracia, & Lamiſco, & Theſpienſibus, & Magnetum malis, ac inſula Icaro, & piſcium excellentia, ac Georgio Trapezuntio. Artem didiciſſe, uel aruo ſtuduiſſe, ubi ignominioſum. Caput XLVIII

QVoniam publico bono nil legimus ferè, quin aliquid ſubinde præcerpamus, & ſeparatis capitibus perſcribi multa nequeunt, conciſa nimis ac deminuta: Proinde in unum regerenda parte hac duximus, ne diſiecta, uelutq; diſpalata pereant. Igitur lego primum, inſulam quidem Samum initio fuiſſe incolis uiduam deſertamq;. Cæterum ſuccreuiſſe inibi ferarum uim, quarum audiretur intolerandus, uelut barritus, dicebantur νηίδες, hoc eſt Neides. Nuncupatam prius Samum etiam Parthenon, mox & Dryuſam. Apparuiſſe in Samo item hirundinem quandoq; albam, perdice haud minorem. Aeſopum præterea inuenio logopœum fuiſſe Thraca genere, conditione ſeruum, manu tamen ab Idmone miſſum, ac Xantho ſeruiſſe prius. Hermodicen ſcribunt ueterũ pleriq;, Phrygum regis Midæ uxorem, tum forma fuiſſe conſpicuam, tum uero ſapientia & artifici ingenio præſtitiſſe plurimum, ſiquidem Cumæis primam cudiſſe nũmos. Leprei quos deprehenderint adulterantes per triduum uinctos circa ciuitatem ducunt, mox toto uitæ tempore contemptibiles habent. Quod mulieribus itidem fit, niſi quod hæ diebus undecim in foro ſtare coguntur diſcinctæ, & tunica circumueſtitæ pellucida. Sicuti Romæ in publicum egredi togatæ cogebantur mœchæ, quod approbat Martialis illis uerſiculis, ut Horatiũ præteream cum eiuſdem interprete,

Thelim uiderat in toga ſpadonem,
Damnatam Numa dixit eſſe mœcham.

Lucanos, uel (uti enuntiant Græci) λευκανούς, eſſe ferunt φιλοξένους, id eſt hoſpitibus affici plurimum, inſuper & iuſtos cenſeri. Apud eos regnaſſe quandoq; Lamiſcum, cui tertius à magno digitus in pede lupinus fuerit. Samothracen quandoq; dictã olim λευκανίαν, ἀπὸ τοῦ λευκὸν εἶναι, id eſt quòd albicet. Mox à Thracibus habitatam dici cœpiſſe Thraciam, quibus item deficientibus Samij ſuperuenientes Samothracen fecere. Magnetas pluribus conflictatos infortunijs, ſuffragari Archilochus uidetur, ubi ait, κλαίω θαλασσῶν, οὐ τὰ μαγνήτων κακά. Icarum inſulam ab Icaro mox cognominatam, prius inuenio ſolitam dici ἰχθύουσαν, de piſcium excellentia, qui caperentur inibi. Apud Theſpienſes turpe cenſebatur, artem didiciſſe, uel aruo ſtuduiſſe: propterea illorum paupertas tum frequens, tum inſignis præcipue. Nec illud reticuero: Georgiũ Cretenſem, qui Trapezuntius dici maluit, conditis uoluminibus, Platonis uitia expendiſſe plura: quo argumento ſit Cænotimon nuncupatus, atq; Erinnys item; quo modo eſt à Beſſarione inſigniter proſciſſus.


LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LEctionum libros ad magnificum comitem ac equitem Ioannem Mariam Vidonem Ferrarienſem Præfatio ſecunda & uiceſima.



VOniam liber hic, qui eſt futurus noſtri laboris ſecundus & uiceſimus, ab inenarrabili diuinæ maieſtatis ratione orditur, in qua ob ueterũ ſapientũ ingenia mire hallucinantia, multiplici errore obſepta ſe torſerũt, quod necdum ueritatis arcanum intimis occluſum penetralibus, in lucem ab intelligibili productum ſapiẽtia foret, facturum me operæprecium arbitratus ſum, quãdo mutua nobis neceſſitudine peruinctos, certũ eſt in ſingulis noſtri operis uelut propyleis amice conſalutare, ſi ad libelli huius partes te aduocaro potiſſimum. Quippe ſicuti balbi balbos intelligunt ac amant, ſic à diuino cultu non prauitate ulla reuulſus uir, orationi in primis, quæ deum uel exprimit uel rimatur, cum primis affici cõſueuit, fronte inſigniter exporrecta. Tu uero Ioannes Maria nobiliũ ſcientiſſime, ac ſcientum nobiliſſime, ſic Chriſtianæ ueritatis aſſertorem te ubiq; præſtas, ut uitæ cura innocentiſſimæ & religionis reuerentia uel religioſiſſimis eſſe quoq; integritatis exemplar ſingulare poſſis uideri. Nam etiamſi conſpicuos uel iunior magiſtratus geſſiſti, in quibus quod Vidonum claritati conſentaneũ fuerat ſanè, eam prætuliſti grauitatem, ut ſeueritas prædulci temperata comitate, iuſtitiam nõ utiq; rigidam aut ulla ex parte immitẽ à caluo (quod dicitur) ad caluũ ciuitatibus exhiberet, ſed uel damnatis amabilem: nihilominus à publicarum rerum moleſtia magnam partem abiunctus, & tibi quodammodo uiuens, nec magnopere (quod Græci dictitant) ἐξω βλέπων, intellectualem potẽtiam ad id quod uere eſt, per momenta ſurrigis, ueram arbitratus felicitatem, ab hominis ueri faſtigijs non abire longius. Nec tibi equeſtris dignitas, aut quod dicaris & ſis comes, ut doctrinæ ciuilium dogmatũ inſignia prætereã: nec, inquam, iſta tibi animos tollunt, quod ſanè agnoſcimus in plurimis, ſed mira in omnibus benignitate ita mores attemperas, ut perhumanum te facilemq; ſentiãt infimi ac mediocres uiri, ſummi etiam hac quam ſuſtines perſona dignum opinentur, cum ſæpe uel tua tranſcribas, id eſt ceſſo iure indigentibus concedas. Sunt præclara iſta quidem, ſed fratris nõ abſona uirtutibus, honorũ ſerie conſtipatis, nõ abſona uniuerſæ domus Vidonũ amplitudini tum Ferrariæ tum Mutinæ, unde oriundi eſtis, ſed & in alijs Italiæ locis uel præcipuis. Quamobrem habebit liber hic opinor, quod ſibi placeat. Nec id quia umbilicis exeat auro niteſcentibus, ſed quod in ueſtibulis ſuis præclarum cernat ſtare uelut herman, ſed nõ utiq; ἄκωλον, quin undecunq; amuſſitatũ præclarumq;. Qui ſit fortiter libitinas reiecturus naſutiores, ac ſordidũ dentem, ne uirulentus infigi ualeat morſus, quo cõuulnerata plerunq; exareſcũt omnia. Quod ut facias uir clariſſime peruelim utiq; : ſic enim fiet ut gratam tibi, quantulacunq; ea eſt, ſedulitatem hanc noſtram & in te tuos q; omnes propenſiſſimã uoluntatẽ fuiſſe intelligã. Nec ipſe immemor uideberis initæ olim in patria mea inter nos amicitiæ, quã uno ductu pro uiríli perpetuo & foui & auxi, nec ipſe aſpernari es uiſus, ueluti de pocillatoris Tantali phiala ſanciẽdis amicitię ſacris latices duxerimus. Quod ſupereſt, uiuas opto diu felix, & Ludouicũ tuum ames. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI SECVNDVS ET VICESIMVS.

Prolepſin, id eſt de diſs anticipationem omnium eſſe mentibus inſitã. Cur deo ſummo ſolem perſimilem dicat Plato. Caput I



QVIDEM conſideranti mihi amplius rationem hanc, quæ de diuinis eſt, uelut ex oraculo promptũ uidetur, quod apud M. Tullium prius, mox & à Seneca comprobatum legimus, omnibus de diſs eſſe inſitam opinionem. Nec eſſe gentem ullam adeo extra leges mores ſq; proiectam, quæ deos aliquos opinione non concipiat. Notionem hanc ipſa nobis impreſſit natura, & ſine doctrina ineſt anticipatio quædam diuinitatis. Hęc uero eſt quam Epicurus προλήψιν dicit, ſed & ἔννοιαν uocant Græci, id eſt anteceptam animo rei quandam informationem. Cęterum ubi ad ſummum ac principem omnium deum, quem Græca natio τ' ἀγαθὸν nuncupat, hoc eſt bonum ipſum, humana mens audacius aſſurgit, ſi quid ſcrutando attẽtius & perpendendo lance examinatiſſima, diſſerendo; definire pertentet, quum inenarrabilis amplitudo illa & infinita maieſtas, humani animi conceptus omnes longiſſimo à ſe interſtitio relinquat, nedum ſermo ullus illuc ualeat pertingere: ad id deni; rerum excellentia caligãs diuertit, ut ſimilitudines quærat & exempla. Qua ratione etiam Plato περὶ ἀγαθοῦ, id eſt de ipſo bono diſſerere adortus, dicere quid eſſet, non eſt auſus: quoniã humanæ poteſtatis menſum tantæ claritatis excedat uis ſplendida. Illud modo latius indagando eſt aſſequutus, ut quod inter obiecta ſenſus præcipue nitidum, præclarum, immenſum, admirabile animaduertiſſet, illi ſimillimum adſtrueret. Hunc uero eſſe ſolem uoluit, per cuius ſimilitudinem humanæ imbecillitati gradũ præſtari ad nõ cõprehenſibilia quadãtenus eſt opinatus. Proinde à ſapientibus receptum ferè, principi ſummo illi ac ineffabili prorſum nulla ſurrigi ſimulacra debere, ſicuti diſs aliis conſtituiſſe ueteres compertum eſt: quando, ut ſciẽter Plotinus inquit, neq; cognitionem neq; intelligẽtiam illius habemus. Loquimur tamẽ de illo, ut Parmenides & Dionyſius aiunt, per negationes atq; relationes. Summum genus ſcientiæ eſt (inquit Caſſiodorus) ſcire deum tanta præſtare, quãta humanus ſenſus non ualet attingere. Lumen infinitum ab intellectu creato perſpici nequit, ni glorię lumẽ acceſſerit. Nam ut ſe habet noctuæ oculus ad ſolis lumẽ, ita intellectus noſter ad manifeſtiſſima in natura. Nec me fallit tamen, Cottam illum Ciceronianũ dicere, multas ſe arbitrari gentes ſic immanitate efferatas, ut apud eas nulla deorũ ſuſpicio ſit. Quid Diagoras inquit, ἄθεος qui dictus eſt, poſteaq; Theodorus, nónne aperte deorũ naturã ſuſtulerunt? Nam Abderites quidẽ Protagoras ſophiſtes temporibus illis uel maximus, uelut alibi quoq; cõmemoratum eſt, cum in principio libri ſui poſuiſſet, De diſs neq; ut ſint, neq; ut nõ ſint, habeo dicere: Athenienſium iuſſu, urbe atq; agro eſt exterminatus, libriq; eius in concione combuſti. Auctor hiſtoria ſecunda Herodotus, deos à Pelaſgis nullis cultos cognominibus, quando eà needũ auditu noſſent. Deos aũt, id eſt θεοὺς nominaſſe, uelut νόσμῳ θέντας τὰ πάντα πρήγματα, id eſt ordine ſuo diſtribuẽtes omnia. Tralatio Latina parte hac confuſanea circumfertur. Cæterum quod eſt à me comprobatum pauloante, in libro De myſteriis ita confirmat Iamblichus, Ante omnẽ (inquit) rationis uſum ineſt naturaliter inſita deorũ notio. Et alibi, Eſſe animæ (inquit) eſt quodam intelligere, ſcilicet deum unde dependet. Porrò eſſe noſtrum putat, deum cognoſcere, quia præcipuum animæ ſit intellectus: in quo idem eſt eſſe quod intelligere diuina actu perpetuo. Sed & Plutarchus, Deos (inquit) opinatur, quiſquis bene ſentit. Galenus in libro De philoſophi hiſtoria: Dei (inquit) notionem habemus ex pulchritudine operum illius & excellentia. Propterea & Euripides, ἀεφὲς

ἀστέρες δ' ἐν οὐρανῷ ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ.
id est, stellæ in cælo uarietas sapientis fabri.

Quàm absurda prioribus deorũ uarietas. Deus ignotus Athenis. Dei summi descriptio. An recte in dei mentione apud Aristotelem ζῶον transferatur animal. Sanitas dea, cui dicarentur capilli. Cælestia qui primum adorarint. Vnde dicatur theos. Cælestia an uiuant. Apomyius Iupiter. Spodius Apollo. Gratiarum sacra. Dij maiorum gentium & minorum. Lexiarchicum quid. Thraseæ historia. Iupiter liberator. Caput II

AT qui ipsum hoc numen immẽsum, inenarrabile, augustissimũ, omnemq; humanæ mentis captum excedens, ex ipsa hac maiestate præcelsa mirum est, quantas quamq; absurdas interdum ambages in mortaliũ animis pepererit. Nam ignotis etiam dijs fuisse Athenis erectas aras, Philostratus scribit: meminit Laertius quoq; in Epimenide: ut de Pausania taceam, καὶ πολυγάσει, ad Phalerum θεῶν ἀγνώστων βωμοὺς statuente. In Canonicis uero decretis adnotatum ab interprete est, Apostolum Paulum quum eiusmodi aram uidisset titulo notissimo, Ignoti uidelicet dei, in quo uiuimus, mouemur, sumus: altius intonuisse, Quem uos ignotum dicitis, ego prædico. Hunc Plato, sicuti ex Speusippo didicimus, ita describit (etiam si non excidit quod est allatum paulò antè) Viuens immortale, per seipsum ad beatitudinem sufficiens, essentiam sempiternã ipsius boni causam. Addit ex Platonis eiusdem sententia Apuleius, Incorporeum, aperimetron, beatum, beatificum, omnium patrem, optimum, nulla re indigentem, cuncta conferentem. Aristoteles quoq; duodecimo Metaphysicæ sic propemodum, Deus est (inquit) ut asserimus, quod uiuit, & æternum atq; optimum est, id est quod ipsum uita est optima, æterna, ac tota simul. Qua in parte amplius ex Cænotimone aduertẽdum, falli interpretum plerosq;, à quibus ita tralatum inuenias, Deum esse dicimus animal perpetuum, optimum. Id quod Aristotelis sapientiam haud resipit, nec uerborum congruit exquisitæ rationi, quæ rebus coaptari debet. Animal enim Latinè nunquam de deo aut de intelligentijs dictum est, sed nec dici ualet, nisi ab ijs qui ex corpore atq; anima constare opinantur deum. Id enim Latinè animal est, quod non ab anima Græci, sed à uita, nomine inflexo pronuntiant. Proinde rerum uim intuitus Aristoteles, quia uitam optimam & re ipsa æternam, id est actu essentiaq; esse approbat in deo, statim infert, Deum esse non animal, quod anima constat & corpore, sed ζῶον. ζωὴ quippe, uita est Latine. Quare hic ζῶον non animal, sed aut uiuens, aut id genus quippiam ab uita corriuatum, interpreti reddendum fuit: nisi quòd sic animal ab anima, id est uita deflectitur, ut zoon Græcè ab zoe. Animam dici de uita, nec grammatici ignorant, & comprobat in dei mentione Plinius. Ob id magis utiq; mirum, Græci hominis supercilium ista minuta adeo præteriisse, tamen in uexandi Platonis maiestate & multus est, & sæpe ridiculus cauillator. Vbi autem diximus, Vita æterna, tota simul: quia Græcè est σωεχὴς, transferunt alij, continua: insciter opinor, & inepte. Nam si de re agatur per partes extensa, recte syneches continuum dicitur: si uero de eo quod partes aliam extra aliam non habet, imperitiæ fuerit maximæ non transtulisse totum simul. Hæc enim uerba & communiter tempus reijciunt, & propriè positionem quoq;. Esse uero innumeros, quidam prodidere. Nam & Chrysippus, quem Stoicorum somniorum uaferrimum interpretem Epicureorum nuncupat schola, magnam congregat & ipse ignotorum deorum turbam, atq; ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare (ut ille ait) possimus. In Sicyonia etiam ὑγείας, id est Sanitatis simulacrũ celebriter cultum, adnotauimus. Quod uix tamen comparebat, passim illi à mulieribus capillis dicatis, quos deæ honori resecari, moris illarum est. Ambiunt & Babyloniæ uestis Telamones. Quin Herculem in Olympia rem diuinam obeuntem, quum muscarum multitudine infestaretur, Ioui sacrificasse ἀπομύῳ, protinusq; ultra Alpheum muscas esse abactas. Sed & Elei itidem Ioui Apomyio dicuntur quandoq; immolasse. Apollinem cognomẽto Spodium Thebis cultum, animaduerto: cuius ara ex sacrificiorum cineribus foret constructa, unde nata cognominis ratio. Gratijs Eteoclem ferunt Andrei & Euippes filium, sicuti à

Bœotijs memoratur, hominum primum rem diuinam feciſſe: quibus eſſe tres item placet, etiam ſi nomina non tenent. Gratias haberi quidem duas, inter Lacedæmoniorum placita eſt, quas nuncuparint κλυταῦ καὶ φαεννᾶυ. Tres ſunt apud Athenienſes ad Acropolin, ubi & arcanam multis teleten agunt: has in Theogonia cecinit Heſiodus eſſe Iouis & Eurynomes filias: nomina uero hæc facit, Euphroſynen, Aglaiam, Thaliam. Antimachus Aegles filias pronuntiat, & Solis. Gratiarum ſimulacra ueteribus non fuere citra indumenta, inquit Pauſanias: at poſteri neſcio cur nudas pingere ac ſculpere adorti ſunt, antiquorum ratione mutata. Democritus duos eſſe deos opinatur, Pœnam & Beneficium. Sicuti in Acrocorintho fuiſſe prodit Pauſanias, Neceſſitatis ſacellum & Violentiæ: ſed ingredi (inquit) putatur haud legitimum. Multas item gentium per fœtidos iurare cibos, proditum eſt: ſiquidem cepas allium q; inter deos iureiurãdo habet Aegyptus: Harpocratem quoq; habuit eadem, & Cynocephalum, ſiue Anubim: quorum imagines digitis geſtare, moris etiam Romani fuit quandoq;. Sunt qui deos maiorum dicant gentium, quod Cicero ſignificat, ſummates illos, ſemperq; decuriæ habitos diuinæ, quos Aurelius Auguſtinus ſelectos item uocat. Minorum autem gentium ratione eadem ex hominibus illuc tralatos, qui & aſcriptitij queant dici, necnon allecti, quos παρεγγεγραμμένους uocant Græci, & μετοίκους, uelut aduenas. Nam priores illos ἐγγεγραμμένους malunt nuncupare, quando Apollinem Lucianus ἐγγεγραμμένον, id eſt ſcriptum in deorum duodecim lexiarchico, ſcribit. Erat autem eo nomine libellus, in quo adultorum iam nomina perſcribebantur. Quibus deniq; paterna dirigere ac gubernare permitteretur, διὰ τὸ τῶν λήξεων ἄρχειν, quia hæreditatis iam & bonorum ſunt compotes, quæ λήξεις nuncupantur. Scitu dignum id quoq;: omnium primos qui olim Aegyptum occupauerant, cæleſtia ſuſpicere atque adorare cœpiſſe, noctium ſerenarum beneficio, & quia plurimum ſub dio agerent, ita exigente mundi ſitu eo. At Plato in libro cui titulus Cratyli eſt, de recta nominum ratione diſſerens: Videntur mihi, inquit, Græcorum priſci deos ſolos putaſſe eos, quos etiam his temporibus Barbarorũ plurimi arbitrantur, ſolem, lunam, ſtellas, terram, cælum. Et quum hæc omnia perpetuo in curſu eſſe conſpicerent, ab hac natura τοῦ θεῖν, hoc eſt currendi, θεοὺς, id eſt deos nominaſſe. Nec mirum id uideri admodum debet, præſertim ſi ueterum ſapientum in ijs placita curioſius diſcuſſerimus. Nam cæleſtes ſphæras habere animas, non Platonici modò, ſed omnes etiam Peripatetici confitentur. Id ipſum & ſecundo Cæli docet Ariſtoteles: rurſus ſeptimo & octauo Naturalium, ſecundo De anima, undecimo Diuinorũ: Theophraſtus quoq; eiuſdem diſcipulus libro De cælo: ſed & Auicenna, & Algazeles ſummopere confirmarunt. Auguſtinus Aurelius in Enchiridio, & Thomas Aduerſus gentes libro ſecundo, tradunt, Nihil quantum ad Chriſtianam doctrinã ſpectat, intereſſe, cæleſtia corpora animas habere uel non habere. De elementis conſtat apud Platonicos: ambigunt recentiores Peripatetici. Porrò cæleſtia uiuere, eſſeq; animata aſtronomici auctores concedunt, Ptolemæus præſertim & Albumaſar & Zaeles: quod & Hali confirmat, illos deridens, qui uiuere cæleſtia diffidant, & hoc Ptolemæum ſequutus: idem Aratus arbitratur, & Manilius. Deniq; Theophraſtum dicere ſcimus, Non eſſe philoſophum, qui cæleſtibus abneget uitam. Quin Orphei theologia ſphærarum animas ita partitur, ut cuilibet geminam contribuat uim, unam in cognoſcendo poſitam, alteram in ſphæræ corpore uiuificando atq; regendo. Ergo in elemento terræ illam uim Plutonem Orpheus nominat, hanc Proſerpinam: in aqua Oceanum illam, hanc Tethyn: in aere, fulminantem Iouem ac Iunonem: in igne, Phametam & Auroram: in anima ſphæræ lunaris illam Bacchum Licnitem, hanc Thaliam Muſam: in anima Mercurij, Bacchum Silenum & Euterpen: Veneris, Lyſium & Erato: Solis, Trietericum & Melpomenen: Martis, Baſſareum atque Clio: Iouis, Sebaſium & Terpſichoren: Saturni, Amphietum & Polymniam: octauæ ſphæræ, Perictonium & Vraniam: in anima uero mundi uim priorem Bacchum uocat Eribromum, ſecundam uero Muſam Calliopen: ſingulis porrò Muſis unum præficit Bacchum, quoniam is ſymbolicos & operte diuinæ cognitionis nectar prudentioribus monſtrat. Verum enimuero ne quid uelut in utranq; conſopiti aurem, prætereamus, Hebræos obſeruanimus

uimus ſolos ex omnibus pia ſanctaq; conſideratione, primum elementa & quæ ab elementis compoſita ſunt, ſolem ſimiliter & lunã ac ſtellas reliquas & cælum ipſum, non ſolum deos non eſſe, uerum etiam animæ penitus expertia iudicaſſe. Nicolaus quoq; theologus in Geneſeos caput primum: Corpora, inquit, cæleſtia inanimata ſunt, & ſine ſenſu: ex Damaſceni doctrina. Auguſtinus item loco eodem: Solet quæri, inquit, utrum hæc luminaria ſola ſint, an habeant rectores ſpiritus, & ab eis uitaliter inſpirentur, ſicut per animas animalium carnes animantur. Sed de tam obſcura re nil temere credendum. Alij uero quæ dicantur de hominis animo ad cæli quoque animum poſſe transferri opinantur, & eſſe illum cæleſtem hominem. Nam & Timæus prodit, temperatos animos noſtros ab opifice deo in eodem cratere, ex ijſdemq; elemẽtis cum cæleſtibus animis. Inde uidendum, aſtruentibus eruditis, ne nos illorum ſeruos uelimus, quibus nos fratres cooptauit natura. Illud adnotatu non indignum: Thraſeam philoſophum quando Neronis iuſſu moriens præciſis uenis manum extendit, exclamaſſe, ζῶν ἐλεύθερε, σοὶ σπένδω ἀπὸ ταμιείου. Sunt qui Senecæ hoc contribuant, quum hiſtoriæ ſuperioris auctor ſit Dion.

Diuinorum inſcitia ubi exorta primũ. Deorum multitudo ex Varrone. Item deum eſſe unũ, nomina plura. Stator unde dicatur. Strator qui. quid Amun. quid Phtha, & Oſiris. De Meliſſeo item, & Meliſſa, ac Iunone, Nymphis, ac Boni templo. Nomij montes. Pan Nomius. Melpia locus. Marnas Iupiter. Caput III

AT enim curioſior aliquis, neq; (quod dicitur) hoc contentus Catone, inſtet protinus urgeatq; infeſtius, ecquid compertius exploratiusq; in literas mittere aggrediamur, qui nam primi potentiam omnia ſupereminentem, longe lateq; infinitæ naturæ germina propagantem uel diſſimulare cœperint, uel mox etiam prorſum neſcire, multa perobruti rerum caligine. Mihi uero multa diu uerſanti ex Arabũ gentibus tantæ inſcitiæ malicq; planè contagioſi primordia, & in proximos quoſq; graſſantem primo labem, inde latius profudiſſe incendium uidetur, quo uniuerſus ferè deflagrarit orbis. Chananæos uero in eo terrarum ſitu ſacræ ſtatuunt literæ: iam inde à Cham uno ex Noe liberis corriuatos. Cui quum ob impietatem diras extuliſſet pater imprecationes, nullis etiamnum is imbutus diuini cultus rationibus, raptim à parẽte reuulſus in Arabas ſeceſſit. Vnde mox diuinitatis inſcitia inibi irroborata primum, in plures data. Hincq; numeroſa deorum ſeries pro cuiuſq; libidine aut commodo eatenus extumuit, ut Varro Terentius deos ad calculum reuocet ab hominis exorſus cõceptione, initiali exordio à Iano deducto, numerumq; ad decrepiti prouehat metas: in quibus aſtituit Næniam, quæ in ſenum recinatur funeribus. Inde uero in digitos mittit deos alios, qui non ad ipſum quidem pertineant hominem, ſed ad ea quę ſunt hominis. Quo in genere uictus eſt ac ueſtitus, porrò & quæ uitæ uſibus neceſſaria, præmonſtrans in omnibus, quod ſit cuiuſq; munus. Quin & municipales in Italia legũtur dij, ſicut Cruſtuminorum Deluentinus, Narnienſium Viridianus, Aeſculanorũ Ancharia, Volſinienſium Nortia. Adeo colebat unuſquiſq; quod uolebat, ut non prouincijs modo, ſed & ſuus eſſet unicuiq; ciuitati deus. Præſto tamen ſunt, qui nomina quidem eſſe fateantur plura, deum tamen unum. Sic non aliud eſſe naturam, quàm deum ipſum interpretantur: hoc eſt, toti mundo & partibus eius inſertam diuinitatis rationem. Iouem quoq; optimum maximum nobis ipſum hunc ingerere. Quin & Statorem quoq;, quem ſic appellatum produnt hiſtorici, quod poſt uotorum conceptionem nuncupationemq; fugientiũ Romanorum ſteterit acies. Sed id rectius multo & uero conſonũ magis, principem illum & uniuerſalem architectum deum dici Statorem, quod ſtent beneficio eius omnia. Illum Græci στάσιον uocant, cuius erat templum in ſacræ uiæ principio, qua ſcanditur palatium. Epiſtaſion tamen interpretatur Plutarchus. Strator autem qui ſit, aperit in Caracalla Spartianus: Quum, inquit, illum in equum ſtrator eius leuaret, pugione latus confodit. Sic Digeſtis De officio proconſulis Vlpianus, Nemo proconſulum ſtratores ſuos habere poteſt, ſed uice eorum milites miniſterio in prouincijs funguntur: ij uero non abſimi-

les(opinor)his fuere,quos modo ſtapherios uulgo nũcupamus.Sunt qui ſtratores intelligant,qui præcurrentes caſtris metandis loca complanarent,pontes pararẽt,hoſce inſtructores dici à Vegetio quoq;.Sed ad deum redeo.Fatum item ſi hunc dixerimus, non aberrarimus.Nam ſi eſt fatum implexa cauſarum ſeries,ille eſt omniũ cauſa princeps,à qua propendent reliquę.Deniq; tot excogitari cognomenta queunt,quot eius recognoſcimus munera, ne nunc indigitamenta excutiamus omnia. Nam & in libro De myſteriis Iamblichus:Opifex(inquit)intellectus,qui & ueritatis eſt dominus,atq; ſapientia,quatenus in generationẽ progrediens,occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem,Amum Aegyptiaca lingua uocatur.Quatenus autem ſine mendacio peragit omnia, & artificioſe ſimul cum ueritate Phtha nuncupatur. Græci uero hunc Vulcanum nominant,artificioſum duntaxat conſiderantes. Quatenus uero effector eſt bonorum,appellatur Oſiris,aliasq; denominationes habet,propter potentias actionesq; differentes.Illud tamen parte iſta haudquaquam tranſmiſerim, quod à Didymo proditum ſcimus in libris enarrationis Pindaricæ:Meliſſea Cretenſium regem diis primum rem obiiſſe diuinam,ac ritus nouos ſacrorumq; pompas introduxiſſe.Huius porrò filias Amaltheam & Meliſſam, quæ Iouem puerum caprino lacte & melle connutrierint. Vnde datum mythicis locum confingẽdi,aduolaſſe apes, atq; os puerile ſucci blãdiſſimi liquore colliuiſſe.Meliſſam uero magnæ matri ſacerdotẽ fuiſſe inſtitutam primam:unde propagatum mox,ut quibus eiuſdẽ iniungeretur ſacerdotij functio,Meliſſæ item dicerentur.Quin & abutendi ratione aliorum quoq; ſacrorum myſtidas eodem cenſeri nomine auctor aſtipulatur Pindarus,cum ait, τοὺς ἱερὰς μελίσσας πόρπιτα. Factum uero hoc de inſecti puritate. Sunt & qui ſacris aſſidue obuerſantes nymphas dici recte meliſſas opinentur:de quibus Patareus Mnaſeas ſic prodidit ferè, primas ab carnium eſu,quam ſarcophagiã uocant,homines abduxiſſe, arboreis inſuefactos frugibus,quo nomine Cereris ſacrũ abſq; nymphis haud obiri, quod omnium principes fructus præmonſtrarint,ſedarintq; τὴν ἀλληλοφαγίαν,& uerecundię cauſa ex hyle indumẽta excogitarint. Obſeruatum in ſcientiſſimorum theſauris, Meliſſas item dici in generationem prodeuntes animas,præcipue per iuſtitiam uitæ opera obituras, indeq; patriam repetituras,quando eſt apis φιλοσοφον animal, in primis autẽ iuſtum. Nuncuparunt uero ſic,ἁδονῆς οὔσας ὀργαστικὰς.Ex quo de animis Sophocles,

Βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμικρὸς ὀρχεῖται τ' ἄλλη.

Cereris autem ſacerdotes, Meliſſas ueteres appellarunt, ceu terreſtris deæ myſtidas. Sed & ipſam Proſerpinam μελιτώδη.Lunam quoq; generationis præſidem,Meliſſam dixere.Lunæ altitudo taurus.Apes uero βουγενεῖς dicuntur.Et in generationem pergentes animæ βουγενεῖς. Sed & Buclopus deus generationem latenter audiens. Sed non utiq; prætereunda Aeliani admiratio eſt,prodentis, Barbararum gentium ſapientiam uideri laude dignam,quando nulla prorſum εἰς ἀθεότητα ὀξέπεσε, id eſt eò producta eſt ut deum negaret,aut omnino ambigeret, Sítne prouidentia ulla,an temere ferantur omnia.In quam ueſaniam dilapſos nouimus Euhemerum Meſeniũ,Diogenem Phryga,Hippona,Diagoram,Soſiam, Epicurum. Illud non negligendum, poeticam quod inſtruit enarrationem:Temenum Pelaſgi filium in Arcadia Stymphalum habitaſſe antiquam, atq; inibi Iunonem ab eo educatam,& deæ ſacrum inſtitutum triplex, ex trium ratione cognominum. Siquidem Parthenon uocauit puellam adhuc;at Ioui nuptã, τέλειαν, id eſt adultam. Diſſidentem uero cum eodem,ac Stymphalum denuo repetentem,χήραν,id eſt uiduam. Apud Menalum fuiſſe dicitur ἀγαθοῦ ναός, id eſt Boni templum.Id referẽdum ad Iouem Pauſanias ſuſpicatur:quoniam ἀγαθῶν δωτῆρες οἱ θεοὶ εἰσιν ἀνθρώποις,ζῆν δὲ ὑπατῷ θεῷ ὄν. Panos præterea ſacellum locis aliquot exci tatum legimus,eſſe quoq; qui opinentur eiuſdem eſſe pontificij hominum uota ad exitum perducere, quin & ſceleſtis pro dignitate ac meritis rependere. Sed & olim eſſe uaticinatum traditur item. Affuiſſe uero illi πολυμνιαν, Erato nympham, quæ Arcadi Calliſtus fuerit iuncta.Prope Lycoſurã eſſe dicuntur montes Nomij,in quibus & Panos Nomij ſacellum.Melpiam,id eſt μέλπεσθαι, uocãt locum, quod inibi fiſtulæ melos compererit Pan. Montibus factum nomen putant ab eius dei paſtionibus: etiam ſià

nympha

nympha credunt Arcades. Fuit & in Parthenio monte Panos delubrum, ubi & teſtudines conficiendis lyris peraccõmodas haberi, proditũ memoriæ eſt, quibus tamen parcunt, quod Pani ſacras opinẽtur. Gazæ Iupiter colebatur, Marnas nũcupatus: quæ Cretenſibus uox indicat uirginem. Hieronymus, Gazæ Marnas luget incluſus. Meminit auctor idem in Enarrationibus in Eſaiam. In hac uero deorum fuſiore pragmatia nec illud neglectui habuero, quod eſt ab Oenomao traditũ: triginta millia deorũ in orbe terrarum fuiſſe culta, quod ipſum & uates aſſeruerit Heſiodus. Hinc obrepſiſſe opinor petulantius in blaſphemias prorumpentibus, ut alliſa quodãmodo patientia, facturos ſe quippiam triginta millia diabolorum nomine, non citra impietatem pronuncient. Carmina Heſiodi ipſum hoc adſtruentia, ſi quis requirat forte ſunt hæc:

τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν ὧν Διὸς ἀθανάτοι ζωὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Scribit inibi Proclus, hoſce dæmonas à deis abiunctos intelligi, & ab hiſce dæmonibus quos ex hominibus factos idẽ cecinit poeta. Trecentos item fuiſſe ueteribus loues adnotatum ex Varrone eſt, ac à Septimio Florente repetitum.

Platonem & Platonicos nonnullos ſentire, unum modo eſſe deum. Deus unde. Caput IIII

SEd rurſum obijciat ſe quiſpiam, & quoniam à Platonicis tam reuelli neſcimus, quàm nolumus: quod hi nunquam non fidem tueantur ſuam literarum magnitudine ac recondita ſupellectile, quærat ſolicitius, quidnam parte hac illorum coryphæũ Platonem ſenſiſſe opinemur, quid' ue cęteris inſinuemus de tanto adſtruendum philoſopho. Ego uero, ut qui norim elogium illud ſæpe repetendum, pauculis modo mutatis, Platonicos plane Chriſtianos fore (nam & Auguſtinus ſapientiæ profunditatem admiratus, neminẽ eo philoſopho propius religionis noſtræ pulſaſſe metas ſcribit) obſeruaſſe uideor ab eminentiſſimo quidem uiro plures ſæpe nominari deos, uerum nõ tam deos intelligi, quàm diuinos angelicoſq; ac cæleſtes dei miniſtros. Nam angelos non fuiſſe Platoni incognitos, adſtipulatur & Florens Septimius in Apologetico. Siquidem in Parmenide ac Timæo unicum & per ſeipſum eſſe ſancit deum. Inſequuti uero doctoris ueſtigia ſingulari ingenio, eloquentia non incurioſa Platonici multi, unum modo eſſe deum, ratione triplici probare conituntur. Primò, inquiunt, quia ſumma eſt unitas. Nam ſi quodlibet ſummum eſt unicum, quid magis unicum eſt, quàm ſumma unitas? Eſt etiam unus, quia eſt ueritas. Summa enim ueritas una eſt. Nam ſi duæ ſummæ ueritates eſſe dicantur, aut una earum habet quicquid habet altera, aut non. Si prius datur, una eſt, non duæ: ſi ſecundum eſt, neutra eſt ſumma: deeſt enim iſti illud ueritatis quod in illa eſt, & illi quod eſt in iſta. Item unus eſt deus, quia ſumma eſt bonitas. Summa quippe bonitas, quicquid boni reperiri uſquam poteſt, complectitur. Quod ſi duas induxeris bonitates ſummas, quicquid boni eſt in una, eſt & in altera: alioqui neutra eſſet ſumma. Et ſecundum boni ipſius naturã unum ſunt, non duo, neq; eſt aliquid aliud illis admixtum, prẽter bonitatis naturam, quia ſummæ non eſſent, ſed inquinatæ. Vnum itaq; ſunt omnino. Propterea Manichæis Gnoſticiſq; philoſophis aſſentiendum nullo modo eſt, duos eſſe deos aſtruentibus. Quorum alter ſit bonorum omnium auctor, alter uero malorum. Nam ſicut deus, qui bonorum eſt auctor, ſummum bonum eſt, mali totius expers, ita contrarius ſummũ malum, omni bono priuatum. Hic igitur neque aget quicquam, neq; cognoſcet, neq; uiuet, neq; erit omnino: ſiquidem eſſe, uiuere, cognoſcere, bona expetendaq; ſunt. Vnum igitur omnino ſit rerum principium, & uocetur unitas, quia per excellentiſſimam ſimplicitatem ſupereminet omnia: ueritas, quia producẽdo eſſe dat omnibus: bonitas, quia producta ad ſe reuocando, præſtat & bene eſſe. Atq; ut tradit Ioannis apoſtoli theologia, theologorum omniũ diuiniſſimi, quem Platonicus Amelius libenter amplexatur, unitatem uocato principium, ueritatem principij rationem, bonitatem denicq; principij rationalis amorem. Dicitur uero deus, uel θεὸς, ut Damaſceno placet, ac repetit Thomas in libro De ueritate, ab αἴθειν, quod ardere eſt. Cæterum etiam ſi ardere pronunciatur de deo metaphoricè, non tamen & nomen hoc deus. Cæterum poſtea quàm parte hac ſatis

tis ſupercꝫ euagati ſumus, cum Mercurio ita coronidem impingamus. Sanctus es deus pater omnium: ſanctus deus, cuius uoluntas à propriis impletur poteſtatibus: ſanctus deus qui tuis familiaribus innoteſcis: ſanctus es, quem nũquam creauit natura: ſanctus es, omni poteſtate ualidior: ſanctus es, omni excellentia maior: ſanctus es, omni laude melior. Excipe uerborum ſacrificia ſancta, ab anima & tibi dedito corde manantia. Ineffabilis, ſolo ſilentio prædicande ab eo, qui fallacias ueræ cognitioni contrarias declinauit, annuè nos corrobora, atcꝫ huius gratiæ participes effice eos qui in ignorãtia uerſantur. Ipſe pater es uenerãdus, homo autem tuus ſanctitate unà tecum potiri exoptat, cum poteſtatem illi omnium arbitriumcꝫ conceſſeris.

Super Memnonis ſepulchro & ſtatua ex Græcis adnotata pluſcula, unde Iuuenalis illuſtratur. De Rhodio Memnone, ac Palto, Dipalto, Euhelio, & Memnonidibus. Suſa cur dicantur. Item quid Apaſtia, & Paſtus. Cap. V

MEmnona poetis cantatiſſimum nemo non nouit. Comperta nobis nonnulla de eo ſunt, iis plane adnumeranda quæ præcipue digna admiratione ſunt in naturæ contemplatione, uel etiam quæ fidem rei nouitate uix impetrant. Ac de Memnonis quidem ſtatua mox paulo. Interim ſepulchrum eiuſdem pergamus illuſtrius facere, hiſce memoriis inſpergendo, quæ grauis auctor Ioſephus prompſit in literas: cuius hiſtoria, quia minus inuſta mendacio eſt, in cuiuſcꝫ animum facile quod ſubnectemus poteſt irrepere: quod ita habet, Eſſe Ptolemaida Galilææ ciuitatem montibus hinc inde ferè obmunitam, conuallatamcꝫ: ſiquidem à Meridie Carmelo conſtipatur, à Septentrione uero quem uocant in colæ Scalam Tyriorum: ab urbe duorum ferè ſtadiorum interſtitio fluuiolus offert ſe Beleus nomine: eius in propinquo Memnonis eſt ſepulchrum, cui adiacet locus omnium admiratione digniſſimus: ea eſt ſpecies uallis circumactæ in orbem, quę uitream harenam emittit, alioqui & ſingulare miraculum adeſt. Commeant illuc numeroſi nautæ genus terræ auecturi: ſed quicquid inde egeſtum fuerit, repletur mox: eadem ſemper campi facies. Produnt peritiores, uentorum id opera contingere, qui ex circumiectis ſuperciliis difflatu ſuggerãt metallum. Nec tamen uno ibi eſt miraculo natura contenta: quicquid aliunde congeſſeris harenæ, tranſit eueſtigio in uitrum: quòd ſi ultra loci margines fuerit denuo proiectum, in habitum priorem eadem redit celeritate. Illud porrò non negligendum, quod ad Memnonis ſpectat ſepulchrum: nam in Troade id ſtatuit Strabo: ita enim libro tertiodecimo ſcribit, Vltra Eſapi hoſtia tumulus quidam occurrit, in quo uiſitur Memnonis ſepulchrum eius, qui Tithoni filius fuit: cui proximus etiam Memnonis uicus. Dicat aliquis, Memnonem eum de quo Ioſephus, ab hoc fuiſſe diuerſum. Nam & Strabonis eiuſdem monumenta Rhodium habent Memnona, qui fuerit Perſici ductor exercitus, & Hermiam eunuchum circumſcripſerit, quicꝫ Platoni Ariſtotelicꝫ dediſſet operam: mox uero principatu etiam potitus: uel id Memnoni fortè obueniſſe, quod & claris plerunꝫ uiris, quibus imaginaria ſepulchra multis in locis admiratione uirtutis quãdocꝫ excitata fuiſſe obſeruauimus. Nam Strabo idem alibi: Memnon, inquit, ſepultus dicitur circa Paltum Syriæ iuxta flumen Bandam, ut Simonides ait. Paltum uero Syriæ ciuitatem agnoſcit etiam Stephanus, unde ſit gentile nomen Paltenus, uti à Damaſco Damaſcenus. Sed eſt item Paltum teli genus Arriano libro primo. Meminit Xenophon quum alibi tum Rerum Græcarum tertio: unde apud Sophoclem in Aiace Maſtigophoro, quod adnotarunt ſcholiaſtæ. Dipaltus me perimeret, quod eſt manu utracꝫ, καὶ πρὸς ἀμφότερα, ac tota ui. Dicitur & παλαὸν πῦρ, pro fulmineo igne deſuper excuſſo. Strabonis auctoritatem ſuffulcire Plinij quocꝫ calculus uidetur, ſic fermè libro ſexto prodentis, Aegyptiorum bellis attrita Aethiopia eſt, uiciſſim imperitando ſeruiendocꝫ clara & potens, etiam uſcꝫ ad Troiana bella, Memnone regnante. Et Syriæ imperitaſſe eam, noſtrocꝫ littori ætate regis Cephei, patet Andromedæ fabulis. Porrò de Memnonis ſtatua in Baſaltæ lapidis mentione Plinius idem ita ſcribit, Non abſimilis (inquit) illi narratur Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis ſtatua dicatus, quem quotidiano ſolis ortu contactum radijs crepare dicunt. Philoſtratus etiam in Iconibus: Memnon, inquit, in Aethiopia deformatus eſt in lapidem

lapidem nigrũ, ſedentis habitu. Solaribus radijs ſtatua ubi contingitur, uelut plectrum incidens ſol in Memnonis os, elicit inde uocem: meminit & in Heroicis. In Toxari Lucianus prodit, Demetrium Sunieum peregrinationẽ obiſſe in Aegyptum, ut pyramides ſpectaret ac Memnonem, quod illas inaudiſſet quãuis altiſſimas, umbram tamen non iactare. Memnonem uero ad exorientem ſolem inclamare. Strabo ibi ſe adfuiſſe ſcribit cum Aelio Gallo & amicorũ multitudine ac militum: circiterq; horam primam ſonitum audiuiſſe, ſiue à baſi ſiue à coloſſo ſiue à circumſtantibus de induſtria factum: Id enim (inquit) haudquaquã affirmarim, quum propter incertam cauſam omnia magis ſubeat ut credam, quàm ex lapidibus ſic compactis cõcinnatis'ue crepitum credo: Pauſanias miratur in Megarenſiũ mœnibus lapidem, quem ſi quis calculo percuſſiſſet, non ſecus inſonaret ac lyra. Sed multo me (inquit) maiore admiratione affecit Aegyptiorũ coloſſus, qui Thebis Aegyptijs eſt, poſtquã Nilum traieceris. Vidi enim ad hoc uſq; tempus ſtatuam ſedentem iuxta eum locum quem Syringas uocant. Eam plerique Memnonem dicunt, quem ex Aethiopia profectũ in Aegyptum ueniſſe arbitrantur, ac Suſa uſq;. Thebei Memnonẽ negant, ſed quendam popularem ſuum eſſe aiunt, cuius ea ſtatua ſit. Audiui etiam, qui hanc Seſoſtri ſtatuam tribuant, quam Cambyſes mutilauerit. Reliquum corpus ſedet, καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίου βοᾷ, καὶ ὁμοίως ἦχον μάλιστα ἀπολύσει τὶς κιθάρας ἢ λύρας ῥαγείσης χορδῆς. id eſt, & quotidie inſonat orienti ſole, quem ſonitũ ſimilem dixeris diruptæ chordæ in lyra uel cithara. Legimus porrò Tyaneum Apollonium ueniſſe quandoq; in Memnonis templum, deq; eo Damin ita retuliſſe, Auroræ filium fuiſſe Memnonẽ: occubuiſſe uero non apud Troiam, quò etiam neq; ueniſſe illum ſatis conſtet: ſed in Aethiopia, cum regnaſſet apud Aethiopas per generationũ quinq; ſpatium. Ipſos tamen Aethiopas, quando longiſſimæ ſunt uitæ extra mortalium reliquorum conſuetudinem, quaſi in aduleſcentia Memnonem lugere, quæq; in acerbis promi funeribus ſoleant, facere. Locum præterea, ubi erectum ſteterit templum, antiquo foro conſimilem fuiſſe: cuiuſmodi uiſebantur multa in uetuſtiſſimis ciuitatibus, ubi etiamnum columnarum extant fragmenta & parietum ueſtigia quædam. Porrò ſedes ac Mercurij ſimulacra. At Memnonis ſtatuam adoleſcentis impuberis imaginem referre: eſſe autem ex nigro lapide confabricatam, & ad ſolis radios conuerſam, utroq; pede ſolum attingentem: erectas autem manus ſedi inniti, hominis ſurgere uolentis ſimilitudine quadam: at oculorum & totius oris habitum, quaſi loquẽtis eſſe hominis: ubi uero ſolis radio percutitur, quod matutino euenit, tum utiq; ſummam parere admirationem, loqui enim tunc perhibent, ubi primum ad illius os radius peruenerit: nam ſplendentes oculi lætiq; ad ſolem expoſiti ſunt, ueluti eorum qui ualde ſolis aſpectum tolerare poſſunt, quos Græci εὐηλίους uocant, hoc eſt euheliosi. Scribunt item ex Græcis nonnulli, Memnona apud Ilium Aethiopibus quidem præfuiſſe, Aethiopem tamen non fuiſſe, uerum apud Perſica Suſa, & fluuium Choaſpem gentibus illis imperaſſe. Argumento autem eſſe, quod à Tithono Memnonis patre Suſa dicatur condita, uel (ut alij) à Memnone potius. Dictam uero urbem à liliorum copia, quæ gentium earum uocabulo dicantur ſuſa. Sed illud etiamnum euidentius: Suſiorum arcẽ à Memnone Memnoniũ uocari. Suſios item Ciſios appellari, quia Memnonis matrem Ciſiam uocet Aeſchylus. In Pauſaniæ monumentis lectum eſt Memnonem Aethiopum quidem fuiſſe regem, nõ tamen ex Aethiopia Ilium ueniſſe, uerum à Perſicis Suſis & Choaſpe, quæ ſibi ſubiecerat loca. Nam ſunt auctores quoq;, quotannis aduolare Ilium ex Aethiopia aues, & confligere ad Memnonis ſepulchrum, quas ob id Memnonidas uocent. Hoc idem quinto quoq; anno facere eas in Aethiopia circa Memnonis regiam, exploratum ſibi Cremutius tradit. Ex Memnonis cineribus apud Troiam interempti natas aues, cecinit Ouidius, non ſuppreſſo item depugnandi more: ita enim ſcribit libro tertiodecimo,

Præpetibus ſubitis nomen fecit auctor, ab illo
Memnonides dictæ, quum ſol duodena peregit
Signa, parentali morituræ more rebellant.

Memnonidum item auium mentio Pauſaniæ eſt, illas in Memnonis chlamyde picta expreſſas

expreſſas memoranti apud Delphos. De Memnonis porrò ſtatua Satyrus quoq; hiſce commeminit,

Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ.

In cuius loci enarratione, allatis modo quæ prodit Strabo, interpretes mira ſeſe inde expediunt breuitate. Bibliotheces item tertio Diodorus, à Theutano, tunc Aſiæ imperante, miſſa ad Troiam Aethiopum decem millia ſcribit, totidemq; Suſianos, cum ducentis curribus, Memnone duce: qua tempeſtate pater eius Tithonus Perſarum geſſerit ſatrapiam. Sed & nonnulli Idam uocant Memnonis matrem. Inuenio item Memnonas eſſe Aethiopum gentem, quam (ut auctor eſt Polyhiſtor) agreſtem interpretantur, ſed tamẽ pugnacem ac difficilem. Quod uero de Rhodio Memnone, cuius etiam meminit Arrianus, nec tacuit Q. Curtius, paulo ante protulimus, ſciendũ amplius, uocem eius memorabilem uideri præcipue dignam, quæ utriuſque linguæ monumentis certatim celebretur, maximo documẽto, debere ſtipendia faciẽtes lingua præparcos, manu largiores eſſe. Is ſiquidem quum aduerſus Alexandrum ſumma ui bellum gereret, quendam de Alexandro obloquentem, ac multa per imperitiam, tum etiam aſſentandi ſtudio diſſerentem quum inaudiſſet, eoq; nomine commotior foret, quod maximus imperator ab inertiſſimo, ac prorſum (ut uidetur) gregario milite proſcinderetur, hominem acrius lancea percuſſit: & mox, Ego te (inquit) alo, ut pugnes, nõ ut Alexandrum petulantia tua ſordide inceſſas. Fuit & Troianus quidam Memnon, à quo interemptus ſit Antilochus, ut in Heroicis Philoſtratus ſcribit, etiam ſi ab Aethiope creditur ferè. Apud Græcos pro aſino dicitur Memnon, unde Memnoniæ carnes pro aſininis leguntur. Illud uero ſuperpondium fuerit, quod à Græcorum grammaticis exaratum ſubſcribemus, Memnona & Sarpedona Iouis filios ad Troiam interiſſe. Tanto autem à diſs honore affectos, ut ferente lege patre, funeris diem luctu & ieiunio celebrarent. Quod comici ueteris auctoritas illis comprobat uerſiculis, ut protinus legentium demereamur aſſenſum Græca (uti aiunt) fide.

πολλάκις δ' ἡμῶν ἀγόντων τῷ θεῷ ἀπατίαν,
ἵνα κἀν ὀψωθῶμεν, ἢ τὸν μέμνον', ἢ τὸν Σαρπηδόνα
ἀπογνόντ' ὑμεῖς καὶ γελᾶτε.

Sæpe, inquit, nobis diſs apaſtiam ducentibus, ubi lugeamus Memnona uel Sarpedonem, prolibatis uos & ridetis. Apaſtia uero, quod ſcitu reor dignum, ſignat nobis ieiunium: quando πασὸς dicitur, qui cibo operam dedit παρὰ τὸ φῶ, quod ἐδίεσθαι, id eſt ueſci indicat. Vnde irrepſit inſciæ plebeculæ, ut paſſim pro conuiuio paſtum uſurpet. Et ſaginatos anſeres, ac id genus cætera ferè conſimiliter nuncupet.

Prouerbium quod eſt, numerare nouit, quam uim habeat. Deq; arithmetice occultiore. Cuiuſmodi ſit illud, Deum omnia in numero, menſura, pondere perfeciſſe. Cap. VI

AVenzoaris uiri Babyloniĳ, & ſcientiæ reconditæ, uerbum fuiſſe præclarum, & ſenſus profundioris, Abumaſar auctor eſt, Scire omnia, & noſſe exactius eum, qui numerorum ſcientiam teneat. Quod ideo dici opinandum eſt, quia priſcis ingenijs, quæ nobis rerum multarum lucem peperere, à uulgari & exculcata ratione ſequeſtrata abiunctaq; philoſophandi per numeros conſuetudo fuit. Eam uero quum à theologis excultam accepimus, tum in primis non neglectam à Pythagora, Aglaophemo, Platone, cæteriſq; id genus compluribus. Sed & in Epinomide ab ipſo traditum Platone nouimus, Inter omnes liberales artes & theoreticas ſcientias præcipuam & maxime diuinam uideri numerorum ſcientiam. Cæterum id comprobari qui poteſt, ſi eam numerandi peritiam accipias, in quâ uel negociantium, ut negocioſiſſimus quiſq; eſt, ita præſtat in primis? Quid enim præter cæteros illi norunt? Scientia omnino fuit hæc, extra quàm plericq; uel opinentur, uel ſciant, certe mira: immoq; noſtra tempeſtate minus pertrita. Quinimmo occluſa adeo, uelut ſanctius arcanum, ut qualis ſit, ne ſuſpicentur quidem, aut uix attingant pauci. Quod nẽ quis ambigat, ſcitatur Plato, Cur ſit homo animal ſapientiſſimũ? ſup-

pingit

pingit mox reſponſum, Quia (inquit) numerare nouit. Et rurſum in Epinomide: Opus (inquit) eſt numeris, non iis qui corpus habent, ſed qui omnem paris imparis ue generationem atq; uirtutem, quam ad perficiendam cognoſcendamq; rerum naturam conferunt. Proinde nos adagiũ præſtruximus, quo in eum uti poſſumus, qui omnibus calculis credatur undecũq; ſcientiſſimus, ac propè perfectione omnifaria eminẽtiſſimus. Meminit & in Encyclijs quæſtionibus Ariſtoteles, Cur (inquit) homini potius, quàm cuiquam ex cæteris animantibus credendum eſt: an quia, ut Plato Neocli reſpondit, homo ſolus omnium animantium ἀριθμεῖν ἐπίσταται; hoc eſt, nouit numerare? Quem locũ (ſit uerbo uenia) philoſophus quidam interpretatus, dum nihil altius ſuſpicatur, id modò dici inde opinatur, quòd is ſit rationis actus. Qui enim numerare ſcit, diſciplinis imbibendis non uidetur impar. Inſuper ratione prædito amplius fidendum, quia præter eam, dum talis eſt, operatur nihil. Vel, inquit, quoniam perpẽdit acrius, bonum malumq; metiens. Sed nos in ſanctis itẽ literis legimus, Deum omnia in numero, menſura, pondere perfeciſſe: quæ ipſa & Plato aperte ſignificat, dum numeros, menſuras, ſolida in medium adducit. Sed per numeros intelligi uult ipſas rerum naturalium ſpecies formasq; ſubſtantiales, quas etiam Ariſtoteles numeris comparat. Per menſuras autem certas, inſtrumentalesq; figuras, uel magnitudines ſpeciebus certis accommodatas. Per ſolida denicq; atque uires, ſignificat qualitates quæ & cum molibus penitus protenduntur, & præſtant motionibus actionibusq; momentum. Ex hac item occultiore facultate ſcribit Aurelius Macrobius, Numerorum certam conſtitutamq; rationem animas ſociare corporibus: qui numeri dum ſuperſint, perſeuerat corpus animari: quum uero deficiant, arcanam illam uim ſolui, qua ſocietas ipſa conſtabat. Et hoc eſſe, quod fatum & fatalia uitæ tempora uocemus. Vnde ſit illud doctiſſimi uatis,

Explebo numerum, reddarq; tenebris.

Hinc item probabile eſt, ueterum ſapientũ curam pronuntiare non dubitaſſe, animam eſſe numerum ſe mouentem. Hoc Pythagoricum eſſe decretũ, auctor Plutarchus probat libro De iis quæ philoſophis placeant, quarto. Sed adijcit, ἀριθμὸν αὐτὶ τὸ νοῦ παραλαμβάνειν, id eſt numerum pro mente accipere. Eſſe quoq; in anima numerum, ſcribit Plotinus libro Enneadis quintæ primo: Non enim, inquit, moles ſunt prima naturæ, neq; ullæ magnitudines. Craſſa enim hæc poſteriora ſunt, quæ ſenſus exiſtimat entia, iam uero nec in ſeminibus hoc ipſum humidum eſt, quod æſtimatione dignum cenſetur, ſed quod ſenſibus non apparet: id autem numerus eſt, atq; ratio. Eſt item in intellectu primo numerus idearum ratione formali inter ſe differentium: ſi modò per eas intelliguntur, & fiunt formæ rerum re ipſa diſcrepantium. De qua re, ſi noſtrum eſſet onus, dicerem plura, ſed alieno loco ſatis multa. Illud Boethi multum ad hæc ipſa facit, quum ex mathematicis arithmeticam percipi primum tradit, quoniam matris quodammodo ad cæteras obtineat portionem. Tum uero quòd hanc ille huius mundanæ molis conditor deus primum habuit ſuæ ratiocinationis exemplar, & ad hanc cuncta conſtituit, quæcunq; fabricante ratione per numeros aſſignati ordinis inuenere concordiam. Hoc tamen nec item præteriero: rationalis fabricæ naturale quoddam pullulans principium dici, ac eſſe numerũ: quippe mentis expertia, uti bruta, non numerant: nec aliud eſt numerus, quàm explicata ratio. Eatenus autem principium eorum quæ ratione attinguntur, numerus comprobatur, ut ſublato eo, reliqui futurum nihil, ratione colligatur, Nec aliud omnino eſt, per numeros rationẽ quippiam explicare, quàm rationem ipſa ſe uti, ac in ſui naturali ſupremaq; ſimilitudine cuncta figere. Vti deus infinita mens in coæterno uerbo rebus eſſe communicat, nec numero eſſe quicquam poteſt prius: cuncta enim ab ipſo alia, ipſum fuiſſe neceſſariò, affirmant. Omnia ſiquidem unitatem exeuntia ſimpliciſſimam ſuo ſunt modo compoſita, nec ulla citra numerum concipi ualet compoſitio. Ex ſeipſo autem conſurgit numerus: quando ex tribus connexis cooriri debet ternarius. Alioqui non magis ternarius eſſet, quàm ſi ſeorſum parietẽ, ſeorſum tectum, atq; item domus conſtrueres fundamenta, & domicilij tamen cõcipias formam. Porrò an menti ſimilius numero excogitari poteſt quippiam? Nónne ternarij unitas ternaria eſt? ternarij æqualitas ternaria item? Sed & ternarij con-

nexio ternaria eſt. Igitur numeri eſſentia, mentis exemplar eſt primum.

Pythagoræ placita de monade, ac dyade: item de pari, imparique. Cap. VII

PYthagoram igitur legimus opinatum, in numeris maximã eſſe uim, in eosq; referenda omnia, ſyderum ambitus, & animalium productiones. Duo item feciſſe principia: definitam unitatem alterum appellando, reliquum indefinitam dualitatem: ſed illam bonorum, hanc malorũ exordium & cauſam eſſe dicebat. Vnitatis ſiquidem natura inſita circumferentiæ temperiem, animis uirtutem, ſanitatem corporibus, domibus & ciuitatibus pacem, & animorũ gignit conſpiratum. At dualitas diuerſa omnia, aeri hyemem contribuit, animis malitiam, ægritudines corporibus, ciuitatibus ſeditiones, & domibus diſſidia inducit. Omne ſiquidem malum ex diſparili inoritur uoluntate. Hinc ex conſequentibus numeris parẽ quidem demonſtrauit indigum ac deficientem atq; imperfectum, imparem uero plenũ ac perfectum. Etenim pari permixtus uim ſuam ſeruat perpetuò, cõduplicatus uero eundem gignit: ita ut fœcundus ſit, habeatq; principij uim, diuiſionis ipſe neſcius, unitate ſemper in eo redundante. Par uero imparem producit nunquam, neq; eſt indiuiſibilis. Proinde Homerus quoq;, quem profundior nulla præterijſſe uidetur doctrina, unitatis naturam in boni quidem portione conſtituit, in mali uero dualitatem: nam bonum, ἐννέα ſæpe dicit, & ἐνάλιω affectum eiuſmodi: contrario autem modo, ἀνίω uocat afflictionem ac diuexationem. Et ſuperis imparia quidem ſemper contribuit, inferis uero paria: nam Neſtor Neptuno immolat ἐννεάλικας ἐννέα ταύρους. Achilles uero Patroclo paria offert omnia, ἵππους μὲν τέσσαρας, ἑλώδεκα δὲ πρώων μεγαθύμων υἷας ἐδλοὺς. Plurimum uero ternario utitur numero, item quinario ac ſeptenario, maximè uero nouenario: ut τοὶδ' ἐννέα πάντες ἀνῆσαν. & alibi, καὶ ἐννέωροι γὰρ τοί γε.

De nouenario numero. Virgilij locus explicatur ex Aeneidos primo. Heliconides Muſæ. De Helicone muſico organo. De Muſis pulchra. Febrium ſpecies. Caput VIII

SEd cur nam eſt numerus hic perfectiſſimus? nempe quia eſt ab impari primo quadratus, & impariter impar in tres diſtribuitur triades, ſiue mauis trinitates dicere: quarum item quælibet in tres diuiditur unitates. Qua in parte admonendi ſtudioſi ſunt, illud uehementer obſeruandum, quod in literis Latinis à pauciſſimis animaduerſum, miror. Nouenarium numerũ præcipuè ueteribus pro multitudine qualibet poſitũ, ſicuti probat Nicander, qui duos habentem aculeos ἐννεάλικρυτρον uocauit, quod eſt aculeorum nouem. Sed & alibi in quodam genere ſcorpionũ, quibus ſeptem inſunt ſphondyli, dixit, σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι. Nam enneadeſmos uocat ſphondylos, uolẽs ſignare polydeſmos, ac ſi dicas multarum cõmiſſurarum aut colligationum. Idipſum in præconum enneade apud Homerum Ilíados ſecundo adnotauit Euſtathius: ſed & in nouem bellatoribus Hectori obiectis. Ad quam Græcorum doctrinam optimum maximum poetam reſpexiſſe contenderim, quum ait,

Et nouies Styx interfuſa coercet.

Sed & quum Aeneidos primo ita de Timauo flumine ſibi canere permiſit,

Atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui,
Vnde per ora nouem uaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti.

Nam quum Timauo ſeptem ora contribuant alij: nonnulli etiam nouem, ut Pomponius: alij etiam octo. Vnde & multifidum etiam appellauit Timauum Valerius Martialis Epigrammatum octauo:

An tua multifidum numerauit lana Timauum,
Quem prius aſtrifero Cyllarus ore bibit?

Propterea doctiſſimus auctor in opinionum fluctu nouenarium ſibi numerũ cenſuit maximè uſurpandum, ut interiorum literarum, ſicuti frequenter ſolet, quippiam operi inſpergeret, quod illotis (ut aiunt) pedibus ingredientes maleferiati quidam aut tranſiliunt aut impingunt, ſcholarum cantilenas inſequuti. Eodem modo & Horatianum illud

lud ex Arte poetica intelligendum, Nonumq; prematur in annum.
quanquam lectione interpolata, decimum plerique legunt & interpretantur: quod si ad decadis perfectionem referas, concoqui potest. Astipulatur & Theon Arati interpres doctissimus, qui super eo poetæ uersiculo,

χαμῶν μέγα σῆμα, καὶ ἐννεαλγέα κωρώνη.

Ennea, inquit, pro multis poetice accipiendum, ἤγουν ἡ πολύγηρα κωρώνη. Nouenarius, inquit Hesiodus, Musarum dies est Heliconiadum. Hic siquidem numerus, inquiunt Græci, ἰσάκις ἴσον δέ, & bonus in omnibus aptusq; heliconiadibus: sic nuncupatis, non quia ab Helicone sint, sed quia (ut in Ptolemæi Musica lectum est) organum habe tur musicum, quod helicon dicitur, in quo nouem quædam chordæ sunt: quarum tres sunt τοῦ διὰ τεσσάρων, uel epitriti: tres autem diapente, seu hemiolij: tres autem διὰ πασῶν, seu diplasii: quas & nouem appellarunt Musas. Cæterum id obiter quodammodo parte hac sciendum, Musis in Helicone rem diuinam obisse Otum & Ephialtem primos, sacrumq; illis montem dixisse, quas tres modò intelligi uoluere, Meleten, Mnemen, Aœden. Nouem postea fecit Pierus Macedo, nominibus quæ nunc habẽtur impositis. Sunt qui nouem fuisse Piero filias putent, quibus eadem quę Musis nomina indiderit. Ad nouenarij denique rationẽ forte spectat illud quoq; : febriũ (quibus subinde mortalis excoquitur imbecillitas) species primum quidem esse duas, quippe aut συνεχὴς dicitur, uel synochos, quæ continua: aut διαλείπουσα, id est interuallata. Huius apud ueteres discrimina pernoscebantur sex, ut sentit Galenus: ἀμφημερινὸς, quæ quotidiana: τριταῖος, quæ tertiana: τεταρταῖος, quartana: πεμπταῖος, quintana: ἑβδομαῖος, septimana: ἐνατταῖος postremo, dicere quam possumus nonanam. Eodem modo & synochorum interstitia norunt tria: nam alias dicunt epaumasticas, id est increscentes: alias paraumasticas, id est decrescentes: tertias homotonos, id est tenore eodem perseuerantes. Proditum uero memoriæ scio, Vidum grammaticum Thrasimenum annis quatuor & uiginti quartana febri fuisse mirè infestatum. Sunt uero etiamnum febres dictæ πλάνητες, id est erraticæ, quæ ordine grassantur nullo, ἀλλ' ἀκαταστάτως γίνονται, id est citra stabilitatem fiunt. Febres præterea δυσλύπους, id est difficulter solubiles nuncupant ἐπικούς: at δυλύπους, quæ tollantur negotio haud magno, χειπούς. nam hoc genus affectiones receptum ferè medicis est, ἐν χέσει appellare. Synochon finit Galenus dici, quum paroxysmus unus ab initio perseuerat omnino, ac in plures protenditur dies. Sed nomen (inquit) Græcum minimè est: maluerunt tamen in solœcismum dilabi, quàm eam febrium ideam ἀνώνυμον relinquere. idem febres μαρασμώδεις inter hecticas recenset: unum uero ex ijs genus uocat ἐκ νόσου γῆρας, id est ex morbo senectutem. Hepialam intelligunt febrem, in qua rigor simul cum calore inuadit: quo in genere sunt & lipariæ: sic enim affecti rigorem sentiunt ac calorẽ, etiam si non loco eodem: intus enim & in eisdem uisceribus calore infestantur, in partibus uero extimis omnibus frigore. Sed quod aliàs in magnis obuenit portionibus, in hepiala fit in paruis. Ephemeras dixit Hippocrates esse febrium simplicissimas. Sunt uero hæ, quæ propter lassitudinem eueniunt, ac ebrietates & iras, furores, mœrores, & id genus animi curas. Crymodes nuncupantur febres ex pulmonis causatione ex sacri ignis malo, sicut lepyria ex stomachi, typhodes ex iocinoris. Periodicas febres, sunt qui circulares interpretantur: sunt, qui obambulantes. Periodus autem est ἡ ἀπὸ τάσεως καὶ ἀνέσεως ἐννοσήματος χρόνος, id est ex intensione tempus in morbo & remissione.

De monade. Curq; ea ad deum referatur. De ternario item ac quaternario. Triembolum quid, & decembolum. Medici diatritarij, hæmophoui, psychophoui. Tetrastiche, pentastiche. Quaternarij scrobes. Quaternaria tabula.

Caput IX

AT quoniam ipsa nos ratio in numerorum uirtutes coniecit, non fuerit ab instituto seiunctum, quædam porrò fusius hinc inde, ueluti amœniores quosdam flosculos, ac diuerticula non ingrata legentibus, quos alioqui nouitatibus excitari scio, congessisse in hunc præcipuè locum, in quo arithmetices uim prolibamus, ac (ut ab uno exordiamur) quod est in hoc ge

nere primordium, diciturq; à Græcis μονὰς, id eſt unitas. Compertum nobis eſt, marem credi & fœminam, parem item atq; imparem, non numerum, ſed fontem & originem numerorum. Zaratam uero Pythagoræ doctorem, dyada numerorum dixiſſe matrem, monada uero patrem. Proinde inter numeros præſtare, qui monadi præcipuè aſſimulentur. Eſſe quoq; monada hanc initium finemq; omnium accepimus, neq; ipſam finis aut principij ſcientem. Referri uero ad deum, eiusq; intellectum à ſequentium numero rerum & poteſtatum ſequeſtrare. Qui quoniam in unum diſperſa cogit, inde etiam dicitur ἕνη. Monas uero appellatur, ὅτι πάντων φθειρομένων, αὐτὸς μόνος μένει, καὶ ὅτι μονὰς ἐν τοῖς αὐτοῦ βουλεύμασι. ut inquit Ioannes Protoſpatharius, dierum Heſiodi phyſicus interpres. Dicitur inquam monas, quoniam tendentibus in corruptionem omnibus, ſolus ipſe perſeuerat, & quoniam in ſuis habet firmitatem conſilijs. De ternario uero quid hic exſequamur potiſſimum? An illud in primis? Trinitatem Pythagoricos philoſophos rerum omnium menſuram eſſe uoluiſſe. Credo, ratione illa, quòd ſummus rerum opifex ternario numero uniuerſa diſpenſat. Immo uero etiam res ipſæ numero eodem terminari pernoſcuntur: ad quod reſpiciens poeta nobilis, Numero (inquit) deus impare gaudet. Siquidem ineffabile illud agens creat primò ſingula, rapit mox, ac denique perficit. Singula quoque in primis ab illo perenni fonte effluunt, dum naſcuntur: deinde in eundem refluunt, dum originem mox ſuam repetunt: poſtremò perficiuntur, ubi in ſuum redierint principium. Id ipſum uaticinatus Orpheus Iouem principium, medium & finem uocauit uniuerſi: principiũ, ut producit: medium, ut producta retrahit ad ſeipſum: finem, ut redeuntia perficit. Sed in conuerſione hæc trinitas obſeruatur mira: quoniam in ea Mercurius primum obtinet gradum, animos per rationem ad ſublimia reuocans: ſecundum, Venus, per uiſum ad ſuperna proliciens: poſtremum, Phœbus, id ipſum efficiens per auditum. Et Mercurius quidem ad ipſum præcipuè prolectat bonum: ad intellectum, Venus, in quo radians pernoſcitur pulchritudo prima: ad animam uero prouocat Apollo, cuius eſt harmonia peculiaris. Hinc regem illum uniuerſorum bonum, pulchrum, iuſtum, quod ſæpius à Platone ſignificatur, poſſumus nuncupare. Bonum, inquam, dum creationem obit: ubi allicit, pulchrum: at iuſtum, quatenus pro cuiuſq; meritis perfectionem elargitur. Pythagoricos item Plutarchus ſcribit, unitatem ſolitos Apollinem nuncupare: dyada uero litem, & audaciam: triada autem iuſtitiam. Quum enim iniuriæ illatio aut perpeſſio per defectum obueniat aut exceſſum, inſeritur ijs iuſtum ad æqualitatem retrahens. Adnotatum à grammaticis illud quoq;, Numerum quandoq; hunc pro multitudine capi, unde triembolum pro uirili pudendo inuenimus poſitum, ut quod inijci ſæpius queat. Eſt eo item nomine nauis, quando Neſtoris nauem decembolum dixit Aeſchylus. Sed illud grauius multo, Principem deum tribus coli, adoratione, thuris ſacrificio, hymnis. Et id utiq; ter, ex totidem hemiſphærij punctis, mane, ueſpere, meridie. Proinde legibus ſanciri pleriſq;, nouimus, exortum ab adorantibus ſpectandum: quod eſt Pythagoricis obſeruatum, nec ſpreuit Chriſtiana ueritas. Triſmegiſtus ad meridiem conuerſus id ipſum obibat: Moſes Iudæiq;, ad occidua. Ratio inde promi poteſt, quod ab Oriente motus eſt diurnus: at planetæ, quos eſſe Ptolemæi doctrina ſtatuit, uelut cæleſtium ſignorum animas, ab occaſu uertiginis ſumunt initia: ſed uiuificum lumen à meridie per circuli redit obliquitatem. Adoratio, reuerentiæ cultum exhibet. Thus, ſuauiſſimæ cognitionis diuinæ diſtributionem complectitur. Hymnorum iucunditas, cælorum refert concentum: ut Pythagorici ſanciunt, nec tacuit Mercurius: uel ſubſtantiarum harmoniam ſeparatarum in laude intellectuali, ut Peripatetici. Ad ternarium ſpectat illud quoq;, uel eruditionis ſaltem gratia: Medicos quoſdam nuncupatos diatritarios, deridiculi cauſa: quoniam cibi abſtinentiam initio morbi in diem tertium prorogabant. Proinde ſubſannans Galenus identidem θεοτάτῳ διαιτεῖσθαι appellat Therapeutices octauo. Sed & qui experimentis parum ualent, ſuntq; ἀγύμναστοι, hæmophoui eleganter, & pſychrophoui nuncupantur, ut qui ſanguinis miſſionem compaueſcant, aut potiones reclinem frigidas, ſicuti rabie concitos ὑδροφόβους dicere, moris eſt. Quod uero Ariſtoteles ait, Natura impulſos homines, trinitatis numero

in deorum

in deorum ſacrificijs uti. Sunt qui ita interpretentur, Quum fruſtra nihil agat natura, omnibus ab ea inſitum, ut eo uterentur numero in cæremonijs: quo palam fieret, trinitatem ita in Deo concedi, ſicut & in corporibus. Ternarium autem in ſacris ita intelligunt, ut hoſtiæ immolatæ uinum affunderent, aut mel, & omnino liquidum aliquid, & ſalem, hordeum item, aut fruges inſpergerent. Atque ita trium oblatione uno in ſacrificio abundè litari opinarentur. In obeundis item ſacris eundem uidentur obſeruaſſe Trinitatis numerum, ut tertio quoq; die peragerentur, aut trimeſtri ſpatio. In ſacerdotalium porrò ueſtium genere, ac figura: in templi ambitu, uel aræ: in hoſtiæ comburendæ ſuffumigationibus, & extorum: necnon in uaſorum figura ſacrorum, aut materia. Quòd ſi rerum omnino ratio maiorem efflagitare numerum aduerteretur, ipſa in ſe identidem redibat trinitas. Hinc uniuerſam Proclus Platonis theologiam ad treis reuocare trinitates adniſus eſt. Porrò (inquit Ariſtoteles) duo quidem, ambo dicimus: & duos, ambos, atque utroſque: omnes uero non dicimus, ſed hanc appellationem de tribus enuntiamus primum: quod inde fieri creditur, quoniam ſic à natura uidemur inſtituti. Porrò ſicuti Deo fabricatori monadem, ita procreanti materiæ dyadem, & idealibus formis triadem conſequutione quadam aptamus. Animam uero rationis, inquit Martianus, iracundiæ cupiditatiſq; diſtribuere tricario. Quid porrò denumero dicam quaternario? Poteſtas eius ut ſit miranda, illud potiſſimum facit, quòd conſenſu tacito gentes ferè omnes præcipuum Dei nomen quatuor modò literis enuntiant, quæ res citra diuiniorem afflatum non uidetur potuiſſe cõtingere. Nam quem nos Deum nuncupamus: Aegyptij, Theut: Perſæ dicunt Syre: Magorum diſciplina, Orſi, unde profluxit Oromaſis. Iam apud Hebræorum gentem celebre eſt quatuor uocalium, Dei ſacrum nomen יהוה quod inde Tetragrammaton dicunt: & alia uoce exprimitur, quæ Adonai eſt, quæ apud eos tamen Adni ſcribitur: ſignificat autem, Dominum noſtrum. Græcis uero Θεὸς appellatur: Arabibus, Alla. IESV autem ſalutare Gentibus nomen, ab angelo accepimus. Porrò quaternarium Pythagorici numerum, omnem uocabant: quoniam numerus denaria perficitur multitudine. Denarius uero eſt quaternarij compoſitio: proinde totum numerum τετρακτὼν uocabant. Ex eo & iuriſiurandi religionem ſibi fecerant: unde illud, Ita per quaternitatem animæ noſtræ tradentem, perennis fontem naturæ. nam & quaternitate animam conſtare arbitrabantur: eſſe enim mentem, ſcientiam, opinionem, ſenſum. Omnia porrò quæ ſunt, quaternarius numerus coniunxiſſe ac colligaſſe uidetur, elementa, numeros, horas anni, ætatum compagines. Denique dici nil poteſt, quod à numero quaternario, tanquã à radice ac principio non dependeat. Cuius cognitio Pythagoreis ab ipſo tradita Pythagora eſt, per quem etiam iurabant, ueluti iurare per magiſtrum deceat, obſeruantiæ ac uenerationis ratione, qui quaternarium ipſis numerum tradidiſſet, quiq; non utique deus fuerit immortalis, non heros, ſed uir ſimilitudine dei præditus. Porrò τετρὰς, id eſt quaternarius, omnis ſacer eſt ac ſolidus: nam quæ conſiſtunt, omnia ex puncto producta primum ſunt: ſiquidem punctum fluens, lineam facit: linea, epiphaniam, id eſt ſuperficiem: ſuperficies, ſolidum. quare perfecta habetur tetras, & quæ colatur digna. Dicitur nanq; & harmonia, habet enim epitritum: quaternarius enim ad ternarium epitritus, ad binarium duplex, unde & diplaſius eſt. Habet & tetraplaſion eius ſymphoniæ, quæ uocatur διὰ διὰ πασῶν: quatuor enim unitatis ſunt tetraplaſia. Quaternarium illud nil forſan iuuerit, ſed appoſuiſſe, quod nam fuerit piaculum? Porticũ, inquit in Galieno Trebellius Pollio, flaminiam parauerat ducere tetraſtichen, uel (ut alij uolunt) pentaſtichen: ita ut primus ordo pilas haberet, ac ante ſe columnas cum ſtatuis: ſecundus, & tertius, & deinceps διὰ πασῶν columnas. Numerus denique hic quadratus Mercurio aſcribitur, quando inter omnes quadratus cenſetur deus. Quaternarios ſcrobes intelligimus, quoquo uerſus pedum quatuor: ternarios autem trium: quaternariam tabulam in uineis, quæ tabulatim diſponuntur, intelligimus, quæ quartam partem iugeri quadrata conficiet.

Quinarij numeri potentia. Cur ſenſus tantum quinque, & quæ præcellant ſenſibus. Pempazin quid. Pempobolum pentadactylus. Pentaſublon. Tri obolum. Ius quintæ relationis. Quinta, uectigal. Caput x

QVinarij uero potentiam ex ſcientiſſimis plericq; admirati, multa in ſe illum obſeruare prodiderunt, aut à quinarium habentibus prodijſſe, quales ſunt hominum manus. Immoq; nec iniuria diuinum cenſeri, ac meritò dijs artium, Mercurioq; in primis eſſe dicatum. Ex ueterum doctrina illud item eſt, numeri huius uim tanto haberi quaternario auguſtiorem, quanto animatum inanimato præcellentius credatur. Nos id certe obſeruauimus, ſolum hunc numerum omnia quæ ſunt, quæq; uidentur eſſe, complexum. Eſſe autem dicimus intelligibilia, uideri eſſe corporalia omnia, ſeu diuinũ corpus habeant, ſeu caducum. Hic ergo numerus ſimul omnia & ſupera deſignat & ſubiecta. Aut enim deus ſummus eſt, aut ex eo nata mens, in qua ſpecies rerum contineri, Platonicum dogma eſt. Aut mundi anima, abs qua reliquas animas, ceu ex fonte profluere tradunt. (Platonicè ſemper loquor, neque enim nunc Chriſtianæ ueritatis dogmata promimus, ſed ueterum placita conſectamur, quæ inſtituto noſtro ſcribendi ſuggerunt argumentum) aut cæleſtia ſunt uſq; ad nos, aut terrena natura eſt. Quinque porrò uiuentium traduntur genera, principem locum ſibi uendicante deo, ſequentibus mox dæmonibus, inde heroibus, quarto autem loco conſtitutis hominibus, ultimo brutis. Quin & animæ poteſtates ſunt qui eodem terminent numero: prima enim uis threptica eſt, ſiue uegetatrix: ſecunda, ſenſuum potens: tertia epithymetica, ſeu concupiſcibilis: ſequitur mox thymoides, id eſt iraſcibilis: inde logicon, id eſt rationalis facultas. Adde, quòd (ſicuti Aphrodiſeus Alexander docuit, ſi tamen ex illius officina liber is prodijt, quod non uidetur: quoniam eius philoſophi haudquaquam in pleriſque reſipit hæreſin) eorum numerus, quæ ſub ſenſum cadunt, quinarius eſt. Vnde factum quoq;, ut ſenſus item duntaxat quinq; ſint, quòd ad ſenſibilium naturam ſentiendi quoq; inſtrumenta ſint. Tactus ſiquidem aſpera experitur & leuia, necnon dura mollia q;, quæ ſolidorum qualitates ſunt: guſtus, dulce & amarum ac ſalſum, quæq; in humidis ſunt, id genus alia, & ſiccis: olfactus, quod bene & male olet, quæ in euaporationibus inueniũtur: auditus, ſonituum & fragorum eſt explorator, quæ in aeris colliſione uerſantur: uiſus, colores diſcernit, qui in tenuiſſimo & ætheris lucidiſſimo ſpiritu ſunt collocati. In qua quidem ratione ſenſuum illud obiter adnotabimus: In cane, uim odorandi eſſe præcipuam: in aquila, uiſum: in protogeuſte Indico animali, guſtum: in ſerpentibus & quibuſdam auibus, tactum: in apris, auditum, uel (ut Græcus præfert codex) in anſeribus. Quintas porrò eſſe fugiendas, Heſiodus præcipit: quod (inquiunt Græci interpretes) allegoricè ſignat, nuptias multas. Quinarius enim γάμος dicitur: ex binario nanq; pari conſurgit, & impari ternario. Dicitur & numerus hic δίκη, id eſt iuſtitia, quia denarium ex æquilibrio ſecet. Quinta porrò natas Erinnyas ferunt, quæ plus habendi deſideria caſtigant, ac iuſiurandum obſeruant, quod ex lite natum peierantibus nocumẽta comparat. Extabat olim in Melampodis commentario: Peierantes luna quinta totidem commori diebus: quod, inquit, quum obſeruarim quandoq;, uerum comperi. Pempazin, id eſt πεμπάζειν, eſt per pentadas, id eſt quiniones numerare: nam Aeoles, πέμπε dicunt pro πέντε. Vnde & pempobolum ueru, cui quinq; ſunt ad aſſandum ordines, quod & pentadactylum dixeris, & pentaſublon. Cumæorum autem qui Aeoles ſunt, inuentum id eſt: nam cæteris in uſu triobola fuere. Quanquam eſt trium obolorum nummus item triobolum. Nam in Parallelis Plutarchi legas tetrobolum pro triobolo, ab Lyſandro nauticis erogatum: etiã ſi ex fide minus id reddat interpres. Ad quinarij quoq; numeri poteſtatem forſan & id ſpectarit: Romanis imperatoribus initio principatus quintæ relationis contribui ſenatus decreto ius ſolitum, ceu honor foret is exquiſitus. Propterea in Pertinace Capitolinus, Quartæ relationis ius illi fuiſſe omen ſcribit: quoniam uti eruditis placet, in numero deminuto fuerit imperij breuis, ac Thebani planè præſagium. Nam & Probo imperatori, cui tertiæ ius relationis fuiſſe additum prodit Flauius Vopiſcus, id ipſum ferè uſu uenit. Ius autem quintæ relationis intelligunt, uti quinquies ſuper re iudicata

iudicata iam, referre ad ſenatum poſſent, præiudicijs nil officientibus. Quinta uero uectigal fuit, ubi ex quinq; unum ſoluebant: meminit de Nerone Tacitus.

De ſenario numero, & quæ numerorum partes dici iure poſſint. Numerorum rationem haud eſſe contemnendam. Cap. XI

SEnarij uero numeri uim id puto abunde declarauerit, quod Moſaica ſapientia, à nemine unquam laudata ſatis, eo numero mundi geneſin abſoluit. Sed & Pythagoras, ſenarium numerum geneſi nuptijs q; accommodari probat: unde & gamon appellauit: quoniam eius partes iuxta poſitæ ipſum gignãt, ſimilemq; reddant genitum genitori. Numerus porrò ſenarius, uti Auguſtinus ſcribit, primus completur ſuis partibus, id eſt ſexta ſui parte & tertia & dimidia, quæ ſunt unũ, duo, tria: quę in ſummam ducta ſex fiunt. Hinc Plutarchus gamon dici ſcribit, propter paris & imparis commixtionem. Partes autem in hac conſideratione numerorum illæ dicendæ ſunt, quæ quotæ ſint, dici poteſt: ſicut dimidia, tertia, quarta, & deinceps, ab aliquo numero denominatæ. Neque enim, exempli gratia, quia in nouenario numero quatuor aliqua pars eius eſt, ideo dici poteſt quota eius ſit. Vnum autem poteſt, nam nona eius eſt: & tria poſſunt, nam tertia eſt eius. Coniunctæ uero iſtæ duæ partes, nonæ ſcilicet & tertia, id eſt unum, tria, longe ſunt à tota eius ſumma, quod eſt nouem. Adnotanda porrò Auguſtini item grauiſſima ſententia: Numeri, inquit, ratio contemnenda non eſt, quæ in multis ſanctarum ſcripturarum locis, quanti æſtimanda ſit, elucet diligenter intuentibus: nec fruſtra in laudibus Dei dictum eſt, Omnia in mẽſura & numero & pondere diſpoſuiſti. De qua re affatim prius.

Multiplex ſeptenarij poteſtas. Cur ante diem ſeptimum infanti non imponeretur nomen. Amphidromia. Liberales cauſæ. Androcles annus, & climactericus. Andracos. Andricelos. De partu ſeptimeſtri, item octimeſtri, & de Saturno paucula. Cap. XII

SEquitur inde ſeptenarius numerus, quem maxima ingenia mirari nõ ceſſant: ſiquidem totus impar numerus primus ternarius eſt. Totus par quæ ternarius, ex quibus duobus conſurgit ſeptenarius, ideo pro uniuerſo ſæpe ponitur, ſicuti eſt, Septies cadet iuſtus, & reſurget: id eſt quotieſcunq; ceciderit, nõ peribit. Quod nõ de iniquitatibus, ſed de perturbationibus ad humilitatem perducentibus intelligi debet. Et, Septies in die laudabo te. quod alibi alio modo dictum eſt, Semper laus eius in ore meo. Et multa huiuſmodi in diuinis auctoribus reperiuntur, in quibus ſeptenarius pro cuiuſq; rei numeroſitate poni ſolet. Propterea eodem ſæpe ſanctus ſignatur ſpiritus. Hinc eſt illud propheticum, Auguſtino interprete, Eloquia domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum, repurgatum, ſeptuplum. Et in Euangelio Lucas ſcribit, de Magdalena ſeptem proſiluiſſe dæmonia. Quo fit, ut Homericum illud ad hunc fermè ſenſum interpreter, etiam ſi Strabo grauiſſimus auctor aliter & ſenſit & docuit,

τρὶς μάλ' ἀρθ μακαροὶ, καὶ τετράκις, οἳ τοτ' ὄλοντο.

Quod eſt ex Virgiliana tralatione,

O terq; quaterq; beati, qui tunc oppetiere.

Vt ſit quod Græce dicitur apud Thucydidem, & Aelius Dionyſius interpretatur; πανσυδὶ διέφθαρται: id eſt, omnino prorſumq; periit, ſiue πανπελῶς. Nam ſic dicitur πανσυδὶ, ut & ἑπτάκις, id eſt ſepties. Meminit quidem loci huius uir recondítiſſimæ ſcientiæ Macrobius: ſed συμβολικῶς adeo (ne tenebroſe dicam) uix ut auribus quantumuis mordací lotis aceto, ſatisfaciat. Septenario præterea ſummum rerum opificem deum, maiorem in modum delectari, hinc licet coniectare, quod ſeptem apoſuit cælo uagantes ſtellas, quas planetas dicũt: quoniam πλανᾶσι καὶ ἐκτροπιάζουσι, καὶ οὐδ' ἐποτε φυλάττουσι τὴν οἰκείαν τάξιν. Nam ἀπλανεῖς ſunt, ut duodecim zodiaci animalia, quæ ordinem norũt proprium. Nec uideas unquam cancrum ante leonẽ, nec hyemalia ſigna æſtate collucere: ut Heſiodicus interpres ſcribit. Sed & quem ſuas eſſe delicias uoluit, hominem ita moderatus eſt deus, ut & concipi hac ratione poſſet, & perfici & adoleſcere & confirmari: id quod copioſe approbat in Platonis Timæum

Chalcidius. Et demum huiuſmodi omnia ad hunc ipſum redegit numerum ſeptenarium. Quin ueteribus etiam numeri huius obſeruatio magna, ut autor Ariſtoteles eſt: ſiquidem nato infanti ante diem à natiuitate ſeptimum, nomen non imponebant: ueluti prius non uideretur omnino uitalis. Apud alios inuenio tamẽ, decima id Athenis die ſolitum factitari, quando congregatis tum cõſanguineis, tum amicis, peracta re diuina, ſplendidum parabatur conuiuium, quod uocabant ἀμφιδρόμια ἑστιάσεις. Nam quinto à nato infante die, Amphidromia agebatur, qua manus expurgabant, quæ obſtetricis munere fuerant perfunctæ, curſuq; ad focum ferebatur puer, mittebanturq; à propinquis polypodes ac ſepiæ, munerum loco. At Iulius Capitolinus in Antonino philoſopho: Inter hæc, inquit, liberales cauſas ita muniuit, ut primus iuberet apud præfectos ærarij Saturni unumquenq; ciuium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine impoſito. Per prouincias tabulariorũ publicorũ uſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud ærarij præfectos: ut ſi fortè aliquis in prouincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret, atque hanc totam legem de aſſertionibus firmauit. Apud nos item Pompeius Feſtus: Luſtrici, inquit, dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus: quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur. Liberales cauſas intelligunt Iureconſulti, quum aleam ſubit libertas. Sed illud amplius quod ad homines pertinet naſcendos: Semen quod poſt iactum intra horas ſeptem non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in uitam pronunciatur. Quin & ſemen idem intra formandi hominis monetam locatum folliculo obambit genitiuo artifex natura ſeptimo die quoq;. Quod Hippocratis perceptum experientia eſt, à quo edocta mulier eo à cõceptu ſpatio, ſaltu folliculum id genus excuſſit. Sed & per dierum hebdomadas incrementi infantilis, adoleſcendiq; corporis rationem concipiunt rerum naturæ periti. Septeni porrò anni & noueni, quos hebdomaticos uocant & enneaticos, grauia ſemper hominibus indicunt pericula: uerum grauiora multo annus tertius & ſexageſimus: qui numeri utriuſq; multiplicatam, ac inuicem obligatam ſibi ſummam perficit. Quo ſane argumento Andracles nuncupatur, quod uitæ ſubſtantiam omnem frangat & comminuat. Sicut andraclon herbam, quia hominem occidat, dici putant: quæ an eadem ſit cum mandragora, quam anthromorphon uocant, ambigunt eruditi. Nam andricelon ſcribere oportebat uerius: etiam ſi coloris eſt genus andricelon Ariſtoteli ac Polluci, purpuriſſi nomine Latinis celebratũ. Quærit Alexander, unde fiat, quod ἑπταμηνιαῖοι, id eſt ſeptimeſtres infantes, ſint ζῶσιμοι, id eſt uitales: ὀκταμηνιαῖοι, ſiue octimeſtres, minime. Nam & inde, ut ex Græcis item aliis didicimus, ſeptenarius numerus uocatur ζωογόνος, quod eo ſpatio prodeant è bulga matris uicturi infantes, magis quàm inſequenti menſe. Subdit uero Alexander, ſeptenarij perfectione ita euenire, ut Pythagoræ probatur teſtimonio, & conſentiunt arithmetici, nec inficiantur muſici. Eſſe uero octonarium imperfectum, & inde cenſeri uitę ominoſum inhabilemq;. Aedi porrò ſeptimeſtres ob ualidiſſimam in uulua informatricem, quam is δύναμιν διαπλαστικὴν Græce dicit, quę utilem ac moderatũ ſanguinem comperiens, fœtum celerius explicat in uitam. Sciendum tamen, natum quandoq; infantem octauo anno, cõceptionis mẽſe, nocte ſub Saturno ſtationario, ſtatione prima in Sagittario aſcendente, ſemianimem quidem, adhibitis tamen remedijs opportunis refotum coalitumq; in multos annos prorogaſſe uiuendi ſpatia. Vt ſciamus rationem illam à Saturno ductam ab aſtrorum peritis, uti alibi cõmeminimus, non perinde cenſeri efficacem perpetuamq;. Nam & aſtrologorum plerique in Indico tractu, Saturno ſubiectum quem faciunt, eſſe fatentur uitas uel longiſſimas. Vticq; Peripatetici, ac medicinam profeſſi, aliunde quàm à Saturno octimeſtris partus rationes petunt. Ariſtotelicum certe illud eſt ex quarto De animaliũ generatione, Qui octauo menſe naſcuntur, & ſi minus, tamen poſſunt uiuere. Septimo præterea menſe infantes dentire, compertum eſt: anno ſeptimo immutare: pubeſcere annorum hebdomade ſecunda: in uiritatem tertia exire, quæ & ipſa incremẽto in longitudinem coronida impingat: ſicuti quarta etiam in latum: in quinta roboris ſumma fit auctio: quod ſeruet ſexta: ſeptima deterat, quamuis per momenta. Proinde ab hac annorum ſerie, à militiæ laboribus eſſe

esse feriatis licet. Postremo esse numerũ hunc Apollini sacrum, Plutarcho credimus.

De octonario. Vbi octimestris partus uitalis. Exterricinei qui sint. Epitoca. Epitheca. Restituuntur dictiones in Digestis duæ insigniter labefactatæ. Epithetos epistola quæ. Gellius illustrat. Parcarũ nomina. De Ilithyia. & Telepho. Octonario signari iustitiam. Cap. XIII

OCtonarij uim & quidem uitæ auspicijs uel inauspicatissimam iam attigimus. Sciendum tamen, fœtus eiusmodi in Aegypto non ferè intermori. Tralatitium quippe in ea prouincia & octauo gigni. Asclepiades item auctor est, Naxias mulieres ὀκτόμωα, id est octimestria edere puerperia, uel Iunonis munere, id illis gratificãtis ob Dionysii beneuolentiam: uel quia Bacchus ipse sic creditur natus, quo nomine Naxũ nuncupari Dionysiam, quam uis de uinearũ fertilitate appellari ita magis Plinio placeat: nam & in ea fons uino fluere traditur, quod sit prædulce. Apud nos uero si peperit prægnãs octauo mense, & intermoriatur fœtus, matrem quoq; subinde morituram certissimo, ut putant, præsagio uaticinantur. Quin si concubuerit mense octauo parens, fiet infans oppletus lentoris mucosi & cute fœda. Cæsoniã octauo mẽse genitã, quę fuit uxor Caij principis, prodit historia. Hic illud obiter adnotauero: Exterricineos nominari Festo ante tempus natos, tanquam eos mater exterrita aluo eiecerit. Græci ἡλιτομήνους uocant, ueluti fallentes in mense. Sicut epitoca eleganter, quibus iam pariendi instat tempus. Epitheca uero, id est ὥσθηκη, Græcorum scientissimis dicitur dos: unde prædiorum epithecæ apud uriſprudẽtes: quas Papinianus impositiones interpretatur: sed inibi, hoc Digestorum trigesimotertio, pro epithecis uitiose legitur eotici: sed & libro trigesimosecundo: Prædijs (inquit Vlpianus) cum his euthicis quę in ea possessione sunt, relictis. scribendum epithecis. Epithetos uero epistola dicitur data cuipiam, ut tabellario: nam scitum est apud Atticos, ἐπέθηκε τινὶ ὥσγραλλω, id est dedi alicui literas. Quia porrò partus octimestris non ferè uitalis est, putat Cæcilius Minutianus Apuleius: Parcis tribus facta nomina hæc, Mortuã, Nonam, Decimã. Quod si est, Gellius illustratur egregie, simul & falli eos dilucet, qui pro Morta uel Mortua Mœram substituunt. Ilithyiam sunt qui δῶ λιτον dicant, ueluti eadem sit cũ Parcis, auctore Pausania. Hasce uero dixit Lycophron maris puellas, ob feram uim & agrestem immutabilemq;, id est ἀμεταλλακτοπόρους. Noctis filias putat Hesiodus, propter occultiorem fatorum uim, διὰ τὸ ἀοριστως ἐπορχεῖσθαι τῷ εἱμαρμένῳ. Fuit & Romæ locus, quem Parcas tres dixerunt Romani, prope quem fuerat lani templum, aut sacellum uerius, ære constructum ac mensu quadrato, magnitudine qua contegi posset statua, amplitudinis pedum quinq;. Dignum relatu quod Maximus scribit Tyrius, Vniuersa eiusmodi nomina mortales ad honestandam improbitatem suam confinxisse uideri, in dæmones, Parcas, Erinnyn flagitiorum causas cõferendo, quum animis insint nostris hæc omnino, aliaq; fatalis causarũ ordinis proposita nomina. At Ilithyiam Tegeatæ, cuius & templum in foro habent, & simulachrum, ex historia dicunt ἐγγόνασιν. Nam quum Nauplio filiam tradidisset Haleus, mandans in mare præcipitem mitti. Illa dum in perniciem duceretur, in genua procubuit, atq; ita puerum enixa memoratur, ubi postea Ilithyiæ delubrum est excitatum. At produnt alij, patre inscio, Augen peperisse, ac in monte Parthenio infantem Telephum esse expositum, cui lac præbuerit cerua. Cæterum illa tamen octonarij laus uel præcipua, quod eo apud Pythagoricos iustitia significatur. Quum enim iustitia sit æqualis pro cuiusq; meritis distributio, ciuitatisq; solidum fundamentum, iuste per octonariũ describitur numerum, qui & solidorum primus est, primusq; omnium in numeros ita soluitur pariter pares, hoc est in bis quaternos, ut nihilominus in numeros æque pariter pares diuisio quoq; ipsa soluatur, id est bis binos. Rursusq; qua æqualitate resoluitur, eadem quoq; contexitur: nam bis bini bis, octonarium constituunt. Hinc Orphei institutũ amplius propagatum per numina octo iurantis, sicubi diuinam obtestari iustitiã uellet. Eorum uero nomenclatura hæc, ignis, aqua, terra, cælum, luna, sol, phanes, & nox.

Denarij

Denarij numeri poteſtas. Thracum in numerãdo mos. Dextræ porrigendæ ratio. Vnde dicatur decas: & quid ita eo nomine dicatur mũdus. Cur in ſupplicijs denario numero utatur Plato. Virgilius explicatur. Decatones, decateutę, decatelogi, icoſtologi, decaduchi, decaproti, pentaprotia, decennia, decennalia, encænia, protoſpatharij. Cap. XIIII

DEnarij uero numeri (ſeu decuſſim, ex Vitruuij imitatione malis dicere) excellentiam multa equidem declarant. Illud utiq; mirum, quod eſt ab Ariſtotele proditum, quum alibi, tum Auſcultationis phyſicæ tertio: Omnes homines tam Barbaros quàm Græcos priſcam ſeruaſſe conſuetudinem perpetuò ad decem uſq; numerandi. Neq; enim cenſeri fortuitum debet, uerum ex naturæ fontibus propagatum, quod ſemper fiat, atq; item ubiq;. Id uero numeri huius abſolutam indicat qualitatem. Continet quippe hic numerandi genera uniuerſa, uti par, impar, quadratum, quadrantale, ſiue cubum, longum, planum, primum compoſitum. Denarius porrò fons eſt ac principium: quippe qui ex uno, duobus, tribus & quatuor conſtet: quo argumento, ut ſcribit Chalcidius, decumanum numerum Pythagorici quadraturam uocabant primam. In ſenarij autem ratione apud eundem ſecunda explicatur quadratura, quin etiam tertia. Nec illud reijciendum, dediſſe nobis in manuum digitis eum numerum ipſam rerum naturam. Vna tamen gens Thracum narratur ad quatuor modo numerandi ſeriem terminare. Quoniam amplius ritu puerorum nequeat meminiſſe, nec ferè uſum habeat rerum multarum. Denarium porrò decada Græci uocant, quaſi dechada, quod omnem in ſe numerum recipiat. At enim Pythagorei decada etiam mundum uocabant, quod eo numero ſit compactus: conſtat enim ſphæra quæ dicitur aplanes & planetis ſeptem, elementari natura. Poſtremo Antichthone, quo tamen nomine (quod mirum eſt) intelligebant illi lunarẽ ſphæram, quia ut terra lunam umbra hebetat, ita ſolem luna nobis adimit plerunq;. Adijce illud item, ex numeri huius religione quadam & obſeruantia, moris fuiſſe ueteribus, ut iuſtiſſimi quiq; fidei comparandæ gratia dextras iungerent, quia ſic denarium præmitterent numerum. Nec illud negligendum, Platonem ad delendam culpam numero uti denario, centenario, millenario: cuilibet ſiquidem uoluptatis gradui ſuppliciorum decem contribuit. Ita enim oblæſæ maieſtati diuinę repẽdi, omnino par fuit. Adde quòd ſicut beatitudinis gaudia iuſtitiæ humanæ dolores exſuperant: ſic miſeriæ cruciatus iniuſtitiæ uoluptates. Denarij porrò rationem continere & centenarius uidetur, ſed & millenarius. Nam & hi uniuerſi cenſentur, quoniam ex denario uniuerſo conſurgunt. Proinde numeri, quos uniuerſos dicimus, purgationi & emaculandis dicãtur animis, ut labes ex peccato inuſta, concretaq; prorſum eluenda ſignificetur, ut candidiſſima æternitatis luce perfrui ualeamus: quę depuratum modo exterſumq; nitidius admittat æthereum ſenſum, atq; aurai ſimplicis ignem. Propterea reconditioris ſcientiæ poeta nobilis Platonicorum myſterijs ampliter imbutus ita pronunciat,

Centum errant annos, uolitantq; hæc littora circum.

Et alibi ad eundem ſenſum,

Mille rotam uoluere per annos.

Adnotatum quoq; à theologis noſtris, decem uirginum appellatione in pagina Euangelica uniuerſitatem ſignari contemplantiũ: quia ſit numerus hic digitus primus ac numerorum limes. Decuſſes, lineas quoq; intelligunt eruditi tranſuerſim ductas ad acutos angulos & obtuſos imagine quadam literæ X, quæ quoniam denarij nota numeri eſt, inde conciliatum uocabulo nomẽ. At Columella ſcribit, rapa decuſſatim ferramento lunato incidenda, ut conſueuerunt ſalgamarij: ſic tamen, ne uſq; ad imum præcidantur, poſtea inter inciſuras ſalem aſpergendum. Adijciendum uero illud operæ le-uioris, decatones dici, & decateutas, qui decimas exigunt. Vnde apud Abydenos decateuterium legitur, quod nauli habebatur genus. Decatelogi ſunt, qui decatones, δεκάλογοι uidentur, qui uiceſimas colligunt. Qui ſanè inter probroſos recenſentur, quos ἐπονειδίσους nuncupant Græce periti. Decaduchi leguntur ſæpe in Græca hiſtoria, & apud Lyſiam: quippe decem uiri exactis triginta tyrannis rempublicam Athenis administrarunt

miniſtrarunt:eorum unuſquiſq; dicebatur decaduchus:meminit Iſocrates ad Callimachum.Decaprotas Græci & iureconſulti decemprimos nuncupãt,id eſt δεκαπρώτας, Dignitatis nomen eſt,ſicuti πρωτοπροωτία. At protoſpatharius nomen fuit dignitatis primæ apud Græcum imperatorem,quando Venetos duces interdum allectos protoſpatharios,adnotatum hiſtoricis eſt.Decaprotas,ſunt qui interpretentur decumis exigendis præfectos,aut qui exactoribus decem præſiderent.Apud Ciceronem pro Sexto Roſcio Amerino ſic adnotauimus:Decurionum decretum ſtatim fit, ut decem primi proficiſcantur ad Syllam:& mox legatos eoſdem uocat. In hac porrò mentione admonendus quod ſcribit Pollio Trebellius, Byzantium Galieno imperante à militibus ita deuaſtatũ, ut prorſus nemo ſupereſſet,uetuſtis etiam familijs funditus euerſis.Id quum egregie ultus foret Galienus,militibus ferè omnibus contrucidatis,Romã conuolans Decennia celebrauit,nouo ludorum genere,noua pomparum ſpecie, uelut magnum quippiam geſſiſſet. Cæterum amplius æſtimandum,an Encænia,purior ſit lectio:quippe Suda interprete ſic dicebatur celebritas,quum noui quippiam foret geſtum. Nam encænides nauigij pars erat.Cęterum idem Pollio decennalia in Salonino appellauit, ut poſſint uideri ſacra decimo imperij anno celebrata.Sicuti uicennalia dicũtur,& tricennalia,de quibus in ſepulchrorum ritu plura.

Ex numeris qui dicantur lineares, plani,ſolidi.Numerus quid.Qui numerus dicatur potentia,& qui actu.Digitus in numero quid.Item articulus. Supernumerarij.Super numerum.Numerarij.Numero dicere.Numerorum & computationis inuentor. Caput XV

DIrrò in Pythagoreorum myſterijs & Platonicorum quoq;, triplices inuenio numeros,lineares,ſuperficiales ſiue planos,ſolidos.et eſſe lineares quidem,quos ſola metitur unitas, quaſi punctum : ut binarius, ternarius, quinarius. Solus enim attenditur proceſſus, nulla habita ratione deductionis numeri ad numerum, ad linearum modum, unam habentium dimenſionem tantum,id eſt longitudinem citra latitudinem : hoc uero fit, cum dicimus unum,duo,tria. Planos autem intelligimus, qui ex numeris quaſi lateribus multiplicantur,ut adnotatũ eſt Geometriæ octauo:uelut ſenarius,ex bis tribus fit, uel ter duobus.Ex planorum autem numero eos quadrangulos & æquilateres appellamus, qui ex numeri alicuius ductu in ſeipſum conficiuntur : ſicuti quaternarius,ex bis duobus. Inæquilateres autem,qui ex ductu numeri minoris in maiorem,cuiuſmodi ſenarius fit ex duorum in tria deductione.Dicimus & oblongos,qui ex ductu numeri admodum minoris in numerum longe maiorem conficiuntur,ut eſt denarius ex deductione duorum reſultãs in quinq;.Solidi uero ſunt,qui ex reductione atq; deductione numeri alicuius in ſeipſum efficiũtur, inſtar molis ſolidæ in trinam quaſi producti dimenſionẽ, ut bis duo,bis octo,ter tria ter,uigintiſeptẽ:quater quatuor quater,ſexagintaquatuor. Numerus autem,quoniam de hoc iam diu diſſerimus,ſicuti decimo Metaphyſices traditur,una dicitur menſurata multitudo.Septimo autem Geometriæ finitur,multitudo ex unitatibus aggregata. Numerorum uero alius eſt potentia,ut unitas : eſt enim omnis numerus potentia,ſicuti aptiſſime colligit Boethus. Alius uero actu,ut cæteri. Adhuc numerorum alius dicitur digitus,alius articulus, alius compoſitus ſiue cõmixtus. Digitum appellant numerum omnem denario contentũ. Articulus eſt numerus omnis, quem poſſis in denas partiri partes æquales,nullo redundante,ut decem, uiginti, triginta. Compoſitus numerus ex digito & articulo conſtat,ut quatuordecim, quindecim.Quadratum numerum octauo Geometriæ intelligit Euclides, qui quatuor æqualibus continetur lateribus,ut quatuor,octo,ſexdecim.In hac tam uaria numerorũ mentione ſciendũ,Supernumerarios dici Vegetio in militia, qui poſtea ſunt additi, quàm fuiſſet legio completa.Dicuntur & ſuper numerum,quod imaginariæ item militiæ genus eſt, quo abſentes ac titulo tenus funguntur. Numerarios legimus apud Ammianum Marcellinum:Numerarij,inquit,apparitionis magiſtri equitum.Numero dicere apud eruditos,eſt prompte ac facile conceptus animi proferre : ſicut ingenium in numerato,uocatur expeditum paratumq;.Aliquo numero habere Varroni eſt quadamtenus

tenus aliquem magnificare. Illud denicq; non habendum insuper: ad Aegypti Naucratin, uti in Phædro scribit Plato, deum fuisse quendam, cui dicatam ferunt auem ibin, quicq; sit Theut, ac item Theutates, seu Mercurius, quod plerisque arrisit: hic omnium princeps & numerum & computationem excogitauit, sed geometriam quoq; ac astronomiam: talorum rursus, aleæcq; lusum, & literas: qua tempestate Aegypti rex fuerit Thamus, quem dicunt Ammonem.

De mediis duobus arithmetico & geometrico. Plutarchi illustratur obscuritas. Cap. XVI

HAec habui de numeris quæ ex diuerso congesta nostris insererem libellis. Illud hinc non ita censebitur abiunctũ, quod peripatetica ingressi pomœria præcerpsimus. Igitur Aristoteles secundo Moralium summa, ut consueuit, subtilitate, ac edocenter tamen, morales astruens uirtutes esse mediocritates quasdam, Mediocritates, inquam, non rei, sed respectu nostri, medium esse duplex significat, rei scilicet, atq; rationis, hoc est medium arithmeticum, & medium geometricum. Taceo nunc de medio musico. Medium uero ex parte rei, est id quod adamussim æquiparatum, & in librili perpensum æque distat ab utroq; extremo, estq; idem apud omnes, & hoc medium dicitur secundum rationem uel proportionem arithmeticam: sicuti senarium numerum consistere in medio dicimus inter duo & decem, quia sicut sex excedunt duo in quatuor, sic à denario in quatuor item deficiunt. Medium uero rationis, & respectu nostri non ita se habet, nec est idem apud omnes. Et consistit in proportione geometrica hoc pacto: sicut se habent sex ad quatuor, ita ad nouem. Non est autem medium inter quatuor & nouem, ut æqualiter excedat quatuor, & excedatur à nouem. Sed habet æqualitatem secundum geometricam proportionem, & rationis similitudinem: quia sicut sex continet totum quatuor cum dimidio, sic cõtinetur à nouem, quę dicitur proportio sesquialtera. Eius exemplum est apud philosophum eiusmodi. Si uesci duobus panibus est parum omnibus, decem uero nimium: medium non erit conueniẽs cuicq;, sex panes comedisse, quod foret rei medium: sed medium sumetur id quod erit cuicq; conueniens, ut eius requirit temperatura. Hoc uero est respectu nostri medium, ita ut non res, sed nos simus termini mediꝰ ipsius. Idem & geometricum dicitur. Hinc uero lux infertur plurima Plutarcho Symposiacon secundo: ubi conuiuiꝰ improbare dominum uidetur, qui in epularum ratione arithmeticam spectet mediocritatem, nõ geometricam. In conuiuiũ pergit unusquisq; (inquit) proprium afferens uentrem, quem non explet æquale, sed quod satis est. Tollitur & nubilum ex libro πρὸς φιλαδελφίας, Solon in politiæ rationibus (inquit) edocens, ex æqualitate seditiones non produci, turbulenter admodum est uisus arithmeticam democraticamq; inducere analogiã, quum geometricam debuisset potius. Comprobantur item ipsa hæc à Proclo, ut interim & Platonicos respectemus: Est, inquit, iustitia causa pulchritudinis, & pulchra. Est autem duplex iustum: unum quidem in contractibus, quod arithmeticam conseruat æqualitatem: alterũ uero in distribuendo uersatur, in geometrica consistens æqualitate. ut quemadmodum differunt inter se personæ, itidem differant inter se distributa personis.

Cauillum super litera μ, qua Dionysio concionis habendæ facta potestas est. Quid morologia. Quo sensu dicatur, sortitus es τὸ μ, præter Græcorũ interpretamenta. De Dionysio seniore pluscula. Item de iuniore pauca. Dionysocolaces qui, & Alexandrocolaces. Prosagogidæ. Prosagogion. Grammation à Græcis dici sortem. Caput XVII

SYracusis uetustum inoleuisse morem legimus, ut prodituri in cõcionem literarum notis designarẽtur. Illæ uero ducebantur sorte, ac ubi quis literam suam foret indeptus, alloquendi populum potestas ei fiebat. Ritu ergo necdum exolescente, quum Dionysius etiamnũ priuatum ageret, sortitus est concionis habendæ ius per literam μ. Quo nomine quispiam de ſpicatui (opinor) illum habens, ac nihili hominem arbitratus, nulliusue aut ingenij aut facundiæ, mox intulit, μωρολογεῖς Διονύσιε; Id si interrogandi nota legis, acutior fiet intellectus

tellectus,eo ſenſu,Et tu garriẽdi poteſtatem ſortitus es? Eſt enim profectò morologia, fatua loquacitas & inſulſa. Nam mori,dicuntur ſtolidi ac fatui,hianti ore, qui & mammachuti nuncupentur:unde & morari, prima producta, legimus apud Tranquillum pro inſanire. Nec me fallit,ueterem grammaticum accepiſſe pro inepto, μωρόν. Donatus ſuper eum Terentij locum in Eunucho, Pannis anniſq; obſitum. Morologiæ, inquit,paraſitorum ſunt. Reſpondit Dionyſius eludens ſcomma,ſimulq; ad ſortitionis literam alludens, μοναρχήσομεν οὖν εἶπε: monarchico igitur, inquit, potiemur principatu,ueluti elementum id,non morologiæ (ut ille cauillabatur) uel concionis faceret poteſtatem,ſed planè monarchici imperij futuri mox præſagium foret. Sicuti etiam obuenit. Nam haud ita longa intercapedine,habita cõcione, prætor à Syracuſanis eſt deſignatus: qui fuit ad tyrannidem gradus peracommodus. Sunt ex Græcis, qui ἔλαχες τὸ μ, id eſt ſortitus es literam M, eſſe in ſtultos adagionem arbitrentur. Ego ex hiſtoria quam prætexui, malim de ijs dici, qui interim contemptibiles neſcio qui, & ex multis eſſe creduntur:mox tamen tum uafricia ingenita, tum uirtute,nominis ſibi pariunt claritatem. Siquidem Dionyſium hunc, qui ſenior fuit, non inſulſum quendam fuiſſe,aut mentis & prudentiæ inopem,multa ſunt utiq; argumento. Illud uerò animũ minimè ſegnem,ſed erectum & multorum capacem,facilè indicarit. Nam adeptus iam tyrannidem,coortis in eum Syracuſanis,quum arctius obſidione premeretur, ampliusq; inſtarent amici,faceſſeret ſuadentes abdicatus imperio, ne haud ita multo pòſt factus hoſtium poteſtatis contrucidaretur uſq; ad eorum ludibria. Fortè ita euenit, ut interim iugularetur à coco bos,quem momento prolapſum intuens in mortem Dionyſius,ad amicos conuerſus inquit,Nónne deforme eſt, mortem adeo celerem, & (ut ſic dicam) tranſuolantem,expaueſcentes,tantum talemq; relinquere principatum? Illud in eo uiro præclarum ſine dubio:pulſis Sicilia Carthaginienſibus(neq; enim cum quolibet hoſte res fuit) occupatoq; totius inſulæ imperio,quum graue otium regno ſuo,periculoſamq; deſidiam opinaretur tanti exercitus,ne remollirentur animi, ſed laborum aſſiduitate augeſceret mentis uigor,Italiæ principatum affectare cœpit: protinusq; tra iectis copijs,in Græcos qui oram incolerent,graſſari adortus eſt: illisq; mira felicitate iugum ſubactis ferrè,ulteriora ſemper appetere pergebat. Breuiq; profeciſſet multum, ni irruentibus in inſulam Carthaginienſibus, reuocatus, inſidijs denique ſuorum impetitus occubuiſſet. Memorabile eſt quod prodidere annales: eo bello Carthaginienſes, quum ſe literarum Græcarum commercio proditos ſenſiſſent, ac quicquid fuiſſet ab ipſis decretum,Dionyſio ſignificatum,ſenatuſconſulto cauiſſe,ne quis poſtea Carthaginienſis aut literis Græcis aut ſermoni inſueſceret ſtuderet ue. Scribit Politicorum quinto Ariſtoteles,Dionyſium hunc inſectando Daphnæum, & alios ciuitatis præpotentes,ac principes uiros,dignum eſſe habitum,cui crederetur tyrannis, coniectãtibus omnibus,ſuſceptas cum illiuſmodi uiris inimicitias eſſe popularitatis indicium. Philoſophiam (ut inquit Plethon Gemiſtus) aſpernabatur, poeticen amabat quoq;. Carmina item componebat,mala quidẽ,ſed quæ uideri bona percuperet: ſic enim illi ab adulatoribus perſuadebatur. Quo nomine, ſi auſus foret quis inſcitiæ labem inurere, indignè adeo ferebat, ut Philoxenum Dithyrambopœum hoc argumẽto in latomias coniecerit. Ad hunc peruenit Plato quoq;,quum per adiacentia Italiæ loca peregrinationem obiret ὧν ἱστορίᾳ τῶν τε πόλεων, καὶ πολιτειῶν τῶν ἐκεῖ, id eſt ob hiſtoriam ſeu contemplationem inſpectionemq; ciuitatum ac rerum publicarum, quæ inibi comperirentur. Circumferũtur in Græcorum literis Dionyſii huius dicta aliquot præclara, & memoria (uti arbitror) digniſſima: Audierat à filio, cui principatum deſtinabat, ingenui uiri uxorem adulteratam: ob quod iratior illi factus,inſtitit quærere,nunquid à ſe id genus quippiam perpetratum ſciret? Tu (inquit is) patre tyranno non es prognatus, ego memini me tyranni filium. Nec tu (inquit pater) principes liberos relicturus uideris,ni flagitia eiuſmodi deſieris. Rurſum ingreſſus ad eundem Dionyſius, ubi eſt cõſpicatus uim magnam aurei & argentei operis, intonuit altius, οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ τύραννος, non aſpiras ad tyrãnidem: nec omnino eiuſmodi in te quippiam ineſt:quãdo ex tot & tam pretioſis quæ à me ſuggeruntur poculis, neminem prorſus inde tibi amicum conſpi-

cor. Erat ei affecta iam ætate mater, quæ quum intempestiuius nouas appeteret nuptias. Vis, inquit, legibus afferri potest, naturæ non potest. Illud porrò non imprudentis animi indicium, quòd quum sceleris conuictos grauius plecteret, eos qui uestes suffurarentur, quos uocant lopodytas, permittebat illæsos: non quidem ut impunitate crescerent audacia, & aleretur augescerétq; flagitium, sed ut ea ratione Syracusanos à comessationibus & ebrietatibus, quibus nimio plus distinebātur, abduceret. Illud uerò uafri & planè tyrannici: quum à duobus se adolescentibus conuitijs prosciſſum inaudisset, utrunq; uocari ad cœnam iussit, eorum alterum intuitus multa per uinolentiam leuiter deblaterantem, alterum sub quibusdam quasi magistris se castis poculis exhilarantem: illum quidem, ut qui nil esset formidolosus, sed uino dicacior fieret, dimisit: hunc uerò iussit interimi, ut qui cogitato & præmeditate & consilio certo hostilia diceret, & si offerretur occasio, etiam facturus uideretur. Dionysium uerò iuniorem usq; ad oculorum insigne uitium mancipatum uino, Theopompus scribit. Quin diebus quandoque nonaginta nusquam interpellatam ebrietatem, in Syracusanorum politia tradit Aristoteles. Ab hoc nuncupati Dionysocolaces, qui subblandiendi causa nil se eorū quæ apponerentur, uidere ita ementiebantur, ut ab ipso Dionysio ductari manu gestirent. Cæterum & id genus homines Alexandrocolaces mox nuncupati, à Magno (ut ferè creditur) Alexandro appellatione propagata. Prosagogidæ uerò dicebantur impij quidam homines, quorum opera emissitia captabat Dionysius, quid quisque de tyranno uel sentiret uel loqueretur. At prosagogium tectonicum habetur organum materiæ dirigendæ concinnum, si fuerit flexuosa. Quoniam uerò de sortibus actum nobis est, illud obiter studiosos commonuero, ab Plutarcho in Fabio Maximo γραμματεῖον dici, quam Sortē Latina nūcupauit historia: Prope Phalerios (inquit) cælo delapsum γραμματεῖον est, in quo perscriptum animaduerterunt, ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα καλλύνει: Mars sua tela quatit.

Cuiusmodi foret mos sortiendi per literas Athenis: ítē inter athletas. Qui dicatur ephedrus, aphedrus, & ephormus. Ephemerum. Cap XVIII

QVoniam uerò præcedentis capitis initio sortitionis per literas facta nobis mentio est, nec ambigimus, rem multis fore obscuriorem, quā ut facilè illius assequantur intellectum: iam hinc, ut qui satisfactum omnibus uelimus, attexere pergemus exemplum, unde nubilum superioris sententiæ discutiatur. Ex eo enim coniectatio erit facillima, cuius nam modi Syracusanorum fuerit institutum. Athenis ergo plura fuisse dicasteria, hoc est stationes iusdicentium, comperimus: in alijs expendebantur, quæ φονικὰ Græci uocant, ubi ageretur de uita: in alijs, ciuiles tractabantur lites, hoc est πρὸς δημοσίων. Vnicuiq; stationi de elemētorum serie appellatio indebatur: erat enim quæ diceretur alpha, & quæ beta, item gamma, & deinceps usq; ad literam κ, quippe decem fuere stationes. Ianuæ porrò uniuscuiusq; coloris rubri superpictum erat elementum, ex quo nomen loco foret. Quotquot erant Athenis, qui iudicialibus fungerentur munijs, pro stationum ratione pugillares habebant singuli, in quibus exaratum seruabatur tum ipsorum tum stationis nomen: habebant & uirgulam inscriptam pariter. Vbi igitur iudicandi appeteret tempus, in forum commeabant omnes iudices, coniectisq; in uas sortibus, qui sortitus mox foret, eam quæ præferret alpha, in stationem pergebat eius litteræ cognomen: atq; deinceps serie eadem. Quòd si quis ad iudicādum nulla sortitionis habita cura, perrexisset, grauis irrogabatur mulcta. Quum uerò forent Athenis decem omnino tribus, ex omnibus seligi iudices, mos irroborarat. Ex unaquaq; ergo quinq; secernebantur, illustrissimus quisque: ex quibus unus modò iudicaret, quem sors selegisset. Celebratur & à Luciano consimilis ferè inter athletas pancratiastasq; sortitio: In argenteam (inquit) calpin, id est urnam conijciebantur minutulę sortes, faba nō amplio res. Eo semper ordine seruato, ut binis eadem inscriberetur elementi nota: pro athletarum numero sortibus item auctioribus. Quum impēderet certandi tempus, prodibant ex athletis singuli sortem educturi, nec inspectandi productam ius erat, quādo id prohiberet assistens mastigophorus. Peracto autē orbe, ambiens Alytarches inspectabat sortes

ſortes,atq; ita diſpenſabat,ut qui alpha eſſet ſortitus, cum eo cõponeretur qui eandem eduxiſſet literam:atq; ita deinceps homogrãmi certaturi prodibant. Fieri uerò ſic moris erat,ſi certaturi pares fuiſſent.Quòd ſi quinq; aut ſeptẽ,coniiciebatur in urnam ſolitaria litera,quæ antigraphon ſiue antigramma non haberet.Qui uerò eam eduxiſſet,reſidebat expectans quandiu certarent alij, congreſſurus mox cum fatigatis uigens ipſe atq; integer uiribus.Quod ſanè uel feliciſſimum cenſebatur. Dicebatur uerò hic ephedrus,id eſt ἔφεδρος, quæ uox apud Sophoclem in Aiace maſtigophoro, indicat nouiſſimum.Scribit Plutarchus,Craſſum fuiſſe Cæſaris & Pompeij ephedrum, ut qui in utriuſq; meditullio ſederet cuſtos,ne bello inter ſe concurrerent. Aphedrum pro puerperio accipiunt quandoq; Græci.Ephormus autem Thucydidi uocatur nauticus aſſultus.At ephemerum,id eſt ἐφήμερον, accipit pro cicuta uel ueneno Dioſcorides:ſed & unguẽti genus dicitur eodem nomine:quin animal quoq; uno tantum uiuens die.Porrò quia ſortitò iudicia fierent, hinc qui purè Atticeq; loquuntur, λαγχάνω δίκλω τοῦ λείνι uſurpant,id eſt iudicium in quempiam ſortior,non autem ὑπόφερω.

Potentiam ui quadam inſita ſapientiam cooptare.De Ioue,Saturno,Pallade.Athenæum quid.Vlyſſeum.Saís.Síngа.Zoſteria Pallas.Zonæ appellatione quid intelligatur ueteribus.Monozoni.Monozonium.Septizoni um.Conſtillati balthei.Parazonium. Cap. XIX

NEtus inter Græcos adagio eſt,& à Platone non prætermiſſus, Sapientum congreſſu principes ſapere.Quum id amplius mecum expenderem, animaduertebam profectò, id ex diuiniore quodam promptum oraculo. Quando intima quadam ui,potentia magna ſapiẽtiam ſibi geſtiat adglutinare.Præfert id primum inenarrabilis diuinæ potentiæ ſplendor ſapientiſſimus.Natura tacitis uelut ambagibus inſinuat:perdocent id ipſum & artes. Atq; in deo quidem inſolubili (ut ſic dicam) ferrumine duo hæc ineffabiliter coaluiſſe ab euo, fabuloſa etiamnum edocet theologia Iouis atq; Promethei occultiore inuolucro. Illius ſiquidem nomine potentiam,huius uerò prouidẽtiam intelligi oportere,deprehenſum à peritioribus eſt. Sed & utriuſq; rei indicia ſeſe promunt in natura. Quippe ſpectatur ubiq; poteſtas mira ordini adnexa mirabili, quadam proculdubio ſapiẽtiæ imagine.Quod ipſum & in artibus conuiſimus, in quibus eniteſcit primum, ingenij, memoriæ atq; uoluntatis facultas nobiliſſima:nec inferior aſſectatur ſapiẽtiæ uis,in actionibus ſeriem promens compoſitiſſimam.Ex iſs uerò omnibus id colligitur denique,potentum ſapientumq; ueluti nexum quẽdam ita conflari oportere, ut inde naturalis cooriri neceſſitudo uideatur. Siquidem ſapientia ſi ſummoueatur auoceturq; à potentia longius,prodeſſe quàm pauciſsimis queat. Hæc rurſum ab illa ſi ſeligatur, nocumenta indidem emanantia perpauci ſint euaſuri. Inſinuant id & cæleſtium rerum ſtudioſi in coniunctionum,quas ipſi magnas dictitant,ratione. Siquidẽ Iupiter dominus eſt, Saturnus uerò philoſophus. Qui ſi coaptentur,mirum eſt quàm præclara moliantur. Illã uerò perbeatam Plato neceſsitudinem cenſet,quam ſapientia conciliet atq; potentia. Quòd ſi in anima unà conſpiret utraq;,illam uerò arbitratur feliciſsimam. Quam rem ſignificare Pallas animaduertitur,quando una eſt belli potẽs dea,& artium ſciens.Vnde & Athenæum,pro auditorio poſitum inuenias.Hieronymus, Quando omne Athenæum ſcholaſticorum uocibus conſonabat. Meminit in Alexandro Cæſare Lampridius, Mineruium dici Latinè ualet. In Iuliano item Didio ſcribit Dion, Athenæum fuiſſe in urbe Romana ſic nuncupatum ἀπὸ τῆ παιδευομένων ἀσκήσεως. Eadem forma dicitur ab Hieronymo Vlyſſeum,Quale (inquit)pileolum in Vlyſſeo pictum conſpicimus.Item Aeaceum,id eſt αἰάκειον, in Demoſthene apud Plutarchũ:ſed mendum obrepſit in Latinam tralationẽ:nam modò,ad Aeacum legitur. Palladoſ tamen ἀφραστος templum fuiſſe in Laconia,legimus:ſed id,quia ibi Amazones progredi ulterius deſierũt.Inſubres Gallos in bello aduerſus Romanos,aurea ſigna quæ uocãt immobilia,è Mineruæ tẽplo ſuſtuliſſe, Polybius ſcribit. Pallas Phœnicum lingua dicitur Singa:Aegyptiorum autem Saís. Quo ſanè argumẽto reuincuntur, qui ex Aegypto, non ex Phœnicia Cadmum aduenisſe,contendunt. Nam Thebis extabat Palladoſ ſimula-

crum,cui foret nomen Singa,nequaquam uerò Sais.Dicatum autẽ id à Cadmo, aſtruunt Thebani,& ſcribit Pauſanias. Apud Thebas Aegyptias coli præcipuè Iouem, auctor eſt Strabo: Cui,inquit,ſacratur uirgo ſpecie in primis cõſpicua & genere princeps quas uocant Palladas Græci.Illa item obiter adieciſſe,nil obfuerit: Primum ſimulacra apud Thebanos ſtetiſſe Pallados ζωσηΐδας, quòd inibi arma ceperit aduerſus Euboeos & Chalcoduntem: quippe ueteribus ζώσασθαι ſignat ἐνδύσασθαι τὰ ὅπλα, id eſt arma induere.Nam & Homerus, ubi Marti zona ſimilem facit Agamemnonem, nõ aliud zonæ prorſum nomine intellexit,quàm armorum apparatum. Zonam uirilem modò intelligit Ammonius,zonion autem muliebre.Monozonos porrò interpretantur Græci ἁπλοῦστας μαχίμους, ex hac opinor ratione:ſed & militum præcipuos, id eſt πιέσους, ſic item nuncupant, qui non eandem cæteris zonam geſtitent. Quin & ſicarios ac impuratos homines eodem appellant nomine. Sunt qui monazonium monachis in ſolitudinibus deſtinatum locum interpretentur.Nam ſeptizonium in Seuero apud P.Victorem & Spartianum,ſubſtructionẽ accipiunt, ſepteno columnarum ordine per ambitum præſignem:de quo etiam alibi hoc opere. Baltheos conſtellatos legiſſe alicubi uideor apud recentiores, ſtellis diſtinctos aureis. Parazonium in Traiani uita leges, quam iure Latij donauit Merula:uerum id Dionis uerbum non eſt, ne quis fallatur, ſed de interpretis promptum fidelia. Hiſtorici uerba hæc ſunt, ὁ ξιφος, ὃ παραζώνυδα αὐτὸν ἐκάλουν, ὥρμησεν.

Epilogus præſtantiſſimorum regum ex ueteribus memorijs. Plutarchi codex emaculatur.Macedonibus fuiſſe cautũ legibus,ne trophæa conſtitue rent.Elephantes quis habuerit in Europa primus. Cap.xx

QVi in re militari,aut rerum publicarum adminiſtratione cum illuſtri laude uerſati ſint,complures (opinor) in ueteribus memorijs comperiũtur: at qui regium indepti faſtigium, inſignem inde ſibi gloriam pepererint: eos uerò non admodum multos,animaduerto. Ex Perſarum quidẽ gente præclarum agnoſcimus Cyrum,quẽ ab ſole ita nuncupatum memorant: nam Perſis eſſe patrium, ſydus ſic appellare.Nec minus (quanquã in ſecunda quoq; tribu) Hiſtaſpis filium Darium,ſiquidem intra priuatum uterq; prognatus modulum, uirtute exſtimulante, ita demum proferre caput eſt auſus,ut regalem non expaueſcentes amplitudinem, tanta ſe ipſi maieſtate non indignos comprobarint, quanquam euentu diſpari,quando Darius annis iam feſſus,nullos aſſultantis fortunæ reflatus ſentiens placidè hominẽ exuit. At Cyrus armis innutritus, & bellicum ſpirans, in Maſſagetas dato impetu, prælio uictus occubuit. Dignum uerò ſcitu eſt, Darij monumento inſcriptum, ἀδυνάμην καὶ οἶνον πίνειν πολὺν, καὶ τὸν φέρειν καλῶς, id eſt & uini haurire poteram plurimũ,& pulchrè etiamnum ferrè.Darius (ut produnt nonnulli) à Perſis dicitur prudẽs,à Phrygibus Hector,Eſt & talorum iactus ſic nuncupatus. Adduntur ex eodem mundi ſitu tres item memorabiles: Xerxes potens adeo pollensq; ut hominis ſpecie crederetur Iupiter humanum genus exciuiſſe ad ſuſcitandam è ſedibus ſuis Græciam. Artoxerxes porrò duo, alteri quorum cognomẽ factum Macrochir,ueluti Longimanus,quòd manuũ altera,id eſt dextra,foret ei oblongior:alteri uerò μνήμων, id eſt Memor.In quo ſubmonendi ſunt ſtudioſi,mendoſam uideri Latinam hiſtoriam, in qua legitur quandoq; Memnon,pro eo quod eſt Mnemon,facili ac lubrico lapſu: in quẽ Suetonij tamẽ interpres fœdè in Auguſto eſt præcipitatus. Eum uerò iunioris Cyri fuiſſe fratrem, legimus apud Græcorum pleroſque , qui ea in re maximam retulit laudem, quòd nõ ipſe modò paſſim adire ſe uolentibus facilem præſtabat: ſed legitimæ item uxori id iniunxit, ut intecto nullisq; obſepto aulæis curru uectaretur, quo indigẽtibus promptior fieret ac paratior aditus. In fuga uerò quandoq; apparatu eius direpto, quum aridis modo ficis ac pane ueſceretur hordeaceo, Cuiuſmodi (inquit) uoluptatis expertẽ me regalis fecerat affluẽtia? Hunc fuiſſe Darij & Paryſatidis filium, produnt chronographi. Et ἀναβάσεως primo comprobat Xenophon, qui & Cyrum ab illo antiquiore omnium fuiſſe Perſarum Βασιλικώτατον pronuntiat,præcipueq; imperio dignum.Macrochiri laudem peperit inſignem decentiſsima corporis amplitudo,quam belli decora non

ra non pauca auguſtiorem fecere. Tenet fama, non ferè inter Perſas compertum manu fortiorem. Primus uenationis legem ſanxiſſe narratur, ut quibus affatim uires præſtò forent ac uoluntas, iactu primum in feras aſſultarent, quod Græci προβολὴν dicunt. Viri ingentes generoſoſq; ſpiritus illud retegit præcipue. Fuerat ei catacœmiſtes, id eſt cubicularius, Satibarzanes nomine, hic ab eo inſtitit petere iniuſti quippiam, quòd triginta millibus Daricorum fuiſſet corruptus, quos ei pollicitus is fuerat, pro quo petebatur. Id quum explorate perdidiciſſet rex, eandem ſummam confeſtim erogari à quæſtore iuſſit, addito elogio longè clariſſimo: Accipe (inquit) Satibarzane, his mihi pereuntibus, nihilo ſum deteriore loco futurus: at ſi tibi benignè adnuero, planè iniuſtior. Inter Macedonicæ claritatis faſtigia eniteſcit in primis Philippi gloria præcellens, qui Macedoniam Illyrijs obnoxiam liberatamq; ſeruitio graui, multarum ac nobilium principem gentium conſtituit. Inſita porrò uirtute illuc prouectus, ut ab Græcia uniuerſa imperator ſelectus, etiam Amphictionibus adnumeraretur, Thracas, Pæonas, Scythas iugum accipere compulit. Perſicum bellum meditatus in clariſſimo rerũ procinctu interceptus perijt: id quod affatim perſequitur Diodorus, à quo id item proditum, In Methones oppugnatione, quam & diruit, Philippo ictu ſagittæ oculum eſſe excuſſum. Sed Magni Alexandri, qui patris ſtationem excepit, uirtus uibrans latius, inſtar fulguris coruſcantis præſtringit oculos: cuius uiri peculiaris laus, Orbem terræ communem omnium patriam feciſſe, cuius arx præſidium q; caſtra forent ipſius: qui & cognatum arbitraretur optimum quenque: alienigenas uerò tenebrarum alumnos, & flagitijs adobrutos. Primus ex Europæis, ut inquit Pauſanias, elephantos habuit, Poro & Indis ſuperatis. Eo autem humanis perfuncto, inter reliquos poſſediſſe plures memoratur Antigonus. Affuerunt & Pyrrho Epirotæ, capti in prælio aduerſus Demetrium, unde iniectus Romanis legionibus terror. Sed Alexandrum repeto, quem eminentiſsimum terrarum regem inſignia dehoneſtarunt uitia, uinicq; auiditas in primis, adeo ut ex uinolentia biduum ſæpe obdormiret integrum: quod in Ephemeride ipſius, Cardianus atteſtatur Eumenes, ut Diodotum præteream, & in Dipnoſophiſtis Athenæum libro decimo: iactatum paulominus prouerbij loco, ἀλεξάνδρου πλέον ποιεῖ τὸ βασιλέως. Alexandrum bibendo regem præcelluiſti. Certè ex ebrietate, Veneris uſus ei hebetior fuit: quod Theophraſtus probat, & in Epiſtolis Hieronymus retulit (Græcus hic & notiſsimus auctor fuit) Vinolentorum porrò ſemẽ dilutius euadere, ab Ariſtotele in Phyſicis quæſtionibus uidemur didiciſſe. Proinde ualeat Arrianus, qui coniecturis rem toto (quod dicitur) cælo notiſsimam nititur expurgare, ac cõuelare etiamnum. Delicias porrò Alexandri, & ingenium ἀφόρητον, ut Græci dicunt, id eſt intolerabile, ac φονικὸν, id eſt in cædẽ procliue, immo uerò melancholicum, amplius qui expendiſſe cupit, Athenæi adeat librum duodecimum. Illud fortè mirum hiſtoriam tanti principis uerſanti contingat, nullum omnino uel Darij afflictis opibus, uel fuſis fugatiſq; Indorum exercitibus numeroſis, fuiſſe ab eo excitatum trophæum, qui mos Græcorum fuit celeberrimus. Cæterum ſcire licet, Macedonum regibus cautum lege, ne facerent: nam quum Caranus quandoq; propinquum barbararum gentium regem Ciſſeum retudiſſet, ac ex Argiuorum inſtitutis trophæum conſtituiſſet, uictoriæ monumentum, ueniens ex Olympo ferocior leo id euerſum diſiecit. Inde ſancitum, ceu id planè ominoſum foret, ne quis in reliquũ Macedoniæ regum erexiſſe trophæum uellet. Tanquam res ea inimicitias indicet ἀσπλάκνους, uelut dicas irreconciliabiles. Ex Alexandri ore, ac membris omnibus fragrantiam mirè ſuauem defluxiſſe, ſcribit in hiſtorijs Ioannes Monachus. Id quod inſiti caloris ui factum interpretatur, humentia facilè percoquentis. Prodit duobus locis idem Monachus, Alexandro in rebus omnibus felicitatem fuiſſe obſequentiſsimam. ut uel hinc Plutarchum ludere intelligas, qui fortunam perpetuò fuiſſe μισαλέξανδρον tradit. Hammonis porrò ſacerdos, quum adeuntem Alexandrum Græcè cuperet ſalutare, ac παιδίον, id eſt filiole uellet dicere, per barbariem πῶ διὸς (inquit) id eſt Iouis fili. Vnde cæleſtis originis captata creditur gratia, cui initia error dederit. Pyrrhi quoq; Epirotæ illuſtris fama eſt, qui uehemens ac imperatorijs imbutus uirtutibus, ſemigræcam uindicaturus ciuita-

tem cum totius Epiri uiribus, Theſſaliæ item Macedoniæq́, ac ad eam ætatem incogni tis elephantis, terra mariq́ cum populo Romano bellaturus in Italiam tranſmiſit. Celebris eſt Dionyſii prioris gloria, de quo iam quæ uiſa ſunt, præguſtauimus. Fuit is manu promptus & fortis, & (quod in ea fortuna perrarum eſt) minimè libidinoſus, non luxurioſus, non auarus, nullius rei denicq́ cupidus, præter quàm ſingularis perpetuiq́ imperij, atq́ eo nomine immitior crudeliorq́. Nanq́ Marſiam quendam ab ipſo potiſſimum ad altius euectum faſtigium, ea tantum cauſa interemit, quòd is per quietẽ iugulare ſe Dionyſium exiſtimarat. Eò denicq́ formidinis eſt progreſſus, ut cultros metuens tonſorios, candente carbone ſibi adureret capillum. Quin & tondere filias docuit, à quibus tamẽ ipſis etiam ferrum remouit, inſtituitq́, ut candentibus iuglandium putaminibus barbam adurerent, & capillum. Sed in tam nobili cenſura quis tam patiens, ut concoquat, ſi Romanos principes tranſmiſero tacitos? Etenim ardentẽ & concitatum Romuli animum quis non nouit, in arripiendo regno & ciuitate condenda, abs qua uelut cæleſti arce iura mox terrarum orbis peteret? Quàm artifex in Tullo ingenium? quí Romanæ iuuentutis robur animaſſe eſt uiſus, addita rei militaris diſciplina, ut ratione inſtructa uirtus exacueretur? Quid Mithridatem hic memorẽ, tot tantarumq́ gentium principem, ut annis quadraginta à uictore terrarum populo, cum eo ſit bellatum: ac uix, uelut ariete triplici, denicq́ ſit æquatus ſolo, ac principatu, uitaq́ pariter excuſſus, Syllæ Cornelij felicitate, Luculli uirtute, poſtremò magnitudine Põpeij? In hanc uerò cenſuram adeo grauẽ minus fortè admittendus uideatur Ptolemæus Aegypti rex ſecundus, grauis quidẽ, & doctrinis (ſi quis alius) imbutus, uerum deliciarũ emollitus contubernio: mox eatenus mente creditur excuſſus, ut ſe perpetuo uicturũ opinaretur, diceretq́, à ſe uno immortalitatem inuẽtam: uerũ mox infeſtante podagra, Aegyptios intuitus ad fluuium incurioſius diſcumbẽtes, O me miſerũ, inquit, ex ijs ſaltem unus qui non fuerim. Tribonianus ſagacis uir ingenij, & ad ſimulandũ facti, impius quoq́, & Chriſtiani cultus ex profeſſo hoſtis, auaritię cum primis mancipatus, ſic ut ad omnem lucelli auram leges fixerit ac refixerit: hic fraudes ſpirans, peſtifero afflatu Iuſtinianum imperatorẽ ita infecerat, ut nũquam moriturũ perſuaderet, ſed uiuum ſentientemq́ in cælum tralatum iri. Hunc tamẽ Iuſtinianum ſunt qui tradant, fide catholicum, rectum in adminiſtratione, iudicijs iuſtum: unde ſit factũ, ut ex uoto cederent omnia. Huius tẽpeſtate floruit Priſcianus grammaticus. Maximinus imperator quũ immortalem ſe propémodum arbitraretur proceritatis fiducia & roboris, ſucclamatũ (eo audiente) in theatro, Græcè quidẽ, ſed in hanc ſententiam: Et quí ab uno non poteſt, à multis occiditur: elephas grandis eſt, & occiditur: leo fortis eſt, & occiditur: caue multos, ſi ſingulos non times.

Philoſophos qui imperia arripuerint, crudelius illiteratis rẽ adminiſtraſſe. Stephanophorus qui. Baſileus, Cœranus, Hegemon quo diſtinguantur. Cap. XXI

SEd enim quia Dionyſii (de quo carptim uellicatimq́ diximus) filiũ etiam philoſophiæ ſtudioſum fuiſſe, à grauiſſimis proditũ auctoribus eſt: & nos paulo antè ex Platonicorum fontibus, ut ſæpe, humore corriuato, potentiam mirè ſibi cooptare ſapientiæ ſalubritatem, aſtruximus: ſubit recordatio eorum, quæ à Socrate diſſeruntur libro quinto De iuſto: ſic enim profectò ait, Niſi philoſophi ciuitatibus dominentur, uel hi qui nunc reges potentesq́ dicuntur, legitimè ſatisq́ philoſophentur: in idemq́ ciuilis potentia & philoſophia concurrant: neq́ (quod nunc fit) à diuerſis hæc tractẽtur ingenijs, non erit ciuitati, uel (uti mea fert opinio) hominum generi ulla malorum requies: neque prius hæc reſpublica, quam uerbis expoſuimus, orietur pro uiribus, & lumen ſolis ſpectabit. Hæc quidem Socrates. Confirmata porrò à M. Tullio quum alibi tum in Epiſtola ad Quintum fratrem didaſcalica: Hanc coniunctionẽ (inquit) poteſtatis & ſapientiæ ſaluti cenſuit ciuitatibus eſſe poſſe, princeps ingenij & doctrinæ Plato. Sed & Antoninum philoſophum imperatorem, ſententiam eandem in ore habuiſſe perpetuò, prodit Iulius Capitolinus. Verum enimuero, ſi oratoriè licet in partem utranq́, quæ probabilia ſunt, afferre

ferre: quæso quónam hæc pacto uideri possunt uera? Nam etiam si rationibus abunde colligi queat, ita rem habere, obluctantur exempla tamen pleraq;, ac ueluti reclamant, & quoquo te uerteris, agi rem lanceis (quod dicitur) argenteis coarguunt. Nam quot quot ex philosophorum progressi scholis tyrannides arripuere, crudelius, auarius immaniusq; eas exercuisse comperiuntur, quàm ignari prorsus literarum. Patriam libertatem, obsecro uos, quanta feritate Atheniensis Ariston, Epicureorũ innutritus scholis, oppressit? An non ante illum etiam Critias? quiq; cum Critia philosophiæ mysteriis sunt initiati? Quid uero de Pythagora dicam? Quid de illis ipsis septem sapientibus, aliisq; qui maximarum rerum pondera subire adorti sunt, nónne imperio usi crudelissimè deprehendũtur? Athenionis ex Athenæo nimio plus apud Athenienses crudelitas Mithridatico innotuit bello. Nec Lysiæ Tarsensis tyranni ex philosophorum scholis latet: quem quum Stephanophorũ allegisset patria, id est Herculis sacerdotem, arreptum semel imperium non abiecit, tyrannum agens ex professo. Qua hominum sæuitia sanguinaria commotus Democharis, siue is fuerit Crates, lepidè fertur dixisse, Sicuti ex thymbra lanceam nemo cõcinnarit, ita nec ex Socrate inculpatum milítem. Vt Homerum imitemur, qui non uirtutibus appellandis, sed uitijs detrahendis laudare plurimum solet: sic enim amymona dicit significanter, qui risu excipiendum perpetrarit nihil. Hinc in historicis commentarijs scribit Caristius, à Lysimacho exactos toto regno philosophos. Verum quid Lysimachum dico? Alcium & Philiscum Epicureos Romani exigendos censuere. Sectæ eiusdem complices omnes Messenij. At uniuersim philosophos Antiochus. A Sophocle quodam per decretum ex Attica pulsos eosdem, accepimus. Proinde in eum à Philone Aristotelis familiari concinnatam nouimus orationem, Democharem rursum apologiam excogitante. Romani quoq; sophistas, ut iuuentutis corruptores, longius summouendos censuere. Nam eleganter Anaxippus, Sapere quidem uerbis philosophos, re autem uideri prorsum ἀνοήτους, id est rudes fatuosq; ue. Et ille ait, Nil esse philosophis ἀφιλοσόφτερον. Proinde ambiguum uidetur, ac suspicionibus plenum, uirtutis ne gratia, an coacti paupertate, & rerum gerendarum impotentia sapientiæ sacris imbui perrexerint, ut qualecunque possent, inde inopiæ humilitatisq; lenimen uenarentur. Dum uerò diuitibus ac principibus uiris inustas acerbius calumnias uolunt, id agere non tam eorum insolentia animaduertuntur, quàm inuidiæ stimulis exagitati. Quamobrem, quibus ita theoninum impressere dentem, quosq; pestilentis naturæ ueneno inspergere adorti sunt, sapientius longè, atque secundum hominem, magis illorum latratus risu excepere, liuori suo & tabidæ dicacitati miseria relicta. Porrò nec ab hisce dissentaneum est, quod ab Eudæmonida prolatum legimus: qui quum philosophum audisset differentem, Solum sapientem uideri imperatorem bonum: respondit, Dictio quidem admiratione digna, ὁ δὲ λέγων οὐ πρισταλπισει. hoc est, Qui uerò dicit, tubæ clangorem ne inaudiuit quidem. In tanta uerò regum mentione non fuerit, opinor, uacantis operæ illud ex abundanti adiecisse, quod Ammonius non præteriit: βασιλέα eum dici proprie, qui à maioribus traditum gerit principatum. Cœranon autem, id est κοίρανον, qui πρὸς καιρὸν, id est ex occasione, regium obit munus: quod ante dissidium Achilles fecit. Nam ἡγεμὼν intelligitur, qui in militia ordines ducit.

Tyrannos rarò consenescere, amicorum inopia potius quàm auri. Cap. XXII

VErum quia regiam ingressi sumus, & nos hinc inde flosculos præcerpimus, cur nam tyrannum senem, aut incruenta morte pereuntem rarissimè conspicantur mortales? Sit hoc huiusce pragmatiæ auctarium, quod ut elargiamur copiosius, à magno uiro facienda uersura est: is erit Dion, cuius uerba ex Epistola ad Dionysium tyrannum suppingere collibuit: si illud adnotauero prius, Esse tyrannum uelut in tartaro orcum, non tricipiti, sed capitum multorum Cerbero constipatum, qui cuncta trahat & laceret. Sed ad Dionem redeo: Et mihi (inquit) de Euripidis tragœdia illud subit mentem, Te rerum quandoq; usu ita ferente, ut uir tibi assistat huiusmodi, optaturũ impensius. Meminisse item uolo & tragicos alios, ubi tyrannum aliquem inducunt pereuntem, hasce illi uoces attribuere, Heu pereo miser nullis amicis

cis fultus. Auri uerò inopia malè perire aliquem, nullus adhuc retulit poetarum. Ex iísdem porrò fontibus illud item à ſapientiſſimis ſummè comprobatur. Non auri fulgorem in miſera mortalium uita rariſsimi, non adamantem, non argenteas menſas, quæ apud homines cenſentur præcipuè, ita coruſcare, neque latifundia aut culta pinguia tantum ualere ad uitam, quantum uirorum mens bonorum conſpirans conſentiensq́. Tyranni nomen haud ita uetus fuiſſe Græcis, comperio: quãdo nec Homerus, nec Heſiodus, aut ueterum poetarum alius eo aduertitur uſus. Echetum certè Homerus βασιλῆα nuncupat, tametſi mortalibus infeſtiſsimum. Archilochi maximè tempeſtate irrepſiſſe appellatio creditur: aut ab Tyrrhenis, qui maria infeſta haberent, ut ex Hippia probat Sophoclis interpres: uel, ab Tyro ciuitate: aut quia τυρῶ ὦν λαοὺς, id eſt populos conterit, ὀνίας inferens.

Regium eſſe, ne tenuia quidem aſpernari. Apologia aduerſus ſupercilioſos uitilitigatores. Mnaſeam cur ueteres Salpam cognominãdum cenſuerint. Spartanorum ſacrificia prætenuia. Cap. XXIII

ARtoxerxem Perſarum regem legimus, ſumma prudentia & morum grauitate prædítum. Quod mirum in gentibus illis uideri poteſt, adiudicaſſe non uerbis modò, uerum & ipſa re, Nil minus eſſe amplitudinis regiæ, parua ſi offerantur, lætè excipere, quàm magna, quæ ſummi faſtigij creditur contribuiſſe. Nam quum illi obequitanti mercenarius & uilis ac imperitus quídam, ut cui aliud eſſet nihil, aquam utraq́ manu è proximo hauſtam flumine obtuliſſet, non pedem ſupploſit ille quidem, ſed hilaris ac renidens excepit. Quippe qui non rei quæ dabatur, uel inopia, uel uſu, ſed alacri dantis uoluntate gratiam metiretur. Quo ſanè argumento inde conformata Græcis ſententia lepidior, χάεις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ: qua ſignificãt, rebus exiguis non deeſſe gratiam comitem. Hoc mihi nunc collibuit interfari, propter faſtoſos iſtos ſubnixè ambulantes, quib. alabaſtrus unguenti putere quandoq́ ſolet: à quibus ſcio, uel clauſis (ut aiunt) oculis, uitio nobis uerſum iri, quòd tanto ſtudio ubertatem conſectemur: & inepta fortaſſe, aut Græcula, quum recondita retruſaq́ debuerimus & indicta, quæq́ ex Cimmeríjs uiderentur euoluta tenebris, & in album elata. Nobis uerò, quod ſæpius teſtatũ uolumus, iſta (ut ſic dicam) cõuaſatio, uaſaria omnia excutiens, ac hilaria ipſa exhibens lectori, plurimum arridet, necdum noſtri nos pœnitet. Nam & Mnaſeam, qui Pægnia concinnauit, à familiaribus ex argumenti uarietate Salpam inuenimus cognominatum, quod piſcitij genus id uarium præcipuè conuiſitur. Quin & depaciſci mortem cupimus, modò quæ concepimus animo, ad deſtinatam publico bono metam prouehantur. Quo nomine, uelut caduceo ac uelamento, uel inter hoſtes abundè præmuniti poteramus uideri: ut ne ſuſpicemur quidem, nos σωφρονεῖν ὄκνου πλῆθος. Sed norint item cenſorio tumentes ſupercilio, & (ut Demoſthenis in Aeſchinem utar uerbis) tragici Theocrines, in alios mirè audaces, pro ſe muti: Lycurgum Spartæ legum latorem celeberrimum, non ideo creditum cæleſtibus inimicum, uel rei diuinæ parum ſtudioſum, quòd tenuiſſima ciuibus ſuis ſacrificia inſtituiſſet: immo uerò factum ea re eſſe, ut expeditius faciliusq́, & inde frequentius quoq́ rebus diuinis intenderent: quòd mola tamen ſalſa litarent, ſi minus ſuppeterent thura. Hoc ego argumento, noſtra hæc qualiacunque, ueluti xeniola quædam, & literarij ſtipendij primitias bonis iuuenibus uelut partiarijs duxi offerenda: legant, ſi ad ſtomachum faciunt: ſin minus, ὡς οὐδὲν πρὸς ὄργον ὄντα, remittant, ſed citra bilem. Quanquã non parum ſum ueritus, ne ſæpe occurſent, quæ uel politiſsimos fatigent, ita omne ſtudiorum genus attentamus, quæ non à limine modò ſalutauimus, ſed & cauædium ingreſsi, non transfugiendi propoſito, ſed explorandi: ut inde præuertamus concoquamusq́ pluſcula, ut qui ſortem fieri ex uſura didicerimus abundè. In hæc quandoq́ diuertiſſe, ac antidotum (quod dicitur) ante uenenum porrexiſſe, uitio ne fuerit, propter Catonum cenſuram ſeueriorem, & tragœdias nonnunquam importuniores: quibus ad uenena prorſum natis, uelut excantamine funeſtius euibrato, frugum germina conflacceſcunt intereunt q́, abominãdo ſpiritu pernicioſe cuncta afflante. Cæterum inter illos nosq́, deo bene iuuante, intergerinus ſtruetur iuſtus, nec diplinthius

thius modò, uti eſt apud architectũ Vitruuium: ſed & triplinthius, uel eo amplior probiorq́, quum Perpennarũ ui ſolida, quo arietationes feſtucarias, quas ipſi trabales rentur, ſecuri deridiculo habeamus.

Super omnem irin, adagio quid ſit. Iridis rationem eſſe admirabilem, & cur Thaumantis credita filia: item appellationes eiuſdem uariæ: ac cur dicta arcus dæmonis. An in ea ſint clementiæ diuinæ præſagia. Item de cataclyſmo, ſiue abluuio, & conflagratione, ſiue ecpyroſi. Cataractæ cæli ruptę quæ intelligantur. Demum de columba indice ſubſidentium aquarum, ex Plutarcho. Cap. XXIIII

QVum Philoſtrati iconas euolueremus, præfloraturi, ſi quid ſe oſtentaſſet dignum quod hiſce libellis operæ leuioris, ſi ſpatioſa legũ uolumina ſpectentur, aut phyſica perpendantur acumina, uel primæ philoſophiæ ſacrã intuearmur altitudinem, protinus inſpergeremus, ac (ut ſic dicam) inocularemus: inter cætera non citra genium illud ſe nobis ingeſſit, quod & apponam. Paſiphaes ueſtem in Neapolitana illa porticu diuinum quiddam enituiſſe, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἰριν. hoc eſt, ſuper omnem irin. Id quod adagionis formam habet, de ueſte ſplendida coloribus uariantibus, ac omnino contexta pretioſius: ſiquidem iridis colores eſſe inter naturæ mira, neminem præterit. Quando & Plato inde creditam ſcribit, Thaumantis filiam, quod admirationis inferat plurimum, quod retulit Plutarchus quoq́. Sed illud maximo eſſe argumento poteſt, à pictoribus formam eiuſmodi ſpeciem' ue colorum exactè necdum quiſſe exprimi: tum quòd à ſimilibus adeo auſpicantur, ut indiſcreti uideantur colores, qui tamen deſinant in diuerſiſſima: tum etiam quòd iridis colores in ſubſtantia fiunt peruia ac diaphana. Quã rem æmulari nulla queat ars, ut docebimus, quæ terreſtri materiæ colores appingit. Eſt & res hæc in aliquo nominum ambitu: alius enim irim dicit: arcum uarium, alius. Sunt & qui arcum dæmonis, id eſt intelligẽtię uel ſapientiæ: aſtruuntq́ eſſe in eo diuinæ clementiæ præſagia, quæ mundo cladem igni uel aqua non uideatur illatura: quòd ubi rubens uiſatur color, qui confit ex humido inflammato, quo ſignificetur, humectam naturam non præualere, quum ignis in arcu ſuam præferat uim. Cæruleus uero color, qui & ipſe indidem uiſitationem facit, conſtatq́ ex aqueo indigeſto, igneam uim haud ita præcellere uidetur præmonſtrare. Addunt illud quoq́: irin apparere nunquam, niſi ubi partim diſſerenarit, partim humoris perſiſtat denſitas. Serenitatem uerò ex calido prouenire ac ſicco, quod igneę congruit uirtuti. Humoris denſitatem, ex frigido humectoq́, quæ aquæ proprietas eſt. Hæc uerò natura diuerſa quum ſimul ſiant, uictoriam in æquilibrio poſitam planè inſinuant. Sunt uerò ex theologis, nec philoſophiæ ignaris, qui inundationis uniuerſalis, quam prælicenter abluuium dixit Laberius, aut conflagrationis rationem naturalibus prouenire cauſis non poſſe (hoc eſt, ijs quas philoſophi ſecundas uocant cauſas) contendant. Immoq́ eſſe ridendos, cataclyſmum attribuentes planetarum humidorum coniunctionibus in ſignis pluuialibus: ſicuti ecpyroſin, planetarum calidorum in calidis ſignis. Poteſt quidem (inquiunt) diluuio terrarum inundari portio, tota terra non poteſt: præſertim exceſſu adeo miro, ut quindecim cubitis excedantur montiũ uertices: quod antiquitus factitatum nouimus. Nam & Ariſtotelis auctoritas aſtruit hoc ipſum Meteororum ſecundo, ubi ait, Si terræ pars mari adobruatur, alteram ediuerſo retegi ac areſcere. Totam uerò terram latere ſub aquis, uideri impoſſibile, ſi naturæ duntaxat rationes cõſectamur. Sanctæ literæ inundationis illius uaſtiſſimæ cauſam efficientem in diuinam reijciunt uirtutem, quæ princeps cauſa eſt & unica uniuerſalisq́, materialem in Oceani aquas: Ecce (inquit Dominus) adducam aquas diluuij ſuper terram. Et alibi, Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt. hoc eſt, feneſtræ aerei cæli, in quo generantur nubes & pluuia. Sicuti cataractis ex aſſeribus temperantur aquarum curſus, nunc aperiendo, nunc occludendo in foſſis plerunq́ manu factis, quarum præripia laterítio muniuntur pariete: hinc & à Diodoro, Nili celebrantur cataractæ. Quoniam ut in remotioribus Græcorum lexicis comperi, Cataractas ea gens riuos intelligit, ac (ut apertius agam) conductus: quanquam pro aquilis & harpyis

pyis uſurpent poetæ quoq́,ut Sophocles. Vbi uerò optimus maximus deus ait (Ioſepho item approbante) Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram: intelligunt ſcripturarum periti, ſignum uocari ad placitum ex diuina inſtitutione: quoniam artifex ille maximus ita diſpoſuerit, ut eſſet iris atteſtatio fœderis ipſius cum Noe poſt diluuium, quo in reliquum terra non foret peritura. Fuerat ante cladem illam iris, ſed non ut ſignum: ueluti ſi cogites lapidem immobilem diu, & neglectum, mox factum diſtinctionis alicuius ſignum. Strabus inter ſacros interpretes non negligendus, de iride ſic fermè prodit: Arcus duos habet colores, cæruleum & igneum, qui duo exprimunt iudicia: unũ aquæ, quod præterijt: alterum ignis, quod uenturum creditur ſeculi fine. quamobrem cæruleus color, extrinſecus: igneus uerò introrſum uiſitur. Dignum uerò relatu, quoniam de diluuio facta nobis mentio eſt, in Plutarchi monumentis legiſſe me: columbam ex arca emiſſam indicium Deucalioni præbuiſſe ſubſidentium aquarum & ceſſantis hyemis.

Affectionum quæ in aere fiant, ratio duplex. Item uidendi per lineas. Remus cur in aqua uideatur fractus. Iris quomodo fiat, & eiuſdem colorũ diſtinctio. De ophthalmicis nonnihil. Cap. XXV.

VErum in philoſophorum ſcholas iam diuertendum, apud quos unguenti facilè plus reperias, quàm apud noſtrates olei: primumq́ à Plutarcho fiat uerſura, in cuius libro De ijs quæ philoſophis placeant, tertio, de iridis ratione ſic propemodum legimus: Eorum quæ in ſublimi fiant, quæ πάθη Græci uocant, nos dicere affectiones poſſumus, alia per hypoſtaſin, ſiue ſubſtantiam effici, cuius eſt modi imber, grando, id genus alia plura. Alia uerò κατ' ἔμφασιν, id eſt ex apparitione, quam primo De generatione Ariſtoteles ſymphaſin uocat. Nam & nauigantibus nobis moueri continens uidetur. Eſt ergo per emphaſim iris, quam purpuream Homerus dicit, hoc eſt πορφυρέην εἶναι. Sed & ex mythicis nonnulli habere eam tauri caput, fabulati ſunt, ac ἀναῤῥοφεῖν, id eſt exſugere abſorbereq́ flumina. At quónam modo fiat iris? Viſus, inquit Plutarchus, aut per lineas efficitur rectas, aut flexas, aut refractas. Per rectas quidem, ut in aere, aut διὰ τῶν λίθων τῶν διαυγῶν, id eſt per lapides perſpicuos: tenuium ſiquidem hæc omnia ſunt partium. Per flexas lineas, in aqua: ui quippe flectitur uiſus, ob denſius aquę elementum: quæ ratio efficere creditur, ut inibi remus flexi fracti'ue ſpeciẽ præbeat: aut quia in aquam demiſſus per naturæ pellucidam raritatem enatantes remittit à ſuo corpore fluentes imagines ad ſummam aquæ planiciem, quæ inibi cõmotæ infracti ſpeciem oculis ingerunt. Tertius uidendi modus, in refractis eſt, ſicuti per ſpecula, cuiuſmodi eſt iridos affectio: humecta enim intelligenda eſt euaporatio in nubem tranſmutata: inde ſenſim in puſillas humectãtesq́ aſpergines, uel (ut Græcè dicam) εἰς μικρὰς ῥανίδας νοτίζουσας. Quum ergo occaſum ſol petierit, ex aduerſo eius irin ſpectari, neceſſe eſt: quum uiſus incidens in aſpergines refringitur, ut iris fiat. Sunt autem aſpergines, οὐ χήματος μορφή, non figuræ forma, ἀλλὰ χρώματος, ſed coloris: habetq́ primum puniceũ, aliud oſtrinum purpureum'ue, tertium cyaneum & praſinum, ſiue cæruleum & uiridem. Iridis exemplum ſuppetit in inferioribus. Si quis è regione radiorum ſolis aquam ore conceptam efflet, ac aſpergines ipſæ ἀναπλάσειν, id eſt refractionem admittant in ſolem, ibi iam effectam irin comperies. Nec minus qui ophthalmici ſunt, ita afficiuntur, ubi in lucernam intenderint aciem.

Item quæ requirantur ad iridis effectum. De quodam, qui imaginem ante ſe propriam uidebat. Cap. XXVI

CAeterum Meteororum tertio prodit Ariſtoteles, ut contingat iris requiri prædenſam nubem, ante quam altera ſit nubes roſida, quoniam in nube concipiatur iris quadam ſpeculi ſimilitudine. Roſida ſolis radium tranſmittit, denſa repercutit. Sic in ſpeculo fit per uitri perſpicuitatem & plumbi ſpiſſitudinem. Effigies corporum (inquit Albertus) naturæ ui effingi in aere poſſunt humecto, & in aqua eodem modo, quo imagines rerum ſunt in rebus. Et quia humiditas perſimilis aeris humiditati & aquæ defluit in oculum infirmũ: inde fit, ut

fit,ut ſimilis effingatur imago quandoq; in oculi humore. Propterea ſcribit Ariſtoteles, Cuidam ex uidendi infirmitate cõtigiſſe,ut idolum ſuum aduerſa facie ipſum præcedere arbitraretur:ſed hoc (inquit) eueniebat,quòd radius uiſiuus ad ipſum repercutiebatur: adeo enim ex morbo imbecillis erat, ut ſpeculum fieret propinquus aer, nec poſſet omnino penetrare.Propterea etiam Seneca,Quidam (inquit) hoc genere ualitudinis laborant,ut ipſi ſibi uideantur occurrere,ut ubiq; imaginem ſuam cernãt.Quare? Quia infirma uis oculorum non poteſt ne proximum quidem ſibi aerem perrumpere,ſed reſiſtit.Antipheron Oretanus à quibuſdam dicitur ex Græcis,quem nominare Ariſtoteles ſuperſedit.

An lunaribus radijs effici poſſit iris.Plinius emaculatur. Cap. XXVII

PRin lunaribus radijs confici non poſſe,ueterum nonnulli ſunt opinati: credo,quia difficilis ſit obſeruatio.Ariſtoteles fieri poſſe non inficiatur,ſed luna modò plena, & ea in occaſu uel ortu poſita.Et amplius,annorum ſpatio quinquaginta bis tantum. Id quod nulla ratione dici,argumentantur eruditiores.Immo eodem anno bis uiſam nocturnam irin,experimentis probãt. Quin & in aquilone,luna in meridie conſtituta, nec utiq; plena, ſed ea phaſi,quam alibi amphicyrton docuimus appellari. In tantum fallitur Plinius, qui noctu fieri pernegat: quamuis (inquit) Ariſtoteles id probat aliquãdo uiſum.Quod tamen fatetur,non niſi triceſima luna poſſe. Irrepſit turpe mendum in Pliniana uerba: quî enim ſcribi poteſt,Triceſima luna? quum Ariſtoteles, ἐν τῇ πανσελήνῳ prodiderit:quod eſt,in plenilunio.Id autem quartadecima luna contingere, interpretantur eruditi, & perdocet ratio ipſa.Arati quoq; interpres Theon,Anaximenis recenſens opinionẽ ſuper affectione huiuſmodi:Et noctu (inquit) fieri aſtruit,ſed perraro,quoniam non ſemper ſit plenilunium.Publicam uerò Plinij lectionem ita demum tueri poſſis, ſi lunares dies non ab ea coeunte, iamq; uiſitationem faciente, ſed plena mittere in digitos ordiare. Sed contrà Macrobius Naturalium primo, Nec ſol (inquit) unquam deficit, niſi quum triceſimus lunæ dies eſt:& niſi quintodecimo curſus ſui die,neſcit luna defectum.

Rotundationis in iride ratio:item colorum. Cur Heſiodus irin dixerit πολυώνυμον ὕδωρ. Senecæ locus reſtituitur. Cap. XXVIII

PVtat quidem Ariſtoteles irin, neq; circulum eſſe, neq; ſemicirculo maiorem, ſed uel ſemicirculum, uel ſemicirculo minorem: quanquam Heſiodus maiorem intelligit. Verum rotundationis ratio duplex,tum ex ſubiecto, tum ex efficiente cauſa. Ex ſubiecto quidem, quoniam id eſt roſidus humor, qui globoſa quidem effigie eſt, ſed pyramidali. Certum enim eſt, omnia grauia deſcendere ad angulum. Porrò ex ſole quoq; luminoſus radius pyramidis exit figura, cuius ſuperior tantum arcus in ſemiglobo rorationis, commemoratæ effingitur, tum etiã quia eſt ſol nubibus altior. Eſt quidem iris τρίχρως, hoc eſt colorum trium, ut inquit Ariſtoteles: quamuis eſſe quoq; quatuor poſſint. Cauſa uerò ordinis colorum eſt,quia in roſido humore portio aliqua eſt fumidi uaporis,& proinde leuioris,& ſcandentis altius. Indeq; ſuperior in iride color, rubens uiſitur, ac dicitur uinoſus & puniceus, qui fit radio tangente ſuperficiem rotunditatis nubis. Puniceum quoque apparet lucidum & album,per atrum ſi ſpectetur. Craſſum uerò aqueum reſolutum deſcendit, grauitatis natura. Proinde inferior exteriorq; color uiret. Aer autem humefactus ac ſpiſſus in meditullio eſt,ac imo cæruleus color ibidem albo intermixto. Aer autem is ſæpe uniformis eſt, & hinc tres tantum uiſuntur colores:interdum euariat,ita ut quatuor appareant. Sunt qui putent hoſce colores à quatuor trahi elementis,ut ex igni rubens ſit in ſummo,ex terra uiridis in imo,ex aere lacteus, ex aqua cæruleus.Ex colorum certè multiplicitate uidetur Heſiodus, πολυώνυμον ὕδωρ irin dixiſſe, id eſt multi nominis aquam. Cæterum,hac in parte potiſſimum Senecæ locum reſtituamus in integrum, qui fœdè interpellatus circumfertur Naturalium primo, de iridis coloribus, ſic inquit,Purpura eodem conchylio non in unum modum exit,intereſt quãtum macerata ſit,craſſius medicamentũ: arcus aquarius traxerit,ſæpius merſa ſit,& excocta,an ſemel tincta.legendum,nõ Arcus aquarius,ſed An aquatius:id quod ſenſui maximè congruit,ac uetus præfert lectio.

Obſeruationes item ſuper iride plures. Maronis locus explicatur, necnon Plauti, ac Propertij.

Cap. XXIX



On omittendum hic ruſticanum præſagium & uulgò celebratum: ſi fuerit color rubens in albenti, ſignificari fertilitatem: cuius ratio eſt, quia color is fit ex materiæ raritate, ubi radius ſolis fortius agat. Rara autem materia facilè à ſole reſolui poteſt. Quo eueniente, non inſequi queunt pluuiæ iuges, quîs plurimum impediri fertilitas ſolet. Cæterum, hoc perpetuum non eſt. Porrò, ſunt qui Ariſtotelem ea ratione arcus tãtum duos poſſe apparere, literis autument tradidiſſe, quòd in eadem nube ac materia eadem non queat diuiſio multa fieri ſubtilium & craſſarum partium rorãtium. Sed calor fortis & minus fortis in diuerſis & diſtantibus partibus, diuiſiones facit duas, & raro plures. Probabile tamen habet Albertus, tres & aliquando plures poſſe contingere. Qui etiam putat, hyeme, ſole in meridie poſito, irides duas poſſe apparere ex oppoſito ſitu, etiam ſi rarius id contingit. Paruas utiq; & uelut incumbentes terræ in ortu uel occaſu. Sed cur (id quod philoſophicis imbuti ſacris conſtanter aſtruunt plerique, etiam ſi admittit Seneca) non fit in meridie, quum tanta ſit ſolis ad aquilonem arrectio, quanta ad meridiem deiectio: qua ratione ita ibi diſtinguuntur climata, ſicut hic: quamobrẽ neceſſariò fiet in meridie quoque iris demonſtratione perſpectiua. Sed colligunt eruditi, fieri quidem, uerum à nobis non uideri. Nam nec irin uidet ferè aliquis ultra tria millia paſſuum: ueſperi autem & meridie omni tempore anni poteſt apparere iris in oppoſita nube. Illa porrò obſeruanda: irin nunquã fieri aſcendente nube, ſed ad imum uergente: illo enim modo non rorat, ſed quum defluit. Oportet item nubem à uento quieſcere, alioqui planæ non fierent partes perſpicui, nec imago ſolis in roratione concipi poſſet inquieta. Euaneſcit primo quoque tempore iris, quia generatio eius eſt in materia iam deflua. Quippe ubi primo eleuatur uapor, diu perſtat prius, quàm frigore extrudatur calidum ſurrigens, & denſetur in nubem. Vbi uerò iam nubes eſt, diu perſeuerat: nec ſtatim reſident partes, ut conuertantur in aquam. Verum ubi id obuenerit, non diu pòſt inſequitur pluuia. Quia uerò concipitur iris in portionibus aquoſæ nubis, quæ iam ad ima ferũtur, tam diu apparet, donec appluat iam, quamobrem deficit mox. Hac de cauſa uel imperiti eadem hora ingruere præſagiunt pluuiam, qua ſeſe oſtentarit iris, quæ ubi euaneſcere incipit, uertitur in pallorem, uiſunturq; in nubibus uirgæ intermixtæ deſcendentes, quia tunc defluit roratio per guttas grandiores. Quod de pluuiæ diximus præſagio, lucem infert (opinor) Virgiliano ueſiculo, Et bibit ingens arcus: Georgicon primo. Quem locum per incuriam plerique negligunt. Meminit etiam Seneca Naturalium primo: Quanquam (inquit) non eaſdem, undecunq; apparuerit, minas affert, à meridie ortus magnam uim aquarum uehet: uinci enim non poterunt uehementiſſimo ſole, tantum eſt illis uirium: ſi circa occaſum refulſit, rorabit, & leuiter impluet: ſi ab ortu, circá ue ſurrexerit, ſerena promittit. Ex ijs etiam clarius ſe aperiunt Plautini ſales ex Curculione, de anu uini uas exſiccante,

Ecce autem bibit arcus, pluet credo hercle hodie.

Item apud Elegiacum poetam legimus,

Cæruleus pluuias cur bibit arcus aquas?

An rectè dicatur, iris caua nube concipi. An iridis colores ſint ueri. Cap. XXX



Vod autem irin ſtatuunt plerique, eſſe imaginem ſolis caua nube conceptam: id uerò à nonnullis rerum naturæ peritis perſpicuè refellitur, ob incongruitatem eorum quæ contingerẽt, ſi ita detur. Nam & Poſſidonius eſſe nubem ſolis ſpeculum ſcribit, irin uerò ſolis imaginem in ſpeculo confuſam. Id ſi ita eſt, debet ſe imago illa ingerere noſtris obtutibus ex profundo nubis per tantum interſtitij, quantum ab occidente eſt ad ortum, hoc eſt, à ſole ad nubem, quæ ſpeculum dicitur ſolis. Id uerò eſſe falſum, euidens comprobat experimentum, quum ſæpius uiſatur iris longè ante nubis ſuperficiem, in qua apparet. Qui enim rerum naturam ſcrutantur ſolicitius experti ſunt: alterum iridis cornu uiſitationem facere inter obſeruãtis aciem, & montem haud ita ſeiunctum diſſitum ue, aut propinquam

pinquam arborem, à qua longo interuallo abſint nubes, in quibus item reſultet. Inde autem ita fieri coniectant, quòd montem arboremue ijſdem inſici coloribus, ſit obſeruatum. Quod uerò aſtruunt, ueros non eſſe iridis colores, meras eſſe nugas, fatendum eſt, ſi peripateticos audire ſcientiſsimos uolumus. Quum enim lux, omniũ ſit colorum hypoſtaſis, & ſubſtantia formalis, & conſtituat colores tinctis radijs in perſpicuo denſo: conſtat, ibi ueriſſimè ineſſe colores, ubi eiuſmodi lux tingit in perſpicuo aeris humidi, uel rorationis deſcendentis: eo nanq; modo, iris colores cõcipit: & ideo ueri ſunt cenſendi, tanto naturæ artificio, ut eos (ſicuti diximus) conſequi nulla queat ars, quum tranſitus internoſci haud poſſit, qui in ſequentem uertantur, nullo medio; ſicuti Boethius adnotauit in Muſicis item contingere. Ex quo rectè Ouidius,

Qualis ab imbre ſolet, percuſsis ſolibus arcus
Inficere ingenti longum curuamine cœlum,
In quo diuerſi niteant quum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.

Quod uerò ingerunt Pythagorici, ideo non uideri colores ueros, quòd non permaneant diu, uaniſſimum eſſe aiunt. Id enim obuenire, certiſſimũ eſt ſubiecti ratione, quod in dilapſu eſt conſtitutum. Alioqui colligemus, ueriorem uideri hominem uitæ diuturnioris eo, qui commoritur ſtatim productus in lucem, quod quis non uideat eſſe abſurdiſſimum?

An ex iride odor accedat uel terræ uel arboribus. In oriente cur odoratiora conſurgant. De aſpalatho, & rhamno. Cap. XXXI

SEd & parte hac ſciendum illud quoq;, ueteribus ferè creditum: terrã halitum quendam præſuauẽ emittere ex eo loco, in quem cæleſtis arcus decubuerit. Id ne quis fingi à me putet, uerba eminentiſſimi auctoris ex libro Naturalis hiſtoriæ decimoſeptimo ſubnectã: Quòd ſi (inquit) admonendi ſumus, qualis ſit terræ odor ille, qui quæritur: contingit ſæpe etiã quieſcente ea, ſub occaſu ſolis, in quo loco cæleſtis arcus decubuerit capitib. ſuis. Et quũ à ſiccitate continua immaduerit imbre, tũc emittit halitũ illum ſuum diuinũ ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Cæterum, ſcitu item digniſsimũ eſt, quod eminentiſsimus philoſophus ſuper ijs eſt commentatus: Terra (inquit) quum feruet atq; inuritur, quod ædiderit principio, bene olet. Etenim, quæ parcè humido quendam in modum recaluerint, odorata redduntur, humor enim calore cõcoqui poteſt. Hinc quæ ad Orientem ſpectant, odoratiora exſurgunt. Irin uerò efficere hoc putant, quoniam ſine aqua effici nunquam poteſt. Quum uerò materies immaduerit, caloreq; interiori concoxerit, reſpirare iam incipit, uaporemq; interius conceptum emittit. Nec uerò aquam nimiam acceſsiſſe oportet: eluit enim, atque extinguit calorem ab igne iniectum. Quæ autem poſt arcum eueniunt, ſemper ferè mediocres ſunt. Hæc qui non ſuſpicantur, quum cauſam nullam reperirent inſignem, iridi effectum contribuerunt. Quod uerò alibi Plinius ſcribit: In quocunq; frutice curuetur arcus cæleſtis, eandem quæcunq; ſit aſpalatho, ſuauitatem odoris exiſtere: ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam. Ex eodem ita compertum nobis Ariſtotele eſt, nec omnes arbores, nec ſemper aliquas odorem ita acquirere, palàm eſſe. Sæpe enim arcum cæleſtem conſtitiſſe, nec tamen arbores odoris ſpiraſſe quicquã, quod ſenſum mouere poſſet. Cauſa uerò ad arcum per accidens referenda eſt. Præſertim ſi arcus ipſe nulla eſt natura, quę fixa & permanens ſit. Sed obtutus tantum refringendi affectio & apparitio. Prouenit autem odoris affectus, ille, non qualitercunq; ſe materies habeat. Neq; enim in uiridi, neq; in arida, ſed in exuſta poſt aquam quæ arcui ſuperuenerit, certam reddi ſuauitatem odoris, paſtores referunt, præcipuè ubi aſpalathus, aut etiam rhamnus eſt, aut id genus alia, quorũ flos ſuauiter oleat. Illud de rhamno obiter adnotarim libens, ab Græcis præcipuè poetis ἀλεξιφλοιον dici, non modò quia reptilium morſus alleuet, uerum quòd aduerſum phantaſmata ſit amuletum præſtantiſsimum. Quo argumento, in parentationibus ante fores appendebatur. Meminit eius uel Euphorion, ἀλεξίκακον φύτε ῥαμνου: nec tacuit Sophron.

Iridis notiones aliquot. Radix marica. De melino colore, & giluo. Quid meline, melinophagos, melothra. Κυανίζειν quid. Iris pro arcu, unde dicatur. Aquariũ dici de iride. De arquato morbo nonnihil. Cap. XXXII

VErum ut in grammaticorum etiam diuertamus hortulos, quando & ibi dĩj sunt: ne quis protinus obijciat, ollas ostentari à nobis, sciendũ est, Iridis nomine nonnunquam placentæ intelligi speciem, sed & lapides cristallini generis: & aromaticã item herbam, quæ à Romanis dicatur radix marica, ab alijs etiam consecratrix, ab Aegyptijs uerò nar. Eius etiam commeminit Plinius: sed (ut auctor est Dioscorides) à similitudine cælestis iridis appellatio ducta. Flores enim habet mira distinctos uarietate, tum enim pallent aut albent, tum melinum præferunt colorem, quem luteũ interpretantur: quod ex Plinio euidentissimum, ac Dioscoride. Qui sorba, id est ὄα, dicit μηλίζοντα, id est colorem præferentia luteum. Apud Athenæum, Ephesiorum satrapes dicũtur fuisse melini & purpurei: sunt autem eo nomine tunicæ. Quamuis etiam à Melo insula pro candido accipiatur Plinio, Plutarcho, cæteris: Nec ignoro Seruiũ Georgicôn tertio, giluum colorem melinum interpretari. Giluum uerò sunt, qui ex Palladio cinericium accipiant. Virgilius,

Glaucicq; color deterrimus albis,

Et giluo. Melinen sunt qui pannicum interpretantur, quod & elymon dicunt, ut septimo περὶ φυτῶν Theophrastus, ab elymo seiungit melinen: sicuti καὶ ἀπὸ τοῦ μέγχρος, id est à milio. Proinde sunt quibus placeat leguminis ita nuncupari genus, quod fœmininо enuntiarint genere Sophocles, Herodotus historia tertia, Xenophon: sed postremus, melinos item: qui & ἀναβάσεως primo, in Cilicia fuisse campum, prodit: qui sesamum, melinum, milium, triticum ubertim ferret, ac hordeum. Melinen pro piso accipit Valla. Melinophagos dici ex Thracibus quosdam, lectione obseruatum historica est. Melothra uerò, id est μήλοθρα, colorum species sunt, concinnandæ faciei peraccõmodę. Verum ad iridem redeo. In ea uisuntur ex floribus alij purpureo nitore, alij cyaneo, hoc est Veneto: cuiusmodi Græci dicunt ἄνθη κυανίζοντα. Est & fluminis nomen Iris, ut apud Apollonium, ποταμοὺ ἀγχίῤῥοον ἰέναι. Quum pro arcu accipitur, trahitur à uerbo εἴρειν, quod dicere interpretamur: sicuti in Cratylo comprobat Plato: quoniam in iride præsagia cõcipiantur hyemis uel serenitatis futuræ: non quia serenitatem iris faciat, sed quoniam eius causa, est item serenitatis interdum causa. Est & pupillam ambiẽs circulus nomine eodem. Sed de eo affatim alibi. Inueni etiam, qui irin signare philosophiam autument. Iam huic capiti coronidem fueram impacturus, quum Arati uenit in mentem prodentis, Irin geminam esse pluuiarum euidens prognosticum, eo uersiculo,

ἠ διδύμη ἔχωσι δι' αἰγαὶ οὐρανὸν ἶριν.

Confirmat & illius interpres Theon: Quum (inquit) multa fuerit nubium constipatio, ex priore iride altera fit circumscriptione consimili, imbrem portendens plurimum. Nec illud prætermiserim, quod est ab Hesiodi interprete adnotatum: irin dici quoque προφητικὸν λόγον, ab εἴρω, quod est dico (uti prænotauimus) uidentes enim admirantesq; orationem proferimus. Irin postremò à Seneca dici aquariũ, adnotasse uidemur, à uirore qui in iride uisitur. Arquatum dici morbum regiũ, contendũt grammatici: de quo est illud Hieronymi notissimũ, ille putrefactus morbo regio cadaueri superuiuit suo. Sed comprimam stilum, ne ab erudita iridis disertatione exorsi, turpiter atrum desinamus in piscem: & succinat aliquis, λέπφω· ὠδίνει, parturit larus.

CAMILLI

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN LIBROS LECTIONUM antiquarum doctiſsimi Lodouici Cælij patrui, ad clariſſimum ſacrarum literarum doctorem, fratrem Sebaſtianum Delium Durantinum, Præfatio uigeſimatertia.



Oſtea quàm grauiſſimis iudicijs ſtudioſorum publici boni uiſum eſt, Lodouici Cælij Rhodigini patrui mei excultum Lectionum antiquarum opus imprimendum eſſe, cenſui facturum me operæ pretium, ſi operis, tibi Sebaſtiane, qui bonas literas profiteris, partem dicauero: noui te harum elucubrationum ſemper fuiſſe ſtudioſiſſimum, huiuſmodiq; opus miris ſemper laudibus extuliſſe. Iudicium tuum minimè ſpernandum duco. Vir etenim es & doctrina & religione præclarus. Sed quo pleniùs præcellens tua magnitudo ſtudioſis omnibus innoteſcat, diuiſio illa ſummmis approbata ingenijs in primis nobis occurrit, Bonos ſtudioſosq; tribus effici, natura, more, ratione. Etenim naſci primò oportet, ceu hominem, & non aliud animal. Neceſſaria deinde inſtitutio, quam ſubſequitur ratio. Animalia nanque muta, rationis expertia plurimum naturam ſubſequuntur. Aſt genus humanum, quod rationalis naturæ gradum habet poſtremum, artibus uiuit & ratione. Proinde, quum te optima conciperet mater, ita tibi ex puriſſimis ſeminibus uidetur corpus attemperatum, ut diuiniori animę organum eſſet exquiſitiſſimum, non (ut plerunque) impedimentum. Quod ita eſſe, ſtatim tu natus (ut audio) abundè patefeciſti. Nam ingenijs noſtris quum ſemina ſint innata uirtutum, quæ ſi adoleuerint, ipſa nos ad uitam beatam natura perducit, non tu quidem malis moribus opinionibusq; deprauatis illuceſcentes huiuſmodi igniculos extinxiſti. Sed enim primum illud propoſitum eſt officium, ut te in naturæ ſtatu conſeruares: deinde ea teneres, quæ ſecundum naturam ſunt, pelleresq; contraria. Siquidem eam morum dexteritatem, eam comitatem ac affabilitatem in te perſpicimus, quam in uiro probo deſideramus. Ob id Seraphicum ordinem & patriam tuam Durantinam illuſtras, hoſtiam te ipſum producens: propriam animam, quaſi quoddam dei uiuentis ſimulacrũ ædificaſti: templum quoq; conſtruxiſti, quum diuiniſſimam mentem tuam & intellectum ita paraſti, ut diuinam lucem facilè poſſet recipere. Ergo undecunq; optimus, undecunq; ſummus à me coleris & obſeruaris. Te igitur præſide prodeat hic Vigeſimustertius patrui mei eruditiſſimi uiri elucubrationum labor, quem tibi dicandum duximus, ob uitæ integritatem, utq; Camillum tuum mancipatum tibi certiſſimum ſcias.

Vale, & (quod facis) nos dilige, quando & ipſi te plurimum diligimus.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI VICESIMVSTERTIVS.

Super Phrygij ac Pieriæ amore adnotata paucula, decp indidèm nata parœmia. Cataphryges hæretici. Caput I



YTHEN genere perilluſtrem tradunt hiſtorici celeberrimi, uxorem duxiſſe Iapigyam, excp eo matrimonio natam illi filiam Pieriam nomine. Erat prope iuge bellum Myuntijs aduerſus Mileſios, ſed non ἀκήρυκτον, id eſt citra caduceatoris officium: quippe ſtatis temporibus patiebantur Mileſii illorum mulieres ad ſe rei diuinæ cauſa commeare. Qui mos eſt in terra Græcia diu ſeruatus: nam Spartani & Meſſenij pacati quandocp ob quædam ſacra, etiam uirgines mutuo mittebant: quumcp Laconum uirgines quinquaginta uiolare Meſſenij forent adorti, in numeroſa adeo turba ad ſtuprum nulla conſenſit, ſed & Locridas uirgines quotannis Ilium mitti ſolitas legimus rei diuinæ cauſa. In quo mirum illud, annis mille non compertam, quæ pudicitiæ labeculam ſentiret. Sed ad inſtitutum redeo. Inter eos qui Myuntem incolerent, erat hic quem diximus, Pythes: eius uxor cum filia, Dianæ celebritatem ut obiret, quam uocant Neleida, Miletum perrexit. Ibi tum Phrygius ex Nelei liberis natu maior, Pieriam conſpicatus, eiuscp forma incenſus, amare uehemẽter puellam cœpit: quicp eſt amantium affectus, cupiens illi gratificari, inſtitit quærere, quid nam ei iucundiſſimum à ſe poſſet præſtari. Prudens puella, & (quod in uiris rariſſimum inuenias) etiam pia, id uerò ſibi omnium longè gratiſſimum reſpondit fore, ſi daret operam, ut quàm ſæpiſſimè multiscp comitibus Miletum conueniendi poteſtas fieret. Animaduertit Phrygius, nil futurum Pieriæ gratius pace. Proinde Mileſiis in concionem euocatis, confeſtim de finiendo cum Myuntijs bello, decp ineunda cum eiſdem amicitia, uerba facit: placet res omnibus, componitur pax. Inde euentu tam felici, tamcp iucundis exorſo initijs, apud utruncp populum Pieriæ nomen celebre fuit: adeo ut mulieribus abierit in adagium res, ut in uotis illarum id eſſet antiquiſſimum, Sic ſe amari uelle, ueluti Pieriam Phrygius adamaſſet. Cataphrygas de regionis nomine hæreticos apud Hieronymum legimus: ſed ad Phrygium nihil.

Amor, cur apud Platonicos dicatur dæmon: & cur admirandus. Amoris principium quale ſit. Cap. II

QVia uerò in amorem uolentes incidimus, etiam ſi nõ me fallit, aliubi nos eſſe de ea re commentatos, ſuccurrit nunc, aliqua item ex Platonicorũ arcanis promamus in hoc album: præſertim quum ſciamus, Phædrum Platonicum laudibus amorem grauioribus efferre adortũ, pronuntiaſſe, Magnum uideri dæmona. Siquidem amatorius ordo, ut Platonicus docuit Proclus, cauſa conuerſionis eſt rebus omnibus ad diuinam pulchritudinem atcp formam, ſequentia omnia ad illam reuocans, eicp connectens, connexacp confirmans replenscp, dum diuini luminis profluentes inde dotes per omnia radiant. Quippe medium replet ubicp inter illa quæ appetunt & quæ appetuntur. Ipſum quidem quod eſt amandum, gradum ſibi uendicat primum. Amans autem gradum tertium ab amato. Amor denicp uſurpat inter utruncp mediũ, implens meliore deterius. Dicitur quidem & admirandus, quando id amat unuſquiſcp, cuius admiratur pulchritudinem. Ac dij quidem, ſiue (ut Chriſtianè loquamur) ultramundani ſpiritus, & aſtra matutina diuinũ amant decorem. Corpoream uerò etiam gratiam homines, quæ ſit tamen ad ſuperemi nentem ac inenarrabilem illam gradus unus, qui & primus. Nam (ut docuit ſcienter Plotinus) ſi quis amatorij affectus principium ponat, antiquam ipſius pulchri inſitam animis appetitionem, cognitionem, notionem, & quandam ſine rationis actu cognationis

tionis perceptionem. Is à ueritate cauſæ (ut arbitror) non aberrabit. Nempe quod turpe eſt, id naturæ eſt deoq; contrarium. Natura enim ſpectans pulchrum agit: ſpectat autem determinatum: quod quidem in boni ordine collocatur. Indeterminatũ uerò turpe eſt, ordiniſq; contrarij: quin in amoribus Veneream appetentes mixtionem, in pulchro quodam procreare percupiunt. Penes illos uerò, qui ab hoc pulchro in ſuperni pulchri reminiſcentiam reuocantur: pulchrum hoc, uelut imago diligitur. At penes illos qui minimè recordantur, ob affectionis ignorantiam, noſtra hæc uera creditur pulchritudo. Ac ſi temperati ſint, inita cum hoc pulchro familiaritas uitio caret, lapſus uerò intemperantium in Veneream mixtionem eſt peccatum. Hinc apud eundem Platonem improbat uehemẽter Pauſanias, ſi quis generationis auidior cõtemplationem deſerat, aut generationem præter modum cum fœminis, uel contra naturæ ordinem cum maſculis proſequatur, aut formam corporis pulchritudini animi præferat.

Venus duplex quæ ſit: deq; amore gemino. Vraniam Venerem qui adorti colere primi ſint. Malum punicam in Cypro à Venere ſatam primo. Mitra Venus. Quibus dijs non prolibaretur uino. Nephalia ſacra. Nephalia ligna. Thymum unde. Cap. III

QVia uerò humanis animis gemina ineſt uis (habemus enim & intelligendi & generandi potentiam) uires haſce duas eſſe in nobis Venerem duplicem, deprehendere Platonici ſcientiſsimi, quas & amores gemini comitent. Equidem ubi humana ſpecies uenuſtius concinnata ingerit ſeſe nobis, mens noſtra, quam eſſe in nobis Venerem unam ſtatuimus, et quidem ſuperiorẽ, eam tanquam diuini decoris imaginem, amplexatur & ſuſpicit, perq; huius quãdoq; ueſtigia ad illud arrepit, ſtruitq; gradum. Generandi uerò facultas, quæ altera dicitur Venus, pulchritudinis illecta radijs ac permulcta, formam illi perſimilem geſtit effingere. Quamobrem utrobiq; amorem recognoſcimus. Sed contemplatur unus, generare alter cupit, atq; expingere, quod decentiſſimum animaduertit. Amor uterq; honeſtus, ac probandus, ſi modò fidei non confringas teſſeram, quando uterq; diuinam cõſectatur imaginem. Nec me fallit, eruditos in mente diuina conſtituiſſe Venerem primam, cuius quidem mentis eſſentiam uocant Saturnum, uitam Iouem, intelligentiam Venerem. Alteram uerò in mundi anima, quæ ut ſuperna percipit, dicatur & ipſa Saturnus: ut cœlorum motricem habet potentiã, Iupiter: ut inferiora generat, Venus. Natam ſine matre priorem illam, ſine materia Plotinus interpretatur. Cælum uerò patrem, deum intelligunt ſummatem. Secundam Venerem ex Ioue natam tradunt & Dione, quod eſt ex potentia, qua ſphæræ perpetua rotantur uertigine. Matrem Dionem materiæ commercium intelligi uolunt. Vtranq; Venerem comes aſſectatur amor. Mentis quippe diuinæ intelligentia inſito rapitur amore ad dei pulchritudinem percipiendam. In mundi anima prolicit item amor ad pulchritudinem eandem in corporum ſerie effingendam. Hæc uerò ſignificare Plotinus agnoſcitur, quum Platonis ſentẽtia duplicem eſſe Venerem dicit: alteram quidem cæleſtem, cæli ſtirpem aſſeuerans: alteram uerò ex Ioue prognatam & Dione, humanorum cõiugiorum ducem, hæc ipſa commĩus attingentem. At illam ſine matre, & ante coniugia, quoniam nuptiæ in cælo non fiant. Hæc de Venere gemina & amoribus totidem, habui quæ dicerem, ex profundiore quàm uel ſciat uel ſuſpicetur pullatus circulus, proruta doctrina, ne quis ſuperfluò conari Platonem arbitretur, dum tanto ſtudio in amoris laudes fertur, perinde ac ſit Corcyreum flagellum. Ex Pauſaniæ uerò monumentis non negligendum illud utiq; : Aſſyrios omnium primos Vraniam Venerem adortos colere. Quos ſint inſequuti in Cypro Paphij, & ad Aſcalonem Phœnices, à quibus didicerint mox Cytherij. Sed & Athenis Vraniæ Veneri fuiſſe ſurrectum templum, idem comprobat Pauſanias. Superiora Herodoti comprobantur monumentis in integris codicibus libro primo, ubi adiectum & illud comperias: Scythis, qui templum in Aſcalone expilarũt, ira numinis cum poſteritate omni fœmineum morbum eſſe immiſſum: quo argumento Euares ſint appellati: indicat id uerbum καταρωτους, id eſt execrabiles. Scribit tamen auctor idem, quod nec in Latino reperias, Venerem ab Aſſyrijs dici Mylittam, ab Arabibus Alyttam, à Perſis Mi-

tram. Hiſtoria tertia idem prodit Herodotus, Arabas Dionyſium modò & Vraniam deos putare. Scitu uerò dignum: Athenis ſacra Veneri Vraniæ celebrari conſueſſe nephalia, hoc eſt citra uinum, ſicuti Mnemoſynæ, Muſis, Auroræ, ſoli, lunæ, nymphis: quin Dionyſio item ac Erechthei filiabus, ut prodidit Philochorus. Sunt uerò & nephalia quoq́, ligna quæ uitiginea non ſunt, aut etiã ficulnea, ſicuti autem adiecit idem Philochorus, thymi lignum propriè nephalium uocatur, quo uſi primũ in ſacris igne factis ueteres feruntur: unde & thymo conciliatum nomen, παρὰ τὸ θυμιᾶσθαι καὶ τῷ θυέιν. Venerem omnium principem malum punicam in Cypro ſeuiſſe, traditum ab mythicis ſcio.

Cur amor heros dicatur, item eros: necnon amoris commendatio. De amicitia quæpiam haud exculcata: item Cratero, & Hepheſtione. Cap. IIII

VErum ut à campi puluere & à palo (quod dicitur) ad tabernaculi umbracula, hoc eſt ad leuiora multo reclinemus, ſcribit Plotinus: Amorem heroa dici, fortè quoniam ἀπὸ ὁρμῆσεως, hoc eſt à uiſione, ſubſtantiam habet: quando & amor, qui affectio eſt, ab hoc habet inſtinctũ. Amorem porrò, Græci ἔρωτα uocant: quia (ut Plato inquit) εἴσρει, hoc eſt influit, extrinſecus per oculos. Quamuis etiam in Phædro, ἀπὸ τῆ ῥώμης, id eſt à robore ac uehementia, dici erota Socrates putet. In quo libro & illud inuenias, quoſdam tradidiſſe, Amorem dici à mortalibus ἔρωτα, uolatilem: ab immortalibus autem, πτέρωτα, id eſt alatũ quendam, propter uolandi neceſſitatem. In Sympoſio Socrates aſſerit, ſe nihil præter amatoria ſcire. Phædrus uerò maximorum bonorum cauſam eſſe amorem, pronũtiat: nec ſe inuenire, quid melius accidere poſſit adoleſcẽti, quàm optimus amator: aut amatori, quàm amatus optimus. Et eſſe quidem duo, quæ à puerilia per omnem uitam ducere illum debeant: in rebus turpibus, uerecundiam: honeſtis, ſtudium. Hæc autem nobis neq́ diuitiæ, neq́ honores præſtare citius poſſunt ac melius, quàm amor: neq́ abſq́ his duobus, aut ciuitas unquam, aut priuatus, præclarum aliquid & magnificum perficere poterit. Nec ullus adeo ignauus eſt, quem amor nõ inflammet ad uirtutem, diuinumq́ reddat, ut uiro fortiſsimo par euadat. Nam quod Homerus inquit, uim furoremq́ à deo quibuſdam heroum inſpiratum, hoc amor amantibus efficit: quin etiam pro altero mori, amantes ſoli eligunt: nec uiri tantum, ſed mulieres quoq́. De amicitia uerò hic illud ex Platonicis item ſubiiciamus ſcholis: amicos cenſeri eos præcipuè, qui ſtudio cõpari ad uirtutem contendant, ſtudioq́ mutuo ad procinctum feſtinẽt, ac animi cultum: hic autem uirtute conſtat ſola. Virtus uerò, non aliud quàm ſapientia eſt: ſapientia, diuinorum cognitio creditur, quam ſanè lux nobis diuina exuberans, latius infundit. Proinde ſic colligе: Cultum animi, Dei ipſius eſſe cultum: amicitiam uerò, quum duorum conſenſu ad capeſſendum animi cultum connitat, nil eſſe aliud omnino, quàm duorum animorum ſummam euigilatamq́ in deo colendo concordiam. Vnde trium cooritur beneuolentia, quando hominib. duobus ita affectis tertius accedit amator, deus, qui amicitiæ indiſſolubilis eſt nodus cuſtosq́ perpetuus. Quæ ſanè ratio admiranda Zoroaſtri ueterum theologorum principi, Arimaſpem conciliauit, Aeſculapium Mercurio, Orpheo Muſæum, Pythagoræ Aglaophemum, Platoni Dionem prius, mox & Xenocratem: qui omnes numine illuſtrante, opere uno, ad metam unam tanquam eodem calle ad eundem itineris feſtinarunt terminum. Addamus id amplius, cæleſtium rerum ſtudioſos arbitrari, mutuam inde beneuolentiam conflari: quum in geneſi, luminum (id eſt ſolis & lunæ) fuerit commutatio: ut ſi, me in uitalem prodeunte lucem, ſolem geſtarit Aries, lunam Sagittarius: te uerò, ſolem Sagittarius, Aries lunam. Aut quibus idem ſignum uel haud abſimile, idemq́ planeta ſimilisue aſcenderit: aut Orientis angulum benigniores conſpexerint planetæ: aut in eadem natiuitatis domo Venus, eodemq́ fuerit gradu conſtituta. Ex Platonica uerò ſchola eſt, ſi dæmon compar acceſſerit uitæ ductor. Adiiciunt naturæ periti cõſtitutionis ſimilitudinem, educationis, eruditionis, conſuetudinis, ac denicq́ conſilij. Dignum ſcitu, de Cratero & Hepheſtione amicis interioribus, ita ſanxiſſe Alexandrum, uti illum diceret φιλοβασιλέα, hunc autem φιλαλέξανδρον.

Semira-

Semiramidis ſepulchrum. Auaritiæ ſuggillatio, cum Philippi apophthegmate. Item plura de Semiramide. Quæ ſit Derceto, ſeu Atergatis: item Aſtarte. Piſcium cæleſtium hiſtoria. Chelidonia. Aſtures aues, & falcones. Quę dicantur manica, mannos, mannophoros, manni, burdi, burdones, maniacia. Gatis regina. Hieronymi ad Pammachium locus reſtituitur. Agron Nini filius.

Caput V

SEmiramidem Orientis reginam, & mulierum omnium quarum ex hiſtoria ad nos perlata notitia eſt, longè celeberrimam: quamcꝫ cum Cyro præcipuè admiratus Alexander fertur, quòd in illis magnitudo animi, & rerum claritas plurima emicuiſſet, legimus: quum ſibi iam magno natu monumẽtum in quo perfuncta humanis reconderętur, ſtrueret, inſcriptionem eiuſmodi exſculpendam curaſſe: Quicũcꝫ ex regibus pecuniæ inopiam ſenſerit, conditorio recluſo ſumat inde quicquid uiſum fuerit. Id quum perlegiſſet Darius, ut qui auri foret auidior, ſepulchrum iuſſit recludi, ſed in eo pecuniam quidem inuenit nullam: in eas autem incidit literas, Εἰ μὴ λακὸς ἦθ' οὗτος, καὶ χρημάτων ἄπλητος ἦν, οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἐκίνεις. quod eſt Ni malus uir fores, & pecunia prorſum inexplebilis, non utique mortuorum loculos moueres. exprobatione lepida in ſacram auri famem, ut eminentiſſimi auctores dixere. Quæ dum uetita ſcrutatur, per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes, dum ipſa ſibi uidetur inops: dum recondere geſtit, quo non perfruatur, ſed cuſtodiat: ſæpe conatu excidens, ridiculam ſe præbet, rediens inanis, renudata modo auiditate, in immenſum uela pandente: etiam ſi nunquam non auſtrum percellat, & operam ludat, ſi naturæ pomœria anguſti ſunt ambitus, quibus facilè paria neceſſitatibus facere ualemus. Sed efferatam hanc habendi cupiditatem amarius repercuſſit Philippus quoque, auarum nactus medicum, & indeſinenter efflagitantem. Pars eſt in corpore, qua collo adnectitur pectus: ea dicitur Græca uoce κλεὶς, id eſt clauis. Fortè prælio quodam con uulneratus eo loci fuerat Philippus, curabaturcꝫ, ut aſſolet. Qui eo fungebatur munere, quum expleri muneribus non uideretur, inſuſurrauit Imperator, λαβὲ, ὅσα βούλει, τῶν γὰρ κλεῖν ἔχεις. cape (inquit) quantumlibet, quando clauem habes. Sed ne prorſum feramur πρὸς μέλον (quod aiunt) id eſt extra cantilenam: Semiramidem deæ cuiuſdam Dercetus fuiſſe filiam, fabuloſa prodit hiſtoria. Eius templum fuerat ad Aſcalonem Syrię ciuitatem, apud ſtagnum piſcibus plenum. Eandem Plinius prodigioſam uocat Atergatin, quòd eſſet facie hominis, at corporis reliqua in piſcem deſinerent. Ferunt, Venerem factam deæ illi obuiam quandocꝫ, adoleſcentis ſpecioſi amorem iniecciſſe, cui permixta Derceto filiam conceperit, quam pudore ducta mater, in deſertis locis ubi aues forent plurimæ, expoſuerit: quæ connutrita puella, cauſam etiam nomini fecerint: quippe Syrorũ lingua, ſemiramis auitium ſignat. At enim dolore percita Derceto ex facti turpitudine, in lacum ſe præcipitem dedit, deformataꝫ in piſcem eſt: quo nomine, piſcitꝫ abſtinẽtia ſanctiſſimè à populis illis colebatur. Et hinc Atergatis quoque nuncupata, quoniam illarum gentium uocabulis, ater priuationem dicat, & gatis piſcem. Nam & libro ſextodecimo Strabo auctor eſt, Atergatin à Barbaris dici, quæ ſit Athara, quamcꝫ Cteſias uocarit Derceto. Et Cornutus eandem cum Rhea eſſe putat. Lego præterea, Aſſyrios deo quem ſummũ maximumcꝫ uenerantur, Adad nomen dediſſe: cuius interpretatio nominis eſt Vnus, qui non alius ferè ſit, quàm ſol. Subiungunt, eidem deam nomine Atergatin, quam eſſe terram opinantur. Omnem uerò poteſtatem duobus his attribuunt. Sunt qui putent, Dercen Veneris filiam in mare prolapſam, à piſcibus in cælũ mox tralatis fuiſſe ſeruatam: quo nomine, Syros in menſam piſces non admittere, ut ſcribit Theon. Piſcem uerò Boreum hirundinis præferre caput, propterea cꝫ ab Chaldæis piſcem nuncupari Chelidoniam. In huius autem ac notꝫ meditullio ſydus conuiſitur, quod οὐραῖον uocant Δεσμὸν, id eſt caudariũ uinculum. Extat autem apud Tarſenſem Antipatrum in commentario De ſuperſtitione, fuiſſe qui traderent, Gatida Syrorum reginam opſophagon, id eſt gulæ mancipatã eatenus, ut per edictum denuntiaret, ne quis ἄτερ γαλεώτου, id eſt ſine gatide piſcitio ueſceretur. Per inſcitiam uerò pleroſque eandem dicere Atergatin, & abſtinere piſculentis.

Reginam tamen Atergatin agnoſcit Mnaſeas immitem, quæ piſcibus abſtinere iuſſerit reliquos, quoniam eo cibo ipſa inſigniter caperetur. Hanc à Mopſo Lydo in mare præcipitatam Xanthus ſcribit, cum Ichthye filio, & à piſcibus deuoratam. Nec me fallit, Aſtarten quoque fuiſſe in Syria deam, ut Aelianus auctor eſt, ac in Apologetico Tertullianus. Sed eam eſſe Venerem quartã, quę Adonidi nupſerit, manifeſtum Marcus Tullius facit, De deorum natura tertio. Qua in re addubitaſſe uirum in literis clarum, admiratione non caret. Sciendum tamen, Auguſtinum in libro Iudicum, Aſtarten non aliam putaſſe, quàm Iunonem. Aſtures autem uulgò notæ aues ſunt, ſic nuncupatæ Firmico Matheſeos quinto, qui & falcones non reticet. Porrò inueni in Græcorum ueteribus memoriis, Semiramidem poſtea quàm Nini uxor ſit facta, ſic illum deſpexiſſe, ut extentis ab eo precibus contenderit, uel diem modò unum in regia ſella ſedere permitteret, diademate cultam, obeuntemq; regium munus iuri dicundo ſancien doq;, quæ uiderentur. Quum adnuiſſet Ninus, omnesq; dicto audientes eſſe imperaſſet, perinde ac ſibi: tum illa ſatellitum ingenia & promptitudinem periclitans, modera tè admodum initio uti imperio eſt uiſa: Vt uerò nil omnino aduerſantes eſt conſpicata, ac ſtrenuè quæ forent iniuncta perſequentes, mox comprehendi Ninum iuſſit, ac in uincula conĩci, atq; inde interimi. Semiramidis item honeſta Plutarcho mentio eſt: Præclara (inquit) cenſentur in Aſſyria Semiramidis facinora: magna item in Aegypto Seſoſtris. At Phryges, uel nunc illuſtria admirandaq; Manica nuncupant, ob Manin ipſorum regem uetuſtiſſimum bonitate, ac potentia perinſignem. Eum uerò à quibuſdam etiam Maſdem uocari. Dicitur & mannos, colli ornamentum: unde mannophori nuncupantur maniacia habentes, id eſt aurea peritrachelia. Apud Galenum manotica legimus alimmata, quibus intelligũtur, quæ litu rarefaciendi uim habent: ſicuti addenſantia, dici pycnotica ualent: nam πύκνωσις & μάνωσις, contrariæ intelliguntur affectiones. Mannos item, ſeu mannulos, ut eſt apud Martialem, equos dicũt haud ita magnos ac præmites, uulgus (uti ſcribit Porphyrio) burdos uocabat. Hinc reſtitui poteſt Hieronymi locus ad Pammachiũ, Vbi feruentes uideris buricos mannos: legendum, feruentes mannos. nam burdos, ueluti interpretamentum ab ſciolo quopiam ſuperadditum per imperitiam mox contextui eſt inſertum: nec in omnibus codicibus id agnoſcitur uerbum. Burdones dici uidentur quoq; ab Iureconſulto, Digeſtorum triceſimo ſecundo, ac De legatis tertio. De Semiramide nouimus & illud, Ab ea inſtitutum morem, ut uiris dominarentur uxores in Aſia. Quam conſuetudinem, Alexandro res ibi gerente, ſeruatam etiamnum, exploratiſſimum eſt. Sunt qui ab eadem comperta primum metalla prodant. Cæterum, ipſa hæc tam celebris, tamq; omnium laudata calculis, libidine efferata in ſæuitiem quoq; dilapſa fertur: nam quum à uiri obitu in concubitum ſibi ex militibus deligeret, appeteretq; qui in caſtris forma præſtarent, omnes poſtea immaniter atq; efferatè contrucidabat. Demum à filio Nino interemptam, produnt aliqui, quum eius quoque congreſſum appetiſſet. Diodorus à fabulis ſuis non recedens, quum præfectis omnibus, ut filio audientes dicto forent, iniunxiſſet, euanuiſſe comminiſcitur, atq; ex oraculo ad deos abiiſſe. Sunt ex Græcis, qui Nini filium in agris natum, putent Agrona nuncupatum.

Quæ ſint ſeptem orbis terræ celebrata ſpectacula: quamq; in iis euariet hiſtoria. Capitolinus Iupiter, qui Coryphæus. Diana Coryphæa. Interim de Serapeo Alexandriæ. Pyramides cur dicantur. Cap. VI

SEd enim quia eiuſdem fœminæ opus fuiſſe narratur, mirabilis obeliſcus, longitudine centum & quinquaginta pedum, latitudine uerò ſpiſſitudine q; quatuor & uiginti, ex Armeniorum montibus lapide exciſo: qui ob rei excellentiam uia nobiliſſima Babylone excitatus, inter ſeptem miranda connumeratur, non ineptè fecerimus: quoniã bibliotaphi non ſumus, & promos illos ſordidos ac tenaces auerſamur, quibus condum agere, in ſumma uotorum eſt: ſi quæ de ſeptem illis orbis terræ celebratis miraculis, etiam ſi otioſis parte plurima, inertibusq;, compertius ſunt adnotata nobis, huic potiſsimũ parti ſuppinxerimus. Ergo in eum uenit ordinem, Dianæ in primis Epheſiæ templum: inde Mauſolæum

læum, hoc eſt Mauſoli ſepulchrum: coloſſus ſolis apud Rhodios: Iouis Olympici ſimulacrum, quod Phidias fecit ex ebore: muri Babylonis, quos item excitarit regina Semiramis: pyramides in Aegypto, ipſe hic (de quo diximus) obeliſcus. Cæterum, ſtudioſi amplius commonendi, ex ueteribus non omnes eadem ſenſiſſe: nam ex ijs quæ recenſuimus, aliquo expuncto, ſunt qui Cyri regis archiuum ſubſtituant, quòd arte prodiga Memnon ſit confabricatus, illigatis auro lapidibus, ſicuti Caſſiodorus ſcribit, Inueniqui urbis Romæ Capitolium hiſce inſererent miraculis: cuius excellentiam mirè effert Ammianus Marcellinus, ubi ait, Serapeum Alexandriæ atrijs & columnis ampliſſimis, ac ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, ut poſt Capitolium, quo ſe uenerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum cernat ambitioſius. Erat tamen in Vrbe, uetus Capitolium & nouum: & hoc quidem regione ſexta, octaua illud. In Capitolio præterea deorum omnium ſimulacra celebrabantur. Sed & apud Corinthios ſupra theatrum, Iouis erat ſacellum, quod Romana uoce Καπιτωλίου Διὸς dicebatur: ſed (inquit Pauſanias) nuncupari Græcè λοφυφᾶτα ualet. Verum & apud Epidaurios in montis apice Dianæ uiſebat ſacellum, quam uocant Coryphæam, cuius quodam cantico meminerit Teleſilla. Adeoq; euariat hiſtoria, ut in libro quo rimatur exactè Plutarchus Prudentioráne terreſtria ſint an aquatica, Ceratinon Apollinis aram ἐν τοῖς ἐπὶ καλυμβίοις θεάμασι ὑμνούμενον ſcribat, id eſt inter ſeptem ſpectacula celebratã. Sed & penſiles Babylonis hortos in hanc cenſuram plerique admittunt. Cæterum de pyramidibus, cur ſic dicantur, ambagioſum grammaticis ſit: quibuſdam eos laceſſentibus, qui ἀπὸ τοῦ πυρὸς id eſt ab igne, inflecti opinantur, quoniam abſq; auctore dici credunt. Propterea Stephani ueſtigia inſequuti, ab tritico, quod πυρὸς nuncupatur, deduci malunt; quoniam eo illuc aggeſto, fames per Aegyptum irroborarit. Sciendum tamen, prioris ſententiæ auctorem uideri Ammianum Marcellinum libro ſecundo & uiceſimo: Quia (inquit) figura in acutum deſinens, ab geometris ſic appellatur, quòd in morem ignis in conum ingruat.

Byſſina uerba, quæ intelligantur. Quid in oratore præcipuum: deq; in oratione magnificẽtia, & ſplendore. Aſiatica oratio. Quid epiphonema. Virgilius illuſtrat bis. Cyriologia. Altercatio ab oratione quo differat. Sine controuerſia quid ſit. Actio & oratio quo differãt. Hordearius rhetor. VII

Dary ſatin Cyri & Artoxerxis matrem dicere ſolitam, accepimus: Regem qui prompte nec animo timidiore concionaturus foret, debere byſſinis uti uerbis. Id quum amplius dignum obſeruatione eſſet uiſum, ſcrutabamur accuratius, quid nam altiſſimi ſenſus mulier complecti ea ſententia uoluiſſet. Ac illud quidem non ineptè ex eruditorum albo uidemur eruiſſe: Byſſina uerba dici, quæ ſublimitatem habeant ac magnificentiam, nitorem quoq; & autoritatem: quando hæc pars eſt, quæ popularem exprimere fragorem poteſt, ac efficere, ut dicentes laus proſequatur inſolita. Etenim quid aliud fuiſſe credimus, cur populus Romanus in cauſa Cornelij admirationem, non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur? In ea profectò (quod Fabius ait) maximus omnium orator, non fortibus modò, ſed etiam fulgentibus armis eſt præliatus. Nec id unquã eſſet aſſequutus docendo iudicem tantum, & utiliter demum ac Latinè perſpicueq; dicendo. Optimus (inquit M. Tullius) eſt orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Docere, debitum eſt: delectare, honorariũ: at neceſſarium, permouere. Hi ſunt, quos exhorreſcunt homines, quos ſtupent dicentes: in quibus exclamant, quos deos inter homines (ut ita dicam) putant: qui diſtinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus & uerbis dicunt: & in ipſa oratione, quaſi quendam numerum uerſumq; conficiunt. Sed quærat fortaſſe quiſpiam, quidnam in oratione ſplendidum propriè dicamus aut magnificum. Nam & libro tertio Quintilianus uerborum magnificentiam non ualidius aſtruit affectandam ſuaſorias declamantibus. Et libro quarto: Tribus (inquit) narrandi uirtutibus adijciunt quidam magnificentiã, quam μεγαλοπρέπειαν uocant. Hanc uerò mox uidetur Fabius intelligere ſupra modum ſe attollentem orationem. In Rhetoricis ad Alexandrum, in ratione generis demonſtratiui

monſtratiui Ariſtoteles ita ſcribit: Congruet autem laudibus, nominibus etiam multis circa unumquodq; uti, & ſplendidam facere orationem atq; magnificam. At Fortunatianus, Quæ ſunt (inquit) uerba ſplendida? quæ natura ſua nitida ſunt, quæ copulata facilius claritatem ſuam oſtendũt: ut quadriremem, quam in ſalo fluctuantem reliquit: Sed hæc magnificentia (inquit) atq; magnitudo, non omnibus eſt accõmodata locis: quoniam ſunt quædam partes cauſæ, quæ uerba humilia deſiderant: ut latet in ſcalis tenebroſis Cominius. M. Tullius libro De oratore ſecundo, genus dicendi in Craſſo magnificum fuiſſe dicit atq; præclarum. Et ſeptimo Noctium Atticarum Gellius: Magnificum in Vlyſſe apud Homerum, & uber dicendi genus admiratur: ſubtile in Menelao, & cohibitum: mixtum in Neſtore, ac moderatum. Demetrius Phalereus in libro περὶ ἑρμηνείας, agens de characteribus, magnificum tenui contrarium ſtatuit, propterea q; illi nõ permiſceri: mox uerò magnificum item logion dici autumat, ac tribus conſiſtere, ſententia, dictione, nec non compoſitione commoda. Syntheſis autem magnifica, calculum quoq; Ariſtotelis adijciente ſententia, eſt pæonica. Pæonis uerò ſpecies duæ: nam unus procatarcticus nuncupatur, cuius prima ſyllaba extenditur, corripiuntur tres inſequentes, ut ἤρξαν δὲ: alter uerò catalecticus, priori antiſtrophus, nam primæ corripiuntur ſyllabę tres, poſtrema productiore, ut τὰ ἀρμβεια. In orationis autem magnificæ colis, à procatarctico exordiendũ pæone, ac conſequi catalecticus debet: prorſumq; ita diſtribuendum, ut à longis ducatur initium, & deſinentia fiat in eaſdem. Siquidem natura longis ineſt præcellens quiddam: & (quod ſcitu digniſſimũ eſt) compoſitionis ἀνσφωνίαι, hoc eſt aſperitas, orationi plerunq; magnitudinem conciliat: ut apud Homerum totius eloquentiæ auctorem eminentiſſimum,

ὣς ἄρ' ὁ μὲγας ἀϊὼν ἐφ' ἕκτορι χαλκοκορυστῇ.

Sed apud Maronem quoq;,

Fremet horridus ore cruento.

Epiphonema quoq;, quod eſſe dictionem exornantem deſcribere licet, in oratione uel magnificentiſſimum, arbitrat idem Demetrius. Nam alia ſunt, quæ enuntiationi ſubſeruiunt: alia ornatus gratia inferuntur, ut apud poetarum coryphæum, quem male feriati multi non enarrant quidem pueris ſuis, ſed inuoluunt, implicant, cõuellunt: etiam ſi in ſua ſe illum poteſtate habere, deblaterant ſæpicule,

Tantæ molis erat, Romanam condere gentem.

Omninoq; uidetur epiphonema triglyphis diuitum perſimile, ac purpuræ latiori. Eſt enim ipſum quoq; in oratione diuitiarum indicium. Denique etiam poetica quandoq; magnificentiam in dicendo reſipiunt quandam. Cæterum, hæc non tam imitatio fuerit, quàm metatheſis. Nam & ſi quid à poeta mutuetur Thucydides, proprietate quadam circumueſtiens, ſuum uideri facit. Etenim Homerus Cretę uolens magnitudinem exprimere, περιῤῥύτην uocauit. Thucydides uerò honeſtum putat unanimiter ſentire Siculos, γῆς ὄντας μιᾶς καὶ περιῤῥύτου, id eſt unius exiſtentes terræ ac circumfluæ. Vbi idem utiq;, ſed tamen diuerſum dicere uidetur, quoniam non tam reſpicere magnitudinem creditur, quàm concordiam quoq;. Magna profecto res eſt ac præcellens, appositè ſciteq; ornaſſe orationem, & quæ paucisſimis omnino cõtingat. Reliqua huius paleſtræ etiam multis. Hoc illud eſt quod admirationem parit. Cultam uerò ſanamq; orationem huiuſmodi, cyriologiã uocant Græci, ſine lenocinio expolitam intelligentes. Quamobrem rectè Cicero quadam ad Brutum epiſtola: Eloquentiã (inquit) quæ admirationem non habet, nullam iudico. Ariſtoteles quoq; eandem maximè petendam putat. Sed ornatus hic eſſe uirilis debet: cincinnis enim offendimur & fuco: nam & unguentis minus diu oblectamur ſumma & acerrima ſuauitate conditis, quàm iis moderatis. Quin laudatur magis, quòd terram (ut Cicero inquit) quàm quòd crocum olere uideatur. Niſi quòd in demonſtratiuis floſculos omnes, uelut inſtitor quidam eloquentiæ, captabit orator. Aſiaticam orationem putat Cicero adoleſcentiæ congruere magis, quàm ſenectuti. Eſſe uerò genera eius duo: unum ſententioſum & argutũ, ſententijs non tam grauibus & ſeueris, quàm concinnis & uenuſtis: alterum non tam ſententijs frequentatum, quàm uerbis uolucre atq; incitatum. In oratore autem opimum, &

tanquam

tanquam adipale dicendi genus Carum, Phrygum, Myſorum irridetur. Illud minus omittendum: orationi perpetuæ altercationem opponi, quippe cauſa perorata, quum iamiam in conſilium mittendi iudices forent, actor & reus oratione breui ſe inuicem impetebant: quod ſcribit Quintilianus, & in quadam epiſtola Plinius, poſt perpetuam orationem ueniſſe ad altercationem ſcribit: quin T. Liuius rem ab perpetuis orationibus in altercationẽ uerſam tradit. Comperti quandoq; ſunt altercatione potentiores, quàm oratione perpetua. Altercationis exemplum eſt pulcherrimũ primo Epiſtolarũ ad Atticum. Oratio ſine controuerſia nuncupatur, in qua ſtatus reperiri haud queat: hinc Gellianum illud rhetoris Iuliani, Adoleſcens hic ſine cõtrouerſia diſertus eſt. Ad rem pertinet illud quoq; : actionem contineri modò intra cancellos diſceptantiũ. Agi quippe cauſa dicebatur, quum de re cognoſceret iudex. At cauſa iam tranſacta, oratio plerunq; in libris conſcribebatur. Proinde ſcimus factum quandoq;, ut in agendis cauſis celebrarentur multi, quorum in conſcribendis orationibus improbabat induſtria. Hinc tradit Dion: quum Miloni oblata Ciceronis oratio foret, in id prorupiſſe, ut nunquam habitam aſſeueraret. Nam ſi (inquit) ſic actitata eſſet cauſa, mulos Maſſiliæ non eſitaret Milo. Aſtipulatur in Epiſtolis libro primo Plinius: fieri poſſe inquiens, ut ſit actio bona, quæ non ſit bona oratio. Non poſſe autem non bonam actionem eſſe, quæ ſit bona oratio. Eſt enim oratio, actionis exemplar, & quaſi ἀρχέτυπον. Plotium Gallum appellabat Marcus Cælius hordearium rhetorem, ut inflatum irridens ac leuem ſordidumq;.

Byſſina ueſtimenta quæ ſint. De phæo paucula obiter: deq; lineis, ſeu camiſiis. Amorgina ueſtimẽta. Leucophæus, leucotheus, leucothea. Thapſinus color. Caput VIII

CAeterum illuc iam reclinandum, cur byſſina dicantur uerba, de quis latius iam diſſertaſſe uidemur. Byſſina ueſtimenta ex Græcis quidam interpretantur dici ſucco herbæ infecta, quæ dicatur byſſus. Nam in Theocriti pharmaceutria, pro colore byſſum accipiunt: & βύσσινον, Sudas interpretat βύσσῳ βεβαμμένον. Et in Euangelio, diuitem legimus byſſo ac purpura induí ſolitum. At Pollux Onomaſticí ſeptimo, líni genus accipit byſſum apud Indos. Leuitici capite uiceſimoſexto: Cortinas præcipit Dominus de byſſo fieri retorta & hyacintho ac purpura, coccoq; bis tincto, uariatas opere plumario. Eſſe uerò byſſum ínibí teſtantur interpretes, líni genus candidíſsimi. Vnde Apocalypſis decimonono: Byſſínum enim, iuſtificationes ſanctorum ſunt. Et Prouerbiorum tertiodecimo: Byſſus & purpura, indumentum eius. Eſt & nomine eodem pretioſior lana, colorem præferens auri ac nitorem, uti uiſum pleriſque. Byſſum apud Elídem modò naſcí Pauſanias ſcríbit, ac nullíbi præterea in Græcía. Tenuitate nec eſſe Hebræa inferiorem, uerum eſſe flauam minus. Plínius decimonono: Aſueſtíno (inquit) líno príncipatus toto orbe, proximus byſſíno, mulierum maximè delicíjs circa Elín in Achaía genito, quaternis denarijs ſtípula eíus permutata quondam, ut auri. Byſſí meminit & Philoſtratus íjs ferè: Homines (inquit) quí ſecundum Indum flumen habitant, líneis amiciuntur ueſtibus, etenim línum in agrís plurímum naſcítur: calciamenta geſtant ex byblo, ſíue papyro: nobilíores, byſſo índuuntur. Byſſum uerò ex arbore naſcí ferunt, quæ baſí quí dem populo ſit perſímilis, folijs uerò ſalící. Nam ab Indis legí ex arboríbus línum, auctor ſcríbit Arrianus. Id quum uidiſſet Apollonius, lætatus plurímum eſt, ἐπαῤῥὴ ἔοικε φαιῷ τελβωνι, id eſt, frugí amíctum phæum quoníam referre uídebatur. Díximus alíbi, phæum tradí (Galeno auctore) colorẽ in nigrí albíq; meditullío, ineſſe uerò lugubre quíddam apparet, in Demetrij & M. Antonij híſtoría. Nam Antíochus cognomento Hierax, ubi fratrem quo cum de regno certauerat, interemptum credidit, purpura poſita, phæum ſumpſiſſe índumentũ dicítur, auctore Plutarcho. Sordídos etíam panes, phæos nuncupauit Alexis. Verum & in Nemeæís, quod epitaphium certamen fuit, aſſediſſe iudices legímus ſtolís circumamictos phæis, atq; ita de certantíbus pronuntiaſſe. Inde leucophæum dící, norunt paulò eruditíores. Apud Firmícum Matheſeos ſecundo, leucotheũ nuncupari colorem legas ſæpícule: Líbra (inquit) colorem ſignat

uirídem

uiridem & leucotheum: ni fortè mendum exemplarium eſt. Leucotheam uocari Ino, cecinerunt mythici, quoniam furens per Leucum agrum excurrit, qui adiacet Megari di, & in mare præcipitem ſe dedit. Sed Nereidas item Leucotheas appellauit Myrſinus. Emplaſtros phæas in Dioſcoride, nigras interpretantur, Celſo auctore. Byſſinæ porrò ueſtis commeminit Hieronymus quoq;, quæ adhæreat corpori, & ea utantur ſacerdotes, ut habentes ueſtimentorum pulchritudinem, diſcurrãt nudorum celeritate. Byſſinas uerò haſce, lineis militaribus conſimiles arbitratur, quas ſermone uulgato caſias uocent, quibus conueſtiti milites, & ad curſum expediti, & ad prælia peruibrando iacula ſint præceleres, quũ aptæ habeantur membris, & aſtrictæ corporibus. Erant & amorgina ueſtimenta byſſinis ferè ſimilia, meminit contra Timarchum Aeſchines. Sed Eupolis quoq;, & in Lyſiſtrate Ariſtophanes, eſt enim lini ſpecies amorgis. Erant uerò indumenta hæc πολυτελῆ, id eſt impenſæ multæ. Quoniam uerò de phæo actum nobis, cui inſit lugubre quiddam, haud ab re puto illud adieciſſe: thapſinum dici funereum colorem, quia in Phocione ita ſcribit Plutarchus: Teniæ (inquit) quibus peruinciunt μυρτικὰς κοίτας, θάψινον ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα καὶ νεκρῶδες ἀνθοῦσαν. Sunt qui flauum interpretentur, ab thapſo, unde inficiuntur lanæ, quin & capilli, quod eſſe Scythicum arbitrantur. Thapſinas tunicas, in Ptolemæi pompa ex Callixeno recenſuit Athenæus.

Indi ſagittarij exemplo commoneri nos, quàm ſit famæ parcendum. Indorum ſagittæ quantæ, qualesúe habeant ex hiſtoria. Chele, Glyphis. Glyphon. Glyphanon. Glyphiũ antrũ. Glyphiæ nymphæ. Crenæ. Ca. IX

AMæ diſpendium quanti omnino faciendum ſit, præſertim ſi auctior ea ſit, inq; hominum animis diu iam irroborarit, multa (opinor) perdocent abundè: ſed exemplum tamen unum ex ueteri memoria ui quadam ampliore mentibus affigere uidetur. Fuit inter Indos ſagittator eximius, de quo percrebuerat fama, ſagittas ab eo tanta peritia dirigi, uti uel per annulum tranſirent. Fortè uir hic ad Alexandrum captiuus eſt perductus, ea tempeſtate qua is Imperator aduerſus eas gentes proferebat imperiũ. Quumq; hominis gloriam inaudiſſet, optauit, ſe præſente oſtentari artem. Renuit ille. Indignatus Alexander rapi eum iuſſit, ac interimi. Dum uerò ad ſupplicium duceretur, conuerſus ad milites: Ego (inquit) per multos dies artem excutiendi ſagittas deſieram, nec minimum quidem in eo exercebar: proinde ueritus, ne ob inſuetudinem uoto excíderem, recuſaui quod iniunxerat Imperator. Quum Alexandro nuntiata forent ea, mitti hominem eueſtigio iuſſit, multisq; etiamnum donis affecit, animi altitudinem miratus, mori præoptantis, quàm uideri opinione minor. Tela uerò, quæ Indus excutiat ſagittator, eſſe Arrianus ſcribit, trium propè cubitorum, ferriq; tanta ui, ut non clypeus, non thorax, non aliud quicquam ſummæ firmitudinis & quàm ualidum obſiſtere obluctariue queat, ſi ab Indo ſint emiſſa. Q. Curtius duorum modo cubitorũ ſagittas facit, ni alterubi mendum, interpellatumq; ſit exemplarium. Ex abundanti uerò fuerit, in ſagitta chelen, aut exciſionem cui inſeratur neruus, dici glyphida. Eſt & eo nomine columnæ caput: ſed & ſcalptorium inſtrumentum, quod glyphon item uocant: quin & glyphanon Theocritus. At Glyphion cum antro mons eſt, unde ſunt Glyphiæ nymphæ. Nec illud ignorandum: glyphidas in ſagittis, Latinè crenas nuncupari; quanquam & arcuũ ſumma ſuas habent crenas.

Qua ratione inficerent ſagittas Scythæ: deq; eorundem more in ſagittando. Tollitur ex Plinio obſcuritas. Arabas item, ac Indorum nonnullos tingere ſagittas ueneno. Cur Galli ſagittas helleboro collinãt. Toxicum unde. Conion. Coniazomenos. Brachmanum mos inficiendis ſagittis. Cap. X

AT qui in hac ſagittarum mentione illud non erit utique ab inſtituto diſſitum, & (ut Græci dicunt) ἀπὸ σκόνυβον, ſi Plinium aliquo modo illuſtrauerimus, in cuius intellectu nunquam non conciſo nimis atq; detruncato mirè centones farciunt plerique. Quos tamen ſi audias, putes Sibyllæ folium recitari: ita ſibi placent, ita applaudũt, ueluti planè rem ipſam acu attigerint

attigerint, quod Plautus ait. Igitur morē fuiſſe Scythis perueterē ſcribit, ſagittarum aciē tingere uiperina ſanie & humano ſanguine, irremediabili ſcelere. Nam mortē ilicò affert, etiam leui tactu. Operæpretium uerò eſt, adnotaſſe, qua ratione Barbara illa immanitas genus id conficeret: nam ſuppetit eius rei memoria ex Græcis monumentis, præcipueq; Ariſtotelis in Admirabilium relatione, ſi tamen Ariſtotelis officinam reſipit lucubratio ea. Obſeruabant ergo Scythæ uiperas, ubi iam peperiſſent, ſic enim captas diebus aliquot liqueſcere ſinebant: mox ubi computruiſſe uiderentur ſatis, in ollam ſanguinem hominis unius totum infundebant, adobruebantq; in ſterquilinio, uaſe diligēter obturato: ubi uerò & hic contabuerat, eximebant, ſumentesq; quod ſupernataſſet iam aquoſum, ſanieiq; uiperinæ promiſcentes, ita letale conficiebant uenenū. Et Scythæ quidē ſagittis plurimum utebantur. Nam in Exampæo, qui eſt inter Boriſthenem & Hypanin locus, ahenum fuiſſe dicatum, Herodotus ſcribit, ſexcentarum amphorarum capax, ex aculeis modò ſagittarum conflatum. Sic enim Ariantam regē Scytharū inijſſe numerum, allata ab unoquoq; ſagitta una. Legimus porrò, Dario Perſarum regi à Scythis caduceatorē cum id genus muneribus miſſum, aue, rana, mure, ſagittis quinque. Quæ Gobryes è ſeptē unus, qui magos ſuſtulerant, ita coniectanter eſt interpretatus: Ni Perſæ effecti ut aues in cælum ſubuolaſſent: aut ueluti mures, terræ ima ſubijſſent: aut perinde ac ranæ deſiluiſſent in paludes, Scytharum uim non euaſuros ſagittis adobrutos. Quin & Scythica narratur ſupellex, iugum boum, aratrum, ſagittarum pharetra, quibus cum amicis utantur, & aduerſum inimicos. Adijci & quo uectantur, currus poteſt: ſunt enim ἄοικοι, hoc eſt domibus nullis: qua in re uel nimium ſibi placent, quòd ſolari quadam circumuectentur imagine. Arabas quoq; ſolitos inficere ueneno ſagittas, ex theſauris Iulij Pollucis obſeruatum nobis eſt. Sed & alicubi periclitatum in India Alexandri exercitum, prodit hiſtoria, imbutis uirulenta ſanie gladijs, ut ictu uel leuiſſimo interirent percuſſi: quanquam mox per quietem herba Alexandro monſtrata, quæ remedio præſentiſſimo tantæ cladi obuiā iret. Gallos adnotatum eſt, helleboro ſagittas collinere, quòd ijs in uenatibus transfixis feris, multo carnes efficiantur teneriores ad epularum uſum, reciſis tamē abiectisq; quæ uulnus ambiunt, propter hellebori contagium: etiam ſi eo aduerſus Zenonis decreta ſtilū diſtricturus Carneades ſuperna corporis repurgaſſe narratur. Auctor item Strabo eſt, Trāſalpinę Galliæ peculiarē haberi arborem ficui perſimilem, lacte cuius pernicioſiſſimo ſagittas inficiant. Quanquam & artifex, præcipua uenena miſcendi olim fuiſſe, tradatur mundi portio illa. Quod in Cimbrum Tullium ſignificarit Maro: id quod obſeruatū Hermolao eſt. Sed & libro octauo meminit Fabius: Cimber hic fuit (inquit) à quo fratrem necatum, hoc Ciceronis dicto notatum eſt, Germanum Cimber occidit. Obiter illud adnotaro: helleborum pleriſq; flatilem non admittere. Scribit Paulus Aegineta, toxicum uideri nominatū, quòd eo à Barbaris inficerentur ſagittæ, quas dicunt Græci πξόνμαχα. Approbat id ipſum & in Alexipharmacis Nicandri interpres, eos refellens, qui toxici appellatione τὸ λώνειον accipiunt, id eſt cicutam, quando inter utraq; interſtitium ſit uel maximum. Coniazomenus uocant Græci auctores, qui letiferū hauſerint pharmacum, quoniā mortifera ſit cicuta. In Harmatis, quæ Brachmanū ciuitas eſt, linebantur ſagittæ uenenata ſudoris ui, ex ſerpentium quarundam carnibus ſolis ardore colliquatis, deprompti. Ea malo inerat potentia, ut primum obſtuperet corpus, mox peracuti inſequerentur dolores cum tremore ac cōtractione. Cutis atrior mirè frigeſcebat, reiectabatur ſubinde bilis quoq;: proliciebatur ex uulnere nigrū uirus, ac ſpumoſum, cuius contactu contabeſcerent omnia.

Qui dicantur computatorum digitis ſimiles. Orontis hiſtoria. Scirpum dici uitioſe, at ſcrupū recte. Digitorū geſtu ſupputaſſe ueteres. De Iano paucula. Ianuarius unde. Cap. XI

RONTĒ Artoxerxis Perſici regis generum legimus, quandoq; indignatione quadam à ſocero damnatum, ac honore deiectum, quum ſe contēptibilem animaduerteret, ac eſſe ludibrio inimicis, ſolitum dicere: Principū amicos uideri cōſimiles arithmeticorum ſeu computatorum digitis. Nam ſicut

hi computando nunc myriada, qui numerus decem millia continet, geſtu conficiunt: nunc uerò monada, id eſt unitatem: pariter & qui regibus ſeſe inſinuant, modò pollent plurimum: ſuntq; omnibus conſpicui, fumos uenditantes, à multis frequẽtantur, obſeruantur, coluntur. Plurimorum etiam uitam à principe deprecantur: mox uerò, qui fortunæ mos eſt, deuoluti in imum deriſui ſunt omnibus: quiq; quàm plurimis opitulabantur, uix iam ſe tueri queunt, audiunturq; ſubinde uoces, Nunquam, ſi quid mihi credis, amaui hunc hominem. Quò enim fortuna, eodem & pronus hominum fauor proclinatur. Proinde ex hiſtoria prouerbij elicere ſchema poſſumus, ut regum familiares, νῦν μὲν τὸ πᾶν δυναμένους, νῦν δὲ τὸ οὐλαχιστον. id eſt, qui nunc omnia poſſunt de ſe promittere, nunc uerò minimum, dicamus eſſe computatorũ digitos. Sed enim quia mos hic, ut eſt, uideri obſcurior poteſt, & planè ſcrupus quidam (etiam ſi Barbarè ſcirpum dicere nonnulli ænigma permittunt ſibi, mendoſis Gellij codicibus in tendiculam impacti. Scrupos eſſe Feſtus ſcribit, ſaxa aſperiora) amplius fuſiusq; tota res claritati admouenda eſt, nubilo difficultatis excuſſo. Eo quidem procliuius, quòd multis (ut dicitur) mutuas trademus operas. Nam & perobſcurè Pro magia oratione ſecunda Apuleius, Si triginta (inquit) annos pro decem dixiſſes, poſſes uideri pro computationis geſtu erraſſe, quos circulare debueris, digitos aperuiſſe. Plinius quoq; auctor eſt, Ianũ à Numa rege dicatum digitis ita figuratis ſtetiſſe, ut trecentorum ſexagintaquinq; dierum nota, per ſignificationem anni, temporis & æui ſe deum indicet. Super quo interim adnotatu non indigna ſunt, quæ à Græcis in hunc uſum deriuauimus: quippe Ianuarium eſſe inquiunt quadriformem ſtatuam, propter conuerſiones quatuor, quas τροπὰς uocant. Sed alios eum ita effingere, ut dextra clauem teneat, ut temporis principium & anni recluſorem & patulcium atq; cuſtodem, aut ſcutum: alios uerò in dextra τ habentẽ, in ſiniſtra uerò ξ, quia non alius ſit, quàm annus. Ex quo Longinus, quaſi æonarium interpretari conabatur Ianuarium. Illa uerò nota τ, trecentos ſignat, ξ uerò ſexaginta, at ε quinque. Obſeruanda & quæ ſcribit Hieronymus, Qui triginta (inquit) digitorũ coniunctione molli, ſexaginta uerò ſuperiore digito depreſſo ſignari. Porrò centeſimũ numerum de ſiniſtra transferri ad dextram, & ijſdem quidem digitis, ſed non eadẽ manu quibus in læua, ſignificari. Proinde Nicarchus facetè in uetulam nimio plus uiuacem, quæ annis etiam ceruos tranſcenderet, ita ludit, ut iterum iam ſiniſtra computare annos ſcribat,

ἡ φιλόγ ἀθρήσασ' ἐλαφου πλέον, ἡ χελὶ λαιῇ
γῆρας ἀριθμεῖσθαι δύτροφον ἀξαμένη.

In Apologetico item Florens Septimius, Multis (inquit) inſtrumentis cum digitorum ſupputatorijs geſticulis aſſidendum eſt. Scribunt Euangelicæ paginæ interpretes Matthæi tertiodecimo, Triginta referri ad nuptias, ſexaginta ad uiduas, centũ (qui numerus iam eſt in dextra) ad uirginitatẽ. Sed enim quo planius cumulatiusue percipi ipſa hæc per digitos computatio queat, ad uerbum ſubijciemus, quæ doctiſſimus Chriſtianæ ueritatis cultor, literis Beda mandauit. Si commonuero prius, decenter arithmetices digitos in hoc uſu à Martiano dici uermiculatos: Digiti uerò uirginis (inquit) recurſantes incomprehenſæ mobilitatis ſcaturigine uermiculati.

Quo digitorum geſtu ueteres ſupputarint. Grunnij hiſtoria. Digitorũ creditus apud priores quid innueret. Cap. XII

QVum (inquit) unum dicis, minimũ in læua digitum inflectens in mediũ palmæ artum figes. quum autem duo, ſecundũ à minimo flexum ibidem impones. quum tria, tertium ſimiliter inflectes. quum dicis quatuor, itidẽ minimũ leuabis. quum dicis quinque, ſecundum à minimo ſimiliter eriges. quum ſex, tertiũ nihilominus eleuabis, medio duntaxat ſolo, qui medicus appellatur, in medium palmæ fixo. quum ſeptem dicis, minimum ſolum ſupra palmæ radicem, cæteris interim leuatis, impones. iuxta quem quũ dicis octo, medium. quum nouem, impudicum è regione compones. quum decem enuntias, unguem indicis in medio figes artu pollicis. quum uiginti, ſummitatem impudici inter nodos indicis & pollicis arctè figes. quum dicis triginta, ungues indicis & pollicis blando coniunges

iunges amplexu. quum dicis quadraginta, interiora pollicis lateri uel dorso indicis superduces, ambobus duntaxat erectis. quum quinquaginta pronuntias, pollicem exteriore artu instar Græcæ literæ gamma r curuatum ad palmam inclinabis. quum sexaginta, pollicem (ut suprà) curuatum, indice circumflexo, diligenter à fronte præcinges. quum dicis septuaginta, indicem (ut suprà) circumflexum, pollice in longum extenso implebis, ungue illius duntaxat erecto trans medium artum indicis. quum octoginta, indicem (ut suprà) circumflexum, pollice in longum tenso, implebis, ungue uidelicet illius in medium indicis artum fixo. quum dicis nonaginta, indicis inflexi unguem radici pollicis erecti infiges. Et hos quidem numeros læuæ gestu ita enuntiari, idem auctor colligit. Deinceps conuersus ad dextram, quum (inquit) centum significas, eodē utaris modo, quo in læua decem monstrabas. ducenta in dextra, quo modo in læua uiginti. Eadem ratione & cætera usq; ad noningenta. Item mille in dextra, quo modo unum in læua. duo millia in dextra, quo modo duo in læua. Et reliqua usq; ad nouem millia. Porrò decem millia quū dicis, læuam in medio pectoris supinam appones, digitis tantū ad cælum erectis. quum uiginti millia dicis, eandem pectori expansam latè super pones. triginta millia quū dicis, eadem prona, sed erecta, pollicē chartilaginí mediį pectoris immittes. quadraginta millia quum dicis, eandem in umbilico erectam supinabis. quinquaginta millia quum dicis, eiusdem pronæ, sed erectæ, pollicem umbilico impones. sexaginta millia quum dicis, eadem prona femur læuum desuper comprehendes. septuaginta millia quum dicis, eandem supinam femori superimpones. octoginta uerò millia, eandem pronam femori superimpones. nonaginta item millia, eadē lumbos comprehendes, pollice uerso ad inguina. At uerò centum millia, ducenta millia, & deinceps usq; ad noningēta millia, eodem quo diximus ordine, in dextra corporis parte complebis. Decies autem centena millia quū dicimus, ambabus inuicem consertis manibus, digitos implicabimus. Verum prius quàm cætera subnecto, quæ sunt huius pragmatiæ, illud de Grunnio non prætereundum, quod ad digitorum attinet gestum & est ab Hieronymo mutuandum ipsius maximè uerbis: Testudineo (inquit) gradu ad loquendum incedebat Grunnius, & per interualla quædam uix pauca uerba carpebat, ut eum putares singultire: mox adducto supercilio, contractisq; naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat: hoc signo ad audiendum discipulos prouocans. Tum nugas meras fundere, ac aduersum singulos declamare: Criticum diceres esse Longinum, notare quem uellet, ac de senatu doctorum excludere. Hinc Valerius Martialis,

Dum poscor crepitu digitorum, & uerna moratur,
O quotiens pellex culcitra facta mea est. Sed & alibi:
Digiti crepantis signa nouit eunuchus.

Quintiliani & M. Tullij auctoritates prędictis accommodantur, & Iuuenalis quoq;. In digitos mittere, quid: item in digito mori. Cap. XIII

HAec de ratione canonica supputandi, hac parte, ubi se maximè ingessit occasio, pertractare collibuit: tum ut uetus ratiocinij mos in ea re notior fieret, uel circumforaneis, & pullato circulo: tum uerò ut enucleatius multa & doctius perciperentur, quæ maximi auctores, uelut aliud agentes attigere: quale est Fabij illud ex Oratoriarum institutionum libro primo, Si actor (inquit) non dico, si circa summas trepidat, sed si digitorum incerto solū aut indecoro gestu à computatione dissentit, iudicatur indoctus: ut uulgatū Iuuenalis illud præteream,

Atq; suos iam dextra computat annos.

Ex hac porrò ratione illud est quod sæpe legimus, In digitos mittere: pro eo quod est, accuratè supputare. Hinc & illud in Epistolis ad Atticum ex libro quinto, Præsertim quum senatusconsultum modò factum sit, ut puto, postquàm tu es profectus in creditorum causa, ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur: hoc quid interfit, si tuos digitos noui, certè habes subductum. Verum & illud non reticuisse, candidi (opinor) fuerit animi, etiam si uidebor pleriscq; desultorius in quadrigarū curriculum incurrere, uti

eſt apud Marcum Tullium. Verumtamen quod nil obeſt, concoxiſſe perfacilè fuerit, aut tranſiluiſſe, ſi cui minus arrideat, quando nulla hic echinorũ aſperitas. In digito mori, nil omnino ad computandi canones facere: ſed de animalibus intelligendũ id, quorum genitalia uel corporis partes aliæ opportunæ, digitis ueneno litis contactæ mortẽ inferunt. Cicero pro Scauro: Libertus patronum non occidit, ſed duobus digitulis gulam obliuit. Plinius: Sed antiquorũ curam diligentiamq́ quis poſſit ſatis uenerari? quũ conſtet, omnium uenenorũ ocyſſimum eſſe aconitum, & tactis quoq́ genitalibus fœminini ſexus animaliũ, eodem die inferre mortem. Hoc fuit uenenũ, quo interemptas dormientes uxores à Calphurnio Beſtia, M. Cæcilius accuſator obiecit: hinc illa atrox peroratio eius, In digito eas mortuas.

Aegyptium iudicem ſanctũ intelligi. Iuſtitiæ laus. Stachane quid. Acriſia quid, & acritos. Ageſilai, Philippi, Antigoni exempla. Adecaſtos iudex qui, & unde. Alexandri in iudicando mos. Cap. XIIII

AEgyptium iudicem ſi quis adagionis ſchemate integrum intellexerit, nec conſtupratum, ſed ſanctum, nihil præmio, nihil metu à iuſtitiæ ſemita digredientem, & planè eum quem uocant Græci ἀδίκαστον, qui gratiæ nihil prorſum tribuit: eſtq́, ut ab exceſſu nõ temperem, iuſtitia ipſa iuſtior, & uel ſtachane æquior. Eſt autem Doribus eo uocabulo trutina, cuiuſmodi haud ita multos comperias, quando hæc rara auis eſt: quoniam reſtibilis litium pernicioſior feracitas arriſerit pluribus, dyſnomia, quam poeta Heſiodus δῆλ ἄτης, id eſt detrimenti ac offenſæ contubernalem comminiſcitur, nullius non approbata calculo. Non aberrabit utiq́ is à uero multũ. Suggerunt quippe nobis ueterum monumenta, Aegyptijs regibus ex præſcripto legis antiquæ moris fuiſſe, iudices mox futuros iureiurando adigere, Ne ſi rex quidẽ iniuſti quippiam iniunxiſſet, à uirtutis medio declinaturos, nec lineam omnino (quod dicitur) moturos. Adijcit Diodorus, in Simandij monumento parte quadam iudicũ ſtetiſſe ſigna, eorumq́ principem ita conſtitutum, ab eius ut collo ſuſpenſa propenderet ueritas, ipſe autem eſſet oculis paulò minus clauſis, librorum cumulo circumiecto, ceu ueritas modò ſit inſpectanda. Quæ res omnium cenſetur excellentiſſima, quando neq́ heſperus neq́ lucifer ita nitet, ſicut iuſtus uir, ut dixit Euripides. Nam & Theognis iuſtitiam continere uirtutes omnes comprobat. Hinc Chryſoſtomo interprete, ab Euangeliſta Iuſtus dicitur Ioſeph, non de iuſtitiæ unius ratione, ſed quod abſolutæ foret probitatis, eiusq́ omnes impleſſet numeros, undecunq́ mirabilis. Quo argumento & ἀδικίαν quodlibet peccatum dicunt. Sed & magnus Ageſilaus, quum Aſiaticos animaduerteret, Perſarum regem ex aſſuetudine magnũ nuncupare: Quo' nam (inquit) is maior me eſt, εἰ μὴ δικαιότερός τε καὶ σωφρονέστερος, id eſt, ni iuſtior eſt ac temperatior. Idem interrogatus, Fortitudo' ne præſtaret, an iuſtitia. Fortitudine (inquit) nil opus foret, ſi iuſtè ageremus omnes. Proinde etiam Plato, in omni ſermone ſuo De republica propoſito infundendum animis iuſtitiæ amorem aduertit, ſine qua non ſolum reſpublica, ſed ne exiguus quidem hominum cœtus, nec domus parua conſtabit. Ire uerò ad iudicem (inquit Ariſtoteles) eſt ire ad ipſum ius. ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον ἔμψυχον δίκαιον. quod eſt, iudex eſſe debet, uelut animatum ius, hoc eſt ſanctus, inadulabilis, inexorabilis, erectus, terrificus. Et in Legibus Cicero magiſtratũ eſſe ſcribit, Legem loquentẽ, legem uerò mutum magiſtratũ. Acriſiam Xenophon Rerum Græcarum ſeptimo, uel malum appellat iudicium, uel potius ubi uirtutis ac eius quod decet nulla habetur ratio, nec quod rectum internoſcitur. ἀκρισία δὲ καὶ ταραχὴ ἔτι πλείων μετὰ τὴν μάχην ἐγένετο. id eſt, acriſia uerò & turbatio etiamnum maior inorta poſt pugnam eſt. Acritos apud Demoſthenem pro Cteſiphonte dicitur ἀδιάκριτος: quiq́ quod decet, non diſpicit, ac garrit temere: item indicta cauſa condemnatus, necnon indiſcretus indiuiſusq́. Illud utiq́ parte hac eximiè admirandũ: non ferè quẽquam eſſe, moribus tam efferatis, tamq́ omnino barbaris, qui in ea re præcellere, non exiſtimet longè pulcherrimum, & uel Biante Prienenſi iudicare præſtantius. Suppetunt in hoc exempla plurima. Nobis cum delectu ſeruandus eſt modus. Machætas cauſam agebat apud Philippum. Intendebat is minus eis, quæ dicerentur

rentur, dormitabatq́ interim. Mox aduersus Machætam pronuntiauit. At ille uociferans, & rei indignitate intonans altius: Prouoco, inquit. Tum Philippus iam uigilantior, sed & cõmotior, & ore serio: Ad quẽ, obsecro te? Et Machætas, Ad te, inquit, sed uigilantẽ intendentemq́. At is excitatior etiamnum, & ad se amplius rediens, quũ audisset iniuria affectum Machætam, non rescidit quidẽ iudicium, sed iniunctam ipse exsoluit mulctam. Idem, quũ deprecaretur Harpalus, ut Crateta familiarẽ, ac gentilẽ suũ, qui iniuriarum esset postulatus, iudicio liberaret: atq́ ita, ne tamẽ illi remitteretur mulcta: Eum (inquit Philippus) rectius est, quàm nos ob ipsum, male audire. Antigoni quoq́ illud memorabile: nam asserente quodam, esse regibus honesta omnia & iusta. Per Iouem, inquit, sed barbaris: nobis uerò ea modò honesta quæ honesta, & iusta quę iusta. Sed Græcè ita, νὴ μὰ Δία ἔιπον, τοῖς γὰρ βαρβάροις. ἡμῖν δὲ μόνα καλὰ τὰ καλὰ, καὶ μόνα δίκαια τὰ δίκαια. Aristidem dicere solitũ accepimus, quũ ex eo quæreretur, τί ὄντι τὸ δίκαιον, quid est iustum? τὸ μὴ ἐπιθυμεῖν τῶν ἀλλοτρίων, id est aliena non appetere. A decaston uerò iudicẽ, cuius initio facta mentio est, ἀπὸ τοῦ δεκάζειν nuncupant Græci, quòd donis corrumpere nobis indicat. Vnde apud Plutarchũ in Ciceronis uita, ὄχλων δεκασμοὺς dici animaduertimus in Clodij historia. Aelianus, πολλοὺς διέφθειρε νομαδῶν, δεκάσας εἰς πρόδοσίαν. Ab alijs adecastos uocatur, ὁ μὴ δεχόμενος πρόσωπον, ἢ ἀδῶρα. Non negligendũ parte hac, quod in historijs Ioannes Monachus prodit, consuesse magnũ Alexandrum audiẽdis disceptantiũ controuersiis auriũ alteram obstruere, ceu reo integram seruaret, ac criminũ exsortem. In Romana uerò historia latet prorsum, qui omniũ princeps largitione grassari adortus sit: etiam si præclare dixit quidam, ὅτι πρῶτος λατέλυσε νόμον, ὁ πρῶτος ἐισαγαγὼν καὶ δεκάσας, opinor, quia clam καὶ μικρὸν id obrepsit malũ. Athenis iudices ab Anyto primũ cõstupratos legimus proditionis reo, Peloponnesiaci belli exitu fere.

Iustitiæ astruitur excellẽtia & difficultas. Cur iustitia bonũ dicatur alienũ. Et cur alicubi dicat Aristoteles, iustitiã esse quiddam exiguum. XV

ATqui non præclarissima tantum in numero seriecq́ uirtutũ iustitia est, sed insuper & cognitu difficillima. Nec utiq́ citra rationem in ordine postrema censetur. Nam quum dicatur multipliciter, & sit aliquo modo tota uirtus, & quasi aggregatum quiddam ex uirtutibus cunctis, quæ à moribus appellationem ducunt, meritò consentaneum uidetur, ad scientiam eius percipiendã nosse prius uirtutes alias. Hanc uerò legitimam statuunt iustitiam perfectamq́ (de ea quæ in actione uersatur, loquor) nam contemplatiua longè præcellit. Illa utique uirtus perfecta in primis censenda est, qua uti uir bonus potest, non in se modò, sed & in alium: equidem uirtus habentem, perficit. Quòd si insuper uirtute eiusmodi, & in alios uti queat, gradum certè perfectionis non paruæ sibi uendicabit uirtus ea. Accedit enim illi, quod summè arduum censetur, rectè in alios agere. Longè siquidem sua facilius dispensat unusquisq́, quàm aliena. Proinde arridet plerisq́ omnibus Biantis apophthegma, seu (ut Sophocli placuit) Solonis, Magistratus uirum ostendit: uel, ut Græcè dicam, ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. Nam est magistratus administratio quædam ad alium, id est ad commune bonum in societate ciuili. Hinc & iustitiam dici audies alienum bonum: quoniam boni ratio alterius, & humanæ ciuilisq́ societatis bonum respicit, in idq́ tanquam in scopum collimat. Vnde & M. Tullius in ea uirtutis splendorem esse maximum scribit, ex qua & uiri boni nominentur. Cuiusq́ meritò Iureconsultos sacerdotes dixeris, Iustitiam nanq́ colunt, boni & æqui notitiam profitentur, ueram utiq́ affectantes philosophiam: si modò hæc non præstent uerborum tenus, factis procul. Hinc nonnullos comperias, qui iustitiam oleo persimilem autument, τοῦ σώματος τοῖς μὲν ἐκτὸς ὠφελιμώτατον, τοῖς δ' ἐνοῦσι βλαβερώτατον. Est illa quoq́ iustitiæ laus, ἀνδρὸς δ' ἄνευ κράτους ἡμιτόμου ἀρετῶν.

Hanc Plato nunc iustitiam nominat, nunc uniuersæ uirtutis nuncupatione complectitur: sed & fidelitatis insignem uocabulo facit. Verum, ubi ei à quo possidetur, utilis est, beneuolentia quoq́ dicitur. At quum foras spectat, estq́ speculatrix fida alieni emolumenti, tum uerò iustitiæ nanciscitur nomen plausibile. Præterea Seneca, Me iustum

gratis esse oportet. Tota cogitatio priuatis cõmodis, quàm longissimè aduersa sit. Immo uerò sæpe iustus esse debebit cum infamia, dum clauum rectum teneat. Tuncq́, si sapimus, mala opinio benè parta delectet. Necessarium uerò (inquit primo Rhetorico Aristoteles) uirtutum eas censeri maximas, quæ quàm plurimis sint emolumento, ac eo quidẽ magis, si est uirtus δωαμις ὠφελητικὴ, id est benefica facultas. Proinde iustos fortesq́ præcipuis prosequuntur honoribus: quando in pace quidẽ una, in bello altera multũ afferre adiumẽti & solet ac potest. At enim alicubi apud Aristotelem, & quidem libro eodem, inuenias dici quandoq́ minutum quippiam esse iustitiam. Sed ad uulgare apophthegma id uerò relationem habet, quando iactatur passim, Momenti esse nõ magni, probum esse quempiam: ni etiam eiusmodi censeatur. Propterea plausibilior Aeschyli sententia,

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστον, ἀλλ' εἶναι θέλει.

Id est, non uideri quidem, sed esse optimus, allaborat. Ad eandem ferè sententiã & pro Plancio M. Tullius, Equidẽ primum, ut honore dignus essem maximè, semper laborauì: secundò, ut existimarer: tertium, mihi fuit illud quod plerisq́ primum est, honos. Ex ijs illud planè consequitur, ut ad institutum redeam, nec de calcaria (quod aiunt) in carbonariam demigrem, Nimirum esse deterrimum, qui ad se ipsum & ad alios utitur prauitate. Sed Hesiodicum illud notissimum, κακὰ κέρδεα ἴσα ἄτησιν.

Id est, lucra mala damnis censeri æquipollentia.

Iustitiæ legitimæ finitio. De iustitia particulari, deq́ eius partibus, distributiua, & cõmutatiua, siue correctiua. Vnde dicatur dicæum, & dicastes: necnõ mediũ, siue μέσον. Syndicos quid. Dice, id est iustitia, cur Iouis filia. Qui dicantur chirodicæ. Epidicos quid. Cap. XVI

IVstitia uerò hæc legitima, & uniuersõ uirtutis nomine insignis, sicuti nos Peripatetica instruit disciplina, sic fermè finiri cõsueuit. Habitus electionis compos in ijs, circa quæ plurimũ obuersatur uir bonus ad legum firmissimam custodiam, publici boni ergo. Verum haud omnino ignorandum, præter iustitiam hanc uniuersalẽ, esse & peculiarem quandam, quæ uirtutis censeatur pars, quam dicit Philosophus, τὴν μέρος δικαιοσύνῃ. Sicuti est iniustitia aliqua, ut totius uitiositatis pars (ut interim hoc cum Cicerone utamur uocabulo) uersatur autem hæc, in plus appetendi libidine. Porrò iustitia quidem uniuersa & hæc, quæ particularis dicitur, sunt utiq́ ad alium, sed non eodem modo. Est enim legitima ad alium, id est ad rempublicam: particularis uerò ad alium, id est ad hunc uel illũ particularẽ hominem. Eius uerò definitio talis erit, Iustitia particularis, quum sit etiam uirtus ad alium, est habitus cum electione in præfinitis rebus: cuius sunt modi, honores, pecuniæ, id genus alia externa bona, tribuens cuiq́ quod suum est. Iniustitia uerò tota, quum sit uitium ad alium, est electionis habitus transgrediendi leges detrimenti communis, & sui commodi gratia. Iniustitia uerò particularis est electionis habitus circa præscriptam materiam, sumens quod suum non est. Cæterum, iustitiæ particularis & iusti illius, quod secundum eam est, una traditur species, quæ distributiua nuncupatur, agitq́ in honoris distributione uel pecuniarum, & eiusmodi quæ inter eos diuidi possint, qui in ciuili uersantur societate: altera species cõmutatiua nuncupata, siue correctiua morum & commerciorum, à philosopho διορθωτικὴ uocatur. Verũ & hæc bifariam distribuitur, τῶν γὰρ συναλλαγμάτων τὰ μὲν ἑκούσια, τὰ δὲ ἀκούσια. Id est, commerciorum alia sunt uoluntaria, alia inuoluntaria. Voluntaria, uelut emptio, uenditio, mutuum, fideiussio, commodatũ, depositum, locatio, & huiusmodi. Nuncupantur uerò uoluntaria, quia principium eorum uoluntariũ est. Inuoluntariorũ autem alia clandestina sunt, hoc est λαθραῖα, ut furtum, incestus, ueneficium, dolus, fraus, dolosa necatio, falsum testimoniũ: alia uiolenta, ut uerberatio, nexus, mors, rapina, orbatio, conuitium, contumelia. Iustum distributiuum, est medium aliqua rationis similitudine: habet enim personarum rationem. Iustum uerò correctiuum, in arithmetica consistit proportione: quoniam personas non perpendit, sed ipsam modò rei inæqualitatem, qua res rem excedit, ac ad æqualitatem nititur reuocare. Nil enim refert, bonus ne malum expilarit

expſſarit, an contrà. Sed damni interſtitium ſpectat modò lex, ac ut æquis utitur: iniuſtumq́, quod & iniquum, æquare conatur. Nam inter hæc medium eſt æquum, quod iuſtum dicimus: medium, inquam, inter damnum & lucrum. Proinde ubi controuerſa res eſt, ad iudicem itur, id eſt ad animatũ ius (ut ſignificatum prius eſt) ac ad medium. Ex quo & μεσοδίκωω uocant nonnulli, id eſt mediatorem, ut ſic interpretemur, ueluti iuſtum aſſequuturi, ſi medium aſſequãtur. Nam ſyndicon appellat Pindarus ſynodum, id eſt σωωοδὸν, conſonum, nec diuerſum: aut σώτροπον, id eſt eiuſdem moris, uti ferè placuit Apollonio, quippe id item ſignat δίκη: ſicut ex eo dilucet Homerico,

ὥτη δι δίκη ὅδι θεῶν, οἱ ὄλυμπον ἔχουσιν.

Quin & medium ipſum ex intimi forma dici creditur, ϖαρὰ τὸ τὰ μέρη ἴσα ἔχειν, quod eius partes æquales ſint. Vnde & meſites nuncupetur ὁ μεσάζων, qui mediator eſt. Iuſtum quoq́ ipſum propterea δίκαιον uocatur, quia δίχα δύν, id eſt duatim (ut ſic dicã) & diuiſim fiat: tanquã dicamus δίχαιον, hoc eſt bifariam diuiſum, uel diuidens. Eadem ratione & iudex ipſe dicaſtes, quaſi dichaſtes, à diuiſione nuncupatur: ueluti totum ali quod diuidat in partes æquales. Grammatici quoq́, δίκαιον uerbi uim aliquo modo intuiti, ex notatione ſeu etymologia, quam in Topicis Cicero ueriloquiũ poſſe tranſferri putat (nam id ipſum Græci uocabuli interpretamentum innuit planè, meminit & primo Oratoriarum inſtitutionum Fabius) arbitrantur dici ϖαρὰ τὸ δύο ἔχειν, quoniam dice, hoc eſt iuſtitia, partes ſecernat duas: quam ut obiter, & (quod Græci dicunt) παρὰ μέλον aliquid inferamus, Virginem credi, ſcribit Proclus: quoniam dicaſticum genus eſſe deceat καθαρὸν, id eſt integrum purumq́, cuius ſit uirginitas ſymbolum. Dici porrò & Iouis filiam, quia nomothetes ſit κοσμικὸς, ueluti princeps imperatorq́ uniuerſorum. Heſiodus,

ἀλλὰ τὴ παρθένῳ ὅδι δίκη, διὸς ἐκγεγαυῖα.

id eſt, Virgo iuſtitia eſt, prognata Ioue. Sed & illud ſubnotaſſe nil obfuerit, quando in Heſiodum incidimus, qui chirodicas eleganter eos nuncupat, eodem Proclo interprete, qui τῇ δωροδοκίᾳ τὸ δίκαιον, τῇ δὲ τῶν χειρῶν δείζουσι, id eſt manuũ ui iuſtum finiunt metiunturq́, uiolentia adhibita. Carmen Heſiodi de ferreæ ætatis hominibus ſubieci:

χειροδίκαι, ἕτερος δ' ἑτέρου πόλιν ἐξαλαπάξει.

Epidicon uocant Græci, quod etiamnum ſub iudice uerſatur: hinc eleganter νίκλω ἐπίδικον dicimus, quæ incerta ſit ac dubia καὶ ἀμφίδοξον. Sic & puella nuncupatur ἐπίδικος, ubi ambigi contingit, cui nubat potiſſimum.

Repaſſum Pythagoricũ deſtruitur. Gratiarũ in urbibus templa quam habeant rationem. De nummi uſu, & nota. Permutandi cõſuetudo apud ueteres. Epiſemum argentũ, uel aſemum. Apephphton aurum. Cap. XVII



Idetur autem quibuſdam τὸ ἀνταπεπονθός, hoc eſt repaſſum, ſiue contra paſſionem, uel (ut Latinius loquar) talionem eſſe ſimpliciter, ut iuſtum: ſicuti aſtruunt Pythagorici: uoluntq́ & τὸ ῥαδαμανθυϊκὸν δίκαιον, id eſt, Rhadamanthyos iuſtum innuere hoc ipſum. Si patitur quæ fecit, ac eodem (quod dicitur) poculo bibit, Thermerij quadam ſupplicij imagine, iuſtum eſt iudicium. At diſſona hæc uariè comperiuntur, quod Philoſophus comprobat. Nam ſi in magiſtratu conſtitutus plagam intulerit, referire haudquaquam liceat. Quòd ſi magiſtratum quis pugno oblæſerit, non uiciſſim percuti modò debet, ſed inſuper & ſupplicio affici. Porrò quod in commutando ſecundum ſimilitudinem rationis, & non iuxta æqualitatem, continet, ſeruatq́ ciuitatem, eſt iuſtum correctiuũ commerciorum. Idipſum & talio meditatur, quippe quæ iuſtum ſit, emendationis compos. At iuſtum ſimpliciter nõ utiq́, ueluti aſſertio monſtrat Pythagorica, nec ſecundum æqualitatem, ut oculum pro oculo, & manum pro manu, ſed eo modo quo præſtruximus. Siquidem ſeruatur ciuitas, quum retribuitur rependiturq́ ex rationis ſimilitudine: ut ſi quis quem malo affecerit, idem ex rationis libra à lege referat. Quòd ſi bonum, itidem bonum, & gratiam. Proinde moris fuiſſe antiqui nouimus, ut in urbibus, Gratiarum ſubſtruerentur templa. In iuſtitia denicq́ commutatiua ſemper quidem rei æqualitatem ad rem adeſſe oportet, uerum actionis paſſionis úe haudquaquam: quod infer

re talio uidetur Pythagorica. In permutationibus uero, præstò est communis mensura, ex hominum nata institutis, non naturæ ui. Hæc autem nummus est, qui rebus mensuram infert, ac æstimationem. Estq; medius quodammodo, πάντα γὰρ μετρεῖ. id est, cuncta metitur: ac rerum pretia inæqualium, ea mensura ad æqualitatem reuocantur. Quia uerò ex lege est, non natura, proinde nummi prorepsit appellatio à nomo, id est lege. Estq; (ut Aristoteles inquit) οἷον ἐγγυητὴς, tanquam fideiussor. Ante cuius inuentionem, rerum fiebat permutatio, & res metiebatur indigentia. Id uero à Troianis temporibus factitatum, Homero credi conuenit: quanquam & ipse miratus aurum, æstimationes rerum ita fecit, ut centũ boum arma aurea permutasse Glaucum, scribat: cum Diomedis armis, nouem boum. Ex ea porrò cõsuetudine, mulcta legum antiquarum pecore constabat, etiam Romæ. Lusitanos præterea quosdam eo esse usos more, Strabo auctor est: atq; item Albanos. Scribunt ex Græcis nonnulli, quadrupedibus maximè permutationem cõstitisse: qua item sit effectum ratione, ut mox inuento nummo, pecudis imprimeretur nota, sed bouis maximè. Hinc apud Thucydidem, argentum ἐπίσημον legimus historia secunda, quod signatũ indicat. Sicut econtrario dicitur eidẽ, ἄσημον, quod rude est. ἄπεφθον uerò aurum apud eundem, excoctum est. Refert Politicorum primo Aristoteles, commutationem initio cœpisse, ex eo quod est secundum naturam: quòd alij plura quàm necesse sit, pauciora haberẽt alij. Quo ad uero ipsis sufficeret, necessariũ erat, permutationis inire rationem. Sicut, inquit, adhuc faciunt Barbarorum nationes multæ alia pro alijs dantes, recipientesq; Est autem hoc genus indigentiæ, supplementum ex naturæ præscripto, ad patrimonium auctius faciendum nihil admodum spectans.

De iustitia interna, & iniustitia. An sibi quis iniuriam facit: ac, sit ne ad seipsum iniustitia. Plato Aristotelesq; pugnare uidẽtur. Homicidium sui an admittatur legibus. Cap. XXVIII

QVum uero inter potentias animæ, alteri proprium sit ius imperare præsidere' que inferiori potentiæ, quæ illi, si rectè agas, & secundum hominem uiuas, deseruit: putabat Plato, ubi ista contingant, ut ueluti in arce constituta ratio titillantem retundat appetitum, ne fiat animal hoc Typhone multiplicius, iustitiam oriri: quoniam uis utraque habeat, quod suum ipsius est. Contraria uero si fiant, ut sæpe, & appetitus deiectam excussam' que gradu rationem imperitantem obsternat obculcet' que: iniustitiam tum uero nasci, arbitrabatur, & inæqualitatem potentiæ ad potentiam, quum sit illa concordia quædam consonantia' que concentuum omnium suauissima, potentiæ ad potentiam, & perfectionis ad perfectionem. Proinde uir sapientissimus sic colligebat, Non modò fieri posse, ut sibi quis iniuriam faceret: sed nullas quinimmo iniurias, nisi à seipso fieri. Quod ipsum dialogo proprio comprobasse Chrysostomus agnoscitur, neminem astruendo, nisi à seipso lædi. Etenim magnis standum mihi nominibus est, ut sic fidem meam liberem, dum sumo aliena. Platonis uero illud frequens est, Nemo iniuriam patitur, Omnes iniuriam agunt. Nam si fiat iniusti quippiam ab aliquo: tunc is cui infertur, non patitur iniuriam, sed ille inferens sibi ipsi ascisçit iniuriam. Si quis enim fortunis exuitur, non patitur iniuriam ille quidem: quid enim erat, quod suum diceret? In animalibus utiq; bonis sentiri iniuria potest, sed hæc nisi à seipso fieri nequit. Quod si est, nemo prorsus iniuriam ab alio patitur. Facere tamen possunt omnes, seipsos oblædendo. Nec aliam Plato iniuriam intellexit, quàm qua rationi aufertur, quod suum erat: id est imperium, quod appetitui contribuitur: cuius alioqui fuerat obsequi, ut factus aliquo modo rationis particeps, suam consequatur perfectionem. Quisquis uero turpia persequitur, animæ candorem obnubilando, is nimirum sibi ipsi, Platonica ratione, iniuriam insigniter infert. Cæterũ Aristoteles multis astruere conatus est, Neminem sibi iniuriam facere. In quibus Platonis uidetur placita refellere. Sed ipse de ciuili differit iustitia, quæ planè ad alterum est uirtus. Sed internam iustitiam profundius quàm uideatur nonnullis intelligebat Plato, quæ causa externæ item est. Quod fortè nec inficiabitur Aristoteles, quoniam ab eo proditum scimus, Amicitiam sui ad seipsum, uideri esse causam amicitiæ, quæ est ad alterum

alterum. Quamobrem Platonicam ſententiam plauſibiliter ut præclaram & planè diuinam, excipiendam omnibus cenſeo. Dignum uerò quod parte hac nõ tranſiliamus, ab Dione proditum: Euphratem philoſophum ſponte de uita exceſſiſſe, quòd ueniam eſſet impartitus Adrianus, ut id citra ignominiam liceret, ac infamiam, quia eſſet annis feſſus & morbo diuexaretur, quibus malis cicutæ hauſtu eſt occurſum. At Martianus Digeſtis De bonis eorum qui ſibi manum conſciuerunt, Qui ſibi manum (inquit) inferre uoluit, nec perfecit, puniendus eſt: niſi tædio uitæ, uel doloris impatientia id agere eſt coactus: qui ſibi non pepercit, multo minus alijs parceret.

Quibus iuſti cognomen ſit adoptatũ. Inibi Ariſtidis hiſtoria. Apollo Dicæus. Terra iuſta. Agyrtica quæ ſint, & quid ad Agyrticas tabellas recidere. Propertius explicatur. De Eleis & Pedalijs Indis. Laudum iuſtitiæ epilogus. Silentium in iudicio quid. Plauti locus explicatur ex Amphitryone. Iuſtum à lege, quo ſecernatur interſtitio. Quintiliani ex libro tertio illuſtratur obſcuritas. Cap. XIX

AB hac uerò præcelſa animi uirtute, ut Iudææ gentis pontificem, Oniæ filium Simonem præteream, cui diuini cultus ſolicitior cura & in ciues paratior clementia, iuſti cognomentum aſciuit, Athenienſem legimus Ariſtidem paſſim δίκαιον ſolitum dici. Ceu planè cunctos eo inſigni antecelleret, quando & ſolitudine plurimum oblectaretur ſocietatesq́, quãtum poſſet, declinaret: quod diceret, amicorum potentiam perſæpe ad iniuriam hortari. Id uerò cognomentum à nullo regum uel tyrannorum quandoq́ uſurpatũ adoptatumq́ nouimus. Sed urbium dici expugnatores, fulmina, aquilas, accipitres, id genus alia plurimi ingenti applauſu concupiſſe, legimus. Memorabile uero quod ei uiro uſu ueniſſe, compertum nobis eſt. Quum illum Athenienſes apud quos puniebatur uirtus, teſtularum exilio, quod oſtraciſmum uocant, mulctare deſtinaſſent, adijt eum homo quidam ἀγράμματος καὶ ἄγροικος, hoc eſt illiteratus & agreſtis, qui teſtulam teneret, iubebatq́ Ariſtidis nomen inſcribi. Rogauit is, ecquid Ariſtidẽ noſſet? negauit ille, addiditq́, nil ſibi aliud in eo uiro, quàm iuſti cognomen eſſe moleſtum. Tacitus Ariſtides ſcripſit quod rogabatur & hominem dimiſit. Hic eſt Ariſtides, cui tantum tribuit Plato, ut præcæteris, qui clariſſimi Athenis floruere, ſolum eum exiſtimatione ac laude, præterq́ admiratione dignum, cenſuerit. Dignum uero relatu, huius uiri poſteros paupertas nimia ad ἀγυρτικοὺς καπήλους πίνακας, id eſt ad circulatorias deiecit tabellas. Nam agyrtica χυλαῖα interpretantur ψεύματα. Et Agyrtes impoſtor eſt. Sed & cubicus iactus, ac uates. Verum à diuerticulo redeundum in ſemitam. Apollo quoq́ Dicæus eſt quando que dictus, id eſt Iuſtus: quoniam quum Thebæ ab Alexandro caperentur, aurum à fugiente ſinu eius conditum, cælatum diu, ac ſeruatum ſit, ſicuti meminit Plinius. Sed & Menander comicus poeta δίκαιον γῆθον, id eſt iuſtam terram denominat, quæ tantundem reddit, quantum accepit, ſed & eo amplius. Ad quam doctrinam reſpexiſſe Propertium arbitror,

Quarum nulla tua fuerit mihi Cynthia forma
Gratior, & tellus hoc ita iuſta ſinat.

Sed & equam pharſaliam Iuſtæ cognomento inſignem legimus, quòd admiſſario ſimilem fœtum æderet. Naturæ ſiquidem ratione aliæ ſibi, aliæ marito ſimiles generant. Eleos uerò, ut parum iuſtitiæ aſſectatores inceſſuit Lacedæmoniorum rex Agis. Nam quum plericq́ laudibus eos extollerent, quod Olympicos ludos ampliter concelebrarent: Quid (inquit) mirum faciunt, ſi annorum quatuor curriculo, die uno iuſtitia utuntur? Quumq́ illi pergerent laudando etiamnum, τί inquit θαυμαστὸν, εἰ πρόγματα καλὰ καλῶς χρῶνται δικαιοσύνης; quid mirandum, ſi pulchra re iuſtitia utantur pulchre? At ex Indis, qui Pedalij uocantur, nil ferè in ſacrificijs aliud à dijs immortalibus expoſcebant, quàm iuſtitiam, arbitrati omnium planè compotes ſe futuros, ſi eam modò unam forent conſequuti. Quæ ſi animo inſeritur, ſapientiæ nomen uendicat: ſi in corporibus ſeſe promat, proſperior dicitur ualetudo: ſi è domibus caput proferat, concordiam uocant: ſi in ciuitate celebretur, pacis tranquillo excolitur nomine; ſi eniteſcat in mundo,

prouidentia nuncupatur. Adijciamus illa denicp, silentium in causis iudicijsc intelligi, quum nulla prorsum promit se coniectura ueritatis dispiciendæ, unde ferri possit sententia. Id quod indicat Plautinum illud ex Amphitryone,

Iacent rationes, silet iudicium, quid dicam nescio.

Allusum autem uideri potest ad ampliationis morem, quum in tempus aliud diffinitur iudicium: super qua re plura Pædianus. Cæterum de re perillustri nimis longum loquimur, ad alia igitur demigrandum. Sed parte hac Quintiliani prius obscuritatem tollamus pro uirili: sic enim libro tertio scribit in ratione statuum, at quoniam quod iure dicimur fecisse, non hunc solum intellectum habet, ut lege: sed illum quoc, ut iuste fecisse uideamur. Et quæ sequuntur, Aperitur difficultas ex Aristotele in Rhetoricis ad Alexandrum, ubi à lege sic distinguitur iustum, δίκαιόν ὅτι τῶν ἁπάντων, ἢ τὸ πλέιστων ἐθῶ ἄγραφον, δυσείζον τὰ καλὰ, καὶ τὰ αἰσχρὰ, οὗτο δ' ὅτι, τὸ γονέας τιμᾶν καὶ φίλους ὠφελεῖν, ὑπηρέτας χρεὶν ἀποδίδοναι. id est, iustum omnium sancitur, aut plurium mos, non scriptus, honesta præscribens & turpia. Id uerò eiusmodi est, parentes prosequi honore, de amicis benemereri, beneficis non ingratum se præstare. Legem uero sic idem finit, νόμο ὅτιν ὁμολόγημα πόλεως κοινὸν δεῖ γραμμάτων προστάτον, ὡς χρὴ πρᾶτειν ἕκαστα, quod est, lex dicitur ciuitatis consensus publicus, scripto comprehensus, quidc agendum sit, statuens.

Iram in puniendo præcipuè reprimendam. Cotys Thracum regis exemplum, necnon Augusti. Drusi iracũdia. Iræ fœda suggillatio. Microlypus qui sit, & crypsicholus. Crypsinus. Cap. xx

IRam semper quidem, sed in puniendo præsertim esse cauendã permittendumc, exsæuiat impetus & deflagret ardor, à maximis pronuntiatum auctoribus est. Necp enim ira concitatus ad sumendum supplicium pergẽs, medium seruare poterit, quod in nimij paruic est meditullio constitutũ. Et à Peripateticis est summopere comprobatum. Illud uerò egregiũ prosus, si qui reipublicæ gubernacula moderãtur, legum se maximè similes esse uelint. Hæ nanc ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. Id quum naturæ profluentioris benignitate quadam (nam doctrina id obtigisse, ne suspicandũ quidem est) optimè teneret Cotys, Thracum (opinor) rex, quòd esset natura prærapidus, ac ad iram efferuentior, ad ultionem proinde etiam præceps, præcipuec imperiosus & immitis in seruorũ delictis: quum pretiosiora essent ab hospite dono ei oblata figlina, cælato opere, tornatilic ratione conspicua, sed tamen prætenuia, fractionisc iniuriæ peropportuna: offerenti quidem gratum se præbuit, ampliter illum muneribus afficiendo. Cæterũ, mox uasa contriuit omnia, facti protinus ex fide ratione reddita. Quod uereretur, ne per incuriam ministros peccantes ea in re sæuius amariusc uerberibus concideret. Propterea exemplo nobili, adagionis comminisci figuram possumus, ut Cotys figlina identidem præferuidis intendamus insusurremusc, quos uelimus cõmonitos, prorumpentem indignationis ardorem ex nimio irarum æstu reprimendũ prudentiæ quodam (ut interim sic dicam) sufflamine, uel cum dispendio. Causisc præcipuè, ac ueluti fomitibus occursandum, quibus tacitè stomachari contingit, ac labris dentes impingere. Quod ipsum insinuauit egregiè Augusti ingenium perspicax, quum apud Vedium Pollionem cœnaret. Cuius seruorum unus ubi fortè crystallinum allisisset, ad ultimum rapi supplicium Vedius perturbatior iusserat. Verum, quod supplicium? Bone deus, murenis iamiam erat obijciendus, quas in piscina depascebat capacissima. Nec luxuria fuit ista, sæuitia erat. Euasit ad Cæsaris pedes dilapsus puer, non quidem mortem deprecaturus, sed mortis genus, hoc est, ne esca fieret. Miratus crudelitatis inusitatam speciem Cæsar, dimitti euestigio puerum, imperauit. Et uasa eius operis conteri uniuersa, in primis uerò piscinam compleri oblimaric. Huiusmodi autem animum obiter, minutulis sufferuefactum rebus microlypum Græci uocant, qui frenum mordeat nunc, & in fermento semper ferè sit, nec norit deferuescere. Qui uero iram dissimulat crypsicholus dicitur: sicut qui mentẽ cælat dolose, crypsinus. Quid porrò tumore feruido turpius? quid ue minus ex rationalis naturæ dignitate ualeat uel dici uel excogitari? Sed

ut agamus

ut agamus liberius paulò, quid insaniæ similius? Drusum Tiberij filium adeo uincebat ira, uti scribit Dion, ut uel insigni equiti plagas impingeret: quo argumento Castor (inquit) est cognominatus. Iram quidem dixit Ennius, insaniæ initium. Quidam è sapientibus, breuem insaniam. Quippe Cato etiam senior, iratum ab insano non alio distare astruebat, quàm tempore. Color, uox, oculi, spiritus, impotentia dictorũ atq; factorum quam habent sanitatis partem? An non id Plutarchi nouimus ex Symposiacis, Canes uehementiore aduersum feras concepta ira, quandoq; occæcari? Vt scias (inquit Seneca) non esse sanos, quos ira possidet, ipsum intuere habitum: flagrant, emicantq; oculi, multus ore toto rubor est, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, surgunt capilli, stridet spiritus, gemitus, mugitusq;, ut parũ explanatis uocibus, sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pedibus pulsata humus, fœda uisu & horrenda facies deprauantium se atq; intumescentium. Nam & Hippocrates morbos uideri grauissimos scribit, in quibus sibi longè dissimilis ęgrotantis facies euadat. Quid turpitudo illa, quàm non digna homine, quem ut animalium principem suspicimus ueneramurq;? Quod dum contemni nos arbitramur, in omnes iræ faces intendimus, nec homines modò, sed & bruta. Sicuti is de quo Plutarchus scribit in libro περὶ ἀοργησίας. Qui eum percussurus, à quo agebatur asinus, quum is subinde inclamasset, ἀθλιώτατός εἰμι, Atheniensis sum, efferuescente amplius ira, fustibus asellũ adortus, identidem cum bile & minis (ut Plautus inquit) æacidinis, uociferabatur, σὺ μὲν οὐκ εἶ ἀθλιώτατος, tu quidem Atheniẽsis non es. Quid illud ex medicorum scholis? quum sit ira feruor quidam caloris in corde consistentis, an non ob immoderatiorem quandoq; motum per corpus effunditur totum, & febrem inducit: sicuti herisipelata, & herpetes, ac carbunculi, & inflammationes, & phygethla. Quippe hæc ipsa totum concalefacientia corpus febrem accendunt. Porrò inquit Maximus Tyrius, ut qui diuitias quærant, ac se mari committunt, maximo interdum fœnore pecuniam sibi quærunt, sic qui iræ laxius indulgent, maximis se calamitatum innectunt, adobruuntq; usuris. proinde Aristophanem æquo animo Socrates tulit. In Melitum & Anitum odium non exeruit, uerum subinde insonabat, Socratem Anitus & Melitus tollere è medio possunt, lædere haud possunt. Idem Atheniensis irridebat, uti puerulos, suffragia ineuntes, dum satagunt mortalem hominem perdere. Quòd si te iniurijs impetant improbi, assultantes identidem, ad Homericam redi Achillis uocem, Ab Iouis meditor iustitia honorari.

Quæ pro ira dicantur apud Plutarchum à Gryllo in Brutum deformato. Quæ rursum aduersum ea excogitari rectè ualeant. Iræ medicamen optimum esse moram. Perturbationum uictorem posse deum dici. Cap. XXI

IRam tamen qui laudibus efferre conẽtur nec desunt (de philosophis loquor) in quorum quandoq; scholis iactatum scimus, quod est à Plutarcho item adnotatũ fortitudinis, οἷον βαφὴν τὴν θυμὸν εἶναι καὶ σῶμα, id est iram furoremq; esse uelut tincturã ac solidationẽ. Propterea feras in certaminibus incredibile robur promere, quòd hanc adhibeant meraciorẽ synceriorẽq;, nobis rationis frenum, uelut uino aquam promiscentibus, ac proinde in discriminibus plerunque stupere. Audias & illud, esse iram τὴν ψυχῆς σύμφυτον ὅπλον, id est animæ genuinum scutum. Et hæc quidem apud Plutarchum à Circe in brutum Gryllus deformatus. At enim M. Tullius inquit, non desiderat fortitudo aduocatam iracundiam, satis est instructa, parata, armataq; per seſe. Nam isto quidem modo licet dicere, utilem uinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiã, quod & insani & ebrij multa faciunt uehementius. Illa quidem ex rhetorum sunt pompa, qui indignationũ impetus nunc animorum appellant ardores, nunc uirtutum cotes. An non absurdum planè & à uero dissentaneum, non posse fortem uirum, nisi stomachabundum uirtutis suæ opera promere? Gladiatoriũ forsan hoc fuerit. Atqui literarum & omnis antiquitatis parens Homerus non quidem gladiatoriè, sed multa alacritate bellicis seſe discriminibus offerentem Aiacem inducit. Non arbitrari fortitudinem debemus, quæ rationis pomœrio circumscribi se non patiatur. Nisi fortè putes, quæ uehementer, acriter, animosè fiant, iracundè fieri. Nos tamen iratos plerunq; exisse de potestate pronuntiamus. Id si interpretari

pretari libeat, nónne de consilio dices, de ratione item ac mente? An non suademus iratis, colligant se? Id uerò an censemus aliud, quàm palantes dilapsasq; animi uires reuocare ad signa? Hinc scitum illud Charilai Lacedæmoniorum regis, cui quum se ingereret audacius insolentiusq; ex seruis unus, quos Helotas uocant, νὴ τὼ σὼ inquit κατέκτανον τόν, εἰ μὴ ὠργιζόμαν, hoc est per Sios (id est Geminos) interemissem te, ni irascerer. Huc spectat illud quoq;, quod deferuescentẽ nuncupamus iram, quum residentem animi ardorem, qui rationi obluctetur, significare uolumus. Id ipsum uerò dilatio comparat & morula, quæ caliginem menti sese obtendentẽ discutiat, aut rarescere modo densitatem cogat. Hinc illud T. Liuij, Daret spatium iræ. Hinc & Athenodori philosophi documentum, quo (ut à Plutarcho accepimus) ita Cæsarem Augustum instruxit. Quum te Cæsar ira cœperit, nil prius dicas uel facias, quàm ipsa quatuor & uiginti elementa literarum Græcarũ ipse tecum percurreris, memoriaq; recensueris, ut sic concitatio illa quæ momentosa est, mente aliò traducta, parui temporis interiectu emollita relanguescat. Hoc ipsum & à Sex. Aurelio proditum, memini. Porrò & tacitis uelut ambagibus obligati, substrictiq; securibus Romanorum magistratuum fasces præmonebant, quod initio adstruximus, lente ad irrogandam pœnam pergendum. Iræ denicq; fœditatem bracteata M. Tullij sententia retegit in Epistola ad fratrem didascalica, dum monet intentius, iracundiæ obsistendum, quumq; ea maximè animum moueat, tum esse diligentissimè linguam continendam. Quid, quod primo Canonis Auicenna nutrices optat, animi perturbationibus minimum obnoxias, præcipueq; iræ, timoris, tristitiæ immunes, quando temperaturam ista corrumpant, indeq; uitiatum affundatur infantibus lactis alioqui salutare alimentum. Bis uerò aut ter iram comprimenti palàm fit, id ipsum quod Thebanis euenire, qui superatis quandoq; Lacedæmonijs, qui ad id temporis inuicti credebantur, nunquam postea illis prælio cessere. Iræ autem solutio prima, tanquam tyranni est, imperantem non audire. Sed & urbanius tumescenti insusurrandum, quod infantibus nutriculæ, ne fleas, & statim capies, μὴ κατάϊσκε, μὴ δὲ βόα, Ne festines, ne clames: & mox fient quæ uis, & melius. Adde, quòd perturbationum uictorem posse immortalium deorum numero asciscì, De rerum natura libro quinto Lucretius est auctor,

Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoq;
Expulerit dictis, non armis, nónne decebit
Hunc hominem diuum numero dignarier esse?

Peripateticorum placita pro ira. Lentitudo quid, & lenti qui dicantur. Fortitudinis adulterinę species. Autolecythi qui sint. Fortitudo syncerior quę dicatur. Cap. XXII

AT qui rursum Peripateticorum scientissimi perturbationes, quas alij extirpandas putant, non modò esse naturales contendunt, sed & utiliter à natura datas, rationibus colligunt. Iracundiam quoq; laudibus efferunt plurimis, et cotem esse fortitudinis astruunt, nec ullam prorsus uim ineſſe huic uirtuti, ni ira excãduerit, quod sit ad res præclaras planè ephodion, ut Libanij uerbo utamur. Vt uerò sciamus, habeát ne generosi in se aliquid ira, liberas uidebis gentes quæ iracundissimæ sint, ut Germanos & Scythas. Oratorem denique non agentem modò, sed & patrocinantem sine iracundiæ aculeis non satis uehementem arbitrantur. Adijciunt quinimmo, si non adsit, uerbis tamen ac cõcitatiore motu effingendum, ut ardens oratoris actio ira inflammet auditores. Virum quoq; esse negant, qui irasci nesciat. Quamq; lenitatem Latinis dicere mos est, uitioso lentitudinis nomine appellant. Nam obiter est hæc Latina uox & erudita, quòd dum Epistolas ad Atticum profiteremur Patauij, abundè testati sumus, magnis fulti auctoritatum tibicinibus, quibus in studijs hisce nostratibus stare omnia uidentur: etiam si cuidam ex ueteranis, tum secus est uisum, qui risu satis inurbano nostram sententiam in scholis excepit: uelut more Latinè loqui tentantium in uenalibus, in uocis hallucinatus proprietate forem. Cæterum, alienæ parcamus famæ, cuius dispendio gloriam quærere, esse pusilli animi & iacentis, opinamur. Sit is in eruditorum albo, uel omnium calculis, & uiuat

felix

felix. Cicero in Epistolis ad Quintum fratrem: Omnino (inquit) non irasci, non solum est grauitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis. Inde in Epistolis ad Atticum, lente ferre, uidetur positum pro eo quod est, æquo animo perpeti quicquid contingat. Credas (inquit) mihi uelim, neminem adhuc offendi qui hæc tam lentè quàm ego fero, ferret. Vocabuli ratio inde uidetur profluxisse, quia lentis legumento qui uescuntur, equi animi fiunt, auctore Plinio: etiam si non me fallit Aeginetam Paulum libro primo scribere, φακῶ εἶναι κακόχυμον καὶ μελαγχολικῶ. Sed & alibi, hominis morsum præcipuè noxium tradit, si à ieiuno impingatur ore, & ab eo qui legumina pridie & lentem in primis admiserit in cibum. Paulo succinit tertio ad Almansorem Rasis, Corpus inde persiccari tradens, semen destrui, & sanguinis restingui feruorem, oculis caliginem induci, ac deniq; ægritudines concinnari melancholicas. Confirmat Dioscorides quoq;, sanguinem hoc alimento melancholicum produci, non tacuit in cõmentatione De euchymia & cacochymia Galenus. Certe lentos dicimus, qui affectibus non mouentur, ac uelut æquanimitate torpentes stupent. Propertius,

Hostibus eueniat lenta puella meis. Et Martialis,

Tu spectas hyemem succincti lentus amici,
Proh scelus, & lateris frigora tuta times.

Gellius Noctium Atticarum libro secundo: Tum Plutarchus lente & leniter, Quid autem (inquit) uerbero, ego tibi uideor irasci? Laberij quoq; illud ex Compitalibus ipsum hoc uidetur approbare, Nunc tu lentus es, nunc tu susq; deq; fers: id est, quod accidit, non magnipendis, ac propemodum ἀδιαφορεῖς. Videtur item ex ijs quæ protulimus, lentitudo esse, quam Græci uocant ὀργησίαν, id est animi affectionem, quæ ira uacet. Irascibilitatem dicere quidam permiserunt sibi. Ne priuis illorum uocibus cedat omnino Latina res. Cicero De oratore libro secundo: In quo ego, non quo libenter audiam, sed quia causam non libenter relinquo, nimium patiens & lentus existimor. Verũ (ut opinor) latius patet lentitudo, quàm illa Græcorũ ὀργησία. Argyropylus apud Aristotelem Moralium secundo, circa honores mediocritatem ait magnanimitatẽ dici, ex superantiam uero lentitudinem quandam. Lentis uero cruribus esse himantopodas, scribit Mela Pomponius. Tu interpretare loreis, ex nominis quoq; etymo. Sed in hæc excurrisse, non fuerit aquam inaniter consumentis, aut Arabiam seminio cauam, ut Lucianus inquit, conspergere adorti, ut discendi auidos miscella rerum sciendarum turba expleamus. Ne sint Latinarum uocum infrequentes. Redeo ad Peripateticorum placita igitur, in primisq; Aristotelis, in quem penè uidetur esse collatum, quicquid est capax humanũ genus. Quæ iusto fortè plus conuellere Cicero, multiq; præterea, Stoici præcipuè, conantur. Nam & Senecæ Stoicorum acutissimi nota sententia est. Ira non acuit animum ad res bellicas, nunquam enim uirtus uitio adiuuanda est, se contenta. Philosophus ergo Moralium tertio, postea quàm fortitudinis ueræ rationem est exsequutus, species quinq; recensет adulterinæ fortitudinis atq; impropriæ. Primo statuit loco eam, quæ ciuilis dicitur fortitudo, quum sustinent pericula ciues metu pœnarum & infamiæ ac honoris cupiditate. Huiusmodi facit Homerus fortes aliquot, ut Diomedem & Hectorem: id quod ex carminibus coniectari subiectis facillimè sic potest,

πολυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Polydamas me coarguet primus. & Diomedes,

ἕκτωρ γάρ ποτε φήσει ἐν Τρώεσσ' ἀγορεύων,
Τυδείδης ὑπὸ ἐμεῖο.

Hector enim quandoq; diceret apud Troianos concionabundus, Tydides à me. In hoc item sunt gradu, qui à magistratibus compelluntur. Hinc est illud scientissimi Plutarchi, fortitudinem à ueteribus statui, non ἀφοβίαν, sed φόβου λόγου καὶ δεινοῦ ἀδοξίας. Siquidem qui leges præcipuè reformidant, hi uel in primis hostem contemptui habent, nilq; uerentur pati, qui male audire compaueſcũt. Propterea dictum recte, ἵνα γὰρ δεινοῦ, γένηται καὶ ἀσφαλοῦς. Secunda porrò species uirtutis eiusdem constat peritia quadam, in bellicis præsertim rebus: quamobrem Socrates in libro qui Protagoras inscribitur, apud Platonem, censebat fortitudinem esse scientiam. Eiusmodi sunt in bello milites. Tertiæ

ſpecies prouenit ex ira. Videntur enim fortes, qui per iram, ueluti feræ percuſſores impetunt: quoniam & fortes, iracundi ſunt. Impetuoſiſſima quidem res eſt, ad pericula ca peſſenda animi concitatio. Vnde Homerus, Σθένος ἐμβαλε θυμῷ, robur iniecit animo. Et rurſum Homerus idem, καὶ μένος θυμὸν ἔγειρε, ira concitauit animum: καὶ δριμὺ δ' ἀνὰ ῥῖνας μένος, impetus per nares acer ſubijt: καὶ ἔζεσεν αἷμα, inferbuit ſanguis. Quæ omnia ſignificare uidentur, animi concitationem & impetum. Fortes uero propter decus faciunt, ſed adiuuat eos ira. Non eſt autem fortitudo, ſi dolore aut ira concitati in periculum deferãtur, nihil præuidentes eorum quæ incurrunt. Eo nanq; modo & aſini fortes nuncuparentur, quando ne uerberibus quidem à pabulo abigi perſæpe queunt. Inſuper & mœchi ob libidinem multa audent. Proximè autem ad eam quæ ſecundum naturam eſt, accedere uidetur fortitudo, quæ per iram fit, ſi modò electionem rationemq; ante ſuſceperit. Superſunt uero & duę fortitudinis ſpecies: quarum altera ex fiducia ſui naſcitur, cuiuſmodi uocant Græci θρασυμηδίας, ſpei ſemper bonæ, dum periculi deflagrat ardor. Ab hac nec abeſt procul reliqua & poſtrema, quæ per ignorantiam contingit. Et de impropria quidem fortitudine hactenus. Quem aũt uere fortem ſanciat idem Philoſophus, ad priorum intellectum faciliorem, erit (arbitror) operæpretium ſubieciſſe. Fortis uir impauidus & extrilidus eſt, animoq; ſubnixo eminentiq;, ut homo: quamobrem timebit ut oportet, ac (uti dictat ratio) tolerabit, decoris honeſtiq; gratia. Hic enim eſt uirtutis finis. Qui igitur quæ oportet, & cuius gratia, & quando, & ut conuenit, ſuſtinet ac metuit & audet, is fortis eſt. Inuenio in Græcorum doctrina, autolecythos, id eſt αὐτολεκύθους, dici ſtrenuos paratosq; ad omnia obeunda uel patienda. Quanquam pauperem eo uerbo intelligere malunt alij, ut qui poſſideat aliud nihil, quàm lecythos. Vel ad erogandam pecuniam procliues, quæ lecythis contineretur. Forte & autolecythi dicantur αὐτουργοί, qui per ſe omnia procurant ac faciunt. In Moralibus tamen Plutarchus αὐτολεκύθους καὶ τραπεζίτας nuncupat, qui culinam modò conſectentur, nec amicitiæ ullam habeant rationem. Ad fortitudinis uim pertinet præclara in Pompeij Magni rebus, Dionis ſententia, ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ τέχνη πάντος ὁμίλου κρατεῖ. Hæc autẽ de Tigrane proferuntur apud Tigranocerta ab Romanis Lucullo duce fuſo fugatoq;. Quorum paucitatem quum is contemptui haberet, dicere ſolebat, εἰ μὲν πολεμήσοντες ἥκουσιν, ὀλίγοι, εἰ δὲ πρεσβεύσοντες, πολλοὶ πάρεισιν.

Diluuntur obiecta, quæ in Peripateticos cõcinnantur. Iram duobus perpendi modis. Fortitudinis rationem bifariam diſtribui. Affectiones ex homine tolli non poſſe. Militi cur honoris deferatur plus, quàm doctori. Apyrina.

Caput XXIII

AD ea uero quæ Peripateticæ obijciuntur ſcholæ, reſpondebit luculenter ipſa, ſui Ariſtotelis innixa ueſtigijs: iram cõſiderari perpendiq; poſſe prout in exceſſu eſt, itemq; ut eſt in mediocritate: ſi accipiamus eam ut eſt in exceſſu, tunc non dicimus eſſe cum fortitudine: ſin uero modo ſecundo, tunc eſſe affectionem aſtruimus, non ſine regula & rationis gubernaculo, iungiq; cum operatione forti poſſe pulcherrime. Ideoq; philoſophum dixiſſe, iræ motionem eſſe naturaliſſimam, ſiq; congruum accipiat finem ac electionem, futuram fortitudinem ueram uel fortitudinis operationem. Eſt enim appetitus natura procliuis, ut ſeſe rationi obſequentem præſtet, etiam ſi non rationalis per eſſentiam. Proinde ex ira produci affectus ualet à ratione conformatus compoſitus ue. Ex quibus colligi perſpicuè poteſt, recte ſenſiſſe philoſophum, eo tamen addito, fortitudinis rationes uideri bifariam diſtribui: aut enim eſt fortitudo in tolerando, aut in aggrediendo: priori autem ira nullo modo eſt opus, alteri uero præcipuè, ſed moderata. Iram porrò nõ habere, dictum ueteribus eſt, qui mentem non habeant. Ira legum præſidi neceſſaria, ciuitatis moderatori peraccommoda. Aufer à rege iram, iam non imperio tantum rebelles experietur populariũ animos, ſed & momento de principatu periclitabitur. Immo uero & cuiuis hunc eripe affectum, cui non fuerit contemptibilis? à quo non circumſcribetur, expilabitur protrudeturq;? Iam & apud Gellium Taurus, Vt aliorum (inquit) omnium, quos Latini philoſophi affectus affectionesue, Græci uocant πάθη, ita huius quoq;

quoq; motus animi, qui quum eſt ulciſcendi cauſa ſæuior, ira dicitur, non priuatio utilis eſt, quã dicunt ἀοργησίαν, ſed mediocritas quam μετριότητα nuncupant. Melanthium quoq; dicere ſolitum accepimus, Iram non uideri grauem, quæ migrare mẽtem faciat, ſed quæ domo excludat omnino. Quæ uero in diuerſum præcipi, & colligi argumentis ſolent, de Pythagoræ atq; Zenonis fontibus uidentur manaſſe, qui perturbationes aſſerunt omnes exinaniri poſſe perſanariq; omnino, ueluti cauſarias animæ partes, nullamq; fibram aut uitiorum radicem in homine omnino reſidere, meditatione, ac uirtutum exercitatione aſſidua. Quod profecto eſt, inquit Hieronymus, tollere hominem ex homine, & in corpore conſtitutum, eſſe ſine corpore. Propterea ſcienter quadam Satyra Horatius,

Nam uitijs nemo ſine naſcitur, optimus ille
Qui minimis urgetur.

Verior & apoſtolica ſententia: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? uideo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & ducentem me in captiuitatẽ; non enim quod uolo, hoc ago, ſed quod nolo, id operor. Quum M. Antoninus educatorem ſuum defleret mortuum, auocareturq; ab aulicis ab pietatis oſtentatione: Permittite (inquit) Antoninus Pius imperator ut homo ſit, neq; enim uel philoſophia uel imperium tollere affectus ualet. Quin & Procli ſententia eſt admirabilis: An non ſtupendum eſt (inquit) animam immaterialiter in rebus materialibus uiuere, & in caducis incontaminatam ſe alicubi conſeruare? Terrenus locus Circes eſt diuerſorium. Amplius animæ in generatione cõſtitutæ perſimiles ſunt peſtilentem regionem habitantibus hominibus. Vbi uero extra generationem agunt, eſſe ueluti prata incolentes, Plato ſcribit. Ariſtotelicam doctrinam adiuuat in libro De morali uirtute Plutarchus, affectionum principia eſſe tradens σύμφυτα, οὐκ ἐπεισόδια, id eſt ingenita, nec aduentitia. οὐ δὲ ἀναιρετέα παντάπασι, hoc eſt, nec extirpanda omnino. Et mox paulò, affectus prodeſſe ait, ſi rationi comites ſe præbeant, ſicuti fortitudinem intendit ira, ſi moderata ſit. Sed temperamentum id genus riſu excipiunt Stoici, Quid ſi (inquiunt) ſanum uoces leuiter febricitantem? non eſt bona ualetudo mediocritas morbi. Sic (inquies) dicitur imperturbatus ſapiens, uti apyrina uocantur: non quibus nulla duritia eſt granorum, ſed quibus minor. falſum eſt: non enim diminutionẽ malorum in bono uiro intelligi uolumus, ſed euacuationem. Demum in fortitudinis mentione quærat ex me forſan aliquis, quidnam cauſæ ſit, quòd publico tantum non conſenſu militi, ac uiro forti plus multo prærogatiuæ contribuatur, quàm doctrinarum antiſtiti uel maximo. Reſponderi autem Ariſtotelis ſententia ſic maxime puto ex Rhetoricorum primo, Neceſſariò uirtutes illas cenſeri maximas, quæ alijs pernoſcuntur utiliſſimæ, ſiquidem eſt uirtus δυνάμεις ὠφελητικά. Proinde iuſtis plurimum exhibent honoris, atq; item fortibus: altera enim uirtus in pace, in bello altera prodeſſe præcellenter ualet. Ab ijs uero liberalitas cenſetur præcipuè, argumento eodem: profundit enim pro tempore ac modo, non uendicat pecuniam.

Ex uoluntate affectionũ qualitates præcipuè pendere. Apathiam item non eſſe huius uitæ. M. Antonini tranquillitas. Aegritudines ſæpe ſublatas, animo ſedato. Arietes perturbationum. Caput XXIIII

HOminem uero, cuiuſmodi effingunt Stoici, Græco uerbo dicunt ἀναμάρτητον, quod eſt, nulla peccati labe pollutum, qui ſit planè aurum putum, & (ut Ariſtophanes inquit cum Herodoto) prorſus colophonium. Intereſt (inquit Aurelius Auguſtinus) qualis ſit uoluntas hominis, quia ſi peruerſa eſt, peruerſos habebit hos motus: ſi autem recta eſt, non ſolum inculpabiles, uerum etiam laudabiles erunt. Voluntas eſt quippe in omnibus: immo uero nil aliud, quàm uoluntates ſunt. Et rurſum idem Auguſtinus: Illa quæ ἀπαθείας Græcè dicitur, quæ ſi Latinè poſſet, impaſſibilitas diceret, ſi intelligenda eſt, in animo quippe, non in corpore accipitur, ut ſine affectionibus uiuatur, quæ contra rationem accidunt, mentemq; perturbant, bona maxime atq; optanda eſt. Sed nec ipſa huius eſt uitæ, nõ enim qualiumcunq; hominum uox eſt, ſed maxime piorum ſanctorumq;, quos

uitæ integritas præſtat omnino (quod dicitur) πηδαλίου ἀγνοτέρους, id eſt nautico mu diores clauo. Si dixerimus, Quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. ἀδιώκητον γὰρ τὸ ἀπαθὲς τῶν ἀνθρώπων, inquit Plutarchus. Propterea diuinè M. Tullius in Oratione pro Marcello: Nulla eſt (inquit) tanta uis, tanta copia, quæ non ferro ac uiribus debilitari frangíq; poſſit. Verum, animum uince re, iracundiam cohibere, quæ ſemper eſt inimica conſilio, uictoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, uirtute præſtantem non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum deo iudico. Scribit alibi Plutarchus, iram nuſquam continere, imperiti eſſe hominis atq; intemperantis: ubiq; uero, difficillimum, quibuſdam etiam uideri impoſſibile. Vtamur enim uerbo audacter, quod nõ reformidat cum lureconſultis & Hieronymo Boethius, & libro quinto Fabius, ſicuti commonuimus alibi quoq;. Quando perturbationis huius uelut proprium perſæpe ſit, quod uelit, emptum morte perſequi. Monet tamen nos propheticum illud, Iraſcimini, ſed nolite peccare. Motus animi (inquit Caſſiodorus) in poteſtate noſtra non eſt, ſed dei gratia temperare poſſumus. Proinde quod conſuetudinis eſt, permittit: quod culpæ, prohibet. Et Hieronymus: Nos (inquit) affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circũdamur, moderari, & regere poſſumus, amputare non poſſumus. Propterea Apoſtolus, ſol non occidit ſuper iracundiam ueſtram, quia iraſci hominis eſt, finem iracundiæ imponere, Chriſtiani. Stoici porrò non diffitentur, uiſiones animi, quas phantaſias dicunt philoſophi, quibus quatitur mens ad primam ingruentis cuiuſpiam formidabilis ſpeciem, non uideri aut uoluntatis aut arbitrij, uerum ſuapte ui nobis ſeſe ingerere ac uelificare. Cæterum, probationes quæ mox conſequantur, eſſe iam arbitrarias, ubi perpendimus ac dijudicamus, moxq; reijcimus & aſpernamur: has, Græci ſyncatatheſes nuncupant. Præſtantius cenſetur (inquit Auguſtinus) iram uincere, quàm ciuitatem expugnare. Et perturbationum quidem uim graſſantem uiolentius permulta retegunt utiq;: ſed & Galenus in re medica tantus auctor, à quo traditum ſcimus, ægros quotannis non paucos integritati reſtitutos ſuæ, animi ſolum motionibus ad propriam reuocatis temperaturam: cui ſanè calculum adijcere uidetur Aeſculapius, qui cantilenas adhiberi, ac riſus conciliatores Mimos, & ridicularia denique alia, ijs quos animoſæ partis motus uiolentiores amplius exagitent, corporis temperamento excuſſo, & calore inſito auctius commoto: quin uenari alios præcepit, equitare item uel armorum meditationibus non parcere, motuum quoq; ac armorum ſpecie, ideaq; præſcripta, ut animoſa pars, ſi forte iaceat, ſitq; imbecilla, ſurrigatur exciteturq;. Scribit Sex. Aurelius, M. Antoninum imperatorem ab uitæ initio tranquillum fuiſſe adeo, ut ab infantia uultum nec gaudio mutarit, nec mœrore, philoſophiæ ſtudens, ac literis imbutus Græcis. Affectionum titillatus arietes uocat Hieronymus, quibus quatitur fides, quos euangelij retundendos aſtruit muro. Idem ſcorta publicitus proſtantia libidinum publicarũ uictimas dicit: ſunt enim diaboli uictimæ, uelut mentis & corporis illibata integritas CHRISTO inſigniter grata uictima.

De mediocritate, deq; exceſſibus iræ. Iracundorum ſpecies tres, & naturalis eorundem cauſa. Iræ uocabula. Caput XXV

Aeterum introſpiciamus denuo Peripateticum muſeum, præcerpturi inde quæ horum libellorum ſtudioſos, ſi qui tamen erunt, dimittant inſtructiores. Ergo (inquit Ariſtoteles) manſuetudo, ſiue πραότης, mediocritas eſt circa iram: quumq; medium, itemq; ferè extrema ſint anonyma, hoc eſt ſine nomine: medio utique manſuetudinem attribuimus, ad defectum qui item ſine nomine eſt, declinantem, Exceſſus uero ὀργιλότης, hoc eſt iracundia dici poteſt. Affectus autem eſt ira, id eſt ὀργή: nam iracundia, eſt habitus excedens. Qui igitur pro quibus oportet, & cõtra quos oportet, iraſcitur: ac præterea, ut oportet, & quando, & quanto tempore, laudatur, manſuetusq; hic erit. Defectus autẽ, ſiue ἀοργησία eſt, ſiue quodcunq;, tandem in uitio eſt: nam qui non iraſcuntur in quibus oportet, ἀλίθιοι eſſe uidentur, hoc eſt ſtupidi. Etenim qui nõ iraſcitur, nec ſentire quidem uidetur, neq; dolere

dolere. Atqui perferre contumelias, & ſuos negligere, ſeruile eſt. Iracundus, celeriter ſuccenditur, tum in quos non oportet, tum pro quibus non oportet, & amplius quàm oportet: uerum & confeſtim deſinunt qui ſic afficiuntur, quod eſt in ipſis optimum. In ijs uero bilis fulua prædominari uidetur: quæ quum acuta & ſubtilis ſit, ob inſitam caliditatem facile ſuccenditur ſurrigiturq́, unde inoritur ultionis notum. At qui nulla prorſum aguntur ira, frigidi perſentiuntur atque humecti, quia fulua & acriore carent bile. Excellenter autem acuti ſunt acrocholi, & ad omnia, quibus ſumma eſt bilis, unde & nomen habent. Inter hos ſunt quos uocant πικρούς, nos interpretari amarulentos poſſumus: difficulter hi placantur, & plumbeas diuturnasq́ ſeruant iras. In ijs uero fulua bilis permiſcetur atræ, proindeq́ illis conſtantior ira eſt, ſiquidem eam comprimunt: ut autem in ſeipſa digeratur, indiget tempore. Sunt & inter iracundos ſpecie tertia, qui non explentur facile, niſi uiſo inimici ſanguine. Hoc genus appellant Græci χαλεπούς, ex Latinis plericq́ acerbos. Hoſce uero planè melancholicos tradunt, quòd bilis uigeat in eis atra: quæ quia frigida eſt & ſicca, craſſiore materia, quæ haud facile diſſoluatur, diutius perſeuerat. Quòd ſi amplius inquirat aliquis, cur tres tantum iracundiæ prodantur ſpecies, reſpõderi poteſt, oriri affectionem hanc ſanguine circa cor efferueſcente. Eſſe uero eum feruorem triplicem, conſtat: ſubtilem, craſſum, medium: ſicuti ex ijs quæ præſtruximus, coniectare perſpicax ingenium potuit. Apud Homerum, quod Euſtathius ſcribit, affectio hæc quatuor ſortitur nomina: eſt enim quandoq́ apud illum θυμός, χόλος, menis, id eſt μῆνις, & κότος: ſed eo tamen interſtitio, ut dicatur propriè menis, immanens ira, unde & inflexum nomen ἀπὸ τοῦ μένειν: quum cholos, orge, thymos, perturbationis indicent initia, etiam ſi obſeruatio non eſt perpetua. Hinc Porphyrius, ἡ μὲν κατὰ λύπησιν πρόσκαιρος ὀργὴ, χόλος καὶ θυμός. nam menos (inquit) eſt ἀπόθετος χόλος: uerum ubi ultionis captatur occaſio, κότος dici conſueuit, παρὰ τὸ ἐγκεῖσθαι. Vnde Homerus,

ὅπι κότῳ ᾧδε θυμῷ. Et rurſus,

ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ.

Nuncupatur autem χόλος, ἀπὸ τοῦ χολᾶν, ἢ τῆς ψυχῆς πάθος λέγεται.

An uerum ſit, hircos pati facile, ipſis intuentibus fœminas iniri. De hyæna inſuper ſcitu digna. Confirmatur Plinij hiſtoria de uiperæ partu. Athenienſium uotum de hircorum immolatione. Tragos quid, aut hirculus in uitibus.

Caput XXVI



Ncideram nuper in Aeliani commentaria, quæ haud ita inſcitè is condidit περὶ ζώων ἰδιότητος, auidè (qui mos eſt meus) ac ſitienter arripui, ac euoluí, præcerpturus quæ uſui forent legiſſe. Inter cætera, quæ ſe primo libro ingeſſere, fuerũt & quæ huic impingere capiti uiſum protinus eſt: pugnã pro fœminis hircos inire, perinde ac pro formoſis mulieribus aduerſum hircos. Ratione compari tauros acrius in id genus alios cooriri, uelut arietes item ouium cauſa. Hæc non eo ſubnotaſſe uolui, tanquam ex Heracliti forent antro planè deprompta, aut indicta prorſum inſcitaq́, ſed quod inaudiſſe uideor, ex recentioribus nonnullos, haud ex aſſe ἀμούσους, ſed (uti ſentio) bene doctos nonnunquam, cauſam eruere conatos: quid ita, quorum uxores corpus inuulgent, hircorũ appellatione deformemus paſſim, inde factum uaticinari, quòd animalium ſoli (uti putant) hirci ſui generis fœmellas ipſis intuentibus, iniri, facilè cõcoquant, omninoq́ (quod dicitur) ſuſq́ deq́ ferant, nec in prælia conſurgant ad corollas (ut interim ſic dicere permittar) decertaturi. Id quàm uerum ſit, ne quis Sibyllæ folium prolatum arbitretur, perſpicuum iam, uel unius auctoritate Aeliani non diluta, nec proletaria, opinor. Apud eundem obſeruatum eſt illud item, Hyænam ſi hoc anno marem conſpexeris, eandem inſequenti fœminam agnoſces: ſi fœminam nunc, poſterius marem conſpicaberis. Venire etiam in Veneris utriuſque participatum, inireq́ uiciſſim ac iniri, quotannis ſexu immutato. Ceu animantis natura Cenæum re præmonſtrarit, ac Tireſiam ueteribus celebratos. Sed quia mira prorſus hiſtoria eſt, recte ac operæpretium me facturum cenſeo, ſi auctoris uerba ſubiecero: τὸν ὕαιναν τῇ τε μὲν ἄῤῥενα εἰ θεάσαιο, τὸν αὖτὸν εἰς

νέωτα ὄφεα θῆλυ, εἰ δὲ θῆλυ νεῦ, μετὰ ταῦτα ἀρρενα. κοινωνοῦσι δὲ ἀφροδίτης ἐκτὸς ὥρας, καὶ γαμοῦσί τε, καὶ γαμοῦνται, ἀνὰ ἔτος παῦ ἀμείβουσα τὸ γῆρας. οὐκ οὖν ἦν καινέα, ἦν τερσίαν ἀρχαίους ἀποκλαῖε τὸ ζῶον ἔκτορ, οὐ νόμοις, ἀλλὰ πῖς ἔργοις αὐτοῦ. Aduertendum porrò hiſtoriam Plinij de uipera, ab Aeliano item primo libro comprobari planè ad uerbum. Adeo ſi auctoritatibus agas, controuerſa res eſt, uerum qui diuerſa ſentiunt, ab experimento ſtare ſe, dicunt. Quia uero ab hircis exorſi ſumus, in eoſdem noſtra corriuabitur oratio, adnexa non procul ab deriſu hiſtoria: cuius auctor nobis Agathius eſt Gottici belli libro ſecũdo, ingruente Perſarum bello in Marathoniſs campis, uouiſſe Athenienſes, totidem ſe hircos Dianæ immolaturos, quot peremiſſent hoſtes. Quod quum implere in primis cuperent, non quiſſe tamen, etiam capris adiectis uel ſuccidaneis. Tragon uocant Græci in uitibus cauſationem, ubi flatu graſſante decutiuntur germina, hirculum Latinè queas nuncupare. Sed & hirceſcere dicuntur uites, ſi ſterileſcant: quãdo hircorũ eſt, nimia pinguitudine in ſterilitatẽ abire, quod cõprobat Ariſtoteles.

Animal thoa eſſe homini amicum præcipue. Canum fides anxia in Niciam uenatorem. Super Nicia imperatore paucula, & uerbo μελλονικιᾶν.

Caput XXVII

ESſe animal quod θῶα nuncupent, non ex Ariſtotele modò ac Plinio notiſſimum, ſed aſtipulatur & Theocritus. Cæterum, cenſeri id uel humaniſſimum, præcipueq́ homini amicum, ac (uti dicunt Græci) φιλανθρωπότατον, non ita multi prodidere. Lectum tamen quandoq́, ſi forte in hominem inciderit, reuereri, ac uelut obſeruanter ſuſpicere. Amplius, ſi à feris aliis circumuentum ſenſerit, tum uero accurrere protinus opitulariq́ pro uiribus. ſed quod ad brutorum in nos beneuolentiam attinet propenſiorem, traditum à ueteribus ſcio, fuiſſe inter uenatores quempiam, nomine Niciam, qui (ut aſſolet) uenandi ardore ſtudioq́ concitatior, dum improſpicienter imprudentiusq́ feras immiſſis canibus inſectatur urgetq́, in carbonariam forte delatus fornacem præceps eſt. Id uero intuiti canes neutiq́ abſtiterunt, cæterum gannientes primum quidem per fornacis ambitum, domini (quod facilè appareret) charitate deſiderioq́ ac rugientes moras ducebant: demum uero adeuntes, leniter obſeruateq́ tantum non mordicus apprehenſa ueſte, pertrahere ad locum enitebantur, ueluti opem inde aucupantes quampiam domino, fide ſumma, quæ uel in homine rarior pernoſcitur. Id autem intuitus quidam, & quod erat, ſuſpicatus planè, quum ſuboleret, non fruſtra ſolicitè adeo anxieq́ concurſare canes, ducem inſequutus factum deprehendit, exuſtumq́ in fornace ſpirantem Niciam, re prorſum coniectata ex iis quæ in ignibus uiſebantur reliquiæ. Fuit Nicias ab hoc alius, Athenienſium haud omnino incelebris imperator, etiam ſi impendio timidior, & eo nomine in obeundis negotiis tardior: unde exiit illud facetiſſimum Ariſtophani in Auibus,

καὶ μὰ τὸν Δί' οὐχὶ νυστάζειν ἔτι
ὥρ' ἐστὶν ἡμῖν, οὐδὲ μελλονικιᾶν.

per Iouem nobis haud eſt dormitandi tempus, neq́ item Niciæ more ceſſandi. lepidè prorſum conformato uerbo ab μέλλω, quod tardo nobis indicat, & Nicia. Non prætereundum, ab Plutarcho in Nicia carmen Ariſtophanium aduocari, ſed ita ut uix ſenſum recipiat uerbo μελλονικιᾶν decurtato interpellatoq́: quo factum, ut per inſcitiam ab interprete ſit præteritum.

Ingenio præſignes eſſe plurimum iracundos imbelleſq́, at grauitate fortes, ſed indociles obliuioſoſq́: undeq́ horum promi effectuum ratio ualeat.

Caput XXVIII

DE uariis hominum affectionibus, quæ πάθη dicunt Græci, deq́ ingenij ratione uel amplioris uel minutioris aliubi (opinor) affatim pro re nata diſſeruimus, aggeſtis, quæ hinc inde olim præflorauimus. Nunc præterire nequeo Platonis ſententiam graphicè poſitam, ſciteq́ in libro De ſcientia, quæ quia illuſtri enuntiata perſpicuitate eſt, nullo indigere interpretamẽto mihi eſt uiſa: eam modo exſcripſiſſe ſatis ſuperq́ fuerit. Eſt admodum (inquit) arduum

arduum, hominem comperiſſe ingenioſum, qui inſimul manſuetudinis ac modeſtiæ exſors non ſit. Quippe ad hanc diem eiuſmodi neminem uixiſſe aduerto, uel etiamnum eſſe nunc, cui naturæ genius ita affulſerit, ut boni ſit compos utriuſq;. Siquidem acumine qui inſignes ſint, callidi item ac memoria illuſtres & docilitate, nunquã non iracundi ſunt, ac contentionis auidi, nec raptantur ſecus ac nauigia retinaculorũ prorſus expertia. Hoſce item furore quodam præſtare dixeris uerius quàm fortitudine. Sed enim qui ad grauitatem natura facti ſunt, eamq; unam rem habent, ueluti ſcopum, ſi ſe ad ingenij cultum dent, & doctrinam ſibi pergant induere: hi uero hebetiores comparent mox, & neſcio quomodo deſidioſi, obliuionis quoq; nubilo identidem ſe obtendente. Id quod à Platone ſancitum uel Ariſtotelis ualet calculo comprobari, qui Thracas eſſe adeo ingenio tradit oblæſo, & memoria propemodum nulla, ut ne quaternarium quidem numerando queant tranſcendere. In ijs tamen robur & ad belli munia promptitudinem ſingularem haud deſideraris. hanc uero uarietatem adeo uariam, immo contrariam interim, cæli defluuijs forſan retulerint acceptam aſtrorum non imperiti. Quando & Iulium Maternum ſic ferè nouimus prodidiſſe: Quædam, inquit, gentes ita à cælo formatæ ſunt, ut propria ſint morum unitate perſpicuæ. Siquidem immanis feritatis crudelitate graſſantur Scythæ (uti aliàs commeminimus) Itali fiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, auaros eſſe Syros ferunt, acutos Siculos, luxu diffluere Aſiaticos, ac uoluptatibus deliniri. Hiſpani creduntur elata iactantiæ animoſitate præpoſiti. Nec ignoro tamen eſſe, qui in hoc auctore putent loquentiæ multum, ſapientiæ parum.

De Vulcani templo apud Aetnam Siciliæ, deq; canibus ingenij mirandi diſcernendis, qui caſtè pieq; accedant, an ſcelere imbuti ſalutatum tamen eant deum. Cur Vulcanus in inſulam Lemnum excuſſus tradatur. Lemnia terra, quæ & ſigillata. Philoctetę hiſtoria. Cap. XXIX

APud Aetnam, qui notiſſimus eſt Siciliæ mons, eſſe Vulcani templum fertur honore multo. Circumiectum eſt templo ſeptum, ſacræ item uiſuntur arbores, necnon peruigil & inextinctus ignis; uel (uti à Græcis dicitur) ἄσβεστον πῦρ καὶ ἀκοίμητον. Templum aſſeruare ac lucum traduntur canes, quibus mirum præcipue inſitum ingenium creditur. Quippe adeuntes, ſi caſtè modo ac piè, utq; addecet, id agant, permulcent ac abblandiuntur, illiſq; perinde ac beneuolis aggregantur, & planè familiaribus. Quod ſi manibus non puris, ſcelereq; aliquo pollutior templum inuiſat, uel lucum, irruunt mordicus, lacerant conuelluntq;. Cæteros ex cœtu ali quo remeantes laſciuiore intemperantiore'ue inſectari modo, ſatis ſuperq; habent. Euentus rationem ſi ſolicitius perquiras, ac ueterum conſecteris ſuperſtitioſam uanitatem, cælitus omnino fieri putabitur: ſi me audias, immundorum ſpirituum fallacioſæ acceptam ſedulitati referes, quando unum illis ſtudium, in tenuiculam per momenta rationalem animam præcipitaſſe, ut quo illi iuſtiſſimè diſcruciantur, eodem & nos paterni diuiniq; luminis exſortes Catonio includamur teterrimo. Illud de Vulcano nec reticebo, in Lemnum inſulam tradi à fabuloſis excuſſum deum: quoniam, ut ſcribit Galenus nono Simplicis medicinæ, loci facies ſit exuſtæ ſimilis, nec quicquam ſubnaſcatur: ubi tamen terra habetur lemnia, quam & ſigillatam iuniores uocant, ſphragida Græci appellant, quia conformatis inde paſtillis capræ ſigillũ imprimeretur, ut uoluit Dioſcorides: ut uero Galenus, Dianæ. Quod autem huic terræ hircinum promiſceri ſanguinem, prodit Dioſcorides item, ab Lemnijs ſacerdotibus irriſum, refert Galenus. Proditur à Græcorum nonnullis, Vulcani antiſtites in Lemno aduerſus ictum ſerpentium medica pollere uirtute. Quo argumento Philocteten apud Smynthei Apollinis aram ictu ſerpentis uulneratum illuc medicinæ gratia eſſe miſſum.

Cereris templum, & feſtum Chthoniũ, apud Hermionẽſes celebre uel miraculo, quod præferocem taurũ ducat ad arã uetula ſacerdos obedientiſſimum. Item de canibus in Palladis tẽplo, quod in Daulia eſt. De Panos templo in Arcadia, ubi Aula locus uiſitur, & muſcis auolantibus ex Olympia & Leucade, ubi Actius Apollo: necnon de Diana in Icaro inſula. XXX

AD eandem porrò fraudem & impoſturam peruerſiſsimam, ſpectat illud item quod inferam mox: Cererem ab Hermionenſibus exímia coli uenere ratione, peragíq; ſacra prorſum μεγαλοπρεπῶς τε καὶ σοβαρῶς. Feſtum uero Chthonium nuncupari. Ferunt ergo, boues magnitudine uíſenda, & ferocia ad aram ex armento facile agí ímmolandos à Cereris ſacerdote, quæ uetula plerunq; eſt ac uiribus prætenuis. Super qua re carmina circumferuntur apud Græcos, quæ & appoſui, auctore eodem Ariſtocle:

Δαμάτορ πολύκαρπε, σύ κ' ἐν σικελοῖσιν ἀγαγὴς,
καὶ παρ' ὀρεχθείδαις, ἔν τε μέγα λελίνεται
ἑρμιονοῦσι, πρὸ δ' ἀγέλης γὰρ ἀφειδὴς ταῦρος,
ὅν τ' οὐκ ἀρρῆσιν ἀνδρες ὁδὲ δίκα,
ἔστορ γραῦς στίχος μόνη μόνος ἔλκει,
τὸν δ' ὦν βωμόν, ὁ δ' ὡς ματρὶ πᾶς ἕπεται.
σὲν τόδε Δαμάτορ, σὸν τὸ θέμ, ἱλαος εἶης,
καὶ παντῶν θάλλοι λαὸς ἐν ἑρμιόνη.

Cæterum & in Daulia eſſe memorant Iliados Mineruæ templum, in quo alantur canes, quibus inſitum planè ſit, perinde ac ratione quadam, aduentantibus ſubblandiri Græcis. Barbaros autem, ubi ſe oſtentarint, latratu inſectari. Eſt in Arcadia locus nomine Aula, ubi olim uiſitatum eſt Panos templum, conſtanti fama, omnibus quæ illuc defugerint animalibus, haud dubie ſalutem præſtari. Quippe ſi ea inſequantur lupi, ſubſiſtunt protinus, ubi ad eam uentum partem eſt, nec ingrediuntur omnino: quod defugientia illuc putet deus, uelut ſupplices quoſdam, δι' ἀσύλους ἄγων αὐτά. Et quia ex ueteri ſuperſtitione animaliũ miracula conſectamur & anquirimus ſtudioſe, addamus illa quoq;: In Olympia cognitum hoc annorum plurium experimento, ingruente certaminum & panagyris celebritate, muſcas inde omnes ad ulteriorem Alphei ripam ſponte, uelut mulieres aſſectẽtur auolare. Porrò in Leucade, ubi in promontorio eminentiore Apollinis ſtat templum, quem Actium nuncupãt, futura inibi (ut aſſolet) panagyri, in qua & honori diuino æditur ſaltatio, bouem muſcis immolare fuit receptiſſimi moris, quæ illius diſtentæ cruore confeſtim credebãtur euaneſcere, hac uelut mercede amplius delinitæ, ac (ut ſignificanter dicunt Graeci) δηναθεῖσαι. Quum omnino Piſææ animaduerterentur ἀδίκασοι, & proinde probiores quoq;, ut quæ dei reuerentia quadam, non mercedis ui, iuſtitiæ opus inirent, & (quod addecet in primis) ſi modo ibi erat deus, ac non ſpurciſsimus dæmonarches, miſerorum mẽtibus ad ſatietatem illuſurus. Sicuti in Icaro inſula quoque, in qua Dianæ templum fuerat: quumq; nimio plus ſcaterent ibi agreſtes & præpingues capræ cum Dorcadibus ac leporibus, ſi uenari cupiens, à dea rei pontificium eſſet comprecatus, pergens inde præda onuſtus reuertebatur, captis quæ concupiſſet. Quod ſi petere ſuperſediſſet, inanis prorſum fiebat uenatio, inſuper & in eum expetebãt audacioris conatus pœnæ. Cæterum illuſiones hoc genus, ſeu indigitamenta credere malis, id eſt excantamina ſeu ueneficia, perſequi diutius, abutentis planè ocio fuerit. Proinde ijs præteritis, alia diſquiramus auditu iucundiora & gratiora ſcitu.

Quadruplex loquendi figura, ueteribus obſeruata grãmaticis: priſca, Latina, Romana, demumq; miſcella, ſiue mixta. Caput XXXI

QVi amplius penſitatiusq; indagine ſcrupuloſa loquendi uarietates diſcutiendas ſibi in commentarijs propoſuere, rationem eam uideri quadrifariam planè diſtributam pronunciauere. Quippe nonnulla in ueteribus libris priſcè dicta, uidere licet, Latinè aliqua, necnon Romanè, demumq; eſſe miſcellam omnino figuram quandam, mixta quæ ſit, ac dicatur. Priſcam uero intelligunt, qua Iano ſynchroni & Saturno, ac mox etiam paulo probè cum ſuis fabulati ſint. In qua pleraq; multo obſcuritatis nubilo circumuoluta, preſſaq; pernoſcantur, deſitis iam uocabulis, proindeq; intellectum facile non admittentibus, cuiuſmodi fuiſſe carmina, quæ nominantur Saliaria, coniectare licet ex pauculis, quæ ſuperſunt, uelut reliquiæ. Latina loquendi figura creditur nuncupata, qua uterentur in

Latio

Latio, quum rebus potiretur Latinus, & præterea Hetruſci regẽs: qua ſanè forma decemuirorum conſcriptæ ſunt tabulæ. Sed huius pars ulla uix ſubſiſtit innoxia: quod ré tulit Sextus Pompeius. Romanam denique dicendi rationem intelligunt, quæ in Plauto efloruerit, Næuio Accio, Pacuuio, Marone, Catone, Siſenna, Antiate Valerio, Cęſare, M. Tullio. Miſcella demum figura intulit ſe, ubi iam auctiore imperio, datáque peſſum Romana libertate, gentibus communicata ciuitas diuerſiſſimis eſt, ex quarum uelut uoragine, loquendi ſyncerítas concuſſa in primis in barbarum ferè dilapſa ſonum, ſapere Gothicum cœpit, & omnino peregrinũ, ut rarenter ſe promat, quem purè Romanum dicas, non ciuitate donatum. Miratur tamen & Fabius, Oſcè plurima in auctoribus inualuiſſe, necnon Sabinè, ut de Gallicis taceam, quum & Punica oſtentent ſe nonnunquam.

Morbo atrocius graſſante, uel etiam citra oblæſionem manifeſtariã, non nullos ſe in puteos deiectaſſe. Lugdunenſes mulieres. Laurentianus Florentinus.

Caput XXXII

Atræ bilis effectus præcipuè admirabiles abunde aliàs perſequuti ſumus: nunc ab illis haud diſſita prorſum ingerũt ſeſe, quæ artis medicę ſummates uiri ac planè coryphæi obſeruata literis mandanda cenſuere; Hippocrates & Galenus, ęgrotos, ſi uiolentius graſſans morbi uis debacchetur, & atrocior inardeſcat febris, arctius uideri uinciendos, quod ita affecti complures plerunque ſe peremptum eant, nec id ratione ſingulari, compertis etiam qui in aquas præcipites ſe dent, quod eſſe factitatum in ea quæ Atticam depopulata olim peſtilentia eſt, multorum approbatur calculo: & Lucretius carmini inſeruit,

Multi præcipites lymphis putealibus alte,
Influuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.

Mirum certe eſt quod à recentioribus eſt item proditum, haud ita pridem in Lugdunenſi Gallia contigiſſe, ut citra ullum corporis incommodum, quod quidem appareret, crebriter mulieres in prealtos ſe puteos demerſum pergerent. Sed fœminas forſan imbecillior excuſarit natura, & ſemper ferè peregrinabunda mens. Quid philoſophis facias uiris, quibus etiam familiarem aduertimus affectionẽ huiuſmodi, non alia ratione Florentino Laurẽtiano proxime conſumpto? Ad hæc pro ingeniorum captu à multis multa proferri conſueſſe, non latet: defluuio cæleſtium corporum acceptam referentibus pleriſque acriorem mali uim, aut in diuinam etiamnum iram. Id quod ueteribus arriſerit, inani oblaqueatis ſuperſtitione. Sunt forſan qui & hoc ipſum in melancholiam reiiciant, à qua hoc genus plura concinnari ſolere aliàs cõmonuimus. Mihi ſanè uti ſunt, iſta omnino accidunt admiranda.

Qui dicantur citharœdi piſces, quæque in nominibus habeatur ratio. De polypo item, qui ſibi uoret brachia, cirrhoſque: quod negant alij.

Caput XXXIII

ISe in Erythræo mari piſcem obſeruauimus, forma quidem latiore, ad buglottæ modum (uti aiunt) ſquãmis haud ita ſcabris, ſi attingas: colore ſuffuluo, lineis nigricantibus à cauda uſque ad capitis ſumma corpore interpicto, ut tentarum fidium ſuſpicari imaginem poſſis; unde piſci adoptatum citharœdi nomen. Zona præcingitur crocea, uertex uarijs diſtinguitur coloribus, nigrum aureo interlucente fulgore. Narrantur & citharœdi, alij στικτοί, hoc eſt picti. Quippe uiſuntur purpurei ferè, per interualla lineis diſcurrentibus aureis. Commemoratur in mari eodem pardalis, plurimum & colore & orbicularibus picturis, hoc eſt τὰ σίγματα πολυφόρα, montanæ aſſimilis. Cæterum in hac piſcium aut belluarum mentione, quoniã (ſicuti Philoctetes olim, ut eſt apud Ciceronem ad Trebatium) diuerſa inuiſimus uagamurque, adnotandum amplius quod prodidit Aelianus in Animalium pragmatia, Polypum eſſe uoraciſſimum, hoc eſt φαγεῖν ἄνδρα, & ſtruendis inſidijs uaferrimum: quod ſi defecerit uenatio, ſuis ipſius ueſcitur cirrhis, ſuccreſcentibus mox quæ fuerint abſumpta.

Ceruum

Ceruum à Philadelpho ita educatum, ut Græcæ linguæ ſono inſueſceret intelligeretq́. Meropis auis pietas ſingularis. Luſciniæ ambitio. Ciconiarum pietas. Cur eaſdem pietaticultrices dixerit Arbiter Petronius.

Caput XXXIIII



BSeruatum apud eundem Aelianum id quoq́ eſt, Ptolemæo Secundo, quem & φιλάδελφον dicunt, cerui catulum dono datum quandoq́: educatum autem ea præcipue ratione, uti ei præfectus curę Græca ipſum modo uoce alloqueretur. Quum idiomati inſueuiſſet brutum, loquentem intelligebat perſpicue. Quanquā irroboraſſet uetus opinio, Indicæ ſonum uocis à ceruo tantum percipi. Scribit idem auctor, Meropa auem eſſe ciconiarum iuſtiſsimam, quod educandis parentibus ſenium haudquaquam arbitretur expectandū, ſed ipſum id agere protinus uolatus celerioris compotem. Quo coniectatū inter cunctas eſſe aues tum iuſtiſsimam, tum uero piſsimam. Scio, mirabuntur plures, quin præter fidem dici, conſtanter forſan aſſeuerabunt. Mihi in naturæ cōtemplatione nihil occurrit incredibile, quando & Charmidem Maſsilienſem cōmentatione nō indignum eſſe opinatum uideo, luſciniam non muſicæ ſtudioſam modo, id eſt φιλόμουσον, ſed & φιλόδοξον, id eſt gloriā ambitioſius captare. Siquidem in ſolitudinibus ſi concinat, ſimplicem omnino cantum ædere, apparatu nullo, uelut ſibi canentem modo: quod ſi auditoribus non excidat, præſtoq́ ſint aliquot, tum uero prædulcem in primis uariumq́ ædi concentum, quippe intellectu certo παντὸς ἐλίττειν τὸ μέλος. Id quod ab Homero quoq́ illis uerſibus coniectatum probabile fit,

ὡς δ' ὅτε παρθενικὴ ἐλεήμονος ἀγκὰς ἰούσης
καλὸν ἀείδησιν ἑαρινὸν ἱσταμένοιο
ἀμφὶ ῥεέθροις ἣν ποτὶ πατρὸς καθιζομένη ποικίλα ποικίλλῃσι,
ἥ τε θαμὰ τροχόωσα χέει πολυηχέα φωνήν.

Sed quod de merope diximus, quam inter ciconias recenſent Græcorum pleriq́, utaliarum item non hic pietatem ſubiiciam, ſuper qua in Hexaemero plura prodidit Magnus Baſilius, & retulit in noſtris literis eloquentiſsimus ſcriptor Ambroſius. Sciendum ad hæc uideri ſpectaſſe Petronium Arbitrum, ubi pietaticultricem nuncupat ciconiam illis uerſiculis, quos & appoſui:

Ciconia etiam grato peregrino hoſpita
Pietaticultrix, gracilipes, choraliſtria.

Apum nomina plura. Emplaſtica, & paremplaſtica quę dicantur. Anthredon. Mellis genera non citra admirationem. In Mycono apes non haberi. Vocabula plura ad idem: plaſtides, cephenes, ſira, ſirenæ, meliſſa, meliſſia. Meliſſæus Iupiter. Melitea lintea. Neon accipi pro uere. Hyemem eſſe patrem temporum. Apomeli. Mulſa. Apiana uua, & muſcatula. Melitomata.

Caput XXXV



Nter apes (inquit Aelianus) alias nouimus quæ ſint & dicantur duces: quædam σειρῶδες, id eſt ſirenes: aliquæ uero φορφόρους: ſunt & quæ plaſtides, forte ab artifici figmento, uel quia emplaſtica & paremplaſtica Græcis dicuntur, quæ infarciunt opplentq́, ſed uiſcida priuatim ac glutino tenacia. Cephenas, id eſt λυφύνας, abundare in primis Nicander ſcribit. In Cappadocia obſeruatum prioribus eſt, ſine ullis fauis confici ab apibus mella. Feruntur uero ea craſsitudine, qua oleum. Apud Trapezuntem in Ponto defluere ex buxo eadem accepimus, odore grauia, & quæ bene ualentes ἐκφρονας faciant, ac amentiam concinnent. In Media item ab arboribus mella ſtillare, ſicut cecinit Euripides in Bacchis. Apud Citheronem dulces à ramis guttas manare: uerum & in Thracia mel item arboreum ſuppetere proditum ſcio. Sicuti in Mycono apes haberi nullas, & ſi inferantur, emori. Arbores item mellifluas Hyrcaniæ, in pagis qui Fortunati dicantur, celebrat hiſtoria. Verum & Diodoro beſtiola eſt uolucris, anthredon nomine, eodem tractu, ape minor, nec multo tamen: in ſaxorum aut arborum cauitatibus ſuos conſtituit, ac melli ſuccum concinnat perſimilem. Apes porrò dicitur quandoq́ σειρ

σείρη, id eſt ſira, aut certe apum domuncula. Eſt & eo nomine auiculæ ſpecies, & indumenti quoq; prætenuis. Sed ſirenæ itidem pellucida uocantur amicula, id eſt σειρωνας. Sunt qui λυφλῶνας interpretentur apes maſculas ἀπροβλητους; ſed & muſca ſine aculeo, id eſt ἀκεντρον, ſterilíſcq; dicta interdum cephen reperitur. Melias item pro apibus reperias nonnunquam, ſed ſunt eo nomine haſtæ quoq;. Meliſſa nunc eſt apes, nunc pro obolo ponitur, qui drachmæ partem habet. Dicuntur & myſtides eo uocabulo. Nam & Meliſſæum cognominatũ legimus Iouem. Meliſſia uero aluearia ſunt. Melitea cum audimus líntea, id eſt μελίτεια ὀθόνια, non à melle fit corruptio, ſed ab inſula Melite. Illud autem Homeri de apibus,

ἀεὶ νέου ἔρχομένάων.

exponunt, recenter perpetuo uenientium: quoniam earum ſit nõ continuus uolatus, ſed interpellatus, ut ſemper uideãtur uolatum ordiri. At Porphyrius uernũ innui tempus opinatur magis, quo euolant apes. Neon autem uer dicebãt. Et πατρὸς τῶν λαιῶν, hyemem uocat Pythagoras. Quod autem de eiſdem poeta ſcribit,

βοτρυδὸν δὲ πέπονται.

exponit Zenodotus, ad animalis imaginem, quod botryn nuncupant: id inter uolandum ipſum ſe cõuertit. Verum, quæ auctor hic prodit, incomperta plane ſunt. Proinde in racemi modum accepiſſe præſtiterit. Apianam uuam gratam apibus, Græci ſticam uocant, ex noſtris ſunt qui appellari modo putent muſcatulam. Apomeli uero, potionis eſt genus, inter mulſum, hoc eſt melicraton & oxymeli mediæ. Vtuntur ea Peloponneſii præcipue. Artomeli legiſſe item alicubi uideor in medicorum theſauris. Galenus libro tuẽdæ ſanitatis quarto: Mulſam ex pluuia fieri aqua prodit: apomeli ex qualibet. Melimela, id eſt μελίμηλα, dicuntur apud Athenienſes poma pulcherrima ex cydoniorum nata inſitione: uti decimo ἐκλογῶν πρὸς γεωργίας expoſitum comperi. Melitomata uocant Græci mellita omnia. Illud ex grammatico penu eſt, Nomen nullum apud Græcos neutri generis exire in ι literam, excepto μέλι: nam gummi id eſt κόμμι, & πέπερι, & κοῖρι eſſe peregrina uocabula.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros ad Petrum Antonium Syluestrum Rhodiginum, compatrem amantissimum, Præfatio quarta & uicesima.



Ieronymus parens tuus, Petre Antoni, ciuis (si quis alius) uel optimus, & senator præcipuè illustris, quod publici boni, priuatis rationibus resectis, esset mire studiosus, sępeq; nõ citra dispendium, ea me in patriã à literaria peregrinatione, uelut postliminio redeuntem beneuolentia & pietate est amplexatus, ubicunq; sese uel dignitatis uel rei augẽdæ ostentasset occasio, labore prorsum nullo reclinato, ut dum uixit nõ secus à me coleretur, quàm si uitalis huiusce lucis, post optimũ maximum deum causa mihi fuisset prima. Sed & cum fatalis ei aduenisset dies, palàm funebri oratione, quam ὠιτάφιον dicunt λόγον, conceptum ex obitu dolorem testatissimũ apud omnes feci, quod & præstantis ingenij uiro exutam intempestiuius patriã animaduertissem, & me nõ quidem amico, quod ipsum foret tamen uel grauissimũ uulnus, sed parente optimo planè orbatum, uirulentiæ ac pestiferis quorundam ingenijs inermẽ expositum sentirem. Quo sanè factum, uti lacrymis ueris spirantibusq; inter crebros singultus subinde interpellantes, oratorium munus implere uix licuerit. Vitæ illius integritas, morum formula exactissima, ingenium minime subdolum, nõ fucatum, nõ liuore ullo unquam obscurius nil à me aliud efflagitare est uisum. Præstitimus uiuenti quod eualuimus, præstitimus etiam humanis functo, præstamus nunc quoq; quod

Hærent infixi pectore uultus
Verbaq;, nec placidam membris dat cura quietem.

Non is sum Petre Antoni, qui adulari sciam, nec si sciam maxime, uelim. Notior est parentis tui uirtus, quàm ut hic subblandiẽdi studio esse possit locus. Nisi quod importunius forsan diu iam obductum uideor uulnus refricare. Sed enim qui es ipse tanti hæres uiri & æmulus, ægro animo ueniam (opinor) nõ inficiabere: quando ut es ingenio uel præcipue in numerato, & multo rerum usu peritus, ignorare nõ potes, reipublicæ nostræ incussam bellorũ funesto tumultu plagam, & alio super aliud accedente malo, ita omnia prorsum cõcussa, ut latè iam ruinam minentur præcipitẽ. Nec ferè sit, qui tantæ cladi consilio uel prudentia obuiã eat, senioribus ferè absumptis omnibus, quorum grauitate ac sententijs stabat ciuitas nostra. Nam haud ita diu à parente tuo perfuncto grassante sæuius fortuna, raptus est Antonius Fulginas, egregius ciuis, & Catonianæ cuiusdam seueritatis: raptus & Andreas Casalinus medendi scientia nobilis, & (quod prius est) philosophus (uti sentio) præclarus, ut uitæ libram hic exactiorẽ non pergam memorare. Quibus sanè uulneribus reipublicæ impactis, uel mirari quiuis potest, tam diu stetisse nos: nisi quod suppetit tamẽ ex diuiniore fonte, quo æstuantem animum leniamus: quoniam sese naturæ argumenta pleraq; ita promũt ex te compater amantissime, ut iam nunc concipere libeat, futurũ te mox nulla in parte, etiam si arduũ id est, parente inferiorẽ: sed talem quoq;, ut pessum euntia nostræ ciuitatis fundamenta in integrum restituas præstantis ingenij maturitate, nunquam nõ prospectante longius, properæ leuitatis temeritate allisa. Vt in te (libet enim iam nunc uaticinari) quę sua est senescentium affectio, Ennianum illud propediem regeri elogium possit,

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Quod ut facias etiam atq; etiam rogo. Hæc erit tibi ad æternã gloriam uia: hac iere certatim Romanorum ac Græcorum plerique proceres: hac nunc cælesti passu incedas ipse fessis subueniens rebus, quando

εἰς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI QVARTVS ET VICESIMVS.

Vbi affectus mouere non permittantur oratores. Quintiliani ſententia perpenditur. Quid propriè πάθος, quidue ἦθος. Item narratio morata. Horatij locus de morata fabula.

Caput I



QVONIAM uerò præcedentis uoluminis fine, quantum noſtra paruitas tulit, de ira commentati ſumus, quam eſſe cæcam ueterum teſtimonio pronuntiauit Chryſippus, ὅτι πολλάκις οὐκ ἐᾷ ὁρᾶν τὰ ἐκφανῆ. id eſt, quoniam perſæpe nec manifeſta quidem conſpici ſinat, ſuccurrit illud Quintiliani ex ſecundo Oratoriarum inſtitutionum libro, Athenis actores mouere affectus uetari conſueſſe, ex quo uiſum quibuſdam, orandi artem quodammodo fuiſſe reciſam: ſed & libro ſexto: Athenis etiam (inquit) per præconem mouere affectus prohibebatur orator. Libro item decimo in Demoſthenis Ciceronisq; compoſitione, ſalibus & commiſeratione, qui duo plurimum affectus ualent, uincimus. Et fortaſſe epilogos illi mos ciuitatis abſtulerit. Vt uerò ita rem habere propemodum credamus, in libro De morali uirtute Plutarchus facit: à quo proditur, in Ariſtocratica adminiſtratione rhetoras magiſtratuum iuſſu uetitos παθαίνεσθαι: hoc enim utitur uerbo, ex eiuſce linguæ fertilitate, quod eſt affectiones ex iudicum animis prolicere: quoniam ῥέπει ἀληθείαν ῥοπὴν ὁ ἀπαθὴς λογισμὸς ἀεὶ τὸ δίκαιον id eſt, inclinatione ſerpit recta citra affectum perpenſio, ad id quod iuſtum eſt. Quòd ſi acceſſerit affectio, quod arridet, quodq; urit, pugnam intendit aduerſus iudicandi deliberandiq; uim. Lucianus uerò in ſermone cui titulus Anacharſis, ſiue De gymnaſiis, hoc ipſum in Areopago irroboraſſe tradit, ubi cædis peragebantur iudicia: ut ſi quis de re dicat, patienter ac æquis auribus dicentem ferat ſenatus. Quòd ſi captandæ beneuolentiæ concinnarit aliquis proœmium, uel extrinſecus οἶκτον ἢ δέησιν, id eſt miſerationem elicere, aut indignationem excitare cooriatur, cuiuſmodi haud pauca aduerſum iudices comminiſci oratores ſolent, progrediens præco ſilentium eueſtigio imperat, apud ſenatum diutius nugari nequaquam permittens, aut dicendi ui rem obuoluere atq; implicare, ac uelut retas obijcere, ut tranſacti negocij ſeriem nudam ex fide ſpectare poſſint Areopagitæ. Ipſum hoc & primo Rhetorico ſignificat Ariſtoteles, in ciuitatum pleriſq; prohiberi oratores aſtruens extra rem dicere, ſicut (inquit) in Areopago, & recte id quidem. Neq; enim iudicis peruertere mentem oportet, indignationem concitantes uel inuidiam uel omnino miſerationem conciliantes. Perinde enim eſt, ac ſi canonem, ſeu regulam, qua in operum directione ſis uſurus, obtorquere ac inflectere incipias. Apſinus uerò in proœmiorum præceptis, captandæ miſerationis præmonſtrãs rationes, ambiguitatis inijcere uidetur aliquid. Athenis (inquit) ſi oratorio fungamur munere, ex iudicijs rebusq; geſtis communem hunc locum inſtruemus. Miſericordiæ ara excitata apud uos eſt, communiq; omnium humanitate beneuolentiaq; eſſe uidetur dea. Exindeq; apud omnes inſignem adepti laudem eſtis. Moris in Areopago ſeruati meminit Onomaſtici octauo etiam Pollux, ne quem poſſeſſione ſua dominũ interuertamus. Sed mitiores fortè affectus permittebantur quandoq;, uehementes & ardore quodam concitati haudquaquam. Aræ Miſericordiæ Athenis, meminit Pauſanias quoq;, ſicut pudoris, famæ, appetitionis, id eſt ὁρμῆς. Adnotanda uerò hic M. Tullij ſententia, quoniam de affectibus agitur, duo eſſe, quæ admirabilem faciant eloquentiam, alterum Græci ἠθικὸν uocant, patheticum alterũ: ad mores illud & ad naturam, omnemq; uitæ conſuetudinem accommodatum: hoc perturbantur animi & concitantur, quo uno regnare oratio præcipuè creditur. Illud ſuperius come, iucundũ, & ad beneuolentiam comparandam aptum in primis: hoc autem uehemens eſt, ac incitatum.

Hinc legimus, narrationem esse planã debere, breuem, euidentem, credibilem, bene moratam cum dignitate. Hinc uerò illi Horatiano sensus infertur illustrior,

Moratáq; recte fabula. πάθος putat libro sexto Fabius, propriè dici à nobis affectum, ἦθη autem Romana carere uoce, dici tamen mores. Verum non tam hos significari, quàm morum quandam proprietatem, quibus omnes contineantur mentis habitus. Omnino affectum concitatum πάθους nomine intelligunt, mitem atq; compositum ἤθους signare. Id uerò est, quod bonitate commendabile est, nec mite solum ac placidum, sed blandum plerunq; & humanum, audientibus amabile atq; iucundum. Quo dicentis mores ex oratione perluceant. Sunt qui τὰ ἤθη, non mores prorsum interpretentur, sed sensus. Fides (inquit Martianus) tribus fit, conciliando, docendo, permouendo: illa prior ethica, sequens apodictica, tertia pathetica nominat. Scribit Donatus in eum Terentij locum in Eunucho,

Dij immortales, homini homo quid præstat?

Morata narratio à sententia incipi solet, quæ dicitur promythion.

De apathia, dysspathia, metriopathia, propathia, sympathia, antipathia, & id genus pleriſq; alijs. Procatarctica & synectica causa quæ sit. Item aipathia, homœopathia, proegumenon. Antipathiam promiscere. Idiopathia. Ca. II

ILlud uerò ad grammaticam pertinet supellectilem, esse apathiam aliud, aliud dyspathiam, itemq; propathiam, quanquam est & metriopathia. Et apathiam quidem intelligi iam docuimus, impassibilitatem quandam (si dici ita Latinitatis patiatur decor) quam esse agrestem, nimisq; profectò duram, etiam ex philosophis nonnulli sentiunt, ut quæ tum impossibilis sit, tum etiam inutilis. Tollit enim amoris mutui beneuolentiam, qua maximè uita constat, & societatis humanæ ratio. Rursum uerò extra modum angi, & in luctus abire nimios, iam non naturæ id fuerit, sed deprauatæ cuiusdam opinionis. Proinde scitum est appositissimumq; Crantoris illud ex Academia, Non ægrotare quidem primum (inquit) sit. At si contigerit, adsit sensus aliquis, seu dissecetur quippiam, seu conuellatur. Siquidem anodynon hoc, id est nil dolere non sine magna immanitatis mercede contingit in animo, stuporis in corpore. Quamobrẽ ut dedecet prudẽtes dyspathia, quam doloris impatientiam interpretamur, sic & apathia. Hoc enim ἄπηγκπυ ἢ θηριώδες, id est durum ferinumq;. Illud autem ἐκλελυμένον καὶ γυναικοπρεπὲς, id est molle solutumq;, ac fœminæ accommodum. Metriopathia uerò haudquaquam improbanda rei ciendáue, quæ moderatam in perturbationibus rationem amplexatur & continet. Est & sua medicorum scholis propathia: sic uerò nuncupant προάθησιν, id est præsensionem quandam. Neq; enim tacitè furtimq; obrepunt omnes ægritudines, sicuti Hesiodo placuisse, intueri licet,

ἐπεὶ φωνῶ ἄρ᾽ ἔλαφρ μητιέτα Ζεύς.

id est, quoniam uocem prudens abstulerit Iuppiter. Sed earum plurimę proangelos, id est prænuntios habent, & prodromos, siue præcursores, ac præcones, uelut cruditates & inconcoctę materiæ superfluentiam, & motus pigriores, quam uocant ἀνασκησίαν. Grauitas quippe onerosa, laborq; (inquit Hippocrates) spontanei morbum prænuntiant. Incentiua item uitiorum propathe dicuntur rectè, ac significantius Græcis, uelut antepassiones, quibus carere censetur impossibile: nam ea omnium titillant animos, & inde præcauere cogitationum sagittas commonemur, & naturæ dominus in Euangelio: De corde (inquit) exeunt cogitationes malæ. Protopathiam inuenies alicubi apud Galenum, uelut primariam dicas affectionem: sicuti idiopathiam quoq;, id est affectionem propriam. Si oboriatur (inquit Galenus) ab ulcere ingens panus, quum inducta in ulcere cicatrice, permanet etiam panus, uel in suppuratam inflammationem transiens, uel in durum tumorem, quem chœrada, id est scopulum appellant: nemo primarios dixerit huiusmodi morbos, qui ob alium præcedentem contigerunt. Fuere item ex medicorum decuria, qui ἀπαθείαν induxerint, tanquam dicas perpetuam affectionem. Quippe sanorum iuxta, ægrotantiumq; corporum κατασκευὰς, id est cõstitutiones easdem esse specie, statuere permittunt sibi, etiam si præstat, ampliorem sanitatis titudinem

titudinem contribuiſſe, quàm omneis homines urgentibus perpetuò morbis conuelli, ac lancinari. Eſt ſua oratoribus item homœopathia de paſſionis nata ſimilitudine, quam undiquaque ſcientiſſimus exprimit poeta,

Fuit & tibi talis Anchiſes genitor. Item,
Et patriæ ſtrinxit pietatis imago, Et,
Me quoque per multos ſimilis fortuna labores.

Quod in Macrobij Sympoſiacis eſt adnotatum, Idiopathiam reciprocationem dicimus, ſicut idiopathes reciprocum. Priſcianus ſui paſſionem & ſuipaſſum interpretatur. Et quia uberem conſectamur doctrinam, & medicam rem à limine ſalutamus, ſciendum omnino, à propathia diuerſas cenſeri cauſas in ægritudinibus, procatarcticas dici ſolitas. Sunt enim hæ, rei quidem effectrices, uerum ſeparatæ, ſicuti morſum qui infixit canis ſcorpius ue, ac ſolis exuſtio febrem producens. Synectica uerò cauſa intelligitur, quæ præſens præſentem cuſtodit affectionem, fouetq; ut in ueſica lapis, qui non cauſæ modò rationem habet, ſed & affectus. Eſt item πεφυγόμενον ἄπορ, quod à procatarctico inſtruitur, uel quo præſente, ἀπέλεσμα quoq; ideſt effectus adeſt. Sed redeo ad inſtitutum. Sympathiam quoq; apud ueteres non Græcos modò ſed & Latinos, inuenias pro conſenſu quodam, qui plerunque inter res conuiſitur: ut quum Lucilius ait, Luna alit oſtrea,
Implet & echinos, muribus fibras, & pecu addit.

Eadem quoque quæ creſcente luna gliſcunt, deficiente contra deſiunt, exſuctaq; ſunt. Quanquam eſt & in quibuſdam antipathia: nam cepe (Plutarcho tradente) decedente luna reuireſcit ac congerminat, inareſcit autem adoleſcente. Proindeq; Peluſiotas cepis abſtinere, quia ſolæ ex cunctis oleribus contra lunæ aucta & damna, uices minuendi & augeſcendi (ſicuti repetit etiam Gellius) habeant contrarias. Eleganter porrò & antipathiã promiſcere dicitur, qui pugnantia exq; diametro diſſidentia componit inq; unam corporis molem cõpingit: ut ſi quis contrarias inter ſe conſarcinet auctoritates.

De monſtro mirabili ædito in Rhodiginis agris. De piſcium & ranarum pluuia. Item de infante Conſtantij temporibus nato. Monſtrorum ratio ex cæleſti diſciplina. Decani. Munifices dij. Caput III

EXſcribentibus nobis iſta, & elimatius leuigatiusq; concinnantibus, quæ pridem Patauij dederamus in literas, æditum in patrij ſoli uico, cui Sarzano nomen eſt, magnitudinis inuſitatæ monſtrum. Digna res eſt uiſa, quam hiſce libellis inſererem, eo quidem procliuius, quoniam flagrante inteſtinis diſcordijs Italia, & intonante altius bellorum procella, quæ iam aliquot annis latè uaſtitatem dedit, uice prodigij habitum id eſt. Is uerò infans fuit biceps, multa in eo mira. Primũ quadrimeſtris magnitudo, membra omnia cum proceritate reſponſum habentia, abſoluta, amuſſitataq;. Facies utraq; ſimilitudinis propè indiſcretæ. In capitibus crines aliquanto longiores ac nigricantes. Inter utrunq; caput ex collimitio humerorum tertia ſurrigebatur manus. Sed quæ aures longitudine non excederet, nec integra uiſebatur omnino. Reliquũ corpus prorſum bene compactum, ac citra ullam maculæ fœditatem. Natus eſt quinto idus Martias, anno nati Verbi milleſimo quingenteſimo quarto ac decimo. Poſtridie allatus Rhodigium eſt. Quia uerò uiſenda res erat, placuit mitti ad Hiſpanorum ducem, qui in proximo uicaria regis fungebatur poteſtate. Id uerò ut citra putredinis timorem poſſet obiri, exenterare præmortuum neceſſe fuit. Inibi ergo mirum aliud, cor quidem ſimplex, ut aſſolet: at iecur duplex, ſicuti & lien. Nam in uiſcere hoc uiſam quandoq; duplicationem uel in uno, credimus Ariſtoteli. Verum in hoc genus monſtris mira quidem, ſed naturalis tamen à peritis rerum afferri ratio ſolet. In quibuſdam uix, ſicuti quod Athenæi relatum monumentis eſt, piſcibus pluiſſe nonnunquam. Factum id in Cheroneſo etiam legimus, & triduo utiq; continuo. Sed & in Pæonia & Dardania ranarum pluuiam contigiſſe (prodit Euſtathius) tanta multitudine, ut domus opplerẽtur, nedum uiæ. Nec aduerſus mali uim uſquam ſalutare compareret auxilium, præter quàm in fuga, quando nec aquis nec cibis uti licebat, irrepentibus inſilientibusq; ranis in omnia, confirmat

quarto Bibliotheces hiſtoriã hoc genus etiam Diodorus. Quod ad infantem attinet, illud amplius ſciendum, unum'ne an plura ſint per coagmentationem, quod monſtrifi cum prodit animal, iudicandum eſt ex principij ratione: nam ſi cor pars eiuſmodi eſt, quod unum cor habet, unum animal eſt: quod duo, animal item duplex coalitum propter conceptuum coniunctionem. Imperante Conſtantio legimus, æditum infantem ore gemino, dentibus binis & barba, oculis quatuor, auriculis duabus quidem, ſed breuiſſimis. Qui partus (inquit Marcellinus) rempublicam in ſtatum reclinaturam deformem, planè portendebat: nam portenta id genus comparent ſæpius, ſed rerum euentus uariarum indicant fere. Cæleſtium rerum ſtudioſi in partes diſtribuunt tres ſignorum ſingula, ſic ut portio quælibet unum habeat decanum. Alij uerò ſcrupuloſius rem rimati, ternos deos decanis aſcribunt, & munifices nuncupandos cenſuere, uel ſynergos quoq; ut ſignorum cuilibet nouem adſint munifices. Hoſce rurſum per infinitas ſecant numinum poteſtates. Ab ijs porrò aſtruunt, caſus decerni repentinos: quin & monſtroſos hominum conſarcinari partus. Deinde Necepſo Aegypti iuſtiſsimus imperator, & optimus aſtronomus per ipſos decanos uitia omnia ualetudinesq; collegit, oſtendens quam ualetudinem quis decanus efficiat. Sciendũ uerò, plenas dici partes in quibus decani fuerint inuenti. Vacuas autem, ad quas nunquam decanorum numerus accedit.

Super Agathocle adnotata quæpiam. Curq; is gracculus ſit cognominatus: item triorches. Plutarchi labecula colluitur. De buteone aue. Gracchus, & Pulcher an flatilem admittant. Mihi cum flatili ſcribendum. Martialius Caracallæ occiſor. Philomelam dici, non philomenam. Cap. IIII

AGathoclem Siciliæ tyrannum, qui tam moderatè, tamq; fortiter uidetur proſperiorem tuliſſe fortunæ afflatum, ut ſine fictili opere non ferè unquam cœnaret, ac miſceret opes, pauperiemq; ſimul (uti de eo cecinit Auſonius) ætatis primordio ab eminentiſſimis proditũ hiſtoricis eſt, forma & corporis uenuſtate præeminentem, diu uitam ſtupri patientia exegiſſe. Proinde Timæus & ipſe hiſtoriarum conditor, illum dicit περὶ τὸν πρώτον ἥλικιαν κολοιὸν πόρνον, id eſt primæuo ætatis flore ſcortum promiſcuum, impudentiſſimo cuique expoſitum: item mox κολοιὸν nuncupat καὶ τετράχηλον. Eſt autem κολοιὸς gracculus, ſuper quo facetiſsimus extat Ciceronis iocus: nam à Pharſalica pugna quum aufugeret Pompeius (dicente Nonio quodam) ſupereſſe etiamnũ aquilas ſeptem, immoq; neccdum eſſe deſpondendũ. Recte (inquit) moneres, ſi cum gracculis depugnandũ foret. Nec id minus factum quod in Ionia prodit Apoſtolius, Venetos Adriatico mari appoſitos ſub ſementis tempus ſolitos cum gracculis depaciſci, ut libis obiectis cum maza, quæ illis forent ligmata, ne ſemina refoderent omnino, uel legerent: ſtabantq; illi dictis legibus. Triorches uerò auctoribus Plinio & Ariſtotele De animalium hiſtorijs libro nono, genus accipitris eſt, à numero teſtium ſic nucupati, cui principatum in augurijs Phœmonoe dedit, eum buteonem Romani uocarunt, familia etiã ab eo cognominata, quum proſpero auſpicio in ducis naui ſediſſet, ut Plinius ſcribit. Ego in gente Fabia id fuiſſe cognomentum, accipio. Nam ab Vrbe condita libro uigeſimotertio T. Liuius M. Fabium Buteonem nominat. Meminit & in Fabio Maximo Plutarchus. Sed ibi mendum (opinor) inoleuit: nam ſcribitur modò Fabius Bulco. Græcus tamen codex, φάβιον præfert βουλεῶνα, quo tempore duos habuit reſpublica dictatores poſt Cannenſem ſtragem, M. Iunium, & hunc (de quo diximus) Fabium. Deniq; Buteonis oratoris mentio eſt Senecæ Controuerſiarum libro ſecundo. Triorchem apud Ariſtophanem inuenimus in Comœdia, cui titulus σφῆκες: ubi poetæ illius interpretes nil amplius aſcribunt, quàm ἔστι δὲ ὁ τετράχηλος ὄρνεόν τι: eſt autem triorches auis quædam. Sed & in monumentis Sex. Pompeij ita legas: Buteo, genus auis quæ eo ſe alit quod accipitri eripuerit. Vaſtitatisq; eſt cauſa in his locis quæ intrauerit, ut bubo, à quo etiã creditur appellatus Buteo. Proinde ex hac auis natura uideri poteſt tyrannus cognomentum traxiſſe: niſi quis malit ab efferata libidine. Nam egreſſus Agathocles pubertatis annos libidinem à uiris tranſtulit ad fœminas. Traditur item quum eſſet perfunctus

ctus fato,uxorem querulam flebilibus modis illud ſubinde ingeſſiſſe, τί δ' οὐκ ἐγώ σε, τί δ' οὐκ ἐμὲ σύ; quid non ego tibi, quid tu non præſtitiſti mihi? Cæterum, cur dictus κολοιὸς, id eſt gracculus? an ob latrocinia,& furacem naturam? Huic ſoli aui(inquit Plinius) furacitas auri argentiq; præcipuè mira. Monedulam quoq; inde dictam gramma tici interpretantur, quaſi monetulam, quòd ſurripiat monetas. Quanquam ſunt coliæ item piſces,dicti Theodoro monedulæ. Agathoclem uerò latrocinijs incubuiſſe ante tyrannidem,hiſtoria teſtis eſt. Indeq; concedentem Syracuſas diu ſine fide fuiſſe, quoniam nec in fortunis quod amitteret,nec in uerecundia quod inquinaret,habere uidebatur. Sed enim quamuis in omne facinus ſemper fuerit promptiſſimus, nõ tamen uſquequaq; malus erat: nam & manu ſtrennuus fuit, & in concionibus perfacundus eſt creditus: quo nomine ab æmulis & inimicis gracculus item uideri poteſt appellatus: uelutiloquax magis eſſet,quàm eloquens,uti de Atilio Palicano pronuntiatum nouimus. Nam & Bacchylidem uellicans in Nemeis Pindarus, ut locutuleium impendio, ac humilem, ſic ferè pronuntiat,

λεγέτω δὲ κολοιὸς τἀπεινὰ νέμοντα.

Dicitur enim κολοιὸς à κολύειν, quod tumultuari nobis indicat, Euſtathio tradente: quia ſit auis obſtrepera,tumultuatrixq;,id eſt θορυβητικὴ καὶ λεωγατική. Nam & eadem ratione Gracchum apud Romanos cognominatum legimus: quamuis apud Varronemobſeruatum ſit, Gracchum ideo nuncupatum, quòd eum mater menſibus duodecim in utero geſtaſſet, quia legitimum pariendi tempus eſſet ſupergreſſa. Proinde ex iunioribus quidam etiam bene doctus,ſine flatili ſcribendum cenſuit. Quod tamen,ni fallimur, forſan coarguitur pauciſſimis Quintiliani uerbis ex Oratoriarum inſtitutionum primo:nam de aſpiratione differens inquit,Parciſſimè ea ueteres uſi,etiam in uocalibus,quum ædos ircosq; dicebant: diu deinde obſeruatum, ne conſonantibus aſpiraretur,ut in Graccis & triumpis. Horum ſenſus uerborum qui ſit, perſpicuè (opinor) patet:nam Graccum triumpumq; olim fuiſſe innuit ſcriptitatum, ſed id non fuiſſe perpetuũ, quis (rogo uos,ſtudioſi omnes) nõ peruidet? Triumpum ne tempeſtate noſtra ſcribimus,an triumphum? Triumphum profectò, ſed & Gracchum conſimiliter:nam & in Græcis monumentis ita ſcriptitatum inuenimus, ρωκχον. In catholicis tamen Probi,ſic adnotatum animaduertimus: Quidam putant,inchoare dici imperitiſſimè: nam neq; poſt C literam H Latina uerba regunt, exceptis nominibus tribus, pulcher, orchus,lurcho: uel (ut autumat Seruius in tertium Georgicum) ſepulchrum. Pulcher item in Græcis inuenitur codicibus, ut apud Strabonem libro quartodecimo. In tantum falluntur, qui pulcer & ſcribunt & enuntiant. Quam tamen ſcribendi rationem inſequi uidetur Cæcilius Minutianus in libello De orthographia, quanquam inſigniter mutilato decurtatoq;,ac prorſum uetuſtatis & incuriæ uulneribus confoſſo:in quo & illud adnotauimus,Mihi, cum flatili ſcribendum, ut diſparetur à uocatiuo mi. Scribit in Oratore ad Brutum Cicero,Quin (inquit) ego ipſe quum ſcirem ita maiores loquutos eſſe, ut nuſquam, niſi in uocali aſpiratione uterentur, loquebar ſic,ut pulcros, Cetegos,triumpos,Cartaginem dicerem:aliquando,idq; ſero conuitio aurium, quum extorta mihi ueritas eſſet,uſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Mihi uerò, inſertam habet flatilem, non natura,ſed ut hiatus declinetur: nam uti caſu patrio mei,ſine ſpiratili dicimus, ſic dandi caſu mij fuerat ſcribendum, ni auribus foret conſultum. Leonardus uerò Arretinus epiſtola quadam rationibus comprobare adnititur, addendum C quoq;, ut michi ſcribamus: quod non recipiunt doctiores. Preendo,citra flatilem ſcribi oportere,ſentit Terentius Scaurus. Eum nos quandoq; ſequuti ſumus: at Quintilianus ad ſua ſeruatum tempora prodit, ut aſpiraretur ei uerbo. Sed ad inſtitutum. Puſillos item ſtatura, κολοιοὺς, id eſt gracculos,dici conſueſſe,in Ariſtophane uideor obſeruaſſe. Nam & auis hæc, minutula eſt, ut quæ tota ferè pennis conſtet. Imperante Antonino Caracalla inſedit obeliſco uociferabũdus gracculus, mirum dictu,ſucclamatum ab omnibus,ceu ex compoſito,Martiali ſalue,Martiali ab tempore multo te uidimus. Hæc autem non intelligenda eſt gracculi appellatio, ſed eius erat nomen,à quo interemptus eſt mox Antoninus. Et quoniam de orthographia mentio

facta nobis, nec illud obiter negligendum, quòd publicum ferè peccatum est, Philomelam dici, non Philomenam, suffragante Pausaniæ auctoritate, qui φιλομήλαν dicit. Quod denique ad Agathoclem attinet, legimus, domum Syracusis prope insulam, quæ sexaginta lectorum indepta cognomentum est, quæque Siculas sustructiones uniuersas & magnitudine & elegantia structuræ facilè anteibat, huius fuisse regis opus.

Nominum ratio recta quæ sit. Quid sit, quòd substantiam nomen dicitur significare uel qualitatem. Item nominum interpretatio plurium. Onomatotheræ qui dicantur. Menandrus. Menecrates. Mysteria. Quintiliani locus ex libro primo de Pythijs. Galbana. Allantes. Allantopolæ. Salsicopolæ. De Bryseide, ac Chryseide. Caius unde dicatur. Gæus bos qui sit. De Nauætho, & nauium incendio ab Troianis mulieribus. Cothones, uel Cothi. Sios dici deos. Cap. v

Inter alia quæ disertissimè apud Platonem & scientissimè quæruntur, nominum quoque rationem in magna esse nouimus quæstione. Id uerò est, φύσει ἢ θέσει, quod est, naturáne an positu uim suam habeant. Placet autem illi, positione quadam constare nominum rectitudinem, sed non temerè tamen, & ut obtigit, uerum positionem ipsam de naturæ penu arbitratur promi: neque esse aliud nominum rectitudinem, quàm naturæ ipsi consonam impositionem. Scitumque, ac ad unguem factum putat nominum conditorem, qui per nomen exprimat rei naturam: quippe rei organum esse nomen, nec fortè oblatum, sed naturæ congruum, ut quòd res discernat & indicet naturam. In grammaticis item commentarijs Nigidius Figulus solicitè admodum & asseueratè, uerba esse naturalia magis quàm arbitraria colligit, festiuiter quoque inferens, ac lepidè: Vos quum dicimus, labias sensim primores emoueri, ac spiritum atque animam porrò uersum intendi: quum uerò Nos, neque profuso intentoque flatu uocis, neque proiectis labris pronuntiari, sed hæc quasi introrsum reflecti. Cæterum, prius quàm ulterius in etymologicas excurramus rationes, collibitū est grammaticis insciticæ nubilo persæpe obuolutis, ferre opem pro uirili. A quibus si exsculpere pergas, quid sit quod pueris nulla non hora intonant altius, Nomen dici, quod substantiam indicet aut qualitatem propriam uel communem: hærebit (opinor) illis aqua. Verum scire conuenit, philosophum Aristotelem, quum scientissimè dispiceret infinitā, miscellamque esse rerum uerborumque disparilitatem, uti ordo constitueretur aliquis, decem prædicamentorum uolumen concinnasse: categorias uocant Græci, quas esse primas intelligimus uoces, genera rerum prima significantes. Nam quum infinitæ propemodum comperiantur res, infinitas esse item earum uoces quibus indicentur, necesse est. Sed infinitorū cognitio, infinita esse nulla queat, quoniam animo concipi haud ualeant: quæ autem eiusmodi sunt, nullius scientiæ circumscribi cancellis creduntur: quippe infinitorum scientia nulla est. Proinde prædicamenta constituens decem Philosophus, in ea uocum alioqui infinitarum, seriem coniecit. Omnia nanque in duas distinxit portiones: in substantiā, & accidens: quod nouem contineri prædicamentis uoluit. Substantias autem tum primas intelligit, tum secundas. Et primas quidem esse dicit, indiuiduorum corporum ac singulorum: sicuti Cicero est, Socrates, Plato. Secundarum nomine, species accipit, uti est homo: uel genera, quibus continentur species, ut est animal. Igitur ad unum substantiæ reuocantur nomen, quæ sunt infinita ferè, homo, lignum, animal, lapis, aurum, id genus alia. Accidentia uerò hæc: quantitas, quæ bifariam intelligitur, quàm magnum, quàm multum: qualitas, ad aliquid, ubi, quando, facere, pati, habere. Postremo κεῖσθαι, quod est positum esse quodammodo, ut calefacere, stare, irasci. His porrò comprehendi relíqua, dilucet: nam quum bipedale dico uel tripedale, sex, quatuor, decem, lineam, superficiem, id genus innumera, in quantitatis ueniūt prædicamentum: at quum album, scientiam, bonum, malum appello, nimirū exprimitur qualitas: quod in categorijs item alijs contingit omnino. Sed ad secretius nominum etymon uenio: siquidem facturum me operæpretium arbitratus sum, si parte hac potissimum, quid in hoc nomenculationis aucupio, mutis ex magistris compertum nobis sit, appingere adortus fuero. Quando & apud

apud Græcos huiuſce rei plerique ſtudioſi illuc prouecti demum ſunt, ut etiam Onomatotheræ dicerentur, ideſt uelut nominum uenatores, noua ſibi conſarcinantes uocabula, rerum intuiti proprietatem. Cuiuſmodi fuiſſe uidetur Siculus Dionyſius, qui uirginem uocabat Menandrum, quia μένει τὸν ἄνδρα, ideſt manet expectatq; uirum. Stylon uerò, ideſt columnam Menecratem, quoniam manet continetq;. Murum autem conceptacula, rectè dici myſteria coniectabat, quia mures ſeruent, quod τηροῦσιν dicitur. Idem etiam bouem nuncupabat garotan: porcum uerò, Iacchum: Alexarchus quoq;, Vrano polin qui condidit, nomina ſibi conformauit, non audita multis: nam gallum, orthouoan dicebat: drachmã, argyrida: chœnica, hemerotrophida. Sic & Atticus Herodes, lignum quod inſeritur rotis, trochopedam nuncupauit, quum per accliuia uectaretur: alijs epochlea uocantibus. Anchoram Sophocles etiam iſchada nominauit, quoniam nauem contineat. Sed nos eo quidem gratius iſta complectimur præcipuè, quoniam à Fabio proditum ſcimus, ſcrutaturum mille præceptorem acrem atq; ſubtilem origines nominum, ut quæ ex habitu corporis rufos longosq; fecerunt. Vbi erit aliud ſecretius, unde Syllæ, Burri? In quo præter ea quæ ex Macrobij Cœnis circumferunt omnium exchartabulis & gloſſematis, ſtudioſus cõmonendus lector eſt: eſſe qui Sillam dictum putent, à ſilo naſo, qui eſt ſurſum uerſus & repandus. Sed non ignorandum, à Græcis pariter & Latinis Syllam per Υ Græcum ſcribi, quod ex monumentis Sudæ perſpicuum eſt. Plutarchus tamen ita prodit, Ex corporis quoq; habitu denominationes ritè imponi ſolent, ut Silli, Nigri, Rufi, uerum etiam Cæci & Clodij. Sed & apud Græcos à forma imponi cognomina inuenias, ut Phyſconem, Cirrhippum. Phyſcam illi uocant inteſtinum craſſius, in quod farina inferciatur & caro, fiuntq; qui dicuntur allantes, παρὰ τὰ ἀόλλυσιν τῶν λιχνῶν, à carniũ congeſtione: unde allantopoles, qui etiam ſalſicopoles uocatur, uenditor id genus farciminis. Hinc reſtituitur egregiè Valerij locus libro nono capite primo, Ptolemæum prodentis Phyſconem cognominatũ: quanquam uulgò Phyſicum legi audio, uel Phytonem: ſententiam noſtram Strabone comprobante. Cirrhippum uerò, ab equis & cirrho colore dici puto. Cirrhum uinum legas ſæpicule apud Dioſcoridem & alios. Cirrhum, fuluum interpretantur, id eſt πυῤῥόν, aut etiam igneum. Senecam Caſſiodorus putat inde duci, quoniam cui primo cognomentum id impoſitum, canus ſit natus: ſicuti de Numa Pompilio lectum eſt. Ad quod alluſiſſe Virgilium credunt,

Agnoſco crines, incanaq; menta
Regis Romani.

Quinetiam Tyrrhenum, à quo Tyrrhenia nuncupata, ab ineunte pueritia incanuiſſe, traditur fabulis: ſed ad egregiam indolem id Strabo referendum putat. Caium inuenio in Græcorum monumẽtis appellatum ab Italis & Tarentinis mercenarium, aut etiam rudem hominem ac planè brutum: quia à γῆ, quæ terra eſt, deriuetur γήϊος & γαῖος. Nam à γαῖα, inflectitur γαῖος: unde bos, γαῦς dicitur, uelut colonus: & γαυζήται dicti Galatæ, qui patria excidentes terram quæſiere, quam incolerẽt. Panſam uerò idem Caſſiodorus, ab expanſis & porragineis capillis. Neruam, à fortitudine ueſtigij. Murenam, à neruoſo corpore. Galbam, à colore luſcido dici opinatur: eſt enim (inquit) Galbeus, paſſeris nomen, luteis pennulis. Suetonius uerò ambigi ſcribit, cur id Sulpitiæ gentis factum cognomentũ ſit. Quidam enim putant, eum qui ſit primò ita nuncupatus, inde appellationem duxiſſe, quòd oppidum Hiſpaniæ fruſtra diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus, ſuccenderit. Alij, quòd in diuturna ualetudine galbeo, id eſt remedio lana inuoluto, uteretur aſſidue. Nonnulli, quòd prepinguis fuerit, quem galbam uocant Galli. Vel contrà, quòd tam exilis quàm animalia quæ in æſculis naſcuntur, appellanturq; galbæ. Quod de galbeo remedio Tranquillus ſcribit, ſciendum, tradidiſſe alios, galbeum ſiue calbeum dici armillas, quibus uterentur triumphantes, quibusq; ob uirtutem (ut Feſtus inquit) donarentur milites. Galbana uerò ueſtimenta erant delicatorum, quæ à uiris geſtari, mordaciter taxauit Satyricus poeta:

Cærulea indutus ſcutulata, & galbana raſa.

Inde apud Martialem galbanatus, & galbini mores, pro mollib. & ſupinis: nam tuni-

cam galbinam,à colore dici uolunt candido.Eius in Aureliano meminit Flauius Vopiscus.Galbulos uerò,cupressi fructus dicũt.Sunt qui galbana, pro nauticis accipiant indumentis: sicuti uulgò nuncupantur, una extrita litera. Lentulo, Suræ cognomentum adhæsisse,scribunt eruditi,quòd Sylla dictaturam gerente, quum quæstor publicæ pecuniæ uim haud paruam prodegisset,eoq; nomine plurimũ Sylla indignaretur, ab eoq; impensius rationes exigeret,progrediens in senatum is negligẽter admodum & per contemptum,Rationem(inquit)nõ reddo,uerum crus exhibeo:ueluti assolent pueri,quum in pilæ lusu aberrarint. Pertinaci, mox Romano imperatori, cooptatum legimus cognomen à patre,quòd negotiationi materiariæ constanter ac pertinaci studio incumberet:hic est,ut fortunæ lusum cõtemplemur obiter,qui literis imbutus elementarijs,& calculo,quum Græcè item didicisset,Sulpitioq; operam dedisset Apollinari,post eum grammaticen est professus. Eo tamen prouectus per laborum genera uniuersa, uti fortunæ uocaretur pila. Scribit Dion, quod propter Quintilianum libro primo dignum scitu est, ad ea quæ alibi diximus: Helium Cæsarium imperij cum Nerone participem iugulandos curasse Sulpitium Camerinum ciuem primarium,ac eiusdem filium, dantem crimini, quod cognomento hæreditario Pythici quum dicerent, in Neronis Pythicas uictorias impij ἐκ τῆ ὁμονυμίας uiderentur. Ab rerum gestarum excellentia præsigni Pyrrhum esse Aquilam cognominatum, id est ἀετὸν, prodit historia.Buccones appellatos credunt (Pompeio Festo tradente) à buccarum magnitudine:sed alij,bubones scribere malunt,Lappam, ab inculto capite appellationem duxisse tradunt.Suram,à surarum neruositate. Halam,à fœdo oris halitu. At ueteres ferè inscriptiones,Ahala præferunt:& in Oratore M. Tullius,Quin (inquit) sæpe contrahuntur uerba,non usus causa, sed aurium: quomodo enim uester Axilla, Ahala factus est, nisi fuga literæ uastioris? Additam uerò flatilem opinantur, hiatus reclinandi gratia. Capellam, à capillorum hirsutie. Fenestellam, à caluitie. Columellam, à proceritate. Aruinam,à pinguedine. Pergulam,adulteri esse cognomen dicũt, qui mariti aduentu latuerit in pergula.Mammulam,quòd foret papillosus.Nasicæ nomen dedit, obuncus nasus.Lucccæ,amor meretricius.Massam dicunt,furem significare.Lamiam porrò, uoracem. Antigonum quendam Macedonum regem, Gonatum fuisse cognominatum accepimus,fortè à genuum magnitudine.Astynomus dici uidetur,ciuitatis lex. Fuere tamen Athenis astynomi decem, quinq; in Piræo, totidem in urbe. Ad eorum curam pertinebant psaltriæ ac tibicinæ,sed & qui uocabantur coprologi,& id genus alia pleraq;. Verum,id amplius aduertendum ex Eustathij fontibus corriuatũ,& literatoribus diu non percognitum, Astynomen nuncupatam Chrysæ filiam, ab Homero dictam Chryseida:sicuti Briseida uocat,quæ fuerit Hippodamia. Erant uerò Brises Chryses q; (ut est in ueteribus traditum chorographijs) fratres: ex quibus Brises Pedasum incoluit, Chrysam uerò Chryses: quorum pater fuit Ardys. Sisyphus idem esse ueteribus uidetur,qui & Theosophos:siquidem deos in Peloponneso sios dicũt, & ratione Aeolica syphos dicitur sapiens, quem sophon enuntiat cõmunis lingua. Hunc fabula tradit,mortem in uincula coniecisse,immissam, quòd Asopo Aeginæ filiæ raptum à Ioue significasset, quod ad pacatum Sisyphi imperium putant referendum. Fortè uerò & Acesodyna excogitauit primus,id est dolorem sedantia,ac morborũ antipala,ut Græci dicunt, quia ægritudinibus obluctentur. Cothinas nuncupatus creditur Thynnotheræ filius,id est thynnos uenantis,seu expiscantis:quoniam gobios, Siculi cothonas dicunt,& in Halieutico Numenius cothos. Sunt & locis sua ab euentu ascita nomina, de reliquis sileo, interim illud non omiserim: Nauæthum in Italia fluuium à nauium exustione sic nuncupatum,quod scribit Apollodorus:quia Laomedontis filiæ, ac Priami sorores, Aethylla, Astyoche, Mydesicaste, cum captiuis alijs illuc appulsæ naues incenderunt, ex quo & ipsæ Naupreστides nuncupatæ. Auctor Plutarchus est,dictam fuisse Romam, quæ cæteris incendium suaserit holcadum Græcarum. Sitæam uocat Lycophron.

Nomina item à uirtute, felicitate, moribus, ac uarijs producta euentibus.

Varius,qui item nothus.Nothiæ pecuniæ. Ciceronis locus ex Epistolis de Pene

Pene. Lamyrus quid, & diadema. De Caſandra & Achille pluſcula, & patria eiuſdem Phthia. Venox unde. Caudex, & codex. Excodicare. Ablaqueare. Regilliani hiſtoria. De Thetide nonnulla, bis. Cap. VI

PLerò à uirtute quidã cognomina traxere, ut Euergetes & Philadelphus, auctor eſt Strabo: ne ſine capite (quod aiunt) rumuſculos corrogare uideamur, odoraricq; quando, ut nunc eſt, non exarmatos licet cum ſciolis naſutioribus pedem conferre: Ptolemæum ex Aegypti regibus Philadelphum uocitatum, cognoſcendarum rerum fuiſſe perſtudioſum, & ex inſita corpori imbecillitate noui aliquid ſemper ſcrutari ſolitum, quo ſe & improſperam oblectaret ualetudinem. Philadelpho huic in principatu ſucceſſor fuit Euergetes, quũ ipſe poſt Ptolomæum Lagi, qui Alexandro ſucceſſerat, obtinuiſſet imperiũ. Inter Aegypti reges fuit & ſecundus Euergetes, quem Phyſconem dixere. Fuit & Ptolemæus κεραυνὸς cognomento, id eſt fulmen, ex promptitudine audaciaq;, ut tradit Pauſanias. A felicitate quidam etiam cognomina ſibi aſciuere, ſicuti teſtatur Eudæmonis appellatio: qua Baſſum ſecundum fuiſſe ornatum, uetus teſtatur hiſtoria. Vnum tamen hominum ad id æui felicis ſibi cognomen Syllam aſciuiſſe, Plinius auctor eſt, ciuili ſanguine ac patriæ oppugnatione adoptatum: quodq; Metelli Pij fuiſſet amicus, ſicuti Plutarchi Apophthegmata teſtantur, & quòd Athenas non deleſſet. Scribit Alexandrinus Appianus, imaginem Syllæ, ex auro equeſtrem ante roſtra collocatam, addita ab adulatoribus inſcriptione eiuſmodi, Cornelio Syllæ imperatori fortunato. Sic enim (inquit) aſſentando appellabant, quòd in hoſtes feliciter depugnaſſet. Quod ab blandimenti genus, ſtabile mox cognomentum eſt conſequutũ. Sed ex decreto idem Venuſtum ſe appellari uoluit, quæ nuncupatio à felici non ita uidetur diſſentanea. Varios dici obſeruauimus, qui ſemine uario, id eſt è meretrice concipiuntur: nam & ſic appellatum Heliogabalum, auctor Lampridius eſt. Heliogabali uerò illi aſcitum cognomen, ab Heliogabali dei ſacerdotio, quem alij Iouem interpretantur, ſolem nonnulli. Nothum (inquit Pollux) ex peregrina dicimus natũ: hoc eſt, nõ ex legitimis nuptijs. Eum quidam Metroxenum item uocant. Latina caret appellatione, ut putat Cato, & eſt ab Quintiliano repetitum. Nuncupatur nothus, quia eo ſit exutus, quod diuinum cenſetur, id eſt legitimis natalibus. νο ſiquidem, priuationem indicat, & θεῖον, diuinum. Nothias pecunias accipit Ariſtophanes, quæ notho ex paternis contribuuntur bonis ad drachmas mille: meminit contra Ariſtocratem Demoſthenes. Notha quandoq; peregrina ſimpliciter dici inuenias. Mores etiam pleriſq; extra iam dictos, uarias contribuere appellationes: ſicut mordacitas Ptolemæo Lamyri cognomentum inuſſit. Garrulum enim Græci Lamyrum uocant, ſed & comem facetumq; & oblectabile ac amœnum, item ſtupendum: ut in Epigrammate,

βροπλοιγὸς ἔρως τὰ πνεύπνοα τόξα βαλλεῖ,
καὶ λαμυροῖς ὄμμασι πυκνὰ γελᾷ.

Athenienſis Diotimus Chone, id eſt infundibulum, eſt cognominatus: quoniã eo apoſito ori, inceſſanter infuſum hauriret uinum. Fuit & Oenotrorum ciuitas Chone, cuius libro ſeptimo meminit Strabo. Dicta uerò eſt, quoniam Aegyptiacè Chonen uocant Herculem, à quo in Italiam aduentante dicti creduntur Chones. Chone item fornax eſt: unde choneuomena, in fornace cocta uocantur. Xenarchus Rhodius, uti meminit Euphorion, ex bibacitate quam polypoſian dicunt, Metretes eſt cognominatus. Paulus quidam imperatoris Conſtantij tempeſtate, cognomen indeptus Catenæ eſt: quoniam eſſet (ut Ammianus inquit Marcellinus) in complicandis negotijs artifex dirus. Traianum ſenatus decreto eſſe cognominatum Optimum, ſcribit Dion. Quod in uno Scipione Naſica Plinius admiratur. Anticyram meretricem inde nuncupatam ferunt, quòd quum mentis emotę furentibusq; diſcumberet: uel quòd medicus Nicoſtratus moriens, hellebori uim ei magnam reliquerit, aliud præterea nihil. Antiochum ex Macedonum regibus quendam fuiſſe Doſonem cognominatũ legimus, quòd multa promitteret, pauca impleret: nam δώσω, futurum eſt à uerbo δίδωμι, ceu diceretur Antiochus Dabo. Cuiuſmodi fuiſſe uidetur Athenienſium imperator Chares: cuius

miræ

miræ inter Græcos pollicitationes ſunt uel frequentiſſimæ, id eſt ἀκροχειρισμούς, quibus multi aureos ſe in Olympia ſtaturos, lætè coniectabant: ſed ita, ut nunquã non aera ſe captaſſe, mox agnoſcerent. Pertinacem imperatorẽ ſcribit Iulius Capitolinus, uulgò Chreſtologum eſſe nuncupatum, quòd bene loqueretur, male faceret. Relatum id & ab Sexto Aurelio. Catilinam ſunt, qui à fellandi fœditate nuncupatum credant. Fortè ab uirilitate lingenda, cuius nomen uulgò uſurpatum, ab Catilina non abit longius. Et id in Epiſtola ad Pætum ſignificaſſe uidetur Cicero: etiã ſi mendum eſt exemplarium, ipſe ſic lego: Caudam, antiqui penem uocabant, ex quo etiam propter ſimilitudinem peniculus: at hodie penis eſt in obſcœnis, ut Piſo ille Frugi in Annalibus ſuis queritur, Adoleſcentes peni deditos eſſe: quod tu in Epiſtola appellas ſuo nomine, ille tectius penem. Sed quid multis? factum eſt tam obſcœnum, quàm id uerbum quo tu uſus es, quodq; uulgò dicitur. Phocam, uoracem ſignare arbitrantur. Perpenna dici uidetur is, qui ſit larido deditus, quo nomine caro intelligatur ſalſa, Macrobio tradente. Thetin pro mari accipit Lycophronis interpres, quoniam ſit εὐθετίας αἰτία, id eſt aptitudinis cauſa: ſeuocatis enim in locum unum aquis, cõparuit areſcens terra: ſicq; uniuerſi prompta εὐκοσμία eſt, ac ſi decoram uocemus concinnitatem. Camillum à Cadmo duci arbitror: nam id fuit quandoq; Mercurij epitheton, unde inflectitur Cadmilus apud Lycophronem. Euentus quoq; multorum cognominum præſtitere cauſam: nam & Metellorum quendam conſtat, Vittatum dici conſueſſe: quoniã quum ulcus haberet, diu frontem uitta ligatus proceſſit in publicum. Sicut Diadematus quidam eſt ita nuncupatus, à diadematis uſu, quod à uittato diſcrepat non multum. Sed de hoc aliubi facta nobis mentio eſt. Dicitur autem diadema, βασιλικὸν ὕφασμα, id eſt regium geſtamen. Exponitur pro faſcia candida, quæ regum capitibus obligabatur: quod inſigne regium inuenit primus (auctore Plinio) Liber pater. Coronam lauream faſcia candida præligatam quum quidam Cæſaris ſtatuæ impoſuiſſet, tribuni plebis detrahi coronæ faſciam, & duci in uincula hominem iuſſerunt. Alexandrum Magnum legimus, quãdoq; ſibi diadema detraxiſſe uulneri obligando, quod in fronte acceperat Lyſimachus. Quam rem portendiſſe illi regnum ferunt, quod & mox ſit conſequutus. Adnotatum quoq; in Ammiani Marcellini monumẽtis eſt: inuidiæ Pompeio datum ab obtrectatoribus, quòd faſcia obligatum crus circumferret ulceris cauſa, ueluti rerum nouarum affectationis præſagium foret id. Quin Fauonius amare non deſiit inceſſere, nil admodum referre, qua in parte diadema geſtaret. Ex hoc præterea more prodijt Senecæ bracteatum illud, Faſciam ſolue, multum ſub illâ mali latet. In gente Turcarum, reliquias etiamnum antiqui moris ſeruari, palàm eſt. Cauſiam ἀλλαγματοφόρων fuiſſe regum ab Alexandro inſigne, Plutarchus ſcribit. Caſandram dici opinantur, quia Caſin, id eſt fratrem Hectora ſtrenuum habuerit, ac uirilem in primis. Eadem & Alexandra nuncupatur, παρὰ τὸ ἀλύξαι, quoniam congreſſus hominum uitarit præcipuè: uel ab ἀλεξᾶν, id eſt quia uaticinijs prodeſſet pluribus. Quæ in Tymbræi Apollinis templo cum Heleno fratre infans relicta uidetur accepiſſe, compertis mane ſerpentibus, qui ſenſoria circumlamberent, infantib. omnino nil oblæſis: indeq; reſponſo manante, uates fore illos. Acta uerò hæc, inibi Priamo genethlia celebrante. Lycophrona uatem cognominatum ferunt, quòd ænigmaticè καὶ πανοῦργως ſcribat, quæ ſua eſt lupis natura. Metellum uerò Celeris cognomen eſſe indeptum, obſeruauimus, quoniam paucis diebus à patris obitu funebres ludos & gladiatoria munera celeritate admirabili exhibuerit. In gente Claudia fuit, qui Caudex nuncuparetur, ut ſcribit Seneca, quòd Romanos induxit primus nauem conſcendere: nam plurium tabularum contextus, caudex dicitur. Sed & codices, tabulæ ſunt. Ex quo & codicarias antiqui naues dixere, quæ cõmeatum ſubuehunt. Codicillos præter uulgatam notionem apud Catonem obſeruauimus pro arborum putaminibus, ubi ait, Codicillos oleagineos in aceruo ſub dio motas facito. Excodicare, idem quod ablaqueare eſt, id eſt circa uitis codicem dolabra terram diligenter aperire, ac purgatis omnibus, uelut lacus efficere, ut ſolis tepore & imbribus prouocentur. Ab hoc uerò quum operiuntur, occari dicuntur uites. Achillem ſcribit Euphorion uideri nuncupatum, quòd non chilo, id eſt cerealibus ci-

bis

bis primum sit connutritus, uerum ex infantia medullis animalium, mox & carnibus uenatu cõparatis, quum illi foret pædagogus Chiron. Chili mentio item Xenophonti est, ubi ex castris abijsse milites scribit, ἀπὸ χιλοῦ, ueluti frumentatum dicas. Sunt qui (Eustathio tradente) dici Achillem opinentur, quòd bello uictis tristitiam immitteret. Alij, quòd Ilienses mœrore confecerit: quo etymi argumento, L simplici scribendum arbitrantur, succinente uel analogi ratione. Nam sic Oileus dicitur, & Basileus: id quod pluribus comprobat Lycophronis interpres. Illud obiter sciendum, Achillis patriam dici Phthiam, quæ nunc Pharsala, à Phthia muliere, uel à Phthio Neptuni filio. Phthiæ puellæ meminit Aelianus, quam quum amaret Iuppiter, formam demutauit in columbæ speciem. Sed & hoc opera item parerga enotasse, nil (puto) obfuerit: spongiarum genus tertium dici ab Aristotele ac Plinio Achilleum, quia (ut inquit Eustathius) sit robustissimum: sicuti hordeum uocatur Achilleum, quod præstantissimũ, cuiusmodi equis suis Achilles obijciebat. Scribit Apollodorus Ligyron huic fuisse prius nomen, mox Chironi traditum esse Achillem nuncupatum. Alij Pyrisoon prodidere appellatum: puto, quia noctu mater Thetis infantem igne confouebat, interdiu litum ambrosia, sic demum illi cõciliatura immortalitatem. Id quod aduertens Peleus altius inclamauit: at ad Nereidas inde digressa narratur Thetis, cui alioqui fuit insitum, formam demutare. Quin & cum ea coisse primum creditur Peleus in sepiæ speciem conformata. Euripides Pelea cum Thetide semel coisse tradit, idq; in Sepiade promontorio, quod in Magnesia statuit Plinius. Verum ut parte hac, ne ab iocis quidem abstineamus, quum apud Regillianum mox imperatorem, fortè cœnarẽt milites, affuit & Tribunus Valerianus, à quo illata quæstio, unde nam credatur Regilliani nomen productum: & unus, A rege, flexũ opinor. At qui aderat fortè scholasticus, grammatico more inflectere orsus est, Rex, regis, regi, regillianus. Succlamatum euestigio ab militibus, uti est hominum genus, ad id quod cogitat præproperũ, Rex ergo esse potest? & regere igitur nos potest? & à deo inditum huic nomen. Quid amplius? quũ postridie publico se commisisset, à principibus imperator est consalutatus. Porrò L. Iulius tribunus plebis primus rogationem tulit, quot annos nati quenq; magistratum peterent caperentq;. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur. Scitu uerò dignum illud est, à magni nominis auctoribus prætermissum: C. Fabium collegam in censura Appij Claudij, cui Cæco mox cognomen factum, Venocem fuisse nuncupatum ob indagine solerti conquisitas Appię aquæ uenas, quæ M. Valerio Maximo, P. Decio consulibus, inducta in Vrbem est, appellatione ab Appio eodem conciliata, Fabio se magistratu abdicante.

Super Euripide, & Archelao paucula, & Cylone. Plutarchi locus malè tralatus restituitur. Pulchritudo cur mirè afficiat unũquenq;. Omne pulchrum esse item bonum. καλὸν unde dicatur. Diotimæ præceptum. Quintiliani locus illustratur. Pulchritudinis species. Caput VII

Vripidem tragœdiarum poetam nobilem & scenicum philosophum uti ab Athenienſibus iactatum scimus: Archelao regi sola uirtutis admiratione fuisse perfamiliarem ferunt, adeo ut in conuiuio, ubi aureo scypho donari se à rege quidam frugis non satis bonæ amplius deprecaretur, puero innuerit Archelaus, Euripidi poculum traderet: quumq; is uideretur etiam atq; etiam admirari, σὺ μὲν γὰρ εἶπον ἀιτεῖν, οὔτω δὲ λαμβάνειν ἄξιος ὄν καὶ μὴ αἰτῶν. tu quidem (inquit) qui petas, hic uerò quamuis non petens, dignus est qui capiat. Ardebat Euripides Agathonem formosum uenustumq;, sed iam adultiorem, nihilo secius amplexabatur arctius amasium, sanabaturq;. Conuersus ad amicos Archelaus. Ne uos (inquit) ulla teneat admiratio, τῶν γὰρ καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν ὅτι. pulchrorum etiam autumnus pulcher est. In Alcibiade Plutarchus huius meminit sententiæ, ut Euripidis. Verum, interpres sensum haudquaquam est assequutus, quando sic transferre sibi permisit, Adultam hominis ætatem omnium pulchrorum esse pulcherrimam. quod ne somniauit quidem Plutarchus. Qui hoc dicit planè, non probari Euripidis dictum, astruentis, Omnium pulchrorum etiam autumnum esse pulchrum: nam in pau-

in pauciſſimis eſt compertum, pulchritudinis gratiam augeſcente ætate, non defloreſcere, quod Alcibiadi tamen elargita fuerat natura. Sed inſtitutum repeto. Id uerò in pulchritudinis dici applauſum uidetur, ubi tener quiſpiam eximium prætulit formæ ſplendorem, eundemq; nõ adeo defloratum, ætate quamuis paulò grandiori, cuſtodit excellenter. Præclara equidem res, ac ſummis efferenda præconijs, ut quæ nulli non ſcienti ſtuporem inijciat, quantumuis efferato alioqui, neminem non ad amandum alliciat. Nam & huius admiratione Cylon ſtatua honeſtatus ænea eſt, uti Pauſanias conijciat, quamuis tyrannidem Athenis affectaſſet: unde celebratum hiſtoricis, ac Thucydidi præcipuè λυλώνιον ἄγαλμα. Sed unde nam iſtud fiat? Ducimur ne, ut Veneriæ affectioni deſeruire formam exactiorem opinemur? Abſit, etiam ſi pleriq; in eam fœditatem feruntur præcipites. Et Euripides, arbitror, collabebatur. Sed quid nos afficit tantum? Principio eſt quiddam primo intuitu blandius ſenſui ſe patefaciens, idq; animus apprehendens, familiariterq; agnoſcens ſuſcipit iucundè, & quaſi accomodatiſſimum approbat & amplectitur. At uerò in turpe ſi incidat, ſeſe recipit, & uelut abhorrens ob diſcordiam reſpuit reſilitq;. Exiſtens nimirũ anima id, quod naturaliter eſt ac prope, & ſecundum eſſentiam in rerum ordine præſtantiſſima, quandocunq; aſpexerit cognatum quiddam, cognatiq; ueſtigium congratulatur & ſtupet, referturq; in ſeipſam, ſuiq; recordatur atq; ſuorum. Anima nempè rationalis proximè pendet ex mente diuina, & pulchritudinis ideam ſibi illinc impreſſam ſeruat intus. Cui quod congruit, tanquam ſibi patriq; cognatum libenter amplectitur. Congruit autem ea in corporibus forma, quæ ad ipſam ideæ normam examuſſim compoſita eſt. Omne uerò pulchrum, inquit Proclus, etiam bonum eſt: pulchrum amabile ſuapte natura eſt, quandoquidem externa pulchritudo diuinæ pulchritudinis imaginem ferens, eſt amabilis, primoq; aſpectu ad ſe mouet animos: quod confirmat in Phædro. Re enim uera, καλὸν, id eſt pulchrum dicitur, ſiue ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quia prouocet animas, ſiue ἀπὸ τοῦ καλεῖν, id eſt quia permulcet intuentes: ſicut ἀγαθὸν dicitur, ἐφὸ πάντες ὀρέγονται, ad quod omnes currimus. Certè ſecundum naturam eſt amabile, quo fit, ut ad pulchrum amantem ducere amor dicatur. Quicquid autem eſt amabile, eſt & appetibile, quando eſt amor appetitus quidam etiam uehemens. Omne uerò appetibile bonum item eſt, aut boni faciem præſtat. Demonſtratum uerò in Menone eſt à Socrate: Fieri non poſſe, ut qui malum quale ſit, noverit, ipſum appetat. Appetibile itaq; omne bonum eſt, ac ſiquidem appetibile ſit principaliter: bonum quoq; principaliter erit. Sin minus, apparens appetibile. Quod igitur eſt bonum, eſt & pulchrum. Quamobrem amatorib. præcipit Diotima, ut poſt occurſantem ſenſibus pulchritudinem, ſe ad pulchritudinem actionibus, officijs, ſcietijs inſitam transferant, atq; inibi amatorium animæ oculum uehementer exerceant. Deinceps uerò ad intellectum, ibiq; præcipuam diuinamq; pulchritudinẽ latè dominantem ſpeculentur, tanquã ipſum re uera pulchrum in anima uigeat. Nam quid ſit in nobis uirtute & ſcientia pulchrius? aut quid rurſum ignorantia & uitio turpius? Quoniã uerò pulchritudo intellectuale munus creditur, inde ſolos allicit cognoſcentes: cognoſcentes (inquam) ſiue intellectuali poteſtate aliqua, ſiue uiſu, ſiue auditu, qui ſenſus rationi plurimum ſubſeruiunt. Et quia citra cognitionem, quæ illuſtrare iudicium ualet, ingenerari amor nequit: hinc aperitur latius illud Quintiliani ex primo Oratoriarum inſtitutionum: Id (inquit) in primis cauere oportebit, ne ſtudia qui amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel præceptã etiam ultra rudes annos reformidet. Duplex porrò pulchritudo eſt: incorporea, & corporea. Et quemadmodum corporea rurſum eſt duplex: altera quidem, in his quæ uidentur: altera, in his quæ audiuntur. Sic & incorporea duplex: in intellectu una, in anima uerò reliqua. Intellectualis lucis pulchritudo, præcipuè ab ea quæ uidetur in lumine, uelut imagine, nobis repræſentatur. Pulchritudo rurſus animæ in harmonia quodammodo conſtitutæ, ab illa quæ auditur, harmonica pulchritudine tanquam imagine, ritè refertur. Verum, ſicuti oculus ut ſolem uideat, debet eſſe, fieriq; ſolaris: ſic tu ipſam inſpecturus pulchritudinem, quæ diuinus ipſe intellectus exiſtit, ſequeſtra te à materia, ſenſum ſeclude, abdica interim rationem quoq;, intellectualis eſto, atq; intellectus primò tuus, deinde diuinus.

Quo pacto

Quo pacto à corporea fugiendum pulchritudine. Qui plurimum terrena mirentur & ament. Cap. VIII

COllibuit autem ad hæc pertinentia insigniter magni Plotini uerba subscribere, quæ & diuina sunt, & Christianæ religioni consentanea in primis, quando equi (ut dicitur) Acarnici instar hic inter Platonis sectatores longè supereminet, nec tanto nomini indignantur cæteri, quos philosophicũ magis oblectet pancratium, quàm athletarum, uelut nani assurgere. Hic ergo, ubi uelut ex augustiore oraculo, corporea hæc, esse dixerit imagines & umbras & uestigia, esseq; ad id confugiendum, cuius hæc simulacra sunt, altius iam intonans, Abeamus (inquit) hinc, amici, in patriam dulcem confugientes. Sed quæ nam fugiẽdi ratio? & qua uia ueneficia Circes & Calypsus deuitabimus? Hoc quidem & si perobscura, Vlyssis fabella significat, quæ illum fingit manere nolentem, quamuis spectacula illi oculis iucunda occurrerent, ac cætera quæ sensus oblectant, promitterentur. Patria uerò nostra ibi est, unde uenimus: ibidem quoq; pater. Quæ nam igitur classis? & quæ fuga? Haud sanè pedibus est fugiendum: pedes enim ab alia in aliam passim ferunt terram. Neq; rursus equos ad uehendum, neq; naues ad nauigandum huius gratia parare debemus. Immo uerò hæc cuncta dimittere, nec prospicere quidem, sed uisu corporis clauso, alterũ pro hoc uisum assumere atq; suscitare. Quem habent quidem omnes, utuntur uerò pauci. Oculus autem intimus est ratio contemplatrix. Intellectus autem animæ proprius est huius oculi lumen. Intellectus uerò diuinus, est luminis huius lumen. Ipsum denicq; bonum est lux, paterq; luminum. Anima itaq; quum oculum ab exterioribus prorsus auertit, subitò ad intima conuertit lumina atq; lucem, euaditq; non luminosa solum, sed lumen. Animæ uerò (inquit Proclus) quæ ob peruersam educationẽ à superno decide re lumine, alioqui amatoriam nactæ naturam, in pulchritudinis incidentes simulacra, ex pulchritudinis ueræ ignorantia corporeas admirantur formas, & amãt. Sicuti enim apud Plotinum defluxus mentis facit astutiam, atq; sapientiæ portio lapsa sophisticam producit, sic & amoris munus in peruersum prolapsi susceptaculum, uitam efficit intemperatam atq; tyrannicam. Diuinorum contemplatores inde nunquam discessuros, astruit Plotinus, Iamblichus & Porphyrius animos etiam nostros ad similem posse beatitudinem peruenire, significant. Hinc in sacra lectum pagina est, Non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. &, Beati qui habitant in domo tua Domine, in seculum seculi laudabunt te.

Platonicorũ laus. Pulchritudinis commendatio, cum muliercularum sugillatione. Iuuenalis illustratur, & restituitur Plutarchi locus ex uita Catonis Vticẽsis. Certamina de pulchritudine. Tenediarũ uenustas præsignis. Chrysophori mulieres quæ intelligantur. Itẽ certamina muliebris temperantiæ & œconomiæ. Cap. IX

ATqui Plinius ait, Magna pars studiorum amœnitates quærimus. Tu uerò (dicat aliquis) subinde nescio quos permolestos obices, ac uelut moramenta ingeris, quæ multa transcurrendi auidos nimio plus sufflaminare ac præpedire uideantur. Equidem non eam inficias, rapi nos interdum transuersos illius scientiæ sublimitate, simul & secretiore rerum dignarum cura. Sapit enim ea schola θεῖον quiddam, hoc est diuinum. Quo afflata mens, uix à lectione reuelli potest. Cęterum, iam ad historicam conuertemur iucunditatem, atq; illud appingemus primũ ueteres pulchritudinem adeo admiratos, ut Gorgonem propter eximiũ uenustatis decus, mentis inopes, ac prorsum stupidos reddentẽ spectatores, in saxa eos deformare, fabuloso confinxerint inuolucro. Huius porrò boni ea barbararum gentium animos cõtemplatio cepit, ut earum pleriscq; tantæ sit maiestati corporis dignitas, uti magnorum operum non alios capaciores putent, quàm quos eximia specie donare amplius naturæ potentia inenarrabilis dignata sit. Quin & formosiori occurrisse cuipiam, omen censebatur præstantissimum: at deformi, inauspicatissimum. Nam & imperator Adrianus ex Mauri occursu, ingruere sibi extrema, concepit. Ad quod spectare Iuuenalis illud Satyricum, facilè contenderim:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Illud item Apuleij ex Apologia ſecunda iactatur plerunq́, Virgo formoſa etſi fuerit oppidò pauper, tamen abundè dotata eſt: affert quippe ad nouum maritum animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Iam illud Homericum quis non legit? ἕκτωρ εἶδος ἄριστε,

Hector forma præſignis. At quum dicit idem, ἀλέξανδρε θεοῖς ἐπιείκελε,

Id eſt, ô male Paris ſpecie præcellens: tacitis uelut ambagibus innuere uidetur, à ſugillatione fœda haud eſſe procul, quibus pulchritudine ſpecioſius bonum adſit nullum. Tanto fœdioribus muliercularum pleriſq́, quibus unum modò eſt inſtitutum, una cura, corpus excolere, ac longa formam quærere deſidia, ornare crinem, & alienis capillis turritum uerticem ſtruere, ut inquit Hieronymus. Nam & inde Plautus duas eſſe res ſcribit, quæ nunquam ſatis exornari poſſunt: nauem, & fœminam. Sed inde reſiliendum, ne quis raucas putet nos, & alienæ obrepentes famæ prorſum arrodere, quod in uitalia mox ſit corriuandum: ſi Plutarcho prius opem tulerimus fœde mutilato in codicibus Latinis, & Catonis Vticenſis uita, ubi parte ultima de filio agitur eiuſdem, qui in Cappadocia apud Marphadatem diuertens uxorem, quam is Pſychen appellabat, corrupit: unde exijt iocus (inquit) Porcius & Marphadates φίλοι δύο, ψυχὴ μία, id eſt eſt amici duo pſyche una. Item generoſus ac illuſtris Cato, βασιλικῶ ψυχῶ ἔχει: erat quippe regulus Marphadates. Apud Tenedum Troianis adiacentẽ inſulam, eſſe omnium quotquot ſint, mulieres ſpecioſiſſimas, in Aſiæ periplo ſcribit Nymphodorus. Alicubi & de muliebri pulchritudine certamina legimus propoſita, ſicuti in Cereris Eleuſiniæ feſto prope Alpheum, ubi uictrix Herodice apparuerit primo. At quę in certamen prodeunt mulieres, chryſophori nuncupantur. Chryſophorum autem Dioſcori di electrum eſt. Idem apud Eleos factitatũ, Theophraſtus ſcribit: peragiq́ iudicium libatione ſolenni conſueuiſſe. Arma quoq́ fuiſſe uictorum præmia, quæ Palladi mox dicarentur, ut Leuctrico placet Dionyſio, Victorem tænijs auguſtiorem factum deducentibus ad templũ amicis, pompę quadam imagine. Adijcit Myrſilus, coronam dari myrteam conſueuiſſe. Illud multo clarius certamẽ, quod in quibuſdam inſtitutum locis de muliebri temperantia & œconomia, idem nos docuit Theophraſtus, præcipuè uerò inter barbaras gentes.

De Euripide quæpiam haud inuenuſta. De Græco penu præcerpta potiſſimum. Scandia quid. Eſterincæ canes, uel trapezei. Palinthus. Cap. X

QVoniam uerò Euripidis facta paulò antè mentio eſt, ſuccurrit nunc quod apud magnum auctorem de eodem obſeruatum, parti huic adglutinabimus. Dignum quippe ſcitu eſt, Euripidem oris graueolentia laboraſſe plurimum, quam Græci uocant τὴν τοῦ στόματος δυσωδίαν. Id ei obiectum quandoq́ à Decamnicho Archelai aulico. Excanduit poeta maledicto grauius, quàm opinaretur quiſpiam. Sed eſt genus iritabile uatum. Querelas apud regem depoſuit. Is uerò, ut qui Euripidem amplius amaret, illiq́ afficeretur plurimum, Decamnichum permiſit, in quem pro arbitrio plagis deſæuiret. Qua tam inſigni iniuria accepta, bilem nõ ſubſtrinxit Decamnichus, ſed in Archelaum graſſantibus ducem ſe præbuit, ac necis illius cauſa exſtitit grauiſſima. Porrò de tragœdiæ ratione in libro De poetica Ariſtoteles diſſerens, cuius ſit proprium in aduerſam deſinere fortunam, hoc Euripidi teſtimonium reddidit. Hinc (inquit) maximè nobis licet coniectare, in certaminibus ſcenisq́ pulcherrimas exactiſsimasq́ eas uideri tragœdias, quæ ita dirigantur. Et Euripides, tametſi in alijs non concinna utitur œconomia atq́ diſpoſitione: eſt tamen poetarum omnium tragiciſsimus. Apud Græcos item ab ordinis prauitate dici inuenias, σφριφίμελον τὴν τέχνην εὐριπίδην. Fuit uerò Euripides hic Mneſarchi, quem Mneſarchidẽ uocant alij, & Clitus nobiliſsimæ fœminæ filius. Quidam uerò, ut Theopompus, & in noſtris literis Maximus Valerius poetæ matrem λαχανοπώλιν fuiſſe produnt, id eſt olera uenditaſſe, in primisq́ ſcandicem, ſicuti commeminit Plinius, & Ariſtophanes in comœdia, cui titulus ἱππεῖς, aſtipulari uidetur. Quin & Euripidem ipſum σκανδικοπώλην inuenias cognominatũ. Scandia uerò in Cytherotũ inſula nauale

nauale fuit, quod ex Pausania discimus. Legitur & σκάνδικα galeæ species. Feruntnatum Euripidem, die quo Xerxem Persarum regem Græcia nobili prælio uicit. Qua ex causa putant nonnulli sic nuncupatum, quoniam in Euripo depugnatum sit. Pictor fuit prius, mox Prodici sophistæ auditor. Moribus fuisse narratur iniucundus & tristis, subinde figens terram obstipo capite, cuiusmodi homines σκυθρωπούς Græci uocant. Hinc certe μισογέλως est nuncupatus, ueluti qui risum foret exosus. Creditur quoq; in mulieres odio fuisse præcipiti, & inde dictus Misogynes: siue quia natura esset talis, ab horreretq; à mulierũ cœtu: siue quòd duas habuerat uxores simul, quum id decreto ab Atheniensibus facto, ius esset. Quarum matrimonij quum pertæduisset, muliebri sexui bellum indixit. Cuius rei in Thesmophoriis quoq; testis Aristophanes est. A canibus denicq; prosciissum interisse, ferè omnes tradunt, ad locum Bormiscum, de montis Bormij nomine appellatum in Macedonia. Canes eas scribit Stephanus, nũcupari ab Indigenis Esterincas, sed ab Homero trapezeas, hoc est

λυκας τραπεζιας ωυλακωρους. Iliados χ. De poetæ sepulchro, morte obita, euariat historia. In Macedonia id statuit Plinius: monstrari Athenis, Pausanias scribit, sed λαθραι: nam inquit, τεθαπται ἐν μακεδονίᾳ. Strabo etiam in Argiuorũ foro, & Palinthũ quoq; nũcupatum refert: sed cenotaphium fuisse postremũ hoc item, facilè peruincitur, quando de Macedonico historia constantior agnoscitur. Tragœdias adortum scribere tradunt, natum annos duodeuiginti. Adijcit Philochorus in tetra quadam Salaminis spelunca solitum scriptitare. Porrò Euripidis excellentiam in poetica, id prisca ætate atteſtari est uisum, quòd mortuo iam & condito in Macedonia prope Arethusam, sepulchrum eius tactum de cælo est. Eo mirabilius uisum, quod ad id ætui mortalium contigisset nulli extra quam Lycurgo, quem diis charissimũ pijssimumq; intelligi uoluere annales. Euripides porrò tantæ auctoritatis Ciceroni fuisse memoratur, ut singula eius uerba singulas esse sententias existimauerit. Sicuti illud, à Platone item repetitum,

τις οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ὄντι κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν,

Quis nouit, an uiuere quidem sit mori, mori autẽ uiuere? Lucianus Sophocleos uersus putat plus habere grauitatis. Euripidi ineſse leuius quiddam, tanquam omnino tragici cothurni princeps sit Sophocles, ut qui planè excoctus sit, pluscq; medullarum habeat, quàm corticis. Euripidis porrò illud est, Solem auream esse glebam: positũ uerò id in fabula Phaethonte, quod ab Anaxagora insinuatum uideri potest, qui lapidis è sole casum prędixisse narratur. Postremò adnotatu non indignum, Euripidem penultima pronuntiari producta Sidonio Apollinari, illo phalætio:

Orchestram quatit alter Euripidis.

Apud Ionem quoq; id ipsum inuenias,

χαῖρε μελαμπέπλοις ὀρειπόλοις θυγατρίδη θυγατρὶ.

Sunt qui corripiant tum Græcè tum Latinè, ut in eo,

Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt.

Persarum legati quo pacto ab Alexandro dimissi. Soles duos, neq; item regna duo patitur mundus. Cælum quis furnũ dixerit, homines autem carbones.

Cap. XI

ALexandrum Macedoniæ principem, & Orientis debellatorem tradit historia, dum orbis terrarum affectaret imperium, ingenti animo Persarum regi Dario indixisse bellum. Quo tempore is audaciam iuuenis reformidans, simulq; uirtutẽ admiratus præcelsam, nec sanè publicam, ob idq; sibi fatalem quodammodo præsagiens, quibuscunq; modis incumbẽs exitium euadere commoliebatur, missisq; ad hostem legatis, primum auri uim magnam illi obtulit, alia item eximia. Quod uerò potissimum, Asiæ imperiũ portionibus æquis cum eo se diuisurum, repromisit. Ea quum forent audita Parmenioni, inter Alexandri amicos præpotenti, Accepissem (inquit) si Alexãder essem. Et ego per Iouẽ (inquit) si Parmenio forem. Iussit uerò legatos Dario ita renuntiare. Neq; mundum soles duos, neq; duo summa regna, saluo terrarum statu, posse concoquere. Id uerò ex eminẽtissi-

mi regis, omniũ capacis, æſtuantisq; anguſto in limite mundi magnifica prolatum ſententia, prouerbij faciem habet, ac ueteri confirmatur apophthegmate bracteato, quod & paſſim iactatur, Regnum non patitur duos: propter illud poeticum,

Omnisq; poteſtas Impatiens conſortis erit.

Nam ut eſt apud Ennium

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.

Solem uerò duplicem quo pacto terra patiatur, quæ multis partibus ne unum quidem ferre ualet? Præſtò ſunt clariſſima naturę indicia. Cur enim partitis uicibus anni bruma lis abſcedit? Nempe ut noctium opacitate terras reficiat, exuſturus haud dubiè, & ſic quoq; exurens quadam in parte, tam excellens eſt eius magnitudo, tam incomparabilis uis. Quo argumento Hipponi philoſopho irrepſit, ſicut in fabula cui titulus πανήγυρις, Crates ſcribit, ut ueluti furnum eſſe cælum diceret, homines uerò carbones.

Solis deſcriptio, & cur dicatur Phaethon. De Eridano. Ouidij locus reſtituitur. Solis magnitudinem non rectè metiri Epicurum argumento oculorum. Sol cur oriens aut occidens maior uiſatur, & remotior. Virgilius illuſtratur. Diſcus & ſolos quid, & abacus. Solis curſus per zodiacum. Anni ratio, & biſexti. Signorũ zodiaci inæqualitas. Dodecatemorion. Ca. XII

SYdus uerò hoc, tantæ (ut ſic dicam) maieſtatis Plato, quod Speuſippus edocuit, ita definire uel deſcribere uidetur: Sol, cæleſtis eſt ignis, qui ſolus ab ortu ad occaſum ab eiſdem aſpici poteſt, animal ſempiternum, aſtrum animatum, diurnum ac maximum. Certè ab inſigni claritate nobili epitheto ab Homero illuſtratur & Sophocle, ἠέλιος φαέθων, id eſt ſol phaeton: quanquam & Solis filius, ſicuti commeminit Pauſanias quoq; quem & Eridanum antea uocatum nouimus, quæ & fluminis eſt apud poetas (ut putat Polybius) appellatio in Italia: quin & Theſſalia & Attica, ut credit Cæcilius Minutianus Apuleius. Quem tamen haud ita eſſe in cælo, rentur nonnulli, quia minus in hanc horam ſit omnium celebratus aduocatione. Phaethontis incendij meminit in libro De mundo Ariſtoteles, ſiue is fuerit Theophraſtus: ſed ita, uti delapſas cælitus flammas intelligat, quibus ad occaſum totæ combuſtæ regiones ſunt. Scribit Sophoclis interpres, equorum ſolarium alterum dici Phaethonta. Ex ijs eorum retegitur uanitas, à quibus carmen interpolatur Ouidianum. Eridani in Attica Hiliſſum influentis meminit Pauſanias quoq;. Sed ad ſyderis redeo maieſtatem, quæ quoniam ueteribus credita eſt diuina, proinde religioſius, dum percutitur fœdus ab Agamemnone, aduocatur apud Homerum, ut fœderum cuſtos & inſpectrix omnium. Hinc Bithynos ſcribit Arrianus, iudicia ex aduerſo ſolis exercere ſedentes conſueſſe. At enim ſunt, qui tam amplæ poteſtatis ſydus oculorum metiantur argumentis, & animi coniectura ſcrutentur. Sed uanitas multis coarguitur indicijs. Immenſum eſſe conſtat, Plinius inquit: quia arborum in limitibus porrectarum in quotlibet paſſuũ millia umbras paribus iaciat interuallis, tanquam toto ſpatio medius. Epicuri ſcholæ ſunt, quæ ſtatuunt ea magnitudine eſſe ſolem, qua uidetur. Cæterum, non peruidiſſe illos, quanta inde conſequeretur abſurditas, admiratione dignum. Si enim (inquit Cleomedes) in cęleſtiũ orbium contemplatione, tantus ſit ſol, quantus apparet, profectò multæ ſimul in ipſo magnitudines erũt: ſiquidem exoriens & occidens maior uidetur. Porrò non apud omnes eodem exoritur tempore: nam quum ſit globata ſpecie terra, aliàs apud alios oritur & occidit & medium cæli tenet. Quamobrem quum accidat, eundem apud alios oriri, & apud alios in medio cæli exiſtere, ſimul & maior & minor fiet: maior uidelicet, quibus oritur: minor, quibus eſt in medio cæli hora eadem: quod utiq; in eo abſurdiſſimum planè cenſeri debet. Horum nanq; affectuum ratio ea promitur à ſcientiſſimis: Maior (inquiunt) nobis ſol exoriens & occidens uidetur: & minor, in cæli conſtitutus meditullio: propterea quòd in orizonte per aerem denſiorem & humectiorem, ipſum uidemus. Eiuſmodi nanq; eſt uicinus terræ, aer. In medio autem cæli, quia in puriore cernimus, emiſſus ab oculis ad ipſum radius non reflectitur, quod in alio contingit ſitu. Argumento ſunt, quæ in aqua uiſuntur, grandiora corpulentioraq;: nam & ex puteis altioribus ſol conſpectus

conſpectus id ipſum patitur. Eiſdem porrò rationibus colligitur, cur in medio cæli ſol conſtitutus nobis uideatur propior, oriens uerò aut occidens remotior. Hæc ſiquidem aeris efficit qualitas: in humectiore nanq; craſſioreq; conſpectus longius abeſſe creditur, per purum uerò interuallo uidetur propinquiore. Proinde, inquit Poſidonius, ſi fieri poſſet, ut per parietes alia'ue ſolida corpora, ut de Lynceo prodit fabula, ſol conſpiceretur, multo amplior ſe nobis ingereret, & ampliore diſtare interuallo crederetur. Viſum porrò inſigniter falli, indicio eſſe poteſt colorũ ſubinde in ſole mutatio, quòd aeris affectio facit. Adde, quòd quum à montis cacumine occidit aut oritur, præ ſe fert nobis ſpeciem cacumen tangentis: propterea doctiſſimus poeta,

Iamq; iugis ſummæ ſurgebat lucifer Idæ. Et alibi,

Tibi deſerit heſperus Oetam.

Solis corpus orbemq; inuenio diſcum quandoq; dici: quanquam uocabuli huius notiones uariæ ſunt admodum. Nam eſt eo nomine pertuſus orbiculatus lapis, quem exercitij gratia iactare ſolebant plerunq;: quòd ſi ferreus fuiſſet, ut docet Euſtathius, nuncupabatur ſolos: ſicuti in Theriacis commeminit Nicander quoq;. Scribit & Tryphon in quinto De Helleniſmo, ut retulit Ammonius: unde apud Vitruuiũ, ſtatuas in foro ſurrectas legimus, diſcos tenentes. Idem alibi ſcribit in Horologiorum ratione, hemicyclium excauatum ex quadrato Beroſum inueniſſe. Scaphen, ſiue hemiſphærium Ariſtarchum Samium: qui etiam diſcum excogitarit in planitie, id eſt aream, non cauo ambitu, ſed plano: habebat lapis hic in medio lorum, quo circumageretur. Eſt & nomenclatura eadem uas apud Dioſcoridem, lenticulam Latinè poſſe dici arbitrantur eruditiores. Pro lapide corriuatur ἀπὸ τοῦ δίκω, quod βάλλω, id eſt iactare ſignat. Obſeruatum & illud, ſolis latitudinem ſcienter abacum dici, eadem qua diſcus notione. Cæterum, apud Macrobium in Cœnis libro primo, eſſe uidetur abacus luſoria tabula: Quẽ diem (inquit) omnes plerique abaco & latrunculis conterunt. Illud fuerit parergon: in ſignorum ſingulis ab ſole mẽſem confici, ac horas undecim ferè, uti ſcribit Theon. Quippe in parte qualibet diem abſumi, addito etiam momento. Baſſus Arati interpres tricenis diebus ab ſole tranſcurri ſigna tradit, denisq; horis ac ſemiſſe, id eſt horæ dimidio. Hinc ſemiſſis incremento diem confici unum quarto quoq; anno, biſexti nomine, ex quadrantibus conſurgentem. Hoc ideo adieciſſe, non inſuper eſt uiſum, quoniam Plinij tollitur obſcuritas ex libro ſecundo: Inde ſolis, inquit, meatum eſſe partium quidem trecentarum ſexaginta: ſed ut obſeruatio umbrarum eius redeat ad notas, quinos annis dies adijci, ſuperq; quartam partem diei. Nec illud tranſiluero quod item ſcribit Theon, Signa ſingula non cõplecti ex aſſe partem zodiaci duodecimam, ſed deficere nonnulla, uelut in Ariete ac Cancro: redundare aliqua, uti Scorpium & Virginem. Hinc in audias quandoq;, ab dodecatemorio ſignum cenſeri diuerſum: quia ad libellam non fiat reſponſus. Adnotatum uerò Columellæ libro duodecimo, Solem biduo calẽdis Majis unam tenere particulam.

Falſo Epicurum opinari, aſtra quum oriantur, accendi, quum occidant, extingui. Cap. XIII

Equitur & deliramentum alterũ ex eiſdem propagatũ ſcholis, quippe talpis cæcior Epicurus, qui tamẽ unus primusq; hominũ ueritatem inueniſſe uideri uult, Aſtra quum oriuntur, accẽdi: quum occidũt, extingui aſtruit. perinde ac ſi quis diceret, quũ homines conſpiciuntur, naſci: quum non uidentur, mori. Quo quid abſurdius? Potuit certè uel ſola fulgore clariſſimo luna commenti uanitatem retundere. Quo enim modo, extincto in occaſu ſole, fulget ipſa noctu? aut quo modo deficit in umbram incidens terræ, antea ſplendicans, aut quo pacto egreſſa umbram rurſus nitet, non exiſtente ſuper terram ſole? Aut qua'nam ratione ſol tam eximius, tamq; omnium maximè mirus, ubi extinctus fuerit, denuo renaſcitur? Arbitror Hiſpanica fabula delinitũ, hanc alteram profudiſſe uanitatem. Ab illa ſiquidem gente demanauit, ſolem in Oceanum mergi: quumq; mergatur, quaſi candens ferrum ſonum ædere: propter quod & Satyrus dixerit,

Audijt Herculeo ſtridentem gurgite ſolem.

Hoc uerò qui fieri poſſit? quum portio cæli quælibet ex æquilibrio à terra diſtet? Hæc ſunt, quæ ſacra Epicuri ſcientia excogitaſſe memoratur, exagitata abundè, exſibilata q̃ Cleomedi in eo quem paulò antè aduocauimus libro. Verum, nos ab iſs iam ad iucundiora dictu ſtilum conuertamus.

Solis præcipuæ laudes. Briarei allegoria. Archimedis laus. An fatendum ſit, ſolem calere. An cælum ſit igneum. Parhelia, & anthelia qua contingant ratione. Cap. XIIII

SOlem quippe ipſum Plato ipſius boni cõſpicuum filium nominauit. Credidit quoq; eſſe ſolem, perſpicuam Dei ſtatuam in hoc templo mundano ab ipſo deo poſitam. Hunc ueteres (ut Plotinus ait, & Plato enuntiarat prius) uenerabantur ut deum. In ſole priſci gentium theologi omnia gentilium numina collocarunt: quod quidem Iamblichus & Iulianus Macrobiusq; teſtantur. Denicq; quiſquis non uidet, ſolem in mundo imaginẽ eſſe, uicariumq; dei, is certè noctem nunquam conſiderauit, nec ſolem ſuſpexit exorientem, neq; item illius animaduertit munera, nec Areopagitæ Dionyſii monumenta unquam adiit. Hic ut diſertiſſimè ſcribit Plinius, cęli triſtitiam diſcutit, atq; etiam humani animi nubila ſerenat. Hic ſuum lumen cæteris quoq; ſyderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia uidens, omnia etiam exaudiens, ut princeps literarũ Homerus credidit in uno eo. Nobiliſſimus quoq; ueterum theologorum Orpheus ita canit,

Ἀλλ᾽ ὦθι μάκαρ, πανόπτης ἔχων ἀλώνιον ὄμμα,
Τιτὰν χρυσαυγὴς, ὑπερείων, οὐράνιον φῶς.
ὄμμα δικαιοσύνης, ζωῆς φάος, ὦ ἐλάσιππε
μάστιγι λιγυρῇ τετραφώρου ἅρμα δίωκων.

Et paulò pòſt,

Id eſt, Audi beate, æternum habens omnia intuentem oculum: Titan, aureo nitens fulgore, Hyperion, cæleſte lumen: iuſtitiæ oculus, uitæ lux, ó equorũ agitator: flagello ſtridulo quatuor horarum agens currum. Theologi ueteres (Proculo tradente) dicebant, reginam omnium iuſtitiam è medio ſolis throno per cuncta propagari, omnia dirigentem, ueluti ſol ipſe omnium ſit moderator. Iamblichus ex Aegyptiorum doctrina ſic fermè colligit, Quicquid adſit nobis boni, adeſſe ſolari poteſtate, uel ab ipſa tantum, uel etiam ſi ab aliis, id quidem uel à ſole abſolui, uel à ſole per alia. Eſt quoq; ſol elementalium uirtutũ dominus, luna uirtute ſolis domina generationis. Ideo Albumaſar, per ſolem inquit & lunam omnibus uim inſinuari. At de humana mente Epicharmus, Iſthic eſt de ſole ſumptus ignis, id eſt ſol eſt (inquit Varro) isq; totus mentis eſt. Moſes cæleſtium dominum in die ſolem arbitratur, nocte lunam, quaſi nocturnum ſolẽ. Marcus Tullius ſolem ueneratur ut ducem & principem ac moderatorem luminum reliquorum, mundi mentem & temperationem. Heraclitus, fontem cæleſtis lucis nuncupauit. Phyſici etiam, cor cæli. Id enim in æthere ſol eſt, quod in animali cor. Cuius id proprium, ne unquam ceſſet à motu. Sunt & qui ætheris oculum nũcupent ſolem. Sed & Centimani Briarei nomine hunc ipſum nonnulli ex Græcis intelligunt, qui multis uelut manibus inferna diſponat, efficiatq;. Nam & Archimedem, qui à Græcis de ingenij fertilitate πολυμήχανος nuncupatur, quoniam uno impetu numeroſas excuteret ſagittas, ab iis quos percuſſiſſet ἑκατόγχειρα cognominatum, ſcimus. Plericq; ex Platonicorum ſcholis, in ſole mundi animam conſtituiſſe uidentur, quæ ſphæram ſolis totam implens, per globum illum quaſi igneum, tanquam cor, effundat radios, ueluti ſpiritus inde per omnia, quibus uitam, ſenſum, motum uniuerſo diſtribuat. Hinc fortè promũt ſe aſtronomorum placita, ſicut deus ſolus intellectualem animam nobis tribuit, ita ſub ſolis modò influxu eam mittere, id eſt quarto duntaxat menſe poſt conceptum. Porrò ex ſolis poteſtate, quæ diem cum nocte librat tunc, circulus ab ariete productus in libram, Mineruæ, id eſt ſapientiæ iuſtitiæq; circulus apud Aegyptios nuncupari ſolet. Sed nec temperabo mihi parte iſta, quin protinus plauſibile ingeniorum inuentum appingam. Quippe excogitatum ſolertiſſimè eſt, in ſole eniteſcere imaginem diuinæ Trinitatis miram. Inibi ſiquidem tria quædam uiſitari, diſtincta pariter & unita: primum quidem naturalis animaduertitur ipſa fœcunditas, ſenſibus noſtris prorſum occulta: deinde

deinde lux eiuſdem manifeſta, ex ipſa manans fœcunditate, ipſiq; æqualis ſemper: poſtremò eſt ab utroq; propagata calefactoria uis, penitus utriſq; par. Cæterum parte hac ex Platonici diſertiſſimi doctrina commonendi diligenter ſumus: non eundum inficias, cælum ſolem'ue eſſe calidum: ſed uerius negandum, eſſe urens. Nec dicamus, ſolis lumen ſola repercuſſione calefacere, ſed ſola comburere. Nam lunæ radij repercuſſi nihil calefaciunt, quum in ea uirtus (ſicuti pleriſque uiſum) aquea dominetur. Calefaciunt autem ſolis radij ſalubriter pro ignea ſolis uiuificaq; natura. Quòd ſi ingerat aliquis, motu tardiore minus calefacere lunam, tarditatem emendare propinquitas poteſt, ut aliquo modo calorem afferre poſſit ipſa quoq;, ſi repercuſſu propagatur calor. Si uero æſtum eſſe ignis dicant genuinum, occurrendum, quo minus alienæ promiſcea tur materię, eo urere minus. Aſtruendum uero planè, eſſe lumen ignis proprium. Quippe quo purius, eo lucidius. Largitur calorem, at non largitur lumen, utpote ingenitum & proprium. Etenim ſi abeat ignis, abit & lumen. Vbi uero ait Plotinus, potiſſimam ignis actionem eſſe calefactionem, intellige ignis elementalis commixtiq; actionem. Nam præcipua cæleſtis ignis actio, ea eſt quæ cæleſtis animæ præcipuam refert actionem, id eſt intelligentiam. Eſt porrò cæleſtis ignis æqualis, quietus, & aſtrorum naturæ accommodatus præcipue. Dogma deniq; Platonicum eſt, nec ab aſtrologis improbatum, lucem in cælo eſſe ſenſum. Proinde radios paſſim ex luce protendere, ſingula perſentire eſt, ſentiendoq; facere, & faciendo ſentire: quãdo nil uel ſub terra latet, quod non ſentiatur inde, latentibus ubique radijs. Alioqui non generarentur etiam ſub terra cæleſtia. Erunt fortaſſe, qui motus argumento, igneum minimè uideri cælum, colligere enitantur, quoniam in ambitum circumagatur, igne in ſurrectum tendente: ſed at tendant, obſecro, rationis fallaciam. Si cæli pars aliqua (demus enim poſſe hoc perfici) à toto ſecluſa diuulſaq; in mundi ſitu aliquo conſtituatur, repentè in arrectum ſuſtolletur ea, patriam mox repetitura, quanquam cælo circumagi ſit proprium. Nam & terra, ſi à centro externa ui aliqua ſeuocetur, ad ima protinus naturæ ſuæ nutu reclinabitur, etiam ſi propria ſit ei quies. Motus rectus, ubicunq; reperiatur is, non tam intimus genuinusq; eſt, quàm reditus in naturam. Adde, quòd ignis, quum ſuapte ui mobilis perpetuò ſit, neceſſario in orbem mouetur: nam hic finẽ omnino neſcit, quod in recto nequit contingere. Cæli ſubſtantia (inquit etiam in libro De deorum natura Phurnutus) πυρώδης ὄσης, ſicuti argumento ſol eſſe poteſt: item aſtra reliqua, unde & mundi pars ſuprema æther nuncupatur, ἀπὸ τοῦ ἀεὶθεῖσθαι: etiamſi ἀπὸ τοῦ ἄνω θεῖν, uerbi uim deflectãt nonnulli, quod eſt ῥοίζῳ φέρεσθαι. Alibi auctor idem: Sicuti nos (inquit) ita & mundus anima continetur. Ea uero Iupiter nuncupaẽ, qui uniuerſis creditur dominari, quoniam omnibus ſit cauſa uitalis. Eius domicilium cæleſte traditur, quia inibi principalis uigeat mundanæ poteſtas animæ. Nam & anima noſtra eſſe ignis planè aſtruitur. Digna porrò quam minimè tranſilias, Hexaemeri primo Ambroſii ſententia: In terra (inquit) ignem comperies, qui ex lapidibus ac ferro excutitur frequẽter: & in cælo, quum ſit ignitus & micans fulgẽtibus ſtellis polus. Quin Magnus item Baſilius in tituli eiuſdem libro: Sunt (inquit) qui ſoli calorem haud inſitum tradant, ſed ex motionis emergere celeritate. Verum ſententia hæc ueritatis cancellos egreditur. Quoniam uero ſolem Græci helion uocant, inde nuncupari inuenio parhelia, quæ (uti tradidit Theon) eſſe nubes rotundas Poſidonius cõmonuit, in ambitu ſolaris luminis, ex quo & ſplendorem mutuatæ illuſtrentur, ſicuti luna: & inde nominis ratio. Vt uero globentur, materia indigent denſa & multa. Quo argumento ad Euxinum pontum uiſuntur frequentia, rarius autem in Græco tractu. Hyemem uero liquidò præſagiunt. Arbitratur Ariſtoteles parhelia eſſe utique emphaſin, uerum citra hypoſtaſin omnino. Sunt qui anthelia uocent quoq;. Venti frigidiore perflatu addenſatur nubes, ut radijs excipiendis fiat idonea: unde & uentorum eſſe prognoſticum cecinit Aratus. Oriente porrò ſole, uel ad occaſum properante, cooriuntur parhelia: quòd ſi ab ſeptentrione uiſitationem faciant, Boream prænuntiant: ſi ab meridie, Auſtrum.

Cælum item eſſe ignem in quo tria ſint, calor, lumen, uitalis humor. Tollitur ex Plinio obſcuritas, item Martiano & Ariſtophane. Obiter de argento, quod uiuum dicunt. Cap. XV

CAelum porrò esse ignem, colligi ex Platone tota (quod dicitur) facilitate potest. Nam ubi Mosaica mysteria sic habent, In principio creauit Deus cælum & terram: Plato ait, Deum primò ignem fecisse, ac terram: ignem nimirum intelligens præcipuè cælum. Nam in mundi fabrica utrunque pendit extremum, uidelicet structurę medium siue centrum, & circumcurrens cælum, cuius ambitu reliqua contegantur omnia: nam cætera, horum gratia interfita pernoscuntur. Sed attendant (quæso) studiosi omnes, quæ mox subnectētur, ut Plinij & Capellę Felicis locus Gordiano implicatior nodo explicetur latius, dum à Platonicorum uestigijs ne unguem quidem latum reuellimur. Totam utique cæli molem esse calidam, liquet: quia ignis tota est. Id quod sublimitas coarguit, mobilitas & lumen, calor quoque (quanquam occultus) omnia confouens. Calor autem amplissimus spatio nullam patiens uiolentiam familiarē habet humorem. Nam sicuti cæli anima, uita constat & intellectu ac motu, sic & in cælo tria recognoscuntur hæc: calor, tanquam uita: lumē, intellectus uice: uitalis humor, perinde ac in anima uitalis motus. Nec sanè aliud esse humorem censueris, quàm agilitatem quandam ad motum. Proinde cælestis ignis non esse modò colligitur calidus, sed humectus insuper, id est liquidus, fluidus, agilis atque lubricus & lenis ac blandus. Nam siccitas non ferè citra rigiditatem fuerit, & quidem asperiorem, cuiusmodi etiam acrius induxerit frigus. Auerroicum illud ex libro De cælo, Platonicis calculum adijcere creditur, Cælestia nulla frigus inferunt, sed calorem omnia. Quæ uero frigus conciliare opinemur, ea esse quæ caloris inferant minus. Sententiam huiusmodi comprobant ferè Abraham & Auenazra, statuentes, Saturnum dictitari frigidum, qui calorem inferat nostro remissiorem. At Vitruuius matheseos non imperitus, esse stellarum alias temperatas scribit, alias feruentes, etiamcę frigidas: ea ex causa, quòd ignis quilibet superna petit: quo fit, ut sol æthera superiorem radijs exurens candentem efficiat, Martis argumento. Saturni uero stella, quòd est proxima extremo mundo, tangitcę congelatas cæli regiones, uehemens inde frigus concipere creditur. Sed hæc ille uiderit. Cælestis uero proprietatis, si quod in rebus nostris exemplum aliquo modo ualeat excogitari, non temerè fuerit aliud, quàm argentum, quod ab indesinente motu uocant officinæ uiuum, in quo uegetus calor cum humore multo, sed tenaci, motum ingenerat quietis nescium. Quòd si subtiliorem & diaphanam lucidamcę adhibueris naturam, habebis & cælum. Scribit tamen Meteoron quarto Aristoteles, Quæ tametsi aqua constent, plus tamen aeris retinent, haud concrescere, ut oleum, argentum uiuum. Ex ijs iam (opinor) infertur lux multa Plinij uerbis ex Naturalis historiæ secundo uolumine: Esse innumeras ei effigies animalium rerumcę cunctarum impressas: nec, ut in uolucrum notamus ouis, læuitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixere tenerum, argumentis indicatur. Martianus uero Felix Capella, Lunarem (inquit) circulum ingressa Virgo conspicatur globosum quoddam, tenerumcę corpus, & superni roris leuitate compactum, instar speculi prænitentis. Sed in Timæo item Plato, Lenem præterea (inquit) hunc globum extrinsecus undique expoliuit, nec immeritò summa cum æqualitate tornauit. Ex humoris uero cælestis similitudine, qui agilitatem signat, ut antea est expositum, Aristophanes Nebulis Socratem irridens illum ita inducit loquentem,

ἀλλ' ἡ γῆ βία ἕλκει πρὸς αὑτὴν τὴν ἰκμάδα τὴν φροντίδα.

id est, sed ui (inquit) terra ad se pertrahit humorē curæ. ubi interpres, ἰκμάδα, id est humorem, τὸ νοητικὸν intelligit τὴν ψυχήν, id est animæ intellectualem potentiam: sed cur sic, id uero dicere supersedit.

Peripateticæ rationes, solem stellascę non esse igneas. Cap. XVI

AEterum, quia diu iam Platonicorum rimamur arcana, introspiciamus parumper & Peripateticorum pomœria, quæ multum tempestate nostra & nominis & auctoritatis indepta late dominātur, & in naturæ maiestate principatū sibi uendicant. Promemus autem, ac in sinum, hoc est commodum uertemus nostrum, quæ à Magno Alberto secundo Cæli comprobata

probata nouimus, Caliditatem uidelicet ac lumen non uideri idoneas cauſas, cur ſol & ſtellæ dicantur igneæ. Neque enim caliditas prouenit ſemper ex proprietate naturæ, ſed ex motu interdum, & aliquando ex radiorum reflexione ad locum unum: ut in quibuſdam manifeſtum eſt ſpeculis, & probat Euclides in Perſpectiuæ tractatu. Porrò luminoſa corpora ſunt multa, quæ tamen eſſe ignea, non audeas aſtruere, ut contingit in putrefacta quercu. Quinimmo igni accidit quoque non lucere, ſi ſimplicior fuerit ac purior: ſicuti euenire Alexander ſcribit in locis prope Aethiopas. Adde, quòd non ubique calorem motus inducit, ſed in ijs duntaxat corporibus, quæ à motu diſſolui queunt per partium attritũ. Quia enim partes diſſoluuntur, rareſcunt amplius, quàm formæ aeris uel aquæ uel terræ congruat: inde ad ignem diſponuntur & calorem. Si uero corpus fuerit eiuſmodi, ut motu diſſolutionem non recipiat, quale eſt cæleſte corpus, tunc nec calor ualet, nec ignis induci. Motus autem ad hæc perficienda non alius eſt quàm localis, & præcipuè motus is qui eſt quaſi uita quædam exiſtentibus omnibus: cuiuſmodi eſt cæli motus. Proindeq́, uiuifica qualitas eſt calor: letifera frigus, quia abſcindit & ſiſtit motum. Quanam uero ratione aſtrorum motus calorem gignat, ſecundo Cæli ſic ſtatuit Ariſtoteles: ἡ δὲ θερμότης inquit ἀπ' αὐτῶν, καὶ τὸ φῶς γίγνεται τῶν ἐκτριβομένου τοῦ ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐκείνων φορᾶς. τὸ γὰρ πῦρ ἐστὶ λίνυσις ἐκπυροῦν καὶ ξύλα καὶ λίθους καὶ σίδηρον, ὃ λογώτερον δὲ καὶ ἀέρα. hoc eſt, calor autem ab ipſis & lumen gignitur, aere inceſſu illorum attrito: aptus enim naturà motus eſt incendere ligna, lapides, ferrum & aerem eo magis. Patet porrò quod dicimus, ἐκ τῶν φερομένων βελῶν, id eſt ex ſagittis impetu excuſſis uehementiore: ſic enim incenduntur, ut μολιβδίδες, id eſt plumbeæ laminæ colliqueſcant. Quod tamen ipſum non ita accipiendum, tanquam ſagitta excalfacta aerem quoq; ita afficiat, ſicuti uidetur intellexiſſe Simplicius, ſed diuerſum potius, ut inquit etiam Thomas. Nam excalfactus aer motu, ſagittã ita incendit: quod Alexander & ſenſit & docuit: ſed hoc in ſtellis uſu uenire nequit. Neque enim illæ per aerem feruntur, ſed in ſphæra longè ab aere ſequeſtrata. Ideoq́ non incenduntur ipſæ, nec caleſcunt ullo modo, tum etiam quia externam non recipiunt impreſſionem. Aer uero circulari ſubiectus corpori caleſcit neceſſariò ex illius præceleri motu, quo non ignis modò illi proximus concitatur, ſed aer ad eam uſque partem quam pertingunt montes, ut ex cometarum motu datur intelligi: quod ex Meteororum primo colligitur. Ne uero caloris ſit æqualitas quacunq; anni parte, cauſa in ſole eſt euidens, quum quando incendit is hemiſphærium noſtrum, tum quando altiora zodiaci ſcandit, fitq́ capitibus noſtris propior. Quum uero Ariſtoteles ait, ab aſtris gigni lumen, non intelligendum (inquit Thomas) de lumine ignis generati ex motu, cæterum de lumine quod à ſtellis producitur, quatenus entia ſunt actu lucida. Duplex ergo (inquit) cauſa eſt caloris ex cæleſtium corporum ui in inferioribus: altera ex aeris motu tãtum, quem efficit cæleſtis corporis ambitus. Cauſa uero reliqua eſt lumen, quod quidem excalfaciendi uim habet, quia eſt qualitas actiui primi alterantis (ut hoc utar uerbo) hoc eſt cæli: directeq́ producit qualitatem primam corporum inferiorum, quæ eſt calor. Quia ue ro ſolare lumen exuberantius eſt, inde fit, ut ab eo potentius prouenìat calor. Reliqua uero ex proportione, adeo ut lunæ lumen etiam excalfaciat. Cui ſententiæ ſubſcribit Ariſtoteles, ubi de animalium partibus diſputat: Noctes (inquiens) in plenilunio eſſe calidiores, propter lunæ lumen: unde contingat, piſces ad aquarum commeare ſuperficiem. Sed comprobat & Auicenna, ubi plus ſit luminis, ibi uero plus eſſe caloris. Hinc Hippocrates ait, Aerem nocturnum, ſtellarum luminibus ſubtiliorem fieri, & calidum aliquantum, generationiq́ & uitæ accommodatum.

Beſſarionis ad idem ſententia. Qui ſint antiſij gradus. Anthion quid. Anthele. Anthelion. Solis inter planetas locus. Cur ſolis frater Titan. Meganira. Deſpœna, id eſt δέσποινα quæ ſit. Virgilij locus declaratur. Limbũ pro zodiaco accipi. De Lyceo monte pulchra. Iuppiter ubi & à quibus ſit educatus. Agno fons, mirãdæ naturæ. Lycæus Iupiter. Lycæa ſacra. Antra cur dicata diis. Mithra. Mithriaca ſacra. Cap. XVII

Verum

VErum ab hiſce altioribus ad humiliora remeandũ, ſi prius Beſſarionis appoſuero ſententiam, uiri quidem meo iudicio ſcientiſſimi ac prudentiſſimi, & in Platonicis rebus ſummè exercitati, nõ relictis porrò pauculis, dignis cura. Is igitur libro primo aduerſus calumniatorem Platonis interprete, ſicuti receptum iam aduerto, ſcribit. Et ſi (inquit) cælum Plato ex igne conſtare affirmat, quatenus ſcilicet uiſibile eſt, & ex terra, quatenus tangi poteſt, ſtellasq; ex omnibus quatuor elementis compoſitas. Non tamen hæc ita eſſe exiſtimat, ut quæ generationi & corruptioni obnoxia ſint, corpus immortale conſtituãt: ſed ex igne cælum eſſe, quia corpus æthereum lucidum eſt. E terra, quia ſenſui occurrit. E mediis, quia mediorum præcipuam recipit rationẽ. Quod ne Ariſtoteles quidem (inquit) inficias iret, cæleſtia ſcilicet corpora cõſtare ex his ſummitatibus elementorum, quando & ipſe cælum eſſe ſtatuit uiſui tactuiq; obnoxium, quod animatum quoque & animal eſſe, ut Plato cenſuerat in libro De cælo affirmauit: Nos enim (inquit) perinde ut de animalibus, iſta cõſideremus. Hæc tot tantaq; de ſole cæloq; habui quæ dicerem, ut ſtudioſos hiſce humanioribus implicitos ſtudijs cogeremus quodammodo uolentes altiora quandoque ſuſpicere, nec pati uitam ſordeſcere ſitu quodam poeticarum fabularum, quas ipſas nec profundius excutiendas opinantur, quamuis ſub illis inuolucris ſæpe lateant ſenſus mirandi. Sed in ijs hebetius ita plerunque conſeneſcunt, ut inde auulſi noctuinis oculis conſpiciant cætera. Quod minus profectò facerent, ſi diſcere aliquando potuiſſent, quæ genuina ſint eius ſcientiæ, quam humanitatem uocant. Nos exſequemur reliqua propoſiti, ſi illud item monuerimus, Hipparchum, & certatim ferè ueteres omnes, gradus eos in quibus ſol conſtitutus dies diebus & noctes adæquat noctibus, antiſcias nuncupaſſe, ueluti dicas, ex aduerſo æquales. Antiſcios apud Meroem æquinoctiali ſubiectam circulo dici populos, Marcellinus ſcribit, quoniam ſole ad nos commeante, illorum umbræ noſtris contrariæ iaciantur, inq; aduerſum decidant, id eſt læuorſum, noſtris in dextram procumbentibus perpetuo. Anthion uero aliud eſt: nam eo nomine nuncupatur in Bœotia puteus, ubi à Proſerpinæ raptu ſediſſe Cererem ferunt, uetulæ imagine prælata. Quo nomine uelut Argiua à Celei filiabus deducta ad matrem eſt. Putei auctor Pamphus, id eſt πάμφως. Non longè à puteo uiſebatur Meganiræ ſacellum, quam fuiſſe Celei uxorem, ac Triptolemi matrem, Græcis credimus. Anthelen uocant paniculæ florem in harundinibus, qui auribus creditur infeſtus, ac omnino exſurdare: quod prodit Dioſcorides. Anthelion porrò floſculum indicat Græcis. Sed & illud obiter adnotarimus, limbum apud Varronem ſcitè prorſus de zodiaco dici: quum in Menippæis ſatyris inquit,

Per quam limbus pictus bis ſex ſignis
Stellimicantibus, altus in obliquo æthere lunæ
Bigas acceptat Poſthumi, cui ſeplaſia fœtet.

An uero inter planetas medius collocari ſol debeat, An mox lunam conſequatur, agitatum diu inter cœleſtium rerum ſtudioſos & philoſophos quoq;. Aegyptiorum placita à luna principem ſanciunt, Mediana illi ſyderi aſcribentibus Chaldæis, quod ipſum & Ptolemæus ſtatuit. Theon uero probabilius habet, ſupra lunam ſtatim locari, & id nec à præceptore Ptolemæo quem enarrabat, ueritus diſſentire quod Plato comprobat & Ariſtoteles. At Moſes Aegyptius ſitum planetarum, & ordinem incertiſſimum uideri pronũtiauit. Ammianus Marcellinus libro uiceſimo: Quum ſol (inquit) ac lunaris globus aſtrorum omnium infimi, comitatu parili obtinentes circulos proprios, ſaluaq; ratione altitudinis interiectæ iunctim locati, ad dimenſiones uenerint, ſi contigua præſtrinxerint ſpatia, dilutior erit defectus. Sed nos quod polliciti ſumus cæleſtibus relictis, noſtrę memores infirmitatis terrena pergamus expendere. Si illud ex Marcellino eodem adiecero item, poſt ea quæ iam ſunt dicta, ſolem quandoq; ideo exiſtimari geminum, quòd ſurrecta ſolito celſius nubes, æternorumq; ignium propinquitate collucens, orbis alterius claritudinem, ceu è puriore format ſpeculo. Proinde addamus ex Pauſaniæ theſauris illud quoque, Titana creditum ſolis fratrem, regionem ad Aſopum, ſicuti ferunt indigenæ, habitaſſe primũ, & ab eo dictam Titanen. Verum, uti ego

ego (inquit) cenſeo, uir ſagax fuit Titan, & temporũ anni obſeruator diligens, & quando auctiora ſol faciat ſemina & arborum percoquat fructus, ac proinde ſolis frater habitus. Vnde coniectatio euidens, cur aſtra Titania dixerit Maro. Titanas omniũ princeps ad poeſin Homerus induxit, ut deos apud Tartarum. Ex ijs Anytus commemoratur unus, à quo educatam ferunt Δεσποιναν. Propterea apud eius ſimulacrum ſtabat armati præferens ſchema. Hanc Δεσποιναν, ſeu dominam uenerantur cum primis Arcades, Neptuni aſtruentes filiam. Cæterũ pluribus eſt Cereris cognomentum Δεσποινα: quo tamen & Proſerpina honeſtetur. Ad quod poetam nobilem reſpexiſſe contenderim illo uerſiculo,

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Certè in Arcadicis rebus Pauſanias ſcribit: In templo, Cereris ſtatuam dextra facem geſtare, alteram uero inijcere ὑπὲρ τὸν Δεσποιναν, quæ & ipſa ſceptrum ciſtamq; in genibus habeat. Templi porrò parieti affixum ſtetiſſe ſpeculũ, in quod intuens initio quidem ſe aut parum aut omnino nil ſpectaret, dearum planè ſimulacris conſpicuis, atque item throno. Ad ſiniſtrã templi, Ἡ Δεσποίνης montem ſtatuunt Lycæum, qui & Olympus dicatur. Arcadum plerique ἱερὸν κορυφὴν, id eſt ſacrum nuncupant uerticem: puto, quoniam inibi eſſe educatum Iouem, eorum mythicis eſt obſeruatum. Argumento eſſe locum, qui inde uocetur λυκεῖα, ad ſiniſtra luci Apollinei, cognomento Parrhaſii, id eſt παῤῥασίου. Nymphas quæ Iouem educarint, fuiſſe Thiſoam, id eſt Θεισωᾶν, & Nedam, & Agno, id eſt ἀγνώ: à qua & in Lycæo fons appellationem ducat, cuius ea fuerit olim uis, ut re diuina ibi à Lycæi Iouis ſacerdote curioſius peracta & fuſis precibus, querno'que ramo leuiter aqua commota, mox denſior ſurrigatur uapor nebulæ aſſimilis, quæ non multo pòſt effecta nubes, aggregatis item alijs, largos demittat imbres. Miracula in Lyceo ſuppetunt alia quoque, eſſe inibi Iouis Lycæi lucum, quem ſi quis (lege ſpreta) ingrediatur, annum nequit ſuperuiuere. In eo item animalia, nullam prorſus umbrã iactant. Quodq; apud Syenen ſyderis Cancri primas partes ſole ſit obtinente, perpetuũ ibi eſt. Lycæa ſacra apud Phrygiæ urbem Peltas ab Xenia Arcade celebrata, primo ἀναβάσεως prodit Xenophon, ac inſtitutis certaminibus præmia propoſita λευκίδας χρυσᾶς. Lycon eſſe lupum ſciunt omnes. Amphilycen exortum interpretatur Theon, quia ſoli dedicetur lupus, quia ſit ὀξυδερκὴς, id eſt uiſus præacuti, ſicut longinqua ſpectat ſol. Solem denicq; Perſæ mithram dicunt, cuius ſimulacrum leonis rictum præferebat, cum tiara, manu utraq; bubula premente cornua. Quo argumento in Thebaide Papinius,

Adſis ò memor hoſpitij, Iunoniaq; aruâ
Dexter ames, ſeu te roſeum Titana uocari,
Gentis Achemeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirin
Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Sed & in Philologiæ nuptijs Martianus,

Te Serapin Nilus, Memphis ueneratur Oſirin,
Diſſona ſacra Mithram.

Hinc certè Mithriaca dici ſacra legimus. Ea in antro obijſſe, moris fuit, educto cornibus ex eo boue, quem mox ut Mithræ uictimam immolarent, per hymnorum modulatos concentus. Propterea obſcurè Hieronymus, ſed doctè, ad Athletam: Ante paucos (inquit) annos propinquus ueſter Gracchus, nobilitatem patritiam ſonans nomine, quum præfecturam gereret urbanam, nónne ſpecum Mithræ, & omnia portentoſa ſimulacra ſubuertit? Lampridius in Commodo: Sacra Mithriaca homicidio uero polluit, quũ illic aliquid ad ſpeciem timoris uel dici uel fingi ſoleat. Meminit horum cum Suda Procopius. In ſpecu colebatur ueteri more, quo antequam excogitata forent templa, dijs conſecrabantur antra, ſicuti in Creta Ioui ab Curetibus: in Arcadia lunæ, ac Pani Lyceo, Dionyſio autem apud Naxum. Mithræ, ubicunq; is coleretur. Mithram Aegyptij ſtatuunt ſub æquinoctiali: propterea gladium Arietis, Martij animalis geſtare. Inuehitur autem Tauro Venus, ceu tanquam Taurus, opifex generationis ac do-

minus

minus cenſeatur Mithras. Creditur Zoroaſter primus in montibus ad Perſidem floridum Mithræ ſpecu dicaſſe cum fontibus. Sed ita, ut mundi ſymbolum ſpecu obtineret, quem creaſſet Mithras. Quæ autem intus forent, elementorũ mundi, ac climatum imaginem præferrent. Néroni quoque eblanditus Tiridates eum perinde ac Mithram ſe adoraturum pronunciauit, ut ſcribit Dion. Mithræ hiſtoriam multis uoluminibus explicuerat Eubulus.

Graſum ne pertuliſſe quidẽ quid ſit, & quid graſus & graſon. Tragaſæus & Tragomaſchalos. Cur ſub alis odor malus. Cur pedes fœtẽt. Ca. XVIII

ALexandrum apud Arbelas totius certaminis aleam cum Perſis ſubiturum, plerique ex amicis adeuntes grauius milites accuſabant, qui in tentoriis ſermones ſererent depaciſcerenturq́, nihil ſe hoſtilium ſpoliorum in regiam relaturos, ſed ſibi ea omnia uendicaturos. At is lætè, quæ dicerentur accipiens, Proſpera (inquit) nuntiatis, uincere cogitantium iſta ſunt conſilia. Quum uero hoſtiles copiæ myriadas uiderentur centum excedere, hoc eſt, decies centena hominum millia: identidem Alexandro ingeſſere milites, ὦ βασιλεῦ θάῤῥει, καὶ μὴ φοβοῦ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων, αὐτὸν γὰρ ἡμῶν τὸν γραῦν οὐχ ὑπομενοῦσι. Confide rex, neque pertimeſcas hoſtium multitudinem, ipſum enim graſum noſtrum non perferent. Hinc nata paroemiæ ſpecies, ut qui primo funduntur impetu, fuganturq́ prius quàm intra teli iactum ueniant quodammodo, ne graſum quidem dicantur pertuliſſe. Sicuti Pharnacem feciſſe, ſignificauit Cæſar, quum illo uicto ad amicos ſcriberet, ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα, ueni, uidi, uici. Graſum uero dicunt Græci fatuum quidem, ſed eo item nomine, ac primum utique lanarum ſordes in ouibus appellant, quod genus etiam Oeſypen uocant, uel Oeſypum, ut apud Dioſcoridem, quanquam & ſuccida lana ita dicitur. Eſt & graſos, ἡ τῶν μασχαλῶν ὀυσωδία, id eſt odor malus qui ſub alis fit. Vnde & graſon, id eſt γραῶσων dictus odoris mali. Hinc illud paroemiodes, γραῶσόν μὴ ὀφῇς γίζου, Graſoni ne ſuccenſeas. Tradunt aliqui, Graſona etiam ſignare uiride hordeum, παρὰ τὸ γραῶ τὸ ἐδίω. Eſt item graſos adeps ipſe in Græcorum doctrina. Sudorem denique corporis, ac ſordes graſoniam dixit Archigenes. Pollux etiam cinauram. Quia uero alarum odor nunc hircus Latino uerbo, nunc tragus item Græco, ſed idem ſignificante, nuncupatur: Ariſtophanes in fabula, cui titulus eſt ἀχαρνῆς, tragaſæum uocauit male olentem, & alia fabula Tragomaſchalos eoſdem dicit. Graſon porrò & Crymnam in Theriacis Nicander in Troade loca dici opinatur, λεύμνας ἀμπελίου καὶ ἀνὰ γραῶν. Quærit Ariſtoteles, διὰ τί αἱ μασχάλαι ὀυσωδέστατόν τῶν τόπων; id eſt cur alæ omnium maximè partium noſtri corporis male olent? An (inquit) eſt, quia omnium minimè reſpirare poſſunt? Malus autem odor locis huiuſmodi contrahi maximè ſolet, quoniam putredo quiete interioris qualitatis, id eſt humectæ materiæ, ad corruptionem paratæ conſiſtit. Etiam ſi partes illæ ſint raræ ſatis, quod pilorum indicat multitudo, ut Sententiarum quinto meminit Hippocrates. Cæterum, quia immobiles maximè inexercitatæq́ ſunt, ſuperfluitatum multarum ibi conceptaculum fit, quæ crudæ in coctæq́ odorem producunt malum. Quippe odoris mali cauſa cruditas quædam excrementi eſt. Quamobrem ſudores etiam aliqui quandoq́ ita olent. Proinde in plantis, quia ſiccæ & calidæ ſunt natura, humor non eſt fæculentus, ſed expeditius concoquitur. Inde & animalium nullum bene olet, excepta panthera, quoniam cruda ſint excrementa & fœtida. Legimus porrò ſeptima quarti Auicennæ: quoſdam opinatos, tetrum alarum odorem ex quibuſdam ſeminum reliquijs quibus gignimur, produci, quę locis ijs inſederint cutem ſubeuntes. Verum peritioribus ratio hæc parum efficax uidetur, quod ſeminis proprium ſit, conuerti in melius. At obijciat aliquis, fœtere tamen pedes, quamuis perpeti agitentur motu. Agitãtur illi quidem, ſed obſepti obuallatiq́ amplius operimentis, ut quod ſuperfluit, euaneſcere queat minus. Denique terreſtris humecti grandior copia illuc demanat. Quod eſſe corruptioni maximè obuium, liquet.

Cur odorem malum augeat calor. Item cur præcipuè odoribus capiantur homines. Inſpirationis opus duplex. Odori percipiendo quid neceſſariũ.

Caput XIX

Et quia

ET quia de odoribus agimus, ingerat hic fortè curiosior aliquis, Vnde nam fiat, quòd quæ male olent, tetrius oblædunt quum calent, quàm quum frigent. Ea uero est odoris natura, nam uapida res est quæ calore confit: motus enim quidam est: calor autem, motandi præcipuam habet uim. Nam frigore concrescit humor, & fit immobilis. Adde, quòd frigus concipientia imum petunt omnia. E diuerso autem in summa calor surrigitur, similiterq; uniuersim odores, tum quia in aere constituuntur, tum quia qui eos percipit sensus, in arrecto uelut specula est. Siquidem cerebri conceptaculis sese insinuans odor sensum mouet. Sed illud iucundius in quæstionem uenerit, cur ex omnibus animantibus homines miram ex odoribus persentiscant uoluptatem. Vt qui paulò sit intemperantior, totum se fieri nasum concupiscat, sicuti est apud Catullum. Id uero inde putatur effici, quòd cerebrum nos maius habeamus, & reliquis aliquanto humectius. Propterea odorum illuc ascensus hyperbolen eam, hoc est frigiditatis excessum, & humectationis ad mensum reuocat rationalem. Fit autem affectio hæc per spiritus attractionem, quantum ad homines attinet, scandentibus eo modo odoribus ad cerebrũ ipsum, quia calor igneus quo resoluuntur odores, eisdem præstat leuitatem quandam, ut superiora petant, unde consequitur in membro illo sanitas quædam, odori siquidem inest calefaciendi uirtus ob calidum igneum, unde producitur, atq; idem resoluitur. Proinde uidetur natura in duo maxime opera inspirationem instituisse: quorum alterum, & id utique operosius, euentatio est caloris intimi, aliàs exusturi omnia. Nam & Platonici ideo pulmones esse productos scribunt, molles, atq; uentosos, & instar fistulæ cauos, & spongiæ similes, ut coriræ ardoribus nonnunquam exæstuans aliqua saltem refrigeratione mitigaretur. Proximum est odoris perceptio, ad quam sicuti ad auditum & gustum corpore aliquo intermedio est opus: per quod ad sensum prouehãtur odorum differentiæ. Sed & elementa eadem odoratui præseruire uidentur, quæ uisui & auditui, aer uidelicet ac aqua. Nam aquatilia quoq; odorari, certum est. Et sicut in uisu perspicuitas communis quædam qualitas in aere & aqua cognoscitur, ita in odoratu alia qualitas in elementis eisdem promiscua continetur, quam dicimus dioſmon, id est perodoriam aut transodoriam, ut interim sic loquamur: inuenias id uerbum apud Theophrastum, cuius & nos aliubi mentionem fecimus. Ea uero est potentia ad sensorium transuehens, quod odorum est. Sensorium autem non naris est utiq;, ἀλλ' ἡ μαστοειδὴς τοῦ ἐγκεφάλου ἀπόθεσις. id est, uerum sepositа cerebri portio mammarũ imagine quadam. At de hac re plura mox. Nam & Albertus cerebri anterioris extremum esse duabus mamillarum papillis consimile, prodidit, in quibus sit odorandi potestas.

Cur odorandi sensorium in homine retusius hebetiusq; sit. Caput XX

NEc illud utique ambiguitate caret, quid nam sit quòd sensum hunc homines tardum habent, ac laceſſitum: siquidem animalia plurima exquisitius quàm nos & sagacius olfaciunt, ut ex terrestribus canes, ex auitio uulturij. Sed & uariarũ odore sollicitari mirè quadrupedes cunctas, nono De animalium historijs tradenti credimus Aristoteli: quod & à Plinio est repetitum. Euentus autem eiusmodi hæc afferri ratio potest: siquidem organum sensus requirere cum sensibili proportionem uidetur: nam uti odor ex calido prouenit & sicco, ita ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur uictoria calidi & sicci. Sed homini cerebrũ, in cuius uicinia olfactus est, datum omnibus alijs maius, perpensa præsertim corporis proportione: quod & comprobat in libro De animalibus Aristoteles. Quum uero id sit humidum & frigidum, in se animaduersum, inde nimirum fit, ut in eo odorandi perfectio præpediatur, nihilq; ferè odorabilium percipiat, nisi quòd excellenter possit oblectare, aut affectionem inducere diuersam.

An odoribus suffici alimentum queat. Rhyntaces auis. Ouidij locus explicatur ex primo De Ponto. Chamæleon. Salamandra. Caput XXI

HIppocrates auctor artis medicæ summus, quiq; bene sentientibus perinde ac lychnuchus est, per literarias semitas iter faciẽtibus, in libro De ali-

mento,ſic ſcriptum reliquit: Quicunq; citiſſima indigent adiectione,humidum remedium reſumendis uiribus optimum eſt: ubi autem adhuc ociore,perodoratum.Pythagoricorum uerò ſententia fuit, odores etiam ad nutricationem conferre, ueluti etiam alamur qualitatem eiuſmodi attrahendo. Id minus recte pronuntiatum, nititur Philoſophus comprobare. Videmus etenim (inquit) cibum ex pluribus compoſitũ elementis: ſimplicia enim non nutriunt,& animalia quæ indidem nutriuntur,ex quatuor ſunt compacta elementis. Ex ijs autem unumquodq; nutritur, ex quibus conſtat; ut eſt in primo De generatione adnotatum:argumento ſunt ciborum retrimenta,conceptaculis quorum intra animalium corpora, partes à natura ſunt contributæ. Nam in plantis protinus,quicquid uacantis materiæ eſt,extruditur: ſicuti manifeſtum facit gummi,& id genus alia.Quòd ſi elemento ſimplici impleri nutrimentũ poſſet, nil prorſus redundaret,quia partium nulla eſſet diſparilitas. Inde colligitur, ex odoribus nullum poſſe alimentum præſtari.Nam quum ſint qualitates per ſe,non poſſunt nutriendo conſtituere ſubſtantiam. Quòd ſi ſit odor fumoſa exhalatio uel uapor, ut ueteribus placuit, adhuc ratio perſtaret, quoniam utrũq; ad aeris naturam pertineat.Porrò ſpiritus quidem uel cerebrum petit, uel pulmonem. In his uero locis non eſſe alimentorum conceptacula,unde reliquo corpori diſtribui pro ratione portiunculæ ualeant, notiſſimum ferè eſt.Huic enim muneri ſtomachum natura prę ſcripſit,proinde apertiſſimum uideri,nihil odoribus nutriri.Quos tamen ſanitati conferre plurimum, ſenſus perdocet. Plinius uero Naturalis hiſtoriæ ſeptimo,ad extremos Indiæ fines ab Oriente,circa Gangis fontem,eſſe Aſtomorum gentem prodit,ſine ore,toto hirtam corpore, quæ frondium ueſtiatur lanugine, uiuatq; halitu tantum & odore quem naribus trahant: nullum illis cibum,nullum eſſe potum,tantum radicum florumq; odores uarios ſylueſtrium malorum,quæ ſecum portant longiore itinere,ne deſit olfactus,grauiore paulò odore haud difficulter exanimari.Horum etiam Strabo ex Oneſicrito mentionem facit libro decimoquinto. Sed quia id ferè putat fabuloſum, non grauabimur hic ſubijcere Platonici ſcientiſſimi,& medici doctiſſimi ſententiam: Legimus (inquit) in calidis quibuſdam regionibus,ac plurimo paſſim odore fragrantibus, multos gracili corpore & imbecillo ſtomacho,quaſi ſolis odoribus ali: fortè quoniam ipſa natura loci, tum herbarum & frugum atq; pomorum ſuccos fermè totos redigit in odores, tum corporum humanorum humores illic reſoluit in ſpiritum.Quum igitur uterq; (odor uidelicet,ac ſpiritus) ſit uapor quidam,& ſimile ſimili nutriatur, nimirum & ſpiritus & ſpiritalis homo plurimum odoribus accipit alimentum. Nutrimentum uero qualecunq; id ſit, per odores ſiue fomentum apprimè ſenibus & gracilibus neceſſarium eſt, quo defectum alimenti ſolidioris atq; uerioris utcunq; compenſare poſſumus. Non multum inde diſſitum eſt quod in Artoxerxe Plutarchus ſcribit, eſſe in Perſis auiculam nomine rhyntacen, nullis intus (uti aſſolet) fæculentis retrimentitijs,ſed pinguedine tantũ refertam:unde cõiectatio ſit,uento eam ali & rore. Pomi porrò præſuaui odore prorogatam aliquandiu Ariſtoteli uitam,in eius tituli libro (quiſquis ſit auctor) adnotatum comperi.Spiritum uero odoribus nutriri, argumento eſt, quòd uinum odore plenum ſpiritum ſubitò recreat, quem cætera uix tandem poſſunt reficere. Propterea primo De Ponto ita ecciniſſe uideri Ouidius poteſt,

Et iam deficiens,ſic ad tua uerba reuixi,
Vt ſolet infuſo uena redire mero.

Cuius rei cum Seneca meminit etiam Plinius:quanquam nec latet,ex ſe uinum fomenti plurimum ſuggerere: priuatimq; traditum à Dioſcoride libro quinto, uina ſæpe aliqua cenſeri σφυγμῶν ἀνακλητικά, id eſt uenarum pulſus excitare. Vaporem uero illum, in quem cibi cocti denique transferuntur,ideo appellamus odorem, quoniam & odor ubiq;, uapor quidam eſt. Et hic tractus intro ex alimentis uapor, niſi ſpiritui quodam odore placeat,uix ullum præbet illi alimentum. Quamobrem ualde probatur Auicenna,quum ait:Corpus quidem dulcedine, ſpiritũ uero quadam aromaticitate (ut ſic interim loquamur) nutriri. Galenus porrò Hippocratem ſequutus, ſpiritum non ſolum odore putat nutriri,ſed aere:aere (inquã) non ſimplici, ſed potius opportunè permixto,Tria

to. Tria demum ſpiritus animalis fomenta traduntur præcipua, aer purus & lumino-ſus, odorũ delectus, & muſicæ. Iam uero Alexander & Nicolaus peripatetici cum Ga-leno concludunt, ſpiritum uitalem & animalem ideo nutriri tum odore tum aere, quo-niam uterq; mixtus eſt atq; conformis, & utrunq; hauſtum præcordia penetrare, atque inibi percoqui temperariq; ad uitam, perq; arterias diffundi. Vterq; autem coctus ite-rum nutrit ſpiritum (ut aiunt) utrunque, præcipue uero animalem. Piſciculos multos aqua nitidiſſima nutriri tradunt: ocimum eodem modo. Mitto quibus elementis cha-mæleontem & ſalamandram nutriri, nonnulli ferant. Olympiodorus Ariſtotelis affert hiſtoriam, in qua fatetur is hominem à ſe uiſum, qui aere modò nutriretur & ſole. Qui-bus in Phædone perſimilia Plato conſcribit, & nos alibi (opinor) in hoſce libellos re-geſſimus. In quorũ pragmatia more architecti lapide nunc utimur orthogono & qua-drato, ad normam reſpondente: interim ſtructura incerta in operis farcturas, hiantes a-lioquin, cementa impingimus, ac rudes informiq; politura inuenuſtos lapides. Eſt ubi ſubſtructio placet ordinaria, ex ſimilibus conſurgens, nec incertis, ſed formæ non diſ-ſultantis, etiam ſi ad perpendiculum haud planè habeat reſponſum.

Odoratæ ſuffitionis utilitas mira. Ignes odoratos peſtilentiæ occurrere. De Agrone medico, & lindo ſpecie aromatis. Myrrha cur Aegyptiacè dicatur bal. Beelzebub. Baion. Zygia reſina. Myrine. Stacte. Gutta. Cap. XXII

SEd nec iſta modò emolumentũ, quod inſigniter nobis adeſt ex odoribus, patefecerint: ſed amplius, quæ ex ueteri comperta nobis memoria ſunt. Siquidem quum aer quo utimur plurimũ, & in quo maxime obuerſamur, non eadem ſemper ſit ratione diſpoſitus, nec idem ſeruet contemperamen-tum, ſed nocturna denſeat humectatione, & proinde corpus premat, & a-nimæ triſtitiam inferat quandam, ueluti nebula circumfuſam grauiore, Aegyptiæ mo-rem gentis animaduertimus fuiſſe, ut è lectulis ſe proripientes mox reſina ſuffirent cor pus, ut ſic aerem expurgarent diſgregatione, & innatum corpori ſpiritum aliquo mo-do tabeſcentem, odoris uehementia refouerent. Rurſum meridie ſyderis ui ex terra ua-porationem exhalantem, myrrheo retunderẽt thymiamate, diſſipat enim ac diſiicit ca-liditas aeris turbulentiam circumiecti. Nam & medicæ artis ſcientiſſimi peſtilenti affe ctione grauius graſſante, ignium crebritate malo occurſant, quod ijs rareſcere creda-tur aer. Id quod conſequitur largius, ſi odoratiora urantur ligna, cuius eſt modi cupreſ-ſus, iuniperus, piceæ. Sed & Agrona nobilem medendi ſcientia ſummè laudatum fe-runt, quòd Athenas magna peſtilentiæ ui ſæuius infeſtante, affectorum pleriſq; ſaluta-rem intuliſſet opem, accenſis in proximo ignibus. Myrrham porrò Aegyptiorum uo-cabulo bal dici, obſeruauimus. Id uero diſiectionem indicat plane. At Hieronymus, Bel (inquit) & Beel & Baal, idem Hebræis eſt: nam ijs uocibus indicatur idolum: ſicut zebub, muſcam ſignat: unde Beelzebub (etiam ſi Beelzebul Græci pronuntiant) tan-quam muſcæ dicatur idolum: ſed pro dæmonarche poſitum. Baion uero medicinam profeſſis, compoſitio eſt, cui reſina inſeritur zygia, id eſt acerna. Myrrham utiq; com-munis Græcorum lingua enuntiat, ſed ſmyrnam dicunt Aeoles, ut ſcribit Lycophro-nis interpres. Myrine autem, ſeu myrſine, myrtus eſt. Stactem dici myrrhæ florem ab aromatum peritis, Hieronymus tradit: quo nomine, primam & pinguiſſimam eius di-ſtillationem intelligimus. Græci præterea unguentum ex myrrha, ſtacten accipiunt: quam in ſanctis literis etiam guttam legimus dici. Porrò non ad myrrham ſolum per-tinet ſtacte, uerum ad liquores alios item, lachrymasq; ex arboribus ſtillatim proma-nantes. Quin & κονίαν σταχτὴν dicunt Graeci, & ſexto Therapeutices Galenus, tanquam cinerem ſtillatitium: nos cinerem lixiuium plerunq; nuncupamus. Stactum enim di-cunt defecatum & percolatum: unde ſtactica uocabantur uaſa Niloticæ aquæ defecan dæ commoda. Obiter adnectamus illud quoq;, quia diu inter odores uerſamur: apud Athenæum reperiri, lindum eſſe aromatis ſpeciem: quod etiam agnoſcit Euſtathius.

Qua ratione audiant odorentur'ue, quæ ſenſorijs eiuſmodi non ſunt prædi-ta. De piſcibus qui inclamati ueniunt. Piſcina quid. Caput XXIII

VErum haud ineptè fortaſſe uidemur facturi, ſi hoc maxime loco tractare ac diſcutere adorti fuerimus, quod decimo Naturalis hiſtoriæ Plinius propoſuit quidem, ſed inexpoſitum reliquit. Fortè quia non erat operis inſtituti cauſas iudicare dubias. Piſces quidem (inquit) auditus nec membra habent, nec foramina: audire tamen eos, palàm eſt, ut patet, quum plauſu congregari feros ad cibum conſuetudine in quibuſdam uiuarijs ſpectetur. Et in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomẽ uenire. Olfactum quoq; ijs eſſe, manifeſtum patet. Quippe non omnes eadem eſca capiuntur, & prius quàm appetant, odorantur. Hæc ad uerbum ferè comprobantur ab Ariſtotele De animalium hiſtorijs libro quarto: ab Auicenna item uolumine quarto. Sed quod ad auditum ſpectat, etiam Lucianus meminit in ſermone De Syria dea, cuius hæc ferè ſunt uerba, οὗτοι δὲ καὶ ὀνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται καλέοντοι. hoc eſt, nomenclatura item eorum eſt, & uocati inclamatiq; aduentant. Et in Epiſtolis ad Atticum Cicero, Noſtri autem principes digito ſe cælum putant attingere, ſi muli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant, alij autem negligant. Vbi propiſcium uiuarijs planè piſcinas intelligimus. Alias eſt & aquæ ſtantis locus piſcina, quod & uulgò uſurpatur. Columella Ruſticationis primo, Piſcinas minime duas eſſe oportet, alteram quæ anſeribus pecoribusq; ſeruiat, alteram in qua lupinum, uimina & uirgas maceremus. De odoratu uero & Suidas, approbans etiam conchylia odorari. Illud utiq; mirum, quum aſtipulante Ariſtotele auditus & olfactus nullum contineant membrum manifeſtum. Quod enim tale uideri poteſt per loca narium, id non ad cerebrum uſq; tranſmeat, ſed partim obſeptum & cæcum mox deſinit, partim ad branchias fertur. Quin & inſecta quoq; tam pennata, quàm non pennata procul ſentiunt, ut mel apes, & culices dicti muliones. Quòd niſi odore agnoſcerẽt, nunquam è longinquo ſentirent. Sulphuris item odore, genera inſectorum multa intereunt. Ad hæc formicæ origani ſulphurisq; puluiſculo inſperſo, ſuas relinquunt cauernas, alioqui demigrant. Sed unde nam iſta contingant? Certè (inquit Themiſtius ex Ariſtotelis ſentẽtia) alium ſenſum habere non poſſunt quo odorentur, quàm odoratum. Sed afferẽdum eſt, quo nam pacto olfaciunt, ſi non reſpirant aliqua. Videtur itaq; in ſanguineis ſenſorium odorandi eſſe diuerſum, ab eo quod in inſectis habetur. Et Hercle, ut animalium quorundam oculi præduri, cuiuſmodi uocant Græci σκληρόφθαλμα, operculo & folliculo carent. Proinde exſerti inconniuiq; ſunt. Sed ſtatim nullo diductu incidentia & occurſantia contuentur, quum aliorum oculi genis & palpebris utantur, ceu uallo quodam uiſus munimentoq; prominente: eoq; niſi nictentur & conniueant, cernere non poſſunt. Ita & odoratus inſectis piſcibusq; promptus atq; expoſitus eſt, ut uiſus duros oculos habentibus: unde munere eo ſine naribus & olfactione funguntur: at reſpirantibus adopertus & conditus eſt, qui ubi halamus adaperitur panditurq;, ampliatis uenarũ meatuumq; itineribus: quod ijs ferme uerbis Ariſtoteles De ſenſu & ſenſili expoſuit, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἀναπνέουσι τὸ πνεῦμα ἀφαιρεῖ τὸ ὑπερκείμενον, ὥσπερ πῶμά τι, διὸ οὐκ ἀδιάπνοα μὴ ἀναπνέοντα, τοῖς δὲ μὴ ἀναπνέουσι ἀφίρηται τοῦτο. sed ijs (inquit) quæ reſpiratione utuntur, flatus ipſe ſurrigit, quod inſidet ueluti operculum: quod ni fiat, non percipiunt: at quæ ſpiritus reciprocatione non utuntur, nil eiuſmodi ineſt. Propterea inquit Themiſtius, ſi quis diligenti ſubtilitate id exigat, reſpiratio non eſt cauſa odorandi, neq; dehiſcentia palpebrarum uidendi, ſed adaperiendi meatus qui odoratui obſeruit.

Ambiguitates in odorum ratione pluſculæ. Interibi enarratur Martialis.

Stilum uertere quid ſit apud Horatium primo Sermonum. Cap. XXIIII

CAeterum prius quàm ab hiſce digrediamur odoribus, non ineptè uidemur facturi, ſi quæpiam adhuc ex ueteribus theſauris delibatim carptimq; deguſtarimus. Multi (opinor) experientia magiſtra didicere, & nos quandoq; perſenſimus, florum odores καὶ τῶν θυμιαμάτων, hoc eſt ſuffimentorum, ſuauius è longinquo olere, quum in propinquo alia herbam potius redoleant, alia fumum. Miratus diu ſum eiuſmodi euentum, ambigensq; ſæpe mihi Virgilianum carmen ingeſſi,

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Deniq;

Denicꝙ quum in commẽtationes quaſdam auctoris inter philoſophos celeberrimi, ad id genus quæſtionum pertinentes incidiſſem, hanc ferè rationem comperi. Caloris ui conſtare odorum naturam, quippe odorata omnia calida eſſe: ut uero calidiſſimum quodꝙ eſt, ita & maximè leue. Proinde prouehi longius poteſt, ac ſyncериorem ſubuectare odorem ſuum à cæteris, quum foliorum odoribus, tum fumi, id eſt uaporis aquei depuratum, abiunctumꝙ qui odorem affectari uidentur: cum quo terreſtris quoque prouehatur portiuncula, quæ odore celerius ſenſum afficiat: nam inſito craſſamento calidum inibi potentius agit, uerum interſtitio longiore uicta flacceſcit euanida, calore deminuto, quamobrẽ ſenſui ingeritur odor materia defæcatiore. Quod uero amplius agitata odoramenta plenius afficiant, ratio euidens: quoniam mota plus aeris, quàm quieſcentia replent. Quo nomine celerius odoris poteſtas ſenſum pertingit. Acrius autem frigoris ui infeſtante, minus minusꝙ odoramenta perſentimus, quoniam hebeſcit retunditurꝙ tunc aeris motus, quo inuehuntur. Eſt enim frigus σκληρὸν καὶ συσταλτικόν, id eſt conſiſtere facit & contrahit. Sed nunquid ferendam cenſemus opem Valerio Martiali, cuius hi ferè ſunt uerſiculi?

Quod bis murice uellus inquinatum,
Quod ieiunia Sabbatariorum.

Scribit ſiquidem doctiſſimus poeta, Baſſam peius oluiſſe, quàm ieiunia Sabbatariorũ. Id cur non attentarunt interpretes, ne (ſicuti uiſum fortè eſt) arcẽ facere ex cloaca, aut lapidem è ſepulchro uenerari pro deo exiſtimarentur. Mihi loci huius eruditio non obuia uidetur, nec exculcata, ſed intercutanea & grauis, quam circulus pullatus neſcit. Sed comprimam me, ne (quod aiunt) admouere arietem uidear, aut oſtentare ac capta re lites. Græcum adagium eſt, ὑπερίας ὄζει, ieiunium olet: de eo cuius fœteat anima. Obſeruatum nanꝙ eſt, ora hominum qui nil dum eſitarint, grauius olere: uentre ſiquidem inani minusꝙ agitato, aer factus calidior ſpiritum excrementaꝙ pituitoſa immobilitate ſua putrefacere poteſt. Calidiorem autem effici, argumento eſt, quòd uel ſitim parere ieiunium poteſt. At ubi ederimus, ciborum odore hebeſcit prior graueolentia, aut interextinguitur. Sed enim ex medicorum item myrothecijs mutuemur aliquid, quod lecturos blandè moretur ſcitamentis haud aſpernabilibus prorſum. Elegantiſſima eſt, & breuitate amabili Hippocratis ſentẽtia. Menſes duci aromatum ſuffitu, quæ ſæpe (inquit) ad alios uſus reciperentur, niſi caput tentarent. Eum locum, qua ſolet ſubtilitate perpendens Galenus, poſtea quàm docuit, cur menſtruorum ſubſiſtentium affectioni aromata ſuccurrant, quæ conniuentes diſcludunt cõceptaculorum clauſulas, & materiæ craſſamentum extenuant, mox ita infert propemodum: Concinnare capitis dolorem aromata omnia, tum uſus commonet, tum inſinuat rationis examen: ſiquidem excalfaciendi poteſtate prædita omnia, caput pertentant aggrauantꝙ: quippe nutu ſuo ſuperna calor appetit. Quum uero huiuſmodi ſit uniuerſim aromatum genus, ac potiſſimum caſiæ, coſti, cinamomi, amomiꝙ, ambiguitatis nubilum diſcuti inde facillimè queat. Quod uero Hippocrates idem alibi ita prodit, Si mulier non concipit, & ſcire placet an concipere poſſit, ueſte obuolutam ſuffies infra, nam ſi odor tranſmitti per os ad nares uidebitur, non eſſe ſua culpa ſterilem, cognoſces. Galenus: In his (inquit) ſolis, nequaquã efferuntur odores ſuffitionis ſubeuntes, quibus confuſum, obſeptum, occæcatumꝙ os uteri eſt: tale uero nequaquam cenſetur ad ſobolem ſuggerendam accommodum: nam & aliubi Hippocrates, Quæ frigidos ſpiſſosꝙ uteros habent, non cõcipiunt. Quoniam uero ſæpiculè poeticos excutimus ſcrupos, nec id cuiuſpiam depompationi (ut uerbo utar Hieronymi) neꝙ enim hiſtricoſa mens eſt nobis, ut ſpinis hunc illum perfoſſum uelimus, ſed publico iuuenum ſtudioſorum bono, admonitum uolumus ſcientiſſimum quenꝙ, nil eſſe in hoc ſcriptorum genere per incuriam tranſiliendum. Quod uirum lectionis uberrimæ Politianum, dum ageret etiamnum in humanis, commonuiſſe, ſat notum eſt: quum diceret, Horatianum illud ex Sermonũ primo, perperam à male feriatis enarrari,

Sæpe ſtilum uertas, iterum quæ digna legi ſint
Scripturus: neꝙ, te ut miretur turba, labores

Contentus paucis lectoribus.

Nam (inquit) ſtilum uertere, eſt inducendi expungendiq; cauſa, ſtili partem exacuminatam ſurrigere qua ſcribimus, altera quæ retuſior eſt aut latior, proclinata, & ſcriptis delendis impacta. Quippe Hieronymus quoq; meliorem ſtili partem uocat, quæ peiora de auctoribus confodiat eradatq;. Cicero Actione in Verrem quarta, Quum hæc ad iſtum afferrentur, timuit aliquando, & commotus uertit ſtilum in tabulis ſuis. Quo facto, cauſam omnem euertit ſuam. Sed & in Ruffinum idem Hieronymus, Ilicò uertis ſtilum, & omnia laudata prius uituperas.

Vbi nam ſit odoris ſenſorium. Martialis illuſtratur. Quid muſcus, & moſchos. Zibettum. Zapetion. Moſchion. Alabaſtrum, & alabaſtrites unde. Bryodes. Bryon. Vocabula plura ad odorem ſpectantia. Oletare quid. Situm ſentire. Ozanica. Ozæ. Obolere. Mephitis. Caput XXV

QVum primum Canonis Auicennæ relegeremus, multa inde præcerpentes quæ in hoſce libellos (ut ſe oſtentauit occaſio) regeſſimus, placitũ eſt, quandoq; interpretis ſpatioſa adire uireta, ut adiutum irent illa quoq; lucubrationes noſtras. Inter alia nec ſanè pauca, ingeſſit ſe quod inſtituto noſtro uiſum eſt adminiculari: Ariſtoteles inquit duodecimo De animalibus, naribus inſitum odoratus organum arbitratur. Galenus uero & medicinam profeſſi omnes, ſenſorium hoc in parte cerebri antica ſtatuunt. Nam octauo De utilitate particularũ, Odoris (inquit) ſenſorium prope craneum uidetur conſtructum in uentriculis cerebri anterioribus, ua poroſum continentibus ſpiritum. Sed & ipſum id in libro De ſenſu & ſenſili, non inficiatur Ariſtoteles, fortè eorum oblitus quæ prodidiſſet alibi. Euidens autem argumentum, non ineſſe naribus odorandi poteſtatem ullam, quòd illis ſi admoueantur odorata, nequaquam percipi ualent, niſi ad ſuperna prouehantur, quod ſpiritus reciprocantis ui contingere, ſecundo De anima commentatur Philoſophus. Spiritu enim retento, etiã ſi inferatur naribus odor, ſenſus perfici nullus quiuerit. Verum, poſt tot ac tanta de philoſophiæ prompta ſacrarijs, iam & grammaticam inſtruamus ſupellectilem: ne (uti ferunt) à curru uidear excuſſus, & à præſcripto longius proripi: quanquam Scytharum more ſæpius ad lætiora conſurgam pabula. Muſcum, qui & nunc in delicatiorem uſum uenit, ab Hieronymo dici quandoq; peregrinũ murem, ſunt qui opinentur. Nam muſcum, id eſt μύσκον, murem paruum, planè indicare. Sed hoc odoris genus priſcis fuiſſe incognitũ, Hermolaus putat. Nec muſcum dici, ſed moſchon. Haberi autem ex arboribus arentes pannos muſcoſo uillo, præſtantes odore. Quod genus Bryon dicant Græci, nos muſcum. Moſchos autem apud Aetium & Paulum, Capreæ ſanies creditur, quam Dorcada dicunt, ex umbilico, aut uomica. Ambigit denicq; Hermolaus idem, an muris peregrini pellicula ſit ex animali, unde habeatur zibettum, quod dicãt recentiores Græci zapetion. Moſchia uocant item Græci conceptacula in cepis quædam ſemen adſeruantia, & ad maturitatem perducentia. Odoribus ſeruandis concinnata uaſcula uocãt Græci alabaſtra, quod læuoris ratione uix teneri queant, unde conciliatum lapidi nomen alabaſtritæ, ex quo fierent aptiſſimè, ſoliditatis cauſa & frigoris. Bryodes dicitur à Græcis odoris mali: ſed apud Galenum uocatur ſic, quicquid eſt algæ ritu fragile, quam appellant bryon, etiam ſi eo uocabulo muſcus intellígitur ſæpe, ut diximus. Inodorare eſt odorem ſuum agglutinare. Columella libro duodecimo: Halia (inquit) ſi luna infra terram poſita, ſerantur, & ſic poſtea recondantur, nec acerrimi ſunt ſaporis, nec mandentium halitus inodorantur. Scribit M. Tullius Epiſtolarum ad Atticum libro ſecundo, ſic: Quanquam illa tua horridula mihi atque incompta uiſa ſunt, ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerãt, & ut mulieres, ideo bene olere, quia nil oleant, uidebantur. Ad hæc uero Martialem parte aliqua reſpexiſſe, palàm fit amplius intuenti:

Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet.

Id uero ex Arbitro eſſe, Hieronymus teſtatur, ubi ait: Cincinnatulos pueros & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pellicula: de quibus illud Arbitri eſt, Non bene olet, qui ſemper bene olet. Situm ſentire dicuntur, quæ nimis inueterarunt, & redolent

mucum

mucum quendam. Id Dioſcorides appellat apophoram ἀποφορὰν, quod ex Plinio agnoſcas licet libro duodecimo. Sicuti apud Theocritum, ni fallor, γλυφάνου πρόσζιν dicitur, quod ſculpturam recipit etiamnum. Ozanica in Dioſcoride uidentur eſſe olfactoriola. Ozas tamen dicunt onagrorum coria. Sed & apud eundem pluſcula obſeruauimus, præſens negocium iuuantia: ſicuti illud ἀρωματίζειν, quod aromata redolere ſignat, ut nardum ναρδίζειν: nam ἁλμυρίζειν eſt ſalis guſtum habere, μελανίζειν, nigricare: πορφυρίζειν, ad coralij uergere colorem: οἰνίζειν, uinum reſipere: ῥοδίζειν, roſam: πράγιζειν, hircum: κασίζειν, caſiam: at χρυσίζειν, eſt in auri colorem reclinare: πιπερίζειν, piper ſapere. Obolere uero in malum capitur: ſemper enim de tetro & illiberali odore dicitur ferè, ut Plauti Moſtellaria manifeſtum facit;

Oboluiſti allium germana illuuies.

Oletare in ueterum doctrina eſſe uidetur, olidum facere: manifeſtius ex lege id fit, qua ſubnotatum aduertimus, Ne quis aquam oletato dolo malo, ubi publice ſalit: ſi quis oletarit, ſeſtertiorũ decem milium mulcta eſto. Mephitim deam intelligũt odoris grauiſſimi. Mephitis templum ante Cremonenſium mœnia fuit quandoq́, loco ſeu numine defenſum, ubi exuſta eſt Cremona Vitellianis Flauianiſq́ bellis, anno poſtea quàm condita fuerat ducẽteſimo octogeſimoſexto, T. Sempronio & Cornelio conſulibus, ingruente in Italiam Annibale. Olacitatem, odoris accipimus grauitatem.

Puſtulas in naſo, & ionthos quid ſignare coniectarint ueteres. Pſydraciũ quid, & ionthos, & unde. Vari in naſo. Amantium blandimenta aduerſum amatos. Grypi qui. Puſula. Puſulæ oues. Ignis ſacer. Cap. XXVI

SVperſtitionis antiquæ ueſtigia in Græcorum commentariolis pridem obſeruauimus, quæ & uarietatis gratia quam anxiè nimis ac ſolicitè affectat plerunq́ humanus animus, huic loco ſuppingam: Moris eſt (inquiunt) non nullis, quæ naſo adnaſcuntur pſydracia (eſt autẽ eo nomine puſtula durior, acuta, ſubalbens) nuncupare mendacia, quoniam ferè ſint mendaciloqui argumenta. Sed & ad ipſum id ſpectat, quod lectum quoq́ eſt: Siculos conſueſſe, ionthos qui ſeſe parte eadem oſtentant, ψόυσας appellare, id eſt uanos mendaces q́: quia id genus homines per ea naturæ indicia plane ſignificarentur. Sunt autem in hoc propoſito, quos Latinè uaros recte dixeris. Vocari autẽ ſic arbitrantur, uel quod ætatis flore protuberent, aut ab onthos, quæ res ſimum indicat, quia faciei ſint dehoneſtamento, quod ὀνθιλόυειν dicitur. Sciendum tamen primum prodeuntes pilos ionthos quoq́ ſolere nuncupari, ratione uocis ab ἰφύω deflexa, & ἀνθεῖν. Illud uero quod Plato ſcribit, & recenſuit Plutarchus, non tam ſuperſtitionis fuerit, aut obſeruationis ſuperfluentis, quàm amatorij prorſum eblandimenti, quod niueo ſpectabiles candore, ut deorum uenerabantur filios, nigredine quadam ſuffuſcos, ut uiriles in primis. Grypos uero regios opinabãtur; nam & Perſæ id genus homines aduncò naſo amplexantur præcipuè, quod eiuſmodi fuiſſe Cyrum, proditum annalibus ſit. At ſimos, gratioſos appellabãt. Pallentes autem μελιχρόυς ſalutabant, & oſculabantur, ceu flaueſcentes dicas, & mellis colorem præferentes. Obiter ſciendum puſulam à puſtula eſſe diuerſam, quippe ſacrum ignem paſtores puſulam uocant, unde dicantur oues puſuloſæ.

Sternutamentum cenſeri quandoq́ ominoſum & inauſpicatũ. Catullus & Propertius explicantur. Interim quæ dicãtur ſperaſtra. De ſternutamento plura ex literis interioribus. Symbolum quid. Singultus unde fiat. Ptarmica. Ornis quid. Cap. XXVII

IEgebamus dum iſta euigilarentur literarum bonarũ candidatis, enarratiũculas in Theocritum quaſdam, etiam ſi conciſas admodum & deminutas, tamen haud omnino aſpernabiles: nec in quas Græcanicũ illud, & quidem Theocriti eiuſdem, naſutior reiectet aliquis, οὐδὲν ἱερὸν, nil ſacrum, aut magnum. Inter alia uero & illud quod excerpemus arriſit, adnotatum Idyllio, cui titulus Thalyſia: ex ſternutamentis prodeſſe nonnulla, ac ſignificare proſperius, alia uero cenſeri ominoſa prorſum & inauſpicata: unde Theocritus,

ὣς σμικίδια οἱ ἐργάται ἐπτάρομεν.

id eſt Simichidæ inſternuerunt amores. Et in re ſequundiore Homerus,
οὐχ ὁράας ὅμοι υἱὸς ἐπταρεν;
Nonne uides quod mihi ſternuit filius? Verum apud Theocritum, ὦν τᾷ χειρονι μοίρᾳ. Id eſt, in partem malam accipiendum eſt ſternutamenti præſagium. Sed & Athenienſium imperator Timotheus claſſe in Corcyræos dimicaturus, gubernatori ſuo qui proficiſcenti iam claſsi ſignum receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam ſternutantem audierat, Miraris (inquit) ex tot milibus unum perfrixiſſe? At conſultantibus Græcis poſt iunioris Cyri interitum, quo maxime modo ex Aſia in Græciam remearent Barbaricæ fraudis reclinata ſæuitia, fertur quidam interim ſternuiſſe: quod quum audiſſent milites, impetu uno deum ſunt uenerati, Iouis quem Sotera dicunt, arbitrantes augurium. Ad hæc autem uel ſponſione contenderim, Catullum reſpexiſſe, à quo de amore proditur ſic,
Dextra ſternuit approbatione.
Sed & Propertium,
Num tibi naſcenti primis mea uita diebus
Aridus argutum ſternuit omen amor?
In cuius loci enarratione afferri modo ab eruditis ſolent, quæ prodit in quæſtionibus encyclicis Ariſtoteles (Etenim cum fide promuntur omnia, ne comatulum iſta forte reſipiant caluum. Quæ eſſe uelut ſerperaſtra paulo impolitioribus, ſummè optamus: quæ diſcentibus ambulare infantibus, ut Varro ſignificat, adhibentur alligata genicu lis, ne uaciæ fiant, uel compernes.) Tres eſſe partes noſtri corporis principes, caput, thoracem, & aluum: quumq; efflatus alui reſpiratio ſit, ructus uentriculi, ſternutamentum capitis, quæ pars ſacra præcipue eſt, ſpiritum hinc exeuntem, tanquam ſacrum ueneramur & adoramus. Porrò ſternutamentum bene caput ualere poſſeq; concoquere, indicio eſt. Perinde igitur quaſi bonæ indicium ualetudinis partis optimæ atq; ſacerrimæ, ſternutamentum adorant, beneq; augurantur. Sed & alibi Ariſtoteles idem auſpicatiora putat, poſt meridiem facta ſternutamenta. Adnotatum quoq; ab Alberto eſt, augurum ſcientia contineri, eſſe ſternutamentum ueritatis ſignum, & liberationis prognoſticum ab inſidiarum diſcriminibus. Sed uel unius auctoritas Euſtathij Iliados rhapſodia ſeptima, quod adſtruimus manifeſto probat: nam ὁ ἐκ δεξιῶν πταρμὸς οἰωνίζε πό πι ἀγαθὸν inquit, ut opinati ueteres ſunt, id eſt à dextris ſternutamentum boni augurabatur quippiam: ſic & oculi dextri palmus. Auctor in Parallelis Plutarchus, ante prælium nauale cum Barbaris, Themiſtocle immolante, claram è ſacris flammam refulſiſſe, inſimul & ſternutamentum dediſſe ab dextris ſignum. Quid quod libro primo De doctrina Chriſtiana ſcribit Auguſtinus, Veteres lectum ſolitos repetere, ſi dum inducitur calceus, ſternutamentum obtigiſſet. Symbolum uero Græci nuncupant, quod ex ſternutamẽto concipitur, augurium. Illud autem grauius multo, quod ſeptimo Sententiarum Hippocrates ſcribit, Sternutamentum fieri ex capite cerebro calfacto, aut humectato eo quod in capite inani: aer namq; intus contẽtus, extra erumpit: ſonat autem, quoniam per anguſtũ ipſi exitus eſt. At Galenus inquit, Non omne ſternutamentum fit cerebro calfacto, aut humefacta parte capitis inani: quippe pinnulis quidã irritantes nares ſternuunt, & cum tuſſi ſpiritus permeans deorſum ad naſi meatulos ſternutamentum concinnat. Sternutamẽtum itaq; de capite tantummodo prouenit, ſi natura deſiderio expellendæ materiæ ſufflantis ad ſecretionem commouetur. De huiuſmodi autem Hippocratis ſanctio facta eſt, neq; forſan de quouis tali. Si quid enim ex ſuperet humoris in capite, nequaquam gignit ſternutamentum, niſi ad ſpiritum uertatur. Patet id, multi enim non ſternuunt, quorum de naribus humoris copia ſecernitur. Soli enim ſternutant qui ita affecti ſunt, quibus mordax ea eſt quæ à capite fluit humiditas: ceu ſi quid mordax naribus imponas. Vt enim tuſſis accidens eſt ad expurgandas pulmonis arterias aſperas naturale: ita ſternutamentũ narium canaliculas perpurgat. Cæterum quod ait Parte inani capitis, ut eſt potiſſimum de cerebri uentriculis intelligendum, ita de eo quoq; quod extrinſecus ambit cauo, inaudiendum. Scribit alibi idem Hippocrates: Mulieri, quam uteri uitia infeſtant, aut quæ difficulter parit, ſi ſternuta-

nutamentum ſuperuenit,bono eſt.Ratio autem eſt,quia indicat naturã iam intermortuam expergefieri & reuiuiſcere,necnõ propriarum meminiſſe motionum: interdum regeruntur & retrimenta aliqua.Nam in libro De cauſis accidentium tradit Galenus, ita eueniens ſternutamentum prodeſſe,quia uehementiore concuſſu atq; feruore partim quidem excitat naturam,partim uero excernit quæ tenacius impacta ſint partibus corporis.Sic enim & ſingultum ſolet ſanare, quod ex Hippocratis item hauſtum fontibus eſt:quanquam ſingultui ob euacuationem euenienti,etiam ſi raro id fiat, ſternutamentũ nequaquam medetur.Fit uero ſubinde ex repletione ſingultus, ſicuti in puerulis uiſimus.Item calor & frigus neruoſa replent corpora, quia tãtiſper reflari triſtius queunt,& ob eam rem ſingultiunt. At dicat aliquis, Vbi nam remur ominoſum eſſe ſternutamentum? Medicinam profeſſi plenius utique ſatisfecerint. Nobis interim Plinij auctoritas ſufficere poterat,quam uel Gellius repetit:Oſcitatio(inquit)in enixu le tali eſt:ſicuti ſternuiſſe à coitu, abortiuum. Niſi ex tertio Canonis Auicennæ, capite proprio,ſuccurrerent paucula quæ mutuaremur, ad hoc ipſum pertinentia, ne (quod inquit Lucianus)piſtrinum perinde ac palatium amemus: Pernoxium, inquit, cenſetur ſternutamentum initio decumbentis catarrhi & coryzæ,quod tunc humori decoquendo neceſſaria ſit quies:augeſcitq; adeo in febribus quandoq; affectio hæc, & cum ſimilibus, ut uirtute deiecta, ſuperfluenti materia caput oppleatur,proueniatq; interdum ſcotomia:quamobrem reprimi confeſtim debet, ne & ſingultum concinnet grauiorem concuſſu. Illud ex Græcorum doctrina leuius aduertendum,ſternutamentum quandoq; pro ſenſu capi ſimpliciter, quia ſit ea affectio capitis ſenſus: uel quia feſtuca prætenui,nares ſi irritemus,obuenit ſternutatio. Siquidem in Ariſtophanis comœdia Dionyſius percuſſus ac plagam diſſimulans,dicenti,Iam te conuerberaui: reſpondet, πῶς οὐκ ἐπταρον; id eſt,qua ratione non ſternui? quod eſt,inquit interpres,οὐκ ἀδόμην; id eſt,non ſenſi. Perinde ac innueret,non ſecus plaga ſe affectum,ac feſtucæ leuioris tactu affici nares conſueuerint.Ptarmica dicuntur Græcis & Aeginetæ Paulo,ſternutatoria,id eſt quæ ſternutamentum prolicĩt. Denicq; illud adnotaſſe, nil(puto)obfuerit, dici quandoq; Græcis ſternutamentum etiam ὄρνιν. Eſt quidem eo nomine auis quæcunq;,ſed priuatim unde cõcipi augurium ualet, indeq; quicquid augurium uel omen facit:quin & diuinatio ipſa ornis quoq; dicitur.

Cyclops excæcatus qui ſit.Cyclopei ludi qui intelligantur:item Teuthidi ſimilis,& quid teuthis.Interibi cur Antimachus diceretur Pſecas.De ſepia et loligine.Titanicis malis que intelligantur conſimilia. Cap. XXVIII

Cyclops excæcatus,adagium eſt ſcitiſsimum de potentia magna, quæ ducis prudentia,quam eſſe animæ oculum, honeſtiſsima quadam metapho ra Plato dixit,exuta &(ut ſic loquar)exoculata ſit. Notior eſt fabella de Polyphemo ſaturoſi prævalidiq; corporis, ſed ab Vlyſſe aſtutiſsimè occæcati,quàm ut harum lucubrationum ſtudioſis ea nunc ingeratur à me. Nam & inde Cyclopei nuncupantur ludi, quum ſaltans in ſcena inducitur Cyclops Polyphemus. Vnde Horatius de Sarmento & Oſco ore fœdo & facie turpiſsima, ut laruam diceres,

Campanum in morbum,in faciem permulta iocatus,
Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa rogabat,
Nil illi larua,aut tragicis opus eſſe cothurnis.

Meminit in Galienis Pollio Trebellius: Cyclopea,inquit,luſerunt omnes apenarij, id eſt uehicularij:uel ut alij legunt,arenarij. De apene nos alibi hoc opere. Tria uero Cyclopum genera Græci agnoſcunt, unum eorum qui Mycenas mœnibus communierunt,alterum eorum qui cum Polyphemo memorantur:tertios intelligunt deos. Prouerbij origo ab hiſtorica demanauit fide: etenim poſteaquã ueneno interijt Magnus Alexander,ſicuti Plutarchi doctiſsimi teſtantur monumenta, dixit Demades orator, ſiue is Leoſthenes fuerit,ſicuti adnotatum alibi comperiſſe uideor,copias illius bellandi artibus & ſtrenuitate longe præcipuas Cyclopi excæcato uideri conſimiles, quoniam robore peritiaq; præcellerẽt,ſed duce, qui electiſsimum exercitum rite ductaret,

forent

forent exorbatæ. Cui ferè compar uidetur facetiſſimum in Eretrienſes Themiſtoclis cauillum, quos ille dictitabat Teuthidibus perſimiles, μαχαιραν μὲν ἔχειν, καρδίαν δὲ μὴ ἔχειν. hoc eſt, habere quidem gladium, cor uero non habere. Teuthidas autem eſſe quidem piſcitij genus ferè conſtat: ſed quodnam ſit, parum conuenit. Plutarchi interpres gladiolos reddidit, quia ſenſui (ut opinor) cõgruebat maxime. Eos uero piſces, xiphias ab Ariſtotele De animalium hiſtorijs libro ſecundo & libro octauo nũcupari ſcimus: & Plinius gladios interpretatur, quibus figura creditur nomenclaturæ occaſionẽ præbuiſſe. Rerum quidem (inquit Plinius) non ſolum animalium ſimulacra ineſſe, licet intelligere intuentibus uuam, gladiũ, ſerras. In Parallelis Plutarchi eadem affertur Themiſtoclis ſententia: ſed fluctuans interpres, teuthidas tantum nobis reddidit. Sunt ex Græcis, qui teuthidas nunc ſepias interpretentur, nunc uiliorem piſciculum, qui & in prouerbiũ uenerit, de ijs qui inopia arctiore uel minima & uiliſſima corrogare cogun tur. Nam Ariſtophanes in fabula cui titulus ἀχαρνῆς, Antimachum taxans cognomento Pſecada: quoniam eos quibus cum obuerſaretur, diſſerẽdo roris uice aſpergeret: ros enim, pſecas Græcis dicitur, & gutta: ita ſcribit,

οὐ γὰρ ἰδοιμι τευθίδ' ὃς δέομενος.

id eſt, quem etiamnum uideam teuthide indigentem. Apud Ariſtotelem libro De animalium hiſtorijs quinto, ubi Græcè ita eſt, πολύποδάς καὶ σηπίας καὶ τευθίδας. Plinius & Theodorus, polypos, ſepias, loligines interpretantur. Et paulo pòſt iterum, ἁλὲ σηπίαι καὶ τευθίδες νέουσιν ἅμα συμπεπλεγμέναι. hoc eſt ad uerbum, Sepiæ uero & loligines natant implicitæ ſimul. In cauſis naturalibus apud Plutarchum, problema eſt de teuthide, Cur nam ea ſeſe oſtentante, hyemis magnæ fiat præſagium: & uir quidam planè doctus ſepiam eſt interpretatus. Cur (inquit) teuthide apparẽte, tempeſtatis magnæ ſignum? An cuncta natura mollia horrídula ſunt, quod carne nuda ſint & tenuia, quãdoq; neq; cruſta neq; pelle neq; ſquamma obtecta obſepta'ue, ſed intus durum & oſſeum habeant, ideoq; mollium etiam appellatione cõflata, proinde ſtatim ex ſenſus facilitate hyemem præſagiunt? Qua ex cauſa terrã petit polypus, ſaxa corripiens paruula. Verum, frigus declinans, ac quí in imo maris cooritur tumultum, proſilit etiam teuthis, quando ex mollibus uniuerſis uel præcipue mollicula eſt ac iniuriæ opportuna. Itidem & Strabonis interpres libro tertio, teuthida ſepiam accipit. Fuit & Arcadiæ ciuitas Teuthis, & eodem nomine dux in Aulide cum Græcis alijs, quem tamen Hornytum uocant quidam. Hic cum Agamemnone diſſidens, quum abducturus uideretur ſuos, ſuadente Pallade ne faceret, deã uulnerauit in femore. Reperitur & Teuthos, ab Teuthide, ut inquit Athenæus, ſola differẽs magnitudine. Sed & libi genus dicitur teuthis, id eſt loliguncula. De ſepijs & loligínibus pronũciat Matro apud Græcos poeta, piſcium ſolos noſſe, quid album ſit quid'ue atrum. Ab Cyclope uero excęcato haud diſſitum ualde eſt, quod ex Græcis doctiſſimus pronunciauit. Romanum imperium poſt Neronis interitum Titanicis fuiſſe malis perſimile, quoniam in multa diſiectum conuulſumq; ſæpius, in ſe tamen concideret.

Principem eſſe neceſſariũ rationibus aliquot colligitur. Nullum eſſe homine ſocialius animal. Caput XXIX



QVia uero principem unum aliquem uideri neceſſariũ, paulo antè ex prouerbij ratione digito (ut ſic dicam) monſtrauimus, ſubit nunc illud affluentius, ac penſiculatè amplius perſequamur. Nam Solomonis ſentẽtiam eſſe nouimus præclaram, Vbi non eſt gubernator, diſſipabitur populus. In omnibus profectò, quibus certus aliquis eſt propoſitus finis, in quibuſq; ſic aut aliter procedere contingit, opus eſſe digerẽte aliquo, propemodum conſtare uideo, ſi ad præſcriptum modo finem perueniendum. Neq; enim nauis uentorum flatibus expoſita diuerſis in portũ appellat unquam, niſi id agat præſidentis induſtria. Sed eſſe homini finem quendam propoſitum, ad quem uita & actiones tanquam ſcopum dirigantur, nõ eſt (opinor) qui ambigat: etenim per intellectum agit, cuius eſt ex fine operatio. Diuerſo autem calle ad eum ipſum homines perduci, ſtudiorum diuerſitate notiſſimum. Proinde aſſiſtat neceſſe eſt quiſpiam, à quo intendatur dirigaturq; ad

finem

ſitem, ad quem inſito rationis lumine ferimur. Quod ſi in ſolitudine agere poſſemus, ut bruta pleraq́, minus utiq́ principe aliquo indigere uideremur: tunc enim ſibi unuſquiſq́ rex foret, Deo tantum regi obnoxius, diuinitusq́ nobis lumine contributo, & ſe & ſua diſpenſaret. Cæterum ingenitum homini eſt, ut ſit & dicatur ſociale animal. Naturalis id manifeſtum neceſſitas facit. Cæteris namq́ animalibus & plantis uariè tegumenta natura tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, uillos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, uellera. Hominem tantum nudum, & in nuda humo natali abiicit die ad uagitus ſtatim & ploratum, uti grauiſſime Plinius ſcribit. Sed enim omnium loco diuina illi ratio eſt attributa, cuius illuſtratione longe plura manuum adminiculo ualeat comparare. Quæ tamẽ uſu multiplici unus haudquaquam aliquis impleuerit. Proindeq́ in ſolitudine non ſine incommodis quàm pluribus & maximis degere queat aliquis. Adde, quod cæteris naturæ ſponte perſpecta cognitaq́ uidentur quæ proſunt, quæq́ nocumento ſunt. Aliquibus etiam induſtria quadam naturali, herbę quibus medicatis ineſt, notæ ſunt: item uitæ neceſſaria multa. Quorum homini cognitio tantum eſt communis, ut qui poſſit per rationem ex uniuerſalibus principijs ad ſingulorũ perceptionem, quæ degendæ uitæ creduntur neceſſaria, peruenire. Quæ quum numeroſiora ſint, unus propriæ rationis ui nequaquam attigerit: propterea ſocietas rationali eſt animali peculiaris, ut alterum alterius adminiculo adiutum, refotum inſtructumq́ facilius poſſit ex naturæ propriæ dignitate tempora tranſmittere. Quid, porrò, oratio huic animantium uni tradita, quem habere uſum in ſolitudine ualeat? Etenim reliqua communi quodam modo affectiones patefaciunt ſuas, ueluti canis iram latratu. At homo ſermonis cõmodo conceptus animi uniuerſos ualeat explicare. Ex quibus omnibus facile colligas, illum cæteris quotquot ſunt, etiam quæ uidentur à congregatione non omnino reuulſa, ſocietatis facile capaciorem. Itaq́ in Eccleſiaſte Solomonis chria ſummè approbatur. Præſtare amplius, eſſe duos quàm unum: quod adſit mutuæ ſocietatis emolumentum. Quæ quum ita ſint, nimirum & illud maxime neceſſarium conſequi aptiſſimũ eſt, Vnum aliquẽ eſſe debere, cuius conſilio & prudentiæ reliqua ſubijciatur multitudo. Alioqui multis cohabitantibus, & unoquoq́ ſua cõmoda procurante, nullo negocio dilaberẽtur res, ni princeps aliquis præſideret, qui publico bono, tanquam mitis parẽs (ut ab Homero dictum) conſuleret. Sicut & hominum cæterarumq́ animantium diffluerent corpora, niſi uis aliqua foret excellentior, quæ aſſiſtens membrorum aleret cuſtodiretq́ compagem. Igitur neceſſe eſt, præter id quod mouet ad proprium uniuſcuiuſq́ bonum, eſſe item quod cõmune omnium diſtribuat, componatq́ bonum. Nam & in omnibus quæ in unum ordinantur diſponunturq́, quiddam principis gerens uicem, ſiquidem in corporum uniuerſitate corpus primum, id eſt cæleſte, reliqua corpora quodam diuinæ prouidentiæ munere ordineq́ diſpenſat atq́ moderatur. Omnia uero animantia rationale animal regit. Hominem ipſum diuinior anima. Inter animæ partes iraſcibilis & concupiſcibilis, moderamini rationis ſubijciuntur. Inter membra corporis, unum eſt præcipuum, cuius uelut nutu quodam reliqua agitantur: id uero eſt caput, ſiue (ut malunt alij) cor.

Cuius deceat eſſe modi principem. Duplex eſſe in natura regimen. Cur homo, minor mundus. Caput XXX

SEd enim quia iſta uidemur ſcitius muſſitare, urgeat nos forte ſcrupuloſior aliquis, Qualem credamus oportere eſſe ciuitatis principem, & cuiuſmodi eius officium ſanciamus. Non erat quidem in animo operis initio tam crebriter in haſce diuertere florum amœnitates, quæ altius requirunt examen: uerum, quoniam (ut ille ait) theſauros eſſe oportet, non libros, quid in uoluminibus auguſtioris ſcientiæ, uelut lucis denſitate ac religione horrentibus, uenati ſimus, ſubnotando quæ digna ſcitu occurrebant, publico ſtudioſorum bono iam hinc proferre ordiemur: nulla in parte (quod M. Varro inquit) my facientes, id eſt hæſitãtes, aut etiam ſubuerentes, perinde ac ij qui uix proloqui audent. Et primũ quidem id obſeruandum amplius: Quæ ex arte ſint, ea imitari quæ ex natura habentur. Ex quibus id promitur, ut de rationis inſtituto ualeamus operari. Proinde regis munus id optimum præſantiſſimumq́

tiſſimumq; cenſendum, quod ab uniuerſalis principatus forma demanare uidetur. Deprehenſum porrò eſt, in natura rerum duplex eſſe regimen: uniuerſum, & particulare. Vniuerſum quidem, quoniam præpotentis Dei moderatione omnia contineri, nemo non, qui modo conſtet mente, dabit facile. Particularis autem principatus præcipue diſpẽſationi diuinæ perſimilis in homine reperitur. Quem ea ex cauſa etiam minorem mundum dictitari, perſæpe uidemur legiſſe, quod uniuerſi moderaminis in ea compe riatur forma. Nam quemadmodũ uniuerſa corporea creatura & uirtutes ſpiritales omnes diuino ſubijciuntur gubernacũlo, compari modo & membra corporea & animales uirtutes magiſtra ratione reguntur: atq; eodem ferè pacto ſe in homine ratio habet, ut Deus in mundo. Verum ſimilitudo moderamenti huius, ratione quoq; alia librari perpendiq; poteſt. Hæc ſiquidẽ in nobis eſt, nõ ſolum quia ratione regatur homo quilibet, ſed etiam quoniam hominis unius præſide ratione multitudo gubernatur. Quod regij muneris maxime uidetur: quando & in animãtibus quibuſdam quæ ſocialiter uiuunt, quædam regiminis huius conſpicitur proportio, ueluti in apibus: nec id tamẽ rationi imputandum, ſed naturæ inſtinctui à ſummo regẽte inducto, qui & eſt & dicitur auctor naturæ. Quamobrem id regi principiq; uiro diſpiciẽdum in primis, ut regno ita demũ ſibi præſidendum opinetur, ſicuti corpori præſidet anima, & amplius uelut mundo deus. Quæ ſi quis uehementius excuſſerit, altiusq; menti opinatus fuerit infigẽda, & quodãmodo inurenda, pernoſcet illud excellentiſſimũ, quum in ſeipſo iuſtitiæ amorem ardentius accẽſum iri, dum ſubinde repetet ſecum, ad id prouectum ſe, ut præcelſi illius agentis uice iudicium exerceat in principatu, tum autem ſuborietur manſuetudinis & clemẽtiæ lenitas, dũ ſingulos ipſi obnoxios perinde habet ac corporis ſui membra, cogitabitq; id ſolum fulmen quod Iupiter mittit placabile eſſe: pernicioſum id de quo deliberauit, & (ut Seneca inquit) alijs quoq; dijs auctoribus miſit. Quia louem, id eſt regem, prodeſſe etiam ſolum oportet: nocere nõ niſi quum pluribus uiſum eſt. nam & M. Tullij circumfertur ſententia, Infelices haberi eos, qui omnia ſibi licere exiſtimarunt. Perpendet illud quoq; in Græcorum literis iactatum: à capite piſcem primũ computreſcere. Quo ſignificatur obſcurius, principem uirum inſigniter turpem, mox dare labem in plures. Huic enim nõ magis latere contingit, quàm ſoli inter tot collucẽtes ſiderum oculos. Vna eſt clementia, quæ ex uirtutibus omnibus præcipue hominẽ addecet, quando humanior nulla eſt. Neminem tamen inſignitius illuſtriusue conſpicuum facit, quàm principem uirum: quanquam contemperamentũ id eſſe adhibendum non latet, uti nec promiſcua ſit ac uulgaris, & deplorata ingenia à ſanabilibus non diſtinguat, nec rurſum abſciſſa. Talem ſe ciuibus ſuis præſtare princeps debet, cuiuſmodi deposcat deum ſibi. Et, quod parentes faciunt, nunc obiurget, nõ nunquam blande, quandoq; & minaciter ſe gerat ad decretorium ſtylum accedat rarius. Tunc demum ultima experiri decuerit, quum cætera ferè ſint conclamata. Sed uno cludam uerbo: ſciat princeps eſſe ſe, reipublicæ ſuæ animũ, illam uero corpus. Quo nomine apud eum Lucio Tubulo, qui apud Lucilium amarulẽtè, ut rapinator, impius ſacrilegusq; proſcinditur, & id genus alijs, eſſe nullus poteſt locus.

AD MAGNIFICVM VIRVM D. FRANCISCVM BEMBVM Rhodigij prætorem æquiſſimum ac Muſarum hoſpitem laudatiſſimum, Camilli Richerij in Lectionum antiquarum libros Lodouici Cælij patrui ſui Præfatio uiceſimaquinta.

POſtea quàm enuntiatum eſt maximo Veneti ſenatus conſenſu te huc ad nos prætorem deſignatum, egregiè lætati fuimus omnes: ad primum nuntium affluente turba (ut fit) inter feſtas læta ominantium uoces acclamabatur, Rhodigio aſtri benignioris aſpectu datus eſt prętor Franciſcus Bębus ingenio clarus, moribus clemens, ſobrius, mitis, ſui profuſus, alieni abſtinens: patriæ omnes uehementer gratulabamur, quam tanto prætore fortunatiſſimam fore uidebamus. Spondebant nobis de te omnia generis nobiliſſimi eximiæ & heroicæ tuæ uirtutes, quibus adeo in urbe Veneta præcellis, ut ſimiles tui pauci admodum ualeant reperiri: affluentiſſimæ tibi ſunt opes, quibus non ad luxum unquam & delicias, quod plerique omnes ſolent, ſed (ut Baſilius ait) ut uiatico ad uirtutem uſus fuiſti, adminiſtrandi tandem prouinciam ſumpſiſti, in qua animi tui dotes ſtatim agnouerunt omnes. Ager Rhodiginus impune ab aliquibus uexabatur, tu ſtatim eorum audaciam compreſſiſti. Vidimus tibi laborem eſſe in negotijs, in periculis fortitudinem, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, & in prouidendo conſilium: taceo innocentiam, omnibus in rebus temperantiam, fidem, facilitatem, ingenium incredibile, humanitatem ſingularem. Quum hæc uidi, auidè quærere cœpi apud animum meum, qua maxime ratione me poſſem beneuolentię tuæ huiuſce patriæ meæ digniſſime prætor inſinuare. Sumus etenim natura ſtudioſiſſimi appetentiſſimique honeſtatis, cuius ſi quaſi lumen aliquod aſpexerimus, nihil eſt quod (ut eo potiamur) non parati ſimus & ferre & perpeti. Te autem uir clariſſime, quis non amarit? cui bonum omne in animo eſt. Inſita tibi eſt altius & infixa diuinitas, ipſa hæc ad eximiam perducens uirtutem appetitio: tales tamque admirabiles tibi tum ad ſtudia, tum ad Dei cultum ſtimulos ingenerauit, ut (quod dictu quoque mirum eſt) uel puer id de te ſpecimen dederis, eam prætuleris indolem, ut quum te prudentiſſimi ſenes intuerentur, ueluti diuiniore afflati numine abſolutiſſimam ferè uirtutis ideam uaticinarentur: nec eos utique fefelliſſe opinionem nos Rhodigini nunc experimur: uirtutibus uelut gemmis ab ultimo oriente petitis præcelſus animus tuus præfulget nimis. An eximiũ Chriſtianæ religionis cultum ſubtícebimus, in quo tibi gradum propoſuiſti primum? Quid uero præſignem in parentes pietatem tuam cõmemorem, quos uiuentes perpetuò numinis uice & coluiſti & ueritus fuiſti? Es ergo undique uenerãdus: quo fit, ut non iniuria me clientem ſaltem tibi exhibere tantopere cupiam: id fieri poſſe maxime ſum ratus, ſi more Parthico non citra munus te ſalutem. Quare, quum nunc patrui mei Antiquarum lectionum libros formis cuſos iterum publicam facere materiam ſtatuerim, te elegi, cui Viceſimumquintũ librum dicarem, ſperans tibi erudito uiro hoc munus gratum fore. Huiuſmodi ergo munuſculum benignè ſuſcipias, & ſi infra amplitudinis tuæ faſtigium eſſe iudicabis, cogites uelim, multas gentes diis lacte & mola quandoque ſalſa litare, quæ thura non habeant. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI VICESIMVSQVINTVS

Prouerbij ratio, Platano similis. De platano pluscula, & platanisto. Obiter qui dicantur à Persis immortales. Herodotus & Curtius declarantur. Melophori qui sint. Itē melotides. Mala Hesperidum quæ intelligenda. Mallophoros. Trimacresia, & macra apud Gallos quid. Sphæria. Platamon. Platanos uas. Caput I



HEMISTOCLEM Athenarum principem, cuius operam ingeniumq́ ac prudentiam summam non paruis in rebus, nec raro experta Græcia est, produnt auctores grauissimi, postea quàm amplissimè patriam est promeritus, solitum tamen sæpius conuitio à ciuibus incessi. Vnde illius præclara circumfertur sententia, τί κοπιᾶτα ὑμὸ τῶν αὐτῶν δυσγενόμενοι; quid eis negotium facessitis, qui uobis fuere benefici? Se quoque subinde platano consimilem prædicabat, ad quam decurrerent, quos infestaret imber: mox uero serenitate reddita, uelleretur ab eisdem, interimq́ conuitijs proscinderetur. Ex historia igitur produci adagij forma potest, ut dicatur is platano assimilis: cuius opera, quamuis necessariò sæpius utamur, nihilominus insita quadam prauitate, illum eundem incōmodis liberi, habemus derisui, conuellimus, perditum quandoq́ etiam cupimus: mox tamē necessitate deprehensi, expertam repetimus uirtutem. Sanè congruenter de ratione foliorum platanus electa potissimum, quam prouerbio usurparemus, quando arbor ea umbræ gratia tantum ex alieno petita orbe est ijs, qui dicuntur σκιατροφούμενοι, sicuti De historijs quarto libro Theophrastus perdocet copiosè. Nam Caius princeps etiam in platano Veliterni ruris, tabulata cuius laxisq́ ramorum trabibus scamna patula miraculo fuerant, epulatus est: eamq́ cœnam appellauit ille Nidum. In Lydia prodit Herodotus, Xerxem comperisse platanum, quam ob pulchritudinem aureo donauerit monili, tuendamq́ uiro delegauerit immortali. Qua in parte adnotandum obiter, ut eum locum salebrosum quadantenus in potestate habeat quilibet. Non ideo dici ab historico immortalem uirum, quia planè nunquam moreretur: quod credere, insulsissimum foret: sed intelligi ex ijs unum opinor, qui in militia delecti ex Persis numero decem millia, dicebantur immortales. Quoniā si quis eorum aut nece aut morbo numerum minuisset, confestim substituebatur alius, nec unquam plures erant pauciores ue decem millibus. Erant item præcipuo inter omnes cultu decori, & ijdem omnium præstantissimi. Hac opera iuuabitur & Q. Curtius libro tertio, ubi ita legimus adnotatum: Proximi (inquit) ibant, quos Persæ immortales uocant, ad decem millia, cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat: illi aureos torques, illi uestem auro distinctam habebant, manicatasq́ tunicas gemmis etiam adornatas. Memoriæ produnt ex Græcis nonnulli, οὓς ἀθανάτους, hoc est immortales istos Theodosio imperante redactos in nihilum ab Ardaburio. Ex hisce uero immortalibus uiris, mille seligebantur optimus quisque, melophoros uocabant: quòd hastis præfixa gestarēt mala aurea: doryphori erant hi, hoc est satellitio fungebantur. Mallophoros autem, Cereris est cognomētum in Megaride, quod ab ijs uidetur impositum, qui mortalium primi, oues cōnutrire cœperint. Siquidem lanam dicunt Græci μαλλόν, ex quo & Idam μαλλοτιλῶ uocarunt, uelut πολυπρόβατον, id est ouibus abundantem. Melotida, id est μηλοτίδα, radiolum interpretantur, uel auricularium specillum. μῆλα etiam ueteri consuetudine capras oues q́ intelligimus, quas in Græciam ex Aphrica transportauit Hercules, etiam si ad aurea poma rem fabulositas transferendam putarit. Cæterum, caritatis nomine uellus aureum in ouibus intelligendum, docuit Varro. Ab uerbo autem μῆλα, id est mala, inflectitur balare apud nos, M in B transeunte, quod eam

eam literam proferre oues uideantur. Similitudinem quandam cum Perſarum immortalibus habuit apud Gallos equitũ ordo, quem uocabulo gentis proprio trimacreſiam illi uocabant: nam equum dicunt marcan. Sed ad platanum redeo. Inuenio Xerxem eundem auream ſibi platanum fundi iuſſiſſe, quæ antimimos foret, id eſt amatam effingeret, leniretq; æſtuationem mentis ex illius abſentia. De Platano in Theriacis Nicander ita ſcriptum reliquit, σφαίρῃ τε θρεπτηρίῳ πλατάνοιο. id eſt, ſphæra quoq; thorum præbentis æſtate platani. Interpres locum eum enarrans, illud θρεπτηρίῳ pro umbroſa poſſe accipi, tradit: quoniam latiſſima ſint eius arboris folia, ut opaciſſimè cõtegant æſtiuo tempore: uel (inquit) quia thorus ex numeroſis foliis confici abundè poſſit eodem tempore. Addit illud quoq;: platani fructum eſſe ſphæria quædam trachea, id eſt orbiculos aſperos, propterea à Nicandro dici ſphæram. Ex iis uero quæ prodit interpres, hic agnoſcas licet, uera item eſſe quæ Græci ſcribunt, dici platanum, ſiue plataniſtum, à latitudine, quod ſit πλατύφυλλον. Plataniſtum tamen ſunt, qui à platano per diminutionem proferri putent: quum paronymon, ſiue denominatiuum ſit uerius, nihil primitiuo amplius minus'ue ſignificans. Porrò ſi diminutum foret, exire debuerat in σκος, ſicuti calamiſcus, pyrgiſcus, ſatyriſcus. Plataniſtum pro platano apud Homerum diligens lector inueniet. Sunt qui ab foliorum platani amplitudine loca ſpatioſius capacia ſic opinentur dici. Fabuloſa planè ſunt, quæ primo De animalium naturis ſcribit Aelianus, nec citra cunctationem promenda. Ait enim, noctuas mira quadam ingenij ſolertia à ciconijs ſubmoueri à nido longius, platani frondibus ingeſtis, quarũ contactu torporem contrahant noctuæ, ita ut oblæſionis quippiam inferre deinceps nequeant. Platanion uero petra eſt, ex mari haud ita prominens, plana & lata, meminit Apollonius, εἱματα νηλήσαντο λείῳ ὑπὸ πλατανῶνι. Aratus in Prognoſticis,

ἀλλ' αὐτὸ πλατανῶνι παραθλίβεται ὁμοίῃ.

Sunt qui eo nomine latitudinem terræ accipiant, item fluuij nomenclaturam. Capitur quandoq; & pro littore. Platanos item uas erat fingendis popanis accommodum. Platamones interpretantur nonnulli λεωστρεῖα, id eſt leuigatas petras: quod approbat Strabo in Cappadociæ deſcriptione: Sunt (inquit) platamones, unde Mazacenis ſuppetit lapidum copia ad inædificandum. Eum locum inſcitè Latinum fecit interpres. Et in Periegeſi Apher Dionyſius Gangen canit, λοῦσεν ὕδωρ νοσσαίου ὑπὸ πλατανῶνας κυλίνδων. In cuius loci enarratione etiam eruditioribus hæſit aqua.

Adagia duo à cupreſſo producta. Horatij locus illuſtratur. Euangelia immolare, quid. De cupreſſo nonnulla. De pinu, Herodoti perpenditur ſententia. Sphæria quid. Sphela. Sphæricus qui. Sphæriſterium. Sphæria quæ in theatro ſpargerẽtur. Teſſerulæ. Echepeuces quid. Galbuli. Galbæ nuces. Cap. II

PHocion Athenienſis, quem nemo uel ridentem uidit, uel flentem, quum ciuitatem intueretur à Leoſthene præcipitatam in bellum, dum libertatis ſpem & imperij cõcipit illa tumidius: uerba eius cupreſſis conſimilia ſibi dicebat uideri, quoniam pulchra quidem forent ac ſublimia, cæterum fructu omnino carerent. Sed enim quum initia cedere proſperius eſſent uiſa, immolarentq; euangelia omnes, hoc eſt, rei diuinæ ex felici nuntio darent operam: interrogatus, an ita rem geſtam uellet, πεπρᾶχθαι μὲν οὖν ἔφη τοῦτο, βεβουλεῦσθαι δὲ οὐκ ἄν. id eſt, geſtam quidem uelle ſic, illa tamen malle decreta. Ex his adagium producitur, de iis quæ ſpecioſa quidem uidentur, inania tamen ſunt, & nullum prorſus emolumentum præferentia. Nam arbor hæc, uti docuit Plinius, natu moroſa, fructu etiam ſuperuacua eſt, baccis torua, folio amara, odore uiolenta, ac ne umbra quidem gratioſa. Eſt & ab hac arbore prouerbiũ alterum, Cupreſſum ſimulat, de pictore malo & imperito, ut expoſuit Porphyrio, qui aliud prorſus nihil expingere norit: quod in Arte poetica ſignificat Horatius,

Sed nunc non erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare, quid hoc? ſi fractis enatat exſpes
Nauibus, ære dato, qui pingitur.

Sed cur nam electa cupreſſus, quæ potiſſimũ prouerbio locum faceret? Nempe (quod

à doctioribus incuriosius prætermissum,miror) quia,ut Plinius scribit, trahebat etiam in picturas opere historiali, uenatus classes ue & imagines rerum, tenui folio breuiq; & uirente superuestiens. Ornamento adiici potest illud quoq;,quoniam cupressos dici interpretentur Græci,quia sit in ijs uisendus ramulorum parilium partus, id est κὰρ πολλὴν παρίσους σὺς ἀκρέμονας. In Arcadia apud Psophidem cupressi cernebantur proceritatis tantæ, ut propinquus adumbraretur mons. Eas non excidebant, Alcmæoni fanecata illuc matre,delatum Argis ferunt.Memorabile est quod historia secunda Thucydides prodit: arcas fuisse ex cupresso,quibus eorum efferrentur ossa, qui in bello fuissent cæsi. Quem locum exponens enarrator quidam, id solitum fieri astruit, διὰ τὸ ἀσηπτον εἶναι, quòd putredinem arbor nesciat. Confirmat id fides historica. In ea nanq; materie præter cæteras arbores nitor maxime ualet æternus. Et simulacrum Iouis in arce ex cupresso durauit,à condita Vrbe sexcentesimo sexagesimoprimo anno dicatum,ad Plinij tempora. Cupressum Indi prope inter aromata uenerantur,& meritò id quidem. Laudent qui uelint, amoniam Chiam & Cyrenaicam, quam esse æternam prædicat Theophrastus:uerum nitore,robore,magnitudine, rectitudine, perennitate, quam illi arborum comparabimus? Cariem & uetustatem penitus nihil sentire cupressum affirmant, & rimam sponte haudquaquam concipere. Qua ex causa Plato leges publicas atq; instituta in sacris ponenda censebat, tabulis cupressinis, quòd futuras forte putabat æterniores,quàm æreas. Adde,cupressos duplici insignes uocabulo uideri: nam ex amœnitatis argumento, charites uocantur:cypariſſi uero,ratione quam diximus.Eteoclis fuisse fabulantur filias,quæ dearum honori saltantes, in puteum prolapsæ, ab terra miserante in persimiles deformatæ plantas traduntur. In Assyria ex cupressis modò compingi naues,auctor Aristobulus est, ac repetit Arrianus, reliquæ materiæ inopia summa. Cupressum uero Creticam ut præstantissimam laudat in Symposiacis Plutarchus:sicuti etiam Isthmiam pinum.Porrò sicut in platano esse sphæria superius adnotauimus,ita & in cupresso,Therapeutices quinto Galenus, ac Dioscorides appellant. Spheria (inquit Dioscorides) concisa & in uino hausta,sanguinis conferunt anagogæ, id est eiectationi seu excretioni ac dysenteriæ.Plinius Latinè pilulas reddidit. Sunt qui etiam galbulos uocent,ut Varro,aut conos & nuces. Apud Catonem sunt nuces, galbæ.Sphela uero nunc scabellum indicat,nunc lignum excauatum, sicut holmos. Sphæricum intelligit Galenus,qui pilæ lusu atq; exercitio iuuenes imbuit. Ipsum autem pilæ lusum Lampridius sphæristerium. Obseruandum quod in Tito scribit Dion, Sphæria lignea ex alto in theatrum sparsa, sic insculpta, uti alia esculenti cuiuspiã, uestis alia, uel edomiti equi aut serui aut argentei aureiq; uasis imagunculas præferrent. Ea qui excepisset, πρὸς σὺς διανέμοντας αὐτὰ, id est ad distributores eorum proferre necesse erat,et quod sphæria prætulissent, acciperent. Id uerbum sunt qui tesserulas transferant. Sed institutum repeto.Locupletum denicq; ac nobilium modò funeribus adhiberi cupressum solitam,Lucanus testari uidetur

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Et est à Lactantio grammatico Thebaidos quarto relatum. Illud admiratione non caret,Herodotum scribere:unam solamq; arborum pinum recisam non succrescere amplius,uerum interire funditus,uel (ut ipse ait) παντελέθρως: nata inde paroemia, ut exteri dicantur pinus modo, quæ prorsum intercidant. Quum manifestum fiat, piceam & cupressum id ipsum pati, sed & pleraq; alia, nisi forte cognationẽ aliquam inter hasce arbores intellexit: propterea q; uno pinus nomine accipiendas,constituit.Quod ad piceam attinet,sciendum,Eustathio tradente,id Homericum ἐχεπωλυκὲς inde profluxisse, ac pro mortifero interpretari, etiam si ad amaritudinem referunt alij. Pityn puellam scribunt Græci, à Borea saxo allisam, quòd in amorem Panos foret procliuior, terra miserante in arborem sui nominis deformatam: proinde Pana hinc coronam gestare, quin afflante Borea etiam flere. Id quod Georgicôn undecimo relatũ comperias. Nostrorum aliqui Syluano sacram arborem tradunt. Seruius Deorum matri dicatam opinatur. Quod & Ouidius approbat libro decimo, ratione non neglecta. Illud cõmonemus, esse

mus, esse inter eruditos qui pityn pro picea capiant: sicuti πίτυλω, pro theda. Apud Theophrastum Theodoro pitys est larix, peuce autem pinus: sed & pro picea, pityn accipit quandoq;. Apud Herodotum est pitys, quam pro pinu capit interpres.

Oratio concisa breuisq; an præstabilior sit. De Phocione, Catone, Demosthene, Pericle, M. Tullio, T. Liuio, & alijs. Caput III

PTimum uideri orationis genus, quo paucis multa sapienter grauiterq; significentur, à plerisque ex doctissimis traditum, scimus. Idem nanq; sermoni congruere quod nummis, qui eo præstantiores creduntur, quo materia paulciore, pretij amplius complectantur. Id ueterum nonnulli approbarunt mirifice, sed Phocion præcipuè, cuius oratio uerborum paucitate pressior, erat perbreuis, multa uero sententiarum magnitudine ac grauitate: adeoq; huic uni erat intentus, ut quandoq; theatro iam pleno, quum obambularet cogitabundus, dicente quodam σκεπτομένῳ ἔοικας ὦ φωκίων, Videre ó Phocion considerationi intentus. Bene coniectas, inquit: dispicio nanq;, ecquid possim eximere ab ijs quæ apud Athenienses sum uerba facturus. Sequuti sunt hæresin eandem & plerique alij non omnino infantes: sicuti in Latina eloquentia Gracchi, in quibus umbra recognoscitur & quasi color opacæ uetustatis, ac oratio non prorsus accurata & quodammodo facta: & senior quoque Cato, quem Romanum Demosthenem nuncupatum, auctor M. Tullius est: quemq; ætatis suæ eloquentia non contentum id iam tum facere adortum, dilucet, quod diu pòst implerit Cicero. Sed profecto est utiq; custodienda hæc, si causæ ratio permittat: alioqui (uti doctissimè Plinius Cæcilius inquit) præuaricatio est, transire dicenda, præuaricatio est, cursim, etiam breuiter attingere quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda: nam plerisque longiore tractu uis quædam & pondus accedit. Vtq; corpori ferrum, sic oratio non ictu magis, quàm mora animo imprimitur. Hoc fuit Demosthenis consilium, quem si eloquentiæ uelut typum dixeris, meo quidem iudicio, à ueritate aberrabis non multum. Eius contortas & uibratas esse sententias, scribit Hieronymus, quòd uiri acrimoniam indicat, & uim in dicendo germanam: ijs, quorum ingenia sunt eiusmodi lectione detrita, abundè cognitam. Hinc feruens Demosthenis oratio dicitur sæpe auctoribus grauissimis, sicut diues Ciceronis lingua. Hoc item Periclis institutũ, quem à cælesti eloquentia cognominatum Olympium, Plutarchus scribit, & Plinius meminit. Aristophanes uero ita laudauit,

ἤστραπ' ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Fulgurabat, tonabat, permiscebat omnia. Eupolis uero πῶς οὖν πείθοις ἂν ἀνθρώπους τοῖς χείλεσιν, οὕτως ἑκηλεῖ, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων τὸ λοιπὸν κατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις. Ad hoc (inquit) suadela quædam, siue lepor, labijs subsidebat eius: sic demulcebat, ut oratorum solus aculeum audientibus relinqueret, ut quem non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuisset, sed Clazomenius Anaxagoras summa imbuisset rerum scientia. Ac, ut nostros inopia præterisse non uideamur, quid Cicerone largius, quem extra omnem ingenij aleam positum Plinius admiratur, & Quintilianus optimum dicendi magistrũ pronũtiat, Hieronymus in Latini eloquij arce stetisse confitetur: & eius Hortensio tantus Christianæ ueritatis assertor Augustinus salutẽ suam planè acceptam retulit? Quid eminentius? quæ aquarum fluenta adeo exuberant? quod pelagus inundat spatiosius? quod fulmen uibrat impetuosius? Raptare iudicem credas, inuoluere, præcipitem agere, proculcare, nec incendere auditorẽ modò, sed ipsum putes ardere. Animorum denique quendam credas deum. Quicquid illi uiolentiæ obsistit ruenti, ac reniti tur, supra humanum captum est, ac censetur. Latè in eo grassatur uis Demosthenis, tenidet Platonis copia, abblanditur, allectat, afficit Isocratica iucunditas: cuius domus cunctæ Græciæ quasi ludus patuit, ac dicendi officina. Nec Lysiæ subtilitatem frustra desideraris, aut acumen Hyperidis, Aeschinis sonitum, Aphricani grauitatem, uel lenitatem Lælij. Vt tanto ferri minus possit Largi Licinij liber, qui prodigiosè Ciceromastix inscribebatur. Quæ in alijs enituere singula, omnia in uno efflorescunt, & quidem summa, ut fœnum ceteros (uti aiunt) arbitrari possis. Quos si huic conferendos putes, nihilo plus agas, quàm si actui potentiam, aut entelechiæ, quod in materia reconditum

latitat, componere affectes. Comperias tamen qui in tanto oratore quippiam Asiatici tumoris olfactasse censorio ipsi tumentes supercilio contendant. De se uero ac Demosthene scribit M. Tullius, Vides (inquit) illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos uelle, quocunq; modo causa postulet, dicere. Postea sunt qui mihi efferant laudibus Salustij breuitatem. Taceo quod Seneca scribit: Salustio uigente amputatas sententias, & uerba ante expectatum cadentia, & obscuram breuitatem fuisse pro cultu, quam raræ uir frugalitatis Aruntius sit imitatus in ijs libris, quibus Punici belli historias est complexus. Est illa plausibilis uticq; : addo etiam, quòd grauissimi auctores dixere, immortalis. Quid tamen illi cum occupato iudice? neq; ad hunc usum Thucydidem ualde probarim. Et quoniam magna nomina conuellere uidemur, quibus assurrexisse, honestius multo fuerit: ea ipsa est M. Tullij sententia, à quo alibi quoq; ita proditum scimus, Breuitas (inquit) laus est interdum in aliqua parte dicendi, in uniuersa eloquentia laudem non habet. Eiusdem tamen illud est: In historia, nihil esse pura & illustri breuitate dulcius. Alioqui & amplitudo illa Patauini historici lactea & redundans itaq; legentem sæpe afficiens, ut stupore quodam adobruat penè, alere longè pinguius ingenia mihi uidetur: adeo, ut (ilicuti in pictores ille ait, qui nescirent manum de tabula) oculos à lectione, reuellere nequeas. Ita dicendo non adumbrãtur modò omnia, sed & exprimuntur graphice. Vbertas illa prædulcis, & austera tamen, nec decocta, nitida, sine labore (ut de Theophrasto Seneca scribit) efflorescens quoq;, nec affusa modò nectare, sed quodam Circes (quam deam intelligi uoluit literarũ princeps Homerus) delibuta ueneficio est. Abire cupis, retinet blandis amoribus inenarrabilis facundiæ uastitas; quę tamen uasta non est, sed compta honestius, culta pretiosius, expolita diuinitus, nusquam fucus puerilis, aut pigmẽta inania, nusquam uibratior cincinnus. Non ades, prouocat prægustata amœnitas, Sirenum cantibus longè potentius, quas surdus demum remex pertransisse narratur: istam odore modò perceptam, nec cæcus quidem neglexisse possit. Iam quid de eruditione dicam? quæ in eo uno adeo scaturit subinde, adeo exultat multifaria, adeo ingeniosissimum quẽq; aure bene uaporata, mox & acri perlota aceto, recondita rerum scientia lacessit, ut eo ipso anno quo ista commentabamur, expressum auditoribus meis sit, quibus opera illa Patauij præstabatur, quibusq; haudquaquam foret cornea fibra, plus se ex uno in T. Liuium dictato referre emolumenti, quàm ex Salustij decem, quem succisiuis diebus, hoc est festis, enarrabamus. Putat nihilominus Pollio Asinius, huius uiri phrasim quandam resipere Patauinitatem: opinor, quia non sit urbanitate certa, id est urbis Romanæ genuina proprietate, quasi colorata eius oratio, quæ inter legendũ sentitur potius, quàm exprimi oratione queat. Maius quippe recinit quiddam, & resonat urbanius in Romanis scriptoribus, quàm gentium reliquarum. Nam & Tincam Placentinum, hominem facetissimum Q. Granius præco, Romanus, obruebat nescio quo sapore uernaculo. Sic & Theophrastum diuinæ hominẽ eloquentiæ anicula hospitem appellauit, uerbi unius affectatione adnotata. Hoc denique ipsum est quod præcipi audimus, elaborandum adnitendumq; ut oleat Vrbis gustum oratio, & Romana uideatur planè, non ciuitate donata. Et Cicero urbanorum esse opinatur sonum quendam sicut in Græcis Atticorum: hinc in Cæpasiis fratribus oppidanum quoddam & inconditum dicendi genus fuisse, memorat in Bruto. Scripsit & Dialogos, ut sit aliquid auctarij uice, quos non magis philosophiæ adnumerare possis, quàm historiæ. Concinnauit & ex professo philosophiã continentes libros. Sed ista parum fortè institutum iuuerint. Exciderat penè quod minus dissimulandum fuit. Putat in Arte Dionysius, esse dictionem aliquam cui mira insit dulcedinis ac iucunditatis uis, at pulchritudinis non ita: rursumq; sæpe reperiri orationem pulcherrimã, quæ tamẽ iucunditatem illam prædulcem desideret, cuiusmodi est Thucydidis phrasis & Rhamnusii Antiphontis. At in Ctesia Cnidio & Socratico Xenophonte suauitatem illam sentiri quidem abundè, abesse tamen quadantenus pulchritudinis gratiam: at uirtutem utranq; insigniter in Herodoto enitescere. Hoc ipsum si quis re exactius perpensa & excussa, de Salustio statuat & T. Liuio, scopi umbilicum (puto) recte collimans attigerit. Quod ad Salustium attinet, id in eo præsigni admiratione dignum

dignum, nullum niſi loco poſitum ferè, ac tanquam in uermiculato emblemate, uti eſt apud Lucilium, conſpici ſtructum uerbum. Sed enim ſcriptorem egregium non neuo aliquo aut crepundijs (quod aiunt) ſed toto corpore inſpectaſſe ac expendiſſe præſtitérit. Scribit Seneca Controuerſiarum quinto, Præcipuam eſſe quidem in Thucydide breuitatis uirtutẽ, uinci tamen quandoq; à Saluſtio, & in ſuis illum caſtris cædi: quod in ſententia Græca ſint, quæ ſaluo ſenſu detrahas: quod in Saluſtio interim nequeas. Quam rem Titus (inquit) Liuius, ut qui Saluſtio eſſet iniquior, ut translatam corruptamq; uitio uertebat, arbitratus poſſe à ſe facilius Saluſtium uinci, ſi à Thucydide uictus foret prius. Alibi uero Seneca idem hoc Patauino hiſtorico teſtimonium reddidit, ut eum dicat candidiſſimum maximi cuiuſq; ingenij æſtimatorem. In tam multis uero quę de T. Liuio attulimus, ſciendum in epiſtola quadam ad Ioannem Boccatium ſcripſiſſe Franciſcum Petrarcham, Ignauia legentium contigiſſe, ut Liuiana hiſtoria ſit in decadas diſtributa: in eas enim (inquit) nõ ipſe qui ſcripſit, ſed faſtidioſa legentium deſidia diuiſit. Nec deſunt qui calculum adijciant: me uero Decadibus præpoſitæ præfationes in diuerſum trahũt. Inſueuit quãdoq; T. Liuius, uelut in malis ambitioſus, animos legentium ad commiſerationem mouere, quod in Albæ ruinis liquet. Id in Philarcho reprehendens Polybius, muliebre putat & effœminatum: quoniam rerum geſtarum ſcriptorem deceat, non mouere hominum affectus, neque orationem ad id aptam perquirere, neq; calamitates mortalium inſectari: quod tragœdiarum ſcriptores faciunt: ſed dicta factaq; hominum ex fide referre, tametſi mediocria fuerint. Neque enim eſt idem hiſtoriæ ac tragœdiæ finis, ſed planè contrarius. Quoniam uero de eloquentia mentio eſt, nec Catonem præteriuimus inhonoratum: illud ſubnectamus, Ipſum hunc exitiali odio dum Græcos inſectatur, ſolitum prædicare, in Iſocratis diatriba conſeneſcere aſſueuiſſe diſcipulos, ὡς ᾠδὸν ἄδολον χρυσωλένους τοὺς τέχνας, id eſt artibus uſuros apud inferos, uti reis patrocinentur. Hoc autem dicebat, ὡς πᾶσαν ἐλλωικὴν μοῦσαν καὶ παιδείαν πόρπηλακίζων.

Admirabilis in Phocione natura: item Cynico Diogene, Antiocho Cilice, Ariſtodemo, Socrate, Vxores Socratis. Hieronymi locus reſtituitur. Caput IIII

ISe in pleriſq; hominibus mirandam profecto ſtupendamq; naturam, nẽminem arbitror paulo humaniorem, qui neſciat. Nam, ut Phocionem taceam, quem ruri ac militię nudo ſemper inceſſiſſe pede, ni illum hyems atrocior ad calceos compuliſſet, proditum memoriæ eſt. Proinde, ferunt inter iocabundos milites, nullum fuiſſe rigoris ſignificandi certius argumentum, quàm ſi quis affirmaſſet, Phocionem inductis calceis prodijſſe. Cynicũ Diogenem illuſtria teſtantur monumenta, in frigoris ui maxima æneam ſtatuam amplexari conſueſſe, ueluti à ſenſu rigoris omnino alienum. Quum uero id conſpicaretur Laco quidam, ſcitari perrexit, εἰ ῥιγῷ; an rigeret? Abnuente eo, τί οὖν ἔφη μέγα ποιεῖς; quid igitur mirum facis? Antiochus Cilix, uti ſcribit Dion, philoſophari quidẽ ſe λωικὸν aſſimulabat, indeq; militibus magno fuit emolumento, ſed & ſibi: nam algentes frigoris atrocitate corroborabat, ad tolerantiam exemplo prouocans, quum ſe in niuem prouolueret: quo nomine pecunia & honoribus ampliter donatus abijt ab Seuero prius, mox & ab Antonino Caracalla. Auctor Plato eſt, Ariſtodemum Cydathenæum, corpore puſillo, nudis ſemper pedib. inceſſiſſe. Sed quid hæc conſectamur leuia? Poſt ea q; Platonis introſpeximus ſacraria, pergamus porrò ſubtexere, quibus is Socratem ſuum graphicè appinxerit, Alcibiadis perſona ſubſtituta. In bello (inquit) quod ad Potideam Atheniẽſes geſſere, in primis quidẽ laborum incomparabili patientia, non me ſolum, ſed uniuerſos, longè Socrates præcellebat. Et ſicubi (ut ferè aſſolet) commeatu deficeremur, in fame ſitiq; tolerantiſſimè perferẽda, facile inter cæteros eminebat. Rurſum affluente rerum omnium copia, ſolus perfrui affatim poſſe uidebatur: & quamuis potum abnueret, ſi compelleretur, omnes protinus ſe largius inuitando anteibat: nec tamen uino paulo hilarior unquam eſt conſpectus, quod utiq; mirum præcipuè eſt: ni id mirabilius admodum foret, quod hyeme (ut in locis illis) ſæua, & rigore intoleran-

do, factitasse illum scimus, Gelu siquidem omnia obtinẽte, ac uniuersis pruina albicantibus, nec quoquam ferè sub dio agente, ni pellibus corpore arctius obuallato conseptoq; Socrates ita se cum reliquis promebat in publicum, ut quotidianis indumentis nil omnino accederet, nudis uero pedibus glaciem pruinasq; premebat facilius quàm calceis obmuniti milites: quod illi conspicati, in ipsorum contemptum fieri interpretabantur. Sed illud satis mirari non est: altior (uti plerũq; fit) inciderat cogitatio, stabatq; à matutino tempore eodem nixus uestigio: cumq; minus explicaretur quod agitabat, perrexit in meridiem usq; : senserant milites ac mirabantur, perseuerabat ille nihilominus ad primam facem: at illi lectulum apposuere, obseruantes, ecquid per noctem decumberet: expectauit is, statu pertinaci nihil immutato, solem sese promentem, quem ubi consalutasset, denicq; congredi cœpit. Sed & familiare fuit illi uiro, ut perdius staret ac pernox, etiam inconniuens. Socrati Hieronymus in Iouinianum uxores fuisse duas scribit, Xanthippen & Myron Aristidis neptem. In quo aduertendum, per errorẽ scribi Myron, quum reponendum sit Myrto, Laertij testimonio & Luciani in Alcyone, item Plutarchi in Aristide: quanquam est & Myro mulieris nomen Sudæ, id est μυρὼ: sed hæc Socratis μυρτὼ dicitur omnibus. Fuit Myro Byzãtia poetria: altera uero Rhodia, philosophiæ imbuta mysterijs. Eundem semper uultum, inquit Hieronymus, habere non possumus, quod de Socrate falso gloriantur philosophi.

Quæ in corporibus calorem præcipuè custodiãt. Tremoris ratio. Cur frigore nimio nigrescant extrema & decidãt. Obiter an ignis sit coloratus. Malce quid. Cap. V

ET quia in frigoris patientiã incidimus, succurrunt ex illustribus uiris amussitata pleraq;, digna omnino quæ non prætereantur in nostra hac collectaneorum cura, apponemus uero primum quæ ex Galeno comperta nobis, in libro De anhelitus iuuamine: Sunt, inquit, tam pinguedines quàm adenes siue glandulæ omnes in corpore, ad caloris naturalis custodiã fomentumq; quamuis enim calor à corde in totum redundet corpus, sunt nihilominus in corpore partes quædam ad caloris susceptionem longe cæteris aptiores. Etenim quæ superposita hepati est pinguedo, splen item atq; intestinis, calefacit ea, digerendiq; inibi facultatem adiuuat excellenter. Proinde cum ita forte obuenisset, ut pugili cuidam pingue id confringeretur, moxq; liuescens eximeretur medici cura, cœpit is supra modum esse frigoris impatiens, concoctione quoq; insigniter mutata deminuta'ue. In senibus utiq; contingit tremor neruorũ imbecillitate. Cæterum & alijs de causis fieri deprehensum est, cuius est modi frigidioris naturæ temperatura, uel etiam aquæ frigentis nimius potus. Quin frigidi quoq; ac glutinosi humoris uis redundans, sed & id genus alia. Hosce uero tremores τρόμους ἢ τῶν ψωλῶν uocant Græci, id est ex corporis affectione mala prouenientes membrorum subsultationes. Illud uero in frigoribus peracutis ac uehementioribus contingere, Alexander scribit, si modo de familia, perinde ac diminutus capite, aut peregrinitatis reus non summouetur liber is, digitos & extrema corporis nigrescere prius, mox & decidere: mirus profecto euentus est, sed uerus. Auditum enim mihi sæpe à prouincialibus quibus profitebamur, ut qui frigidioris mundi plagas incolerẽt, solitum apud illos fieri, ut si in gelicidijs acrioribus & Boreæ flatibus frigidissimis, ut assolet, quis inter eundum, uel quacunq; sub dio mora diuturniore, nares forte emungat, apicem simul decidere. Sed & in Annalibus ab Tacito relatum Cornelio scimus, ab Corbulone in Parthos ductante retentum sub pellibus exercitum omnem, quamuis hyeme sæua adeo, ut obducta glacie, nisi effossa humus tentorijs locum non præberet, & amburerentur multorum artus frigoris ui, & inter excubias quidam sint exanimati, adnotatumq; militis fascem lignorum qui gestabat ita præriguisse manus, ut onerí adhærentes, truncis brachijs recíderent. Eadem ferè ἀναβάσεως septimo Xenophon monumentis prodit. Sed unde nam fieri ista putemus? an quia frigus atrox ἀπελαύνει καὶ ἀπολύει τὸ ἔμφυτον θερμὸν εἰς τὸ βαθὺ τοῦ σώματος, id est insitum calorem introrsum prosequitur & occludit in corpore. Reliqua uero extrema, caliditatem uitali potestate minus agitante, primo quidem liuescunt, inde nigrescunt, ac denicq; emoriuntur. Ideo autem

autem excidunt, quod natura reliquo ſanè corpori prouidens, id circumplectitur, & ad ſe aſtringit, mortuum deſtituendo, & decidere permittẽdo. Extrema uero in primis afflictantur, quod minus corpulenta ſint, & proinde minus etiamnũ calida. Infirmæ itẽ quæ ſunt, & rareſcũt ex arboribus ratione non diuerſa, hyemali ſidere frondibus exuuntur. Sunt qui aſſerant à primordio quidem inſitum calorem frigus, utpote ſibi infeſtum, refugere introrſum: deinde collectum, & uelut deſtitutas recuperaturum partes ſubire, & cum agmine, ac confertum ſuppetias ferre. Sed interim denſiore caloris ui membrorum extrema amburi. Verum hi falli uidẽtur, ſicuti Aphrodiſeus putat: quod ſi liuoris nigredinisq; rationem in frigoribus quis perquirat amplius, ſciendum eſt, ſanguinem appulſu frigoris gelaſcere, concretum uero nigreſcere caloris inopia. Albedo nanq; igni tribuitur, propterea ſenioribus μᾶλλον τελιοῦνται ἡ σάρξ, ὅτι ἐλαχίστῳ ἔχει θερμότητα, id eſt maxime liueſcit caro, quoniam minimum obtineat caloris. Sed in hoc tamen aduertendum impenſius, calorem in animali commixtum eſſe album luminoſum. Eſt enim ſpiritus quidam in ſpermate interceptus, & in ſpuma ſpiritus aliquis natura proportionẽ habens cum ſtellarum diſpoſitione, ut eſt apud Ariſtotelem De animalium generatione libro ſecundo, & Auicẽna in libro De medicinis cordis, eum ſcribit, uultus ſuos effigiare ad cęleſtium corporum ſimilitudinem. Neq; enim calidum in animalibus ignis eſt, neq; ab igni principium habet. neq; enim animal generat ignis; neq; ignis eſt albus, nec omnino coloratus, ut dixit Empedocles, cum ſit color qualitas mixtionem conſequens elementorum, ſicut liquet ex libro de ſenſu & ſenſili. Porrò ſi eſſet albus aut prorſum coloratus, ſtellas uideri prohiberet noctu: quod ab Algazele in libro De philoſophia comprobatum ſcimus. In frigoris autem ratione ſciendum, in lingua conceptum frigus, ſed & in pedibus quandoq; & manibus, nuncupari malcen: quanquam eo nomine intelligere Demetrius maluerit, ex frigoris ui ſolutionem inortam. Malcion certe dici nouimus debile ac frigidũ, unde in hiſtoria legimus hauſtũ ab Mithridate pharmacum imbecille, ac malcion, quod ſerius uim oſtendit. Sunt qui malcen pro narce accipiant, id eſt torpedine. Omnino eſt malce, mollicies ex rigore ac motus difficultas. Quin & chimetla, id eſt perniones ac ſciſſuræ in manibus ex frigore ſic uocantur: quod ſcribit Theon. Vnde eſt apud Aratum,

Νώτῳ μαλκιόωντι κακώτερον.

quod ναρκῶντι exponunt, id eſt torpeſcenti. Obſeruatum & libro decimooctauo ἐκλογῶν περὶ γεωργίας, melcen haberi inter cibaria lacte acetoq; cõcinnata in ſiglinis nouis.

Cur extrema frigefacta uehemẽter, ſi admoueãtur igni, dolent. Quæ præcipue infeſtentur frigore. Cap. VI

Ontingit porrò & aliud in ſumma hac extremorum frigefactione, quod ea ſi igni admoueris, quo incaleſcant, inſigniter dolent. Id uero repentina fit qualitatis mutatione, quæ eſt ab excellenti frigiditate in plurimã caliditatem. Quippe quicquid immoderatius ac confertius fiat, τῇ δυσκρασίαν λυπεῖ τὴν φύσιν, id eſt per diſtemperantiam naturæ infert nocumentum: per eucraſiam uero & ſymmetriam, hoc eſt per temperamentum atq; moderationem naturam oblectat ſummopere. Certe caliditas aduenies frigiditatẽ incipit diſtrahere & propellere amplius, ac exagitare acrius, propterea ſpiritus incluſæ frigiditatis diſtractus & extruſus dolorẽ parit: calidum ſiquidem frigido contrariũ eſt, quæ diuerſitas afficere plurimũ poteſt, quia frigiditatẽ inſectetur caliditas. Hæc uero extrinſecus admota naturalem ſuſcitat atq; intendit. Protrudit ergo exterior caliditas introrſum frigiditatem, naturalis porrò eandem reijcit repercuſſu, quo nomine hincinde obſeptum frigus dolorem ciet. Eſt autem infeſtum frigus oſſibus præcipue, dentibus & neruis, quoniam concretionis ſunt terreſtris cuncta hæc, & frigidum ipſum terreſtre eſt: refrigerata itaq; offenduntur, quod ſimile ſimili adiectum furere faciat.

Frigida membra in aquã itidem immiſſa frigidam refici. Quæ conſequantur ſymptomata pereuntes frigore. Rhigoſibꝫ & dyſrhigi qui dicantur. Et quid rhigos. Virgilij locus ex ſecũdo Georgico, ſceleratum frigus appellantis. Cap. VII

Scribit

SCribit autem primo Canonis Auicenna, pleroſq; extrema corporum extimo frigore uehementius correpta in frigẽtem immittere aquam, indeq; præcellenter iuuari, uelut propulſo plane quod oblædebat. Sicuti poma item regelantur in frigidam proiecta, quod ſi igni applicueris, manifeſto corrumpuntur. Cæterum qua eiuſmodi obueniant ratione, amplius inda gine certa ſcrutari, inquit princeps, haud ſane medicinam profeſſo neceſſarium. Interpres uero, ceu pomœria prolaturus, intra pelliculam minus ſe continuit. Idq; contingere opinatur modo compari, quo frigidæ affuſio copioſior tetano, quem eſſe itidem frigidum conſtat morbum, quandoq; præſentiſſimè opitulatur ex inſiti ac genuini caloris aggregatione atq; cremento inde inſigni. Ex uiretis amœnioribus Auicennæ eiuſdem illud quoq; eſt, Frigore pereuntes, quos ψυχραγωγοῦντας feliciores fingendis uerbis uocant Græci, eodem commori pacto quo intercipi contingit opium haurientes aut mandragoram. Siquidem illos eiuſmodi conſequuntur ſymptomata, ſiue caſus aut accidentia, extimarum partium ſtupor cum algore, necnon pruritus, ſingultus, ſcotomia, gutturis coarctatio, & anhelitus, ſomni marcor, faciei & labiorum color citreus, & id genus alia, quę quarto Canonis non neglexit princeps. Mandragoram uero haurientes lethargia excipit & pruritus cum tetano & hebeti auditu. Qui inalgeſcunt perpetuo, ueteribus dicebantur rhigoſibŋ: dyſrhigos dicere malunt recentiores. Aliàs libro tuendæ ſanitatis tertio Galenus horrorem, cui adſit quadamtenus corporis totius cõmotio, ac plane concuſſio inæqualis, rhigos appellat, id eſt ῥῖγος. Aduertenda uero parte iſta Virgiliani loci expoſitio ex Hieronymo: Virgilius (inquit) alter Homerus apud nos, patriæ ſuæ ſequens conſuetudinem, ſceleratum frigus appellat. Virgilŋ exſecundo Georgico carmen eſt,

At ſceleratum exquirere frigus Difficile eſt.

Frigoris euẽtus plures. Exercitatos inexercitatis amplius ſentire frigus. Balbutiei ratio ex frigore, ebrietate, ira. Pili cur ſurrigãtur frigore. Stupor quid. Sopor ſtupidus. Peripſyxis. Catapſyxis. Phrice. Thebanum frigus. Chalcidicus candor.

Cap. VIII

ILlud quoq; in frigoribus uſu uenire per momenta ſingula experimur, τοὺς γεγυμνασμένους ἀνυσειγοτέρους εἶναι τῶν ἀγυμνάστων, hoc eſt exercitatos frigus uehementius ſentire, quàm inexercitatos. Id uero rationibus aliquot obuenire, compertum eſt, & tradidit Ariſtoteles. Nam pingui laboribus exhauſto, tollitur quod teporem præſtare poteſt: calidum namq; optimum eſt: uel quod ὑπνοώδη τὰ σώματα καὶ ἀραιότερα, id eſt ſpiratiora ſolutioraq; corpora eorum ideo ſunt, quoniam pingue excremẽtumq; omne detractum eſt, ita ut frigus arcere nequeant. Porrò meatibus per ſudationem patefactis, ueluti oſtia complura aperiuntur. Eſt & euentus ille in frigoribus notiſſimus, ut ſicuti ebrijs uſu uenire ſcimus, oberret lingua, quod frigoris ui concreſcit, & proinde fit ad motum ineptior hebetiorue. Frigidum porrò, uti aſtipulatur primo Canonis Auicenna, paralyſin facit ac (ut nouitio utar uerbo) mortificat, mobilitas uero & latitudo ſermonis prolationi perneceſſaria prorſum habentur, quod De partibus ſecũdo inſinuat philoſophus. Succurrere illa quoq; poteſt ratio, extimas partes appulſu frigoris amplius denſari, humoremq; intro illapſum linguam abunde humectare, ex quo minus illa ſuo perfungi munere poſſit utiq;. Quod in uino madentibus manifeſtiſſimum fit: ni quis tremorem frigoris poteſtate conciliatum, ad cauſam reuocet. Ille enim motum infert temerarium ac ſubſultantem, propterea inarticulatior prorumpit uox, hæſitante lingua & oberrante. Quod ipſum & in ira uſu uenire ſcimus, tunc ſiquidem ex furibunda caloris agitatione intemperãs, nec modulis conſtans ſuis producitur motus. Quæ ratio coeuntium quoq; ſermonem efficit confuſaneũ. Et uiceſima tertij Auicenna generationi tunc eſſe peraccõmodum tempus pronunciauit. Quod uero de humectatione nimia protulimus, mirum nemini uideri debet, tum quia ſubiecta cerebro lingua eſt, quod eſſe humiditatum fontem conuenit, tum quia perrara eſt, ac (ut neoterici loquuntur) poroſa, proindeq; humectationi excipiendæ promptior paratiorq;. Inter frigoris ſymptomata illud

illud item internoſcitur, horrore incuſſo, ſurrigi pilos in corpore, commeante ad interna caloris ui, qua caro deſtituta addenſatur cõſtipaturq́: ſic protolli pilos contingit, radice uehemẽtius arctata. Nec illud intactum inſcitumq́ relinqui debet, quod uſu compertum eſt: ſiquidem οἱ ῥιγοῶντες οὐ καθεύδουσι, hoc eſt qui rigent, minus dormire queunt. Id uero inde fieri putandum eſt, quoniam qui riget, ſpiritum magis retinet quàm laxat. At qui dormit, magis reddit, quàm attrahit, ϕανερώς οὖν ποιεῖ ἔχειν τὸ ῥίγος τοὺς καθεύδειν, id eſt affectionem ſopori diuerſam inducit rigor. Stuporem denicq́ à frigida oriri diſpoſitione, Galenus ſcribit, non neruorum modo, ſed & uenarum, arteriarum, carnis, membranarum, tunicarum, & cutis. eſſe namq́ ſtuporem refrigerationẽ inſigniter inductam, quo nomine ita affectis corporibus ſenſuum ac motuũ obrepit difficultas. Sicuti completa refrigeratio & ſenſum omnino adimit ac motum. Quod uero censeatur ſtupor diſpoſitionis nomen, non ſenſus aut doloris, palàm innuit Hippocrates, quum ſcribit, Stupor mediocris ſoluere dolorem poteſt. Proinde male Archigenes uidetur pronunciaſſe, ſtupidum dolorem ad neruos propriè pertinere. Stupor enim diſpoſitionis non loci affecti, indicium eſt. Legimus ſoporem quoq́ ſtupidum: eſt autem accidens eius actionis, quæ à loco mentis compote prodit, uerum ex frigida prouenit cauſa: ſicuti uigiliam & delyrium cauſa, poteſtate calida cõcinnat. Adijciamus & illud ex medicorum ſcholis: in febrium frigoribus plerunque uſu uenire, uti extrema modo inalgeſcant: diciturq́ à Græcis res ea peripſyxis. Alijs uero cum algore contingit tremor, quod nuncupatur rhigos. Alij toto inhorreſcunt modo corpore, quæ res appellatur φείκη. Catapſyxin uocant ijdem Græci, frigoris citra febrem nocumentum. Porrò loca comperiuntur nonnulla, quæ ſolſtitijs incaleſcãt nil admodum, ſed hyemali gelicidio horrent intoleranter, quod de Bœotijs circumfertur Thebis. Nam contrà Euboicam ferunt Chalcidem, tepere hyeme, at æſtate ſæuiſſime candere. Obſeruatum in libro De proprietatibus elementorum, frigoris rationem ex terræ ac aquæ nimia frigiditate contingere, quæ duo elementa nobis ſunt propiora, remotioribus aere ac igne, quæ calida ſunt.

De bulimia ſeu canina fame. Vini nocumenta in ieiunio. Quid thorexis & acrothoraces. Thorax pro pectore unde dicatur. Acroteria. Acroſtichis. De canino prandio uellicatim. Canina fames cur dicatur. Canum in excernẽdo difficultas unde ſit. Cap. IX

Aeterum nec illud citra perpenſionem prætereundum (pergam enim ſcitamenta hoc genus hinc inde expiſcari, ne quis theſauris expectatis, in carbones prolapſum ſe queratur) ex frigoris ratione conſequi interdum, hyemalibus potiſſimum horis famem illam intolerabilem, quam βουλιμίαν uocant Græci, ex noſtris caninum appetitum quidam: quippe frigoris uiolẽtia calore genuino ad intima coacto, inſatiabilis edendi cupiditas injicitur intenditurq́: quæ tamen uel minimæ rei guſtu reſtinguitur. Verum ſuper hac aduertendum amplius, ubi Sententiarum ſecundo ſcribit Hippocrates, Famem uini potio ſoluit: ſubtilius penſiculatiusq́ explicans ut ſolet, eam partẽ nobiliſſimus interpres, Non famem inquit eſuritionem ue quamlibet intellexiſſe Hippocratẽ, ſed eam planè quæ infeſtat appetitione anxia & irrequieta cibariorum, quam nõnulli caninam cognominant. Namq́ eiuſmodi famem curat uini potio, non eam quæ propter inediam aut alui fluorem ſanguinis ue profluuiũ uel aliam accidit uacuationem. Qui enim ob aliquam id genus cauſam eſuriunt, ijs epotum uinum minimè prodeſt, quin obeſt mirabiliter; conuulſiones inferens deliriaq́, ſi uinum ante cibum ingeratur. Ego quoq́ (inquit) ſic uitæ reddidi aſſiduè fameſcentes aliquos, ad bibendum large hortatus & uinum utiq́; quod admodum calefaceret: neq́ enim acerbum uinum talem conuellit famem, obſtirpatq́, ut quod haudquaquam calefaciat, ſed ruffum præſentiſſimum cẽſetur. Et paulò mox: Canina (inquit) appetẽtia, uel ob unam frigoris intemperiẽ, uel ob acidos quoſdam ſuccos fieri ſolet. Qui uero putant appellatã eſuritionem intolerabilem (ſic enim bulimum interpretor) nominari hoc in loco ab Hippocrate famẽ, à ratione eſſe diuerſos conſtat. Obiter autem id protinus ſubnotãdum, Hippocrati eſſe moris, uini potionem

nem appellare thorexin, libro enim quem De natura uictuq; hominis fecit, hũc in modum ait, Victus nequaquam causa est, quo morbus omnes prehẽdat, subinde natu minores, prouectioresq; ætate mulieres, & item uiros, atq; etiam θωρισσομένους, & bibentes aquam. Namq; obiectans thoressumenus, & potãtes aquam, uerbum θώρηξιν, ita armaturæ argumento impositum, signare uini potionem perspicue indicauit. Ex Græcis alij scribunt non receptæ auctoritatis, sed docti plane scribunt, θωρήξασθαι signare tum armis instrui, tum ebrium fieri: nam (inquiunt) thorax est pectus, παρὰ τὸ θεῖον ὠρεῖν, quod est, quia contineat quod in nobis diuinum est, uidelicet διανοητικόν. Ebrietas uero τὸν θώρακα θερμαίνει, id est pectus calfacit. Hinc & acrothoracas, summe aut leuiter (ut nonnullis placet) ebrios uocarunt. Lucianus in Lexiphane, ἐπίνομεν δὲ ἀμυστί, καὶ ἤδη ἀκροθώρακες ἦμεν, id est incessanter pocula persiccabamus iam & temulenti. Nam acron, summum signat: unde (dignum scitu) acroteria dici legimus angularias in ædificiorum ratione statuas, quæ in angulorũ summitate adstituuntur: nominantur & mediana quandoq;: quippe membra quæ supra columnarum capitula disponuntur, hæc ferè sunt, epistylia, zophori, coronæ, tympana, fastigia, acroteria. Acrostichis uero est, quum ex primis uersuum literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, item Sibyllinis. Sed ad institutum. Verbo θωρήξασθαι, in hanc sententiam usus & Anacreon est, ac Oppiani interpres exposuit ἁλιευτικῶν primo, ubi ait, θωρήσσειν apud ueteres non solum signabat armare, sed & ἀκρατοποτεῖν, id est indefinẽter, nec citra ebrietatem meracius bibere. Arbitratur Eustathius de uinolentorum contentionibus obrepsisse uerbi notionem, id est ἀπὸ τοῦ μαχίμου τῶν μεθυόντων. Sunt tamen qui uerbum id, si ad potum referas, per omicron malint subnotare, itemq; per ι θωϊσσεσθαι, ἀπὸ τοῦ θόρω, salio, quia impetuosi prosiliant uino madidi. Sunt qui caninum prandium, ad caninam hanc appetitionem contra Gellium putent referendum. Sed cúrnam canina fames potissimum dicitur? An quia insigniter famescant canes? A physiologis certe traditũ scimus, quæ animalia cõtinentiora esse ad cibi desiderium conuenit, hęc sua in aluo laxiores non habere sinus, sed anfractus & orbes plures. Laxitas enim intestini auiditatem auget cibi, rectitudo auiditatem accelerat. Quibusdam autem intestinũ parte, qua uentri iungitur, laxius est: qua desinit, arctius. Quamobrem canes uehementi nisu, nec sine cruciatu excernunt.

Cuiusmodi sit prouerbium, Aristogiton claudicat. Gloriæ adipiscendæ ratio. Quæ respublica optima. Caput X

ARistogiton claudicat, ex historia in eos parœmiæ faciem habet, qui morbum assimulãt, ne militiam uel id genus oneris publici quippiam coganter subire, quod improbum est, & à ciuili honesteq; educato uiro alienissimum. Auctores sunt, fuisse Athenis Aristogitonem quendam sycophantam, frugis non satis probæ. Eius conciones nihil non Martiũ spirabant, & de bellicis rebus bellicum quodammodo canebant, adeo ut sic populum in discrimina sæpe maxima conijceret, quum alioqui mollis ipse foret, & nulli rei. Proinde quum die quadam delectum haberi audisset, simulata ualetudine crus obligat, ac bacu lo innixus, uelut grauiter uulneratus, se in publicũ promit. Eum uero ubi è longinquo sic cõspicatus est Phocion, hominis uafricia perspecta, & (quod aiũt) ex uultu Aethiopem agnoscens, uociferans, inquit scribe Aristogitonem claudum & eundem improbum ac mendacem. Legimus porrò Aristogitonem hunc in uincula coniectum, damnatumq; ab Atheniẽsibus, oratum ad Phocionem misisse, ne grauaretur paululum ad se uisendum accedere: faciebat is quod petebatur. At eius facilitatẽ damnantibus amicis, quod flagitijs adobrutũ infamibus adire non abnueret, ac quodammodo alloquio subleuare, conantibusq; ab itinere iam instituto deterrere, καὶ ποῦ τις ἂν ἥδιον ἀκούσειεν λαλήσαντος; Vbi nam, inquit, iucundius quis Aristogitonem colloquio dignetur? Præterea ipsum hũc exagitat præclare Agesilai cognomẽto Magni apophthegma bracteatum, & omnium foribus appingendum, qui scitanti cuidam quo nam pacto gloriam apud homines indipisceretur, Si dicas (inquit) optima, facias autem pulcherrima. Sed & Ambrosius, Fortis (inquit) uiri est, non dissimulare, quum aliquid imminear

mineat,ſed prætendere,ac tanquam explorare deſpecula quadam mentis,& cogitatio ne prouida rebus futuris obuiam ire.Quod uerò ad Athenienſes attinet nimio plus ſæ pe oratoribus auſcultantes,attendenda uehementer Chilonis ſententia, cuius in Septē ſapientum conuiuio meminit Plutarchus:qui rempublicam eſſe optimam ſtatuit, quæ legibus quidem plurimum,rhetoribus autem minimè obtemperet. Sed hanc uix Lyn ceus inuenerit.Plato quidem diuinitus,ſicuti uel eius calumniator haud eſt auſus infi ciari:optimam eſſe ac haberi rempublicam ſanxit,quæ non ſimplex, aut de tribus una ſit paſſim celebratis,uerum ex omnibus cooriens,concinnataq́, cui princeps adſit u nus,uelut rex,& optimatum tamē poteſtas nō deſit & grauitas,ſed nec populare aſper netur auctoritatem.Nam qui unum ſanciendis legibus,ciuitateq́ conſtituenda reipu blicæ uelut ſcopum ſibi proponit ac ſeligit,nimirum is quæ in alijs agnoſcuntur, com moda reijcit planè ac aſpernatur,nec mala in ea ſeſe oſtentantia,quam cæteris prætuliſ ſe aduertitur,reclinat ullo modo aut eliminat.Quæ uerò tanquam farrago conſurgit ac conflatur ex pluribus,bona ſibi nullo negotio ſeponit, mala uel tollit uel infringit: huius ſententiæ meminit ſecundo Politicorum Ariſtoteles.

Ludere domi ſuæ,quid ſit.Cur ludo comparetur ſapiētia.Obiter de quin que pedum præſcriptione. Cap.XI

IVdendum unicuiq́ ſecundum animam uiuenti domi ſuæ,quum audis,in tellige ſanctiſſimorum ſententia commoneri te,abiuncta à rerum uaniſſi marum cura mente intima, obuerſandum in ſapientiæ contemplatione, quæ ludo commodiſſimè uidetur cōparari.Eſt enim in ea, oblectatio exi mia,iucūditas inenarrabilis:quę ut propria ex ludo petitur.Propterea ec cleſiaſtici uiceſimoquarto,ore pronuntiat ſapiētiæ: Spiritus meus ſuper mel dulcis.Lu dus porrò extrinſecus nil aliud quærit, ſed is propter ſe expetitur. Quod ipſum eſſe ſa pientiæ inſitum, quis non uidet? Delectamur utiq́ interdum eorum contemplatione, quæ appetimus,uel quæ agere inſtituimus.Cæterum uoluptas huiuſmodi extrinſecus adnexum habet aliquid,ad quod nitimur peruenire.Quòd ſi differatur,uel deficiat,co mes ſubſequitur afflictatio.Id eo comprobatur quod legimus Prouerbiorum quarto decimo,Riſus dolori miſcebitur.At ingenita ſapientiæ ſpeculationi amœnitas, omni Sirenum cantu dulcior longè ſuauiorq́,in ſeipſa oblectationis cauſam retinet,proinde nullis infeſtatur mœrorum incurſibus,ut quæ quod non adſit, expectet prorſus nihil. Vnde eſt illud Sapientiæ octauo,Non habet amaritudinem conuerſatio illius,nec tæ dium conuictus illius,immoq́ ſapientia illa inenarrabilis, & diuina delectationem ſui iure ludo comparat, ſicuti Prouerbiorum octauo, Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo,ut per diuerſos dies diuerſarum ueritatum conſiderationes intelligātur. Ve rum & ad inſtitutum noſtrum illud egregiè aduocatur quod extat Eccleſiaſtici triceſi moſecundo,Recurre prior in domum tuam,& illuc aduocare,& illic lude, & age con ceptione tuas. Habet id tanquam priuilegium quoddam ſapientiæ ſtudium, ut dum ſuum proſequitur opus,eo magis ipſa ſufficiat ſibi.In alijs equidem plurimorum indi gemus auxilio,ſed in ſapientiæ contemplatione tanto efficacior ſentitur eſſe conatus, quanto ab alijs ſequeſtrati amplius commoramur nobiſcum.Quamobrem ſapiens præ poſita ſentētia ad ſe ipſum reuocat hominem, dum ait, Præcurre prior in domum tuā: hoc eſt ad mentem tuam ab extrinſecis,ſtudioſe & anxiè redi prius, quàm ab alio oc cupetur,cuius mox diſtrahatur cura.Inde eſt illud item,Intrans in domum meam con quieſcam cum illa:cum ſapientia uidelicet. Verum, ſicuti ad ſapientiæ contemplatio nem illud perneceſſarium exigitur in primis,ut mentem ſuam præoccupet, quò domū illius contemplatione inferciat:ita nec illud negligendum,ut totus intentione adſit in tus,nec diuerſa rapiatur:& propterea dicitur,Et illuc aduocare:quod eſt, intentionem uniuerſam illuc congrega. Sic enim interiore domo exinanita omnino, hominēq́ in eam congregato, alienis curis prorſum reiectis quid agendum ſubdit, Et illic lude, & age conceptiones tuas, per quas homini datum,ueritatis aſſequi cognitionem. Nico laus Theologus etiam addit,Bonum propoſitum illic conceptum deducas ad effectus concinnitatē.Sed enim ex quo cœpimus in aliena oberrare prædia, ceu ſublata quinq́

pedum præſcriptione in finibus regundis, ita enim cautũ quandoq; fuit ex duodecim tabularum legibus: Si quis in agro aliquid plantarit, quinq; pedes à uicino abeſto: ſi ficum uel oleam, pedes nouem abeſto. Nam radicem protendunt hæ longius, nec citra nocumentum præſigne cæteris admouentur plantis, quod & ſucum abſumant & humorem affundant plerunq; noxium. Pergamus intrepidè indidem ſpicilegium facere uel applantare, quæ in uicinia proſerpendo radices agant.

Philoſophiæ in partes quaſi membra diſtributio. Simulacra duo propoſita nobis ad ueritatis diuinæ ſpeculationẽ. Theſis quid, & thetica in Paradoxis, reſtituta lectione uera. Excõſules. Exquæſtores qui ſint, ac expatriŋ. Excuriati. Explantare. Exaniare. De Iuſtiniano nõnihil. Cap. XII

PHiloſophiam tres continere partes, non ferè eſt qui neſciat: dialecticẽ, quã diſputatricem nonnulli Latino interpretamento dixerunt: logicen aliŋ, hoc eſt rationalem, quæ uim modumq; ratiocinationum, uericq; & falſi iudicium aſſumpſit: ethicen, quam Cicero primus moralem uidetur dixiſſe, ea uiuendi modum præſcribit: Nam, ut ſcienter Themiſtius in procœmio Phyſicæ auſcultationis ſcribit, Quum duplex totius animæ uis habeatur, appetendi una, altera cognoſcendi: id genus quod appetitum perficit, quod in irrationalitate totum & intellectu affectibus irrationalibus delegato poſitum conſtitutumq; eſt, Peripatetici actiuum nominauere, finemq; eius particulæ ſtatuerunt boni delectum atq; indeptionem. Tertia uerò theoretice eſt, ſiue contẽplatiua, aut ſpectatiua: quæ ſola uerum in eo quod eſt & quod non eſt, ſcrutandum diſcutiendumq; proponit. Sed ea quoq; trifariam diſtribuitur, in mathematicen, phyſicen, theologiam: in quibus ueritatis ſpeculatio, quaſi quibuſdam gradibus ad ſummum conſcendere deprehenditur. Prima enim, id eſt mathematica, uiſibiles rerum formas uiſibilium ſpeculatur. Phyſice uerò ſcrutatur inuiſibiles rerum uiſibilium cauſas. Tertia autem ſola, hoc eſt theologia, quæ diuinorum ſcientia ſancitur, diciturq; metaphyſice, ac prima philoſophia, ſicuti Auicenna docuit, nec tacet Themiſtius, inuiſibiles contemplatur ſubſtantias, & inuiſibilium ſubſtantiarũ inuiſibiles naturas. In iſs eſt ueluti progreſſio quædam, & mentis profectus ad pernoſcendũ uerum conſcendentis. Per uiſibiles enim uiſibilium formas peruenitur ad inuiſibiles uiſibilium cauſas, aſcenſus præſtatur ad inuiſibiles ſubſtantias, & earum dignoſcendas naturas. Hæc eſt philoſophiæ ſumma, & ueritatis perfectio. Nam contemplante animo nihil altius ſublimiusue eſſe poteſt. In hac mundi ſapientes ſtulti facti ſunt, quia ſolo naturali documento ſecundum elementa, & ſpeciem mundi incedentes, exemplariſs gratiæ exuti cæcutierunt. In quibus etſi humilis erat ſpecies, manifeſtior tamen præſtabatur ueritatis demonſtratio. Duo ſiquidem ſimulacra cæcis fuerunt mortalibus propoſita: quod & libro ſecundo eſt à nobis commemoratum, in quibus hac rerum obuoluti caligine inuiſibilia poſſent ſpeculari: unum naturæ, gratiæ alterum. Et ſimulacrũ quidem naturæ, ſpecies eſt mundi huius. Gratiæ uerò humanitas uerbi, & in utroq; monſtratur deus, ſed in utroq; non intelligitur. Quoniam natura quidem ſpecie ſua artificem utiq; nobis præſignificat, ſed contẽplantis oculos illuminare non poteſt. At enim Saluatoris humanitas & medicina fuit, ut cæci lumen reciperent, & doctrina pariter, ut uidentes ueritatem agnoſcerent: lutum ex ſputo fecit, & cæci oculos liuit, lauit & uidit, demum uidenti, ſed necdum cognoſcenti ait, Ego ſum qui loquor tecum, ipſe eſt filius Dei. Prius itaq; illuminauit, poſtea demonſtrauit. Natura quidem demonſtrare potuit, ſed illuminare non potuit. Et mundus creatorem ſuum prædicauit, ſed intelligentiam ueritatis cordibus hominum minimè infudit. per naturæ igitur ſimulacra creator modò ſignificabatur. in gratiæ uerò ſimulacris deus oſtẽtabatur præſens, quia illa operatus eſt, ut intelligeretur eſſe. In iſtis uerò operatus eſt, ut præſens agnoſceretur. Hoc eſt theologiæ mundanæ diſcrimen ab ea quæ eſt, & diuina nuncupatur theologia. Impoſſibile nanque eſt, inuiſibilia niſi per uiſibilia demonſtrari, proinde theologia omnis neceſſariò uiſibilibus utitur demonſtrationibus ad inuiſibilium declarationem. Sciendum uerò amplius, in hac philoſophiæ mentione tam multa, theſim uti aliàs commeminimus, ex Ariſtotelis doctrina primo Ethicorum nuncupari opinionem, ac ἐνδόξω-
ψιν cu-

ψιν cuiuſpiam ex iſs qui celebre in philoſophia nomen indepti ſunt, mirabilem, & (ut Græci dicunt) παραδοξον. Propterea hæreſeos id genus auctorem nominatim ſubiici oportere, ſancitum eſt. Sicuti, an ſit unum, & id immobile, quod eſt, ut Parmenidi eſt uiſum, an non. Item ſit ne motus, an non: quod Zenoni arriſit. Hæc autem thetica dici uolent, ac legẽdum ſic apud Ciceronem, paradoxo primo, ubi per inſcitiam expuncta, uel interpellata ſynceriore dictione, hoc eſt ἀντὶ θετικῶν legitur modò κατηγορικά. Hinc aperitur illud item Ciceronis ad Quintum fratrem: Cicero (inquit) tuus noſterq; ſummo ſtudio eſt Pæonij ſui rhetoris, hominis (opinor) ualde exercitati ac boni. Sed noſtrum inſtituendi genus eſſe paulò eruditius, & θετικώτερον, non ignoras. Sunt tamẽ qui πυκνικώτερον malint legere. Sunt porrò grammaticis theſes poſituræ ſeu diſtinctiones, quibus orationem interpungimus, gratia ſpiritus reficiẽdi. Sed & adoptio ſic nuncupatur, unde filij diſtinguuntur φύσει, id eſt natura, & theſi. Sed erunt forſan, qui negotium faceſſere nobis pergãt hoc nomine, ceu alta nimis ac recõdita ſcrutemur anxie. Vtcunq; mihi iſta utiq; arriſerint amplius, quàm enotaſſe, quod ex doctis quidam fecere, exconſulem, exquæſtorem, expatritium dici eum, qui hiſce dignitatibus perfunctus olim ſit: quanquam uocabulis ſubagreſtibus, ſicuti apud Varronem Marcumq; Tullium excutiati legũtur exterminatiq;, qui curia & terminis exacti ſunt. Explantare ac deplantare apud Columellam, eſt ramos defringere. Exſaniare, uelut ſaniem eximere, ac repurgare. Verum proba hæc receptaq;, illa minus, quin paulò etiam inſolentius lapidata quibuſdam proſciſſaq;. Etiam ſi apud Valerium libro tertio legitur, excõſul Craſſus: quanquam ſunt qui Ex conſule, reponant. Expromittere quidẽ, ac expromiſſores apud Vlpianum, Pomponium Caiumq; comperi quandoq;. Nam exquæſtorem non reformidat Iuſtinianus, qui tamen ab quæſtore non uidetur diſparatus, quando tamiam ſic interpretantur. Cæterum creditur Iuſtinianus prorſum fuiſſe literarum expers: etenim Iuſtinus pater boues pauit, ſed antea ſues, mox materiarij fabri miniſter uilis. Iuſtinianum Sudas ex imperitia ἀναλφαβητον uocat. Fuit Iuſtinianus alter Conſtantini filius, quem ab reſectis naribus ῥινότμητον uocant, meminit auctor Sudas.

Quibus gradibus diuina ad nos profluat illuminatio; rurſumq; quibus ad deum noſtra refluat mens. Cap. XIII

PORrò quibus gradibus diuinæ illuminationis ad nos uſq; progreſſus fiat, rurſum quibus mens noſtra ad ſummæ claritatis contemplationem reducatur, non eſt hac parte omittendum, quòd cæleſtis hierarchia Areopagitæ Dionyſij doctioribus, perſpicacisq; ingenij uiris ſcienter inſinuat. Etenim diuinum lumen in angelicam primum deſcendit naturam, & ab ipſa mox reuelationibus & diuinis demonſtrationibus, & myſtica ſacri eloquij narratione ad noſtram uſq; intelligentiam participationemq; ſe transfundit. At humana mens eiſdem rurſum gradibus ad ſuperna conſcendens ſacra diuini eloquij inſpectione, cæleſtia ſecreta, & eam quæ in angelis eſt diuinæ claritatis illuminationem perpendit, ex qua paulatim in inuiſibilium agnitionem ſuccreſcens, ad ipſum tandem diuini & ſummi luminis ſplendorem contemplandum conualeſcit. Vnum ſiquidem lumen ad multa ſe diuidit illuminanda, ut illuminata omnia ad unius claritatis aſpectum ſimilitudinemq; reformet. Claritas patris unius emiſſione ſimplicis radij & illuminatione per cuncta ſe diffundit & penetrat uniuerſa, quoniam unam ſapientiam pater genuit, per quam opera cuncta ſua fecit. Verbum quippe patris lumen de lumine eſt, unum uerbum & radius unus. Et ipſum uerbum ſapientia eſt, & ipſa ſapientia lumen eſt procedens, quæ una de uno nata eſt, & propterea radius unus à claritate una, à quo illuminantur qui ad ipſum reformantur, ut luceant ex ipſo & lux ſint cum ipſo, ſicut ipſe lux eſt. Et quum multa ſint illuminata lumina, & uariè diſſimiliterq; lucentia: unum tamen (ut diximus) lumen eſt, illuminãs illuminata omnia. Hæc contemplatio uera eſt, hæc item uera felicitas, quæ ambroſia & nectare animum alit, ut Plato inquit, hoc eſt diuina replet cognitione, ac inde uoluptate perfundit fœcundiſſima inexplebiliter.

De felicitate duplici, ſpeculatiua & actiua, & utra excellentior uita. Caput XIIII

DE duplici felicitate alibi, quantum noſtra paruitas tulit, diſſeruimus. Nũc placita beati Thomæ adnectemus, quæ prius tradita reddẽt tum locupletiora, tum uerò illuſtriora quoq;. In intellectu, inquit, ſpeculatiuam conſiderare uim poſſumus, cuius eſt finis ueritatis cognitio, & practicam, cuius eſt finis operatio. Et proinde duplex aſſignatur hominis felicitas: una ſpeculatiua, quæ eſt operatio ex uirtute perfecta cõtemplatiuaq;, quam ſapientiã dicimus: altera uerò practica, quæ hominis eſt perfectio, ex uirtute actiua quæ uocatur prudentia. Eſt autem operatio quædam iuxta prudentiam, & ſpeculatio ex ſapientia hominis, quatenus id agit ſolus. Eſt & quædam prudentiæ operatio, & ſpeculatio ciuitatis totius. Quamobrem in perpenſionẽ uenire actiua & ſpeculatiua hominis felicitas poteſt iuxta ſeipſum: poteſt & ciuitatis uniuerſæ. Forſitan uerò expectet aliquis, id item expendamus hac parte, Actiua ne uita præcellat contemplatiuam, an contra omnino ſentiendum. Ego uerò rationis huius examen reclinabo ſtudioſe, quando & idem doctor ſanctus quæſtionem ſibi excutiendam deſumpſit, dum ſeptimum explicaret Politicorum librum, ſpeculationem cõmonens longè anteire. Et præterea ex iunioribus aliqui non neglexerunt. Nos tamẽ M. Tullij ſententiam, uelut conniuentes, tranſmiſiſſe, haudquaquam ère literaria futurum, opinamur. Multi (inquit) & ſunt & fuerunt qui eam quam dico, tranquillitatem expetẽtes, à negotijs publicis ſe remouerunt, ad otiumq; profugerũt. In his & nobiliſſimi philoſophi, longeq; principes, & quidam homines ſeueri & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt. Et mox paulò, facilior quidẽ & tutior & minus alijs grauis, aut moleſta eſt otioſorum uita. Fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemq; aptior eorum, qui ſe ad rempublicam & ad magnas res gerendas accommodauerunt. Quapropter & his forſitan concedẽdum ſit rempublicam non capeſſentibus, qui excellenti ingenio doctrinæ ſeſe dediderunt: & ijs qui aut ualetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore cauſa impediti à republica receſſerunt, quum eius adminiſtrandæ poteſtatẽ alijs laudemq; concederent. Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant, quæ plericq; admirẽtur, imperia & magiſtratus, his non modò, non laudi, uerumetiam uitio dandum puto. Auguſtini quoq; non negligẽda ſententia, quæ parte iſta uicem implebit auctarij. Siquidẽ illud enarrans propheticum, Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Duo (inquit) oculi ſunt, myſticus acutior, moralis dulcior. Non eſt otio mancipatus, qui uerbo dei tantum ſtudet. Nec maior eſt, qui extra operatur, quàm qui cognoſcendæ ueritatis ſtudio incumbit. Ipſa item ſapiẽtia maximum eſt opus. Et antefertur Maria quæ audiebat, Marthæ operanti.

Cur ore emiſſus lente ſpiritus calidus ſit, aliter uerò frigidus. Cap. XV

ANaximenem philoſophiæ ueterẽ ſectatorem, proditum memoriæ eſt, ita de calore, deq; frigore ſanxiſſe, ceu hæc ſubſtantiæ haudquaquam inſint, ſed affectiones cenſeri communes debeant, materiæ accedẽtes euariationis commutationis ue ratione. Addenſatum ſiquidẽ conſtipatumq; arctius eſſe autumat frigidum, rarum autẽ ac molle laxiusq; calidum, unde nõ abſurdè colligi, nos calida quandoq; efflare, quandoq; & frigida: quippe caleſcere oris flatum laxis labris molliter emiſſum, raritatis ratione: at compreſſis, ob denſitatẽ frigidum euadere, ac ſentiri. Id uerò inſcitè admodũ, nimisq; imprudẽter dici, coarguit ſummus id genus rerum æſtimator Meteororum ſecundo Ariſtoteles, quòd lentius diſcluſis labris ſi efflemus, ſpiritus caloris intimi proferat qualitatẽ: ſi uerò tantum non cohærentibus, ac uehemẽtia quadam difflatio longius ſeſe prompſerit, agitari tunc, propelliq; aerem, qui ante os ſit, quẽ eſſe frigidum, quia ſit multis, ijſdemq; frigidis uaporibus refertus, inficiabitur nemo. Proinde calfactionem eſſe ex nobis, at frigefactionem ex aeris extimi ui ſimul cum flatu incidente.

Quid ſit primò frigidũ, aer ne, an aqua, an etiã terra. Cnephas, & nephos unde. Oleum cur diaphanũ, & in primis leue. An chaos legi rectè poſſit in Euangelio Lucæ. Chaon quid. De Stygis aqua. Itẽ quid Latype. Chaos. Ades. Herebus. Cap. XVI

Quod nam



Vod'nam ex elementis principem frigiditatis locum habeat, non paruæ fuit apud ueteres quæstionis: siquidem aeri contribuit hoc Stoicorum disciplina: Empedocles uerò & Straton, aquæ. Nec defuerint, qui frigoris substantiam, terræ attributã uelint. Stoicæ sectæ rationes ferè sunt hæ: quoniam sit ignis lucidus simul & calidus, consequens uideri, ut illi obiecta natura tum frigida sit, tum obscura. Vt enim lucido sese opponit tenebrosum, sic & calido frigidum. Etenim sicuti uisum confundit obscuritas, eodem modo & tactũ frigus. Calor uerò tangentis sensum diffundit, uti uidentis lumen. Proinde quod in natura principem tenebrarũ uendicat locum, idem & frigiditatis uendicabit. Esse uerò aerem huiusmodi, ne poetas quidem latuisse uidetur: quippe aeris nomine tenebras intelligi debere, sicuti ex eo liquet plane,

ἀὴρ γὰρ παρὰ νυσὶ βαθὺς ἵῃ,

Aer uerò assidebat nauibus profundus. Et rursum alibi ad hanc sententiam, Aerẽ quidem dissipauit, & nebulam discussit. Porrò cnephas aerem dixere luminis expertem, uelut ἀχνὸν φάους, id est luce uacuum. Et ab eadem claritatis priuatione, νέφος, id est constipatiorem aeris partem, nubilosamq;. Denicq;, quod colorem nescit, nec uisum admittit, Ades dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀειδὲς, & Acheron, ἀπὸ τοῦ ἀχρώματος. Sed & eundem Tartari nomine intelligi uoluere de frigiditatis ratione: quod ex carmine Hesiodico liquere in primis possit, τῶ τεταρῶ ἀφόρητα. Nam & qui non citra tremorem obriguerit, dicitur ταρταρίζειν. Astipulatur & corruptionis ratio, quæ creditur transmutatio quædam in contrarium. Ignis uerò mortem esse aeris colligunt generationem. Quid, quod concretio est quidem aquæ affectio, sed aeris opus, quippe suapte natura fusilis aqua est, & congelationis nescia. Cæterum aeriæ frigiditatis ui contrahitur constipaturq;. Vt uerò altissimum quodq; flumen est, ita maximè concretionis ferè expers uisitur, aeris ui penetrare altitudinis ima nequeunte. Hac uerò parte obiter impingẽda protinus Aristotelis sententia est ex secundo Generationis & corruptionis, Ignis (inquit) est calidus & siccus, aer calidus & humidus, aqua frigida & humida, terra frigida & sicca. Sciẽdum tamen, singula corpora singulis qualitatibus præcipuè reddi insignia, & terrã quidem siccitate, potius quàm frigore: aquam frigore magis, quã humore: aerẽ humore, quàm calore: ignẽ calore amplius, quàm siccitate. Quod Sophoclis quoq; interpres annotauit. Et mox Aristoteles, Vbi aquæ corrumpitur frigidum, ignis autem siccum, aer fiet. Si uerò ignis calidum, aeris autẽ humidum, terra consurget. Quod si aeris calidum, terræ autem siccum transmutetur, aqua erit. At quando aeris humecta uis, terræ autẽ frigiditas, ignis emicabit. Hæc addita interim à me sunt propter sciolos, qui cum indocti sint, & pauca respectent, facilè (ut inquit philosophus idem priore eiusdem lucubrationis libro) annuntiant, quod est nil acrius perpendentes sententiam proferunt. Sed ad institutum redeo. At Empedocles aqueæ naturæ frigoris principem ascribens locum, eodẽ fermè ratiocinij calle incedit. Nigrorem & frigus eiusdem esse substantiæ coniectans. Sicuti eiusdem est lumen, & calor, quod uerò non aeris nigredo sit genuina, sed aquæ, adijcere calculum putet sensus potestatem. Nil enim prorsum, ut simpliciter dicamus, aeris ui nigrescere. Omnia uerò aquæ natura eiusmodi euadere, quod manifestò deprehendas, albissimis in aquam coniectis linteis, quæ nigrorem madefacta contrahunt, qui & perseuerat, donec caloris ui humor euaporarit uniuersus, aut ratione quauis expressus euanuerit. Eadem & terram consequitur affectio, ubi immaduerit imbre. Quo uerò profundior aqua est, eo & plus sibi uẽdicat obscuritatis, proxima quæq; aere illustrante. Ex humoribus autem cæteris oleum præcipuè diaphanum est, quod aeris prouenit admixtione multa, argumento esse leuitatem, qua omnibus supernatet. Facere creditur & in mari tranquillitatem fluctibus insperſum, non leuoris ratione lubricitatis ue uentis dilabentibus, sicuti censuit Aristoteles, sed quia disgregat humorẽ, ac distinguit aeris potentia. Quin & à spongotheris effusum ore oleum in imo maris luminis aliquid præstat. Sed nec frigoris ratione aquam aer uicerit. Siquidem oleum item ex humectis omnibus plurimum habẽs aeris haudquaquam frigidum est, & mollissimè concrescit. Quod uerò de corruptione dicatur, haudquaquam ueritati cõgruere. Neq;

re. Neq; enim in contrarium, ſed à contrario corruptionem fieri, uelut ignis in aerem ab aqua. Propterea Aeſchylus, etiam ſi tragicè, uerè tamen, inquit, ὕδωρ ὑδάτων, πῦρ πυρός. Qua ratione aduerſum flumini Vulcanum phyſicè in pugna Homerus confingit: & Archilochus non ineptè de ea, quæ contraria ſentiret per fraudem: Altera, inquit manu aquam ferebat, ignem uerò altera. Et apud Perſas ſupplicationis genus efficax maximè cenſebatur, ſi interminaretur ſupplex, ubi excidiſſet uoto, in profluentem ſe immiſſurum ignem. Aeris autem ui concreſcere aquam, aſtrui ineptiſſimè & à ratione procul, quando aer ipſe non utiq; concreſcat. Neq; enim nebulas aut nubes eſſe concretiones ſed craſſitudinem humecti aeris & uaporoſi. Adiuuant inſtitutum cacumina montium eò altitudinis prouecta, ut nuſquam ibi nubes, non nebula, non roſida uiſatur humectatio. Quod indicio eſt, humectam uim & frigidam aliunde aeri permiſceri. Quod uerò ima præaltorum fluminum gelu non contrahantur, ratio eſt: ſuperficie ſiquidem concreta, exhalationibus meandi in ſuperna libertas intercipitur, at illæ occluſæ reiectæq; inferiora calfaciunt. Quam rem comprobat amplius, regelatis aquis, copioſior ſeſe promens exhalatio. Sed & eodem modo corpora animantium hyemali ſydere coniectantur calidiora. Illud quoq; non inefficax indicium, frigoris principem locum eſſe in aqua, non in aere, quòd rigoris atrocitate inania uaſa non ferè diſſiliũt. At humoris plena multa, non figlini operis modò, ſed ænea quoque. Adde, proprietates aquæ multas igni prorſum aduerſas. Ante omnia caliditati ſeſe obiectat frigiditas, ſiccitati humecta uis, mox & grauitas leuitati, omninoq; diſtinguendi ac ſeparandi poteſtas ineſt igni: aquæ uerò ferruminandi (ut ſic dicam) adglutinandiq; ac continendi potentia, ex humectandi facultate concretionẽ præſtans. Cæterum ſuppetunt & pleraq;, quibus aſtrui terræ ualeat frigus: etenim ſicuti eſt ignis claritate illuſtris, ita omnium obſcuriſsima eſt terra, ac lumine prorſum uacua. Aer quippe in luminis uenit participatum, à ſole dum luce oppletur, quam & per uniuerſa diffundit. Terra uerò ſola claritatis expers, ſolis radijs & lunæ perſeuerat impenetrabilis, teporẽ admittens quidẽ, at luminis uim haudquaquam ob denſiorem ſoliditatem: nam & eius intima, chaos nuncupamus & Aden Erebumq;. Quo argumento rectè opinati forſan pleriq; fuerint, Lucæ ſextodecimo ſcribi, Et in his omnibus inter nos & uos, chaos magnum firmatum eſt. Etiam ſi minus me fallit, Græcè ita circumferri, χάσμα μέγα ἐστήρικται: quod chaſma indicat magnum eſſe obfirmatum. Signat uerbum id ſecretionem hiatumq;: unde Ariſtoteli terræmotus chaſmatiæ, ubi ſidit terra, hiatq;. Sunt qui chaos putẽt, quod cælum inter ac terram eſt, inane, παρὰ τὸ χεῖσθαι. Chaon uerò, id eſt χαὸν, Lacedæmonij bonum dicunt. Vtitur eo uerbo uel Theocritus, ſed ita ut generoſum etiam indicet, aut uetus. Noctem porrò è terra genitam fabulantur poetæ, quam denſitati corporis ſeſe ſoli obiectantis aſcribit mathematica diſciplina. Eodẽ item obſcuritatis argumento uidẽtur carminum conditores γλῶ μέλαιναν paſsim nuncupare, id eſt terram nigrã. Cæterum, ratio hęc parum fortè probarit quod intẽditur, quoniam lucidorum pleraq; agnoſcimus frigida. Et obſcuris quandoq; caliditatis ineſt multum. At illæ frigoris cognatæ ſunt poteſtates, grauitas, ſtabilitas, denſitas, immutabilitas. Ex quibus aeri nil ineſt omnino, terræ autẽ adſunt, quàm aquæ magis multo. Quòd ſi humecti eſt, emollire: nam quod præcipuè humet, molliſsimum eſt: Si item frigentis eſt, concretionem inducere, neceſſariò conſequi uidetur, frigidiſsimum eſſe, quod ſit maximè cõcretum, cuiuſmodi terra eſt. Quod uerò natura frigidiſsimum eſt, idem & frigidum primò eſt. Itaque primò & natura frigidum, terra eſt. Id uerò & ſenſui obuium eſt: ſiquidẽ lutum eſt aqua frigidius: & terræ iniectu præcipuè ignis reſtinguitur: nam & ærarij ignito & liqueſcẽti ferro marmor inſpergunt, ac latypen, id eſt friatos lateres fluori reprimendo, ac ita quadantenus refrigerantes. Sed & athletarum corporibus iniectus puluis frigefacit, & ſudores reſtinguit. Quoniam uerò calore prorſum extrito, frigoris ui ſaxa uidentur concreta, unde & pagi Græco dicuntur ſermone, hinc per ſaxa delabentes aquæ, atq; è montibus defluæ in primis frigere animaduertuntur. Sicuti, quam Stygis aquam uocant, comprobat euidentiſsimè, cui ex petra profluenti inſignis ineſt frigiditas, diſſilientibus uaſis omnibus, aſini modo ungula excepta, aut mulę, ſicuti alij prodidere

prodídere, ní mendoſa ſunt Græcorũ exẽplaria. Certè in líbro πρὶ πρώτου ψυχροῦ Plutarchus de aſíni ungula intellexit, quod facit in híſtoríjs ítem Iohannes Monachus ín Alexandrí mentíone. At líbro triceſímo Plínius, mularum ungulís contíneri modò Stygis aquam prodít. Facílis lapſus: nam Græce ὄνος, aſínus eſt, mulus autem uel mula, ἡμίονος. Aut utrunq; eſt, aut forſan labítur Plínius. Nam ín Alexandro Plutarchus, ὄνου χηλὴν dícit: quanquam ínterpres, equí ungulam reddíderít. Porrò ut profundus maxímè puteus quíſque eſt, ita frígidam ín prímís aquam reddít. Quíppe cuí mínímè extímus promíſceatur aer. Denicq; terra aut nunquam aut uíx peruritur, aere ínflammato ſæpius, ac fulgurante.

An ſeruitus ſit præter naturam. Quot modís ſeruí fíant. Vulcaní & Dædalí trípodes. Veneris ſtatua mobílis. De duplící ín nobís príncípatu, deq; Aſíatícorum ſeruílíbus ingenijs, & Perſíca ſeruítute, ac Iuliano ímperatore. Cap. XVII

SEruitus ex ijs eſſe uídetur, quæ præter naturam ſunt. Ita enim ſancít Imperator, & præterea iureconſultus Pomponius, digeſtís De uerborum & rerum ſignificatione, ac Florentinus digeſtís De ſtatu hominum, Seruitus eſt conſtitutío Iurís gentium, qua quís domíno alíeno contra naturam ſubíjcítur. Serui autem (ínquít ídem) ex eo appellatí, quòd captíuos uendí, ímperatores íuberent, ac per hoc ſeruare, nec occídere: qui & mancípía dícuntur, eo quòd ab hoſtíbus manu caperentur. Seruos porrò aut naſcí tradunt, aut fíerí. Et naſcí quídem ex ancíllís noſtrís: fíerí autem íure gentium, hoc eſt ex captíuítate, aut íure cíuílí, quum homo líber maíor uíginti annís ad pretíum partícipandum ſeſe uenundarí paſſus eſt. At Syracuſís ſeruílem ſcientiã quídam edocebat, pueros mercede inſtituens, ut coquinarìam ſcírent, uel id genus famulatũ alíum. Ad hoc pertínet magnopere Ambroſíí præclara ſententia: Manebat, ínquít, ante uíní ínuentionem omnibus ínconcuſſa líbertas, nemo ſcíebat à conſorte naturæ ſuæ obſequía ſeruítutís exígere. Non eſſet hodie ſeruítus, ſí ebrietas non fuíſſet. Verum enímuero Arıſtotelís ſuper hís placíta ob ſeruanda amplíus ex Polítícorum prímo, τοῖς δὲ παρὰ φύσιν δοκεῖ τὸ δεσπόζειν, νόμῳ γὰρ τὸν μὲν δοῦλον εἶναι, τὸν δ' ἐλεύθερον. φύσει δ' οὐδὲν διαφέρει, διόπερ οὐδὲ δίκαιον, βίαιον γάρ. Vídetur (ínquít) nonnullís eſſe dominatío præter naturam, lege nanque inſtítutum, ut ſeruí habeantur alíquí, líberí autem alíj: at natura nullum prorſus eſſe díſcrímen. Proínde nec eſſe íuſtum quídem, quando non abeſt uíolentía. At enim quum ſíne neceſſarijs ímpoſſíbile ſit uíuere, & bene uíuere. Nam & in artíbus neceſſarium eſt, propría ſubeſſe inſtrumenta, ſí opus modò confící debeat. Equídem in re familíarí ídem contíngere, ín confeſſo eſt. At τῶν ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δὲ ἔμψυχα, inſtrumentorum hęc quídem ſunt anímata, alía uero ínanímata. Seruus autem quem poſſídemus, eſt quíd anímatum, & tanquam inſtrumentum ſuper inſtrumenta alía. Quòd ſí organa poſſent uel ſolo domíní nutu, uel per ſe præſentíentía, opus ſuum exſequí: ſícutí de ſtatuís Dædalí aut Vulcaní trípodíbus fertur, quos cecínít Poeta, ſponte ſua díuínum prodíjſſe ín certamen. Nam & mobílem Veneris ſtatuam ab eodem ſtructam Dædalo ſcímus, ínfuſo quod ἄργυρον uocant χυνὸν, ídeſt argentum uíuum: ſíc & pectínes pecterent, ac plectra pulſarent: nec architecti ſanè miníſtrís, nec ſeruís domíní índigerent. Qui uero ſuí ípſíus non eſt ſecundum naturam, nec regí poteſt níſí ab alío, hic natura eſt ſeruus. Nam genita pleraque díſtinguuntur ſtatím, alía quídem ut ímperent, alía uero ut pareant. Quín & in hís, quæ uítæ expertia ſunt, ímperium quoddam reperías, ut in harmonía: ſíue quía ſemper ín uocíbus, quæ conſonant, uox aliqua prædomínatur, iuxta quam uníuerſa díjudícatur harmonía: ſíue malís harmonícam elementorum in corpore mixto rationem accípere, ín quo unũ alíquod ſemper prædomínatur. Verum enímuero animal ípſum ex anima prímum conſtat & corpore, ὧν τὸ μὲν ἄρχον ὂν φύσει, τὸ δ' ἀρχόμενον. ídeſt, quorum alterum uí quadam naturalí ímperat, paret uero alterum. Cæterum conſíderare naturam oportet, non in corruptís utíque, hæc quíppe à naturalí receſſerunt ſerie: ideoq; nil officit, ſí mínus íd comperíatur uerum in omnibus, ſed ín ijs quæ íuxta naturam ſe ha-

bent amplius. Perſpiciemus autem in animali imperium primò dominicum, mox & ci uile. Nam animus quidem in corpus deſpoticum exercet principatum: propterea ſignificantius dixit nobilis hiſtoricus, Animi imperio, corporis ſeruitio magis utimur. Mens uero in appetitum profert politicum, id eſt ciuilem regiumq́. Diuerſitatis uero huius inde promi ratio poteſt, quoniam moueri nequit corpus, ni motus initia ſortiatur ab anima, & ideo ei ſubijcitur prorſum. At appetendi facultas moueri non à ratione ſolum poteſt, uerum & à ſenſu, proinde non omnino rationi obnoxia eſt. Quam ob rem quiſquis tantum cæteros præcellit, quantum anima corpus, & beſtiam homo, hic uidetur ad imperandum natus. Nam & Solomon ſcribit, Stultum ſapienti ſeruiturum. At quorumcunq́ eſt opus in corporis uſu, hi ſunt natura ſerui. Itaq́ naturæ ui, alia quidem corporum robuſta uiſuntur ad neceſſarios uſus: alia uero recta & inutilia ad operationum id genus, uerum ad ciuilem uitam peraccommoda, etiam ſi diuerſum euenit quandoq́. Ex ijs uero arbitror profluxiſſe rationibus, ut mira in hac parte gentium uiſatur diuerſitas, alijs imperia germinãtibus, alijs iugũ ſeruitutis excutere neſcijs, quanquam (quod aiunt) Tyrrhenis ſæpe uinculis oneroſius moleſtiusq́. Nam Ageſilaus Lacedæmoniorum imperator & rex, qui in Aſia multa ædidit præclara facinora, utriuſque linguæ certatim auctoribus concelebrata, ut accepimus, dicere conſueuerat, ὡς τοὺς ἀσίαν κατοικοῦντας ἐλευθέρους μὲν κακοὺς εἶναι, δούλους δ' ἀγαθούς. hoc eſt, eos qui Aſiã incolerent, eſſe liberos quidem malos, ſeruos autem bonos. Et, ne quid ſciens præteream, quod in claſſicis mihi ſit auctoribus compertum, lego Callicratidam eorundem Lacedæmoniorum nauarchum, quum interrogaretur, cuiuſmodi ei uiderentur Iones, reſpondiſſe, Liberos utiq́ malos, at frugi ſeruos. Perſicam ſeruitutem, ut nimiam, libro De beneficijs ſecundo, taxaſſe uidetur Seneca: Homo (inquit) natus in hoc, ut mores liberæ ciuitatis Perſica ſeruitute mutaret. In Germanicis bellis Iulianum imperatorem laceſſentes militum plerique Aſianum ſubinde Græculum appellabant, & ſpecie ſapientiæ ſtolidum. Obiter uero id adieciſſe, nullum fuerit diſpendium operæ: hunc eſſe Iulianum, quem adulandi profeſſores ab hirſutie Capellam nuncupabãt apud Conſtãtium Cęſarem, ſed & loquacem talpam, & ſimiam purpuratam, & literatorem Græcum. Nec mirum, inuidiæ ſiquidem gloria ſemper obiecta. Nam Aemylianum Scipionem eatenus maleuolorum inceſſebant uoculæ, ut ſomniculoſum dicerent, ac prædicarent.

Seruorum ſpecies eſſe plures. Banauſi qui dicantur. Ergaſteriũ. Ligna ergaſima, cauſima, cocta, acapna, erepſima. Coctilia taberna, coactiliaria, coactilia, cathedraria. Axylon quid. Amurca. Amorgæ. Amorginæ ueſtes. Amorgis. Erepſimon. Xyloſis. Diaxyla. Dialectica. Diaporphyra. Xyla. Thetes. Theſſæ. Peneſtę. Cillycirij. Arotræ. Encyclij qui ſint, & in ordinem redacti. Athenarum ordines quatuor. Cap. XVIII

CAeterum uarias eſſe ſeruorũ ſpecies, ex electiſſimis compertum nobis auctoribus eſt: ſed (inquit Seneca) ſibi ſeruire, grauiſſima ſeruitus eſt, quam tamẽ diſcutere facile eſt, ſi deſieris multa repoſcere, ſi deſieris tibi ferre mercedem, aliàs aſſidua eſt & ineluctabilis, per diem & noctem æqualiter premens ſine interuallo, ſine commeatu. Ex alijs uero ſunt, qui χθρνῆται, hoc eſt manuales uocantur, hi ſunt uel nominis argumento, qui manuum opera uiuunt. Vnde & chirurgi nuncupantur. Nam hedræi dicuntur, quaſi ſedentarij. In quibus recenſeas & banauſos, id eſt manuum opera utentes: quorum officinæ dicuntur ergaſteria in Canonicis decretis, ab ἐργάζεσθαι. Vnde & ergaſima ligna, quibus in operibus utuntur materiarij. Nam cauſima, ſunt igni deſtinata: inter quæ cocta recenſueris, ne fumum faciant: quæ etiam acapna dici ualent. Quanquam apud Galenum eo nomine, ligna omnino arida intelligunt eruditi. Coctilitia fortè taberna hinc dicitur Iulio Capitolino in Pertinace: Pater, inquit, eius coctilitiam tabernam in Liguria exercuerat. Paulo antè materiarium fuiſſe negotiatorem tradit Pertinacem. Sunt codices, qui coactiliariam præferunt tabernam: ceu Pertinacis pater, coactor fuerit. Niſi quòd Vlpiano De auro & argento legato, quod eruditis eſt adnotatum, coactilia dicuntur inuolucra omnia ueſtibus uinciendis obuoluendisque: ſicuti ſubſelliorum integumenta

gumenta, Florentinus cathedraria nuncupauit. Cremia ligna, Columellæ ſunt tenuia, phrygia Græcis. Habentur & ligna erepſima, tectis concinna: quæ ξύλωσιν dixit Thucydides. Axylon ἄξυλον, apud Homerum interpretantur polyxylon peritiores, ἢ ſterem ἐν τῷ ξυλίζεσθαι, ut in quam lignatum nemo perrexerit. Diaxyla intelliguntur, quæ intus probiore ſunt materia, ſolidioréque, uelut in medio lignea prorſum. Nam & dialeucum Plinius medio candidum interpretatur, ſic & diaporphyra per medium purpurea accipimus. Adnotatum Iureconſultis eſt: xyla, id eſt ligna, dici Græcis naues lignis è paludibus ſubuectandis deſtinatas. Nam xylophagia Hieronymus interpretatur uermes albos, obeſos, qui nigello ſint capite, ac è lignorum naſcantur carie. Sed & nomine eodem cenſetur mons Eubœæ Caphareus, quod Lycophronis interpres ſcribit. Eſt tamen erepſimon herba quoq; & planta infructuoſa. Erepſima item ornamentis apta nuncupari poſſent. Sciendum autem, amurcæ liquore macerata ligna prorſum ardere citra fumi moleſtiam. Amurcam uero dicunt amorgen Græci: quanquam & uini fęculentiam appellatione eadem intelligunt quandoque: ſed & herbam purpuream ueſtibus inficiendis, quæ inde dicantur amorginę. Quanquam & prætenuis harundineæ paniculæ portio dicitur amorgis. Sed redeo unde ſum digreſſus. Banauſi, ſordidi habentur artifices, quoſq; ab honoribus ſecluſere plerique, prius quàm principatum uel inſcita & pullata plebecula cœpiſſet affectare. Etiam ſi ſeruile nomen illis propriè competit, qui unius ſunt mancipati ſeruitio. Qui uero publicitus id agunt, banauſi rectè nuncupantur, ac etiam θῆτες, hoc eſt mercenarij. Quamuis non me fallat, Dionyſium ſcribere, ab Athenienſibus clientes dici thetas, à ſeruitute: ſicuti à Theſſalis penęſtas, de paupertatis ratione: & ſi initio meneſtæ uidentur nuncupati, quod κατα-μένειν immanere ſignat: quoniam pacta cum Theſſalis ſeruarint, quibus ſe in ſeruitutem addixerant, ne educerentur ex regione aut perimerentur. Hos etiam, latrias uocat Euripides. Apollonij interpres auctor eſt, Athenienſes item theſſas uocare tenuioris fortunæ mulieres, quòd mercede ſeruirent, hoc eſt παρὰ τὸ θητεύειν ὧδή μόδῳ: formatur autem (inquit) ratione eadem à θὴς θῆσσα, ſicuti à λῃὸς λῃῆσσα. Iulius quoque Pollux ita ſcribit: Pelatæ ac thetes, liberorum quidem nomina ſunt, ſed qui ob unum inopiæ nomen tamen ſeruiant: quemadmodum in Creta cillicyrij & arotræ apud Syracuſanos. Theticus ordo Athenis erat quartus, cenſus ratione: nam principe loco fuere pentacoſiomedimni, ab medimnis quingentis: uelut quingenimedimni, qui neceſſitate urgente, talentũ pendebant, id eſt aureos ſexcẽtos, aliàs tributi expertes erant Athenienſes, ut indicat Thucydides. Dicebãtur autem ſic, quòd tot terræ metra, id eſt menſuras ararent. Secundi ordinis habebantur ἱππεῖς, id eſt equites, quoniam alere equos poſſent: hi metra arabant trecenta, ſemitalentũ pendebant. Zeugitæ metra colebant duocenta, ab equis dicti iugalibus, minas hi decem cõferebant. Theticorũ poſtremus erat locus, qui opifices intelliguntur, ab gerendis magiſtratibus ſemoti & tributorũ exſortes. Ariſtoteles in Politicis famulatus quoſdã encyclios uocat. Nos quoq; (inquit) miniſtris illis plurimũ iraſcimur, quibus maximè utitur πρὸς τὰς διακονίας τὰς ἐγκυκλίους. Circulares famulatus Latinè poſſumus nuncupare. Encyclia uero, ſpectacula dicũtur à Philoſtrato in Adriano: Ea (inquit) ut plurimum ſunt ὀρχήσεις. Encyclius item homo à Græcis appellari uidetur, quem in ordinem redactum dicere Latini cõſueuere. In ordinem redacti, inquit Priſcianus libro decimooctauo dicuntur, qui cõtemptui ſunt, inter uiles numerati, & abiectos: id quod & T. Liuius comprobare uidetur: Tribuni plebis (inquit) in ordinem redacti, pro cõtemptiſſimis habiti ſunt. Eruditè quoq; illud dicere conſueuimus, Encyclion tibi eſt, in iis aberrare quod eſt promptum, familiare, uniuerſale. Eunapius de Carino, ἀλλ' ὧν ἐγκύκλιον αὐτῷ, καὶ προχεῖρον τὸ τὰ τοιαῦτα ἁμαρτάνειν. Dicimus & encyclion penſionẽ pro annua. Eſt & encyclon genus ueſtis quoddã: unde & pherencyclon. Nã encyclera, machina fuerat lignea, ſubiectis rotis. De encyclia uero doctrina, ex Quintiliano, Plinio, cęteris, notius eſt, cęq; ut ingeri à me quicq; hic arbitrer oportere. Mancipia uenalia et uſualia legimus apud Martianũ iureconſultum.

De Cretenſium ſeruis, & Spartanorum Helotis. Inibi quid cryptia. De ſeruis item ſale commutatis. Qui dicatur propriè δοῦλος, & qui œcetes. Quid

tityrus

tityrus, tatyras. Miniſtri publici. De epharmiotis, ſeu amphamiotis. Mnœa ſeruitus quæ ſit. Mariandyni, chryſoneti, chryſendeta. Muſcæ quas dicunt helios. ἕλη quid uocẽt Græci. Aſparagus helius cur. Latris. Atmenus. Scythæ miniſtri, ſiue toxotæ. Cap. XIX

CRetenſium ſeruos, ſicuti aliàs commeminiſſe nos arbitror, legimus appellari conſueſſe epharmotas: quibus, ut auctor in Politicis Ariſtoteles eſt, cætera permittebant omnia, gymnaſiis modò interdicentes & armorum poſſeſſione. Quanquam fuere & qui nuncuparentur Mnœus cœtus, quos item Cretenſibus ſeruiuiſſe, prodit hiſtoria. Sed eorum fermè illa conditio fuit, quæ Mariandynorum, qui à Mileſiis ſubacti, in contemptum diuendebantur. Horum etiam, ſed perobſcurè, meminit Plato libro De legibus ſexto. Etiam ſi fuerant & Mariandynorum doryphori, leniendæ ſeruilis aſperitatis gratia nomine accerſito: de quibus Pollux, & nos infrà auctores habemus: & in ſecundo Rerum Cretenſium Soſicrates prodit, publicam ſeruitutem in Creta dici mnœam, ſicuti priuatos uocant amphamiotas, qui iure belli in ſeruitutem recidiſſent, quamuis indigenæ forent. In agris uerſabantur hi, ſicut in ciuitate chryſoneti. At chryſendeta Martiali, lances ſunt auro litæ. Plutarchus uero Lucullo datum ab Ptolemæo ſcribit, ſmaragdum χρυσόδετον, id eſt auro ligatum, in quo illius uiſeretur inſcalpta imago. Tria ſeruorum genera adnotaſſe Ariſtoteles uidetur, ubi ait, At multo magis putandũ eſt, fore illos graues & inſolentes, quàm illas quæ apud quoſdam ſunt εἱλωτείας τε καὶ πενεστείας καὶ δουλείας, hoc eſt helotias, peneſtias, dulias. De peneſtis iam diximus. Helotæ uero dicebantur Lacedæmoniorum ſerui, ducto nomine (ut ſcribit Thucydidis interpres) à Laconiæ ciuitate, quam Helos uocant, cuius etiam meminit Homerus,

καὶ Πελεὸν καὶ Ἕλος καὶ Δωρίον.

nomen habet: quia eſt ἐν ἕλει, hoc eſt in palude. Ciues nuncupantur Helotes, item Heleii & Heleatæ, regio Helotia. Proditum memoriæ eſt, finitimos cunctos, licet Spartanis ſubiectos, paribus tamen legibus ac iure uixiſſe in ciuitatis ſocietatem accitos communionemq; magiſtratuum, eosq; Helotas nuncupatos. Cæterum Agin Euryſthenis filium ius illud dignitatum æquabile ademiſſe, ac iniunxiſſe, ut Spartæ tributa conferrent: & reliquos quidem paruiſſe: Helæos autem, qui Helos habitarent, defeciſſe. Ipſos inde ui et armis ſuperatos, in ſeruitutem damnatos perpetuam, certis quoque dominis eorum conditionibus iniunctis, ut nullo pacto liceret aut libertate donare, aut extra fines uenum mittere. Hinc omnibus ferè celebratum Heloticum bellum, & ſeruitus Helotica originẽ traxere. Hoſce Liuius caſtellanos fuiſſe antiquitus dicit, agreſte genus: qui & antè paulo caſtellanos agreſtes nominarat. In Rhetorico lexico inueni, genus quoddam muſcarum dici helios, fortè ſic in paludibus obuerſantes intelligas: eas uero uocant ἕλη. Sunt qui ἕλη interpretentur ſtirpibus loca obſita, cuius ſunt modi ſepes, atq; item fluuiorum ripæ, ac omnino loca uliginoſius madentia. Vnde aſparagum ſylueſtrem ἕλειον ſubinde appellauit Paulus Aegineta. In collectaneis Rerum ruſticarum apud Græcos libro ſecundo, Helium dici uinũ comperi ἐν τοῖς ἕλεσι γιγνόμενον. Scribit Herodianus, helotas quoque appellari ſatyros, qui ſint apud Tœnarum. Erant uero Helotæ publici quodammodo Lacedæmoniorum ſerui, quibus habitacula quædam præſcripſerant, & miniſteria certa. Auctores ſunt, Helotas agrum ſolitos colere, antiquitusq́ inſtitutos retuliſſe reditus, ac execrabile habitum, ſi quis plus mercedis à quoquam exegiſſet. Inuulgatum & illud à conditoribus ſcio: Spartæ liberum, maximè liberum eſſe, ſeruum etiam ſeruum in primis, id eſt τὸν ἐλεύθερον μάλιστα ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν δοῦλον μάλιστα δοῦλον. Quod in Pannonia, ſiue (ut nunc loquuntur) Hungaria, obſeruari in primis accipio, uulgato inter eos adagio, non rectè dici ſeruitutem, niſi in Pannonia: adeo, ut adſtruant id quoq;, poſſe ubiq; gentium peraccommodè ſeruire, qui alicui eorum hominum fuerit illis in locis famulatus. Sed ut ad Spartanos redeam, inde erat execrabile facinus Cryptiæ, id eſt ἡ λεγομένη κρυπτία. Seruitutis Helotiæ meminit ſexto Legum Plato: quam dicit dubitationem facere maximam, contentionemq́, quum alijs bene, alijs contrà uideatur inſtituta. Omnino execrabiles Spartanis ſerui fuere, manifeſtum

manifeſtum id cryptia facit, cuius modò meminimus, quam'que Lycurgo contribuit Ariſtoteles, negat Plutarchus. Ei uero à latitando inditum nomen. Siquidem qui iunioribus præfecti erant, ex ijs qui præſtare prudentia uiderentur, in regionem alium aliò emittebant, gladios modò ſecum, & neceſſaria alimenta exportantes. Illi uero, quàm poterant occultè ſeſe interdiu abdebant, noctu uero prodeuntes, quotquot ex ſeruis adepti forent, contrucidabant. Quod in Peloponneſiaca hiſtoria Thucydides ſignificat. Scribit Plutarchus in Ariſtide. Ephoros quandoque Spartanorum quinq; milia aduerſus externos (ſic enim Perſas appellabant) emiſiſſe, quorum unuſquiſque ſeptem ſecum Helotas traheret. Mos inoleuit quandoque, ut mercatores ſalis uim magnam in mediterranea ſubuectantes, à barbaris plerunque gentibus, eo nomine mancipia reciperent. Thracum uero populis peculiare fuit in primis, ſale mancipia commutare, quæ inde πρὸς ἁλὸς ἠγορασμένα dicebantur, id eſt ſale coempta comparata'ue. Addit Euſtathius nuncupari quoque ἁλώνητα δουλάρια, quæ intelligit ὠνητά, id eſt empta uili. Lemnij etiam uino mancipia ſibi quærebant. Seruis autem argento comparatis primum uſos eſſe Chios, Græci produnt. Hinc genere quodam proprij, uænales dicimus nouitios: nam uænalitij, uenditores ſunt Ciceroni. Inter adminiſtros uero publicos, qui inconcinnè quippiam agentes uel dicentes cõprimerent, fuere qui dicebantur Scythæ & Toxotæ ac Peuſinij. Apud Romanos pergentibus in prouincias magiſtratibus præminiſtrabant ſeruorum uice, qui dicebantur Brutiani, tanquam in ſcenicis fabulis lorarij nuncupati, & quos iuſſi erant, uinciebant, conuerberantes quoque. De Brutijs uero populis ratio propagata nominis eſt. Eſt ſeruitutis imago quædam, ubi quis principis alicuius ligium ſe hominem facit, ac in illius uerba iurat. Dicitur ligius, quia illum princeps pollices eius ſuis ligans, fidei imperijſq; ſuis uincit, ac obnoxium facit. Iureconſulti recẽtiores inter genera feudorum, quæ à fide augurantur dici, ligium habent. In quibuſdam in Theocritum enarratiunculis obſeruaui, quod ad ea quæ ex Ariſtotele paulo antè protulimus, facit quadantenus. δοῦλος (inquit is, quiſquis auctor fuit) & οἰκέτης differunt, uti in ſecundo De concordia prodit Chryſippus: nam eſt οἰκέτης, qui etiamnum ſeruitutem ſeruit. δοῦλος autem, ἀπελεύθερον indicat, id eſt libertum & uniuerſim miniſtrum quemlibet, ac etiam ſubditum, ut prodit Ammonius. Latris, teſtimonio eiuſdem, uocat', qui bellica neceſſitate ad ſeruitutem recidit. Atmenus, & ſeruum indicat & ſubditum. Sunt & qui deorum adminiſtros dici tityros arbitrentur. Tatyras uero apud Athenæum eſt phaſianus. Quidam eſſe tityrum putant, ſimiam caudæ breuioris.

Qui dicãtur apolides, & inſularij. Expenditur locus in carmine obſcœno. Salutigeruli. Meſaulij. Mediaſtini. Meſonautę. Symbolę. Literati ſerui. Eorundem nomina plura. Saccularij. Directarij. Saccaria nauis. Saccariã facere. Admiſſionales. Cẽſuales. Metata. Epimetatica. Metator. Menſor. Nautebatæ. Mediaſtuticus.

Cap. xx

Apolidas uero ſeruos Iureconſultis dici inuenio uiles, qui ſine ciuitate in opus publicum perpetuò dantur, in inſulas' que deportantur, ſiue in miniſterium metallicorum, ad quæ fœminas quoq; damnari in perpetuum ſolitas, accepimus: ſicuti in ſalinas item, & ſulphurarias. Meminit Martianus digeſtis De pœnis. Deportationem in inſulam ſignificat etiam Seneca, Magis ignoſco ei, qui uulnus inimici, quàm qui inſulam concupiſcit. Sunt qui ſeruos inſularios putent indicatos in carmine obſcœno illis uerſiculis,

Ductor ferreus inſularis, æquè
Laternæ uideor fricare cornu.

Nam & genus ferratile in Plauti Moſtellaria legimus de ſeruis dici, qui compediti habentur, quiq; ferritribaces ſunt, ut Plautina utamur nouitate, hoc eſt qui annulatis cruribus atterunt aſſiduè ferrum. Verſiculi Plauti ſunt hi,

Cis Hercle paucas tempeſtates Tranio
Augebis ruri numerum, genus ferratile.

Alij Vulcanum intelligere malunt, in inſulis ducendo, id eſt producendo ferro exſudantem

dantem,capto inde loci colore: quòd ignis laterna occluſus cornea,dum,quæ ſua natura eſt,ſurrigitur, atterendo hinc inde cornu, coeuntium imaginem exhibere quandam uideatur. Id & ſi uiolentum quiddam reſipit,ac durum,ne abſurdum dicam, appoſui tamen, ut ſtudioſorum decuriæ pro ingenij captu ad libram, & amuſſim reuocent, quæ rem Latinam iuuãtibus prodita ſunt,ut omnes protinus articulo tractemus molli. Ipſe malim opus in ſubterraneis facientes intelligere, quoniam (ut ſcribit Plinius) cuniculis per magna ſpatia cauantur montes ad lucernarum lumina, multiſcp menſibus non cernitur dies,proinde laternam hi circumferentes aſſiduè, atterere quodammodo uidentur, & amplexari comitem: nuſquam, ne tranſuerſum quidem unguem, aut lente Aegyptia latius (quod aiunt) amittentes. Salutigerulos, Plautus ſeruos nuncupat,qui iuſſu dominæ hunc illum ſalutant,ſuntcp nuntij & renuntij. Quãquam ſunt & Apuleio ſalutigeri dij,uidenturcp eſſe hi, non qui ſalutem dant, ſed qui nuntiant tanquam interpretes & adminiſtri ſuperiorum. Plauto eidem damnigeruli nuncupãtur ſerui,item gerrones ac bonorum exagogæ, ut qui ad ſcortilla etiam inficetiſſima dominorum bona iuſſi efferant. Viridarios nuncupat ſeruos Vlpianus, curæ uiridiorũ præpoſitos. Sunt autem laboleno uiridia arboribus uirentibus loca conſita, quæ uiridaria item dicimus. Meſaulium inuenio apud Homerum dici ſeruum quendam Odyſſeæ quartodecimo,

σῖτον δὲ σφίγγῃ μεσαύλιος, ὅν ῥα συβῶτης
αὖτος ἐπέβαζε οἷος, ἀπριχομένοιο ἄνακτος.

Meſaulium quidem dici reperias mediana ianuam,uel in aulæ meditullio locum. Fortè uero Meſaulij fuerint, quos Latinè mediaſtinos nuncupare mos eſt, quo nomine ſignificantur, qui abiectiſsima quæque munia inter ſeruos obibant. Cuiuſmodi uiſimus in aulis principũ lignarios bacularioscp, quorũ una illa functio eſt,ut omnibus pareant. Sicuti in nauibus meſonautæ,de compari genere ſeruitij dicuntur Vlpiano,qui & mediaſtinam operam appellat, qualis eſt atriariorum & focariorum. Quanquam in Græcis codicibus quandoque μεσονάυτλω inuenias ſcriptũ. Mediaſtuticus autem ſummus erat apud Campanos magiſtratus. Adde, quod in Catilinam M. Tullius inquit, Magnopere contemno exercitum collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mediaſtinis. In quo tamen loco ſunt codices, qui præferant,mediatulis. Nautebatas intelligunt arrepentes per funes nautas: tametſi perperam id interpretantur non nulli, uelut etiam metata, quæ ſunt partes domus militibus (uti aſſolet) in Vrbe, uel alibi,gratia hoſpitij aſsignatæ à menſoribus: unde epimetatica dicebant,inſcriptiones foribus impingi ſolitas, quibus innoteſcebat, cuinam deſtinata foret domus,quem uocant metatorem, ſeu foret miles, ſeu hoſpes quoque. Mediaſtinorum meminit Columella. Sed & in Epiſtolis Horatius,

Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas.

Vbi Porphyrio mediaſtinum accipit mediæ ciuitatis incolam. Sed & in balneatoris officio intelligi poſſe mediaſtinum, putat. Marcellus pro balneatoribus,mediaſtinos expoſuit, itemcp pro miniſtris & curatoribus ædium. Priſcianus interpretatur,quia in medio ſtent lauantium in balneis. Inter adminiſtros recenſentur à quibuſdam palmones. Sunt & hercitæ, qui in agris modò uerſentur ſerui. Habentur item mnotæ,ſed nobiles hi intelliguntur ſerui. Azos item inuenio in ſeruili genere. Nam propolon dici ancillam putant, quæ ſcortillum egerit prius. Apud Lacedæmonios ancillæ nuncupantur chalcides quoque. Fuere inibi & qui dicuntur eunacti. Sed qui uocabantur mothaces, liberi quidem erant, at non Lacedæmonij. Quos autem libertate donaſſent hi, nunc aphetas pronuntiabant,nunc etiam adeſpotos, aut erycteras. Alios item deſpoſionautas,qui claſſes conſcenderent. Erant & neodamodes. Sicyonij ſuos habuere catanacophoros: ſicut Arcadij,proſpelatas. Capſarios Paulus intelligit, qui mercede ſeruanda in balneis ueſtimenta ſuſcipiunt. Saccularij autem apud eoſdem Iureconſultos intelliguntur,qui uetitas artes exercent, ac in ſacculos partem ſubducunt, partem ſubtrahũt. Scitu non indignum, Thylacophoros ab Græcis appellari eos,qui ſacculis ſcorteis aromata circumferunt: ſiquidem conceptacula id genus, thylacos dicunt, ac thylacia: unde & thylacitis nardus eſt nuncupata, quoniam ab negotiantibus ex Cilicia Syria que

faccis ſubuectaretur. Vt huc forſan ſpectet nauis illa ſaccaria apud Quintilianum octauo libro: & ſaccariam facere, hinc quoq; ſit Apuleio. Verum ad inſtitutũ redeo, ſi commonuero prius, Saccophoros inter hæreticos recẽſeri Codice De hæreticis, lege Ariani. Sunt & directarij, quos multi diætarios etiam dicunt, quòd in alienas ſe dirigant domos, tanquam πιχοβάλτας, ut uocant Græci. Literatum in Caſſina Plauti pro ſeruo accipiunt, qui literis ſit inuſtus: ſuper quo non excidit factam nobis alibi copioſius mentionem. Sicuti ſymbolæ item dicuntur plagæ, quibus ſeruilia inſcribuntur corpora à multis, perinde ac in conuiuijs collectitijs, id eſt ſymbolis, quæ commeſſalia uocant & conferta, quiſq; nummos confert, ne ſit exſors & aſymbolos. Niſi malis inde uocabulũ inflectere, quia βολὴ percuſſionẽ ſignat, ut ſint ſymbolæ, multifariæ, multijuges q; incuſſæ plagæ. Videntur & ſymbolæ auxilia militaria, Plutarchus in Marco Antonio, Iniuſtum eſſe à bello mulierẽ reijcere, συμβολὰς πλικαύτας διδῦσαν. ſed pugnam quoq; indicat & congreſſum quemlibet, uerbum id: quin & quod ad inſtruendum confertur conuiuium. Symbolum Chriſtianum eſſe ab apoſtolis per partes concinnatum, ex ueteribus qui tradat, parum comperi. In Concilio Niceno à patribus traditum, legiſſe uideor. Arcarium dicere ſeruum Scæuola uidetur, qui domini arcam curat, & rationes. Sunt & arcarij, arcarum fabri. Admiſſionales appellat in Alexandro Cæſare Lampridius miniſtros, qui adire principem uolentes admittẽdos curant: ſicuti apud Iulium Capitolinum cenſuales eſſe uidentur, qui ſenatui ſubſeruiunt.

De ſeruili genere quid ſentiẽdum. Non ſeruis modo, ſed & iumentis benígnè impertiẽdum. Hecatompedon quid. Plinius illuſtratur cum Ariſtotele. Seruorum tractandorum ratio. Magiſtratus, quem uocant Iouis Olympij famulatum. Cap. XXI

SIcimus profectò, inquit libro De legibus ſexto Atheniẽſis ille apud Platonẽ hoſpes, quod fateremur omnes, Seruos quàm beneuolẽtiſsimos atq; optimos eſſe habendos, quando eorum nonnulli ad uirtutẽ quamlibet meliores, quàm fratres & filij, domos & rem dominorum omnem, interimq; & ipſos ſeruarũt dominos. Quanquam ſunt plerique, qui nil prorſum in animo ſeruiente integrum extare opinentur, proindeq; eiuſmodi hominibus nil omnino credendum. Quod & ſapientiſsimus poetarum teſtatiſsimum feciſſe uidetur, quũ Odyſſeæ decimoſeptimo ita ſcribit, quod & alibi relatum nobis opinor.

ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνδρῶν, ὅτ' ἂν μιν ἡμαρ ἐλθῃσι δουλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

Dimidium, inquit, uirtutis Iupiter illis aufert, qui ſeruitutis neceſsitatem ſubiere. Scribit Dion, in ſeruile genus id inuulgatum, ac in theatro pronuntiatum quandoq;, ὅτι ἀφόρητός ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας, quòd intolerabilis eſt maſtigias fortunatus. Catonẽ porrò ſeniorem legimus, per ſe filium literis imbuiſſe, etiam ſi ſeruum Chilonem haberet grammaticum, qui & compluribus aperuerat ludum pueris. Indignum (credo) ratus, filium ſuum, ſi fortè hebetior foret, ab eo reprehendi, qui ſeruituti obnoxius foret, ac aurem diſtorqueri. Idem ſenio debilitatos, ueluti muta animantia, eijcere ac diſtrahere conſueuerat, ceu commodo intercepto, nihil humanitati ipſis debeamus hominibus: quanquam latiorẽ multo benignitati, quàm iuſtitiæ locum impartiri ſæpe ſpectemus. Quippe equis canibusq;, ubi confractæ laboribus uires ſunt, non pabula modo, ſed & debita ſenibus indulgẽtia à bonis contribuitur uiris. Nam & Athenienſes, quum Hecatompedon ſubſtruerent (Eſt uerò id Athenis templum, quod & Parthenon dicunt, ex ſpecie ac concinnitate ita nuncupatum, non de magnitudinis ratione, ſicuti Græcorum plerique interpretãtur, & nos alibi commeminimus) quotquot ex mulis egregiam nauaſſent operam, uinclis ſolutos liberè paſci permiſere. Quibus quodammodo emiſſis manu, quum ſponte quiſpiam operam præſtaret, & iumentis quæ ad Vrbis arcem currus ſubuectarent, exhortantis ſpecie ducis præcurreret, ut publicè ad extremum uitæ connutriretur, interpoſito decreto, ſanxerunt. Id quod eo ſubtexui libentius, quod inſigniter iſta feliciſsimam Plinij breuitatẽ illuſtrant, necnon Ariſtotelis libro De animalium hiſtorijs ſexto. At enim perſpicuum mihi uidetur, Plato inquit, quoniam difficulter

culter domatur, ſubitq; iugum homo, & ad neceſſariam diſtinctionem ſerui à libero & domino re ipſa deduci, ægrè patitur, difficilem admodum poſſeſſionem eſſe hominẽ. Quod exemplo ex crebris Meſſeniorum rebellionibus innoteſcere potuit amplius. Ciuitates præterea, quæ pleroſq; eiuſdem linguæ ſeruos habent, manifeſtius fecere, quot quantaq; hinc conſequantur mala. Piratarum quoq; latrocinia, quæ prope Italiam ſcaturierunt plurima, non aliunde propagata cernuntur. Cæterũ remedio ſunt rationes duę, ut qui facilè ſeruituri ſunt, nec eiuſdem patriæ ſint: & quàm maximè fieri poſſit, inter ſe diſſoni, educenturq; rectè non ipſorum modò gratia, ſed dominorum multo magis. Eſt autem recta horum educatio, ut nulla ipſis contumelia inferatur, iniuriaq; hi multo minus, ſi fieri poſſit, quàm æquales, afficiantur. Porrò caſtigandi cædendiq; ſemper iure ſunt ſerui. Neq; ita monendi ut liberi, ne molliores fiant: alloquutio omnis cum ſeruis quodammodo imperium ſit: neq; iocus ullus cum ipſis ſeu fœminis ſeu maſculis habeatur. Quod multi ſtultè facientes, dum delicatius eos nutriunt, difficiliorem uitam & ſibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt, obliti uel dicti ueteris, quo ſancitum eſt, Non eſſe otium ſeruis, ac ne auribus quidem ſcalpendis: ſicuti eſt apud Lucianum. At ſenior Cato ita ſanciebat, ἢ πραΞαι τὰ τῶν ἀναγκαίων οἰκοδεσπότην, ἢ καθεύδειν. id eſt, ſeruum oportere aut quid domi neceſſariorum obire, aut dormire. Adnotatum Paulo iureconſulto, Seruum in facinoribus domini, dicto audientem eſſe non debere. Sed nec parte iſta Peripateticorum principis placita ullatenus prætereunda, qui Oeconomicon primo, poſtea quàm inter ea quæ poſſidentur, primum & neceſſarium maximè optimumq; ac principaliſſimum eſſe hominem prodidit, proindeq; ſeruos bonos ac frugi in primis eſſe parandos, quorum ſpecies ſint duæ, ἐπίτροπος καὶ ἐργάτης, hoc eſt curator & operarius: infert denicq; quoniã uini potus etiam ingenuos ſæpe ad iniuriam compellit, indeq; etiam gentium pleræq;, ut Carthaginienſes, in militia abſtineant eo, manifeſtum fieri, ſeruis aut nil prorſus aut parum omnino uini eſſe impertiendum. Cibaria uerò largius contribuenda. Deinde eos cenſet ad obeundum opus cum primis ſtrennuos & perutiles, qui nec meticuloſi ſint, nec audaces nimium & uiriles. In ſeruili autem mentione hac illud ex hiſtoria non prætereundum fuit, Syracuſis magiſtratum honoris exquiſiti, quem Iouis Olympij famulatum appellarunt, ab Timoleonte inſtitutum, primumq; Olympij Iouis famulum fuiſſe Callimenem. Dignum uerò ſcitu, ab magiſtratu eo annos inibi mitti in digitos conſueſſe, uti à conſulibus Romæ.

Serui mali cõditio ultima quæ ſit. Itẽ de pileatis ſeruis. De lapide emptus apud Columellam qui ſit. Pauſicape quid. Tribunos capitalia uindicaſſe, ſontiũ ſeruaſſe uincula, pecuniã ſignaſſe. Pragmaticus ſtatus qui. Tribuni Rufuli in re militari. Pragmatica ſanctio. Pragmaticarij. Cap. XXII

SEruorum malorum conditionem ultimam legimus in Quintiliani declamationibus. Ea erat, quum ſine exceptione uænales proponebantur, cuiuſmodi ferè pileatos intellígo ſeruos, quorum nomine uenditor nil præſtaret, ut ſcripſit Cælius Sabinus, & octauo Noctium Atticarum Gellius repetit. Eius rei cauſa erat, quòd illiuſmodi mãcipia inſignia eſſe in uẽden do deberent, ut emptores errare & capi non poſſent. Sicuti etiam antiquitus iure belli capta coronis induta uænibant, immoq; ſub coronis uęnire dicebantur. Ad pileatos ferè ſeruos, quicq; nulla exceptione uænum irent, arbitror illud Columellæ referẽdum ex Agricolatione, de lapide noxium: in cuius enarratione deſudarunt doctiſsimi quiq. Siquidem ad præconis lapidem, ubi diſtrahi mancipia conſueuiſſent, referendum alij putant: ſicuti in Piſonem Cicero de lapide emptos appellat tribunos, qui eſſent mercede corrupti. Verum ieiuna prorſum nimisq; imperfecta expoſitio eſt, ut qua Columellæ ſenſum minus aſſequare, quod amplius intuenti, uelut ab aſini proſpectu liquebit exacte. Alij ad Tarpeiam recurrunt rupem, ex qua deturbari nocentes ſolerent. Quam ſanè ſententiam non eatenus riſu excipiendam arbitror, ac Lynceis uidetur. Neque tamen de præcipitatis è ſaxo intelligendum commonſtrat, quum nihil minus agat mortuus, quàm agrum colat. Hoc enim ſenſiſſe uiros eruditos, perridiculum eſt: ſed eos

ſed eos uerius, qui adobruti ſceleribus ac mortiferis flagitijs, digni ſunt, qui iamiam præcipitentur: aut qui periculum id adierunt quidem, reuocati tamen emiſſiq; ratione aliqua ſunt. Sicuti & uulgò dictitari audimus, à furca redemptum eſſe aliquem, ex mediſ quem ſupplicij faucibus liberatum intelligimus. Hanc uerò ſententiam uitro ſidonio, & helectro (quod dicitur) clariorem arbitramur. Verum id impendio aduertendum: ingenijs magnis obrepere plerunq;, uti præſignia conuellant nomina, morſumq; ita infigant auidè, ut uel aculeum relinquant, quod etiam Quintiliano uſu uenit quandoq;, ſicuti libro tertio in Statuum ratione, ubi Ciceronem ex primo Rhetorico de negotiali ſtatu, in quo de futuris quæſtio eſt, ſicuti an forti uiro dandum, quod concupierit præmium, refellere conatur. Quum tamen illius ſententiæ calculum adijciat Hermogenes quoq;: ita enim ſcribit, πραγματικὴ ὅλη ἀμφισβήτησις περὶ πράγματος μέλλοντος, εἰ δεῖ γενέσθαι πόλεμον, ἢ μὴ γενέσθαι. δοῦναι, ἢ μὴ δοῦναι. οἷον βουλόμενοι ἆθλα θεῖναι, εἶτα μὴ θέσθαι οὓς ὁ μαραθῶνι νικήσας τῷ βαρβάρῳ. Pragmatica ſanctio quæ ſit in Codicis Iuſtiniani præfatione, non ita magno labore diſcutient uel mediocriter eruditi: & interpreſ eam intelligit, quæ procerum conſilio fiat: alibi etiam planius, quæ ſit in auditorio excuſſa. Hinc pragmaticarij, eiuſdem Codicis primo De reſcriptis & pragmaticis ſanctionibus, Cuiuſcunq; (inquit) ſcrinij memoriales, ſeu pragmaticarij, uel adiutores primicerij, amiſſione cinguli ferientur. Illud ex abundanti adnotauero hic, pauſicapen appellatam fuiſſe machinulam ſeruorum collo circumpoſitam orbicularemq;, qua ori manus admouere prohibebantur, ne farinam uorarẽt, quod κάπτειν dicunt, intus dum operarẽtur. Congruit id ipſum & iumentis ratione eadem. Illud uerò addidiſſe ſuperpondij item loco, nil (puto) obfuerit: in decemuirorum legibus ita lectũ, Tribuni ſunto, domi pecuniam publicam cuſtodiunto: uincula ſontium ſeruanto, capitalia uindicanto: æs, argentum aurum'ue publicè ſignanto. In re item militari, Polybio tradente, tribunorum, qui rufuli dicuntur, ea fuit functio, uti legionariorũ delicta coercerent: ſicuti auxilijs ſui præficiebantur præfecti. Hinc Liuius tribunos recenſet quandoq;, ac ſocium præfectos.

Seruos non habere caput, quid ſit. De capitis diminutione. Capita deminuta quæ intelligãtur. Capitatio. Peræquatores. Quintiliani locus ex libro tertio. Seruos nõ admitti in militiam ſolitos. Qui dicantur uicarij. Martialis illuſtratur. Et qui ſerui pœnæ. Fornacarius, & fornicator. De ſeruili pro cacitate. Alter Martialis locus aperitur. Diaconus. Diaconium. Conturbatores ſerui. Reliquamenta. Cap. XXIII

SEruos non habere caput, iureconſulti ſtatuunt. Id quum dicunt, intelligi uolunt ſtatum. Proinde, ſeruum non minui capite, quia nullum habet: hoc eſt, nec libertatem, nec ciuitatem, nec familiam. Quibus ſi quis exuatur, maxima dicitur capitis diminutio: ut accidit ijs, qui ſerui pœnæ efficiuntur, atrocitate ſententiæ, uel libertis nomine ingratitudinis in patronos condemnatis, uel qui ſe ad pretium participandum uenundari paſſi ſunt. Nam minor, ſiue media capitis diminutio eſt, quum ciuitas quidem amittitur, libertas uerò retinetur. Quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit, aut in inſulam ſit deportatus. Minima uerò capitis diminutio eſt, quum ciuitas retinetur & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur. Quod ijs euenit, qui quum ſui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri ſubiecti eſſe. Vel ſi filius familias à patre mancipatus fuerit. Modeſtinus digeſtis De gradibus cognationis: Cui, inquit, aqua & igni interdictum eſt, uel aliquo modo capite diminutus eſt, ita ut libertatem & ciuitatem amitteret, is cognationes & affinitates omnes quas antè habuit, amittit. Apud Pacatum in Panegyrico, ubi ſcriptum legas, Quid memorem capita diminuta, & uitam ære taxatam? Sunt qui pro capitatione accipiendum arbitrentur, ideſt pro tributo quod uiritim confertur. Id uerbum eſt Iuris peritis frequens. Capitationem qui exigunt, peræquatores ab eiſdem nuncupantur, quod (in quiunt) ex æquo ab omnibus exigant. In ijs uerò quæ paulò antè diximus, perpendendum id ex Quintiliani libro tertio, capite De ſtatibus, in fine. In adoptionem dato in familiam redire liceat. Illud certè nouimus, Exeuntem è patris poteſtate filium ab paternis

ternis quoq; ſacris ſolitum liberari, quæ celebrabat neceſſariò is, ad quem patrisfamilias peruenisſet pecunia. Ex hac ſeruili (ut ſic dicam) infimitate ad militiam ſacramento rogare, aut ullo modo admittere, nefas ſancitum ueteribus eſt, quod Cicero in Deiotarana ſignificat, & Martianus digeſtis De re militari: Ab omni (inquit) militia ſerui prohibentur, alioqui capite puniuntur. Sed & in Helenore Mantuanus uates Aeneidos nono monſtrauit,

Quem ſerua Licinia furtim
Suſtulerat, uetitisq; ad Troiam miſerat armis.

Pauſanias auctor locupletiſſimus eſt, Perſico bello quod in Marathoniis campis geſtũ eſt, primum ſeruos in militiæ iura admiſſos, quo nomine etiam tumulus interfectorũ inibi uiſebatur. Poſt Cannenſem cladem armata Romanis ſeruitia Volonum nomine T. Liuius tradit, quum prius ſingulos forent ſciſcitati, uellent ne militare. Vnde eſt nominis ratio. Sociali quoq; bello in militiam libertos admiſſos primum, Appiani hiſtoria tradit. Diaconum quidem uocant Græci miniſtrum: ſed diaconiũ tamen ſacrarium dicunt, uel ſecretariũ, ubi dominica contineãtur uaſa. Diaconij quoq; notiones multæ comperiuntur. Nam placentæ crepidam, id eſt baſin, eo uerbo quidam intelligunt, alij bellaria concinnata in ereſione Apollinis honori. Sed & diaconij gradum legimus in Canonicis decretis: unde diaconica uocantur loca, & decanica, Codice De epiſcopali audientia, quæ ab eccleſiaſticis uidentur diuerſa. Et quoniam diu iam cum ſeruis agimus, age feramus opem Valerio Martiali Epigrammatum ſecundo ita ſcribenti,

Eſſe ſat eſt ſeruum, iam nolo uicarius eſſe:
Qui rex eſt, regem maximè non habeat.

Vicarios Vlpianus digeſtis De peculio, eos intelligit, qui ordinarijs ſeruiũt: Si ſeruus meus (inquit) ordinarius uicarios habeat, id quod uicarij mihi debent, an deducam ex peculio ſerui ordinarij? Et alibi, Si ſeruo tuo ordinario permiſeris uicarium emere aureis octo. Inuenies id uerbum & apud Horatium, quanquam haud curioſe ſatis explicatum. Meminit in libro De Tranquillitate uitæ Seneca, qui alibi ſic item ſcribit, quæ ſe pro coniuge uicariam dedit. Lactãtius grammaticus explicans illud Papinij,

Succiduasq; adportat matribus agnas.

Succiduas (inquit) id eſt uicarias. Vicariũ pro mutuo accepiſſe uidetur Hieronymus, ſiue is fuerit Paulinus: Omnesq; homines, inquit, uicario inter ſe amore copulari uult. Quia uerò de ſeruis pœnæ facta nobis paulò antè mentio eſt, poteſt addubitatio legentes ſubire, quos eſſe cenſeamus hos. Cæterum innuit id Vlpianus digeſtis De pœnis: In miniſterium, inquit, metallicorum fœminæ in perpetuum, uel ad tempus damnari ſolent, ſimili modo & in ſalinas. Et ſiquidem in perpetuum fuerunt damnatæ, quaſi ſeruæ pœnæ conſtituuntur. Et Martianus: Quidam ſunt ſerui pœnæ, ut in metallum dati, & in opus metalli. Iam & fornacarium ſeruum apud eundem repperi Vlpianum, à fornace ſic nuncupatum: ita enim ſcriptum inuenias Digeſtis Ad legem Aquiliam, Si fornacarius ſeruus coloni ad fornacem obdormiſſet, & uilla eſſet exuſta, Neratius ſcribit, ex locato conuentum præſtare debere, ſi negligens in eligendis miniſtris fuerit. Hunc & fornacatorem uidetur nuncupaſſe Paulus, digeſtis De fundo inſtructo legato: Inſtrumento (inquit) balneatorio relicto, etiam balneatorem contineri: Neratius reſpondit, Continetur autem & fornacator. Fornacarium, ſunt qui ſeruum intelligant piſtrinarium, ac piſtorem quoq;. Fornicarias uerò de impudicis dictitari, in Canonicis decretis adnotatum eſt. Aduertenda & in iis magnopere Senecæ uerba ſic ferè, ubi edocet, In ſapiẽtem non cadere iniuriam, ſcribentis: Eadem (inquit) cauſa eſt, cur nos mancipiorum noſtrorum urbanitas in dominos cõtumelioſa delectet, quorum audacia itademum ſibi in conuiuijs ius facit, ſi cœpit à domino. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, ac ſub magiſtro habent, qui probra meditate effundunt: nec has contumelias uocamus, ſed argutias. Hæc uerò illuc ſpectant, ut Valerium Martialem quum alibi ſæpe, tum Epigrãmatum primo ſcitius, nec plebeio perpendas ingenio:

Vrbanus tibi Cæcili uideris, Non es

Non es, crede mihi. Quid ergo? Verna es.

Trita mancipia, & ueterana, quæ reformare difficile esse, Vlpianus ait, nouitijs opponuntur. Apud eundem, ueterator seruus est, qui & ueteranus. Conturbatores serui ueteribus dicebantur, qui domini pecuniã elidunt, ac reliquamenta subducunt, id est partem seruant sibi. Alphenus De institoria actione, lege Quacunq;, Si quis pistor seruũ suum solitus fuit ad certum locum mittere ad panem uendendum, deinde conturbauerit. Hinc Martialis,

Conturbator aper, uilius esurio.

Meminit uerbi ad Quintum fratrem Marcus Tullius.

Vocabula plura ad seruorum rationem spectantia, nec ferè obuia. Therapia. Prater. Mylites. Mylon. Stigmatiæ. Stigones. Hystrichides. Hystrichula mens. Stion. Stypos. Helotæ. Zetrea. Chondrocopia. Gymnetæ. Corynephori. Moruli. Morõ. Encheſimoros. Morus arbor. Apparitores. Coryna. Rhopalon. Melophori. Gamori. Callicyrij. Eleatri. Synceraſtum. Attagen uarius. Cliſion. Manes. Manichæi. Actis. Vocatores. Ceruum apud Martialẽ pro ſeruo poſitum fugitiuo. Paratura. Fugitiuarij. Cap. XXIIII

SVnt porrò pragmatiæ item huius uocabula quædam haud planè indigna quæ referantur, quando ex Pollucis doctrina pars item una ſapientiæ eſt, quid quo cenſeatur nomine, in primis nouiſſe. Igitur obſeruatum ex Herodoti lectione, ſeruos dominorum ſtudioſos ἀνδραποδίζα dici φιλοδέσποτα. At ſeruorum turba nuncupatur therapia, id eſt θεραπεία. Nam therapuſia, uiolentius quiddam reſipit. Dularia uerò forma deminuta uocari uidentur mancipiola. Lapidem praterem Græci uocant, in quo mancipia uænui exponebantur. Vbi uerò diſcruciantur eadem, dicuntur mylones: qua uoce, piſtrinæ intelliguntur. Propterea Plinius pœnalem dixit uinctorum operam. Nam myliten intellígit lapidem Galenus, unde confíciantur molæ. Appellantur & ζητρεῖα, id eſt zetrea, apud Eupolin: ſed alphitia quoq;. Sunt & in hoc genere chondrocopia, à farre, quod chondron uocant: & zontea. Qui mancipia cædunt, ſtigmatiæ dicuntur, & ſtigones: ſicuti qui cæduntur, maſtigiæ. Flagella ipſa nuncupantur nunc maſtiges, nunc hyſtrichides, aut rhyteres. Sed ex ſuillis contextas ſetis, hyſtrichidas intelligunt: uti eſt auctor Ariſtophanius interpres, necnõ Sudas. Eſt & animal Ariſtoteli, Plinio, cæteris hyſtrix, de ſuillis ſetis item cõciliata nomenclatura. Apud Hieronymum mẽs hyſtrichula eſſe uidetur liuore ſordida, & uirus mordax miſſilium aculeorum inſtar eiaculari conſueta. Recipit flatilem in ultima, etymi ratione in obliquis. Stion, calculus eſt marinus Hippocrati. Lignum uerò prædurũ ac ſolidum dicitur ſtypos: ſed eſt nomine item eodem, piceæ caudex. Diximus abundè paulò antè de helotis. Addo nunc ex Polluce, Qui inter liberos (inquit) ſunt & ſeruos conſtituti, helotæ uocantur apud Lacedæmonios: ſicuti Mariandyni doryphoros appellant, id eſt ſpiculatores, ſatellites ue. Inter quos apud Perſas erant, qui melophori dicerentur, hoc eſt geſtantes in ſpiculis mala, ut eſt apud Herodotum hiſtoria ſeptima. Erant & ſui Argiuis gymnetæ, Sicyonijs corynephori. Eſt enim coryna, in ſummo ponderoſior uirga, unde & nomen: nam κορυνὰ, ſummum indicat. Sic & rhopalon, telum ultioni aptum: ideo dictum, quia parte altera grauius ῥοπὴν ἔχει, id eſt in eam innuit, uergitq;. At callicyrij nuncupabantur exulum ſerui, qui Syracuſis opere ruſtico ſumptum ſuum exercebant. Eam uerò ſeruilem turbam ex omnifariam populis confla tam, monumentis Ariſtoteles prodit: meminit horum & Timæus. Apud Herodotum hiſtoria ſeptima, cyllyrios ſcriptum comperi, à quibus cum plebe graſſantibus exacti patria ſint, qui mox appellati ſunt gamori, indicat ea uox bonorum expertes, rerumq; participatu excuſſos: quod ab interprete neglectum miror. Sunt & in hoc genere, qui menſam curant, & ad eam ſpectantia, trapezopœos uocant. Nam Iubas rex trapezocomon eſſe ſtructorem dicit. Sicuti dapes ipſas, epitrapezomata uocãt alij. Agoraſten ferè obſonatorem intelligimus. Eleatri, hoc eſt ἐλεάτροι, uocatores dicuntur regij, ut ſcribit Pamphilus, & repetit Athenæus, addito etiam uerbi etymo, ab eleos, quo mẽſa ſignatur coquinaria. Dipnocletoras uocat Artemidorus. Sed mox eleatri quoq; nun-

cupati cibario præfecti miniſterio: quod genus honeſtum cenſebatur, quando Ptolemæum Sotera fuiſſe Alexandri eleatrum, tradidit Chares. Hoſce tamen edeatras pronuntiat Sextus Pompeius. Protogeuſtæ, præguſtatores ſunt, qui & prototenthæ dicl comperiũtur. Iam illa leuioris operæ fuerint, ſcapulares dici ſeruos, quibus ſcapulæ cæduntur, quiq; quaſi oſtreatum tergum ulceribus geſtitant. Sed & exſynceraſtos dici in Plautinis ſalibus obſeruauimus, ac ſi emedullatos dixeris, & citra ullam pinguedinem. Quando Varronis Terentij aſtipulatu, ſynceraſtum antiquo Græcorum uerbo medullam dicebant. Morulos quoq; dicimus, uerberibus atriores factos, à moris inflexa uoce. Moron, Cyprij acutum dicunt: unde encheſimoros nuncupari coniectant, qui præacutis utantur haſtis. Sed & hylacomoros intelligunt, οὓς ὀξυφώνους, id eſt acutæ uocis. De moro autem arbore ita in Ruſtico cecinit Politianus:

Mox ubi iam ſapiens cœpit frondeſcere morus,
Antè quidem ſapiens, nunc ambitioſa, nec ullum
Quæ pariat pomum, ſed ſerica penſa miniſtret.

In Græcorũ literis ſtigmaticus ſeruus, attagen uarius appellatur: quod in Auibus monſtrauit Ariſtophanes: quod auitium id, plumas uarijs diſtinctas coloribus gerat. Seruiles literas in libro De uitæ tranquillitate primo, apud Senecam inuenias: Sicut pleriſq; ignaris (inquit) ſeruilium literarum libri, non ſtudiorum inſtrumẽta, ſed cœnationum ornamẽta ſunt. Cliſion in Odyſſea Homerus ſeruilem intelligere domum uidetur. Dion eo nomine locum accipere mauult, in quo tectæ cuſtodiantur oues. Cliſiades uerò quibuſdam dicuntur duplicatæ fores, aut ſcenæ. Eſt & ueteribus ſeruile nomẽ Manes, id eſt μάνης, à furore inclinatum: unde ad æneam ſtatuam tralatum uocabulũ eſt, quam cottaborum luſui adhibebant. Fuit & hæretici nomen Manes, unde Manichæi dicti. ab inſania itidem inflecti, putat Hieronymus: uocabulum eſſe Perſicum aſtruentibus alijs, quando (ut approbat Auguſtinus) Perſa erat Manes. Fuit & ſeruile nomẽ Actis, Pauſania tradente: ſed & nomine eodem dicitur uas, in quod iaciantur oboli. Seruos item fugitiuos, ſcribit Pompeius Feſtus, ceruos nuncupari, de animalis celeritate facta nominis ratione. Ex quo apud Martialem ita legendum eruditioribus uidetur:

Suppoſitam fama eſt, quondam pro uirgine ceruam,
At nunc pro ceruo mentula ſuppoſita eſt.

Erant & ſui magiſtratibus apparitores: & inde apparere, uerbum perelegans. Sed in hoc uſu, paraturam quoq; apud Tertullianum comperias. Fugitiuarium Iureconſultis & Varroni inuenio dici, qui fugitiuos ſcrutatus reprehenſabat, ut T. Liuij uerbo utar, id eſt retrahebat.

Cœna dubia ex ſue tantum manſueto, & inde parœmia. Itẽ quam habeat rationem id Plinianum, Multa Syrorum holera. De rore Syriaco & manna. Syrium quid. Syrupa, in medendi arte cur dicantur. Cap. XXV

ANtiocho rege numeroſo exercitu in Græciam irrumpẽte, attonitiſq; omnibus magnitudine rerum, quæ ingruere uidebãtur, T. Quintius Romanorum imperator ita ad Achæos uerba feciſſe memoratur, dum peditum equitumq; nubes iactari audiſſet à rege, qui & claſſibus conſtraturum ſe maria interminabatur: Eſt (inquit) res ſimillima cœnæ Chalcidẽſis hoſpitis mei, hominis & boni & ſciti conuiuatoris: apud quem ſolſtitiali tempore comiter accepti, quum miraremur, unde illi eo tempore anni tam uaria & multa uenatio: homo non (quàm iſti ſunt) glorioſus, renidens, Condimentis ait, uarietatem illam & ſpeciem ferinæ carnis, ex manſueto ſue factam. Hoc perinde in regis copias, quæ iactentur, promi poſſe. Varia enim genera armorum, & multa nomina gentiũ inauditarum, Dacas & Medos, Caduſios, Aelimæos, homines tamen eſſe, haud paulò quàm mancipiorum melius, propter ſeruilia ingenia, militum genus. Ex hiſtoria uerò huiuſmodi, cuius auctor T. Liuius eſt, commoneor, ſcitum elici adagium poſſe: atqui ſuilla caro eſt, de ijs quæ re quidem ipſa parui ſanè aut nullius omnino momenti ſunt, apparatu tamen ac fuco, & (ut ille ait) nugis peregrinis præcellere uidẽtur plurimum. Plutarchus illud adijcit, μὴ δὲ ὑμεῖς θαυμάζετε τὸν βασιλικὸν δυνάμαι, λογχοφόρους καὶ μαχαιροφόρους καὶ

τοὺς πεζεταίρους καὶ ἀμφιπποτοξότας ἀκούοντες, πάντες γὰρ οὗτοι σύροι εἰσίν, ὁπλαείοις ἀλλήλων διαφέροντες. nec uos (inquit) admiremini regis copias, quum haſtatos, cataphractos, pedites, amphippotoxotas auditis: nam hi omnes Syri ſunt, armis modò inuicem diuerſi. Ex ijs uero Græci auctoris uerbis coniectamus, prouerbiũ idem enuntiari hoc ferè modo poſſe, Syri omnes ſunt: ſenſu tantum non eodem. Ad quam Syrorum imbellia̅m, & ingeniorum ſeruilem naturam: ut quæ generoſioris neſcia ſpiritus magnum nil affectet, uerum ſtudijs libero homine indignis mancipata degat æuum, ſi quis adagium in Naturali rerum hiſtoria referendum putet, Multa Syrorum holera: haud hebeti forſan iudicatu conijciat: quanquam in eius enarratione ex doctioribus nõnullos inſigniter torqueri, animaduertam. Taceo quod in Aureliano ſcribit Flauius Vopiſcus: Rarum eſſe ut Syri fidem ſeruent, immo difficile. Ceu dempta modò hortorum cura operoſiore, boni maioris nil præterea in Syrorum ingenijs ferè ſit requirẽdum. Verum in ijs libera ſit cuique cenſura: quando ſunt, qui in Syris etiam fortitudinem admirentur. Illud hac parte obiter leuius attigero: Syriacum rorem, à Celſo in Medicina, capi pro eo quod nomine peregrino uocatur etiam manna. Hinc illud explicatur Columellæ in muſti lixiui ratione: Tres, inquit, heminæ roris Syriaci contriti & cribrati ſuper omnia adijciuntur. Dioſcorides in Libano probari manna, tradit, candore præcipuo. Sciendum tamen: in thure quoque agnoſci manna, à Plinio, quoniam ſic eliſas intelligit micas. Syrium uero eſt unguentum ſuſinum, è ſuſo, id eſt lilio: quanquam & floris ſuccus Syrium item dicitur, quoniam præcellat in Syria lilium purpureum. Sed & ſuccus quilibet, uti eruditioribus eſt obſeruatum, eodem cenſetur nomine: unde ſyruporum appellatio, medicinis frequens, creditur propagata. Columellæ autem ſyrupa, oliuæ condiendæ ſpecies eſt.

Medicorum decreta de ſuillæ carnis præſtantia. Chalari ſues qui ſint. Chalaſtice medicina. Item uocabula id genus plura: delphax, adelphi, phorine, thytæ. Myſterici ſues. Chœrus, χοιροπωλεῖν, ſyrbe, petalides, petali, petaſus, laphygmus, hyomuſia, hyenia. Hippocratis filij. Hyſteria feſtũ. Sues cur ſacri in Creta. Metachœra. Necnon de pontifice Sergio. Diocletiani hiſtoria. Achores. Siali, ſialochi. Cap. XXVI

Villi generis uilitatem, quum ſuopte animalis ingenio, cui pro ſale datam eſſe animã, ueteres ſanxere: tum quia nil magnopere parabilius, & omnium uſibus magis expoſitum, nemo non nouit. Verum, artis medicæ non diſſimulanda tamen decreta: quoniã octauo De ſanitatis ratione Galenus, ſuillam carnem cæteris laudabiliorẽ facit: ſed & Princeps capite De ſanguine, humanum ſuillumq; ſanguinem in omnibus exactam habere ſimilitudinem, ſcribit. Quin eandem quoq; carnis rationem tradit. Adeo, ut impuratiores quidam pro ſuilla humanam diſtrahere, ſibi licentius permiſerint: quod facinus diu perrexit impunitius, donec digiti hominis intermixti fortè conſpecti, ad ſupplicij diritatem, etiam ſi ſeram, auctores protraxere: id quod decimo Simplicis medicinę affatim expoſuit Galenus. Auerrois quinto Colliget (ut barbarè dicam) ex Auicennæ placitis porcinam carnem cæteris præferendam omnibus ſtatuit, ueluti hominibus natura cognatiorẽ. Quod (inquit) eſſe ita, experimento planè diſcimus. Quin Arcadicam deſcribens cœnam Hecatæus ex Athenæi monumẽtis, fuiſſe mazam dicit, ac ὕεια λιπέα, id eſt ſuillas carnes. Eſt tamen plerunque eius bruti grandinoſa caro. Quo ſanè argumento, chalaros dicit ſues Græcorũ natio: quia in mortuorum carnibus uiſatur χάλαζα, quam interpretamur grandinem: ſed in uiuentibus, latens graſſatur morbus. Chalaſtice uero aliud eſt: ſic enim nuncupat Galenus eam medendi rationem, quę relaxando remittendoq; mitiget. Hinc & chalaſtica legimus pharmaca. Sed & muſculos uocant χαλαροὺς. id eſt chalaros, qui laxiores remiſſioresq; ſunt. Non alio ex animali numeroſiorem fuiſſe materiam ganeæ, Plinius ſcribit, excogitatis inde quinquaginta propè ſaporibus, quum cæteris ſinguli modò ſint. Suem maſculum, delphaca uocat Epicharmus cum pleriſq; alijs. At genere fœmineo delphaces, fœmellæ dicuntur propriè, quòd delphyas habeant, id eſt uuluas: unde & fratres uterini, nuncupantur adelphi; ſicut qui eodem prognati ſunt patre ac ma-

tre dicuntur autadelphi. Phorine dicitur ſuilla pellis. A ſuillo pecore immolationes in ſacris initia duxere prima: unde & Sues olim dicti Thytæ, à ſacrificio uſu. Sed & in Cereris initijs immolari porcos conſueſſe, accepimus. Nam & in ueteri comœdia hoc argumento, myſtericos nuncupari ab eius deæ myſterijs, animaduerto. In nuptiarũ quoque ritus idem aduocabatur animal. Verum & nutrices naturam muliebrem chœrum, id eſt porcum uocabant, quod Ariſtophanes ſignificat: ex quo facetiſsimè quibuſdam concinnatum uerbum χοιροπωλεῖν, quod ſignat porcum uendere, id eſt capturas corpore quærere. Et quoniam in uocabula defleximus: ſyrben interpretantur uocem, qua ſues allectẽt ſubulci. Apud ueterem comicum, ῥοῖ ῥοῖ, ſuilla uox eſt, ex qua & uerbum ῥοΐζειν. Petalidas Græci, ſues præpingues quandoq; uocant, ex uitulorum ratione, qui à cornibus dici ſolent petali, quãdo ecpetala habent ea, id eſt patula uel parua exiliaq;: nam & petalas dicunt palmas minutas, καὶ θαμνώδεις, id eſt fruticoſas. Sicut larini quoque dicuntur, à larinis bobus. Petaſus uero ad inſtitutum præſens pertinet nil admodum. Quia uero in eius notione mirè diſceptant grammatici, non grauabimur ſententiam ad id ferre, ac ſine prouocatione. Siquidem in Aegyptiæ fabæ tractatu Dioſcorides illius eſſe folium prodit μέγα ὡς πέταλον, id eſt grande ut petaſum. Quid autem petaſi nomine intelligendum inibi ſit, abundè palàm facit De plantarum hiſtorijs libro quarto Theophraſtus, qui folia eadem πίλῳ θετταλικῇ ἐοικέναι ſcribit, id eſt Theſſalico pileo ſimilia. Amplius Alexandrum legimus apud Athenæum, ſolitum quandoq; petaſum capite geſtare, manu uero caduceũ. Inuenio & laphygmum dici eruditè canum ac ſuum inexplebilem uorandi auiditatem, inclinata uocabuli proprietate à uerbo λάπτω καὶ λαπτάζω καὶ λαφύσσω, ſorbeo & deuoro: unde ab impenſæ magnitudine conuiuium magnificum, ilapinem uocant. Quod eo appoſui gratius, quoniã Rhodigini mei ex uerbo ueteri Græco parum excidentes, pro eo quod eſt λάπτειν, confinxere ſibi plebeiam uocem ſlapare. Ab hoc item præcipuè brutino genere, hyomuſiã comperi, pro ſuilla quidem inconcinnitate: uerum & pro inſcitia. Sicuti & hyeniam, pro fatuitate. Nam Hippocratis filij, ut incomptis moribus, à comicis proſcinduntur, dicti ſuem reſipere. Proinde Ariſtophanes,

τοῖς ἱπποκράτους υἱοῖσιν ἀκαλλέσι, καί σε καλοῦσι
βλιτομάμαν

id eſt Hippocratis filios exhibebis, teq; uocant blitomamam: id eſt, fatuum. Illud exabundanti parte hac adiecerim: Sergium, qui prius Os porci uocabatur, ex põtificibus primum fuiſſe, qui proprium demutarit nomen: quod mox obſeruatum ad nos uſque perdurat. Non diſſultans ab inſtituto & illud ab Diocletiano pronuntiatum: Ego, inquit, apros occido, ſed pulpamento alter ueſcitur. Quod inde eſt natũ. Agenti in Gallia Diocletiano dicebat Dryas: Nimium Diocletiane auarus, nimium parcus es. Cui per iocum is, Tunc ero largus, quum imperator fuero. At Dryas: Noli Diocletiane iocari: nam imperator eris, quum aprum occideris. Ex eo uenationibus deditus apros forte oblatos enixius occidebat, dicti euentum expectãs: quo eſt fruſtratus, donec præfectum prætorij Aprum peremit. Illa fuerint auctaria capitis huius: ſuem Veneri mactari ſolitum quandoque, ſicuti Callimachus ſcribit: factum id Argis adnotauit hiſtoria: feſtum certè, Hyſteria inde nuncupabatur. Quod ad Chalcidenſes attinet, de quibus facta nobis paulo antè mentio eſt, ſcitum eſt admodum quod de Dromea lectum paraſito eſt: à quo quum quæſiſſet neſcio quis, In Vrbe, an apud Chalcidem lautius pararetur conuiuium: gratius reſpondit uideri Chalcidenſis cœnæ procœmium, oſtreorum numero & uarietate. In Creta ſacrum creditur animal hoc ſuillum, quoniam naſcenti Ioui ſus mammam ſubmiſerit: ac gryſmo, id eſt grunnitu, pueri uagitum audiri uetuerit. Metachœra, ſues uocant ſerius naſcentes. Achoras interpretatur Plinius ulcera capitis manãtia, quum foraminibus prætenuibus cutis pertunditur, quod Aegineta Paulus prodit libro ſecundo, unde glutinoſior demanat ſanies. Noſtrates à ſimilitudine ueſtes abrodentium tinearum capitis uocant tineas, ſic cute perforata, uti ueſtimenta malì genere pertuſa euileſcunt. Sialos, præpingues porcos uocant Græci. Galeno tamen ſialos, ſputum eſt: unde ſialochi dicuntur, qui inter loquendum ſaliuam conſpergunt.

Porculatio

Porculatio Varroni, porcorũ nutricatio eſt: ſicut pullatio, pullorum. Inde eſt illud Columellæ, Porculatoris uero & ſubulci diuerſa profeſſio, diuerſæ paſtiones. Dixit Epheſius Heraclitus, ſues cœno lauari, uelut cortales aues puluere aut cinere, ſiquidẽ hiſce rebus plumam pinnaſq́ emundari. Ab ſuilla ratione propagatũ illud quoq́, ut imperitis craſſioreq́ obuolutis ignorantia, pro ſale animam modò eſſe datam pronũtiemus.

Pholiam urſarum, quid intelligant Græci auctores. Vrſæ uafricia. Pholeus quid ſit: item pholis, pholaides, pholades, pholyes, pholydes, phonæ, pholles. Cap. XXVII

PHoliam, id eſt φωλίαν, quum legiſſemus quandoq́ in Græcorum commentarijs, diu multumq́ indagini nobis fuit, quid ſibi uox ea uellet, Demum unus deſideria expleuit Aelianus, à quo proditum aduertimus, urſam ubi ſe præpinguem ſenſerit, ac pleniore corpore, morbi loco ducere ipſum hũc ſtatum, propterea latebras quærere, quas φωλεοὺς dicunt Græci, unde affectioni adoptatum nomen: ubi tandiu conquieſcat, donec inutile pinguedinis onus reſideat, ueluti delimatum. Pergere autem, ac in latibula ſeſe inſinuare non pedibus utique, ſed dorſo reſupinatam, corpus protrudendo, ne ſuperſint uenatoribus ad indagandum ueſtigia. Cæterum, ſuper re adeo uerſutiæ inopinatæ ipſius uerba ſubſcripſi auctoris: ὅταν δὲ ἄλοθῃται ἑαυτῆς πιεπλησμένης, ὑφορμᾶται τὸν, ὡς νόσον, ζητεῖ φωλεόν. ἐν τούτῳ μὲν κλινεται τῇ ἀρκτῳ φωλία ὁ πολεμος. εἶτα εἰσδύεται οὐ βαθύζουσα, ἀλλὰ ὑπτία, ἀφανίζουσα τοὺς θηρατὰς τὰ ἴχνη. ἑαυτῷ γὰρ ὠμὴ σύρει τῇ νῶτα, καὶ παρελθοῦσα ἡσυχάζει. καὶ τρόπου τινὰ τῷ ἕξιν ἔνα. Sed ut auctarij inferatur quippiam, inueni etiam, qui φωλεὸν eſſe diatribam ſiue ſcholam interpretentur. At φωλὶς, piſcitij intelligitur genus quoddam. φωλαίδες uero ſunt ὀστράκινα τινὰ βρομώδη. Apud Theocritum φωλάδες ἄρκτοι, urſæ dicuntur ἐμφωλεύουσαι, id eſt in latibula ſe condentes. Pholyes uero, id eſt φόλυες, fului dicuntur canes, ore nigricante. Pholides ſunt & ſerpentum ſquammæ. Sed & fiſtulę, πολυκάλαμοι. Cædis autem loca uocant φονάδας. Vocãt & pholidas, abuſione quadam, pennulas minutiores. Pholles, id eſt φόλλεις, oboli nuncupantur. Quanquam & uocabulo eodem tributorum genus certum intelligitur.

Cornicis admirabile obſequium in Aegypto, quæ tabellarij uice fungeretur: inde moriens honeſtata eſt ſepulchro. Cynocephalorum docilitas. Phaciolium, cordyle, crobylus, nidarium. Cornicũ oculos configere quid ſit, uel cur dicatur. Cap. XXVIII

INter cætera quæ de animalibus ratione carentibus promi ſolent miracula, unum mihi compertum nuper, quod ut præterirem, inducere animum haud ſuſtinui, quia ſit præcipua dignum admiratione. Lego ſiquidem in priſcorum monumentis, qui noſtris plurimum emolumentis exſudarunt alſeruntq́: in Aegypto fuiſſe paludẽ, quæ dicta Myridis eſt, prope quam fuerit Crocodilorum ciuitas, atq́ inibi uiſitatum quandoq́ cornicis ſepulchrum, cuius eam opinati rationẽ ſint Aegyptij. Fuit Aegypti rex Marrhes nomine, qui cornicem impendio mitem, ac prorſum habuerit cicurem, educationis ſolertiore cura eò prouectam inſuefactãq́, ut pterophori curſoriſq́ uice exſuperãtiſſimi fungeretur: quò enim concupiſſet altor, ceu rationis planè compos, epiſtolas deferebat: cõmonita noſcens callidè, quà tranſuolandum, quo ue dirigendus impetus, ac ubi ſidendum foret, interquieſcendum ue. Quamobrem obſequio miti adeo, ac nullius ſtipendij indigo & utcunq́ parato, quum obijſſet, dignam à rege habitam quæ ſepulchro ſtelaq́ honeſtaretur, propagandæ in æuum longius memoriæ facti tam inopinabilis, rarenterq́ auditi aliàs. Verum, quia hæc parum integra fide forſan prodi à me ſuſpicabitur quiſpiam rugoſioris ac contractioris ſupercilij, ſuppingenda Græci auctoris uerba duximus, ne quis uanitatis anquirat. Sic uero habent: ἐν τῇ αὐγύπτῳ ὧν τῶν λίμνῃ τῶν καλουμένων Μύριδος, ὅπου λεοκροκόδειλων πόλις, κορώνης τάφος δείκνυται, καὶ τῶν αὐτῶν ἐκείνου αὐγύπτιοι φασί. τὸν βασιλέα τὸν αὐγυπτίων, Μαρρῆς δὲ οὗτος ἐπαλεῖτο, τῶν κορώνῃ, θρέμμα πολυν ἤμερον καὶ τῶν ὠκυπόλων, ὃς ἐβούλετο οἱ κομιδῆ ναύπορος, θᾶττον ἐκόμιζεν αὐτὴ, καὶ τῶν ἀγγέλων ὠκίστη. καὶ ἀνούσαις, γνῶναι ἐθῶσαι χρὴ τὸ πρόσω, καὶ τίνα χρὴ παραδραμεῖν χῶρον, καὶ ὅπου ἥκουσαν ἀναπαύε-

σθαι

θαι. ἀνθ' ὧν ἀφθάνου ζαν ὁ Μαλέρβης ἐτίμησεν αὐτὸν καὶ σήλη καὶ τάφῳ. Cæterum nec illud ignorandum: brutis etiam uideri docilitatis ineſſe plurimum, quando in Aegypto eadem cynocephalos obſeruauimus, Ptolemęis ſtationem tuentibus, literarum etiam ductus perdidiciſſe, immo & ſaltationũ geſticuloſos motus, & tibiarũ modulos, nec pſaltices fuiſſe inſcios. Additur & admiratio altera: ſolitos à ſpectantibus mercedulã, æsq; uelut manuarium, corrogare, quod phaciolio inſererent ſeruarentq;. Eſt uero phaciolion, capitis geſtamen, id eſt λεφαλῆς πορπέλημα. Quod Rhetoricorum primo tradidit Creon, cordylen dicunt Cypríj, crobylum Athenienſes, at Perſæ nidarion. Amplius de cynocephalo eſt id obſeruatum: ſilentis lunæ die, hoc eſt, ubi cum ſole congreſſa ἀφώνη συγγίνεται, marem cynocephalum nec uidere nec ueſci, ſed præ triſtitia in terram nuere, uelut lunę ingemiſcentem raptum: fœmina inſuper ἀμαυροῦται. Quo argumento in templis cynocephalos connutriebant, ut inde ſolis ac lunæ coitus commonerentur. Quin & illud eſt traditum: æquinoctij die animal hoc duodecies, id eſt hora qualibet urinam facere: qua ex cauſa, hydrologijs ſedentem inſculpunt cynocephalum Aegyptij. Porrò quod ad cornices attinet, haud è re fecero literaria, ſi quæ ex Ambroſio & Magno Baſilio comperta mihi, trãſiluero, à quibus proditum obſeruauimus, ciconias iamiam commigraturas non aliter, quàm collecto proficiſci agmine: ac uelut per teſſerarios, militiæ quadam imagine, tempore pronuntiato, pariter moueri omnes, mirè ſeruatis ordinibus, ceu nec agminis coactor deſit. Cæterum ducendi functionem cornices ſubire, quæ illas & dirigant, & turmis quodammodo ſtipatricibus conſectentur eatenus, uti uel aduerſus inimicas aues munimento haudquaquã contemnendo eſſe credantur, ac periculis ſubire proprijs non ſuam bellandi aleam. Ex hac uero doctorũ eminentiſsimorum accurata doctrina, & theſauris elegantioribus, dilucere opinor prouerbij ueteris uim, Cornicum oculos configere. Quod in M. Tullij oratione poſitum non tam enarrat Valla, quàm implicat.

De Simone Mago paucula, qui eſt habitus deus. Draconis in puellam amor admirabilis. Cap. XXIX

CAeterum, ſicuti cœpimus, pergamus hiſce memoriarum illectatiunculis uitam excolere: quoniam in eorum tranſcripti decuriam ſumus, adnuente optimo maximo Deo, qui uti eleganter ſcienterq; retulit Auguſtinus, ſcribendo proficiunt, ac proficiendo ſcribunt. Nec commemoremus tamen, quod Septimius prodidit Florens, & alij præterea, Simonem Samareum magicis artibus & ope dæmonum ſuffultum, in urbe Romana, multitudine innumera fraudibus delinita, eò faſtigij prouectum, ut inter duos pontes hoc titulo ſimulacrum publico conſequeretur decreto, Simoni deo ſancto: ſed illa potius, quæ humanæ augent excellentiæ admirationem. Hæc enim illi planè ſuffragantur. Proditur ergo memoriæ, apud Idumæos (ſiue malis Iudæos intelligere) quum rebus potiretur Herodes, puellam in ipſo conſtitutã ætatis uigore, inſigniter à dracone magnitudinis uiſendæ adamatam: qui commeãs ſubinde amanter cum ea decumbebat. Illa tamen, etiam ſi clementem manſuetumq; (utiq; naturam uerita inſociabilem, & ab humano diſsitam captu) reformidans, ex loco abſcedere propoſuit longius, ac menſem abeſſe, ceu bruto per abſentiam illatura dilectionis obliuium. At diuerſa euenere omnia, ſiquidem in dies intendebatur affectio, augeſcebatq; amoris impetus, deſiderio dum contabeſceret nimio, interdiu noctuq; cõſueta repetens cubilia, nec eſſet eius potiũdi facultas, quod appetebat præcipuè. Conflictabatur ergo, uti infelix amator. Poſtea uero quàm redijt quandoq; puella exoptata, deuolans is ad uiſam protinus, ac prorſum amatorię ſuſpicionum plenus, tanquã neglectui habitus, atq; eo nomine indignabundus, cauda complexus puellæ crura conuerberabat, ſed obſeruatè admodum ac uerentis modo, ira & amore compugnantibus. Qua ſanè ratione dicat forſan ueterum aliquis, Eum qui lo-ui imperet, imperet dijs item alijs, nec bruta quidem negligere. Cæterum quo ſe aduerſum ea modo habeat, ex ijs dilucet, opinor.

Deorum apud priſcos nomina uaria. Hieromenia quid. Penates dij. Menſium ſingulos ſuum habuiſſe numẽ. De Vitunno, Sentino, ac ſelectis dijs.

Saturnij

Saturnij uerſus, Iouij, Ianales. Proſa dea. Poſtuerta. Anteuerta. Templarij qui intelligantur. Tutilina, tutanus, tutulus. Platonicorum obſeruatio in lucis. Pythagoreorum ſolitudo. Capitis conuelatio in ſacris. Protemeniſmata. Cap. xxx

DE diſs quidem aliubi hoc opere diſſeruimus, nunc & carptim præcerpemus quæ uaria nobis oſtentat lectio: quando & grauis auctor Auguſtinus iſta conſectari non inſuper habuit: quum ex Varronis ſpicilegio Proſerpinam diceret, frumentis præpoſitam germinantibus: geniculis uero nodiſque culmorum, deum Nodinum: inuolucris autem illis folliculorum, deam Volutinam: quum folliculi pateſcunt, quum exeat ſpica, deam Patelenam: quum ſegetes nouis ariſtis exæquantur, Hoſtilinam deam, quia hoſtire ac hoſtimentum prioribus exæquationem indicat: Floram adijcit quoque Lactucinamq; & Maturam, quæ florentibus lacteſcentibusq; ac matureſcentibus præſint frumentis. Quin & menſibus ſingulis ſuum præficitur numen in ueterum ſuperſtitioſa anxiaq; uanitate: ſiquidem Ianuarij pontificium habere Iuno credebatur, Februarij Neptunus, Martij Minerua, Aprilis Venus, Maij Apollo, Junij Mercurius, Julij Iupiter, Auguſti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Nouembris Diana, Decẽbris Veſta. Menſium tamen initia uniuerſim Apollini ſacra rebantur, qui Soli ſit idem: ex quo Hieromenias uocabant, uelut Hieronumenias περὶ σωτηρίαν. Arbitrantur alij, menſem totum quo Nemea celebrarentur, dici Hieromeniam. Sed & ſacri menſium dies ſic item nuncupantur. Quin auctor item Philochorus eſt, Athenienſium decreto menſem Ὁλυμπιειῶνα Hieromeniam appellatum, ceu ex toto ſacrum. Extat Quinti Ennij carmen, deorum continens penatium nomina, quos patrios alij, Varro Terentius etiam urbanos nuncupat:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceresq;, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Fuit & uitæ contributor Vitunus deus, ſicuti ſenſuum Sentinus. Sed hi tamen obſcuriſſimi cenſebantur dij, etiam ſi plura multo præſtarent, quàm quos Selectos nuncupabant, uel de ampliori poteſtate ac dignitate: ſiue quòd auguſtius colerentur, uiginti numero, ſicuti eſt à Varrone ſancitum, mares duodecim, fœminæ octo. In deorum mentione, illud nec relatu indignum: Mineruios, Saturnios, Iouios, Ianales nuncupari uerſus, de numinum maieſtate, quibus forent dicati. Nam & à Zoſimo relatũ ſcimus, quibus hymnis in Palatini Apollinis templo Romæ uti, receptiſſimi foret moris, quando & pueri nobiles adhibebantur nouem patrimi, matrimisq; totidem id genus uirginibus unà modulatè concinentibus. Palimbachium, qui conſtat ex duabus longis & breui, Saturnium item dici ſcimus. Saturnios uerſus intelligunt eruditi, quibus Faunus fata hominibus canebat: & à Næuio bellum Punicũ ſcriptum eſt, & ab alijs multa compoſita. meminit Varro carmine etiam allato:

Libaq; fictores, argeos & tutulatos.

Proſam accepimus, deam fuiſſe prioribus, cui rem obirent diuinam puerperæ, ritu naturæ quæ peperiſſent. Sicuti Poſtuertæ, ubi in pedes prodijſſet infans: haſce Carmentes dictas reperio. In Cœnis ſcribit Macrobius, Anteuertam & Poſtuertam deas habitas: quòd ea omnia intelligi oportere exiſtimarent, quæ dilapſa iam eſſent, aut futura etiamnum uiderentur. Proinde diuinitatis cenſeri comites, ueluti conſilium eſt, atque item prouidentia. Templarios legimus quandoq;, ſed non dij eo nomine ulli intelligendi, uerum hæretici quidam ſic (uti arbitrantur) nuncupati, quòd templa inuiſerent, eſſentq; in eis aſſiduè. Nam & Platonicos legimus, quin Stoicos quoque in templorum lucis ac porticibus obuerſari conſueſſe, ut habitaculi ſanctitate commoniti, non temerè aliud quàm de uirtutibus cogitarent. Qua ratione Pythagorei frequentia item recli nata, in ſolitudinibus agebãt ferè. Templarios ſuſtulit Clemens quintus pontifex, qui Burdegalæ natus, in Gallias ſummi ſacerdotij ſedem tranſduxit. Hic eſt à quo nuncupantur Clementinæ ſanctiones. Tutilinam putandis frugibus præfuiſſe, Auguſtinus ſcribit: & Ennius, Tutilinæ loca inhabitaſſe memoratur. Tutanus deus, ab omnibus (ut Varro

(ut Varro inquit) mortalibus labore affectis inuocabatur, ut qui illis præsidium afferret atq; opem. Tutulum Fulgentius pallium accipit, quo ex sacro ritu caput obnuberent sacerdotes: unde sit apud optimum maximum poetam,

Et capita ante aras Phrygio uelamur amictu.

Tutelarem prætorem instituit omnium princeps, Iulio Capitolino auctore, Antoninus Philosophus, dandis tutoribus, qui ab consulibus antea petebantur, ut diligentius tractaretur de tutoribus, aduersum quos idem quoq; pronuntiabat. Opera illud parerga subnotabitur, loca ante fanum Thucydidi protemenismata nuncupari. Sunt qui eo nomine propylæa intelligant, uel proastia quoq;, id est suburbia.

Super aspide paucula. Aegyptiorum reges cur aspida in diademate gestarent. Aspidis notiones. Aspidion quid, & aspidiscus. Cap. XXXI

DE aspide scitu non indigna quæ occurrebant, consectati aliquot ex nostris etiamnum sunt: cæterum superant quædam non indicta quidem, sed multos tamen quæ lateant ferè: quo nomine, publici boni studio carptim à me attingentur nunc. Id uero primum, non magnopere compertum, qui aspidis ictu percussus euaserit. Quo argumento, ut significaretur principatus quædam inuicta uis, Aegypti regum mos fuit peruetus, diademata serpentis eius imagine distincta gestare. Gigni quandoq; aspidas cubitorum quinq;, in libris est obseruatum. Esse item atri coloris plurimum, uel cinereas etiamnum: uisam quandoque & fuluam aspida. Quibus morsum impegerit, horis uix quatuor superesse, præfocationem quippe mox insequi, ac spasmum cum singultu. Illud ex grammatica suggeritur supellectile: aspidas, dici campos forma orbiculari, aut ubi aspides uisantur plurimæ. Certè urbis Argiuæ partem Aspida uocatam, locis aliquot in Pyrrhi uita scribit Plutarchus. ἀσπιδεῖα uocant item Græci τὰς τῶν ἀσπίδων πτυχάς. Sed & in naui partem, quę ad puppem uergit. Aspidiscos breuia dicũt scuta, sed & in scuti modum orbicularia ornamenta. Plethon Gemistus Historiarum primo & illud prodidit, Philippum Amyntæ omnium primum Macedonicæ phalangis synaspismum cõstituisse. Id autem intelligitur, quum in phalange singuli cubitum occupant.

Pastoris cum capella initus admirabilis: decq; inde nato monstroso fœtu. Crathis fluuius unde sit appellationem nactus. Interim hircorum zelotypia. Cap. XXXII

QVæ sit brutorum affectio quorundam in amatoriis, alibi attigimus, opinor. Quod ad manum est, exemplum ad id ipsum spectans, non præteribo: ut quam de hircis protuli, sententia corroboretur hoc amplius. Fuisse igitur apud Sybarin pastorem nomine Crathin, comperi, qui in Venerea procliuior, capellam (sicuti ei uisum) omnium formosissimã deperire amplius cœpit: quumq; libidinis incentiuo acrius exstimularetur, eandem mirè prorsum inibat, ac frequẽter, demumq; uti amicam gratè amplexabatur, nec citra suauiationem crebram. Quin, quod sequens quodammodo est, capellarius amator, quibus illam capi præcipuè opinabatur, munuscula identidem obiiciebat, pabulũ uidelicet lætius amœniusq;, ut quo etiamnum suauior illi fieret anima, quam labellis labella implicando, forteq; proserpentem etiam reddendo bestiam, haurire uniuersim, ac medullitius affectabat. Insuper stibade accubitisq; molliculis haud neglectis, quib. uelut nympha decumberet, quieti operam impertiens. Interim qui fuit caprarius ductor, ac ceu antesignanus hircus, hæc contemplatus, neglectui haudquaquam sibi censuit habenda, zelotypia concitatus tanquam œstro uehementiore. Sed aperta ui imparem se coniectãs, dissimulandam doloris acerbitatem tantisper est arbitratus, donec ulciscendi cõmodior præstaretur occasio, quæ & oblata mox est. dormientem quippe (uti assolet) conspicatus, subsidendi locum arripuit statim, ac quanto maximè ualuit impetu, in hostem ruens sinciput ei allisit. Quo tam præclaro latius disiecto facinore, pastori monumentum insigne structum est, ac de eiusdem nomine fluuio adoptatum cognomen. Ex concubitu autem brutino natum ferunt infantem cruribus matrem qui referret, facie uero patrem. Sed & deorum numero ascitum, constans tenuit fama: fuitq; mox Hylæum nu-

men

men, Napæumq́. Id uero ſylueſtre ſignat. Siquidem ſaltus, uocant Græci νάπας. Super dipſade adnotata paucula. Preſter, cauſon, melanurus, ammobates, centris quid. Melanura quæ dicantur. Senectutis anguium fabella. Ogygium quid.

Caput XXXIII

DIpſadi ſerpentum generis de naturæ ratione aſcitum nomen, monumentis proditum ueteribus eſt. Cenſetur ea quidem uipera magnitudine minor, ad inferendam perniciem celerior multo. Quos mordicus apprehenderit, ſiti inardeſcunt uehementius, ad potumq́ efferueſcunt, ac inde inceſſanter haurientes diſſiliunt mox. Cauda lineis diſtinguitur (uti ferunt) duabus, nigriſq́, corpore albicante reliquo, ut ſcribit Soſtratus. Sunt qui & prèſteras, id eſt πρηστῆρας, nuncupent (quanquam & eo nomine impetuoſior eſt uentus, ac tranſuerſæ in collo uenæ, necnon fulminis ſpecies) κάνσωνας etiam alij. Naſcuntur in Libya quidem, ſed in Arabia præcipuè. A quibuſdam dici quoque melanuros, animaduerti: ſed & ammobates, necnon centridas, ſiue λιγυρίδας, aut centrinas, ab figura. Nuncupatur in re ſacrificali dipſas, item hepatis ſignum quoddam. Διψίου κόνιψ, ubi dicunt Græci, intelligunt ξηρᾶν. Melanura inſuper ſcito dici, quibus nigricat cauda. Monuit ſcienter Pythagoras, Animal cauda nigra non attingẽdum: innuens eſſe reclinandum uitium, cui ſuccedat mentis nigredo, & uoluntatis conflictatio moleſta: ſiquidem uitij facilitatem, uitæ mox miſerabilis conſequitur difficultas. Super dipſade lepidior memoratur fabella: Contenderunt quandoq́ homines, à dijs iuuentam contribui, uti ne unquam ſeneſcerent. Voti compotes aſello geſtandam impoſuerunt: at is ſitiens uehementius, quum aquas comperiſſet, iam iamq́ adlubeſceret, loci aſſeruator ſerpens potum inhibuit: nec permiſſurum ſe prius aſſeuerauit, quàm onus ſibi foret condonatum: quod & aſellus nimis areſcens, facile conceſſit. Quo argumento ſenectutem abijcit ſerpens, at ſenio conficimur homines. Illi tamen aſelli agglutinata eſt ſitis, quam & morſu læſis inijcit. Alij fabellam ad Prometheum reijciunt, à quo ſurreptus ignis quum eſſet mortalibus traditus, qui acceperant primum, beneficij haud memores ſatis, rem aperuerunt: id collaudans Iupiter, ἀγηράσιας pharmacum illis retribuit. Quod aſello mox eſt iniectum, inde reliqua ferè, ut prius. Extat uero fabulamentum apud Sophoclem ὧν κωφοῖς. Ogygium id appellant poetæ, tanquam peruetus dixeris, ab Ogyge uetuſtiſſimo.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros ad doctiſſimum Cælium Calcagninum Ferrarienſem, Præfatio ſexta & uiceſima.



I unquam aliàs compertus eſt, cui literæ fuerint omnino inſularum loco, me eſſe eum, haud ſanè inficiari queam Cæli doctiſſime: ſiquidem ſingulis impactæ libris ad eruditiſſimum quenque Præfationes, ſi id coner maxime, aduerſum me, uelut conceptis iurarint uerbis, teſtimonium dictabunt. Sed & argumẽto eodem, te nunc in huius gloriolæ participatum admittere conſtitui. Nil celebrius ferè, nil quo frequẽtius perſonent eorum aures, qui diu iam interioris ſcientiæ candidati, nunc demum ueteranos agunt, immo & Ariſtarchi uirgulam, ut critici grauiores, exſerũt candidiſſimè, quàm quo pridem ingenio, qua' ue rerum ſcientia, uel ultra ætatem dum ſapis, in Ferrarienſi gymnaſio in omne ſcriptorum genus dictata promas: nec citra Venerem, non Atticam quidem, ſed Romanam prorſum. Quando, ut nunc eſt, profert ſe magnificè uirtus Italica, & diu iam annis carioſam quodammodo Græciam laceſſit. Sed & olim mihi, dum iſtic agerem, quæ increbuerat prius, innotuit abundè multiplex eruditio tua, quam inter ambulatiunculas frequentes ſolers ingenium tuum, nunquam non præſens, & in numerato ſemper, ſingulari promebat omniũ admiratione. Quamobrem piaculum eſſem arbitratus, quod nec maioribus procurari hoſtijs poſſet, ſi Cælium Cælius præteriſſet tacitum in hac, qualis ea cunq; ſit, cenſura, qua ueluti λογάδιες ſeliguntur, quibus noſtri laboris dicentur portiunculæ, ut ſint nobis tanquam χάρακες, quibus ſurrecti ſtemus, liuidulorum ſic afflatum contempturi facilius, quos Timonianum impreſſuros dentem, haud abnuerim. Quid enim aliud illi ſunt, quàm planè μισάνθρωποι? Inde fit, ut inter omne ſcriptorum genus Sillos amplexentur præcipuè, ament, legant, nulla non atterant die. Quin & Sillographos dici ſe geſtiunt, ceu ſic aurei in Olympia ſtaturi uideantur. Sed Theoninos præterfluere ſino, illis nil imprecaturus grauius, quàm ut liuori immoriantur ſuo. Nos reliqua operis inſtituti lætè perſequemur. Nam Platonis ſententia eſt, ab Libanio repetita, ab mœrore tabeſcentibus trophæa non excitari. Quando, ut id poſſemus, inenarrabilis diuinæ potentiæ maieſtas contribuit: quo nomine, noſtri omnino muneris eſt, prodeſſe uel recuſantibus. Poteramus in ſanctaria intruſiſſe iſta, ſicq; Catonũ (tertios intelligo) uitare ſupercilium moleſtius, ſed malo ita. Hæc nimirum eſt ad æternam gloriam uia, hac in primis ratione deum induimus, dum illius qua poſſumus & fas eſt, exuberantem imitamur largitatem. Tantum abeſt ut eorum approbem ſententiam, à quibus ſuccini uetus illud ex media ſolitum Græcia nouimus, οὐδὲὶς οἶδε τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν, πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις. Infelicis ingenij arbitror, non ſe publico natum bono credere. Sed hac in parte, an quid profecerim, tuum fuerit aliorumq; ex decuria eadem, iudicium. Quòd ſi nil aliud uideor, quàm ex Ionum ſententia, σωφρονεῖν τὸ ὄκνον τῷ θώμιγγα, me conſoler: quoniam in arduis uoluntas uel ſola abundè credi ſpecioſa conſueuit. Vnum ſcio, in ijs nunquam mihi Theocritium id inſuſurratum, γόνυ λυνάμης ἔχιον. Quin potius nil unquam mihi parte hac antiquius, quàm prorſum ἀρκάδας μιμεῖσθαι, ἑτοῖσι πονοῦντα. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI VICESIMVSSEXTVS.

Quo diſtinguatur bulimos, ab eo quem caninum dicunt appetitum. Vnde dicatur bulimos, & quid cenangia. Bucæus qui. Fames uniuerſa, & uaccina. Citta, cytinus, anorexia, cittales, anancophagia. Saguntina fames. Cap. I



VONIAM præcedenti uolumine, dum quæ ad frigoris rationem pertinent, excerperemus, quæ miſcella ſuggerebat lectio, adnotaremuſq; in famis mentionem producti ſumus, quam dicunt Græci βούλιμον, ex noſtris nonnulli caninum appetitum, Gellius uim famis non tolerabilem, ſicut bupinam quoq; : uiſiq; omnino ſumus idem utroq; nomine indicare, etiam ſi Galeni doctrina diſpeſcere animaduertitur. Nunc, ut locupletius ſatisfaciam harum lectionum ſtudioſis, quum in tertium Canonis Auicennæ incidiſſem (ut de Paulo Aegineta taceam) ubi iſta palàm diſtinguuntur, operæpretium arbitratus ſum, tanti in medendi ſcientia uiri placita ſubſcribere. Vt intelligamus, bulimum dici famem magnam, ſubiecti ratione, quia membra infeſtet omnia: quanquã ſtomacho faſtidiente, proinde uniuerſa dicitur fames: ſicuti appetitus, quem caninum dicunt, particularis. Qui poſt euacuationes, & chronicas febres, quibus reſolutio contingat multa, excitari aſſueuit plerunq; : quandoq; uero continẽtis uirtutis imbecillitate. Nam quum perpetim redundans contingat reſolutio, cooritur inſtaurationis appetẽtia. Euenit interdum & calore nimio ſtomachi os infeſtante & perpetuò reſoluente, proinde ſemper illud eſt famelicum fere, quo in ſtatu urget plurimum ſitis. Solent (inquit Galenus ſexto De affectis locis) quos canina infeſtet appetẽtia, affatim impleri, mox uomitu leuari aut deiectione fluoreq;. Quod & ſanitatis inculpatæ animalibus euenit plerunq;, ſicuti Seleucidibus auiculis, quæ locuſtis ueſcentes celeriter excernũt. Cæterum, bulimus ſeu uaccina fames præuium habet plerunq; caninum appetitum. Et eſt membrorum inedia cum ſtomachi ſatietate, inſigniter quippe alimento indigent, quanquam id reiiciente ſtomacho. Deducitur res quoq; nonnunquam ad ſyncopem. Contingit uero perſæpe iter agentibus, algore amplius perurente, quum frigoris uehementia denſet ſtomachus: quod efficit conſtitutionis malitia ſenſiuam uirtutem mortificans, atq; item attrahendi facultatem, humorum peccato, qui os ſtomachi obſident reguntq;, iis uero madentes uilli expulſionem mouentes, attractionem refugiunt. Sciendum uero in Auicennæ codicibus, ſicut & medicorum ferè omnium, legi boliſmum, pro bulimo. Verum, ut in ſcriptura erratum, ita & in nominis ratione multo amplius. Nam ſunt qui à bolo deflecti putent: tanquam uno tantum bolo expleatur ſtomachus, quæ mera inſcitia eſt. Sed iis impartienda facile uenia eſt, qui nec ex interuallo quidem Latinum reguſtarunt Atticiſmum, nedum Græcum. Sanius & doctius Serapio tractatu tertio, de Græca ſentit ratione profluere, hoc eſt à βου, quæ particula intendit, & λιμὸς, quæ famem uox indicat: quod & Auicennæ interpres Gentilis obſeruauit. Sicut bucæus, ab eadem inflectitur particula, & καίνω, incido, & meto, unde prævalidus in metendo ſic nũcupatur: nec deſunt, qui à bobus deducant potius, uti aratorem indicet. Vel certe σὺν βοῦ, id eſt cantu iniunctum arandi uel metendi obiens munus ita dicitur. Sed nec illud per incuriam tranſiliendum, à medica ratione Græcorum pleroſq; abire diuerſos. Nam à ſtomachi hoſtio, quod καρδίαν uocant, καρδιόγμου Dorienſes, auctore Polluce, famem nuncupant intempeſtiuam, quam Xenophon, & communis lingua βούλιμον. Sic enim pro ſtomachi inedia uidentur accepiſſe, quod medici non faciunt, ni ad humores qui ſunt in ore ſtomachi, attractionem præpedientes relatum putes: quod Pollux ſcribit. Plato comicus cenangiam, id eſt ἀγναγγίαν, pro bulimo intellexiſſe uidetur. Id uerbum perinde accipi debet, ac ſi uaſorum inanitatem

dicas. Non prætereundum temerè, quod in libro περὶ ἀγνώσεως τῶν πεπονθότων τόπων quinto eſt à Galeno proditum, caninam item nuncupari cibi appetentiam, ubi canum more aut nil omnino, aut malos affectant cibos mulieres: quæ res citta uocatur, inquit, uel λιττὰ, aut κίττησις, id eſt pica & picatio. Contingere uero hanc, ſecundo aut tertio à conceptu menſe, quod appetentiæ ὄργανον ſit oblæſum (id uero uentriculi os eſt) infanti non ſuppetente ui ad alimenti conſumptionem. Apud Paulum ἀνορεξίαν legimus, quæ affectio intelligatur, omnia reſpuentis ſtomachi. ἀνόρεκτον uero ita affectus intelligitur. Idem Paulus bulimum, τὸν βουλλοῦσαν interpretatur ἀπροφίαν, in quam ſæpe recidat anorexia. Cittales autem, id eſt κιτάλης, apud Ionas fur nuncupatur. Cytinus uero eſt malogranatum immaturum, uel primum mali punici exanthema. Anancophagia in Politicis Ariſtoteli, athletarum nuncupatur uictus, uelut expreſſior uoran di neceſſitas. Saguntina fames, etiam in parœmiæ producta uim eſt. Fame porrò necare, impium cenſebatur: quo nomine in uincula coniectis ut morerentur, cibi aliquantulum apponebatur, ut ſic aliquo modo expiarentur: quod in Antigone ſignificat Sophocles, & adnotauit interpres. Sed & in Veſtalium pœna ſcio memoratum.

Ventrem non habere quid ſit. Qui dicantur ſphecodes, lagari, ſphacelodes, ſphacelus, cangræna, buphagus, buplanoſticti. Bucolici milites. Sphragidion, ſphærus, cyllas, procælij, popæ, butypi. Ventri concœnes. De Philopœmene pauca. Athletica habitudo. Caput II

VEntrem non habere, tralatione ſcita quidem & cõcinna per prouerbium dici de imperatore uidetur, uel etiam quouis alio male nummato. Quoniam uetus eſt, pecunias eſſe neruos bellorum, & militum alimenta, quin & aliorum item omnium. Nam Heſiodicum illud notiſſimum in Ergis, χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι, id eſt, uicem animæ miſeris mortalibus pecuniæ præſtant. Quoniam peſſum euntibus uitæ pretijs, nunquam non argenteis pugnandum haſtis eſt. Ex hiſtoriæ autem penu promitur adagium. Nam Philopœmeni illudens Achæorum prætori Quintius, qui equitibus multis, & armaturæ grauioris pedite abundaret, à pecunijs uero prorſum male haberet, dictitabat: Philopœmeni eſſe quidem manus & crura, uentrem autem non eſſe. Quod eo tectius eſt uiſum & urbanius, quòd corporis forma illi etiamnum talis erat. Homines uero ita exili uentre, de ueſparum imagine ſphecodes nuncupant, qui etiam lagari ſunt, hoc eſt inanes, & ſine inteſtinis quodammodo. Veſpæ ſiquidem contractiore uiſuntur parte ea, poſterioribus pretenuibus gracilibus ue: propterea acuminatũ lignum etiam ſpheciſcum dicunt, quippe ſpheces uocantur ueſpæ. Vnde ſphecones & ſphecia, pro ueſpetis, id eſt cellulis. Sphacelos uero ad hoc pertinet nihil. Eſt tamen eo nomine, uti ſecundo περὶ ἀγνώσεως τῶν πεπονθότων τόπων Galenus ſcribit, ſecundum aliquos, dolor uehemens: alij tantum, inflammationis exceſſum intelligunt, ut partem ad corruptionis periculum inducat: quam diſpoſitionem cangrenam dicunt nonnulli: ſunt qui partis affectæ corruptionem, ſphacelon dici uelint: conuulſionem, aliqui: nonnulli, non iam factam conuulſionem, ſed quæ per inflammationis magnitudinem expecteturi: alij etiam non ſimpliciter conuulſionem, ſed eam quæ neruoſorum corporum inflammationi ſuperuenit: aliqui ſimpliciter, fortem tentionem: quidam, putredinem. Propterea confuſe Archigenes hemicranias, ſphacelodes nuncupaſſe uidetur. Quod ut apertius intelligatur, lego, Tumores accenſos ſi non diſcutiantur, nec ſe oſtentarit ſuppuratio, in cangrænam plerũq; tranſire: quam & inflammationis magnitudine νέκρωσιν dicunt, id eſt mortificationem, non factam quidem, ſed quæ fiat: cui niſi occurratur celeriter, νεκροῦται ῥᾳδίως τὸ παθὸν, quod ſignat, læſa mortificari facile, morte inſequente. Vbi uero ſenſus fuerit ex corporibus eiuſmodi excuſſus, tunc affectionem hanc non cangrænam appellitant, ſed iam ſphacelon dicunt: proinde abſcindendum protinus monſtrant τὸ νεκρωθέν. Auctor quinto De cauſis Theophraſtus, Sphaceliſmum dici à quibuſdam radicis morbum extrinſecus plagis ac uulneribus concinnatum, ut in animalium genere: quod, inquit, in omnibus uerum haud comperias. Syderationem porrò ſphacelíſmum uocant nonnulli. Sphacelum inueni, qui & digitum in manu

in manu medium nuncupent. Scitante quandoq; tyranno Piſiſtrato, quid tandem aſſequeretur emolumenti ex caluetis ſaxoſiſq; locis quæ coleret: reſpondit ſenex agricola, ὀδώδας καὶ σφακέλους, καὶ τούτων δεκάτην πρόσεσται φέρει, Dolores, inquit, ac ſphacelos, & tamen horum decimam exigit Piſiſtratus. At is audaciam miratus, uectigal remiſit: nata inde paroemia, καὶ σφάκελοι ποιοῦσιν ἀτέλειαν, immunitatem & ſphacelí pariunt. Inueni libro quinto ἐκλογῶν περὶ γεωργίας, uites quaſdam male habentes dici ἄγρους πλήγους: morbi indicium cenſeri, folia ſubrubra, id eſt ὑπέρυθρα. Oſſis ſphacelon apud Galenum, cariem intelligimus. Sed nos à diuerticulo paulò quidem longiore, at non otioſo utique, fabulam repetamus: ſi illud nec tacuerimus, ex Trœzeniorum hiſtoria, Sphærum fuiſſe Pelopis aurigam: quanquam alij, in Olympia fuiſſe Cyllam tradunt. Sphæri philoſophi meminit in Tuſculanis Cicero. Sed hoc ad inſtitutum nihil. Quibus protuberat uenter, procœlios appellant. Cœlia enim uenter eſt: quẽ pinguem obeſumq;, popæ nomine quidam intelligunt: alij, phagonem malunt ac uoratorem. Spartianus in Geta, Percuſſit (inquit) hoſtiam popa nomine Antonius. Propertius,

Succinctiq; calent ad noua ſacra popæ.

Nam butypos, ἀρχιμαγειρικῶν ſecundo apud Apolloniũ, dicitur, qui inter ſacrificandum ſecurim boui impingit. Buphagus uero, in Arcadia fluuius eſt, ab heroe Buphago nomine adoptato, qui Iapeti fuerit filius & Thornacis: quemq; honeſta parum affectantem in monte Pholoe peremerit Diana. Buplanoctiſtos apud Ilium tumulos in Alexandra uocat Lycophron, quòd ex Myſia bouem inſequutus Ilus, ibi demum urbem condiderit Ilium, ubi interquieuiſſet ea. Bucolicos, milites ruſticos legimus apud Capitolinum. Sphragidion fuit in Cithærone antrum Cithæronidum nympharum, quas olim ibi eſſe uaticinatas, conſtans tenet fama. At ſphragis, lapis eſt Ariſtoteli Meteorôn quarto, qui & carbo dicatur. Ventri concœnes, ut obiter itẽ ſubnotemus aliquid, non animæ, à Plutarcho Sympoſiacorum tertio ſcitè admodum appellantur, qui non in diſciplinæ, cõfabulationis beneuolentiæue participatum ueniunt, ſed obſoniorum modò & uorandi uſum. Plutarchi uerba ſubieci, τῇ γαστρὶ σωθέντων, οὐ τῇ ψυχῇ γεγονώς. Hoſce uero in Septem ſapientum conuiuio idem Plutarchus, ὥσπερ ἀγγεῖα πλεῖν, id eſt tanquam uaſa conuiuijs ſeſe ingerere ſcribit, uno uidelicet repletionis ſtudio. Vn de inoritur quandoq; habitudo athletica, id eſt corpulentior firmiorq;, quam Græci & Ariſtoteles ἕξιν ἀθλητικὴν uocant. Vnde Plauto, Athleticè ualere, ac pugilicè. Ventrem cuſtodire, Digeſtorum uiceſimoquinto, eſt mulieri cuſtodes adhibere ad partum uſq;, ubi ſubdititi partus ſuſpicio ineſt. Sic & Ventrem in poſſeſſionẽ mittere, aut uentrem exhæredare, de prægnante dicitur eleganter, libro uiceſimonono. Et quoniam de uentre ſermo eſt: Cato ſenior, quum populum Romanum luxu & intemperantia perditum ac fluentem conſpicaretur, in eum inuectus, χαλεπὸν δὴ λέγειν πρὸς γαστέρα, ὥτα μὴ ἔχουσαν, Arduum (inquit) eſt ad uentrem uerba facere, qui aures non habet. Sed, ne indictum omnino Philopœmenem tranſiliamus, fuit uir is corporis proceritate & robore nullo Peloponnenſiũ inferior, τὸ δὲ εἶδος ἦν τοῦ προσώπου κακός, id eſt facie tamen malus, parumq; tanto digna imperatore. Hic enim eſt, quem Romanus quidam quum laudibus efferret, Græcorum ultimũ appellauit: ueluti Græcia iam effœta nullum dein ceps uirum ſe dignum ab illo protulerit. Sicuti Cremutium Cordum in Annalibus, Caſſium pronuntiaſſe, Tacitus ſcribit: Romanorum ultimum, atq; eo nomine poſtulatum, nouo ac tum primum audito crimine, imperij ſtationem Tiberio tenente. Sed ad Philopœmenem remeo. Epaminũdæ in primis uirtutem æmulabatur. Et eius quidem ſtrennuitatem atq; animi integritatem, ut pecunijs incorruptum ſe præſtaret, expreſſit: at manſuetudinem, grauitatem, humanitatem exhibere nequiuit: erat enim paulò iracundior. Vſq; eo uiri magni plerunq; ἄλλοις ἀλλὰ πάσῃ ſecum diſſident. Scitum enim eſt, non omnia eidem elargiri deum, multoq; ſæpius uirtutis occurrere ſimulacra, quàm uerè ac plenè ſapientem.

Torminum ratio. Hydropiſeos ſpecies. Suſpenſi dolores & ſublimes. Hydragoga medicamina quæ ſint. Hydrus, ſiue natrix. Grauidam quo pacto internoſcas. Hydroſtaſiũ. Hydrocephala affectio. Hygrocephali. Lympha

ti.Hydatis.Hydrocele.Oſcheon.Hydra.Lerna.Lernæa.Cherſydros.Hydata,id eſt aquæ, quid indicent.Hyderis.Diabete.Paracẽteſis.Paracenterium.

Caput III



Ormina non eſſe aliud, medicorum ſcientiſſimi perdocent, quàm quum permordetur aluus,in inteſtinorum anfractibus inuolucris ue incluſo ſpiritu, cui quæratur exitus, nec detur. Quòd ſi circa umbilicum affligit & lumbos, nec medicaminis ui tollitur affectio, intemperatura infeſtior coritur hectica partiũ earum, ita de habitus firmitate nominata. Quæ magna ex parte moram trahens, uocatam ab Hippocrate aquam itercutem aridam conflnat. Poſteri,aquam id genus tympaniam dixerunt, id eſt τυμπανίτιν, auctore Galeno:quia imus uenter compulſus ſonitum ædit, cuiuſmodi tympana ſolent. quod Paulus item repetit, ubi agitur περὶ ὑδέρων. In aſcite uero coacta materia, non aer flatuoſus, ſed humor dilutus eſt. Videtur autem à maiori frigiditate progigni aquoſus hydrops,quem ἀσκίτην, id eſt aſciten uocant: propterea quod (inquit idem Galenus) in abdomine,ſiue ſumine, tanquã uterculo quodam humor reconditur. A minore autem tympanias. Neq; enim humecta ſubſtãtia in flatuoſum aerem ſine calore aliquo tranſmutari poteſt.Quoniam uero torqueri uentrem contingit, ſpiritu flatuoſo luctante,eo amplius torqueri grauidam aduertimus, ob anguſtiam quam conuehit uterus,ſemine intra formandi hominis monetam locato. Inde Hippocratis ſententia eſt, Si noſſe libuerit an mulier grauida ſit, mulſum ei crudum bibendum dato, quum itura cubitum eſt:pòſt ſi uenter torquetur, grauida eſt: ſin minus, non eſt. Quippe ad id indicandum inflet,oportet. Sunt & in uentre dolores,qui ſuſpenſi ſublimesq; uocantur,non ſecundum longitudinem corporis, ſed profunditatem. Interſtinguit eos circa ſedes uentris ſumen,ſeu abdomen.Nam qui deſuper infeſtant, ij ſuſpenſi & ſublimes uocantur. Qui uero infra,hoc eſt in ipſis inteſtinis atq; uentriculo, non ſublimes intelliguntur,hoſce uero eſſe fortiores,ac laceſſere grauius,apud neminem non liquet. Porrò aquam intercutem prolicientia atque educentia medicamina hydragoga, id eſt ὑδραγωγὰ, uocant Græci,tanquã dicas aquagia. Nam ὕδωρ aqua eſt,unde hydrus item corriuatur, quem Latini natricem uocant: poſteriores Græci etiam cherſydron, quoniam non in aquis modò,ſed in terra item uictitet. Duabus eſſe inſigne linguis animal, produnt. Ariſtides etiam λίχνον, id eſt gulonem. Apud Græcorum ſcientiſſimos ὕδατα, id eſt aquæ ſimpliciter,cutem ſubiens malum hoc indicant ferè: unde eſt illud frequens,ἄγε δὴ ὕδωρ. Quanquam eſt & ſpontiua euacuatio,non quia ſine cauſa accidat, ſed quia nulla opera noſtra. Et quoniã hydropiſeos ſpecies duas perſequuti ſumus, adijciamus porrò ex ijſdem ſcholis ſpeciem tertiam, quam Celſus leucophlegmatiam uocat, albam pituitam dicere nos poſſumus, ut quæ de pituita quadam liuentiore conſiſtat, aut de pituita quæ ſuapte ui candida ſit, ſed quæ ob alienæ temperaturam mixtionem ue materiæ purum & liquentem colorem amiſerit. Poteſt & albæ adiectio uideri citra diſtinctionem aſcripta. Nam & in libro De articulis, uertebras dixit Hippocrates dorſales, non quia aliubi uertebræ exiſtant, ſed ſimpliciter adiectio facta eſt. Cæterum & illud cõperiſſe uideor in libris, à iunioribus quidem hydropiſeos ſpecies inductas eſſe tres, ἀσκίτην, τυμπανίτην, ἐνδοσαρκίδιον. Hippocrates duas tantum agnoſcere uidetur.Nam aſcites & tympanites eiuſdem cenſentur ideæ. In utraq; enim profuſio eſt ἀπὸ ὑγροῦ μέσης τροφῆς, in locum inteſtinorum medium uel peritonæi. Verum, in aſcite plus ſeſe humoris promit, ſpiritus autem minus. In tympanite autem ediuerſo. Hypoſarcidios per totum fit corpus, ſolidis partibus in aquæ reſolutis naturam. Vocatur ſpecies hæc leucophlegmatias item,quam putat Hippocrates ἀνίατον. Hæc eo profluentius ſubſignaſſe uolui, ut hac opera Cornelium Celſum illuſtrarem: à quo uerſuram quidem faciunt multi,uerum citra illius ſententiam nil ferè promunt, perinde ac uerba ſint uetera rum ſacrorum,quæ demutaſſe piaculare flagitium planè cenſeri debeat, quodq; hoſtijs maioribus procures. Hydropicarum autem affectionum, ut Aegineta Paulus ſcribit Medicinæ tertio, initium κακεξίαν λαλεῖν εἰθίσμεθα, id eſt dicere cachexiam conſueuimus.Et quoniam ab hydor corriuata prælibauimus,illa item auctarij uice ſubijciamus,

hydro-

hydroſtaſium appellari paludem paruã. Hydrocephala uero affectio infantilis eſt, humore aquoſo in capite concepto. Hydrocephalos tamen putant eos dici, qui de nimia humentis cerebri exſuperantia inſaniunt. Lymphatoſq; inde à ueteribus item nuncupatos. Hydatis, id eſt ὑδατὶς ſubſtantia intelligitur pinguis palpebrę ſubſtrata pelli ἡ πρὸ φύσιν. Hæc in pueris parte plurima, utpote humectioribus auctior facta, συμπτωμάτων ἀπία γίνεται, id eſt accidentium cauſa eſt, oculo grauato, proindeq; ὀδυματίζουσα. Hydrocele, oſchei ſeu ſroti affectio eſt, ex ſeptem una: habetur namq; inibi porocele, ſteatocele, ſarcocele, epiplocele, cirſocele, enterocele. Quod de oſcheo diximus, ſignat id uerbum marſyppium quoq;, ſed & onuſtum uuis palmitẽ. Hydra denicq; ijs cognatum uocabulum eſt: eam uero ſe arbitrari Pauſanias ſcribit feram magnitudine hydros excedentem alios, cuius uenenũ ita foret ἀνίατον, ut Hercules eius felle tingeret τὰς ἀκίδας, id eſt ſagittarum ſpicula. Caput præterea habuiſſe unum, etiam ſi Piſander Camireus, quo uideretur res meticuloſior, & poema plauſibilius, plura ei contribuit. Lernæ quoq; mentionem facit Pauſanias idem, aitq; inibi Teletas celebrari in Cereris honorem, quæ uocant λερναία. Cum uero (inquit primo De criſibus Galenus) ſtatim mingitur in uas urinarium, uocatur ab nõnullis affectio hæc hyderis. Diabeten nuncupant alij: ex antiquioribus quidam etiam urinæ profluuium. Sunt qui paracenteſin uocent, cum perforatur uenter hydropicorum aquæ educendæ gratia: ſed ſi oculorum congelatus humor eodem emittatur modo, eadem ſeruabitur appellatio. Id uero ferramentum quo id præſtatur, recte paracenterium dixeris.

Argenteo uomere araturos, cur Delphica pronũciarit uates, ſcitantibus Lacedæmonijs. Necnon oraculo eodem, quid ſit eulacha: item aulax, ogmos, ordinion. Cap. IIII

DIſtoanacta Pauſaniæ filium, eundemq; Lacedæmoniorum regem, cum ab inimicis uehementius premeretur, præter alia, produnt auctores celeberrimi, etiam inſimulatum: quod cum Ariſtocle fratre promanti, hoc eſt Delphicæ uati perſuaſiſſet, ut Lacedæmoniorum Theoris (ſic autem uocant, qui ad petendam proficiſcuntur dictionem) illuc miſſis hæc reſponderet, Διὸς ἡμῦ ἡμιθέου τὸ σπέρμα ἐκ τῆς ἀλλοτρίας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἀναφέρειν. εἰ δὲ μὴ, ἀγρεαίας ὐλαύχας ὐλαύξειν, id eſt Ioue ſati ſemidei prolem ex alieno ſolo in ſuum reducerent, alioqui argenteo araturos uomere. Scias profecto uel hinc nõ immerito à Græcis Loxiæ cognomento Apollinẽ celebrari, quod obliqua, tortuoſa, uel numero Platonis obſcuriora forent illius reſponſa. Quid enim eſt, Argenteo araturos uomere? Nam Dorica lingua, qua utebantur Spartani, uomerem eulacham dicũt: quamuis eo nomine intelligant alij dicellam, hoc eſt ligonẽ ſiue ſarculum, ἀπὸ τοῦ λαχαίνειν ἢ τοι σκάπτειν, id eſt à fodiendi uſu. Aulaca uero, id eſt αὔλακα, ſulcum dicunt, quem ogmon Theocritus etiam uocat, communis lingua (inquit interpres) ordinion. An illud coniectandũ? Inutilem fore agrorum cultum? Sic enim fiat, ſi utatur quis argenteis inſtrumentis, inſita mollitie minus ſuffecturis terrarum proſciſſioni. An illud potius, ingẽtem futuram frugum inopiam, & in ſumma caritate precio intolerabili conſtatura omnia, ut flagellata annona, uideri poſſint, etiam argenteis in agricolatione inſtrumentis uſi? Hinc ſcitiſſimum, & perinde reconditum aucupamur adagium, ut ingruente magno famis diſcrimine, Araturos uomere argenteo terram homines pronunciemus.

Aratri partes. Mercaturę laus. Echetlion. Zogros. Corone. Nympha. Embryon. Zeuxidia Iuno. Iunonis flores qui. Vrbibus aratrum circumducere quid ſit. Propertij locus explicatur. Sed & Seneca reſtituitur. Syluarũ præfecturam conſulibus iniungi ſolitam. Prouinciæ maiores minoresq; quæ ſint. Virgilij locus enarratur. Item alter, cur turtur aeria. Barbarica ſylua quæ. Cap. V

DOſtea uero quàm in uomeris & aratri mentionẽ fortè incidimus, pergamus porrò ſubnectere quæ ex magnis claſſicisq; auctoribus cõperta nobis ſunt, quantum mediocris ingenij uires eruditionisq; ſuppetunt, Græcorum copiam multiplicem uariamq; ac recõditam doctrinam in noſtra iura transferentes

rentes,& quodammodo ciuitate donantes aut Latio.Eſt enim hæc uelut traiectitia pecunia,& plane optimarum artium optima honeſtiſſimaq; mercatura. Quid enim hac humanis in rebus conducibilius,quæ omnia ad uictum, ad cultum, ad præſidium, ad delicias deniq; uitæ pertinentia comportat, ut fiant quodammodo cunctorum cuncta communia? Idem propemodum in noſtris lucubratiunculis fit (ſi tamen iſto nomine non uidemur applauſum captare)ſed tanto forte uel præclarius,quanto animorum bona longe putantur excellentiora. Aratri partes igitur haſce inuenio:primum quidem echetlen,id uero eſt rectum lignũ,quod inter arandum manu cõtinet arator, totumq; aratrum permouet.Pars autem illa caua in echetle, ubi inſidet manus, uocatur chirolabes:ubi uero infigitur echetle,dicit alya. Echetlion uero eſt in nauigio locus, in quo piſces colligunt piſcatores.dici & uiuarium poteſt,quod zogros nuncupatur Græcis. Elyma nuncupatur,cui inhæreat iugum,ſicuti Pollux ſcribit. Heſiodi uero interpres, Gyes(inquit)eſt,quod alio modo aratri gonation uocatur. Elyma eſt quod gyæ infigitur adaptaturq;,in quod uomerem immittunt,qui hynnis dicitur, cuius ſummũ appellatur nympha.Gyen ſunt qui Latinè putent dentale nuncupari. Dentẽ putat dici Varro,quod eo mordetur terra:ſupra eum regulam quæ ſtet,à ſtando ſtiuam:& in ea transuerſam regulam,maniculam,quod bubulci manu tenetur.Qui quaſi eſt temo inter boues,buram. A bubus,hiſtobœus,qui & hiſtoboe appellatur,lignum eſt ad iugum uſq; protenſum inter bouem utrumq;,cuius apicem uocant coronem. Lorum autem latũ, quo adnectitur iugo,echebœum uel meſobœum aut meſabœum dicitur. hiſtoboeum quidam barbarè ſtauarion uocant,ueluti hiſtouoarion.Eſtora,clauum interpretantur, quo temoni coaptatur iugum:meminit in Alexandro Plutarchus.Rhymos uero eſt in curru temo,à ῥύω, traho.Nam ampron,unde apud Lycophronem ἀμπρῶνα uerbum, eſt funis inter bouem utrunq; ſiue equum temonis uice protenſus. Cercis uero lignea, radius eſt qui in iugi foramen immittitur. Is radius appellatur embryon, uel endryon. Zeuglæ ſunt,quæ à iugo propendentes hinc inde boum colla amplexantur.Quædam ex iis nominantur ab Heſiodo in Ergis,uerſibus illis quos & appoſui,

ἀλφηστὴς δ' ἢ πτελέης ἀκιώτατοι ἰσοβοῆες
ἄρυτος ἕλυμα,τρεῖνα γύλιν,βόες δ' ἑπτάρρωθ.

Zeuxidiam Iunonem Argis cultam prodit hiſtoria,quod inde in Aegyptum commigrans Apis Argiuorum regi boues tranſmiſerit,tradita inſuper ſemẽtis ratione.Quam iunctis bubus quum is impleſſet,Iunoni templum excitauit:ſpicasq; progerminantes ἄνθεα,dixit ὥρας,id eſt Iunonis flores.Non tempero mihi, quin uetuſtatis morem ſubſcribam,quo euertendis urbibus aratrum inducebatur,ſicuti in condendis idem adhiberi conſueuerat:quare oppida, quæ prius circumducta erant aratro, ab orbe & uruo, urbes:& coloniæ Romanæ omnes in literis antiquis ſcribuntur urbes, quod item conditæ ut Roma. Significant id Senecæ uerba libro De clemẽtia primo: Deinde, inquit, cædibus in exitia gentium ſerpere,& inijcere tectis ignem, aratrũ uetuſtis urbibus inducere.Etiam ſi in uulgatis modo codicibus ſcriptũ circumfertur corruptè apatrũ,ſenſu nullo.Sententiam noſtram abunde confirmarit Horatius Carminum primo:

Imprimeretq; muris hoſtile aratrum
Exercitus inſolens.

Et Acron interpres: Condendis,inquit,atq; euertendis urbibus hæc conſuetudo uit, ut aratro fieret. Virgilius,

Interea Aeneas urbem deſignat aratro.

Item Cicero de euertenda in Philippicis libro ſecundo:Vt uexillũ uideres,& aratrum circumduceres.In eum porrò ſenſum accipio illud Propertianũ, etiam ſi doctiſſimi uiri amplius in eo ſub mandragora uidentur conſopiti.

Mœnia quum Graio Neptunia preſſit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.

Et Modeſtinus Digeſtis Quibus modis uſufructus amittatur:Si,inquit,uſufructus ciuitati legetur,& aratrũ in ea inducatur,ciuitas eſſe deſinit,ut paſſa eſt Carthago:ideoq; quaſi morte deſinit habere uſufructum.Quin & mos irroborarat uetus,quod prodit Strabo

Strabo, exſecrationes in eos diras proferendi, qui euerſam urbem inſtaurare adorti forent. Quod in Ilio fecerit Agamemnon, & in Sidena Croeſus. Sæpe utiq; in poetis enarrandis ingerunt ſe, quę ſi altius perpendas, intercutaneam requirunt eruditionem, etiam ſi noctuinos intendentibus oculos plerunq; uidentur extrita ac uulgaria, cuiuſmodi Virgilianum illud in Bucolicis,

Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint conſule dignæ.

Qua in parte ſcientiſſimus poeta morem reſpicit ueterem, quo conſulibus ſyluarum et collium iniungebatur cura, ne compingendis nauibus materia unquam deeſſet. Quæ ſanè prouincia, minor dicebatur, ut à maioribus diſtingueretur, quas conſulares dicebant. Proinde in Cæſare Tranquillus, ab optimatibus datam ſcribit operam, ut prouinciæ futuris conſulibus minimi negocij, id eſt ſyluæ colles q; decernerentur. Apud Iureconſultos de prouincijs mentio minoribus eſt, in quis ſyluarum ſtatuitur cura. Et Seruius grammaticus in Aeneidos primum, Aphricam dicit conſularem prouinciam, in qua non comperiantur cerui. Syluam barbaricam, intelligit conſemineam Columella libro duodecimo. Sed & illud perpenſione dignum, cur aeriam dixerit turturem Virgilius eo uerſiculo,

Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab ulmo,

ex Seruij interpretamento: nam ſyllabæ menſus pentimemeri defenditur. Aeriam dici coniecto, quoniam (ut ſcribit Origenes Homilia ſecunda ex Hieronymi tralatione) turtur ſemper in iugis mõtium & arborum uerticibus commoratur: unde (inquit) turturis appellatione, ſanctus intelligitur ſpiritus, ubi de magnis & occultioribus myſterijs agitur, quæ capere haud poſſunt multi.

Miſſilia Fortunæ quæ intelligi debeant, & quid miſſilia. Odorati imbres qui. Catachyſmata eſſe item miſſilia. Cap. VI

MIſſilia Fortunæ, tralatione ſcita & perelegãti ac peruenuſta dici poſſe uideo nuncupatione una, quæ bona dicere conſueuimus externa, cum appellatione eiuſmodi intelligerent ueteribus munuſcula non modi unius quę in uulgus iactare quandoq; moris fuit: cuius rei uel imperator ſecundo Inſtitutionum commeminit. Vna eſt (inquit Seneca) ad tuta uadendi uia, externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe. Nam qui aliquid uirtute melius putat, aut ullum præter illam bonum, ad hæc quæ à Fortuna ſparguntur, ſinum expandit. Hanc equidem imaginẽ animo prudentiſſimus quiſq; proponere debet, ludos à Fortuna fieri, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere. Alia quorum inter diripientium manus ſcinduntur. Diuiduntur alia, ſocietate infida: alia, magno eorum detrimento, in quos recidere deprehenduntur. Hinc nõ eleganter minus miſſilia expectare dictitabimus, eum qui ex Fortuna pendet totus, eiusq; uiſcatis inhiat beneficijs, quæ inſidias uerius arbitratur ſapientiſsimus quiſque. Miſsilium quoq; captum emi quandoq; ſolitũ ſcribit Pomponius Digeſtis De contrahenda emptione. Porrò miſſilia pro telis quæ in hoſtem emittantur, ſciunt omnes. Calendis denicq; Decembribus Domitianum legimus ſub noctem iuſſiſſe ſpargi omnis generis miſsilia in populum. Quam rem Martialis ſæpe notauit: & Papinius primo Syluarum,

Iam noctis propioribus ſub umbris
Diues ſparſio quos agit tumultus.

Seneca ſcribit libro Controuerſiarũ ſexto, Muſam rhetorem qui multum habuit ingenij, ſed cordis nihil, affectatè nimis ſparſiones hoc genus appellaſſe odoratos imbres. Fiebat enim & ſparſio liquoris odorati in ſpectaculis: ſicuti Naturalium ſecũdo idem meminit Seneca. Proinde Muſa itẽ tumidius putidiusq; dixiſſe uidetur de ſiphonum ui excuſsis liquoribus, Cælo repluunt. Papinius tamen poetico excurſu ita canit,

Ducat nubila Iuppiter per orbem,
Et latis pluuias minetur agris,
Dum noſtri Iouis hi ferantur imbres.

In hoc genere ſunt quæ à Græcis uocantur καπαχύσματα, de quibus apud Ariſtophanem quoq; legimus in Pluto,

φέρεν ὧν ἴσον ἐσώθουμίζω κατα χύσματα
ὥσπερ νεωνήσιον ὀφθαλμοῖς ἐγώ.

Moris quippe Athenienſium fuit, nouitijs ſeruis primum ingrediẽtibus domum, prope focum profundere per illorum capita palmaceos fructus, collybos, id eſt nummos, legumina, caricas, nuces, id genus plura, quæ à conſeruis ſic effuſa rapiebantur, & à re dicebantur catachyſmata: quoniam catachyſis, profuſio eſt. Erat hoc illis ἀνετηρίας σημεῖον, hoc eſt annuæ ubertatis indicium: quin & ſponſi caput perfundere ſic quoq; aſſueuerant: quorumcunque item, omnis boni captandi gratia. Inſtituti eius meminit Theopompus.

Clepſydræ cur tardius fluant hyeme, & naues item lentius commeẽt per flumina, ſed plus geſtitent oneris. Cur mare undabundum incaleſcat, reliquis aquis agitatu frigeſcentibus. Rhathagos. Rhathapygizo. Scantha riſſare. Cap. VII

TEgebamus nuper ingenti ſtudio Plutarchi ſcientiſſimi libellum phyſiologicum. Indidem quum alia pleraq; præcerpſimus, quæ nobis in pluribus egregie, uelut conniuentibus, qui hominum mos eſt nimio plus frequens, ſuffragata ſunt. Tum illud quod & ſubnectam ſtatim, Clepſydras tardius multo hyemali tempore profluere, quàm æſtiuis horis. Eius rei phyſica deprehenditur ratio, quoniam ex ambeuntis & obſidentis ui frigoris grauior corpulentiorq; fiat aqua. Proinde obſeruatum id quoq; prudentioribus: in fluminibus nauigia ſidere eodem tardius commeare. Quanquam & illud afferri ſolet, Fluuialem aerem ſemper quidem motui obſiſtere, ac eſſe grauem: ſed hyeme eo amplius, ex circumuallantis ui frigoris. Quæ res itineris celeritati officere manifeſto deprehenditur. Quod uero craſſeſcens aqua tarditatem inferat, illud item mirum indicio fuerit, quod πλέονα γόμον φέρει τὰ ποτάμια πλοῖα τοῦ χειμῶνος, plus deuehant oneris hyemenauigia per fluuium commeantia. denſior enim aqua obſiſtit, renititurq; amplius, quod in mari nõ fit. Illud namq; denſari ac craſſeſcere, inſita prohibet caliditas, ob quam neq; item concreſcit. Hinc percipimus, unde nam ſit, quod in eadem naturę parte mirabiliter fieri perſpicimus: etenim reliquarum natura aquarum eſt, ut commotione agitatuq; frigeſcant. Mare autem modo afficitur diuerſo, ſiquidem undabundum incaleſcit. In illis quippe ἐπισόδιος ὄντι καὶ ἀλλοτρία ἡ θερμότης, id eſt aduentitia & peregrina habetur caliditas. Propterea illam motus externat perfacile digeritq;. At eandem ingenitam domeſticamq; mari amplius excitant uenti, & alimenta ſubijciũt. Caloris inſiti argumentum eſt, ἡ διαύγεια καὶ τὸ μὴ πήγνυσθαι καὶ πρόσουαν γλώδη καὶ βαρεῖαν, id eſt pellucidi-tas, tum quod non coit mare, quamuis terreſtre ac graue. Sciendum uero obiter, ſonitum ex undarum motu conceptum, dum petris alliſæ refringuntur, nuncupari rhathagon. Rhathapygizo, eſt ſimo pede pygam percutere, qui erat luſus apud ueteres, ſicut ſcantharíſſare, uel ut enunciant Græci, σκανθαρίζειν, eſt manus digito medio ſub maiorem dimiſſo, nares ferire.

Mari Dionyſium demergere, quid ſit. Cur uino immiſceatur maris aqua. Plinius illuſtratur. Thalatta pelagia quæ & cur. Aparachyton uinũ. Cur delphini circa Liberum patrem. Cap. VIII

QRaculum uetus redditũ quandoq; accepimus, quod & piſcatoribus percelebre fuit, Eſſe Dionyſium demergẽdum in mare. Id ſignificabat, uino marinã aquam affundi oportere: facit enim ea res defecatius uinum & firmius ac incorruptius. Id qui abſunt à mari cõſequi putãtur gypſo, ſi exuſſerint prius. Probabatur autem ex Zacyntho præcipue. Recenſetur item ad hoc ipſum ab Athenæo Dionyſii fuga ad mare, quoniã eo ſuauius fiat uinum. Marinæ autem aquæ ratio uideri poteſt ea, quod frigiditatem illius exigat caliditas innata, quæ maxime uini reſtinguit uim, corrumpitq;. Niſi dicamus potius, terreſtrem marinæ aquæ uim ſtypticam ſubſtringere, quod in uino aquoſum eſt, ac flatuoſum, adq; mutationem procliue. Sed & ſalis natura attenuans liquefaciensq; peregrinum, ac redundans, graueolentiam putrefactionemq; fieri prohibet. Inſuper craſſum ac terreſtre id

id,quod in uino eſt ponderoſum,præcipitat in ima,facitq; hypoſtathmem,hoc eſt ſedimentum & feces,quibus de cauſis relinquitur uinum defecatius puriusq;. Ex ijs opinor,inferri lucem aliquam Naturali hiſtoriæ Plinij: dum uini, quod clariſſimum curæ nomen accepit(dicitur namq; biæum)rationẽ explicãs libro tertio & uiceſimo: Vuas (inquit)paulo ante maturitatẽ decerptas ſiccari ſole acri,ter die uerſatas per triduum, quarto exprimi, dein cadis ſole inueterari; ac largiorem marinam promiſceri mox aquam,à ſerui furto origine orta, ſic menſuram explentis, quod tralatum in album muſtum,leucochrũ appelletur.In alijs gentibus ſimili modo factum tethalaſſomenon uocant,de maris nomine,quod thalaſſa eſt. Vnde & thalaſſiten dicunt; quum uaſa muſti deijciuntur in mare, quo genere præcox fit, & uetuſtius. De ijs plura Dioſcorides Syluæ medicinalis quinto.Et Columella ſcribit,ab illuſtri agricola patruo ſuo uina ex collibus ita condiri conſueſſe, ut maris aquam decoctam ad tertias pro ſale adijceret, quod ſic tum maior fieret mẽſura,tum odoris melioris, uerum ingruere periculum,ne uitietur uinum,ſi male cocta ſit aqua. Eam uero quàm longiſſime à littore ſumendam præcipit, quod hæc liquidior ſit ac purior. Hoc uero genus aquam dicunt eruditi ex Græcis θάλατταν πελαγίαν, id eſt maris aquam ex alto petitam:quando & Ariſtoteles piſcium aliquos eſſe dicit πρωγείους, id eſt littorales, alios uero πελαγίους, id eſt pelagicos.Et purpuras alio nomine dici pelagias ſcribit Plinius. Sunt qui opinentur pelagiam pronunciari maris aquam ex diſcerniculo,quoniam thalatta non tam mare indicet quandoq;,quàm quoquo modo ſalſam aquam. Porrò uinum aparachyton uocant Græci,cui maris aqua haud fuerit permixta. Eſſe tamen uina quæ id minus patiantur; locupletiſſimus quoq; teſtis Horatius eſt,

Procedit fuſcus Hydaſpes
Cecuba uina ferens, Alcon Chium maris expers.

Illud Varronis proditum monumentis,ex ijs quæ iam copioſius enarrauimus,diluceſcit(opinor)egregie,inſtitutũ fuiſſe ueteribus,ut circa Liberum patrem Delphini appingerentur,quanquam in ea re fabulis inuoluta proferri multa,non ferè latet.

Cur mare dulcibus aquis minus frigidum. Item cur pellucidius. An aqua ſit coloris expers. Colorum diſtinctio. De lepra nõnihil. Hypopſari equi, aut pſari. Cur albus color lunæ contribuatur. Et cur lanitio albo decepta fingatur à Virgilio. Cap. IX

QVæritur uero à principe Peripatetico, quid nam ſit rationis; quod dulcibus aquis minus ſit mare frigidum. Et omnino τὰ ἁλυκὰ τῶν γλυκέων, id eſt ſalſi humores dulcibus. Protinus uero id affertur argumẽtum, eſſe omnino ſpiſſius mare ac corpulentius. Quæ uero eiuſmodi ſint, minus poſſe refrigerari: ſicuti amplius ualent incaleſcere, ſiquidem inſita denſitate melius calorem conſouere. Sed & illa non inepta ratio eſt, mare utiq; eſſe pinguius. Nam nèq; flammam æque poteſt extinguere atque aquarum reliquæ. Omne porrò calidius quod pinguius. Præterea terræ plurimum in ſe continere, indeq; eſſe ſiccius. Quod autem ſiccius, idem calidius eſt. Craſſum terroſumq; in mari illud manifeſtum facit, quod qui eiuſmodi aqua ſe lauerint, ocyus reſiccantur. Vbi enim humoris eſt modicum, ſiccitas induci celerius poteſt. Quod ſi dicatur, eſſe terram ſummopere ſiccam, ut ſecundo De generatione & corruptione prodit Ariſtoteles. Eſſe item poſt aquam eximie frigidam, ſicuti in libro De cælo & mundo comprobare uidetur Auicenna, etiam ſi Metaphyſicæ nono mutaſſe ſententiam eſt uiſus, reſponderi poteſt, intellexiſſe philoſophum non quidem de ſiccitate naturali terræ, in qua terræ ratio eſt: ſed de aduentitia, quam iuniores uocant participatam, ut quæ à caliditate adnexa proueniat: caliditate, inquam, tum ex multiplici motu, qui in parte illa naturæ cõtingit, quæ excalfacere poteſt, tum impreſſa à continente inflammato. Quæ amplius illic denſitatis ui cuſtodiri ualeat. Quod uero & paulo ante pellucidum eſſe mare, adſtruebamus: ſcribit idem auctor Ariſtoteles, θάλατταν εἶναι διυλιστέραν τοῦ ποτίμου, παχυτέραν οὖσαν. λεπτότερον γὰρ τὸ πότιμον τοῦ ἁλμυροῦ, id eſt mare perſpectius dilucidiusq; eſſe quàm aquã potui idoneã, etiam ſi craſſius ſit, dulcis enim ſalſa tenuior. Cæterum tenuitas cauſa non eſt, cur

mare

mare dilucidius ſit, ſed directi meatus, hoc eſt εὐθυωρίαι τῶν πόρων, id faciunt, quos tum plurimos tum ampliſſimos continet. Ergo illa potu idonea ſpiſſa ex tenuitate partium ſuarũ eſt, ſalſa amplioribus interſtitijs inanit, hoc eſt μεγάλας ἔχει τὰς διώκησας. Vel quia purius ſyncerius q̃ mare eſt: terra enim nulla in eo permanat, harena ſuo pondere dela pſa in imum ſubſidet. At humor dulcis mixtus cum terra eſt, quæ interueniens facit, ut cito perturbetur. Sciendum tamen perflante Aquilone, mare perſpectius atq; translucidius eſſe quàm auſtro. Nam mare, quando ſerenum eſt, colorem trahere ſibi aſſolet. Ineſt namq; pingue aliquid in ſucco ſalſo. Indiciũ eius rei eſt, quod die tepidiore, oleoſum quiddam ſecerni uidemus. Ergo tranquillo tepidioriq; mari ſuccus iſte ſua leuitate per ſumma panditur, quod aquilone minus fieri poteſt cauſa frigoris. Eſt autẽ aqua translucidior, quàm oleum. Id enim colore obducitur, aqua uero expers coloris, uiſui obuia, apertiorem ſui præſtat ſuſpectionem. Neq; uero miretur quiſpiam dici aquam coloris expertem, quamuis ſententia philoſophi in libro De ſenſu & ſenſili aſtruere uideatur, nullum omnino corpus eſſe coloris expers. Inſuper & color ſit uiſus obiectum proprium ex ſecundo De anima: Aquam porrò uideri, ne dubium quidem eſt, proinde coloratã cenſeri. Eſt autem colorum ſpecies duplex: eſt enim color quidam uerus, qui dicitur extremitas quædam corporis opaci: qui utiq; λιμάτιον ſequitur, id eſt temperaturam, ex elementorum proueniẽtẽ qualitatibus. Huiuſmodi uero color ſolum reperitur in mixtis corporibus & terminatis. Habetur uero color alter non uerus, qui utiq; id omne intelligitur quod apprehendere ualeat uiſus. Propterea in ſecunda Animæ hiſtoria dixit Ariſtoteles, Colore uiſum moueri iuxta lucidi actum. In quẽ ſenſum accipimus illud quoq; quum audimus, Nullum corpus eſſe coloris exſors. Parergon illud fuerit, in quod eruditionis cauſa excurrimus frequẽter, Albedinem in corporibus præter naturã dici lepram, παρὰ τὸ λεπίζω εἶδος, quod in Nicandri Theriacis ſignat λευκαίνεσθαι, id eſt inalbari. Carmen poetæ eſt,

ὡς ἔφη λεπίζοντα ἁλινδόμενοι ψαμάθοισι.

Equos hypopſaros in Celtiberia ſubalbos intelligunt. Pſaron Sudas nil amplius quàm coloris eſſe genus prodit: niſi quod equum pſarum etiam celerem accipit, ἀπὸ τοῦ ψάλλειν. Album porrò colorem lunæ contribuunt, quoniã aquis dominetur is planeta, quarum natura eſt, uti concretione inalbeſcãt. Et propterea Virgilium ab Pane deceptam lunam confinxiſſe muneribus candidioris lanitij. Aquarũ probatio illa plauſibilis præcipue eſt, quæ ſenſu contingit triplici, guſtu, uiſu, odoratu, quum nullus omnino ineſt ſapor, aut certe inſipidus, clara item ac luminoſa, & odore nullo, inquit primo Simplicis medicinæ Galenus.

An mare ſpeculi uice imaginem reddere queat. Virgilij uerſus expenditur. Eiuſdem loca duo reſtituuntur, ex Georgicis unus, ex Aeneidos ſexto alter. Cap. X

EX ijs uero palàm fieri poteſt, quid ſibi uoluerit Seruius grammaticus ſuper eo Virgilij loco in Bucolicis,

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore uidi,
Quum placidum uentis ſtaret mare.

Non reddit, inquit, nobis imaginem mare, quia non ſtat, atq; etiam ſi ſtet, reddere nõ poteſt. Cur enim nõ poteſt? An quia, ut ex Peripateticis probauimus ſcholis, in ſerenitate colorem ſibi trahit mare, & oleoſum ſupernatat pingue: indeq; reddi imago nequit? Quod in ſpeculo obnubilato perſpicere licet: & in aqua, ubi caro præpinguis fuerit percocta. Quod uero ait poeta,

Quum placidum uentis ſtaret mare.

Tranquillum (inquit in Naturæ quæſtionibus Seneca) mare dicitur, cum leniter commouetur, nec in unam partem inclinatur. Quod & de aere iudicandum eſt, qui nunq; immobilis eſt, etiam ſi quietus ſit. Verum aliubi Seneca idem: Fons (inquit) cuiq; pellucidus, aut lene ſaxum imaginem reddit. Virgilius,

Nuper me in littore uidi.

Nam in Alcyone Lucianus, ἀκύμαντον δὲ καὶ γαλήνιον ἅπαν τὸ πέλαγος ὅμοιον ὡς ἐπεῖν κατόπτρῳ

καθόπερῳ, Quietũ (inquit) & tranquillum mare uniuerſum, ac ſimile (ut ita dicam) ſpeculo. Sed & alibi in Dialogis, quos uocat φαιδίους, id eſt marinos, ἀπὸ πέτρας τινός, ἐάν ποτε γαλήνη ἦῃ, ἐπικύψασα εἰς τὸ ὕδωρ ἴδε σεαυτὴν οὐδὲν ἄλλο, ἢ χρόαν λευκὴν ἀκεραίως, Ex petra (inquit) ſi quando ſit tranquillitas, in aquam procumbens inſpice te ipſam, nil aliud quàm albam omnino. In ijs uerò tam diſceptantibus auctorum ſententijs habet quod proferat, perſpicax & ingenioſus lector, ſi quę de Aquilonis ratione, decę Auſtri paulò antè ſunt allata, perpendat amplius. Et quoniã Virgilij locum excuſſimus, iuuemus eundem pro uirili, apud quem in Georgicis ita legendum uidetur eruditis, ubi pecudum adnumerantur remedia:

Et ſpumas miſcent argenti, uiuaq; ſulphura,
Ideasq; pices, & pingues unguine ceras.

Sic enim agnoſci à Seruio & Macrobio, non ut modò paſſim lectitamus, ac ſulphura uiua. Eſſe enim dactylicum carmen, quum in ſede poſtrema dactylum ſeruet. Sicut Aeneidos item ſexto,

Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam præmiſſus Achates
Afforet.

Cur maris aqua hyeme ſit amara minus, & dulces item æſtate fiant deteriores. Caput XI

SCribit in Cauſarum naturalium libro, quem & ſuprà aduocauimus, omnium calculis doctiſſimus Plutarchus: Maris aquas hyemali ſydere minus ſentiri amaras guſtantibus. Commemoratum id & à Dionyſio hydragogo. Euentus autem omnibus conſpicui ſic fermè rationem pergit promere. Maris illam aſperitatem, omnino interſitę dulcedinis habere quippiam, utpote numeroſis illuc deuolutis fluminibus. Cæterum, quod dulce eſt, cui genuina inſit leuitas, ac proinde fluitans ſupernatet, corripit eueſtigio, hauritq; ſolaris poteſtas, dum æſtiuis horis latius uim propagat funditq;. Quod hyeme nequit, flacceſcente ſyderis ui, quod abſcedat longius. Proinde minus minusq; ſurrigi quippiam ex mari poteſt. Hinc conſequens illud eſt, ut dulcedine ſubſiſtente uniuerſa, quicquid amari uirulentiq; eſt, remittatur, ac dilutius factũ dulceſcat quadantenus. Quod eatenus uerum fatentur, ut & cognitum experimentis tradatur, etiam potui accommodas aquas æſtatis ardoribus labi in deterius. Quod latè graſſans ſolis potentia, ut optimũ quodq; eſt, ita maximè decoquat inde, protollatq;.

Cur mari quieſcente, nauigia abſorbeantur quandoq;. De terræ cauitatibus. Naturam eſſe duplicem. Caput XII

COntingit uerò nonnunquam res maximè mira, nec niſi cunctanter promenda in literas. At quia maximis eſt ingenijs prodita, nullius prorſum Momi Theoninus nobis dens reformidandus. Contingit (inquam) nauigia quandoq;, dum curſum agunt, hebeſcente motu maris uniuerſo, repente abſorberi totaq; ita perire, ut ne naufragium quidem fluitans uiſatur uſquam. Id euenire putat Ariſtoteles, prærupta terræ cauernoſa, hianteq; inanitate, mari ſubiecta. Nam inſimul ſubſidentib. aquis, in mare nauigia introrumpere, ad internaq; ſpiritus ui pertrahi. Quumq; impulſu pari circumundiq; agitentur, ad ima ferri, neceſſe eſt. Quod apud Meſanam euenire conſueſſe, reciprocante freto, palàm eſt, uertiginum ratione. Neq; uerò abnuat aliquis, in ſubterraneis cauitates haberi, quamuis elementum hoc ſit ſummè graue, uti quarto Cæli comprobatur. Quod uerò eſt eiuſmodi, naturæ ſuæ nutu ad ima relabitur, conſtipaturq; undiq;. Et proinde cauitas omnis tolli uidetur. Cæterum eſſe naturam nouimus duplicem. particularem unam, uniuerſalem alteram. Et particularis quidem eſt, quæ unicuiq; attributa, ſemper conſeruationem intendit: nec in eo accidere permittit quicquam, quod perniciem paret. Quod ſi perpendimus, nullam prorſus intra terram admittemus cõcauitatem. Sed eſt uniuerſalis quædam ratio, & ea quidem cæleſtis, quæ in hæc inferiora agit aſſiduè, caloris ſuperni uis utiq; manifeſta. Ea quippe humidi exhalatione poros meatusq; in materia efficit ter-

rena. Ex quibus & concaua multis partibus pernoſcuntur. Patet id & ardoribus æſtiuis, hiante terra: ſiquidem calidum uentoſum eatenus terræ partes extendit, ut tumentes attollantur rumpanturq́. Sententia Ariſtotelis (opinor) notiſſima eſt, ex Meteororum primo: Quod, inquit, τοιαῦται φάραγγες καὶ διαστάσεις γῆς, ἀγλοῦσιν οἱ καταπινόμενοι τῶν ποταμῶν, id eſt eiuſmodi hiatus exiſtant, & terræ cauitates, indicio ſunt, quæ abſorbentur flumina. Id quum alibi ſæpe contingit, tum in Arcadia in primis.

Nauſeabundos cur faciat mare, Iuuenalis illuſtratur. Cap. XIII

VErum ut interim ad ea quoq́ quæ noſtri ſunt calculi, reſpectemus, iam hinc pergamus ambagioſa perpendere inuolucra, quæ à noſtrorum ſcientiſſimis inſerta lucubrationibus ſuis, ita illotis (ut aiunt) pedibus, ab iis qui eorum enarrationes ſuſcepere, tranſmittuntur: ut arbitrari uiderentur, eſſe ea excudata neſcio quæ, & paulò accuratiore ecphraſi prorſus indigna. Quòd ſi aceti quippiã fuiſſet in pectore, ſecus omnino expendiſſent. Nos uerò qui publico emolumento iſta muſſitamus, & grammaticas ſæpe fætutinas, & prærancida allidimus interpretamenta, non differemus ea promere quæ ſciolæ triuialium turbæ nunquam ſuboluere. Mari nauigantes fieri nauſeabundos, propè norunt omnes. Gellius ſignificat. Sed & Iuuenalis illud quis non legit?

Si iubeat coniunx, durum eſt, conſcendere nauem:
Tunc ſentina grauis, tunc ſummus uertitur aer:
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho ualet. Illa maritum
Conuomit, hæc inter nautas & prandet & errat.

Nónne putabit ingenioſiſſimus quiſque, fuiſſe iudicij excuſſi, & naris emunctæ, ſicuti ait ille, diligentius perpendiſſe, unde nam iſta obueniant, quæ ſcientiſſimus poeta, reconditæ doctrinæ ſeminarium quoddam, carminibus inſperſit, & paſſim iactari audimus? Sed ne diutius quem ſuſpenſum habeamus, noſtra uenditantes præter modum, ueluti planè hic fortunatior ſit Alabanda, aut Iouis accũbenti polliceamur cerebrum: hæc ſunt obſeruata nobis ex Plutarcho. Nauſeabundos eſſe maiorem in modum mari iter agentes, quàm qui fluminibus, etiã ſi γαλήνη fuerit, hoc eſt minimè undabundum elementum. Huius autem euentus manifeſtarij eam eſſe rationem, quòd ex ſenſibus ναυτίων λυσῶν, ideſt nauſeam concitare in primis odoratus poteſt. Ex animorum autem affectionibus id ipſum efficit præcipuè timor: ſiquidem ita affectos tremere atq́ inhorreſcere ſpectamus, atq́ item aluum ire inſigniter, dum amplius imaginẽ meticuloſi euaſpiam cõcipiunt impendentis. Id uerò obuenire ui interanea petentis caloris, auctor prodit Ariſtoteles, eius quippe poteſtate aluũ fundi & ueſicam, ac reddi faciles. Nam & anethum & abſinthium & quæcũq́ urinam mouent, eadem calida eſſe, manifeſtum eſt. Cæterum nil horum euenit per flumen commeãtibus. Odorandi quippe uis aquæ potui idoneæ dulciſq́ eſt perfamiliaris. Rurſum & nauigatio eſt citra periculum omne. In mari diuerſa contingunt. Odorem quippe inſuetum grauiter ſentimus, deq́ futuro amplius ſoliciti ſumus, præſenti haud ſatis fidentes trãquillitati. Proinde æſtuans animus, ac fluctuans corpus ſimul concitat ac replet perturbatione. Propterea primo Canonis Auicenna, Mari (inquit) commeantibus plerunq́ accidit uertigo & corporis deuolutio inſimul, ſed & uomitus, faſtidiente ſtomacho: mox tamen reſident omnia. Horum autem ratio euentuũ, inquit interpres, profluit ferè ex uehementi humorum agitatione ac ſpirituum ob frequentem nauigationis motum. Nam & Sententiarum quarto Hippocrates, nauigationem eſſe argumento ſcribit, commotione acrius perturbari corpora: cæterum eiuſmodi uomitum haudquaquam retundendum ſubſtringendum'ue, medicæ ſcientiæ decretum eſt, quoniam aduerſus ægritudines multas præmunitio ſit. Quin Auicenna idem tertia primi, Lepræ, hydropiſi, apoplexiæ, ſtomachi frigiditati, nec non inflationibus eiuſdem, uomitus ratione, excellenter adiumẽto eſſe nauigationem ſanxit.

Cur theologiam & phyſicen ſpreuerit Ptolemæus. Maris regionem, eſſe aquarum locum proprium, non maris. Mare, quid uocent Hebræi. Quid mare Tiberiadis. Aquarum diſtinctiones, & in quo genere conſtituendum mare. Diſ-

re. Dijpetes quid ſit. Nymphæ, cur Iouis filiæ. Caducæ aquæ, quæ intelligantur. Caducũ. Viceſima, quid. Viceſimariũ aurum. Chryſorrhoas fons. Aquarum item miranda natura. Anigrides nymphæ. Cap. XIIII



Eſe in rerum natura pleraq́ ita occluſa prorſum, & in eiuſdem abdita maieſtate, ut nulla ingeniorũ ſolertia, aut indaginis cura perueſtigari potuerint ſatis, à phyſiologis proditum eminentiſſimis, euidens eſt, ſed & medici adiecere calculum. Quo nomine mathematicorum principem Ptolemæum legimus, theologiam & phyſicen contemptui duxiſſe: quòd illam præſigni rerum excellentia, humana imbecillitas deprehendere uel cõſequi haud queat. Hæc uerò ob inconſtantem perpetuoq́ fluentem materiam capi teneriq́ minimè poſſit. Nos tamen neſcio quo genio, multa ſæpicule indidem prælibamus, quod læta ſe nimis rerum ubertas, ac uelut maza (ut dicitur) alba in uiretis illis uarietate oſtentet inenarrabili: quibus hiſce noſtris ſtudijs multum adijci ornamenti floridioris, ut enarrationũ neceſſitatem præteream, nemo (arbitror) tam exoculatus, qui nõ uideat. Proinde quomodocunq́ recaſura ſit res, propoſitum tenebimus. Et quæ de maris ratione comperta nobis, ingerere pergemus. Qua in parte, multa præterire neceſſe eſt. Sicuti quod Plutarchi monumentis relatum ſcio, Pythagoricos ſanxiſſe, θάλατταν εἶναι κρόνου δάκρυον, id eſt mare eſſe Saturni lachrymam. Necnon primo Controuerſiarum à Seneca poſitum: Sacrum quidem terris natura circumfudit Oceanum. Qui iam ſyderum collegerunt metas, & annuas hyemis æſtatiſq́ uices ad certam legem redegerunt, quibus nulla pars ignota mundi eſt, de Oceano tamen dubitant, utrum'ne terras uelut uinculum circumfluat, an in ſuum colligatus orbem, & in hos quibus nauigatur ſinus, quaſi ſpiramenta quædam magnitudinis exæſtuet: ignem poſt ſe, cuius augmentum ipſe ſit, habeat, an ſpiritum. Taceo & declamantium ſententiam plauſibilem: Ita rerum natura eſt, poſt omnia Oceanus, poſt Oceanum nihil. In id amplius intendiſſe animum iuuat, quod phyſicis placet, Ariſtoteliq́ in primis: Quem tenet mare locum, non eſſe maris, ſed ſimpliciter aquæ. Sic enim Meteororum ſecundo legimus, ὃν γὰρ ὁρῶμεν κατέχουσαν τόπον τὴν θάλατταν, οὕτω οὐκ ἔστι θαλάττης, ἀλλὰ μᾶλλον ὕδατος. Etſi antè dixerat, abſonum uideri, & à ratione abiunctum, ſi non ſit aquarũ locus proprius, ſicuti elementorum reliquorum. Inde fluuios omnes ad mare, tanquam ad ſuum delabi locum. Fluxus ſiquidem in magis cauum cadit, quod ſuum eſt aquę. At mare magis cauum totius terræ petit locum. Ex linguæ ſuæ proprietate, aquarum cõgregationem quamlibet, dicunt Hebræi mare. Vnde in ſanctis literis, mare legimus Tiberiadis. Pauſanias Eliacorum primo, λίμνην uocat πιτάνην. Quam pertranſeat Iordanis, & mox paludem influat alteram, quam item θάλασσαν nuncupant νεκράν, id eſt mortuum mare. Opinionum uarietatem, quid omnino cenſendum ſit eſſe mare, quas exſequitur copioſe Plutarchus in libro De ijs quæ philoſophis placent, tranſeo ſciens. Id modò recenſuerim, quod non prætermittit Albertus, fuiſſe qui ita aſtruerent: Terrã uniuerſam quandoq́ fuiſſe opertam aquis: ſolisq́ graſſantem uim, præſertim in meridie, inde uapores eduxiſſe, qui in aerem ignemq́ attenuarentur, atq́ ita humectam naturam demi nuiſſe: at in Septentrione loci frigiditate non defeciſſe maria. Proinde quũ in homogenis idem ſit de toto ac de parte iudicium, colligunt, fore quandoq́ ut totum inareſcat mare, & elementa tria modò fiant. Quod & Democritum ridiculè nimis adcredidiſſe, ſubnotauit Ariſtoteles. Ad cuius doctrinam exuberantiorẽ, ut in reliquis naturæ perpenſionibus, ita & parte hac examinatiſſimã reſpectemus ſubinde: Aquarum (inquit Meteororũ ſecundo, & ſignificat etiam Seneca) quæ circa terram & in terra ſunt, aliæ quidem ſunt ῥευσταὶ, hoc eſt fluitantes: στάσιμαι uerò aliæ, quas dicere ſtagnantes poſſumus. Et fluitantes quidem omnes, πηγαῖαι ſunt, ac è fontibus aliquibus fluendi habent initium, uti fluuiatiles & manu inſtitutæ. Homerus quidem uniuerſim fluuios dicit διιπετεῖς, id eſt ab Ioue fluentes, quoniam imbribus augeſcant: unde alicubi,

διὸς ὄμβρῳ αὐξόμεναι. Quo argumento Iouis filias dicunt Nymphas,

νύμφαι λειμωνιάδες κουραὶ διός. Et alibi,

νύμφαι ὀρεστιάδες κοῦραι διός. Nam & montana nutriunt imbres quoq́.

Zenodotus λιπτῇ interpretatur λαυγῇ, id eſt perſpicuum. Sunt qui dici Nilum λιπτῇ, ob incertos opinentur fontes, ceu è cælo profluat planè. Apud Strabonem libro primo expoſitum inuenies, cur dicantur fluuij λιπταῖς, ſed ita ut interpres doctis auribus & mordaci lotis aceto, parum ſatisfaciat. Stagnantium autem aquarum quædam ſunt fontanæ, quædam ſunt ſyllogimææ, hoc eſt collectitiæ. Fontanæ ſtagnantes partim hominum comparantur induſtria, ut φρεατικαί, id eſt puteales, ciſterninæq; partim naturales omnino ſunt, quæ exiguas habentes fontis & locorum cauitates profluere, dilabiq; non queunt. Collectitiarum autem aquarum aliæ ſunt pluuiæ, aliæ ex flumi num curſu excipiuntur. Et uberes quidem ac perennes ſufficientes aquas, paludes uocantur: ſin autem minores, dicuntur ſtagna: ſi perexiguę, uolutabra. Quum hæc ita habeantur, qui aiunt χειρόκμητον, id eſt manu productum mare, toto (ut dicitur) aberrant cœlo. Quamobrem quum ſuapte conſtet natura, aut fluitans erit, aut ſtagnans. At fluitans non eſt. Quo enim modo hunc fecerit fluxum? Nam qui Hyrcanum mare & Caſpium colluſtrarunt, nullo ipſa in loco copulari, inuicemq; inter ſe iungi, animaduerterunt. Alijs tamen unum ſtatuentibus mare, quod Stephanus indicat, & ſcribit Ptolemæus, ac Strabo meminit. Quin ut in Hexaemero Baſilius ſcribit, ſunt qui hæc inter ſe peruia foraminibus tradant, omniaq; ad mare maximum confluere. At uidetur alicubi mare diffluere. Videtur utique, ſed in terrarum anguſtijs. Vbicunq; enim ex lato pelago in anguſtum mare cogitur, quum ſit ambiens terra ipſum pelagus æditior altiorq;, ob id fluere ac refluere in aliam atq; in aliam uidetur partem, quo ad eius hinc atque illinc libretur aqua. Fluit quoq; mare ab eminentioribus ad magis cauernoſa & dehiſcentia loca, ob multitudinem fluminum in ſublimiores partes eius influentium. Vtcunq; autem fluat mare, in ſeſe fluit ac reciprocatur, non in aliud ſe recipit, uelut in ipſum fluuij. Qua ratione, aquam maris inter ſtagnantes eſſe, colligitur: at non eſt fluida. Quæ autem ſtagnans eſt, ea aut fontana, aut collectitia eſt. At ſi fontana, erit etiam fluida. Fontana ſiquidem aqua ſuapte natura ſtagnans, non inuenitur. Reliquum uerò eſt, ut ſit collectitia. Atqui collectitia non eſt ex fluminibus in ipſum confluentibus, etiã ſi multa ſunt & maxima. Quare ex fontibus potius, quàm ex fluuijs, duxerit principium. Sed ita denicq; defluxa foret, Proinde ſapientum plericq; eius naturæ partis æternitatem commẽti ſunt, & ſine principio eſſe mare aſtruxerunt. Obiter uerò capiti huic adglutinari poteſt id quoq;: caducas dici aquas, ex caſtellis aut fiſtularum emanationibus effluentes, quas à principibus impetraſſe, quanquam ægrè, quoſdam legimus. Caducum Iureconſultis ex lege Papia Poppęa, de auctore ſic nuncupata, legatum dicitur ſub conditione relictum, qua deficiente, ad teſtatorem recidat ſuperſtitem, uel ad ſubſtitutũ, eo iam humanis perfuncto. Vnde in Iuſtiniani Codice titulus extat De caducis tollendis: & Cicero De oratore libro tertio, in quam homines quaſi caducam & uacuam inuolauerunt. Illud item legimus: eadem cautum lege, ſi liberi necdum forent ſuſcepti, quod alteri legaſſet alter, portione decuma ad fiſcum recideret, quæ caduca nuncupabatur. Fuit obiter hæreditatũ quoq; uiceſima, quam inſtituit Auguſtus princeps; nam Antoninum philoſophum ſcribit Iulius Capitolinus, leges addidiſſe de hæreditatum uiceſima: unde aurum dici uiceſimarium T. Liuio, putant eruditiores. Inter legis Papiæ capita id fuit quoq;, quo ſanciebatur, Si extraneus quis hæres inſtitueretur, prius quàm hæreditatem cerneret, portionem fiſco uiceſimã neceſſariò cõferret. Cæterum, filij ac propinquiores, legi haud ſubijciebantur, Neruæ, ac Traiani ſanctionibus. Eam omnino ſuſtulit Gratianus: quod Auſonius quoque ſignificat: meminit auctor grauis Dion. Sed inſtitutum repeto. Fuit apud Troezenios fons, quem uocant χυσορρόαν, cuius perennes aquas præcipuè ſunt admirati in nouem annorum ſiccitate, quibus pluit nunquam, areſcentibus cæteris omnibus. Apud Mothonem in Peloponneſo putealis uiſebatur aqua pici intermixta, cyzicino maximè unguento aſſimilis. Apud Thermopylas, ubi χύτρους dicunt γυναικείους, aquam ſe uidiſſe miram, Pauſanias ſcribit. Xantham præterea, nec à ſanguine magnopere differentem fuiſſe in Hebræorum ciuitate apud Ioppen, ubi cruorem interfectæ belluę lauiſſet Perſeus. Sed apud Aſtyra ex aduerſum Lesbi nigra ſcaturit aqua. Anigri aquã in Peloponneſo fœtere extra modum, conſtat

conſtat. Tantæ abſurditatis cauſam arbitratur Pauſanias, terræ ac uaporum uirulentiam. Cuiuſmodi & ſuper Ioniã ſint aquæ. Ad Chironem alij referunt: aut centaurum alium Polenora, ab Hercule uulneratum, qui uulnus ibi abluerit, felle hydræ luridum. In Samica regione, ab Anigro haud diſſita uiſitur ſpelunca, quam Anigridum uocant nympharum. In ea ſi quis alpho laborans, aut leuca, nymphas apprecetur, ſacrificijs etiam promiſſis, abſtergatq; pollutas corporis partes, ac fluuium enatet, mox euadere incolumem & ὁμόχωρ.

Mare, cur ſalſum, & cur'nam calidiore tractu ſcintillare uiſatur. Caput XV

Alis autem amaroris ue incoqui ſaporem, ab eo quod ſtat, & omnino ſub ſole euaporat: ex ſtante ſiquidem, quod tenuius eſt, exhaurit ſol: quod uerò craſſius, relinquit: quod tãquam aquę ſit ſuperfluitas, ſalſum eſt ac amarum. Nam ſicuti in animantium corporibus potabili humore ingreſſo ad nutriendum, amara & ſalſa redditur, quæ in ueſicã corriuarit ſuperfluitas. Quod cognata animalibus caliditas, potabile trahat, quod in pulpas & reliquam corporis ſubſtantiam, ut eius natura eſt, uertat. Id ipſum & in aqua contingere, conijciendum eſt. Nam quum ſit tota pariter dulcis, quod eius potabile eſt, per euaporationes à calore ſolari ſecernitur. Reliquum, utpote ſuperfluitas uniuerſi, ſalſum eſt & amarum. Hanc opinionem etiam comprobaſſe Plinius uidetur: & ſecundo Metaphyſicæ Ariſtoteles item expoſuit. Sed coargui poteſt, quoniam quantum inde reſecatur euaporationibus, tantum ſuffici, manifeſtum eſt fluminum acceſſu. Proinde colligi poſſet, debere in ſtatu eodem maris naturam permanere. At quidam (inquit Ariſtoteles) dixere, τὴν θάλατταν ἐκπαπεκαυμένης γῆς ἕδρα γῆς, hoc eſt, mare ſalſedinem contraxiſſe, quia terra ſuper qua reſidet, aut in ambitu eſt, à ſole ſit aduſta. Sed hoc quidem, inquit, abſurdum eſt. Quod uerò ex terreſtri aduſto id contingat, uerum utique eſt. Nam quum duo ſint uaporum genera, alterum frigidum & humectum, reliquum frigidum & ſiccum: ex ijs uapor unus è maris attollitur ſuperficie: alter ex imo ſurrigitur ſolis ac ſtellarum ui. Quoniam uerò aqueus uapor ſubtilior eſt, ideo in aerem eo eleuato, remanet terreus uapor craſſior per mare diſſipatus. Aquæ uerò frigiditate illum circumuadente, propellitur ad eum ipſum caliditas: quæ expulſa, illius partes urit, atque ita ſalis incoquitur ſapor. Sal enim eſt terræ combuſtæ ſpecies, & ideo liqueſcit frigido & humido, cogitur uerò calido & ſicco: quod Meteororum quarto probat Albertus. Si autem excedit menſuræ modum adurens calor, tunc uapor ille ſal non efficitur, ſed ueluti cinis: quo facto, ingeneratur aquis amariſſimus ſapor. Nam aduſtæ res, à quibus ſecretũ fuerit humidum totum, ut cinis, & eiuſmodi alia, amarorem concipiunt euidentiſſimum. Sudor & urina hoc ita eſſe ſignificant, quæ aliud non ſunt, q̃ ciborum ſuperfluitates ſalſæ, quoniam in eas agit urens calor, qui ſi fuerit excellens, etiam fiunt amaræ. Quoniam uerò terreſtre ex aquæ commixtione propter illius perſpicuitatem ad albedinem tendit: eſtq; in eo urens calor, inde fit noctu præcipuè, ut fluctuans mare ſcintillare ſubinde uideatur, præſertim excellẽter ſalſum, calidiore tractu.

Cur pluuijs quibuſdam incoquatur ſalis ſapor. An uera ſit Plinij ſententia, æquorũ ſuperficiem eſſe dulciorem. Aquarum dulcium ratio. Cur ſtet mare. Aquarum colores. Halipedon quid ſit, & cur dicatur. Halipartum. De maride menſura, & marila. Marrha. Pelagus maris quid ſit in ſanctis literis. Caput XVI

Ex ijs porrò quæ diximus, manifeſtum fit, cur pluuiarum aliquæ guſtum ſalis concipiant. Illis enim permiſcetur uapor calidus & ſiccus, dum attollitur humectus & frigens. Immoq; calidum expulſum à frigido ſiccum exurit in nube, quæ cauſa ſalis ingenerat pluuijs ſaporem. Eiuſmodi uerò eſſe Ariſteles ait, νότια ὕδατα πλατύτερα καὶ τὰ πρῶτα τῶν μετοπωρινῶν, hoc eſt Auſtrales aquas craſſiores & autumnalium primas. Auſter enim & magnitudine & ſpiritu æſtuoſiſſimus eſt uentus, flatq; à locis ſiccis & calidis. Cæterum, prius quàm à ſalſedine digrediamur, excutiamus (quæſo) Plinij ſententiam, qui ubi ait, Tenue dulceq; ui ignea erigi, linqui uerò quod craſſius aſperiusq; eſt, clauſulam infert eiuſmodi: ideo ſummà æquo

rum aquam, dulciorem profunda. Sed hoc esse perspicuè falsum Aristotelicis demonstratur argumentis: quibus esse omnino contrà colligitur, Superius uidelicet mare salsius esse ac calidius, quàm inferius. Imò & in puteis quoq; potu idoneis pars superna salsior est, quàm ima. Quanquã (ut uerum fateamur) esse contrà debuit, grauius enim quod salsum est. Quæ res fortè Plinium mouit. At quia sol & aer partem humorum leuissimam assiduè detrahunt, dulcissimum autem quod leuissimũ est, potissimumq; de propioribus locis hauriunt, & maris igitur & aquarum dulcium summa exercet solis uis. Itaque salsius id esse, necesse est, quod his residuũ est, unde humor dulcis exactus est, q; unde uel nihil uel minus abijt: proinde calidior quoq; pars eadem superior est: salsum enim, quàm dulce, calidius est. Illud tamen non inficiatur Aristoteles idem, Maris partem terræ proximã, esse dulciorem, uel quia frequentius moueatur: salsus enim humor quum mouetur, dulcior redditur, uel quia in profundo salsior aqua est, minus autem alta, quæ proxime terram est. Quamobrem quæ statim à terra præcipiti altitudine descendit, salsa est. Nec dulcedinis tantundem reddere potest. Cuius rei causa est, quòd salsa suo pondere in imum deferat potius. Profluentes aquas idem Philosophus ideo dulcescere opinatur, quia per terram percolentur subinde, quicquid grauius est, assiduè subsidente. Non profluere uerò salsiores aquas grauitatis ratione, etenim stabile esse quod graue. Calidas tamen etiam si salsas profluere, quoniam in ijs, salsuginis pondus ingenita calori leuitas exsuperet. Adijciamus illud superpondij uice: pictores consuesse nõ ineptè admodum flumina expingere pallore quodam insignia, mare cæruleum, lacus uerò candidos: hisce nanq; aquis hi planè insunt colores. Halipedon esse regionem dicunt, quam olim operuerit mare, nunc uerò aridam, uelut ἁλὸς πεδίον. Alij eo nomine maritimum accipiũt locum. Potest eo uerbo item intelligi spatium, in quo circumagi exerceriq; possunt equi, à uerbo ἁλινδεῖσθαι, sed tũc flatilem respuit prima. Apud Xenophontem Rerum Græcarum libro secundo legimus, Pausaniam esse cãstrametatum in loco quem Halipedon uocant, ad Piræea. Halipartum sale cõsperſam terram, hominũ inuida prauitate interpretatur Ammonius: unde & corpore affectos ac difficilè sanabiles, halipartos etiã uocat consuetudo. Illud obiter adnotarim: in Græcis auctoribus, dictionem quæ est maris, nil ad præsens facere negotium. Nam eo uerbo mensura intelligitur, sex capiens cotylas, siue heminas sex. Estq; generis masculini. Marila uerò languidus ignis dicitur: item puluis ac carbonum tenuissima. Vnde illud, Faber fumo oppletus, & marila. Marrha uerò Sarmatarum lingua signum indicat bellicum. Addamus & illud leuiculum: pelagus poni pro maris medio, unde legimus in sanctis literis ὑφ' ὃν πελάγει ἡ θαλάσσης, suffragatur etymon: nam pelagus dicitur uelut telagus, quoniam sit τῆλε τοῦ γῆς, id est ab terra longe.

Mare esse animantibus simile, decq; eiusdem purgamine. Item de solis bubus, & copria littore. Cap. XVII

QVoniam uerò maris naturam indagine scrupulosa perquirimus, illud neutiq; transmittendum uidetur, esse mare animantib. persimile. Siquidem ut illæ reciprocatione perpeti, nunc uitalem efflant spiritũ, nunc reuocant: sic & mare uicissitudine perpetua in se & ex se recurrenti agitatione quadã, & præcipuè mira modò profert, modò refertur, resilitq;. Id uerò perstanti in littore, contemplantiq; palàm facit fluctuantis aquæ cõmotio. Pariter enim pedes diluit sese porrigens unda, renudatq; uelut refugiens, assilitq; mox, irrequieto motu appetendo semper quæ relinquat, rursumq; relinquendo quæ appetat. Hinc illa indeficies alienorum eiectatio, algæ in littus profusæ argumento. Fit quidem hoc perflantibus uentis utiq; amplius. Cæterum & in malacia & abterraneis flatibus, qui ab Aristotele dicũtur apogæi. Nihilo enim minus in terram defertur fluctus, quamuis in diuersum reflante uento, uelut proprio quodam maris motu cum eo pariter agitato. Quamobrem quum cadauera & naufraga denicq; omnia fluctuũ propulsu, repurgantis se maris quadam ima gine, ad terras protrudantur, Tauromenitanum littus Copriam dici legimus, id est fimum, quãdo quę in Charibdin fuerint pręcipitata, illuc denicq; reuomunt. Inde quoq; est Plinianum illud, Omnia plenilunio maria purgari: quædam & stato tempore: circa

Mesanam

Meſanam & Mylas ſimo ſimilia expuí in littus purgamenta. Vnde fabula, Solis boues illic ſtabulari. Meminit & loci & boum Apollonij interpres libro quarto: Mylæ, inquit, Siciliæ Cheroneſus, in qua ſolis boues paſcebantur. Sed & rem quoq; cum fabula recenſuit in Naturalium quæſtionum libris Seneca. Dignum forſan quæſtione arbitrabuntur nonnulli paulò literatiores, quid ſibi hæ Solis boues uelint. Eas uerò poeta nobilis Odyſſeæ primo uidetur nouiſſe. Verum ſcire conuenit, quandoq; prioribus recepti fuiſſe moris, Soli animalia dicare: quod apud claſſicos obſeruatũ auctores eſt. Nam & Apolloniæ, quæ in ſinu Ionico eſt, ſacras Soli oues fuiſſe, Græci ſcribunt, quæ interdiu ſecundum fluuium paſcerentur. Noctu uerò ſtabulantes in antro quodam, ab urbe non procul cuſtodirent delecti uiri, diuitijs & genere inter populares ſplendidiſſimi, ſingulis annis ſinguli. Quod ex oraculo quodam Apolloniatæ oues eas permagni facerent. Proinde Eueno (ut fertur) uaticino uigilias edormiente, cõtrucidatis ouium pleriſque, lupis graſſantibus, publico Apolloniatum decreto, quum ſe is minus tueri quiuiſſet, eſt exoculatus.

De Amphitrite & Phorco. Græcæ quæ ſint. Quid ampotis in mari: item ampron: item de maris coloribus, ac epithetis uarijs, œnopo in primis & Myrtoo. Vinum modò nigrum fuiſſe ueteribus. Dium mare, cur. Pectora in mari, quid.

Caput XVIII

Vòd ſi leuioris item operæ quippiam adglutinandum denicp eſt, ſcribit Oppiani interpres, dici Amphitriten Neptuni quidem uxorem, ſed pro mari frequenter accipi, ratione etymologica etiamnum ſuffragante, ἀπὸ τοῦ ἀμφοτέρωθεν τρίτων τάξιν ἔχειν, ideſt quòd utrinq; tertium obtineat ordinis gradum. Superne ſiquidem æther eſt, aer, aqua: rurſum in imo herebus, terra, mox item aqua. Idem ferè & allegoriarum Heſiodi auctor prodit. Sed adnectit, ſimpliciter eſſe Amphitriten, aquarum hypoſtaſin. Ex Græcis item illud eſt: Extremum maris ambitum, Phorci nomine intelligendum: propterea ponti & terræ dici filium, qui Cetonis congreſſu genuerit Græas, à partu ſtatim canas, quia breuibus incidens unda ſpumas concipiat, rectè uetularum nomenclatura ſignificatas. Eſt enim Græcis uetula, γραῦς. Quanquam quod in lactis ſummo colligitur, eodem cenſetur nomine, quin & ſuperficiaria iuſculi concretio ſic dicitur. Spuma item leguminum ſuperna, dum percoquuntur, petens grammaticis ita nuncupatur. Sed & ſeneſcentium in arbore ficorum folliculos, græas nuncupant Athenieoſes: glumas noſtri, uti teſtis eſt Varrò. Illud grauius: ubi profluit mare inundatq;, dici à Græcis πλημμύραν, ideſt exundationem. At ubi ſubſederit reciprocando, fieri, quam uocant ampotin, ideſt ἄμπωσιν, ſiue reciprocationẽ, ut eſt apud Plutarchum. Sed nonnulli etiam gurgitem transferunt. Ambroſius Græcè loqui maluit Hexaemeri quarto: Ampotis quoq;, inquit, quæ in Oceano eſſe perhibetur, quia quum reliquis diebus ordinem ſuum ſeruare dicatur, lunari exortu euidens mutationis ſuæ fertur indicium dare, ut mare ipſum Occidentale, in quo ſpectatur ampotis, ſolito amplius accedat & recedat, ac maiore feratur æſtu, tanquam lunæ quibuſdam aſpirationibus retrorſum trahatur: & iterũ ijſdem impulſum ac retractum in meſuram propriam refundatur. Ampron uerò, ut Lycophronis interpres ſcribit, funiculus eſt quo trahunt boues: aut iugalium ceruici incumbens lignum: unde ἀμπρόειν, apportare uel aduehere indicat. Propriè tamen, iter curru facere eſt: ut expoſuit Sudas. Sed & ἀμπρόειν, inquit, eſt niſu laborantia iumenta obire. Poſtremò illud non prætereundum, multis quidem epithetis mare apud poetas inſigniri, quæ tamen non ubique congruant, ſed partibus plurimũ. Glaucũ ergo quum dici audis mare, concipe, quòd profunditatis habeat parum, præterq; ſubiectam harenam albidi caloris, ſic enim ſubſplendicat glaucus color. Vbi cani appoſitum adijcitur, inaudienda eſt littoribus alliſa portio. Nuncupatur quandoq; μέλαν, ideſt nigrum, quòd intentius eiuſmodi conuiſitur. Nam purpureum, cyaneum, œnopon melaniæ, ideſt nigredinis cenſentur ſpecies. Quum ergo cuiuſpiam horum adiectio fit, ſcire licet, quod partis eſt, uniuerſo attribui. Quod uerò οἰνοπὸν diximus, aduertendum, id de uini colore produci: quoniam ueteribus nigrum modò id erat, quando album aut cirrhum uel anthoſmiam necdum excogitarant

gitarant deliciæ, ſicuti auctor probat Euſtathius. Myrtoum quidem mare, à Myrtilo auriga Mercurij filio, certatim Latini Græciq; nuncupatum tradidere, quem præcipitarit Pelops. At inquit Pauſanias, non ſit ſimile ueri, quòd exiguã maris partem is enauigauit, ab Alphæi exitu ad Eleorum nauale: proinde (inquit) aſtruendum, dici à Myrtus nomine, ut uidetur, inſignis mulieris: quæ Eubœorum opinio eſt. Pertingit uerò Myrtoum mare ab Eubœa ad Aegei maris inſulam Helenam, quæ eſſe deſerta dicitur. Dium mare, ab Homero magnum dici, interpretãtur grammatici. Nam & Aratus in Prognoſticis, δίους σκλαγμοὺς magnas dicit guttas. Tumuli porrò in mari ex colluuie harenæ ſubuectæ, pectora uocantur à nautis, Polybio auctore.

Vrſi manus, cur partibus cæteris ſuauior. De uerbo ἀρκτόδειψ. Enarratur Iulius Pollux. Puellas dici conſueſſe quandoque arctos, id eſt urſas. Arctos unde, & Cynoſura, & Helice. Cap. XIX

VRſi manus eſſe inter eſitandum prædulces, inſignicq; ſuauitate, traditum eſt. Sic autem anteriores eius animantis pedes nuncupant, quòd eorum ſit functio duplex utiq;, incedendi, καὶ τοῦ ἀναλαμβάνειν, id eſt & apprehendendi. Eius rei rationem quærebamus anxiè: ſed nec ita diu exſudandum fuit, præſtò ſiquidem curioſius & ſolicitius indaganti fuit Plutarchus, in libello nimis utiq; confragoſo detruncatoq;: ſed quicquid eſt, non omnino inutíli: in quo rerum, euentuumq; naturalium cauſas perquirit, & philoſophico perpendit examine. Inibi igitur ratio eius, quod eſt propoſitum, hæc fermè redditur: Quod percoquentia corporis alimentum carnem præſtent, quacunq; alia ſuauiorem longe. Concoquit autem præcipuè, omne quod difflat, id eſt τὸ διαπνέον. Id uerò eſt quod mouetur, quodq; exercetur: ſicuti urſus partem hanc agitat plurimum, tum inceſſus ratione, tum apprehenſionis. Cæterum, in hac urſorum mentione ſuccurrit, quantum ingenij ſuppetunt uires, & multijuga lectio fomenta ſuggerit, explicandus Pollucis nodus implicatior aliquanto: ita enim Onomaſticí quinto libro ſcriptum legimus, ἀρκτόδειδαι δὲ τὰς παρθένους ἔλεγον ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων. quod eſt, ἄρκτοδειδαι uirgines dicebat Athenienſis populus. Id uerbum ſignat, Dianæ prius quàm tempus appetat nuptiarum, uirgines conſecrari initiariue. Quod Lyſias ſcribit in Oratione pro Phrynichi filia, ſi tamen ex eius illa prodijt officina: Decreto nanq; ſancitum Athenienſium erat, ne qua uiro puella traderetur ἐὰν μὴ ἀρκτεύσασα τῇ θεῷ, id eſt niſi ſacra obijſſet Dianæ. Quod menſe Ianuario fieri conſueſſe, indicat Libanius in Oratione quam de Dianæ laudibus dixit. Induebantur autem ueſte, quam crocotã nominant, nec decimo ætatis anno grandiores, nec quinto inferiores. Iis autem placari credebatur Diana, quæ cauſa eiuſmodi indignationem concepiſſe uideatur. Ferunt quandoq; urſam feram in Attica ita cicurem factam, ut homines nihil auerſaretur omnino, ſed compaſceretur, multaq; licentia huc illuc, nemine impedimentũ inferente, peruagaretur. Contigit, puellam quandam laſciuiuſculè cum bellua colludere: quæ iritata, puellam facto impetu proſcidit. At fratres rem intuiti, ac cõmoti acrius, urſam iaculis impetitam necarunt. Ex qua cauſa, peſtilens morbus latius per regionem graſſari cœpit. Conſultis oraculis, reſpondit deus, mali non defuturũ finem, niſi uirginũ nonnullas compellerent Ἀθηναῖοι ἀποτῖσαι ἄρκτου ἀρκτόδειψιν, id eſt urſæ peremptæ honori Dianæ dicari. Nam & puellæ ſic uocabantur arcti, id eſt urſæ. Quod perſpicuè docuit Euripides in fabula Hypſipyle: & in Lemnijs Ariſtophanes, ac Lyſiſtrate. Arctos cæleſtes ſcribit Theon appellari, οἱονεὶ ἄρκτους καὶ μαλὰς τοῦ κόσμου, quia ſummæ ſint, ac cæli uelut capita. Peculiarius autem Cynoſuram dici, ex caudæ imagine, quoniam λαιὸς οὐρὰν ἔχει, quod eſt, canis caudam habet. Helicen uerò, διὰ τὸ ἑλίσσεσθαι καὶ ἑλικώδη πως τὴν οὐρὰν ἔχειν, quia inuoluta ſit cauda: uel per exochen quandam, quòd à cælo trahatur: ueluti leo, ex eadem excellentia θὴρ nuncupatur, id eſt fera.

Aetnæus uenator, quinam prouerbio intelligendus. De florida Aetneæ regionis natura. Ouidius explicatur. De Proſerpina quædã, & Aetna. Theogamia feſta. Theophania, & Anteſphoria. Leucippus Ceres, cur: item Brimo. Corollarum è floribus inuentio. Item de rore. De Narciſſo nonnihil. XX

Caput

AEtnæum uenatorem, ſcito admodum & docto prouerbio uſurpari poſſe, ani maduerto, pro eo cuius ſit caſſa inutilisq; uenatio, quiq; ſicut inanis progreditur, ita etiamnum regreditur. Sed unde hoc? An quia illis regionibus ſyluæ fuerint negatæ? an quòd feræ ibi uiſantur nunquam? imò uerò eſſe ibi utrunq;, & affatim quoq;, fatendum eſt. Dictat id & loci natura & feliciſſimum cælum, nec ſuperciliorum montiumq; indiga regio. Atqui ſubeſſe cauſam oportet. Subeſt profecto, ut docuit Plutarchus: ſed non alia, quàm qua coniectamus ἀνεῖβον τὸν τῶν ἔαρ ὥραν id eſt uernum tempus indagini eſſe ineptius. Nã uti prodit Empedocles, ferarum cemmata, hoc eſt luſtra, naribus captantes canes, τὰς ἀκρηΐδας ἀναλαμβάνουσι, id eſt aeris defluxus excipiunt, quos in ſylua oberrantes reliquiſſe feras contingit: cæterum eos interextinguunt paulò minus, ac odore miſcello confuſaneos reddunt ſtirpium pleræq;, latius odore profuſo. necnon coronamentorum ibi haud exigua uis odorinſecos fallit, odore ferarum indidem dilutiore, ac tantum non euanido. Euenit autem hoc anno perpetuo in Sicula, quam prænotauimus, regione: adeo ut rari prorſum uenaturi loca obeant eiuſmodi. Auctor ſexto Bibliotheces Diodorus quoq;, apud Aetnam odorum fragantia ſagaces canes odoratu carere, naturam ſenſus florum odore ſuperante. Floridæ uerò regionis eius naturæ teſtimonium ſuggerit & poetica fabella, quæ legendis ibi floribus intentam Proſerpinam rapturo Plutoni uelut anſam, occaſione captata, præbuiſſe cecinit. Argumento ſuffragatur Auſonius illis uerſibus, quos & ſubiiciendos cenſuimus:

Qualis floricoma quondam populator in Aetna
Virgineas inter choreas Theoida raptam
Suſtulit emerſus Stygijs fornacibus Orcus.

Quo nomine aſyli quoq; uice cultam inuenio regionem illam, conſenſu tacito, nefas putantibus incolis, animal ullum omnino oblædi inibi, aut uiolari. Quin argumento eodem Proſerpinæ feſta dixere Theogamia & Antheſphoria, quæ aliàs Pherephattia Græcis dicuntur, Plutarcho auctore in Luculli uita, in quibus furua immolari bos conſueſſet apud Cyzicum. Theophania uerò Delphica uidetur celebritas, Herodoto hiſtoria prima, in Cræſi rebus. Scribunt Græcorum nonnulli, Proſerpinam Narciſſum dum colligeret, à Plutone raptam, quod eo plurimum oblectaretur. Putant alij Eumenidibus ſacrum Narciſſum, uel quòd circa monumẽta naſcatur frequens, uel quia horrorem incutiant deæ, ac τὸ ναρκᾶν, ideſt torpeſcendi cauſa cenſeantur. Tractus eius naturam nouiſſe item uidetur Ouidius Faſtorum quarto.

Tot fuerant illic, quod habet natura, colores,
Pictaq; diſſimili flore nitebat humus.

Hæc eo appoſui gratius, quia per poeticam ἔκβασιν dici iſta, opinati plerique, quos dixeris quandoq; ad agnatos & gentiles uideri deducendos, intercutaneæ doctrinæ nil latere ſuſpicati, facilè in utranq; aurem ſibi dormire permittunt, qui niſi mandragoram præguſtarint, poterunt inde forſan peruigilatè excitari. Adde, quòd campos eos eſſe perpetuò floridos, ſcribũt Solinus & Cicero: & quòd ad rem magnopere facit, in Admirabilium ratione tradit Ariſtoteles, ſi tamen ex Philoſophi officina eſt liber is, tantam ſuccreſcere inibi florum copiam, ut inde canum ſagacitas inſigniter oblædatur. Nec illinc amoueri, niſi adhibita ui, queant. Nec me fallit quod ad Proſerpinã attinet, Orpheum Pauſaniamq; in Attica rem geſtam ſcribere, qua Cephiſus amnis Eleuſin præterit: in cuius etiam ripis legentem flores Orithyiam Chœrilus à Borea raptam canit. Priorem de Proſerpina ſententiã comprobat in Verrem M. Tullius, nec non Ariſtoteles, Diodorus, Solinus. Cabarnum uerò principem omnium Cereri Proſerpinæ raptum indicauiſſe, Stephanus ſcribit. Poſtea uerò quàm ſit à matre inuẽta, iunctis currui albis equis ad louem ſubuectam, canunt poetæ: unde & Leucippum eam nũcupat Pindarus. Dicitur & Brimo quandoq;, ſeu Obrimo, quòd quum uim ei uideretur illaturus Mercurius, immugijt altius, unde factum, ut is manũ abſtineret. Coli uerò hanc apud Cyzicum præcipuè, in Lucullo Plutarchus ſcribit, unde prorepſit poeticũ illud,

Raptam Cyzicos oſtreoſa diuam.

Legunt

Legunt tamen alij, Cocytos. Traditur illud quoq; in Brutios prope Vibonem, florum causa, Proserpinam è Sicilia diuertisse: quibus adeo scateat locus is, ut proditum Strabonis sit, compertum ibi primum corollas è floribus contexere. Aetnam autem esse Siculæ regionis montem, non est qui nesciat. Eum ita nuncupatum, auctor est Theocriti interpres, ab Aetna cæli & terræ, ut inquit Alcinus. At in libro De Sicilia Simonides Aetnam iudicasse scribit, inter Vulcanum Cereremq; de regione disceptantes. Demetrius uerò Caletianus Briarei unius è Cyclopibus filios fuisse tradit, Sicanum & Aetnam, unde nomen monti: quanquã est eadem nomenclatura ciuitatis item nomen, Stephano tradente. Sed ad uenatores redeo. Quærit Plutarchus, διὰ τί περὶ τὰς πανσελήνους ἥκιστα ταῖς ἰχνοσκοπίαις γίνεται τυγχάνουσι; ideſt cur circa plenilunia ferarum assequi uestigia non ferè queant? Et infert, uideri posse rationem eiusmodi quę iam præposita est: nam (inquit) plenilunium drosobolum est, & iactat rorem. Qua ex causa lyricus Alcman, rosidam humectationem, Iouis & lunæ filiam cecinit, quum inquit,

Διὸς θύγατερ ἐρόεσσα καὶ σελάνας δίας.

Ros uerò debilis est, & imber tenuis. Sed & lunæ imbecillis est calor: quamobrem è terra ut sol, educit, nec agit tamen in sublime, quum uires desint longius abducendi, inde rursum delabitur. Porrò & in frigoribus difficilis est uenatio, quoniã uenatorem oportet, non uestigia modò quærere, sed etiam olfactum moueri. Hic uerò mouetur, molliter diffusis à caliditate odoribus. Frigoris autem circumfusio, quam uocant Græci περίψυξιν, odores contrahit, καὶ οὐκ ἐᾷ ῥεῖν, nec sinit effluere, sensumq; mouere. Ex quo unguentum & uinum per frigus olent minus: nam concretus aer, sistit in sese odores, nec reddi permittit.

Fumum, umbram, nubes capi pro re momenti nullius. Nebulæ, pro pane. Escharites. Escharulæ mulieres. Capnosphrantes. Capnistæ carnes. Fumarium. Qui dicãtur Selli. Anopæa auis. Fumum uenditare. Sellæ familiares. Narcissi fabella. Vmbram suam metuere, quid. De paspale, & achne. Item atheres quid. Atherina, & abydena, abydocome, mation, matiolichus, attaragus, epsethia, athara, ecta, psothion, psathyrion, stachyalogi. Harenarius testis. Pylaica, quæ dicantur. Plutarchi locus explicatur. Myodochus. XXI

IN Græcorum commẽtarijs inter cætera doctrinæ grauioris id quoq; relatum obseruauimus, non reconditum quidem, nec ab intimis Sibyllæ aditis erutum, non aspernabile tamen, nec lectione prorsus indignum: Fumum, umbram, nubes, de rebus dici quæ prorsum momenti sunt nullius, nec titiuillitio faciendæ, ut ille ait. Testimoniũ in Autolyco perhibet Eupolis, καπνοὺς ἀποφαίνει καὶ σκιάς, ideſt fumos ostentat & umbras. Quin comico risu philosophos coarguens Aristophanes, qui attoniti cælestia contemplarentur, nubes fuisse illis uice numinis obijcit,

καὶ ξυγγενέσθαι
ταῖς νεφέλαισιν εἰς λόγους, ταῖς ἡμετέραισι δαίμοσιν.

id est, & congredi consuesse cum nubibus, quæ deæ sint nobis. Sed & hinc factum conijectamus, uti panificiũ quoddam de tenuitatis ratione, ac candoris nebulas etiam pleheia dicant uoce: quibus persimilis erat ueteribus escharites, de craticula dictus, appositus solitus sub cœnæ finem passo litus ad uinolentiam usq;. Escharulas hinc & mulieres adpellat Plautus, de panificij ratione. Escharitem ab Athenæo non præteritum obseruauimus. Inuenio Theagenem quendam fuisse cognominatum καπνόν, id est fumum: sicuti Eupolis quoq; significat γνάθους, quòd multa polliceretur quidem, sed nil admodum præstaret. Erat insuper hic ψευδοπλούτου, hoc est ementitus diues, & iactator uanissimus, qui quum esset summè pauper, nihilominus uolebat magni momenti negotiator, hoc est μεγαλέμπορος uideri, ut Græci dicunt. Cuiusmodi fuit Aeschines quidam Selli filius, ex quo id genus homines, quod relatu dignum est, Sellos uocant. Et inde uerbũ σελλίζειν, hoc est Sellissare, quod ἀλαζονεύεσθαι signat, ideſt iactare ostentareq;. Sellas familiares appellat Varro instrumenta oneri uentris excipiendo accommoda, familiæ præsertim. Capnosphrantes, ideſt fumi olfactator, uelut per paræmiã signat

ſignat auarum hominem præparcumq́. καπνίζειν, id eſt capniſſare, dicitur conuiuij gratia ignem ſuccendere, & camino uti luculento: unde apud Athenæũ carnes leguntur capniſtæ, id eſt τὰ λεῖα καπνιστά. Fumarium lego apud eruditiores, pro loco in quo ligna feſtinato reſiccentur: ſicuti & ſuffumationem, qua nimia fiunt uina medicata. Apud Paulum Iureconſultum legimus, Iniuriam intelligi, ſi quis fumo corrupto aliquem perfuderit. Scribit Homericus interpres quidam, anopæam dici auem Homero euolantem, ἀνὰ τὴν ὀπὴν, id eſt per foramen. Quippe habuiſſe ueteres in domibus tecti medio apertionem, quam capnodochen nuncuparent. Homerus,

ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο.

Fumum uenditare Lampridio in Alexandro Cæſare, eſt gratiam hominum captare multa pollicendo, quæ apud principes obeas, quum re omnino præſtes nihil. Vulgatis præconis ſalibus, fumo punitur, fumos qui uẽditabat, quum id genus quendam iuſſiſſet imperator fumo præfocari. Vmbram uerò pro re caſſa nihiliq́ ſæpius accipi, non eſt (puto) qui neſciat. Sed in hac mentione obſeruanda magnopere, quæ in Græcorum reperias monumentis, Narciſſum (inquiunt) traditũ fabulis eſt, in aquis imaginem conſpicatum propriam, eius irretitum amore mox amplexandi ſtudio deſiluiſſe, atque eo modo abſumptum. At id eſſe falſum, perſpicuè liquet. Illud uerò certius & grauius, adoleſcẽtem in terreni corporis fluxu umbram inſpectaſſe propriam, ideſt corpoream uitam, quæ animæ ueræ idolum eſt poſtremum. Eam quum is perinde ac ueram primamq́ amplexari arctius feſtinaſſet, quod eſt, quum uitæ corporeæ inhæſiſſet totus, interiit præfocatus: quoniam uitam ueram, ideſt animalem, per inſcitiam amiſiſſet. Vnde irrepſit adagium Græcis, ἀλλὼς τὴν σαυτοῦ σκιάν, id eſt ſuam ipſius metuens umbram. Id ſignificat, poſtremis rerum perinde ac primis, ſtudium nõ magnopere impendendum: quoniam animæ perniciem concinnant, id eſt ueræ cognitioni, & quæ congruit in primis, tenebras perfectioni intendunt. Porrò de umbræ item ratione prolatum id in Curculione à Plauto eſt,

Quid ego nunc faciam? quid refert, me feciſſe regibus
Vt mihi obedirent, ſi hodie hic me umbraticus deriſerit?

Adumbrata lætitia quæ nam intelligenda, docet apertius Seneca: Quòd (inquit) duces magni faciunt, rebus afflictis, ut hilaritatem de induſtria ſimulent, & aduerſas res adumbrata lætitia abſcondant. In Athenæi libellis, quanquam confragoſis & mutilis, paraſitus quidam panes mucore ſordentes præduratosq́, menſæ illatos facetiſſimè ἄρτων σκιὰς, id eſt panum eſſe umbras dixit. Attaragos item pro re uiliſſima minimaq́ Græcis dicitur: ſicuti apud noſtros ecta, unde ſit ectafacio uerbum. Attaragum, panis micam interpretantur, quæ pſothion item dicatur, aut pſathyrion. Sed & in pane ſciſſuram ignis ui factam dicunt attaragum. At ſuperiorem in pane cruſtam eo nomine accipit Pollux: ſicut imam, epſethiam. Myodochum ſenem legimus, qui ſit nulli rei. Dioſcorides eo uerbo murium accipit retrimenta, quæ muſcerdas uocant. Illud obiter quo dãmodo ſubſcripſero: corpore minutulos perbreuesq́ dici ortygas, id eſt coturnices. Paſpalen quoque, pro rerum minutie capi à Græcis: unde ſomni, paſpalen nec uidere quidem, eſt apud Ariſtophanem. Quanquam nec ignoro eſſe, qui eo nomine magnetem accipiendum lapidem putent. Paſpalen, Hippocrates pro milio accipit, quod ab aliis cenchros uocatur, aut etiam cenchrys. Sed & ad eundem ſenſum deflectas achnem, ſignat ea uox minuties ab excuſſis prouolantes ſpicis. Meminit Homerus,

ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει.

id eſt, ſicut achnas profert uentus. Sed & pro maris aſpergine achnen reperias, unde ἅλὸς ἄχνη, id eſt maris achne. Achnen, Sophocles pro rore accipit,

θάλπει δ' οὐρανίας ὑπὸ ἄχνης ὁ καλίβοτρυς
νάρκισσος.

Et rectè utiq́, quòd non continuæ deferantur guttæ, uerum diſparatæ. Vnde achnes profluxit nomen, quaſi aechne dicat, id eſt diuulſa abiunctaq́. Quin ἄχνη πυρός, id eſt achne ignis, pro fumo. Et achne ſomni apud Hippocratem. Illud quoq́ ex Græcis corriuatum fontibus haud tranſilẽdum, quod ἀθειζειν dicunt, ubi ſe quippiam non pili facere innuunt. Ratio eſt, quoniam ex ſpicis quæ ſunt

degeneres

degeneres,uocari ab eis atheres uidentur:ſicuti apud Aelianum in libro De prouidentia,lectum commeminimus.Eos colligunt ſpicilegium facientes.qui uocãtur ſtachyalogi.In Athenæi monumentis piſciculus uilior de uerbi huius flexu dicitur atherina. Athera uerò & pinnula nuncupatur,Ariſtotele calculum adijciente, quam ſub uentre thynnides gerunt.Nec illud ignorandum:Abydena item dici futilia,ac nullo prorſum digna pretio:nam ut molles carpuntur Abydeni. Meminit parœmiæ Pauſanias. Sed ab eiſdem quoq; Abydocomas inuenio ſycophantas dici, uelut in eo κομῶντας, ideſt efferentes ſe. Mation etiam minutum dicunt: unde matiolichus, qui parum comedit, aut qui in minimis aſtutum ſe præſtat.Quanquã & matiolichus dici ualet, qui ex menſuris lucrum uenatur.Nam eſt menſuræ genus mation,& λέχω, lambo.Hincq; forſan Euſebio cuidam apud Ammianum Marcellinum,Matiocobæ factum cognomentum eſt.Pylæſtatos uocant Græci Circẽſes homines,hoc eſt uiles neſcio quos, ac planè de triuio,à quibus nec boni quippiam proferatur,nec ſani:quoniam eiuſmodi haud pauci Thermopylas peterent,quæ & Pylę dicebantur,quòd anguſta conualle à Theſſalia in Phocidem tranſmiſſio fieret.Nam & Pylea uocabatur,ubi conſidebãt Amphictyones:ſed & congreſſum ipſum ſic reperio nũcupatum.Ex ijs enarratur Plutarchi locus in Pyrrhi uita,negligenter inſcitecq; præteritus ab interprete, ταῦτα μὲν ὅτι πυλαϊκὰς ὀχλαγωγίας, hæc(inquit)pylaicæ ſunt turbæ,Pylas confluentis. Et in Artoxerxis uita ſcribit idem,Cteſiam in libros coniecíſſe παιδολαπῶ πυλαίαν, abſurdarũ fabularum. Harenarium teſtem,Iureconſulti ſordidum ac uilem intelligere uidentur, cui ſine tormentis credendum non ſit.Mentio fit & in Canonicis decretis, eumq; qui in harena depugnarit,intelligunt.

Super Aphricano Scipione paucula. Qui dicantur uelut umbræ uagari, Plutarchi interpres refellitur. Caput XXII

DE Scipione Aphricano iuniore memorantur pleraque ſcitu digna,immo uerò eiuſmodi,ut nec ſatis mirari queas,ſiue fortunam perpẽdas uiri,ſiue mores ac naturæ lumina,rerumq; geſtarum gloriam ad acrius reuoces examen.Nunc ut cætera ad cenſuræ grauius non prouocem ſupercilium, illud gratiſſimo animo hiſce libellis inſpergimus.Scipionem hunc annis quatuor & quinquaginta,quibus ferè in humanis egiſſe narratur, μηδὲν πρίασθαι, μηδὲν ἀγοράσαι, μηδὲν οἰκοδομῆσαι, ideſt nil emiſſe,nil uendidiſſe,nil ædificaſſe.Libras autem argenti treis & triginta duntaxat in magna ſubſtantia,& auri duas reliquiſſe: quũ tamen in eius poteſtate uicta fuiſſet Carthago,ab unoq; imperatorũ omnium milites locupletatos,ueteribus teſtatũ memorijs ſit. Polybium porrò, quod ipſum inter illius ducis miranda non ineptè repoſuerim,perfamiliarem habuit ac intimum,cuius imbutus præceptis ἐπειρᾶτο μὴ πρότερον ἐξ ἀγορᾶς ἀπελθεῖν, ἢ ποιήσαι τινα σωτηρίαν, καὶ φίλῳ ἀμωσγέπως τῶν ἐντυχόντων, ideſt ſtudebat, non prius foro reuelli, quàm unum aliquem ex ijs,quibus quum fortè cõgrederetur,beneuolum ſibi atq; amicum quauis ratione foret uenatus.Quumq; iuuenis etiamnum ageret,eam tum fortitudinis,tum prudentiæ de ſe opinionem cõcitauit,ut ſenior Cato interrogatus de ijs qui apud Carthaginem ſtipendia facerent,inter quos erat Scipio quoq;,militum(ut Appianus inquit) tribunus, οἱ μὲν σκιαὶ πετῶνται diceret πρὸς σκιὰς ἀίσσουσιν, ideſt ſolus ſapit, cæteri umbræ feruntur,Scipionem innuens. Eſt autem ex Homero carmen de Tireſia Odyſſeæ κ concinnatum.Quem locum à Plutarcho citra auctoris nomen repetitũ,interpres alioqui non inſcitus,aſſequi non potuit,niſi fortè ſum leberide cæcior:ſic enim ſenſus eluceſcit peracutus,&(quod conuenit maximè)à Catonianis ſalibus & ſapientia non diſſentaneus:quando Romanorum alij,qui ſtipendia facerent in Aphrica,nihil(ut Plauti nis utar iocis)aceti haberent in pectore,nihil omnino priſcam illam urbis Romæ generoſam animi altitudinem redolerent, eſſentq; planè hominum ſimulacra,& quidem impolita infabricataq; & meræ nugæ,utq; Homerico utamur uerbo, σκιαί, ideſt umbræ,Quando ratione animæ neglecta,quam eſſe uerum hominem, Plato & ſenſit & docuit,corpori ſeſe manciparant,quod imaginem eſſe & umbram, ex Plotini ſentẽtia remotiore,alibi docuiſſe me,opinor,& proximè Narciſſi tropologicus cõmonuit ſenſus

ſus. Quod uero de Scipione dixit Cato, id ipſum & de Chryſippo pronuntiatum quan doq; comperimus, cuius eſt illud elogium quoq;, Ni fuiſſet Chryſippus, porticus non eſſet. Homeri locum de Tireſia aduocat libro ſextodecimo Strabo: uerum interpres ſic demum iure Latij donat,

Cui dederat uita functo Proſerpina mentem,
Vt ſaperet, pariterq; homines leuis umbra iuuaret.

Sententiam noſtram confirmat Lucius item Florus Epitomes quadrageſimonono: Quam uirtutem eius (inquit) Cato, uir promptioris multo ad uituperandum linguæ, in ſenatu ſic proſequutus eſt, ut diceret, reliquos qui in Aphrica militarent, umbris militare, Scipionem uigore.

Multos uagari uelut umbras. Duas eſſe conuerſationis uias. Vitæ genera tria. Aquarum nomine mortales intelligi. Quæ uictoria nobiliſſima. Scipionis dictum. De Adriano imperatore, ac poeta Floro. Adriani in eminentiſſimum quenq; inuidia. Dionyſii Sophiſtæ dictum. Perſarum cadauera non computreſcere, ut noſtra. Caput XXIII

AEterum & inter mortales reliquos, nec in Romano ſolum exercitu, numeroſæ uagantur umbræ, pauci ſapiunt. Id Saluator ille præpotens facile commonſtrat in Euangelio, ubi duas conuerſationis perdocet uias: Quàm (inquit) ſpatioſa eſt uia, quæ ducit ad mortẽ, multiq; ſunt ea commeantes. Et rurſum: Quàm arcta uia & anguſta eſt, quæ ducit ad uitam, paucíq; ſunt qui inueniant eam. Vide (inquit Hieronymus) quanta inter has uias ſeparatio ſit, quantumq; diſcrimen: illa ad mortem, hęc tendit ad uitam: illa celebratur & teritur à multis, hæc uix inuenitur à paucis: illa enim uitijs per conſuetudinem quaſi deciuior ac mollior & ueluti quibuſdam amœna floribus uoluptatum facile ad ſe rapit commeantium multitudinem, hæc uero inſueto calle uirtutum triſtior atque horridior ab his tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quàm manſionis utilitas. Aſperam enim nobis & inſuauem uirtutum uiam nimia effecit uitiorum conſuetudo: quæ ſi in partem alteram transferatur, inuenies ſicut ſcriptura dicit, Semitam iuſtitiæ leuem. Porrò quum tria ſint uiuendi genera, ciuile, contemplatiuum, religioſum: in ciuili, prudentia: in ſecundo, doctrina: in tertio, quaſi faſtigio quodã uitæ tõtius: præter duo illa, etiam ſanctitatem exigimus. Hæc eſt rectiſſima uitæ ratio, hæc ſcopum habet rationali naturæ propoſitum, hic eſt finis primæ notæ & coloris perfectiſſimi, diu à prioribus quæſitus: ſed ante CHRISTVM non ferè inuentus. Ab hoc qui errore deuio declinant, quantũcunq; ciuilibus intenti negotijs, quantumcunq; etiam contemplationi, nihil ſciunt, nihil agunt, & (quod bonam reſipiat frugem) nihil cogitant. quando ſapientia mundi, ſtultitia eſt, & uanitas uanitatum, & omnia uanitas. At cuius eſt in lege Domini uoluntas, quiq; in lege illius meditabitur die ac nocte, erit (ut inquit Eſdras) tanquam lignum plantatum ſecus aquarum decurſus. Erit (inquam) tanquam uitæ lignum: reliqui uero, nil aliud quàm decurrentes aquæ. Quo nomine (ut inquit Auguſtinus) mortale ſignificatur genus, quòd in mortem fertur præceps, ſicuti aquæ pronus eſt in mare delapſus. Vnde eſt illud apoſtoli Ioannis, Aquæ multæ, populi multi. Sed & Ioſue capite tertio, aquas accipi uolunt perturbationum procellas & moleſtiarum agmina: quemadmodum Eſaiæ octauo, Adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis fortes ac multas. Adiuuat tamen argumentum noſtrum etiam grauis auctor Seneca: Quid (inquit) præcipuum in rebus humanis eſt? Non claſſibus maria compleſſe, nec in Rubri maris littore ſigna poſuiſſe, nec deficiente terra, ad iniurias aliorum erraſſe, in Oceano ignota quærentem, ſed animo omne uidiſſe, & (qua nulla eſt maior uictoria) uitia domuiſſe. Innumerabiles ſunt, qui urbes, qui populos habuere in poteſtate: pauciſſimi, qui ſe. Hoc uero quod Stoicus hic ſeueriſſimè prodit, longè præſtabilius q; quod dictitaſſe Scipionem ferunt: nam quum Appius Claudius eius in cenſura competitor, iactantius diceret, Romanos à ſe omneis nominatim ſalutari, Scipio qui uniuerſos propè ignoraret: Vera (inquit) narras, ἐμοὶ γὰρ οὐκ εἰδέναι πολλοὺς, ἀλλ' ὑμῖν μηδένας ἀγνοεῖσθαι μεμέληκεν, id eſt curæ mihi fuit, non quidem nouiſſe multos, ſed ne à

quoquam ignorarer. Præstant uero hoc uirtutum exhausta certamina, præstant sudores multi, euigilatæ noctes, durissimorum patientia. Quod agentem Adrianum intuitus poeta mollior Florus, ita sibi ludere permisit,

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Respondit uero Adrianus facetè admodum, nec citra fellis conspersionem, adnotata hominis pathica fœditate:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Culices pati rotundos.

Cæterum uel id adnotasse fuerit operæpretium, imperatorem hunc tanta flagrasse inuidia, uti celeberrimũ quenq; artificem, quod æquare non posset, subuerterit. erat namque studij eius, ut in quauis disciplina præcellere omnes, mirè affectaret. Proinde Dionysius Sophistes aduersus Heliodorum, in cuius beneuolentiam erat is propensior, & inde Epistolarũ sibi magistrum adoptarat: Pecunias donare ac honores Cæsar potest, rhetorem certe facere non potest. Homeri poemata abolere quandoq; fertur cogitasse, ut ei Antimachum substitueret prælegendum in scholis, cuius adhuc plerisq; erat incognitum nomen.

Cardamo similes qui dicantur: cur eo uescantur Persæ: eiusdem nomina plura, & uires. Caput XXIIII

NObiles præpotentesq; uiros si pauperioribus conuicini fuerint, non desinere illos exsugere, donec in nihilum redegerint, notius est quàm ut pluribus id comprobare uideatur necesse. In hosce ita affectos, itaq; institutos adagiũ producitur scitum eruditumq;, Cardamo siquidem consimiles esse dicimus, cuius ea natura est, ut herbarum in propinquo nascentiũ, humorem ad se ui quadam intima perliciendo cogat arescere. Id significat Aristophanes comicus in Nebulis,

πάσχει δὲ τοῦτο τὸ σῶμα καὶ τὰ κάρδαμα.

id est, patiuntur ipsum hoc & cardama. Nam dixerat antè paulò, Terram uiolenter cogitationis nostræ humorẽ pertrahere. Insuper inibi interpres, ubi quod præstruximus explicuit, mox adijcit, Cardamum esse agreste holus apud Persas: sed nunc (inquit) scaphon dici. Scribit Xenophon, Turpè gentibus illis duci, si quis uisatur quoquam ire aut meiendi aut cuiusquã eiusmodi rei gratia. Quæ, inquit, nullo pacto facere possent, nisi & uictu modico uterentur, & humiditatem per laborem consumerent. Quo fit, ut ea aliò quopiam secedant. Sed in Græcorum comperi cõmentarijs, quod ad rem egregiè facit, ὡς χρήσιμα οὖρῳ τὰ κάρδαμα καὶ πνεύματος, id est comprimere urinam & oris superfluitates cardama. Eoq; nomine Persas illis uesci plurimum, quando eximiè præcauent, urinam emittere, spuere, atque item emungi. Cardamon dicitur ab alijs, inquit Dioscorides, cynocardamon: ab alijs, iberis: quidam etiam cardaminacam nuncuparunt: Aegyptij, semeth: Romani, nasturtium. Optimum quod apud Babylonem colligitur. Semen excalfacit, acre est & καυστόμαχον, hoc est stomachum oblædit, aluum turbat, σωτικὸν πρὸς ὁρμάς, id est Venerẽ concitat. & post multa, Efficit (inquit) id ipsum herba, sed minus. At libro uicesimo Naturalis historiæ Plinius, & eum sequuti aliquot, nasturtio inhiberi Venerem prodidere. Secundo Canonis Auicenna cum Dioscoride stat. Animi porrò torporem excitat cardami holus: quo argumento, multorum coniectatio est, ἀπὸ τῆς καρδίας dici, hoc est à corde, in quo esse creditur animi sedes. Libro duodecimo ἐκλογῶν περὶ γεωργίας sic de hac re proditum comperias, φασὶ δὲ οἱ ἐδιόντες κάρδαμον, ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι, ut natum inde prouerbium, certior fiat coniectatio. Scribit Ammianus Marcellinus, quod ad Persarum ritus attinet præcipuè, Nostrorum cadauera mox cæsorum fatiscere ac defluere prorsum, adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur, Interfectorum autem Persarum inarescere stipitum more, ut nec liquescant membra, nec sanie madescant perfusa: quod (inquit) uita parcior facit, & ubi nascuntur exustæ solibus terræ.

Cuiuſmodi eſſe deceat conuiuales confabulationes, quæ epicyliciæ dicuntur. Iſocratis dictum ad idem. Perſarũ ritus. Decori neceſſitas. De Alabandeis pulchra. Abderitarum ſugillatio. Caput XXV

IAm Socratem citrà pulueremaut etiã clepſydram oratorem uel nobiliſſimum, memoriæ proditum eſt, quum amplius rogãretur, ut in conuiuio quodam promeret aliquid de artis ſuæ officina, reſpondiſſe, ἐν οἷς μὲν ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ νῦν καιρός, ἐν οἷς δ' ὁ νῦν καιρὸς οὐκ ἐγὼ λέγω, quæ noui, temporis huius non ſunt: quæ uero exigit tempus hoc, ego neſcio. Veluti parum congrueret, laſciuientibus poculis oratoriam inſerere grauitatem: quod æque ridiculum ſit, ac in purpura repens ſimia. Nam & à pleriſq; philoſophiam item ſequeſtratam, inde legimus, argumẽto etiam Perſarum inſtituti, qui ſe licentius inuitaturi, non uxores, uerum pellices admittunt. Itidem & philoſophica ſanctaria colluſione conuiuali indigna prorſum uideri, & (ut Græci dicunt) ἀπροσδόκητα. Etenim quæ luminibus capto eſſe cum ſpeculis communio poteſt? ſicuti ab Epicharmo traditum, auctor nobis Stobæus eſt. Præſertim quòd nec recumbentium mens altioris ſpeculationis tunc ſatis & ſtudioſe capax eſt. Alij uero non extra organum iſta opinati, diuerſam omnino ſententiam approbant. Tanquã perabſurdum ſit, in ſcholis quidem de conuiuali officio ſubinde diſſerere, qualiſq; aut quæ ſit conuiuæ uirtus, & qua ratione utendum uino: ex ipſo uero philoſophiam conuiuio diſcluſam abiungere, ueluti re nequeat comprobare, quæ uerbis præcipit. At in Cœnis Macrobius inquit, Oportet uerſari in conuiuio ſermones, ut caſtitate integros, ita appetibiles uenuſtate. Nam matutina diſputatio robuſtior eſt, quæ uiros & doctos & præclariſſimos deceat. Id propemodum & uir doctiſſimus Plutarchus ſtatuit, Sympoſiacôn primo: Elegantiores uero, inquit, etiam ſi ex profeſſo philoſophentur, probabili tamen magis quàm uiolenta interim demonſtratione ſermonẽ producunt. Id ipſum etiam Plato facit in Sermonibus conuiualibus, ubi quamuis περὶ τοῦ πρώτου ἀγαθοῦ, id eſt de principe bono uerba faceret, & omnino de diuinis, non tamen apodixes intendit, aut ineuitabiles parat anſas, qui ferè mos eius eſt, ſed leuioribus (ut ſic dicã) captionibus exemplisq;, & fabuloſis ratiocinationibus homines conciliat uenaturq;. Proinde, quæ proponũtur quæſtiones, ſolutionis reconditum nodum haudquaquam habent: anxias nanq; difficultates & ſolicitè librandas, conuiualis non admittit hilaritas, ne paulò inconcinniores præfocentur auertanturq;. Propterea eridantæos, ut inquit Democritus, & himantelictæos ſermones miſſos facere oportet, qui ſpeculationis difficultate torquere amplius ſolent, δεῖ γὰρ ὡς τὸν οἶνον, κοινὸν εἶναι καὶ τὸν λόγον, id eſt, ut uinum, ita & ſermonem eſſe oportet communem, ut ſuam quiſq; portionem ferat. Qui gryphos inenarrabiles quodammodo probant, Aeſopeam uulpem gruemq; imitari uidentur, quarum utraq; facetoſo conuiuij apparatu alteram deluſit ac dimiſit incœnem. Quòd ſi iucunda confabulatio, quam epicylicion recte dixeris, ueluti poculis coaptatam, & (ut Macrobij uerbũ repetam) appetibilis adhibeatur uenuſtas, fiet illud Homericum nepenthes, quod is intelligi uoluit, pharmacum ἀνώδυνον: quia mœſtitiam exigeret, & euthymiam pareret, ac tranquillitatem: ut nulla præterea buglosſa requiratur, quæ uino promixta diſcumbentium animis inducat hilaritatem. Porrò Xenophon Socraticus, Gobriam ſcribit cœnantem apud Cyrum, quum alios Perſarum ritus eſſe admiratum, tum uero illum quo ſe inuicem iucundè interrogantes, necnon ſcommata non negligentes uoluptatẽ gratiamq; uel ijs comparabant, in quos ſtringi morſus uidebatur. Proinde ſciamus M. Tullij oraculum eſſe uero uerius, Decori ignoratione non modò in uita, ſed ſæpiſſimè in poemate & in oratione peccari. Itaq; quid deceat, conſiderandum, quod in re de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis, & in eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Vnum uero rationale animal, inquit primo De officijs idem auctor, ſentit quid ſit ordo, quid ſit quod deceat, in factis dictisq; qui ſit modus: poſtremò & qua pſittacus uoce, qua'ue loquatur coturnix, quæ non paruæ eſt naturæ uis rationisq;. Illud uero auctarium fuerit, quod Iſocratis ſententiæ peraffine eſt, à Seneca ex Epicuri ſcholis promptum: Nunquam uolui populo placere: nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio. Sed nec ab inſti-

tuto diſſita eſt mathematici Licinij in Alabandeos ſugillatio, felle lita plurimo: Eſſe nanque illos aſtruebat, in ciuilium adminiſtratione rerum acutos ſatis: at propter non magnum uitium indecentiæ, cenſeri inſipientes quandoq́, quòd in gymnaſio eorum quæ eſſent ſtatuæ, omnes habitu forent cauſas agentium: in foro autẽ diſcos tenerent, aut quid eiuſmodi obirent. Vnde Alabandei quoq́ nuncupati, & Abderitæ, qui in rebus id genus ſæpicule peccant.

Vmbram ſuam metiri quid ſit, ex hiſtoria nato adagio. Archidami monita ad inſolentiam humanam retundendam. Caput XXVI

MBram ſuam metiri, ſcitè admodum & perdoctè prouerbiali ſententia commonemur, nil eſſe quod uana mortalitas & ad circumſcribendam ſe ipſam ingenioſa (ut Plinij uerbis utar) inani ſucceſſu aliquo tumeat: quando noſtra omnia bullæ ſunt, momento perituræ. Quo nomine illud Satyricum in ore habendum aſſiduè,

Meſſe tenus propria uiue.

Ratio paroemiæ eſt ea, quòd nihilo maior noſtri corporis poſt felicitatẽ umbra deprehendatur, ac fuerit prius. Quo perdocemur, eſſe nos eiuſdem imbecillitatis aleæ obnoxios, atq́ eodem fortunæ ſalo (ut ait Boetius) quati. Natum id ex hiſtoria: proditur ſiquidem memoriæ, Macedonum regem Philippum poſt nobilem in Cheronea victoriam, quum inſolentius extumuiſſet, factusq́ foret arrogantior, ac de ſe magnificẽtius ſentiens, uelut liberali iure adoptatus à fortuna, paulò aſperiorem, & quæ tyrannicum quiddam ſuboleret, ad Archidamum Ageſilai filium epiſtolam conſcripſiſſe. Qua is commotior, cogitansq́ (quod res erat) euentu proſperiore criſtas homini ſurgere, ut poeticis utar ſalibus, ita demum cenſuit reſpondendum, εἰ μετρήσεις τὴν σαυτοῦ σκιὰν, οὐκ ἂν δύροις αὐτὴν μείζονα γεγυμνάσῃ, ἢ πρὶν ἐνίκας, id eſt ſi umbram tuam metiri uolueris, haud quaquã nunc maiorem deprehendes, quàm fuerit ante victoriam. Id quia ſingulare ad uitæ inſtituta præceptum eſt, ac ad retundendam mortalium uanitatem efficaciſſimum, factumq́ eſſet ad manum, dum Græca peruoluimus, haud dignum eſt uiſum, quod tanquam conniuens tranſilirem. Cui affinis eſt chria quoq́ eiuſdem altera, quæ cæcis animis, nec ſui menſuram ſatis capientibus, perſalubrem propinare (ut ſic dicam) potionem uidetur: ac ſubinde inſinuare poeticum illud ex Martialis nobili ſcitoq́ Epigrammate,

Sed te tamen ante memento,
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

Erat Periander medicus multi nominis, & celebratus in primis: cæterum, ut eſt inops ſui quandoq́ humana mens & inexplebilis, nec unquam ferè ullo deſcendens niſu in ſeipſam, & præter calculorum rationem mœnia ſtruens: affectabat idem ex poetica laudem, & ſubinde uerſiculos recitando gloriolam captabat. Sed quantum medendi ſcientia præſtabat, tantum à poeta aberat bono. Id animaduertebant complures. Ipſe tamen ſibi ementiebatur, & credulus poetico ſe agi furore opinabatur. τί δ' ἂν ποτε ὦ πρίαυδρε, ἐσῳν ἀρχίατρον, ἀντὶ χαείφοντος ἰατροῦ κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ὠνήσεις; quid tandem ô Periander, inquit Archidamus, pro eleganti medico malus uocari poeta cupis? Sed & eiuſdem chria eſt illa non incelebris. Peloponneſiaco nanq́ bello percunctantibus ſocijs, quantum pecuniarum foret ſatis, rogantibus etiamnum tributa terminaret, ὁ πόλεμος ἔφη, οὐ πεπαγμένα ζητεῖ, bellum, inquit, ordinata non quærit.

De chriarum ratione, & quid chria. Item quid ſententia, eiusq́ diſcrimina. Et quid chriodes. Interim regis boni munus quod nam ſit. Paraphraſis, metaphraſis, ecphraſis. Caput XXVII

QVoniam uero chriam bis hoc capite nominauimus, ne quis uelut obice offendatur, ſciendum eſt, ab Aphthonio dici χρείαν ἀπομνημόνευμα σύντομον, δυσόχως ἐπί τι πρόσωπον ἀναφέρουσαν, hoc eſt chriam (ſiue malis Latinè uſum nuncupare) eſſe cõmemorationem breuem cõcinnè opportuneq́, id eſt δικαίρως, ad auctorem relatam. Appellatam uero chriam arbitrantur, ὅτι χρώδης ὄν, quia ſit utilis, κατ' ἐξοχήν; ſiquidem progymnaſmata reliqua, admonitionis

monitionis emolumento præcellit, id eſt χρειωδεστέρα δεῖ πρὸς παραίνεσιν τῶν ἄλλων προγυμνασμάτων. Vtitur ea uoce Plutarchus ad hunc fermè ſenſum: Ariſton laudante quodam Cleomenis chriam, qua interrogatus, Quid nam regem bonum facere oporteat, reſponderit, Amicis bene facere, inimicis uero male. At quanto (inquit) melius fuerit, ó uir optime, amicis bene facere, ex inimicis uero amicos reddere. Hæc quidem chria, pergit Plutarchus, etiam ſi omnium calculis Socrati contribuitur, nihilominus in Ariſtonem quoq; refertur. Porrò chriarum alia dicitur logica, id eſt ſermocinalis: alia practica, ſiue actiua: alia mixta. Et logica quidem intelligitur, quæ oratione præfert emolumentum: ut Plato οὐ τὰ ἀρετῆς κλῶνας ἱδρῶσι καὶ πόνοις ἐλέγε φύεσθαι, id eſt uirtutis ramos aſtruebat, ſudore ac laboribus produci. Iſocrates ex diſcipulis ingenio præſtantes, θεῶν παῖδας ἔφασκε, id eſt deorum eſſe filios prædicabat. Diogenes diuitem conſpicatus imperitum ἴδιωτ, οὗτός ἐστιν ἵππος πεφιῤῥυτωμένος, hic eſt (inquit) equus undiq; argento litus. Practica uero praxin, id eſt actionẽ modò oſtendit. Vt interrogatus Pythagoras πόσος ἂν εἴη τῶν ἀνθρώπων βίος, βραχὺς φαύλοις ἀπεκρύψατο, μέτρον τοῦ βίου τῷ θεαν ποιούμενος, id eſt quanta deniq; hominũ foret uita, quum parum ſe oſtentaſſet, mox delituit, uiuendi modum ſtatuens uiſitationis morulam. Mixta poſtremò eſt, quæ conſurgit ex duobus, actu, & oratione. Vt Diogenes, quum eſſet conſpicatus ἀδιάφορον, id eſt indecenter uoracem puerum, τὸν παιδαγωγὸν ἔπαισε, ἐπεὶ τί γὰρ πλεῖον παιδεύεις; Pædagogo plagam incuſſit, inferens, ut quid ita imbuis? His uero capitibus tractari ſolent chriæ: encomiaſtico, id eſt laude: paraphraſtico, id eſt expoſitione: cauſa, ex cõtrario, comparatione, exemplo, teſtimonio, epilogo breui. Paraphraſin tamen intelligi uolo, ſicuti finiunt Græci, alieni ſcripti conuerſionem non in humiliora grandiora ue, ut ab metaphraſi ſeiungatur, ſed in paria, ſenſu modò incolumi. Quod indicat libro primo Fabius: Tum, inquit, paraphraſi audacius uertere, qua & breuiare quædam & exornare, ſaluo tantum ſenſu permittitur. Quod opus cõſummatis oratoribus difficile, qui commode tractarint, cuicunq; diſcendo ſufficient. Sed & libro decimo: Ipſis, inquit, ſententijs adijcere licet oratorium robur, & omiſſa ſupplere, & effuſa ſubſtringere: neq; ego paraphraſin eſſe interpretationẽ uolo tantum, ſed circa eoſdem ſenſus certamen, atque æmulationem. Ecphraſis autem eſt pura meraq; enarratio. Sed ad inſtitutum. Seneca, de chria ſic mentionẽ facit: Pueris, inquit, ſententias ediſcendas damus, & has quas Græci chrias uocant, quia complecti illas puerilis animus poteſt, qui plus adhuc non capit certi profectus. Viro captare floſculos, turpe eſt, & fulcire ſe notiſſimis ac pauciſſimis uocibus, & memoria ſtare. Sibi iam innitatur, dicat iſta, non teneat. Turpe eſt enim ſeni, aut proſpicienti ſenectutem ex cõmentario ſapere. Fabius item libro ſecundo, Sententias, chrias, ethologias, ſubiectis dictorum rationibus apud grammaticos præcipit ſcribi. Quoniam uero, ut ſolet, perobſcurè ſententiam eſſe ait uniuerſalem, ſciendum eſt, ſententiam à chria hoc diſtingui, quòd ſententia indicatiuè profertur: chria uero etiam ſæpe per interrogationem & reſponſionem: præterea (ut probauimus) actu etiam conſtat. Sententia uero, in uerbis tantum eſt: chria, perſonas habet omnino, quæ quid fecerunt aut dixerunt: ſentẽtia ſine perſona profertur, hoc eſt ἀπροσώπως. De hac Aphthonius ita, γνώμη δέ ἐστι λόγος ἐν ἀφάνσει κεφαλαιώδης, ἐπί τι προτρεπτὸν ἢ ἀποτρεπτόν. Priſcianus uero ſic: Sententia, eſt oratio generalem pronuntiationem habens, hortans aliquam rem, uel deterrens, uel demonſtrans quale quid ſit. Ariſtoteles Rhetoricorum ſecundo: Sententia, inquit, demonſtratio eſt non ſingularis quidem, uerum uniuerſalis: nec de omnibus tamen, ut quod flexuoſo rectum ſit diuerſum, ſed de ijs quæ agimus, ſuntq; uel eligenda uel ſecus. Mox infert ſententiarum genera quatuor: At (inquit Aphthonius) ſentẽtiarum alia eſt protreptica, quæ hortatur: alia apotreptica, quæ abducit abſterretq; : alia apophantica, quæ demonſtrat: alia ſimplex, coniuncta alia, quædam ueriſimilis, alia uera, quędam & hyperbolica, id eſt ſuperlatiua. Et protreptica quidem eſt, Hoſpitem amare præſentẽ addecet, uolentem autem dimittere. Apotreptica, ut, Non congruit conſultorem uirum, perpetem noctem dormire. Apophantica, ἀεὶ δεῖ χρημάτων καὶ ἄνδρὶ πένητι, οὐδ' ὧν δεῖ φρονεῖσθαι τῶν ἀόντων, pecunijs opus eſt, nec citra has quippiam eorum quæ decet, fieri queat: apud Demoſthe-

nem. Simplex, εἷς οἰωνὸς ἄριστος & ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, id est augurium est unum quidem præcipuum, patriæ opem tulisse. Coniuncta, εἰ καταφατικοῦ καὶ ἀποφατικοῦ, id est ex affirmatione ac negatione, Multorum non utiq; principatus bonus. εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς, unus sit dominus, rex unus. Duplex, εἰ δύο καταφατικά, id est ex duobus affirmantibus, ut δεινὸν πένεσθαι, χεῖρον δὲ δυπορεῖν κακῶς, id est graue quidem paupertate premi, grauius autem ditari non bene. Verisimilis, Cuiusmodi sint principes & subditos ferè tales esse solere. Vera, ut Vitam citra mœroris labem non reperias. Hyperbolica, Nil imbecillius terra nutrit homine. Tractatur uero sententia ijsdem capitibus, quibus & chria. Est in hoc genere illud quoq;, quod Fabio auctore, uocant aliqui chriodes, ut, Milo, quem uitulum assueuerat ferre, taurum ferebat.

Ethologia quid, item ethopœia, idolopœia, prosopopœia. Abecedarij, syllabarij, nominarij qui sint, ex Hieronymo & Augustino. Cacoethe ulcera.

Caput XXVIII

EThologia cuiusmodi sit, liquet ferè ex Ciceronis uerbis libro De oratore secundo: Atq; ita est (inquit) toto hoc ipso genere ridiculum, ut cautissimè tractandum sit. Mimorum est ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscœnitas. Orator surripiat oportet, imitationem: ut is qui audiat, cogitet plura quàm uideat. Mimos & ethologos dispescit Symposiacôn quinto Plutarchus. Proinde mirum est, quosdam prodere ausos, nil se de ijs apud Græcos legisse, ueluti nusquã reperiantur. Nam ethopœia dicitur quidem morum imitatio, persona subiecta. Cæterum, eius tria uidentur discrimina: εἰδωλοποιία, προσωποποιία, id est idolopœia, prosopopœia, & quæ ἠθοποιία, id est œthopœia nuncupatur: quæ notam personam complectitur, mores tantum effingit, ex quo ethopœiam dici uolunt. Vt si comminiscamur, quibus nam sit usus uerbis Hercules, imperante Eurystheo. In Themistocle Plutarchus παιδεύσεις nominat ἠθοποιούς, id est morales institutiones. Idolopœia, notam quidem & ipsa personam habet, sed mortuam, & quæ loqui desierit, ut Eupolis ἐν δήμοις, & Aristides ἐν ὑπὲρ τῶν παραλόγων: qua ratione nomen quoq; profluxit. Nam & in Hecuba Euripides Polydori inducit idolum. Sed & Homerus,

τὸ τοῦ πατρόκλου ὁμίλου ὑπὲρ ἀχιλλεῖ.

Prosopopœia uero, quum omnia fingimus, personam uidelicet, ac mores: ut Menãder fecit, quum effinxit elenchon: est enim elenchos res utiq;, sed non persona: & propterea idem dicta prosopopœia. Ethopœiarum uero aliæ sunt patheticæ, quæ perturbationes affectusq; exprimunt: aliæ sunt & uocantur ethicæ, hoc est morales: at quæ mixtæ dicuntur, utrunq; efficiunt. Alexander in libello περὶ τῶν σχημάτων, ethopœiam esse scribit, quum existentibus personis sermones aliquos affingimus, quòd fide digniores illę uideantur, quàm si eos enuntiaremus ipsi. Et in libro De rhetorica Apsinus, Ethopœia est oratio personis apposita cõtributaq; subsistentibus: ut, Quid nam dicturi sunt in domicilium uidentes me impactum? Miltiades hic, qui Marathoniæ pugnæ uictoriam ciuitati comparauit, qui Barbaros falli spe coegit. Vtitur & hoc modo Hyperides, pro Lycurgo: Quid dicent, eius prætereuntes sepulchrum? & quæ sequuntur. De prosopopœia idem Apsinus, & præterea Quintilianus, ac cæteri plura: nos cum delectu modum seruamus. Et quia paulò antè de puerorum exercitationibus egimus, id superponendij loco adijciemus: abecedarios nuncupari, syllabarios q; ac nominarios in discentium classibus, ab Hieronymo: nam qui prima imbibunt elementa, abecedarios intelligit: syllabarios, qui iam syllabas connectere insuescunt: nominarios, qui denique integra proferunt nomina. In literario (inquit) ludo, ubi prima elementa excipiunt pueri, abecedarij nuncupantur: at syllabarij alij, quidam uero & nominarij, nonnulli iam calculatores. Quumq; hæc audierimus nomina, ex ipsis qui sint in pueris profectus, agnoscimus. Sed enim abecedarium Augustinus intelligit literarũ ordinem illum, quem pueruli condiscunt. Nominatores Iureconsultis Digestorum uicesimoseptimo, à nominarijs longè diuersi sunt: sic enim appellant eos, qui tutorum nomina subijciunt, ceu idonei sint. Eodem modo & magistratuũ nominatores uocantur Vlpiano. Dici uero ethopœiam, ab ἦθος, quod morem signat, neminem fallit. Nam & inde κακοήθη dicuntur

ulcera

ulcera, de quibus obſcure libro quinto Celſus. At Therapeutices quarto Galenus ea fere intelligi ſcribit, quibus etiam ſi mature omnia adhibeantur neceſſaria, non ſanantur tamen.

Leporem mœnibus indormire quid ſit. Leporũ luſtra. Rechamus quid. Reliquatores quo ſenſu dicantur ab Iureconſultis, & uerbum reliquari. Item quæ ſint ſchelides. Schedia. De leporibus multa. Melanchema. Schinis. Epipercnon. Percne. Percnopterõ. Daſypus. Accubitæ. Accubitalia.

Caput XXIX

TYſandrum prodit hiſtoria, quum à Lacedæmoniorum ductu Corinthios defeciſſe fama nunciaſſet, profectum copijs inſtructum ad ciuitatem oppugnandam, ubi ſuos timore perculſos animaduertit, ignauius ſegniuſq; irruere, ac inferre ſigna, leporem forte tranſilientem foſſam uidiſſe: quo argumento fiduciæ iam plenum milites ſic hortari cœpiſſe: Non erubeſcitis Spartiatæ, huiuſmodi hoſtes formidare, ad quorum mœnia lepores ex ocioſa inertiq; uita dormiunt? Id quod paroemiæ habere formam poteſt, in ſegnes imbelleſq; ut ad coarguendum torporem deſidiamq;, etiamnum indormire mœnibus illorum lepores dicti temus. Quod quum ſit formidoloſiſſimum animal omnium, nõ facile in obuijs ac celebribus locis quieuerit. Propterea luſtra id genus à Græcis dicuntur θάμνοι σωρηφεῖς, id eſt obductiora denſioraq; arbuſta, uel idæ ἀμφιλαφεῖς, hoc eſt conſita copioſa. Rhochmi βαθεῖς, id eſt ſciſſuræ profundæ. Nam rechamus troclea eſt, per cuius orbiculum ſummum traijcitur ductarius funis. Reliquatores apud Iureconſultos ſunt qui integrum non ſoluerunt, ſed æris alieni partem ſeruarũt ſibi: inde uerbum reliquare, ab eiſdem frequenter uſurpatũ, ſed & perperam ab interpretibus & lectum & enarratum. Iureconſulti uerba ſunt: Reliquatores uectigalium ad ineundam cõductionem admittendi non ſunt, antequam ſuperiori ſatisfiat conductioni. Reliquationis uocabulum eſt item apud Paulum Digeſtorum uiceſimoſexto: & mox paulo, Debitum quod ex condictione reliquatus eſt, agnouiſſe eum uideri. Interpres tamen inibi, reliquatus eſt, inquit, id eſt retinuit apud ſe. Sed ad rem: niuali tempore ſunt leporibus cubilia, melanchema quæ uocantur. Sunt autem cauitates, in quibus colliquefacta eſt nix, ducta appellatione nigredinis argumento: quoniam operimento niuium agris albicantibus ea portio plane nigreſcat. De leporis timiditate Pollux ita libro quinto ſcriptum reliquit, Δειλία δὲ ἐστὶ φοβεῖσθαι ἔστιν ὃ ζῷον, ἐμπληκτον ἔχουσα γιγνόμενον καὶ ἀναπτόμενον, ὅθεν καὶ πλὼξ ὀνομάζεται, formidine præcellit animal hoc, facile namq; temereq; terretur ac compaueſcit, unde & ptox etiam uocatur: nam πλώσσειν, formidare eſt. Ab aurium uero magnitudine, appellatur λαγὼς: quoniam λα particula, intendendi uim poſſidet, & ὠὸς ὠτὸς, dicitur auris, Doricæ linguæ proprietate. Ea uero parte corporis motum dirigit moderaturq;, tanquam remis: quod in alijs animantibus plerunq; efficit cauda: niſi quis putet ἀπὸ τοῦ λαθεῖν, ὅ ἐστι βλέπειν, quod apertis obdormire oculis conſueuerit. Obſeruatum ueteribus, leporis occurſum in itinere ominoſum quippiam, inauſpicatum atq; improſperum præſagire. Nihilominus quum dicunt Græci, ἐν πᾶσι λαγῴοις, id eſt in omnibus leporibus, intelligi uolunt In carnibus leporum, id eſt in omnifariã bonis ac delicijs. Qua in parte leporum ſchelidas dici legimus, quo nomine ſignari uidentur laterum carnes. At lentiſci fructum, Hippocrates ſchinida uocauit. Mala poemata dici ſchedia interpretatur Feſtus. Apud Athenæum legimus, Ex ſicco cibo ſcommata non produci, neq; item autoſchedia poemata, id eſt repente effuſa. Et quoniã in lepores incidimus, uenemur porrò quæ monumentis prodidere auctores uel in primis claſſici. Lego in Græcorum penu, eius animantis colorem dici epipercnon: quod ſit percne, oliuæ ſpecies non acerbæ quidem, ſed nec nigreſcẽtis omnino. Sunt qui percnon punctis maculisq; nigrioribus interſtinctum accipiãt: nam de Animalibus libro nono Ariſtoteles quoq; quartum aquilarũ genus percnopteron dicit appellatũ, ab alarũ notis. Eius aquilæ meminit Iliados ultimo Homerus. In Plinianis codicibus ſcriptum modo obſeruauimus, percnon dici ab Homero aquilã eam. Scribit Iulius Pollux, leporẽ eſſe δασὺν τὴν τείχωσιν, hoc eſt denſum pilis, καὶ τὰ ὑπὲρ τῶν πόδων, ἀλλ' οὐ μόνα τὰ πρανῆ

λασιωόμλόου, id est nec supina modo pedum, uerũ & prona obtecta pilis esse: quod animalium præterea nulli contingere tradit Aristoteles. Præterea inquit Pollux, cum alij tum uero Cratinus leporem uidentur dasypoda nuncupasse, de animalis natura nomine cõcinnato. Scribit Aelius Lampridius, Varium Antoninum, qui Heliogabalus est nuncupatus, primum triclinia, lectos ac porticus omni florũ genere strauisse, lilijs, uiolis, hiacynthis & narcissis, perq; eos ambulasse: neq; in culcitris, seu accubitis (ut appellant) facile cubuisse, nisi quæ leporinum pilum haberent, aut perdicum plumas subalares. Hoc eo apposui, ut accubitæ uerbum, quid uelit sibi, intelligeremus: quando est id Iureconsultis etiam familiare, pro culcitris & thoralibus. Nam & accubitalia pro stragulis aut stratis legimus quandoq;.

An dasypus simpliciter sit lepus. Plinius defenditur. Leporum genera. Linum. Linaria. Titi imperatoris mors, & Vlyssis. Lepus marinus. Cap. xxx

VErum consurgit parte ista quæstio nobilis, agitata grammaticis, qui sibi uel sagacissimè odorari uidentur, aduersus auctorem summi nominis in nostratium literarum studijs, sine quo non ferè constabit Latina res: Plinium dico, qui non semel dasypoda uidetur à lepore disparare: quum Aristoteles (ut ipsi putant) leporem cum dasypode idem statuat animal, interpunctis (ut sic dicam) nullis prorsus dissitum abiunctumq;. Miratus sum sæpe male feriatorum hominum insolentiam, qui nobilissimo auctori nimis temerè negocium facessunt: nec isto nomine quandoq; erubescant, ut frontem perfricent, etiam si nimis attritam. Equidem fateor ingenuè, nec dissimulanter quicquam reticebo, quamuis nulla etiamnum suppeteret ratio, diu tamẽ inducere animũ nequiui, ut tam grauis doctrinæ uiro insciticæ leuioris maculam paterer inustam. Semperq; latere quippiã, necdum cornicantibus ineptè percognitum, opinabar, prorsumq; mihi in uado res hęrebat. Modo succurrit nobis eius ipsius auctoritas, qua illi maxime niti uidẽtur, abs quo dasypodem à lepore distingui animaduertimus. Differunt præterea animantes (inquit De animalium historijs primo) moribus: nam aliæ mites, remissæ, ac minime peruicaces sunt, ut boues: aliæ animosæ, peruicaces, brutæ omnino, ut sues syluestres: aliæ ingeniosæ ac timidæ, οἷον ἔλαφοι καὶ λαγῶς καὶ λασύπους, ut cerui, lepores, cuniculi: sic enim Theodorus agnoscit & transfert. Atq; dasypoda ibi cuniculum putauit: ne quis protinus mendum subesse in Græco putet exemplari. Duodecimo tamen historiarum Polybius cuniculos appellare Latino uerbo maluit, quum nasci ait animal lepori simile, κωνίκλου καλουμένου. Id (inquit) è longinquo conspectum, lepus uidetur planè, at propinquum differt insigniter. Et quęstionem quidem de dasypode, sicut de thoe & panthere aclyce negligentia quadam antiquis auctoribus ita prętermissam putat Theodorus idem, ut excusari haud facile possint. Quod mihi indicare uidetur, non esse ualde protritam expositionem illam, qua pro lepore dasypodẽ accipiunt. Et qui ex recentioribus Græca transtulit adagia, quum explicaret id, λασύπους κρεῶν ὠθυμεῖ, dasypus carnes desiderat: non ausus & quidem prudenter, dasypum leporem interpretari, intulit, esse de genere leporum: quæ omnia temerariam coarguunt insciticiam. Ego utiq; uel sola philosophi auctoritate fultus nõ crediderim impingendũ Plinio colaphum, eo quidem magis quod moris eius est, quæ eodẽ genere continentur, interdum ita diuidere, ut diuersa prorsum minus perspicaci esse uideantur: quod illum proprietate aliqua naturæ insigni adductum feciisse contenderim. Ecce, uiuerra inter genera mustelarum est, Plinius tamen distinguere libro undecimo uidetur: ita enim scribit, Ossea sunt genitalia lupis, uulpibus, mustelis, uiuerræ. Rursum libro octauo, lutras separauit à fibris: Cauda (inquit) piscium fibris, cætera species lutræ, utrumq; aquaticum, utriq; mollior pluma pilus. At libro triceſimo secundo: Fibrorum (inquit) è genere lutras, nusquam mari accepimus mergi. Idipsum & Aristotelem facere paulo post comprobabimus in aquæ pluuiæ ratione, ubi de mugilibus mentio incidit. Quia tamen de cuniculis & dasypode citra discriminis mentionem quãdoq; agit Plinius, putat omnino ex errore illi perfamiliari Nicolaus Leonicenus, nostri temporis planè coryphæus, contigisse, uelut in caprea & dorcade, uespertilione & nycteride, siluro & glani, passere ac plitta; nam & in-

ter

ter metalla, hydrargyrum ab argento uiuo liquidius per inſcitiam diſparaſſe agnoſcitur. At libro octauo capite uiceſimoſeptimo, fœniculum & maratrum planius diſtinguere uidetur: libro autem uiceſimo capite uiceſimotertio, utroq; nomine idem ſe intellexiſſe interpretatur, eodem loco aduocato, Fœniculũ (inquit) nobilitauere ſerpentes, guſtatu, ut diximus, ſenectam exuendo, oculorumq; aciem ſucco eius reficiendo. Ex quo liquere poteſt, non per errorem omnino hæc pronunciata, uerũ poſteritati parum ab eo parte iſta conſultum. Libro utiq; decimo capite ſexageſimotertio, daſypodem cuniculis ita aſſociat, ut nullatenus pro eodem capi uideantur poſſe: ni generis loco poſitum, ibi daſypoda cõiectemus. Nam & Theodorus libro ſexto De hiſtoriis, capite trigeſimotertio, daſypodas, id eſt lepores coire auerſos interpretatur. Leporum uero eſſe genera plura, Varro quoq; nos docuit, à quo tria legimus celebrari: unum Italicum, primis pedibus humilibus, poſterioribus altis, ſuperiore parte pulla, uentre albo, auribus longis: ſecundum genus Gallicum facit, ſed hoſce candidos putat: tertij ſunt quos producit Hiſpania, ſimiles noſtratibus ex quadam parte, cuniculos uocant. Xenophon quoq; Velociſſimi ſunt (inquit) montani, campeſtres minus, tardiſſimi paluſtres. Et mox paulo: Leporum (inquit) duo ſunt genera: quidam magni ſunt, ſubnigri, multum fronte niteſcentes: alij minores, flaui, parum oſtendentes candoris. Iulius Pollux, lepores quoſdam elymæos uocat, uulpibus non ferè minores & nigricantes, corpore oblongo, albicante macula, prope ſummam caudam longiore. Sunt & qui dicuntur moſchiæ, quorum ſpiritum tanta ui ſentire canes memorãt, ut furere planè credantur. Chelidonios etiam quoſdam dicit Athenæus. Leporem deniq; Græci amoribus ſacrum fabulantur, ducto argumento etiamnum ex etymi ratione: quoniã illorũ lingua, λαγὼς dicatur ἀπὸ τοῦ λαίειν: erotes autem à uerbo ὁρᾶν, utroq; uiſum ſignificante. Vnde forſan prorepſit ſententia, Formoſos fieri diebus aliquot leporina ueſcentes carne: ſuper quo lepidus eſt Martialis iocus:

Quum leporem mittis, ſemper mihi Gellia mandas,
Septem formoſus Marce diebus eris:
Si uerum dicis, ſi uerum Gellia mandas,
Ediſti nunquam Gellia tu leporem.

Quin & in medicam ſcientiam tractantibus libris Plinius, leporino cibo fieri ſomnioſos, Catonis (inquit) ſententia eſt. Tum uulgo etiam perſuaſum, conciliari ex eo corpori gratiam, etiam ſi ioco perquàm friuolo. Deniq; cum Alexander Seuerus imperator quotidie in menſam lepuſculos admitteret, datum uulgo iocandi argumentum, Imperatori ex genere cibi, formæ gratiam comparari. Verſiculis etiamnum lepidè concinnatis, ſi ſenſum ſpectes, non carminis menſum ad examen reuoces:

Pulchrum quod uides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comeſus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hiſce uero ille non inuenuſtè reſpondit, Græcè quidem, ſed in hanc ſententiam,

Pulchrum quod putas eſſe ueſtrum regem,
Vulgari miſerande de fabella,
Si uerum putas, non iraſcor.
Tantum tu comedas uelim lepuſclos,
Vt fias, animi malis repulſis,
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

In hac uero tã fertili leporũ mẽtione ſubſignandũ elegãs apud Græcos uerbũ: nã cum euaſiſſe retiũ anſas leporẽ ſignare uolunt, ἐξελίνυσεν ὁ λαγωὸς dicunt, id eſt lina effugit lepus. Nam linon & uelum indicat, atq; etiã retia. Proinde ab Aſiaticis linaria plerunq; dicũtur. Illud nec relatu indignũ, imperatorẽ Titum ab Domitiano leporis marini peſtifera ui peremptũ, cum eo ſcitante, ἀποθανοῦμαι δὲ πυὰ τρόπου, prædictũ fuiſſet ſatis, moriturũ uidelicet, ſicuti ferẽ deceſſiſſe Vlyſſes, ἐκ πῆς θαλάσσης. Sed is tamẽ trygonis, id eſt paſtinacæ ictu periit. at marini leporis uirulẽtia uſum Neronẽ quoq; accepimus.

Rheginorum

Rheginorum numiſma cum lepore. Inſuper de leporibus uariè obſerua-
ta. Et prouerbij enarratio plenior. Lepores galeati qui ſint. Lagobolium.
Leporis uitā agere quid. Velocitatis ratio. Pyctomachārij. Arenarij. Dul
ciarij. Equitiarij. Mulomedici. Cap. XXXI

PRorò ut ex uiretis diuerſiſſimis præcerpta inſpergamus huic parti, quo flo-
ridius arrideat, adlubeſcantq; legentes, numiſma Rheginorum curru & le-
pore fuiſſe celebre comperimus: quod Pollux ſcribit, hiſtoria inſuper addi-
ta. Sed illud grauius quod Xenophon prodit, leporē palpebris quidē clau-
ſis uigilare, apertis dormire. Ad quod Græcū ſi reſpicere adagium putes, λαγὼς καθεύ-
δων, lepus dormiens: quod in diſſimulatores concinnatur aptiſſimè, plenius quid-
dam & doctius reſipere uidebitur, quàm quod modo affertur. Acie item eſſe minime
acuta multis de cauſis: primum, quia oculis eſt exporrectis, palpebris uero præciſis, &
quæ pupillis munimenta non præbeant: quare uiſus hebes eſt, atq; diffuſus. Ad hæc,
ſomno perdeditum animal eſt, quod uiſui parum conferre creditur. Velocitas quoque
inſigniter obtundere aciem putatur. Nec me fallit, in Sympoſiacis Plutarchum ſcribe-
re, ſenſoriorum excellentia leporem præſtare. Moris præterea ueteribus fuit, ut tenel-
los lepores ſtudioſi uenatores dimitterent, deæ captantes gratiam. Quod ſuperſtitio-
nis eſſe nemo addubitarit: ſicut & illud, Si feram ſe in flumē præcipitare conſpexiſſent,
ne legis præuaricatores fierent, uniuerſam ſoluere uenationem conſueuiſſe. Locum ue
ro in quo lepores uenarentur, λαγωβολεῖον, id eſt lagobolium Græci uocant. Leporē gu
ſtare fas non putant Britanni. Leporis uitam agere, apud Lucianum is dicitur, qui præ
potentes ac facundia claros infans ipſe reformidat aſſiduè. Relatu dignum & illud, ci-
uilium bellorum tonantibus procellis inter Auguſtum Antoniumq;, Cornificiū poe-
tam à militibus deſtitutum interiiſſe, quos ſæpe fugientes galeatos lepores appellarat.
Superpōdium illud fuerit: in cælo item noſcitari leporis ſidus, ſub quo qui nati fuerint,
tanta erunt corporis leuitate, ut quum currere cœperint, uelocitate ſua agitati aues ſu-
perare uideantur, inquit Firmicus. Hunc locum ſi Mars reſpexerit, ſtadiodromos fa-
cit: ſi uero Luna cū Marte, pyctomachārios, ideſt pugiles. Velut harenarij uocātur, qui
in harena decertant in ſpectaculis. At qui dulcia conficiunt aut diſtrahūt, dulciarij: qui
bus perſimiles ſunt qui nuncupātur conditores. Equitiarij, qui equitijs præſunt uel cu
rant, quibus affines uel mulomedici habentur.

De urbium mœnibus Spartanorū ſententia. Inſuper ad eam rem pluſcu-
la. Structurarum ſpecies. Qui diatoni ſeu frontati lapides. Qui pylori, &
qui ticophylaces. Horcanæ, iſodomum, pſeudiſodomū, meſopyrgia, me-
tapyrgia, metorchion, meſaba, oricum, orchos. Mothon lapis. Mothone
ciuitas unde. Mothones qui. Spermologi. Turriū ratio. Mothonica, mo-
tho, mota, priapiſcoton. Terminales lapides. Tranquilli locus de urbe lu-
tea uel lapidea. Tichobates, directarius, turunda, motaria, motophagia,
emmota, pyulca. Emplaſtra barbara, cirrhota, luthea. Emplaſtra bicolora
& bifacia. Cap. XXXII

PAnthœdam Spartanum auctores produnt celeberrimi, cum legationem
obiret in Aſia, oſtentantibus nonnullis præmunitum, latum ac ſublimem
murum, reſpondiſſe, νὴ τοὺς θεούς, ὦ ξένοι, καλὴ γυναικωνίτης, per deos pul-
chra, ô hoſpites, eſt gynæconitis, id eſt mulierum domus. Ad eandem fe-
rè ſententiam uidetur Lycurgus præclarè dixiſſe, οὐκ εἶναι ἀτείχιστον πόλιν,
ἧς οἱ ἄνδρες καὶ οὐ πλίνθοις ἐστεφάνωται, nequaquam ſine mœnibus ciuitatem dici, quæ
uiris, non lateribus præcincta foret. Nam & Ageſilaus ciues oſtendens armatos, τοῦ-
τό ἐστι, ἔφη, τὰ λακεδαιμονίων τείχη, hæc ſunt, inquit, Spartæ mœnia. Idem monſtranti
cuidam murum egregiè ſtructum atq; præaltum, ſcitantiq; an pulchrum ei munimen-
tum uideretur? Pulchrum (inquit) ſi mulieres, nō uiri ſunt inhabitaturi. Et hic quidem
Spartanorum ſenſus erat. Cæterum qui ſcrupuloſius rerum antiquarum monumenta
peruoluerit, profecto compertius ei fiet, urbium mœnia ueteres ſumma religione ſub-
ſtruere conſueſſe: quando non contenti illa excitaſſe altius latiusq;, etiam numinis ali-
cuius

cuius potentiæ consecrata uolebant. Propterea Paulus: Sanctæ quoq; res, inquit, uelut muri & portę quodammodo diuini iuris sunt, quod nulla ratione humana, mortalium res satis à quoquam regi dispensariq; posse uideantur in tanta hominum perfidia, obrepente quandoq; & ciuibus neglectu, aut finitimorum cooriẽte grassanteq; latius inuidia, adeo ut opinari possis, urbem esse ueluti in alto constitutam nauem, assultibus hostium & discriminum uarietati obiectam. Hinc apertior subit coniectatio, fabulosæ uetustati obrepsisse, ut Saturnum rebus humanis solertius consulentem effingeret, olim heroas semideosq; urbium præfecisse curæ, ut illorum protectæ obuallatæq; præsidijs humanos casus reclinarent facilius, quoniam non munimentis modo, sed magis multo deorum indigeamus ope. Argumento est, non mœnia tantum sacra ueteri ritu credita, uerum & libris quoq; cõmendatam tutelariũ deorũ religiosam euocationem, quam certo etiam sacrorũ carmine peragi solitam accepimus, imminente iam urbium prædæ hostico exercitu. In mœnium ratione antiquis, præcipueq; Hetruriæ populis quadratum inuenio, eundemq; uastissimum lapidem fuisse probatũ, nec ab Atheniensibus spretum, auctore Themistocle ad Piræum. Visuntur & uetusta oppida lapide structa prægrandi, incerto & uasto. Nam structurarum quędam reticulata dicitur, quædam antiqua, quæ & incerta. Rimis concipiẽdis obnoxia maxime reticulata creditur, quanquam uenustior. Illud adiecisse nil (puto) obfuerit, isodomum nuncupari, quum omnia coria æqua fuerint crassitudine structa. Pseudisodomum uero, cum impares & inæquales ordines coriorũ diriguntur. Sunt porrò in parietibus lapides, quos uocant frontanos, Græci diatonos dicunt: uelut extentos dicas: nam & tonus productio uocatur musicis, qui perpetua crassitudine utraq; parte religando, parietũ soliditatem confirmant. Terminales autem lapides apud Ammianum Marcellinum sunt, qui in collimitijs constituuntur. Silices asarotici dicuntur ab eruditis de ratione pauimentorum, quæ picturatius elaborata uocantur asarota Plinio. Illa porrò mœnibus excitandis ratio placet, ut in crassitudine perpetua taleæ ex olea ustulatæ quàm frequẽtes instruantur, uti muri frons utraq; hisce taleis uelut fibulata suffrenataq; diuturnam seruet firmitatem. Spatia inter turres mesopyrgia dicunt, sed & metapyrgia: sicut metorchion uocant, quod plantatas interiacet arbores, quarum ordo dicitur orchos. Nam mesaba, id est μεσάβα, iugi uocantur cauitates, ubi iumentorum religantur colla, unde μεσαβοῶ est boues iugare: uerum & animalia item alia, etiam si minus proprie. Mesabum sunt, qui lignum interpretentur inter boues medium. Oricum uero in Creta ciuitate statuit Nicandri interpres, Apollini sacram, & buxo abundantem, unde oricium buxum dixerit Nicander. Metæchmium, quod est inter duos exercitus spatium. Sed & in rebus alijs item ab Athenæo statuitur metæchmium. Et quia lapidum facta mentio est, ac in parerga libenter excurrimus: est item lapis qui mothon dicitur, à quo Peloponnesi ciuitas Mothone adepta nomen est, etiam si à Mothone filia Oenei uolunt alij. Lapis uero is efficere portum etiam creditur, in mare procurrens. Sunt & μόθωνες uilissimi homines. Nam & pueros qui liberos affectantur, ita Lacones uocãt. Spermologos item uiles ac contemptibiles dicunt, ab auicula sic nuncupata, uel quia aliena uictitent quadra. Ion uero poeta, mothonicam dicit Periclis consuetudinem, id est μοθωνικὴν κἀκὶ νωθρότυφον, id est superbam tumidamq;. Auctor in Heliogabalo Lampridius est, Illum ex Dianæ templo in Syriæ Laodicea, lapides qui dicantur Diui, afferre uoluisse. Quia uero in hæc diuertimus, adnotandum quod moriens protulit Augustus, γνίνλω se urbem accepisse, λιθίνλω autem relinquere. Quod ad sustructiones referunt alij, Dion uero πῶς γὰρ ἂν ἀρχῆς ἰσχυρὸν. Præterea motho, id est μώθω, Arabiæ uicus est, in quo Macedo Antigonus ab Zabilo Arabum rege interemptus creditur. Dicitur autem Motho gentium illarum uocabulo πόπω θανάτου, id est mortis locus. Linamenta porrò quæ uulneribus immittuntur μοτὰς uocant Græci, eorũ speciem unam Galenus ψειλοτικωτὸν dicit, ab membri uirilis imagine. Sed & Galeno etiam Therapeutices quinto, in ulcerum curatione uocantur μοτοί. Hæc dicuntur & motaria: meminit libro secundo Dioscorides. Nostri etiam turundas uocant, unde fistulas dici eluxatas competimus, turundam quæ respuunt. Tentam nũcupat plebs item rusticior; motophagiam

appellant

appellari ſacrificium inuenio, quod in Cypria celebraretur Salamine. Sed & pharmaca quædam dici emmota ex claſſicis compertũ auctoribus eſt, in quorum ueniat uſum quandoq; quod Iſis nuncupatur, cerote permixta. Emmotorum meminit ad Glauconem libro ſecundo Galenus: à quo & pyulca nominantur. Sed hæc ſunt omnino, quæ puris attractiua ſunt. Medicamenta uero agglutinantia, quę aſphalto partim conſtant, neſcio quo modo emplaſtra uocant barbara. Sunt & quæ à colore cirrhota nuncupantur, ex lithargyrio & ærugine æris decocta plurimum: ſic enim ærugo rubrum trahit colorem. Quod ſi parum ferueat, emplaſtra fiunt quæ dicuntur luthea. Metallicis medicamentis, ubi ſtatim rubra reponuntur, quædam extrinſecus ſupereminentia obducitur fuſcior, ex qua medicamenti inferior pars plus quàm initio rubere uidetur. Quo ſanè argumento emplaſtra huiuſcemodi bicolora uocant, quidam item bifacia. Sed ad rem. Maieſtatem affert non ſpernendam profundior foſſa, & latior ripis præruptis obuallatiſq; muro. Cuius fuiſſe modi Babyloniam ferunt, latam cubitis regijs quinquaginta, centum uero profundam & amplius. In turribus & decurſorijs mœnium Romæ uidere eſt, opere teſſellato expicta diſtinctaq; pauimenta, necnon obductos cruſtis parietes. Scribit Vitruuius, turres probari rotundas & polygonias, quippe quadratas celerius diſijci machinis diſſipariq;, quod aſſultante ariete, anguli tota comminui facilitate ſoleant. Illud ſuperpondium ſit, portarum cuſtodiæ præfectos dici pyloros, media laxius enunciata, ſicuti (inquit Pollux) qui in mœnibus excubant, uocantur tichophylaces. Nam tichobatem intelligimus, qui muros inſcendit furandi gratia. Hunc etiam directarium Iureconſulti uocant, quia ſe in aliena dirigat cœnacula. Sunt porrò ſepta quædam ſpinis communita, horcanas uocant, ut inquit Euſtathius, ab hercos, quod uallum ſignat.

De Chiorum turpitudine, obiter & Cappadocum. Ephorium quid. Cur dicatur Chios. Dictũ Chij Onomademi. Vini nigri inuentio. Vitium honor in Romanorum ſupplicio. Lucilius cognomento Cædo alterã. Amphisbæna. Chiæ. Idæ. Cap. XXXIII

SCimus Chium eſſe Ioniæ perilluſtrem inſulam, cum eiuſdem nominis ciuitate, nauigationis ambitu ſtadiorum plus minus nongentorum. Chios legimus Spartam ueniſſe quandoq;. Atque inibi inſita Ionibus mollicie, fluxis moribus, animo ſæpius hallucinante, amplius ſeſe inuitaſſe, quumq; mero calentes in Ephorium itaſſent (ſic illi uocant Ephororum curiam, qui ſunt Spartæ, uelut tribuni plebis Romę) illuc producti turpitudinis ſunt, ut turpiter ingeſtum turpius conuomerent. Quin & in magiſtratus eiuſdem curulibus ſellis uentris onera per ſummam fœditatem deiecerunt. Indignum facinus (ut erat) uiſum id Spartiatis prius: proinde ſolicitè anxieq; ſcrutari, quinam fuiſſent eius auctores, mox ubi eſt compertum à Chijs rem peractam, tota detumuit ira protinus, ac reſidente impetu, qui rei indignitate inarſerat amplius, nil aliud quàm Chijs pronunciarunt permitti licenter laſciuire, ut quibus natura inſtitutoq; id foret inſitum. Facti meminit in uaria hiſtoria Aelianus, ſed aliter, quum quia turpitudinem ad Clazomenios reijcit, tum quod οὐ θρόνους, id eſt ſedes fuligine modo, quam ἄσβολον dicunt, litas ſcribit, moxq; publice pronunciatum, τοῦτο δὴ τὸ θαυμαζόμενον ὀβέστω λλαζομενίοις ἀχνμονεῖν. De Chiorum uero turpitudine ac moribus nimio plus improbis facetiſſimum extat diſtichum,

καὶ τόδε δημοδόκε, χῖοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν, ὅς δ' οὔ.
πάντες, πλὴν πρόκλεος, καὶ πρόκλεης δὲ χίος.

Eorum uero carminum hæc eſt ad uerbum ferè tralata ſentẽtia: Et hoc Demodoci eſt, Chij omnes mali, nec hic quidem malus, hic uero minus: præter Proclem, quamuis & Procles Chius. Eiuſdem & falſe concinnatũ legitur alterum, ſed in Cappadocas: quod quamuis obiter ſeſe ingeſſerit, nihilominus appoſui:

καππαδόκλω ποτ' ἔχιδνα κακὴ δάκεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
κάτθανε, γευσαμένη αἵματος ἰοβόλε.

id eſt, Cappadocem uipera mala quandoq; morſu apprehẽdit: ſed interijt & ipſa, quod uenenoſum guſtaſſet ſanguinem. Dici uero Chium uolunt à Chio filia Oceani, uel à

χίονος

χίου ἐκεῖ γινομένης πολλῆς, id eſt niuis multitudine illic facta, aut certè à nympha Chione. Chios inceſſit Ariſtophanes, ut euryproctos, & propterea ad excernendum facilio res. Id latius explicare, operæpretium non cenſui, quod inſit turpitudinis aliquid. Gratius eſt, quod apud Plutarchum obſeruauimus, fuiſſe Chium quempiam, qui magnum uini optimi modum quum diuenderet alijs, ſibi uappam ſolum ſeruabat. Proinde ſeruus, ſcitante quodam, quid rei gerentem reliquiſſet dominum, ἀγαθῶν ἔφη παρόντων, κακὸν ζητοῦντα, id eſt in bonorum affluentia (inquit) quærentem malum. Aliubi fuiſſe Plutarchus idem ſcribit, Onomademum in Chio factionis principem, qui uictoria potitus, diuerſarum partium uiros haudquaquam exigendos cenſuit, ne (inquit) inimicorum liberati metu, cum amicis hoſtiliter congredi incipiamus. Dignũ item ſcitu quod ex Theopompo accepimus: apud Chios uinum primò nigrum eſſe inuentum. Quin eoſdem omnium principes colere uites ab Oenopione didiciſſe. Quibus mox tantus acceſſerit honor, ut etiam in delictis pœnam honorarent, quoniam ueteri de ſupplicijs lege Romana ſancitum, ut ciues non uirgis euerberarentur, ſed uitibus. Quod à Lucio Floro, ac T. Liuio libro quinquageſimoſeptimo, relatum ſcio, & à Scipione Aphricano, qui Numantiã ſuſtulit, ſeruatum. Sed & Lucillium centurionem ioco militari cognominatum Cedo alteram, Tacitus ſcribit, quòd fracta uite in tergo militis, alterã clara uoce, ac rurſus aliam poſcebat. Meminit ſupplicij in Galba Plutarchus. Nam & Macrobius uitem appellat cẽturialem. Martianus Digeſtis De re militari: Si miles, inquit, uitem tenuit, militiam mutat: ſi ex induſtria fregit, uel manum centurioni intulit, capite punietur. Dignum ſcitu ex Græcis obſeruatum: amphisbænam non temerè alio interimi, quàm uite: quod ab Dionyſio creditur præmonſtratum, qui ab Iunone in furorem uerſus, quum eſſet conſopitus, ab amphisbæna excitatus aſſultante, illi palmitẽ incuſſit, peremitq́. Id quod in Ophiaco ſcribit Nicander. In Chiorum porrò lapicidinis, prodidit Carneades, ſaxo diffiſo, caput extitiſſe Paniſci. Sciendum item, chias dici ſerpentum latibula, id eſt χειὰς: uocant & ἑλεούς. Nam feris alijs deſtinata loca idas nuncupant, & napas, ſyluas, montes, thamnos, pholeos, orgadas.

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN LIBROS LECTIONUM antiquarum Lodouici Cælij patrui, ad Iuris utriuſq; doctorem Franciſcum Campagnellam, Præfatio uiceſimaſeptima.



Luries pluribusq; iam ab hinc diebus Lodouici Cælij patrui mei doctrinarum percurrens antiquarium, quàm plurima ab ipſo prima inceptione notata reperiens: epiſtolarum fragmenta, id ipſius intimioris animi muſſitamentum agnoſcere, mihi ipſi uiſus ſum; ut ſibi ipſi affectiorum animos non niſi gratos facere, penſitaret. Atq; ob id Antiquarum lectionum librum ſexdecim uoluminum ſtructura tunc compilatum, diuerſis pro libito particularius inſcriptum dicauit. Quod quum arctiſſimè obſeruare, eius ſanctiſſima incepta proſequutus, tota mente decreuèrim: doctiſſimum eius opus prædictum, Sedecim Voluminum numero laborioſiſſimè adauctum, doctiſſimaq; caſtigatione reformatum, non minus quàm nouum opus ædere meo ipſo genio, multorumq; etiam ſtimulis, celeberrimiq; A. Amolini phyſici ſua doctrinæ amplitudine, morum probitate undiquaq; uenerandi, deſtinatus: ob eorum ſingula, docta affectione nobis iunctorum clientela, donare decreui. teq; Franciſce Campagnella doctor inſignis, præ cæteris doctiſſima literarum farragine, optimè penſiculatorum conſultamentorum amplitudine, bonorum morum ingenua probitate, non minus decorum quàm uenerandum, mihi ipſi omniq; Richeriorum familiæ non tantum iunctiſſimæ affinitatis uinculo, ſed & affectæ beneuolentiæ cumulis ſemper propenſum, Rhodiginæq; uniuerſæ reipublicæ commodum præſtantiſſimum dignoſcens, Viceſimaſeptima huius uoluminis inſcriptione te grauãdum decreui: munus quidem tuæ ipſius magnitudini pauxillum, at mei in te animi gratiorem præ ſe ferens notam. Hoc eo libentiori ſuſcipies animo, quo totã Richeriorum familiam continuè fouens, doctiſſimiq; patrui mei documenta proſequutus, tenuioris mei laris paucitatẽ fouere ne unquam deſtitiſti: idq; ampliſsimæ tuæ mentis obuoluimentorum uaſtitate conſultius aliquando ſegregata diſcurrens lectita bis: idq; non in tuæ perfectionis cumulum, quæ tanta eſt, ut nullo exterius indiguo adminiculo ſeſe claram undiquaque demonſtret: ſed meæ in te obſeruantiæ monimentum aſcribes: meq; Camillum Richerium tibi coniunctiſsima non minus neceſsitudine, quàm ſtrictiſsimo famulitio deuinctum, tua ipſa ingenua bonitate perpetuò, ut ſoles, fouebis. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI SEPTIMVS ET VICESIMVS

Hoſtem minimè ſegnem, ſæpius emolumento eſſe. Cotem noſtram quid dicamus, adagij ſpecie. Carthaginis euerſio. Cap. I



DVERSARIVM fortem ſtrennuumq́, & uirtutis non omnino uulgatæ plerunq; prodeſſe, creditum experimentis eſt. Proinde Lacedæmonij quandoq; quum ui urbem quandã cepiſſent, Ephori qui ſcirent quantum militaris diſciplina metu illius & certaminibus aſsiduis cuſtodita nuſquam eſſet dilapſa, non quidem uictoria efferri cœperunt, ut aſſolet nonnunquam, ſed dicere identidem non dubitarunt, οἴχεται τὸ πάλαισμα τῶν νέων, perijt luctatio iuuentutis. Neq; enim dehinc aduerſarios habebit. Rurſum pollicente rege, urbem quandam funditus euerſurum (nam ea Lacedæmonijs negotia plerunq; exhibuerat) haudquaquam permiſerunt illi, quum diceret, minimè ſub uertendam τὰν ἀκόναν τῶν νέων, id eſt iuuẽtutis cotem. Vnde parœmiæ producitur ſpecies, ut quicquid diſciplinam continet, nec in ſegnitiem dilabi ſinit, cotem eſſe noſtram dicamus, quando (ut ille ait) infirmis animis hoſtis eſt ſecuritas. Quo argumẽto & Scipio Naſica ſeruandam Carthaginem ſubinde prædicabat, ne urbis æmulæ metu ablato, luxuriari Romana felicitas inciperet. Id uerò non perpendens nimium M. Cato perniciali Carthaginis odio flagrans, nepotumq́ ſecuritatis anxius, aſsiduis uociferationibus, denicq́ unius argumento pomi, multarum gentium uictricem urbem, & de terrarũ orbe (ut Plinius inquit) centum uiginti annos Romani imperij æmulam, tertio Punico bello æquandam ſolo curauit. Quod non Trebia, non Thraſymenus, nõ Cannæ buſto inſignes nominis Romani perficere potuere. Quanquam, ut Florus inquit, mediã ſentẽtiam in eo ſenatus tenuiſſe eſt uiſus, ut urbs tantum loco moueretur, quòd nil ſpecioſius uideretur, quàm ſupereſſe Carthaginem, ſed non formidabilem.

Cæleſtis aquæ præſtantia, curq́ eadem computreſcat celerius. Cap. II



Linius Naturalis hiſtoriæ conditor egregius in piſcium explicanda natura, inter pleraq; ſummo ingenio ſummaq́ conquiſita eruditione, ad ſtudioſorumq́ congeſta emolumẽtum, ut paucisſimis horis multa percipere cupientibus liber unus, uelut theſaurus, ſicuti L. Piſo requirebat, affatim præberet argumentum, hæc quoque intulit accuratè. dein modicis imbribus gaudent alunturq́: quippe & harundines, quamuis in palude prognatæ, non tamen ſine imbre adoleſcunt. Et aliàs, ubicunq; piſces in eadem aqua aſsidui, ſi non appluat, exanimantur. Corroborant porrò quæ Latinus auctor prodit, ſummi philoſophi uerba ex octauo De animalium hiſtoria: Piſcium, inquit, genus maxima ex parte annis pluuijs εὐδίωσι, id eſt bene uiuit. Ita enim non modò plus cibi nanciſcitur, uerumetiã omnino pluuio humore iuuatur, ut ea quæ terra gignuntur. holera enim quamuis rigentur, tamen non tantum proficiunt, quantum imbre. Quod ipſum & harundinibus lacu prognatis euenit. Nihil enim ferè accreſcunt, niſi aquæ pluuiatiles accedant. Adde, Auerroem quoq; tractatu ſecundo primæ partis Canticæ, ſuper eo cantico, Aqua pluuialis purior cæteras præcellit, ſic fermè prodere, Aqua pluuia, optima eſt, ac fontanis fluuialibus ue excellentior longe. Palladius, Cæleſtis aqua ad bibendum omnibus ante fertur. Addit Auicenna, eam præcipuè probari quæ æſtiua ſit, & Ioue tonante decuſſa, tenuitatis ratione, ſicuti interpretantur naturalium periti. Quæ quidem attenuatio fit, tum uirtute cæli eleuantis ſurrigentis ue, tum calidæ ſiccæq́ exhalationis intra nubem inflammatæ, unde ſint tonitrua, perrupta nube. Illud obſeruatione dignum, quod ab eodem ſubnectitur Auicẽna, nec præterijt Medicinæ primo Paulus Aegineta, Eſſe quidem præcipuum aquæ pluuiæ humorem, uerum citiſsimè computreſcere, quòd ſit

attenuatus nimium. Proinde celerius in eum agere corrumpendo terreſtrem aereum ue calorem non naturalem. Hauſtum uerò potu humoribus putredinem concinnare, pectus oblædere, uocem hebetare. Putreſcendi tamen cauſas inde proruunt nonnulli, & Paulus præcipuè, quoniam aquæ id genus à diuerſis admodum humiditatibus protollantur, uelut de cadaueribus, paludibus, ut lacus præteream, ſtagna, mare. Quam rationem approbaſſe Galenus uidetur. Sed inquit Auicenna, ſi probari cauſa hæc poſſet, uituperari digna foret cæleſtis aqua. Igitur attenuatio excellenter facta putrefactioni præceleri anſam præbere, uero ſit ſimilius. Vt enim attenuatiſsimum quidq; eſt, ita etiã mutationi obnoxium maximè cenſetur. Statuendum tamen ſic opinantur, qui diſceptantes cupiunt ſententias conciliare, nil prohibere, quin quandoq; cõputreſcat aqua pluuia, quia à tabidis corporibus aquarũ ſecernatur materia. Quod euenit ferè latius graſſante peſtilentiæ ui. Verum ſubnotemus & diuerſitatem alteram, Galenus idem in libro De bonitate aquæ, ſic propémodum ſcriptũ reliquit: Aquas (inquit) pluuias ſcio leuiſsimas eſſe, ſubtiles item ac puras bonasq;: & guſtui prædulces. educit enim ſol, & rapit tenuiſsimum quodq; ex aquis. Vernæ hyemalesq; cenſeri debent præſtantiſsimæ. Sicciores quidem à terra tolluntur uapores æſtate, necnon autumno quoq;. At terroſus (ut ſic dicam) aer eſt, quem deiecta perpurgat pluuia. Propterea id genus aquæ duriores euadant, neceſſe eſt. Τῶν ὑδάτων inquit Hippocrates, κουφότατα τὰ ὄμβρια καὶ γλυκύτατα καὶ λαμπρότατα καὶ λεπτότατα, id eſt ex aquis leuiſsimæ ſunt pluuiæ & dulciſsimæ, atq; item clariſsimæ ac tenuiſsimæ. Ratio autem, inquit idem, ex ſole tenuiſsima quæq; proliciente ac leuiſsima. Cæleſtis aqua, Columella inquit, hinc maximè ſalubris intelligitur, quòd peſtilens alioqui paluſtris humor miteſcit hyeme.

Cæleſtium item aquarum bonitatis ratio. Quid ſit illud, in eundẽ fluuium non poſſe quem bis ingredi. Curranæ imminentem præſagiant pluuiam. Aſtrapææ quæ dicantur, & ceraunіæ aquæ. Cap. III

CAeterum non incurioſus aliquis ſtudiorũ aſſectator, qui nec numerus ſit, aut ex triuio lutum, uel (quod Bœotij dicunt) μήλιον ἡρακλῆς, tanquam pomarium dicas Herculem, cuius eſt apud Pollucẽ ratio, ſed benè doctus καὶ φιλομαθής, euentus eiuſmodi nunquid aliæ proferri rationes & poſsint & ſoleant, haud abſurdè requiret, quando tunc demum ſcire uidemur, ſi cauſa minus nos fugerit, quam ſæpius ſilenter ac facilè haud aſſequare. Quod ergo pluuijs amplius, quàm fluentibus aquis arbores ac ſemina, necnon quos diximus, piſces coaleſcant, Laitus, ſicuti apud Plutarchum legimus adnotatum, inde fieri putabat, quòd plagæ ui terram diducat pluuia, meatusq; ſibi ad radices ſubeundas paret. Sed hoc neutiquam uidetur uerum, id nanq; latuiſſe Laitum uidetur, ſtirpes in ſtagnis exortas & uluas & iuncos augmentum non capere nec fruticare, quum pluuias ſuo tempore non admiſere. Verius ergo cenſebitur forſan quod ait Ariſtoteles, recentem & nouam uideri aquam pluuiam, ἑωλον δὲ καὶ παλαιὸν τὸ λιμναῖον, id eſt ſtagneam ueterem & olim datam cõputreſcentemq;. An & hoc probabilius eſt, quàm uerius? Nam τὰ πηγαῖα καὶ ποτάμια νάματα πρόσφατα μὲν ὄντι καὶ νεόγνῶ, id eſt fontani fluuiatilesq; fluxus recentes ſunt & noui: ex quo Heracletus dixit ποταμοῖς γὰρ τοῖς αὐτοῖς οἷς οὐκ ἂν ἐμβαίης, id eſt in eundem fluuium non uticq; bis ingredereris, alia quippe ſubinde influit aqua. Attamen ij alunt pluuijs deterius. Nunquid ergo, inquit Plutarchus, quia leuior quæ ex aere aqua deſcendit? protolli quippe non queat, ni mirè ſit leuis. Proinde flatu remixta, aeriſq; leuitate referta demigrat momento, inſinuaturq; in ſtirpes, διὸ καὶ πομφόλυγας ποιεῖ τῇ ἀναμίξεται ἀέρι, id eſt, ideoq; bullas excitat, aere promixto. Bonitati huius aquæ aſtipulari ranæ uidentur etiamnum, dum uocem præ lætitia exhilarant, pluuiæ ſuauitatem expectantes. Ingruentium quippe aquarum certius præſagium exhibẽt ranæ præter ſolitum uocales. Quod Aratus, Plinius, Maro quoq; noſter prodidere. Putat porrò idem Plutarchus ex pluuijs aquis quod præſtruximus, eas rigando aptiores cenſeri, quæ tonitru & fulmine aere concuſſo impluant, quas etiam à re (opinor) ἀστραπαίας, id eſt aſtrapæas uocant & ceraunias, Paulus etiam βροντίαιας. nam eſt aſtrape uentorum ui nubium attritarum uel ruptarum inflammatio. Ceraunum uerò dici fulmen, ſciunt omnes.

Quibus nocumento ſit cæleſtis aqua. De ceſtreo, ſeu mugile, & cephalo plura. Ceſtrũ quid. Ceſtra, uiriculũ, ceſtus. Blennodes quid. Repetita Plinij defenſio. Cephalinus, ſphondylos, blæpſia, plotes, ceſtros. Cap. IIII



VOd uerò initio diximus, imbres compluribus piſcium conducere, ſciendum eſt, ceſtreo, cephalo, & quem nonnulli myrinum uocant, adeo obeſſe ut ex illis multi excæcentur facilè, præſertim ſi modum aqua exceſſerit. Solent enim cephali, ſiue capitones per hyemem potius ita affici. Nam oculi eorũ albeſcunt, & macilenti per id tempus capiuntur, ad extremumq́ malo eodem intereunt. Quod tamen non magis imbrium copia, quàm algore accidere uidetur. Ceſtreus (ut iam in alia excurramus, & Scytharum more ad copioſum ſemper reflectamus pabulum, præcipuè, quoniam eſſe iucundam rerum uiciſſitudinem nouimus) eſt piſcis, quem Latini mugilem uocant, ita nuncupatus, quia teli modò publica Athenienſium pœna intret adulteros. Eſt enim miſſilis genus ceſtron, quod noſtri uiri culum uocant. Ceſtron inuentum Sudas arbitratur Perſico bello. Nam Sophocles ceſtran dixit pro ſtimulo, ſiue ſtilo, ut Pollux auctor eſt. Ariſtophanis interpres ſuper eo poetæ uerſiculo,

κεσρᾶν τεμάχη μεγάλαν ἀγαθᾶν.

Sciendum, inquit, non eſſe piſces eoſdem ceſtreos ceſtreasq́. Sic enim aliqui murenas uocari putant, alij aliud piſcium genus. Sed ceſtreos (inquit) cephalos nunc uocamus. Idem ferè ad uerbum Sudas. Athenæus uerò ſphyrenam, inquit, piſcem Attici ceſtram uocant: Latini ſudin, quia roſtratus ſit, ac ſimilis belonæ. Eſt enim belona piſcis, quem acum, ſiue aciculam dicimus. Ex noſtris tamen ſunt, ne quid diſſimulem, qui mugilem dici à Græcis cephalum, tradant: quòd in metu (ut Plinius inquit, & antea de cephalo dixerat Ariſtoteles) capite occultato, latere ſe putet totum. Ariſtoteles tamen diſparauit, & ita agnoſcit Theodorus, cephalum Latinè capitonem uocando, libro De hiſtoriis quinto, ubi ceſtreum cephalumq́ nominari inuenies, ut diuerſos. Sed & libro octauo, ἁλιηλοφαγοῦσι δὲ πάντες μὲν, πλὴν κεσρέως. ὁ δὲ κεφαλὸς, καὶ ὁ κεσρὸς ὅλως μόνοι οὐ σαρκοφαγοῦσι, alter etiam alterum ſui generis edit, excepto mugile: capito & mugil ſoli omnino carne abſtinent. Et ſubiungitur ab Ariſtotele ratio: Eius (inquit) rei argumentum eſt, quòd neq́ in uentre tale quid unquam habentes capiũtur, neq́ eſca in eos ex carne utimur, ἀλλὰ μάζῃ, hoc eſt offa panis. Veſcitur unuſquiſq́ mugil, alga & harena. Cephalus, quem uocant aliqui χειλῶνα, ideſt labeonem, littoribus gaudet. Alter, generis eiuſdem peræas, hoc eſt translittoranus eſt, qui non niſi mucore ueſcitur ſuo. Quamobrem ſemper ieiunus eſt. Paſcuntur limo cephali omnes, διὰ βαρᾶς καὶ βλωνώδεας εἶναι, quo fit, ut graues ſint & ſordidi. Et Pauſanias τυλαίους uocat, id eſt cœnoſos, & fluuios amare turbulentiores, id eſt βολβωτρόφους. Piſcem omnino nullum edunt. Guloſus omnium maximè mugil eſt, atq́ inſatiabilis. Quo circa uentre diſtento graueſcit: & ni ieiunus ſit, hæret iners. Hæc copioſius ſum perſequutus, ut Græco prouerbio lucem inferremus, κεσρεὺς νηστεύει, mugil ieiunus eſt. Quod promi in eos uolunt, quibus iuſtitia bonitasq́ parum uel nil omnino affert emolumenti, quando iuſtiſſimus uidetur piſcis hic, dum parcit aliis, & inde famelicus uiſitur ſemper, etiam ſi de iuſtis intelligendum ſimpliciter Athenæus putat. Mihi uidetur & gulonibus adagium id congruere, quorum animus in patinis ſemper eſt, nec æſtuans gula expleri ualet, quamuis ubertim terras populetur, & maria. Id quod innuere idem uidetur Athenæus: nam & κεσρᾶς, id eſt mugiles, uocant hiantes fameſcentesq́. Sed, ut denicq́ tollatur ambiguitas omnis, ſcire conuenit, cephalum eſſe inter genera mugilum. Id ut uerum ſcias, Ariſtotelis uerba tralata appoſui ex libro De hiſtoriis quinto: Mugilum (inquit) labeones, ſagi, myzones, id eſt mucones, cephali, ſiue capitones graueſcere menſe Decembri incipiunt, geruntq́ diebus tricenis. Mugiles aliquos non coitu, ſed limo, harena'ue enaſci conſtat. In hæc diuertiſſe collibuit, ut ij denique reſipiſcerent, qui Plinio negotium faceſſunt in daſipodis leporiſcq́ diſtinctione. Quæ mira uideri non debuit, quum in animantibus, quarum non una ſpecies eſt, idipſum & ſummus philoſophus facere pernoſcatur. Penè exciderat quod relatu uel digniſsimũ fuit, & adiuuat quæ præſtruximus.

Scribit Oppianus ἁλιευτικῶν primo, cephalos ceſtreosq; eſſe δικαιόπορφυρόν ἀμφιτρίτης, id eſt amphitrites iuſtiſſimum genus. Quem locum enarrans expoſitor, Iuſti (inquit) uocantur, quoniam quum piſces cæteri carniuori ferè ſint, nec cętero abſtineant piſcitio, ſoli omnium hi carnibus haudquaquam admouentur. Apud eundem interpretem ſic comperi: notandum, inquit, quòd thynnus quidem piſcis eſt, λευκὸς δέ, id eſt ceſtus autem eſt melanthynnus, id ualet, nigricans thynnus. At echinus qui in ceſtrei capite conuiſitur, ſphondylos nuncupatur. Eſt & cephalinus piſcis, ſed à cephalo diuerſus, quem etiam blæpſiam dicunt. Ceſtrei uerò, plotes quoq; nuncupātur: nam ſic eos appellat Epicharmus, id eſt πλῶτος. Ceſtros item herba eſt, in Gallijs proueniens, quā etiam ſarxiphagon nuncupant.

Aquarum laus præcipua. Horatij locus explicatur. Chaos quid, & unde. Iuriſiurandi per Stygiam paludē ratio. Amymoniæ aquæ. Aquariæ libræ, item dioptræ, & chorobatæ. Libratores qui. Aquę hauſtu cōcipi apud Clarium Apollinem uaticinia. Cap. v

VErum, ut ad aquā regrediamur, & in uniuerſum aliquid promamus, eius utilitates longè uidentur ignem præſtare: quoniam multa ſint animalia, quæ abſq; ignis degant uſu, degere autem ſine aqua nullum. Quippe ſi fuerint ſine humoris poteſtate, exſanguinata exſuctaq; à principiorū liquore interarescunt. Quin nec plantas ipſas aut herbas floreſcere citra aquæ humectationē. Qua ex cauſa Pindarum rectiſſimè opinantur dixiſſe, ἄριστον μὲν ὕδωρ, id eſt optima quidē aqua. Quanquam non deſunt, qui Heſiodum in Theogonia putēt, aquam ſtatuiſſe rerum initium, & Chaos nominaſſe, ὡς ἀπὸ μὲν χάους, χυτὸν γὰρ καὶ ῥευτὸν τὸ ὕδωρ, id eſt uelut ab effuſione, ſiquidē fuſilis fluibilisq; ac fluitans aqua eſt: unde prodierit & Mileſii Thaletis opinio, & Pindarus ita ſibi laudare aquam permiſerit. Affertur & illud: creditum ueteribus, deos per Stygiam paludem iuſiurandum concipere, uel quia à dijs & hominibus odio habentur, qui ad deiurium procliuiores ſunt, uel quia iuxta Heſiodum, omnibus elementis antiquior eſt aqua. Primo Rhetorico Ariſtoteles, de multiplici uſu eius elementi prodijſſe Pindaricum illud, opinatur. Porrò quum aquarum infinitæ propémodum utilitates ſint, gratiſsimæq;, qui ſacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, oſtendunt res omneis è liquoris poteſtate conſiſtere. Itaq; quum hydria ad templum caſta religione defertur, tunc in terram procumbentes, manibus ad cælum ſublatis diuinæ gratias agunt bonitati. Ex ijs eſſe arbitror quod Seneca ſcribit, Magnorum fluminum capita ueneramur. Subita & ex abdito uaſti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes & ſtagna, quæ uel opacitas uel immenſa altitudo ſacrauit. Et Tacitus ſcribit, Sacra & lucos & aras patrijs amnibus dicari conſueſſe. Hinc & Horatianum illud ex primo Carminum,

Nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Sed & in Ergis præcipit Heſiodus, Non eſſe fluuium perennē pedibus tranſeundum, niſi prius affuſis precibus. Id eo dici, tradit Proclus, quòd opinarentur ueteres, Omnē quidem aquarum naturam, ut quæ alendi augumentandiq; uim poſsideat, ſacram eſſe dijs, quos ζωγόνους uocant. Præcipuè uerò perennes fluuios putaſſe diuinos, quia indeficientem æternamq; deorum ſubſtantiam imitentur. Quin & poteſtates præfici diuinas, interpretabantur. Nec me fallit, Ioannem Grammaticum illud Heſiodicum arbitrari allegoricè intelligendum: nam fluuij nomine uxorem putat accipiendam perpetuò habitantem cum uiro. Monere autem poetam, uxori non congrediendum ante fuſas dijs preces, ut ſeminis profuſioni adſit deus uolens & propitius, quam uocat καλλίῤῥοον ὕδωρ, ὡς καθαρὰν καὶ νόμιμον, id eſt puram legitimamq;. Amymonias aquas ſi cubi legeris, intellige Argiuas: quoniā Amymones obretitus amoribus Neptunus fontes aperuit Lernæos. Vnde aquis abundare contigit Argiuis. Etiam ſi ad Danaidas referunt alij, quæ ab Aegypto profectæ phreorychiam docuerint, id eſt puteorum artem perfodiēdorum. Aquarias libras dioptrasq; alicubi inuenies, ſicuti chorobaten quoq;. Ea uerò inſtrumenta ſunt aquarum dicata librationibus, ubi perducendæ ad mœnia ſunt. Libratores autē apud Tacitum, ſunt uibrandis telis milites deſtinati: apud Frontinum

num, qui aquas librant ad libellam. De aquarum præſtantia ſic apud Græcos comperio, εἶν ἄριστον ὕδωρ ἀκριότατον καὶ ἥκιστα γλύσιν ἢ κατ' ὀσμὴν, id eſt eſſe optimam ex aquis, quæ citra ullam ſit qualitatẽ uel ſaporis uel odoris. Sed quæ mox hypochondria tranſmittant, illæ uero incomparabilis ſunt excellentiæ: nam quæ illis immorãtur, ac inflant uentrem grauantq́, cenſentur non bonæ. Ad laudem deniq; aquarum forſan ſpectat illud quoque: nam apud Apollinem Clarium, ubi non fœmina, uti apud Delphos, ſed certis è familijs, & fermè Mileto accitus ſacerdos in ſpecum degreſſus, hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerunque literarum & carminum, ædit reſponſa, uerſibus ad id quod mente conceperis, mirè concinnatis. Quem & Germanico per ambages maturũ ferunt exitiũ cecinisſe, meminit in Cœnis Macrobius, ſed obſcurè. Adijcit Plinius bibentium fieri æuum breuius.

Niloticæ aquæ laus præcipua. Cur Nilus dicat Iupiter, & Saturnius. Molpis Eleus. Chomata Nili, & diacopi. Commatica. Comæ. Halmones qui ſint. Quæ ſit fluminum & aquarum probatio. Decocta quid. Plinij defenſio aduerſus Merulam. Dęra. Apollo Diradiotes. Syrembolum. Sarabaitæ ſacerdotes. Sarabara. Sarabadena oraria. Aquai legendum apud Quintilianum & Virgilium Aeneidos ſeptimo. Interim de Ioue pluuio, & terræ ſimulacro. Cochos. Limbatæ chlamides. Singiliones. Alphei tranſitus ad Arethuſam Sarambus. Deductoria. Cap. VI

SEd enim in medicinæ ratione fluuialis aqua & paluſtris damnatur, præter Niliacam: ea nanq; cunctis inſignita uirtutibus creditur, hauſtu ſuauis, mediocrem in aluo moram ducens: ſitim porrò reſtinguit commodè, nec frigida quidem ullum inferens nocumentum. Præclara in eo Galeni ſententia eſt: Nilum (inquit) ita laudo, ut bonitatis excellentia paucis admodum comparari fluminibus poſſit, nam & mulierum partionem inſigniter adiuuat. Ex eo præterea in Aegypto ſolæ omnium paluſtres aquæ redduntur commodiores, quando æſtate nec computreſcant omnino. Seneca in Naturæ quæſtionibus: Pleraq; ſunt, inquit, ratio quorum reddi non poteſt, ut cur aqua Nilotica fœcundiores faciat fœminas, adeo ut quarundam uiſcera longiore precluſa ſterilitate ad conceptum relaxauerit. At uiſum Oneſicrito eſt, Proprietatum in animalibus cauſam ex aquis promi, pecorum argumento, quæ hauſtu colorem demutent. Auicenna primo Canonis, quatuor ex cauſis Nilo incomparabilem bonitatis uim ſcribit attributã: quarum primam ſtatuit, à curſus longitudine: ſecundam, regionis aſcribit nitori ac præſtãtiæ, per quam fit aquarum delapſus: tertiam putat, quòd à meridie in ſeptentrionem deferantur, ſic enim attenuari amplius: poſtremò, & immenſam ſuffragari fluminis molem. Ariſtoteles etiamnum poſtea quàm fœcundiſsimum dixit Nilum, & alendi facultate inſignem, moderatæ ſolis decoctioni id acceptũ retulit. Inuenio præterea Iouis uice fuiſſe Aegyptijs Nilum: unde illud apud Byzantium poetam Parmenonem, ut ſcribit Athenæus, ἀιγύπτιε Ζεὺς νάλε, id eſt Iupiter Aegypti Nile: quoniam certis anni temporibus ſuperfuſus ripis imbrium modò miram campis fertilitatem inferat. Propterea de Nilo Tibullus,

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Nam & Athenis terræ fuiſſe ſimulacrũ, Pauſaniæ credimus, ſuppliciter à Ioue pluuiam comprecantis, quem uocant ὄμβριον, id eſt imbridum, cuius in monte Hymetto uiſeba tur ara: ſicut & ſimulacrum, quod Iouis diceretur Hymettij. Sed & in Parnethe Ioui ſacra fiebant, quem nunc ὄμβριον uocarent, nunc ἀπήμιον. Sed ὄμβριον uocant item ὕετιον. Creditur & Pindarus inde Saturnium appellaſſe Nilum, tanquam & ipſe Iouis innuens cognomentum: quoniam antiſtrophos, ut diximus, Ioui ſit Nilus, & imbriũ cenſeatur analogon eiuſdem aqua, ſicuti interpretes Pindarici doctiſſimè interpretãtur ac monent, ubi in Pythijs ait Pindarus,

νείλοιο πρὸς ὠίον πέμπω ἱερονίκαν.

Verum ad Iouem pluuium pertinet hiſtoria nobilis qua legimus, apud Elidem ſubſtructum eo templum cognomine, ubi ſiccitate nimia ſqualentibus agris reddito reſpõſo,

fore ut deſineret malum, ſi generoſus immolaretur iuuenis ſummo loco natus. Molpis ſponte Ioui ſe mactandum obtulit. Eius uero uiſebatur in templo ſtatua, uirtutis monumentum inſigne. Nilum præterea ſunt, qui Tritonem ab Lycophrone appellatum opinentur de nomenclatura tertia: primum enim Oceanus dicebatur, mox Aegyptus, tertiò Nilus. Dicitur inde & chryſorrhoas Nilus, quaſi auro fluēs. Ex quo & graues in eos qui chomata Nili ruperint, uel uiolarint omnino, ſanciuntur pœnæ. Sunt autem eo nomine aggeres (ſic enim Græcè pronuntiatur χῶμα) atque ita ſcribendum apud Iureconſultos Digeſtis De extraordinarijs criminibus, ubi etiam aggerum nominātur diacopi: quo uerbo intelligi ſciſſuræ uidentur. Commatica uero pronuntiatio apud grammaticos aliud eſt, dicta ſic, uelut inciſa: cuius exemplum eſt apud Papinium,

Vbi iſte fragor? ni fallimur aure. Sed unde
Puluereo ſtant aſtra globo? num Iſmenius ultrò
Miles? ita eſt, ueniunt. Tanta eſt' ne audacia Thebis?
An dubitent?

Comas uero, id eſt λώμας, pagos Græci uocant, qui in Orchomeno quandoq; halmones, id eſt ἁλμῶνες, ſint nuncupati, ab Halmo Siſyphi filio, cui regionis partem haud ita magnam conceſſiſſet incolendam Orchomenius Eteocles. Inde natum, ut eſſe uicum quendam Halmonas, prodiderint multi. Sed à diuerticulo fabulam repeto. Reliquorū aquæ fluminum difficiles cenſentur, arefaciendo, ac ſitim amplius accendendo, præſertim ſi regionum adſit malignitas, nec aer admodum accōmodus, quod adnotauit Dioſcorides. Auicenna eam item probat, quæ exortum petat, præcipuè æſtiuum, ſemperq; bonitate proficere, dum à fonte diſcluſa abit longius. Secundæ uero notæ putat, quę in ſeptentrionem profluat. Hanc Aegineta Paulus nō probat ſatis, quoniam ſit ὕδωρ βραδὺ πορευτὸν καὶ ἀτόρμενον, id eſt inceſſu tarda duraq; aqua: rurſum incaleſcere tardius, ac frigeſcere. Cui diuerſum faciat ortū petens. Improbantur omnino in occaſum meridiem' ue delabentes, præcipuè meridionali aſſiliente afflatu. De ijs plura item Galenus. Putearias quoque nec ſatis probas præ fontanis arbitratur Auicenna, quòd terroſæ plurimum ſint, ut quæ in arcto contineantur occluſæ. Porrò ineſſe & putreſcentis materiæ quippiā, neceſſe eſt, illuc ſolis radio minus pertingente, nec prorſum perflatu ullo, uapores corruptioni obuios detergente. Auctor cum Paulo Galenus eſt, unam eſſe bonarum & malarum aquarum cognitionem, ſi hyeme quidem calent, frigent uero æſtate: deinde ſi puræ ſunt, nec colore oblæſo uitiato'ue, & ſi mala nequaquam fuerit hypoſtaſis: item ſi leues ſint, quando terræ promixtionē coarguit pondus. Conſideratur præterea, incaleſcant'ne ſtatim, frigeſcant'ue, huiuſmodi enim præſtare. Cæterū de ijs plura item architecturæ octauo Vitruuius. Auctor denique Plinius eſt, Neronis principis inuentum eſſe, aquam decoquere, uitroq; demiſſam in niues refrigerare. Sunt qui decoctæ mentionem apud Græcos ſe cōperiſſe ieiunè nimis iactitent: nam quum afferri decoctam, iuſsiſſet Cynulcus, non tulit Vlpianus, ac illum increpuit, quòd Romano uerbo ac barbaro uſus foret. Porrò Eupolidis affertur uerſiculus, quo ahenum calefieri iubetur ad aquæ hauſtum, id ipſum apud Antiphanem comperias. Quin & primo De republica Plato, calidæ aquæ commeminit, qua refrigerentur inteſtina, & excitetur appetentia quum ſitim iritet frigida. Approbat calidæ potum & Philemon. Sed & hiſtoria prima Herodotus ſcribit, decoctam ex choaſpe aquam ſemper habuiſſe ſecum Perſarum regem, quocunque pergeret. Sunt hæc quidem uera propémodum ex Athenæi ferè libro tertio repetita: etiam ſi hic omnium mordaciſsimus auctoris ſupprimat nomen. Verum obſecro uos docti omnes, quibus hic eſt uelut uomica purulentior, quid hic contra Plinium? Noctuinis oculis homo male feriatus in magna debacchatur nomina, uirulentiæ innutritus, cuius uelut ſerpentis atrior uibrat lingua. Taurcam aquam ab Sophocle nominari, ſcribit Athenæus idem, ab Tauro, qui ſit prope Trœzena fluuius, ubi uiſatur & fons Hyoeſſa. Tradit hiſtoricus Dion, Claudium Cæſarem cauponas in quas poturi diuerterent, ſoluiſſe, ac cauiſſe item, ne caro diſtraheretur cocta, uel calens aqua. Illud neutiquam tranſiluerim quod Aelius ſcribit Dionyſius: dæram nuncupari humectam ſubſtantiam, ab ijs qui teletas curant & myſteria. Deras autē, id eſt

Δηρὰς

Ἄργος, regio eſt Argiua, ubi Apollo colitur Λυκοκτόνος, in cuius ſacrificijs agno noctu immolato quot menſibus & ſanguine guſtato, puella κάτοχος ἐκ τοῦ θεοῦ γίνεται, id eſt, afflatum ſentit numinis, uaticinaturq́. Syrembola denique in obſidionibus fiſtulas uocant, quibus exquiritur aqua: nam ſyrinx fiſtula eſt, & embolum altera eſt compoſitionis pars. Sarabaitæ ad præſens inſtitutum nil magnopere faciunt. Qui ſint, enarrabitur nihilominus doctrinæ gratia uberioris. Sunt enim eo nomine in Aegypto ſacerdotes, in ſaxorum cauitatibus ferè habitãtes, ſuillis ac bubulis circumamicti exuuijs, funibus zonarum præcincti loco, pedibus nudis, cruore conſperſi, ubi Scenopegiorum ingruit celebritas, è cauernis ſe promentes, Hieroſolymam petunt, ac templum adeuntes inopiam & abſtinentiam oſtentui habent, ingerunt omnibus, barbam ſibi etiamnum acriter uellentes, ut ſpectent iſta uniuerſi, & uelut cælitus demiſſos homines opinentur ſuſpiciantq́, etiam ſi intercutibus nunquam nõ uitijs madent. Propterea non eſſe imitandos, præcipit Auguſtinus, & commeminit facundus ſcriptor Hieronymus. Sarabara porrò Perſicum fuit indumentum. Sarabadena quoque oraria legimus alicubi: nam & Pollio Trebellius inquit, Bardocuculum unum, cucutia uilloſa duo, oraria ſarabadena quatuor: nec tacentur eidem chlamydes ueri luminis limbatæ, ſingiliones Dalmatenſes, penula Illyriciana. Apud Græcos præſertim comicos, ſarabon inuenimus pro muliebri pudendo, quod & ſactan uocant: ſed & ſambyton, & ſelenon, id eſt σέλινον, ac taurum. Sunt ex Græcis qui ſarabara Parthis eſſe crurum putant operimenta, quæ ipſi σκελικὰς nuncupent. Sarambus Athenæo fuit illuſtris caupo. In hac denicq́ tam multa aquarum mentione, ſciendum, Pauſaniam auctorem nobilem Alphei tranſitum ad Arethuſam facile comprobare, Nili argumento, qui paludem ingreſſus emergat, perinde ac è terra. Quod ipſum & in Iudæa faciat Iordanis. Adduci autem ſe potiſſimũ Apollinis Delphici oraculo ſcribit, à quo ita ſit æditum,

ὀρτυγίη τὶς κεῖται ὑπ' ἀκροϊὸ Δ' εἰπόντω
σειναχίης καθύπερθεν, ἵν' ἀλφεῖὸ ῥόμα βλύζῃ,
μισγομένης ὑγρῆσι καὶ ἀρεθόσης.

Nec illud neglexero, Virgilianum carmen ex ſeptimo Aeneidos ſic ab eruditioribus legi ſolere: id quod diobolares grammatici, ne ſuſpicati quidem unquam ſunt,

Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli,
Ira ſuper magno ueluti quum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni,
Exultantq́ æſtu latices, furit intus aquai
Fumidus atq́ altè ſpumis exuberat amnis.

Cui ſanè lectioni, ut plauſibili, in codicibus ſynceris ſuffragetur Seruius quoque, diæreſin eſſe inibi factam, teſtatus. Suffragetur Cornutus item Perſianus interpres, poetæ uerſu aduocato. Hunc porrò eſſe locum à Quintiliano ſignificatum, ubi libro Oratoriarum inſtitutionum primo ita ſcribit, unde pictai & aquai Virgilius amãtiſſimus uetuſtatis, carmini inſeruit. Quãquam modò legitur aulai in peruulgatis Fabij uoluminibus. Porrò exundantem aquarum defluxum per onomatopœiam Græci cochon uocant: unde κοχέσκε apud Theocritum in Pharmaceutria, pro decurrebat, deferebaturq́, ac ubertim fluebat. Apud Latinos deductoria liquoris uocantur, quibus uacans redundansq́ humor effluit.

Cur animantibus ſomnia ſint data: item ſomniandi cauſæ: quæ ſomnia liceat coniectare. Cap. VII

SOmniorum uanitatem tum ratione, tum experimẽtis coargui à multis, palàm eſt. Nec defuerint tamen, qui ediuerſo ratione ac experimentis item præſagiorum inde miram comprobent ueritatem. Prius uero quàm altiora cõtingamus, ſuccurrit, promẽdum hac parte, cúr nam credamus contributa eſſe ſomnia. Et ratio quidem illa pleriſque eruditorum egregie arriſit. Mentem utique per diem ueris auocari uiſionibus, ne obdormiat: noctu uero falſis, ne excitari celerius queat. Quòd ſi nullæ omnino ſeſe imagines ingerant, aut uigilare illam neceſſe erit, aut perpetua ſopiri morte. Proinde dormitionis ratione ſomniorum

inuolucra esse ab optimo maximo deo impertita, fatendum arbitrantur, quum uniuersim, tum uel homini in primis, quòd præter quietis propositum, etiam futurorum prædictiones in eis sepositerit sibi: nam ueridico præsagio multis fuisse per somnum oblatas species, argumento esse historia potest. Sed & nostrorum uatum responsa, euentu admirabili, ex parte fuisse somnia, compertissimũ est. Verum quæ falsa sunt, obrepunt modò soporis causa. Illa, ut ex diuinæ potestatis magnitudine ingruens bonum uel malum præripiamus. Propterea Actuum apostolicorũ secundo, Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabũt. Solutus, inquit Ammianus Marcellinus, corporeis nexibus animus semper uigens motibus indefessis, & cogitationibus subiectus & curis, quæ mortalium solicitant mentes, colligit uisa nocturna, quas phantasias nos appellamus. Cęterum, quo ista constent exploratius, ex theologicis patrum nostrorum sanctarijs uideor aucupatus, uniuersim quidem somniorũ causas esse duas: earum intima una est, extima uero altera. Sed & intima item duplex: ac est una quidem, fortuitus in quiete phantasmatum motus: hic præsagit omnino nihil, & eiusmodi ferè somniorum plurima sunt. Ideo Ecclesiastæ quinto scriptum inuenias, Vbi multa sunt somnia, ibi plurimæ uanitates. Altera uero ex corporis affectione est. Nam & frigidioris naturæ homines, glacie sibi plerũq; aut niuibus uidentur adobruti. Quippe affectioni eiusmodi phantasmata conformari, palàm est. Propterea medicorũ scientissimi, quod Aristotelicum est ex libro De somno & uigilia, somnijs peruigilatè intendendum, asseuerarunt. Sed & calculum adijcit Magnus Albertus, eius quoq; exemplo subiecto, qui per quietem in pectus sibi atriorem arbitrabatur affundi picem, moxq; illucescente die, bilem reiectauit atram & uticq; copiosiorem. Itaq; indidem posse uel sanitatis uel morbi uaticinia concipi, propè certa est coniectatio. Verum causa somniorum extima duplex animaduertit & ipsa, corporea spiritalisq;. Ex quibus illa quidem ex cælestibus profluit corporibus, & ex ambeunte nos aere. Sicuti enim illis influentibus, in corporali materia formæ producuntur diuersæ, ut plantarum & metallicorum & id genus complurium, sic & uirtute eadem in potentia phãtastica, quæ organica est, phantasmata promi effingiq; ualent, cælesti consentanea dispositioni, effectui cuipiam producendo. Ac propterea id quoque genus somnia ueritatis opinionẽ sibi facile conciliant. Atqui inferat aliquis, & uigilãtibus adsunt corporis illæ ipsæ affectiones, agunt & cælestia corpora, ac continens aer. Agunt quidem, uerum auocamentis rerum multiplicium, curarumq; nunquam nõ perurgentiũ, obseruantur minus phantasticæ potestatis motus, immo uero & præpediũtur. Causa porrò extima item ac spiritalis ex deo est, quæ & bona dicitur. Sed & hæc bifaria est, siquidem uni quandoque imaginaria modò ingeritur uisio, alteri uero eiusdem intellectus. Nam & Pharaoni prępinguiũ boum oblata species est, atque item macie confectarum: quam is tamen coniectare non ualuit: ualuit autem Ioseph. Nec inficiandum tamen, alicui sæpe contingere utrunque, sicut Danieli. Altera spiritalis ratio, & eadem mala, dæmonum commercio infamis est, & magica insignitior uanitate. Ex ijs porrò ita contextis, liquere illustrius potest, quæ demum somnia explicare cõiectura liceat, & quæ minus. Sed nec Eustathij prætereunda sententia est, qui super eo Homeri uersu,

καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

Somnia, inquit, quæ ex deo sunt, Διοπέμπτα uocant, uelut ex Ioue missa. Quin et huiusmodi somnia propriè dicuntur, id est ὄνειροι: appellãtur & θέαι ὀμφαί, id est diuinæ uoces: quia φαίνουσι τὸ ὄν, hoc est uerum indicant. Proinde ab eodem dicitur somnium Διὸς ἄγγελος, id est Iouis nuntius.

Quid prophetia proprie, necnon prophetiarũ gradus. Vectij uaticinium de Romani imperij perseuerantia, ex uulturum duodecim ratione, Romulo qui sunt oblati. Cap. VIII



T quia nos in propugnatorum Christianæ ueritatis colloquia immissimus, pergamus porrò imbecillitatem nostram doctissimis, ac de cælestis eloquij fonte manantibus, illorum ipsorum confabulationibus, ac scientiæ scitamentis con-

tis confouere, ab inſtituto tam nihil abiuncti. Eſt (inquit Caſſiodorus) prophetia, inſpiratio diuina, rerum euentus immobili ueritate denuntians. Vt uero plenius abſolutiúſque dicatur prophetia, cognitio exigitur intellectualis, ſicuti Danielis quoque decimo comprobatur. Quòd ſi intelligentia non cõtingat, non propriè dici prophetiam: ſicuti Pharao ſpicas uidit, Geneſeos quadrageſimoprimo: & Balthaſar manum ſcribentem in pariete, Danielis quinto: ille dormiens, hic uigilans: neuter tamen eorum propheta. Cæterum, nec in morte Saluatoris Caiphas. Quippe ſancti ſpiritus ui nobis inexplicabili impellimur ſæpe, neſcientes quod feliciſsimum eſt. Cuiuſmodi ferè impulſum in hominibus adnotamus fortunatis, qui ratione nulla uel cognitione ducũtur ad aliquid faciendum, uti eſt in libro De bona fortuna, ea tamen differentia, quoniam fortunatorum impulſus à cauſa eſt naturali, id eſt ab orbis influentia, uel motricis intelligentiæ, ut quorundam aſſertio eſt, uel ab utraque, ſicuti alijs uideo magis placuiſſe. Igitur quia ex ratione propheticæ ueritatis eſt cognitio, ut præſtruebamus, inde fit ut pro eius uarietate profluant prophetici quoque gradus. Is nanque excellentiſsimus eſt, ubi paribus reliquis, clarior eſt intelligentia, dum tamen prophetiæ limites non tranſcendat. Ergo gradus primus eſt, quum uidet quis, & intelligit: uelut Hieremias ollam uidit ſuccenſam, & faciem eius ab Aquilone: quo ſignificari intellexit, Babylonici regis exercitum ciuitatem Hieruſalem exuſturum. Secundus gradus eſt, ubi uidetur nihil, ſed inſtruens uox auditur: hic uero eſt priore excellentior, quoniam ueritatem expreſsius præmonſtrant uoces. Tertius porrò eſt, quum non uox tantum auditur, quæ inſtruat, ſed uidetur etiamnum qui loquitur: quæ res adhuc creditur auguſtior. Cæterum, uel iſta contingunt in quiete, uocanturq; à theologis reuelationes per ſomnia: uel dum uigilamus, & à iunioribus dicuntur uiſiones: qui eſt præclariſsimus modus, quoniam & mentis fit illuſtratio maior: quæ quamuis ſenſuum ui exteriorum diſtracta, intelligibilem tamen ſupernaturalium ueritatem percipit: quod non fit in ſomno, ſenſibus quietis. Porro Propheticus ille modus, qui raptu contingit uel extaſi, ad eum fermè reuocatur qui eſt in quiete: quia tunc exteriore ſenſu non utimur, ſicut nec in ſomno. Adhuc gradum ſtatuunt quartum, ubi apparitione nulla figuræ cuiuſpiam, uel ſenſibilis ſigni, occultorum intelligibilis ueritas percipitur reuelatione diuina. Cuiuſmodi cognitio ſummo prophetæ Dauid contigiſſe dicitur. In hac denique addiuinantium mentione illud fuerit auctarium, quod ex Varronis eſt Antiquitatibus, Vectium augurio præſtantem de uulturũ ratione, Romulo qui ſe obtulere, quosq; corpora ſancta dicit Ennius, coniectaſſe, Romanum imperium ad mille ac ducentos annos perſeueraturum. Quod & uerum comparuit. ſiquidem quum imperarent Cæſares Conſtantij Romanorum dignitas dilapſa corruit, Byzantium tralata, irruentibus in Italiam Hunnis Vandalisq; ac Gothis. Scribit libro ſextodecimo Paulus Diaconus, Odoacrẽ cum fortiſsima Herulorum manu Italiam irrupiſſe, quo perculſus terrore Auguſtulus purpuram ſponte depoſuit: ac ita conditæ Vrbis anno milleſimo ducenteſimo uigeſimonono, Occidentis imperium finem eſt aſſequutum, anno ab incarnatione Verbi quadringenteſimo ſeptuageſimoquinto. Quod ad uultures attinet, auctor eſt hiſtoricus Dion, Poſt Cæſaris cædem Octauio in campum Martium deſcendenti uultures ſex augurium feciſſe, mox uero apud milites concionanti duodecim: unde ab eo coniectatum, Romuli monarchi eo ſe principatu conſtanter potiturum.

Afflationum ſpecies. Qui afflatorum ſtatus. Quæ ad ſomniandi rationem requirantur. Somnij laus etiam per exempla. Cur ſomnia matutina uera. Cap. IX



Erum, ut ad ſcriptorum genus aliud digredi iam ordiamur, & quod lucernam oleat, ſubinde pergamus promere: Porphyrius afflationum ſpecies duas agnouiſſe uidetur: unam, quæ per ſomnum contingat: alteram, quæ in uigilia, ubi afflati & perciti præſagiunt, ita uigilantes, ut etiam ſenſibus utantur, nec tamen eſſe interim rationis humanæ compotes. At Iamblichus, animos ait uerè præſagientes afflatosq;, & quum dormire uideantur, non dormire: & quum uigilare, non propriè uigilare: neque more hominum ſenſibus uti, nec

ipſa

ipſa animalis uiuere uita. Argumento eſſe, quòd eorum plerique igne admoto, non urantur, ignem uidelicet repellente deo, qui intus afflet: uel, ſi urantur, non perſentiunt. Sed & inuia peragrant ſæpe, ac flumina tranant mirabiliter. Cæterum, in ijs quæ ad ſomnia pertinent, attendenda uehementer, quę nono De republica Socrates de ſomnian di ratione diſſerit apud Platonem: At, inquit, quum quis ſalubri & moderato cultu atque uictu ſe quieti tradiderit, ea parte animi in qua eſt ratio, excitata & erecta ſaturataq; bonarum cogitationum epulis, & ad ſeipſam contemplando cõuerſa. Ea uero parte animi, quæ uoluptate alitur, nec inopia preſſa, nec ſatietate affluenti, ut quieſcat maximè, neque optimam partem illam aut geſtiẽdo aut mœrẽdo perturbet: ſed ſinat eam per ſeipſam ſolam ac puram cõſiderare, indagare atque percipere quicquam ignotum hactenus uel præſentium uel futurorum aut præteritorum. Illa etiam parte animi tertia, in qua irarum ardor æſtuat, ſedata atque reſtincta uſqueadeo, ut quieſcat nulli infeſa. Atque ita, inquam, partibus pacatis duabus, mente uero erecta, ſomno ſe comparet. Tunc demum pura mens ueritatem contingit, neque inſomniorum uiſa nefaria occurſant. Significat ipſa hæc parte quadam Syneſius, quum ait, Sufficit ſomno dedere ſe lætis manibus, diuinisq; laudibus celebratis. Laudans quoque ſuo more ſomniale uaticinium: Ad hoc, inquit, accedere decet fœminas atque uiros, antiquos, iuuenes, pauperes, diuites, priuatos, principes, omnes deniq;. Quoniam neminem reſpuat, adſitq; omnibus propheta paratus, conſultor bonus & tacitus, ſacrorum præceptor atque diſcipulus. Mox uero inde ſibi ambiguitatum inuolucra quædam mirè ſcribit recluſa. Quin & magorum inſidias huius beneficio debilitatas ac concuſſas probat. Ereptumq; ſe diſcriminibus multis, non inficiatur. Galenus ſummus Medicinæ auctor prodit monumentis, quum circa diaphragma cauſatio eſſet inorta, per quietem ſibi oblatã ſpeciem quæ commoneret, liberatum iri, ſi ſanguinem mitteret ex uena quæ inter pollicem uiſitur atque indicem. Feciſſe quod præcipiebatur, ac mox ſanitati reſtitutum. Ipſe ſum memor quum agerem ætatis annum ſecundum & uiceſimum, & Antonio Boldu, nobili Veneto, tunc in patria mea præturam gerenti, Plinium interpretarer, necdum Hermolai Barbari emendationes doctiſſimæ eminentiſſimo auctori egregiam, immo etiam triariam tuliſſent opem, fortè in eum incidiſſe locum qui legitur in ſeptimo De ijs qui plus iuſto creſcunt, uocanturq; à Græcis ectrapeli: torquebat amplius uerbum id, ſciebam me legiſſe de eo aliqua, uerum nec auctor nec locus ſatis ſuppetebãt. Proinde ueritus imperitiæ notam, æſtuanti animo commodum quieti me tradideram. Mox ratiocinans mecum librum uidebar agnoſcere, immo etiam locum & phylluræ partem, ubi id foret exſcriptum. Excitatus denique cœpi oblata per ſomnum repetere. Illuſionem putaui. Sed quum inſcitiæ formido infeſtaret amplius, ne quid intentatum relinquerẽ, librum arripui: ſicuti ſomniaueram, ita comperi. Neque hoc dico, quia ſomnijs hærendum putem, in tam numeroſa eorum uanitate, tum etiam præter inſtituta ferè Chriſtianæ ueritatis: ſed quia nimis opportunè, dum iſta proderem, ſeſe ingeſſit exemplum, prę terire non fuit conſilij. Quanquam ſuccini pertritum id fortè ualet, Neminem magnopere dari, qui totum diem iaculans non aliquãdo collimet. Porrò ſomniale uaticinium prope ſolis emerſum, ſedata paulum uaporum, externarumq; rerum cura, contingere, proditum literis eſt. Id fieri putatur, non ſolum ea de cauſa, quòd percocta ciborum mole, amplius ſobrij ſimus: ſæpius enim cibo inanes quietem petimus, neque tamen contingit uiſionum perſpicuitas. Sed eo item nomine, quod & ſolis Phœbiq; uatis, ut ueterum more loquamur, acceſſu roborari uaticiniũ ſolet. Sanguinei quoq; ſpiritus igneiq; ea hora dominantes claritate ſua ſomniali conferunt claritati. Accedit id euidens quoque, quod obuerſantia expergefacti mox conſequentium imaginum turba non confundimus. Propterea Sermonum primo Horatius,

Atq; ego quum Græcos facerem natus mare citra
Verſiculos, uetuit me tali uoce Quirinus
Poſt mediam noctem uiſus, quum ſomnia uera.

Somniorum diuinatio an ſit, ex Ariſtotele: itemq;, an à deo mittantur ſomnia. Brizo dea uaticiniorum per ſomnia. Cap. X

Poſtea

POstea uero quàm theologorum patrum in ijs decreta prolibauimus, nec non Platonicorum muſea introſpeximus, percõmodum fuerit forſan & Peripateticos in cõſilium adhibuiſſe (etiam ſi, quod aiunt, Myſorum collimitia & Phrygum planè ſecernuntur) qui placita ad id negotium ſua quoq; promant. Igitur ex Ariſtotelis ſui doctrina Themiſtius inquit, Diuinationẽ in ſomno eſſe aliquam, neq; pertinaciter reſiſtendum, neq; temerè aſſentiendum. Nam quod aut omnes aut plurimi arbitrãtur, ineſſe aliquid diuinitatis in ſomno, & uiſa pleraque occurrere futurorum prænuntia, argumento eſt, huiuſmodi perſuaſionem, quæ uſq; infixa hominum mentibus ſit, & ferè gentium firmata conſenſu, ab experientia & rerum euentis ortum aliquem habuiſſe. Parte uero alia quum nulla grauis & efficax ratio uideatur, unde iſtæc diuinatio proueniat, efficitur, ut homini docto per difficile ſit, fidem in hoc obſtringere. Nam putare, deum eſſe qui mittat ſomnia, præter alias rationes, quibus infirmari hoc refelliq; poteſt: illa exploratioris eſt efficaciæ, quòd ſubabſurda res ſit, futurorum ſignificationes per ſomnia non optimis & ſapientibus, ſed ſine lege ulla, ac ferè peſſimis quibuſq; & abiectiſſimis hominibus euenire, atque etiam brutis. Porrò ſublata ratione hac, nulla præterea poteſt idonea confingi. Quod uero aſſeritur, eſſe apud Boriſthenem & Gades qui uaticinentur nonnullos, adhuc rationis eſt incompertæ. Quanquam uero diuinitus non mittuntur, ſunt tamen quæ poſſis dæmonia dicere: nam & natura dæmonia ſunt, non diuina. Huius rei argumentum eſt, quòd parte plurima indocti & gregarij ſomniare ac uaticinari uidentur, ut intelligatur, auctore deo, illos non ſomniare. Porrò in plurimis & uarijs uiſis non eſt, ut ſit mirandum, euadere ex ijs aliqua quæ prædixerint. Nam uetus eſt, Si ſæpe iactaueris, quandoq; Venerem iacies. Auctor in Platonis Timæum Chalcidius eſt, tolli ab Ariſtotele diuinationem omnem, quando nec prænoſcantur futura, quippe quum ad Lunæ tantum regionem, dei prouidentiam perducat. Infra uero nulla eſſe prouidentiæ ſcita, uel angelorum opem, aut dæmonum proſpicientiam. Vnum denicq; ab eodem ſomniorum admitti genus, quum quæ aut egimus occurſant, aut cogitauimus uigilantes. Brizo, dea uaticiniorum potens per ſomnia in Delo colebatur: cui & ſcaphas offerebant omnifariam bonis plenas, piſcibus modò exceptis. Deæ nomen inde creditur cõciliatum, quoniam ueteri Græcorum lingua, Βείζειν dormire dicitur.

Quam dixerit ſomniorum rationem Democritus. De motionibus ſomniantium, ex Ariſtotele eodem. Item cur fatui præcipuè motionibus excitentur. Noſtra hęc quæ concinnamus, nunc urbanę uillæ imaginem exhibere quandam, nunc fructuariæ, uel etiam ruſticæ. Caput XI

DEmocritus uero in ſomniorum ratione, dormiẽtium animos putabat pulſari externa & aduentitia imaginum uiſione, quæ tanquam membranæ à corporibus direptæ continenter funderentur & fluerent. Ex ijs alias eſſe beneficas, alias ſequioris ingenij, perindeq; maleficas & magnitudine ac pernicie portentoſas: has accedere in ſomnis ad homines, & ſignificare quæ præſentirẽtur, futura. Eſſe uero quibus ſimulacra hæc adueniant meditantia commentantiaq; & uoces mittentia, alioquí quæ in ſomno tantum intelligentibus ſentiantur. Quamobrem optabat Democritus, imagines optimatis notæ ſortiri. Nos uero etſi ſimulacra eſſe ulla, quæ uolitare ultro citroq;, & uagari per auras poſſint, negamus: tamen motiones aliquas eſſe cõcedimus, quæ nos ſimulacrorum uice exerceant. Illas ex initijs quibuſdam earum rerum prodire, quæ dicendæ nobis agendæue ſint mox, aere primum mutato. Tum deinde per aurium foramina & narium meatus tranſmiſſas ad cor, facere, ut in ſomnijs futurarum rerum exitus prænoſcere uideamur. Hæ uero motiones non poſſunt alio tempore ſenſum ſui, quàm noctu ampliorem inuehere. Motus itaq; hauſti ſenſibus, & uiſa ex ijs concepta, identidemq; ad ſentiendi transfuſa principium, præſenſionem futurorum dormientibus afferũt. Atq; hæc ratio eſt, quamobrem fatuis ſomnia hæc, potius quàm prudentibus ingerantur: quoniã ineſt ijs ſilenta mens deſertaq;, & cogitationibus uacua, quarũ plenus philoſophantium animus eſt, & quarum agitatione ſolitarius & otioſus eſſe non ſinitur. Nec uero mirari oportet, diu nos

in hæc reclinare, quod sæpe præfamur, putent harum studiosi lectionum, quæ ab physico theologicoue proferuntur museo esse prætoria nostra, id est urbanam uelut uillam quæ in agris domino sepositа recipitur. Vbi autẽ recondita de Græco aut Latino promuntur penu, & auctorum sensa reteguntur arcana, sit sanè fructuaria uilla. Quòd si operæ leuioris quippiam ac simplariæ laxamenti causa insertatur, uel ut inde habeant etiam quod præcerpant minutuli ac proletarij, uillam esse credant rusticam, turbæ destinatam uillaticæ.

Somniorum in quibusdam certitudo unde sit. Item de melancholicis. Lycanthropi. Lycanthropia. Lycaones qui intelligantur. Caput XII

QVosdam uero esse, qui quum excessu mentis tentantur, prædicant futura, id causæ est, quòd quum intestinis & propriis motibus non infestentur, eminus uellicantur, & alienos excipiunt: ita ut ea maxime sentiant, quæ gerantur extrinsecus. Esse item aliquos, quibus somnia de necessariis & amicis certissima eueniant, inde proficiscitur, quòd de necessariis suis impense solicitus quisq; est. Vt enim de longinquo ij uice mutua se agnoscunt, ita motiones quæ in corde seruantur, rerum quas familiares charasq; habemus, notiores nobis sunt, & promptius se reddunt. Melancholici uero præ naturæ suæ uehementia similes uenatoribus uidentur. Vt enim illi & coniectatione ac telo quasi feram possident ante quàm accedant, manuq; tollant: ita melancholici, pernicitate animi rapienda, præcipites quasi anticipant, & anteuortunt futura. Quòd enim imaginationes in ijs uolucres & desultoriæ sint, leui pulsu excitæ, tanquam signo dato, & quæ his proximæ sunt, demumq; uniuersæ prorumpunt. Est item melancholica affectio, dicta Græcis λυκανθρωπία: & qui sic afficiuntur, Lycanthropi, quoniam lupos imitari prorsum uideantur. Exsiliunt quippe noctu, adq; diem usq; inter sepulchra diuersantur. Eorum præpallet facies, καὶ ὀρῶσιν ἀδρανεῖς, oculis arescentibus, præcipuè uero lingua. Sunt præterea δίψώδεις, hoc est sitibundi: tibijs ex impactione crebra ἀνιάτως, id est citra medelam ulcerosis. Hosce item Lycaonas dici, obseruauimus.

Quicquid occursat per quietem, non dici insomnium. Item qui non somnient. Cur quandoq; meticulosa obueniant somnia. Caput XIII

PORrò nec illud omittendũ, Non quicquid uisitur in somno, dici insomnium posse. Nam tunc propriè insomnium est, quum is qui somniat, existimat uera esse quæ dormienti occurrant. Quòd si quis ita imagines concipiat, ut intelligere possit se dormire somniareq;, hoc propriè somnium non est, sed uisum quoddam atque phantasma: ac uidentur quidem hæc esse insomnia, sed non sunt. Proinde in Animaliũ generatione, libro quinto Aristoteles: Somnia (inquit) non sunt, quæcunq; dormiendo aguntur, sed præter insomnium, hoc est (ut ipse ait) παρὰ τὸ ἐνύπνιον: ut ijs contingit qui dormientes resurgunt, ambulant & loquuntur, uidentq; (inquit) eodem modo, quo qui uigilant: arbores conscendunt, exeunt domos (inquit Albertus) inimicos persequuntur, occidunt quandoq;, lectos repetunt. Id sanè consueuit euenire corporis incõmodum, quòd quum frigiditas sensus communis obliget instrumenta, & soporem conciliet, obtingit ut extrinsecus in calorem naturalem, humoris quippiam ex cibo uel ex putrido humore ac febri profluat. Tum ea uis mota spectrum mouet, seu phantasma, quod repræsentat exhibetq; quod antea per iram cõceperat aut affectionem aliam, uel etiam cibi ingessit qualitas. Hinc etiam qui febribus urũtur amplius, inter quietem loquuntur, & uaria concipiunt rerum simulacra. Sunt qui obtingere opinentur ista, obligatis quidem exterioribus sensibus, solutis autem à somno interioribus. Nec statim à cibo somniant animalia, neq; quum edita primum sunt, ut infantes, quia multa tum agitatio motioq; est, propter alimentorum calorem. Quamobrem quemadmodum humore aliquo uehemẽter commoto, aut nulla effigies redditur quæ appareat, aut redditur quidem aliqua, sed lacessita & tortuosa usqueadeo, ut alia omnino uideatur, quàm sit. Quiescente autem & stagnante, res in eo simili colore & incolumi forma respondent. Ita dormiẽtibus eueniunt uisa & motiones à sensibus quandoq;, ut peruideri non possint, quòd multo alimoniæ fluxu obruuntur, quandoq; distortæ, præpostera

præpoſteræ & mõſtroſæ,& omnino teterrima ſomnia,qualia quæ melancholicis & temulentis & febrientibus accidunt. Hæc ideo recenſuimus,ut apertiora fierent quæ De animalitũ hiſtoriis libro quarto prodit Ariſtoteles, ubi ſic ferè ſcriptũ inuenias, Homo maximè animalium ſomniat: æditis nuper in lucem & infantibus adhuc nullum penitus contrahitur ſomnium:ſed plurimis anno circiter quarto aut quinto ætatis,uiſa incipiunt. At libro decimo Plinius,Somniat (inquit) ſtatim infans. Et Ariſtoteles libro ſeptimo:Infantes (inquit) ſomniãt,ſed ſerò meminiſſe poſſunt imaginum. Quid ergo pugnantia iſti loquuntur,& ſentiunt? Abſit. Sed hoc uidentur ſentire: Infantes, ſi minus propriè loquendum ſit,ſomniant:ſi propriè,non ſomniant. Et quia pauore concuti per quietem puerulos Hippocrates ſcribit,adnotanda uehementer in eo doctiſſima Galeni interpretatio:Pauores(inquit) per ſomnum adſunt infantibus,iis præſertim qui ſunt natura edaciores,quando loca ad uentriculum pertinentia ſenſũ quidem uigeant,ſed imbecilla exiſtant, cibus uero corrumpatur. Nos ſiquidem obſeruauimus, non in tantillis ſolum,ſed etiam in ætate perfectis terribiles fieri per ſomnũ imaginationes,quando multi & uitioſi humores grauant & mordent uẽtriculum, præſertim ipſius os. Hæc enim particula præcipuum habet ſenſum. Inſomnia denique non ad opinionem, neq; ad intelligentiam,neq; omnino ad rationem aliquam intelligendi opinandi ue pertinent, ſed ſunt ſenſualis potentiæ alumna: uerum non quatenus ſenſualis, ſed quatenus imaginaria ſiue phantaſtica eſt. Siquidem probatũ in libris De anima eſt, Imaginandi uim quam phantaſiam appellant,eandem eſſe ad numerum cum potentia ſentiendi,quamuis eſſentia rationeq; differant.

Somniorum ſpecies aliquot:item de eorum interpretibus. Ephialtes qui ſit, ac pnigamon, ſeu pnigalion. Qui ſomniator. Somnioſus. Sõniculoſa aſpis. Oniropolos. Oniros unde,& item Irus. Ciceronis locus explicatur. Onirocritici libri,& thytici. Althæni amnis propriũ. Supellex unde. Hypereſium quid. Pelles tectoriæ. Hychthyis,hychthyia,byblos,pellariũ,arbeli,lathargi, xyſmata,arbele. Diphtheriæ ſenes,cur. Pellium incubatus. Scytharum mos. Pluſcula porrò de pellibus. Pardalea ueſtitus qui dicatur, uel lycea, aut nebride.

Caput XIIII

ADnotatione uero dignum illud quoq;, Somniorum alia dici allegorica, alia theorematica. Nam ſunt allegorica, ubi ſenſus intellectusq; à uerbis in diuerſum longè abit: quale Cæſaris mox Dictatoris fuit, cui per quietem oblata ſpecies illa eſt,ut putaret ſe cum matre permiſceri,reſponſumq; à coniectoribus, Imperium orbis terræ portendi, quæ cunctorum uiuentium ſit mater. Quanquã Hippiæ, ut prodit Herodotus, quum inſomnium idem eſſet oblatum,non idem tamen eſt euentus inſequutus. Et ad coniectorem detulit quidam, ſomniaſſe ſe, ouum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis: reſpondit is, latere ſub lecto infoſſum theſaurum. Fodit,auri aliquantulum inuenit, idq; argento circumdatũ. Coniectori miſit de argento,quantũ eſt uiſum. Tum ille:Nihil ne (inquit) de uitello? Theorematica uero quum ita concipitur intellectus,ut præferre uerba uidentur,uel (ut Græci dicunt, & in Onirocriticis Artemidorus) ὄνειροι θεωρηματικοί, οἱ τὰ ἑαυτῶν θέα ποιοῦντες. Auctores ſunt,in genere phantaſmatum eſſe, quod Græci uocent ἐφιάλτην, incubum Latini. Quum externa uis aliqua quieſcentes uidetur inuadere, & pondere ſuo preſſos ac ſentientes grauare. Vnde & ephialtem dici, arbitratur Paulus Aegineta, παρὰ τὸ ἐφάλλεσθαι: alij,ab Ephialte quodam. Themiſon uerò Epiſtolicorum decimo, πνιγάμονας uocauit, ἀπὸ τοῦ πνίγειν. Sunt qui pnigaliona ſcribant. Apud Dioſcoridem Syluæ medicinalis libro tertio,in pæoniæ medicinis inuenio ἐφιάλτους πνιγμούς, id eſt incuborum ſuffocationes. Apud Græcos ita finiri reperias, ἐφιάλτην τὴν ἐς κεφαλὴν ἀναπρέχουσαν ἀναθυμίασιν ἐξ ἀλλοφαγίας καὶ ἀπεψίας, id eſt redundantẽ in caput euaporationem ex uoracitate ac cruditate. Apud medicos eſt ephialtes, qui à pleriſq; uocatur babutzicarius. Onirogmos,id eſt ὀνειρωγμοὺς uocat Paulus Aegineta, Venerem quæ prolectant ſomnia. Sed & rem eandem medicinam profeſſis indicat uerbum ὀνειρώττειν: tametſi grammaticis ſomniare modò ſignet. Somniorum interpretem Græci

& Fulgentius onirocritem dicunt: noſtri, nunc coniectorem, nunc ſomniatorem: ut eſt in Deuteronomio, Non audies (inquit) uerba ſomniatoris. Meminit Seneca quoque Controuerſiarum libro quarto. Homerus Iliados Rhapſodia prima, oniropolon item dicit. Siquidem ὀνείρους nuncupant Græci ſomnia, παρὰ τὸ εἴρειν, quod dicere indicat. Vnde & Irum uocitatum putat Artemidorus, quia iniuncta nuntiaret. Notatum à Philone eſt, Abraham primum omnium inuolucra ſomniorum ſoluiſſe, & reliquis patefeciſſe. Trogum Pompeium auctorem habemus, Ioſeph ob ingenium præcellens à fratribus fuiſſe peregrinis diuenditum mercatoribus, à quibus in Aegyptum deuectus, quum magicas ibi artes ſolerti percepiſſet ingenio, breui euaſiſſe regis intimum: nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum (inquit) primus intelligentiam condidit, nihilq́ diuini iuris & humani incognitum erat: adeo, ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos præuiderit. Ioſeph uero ſomniorum fuiſſe interpretem pateſcit amplius Geneſeos quadrageſimo. Idem tamen à fratribus, eiuſdem triceſimoſeptimo ſomniator nuncupatur: non quòd ſomnia coniectaret, ſed quòd ſomniaſſet ea, quibus excellentia ipſius futura mox præſagiretur. Sed huiuſmodi in Hortenſio ſomnioſos uocat Cicero, quum ſomniculoſi ſint ſomno dediti homines. Quanquam à Siſenna dici ſomniculoſam aſpidem, ſcimus, quæ ſomnum morſu inducat letiferum, uel (ut Plutarchus inquit) κάρου ἐπανώδυνα καὶ κατακοιμά. Eadem Dauidica ſententia nuncupatur ſurda, quòd aures obturet ſuas, ne uoces audiat excãtantium. Sed ecloge hæc, id eſt excerptio, parerga eſt. Auctor Euſtathius eſt, oniropolon apud Græcos dici nunc eum, qui ipſe ſomniet ac prædicat inde, ſicuti Agamemnon in βάτραχοι ἐνυπνιαστικῷ, nunc uero qui ab aliis uiſa coniectanter diſcutiat, uelut Penelopes ſomnia Vlyſſes. Sunt quinimmo ex hoc concinnati libri, quos onirocriticos uocant: quemadmodum in diuinationibus aliis legebantur Oeoniſtici, & Thytici. Pauſanias inquit, exiſtimare ſe Amphiaraum interpretandorũ ſomniorũ laude excelluiſſe: quod (inquit) uel ex eo liquet, quoniam quo tempore in deos eſt relatus, futurorum cognitionẽ per ſomnia conſtituit. Adhuius item oraculum qui pergit (inquit) purgari primum oportet: purgatio autem eſt, ut deo res ſacra peragatur: cui & omnibus quorum nomina in ara ſculpta ſunt, ſacrificant. His peractis, mactati arietis pellem ſubſterni, atq́ ita ſolitos dormire captantes ſomnij ſignificationes. Ad quod quum multiſcius poeta interim alluderet, ita de Latino ſcriptum reliquit libro Aeneidos ſeptimo,

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnosq́ petiuit.

Legimus item Daunijs uel Calabris in more fuiſſe, pellibus incubare, quas melotas dicunt, id eſt ouillas, in Podalirij ſepulchro: ſicq́ per quietem oraculis inſtrui. Traditur illud quoque, eoſdem in Althæno amne propinquo cum pecoribus lotos ab uulneribus perſanari, Podalirio aduocato, unde datum fluuio nomen: quia ἀλθαίνειν, mederi eſt: ſicuti uitiligines curat Alpheus, & Cydnus pedibus item ægros. Cæterum, ſcire oportet, pellium religioſam fuiſſe ueteribus obſeruationẽ quandam: quoniam & apud Scythas, pellis inſcenſio iuriſiurandi uicem habebat. Mos uero ferè hic fuit: ubi quis iniuria eſſet à quopiam affectus, nec repellendæ idoneum paremq́ ſe intueretur, quum bouem immolaſſet, conciſas quidem carnes percoquebat aqua, pellem uero extendens in ea ipſa conſidebat, manibus retro adductis, ut ex ijs unus qui cubitis colligantur. Hic uero modus illis gentibus eſt ſupplicandi maximus. Adiacentibus igitur iumenti carnibus, adeunt domeſtici familiaresq́ primum, mox & cui collibuerit: arrepta uero carnis portione, dextroq́ ſuper corium illato pede, pollicetur pro uirili unus equites ἀσίτους καὶ ἀμείδους, nullis cibarijs, nullaq́ item mercede: nonnulli, grauis armaturæ pedites: qui egentiſſimus eſt, offert ſeipſum: fitq́ ad eum modum haud contemnenda in bouis corium aggregatio. eſt ea tum firmiſſima, tum hoſti prorſum inexpugnabilis, ut quæ ſit iureiurando obſtricta. Hinc ſæpe lectum in hiſtoria, exercitum à corio eſſe conflatum. A noſtris item proditum ſcimus, In lanata pelle nouam nuptam conſidere ſolitam, uel ob uetuſtum morem, quod antiquitus homines pellibus conſopirentur, uel ut atteſtaretur, lanificium ſe præſtaturam uiro. Præterea lugentes quoq́, diebus luctus in pellibus erant. Nam illud M. Tullij in Piſonem, Ecquid recordaris, quum omni totius

prouinciæ

prouinciæ pecore compulſo pellium nomine, omnem queſtum illum domeſticum paternumq́ renouaſti? Ad ueterem quoq́ morem cõtenderim referendum, ut ſciolorum uanitates præteream, qui caſci ipſi caſcos ducunt ac præcipitant, uti poſitum apud Varronem eſt. Siquidem Tacitus Annalium quarto ſcribit, Phriſiis in Germania tributum ab Druſo iniunctum pro anguſtia rerum, ut in uſus militares coria boum penderent, non intenta cuiuſquam cura, quæ firmitudo, aut quæ menſura. Et Academicorum ſecundo M. Tullius, Vt non multum (inquit) imperatori ſub ipſis pellibus otij relinqua tur. Quod eo dicitur, quoniam militum tentoria pellibus obtegerẽtur: unde & ſub pellibus eſſe dicebantur. T. Liuius libro quinto: Militem Romanum in labore ac opere pruinisq́ obrutum ſub pellibus durare. Item ab Vrbe eadem libro triceſimoſeptimo: Aut ſub pellibus habendos milites fore. Sed & Porphyrio illud explicans Horatij Sermonum primo:

Quoniam in propria non pelle quieſſem.

Inde ſumptum, inquit, quòd ductores in pellibus dormirent. Cuius rei & Lucilius teſtis eſt. Et Plautus, quum de anu ebria iocaretur, ait,

In pellis periculum protenditur.

Arrianus Geſtorum Alexandri primo, Pelles ſub quibus milites hybernabant, leui & ſicca herba compleuit. Idem fere & libro tertio. Apuleius uero Floridorũ primo: Aut quercus (inquit) cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata. Aduocatis etiamnum aliis uti poteramus: ſed omnia puluis idem, ut inquit Lucianus. Huc ſpectat (opinor) illud Celſi Iureconſulti Digeſtis De ſupellectili legata: Labeo (inquit) originem fuiſſe ſu pellectilis putat, quòd olim ijs qui in legionem proficiſcerentur, locari ſolerẽt, quæ ſub pellibus uſui forent. Cæterum, fœdè corrupta hæc circumferuntur modò. Magiſtratus autem uaſis inſtrui argenteis ſolitos, & annulis aureis publicè præbitis, auctor eſt Maximus Valerius: ſed retulerat prius ſexta in Verrem M. Cicero. Adijcit in Catone ſeniore Plutarchus, tabernacula, lectulos, indumenta, ſeruos, amicorum multitudinem, apparatum numeroſiorem. Scribit T. Liuius, Maſiniſſæ ab ſenatu decretam militarem ſupellectilem, qualem præberi conſuli mos eſt. Supellectilem, alij à ſupplendo inflecti malunt. Quod uerbum in ueteri Epigrammate, unum modò recipit P. à ſuppetendo deducunt nonnulli. In pellium mentione id item aduertendum: ſubſtratam remigibus pellem ſeſſionis gratia, ne pygas attererent, ab Thucydide nũcupari hypereſium, id eſt ὑπαγρέσιον. Dicitur ſic & ſedes ipſa. Sunt qui hypereſium, trullam retrimentitiam accipiant: uel & amida, id eſt matulam. Pelles denique tentorias legimus apud Pollionem Trebellium, ubi imperatori Claudio donatas ſcribit pellium tentoriarum decurias triginta. Legimus apud Hieronymum, pellis Babylonicæ uermiculatam picturam, id eſt maculis minutioribus uariegatam, ut ſic interim loquamur. Cuius uiſuntur modi hodieq́, ex Hiſpania in primis. Ichthyen appellat Hippocrates, rhinæ ſeu ſquatinæ aridam cutem. Hychthya uero, chirurgicum eſt ferramentum auellendis recidendisq́ ab utero embryis. Hircinas pelles & ouillas ſcribit Herodotus, biblos etiam dictos ueteribus, quòd papyri uicem impleuerint quãdoq́. Sardos Getulosq́ caprarum pellibus amiciri conſueuiſſe, adnotatum auctoribus eſt. Quin in tragœdijs ab huiuſce pellis uſu ſenes uocãtur diphtheriæ. In noſtris literis, pelliculare uerbum, pelliculis obtegere uel obturare eſt. Militis porrò caſſidi (inquit in commentatione De Romanorum militia Polybius) lupi imponebatur pellis, aut eiuſmodi quippiam, quod integumentum pariter atq́ inſigne foret, ut ſtrennuè ignaueq́ ſe gerentes latere haud poſſent. Cæterum, quia de pellibus agitur, illud adieciſſe, nil obfuerit: Pardaleam nuncupari, pardalis pellem: leonteam, uel leontem, id eſt λεοντῆν, leonis: lyceam, lupi: trageam, tragi, id eſt hirci. Apud Herodotum anthropea, id eſt ἀνθρωπέη, eſt humana pellis. Eadem forma dicitur taurea, ægea, cynea, à tauro, capra, cane. Pardalea conueſtitus dicitur, qui eſt moribus uarius, & uelut πολύστικτος, id eſt multis interpunctus notis. Lycea, qui rapax eſt. Nebrida ferre, dicitur elegãter, qui timidior eſt ac uinolentus, quia illam geſtaret Bacchus. Pellarios dici legimus, ſicut coriarios, id eſt pellium ac coriorum concinnatores. Arbeli uero, id eſt ἄρβυλοι, ferramenta ſunt orbicularia, quibus ſcytotomi, id eſt corij

inciſores in poliendo utuntur, ac incidendo. Lathargi, in coriis pelliculæ intelliguntur, ac xyſmata, id eſt ſtrigmenta, quæ abraduntur. Arbele, ſeu ἀρβήλη, apud Euripidem in Oreſte, calciamenti eſt genus: ἔπιθες λεπίδι ἰχνῶ ἀρβήλης.

De coniectoribus aliqua. Quintilianus illuſtratur. Somniorum item ſpecies multæ: theopneuſta, phyſica, ſyncramatica, addiuinãtia. Item bonam uel ſequiorem indicantia conſtitutionem. Inſuper de incubo. Dormitio reſupina. Relegati, ac deportati, quo differant. Achillem Ariſtarchi, eſſe ab Ennio tragœdiam, titulo eiuſmodi concinnatam. Caput XV

SEd ut à diuerticulo fabula repetatur, exquiſitiſſimus ſomniorum coniector is eſt, qui ſimilitudines rerum acutiſſimè poteſt perſpicere ac diſcernere. Nam recta claraq; ſomnia interpretari, cuiuſuis eſt. Similitudines accipio, quæ nobis ſecundum quietem obijciuntur, & uelociſſimè transformantur, ut quæ de rebus reſpondent in profluente: ſi enim uehementior motus ſit, ſimulacra in eo ueris motibus diſſimilia & tortuoſa redduntur. Idem in ſomno ſtatuimus, ſi redundantior & cõcitatior materia ſit, quæ à ſummo capite ad ima cordis defertur, ſimilitudines expreſſæ aut puræ haberi non poſſunt: quoniam multa commotio ſynceritatem ſomniorum confundit, & conſtantiam uiſionum intercipit. Hæc ideo addita, ut Fabij Quintiliani locum de coniectoribus, facilius perciperent ſtudioſi ex libro tertio. Pleriq; libros De obſeruantia ſomniorum, multos compoſuerunt. Sed prudentes iſta facile ridenda putant, arbitrati prodeſſe perparum. Nam ſpiritus phantaſtici non una eſſe poteſt uniuerſalis ratio, quæ omnia (ut dicitur) ſub unam reuocet Myconũ. Auctor in libro De myſterijs Iamblichus eſt, & Strabo non neglexit. In templo Aeſculapij, quod in Epidauro eſt, ſomnia ægrotos captare ſolitos, quibus bonam ualetudinem à dijs oſtenſam coniectarent. Nam Herophilus ſomnia quædam uocabat theopneuſta, ueluti à deo inſpirata, quæ neceſſariò contingerent: quædam uero phyſica, confabricante ſibi anima, quod conferre uidetur, & inde quod futurum ſit: alia autem ſyncramatica, ex ſpontiuo per idolorum occurſationem, quãdo inſpectamus quæ maxime cupimus, ut quum amicas amplexari concipimus. Apud Auicennam obſeruauimus Canonis primo, Conſtitutionis æqualis & temperatæ, certius haberi argumentum, ſomnia iucunda permulcentiaq; ac ſpem inducentia optabilem: cuiuſmodi ſunt odorum, cantuum idola & conuiuiorum ac dignitatum, ex ſpirituum ſerenitate phantaſmata deferentium, aut organum phantaſiæ illuminantium. Plethoricum uero indicium eſt, quum quis ita per quietem afficitur, ut motari poſſe non uideatur, aut ingeſtabile onus ſuſtinere, uel etiam loqui non poſſe. Somnia uero hoc genus, uocat Galenus addiuinantia. Dignum ſcitu quod idem ſcribit, Putaſſe quendam crus alterum ſibi lapideum factum, moxq; ea corporis parte in paralyſin incidiſſe, præſentiente medicorum nullo. At qui ſubuolare ſe opinatur, ac perniciter quocunq; rapi, prætenuibus abundare humoribus creditur, & quantitatis moderatæ. Principatum ſanguinis ſignificare ſomnia cenſentur, quum ſe quis rubentia ſpectare opinatur, aut ſanguinis è corpore profluuium, uel id genus quippiam concipit. Irroborauit hoc Galeni quoq; experimento, qui eiuſmodi ſomnio commonitus, pugili ſanguinis miſſionem peruidit neceſſariam, quod retulit ipſe in libello De ſomno. At ſi aquarum, fluminum, niuium, frigoris ingerantur idola, phlegmatis ea primatem indicant ſtatum. Quod non Principis modò placita probant, ſed quarto Colliget Auerrois, capite quintodecimo: Si imagines concipiantur ignium, bilis præualet rubra. Eandem uero atram pollere, prænuntiant ſomnia terrifica. Quoniam autem de incubo facta paulò antè mentio eſt, adnectamus item Auicennæ ſententiam in ea re dignam, quæ incurioſius non prætereatur. Ergo Canonis primo: Reſupinum (inquit) dormire, malum: prauæ ſiquidẽ ſtruuntur ægritudines, ueluti apoplexia eſt ac phrenitis & incubus: quoniam eo ſitu, ſuperfluitatum fit ad poſteriora reclinatio, atque inde retentio, nec ſuis influere meatibus permittuntur, qui antica corporum obſident: cuius ſunt generis, nares & palatum. De incubo item, tertij prima Princeps ſic: Eſt incubus (inquit) ægritudo, qua proſerpente ſopore, phantaſma opinamur graue in nos irruere & moleſtius comprimere, arctatur ſpiritus, ac uox

ac uox etiamnum intercipitur cum motu, ingruitq; præfocatio, meatibus præfarctis: ſęq; pecq; uel apoplexiæ præludium eſt, aut epilepſiæ, nonnunquam & maniæ. At ſunt hæc utiq; harenæ non omnino noſtræ, nō imus inficias: ſed eiuſmodi tamen quę legentium animos allectare amplius poſſint, q̄ quod noſtrates nonnulli, etiam bene docti, apud Iureconſultos obſeruaſſe, in ſuos regeſſere commentarios, Relegatos nuncupari, qui cum exilij cauſa ſolum uerterint, nihilominus ſuis perfruantur bonis: quod in deportatis nō fiat, etiam ſi à grāmaticis minus uidetur obſeruatū. Sicut nec illud ex Pœnulo, Achillem Ariſtarchi mihi commentari lubet.

Eſſe enim eo nomine Ennij tragœdiam, id quod Pompeij Feſti probant fragmenta.

Qui nunquā ſomniarint. Plinius declaratur. Abluere ſomnia quid. Perſii locus aperitur. Ardalí ara, in qua ſomno fieret & Muſis res diuina. Ardalides Muſæ unde dicantur. Tibiæ inuentor. Cap. XVI

IT quoniam diu iam de ſomniorum ratione commentamur, age, illuſtremus & parte hac Naturalem hiſtoriam Plinij, qui libri decimi fine quoſdam ſomniaſſe nunquam ſcribit: quibus mortiferū fuerit ſignum, ſi præter conſuetudinē ſomniare cœpiſſent. Quæſitum à multis opinor, quæſiturosq; etiamnum, ecquid ex ueteribus ſuccurrat memorijs, quo planior fiat auctoris nobiliſſimi ſenſus. Ego uero quod ex ſcientiſſimi Plutarchi monumentis noui, quæ uel ſola doctum effecerint ingenij haudquaquā plebeij hominem, non grauabor ſuppingere. Sic enim in libro De oraculis quæ defecerāt comperi: Cleonem ex Daulia ſolitum prędicare, multos quibus uixerat annos, nulla unquā inſomnia uidiſſe. Idipſum & Thraſimedi contigiſſe. Cauſa uero euentus tam miri eſt (inquit) corporum craſis ſiue temperatura. Sicuti melancholicos ſcimus eſſe πολυονείρους καὶ πολυφαντάσους, id eſt ſomnioſos imaginoſosq;. Scribit Ammianus Marcellinus, Delatorum peſti lenti uirulentia graſſante ſæuius, nec citra uitæ diſcrimen uiſa nocturna quempiam auſum patefacere: quo (inquit) nomine mœrebant docti quidam, quod apud Atlanteos non forent nati, ubi memoratur nulla uideri ſomnia. Id unde eueniat, rerum ſcientiſſimis (inquit) relinquamus. Confirmat ſentētiam de Atlantibus cum Martiano Plinius libro quinto. Iucundū relatu quod ſequitur, Species oborta per quietem Tiberio, præcipere uidebatur, argentum cuidam erogaret: id ſecum ipſe coniectās, ac magica ui ſuſpicatus dæmona ſibi immiſſum, hominem mox peremit. Nec illud prætermiſerim: ueteris fuiſſe ſuperſtitionis, meticuloſa ſomnia interim ablutione auerruncare: quod apud Aeſchylum eſt obſeruatum, & docuit in Batrachis Ariſtophanes,

ὡς ἂν θείου ὄνειρον ἀπολύσω.

id eſt ut ſomnium abluam diuinum. Ad quod Perſii illud ex Satyra ſecunda reſpicere, dabunt (opinor) eruditi omnes:

Hæc ſanctè ut poſcas, Tyberino in gurgite mergis
Mane caput bis terq;, & noctem flumine purgas.

Sed & illud apud Sophoclem obſeruatum eſt, ueteribus in more diu fuiſſe, ut ſomnia auertentes, ea ſoli denarrarent. Et quia de ſomnijs iam diu commētamur, de ſomno illud nō negligamus, Fuiſſe apud Trœzenios ueterem Ardali aram, ſuper qua Muſis & Somno rem diuinam peragebant, Somnum aſtruentes eſſe Muſis deum pręcipue amicum. Fuit autem Ardalus hic Vulcani filius, quem tibiam adinueniſſe opinantur: & ab eo Muſas dici Ardalidas, in Pauſaniæ monumentis eſt.

Quorum natura mirabilis. Item de naufragis mirum, qui ſidāt prius, mox fluitent. Lucianus explicatur. Ariſtotelis defenſio à calūnia. Oua luſtralia & pnicta quæ ſint. Oſtracoderma & malacoderma. Cyami nomine ouū ab Pythagora intelligi. τρομυτὰ, ῥοφητὰ, παγλωισὰ, ὄεια, pnicton, oogala. Requieta oua. Helenæ ouū. Oaria. Pſathyra. Itē quid lecithus, & lecithopolis. Itē de ouis plura. Epidorpiſmata. Metadorpia. Epiphoremata quæ intelligantur, item epiphoræ. Thalia caſeus. Pyriephthas, epidipnides, celyphanon. Vreus pro mulo cur. Molæ in fœminis ratio. Selenetides mulieres. Vitellum dici chryſon & chloron. Cap. XVII



VOrum inter se miram ac propè indiscretam similitudinem sæpenumero apud animum meum non sine stupore perpendi. Alterum enim alteri si compares, fallitur examen, hebescitq; intuentis obtutus: tanta prorsum parilitas est, tantaq; geminitudo. Id à M. Tullio item adnotatum in Academicis obseruauimus: qui rem etiam in adagium profluxisse significat, ut ouorum similitudinem dicamus, de ijs quæ consimilia ualde inter se sunt, ut dispariri secernicq; non possint: quum farinæ (ut aiunt) sint eiusdem, & graculus gracculo assideat. Etiam si in Delo complures fuisse compertum est, qui gallinas quæstus sui gratia alere assueti, ubi ouum inspexissent, ex qua id foret gallina, euestigio pronũciarẽt. Sed longe uticq; admirabilius id, In re tam parua mundi permixtionem intelligi quandam. Ouum quippe elementis consurgere ac compingi quatuor, ueterum medicorum assertione traditum scimus. Nam crustæ modo circumiectum obductumq; putamen, terræ imagine quadam, arescentis in frigore uim naturæ præfert. Humor autem frigens humectusq;, aquam exhibet planè. Sicuti aerem quod ineſt spiritosum, calens humensq;. At in meditullio luteum fixum mediocritatem caloris obtinens, & aridioris naturæ, igni compar facile colligitur. Cui calculum adiecerit & color: si quid tamen eiusmodi adesse igni creditur. An non & globata suffragatur figura? Quid, quod ineſt ouo uitalis uis, ueluti & mundo? Obseruatum ab eadem quoq; schola, Vitellum intima caloris facultate percoqui facile. Albumen non ita, ratione utrumq; frigoris, caloris humorisue. Hinc tostum ouum dissilit facile, non dissilit aqua concoctum: ignea siquidem ui, quodam ferrumine copulatur quod ineſt, humectum ampliusq; calefactũ exustumq;, plures parit spiritus, qui loca nacti peranguſta, exitum molientes testam prærumpunt, demumq; euaporant. Præterea flammæ uis tunicam circumsiliens putaminosam, amburendo diffringit, quod & fictilibus euenire dum torrẽtur euidens est. Quamobrem perfundi prius frigida solent oua, calida siquidem aqua mollicie statim humorem effundit, & raritatem relaxat. Quia uero de ouis mentio est, congeremus quæ scitu digna lectio suggerit uaria. Et illud primum, Ostracoderma dici, oua putamine intecta testaceo, ut in auibus. Malacoderma uero, quæ molli obducuntur cute. Sed illud grauius, Vndé nam fiat, quod τὰ ἀφανισθέντα ὠὰ καὶ βρουχήσαντα, hoc est, corrupta & urina oua fluitent. Integra certe καὶ ἀπαθῆ confestim sidere, manifestum est. Ac ratio quidem erui illinc potest, quod aquescant, ac spiritus contabescẽtia concipiãt plurimum. Qua ratione colligitur & illud relatu dignissimum, In aqua pereuntes primo quidem ima petere, mox ubi computrescere cœperint, emergere ac fluitare. Tabescẽs quidem cadauer spiritosum fit, aer uero præfarctis poris ac meatibus, necnon pulmonis cauitatibus, quæ βρόγχια dicuntur, leuissimum illud efficit, adeo ut supernatare ualeat. Proinde mandatum literis est, quendam in mari grassantem, quum id sciret, consueuisse eorum quos enecasset pulmonem eõcidere, atq; ita demum in aquam proijcere, quod ita affectos comperisset nõ emergere. Ooscyphia, & oa quoq; apud Græcos inter poculorum genera recensèri uideo, opinor de similitudine duci nomẽclaturam. Sunt qui mespila item oua putent dici. Illud uero Luciani in Dialogis quos ipse πελεκηνοὺς uocat, cuius nam modi esse dicimus? καὶ ἅπου εὕροι ἐν τῇ τριόδῳ ἑκάτης δεῖπνον κείμενον, ἢ ὠὸν ἐκ καθαρσίου, id est sicubi comperiat in triuijs Hecates cœnam iacentem, aut ex catharsio ouum. Catharsium in Græcorum doctrina uidetur purificatio quædã dici. Morem quippe Athenis fuisse produnt, conciones expurgandi, atq; theatra, & omnino quem libet populi conuentum. Id uero minutis fiebat porcellis, quos nominabãt catharsia. Eiusmodi obibant munus qui dicebantur à colluſtratione Periſtiarchi. Oua expiationibus apta monstrat Iuuenalis illud,

Nisi se centum lustrauerit ouis.

Sed & in Arte Ouidius oua hæc lustralia indicat illis uersibus,

Et ueniat quæ lustret anus lectumq; locumq;,
Præferat & tremula sulphur & oua manu.

Eius autem ab recentioribus ratio promitur, quod ex animalium generibus adeo multiformibus, plurima ædantur ouis, quæ uelut media sint inter animal, & non animal: proinde

proinde pergrata dijs censere ueteres, quando & cyami nomine non aliud intellexisse uideatur Pythagoras, quàm ouum, quod sit in eo animalium κύησις, id est fœtura. Eius autem erat decretum, Compar censeri ἐυαλμους ἐδίειν, λιφαλὰς τε τοκκῶν. Porrò in cereali pompa ouum solebat esse primum. Verum parte hac, prius quàm subtexantur reliqua philosophorum principi libet patrocinari, aduersus quem ita ratiocinatur Albertus: Oua longa prodit Aristoteles producere mares, rotunda uero fœminam: quod (inquit) falsum est, quoniam scribit Auicēna, ex orbiculari ouo breuiq; progigni marem: ex oblongis acutis ue fœminam. Ipsum hoc comprobat experimentum, & suffragatur ratio: siquidem uirtutis perfectio in masculinis ouis ambit æqualiter, & continet extremat in fœmininis à centro longius abit materia in quo est uitalis calor, hoc uero planè imperfectionis argumentum est. Ista autem si quis sensisse Aristotelem putat, leberide cæcior est. Quanquam erubescens tanto nomine Albertus, mendum esse suspicatur exemplarium. Aristotelis uerba ex sexto De animaliū historijs hæc sunt, ex Theodori interpretatione, Quæ oblonga sunt oua, fœminam ædunt, quæq; sunt fastigio cacuminata: at quæ rotundiora, & parte sui acutiore obtusa orbiculum habent, marem gignunt. Quod si quis cauillari nos arbitratur, auctoris Græca uerba subieci: ὅσὶ δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ὠῶν θήλεα, τὰ δὲ στρογγύλα καὶ πρὸς ἀφορείαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξύ, ἄῤῥενα. Illud autem ex eodem Alberto concoqui facilius potest, Se ouum uidisse cui putamen adesset duplex, inter utrumq; albugine fusa, quæ introrsus uiseretur item, sed aquosa tenuisq;, nullo prorsum uitelli uestigio. Verum hoc naturæ peccatum fuerit. Sed unde fieri astruemus, quod piscium oua uisuntur infinita, nec colore disparata, ut in auitio genere? Nimirum artificis naturæ commentum id est atq; institutum. Quippe caloris inopia distinguentis secernentisq; id obtingere probabile fit: sunt namq; frigidi pisces ac perhumecti, indeq; redundantiæ multæ quę ouis argumentum sufficit. Id in auibus contrà fit, siquidem in eis calor probatur perfectus, qui & humectum prolificum in alborem commutat: sicut unde alimentum fit, amplius digerendo citrino inficitur, imbecilla aquatilium caliditate idipsum assequi nequeunte. Naucratitarum nuptialibus cœnis cauebatur ne quis ouum intulisse uellet, aut μελίπηκτα, id est mellita. Sunt inter oua mensæ destinata (ut Aegineta Paulus inquit) τρομικτὰ, quæ ualde nutriunt. Tremula interpretantur nonnulli, ut sint cum ijs eadem quæ liquida, seu mollia, uel hapala etiam dicuntur: quanquam hoc nomine dicuntur Neapolitanis, quæ sine testa enascuntur: nam ζοφικτὰ, id est sorbilia magis subeunt: pessima uero quæ uocant ταγλωισὰ, id est in sartagine cocta. Sunt & quæ Galenus ὠνικτὰ uocat, quod pręfocari uideantur, dum certo genere coquuntur: nam è putaminibus educta uasculo excipiuntur, mox oleum infunditur & garum, uinum item modicum: uasculum inde in cacabum calentis aquæ immittunt obstruuntq; diligenter, ac tamdiu excalfacere pergunt, donec coisse medio modo uideantur. Est & pnicton carnis condimentum certum. Oua quæ recentia non sunt, requieta nuncupabant ueteres. Pultem ex ouis & lacte concinnatam, ogala dicūt medicæ rei studiosi. Oua etiam mensæ inferri secundæ apud priores solita, scribit Athenæus, cum turdis & leporinis carnibus & mellitis. Ea uero omnia dicuntur epidorpismata, item metadorpia, necnō epiphoremata. Antiquitus siquidem prius quàm ingrederentur cōuiuæ, sua unicuiq; apponebatur portio super mensam, posterius uero multa inferebantur uariaq;: unde & epiphoremata dici cœpta. Hinc Philyllius, amygdala, carydia, epiphoremata. Comicus Plato epitrapezomata item dicit: alij tragemata uocant. Epiphoras sic item nuncupabant, quæ præter publicam mercedem de propris adijciebantur bonis à ciuibus. Sed & condemnationes uerbo intelligunt eodem. Secundas uero mensas impendio magnifico instructas inferri solitas, etiam probat Pindarus. Apud Romanos cœnæ initia habebant oua, attestante Porphyrio quoq;. Vnde Horatius, Ab ouo usq; ad mala citaret, Sermonum primo. Appion denicq; ac Diodorus epeclia, id est ἐπεκλεια, uocari tradunt, quæ post cœnam dantur, tragemata. Nec illud relatu indignū, tragematū reliquias recte dici apotragemata, sicuti est apud Eupolin, qui Didymiam nescio quam incessens, uulpis eam apotragema nuncupauit, uel quod pusilla foret, uel ut uafricia dolisq; abunde instructam. Addamus ex Athenæo

item

item, qui ubi caſeum recenſuit Siculum, & quem Cretenſes Thaliam uocant, tenuem latumq́, necnon pyriephtham: ſic autem lac dicitur primum, id eſt ὀπωρεἰφθης: Forte, inquit, uniuerſa hæc epidipnidas nuncupant Macedones. Vitellum oui, lecithum dici à Græcis ſcio, & approbat ad Glauconem primo Galenus: qui tamen apud Hippocratem lecithon pro lente accipit, cui ſint decuſſa putamina. Theophraſtus loti Aegyptiæ radicem decoctam fieri lecithodem prodit, cibo expetitam quoq́. Sunt qui ita diſtinguant, lecithon pro legumine ſeu putamine ſcribi per ι, pro uitello per υ. Vitellum porrò chryſon item dicunt: Hippocrates etiam chloron. Sed eodem nomine legumínis intelligitur genus item, quod piſum aliàs nuncupant. Vnde lecithopolis mulier appellatur, quæ tum oua diſtrahit, tum legumina, aut uiliſſima omnino: tanquã nugiuendula, ut Plauti uerbo utamur. Hanc λεκιθόπωλιν enunciant illi. Oui putamen celyphanon dixit in Alexandra Lycophron, quanquam eo nomine quilibet cenſeri cortex ualeat. In piſcibus quibuſdam oua dicuntur pſathyra, id eſt harenida ex ſimilitudine. Iam & oua legimus, quæ generationi inepta ſint, dici ὄζεια, quaſi flatuoſa: nam ὄζον, dicunt uentum: quo argumento etiamnum ab Homero mulos dici ὄζηας coniectant periti, & recenſet Euſtathius, ἀπὸ τοῦ ἄγονον, id eſt ob inſitam non gignendi proprietatem, quod eorum ſemen ſit ἀνεμιαῖον, id eſt ſpiritoſum, & proinde fœcunditatis neſcium. Auctor autem in Hexaemero Magnus Baſilius, ſubuentanea oua in cæteris irrita eſſe ac noua, nec ex illis fouendo quicquam excuti: at uultures ſubuentanea ferè citra coitum progignere fertilitate inſignia. Intelligi uero ſubuentanea ſeu hypenemia debẽt, citra coitum concepta libidinis imaginatione. Quæ ratio molam in fœminis quoq́ producere creditur, uitæ ineptam, quod agens principium ex maris ſeminio nõ affuerit. Oua in Græcis auctoribus dici inuenio etiam oaria. Scribit Neocles Crotoniata, ouum ex quo prõgnata tradatur Helena ex luna delapſum. Quippe oua parere Selenetidas mulieres, indeq́ naſcentes homines quinquies decies eſſe nobis ampliores, quod approbat Herodotus quoq́ Heracleotes. Inter oua pauoninis primatẽ locum tribuunt plerique, chenalopecijs ſecundam ſibi notam uendicantibus, tertiam auitijs.

Cur ieiunantes præcipue infeſtet ſitis. Virgilius illuſtratur. Cap. XVIII

QVi ieiunia ſeruant, quocunq́ id fiat tẽpore, ſiti excellenter infeſtari amplius quàm fame conſueuerunt. Id neminem non arbitror experimento didiciſſe. Proinde non eſt quod enixius id comprobemus. Ea modo forſan quæſtio ſuſpẽſos habet aliquos, Vnde nam fiat id quod fieri quidem norint omnes, at rationem teneant perpauci. Quæ eo grauius ad perpenſionem reuocatur, quoniam & innuiſſe ſcientiſſimus poeta Aeneidos ſecundo uidetur, quum ait,

Catuliq́ relicti
Faucibus expectant ſiccis.

Quanquam obuiam quodãmodo ſe ingerebat Plutarcho ipſa hæc perpendente libro Sympoſiacorũ ſexto, unde pleraq́ mutuatur in Cœnis Macrobius: Nam & ſi (inquit) humanum corpus ex elementorum qualitatibus quatuor compactum conſtat & concinnatum ratione artificis mira, una tamẽ ex ijs eſt, quæ uel ſola, uel omnium maxime iuge ſibi cõmodumq́ depoſcat alimentũ. Is autem eſt calor, qui humecti quippiã ſuggeri ſibi in dies & horas quærit. Id uerum comprobari uel eo poteſt argumento, quod nõ aquæ, nõ terræ, nõ denique aeri ullam abſumẽdi, quod in proximo ſit, ineſſe uim, perſpicuum eſt. Ignis modo, uelut inexplebile animal, fomitem hinc inde perpetẽ conquirit, alioqui momento periturus. Rationem ſuggerit ætas prima, caloris nimietate pleraq́ auidius conſumẽs. At ſenes, in quibus conflacceſcit qualitas ea, extabeſcitq́, nullo negocio pati ieiunium ualent: uelut parte plurima interextincto eo quod reficí alimentis ſolet. Quin ubi agitatione langueſcẽtem caloris uim excitarimus, ſtomachi inualeſcit appetentia. Inde quoq́ aſſertio hæc perſpicua fit, quod inter animãtia quæ ſanguinis ſunt expertia, cibum caloris inopia nullum affectant. Quamobrem ſi appetentiam conciliat calor, humectaq́ uis proprium illius eſt pabulum, ſumma prorſum ratione fieri, fatendum eſt, per ieiunium corpore nutrimẽti indigo, genuinum præcipue id exigere calorem: quo excepto corpus uniuerſum reficí inſtauariq́ pernoſcitur.

An

An in pulmonẽ corriuetur potus, diuerſæ in eo ſententiæ. Pulmonis functionẽ duo habere munia. διαπνοὴ quid. Eudiapneuſti. Araeoſyncriti qui dicantur. Caput XIX

ILlud eximie mirari me fateor, Platonem, cui ut ſcientiſſimo, & philoſophorum facile principi, doctiſſimus ut quiſq; eſt, ita promptiſſimè aſſurgit, delabi potum in pulmonem, prodere ſibi permiſiſſe. Nam quoniam in eo uerſamur argumento, non ſopitæ fuerit operę, huius quoq; rei commeminiſſe parte hac. Platonis uerba ex Timæo, quibus planè id aſtrui uidetur, ſubijcere collibuit: Pulmonis (inquit) tegmen cordi adhibuerũt, molle primum atq; exſangue, dein cauis intrinſecus fiſtulis ſpõgiæ inſtar diſtinctum, ut ſpiritu potuq; hauſto, cordis ardorem huiuſmodi reſpiratione & refrigerio tepefaciat. Quam ob cauſam arterias tanquam aquęductus per pulmonum ſubſtantiam deriuarunt. Plutarchus Sympoſiacorum ſeptimo, eius opinionis Philiſtiona fuiſſe auctorẽ ſcribit. Sed & Hippocratem ac Dexippum Hippocraticum, ueteres medicos & nobiles. Ne quis autem obiter nos putet uelut pedites, & quidem gregarios, Lydium inſequi currum uelle, quid in diuerſum Eraſiſtratus prodiderit, ut Plutarchus idem expoſuit, ſed & in Noctibus Atticis Gellius, & in Cœnis Macrobius, nunc recenſere non eſt conſilij. Ariſtotelis uero placita, cui in ratione naturæ primas omnium calculis deferri uideo, præterijſſe, uiſum penè piaculum eſt. Ante gulam (inquit) poſita arteria eſt, quanquam impedimento eſt, quum cibus ingeritur. Nam ſi quid uel cibi uel potus in arteriam delabitur, ſtrangulationes, tormina & tuſſes grauiſſimæ incitantur. Quamobrem nec audiendi ſunt, qui hac potum meare dicant. Accidunt enim aperte, quæ modo dixi, omnibus quoties aliquid cibi delapſum eſt. Profecto opinionem eorum qui potum hac admitti exiſtimant, irridendam eſſe plura oſtendunt. Meatus enim nullus de pulmone ad uentrem pertinet, ſicut ex ore gulam tendere cernimus. Quin etiam per uomitum, & nauſeam, unde nam humor remeet, incertum non eſt. Ad hęc humorem nõ continuo colligi in ueſicam, ſed in uentrem prius, certum eſt. Excrementa enim alui tingi uidentur uini atrocioris fece. Vulnere etiam uentris ſæpe hoc patefactum eſt. Sed enim ſtultas opiniones admodum ſcrutari, ſtultum fortaſſe eſt. Hæc philoſophus ſummus aduerſus præceptorem Platonem commolitur. At qui tueri conantur, inter alia id quoq; ſequutum Platonem uideri uolunt, quòd fortè conuulſa arteria, uelut meatu intercepto interſciſſoq;, potus reiectatur foras, incolumi ſtomacho. Aſtipulari uidetur & ſitis accenſio, pulmone ægreſcente. Porrò & animalia pulmonis expertia potum neſcire animaduertuntur. Sed nec id aſtruunt prætereundum, quod in urina, quæ eſt retrimentum potus, nullum cibi ueſtigium reperitur. Quod ſi in uentre ſimul fuiſſent, aliqua illarum ſordium qualitate inficeretur. Poſtremo inquiunt, cur lapides qui de potu in ueſica naſcuntur, nunquam in uentre coaleſcunt? Atqui debuerunt, ſi in uentrem defluret potus. Eupolis denicq; & Euripides poetæ nobiliſſimi, Platonicæ hæreſi calculum adijciunt. Et ſunt qui ab Alcæo propagatum id malint. Addunt id quoq;, epiglottida, tanquam arbitram prohibendi admiſcendiq;, potum partiri inter ſtomachum pulmonemq;, ut quod in pulmonem corriuandum eſt, ſenſim paulatimq; infundatur, reliquo in ſtomachum deriuato. Lactantius in hominis opificio cum Eraſiſtrato ſtat & Ariſtotele. Quorum ſi uera ſentẽtia eſt, ut ferè conſtare uideo, una erit pulmonis functio, ἀνα πνοὴ, quam eſſe finiunt κίνησιν θώρακος καὶ πνεύματος, id eſt thoracis motionẽ & pulmonis: cuius ſint munia duo, εἰσπνοὴ καὶ ἐκπνοὴ, id eſt inſpiratio exſpiratioq;. Eſt tamen & quæ uocatur διαπνοὴ, ea dicitur ὁλκὴ ἀέρος ἀπὸ αἴρεσις, ἀπὸ τοῦ φυσικοῦ θερμοῦ διὰ τῶν πόρων, id eſt aeris attractio citra noſtrum propoſitum à naturali calore per ſuperficiem. Sed ὑποδιαπνεύσους uocant Græci, quibus libera corporis tranſpiratio eſt. Nõnulli medicorum & gymnaſtarum etiam araeoſyncritos. Cui hominum generi pronunciatum ab Hippocrate eſt, ſanitatem magis conſtare. Sic namque ſcribit: Corporis laxitas ad tranſpiratum, quibus plura feruntur per cutem, ſalubrius: at enim quis pauciora, ſalubre minus.

Ieiunij

Ieiunij ratio ex medicorum ſcitis. Firma ætas quæ intelligẽda. Item quid Hieronymus de ieiunio, & Porphyrius. Encratitæ hæretici qui, & Seueriani.

Cap. xx

Hippocratis medicæ poteſtatis ſcientiſſimi nobiliſſima & celeberrima ſententia eſt, quod & paulo ante referebamus parte quadam: Senes facillimè ieiunium ſuſtinere, mox qui firma ætate ſint, minus adoleſcentes, omnium minimè pueros, ex ijs uero qui animo ſunt propenſiores, magisq; uegeti. Hæc autem ita (quod aiunt) apertis dicta tibijs uidẽtur, ut non ita magna indigere explicatione ſentiãtur. Niſi quod Galenus firmam ætatem dici putat eorum, qui mediam conſiſtentiæ ſeu uigoris ætatem & ſenectutis agunt, cum iam creſcendi ætas & tempus exceſſit, necdum tamen ſenectutis ſenſus ullus notabilis compareat. Ita Thucydides inquit, Qui firma ætate ſunt. Integram ſunt qui itẽ uocent, Græcis autem & Galeno ἀκμὴν nuncupatur: unde ἀκμαζειν deflexum eſt uerbum. Integra ætas (inquit in Terentium Donatus) eſt, quæ in flore conſiſtit, cui neq; addendum iam ſit, neq; quicquam adhuc ſit imminutum. Virgilius,

Integer æui Aſcanius.

Quod autem ſenes ait, intelligendum putat de ijs qui primordia uitæ ſenilis traducant. Nam de ijs qui ſummam pulſent & occiduam ſenectam, qui intelligi poteſt? Quum ij diutinæ inediæ diſpendium nequaquã ferant, quanquam cibum exigunt omnino perexiguum. Traditum & illud in eiſdem comperi ſcholis, Sanguine abundantes bilioſis facilius ieiunium perpeti, cauſis aliquot: & primum quidem, quoniã humectum in illis redundat ſubſtantificum, atq; item nutrimentitium: poſtremo & calor ſuppetit remiſſior minusq; acutus, ut qui humido ſuffrenetur. Attendenda & in hoc ex primo Canonis Auicennæ placita, prodentis, Eum uitæ modum uideri præſtabiliorem, ut die una ſemel tantum hianti ſtomacho ingeratur cibus, mox ſequenti bis, mane & ſole occiduo. Id ipſum & ſexto Colliget comprobat Auerrois capite ſeptimo: Nam & mirabilis (inquit) Auenzoar aſſentitur. Raſis quarto Almanſoris, Canon, inquit, aptiſſimus uidetur, ut bilioſis bis die cibo refici permittamus, phlegmaticis ſemel, temperatis ſanguineis ue ter duobus diebus. omnino ægre cibaria perficientibus præſtare, ſcribit Auicenna, bis interdiu comediſſe: ſemel autem uix aut nunquam. At beatus Hieronymus: Poſt cogitationum (inquit) cautiſſimã meditationem, ieiuniorum tibi arma ſumenda ſunt, & canendum cum Dauid, Humiliaui in ieiunio animam meam, & cinerem tanquam panem manducaui. Eua per cibum eiecta eſt de paradiſo. Helias quadraginta dierum exercitatus ieiunio, igneo curru rapitur in cælum. Moyſes quadraginta diebus ac noctibus familiaritate & ſermone dei paſcitur. Hoſtis antiquus, poſt quadraginta dierum ieiunium, per cibum molitur inſidias: Si filius dei es (inquit) dic ut lapides iſti panes fiant. In Lege, Menſe ſeptimo poſt clangorem tubarum, decimo die menſis, totius gentis Hebrææ ieiunium eſt, & exterminatur anima illa de populo ſuo, quæ ſaturitatem prætulerit continẽtiæ. Et mox paulo: Sic ieiunandum, ut non palpites, & reſpirare uix poſſis, ſed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in pſalmis, nec in uigilijs facias quid minus. Ieiuniũ non perfecta uirtus, ſed cæterarum uirtutũ fundamentum eſt. Et rurſum alibi: Diſplicent, inquit, in teneris maxime ætatibus, longa & immoderata ieiunia. Experimento cognitũ, aſellum de uia laſſum diuerticula quærere. Faciant licet Iſidis cultores ac Cybelis, qui guloſa abſtinentia phaſides aues & fumantes turtures uorant, ne Cerealia contaminent dona. In quadrageſima prophani ferè uẽtris ingluuiem decoquunt, & in cochlearum morẽ ſuo uictitantes ſucco, futuris dapibus ac ſaginæ aqualiculum parant. Hæc ſi quis impudentior paulo ridenda arbitratur, perpẽdat quæſo Porphyrij quoq; exodium nobile, ex ueterum theologorum placitis in dæmonum improborum ſacrifico ritu præcipientis, Ieiunio animum expurgari debere, præſertim uero animalium abſtinentia. Quippe ſanctam animi puritatem, uelut ſymbolum characteremq; diuinum arbitrabatur, quo ab illorum cuſtodiamur prauitate. Porrò & uir planè diuinus animum tum ſapientia diuina, tum ciborum muniet abſtinentia, perturbationes hominibus incitantium. Tum ipſa ad deum ſimilitudine, uelut dei templum incontaminatũ, eſſe animum arbitratus

arbitratus in hoc uniuerſo dei patris templo. Feſtorũ item dierum quibuſdam, priſco ritu ieiunia ſeruata, in libro De Oſiride ac Iſide, allata in ea re Xenocratis ſentẽtia, Plutarchus tradit. Denique compertum nobis, Encratitas hæreticos, qui & Seueriani ſunt nuncupati, nominis indeptos rationem, quoniam cibis abſtinerent ac matrimonio: ab Tatiano propagatos; Hieronymus ſcribit, auctos ab Seuero: unde σεβηριανισὰι Sophronio uocantur. Ieiunium quandoq; Cereri inſtitutum, T. Liuio credimus.

Tritagoniſtæ cõuitium Aeſchini inuſtum, quid ſibi uelit. Theſſaracoſton in grauidis tempus, quod ſit: necnon teſſaracoſton feſtum. Teſſera in re militari, quid.

Caput XXI

AEſchinem oratorem nobilem Demoſthenes nimio plus quandoq; uellicans, & labeculam aliquam uiro eloquentiſſimo utcũq; inuſtam uolens, Tritagoniſtem illum ſubinde appellat: ſicuti commeminit Hermogenes quoq; primo De ideis tomo, καὶ τειπαγωνιςὴν ἄκρον ἐβ ἐθρεψε σὲ ἡ μήτηρ. id eſt, tritagoniſtem extremũ educauit te mater: ut qui tertio hiſtrionum ordine dignus uideretur, quando eum tragicum hypocritem, hoc eſt hiſtrionem intelligi uolebat. Nec ſecus multis in locis hominem infamat, quàm ut ſcenicum etiam inutilem, ac uix in tertijs concertantem. Nam tritagoniſtes non aliud ſignat, quàm ordinis tertij certatorem. A Sophocle uero productum hoc uidetur, qui primus creditur tribus uſus hiſtrionibus, & quem uocant tritagoniſtem. Aeſchinem fuiſſe hypocritem, ſicuti Demadem etiam remigem, adnotauit Quintilianus. Plutarchus in Decem rhetorum uitis, ſuper Aeſchine ita commeminit: Quum eſſet (inquit) λαμπρόφωνος, hoc eſt uocis ſonantioris, poſtmodum tragœdiam exercuit: ut uero Demoſthenes ait, ὑπογραμματιδίων καὶ τειπαγωνιςῶν ἀειταδλήμων ἐν τοῖς διονυσίοις διετέλει. id eſt, ſcribæ hiſtrionisq; munere fungens apud Ariſtodemum agebat in Dionyſiis. Quin etiam puer, literas cum patre docuit. Idem Demoſthenes in oratione præclara, παιπαλήμας Aeſchinem dicit, uoce deflexa ex pæpale, quod uerbum florem indicat farinæ: quoniam eſſet is ingenij acerrimi, nunquam non in numerato ad ſibi utilia peruidenda, tametſi cæteris detrimentoſa. Pæpalema certè dicitur, in malitia uarius ac multiplex. Tympaniſtriæ filium fuiſſe Aeſchinẽ, prodidit Lucianus. Teſſaracoſton uero tempus dicitur dierum quadraginta: quando ſeruatum ueteribus tradunt, uti geſtantes utero ante partum, eo dierum numero ſacra ne adirent. Quin & à partu totidem, incommodis infeſtabantur plurimis, ſicuti infantes quoq; per id fermè temporis, morbidi ſunt, uti docuit Cenſorinus, ac ſine riſu, nec citra periculum. Quibus mox tranſactis, feſtum agitabatur Teſſaracoſton item nuncupatum. At teſſera (inquit Polybius) tabella erat inſcripta, quæ ſole occiduo à tribuno accepta ferebatur ad ſignorũ principes, rurſumq; ad tribunum redibat, unde is omnibus eſſe datum ſignum cognoſcebat, necdum ſe intendentibus tenebris, percq; omnes ad ſe peruenisſe.

In piſce communi ſpinam non eſſe, quid ſignificet. Ataſthalia quid, & unde. Heterognatos. Arithmetica ne proportio in conuiuio probabilior, an geometrica. Cur cœnam dicant δεῖπνα. Dætis quid, uel molyza. Protothœnia. Trimmata. Homochœnices. Homoſiti. Camaſenæ apud Empedoclem quid. De Boethio plura.

Caput XXII

QVàm eſſet uiro graui improbanda uentris ingluuies, & pecuina uoracitas, ſuprà locis aliquot ex ſummis auctoribus uideor abunde commonſtraſſe. Nunc quia in eandem ſententiam ſuppetunt aliqua non digna quæ prætereantur, nec quibus (ut opinor) Græcanicum illud congruat, οὐδὲν ἱερὸν, nil ſacrum: operæpretium me facturum credidi, ſi ea uelut auctaria bonarum literarum ſtudioſis congeſſero. Igitur fuiſſe ueteribus adagium uideo, quod uſurpaſſe Democritum ex auctore nouimus locupletiſſimo, ὦ ξωὼ ἰχθῦι ἄκανθαι οὐκ ἔνεισιν, promiſcuo piſci non inſunt ſpinæ. Id uidetur in nimio plus uoraces productum, qui inſita, cephalicq; auiditate quadam, raptim ſe ſaburrare feſtinantes, uerentur ſemper ne accumbẽtibus parte ulla cedant, immoq; indigi inexpletiq; è menſa cogantur ſurgere: quo fit, ut dum deglutire ſatagunt, quicquid uncis manibus, uelut inauſpicatæ aues, inuncarint, ne per-

purgent quidem, ſed confertim indiſcriminatimq; omnia in barathrum deuoluant & latrinarum meditatorium: ἀλλ' οὐ φιλικὸν, οὐδὲ συμποτικὸν προοίμιον δυωχίας ὑφόρασις καὶ ἁρπαγισμὸς καὶ χειρῶν ἅμιλλα καὶ διαγλωνισμὸς, ἀλλ' ἄκομπα καὶ λιτικά. id eſt, at non gratum, nec conuiuale procœmium eſt guloſa eſculentorum inſpectio & rapacitas, manuumq; certamen, necnon cubiti inniſus. Perabſurda hæc ſunt, ac cynica. Quo argumento ataſthaliam uocarunt Græci, in conuiuijs, quas dicunt thalias, hoc genus peccatum, ad alia mox uocabulo corriuato. Heterognatos ex Libanij declamatione quadam, uorax intelligitur, qui nunc in dextram, nunc in ſiniſtram cibum lingua conuoluat, uel utraque oris parte cibaria ſimul conterens, ita ſit nuncupatus. In hos ita affectos ſic declamaſſe Socrates uidetur, quum diceret, quoſdam pane uti uelut obſonio, quoſdam obſonio tanquam pane. Proinde ſunt, qui ueterum frugalitati applaudentes, ut præclarum maximeq; ciuile, id efferant inſtitutum, quo μοῖρα καὶ λαχεσις ἰσότητα τῶν πολλὰ τὰ δεῖνα καὶ συμπόσια κοινωνίαν ἐβραβεύον. id eſt, Mœra & Lacheſis in cœnis æqualitatem, & in conuiuijs cõmunionem diſpenſabant: nil enim conſpiciebatur inornatum, illiberale nihil, quando erat iſomœria, quam intelligimus ſuam cuiuſq;, ac ex æquo portionem. Ex quo argumento, uiri nunquam laudati ſatis, cœnas ipſas δαῖτας nuncupabant, & conuiuas, δαιτυμόνας: & δαιτρούς, ſtructores ipſos, ac trapezocomos, à diſtributione quæ tũc fieret: ſiquidem δαίειν, diuidere eſt. Aſtruitur quod dicimus, & Spartæ moribus, quibus creodætas, id eſt carnium diuiſores habere, receptum erat: non quoſcunq; quidem, ſed eminentiſſimum quenq; ex ciuibus. Nam Lyſandrum eo quandoq; perfunctum munere, tradit hiſtoria. Id uero dicebatur creodæſia. Sed uas creodochon dici adnotauimus. Dætis autem uocatur Galeno, alij caput. Dicitur nomine eodem minutior lampas quoq;. Hippocrati molyza nuncupatur, allij cum ſolo capite coma. In conuiuijs, inquit Pollux, portio prima dicitur protothœnia, id eſt πρωτοθοινία. Huic porrò mori calculum adijcit Homerus quum ſæpe aliàs, tum ubi ait,

ἠῦ οὔ πῃ ἐδαίνυτο δαιτὸς ἐίσης.

id eſt, & nemo æquali indigebat cœna. Cæterum, mos hic quo in cœnobijs nunc maxime ſancti uiri, deoq; uere mãcipati, caſtiſſimè degunt, exſoleuiſſe tunc uidetur, quum ſaliares inductæ ſunt cœnæ, quibus ad immobilitatẽ uſq; differtus uenter diſtenditur. Candylos nulla tunc menſa notaſſes, non carycias, ganeata cibaria, quibus iam ſatur titillatur palatum. Non aromaticas potiones, quæ uocant trimmata. Certe diu ſeruatum, ut ſacrificium & publicum epulum non alio fieret modo, quàm πρὸς μοῖραν, id eſt ad portionem. Hinc Euripides, τὸν τῆς ψυχῆς πτῶσιν λιπαρὸν dixit, hoc eſt animæ filiam ſortem: quæ diuiti, aut illuſtri non contribuens τὸ πρωτεῖον, hoc eſt honorem præcipuum, ſed ut obuenit, pauperem abiectumq; ſurrigit, magnum uero ac potentẽ æqualitati aſſuefacit, nec moleſtè, ſed moderatum agere hilariter. At enim aſſertione id genus, uideo proſilientem in me gurgitum altiſſimorum turbam, & Apicios neſcio quos tumultuoſius obſtrepentes, qui ſoliti λιχλίζειν, id eſt cichliſſare, ſeu turdos eſitare, ὄψατα οἷα ἔδουσι διοτρεφεῖς βασιλῆες, id eſt, obſonia cuiuſmodi à Ioue nutriti ueſcuntur reges, querulè nimis flebiliterq; ferent, ad Zenonis parſimoniam, tanquam ad pileum gulæ proceres uocari. Quem proditum memoriæ eſt, crudis duntaxat ſolitum ueſci, interimq; uini loco aquam perpotare, ac diſcipulos eſuriem docere. Vnde Philemon de illo ita cecinit, πινεῖν διδάσκει τὴν μαθητὰς λαμβάνων. id eſt, docet eſurire, nec tamen diſcipulis caret. Atq; in diuerſum ita concinnabunt argumenta, ut patinarias ſtruant ſtruices, quod Plautinum eſt, ueluti non ueſcendi bibendiq; gratia agitari conuiuia ſoleant, ἀλλὰ τοῦ συμπιεῖν & συμφαγεῖν. id eſt, ſed combibendi conueſcendiq;. Tua uero inquient creodæſia neſcio quæ, ac in portiones diſtributio, cõmunione ſublata, ex una multas nobis cœnas conficit: pluresq; cœnantes, concœnem uero conuictoremq; prorſus neminem, quando ueluti à creopolica menſa ſiue lanionia ad libram capiens quiſq; portionem decumbat. Sed rogo te, Nonne deridiculum neſcio quem & imperitum arbitrere medicum, ſi ægris pluribus ad æquilibrium potiones propinet? An non ſentis in conuiuendi ratione idipſum uſu frequenter uenire? Eſt qui plus appetat, eſt qui minus, inſita unicuiq; uirtute aut retundente, aut acuente cibi appetentiam. Tu tamen ſe-

ſtiuiſſime

ſtiuiſſime cõuiuator & rex, non ſitientes, nec fameſcentes ad eundem cum diuerſis calculum reuocas. Nec ſatis uidere didiciſſe, non arithmeticum in iſtis medium, ſed geometricum requiri. Proinde, ſi ad cauponem diuertas, conſuluerim planè, una & communi utendum menſura. Quum uero ad conuictum uocamur, memineris, proprium quenq; uentrem adducere: quem denicq; non tuum hoc moleſtum æquilibrium explet, ſed quod eſt ſatis. Neq; umbricas huc cœnas reuoco, ſed ueterum nobis humanitatem cenſeo imitandam, ut in communione ſeruanda non homorophij modò ſimus, & tecti eiuſdem cohabitatores, ſed poculi quoq; & cibi eiuſdem grati participes. Quos à Græcis dici homochœnicas ſcimus, & homoſitos: Homericas porrò cœnas uafere ſinamus, famelicas neſcio quas & ſiticuloſas, in quibus reges ſunt Italis moleſtiores cauponibus: quibus in procinctu ſtantibus, ſuccurrit memorare, quot quis apud ſe calices perſiccarit. Pindaricæ utiq; præſtiterint, in quîs omnia omnibus affatim apponi inuenies. Quod te non obſeruaſſe, impendio miramur, quum ſubinde in Græcorum caſtra ſolers explorator te inferas, & in nulla non pagina ab illis uerſuram facias, ex uſura ſortem fieri opinatus. Perbelle mihi ratiocinari uidemini, & quidem, ſi uera omnino dicenda ſunt, me quoq; ſimilis quandoq; rapuit ſententia. Sed quum animaduertiſſem non me ualde ab eo differre, quem torrens arreptum deuoluat, qui non quò uelit ipſe, ſed utcunq; aquæ impetus tulit, neceſſariò feratur, erubeſcebam equum me plane furentem inſcendiſſe. Neq; enim aliud eſt concupiſcentiæ agitatio. In quo ſi ex me ſcitetur quiſpiam, quo nam ferar: non aliud uere reſpondeam, quàm quo uiſum effreni bruto fuerit. Proinde uos, ut collibuerit, me nihil pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui cibi potuſq; largitate opprimi ſenſum, rationem concuti, ſapientiæ induci nubilum uſu edocti non abnuunt. Illud obiter, quoniam à piſcitio cœpimus, adnotarim, communi notione piſces omnes camaſenas, id eſt καμασωῦας dici ab Empedocle. Immo uero nec id prætereamus ex hiſtoria productum: erant Symmachus, & illius gener Boethius ſummo nati loco, ac inter Romanos, ſenatoriosq; uiros facile principes, conſulari etiamnum perfuncti dignitate: uerum cum primis philoſophiæ myſterijs abundè illuſtres ac benefica natura pleriſq; ſalutares. Sed uti in magna ferè aſſolet gloria: æmulorũ ſeſe promebant odia & ſimultates. Vnde factum, ut tanquam rerum nouarum ſtudioſi, in ſuſpicionẽ uenerint Gotorum regi Theodorico: qui hoc nomine bonis publicatis, etiam illos interimi iuſſit. Sed quum mox cœnanti miræ magnitudinis piſcis percoctum caput appoſuiſſent miniſtri, Symmachi eſſe id, uiſum regi, quando & ab inferiore labro prominere dentes opinabatur, ac prærigidos toruosq; oculos interminari grauius, ac ultionem intentare. Qua monſtri ſpecie is conterritus, cõtremiſcensq; totus, ac rigens quum decubuiſſet, mox extabeſcẽs luctu emoritur. Illud item adnotarim, Boethij uxorem, Symmachi filiam Ruſtitianam ab hiſtoricis nuncupari: quæ uiro ſuperſtes, capta urbe ab Totila, uitæ neceſſaria ab hoſte coacta eſt emendicando quærere, quæ antea facultates ſuas egenis munificè fuerat impertita.

Candyli quid ſint: item abyrtacè, abyrtacopœi, candys. Plutarchi codex emaculatur. Caryceumata. καρυηοπωλεῖν. Carycopœi Delphi. Caryca. Paropſis. Paropſimation. Onthyleuſes. Carica. Carya. Conchyliorum lautitia. Syrmæa, ſyrmia, mimarcis, nogaliſmata, mimata, hæmatia. Buli pro inteſtinis. Liculmen, alix, enhæmata. Caput XXIII

QVoniam uero paulò antè quibuſdam uſi uocibus ſumus, quas haud ambigam, legenti frontem contraxiſſe, tollamus porrò difficultatis tricas, ut ea ueluti morula, nihil harum lucubrationum ſtudioſi ſufflaminẽtur, ut hoc interim uerbo utamur, quo & aliàs. Candylos ergo accipe ſcitamenta ciborum quædam ex melle lacteq; concinnata: ſicut abyrtace apud Barbaros ex porro comparabatur, cardamo, allio, mali punici granis, ſinapi, & id genus alijs quibuſdã, unde abyrtacopœi nuncupantur: Medis præſertim id uſu frequenti fuit: ſicuti in Theſeo auctor Theopompus eſt, & in cecryphalo Menander. Candys autem Perſicum eſt indumentum. In quo Plutarchi codex Latinus non citra labeculam circumfertur in Cimone; nam ſpolia recenſens Perſica, præter aurea pſellia etiam manicas adijcit, quas in-

terpres bullas accipit & torques ac candyas: ubi modò candidas, ſcriptum legas. Caryciam uero dici inuenio iurulentam dulcedinem. Iulius autem Pollux, dicas (inquit) iuris carycam, caryceumata, catachyſmata, abyrtacem, paropſida: eſt enim & hoc iuris quoddam genus, uel (ut putant alij) mazæ, uel eſt obſonium, quod nunc paropſima tion diceremus. Pro uaſe autem dici paropſida, negat Thomas, Magiſter cognomento: probat ueterum auctritate Athenæus. Caryceumata ſalſa placentis inſpergi ſolita, tradunt Ariſtophanis interpretes. Carycæ meminit in Timone Lucianus, καρύλης τὸ γλύκισμα ἀναπλέως, id eſt ſuffertũ habens barbitium caryca. In Lexiphane recenſet idem, abyrtacem, carycias, thrymmatidas, & thria. Scribit Sudas, eſſe carycam Lydium condimentum ex ſanguine & pleriſq; alijs prælautis confectum. Vnde inquit dictum λαγυνοποιεῖν, quod eſt, ſcita uerborum uarietate orationem excolere. Et in libro De rhethorica Apſinus duci iudicem prædulci oratione ſuauiq; oportere ſcribit, perinde ac lauto caryciarum apparatu. Carycopœos tamen dici Delphos, legimus, quoniam uictimas circumcidentes coquorũ fungi officio uiderentur. Carycarum meminit Athenæus quoq;, ut Lydij inuenti. Quin eſt item caryca uenter, quem nunc monthylentem dicimus. At inquit Pollux, ſuperflui apparatus onthyleuſes dicũtur, ac monthyleuſes. Carycam eſſe multi impendij, Didymus auctor eſt. Sunt qui à nigredine inflecti uocabulum opinentur: nam λάρυδος ῥοῦς, pro nigro interpretatur. Carica uero domicilia in edito ſita nuncupantur, & naturali tuta munimento, quod ſignificat comicus nobilis, ὥσπερ οἱ λάκκοι μὲν οὗτοι τῶν λόφων οἰκοῦσιν.

Sciendum uero, id quod ut ſuccenturietur, impetrat gula, Tempeſtate hac Pannonios carycæ imaginem ſeruare quandam, ex pipere ac aromatibus alijs ſcitamentum conficientes cum pullorum aut anſerum ſanguine, quos ad hunc uſum iugulando peremerint. Omnino edulia hæc fuiſſe pretioſiora, ex Plutarcho liquet Sympoſiacorum quarto. Carya uero ad carycas nil admodum pertinent. Nam eo dici nomine uidentur, quæ ligneo conteguntur putamine. quando & Perſeæ os ita nuncupat Theophraſtus, Conchylia uero adeo proceribus gulæ probata, ut uel inde ſit conformatum adagium, Eſſe conchylia uiduarum cupedias: ſicuti Phalereus commeminit Demetrius, ut Sophronem taceam Mimographum. Apud Herodotum eſt raphani genus ſyrmea, ſed eodem quoq; nomine edulium ex adipe concinnatum & melle. Vnde correpſerit Syrmiæ noſtris temporibus frequens nomen, quod obſeruatum eruditis eſt: habetur uero id nuptiale ferculum, cui condiendo quæritur gallinacea pulpa cum amygdalis & ſaccaro. Eſt tamen Hippocrati ſyrmæa item ſuccí ſpecies, id eſt paſſi, aut defruti. Erat & prioribus inteſtinum ſanguine concinnatum, id (ut Pollux docuit) nuncupabatur mimarcis. Sunt & ſcitamẽta quædam dicta nogaliſmata, præcipuè grata: meminit Ephippus. Sed uerbum id poetis modò frequens, arbitrantur nonnulli. Mymata quoque obſonia dicuntur quædam pretioſius comparata. Parabantur uero, ut eſt apud Artemidorum, ex carne ac cruore, coniectis præterea condimentis pluribus, quæ in Opſartytico recenſet Epænetus. Fuit & genus aliud, quod & ipſum à cruore contenderim dici hæmatiam. In Collectaneorum rei ruſticæ libro apud Græcos, auctore incerto, legi, eſſe ſpeciem gari hæmation, quod ex thynni concinnetur inteſtinis μετὰ τῶν ἐμβραχίων, ſanguine inſuper adiecto, & quibuſdam alijs. Eodem ferè loco nominatur ſpecies altera ex inteſtinis itidem piſcium liculmen, cuius percolati ſedimentum dicatur alix. Enhæmata Dioſcoridi ſunt ulcera cruenta. Hæmaſium uocant ſeptum ſpinis contextum, quod ingredi cupiẽtes ſanguine oppleantur. Auctor eſt Ariſtophanis interpres, allantopolas adipibus conciſis implere τοὺς βούλους, quo uocabulo accipi inteſtina poſſunt, quæ paulum luxato uerbo ſic item plebeia nuncupantur uoce. Botulos etiam cruore diſtentos apud Septimium Florentem legimus. Cæterum, quia in conuiualem incidimus hilaritatem, non ineptè fortaſſe fecerimus, ſi hoc potiſſimum loco fuero exſequutus, quicquid mihi lectione uaria compertum eſt: quando non parum multa ſunt, quæ ad id ſpectantia ueteres monumẽtis prodidere. Verum, ut minus anxia lectio fiat, quoniam qui ſæpius iter iungũt, ſerius quidem, ſed incommodo minore nihilo ſecius, quò contendunt, tandem perueniunt, impingentes capiti huic coronidem, ſeorſum quę reliqua

liqua fiunt, pertractabimus, Græcorum ferè ueſtigijs inhærentes, nec tamen noſtros tranſeundo inhonoratos. Putemur modò mutitare nunc, uel Saturnalitia mittere, aut ſigillaritia.

Prandij & cœnæ uocabula, tam Græcè, quàm Latinè unde inflectantur. Acratiſma. Ariſton. Dipnon. Monophagi. Monoſiti. An ueteribus in uſu fuerint prandia. Ignis laus, & ſalis. Quæ ſint bellaria pergrata. Vnguentorum mos. Myron unde. Tricliniorum, & cõuiuarum appellationes pluſculæ. De Androne, ac Thiaſo. Andera quid. Symbolum quid, & ſymbole. Collecta. Conuiuiorum ſpecies. Ilapine. Gamos. Eranos. Sportularum conuiuium. Ilæ quid. Ilarche. Brumalia quæ, & unde. Caput XXIIII

ILlud uero ſe ingerit primũ, ut ſcrutemur, quid ita Græci prandium dicant ariſton: ſed præſtò grammatici ſunt, de temporis incertitudine ſic nuncupatum arbitrati, uelut aoriſton intelligamus, id eſt indefinitum, uel quòd in bellum pergentibus, id eſt πρὸς τὸν ἄριστα, concinnari conſueſſet. In Sympoſiacis Plutarchus acratiſma & ariſton idem ferè arbitratur, quod ipſum & Athenæus facit. Sed à meracius potandi conſuetudine nomen illud inflecti coniectat, quoniam panis bucellam mero tingerent: hoc autem ἀπὸ τῆς ἐωθινῆς ὥρας, id eſt à matutina hora. Nam & Eumæum ſcribit Homerus, ariſton, id eſt prandium paraſſe, ἅμ' ἠοῖ φαινομένῃ, id eſt commodum ſeſe promente aurora. Commeminit uocabuli & rei quarta hiſtoria Thucydides. Philemon uſos ueteres ſcribit, acratiſmate, ariſto, heſperiſmate, dipno. Veſpernæ uocabulum ex hac ratione pro cœna uidetur effinxiſſe Plautus, quum cœnam ueteres pro prandio acciperent. Dipnon uero, ſiue cœnam, dici ὅτι τῶν πόνων ἀπαυδᾷ, id eſt quia pauſam laboribus facit. Ni malit quis ariſton appellari, uelut ἕτοιμον, id eſt ex obuijs, nec anxiè comparatum. δεῖπνον uero ὡσανεὶ ἀπαιτοῦν μόνον, id eſt elaboratum ſolicitiuſq; appoſitum: ſed uarijs tamen diſtinctum cognominibus. Erat enim quod phileticum diceretur, aliud demoticum, necnon phratricum, aut etiam orgeonicum, ut Thiaſum præteream. Lego & ſoteria ſyndipna. Sed & in Canonicis decretis, agapen pro conuiuio bis poſitam inuenimus, quæ res cum philetico fortè congruat. Lamprias uero apud eundem Plutarchũ, cœnam apud Romanos dici aucupatur, ἀπὸ τοῦ τὰς κοινωνίας καλεῖσθαι, quòd cum amicis decumberent. Nam ſeorſum ferè prandere, ueteris fuiſſe moris: unde ſunt forſan apud Athenæum monophagi. At plauſtra ſimplicia uocantur monoſtropha. Monoſitos intelligũt, qui ſemel tantum die cibum admittunt: quod auaritiæ cauſa liberas factitaſſe, traditum ueteribus ſcio. Dici uero à nobis prandium, à temporis qualitate: nam μέσον, ſignare meridianum: quando & à prandio interquieſcere μεσημβρίζειν pronuntiant, uel quòd id ſumerent πρὶν μεσημβρίσαι, id eſt prius quàm indigentiæ premerentur nocumẽto. Acratiſton uocat Theocritus, ſine cibo aut ientaculo. Hinc eorum coargui inſcitia poteſt, qui prandia in uſu fuiſſe ueteribus, abnuunt. Nam ut Iuuenalem taceam, in cuius Satyra legimus,

Hæc inter nautas & prandet & errat.

Macrobius Saturnalium tertio: Imperatum, inquit, ut patentibus ianuis pranſitaretur & cœnitaretur. Plinius Cæcilius: Poſt cibum ſæpe, quem interdiu leuem & facilem more ueterum ſumebat, æſtate iacebat in ſole. Valerius libro ſecundo. Prandere & cœnare in propatulo, uerecundiæ non erat: Plinius quoq; libro trigeſimotertio Q. Elium in fictilibus prandiſſe ſcribit: & libro ſeptimo, Decimum Saupheium ſcribam mortuum, quum domi ſuæ prandere. Cicero pro Cluentio, Quum eius in nuptijs more Larinatium multitudo hominum prandere. Et infra, Quum ad illud prandium crudior ueniſſet. Scribit tamen Pollio Trebellius, prandium dici, quòd ad bellum milites paret, à cinctis initum: cui rei adſit argumentum, quòd à diſcinctis cum imperatore cœnaretur. Nam eſſe prandium militare, aſtruitur multis. Vt uero ulterius pergamus, Euenum dicere ſolitum accepimus, Ignem uideri omnium bellariorum iucũdiſſimum. Salem uero Homerus diuinum uocat. Plericq; autem χάριτα, id eſt gratiam, quod pluribus interſitus guſtui ſapida reddat, & grata. Verum præcipuè diuina bellaria, & mirè grata amici ſunt, & familiares. Cæterum & cum bellarijs corollisq; in menſas ſecundas

ueniebant unguẽta profligatis cõgrua moribus impudicisq;. Quod apud Xenophontem teſtatius Socrates facit. Certe Græcis myra nuncupantur, quaſi μωρὰ, quoniam uino madentibus ac delirantibus planè arrideant. Vnguentarios infectoresq; non admiſit Sparta, execratus eſt Solon quoq;. Conuiuij locũ inuenio recte dici ſympoſium, androna, ſyſſition, & triclinon, œcon, id eſt domum, & pentaclinon, uel etiam decaclinon, & paſtada, ἀπὸ τοῦ πάσθαι, item ſynagogium: ſed & ſynagogimon, ſiue ſynagogium pro conuiuio apud Alexin in Philocalo, legimus: nam συναγειν dicebant ſimul bibere, ſicuti comprobat Menander quoq;. Forte (inquit Athenæus) hoc ſit, quod ſymbolis conſtat. Vnde interrogatus Cteſibius, quid illi ex philoſophia ſupereſſet, reſpondit ἀσυμβόλως ἀριστᾶν, id eſt ſine ſymbolo cœnare: nam quum iocis ſcateret, ſæpius uocabatur: quo nomine à Timone eſt proſciſſus, ut dipnomanes, ac mortui habẽs oculos, κραδίλων δ' ἀκύλιστον. Sic & aſymbola dicuntur conuiuia. Symbolen autem conuiuio illatam, chon uocant Argiui, id eſt χῶν: particulam uero æſam, id eſt ἄζαν. Symboles meminit Alexis quoq;. Collectas, à conuiuis exigi ſolitas quandoq;, in ſecundo De oratore, indicat Marcus Tullius. Hebeteria item dici ſympoſia in ueteribus obſeruatum memorijs eſt, unde forſan præpoſita poculis Hebe confingitur poetis. Illud adnotarim obiter, Inter periſtylia olim & hoſpitalia in domibus itinera conſtituere, moris fuiſſe, meſaulæ dicebantur à Græcis, q; inter duas aulas media eſſent. Noſtri etiam andronas uocarunt. Quo argumento Rhodigini mei, ubicunq; inter domos duas anguſtior patet uia, qua uelut anfractu breuiore, liceat ex tranſuerſo in patẽtiorem tranſcurrere, uocant andronem, uel etiam forma deminuta, andronellam. Quod mirum tamen eſt: nam Græcè non conuenit, neque item Latinè: etenim illi, andronas appellant œcos, ubi conuiuia uirilia ſolent eſſe, uti ex Xenophontis liquet Sympoſio, quòd eò mulieres non accedant. Athenæus etiam ita ſcribit: heroicas domos Homerus megara uocat, & domata: at nunc (inquit) xenonas putant, & andronas. Andronas apud Herodotum libro primo, porticus interpretatur Valla, ubi arma è porticibus, ſiue ἐκ τῶν ἀνδρεώνων amota (ſcribit hiſtoricus) fuiſſe in thalamos illata. Theocritus, anemones andera, id eſt ἄνδηρα in ſepibus uiſitari ſcribit: quo nomine flores intelligunt, quanquam fluminum labra ſic uocentur quoq;, quia ſint ἄνω τῶν ὑδρῶν, uel loca item humecta. Conuiuas ipſos, Græci ſympotas dicunt, uel homoſitos & ſyſſitos, ſynuſiaſtas, thiaſotas & thiſitas, necnon ilapinaſtas, eraniſtas. Quanquam non me fallit, Athenæum Euſtathiumq; in Odyſſeæ primum ita conuiuia diſparare, ut ilapinen, id eſt ἑλαφάνην ſtatuant, quòd ſplendorem habeat, & apparatus magnificentiam. Vnde & in Cypro colli ſolitum legimus Iouem ilapinaſtem & ſplanchnotomon. Dici ilapinem interpretantur, ab ἴλαι, quo nomine ordines intelligunt, ac uertigines, quas iuniores æderent in choris, cuiuſmodi à comeſſantibus poſt uictoriam exhibebantur. Pindarus,

ἔνθαμιν εὐφρονες ἴλαι σὺν καλλιμοισι βόαις θεὸν ἀείχοντα.

Eſt item ila, equeſtris turma: unde nuncupentur ilarchæ, qui & taxiarchæ. Sed à diuerticulo repeto fabulam. Gamon, in quod item pecuniarũ erogetur pluſculum. Eranon, quòd pluribus differtum accumbentibus ſit, ſed ita, ut ferat ſibi unuſquiſq; quod edat: quod etiam ἀπὸ συνείδου dicebatur, id eſt à ſportula. Quæ res poetæ Heſiodo arriſiſſe admodum uidetur, quòd inſit iucunditatis multum, impendij haud ſanè. Quin & Romanis probroſum cenſebatur alienis ueſci, proinde ferebant ſinguli quod eſſent ac biberent, quòd non dicerentur ἀλλοτριοφάγοι. Hinc tollendæ ignominiæ cauſa Romulus quòd cum fratre ab Larentia foret educatus, Brumalia inſtituit, quibus conuiuio excipiebatur ſenatus, quum neceſſarium diceret, ab rege ſuo ali ſenatum hyeme, nullis obſtrepentibus bellis. Brumalia Græci interpretantur ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων τραφλῶν. Seorſum uero Thiaſotarum domos pholateria nominabant, id eſt φωλητήρια: quanquam eſt propriè Thiaſus, ſacer chorus, unde thiaſotes pro choreute. Sed Demoſthenes & Xenophon multitudinem quamlibet diuinæ rei cauſa coeuntem eo dici uoluntnomine: quoniam Sios, Lacones dicunt deos, ut ſcribit Athenæus. In Plutarchi Sympoſiacis tardiores conuiuæ, ac ad cõueniendum lentiores nuncupantur colyuſidipni, uelut cœnaturis morulam inijcientes, & accubitum inhibentes (Scribit tamen Etymologiarum

rum ſecundo Apollodorus, ex cochlíjs, hoc eſt límacis eſſe, quæ dícantur χωλυσιδλαπνοι, id eſt colyſidípni) item zophorodorpides, tanquam in noctem protrahentes conuiuium, necnõ trechedípni, ex aduerſo appellatione facta, quod minus ad cœnam currant. Sunt & qui uocentur epithymodípni, qui rerum multarum curis diſtricti, nihilominus cœnæ cupiditate uocatoríbus non negant, etiam ſi ad præſcriptũ adeſſe queant minus. Apud noſtros menſæ eiuſdem participes conuiuæ dici conſueuere, ſed & conuictores apud Plínium Cæcílium: nam compranſores legiſſe uideor in Philippícis apud Marcum Tullium. Homotrapezí leguntur apud Xenophontem ἀναβαθμοῖς primo. Conuiuia publica ſcribit Pollux nuncupari à Græcis euochias, thalias, pandæſias, demothœnias.

De ſcimpodio, & ſtibadíjs: itẽ anaclinteríjs, ſeu accubitis. Stíbys, ſtíba, buni. Sederent ne an accubarẽt priores. Item uocabula plura ad cõuiuij dominum & ſeruos ſpectãtia. Copides cœnæ. Phyſicílli panes. Titthenidía. Corydalus auis. Corythalia Diana. Corithale. Tytthos. Aeclon cœna. Copiſſare. Copelus. Synæcliæ. Epecla bellaría. Cammatides. Cammata. Pſæſta. Logodípnũ. Dípnologia. Gaſtronomía. Gaſtronomi. Tithoreũ oleũ. Copos. Oſtocopos. Epíbatæ. Empori. Canna. Camella. Coptaría. XXV



Bſeruatum & in eiuſdem Iulij theſauris, ſuper quibus accumbamus dici κλίνας, κλινίδας, κλινίδια, hoc eſt lectos lectulos ue, atq; item ſcimpodas. Hoc uero poſtremum etiam ſcimpodium appelari deminuta forma in Athenæo legimus. Nam apud Gellium in ſynceris codicíbus ita adnotatum inuenimus: Atque ibi, qui intromiſſi ſumus, offendímus eum cubantem in ſcimpodio Græcienſi. Líbanius in líbro De ſua ipſius uita, Quum domi (inquit) ſum, iaceo in lecto: ubi uero in ſchola, in ſcimpode, id eſt in lectica, uti opinor. Apud Ariſtophanem ἱδρὸν σκίμποδα reperies in Nebulis, uel pro philoſophorum ſella, uel pro lectulo, aut lectica. Inueni apud Græcos qui ſcribant ſcimpodion ſignare τὸ χωλοκραβατον, id eſt claudum grabatum. Nam apud ueteres σκιμβαλζειν, claudicandi notionem habet. Diogenem quoque dicere ſolitum, in Vrania ſcribit hiſtoria Aelianus, καὶ τὸν σωκράτην ὠνὸν πρυφῆσαι, πολυέργαστα γὰρ καὶ τοῦ οἰκιδίου, καὶ τοῦ σκιμποδίου. Eruditus inter Græcos grammaticus ſic finit, σκιμπόδιον ὕπτιλες κλινίδιον μονοκοίτου: id eſt, uilior lectulus ſcimpodion eſt, in quo decumbat unus modo. Galenus Therapeutices decímo, in maraſmi cura: ſic affectum, in ſcimpode balneo inferri iubet. Digna relatu quæ prodit hiſtoricus Dion: Claudío (inquit) Cæſari quum improſpera foret ualetudine, & tremulum erat caput, tremulæ item manus, quin lingua etiam titubabat, primusq; Romanorum δίφρῳ eſt uſus καταστεγῳ. Nam antea Auguſtus ac Tiberius in ſcimpodíjs quandoq; ferebantur, cuiuſmodi mulieres quoque uel nunc. Scimpodion præterea καταστεγον nominat idem hiſtoricus, in quo ex debilitate ferri ſolitum ſcribit Seuerum, Britãniam dum obiret. Erant etiam ſtibadia, hoc eſt thori humi iacentes, ex lignis ramiſq; ſtructi. Meminit Athenæus quoque: Primum (inquit) ſcenas faciebant, & in his ſtibades ex herba, ſuper qua dapes componerentur. Alibi idem prodit, in ſtibadíbus accumbi ſolitum. Maronianus interpres ſtibadia non habuiſſe ueteres adſtruit, quum tamen apud Theocritum in Adonidis epitaphio hic legatur uerſiculus,

ἐς ἀγαθὰ στιβάς, ὅθεν ἀδόνιδι στιβάς.

Quin & Phormionis ſtibades, uel prouerbio notiores fuere in præparcos, quod Sudæ proditur monumentis. Apud Plínium Cæcílium ita legas, In capite ſtibadium candido marmore uite protegitur. Sidonius Apollinaris in cœnatiuncula ſtibadium conſtituit & abacum. Dicuntur & anaclinteria: ſicut apud Lampridium in Heliogabalo, accubita, ſeu accubitæ, uti aliís placere aduerto. Stíbys autem dicitur fullo, ab calcandi uſu. Nam πολυστιβὲς, denſatum uocant proculcatumq;. Stiba uero pruina eſt apud Homerum, στίβη δ' ἐπὶ πᾶσαν ἔχευεν, quod eſt ὀρθεινὴ, id eſt dilucularia. De Troglodytarum mulieribus ita refert ex Artemidoro Strabo, στιβίζονται δὲ αἱ γυναῖκες, quod interpres per errorem ſic reddit, Mulieres diligenter ſibi ceruſam inducunt. Orbes ſtibio

fuliginati sunt apud Hieronymum. Plinius stibium dicit lapidem, spumæ candidæ nitentisq;. Plura de stibio Dioscorides. Cerusam Græci psimmithium uocant. Stibas denicq; à Cypriis etiam bunos dicitur, quanquam in montibus conditæ urbes, Buni appellentur: quoniam uoce ea Græcis collis indicatur. Sed & cespitibus surrectas aras ita uocant. Sedilia item discumbentium uidetur spondas nuncupasse Virgilius, quum de Didone ita scribit,

Aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda.

Phyllada in Philoctete uocat Sophocles, lectum ex foliis. Sed & coronam eodem modo alibi. Legimus in historia, Fœminas cum uiris cubantibus sedētes cœnitasse. Lectisternio præterea Iouis, ipse in lectulum, Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitabantur. Nec me fallit, Seruium grammaticum scribere, Maiores nostros sedentes epulari solitos, eumq; morem habuisse à Laconibus & Cretensibus, sicuti (inquit) Varro docet in libris De gente populi Romani: & proinde Virgilium ita scripsisse,

Hæ sacris sedes epulis, hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Conuiuij dominum, & regem à nostris uideo appellari: Græcis uero dicitur hestiator, & hestiuchus apud Aristophanem, necnon symposiarchus: quanquam eo quoq; nomine nuncupatur, quem sorte uel alio modo eligunt sodales conuiuij curatorem. Proclites uero esse uidetur inter decumbentes, qui accubitum assequitur primatem. Ministerio uniuerso præpositus dicebatur trapezopœus: at in sacris minister, erat parasitus: & in Athenienſium rebus, parasition dici inuenimus. Pocillatorem uocat Apuleius, qui ad cyathum stat. Sed non sit finis, si ista consectemur indagine curiosiore, quando uel exoletorum in conuiuijs tunicæ diligenter succinguntur. Cura nec sopita est, quomodo aper à coco cæsus exeat, quanta celeritate signo dato ad ministeria decurrant gladij: quanta arte in frusta non enormia scindantur aues: quàm curiose infelices pueruli ebriorum sputa detergant. Iis quippe lautitiæ fama captatur. Adeo nec bibere scimus citra ambitionem, nec edere. Fuere tamen apud Spartanos cœnæ quædam dictæ copides, in quibus immolaretur capra, nec aliud præterea quippiam: indeq; carnis distribuebantur portiones & panes, qui uocabantur physicilli. Insuper alia pleraque sumptus haud magni. Celebrabantur & conuiuia hoc genus in Titthenidijs, quando titthæ, id est nutrices pueros deferrent mares in Dianæ templum, quam Corythalliam dicunt, prope Tiassum ad Cletam. Corithalen etiam, id est κορύθαλλον, inuenio dici laurum ante ianuas satam germinantemq;: nam κόρους uocant ramos. Tithoreum uero oleum ex Phocide commēdat Pausanias. Corydalus, seu corydus, auis est, quam priorem terra enatam fabulantur: unde moriente patre, quum ubi sepeliretur nō extaret, nondum producta terra, illum in capite contumulasse traditur, propter inibi surrectum apicem: quare Corydali epitaphia nuncupat Theophrastus, ut scribit Galenus Simpliciū pharmacorum libro undecimo. Tytthon Græci infantē dicunt, epitytthion, id est sub mamma, quam etiam tytthon uocāt: unde paululū quoq; signat uerbum id. Erat apud Spartanos eosdem quoq; cœna dicta æclon in Phiditio. A copide uerbum inflectitur κοπιάζειν, id est copissare, quod est conuiuium eiusmodi celebrare. Copos autem Latinè dicitur lassitudo, cuius Galeno species recensentur plures. Inter eas ostocopos est, uelut ossium dolor & affectio, ob penitiorem scilicet sensum. Monocopia, Isaurorū tela sunt. Epicopi, id est ἐπικῶποι, dicuntur remis appositi & gubernaculis: uelut epibatæ Atticis, sunt in nauibus depugnantes. Quanquam & qui aliena iter naui faciunt, sic dicantur quoq;, quos Homerus item emporos uocat. Coptaria in medendi usu placentulas uocant, uel offulas: certe Græcis κοπτά, sunt μελίπηκτα. Copelum grammatici filium accipiunt legitimo diuersum. Dignum quod nō prætereatur: Post Actiacam pugnam M. Antonium & Cleopatram non abstinuisse conuiuiorum lautitia regalis impendij, quæ συναποθανουμένων nuncupabant, id est commoriturorum. Quin & conuenientes, συναποθανουμένους seipsos uocabant. Ab æclo autem synæcliæ nuncupantur, id est synodipnia, uel concœnationes. Quæ uero post æclon, id est cœnam dabantur bellaria seu tragemata

tragemata, uocabant epæcla: quæ quia cum lauri foliis comedebantur, quod dicũt καλλιφῶν, inde cammatidas uocarunt folia ipsa, sicuti psæsta, hoc est liba etiam cãmata. Canna uero fiscellæ genus est Græcis, quod scribit Pollux. At Columella: Degener, inquit, & gracilis harundo, cãna uocatur. Camella uas est, Ouidio Fastorum quarto. Sunt qui epæcla mattyam quoq; uocent. Illud denicq; periucundum scitu: logodipnum appellari paratã conditamq; uerbis modo cœnam. At dipnologia, cœnandi esse ratio uidetur, aut de cœnis sermo: sicut gastronomia, uentris lex, unde & gastronomi.

Harmodij melos in conuiuijs. Cantilarum genera. Pæon quid, & pæonia manus. Præstent ne ex floribus corollæ, an arborum ramis. De unguẽtis paucula. Cur dicatur rosa Græcè rhodon. Corymbi papillati. Alabastri. In calathum fundi quid. Rosa prius alba unde ruborem cõtraxerit. Vacinia. Hyacinthinus color qui. Rosaceæ coronæ uocabula. Cylisti. Eccylisti. Stephani. Sythematici. Chydeæ. Cyanus flos qui. Baptisecula. Theseum flos. Corona myrtea, & ex lygo ac harũdine. Hypothymides corollæ quæ intelligantur: anetinæ item. Coronarum in sacris cõsuetudo. Chthonia dea. Chthonia sacra. Comosandalos flos, siue hyacinthus. Atta, comicus poeta. Ata dea. Perambulare crocum & flores, quid apud Horatium. Cyanus flos.

Caput XXVI

TAm uero nec id utiq; ambitiosius à me conquirendum, canere in conuiuijs fuisse antiquissimi moris: personant hęc in triuialium ludis uel imperitissimi cuiusq; adnotata exchartabulis. Fortè nec uacãtis fuerit operæ subsignasse, quod in Græco penu obseruatum est. Interim à discumbentibus melos concini solitum, quod Harmodij nuncuparetur, cuius erat initium,

φίλτατε ἁρμόδιε ὅτι που τέθνηκας.

Dicebatur uero in Harmodium & Aristogitona tyrãnicidas: unde illud facetissimum ex Comica officina,

οὐδὲ παρ' ἐμοί ποτε τὴν ἁρμόδιον ἄσεται.

id est, apud me nunquam Harmodium canet: quod est, mecum conuiuia non agitabit. In ueterum monumentis adnotatum illud quoq;, Apud heroas cãtilenæ species fuisse quinq;: sophronisticen, cuiusmodi Clytemnestræ accinebat cãtor: encomiasticen, qua præstantium uirorum præcinebantur laudes, ab Achille celebratã: threneticen, id est lugubrem: orchematicen, id est saltatoriã: & denicq; pæanicen, qualis est apud Homerum Iliados primo post sacrificij absolutionem: inquit enim,

κάλλιον ἀείδοντες παιήονα.

Nam est pæeon, in Apollinem hymnus, non in pestis modo pausa, sed & belli, quin ad auerruncandum quoque incumbens exitium. Et pæeona quidem Homerus dicit: alij etiam pæona, id est παιῶνα: sed & pæana. Inflectuntur uero hæc à παίω, quo medela significatur: at παίω à πάω, quod sedo significat. Pæonia manus, therapeutice intelligitur, id est medicatrix. Corollas porrò compotantium, non est qui nesciat: nam & Ouidius,

Ebrius incinctis philyra conuiua capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.

Sed & Valerius Martialis,

Pingueſcat nimio madidus mihi canus amomo,
Laſſenturq; roſis tempora ſutilibus.

Sunt qui eam rei proferant rationem, quod sic frigesceret craneũ, nimio plus uino iam calens. Aristoteles putat sic ueteres annonæ fertilitatem solitos aucupari: nam & apud Homerum σεῦαι, non tam coronare indicat quàm explere, cum ait,

κῶροι δὲ κρητῆρας ἐπεσσεύαντο ποτοῖο.

Vnde apud Maronem, coronatum legimus cratera. Cæterum in conuiuali usu floreas plerique detestantur coronas, laureas amplexantur gratius: illas enim putant κορασιώδεις καὶ πιζούσας μᾶλλον ὠμπελείους παρθένοις καὶ γυναιξὶν ἢ σωφρούσαις φιλοσόφῳ καὶ μετὰ κῶμον ἀνδρῶν. quod nostris uerbis redditur, Puellares colludentibusq; uirgunculis aptiores

res ac mulieribus, quàm philosophico congressui, hominumq; à Musis non sequestratorum. Alij uero ex folijs coronas improbant omnino. Nam & Empedocles testatur,

Δάφνης τῶν φύλλων ἀπὸ πάμπαν ἔχεσθαι χρή.

id est, à lauri folijs abstinendum prorsus. Neq; enim decere aiunt, hominem ornari arborum deformitate, uiolenter præterq; naturæ rationem direptis folijs. Cur enim hæc data plantis opinemur, nisi fructuum tutelæ? At q; ut ipse quoq; frigoris uim caloriscq; pro ratione admittentes confoueantur, ut temporum mutationes citra perniciem ferre ualeant? At exutas ulceroſum plane contrahere nocumentum, fieriq; ψίλωσιν ἀπρεπῆ, id est indecoram denudationem. Ediuerso florum non decerptorum quæ nam esse utilitas potest, nisi odore pascaris, exhibeasq; oculis ex eorum non imitabili uarietate uoluptatem iucundissimam? Iucũdissimam inquam, quia simplicem, quia naturalem, nec ullo impendio nostro constantem. Vnguenta forte detestemur, detestemur item purpuram διὰ τὸν ἐπίθετον πολυτέλειαν, id est ob adiectitiam multę impensæ rationem, ὡς δολοφανεῖματα καὶ χρώματα κατὰ τὸν βαρβάρου φωνὸν, id est tanquã dolosa indumenta, dolosos & colores, uti barbarum dixisse, proditum memoriæ est. Adde, quod si non præcerpseris, momẽto conflacescunt, prorsumq; gratissimum alioqui naturæ opus uidetur perire, nullo cuiusquam emolumẽto. Proinde qui ex folijs magis quàm floribus coronas contexuisse malunt, persimiles (inquiunt) barbaris uidentur, quibus consutæ pelles gratiorem præbent uestrum usum, quàm lanæ. An est, qui illud audisse nequeat, Corollam ex rosis dici esse Musarum? Videmur item meminisse, quod elegantissimè aduersus imperitam mulierem cecinit Sappho,

κατθανοῖσα δὲ κείσῃ,
οὐδέ ποθ' ἐσσεῖ ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας.

id est, mortua iacebis, nec enim hortulum habes rosarum ex Pieria. Succurrit profecto parte hac ueterum ingeniorum mirari diligentiam; neq; enim simpliciter, sed summa uidentur ratione coronas in cõuiuijs instituisse. Siquidem Dionysium legimus quum uinum comperisset, potentissimum uticq; medicamentum, simul & iucundissimum, habitum inde fuisse non incelebrem medicum. Quod item discumbentes, qui se forte inuitarent plusculum, hederea ornasset corona, quæ insita frigiditate uini potentiã retunderet, minusq; inde afficerẽtur bibentes, ebrietatis uiolentia restincta hederæ ui frigorifica. Cæterum eadem ratione in conuiualem admissæ creduntur lætitiam ex floribus corollæ. Perdocent experimenta, qua ui sensus concutiãtur, ubi hausti liberius meri uapor hominis arcem cœperit pulsare, quando initium inde habere sensus creditur: mirum est quantum in eo statu afficiamur. Propterea sapientium curiosa solertia sciens esse in rerum natura antipathiam, quando nihil placuit esse sine pari, flores capiti circumponendos præcepit, quorum defluxus mirabiliter illud aduersus grassantis latenter ebrietatis impetum obsepiret communiretq;. calidi siquidem poros seu meatus patentiores reddunt, frigidi uero sua potestate ita contemperant, ut scandentes repercutiant uapores, sicuti rosa atq; uiola. Substringit enim utraq;, reprimitq; capitis grauitates, quas uocant καρηβαρίας: at Cypri, id est Ligustri flos, ac crocus & baccaris in suauem uetunt soporem bibentes: lenis quippe eorum defluxus est ac blandus: inæqualitatesq; corporis ebriorum & asperitates tranquillè diffundit, unde fit ut crapulosa hebetentur perficianturq;. Porrò & florum quorũdam odoribus in ambitu cerebri fusis, sensorij repurgãtur meatus, & quod humectum est, attenuatur leniter sine commotione ulla, caloris facultate digestum. Quin & frigidum natura suapte, cerebrum refouetur. Proinde floreas corollas è collo propendentes, hypothymidas nuncupari inueni, puto à uaporandi usu. Eodem quoq; argumento unguentis ex floribus obungere pectus, moris fuit peruetusti. Cui rei testimonium quoq; præbet Alcæus, ubi in caput pectusq; affundi unguentum præcipit. Sunt enim unguenta quibus ungimur, non uoluptatis modo intuitu, sed & ualetudinis: quod comprobat Pomponius Digestis De argento legato. Sed & Vlpianus: Vnguenta, inquit, quibus utimur ualetudinis causa, mundo non continentur. Cato in Re rustica, Vnguentum amurcæ loris & calciamentis, ac omnino corijs ungendis laudat. Spicata unguenta & foliata, inter Romano-

rum

rum delicias appellatione Latina dici, Therapeutices octauo Galenus ſcribit. Spicamenti o eſt in Euangelio Marci. Illud poſtremo hic adnotaſſe ne pigeat, dici roſam ſermone Græco ῥόδον, ut Plutarchus interpretatur, licet codice inſyncerisſimo, & decurtato maxime, ὅτι ῥόδινα πολὺ φλόμης ἀφίησι, διὸ καὶ ταχὺ μαραίνεται, id eſt quod odoris fluxum emittat plurimum, quo nomine primo quoq; tempore etiam efflacceſcit. Grammatici putant ἀπὸ τοῦ ὄζειν declinari, quod olere ſignat. Apud Hieronymum roſarum legimus papillatos corymbos, prius uidelicet quàm pateſcant: alabaſtros uirides Plinius dicit. In calathum fundi roſam intelligimus, ubi hiat amplius tota rubentiũ foliorum ambitione. Roſam uero albam prius in rubedinem demutatam quoq; tradunt Veneris pede oblæſo inde, quum ἀσαώδαλος & feſtinabunda opem Adonidi ferret, quem zelotypus Mars necandum curauerat. Sed & flori indidem conciliatus odor eſt præcellens. Id quod apud Græcos relatum ſcio in Rei ruſticæ præceptis, incerto editis auctore. Sunt qui rei euentum nectari temerè effuſo in deorum cõuiuio, Amore ſaltante aſcribant. Quod de corymbis facta mentio, amplius perpendendum à Plutarcho tradi, ſacrificanti Syllæ oblatam περὶ λοβὸν, laureæ coronæ ſpeciẽ, λημνίσκων δύο κατυρτημένων, id eſt lemniſcis duobus propendẽtibus. Interpres uero pro lemniſcis corymbos maluit reddere. Quid autem de lemniſco ſtatuendum, docebit Feſtus. Vngues in roſa partes intelligunt in ima foliorum portione candidas: unde Græcis ὀνυχίζειν, eſt ungues ex foliis abiicere. Rhodidas appellãt Græci paſtillos ex roſis. At hoc genus rhodoides appellare maluit Paulus Aegineta. Dignum ſcitu, anetinis corollis uſos plerunq; ueteres, quod Alcæus comprobat & Sappho. Anetinum uero dici opinantur florem quem libet, παρὰ τὸ ἄνω τίνεσθαι, quod ἴεσθαι indicat. Illud uero corollarium fuerit, non in cõuiuijs modo corollis eſſe uſos ueteres, ſed & in ſacris. Nã Hermionẽſes in Græcia Chthoniæ deæ ſacra obeuntes, feſtaq; dicta item χθόνια, tempore æſtiuo, cõronas ex flore implicant, quem comoſandalon uocant. Eum ex magnitudine ac colore eſſe hyacinthũ, putat Pauſanias, quoniam etiam inſint τὰ ὑπὸ τῶν θρήνων γράμματα. Eſſe autem ex hyacinthis albos quoſdã, ferrugineos alios, produnt eruditi, id eſt cæruleos: quo argumento, cæli colorem hyacinthinum uocant plerique. Vacinium Romani dicunt florẽ hunc, ut ſcribit Dioſcorides, etiam ſi Seruium in eo lacerant noſtri. Vacinia Maroni uocari nigra interpretantur ſcientiſſimi, ea ratione qua & purpuream item uiolam dicunt nigram poetæ. Hyacintho in Gallia ueſtibus inficiendis pro cocco ad hyſginum colorẽ fuiſſe precium, Plinius ſcribit. Sciendũ uero in theatri ſcenæq; delicias flores item obrepſiſſe, atq; crocũ & odoramẽta præcipuè cum agerentur fabulæ. Id quod perobſcure in Epiſtolis ſignificat Horatius, cum de Atta comico poeta meminit hiſce uerſibus,

Recte nec ne crocum floresq; perambulet Attæ
Fabula, ſi dubitem, clament, periiſſe pudorem
Cuncti pene patres.

Apud Priſcianum aduocatur Atta in tyrone proficiſcente, Pater uillicatur tuus, iã mater uillica eſt. Eſt apud Lucilium Attæ cuiuſdam mentio:

Muginamur (inquit) molimur, ſubducimur Atta.

Sed apud Homerum Ata dea eſt, quæ Iouis eſt proles, cui inſitum homines detrimentis obuoluere, Noxam dixeris Latinè. Corollas è roſa dictas comperi cyliſtos, ſed & ex cyliſtas quoq;. Synthematicos item ſtephanos ſunt, qui interpretentur promiſcuos, paſſiuos, ad manumq;, id eſt parabiles. Chydeas item Græcis dictos, id eſt cõfuſaneos. Coſmoſandalus fuit Lacedæmoniorũ corolla. Ariadnes corona flore conſtabat, quẽ Theſeum uocant: de quo Theophraſtus. Cyanum florem, ruſticorũ coronamentis pergratum, ſumma coloris uenuſtate, ſunt qui dici uulgo baptiſeculã putent, quia falces hebetet inter metendũ. Illud item opera planè parerga ſubnotarim Thebis receptũ, ut Iolea uincentes myrto coronarentur, quod ea credatur corolla ad mortuos ſpectare. Corollis item è lygo utebantur ueteres, id eſt ex uitice, ab Samijs & Caribus ducto initio. Et in ſacris quibuſdam ab Lacedæmonijs ex harundine non ſunt ſpretæ. Sed nec ab Athenienſibus, ut Ariſtophani aſſentimur, Caſtori ſacræ & Polluci.

Vaſorum

Vaſorum nomẽclaturę diuerſæ. Figlina ſubigi aromatibus ſolita. Coptica uaſa. Dinos. Dinæ mergi cur. Diatretus. Diatheca. Volucris calix. Corymbiatus diſcus. Lacerta uas. Saura. Patera hederaria. Thericlia cur dicantur. Cantharus quid. Cantharia. Cornibus uſos in potu priores, λοφᾶσαι cur dicat. Ciboria. Cotyle. Encotyle luſus. Diploma, bis; & Plutarchi locus perenditur. Cothon. Cothoniſmus. Acracocothones. Laphyctæ qui dicantur. Laphyſtius Bacchus. Laphyſtiæ Bacchæ. Alabaſtrus unde. Calicis notiones. Latax quid. Scytharũ uinolentia. Scythiſſare. Herculanus nodus. Alabaſtrothecæ. Scythos cognomen. Amphithetos phiala. Ama. Amula. Phialarum ſpecies. Vaſaria. Vectiones. Vaſati qui dicãtur, & naſati. Cymbum. Cymbiũ. Arion. Amphora capitolina. Tabaitæ. Congiarium. Donatiuum. Syntheſis. Cap. XXVII

QVia uero in uaſorum mentionem incidendum ſæpius eſt, nõ inſcitè opinor, quæ nobis uaria ſuggerit lectio, huic potiſſimum parti ſubſcripſerimus. Qua in re mirari non eſt ſatis ueterum ingeniorum laſciuiam, qui figlina etiamnum artifici inuento ſubacta aromatibus fingebant, ut accerſitæ commendationis inde uino cibiſq; conciliaretur aliquid: cuiuſmodi ex Copto aduehebantur. Vnde Coptica dicta fidelia, ex myrrha, iunci flore, croco, balſamo, cinnamomo, amomo. Et Rhodiacæ ſunt chytrides apud Ariſtotelem in libro de ebrietate: nam indidem hauſtum uinum etiam præter gratam iucũditatem oblædebat minus. Inter pocula recenſentur gyala, dinos, id eſt δίνος: quanquam eſt eodem nomine ſaltationis item ſpecies. At Cyrenæi podoniptera, id eſt peluim, dinon uocant. Obiter non indignum relatu in Prognoſticis Aratum mergos nuncupare dinas, quoniam (ut inquit Theon) dum merſantur mari, fiat dinos, id eſt uortex, ſiue λυκλοτερὲς τὸ ὕδωρ τοῦ φυρῶ. Dactylotum intelligunt digitorũ formis per ambitum inſigne, uel proiecturis eminentiſq; quibuſdam, ut Sidonia pocula. Sunt qui amphotum interpretari malint, id eſt utrinq; anſatum. Apud Damaxenum eſt poculi ſpecies elephas. Heracleum dici credunt poculum, in quo enauigarit Hercules, ac eſſe ſolis proprium. In eodem genere ethanium eſt, ac hemitonus. Nam thericlia recẽſet Theophraſtus quoq; in Plantarum hiſtoria, ex termintho tornari ea prodens, ut à figlinis diſcernere non ſit. Eorum primus uidetur auctor Corinthius Thericles figulus. Eſt qui nũcupari thericlia putet, quod in eis ferarum, id eſt θηρίων, pelles inſculperentur, uel quod feras turbaret Dionyſius iſs prolibans. Sunt alicubi & crateres dicti thericlei. Calix uero diatretus Vlpiano intelligitur teſſellãtus, ac torno cõcinnatus: unde diatretarij artifices id genus. Sunt ex eruditis qui illud Martialis ita legant ex duodecimo libro,

O quantum diatreta ualent, & quinq; comati:
Tunc cum pauper erat, non ſitiebat Aper.

Alij diatheca tuentur, uti paſſim legitur, ac teſtamentaria intelligunt bona. Scribit Iulius Capitolinus, Verum imperatorem inter alium luxuriæ apparatum, calicem habuiſſe cryſtallinum, nomine uolucrem ex eius equi nomine quem dilexit. Corymbiatum diſcum alicubi, ab ſcalpturæ modo. Sicuti lancea dicitur argentea pampinata, & patera item hederaria. Lacerta uaſis eſt genus lureconſultis, ut Græcis ſaura: quod Hippocrates non omiſit. Iſthmum Cypriis eſſe poculum, auctor Pamphilus eſt. In eandem rationem uenit cadus, item cadiſcus: nam cantharus non figlini modo nomen eſt, à figulo ductum artifice, ſed & nauigij ſpecies. Quin apud Antiphanen coſmarion, id eſt ornamentulum muliebre cantharus dicitur: cantharia item legimus quandoq;. Carcheſium uocari putant, quia trachyſmata habet λεγχοειδῆ, id eſt aſperitates milij quadam imagine. At detentos ſiti Homerus carchaleos uocat. Ceras, id eſt cornu, in eodem recenſetur ordine, quoniam boum cornibus in potu uterentur priores: cui rei argumẽto id eſt, quod λοφᾶσαι dicunt Græci, permiſcere uino aquam. Id genus uaſa uocant quidam rhyta. Ciboria ſunt & pocula de ciborij Aegyptij ſimilitudine, id eſt foliorum Aegyptiæ fabæ. Proinde Scythia fortè nuncupentur quoq;, quod anguſtiora in imo ſint. Condy uero Aſiaticum eſt, eius in ſacra pagina mentio eſt apud Græcos. Sunt in uſu eodem

eodem cotylos & cotyle, concaua nimirum: nam omne cauum dici cotyle ualet. Nam ciceris thecas cotulas nuncupat Palladius, etiam si uiro erudito ad stomachū id minus facit. Vnde apud Homerū cotylerrhytos sanguis, utraq; manu qui hauriri potest. Encotyle uerò lusus nomen est, quo uicti uictorum genua manuum excipientes cauitate gestabant. Putant aliqui cotylem esse heminam. Varium M. Antonij compotorē Cotylona nuncupatum Plutarchus scribit. Cratanion & cranion pocula item sunt: item cylichnides, & cymbe. Apud Lacones fuit cothon: etiam si gobios Siculi cothonas uocant, inquit Athenæus. Vnde acratocothonas uocant, merum hauriētes ubertim: & ebrietas, cothonissmus dicitur rectè. Sed & à poculi forma dicitur modò lini genus cothose. Persæ ijs utebantur, quæ labronia dicimus, à bibendi impetu sic nuncupata. Calices item quidam uocantur lacænæ: sicuti lepaste, cui impositum ab ijs nomen, qui multa prodigunt, qui uocātur laphyctæ. λάψαι, signat ampliter bibere: cōtraria eius ratione, quod uocant bombylium. Laphystius uerò, Bacchus est, ab monte Bœotiæ Laphystio: unde in Macedonia Bacchæ uocantur Laphystiæ: quæ & Mimalones dicebantur, quia Bacchum imitarētur, cornua gestantes etiamnum, quando is taurocephalus effingitur: meminit Euripides. Alabastrum, in Matthæum pro genere marmoris accipit Hieronymus. Græci lapideum uas intelligunt unguentarium, μὴ ἔχον λαβάς, id est citra ansas, uel quia ob leuorē capi non possit: sunt etiam qui uitreum intelligant. Alabastrothecas apud Demosthenē pro myrothecis accipit Harpocratio. Iam prætereo læbasium, spondeum, Lesbium, luterium. Est & μέλη, id est mele. Metaniptrum, calix erat, quo post cœnam utebantur ubi lauissent. Inter phialas fuere, quæ dicerentur Lyciurges, à Lycijs: item Cononiæ, de artificis nomine. Amam in historia Marci Pontificis, sunt qui amphoram interpretentur: Obtulit (inquit) amas argenteas duas, librarum uiginti. Insubribus familiare nomen est amula. Columella in hortorum cultu, Aut habilem lymphis amulam, Bacchoq; lagenā. Amam interpretatur Sudas πεκτονικὸν ἐργαλεῖον, quod (inquit) pyramam nuncupamus haud rectè. Vnde parœmia,

ἄμας ἀπήρω, οἱ δ' ἀπηρυοῦντο σκάφας.

Mastus à Paphijs nuncupatur poculum. Mathallides quoq; eiusdem sunt usus, ueluti etiam manes, id est μάνης. Erat & suus in cottabisi manes. Nestorida poculum, quo sit usus Nestor, egregiè describit Athenæus. Sunt apud eundem Seleucides quoque. In Dianæ templo, quod Capuæ fuit, poculum uisebatur: id illi fuisse Nestoris aut credebant, aut persuadere alijs nitebantur. Habet calix quoq; inter pocula manifestarium locum: quāquam est item calix modulus æneus, qui riuo uel castello inducitur, eiq; mox applicatur fistula: longitudo habet digitos non pauciores duodecim: lumen, id est capacitatem, quanta impetrata fuerit. Hic uidetur excogitatus, quoniam æris rigor ad flexum difficilior non temerè laxari potest, uel coarctari. Est item Plinio fructuum putamen calix, qui in nucibus fertur puluinatus. Et in carbonis faciendi ratione, operimentum illud ac exluto tectorium, calicem rectè dixeris. Sed & fœminarum galerum ac umbraculum, ut Græci: & ex Callimachi doctrina Pollux. Vectiones apud Iureconsultos legimus: eas sunt qui uegetes intelligant, ab uehendo nuncupatas. Vasaria intelligunt eruditiores apud M. Tullium, quæ magistratibus publicè contribuebantur, quo in genere muli sunt, equi, uasa, id genus alia, uel hoc nomine pecunia erogata. Calices Aegyptios intelligunt uitreos. Holmon item reperio poculum fuisse ceratio persimile. Oxybaphum quidem pro acetario uase capit ferè consuetudo. Apud Cratinum tamen poculum est. Meminit Antiphanes quoq; nec tacuit Aristophanes. Adhibebatur & in cottabisi oxybaphum, in quod latagas infunderent. Sic autem humorem ex poculo uocant profusum, ut interpretatur Athenæus. Illud uerò sciendum, dici à Græcis oxybaphum, item cymbum, & cymbiū quoq;, sed & embaphium, ac oxida. Consuetudo quin etiam arion uocat. Apud Sophronem legimus, λυμβου ὄγκον ἔχειν, quod signat, quantum capit cymboides poculum. Onyx, ligneus erat calix. Panathenaica pocula apud Posidonium leguntur. Habentur in eo genere pellicæ, olpæ. Pellæ uerò, siue (ut Hipponax) pellides, uasa sunt quibus excipitur lac, dum mulgetur. Inter pocula est pristis, prochytis, prusias. Scyphos masculinum est, ac neutrum, flexu item uariante:

ſcypphum Heſiodus etiam pronũtiat. Apud Steſichorum inueni ſcyphium quoq;.Dicitur ſcyphos quaſi ſcythos,à Scythis,quibus ebrietas nimio plus frequens eſt. Proinde Scythiſſare,inebriari eſt.Scyphos Bœotios eximiè laudari aduerto, qui Heracleotici nuncupentur:quibus ſit uſus primum in expeditionibus Hercules. Ineſt anſulis,qui uocatur Herculanus nodus.Secundæ habẽtur notæ Rhodiaci, Syracuſiis conſequentibus.Scyphos ab Epirotis lyrtos item dicitur:à Metymnæis & ſcythos. Ex quo Lacedæmonius Dercyllidas,ut qui uafer eſſet ac ferinus, Scythos eſt cognominatus. Eſt inter pocula tragelaphus quoq; : item trieris,ſiue triremis. Amphitheton phialã legimus apud Homerũ, fortè anſatã utrinq;. Amphitheton intellígit Parthenius apythmenon, id eſt ſine fundo: Apollodorus,quæ fundo inniti nequeat, ſed ori: alij, quæ anſulis (uti diximus) utrinq; geſtari poſſit,unde & amphora item ducitur,cuius à pleriſq; exponitur capacitas. Verum,quę in Capitolio aſſeruabatur,aliarũ facilè magnitudinẽ ſuperabat.Proinde expreſſuri hiſtoriarum conditores Maximini incomparabilem bibendi edendiq; uim,ſæpe illum opera diurna uini amphoram capitolinam perſiccaſſe memorãt,carnis uoraſſe libras quadraginta uel ſexaginta quoq;:quod prodidit Cordus. Ariſtarchus amphitheton dicit,quæ fundo poſſit ac ori incumbere. Sunt & phialæ balanomphali,quarum umbilícus balneorum tholo ſimilis eſt.Iam phialæ argyrides & chryſides, ſed has ex materia nuncupari,palàm eſt. Phialium Philippi aureũ celebrant Græci,quoniam id puluino ſubiectum haberet perpetuò. Agnam porrò Atrei auream nõ aliud fuiſſe,tradit Herodotus,quàm argenteam phialam, in cuius medio foret aureæ agnæ ſigillum.In hac tam fuſa uaſorum mentione adnotandum, fuiſſe qui uaſatos pro diuitibus accipiant,ſed inepte.Dicuntur naſati, ut Lampridius aduertit, uiriliores ac belle mutoniati:unde parœmia,De naſatorum peculio.Vulgò extritum utiq;,Naſi magnitudine mutonis concipi quantitatem quoq;. Sed hos item malunt eruditi uaſatos nuncupari,propter illud ex carmine obſcœno,

Grandia Dulychij uaſa tuliſſe uiri.

Ab naſo autem ita inflecti naſatus poteſt,ut ab oculo oculatus. Tabaitæ in Aſia,lígnea intelliguntur pocula,capacitatis haud ita multæ.Erat inter uaſa, uel mẽſuras quoq; cõgius:unde congiarium certæ rationis dicebatur munus. At donatiuum, ex dantis erat arbitrio,præſcriptione nulla. Sunt qui militibus conferri modò donatiuum putent:ſicut populo congiarium.Sunt qui ſyntheſin non pro uaſe accipi putent, ſed uaſorum coaptatione plurium. Quando & Iureconſultus Scæuola ſyntheſim ueſtium dicit. Quin & aliarum item rerum ſyntheſin poſſe æquè dici: ſicut & indumentum item uilius, ac ſeruile.Et quia,quid ſit cothon,abundè pro uirili expoſuimus, attẽdenda Plutarchi uerba in Pyrrhi uita.Nam dicente Cinea,Quum omnia perdomuerimus, quid tandem nobis fiet? Otio (inquit) multo & pingui perfruemur, & quotidianus erit cothon. Interpres,feſtiuitatem reddidit modò:an rectè,diſcutiãt uolentes.Diploma item uas eſt,cuius Aeginetæ Paulo mentio eſt in ouorum coctura, quæ ὠμωτὰ, id eſt præfocata dicuntur.Dupondiarium in Dioſcoride retulit Hermolaus.

Cur lactucis ueſcerẽtur priores in fine.Quæ dicãtur acrepala,adipſa,dipſetica,diaphoretica.Topica remedia. Plinij locus perpenditur de raphano: item de braſsica.necnon,dulcia ebrietatem diſcutere. Bacanõ quid. Mantis braſsica.Iurandi mos per inanimata. Thridacine. Brenthis. Tetracine. Adonis.Phaon.Eunuchos.Aſtys. Cap. XXVIII

ET quoniam ebrietatis remedium in ſutilibus fuiſſe corollis uidemur comprobaſſe,ſuccurrit ex eadem cura uetuſtatis admiratio altera.Siquidem ad eandem auertendam inſtitutum quoq;, ut lactucis non in cœnæ proœmio ueſcerentur:quod ad conciliandam appetentiam noſtra fieri tempeſtate,ſciunt omnes:ſed in fine, quoniam inſita frigiditate retundat ebrietatem lactuca.Id quod ex Athenæi monumẽtis percepimus,quum alibi tum libro tertio.Proinde notius ſit Martialis diſtichum,

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras incohet illa dapes.

Paulus

Paulus Aegineta Medicinæ primo, Lactuca (inquit) σαφῶς ψύχει τε καὶ ὑγραίνει, διό καὶ ὑπνώδης ὀσίν, id eſt refrigerat liquidò, humectatq́, quo nomine etiam ſoporẽ conciliat. Dioſcorides uerò medicæ profeſſionis auctor illuſtris, acrepala nuncupare uidetur, quæ ebrietatem prohibent, ſicuti adipſa quæ ſitim: nam quæ augent, dipſetica dicuntur ab eodem. Diaphoretica uerò ſunt, quæ aluum ſubducunt leuigantq́, ſicuti fabulum, quod etiam putatur ὑπνωτικόν, id eſt genitale. Sed & quæ diſcutiendi uim habẽt, rectè diaphoretica nuncuparis. Id quod in tuberculis uſu uenit necdum ſuppurantibus concoctis'ue. Topica remedia interpretatur Galenus localia. Inter acrepala recenſentur amariores amygdalæ, quod eruditiſsimi ſcribunt, quoniam amaritudo illa exſiccandi habeat uim, nec oppleri uenas permittat, quibus præter modum diſtentis obturbatiſq́ contingere ebrietatem, credimus peritis. Verum, hac parte illud uehementer obſeruandum: ſiquidem libro Hiſtoriæ naturalis ſeptimo & decimo Plinius ita ſcribit, Quorum natura non necat quidem, ſed lædit odore aut ſucci mixtura, ut raphanus & laurus uitem: olfactrix enim intelligitur, & tangi eam odore mirum in modum. Ideoq́ quum iuxtà ſit, auerſari & recedere, ſaporemq́ inimicum fugere: hinc ſumpſit Androcydes medicinam, contra ebrietates raphanum mandi præcipiens. Sumuntur uerò, quæ nobilis auctor hic prodit, ex Theophraſti libro quarto De plantarum hiſtoriis, in fine. Et nominat ille quidem raphanum: ſed ita, ut braſsicam intelligat: etiam interprete Theodoro aſtipulante. Id ut ſcias uerum, ſcribit Plinius idem libro uiceſimo: Braſsicam uino aduerſari, ut inimicam uitibus. Itaq́ in antecedente in cibis, caueri ebrietatem. poſtea ſumpta, crapulam diſcuti. Nam hinc proditum nonnullis, ex Lycurgi lachrymis ab Libero patre uitibus alligati, enatam braſsicam, quod duodecimo ἐκλογῶν περὶ γεωργίας traditum obſeruauimus ex Neſtore in ἀλφιτικῷ. Suggerit teſtimoniũ & Iulius Pollux libro ſexto: Raphanus (inquit) eſt crambe, hoc eſt braſsica. quod item Ariſtoteles agnoſcit, ἐν τοῖς περὶ ζώων, ubi ait, ῥαφανος, ὃν καλοῦσί τινες ἐραμβῶν, id eſt raphanus quam uocant nonnulli cramben. Antiphanes etiã appellauit crambidion:

ἐραμβίδιον ἐφθὸν, χάειν, ἀσεῖον πάνυ.

Cæterum & auctoritatibus alijs rem fulcit libro primo Athenæus, à quo proditur illud quoq́, pro raphanide interdum raphanum pronuntiari. Sed & in Rei ruſticæ collectaneis libro quinto apud Græcos, ſubnotatum comperias, κραμβῶν, id eſt braſsicam eſſe uitibus inimicam, ut quæ ſuapte ui ſicca ſit, ac antipathiam habeat naturalem πρὸς τὸν ἄμπελον. Nam ſi inter coquendum uini pauxillum irrores, nunquam poſtea percoquitur, quin uitiatur color quoq́. At libro nono Palladius: Raphanum (inquit) ſicut braſsicam, conſtat eſſe uitibus inimicam: nam ſi circa ſerantur, natura diſcordãte, refugiunt. Mos hic quidem Plinio frequens, ut res eaſdem nunc Græcis, nunc Latinis appellet nominibus, ut paulò imperitioribus uideri diuerſæ poſsint. An id & parte hac fecerit, ne auctori grauiſsimo colaphum intendam, diſcutiãt uolentes. Baccanum in Pauli Sylua medicinali, obſeruatum eruditis eſt ex Græco penu, dici ſemen, uel nucleum, uel mucronem raphani. Dignum uerò ſcitu de braſsica, parari eam Athenis in cibum conſueuiſſe ijs quæ peperiſſent, uelut antipharmacum. Certè Nicander braſsicam, quæ ſacra ſit, mantin uocauit. Apud Ananium iuſiurandi forma per cramben concipitur. Sicut apud Teleclidem quoq́, necnon Epicharmum, ut in Baptis Eupolin taceã. Mos uerò ita iurandi fuiſſe Ionicus præcipuè uidetur. Nec mirum, quãdo & Stoicæ ſectæ conditor Zeno, etiam per capparin ſibi iurare permiſit. Quod uerò lactucæ frigiditatem ebrietati diximus obniti, obluctariq́, uidentur ea ratione confirmari Ariſtotelica: ſic enim in Quæſtionibus tradi animaduertimus. Crapulã (inquit) ſedat braſsica, quòd ſuccum dulcem diſcutientemq́ obtineat, frigida uerò eſt. Fit autem detentis à crapula, ut eius ſuccus humores in aluum detrahat, qui uinoſi crudiq́ tenentur, & ipſa ſuperius in uentriculo remanens corpus refrigeret, unde euidens diſcuſsio conſequi poteſt. Vinum nanq́ humidum eſt, ac calidum. Auctor in Sympoſiacis Plutarchus eſt: Dulcia, ſi infundãtur uino, ebrietatem diſcutere. Proinde medicos peritiores iubere, qui ſe amplius inuitarint, quieti ſeſe daturos, melle litum panem uorare,

quoniam meracam potionem hebetet dulcedo: quam aliàs naturæ amicam nouimus adeo, ut dulci omnia connutriri, in libro De ſenſu & ſenſili dictum ab Ariſtotele ſit. Si quidem genuinus calor & intimus, alimenti rationem ita demum digerit, ut quod leuius quodq; dulcius eſt, proliciat aſsiduè, ſecretis relictisq; quæ ſalſiora ſunt, nec amaritudinis expertia, ob inſitam grauitatem. Quod retrimentitiæ nimirum redundantiæ argumento liquet, amarulenta quæ ſentitur planè ac ſalſa. Id quod ſolari poteſtate in uniuerſo contingere exploratiſsimum eſt. Atq; hinc prorſum fit, ut pluuias cæleſtesq; aquas ſentiamus dulces, etiam ſi unde fit ſecretio, ſalſum ſit mare. Quia uerò dulcedinẽ efficit calor, & contemperatum humẽs, hinc indigeſta ſentiuntur amara, quòd illis ſint qualitatibus exſortia. Quod ad lactucas attinet, celebres ſunt apud Athenæum Ariſtoxeni thridacinæ, id eſt lactucæ, quibus in hortis ſole occiduo, œnomeli infundebat, mane oſtentans uirentes ſe habere placentas, ſibi à terra ſummiſſas. Brenthin, Cyprij lactucam dicunt, quam Græci thridaca uel thridacinem, Hipponax etiam tetracinem. In lactuca denicq; occultatum à Venere Adonin, cecinit Callimachus: quod allegoricè interpretatus Athenæus illuc referendum putat, quòd in Venerem hebetiores fiant, lactucis ueſcentes aſsiduè: tanquam mortuorum ſit cibus, uti ſcribit Eubulus. Illud adjicit Cratinus, Phaona inter lactucas abſconditum pulchras ab amante Venere. Pythagorei uticq; lactucam uocabant eunuchon, at mulieres aſtylida: fortè quia arrigere prohibeat. Stylos certè, columna eſt. Poſtremò id non præteriero, quod lectum apud Dionem eſt: Cornificium Auguſti Siculo bello ducem, belli gloria elatum, ſi quando foris cœnaret, elephanto uehentem conſueſſe domum repetere. Milites uerò is periculo liberarat in Sicilia.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM LE-ctionum libros, ad reuerendum in CHRISTO patrem & theologum ſcientiſſimum Lucam Leonem Venetum, ordinis minorum, Præfatio octaua & uiceſima.

ITiam ſi non me fallit uenerande pater, à Syneſio proditum, ſolere beneuolentiam iudicij calculum nunquam non ita corrumpere, ut excuſſior adijci, & amuſsitatior ferè deſinat: quando (ſicuti uel Platoni credimus) in ijs quę inſigniter amamus, occæcamur plerunq; Nihilominus, qua me perpetuò etiam uix dum puberem amoris integritate ſis amplexatus, abundè uideor, exactè que animaduertiſſe. Neque enim fucatior amicitia, & ſimulationum uelamina perſeuerare diu queant. Quin amplius diſpicienti, ſubærato (quod dicitur) auro, protinus mendoſum tinnit. Tu uerò uir ſcientiſsime à carceribus uſque ad oleas idem mihi es perpetuò cognitus, uerax utiq; ac rationibus meis beneuolus, ſi quis alius. Palàm id cum primis in Patauino factum gymnaſio eſt, ubi quãtum eualuiſti, dignitatem meam fouere non deſtitiſti prius, quàm bellorum procella inde excuſſus uterq; eſt. Sed mirum nil, ipſum hoc à te efflagitabãt mores tui, ſacerdotio, quo fungeris caſtiſsimè ac planè ex formula & quadro (uti aiunt) congruentiſsimi, atq; ita, ut eius Ordinis etiamnum ueteranis exemplar ſynceriſsimum eſſe queas. Efflagitat præcellens quoq; diuinorum ſcientia, ingenij ſolertiæ aptiſsima, ut decretorum iucundiorem Chriſtianæ ueritatis cultori doctrinam non memorem hic. Quamobrem ſi & ipſe non ſuſtineo ἄμουσον uideri, aut ἀναλφαβητον, ſiquidem imperitior nunquã non malus: eſt quòd enitar meritis tuis, & quam ſuſtines, perſonæ quoquo modo paria facere. Ego utique is ſum, cui uel maximè religionibus addicti diuiniore quodam nutu uiri, ductu eodem pergrati perpetuò fuerint: ut quos in meditullio diuinitatis & hominum interlocatos, & proinde auguſtius ſuſpiciendos, uelut ſacros planè perſpexerim. Mihi uerò aduerſum te cultus etiam ratio familiarioris, aut uerius, impenſioris ingerit ſe. Quo factum eſt, ut inauſpicatius fuiſſe prodituros hoſce libellos, ſim opinatus, ni te (quod illorum pontificium eſt) inter eos allegiſſent, quos obſeruanter in uoluminis ueſtibulis ſalutamus, noſtramq; tibi mentem pergerent aperire: ut iam hinc me ſcias & ueteris beneuolentiæ memorem in primis, & tuarum præcipuè rationum ſine exceptione ſtudioſiſsimum. Noſcant & alij Luca Leone nil animo meo ferè gratius aut iucundius. Et amicitiæ compar illud ueteribus anxiè adeo quæſitum, ac in quàm paucíſsimis repertũ, tempeſtate noſtra, ui naturæ intima egerminaſſe. Id quod ne obliuionis adobrutum eat iniuria, teſtatum Epiſtola noſtra uolumus. Tu uerò uenerande pater, quod adhuc feciſti, plurimum nos ames, uelim. Nec ab ea quam tibi ſemel induiſti, mitiſsima ingenij facilitate, compari tamen iuncta grauitati, receſſeris longius: putesq; omnem meam operam, ſtudium, induſtriam, quicquid eſt in me uel ingenij uel uirium, non tibi modò, ſed & tui ſtudioſis eſſe paratiſsimum: quoniam didici uel puer, Extra fortunam poſitum uideri, quicquid amicorum gratiæ impertitum eas, condones ue. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI OCTAVVS ET VICESIMVS

Mos mittendi partem de menſa. Ideæ carniũ quæ ſint, & periphora. Idea an dicatur Latinè ſpecies. Ida quid. Idæum pro montano capi: ac Troiam item dici Idæam. Herophiles parentes. Mercurij ſors. Abluendarum manuum ritus. Apomagdalia quid apud Plutarchũ. Aponiptrum. Aponimma. Cheroniptrum. Cheromactrũ. Smegmata manibus abluendis. Tracomatica. Rhymmata. Lebes. Chernibos. Vnguentorũ improbatio. Odor uiro præcipuè congruus. Cap. I

QVVM pleraq; ſuperſint etiamnum de conuiuali ueterum ritu promenda in literas, iamq; uolumen prius ſatis extumuiſſe uideretur, ne ſi pomœria amplius proferre perrexiſſet, encyon fieret, ac uterum geſtaret: placuit, reliquis ab eodem inſtituto non abiunctis nouum exordium dare, ut hac uelut morula refectus, lector ſtudioſus lætiore animo quæ ſequuntur, percurreret. Igitur in menſæ lætitia ſacra morem quandoq; inoleuiſſe, multiplex nos inſtruit lectio: ut quibus plurimum deferrent, partes mitterent de menſa. Nam & Perſarum rex Cyrus, ut ſcribit Xenophon libro Pædiæ octauo: Si quem ex amicis uellet à multis coli & honorari, cibariorum partes de menſa ad eum mittebat: illos enim ſuſpicimus ueneramurq;, quîs uiderimus mitti aliquid de regis lance, uelut cariores illi ſint, ac amicorum intimi. Perſici moris meminit in Sympoſiacis Plutarchus: Eum præcipuè honorem deferri ſolitum tradens amicis, ducibus, ac corporis cuſtodibus, quos ſomatophylacas uocant Græci. Carnium particulas dicebant ideas. Nam periphoram nuncupauit Xenophon, particularum eiuſmodi circumlationem. Ida uerò aliud omnino eſt: nam quilibet mons, unde circumiecta ſpectari ualeant, rectè dicetur ida, quod Didymus ſcribit. Nam & idæas cypariſſos in Theriacis nuncupat Nicander, quas intelligunt montanas: etiã ſi Creticas liceat intelligere. Sunt qui ab ida herba ſic montes nuncupari conſectent. Prior ſententia, παρὰ τὸ ἰδίζειν & διάστασθαι inflectit. Idæa uerò etiam dicta quãdoq; Troia, quod in Aiace maſtigophoro Sophocles ſignificat, ex Idæ montis ratione, ſicut uel interpres breuiter, ſed pro more, indicauit. Ideas autem ſunt qui ſpecies Latinè interpretẽtur, non peſſimè id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus: non enim ſpecierum & ſpeciebus dicere audet Cicero, etiam ſi non reformidat Palladius. Proinde, formas mauult trãsferre: nam & deorũ ſimulacra rectè dicuntur ideæ. Idas quoq; loca dicunt arboribus frequentia, ut ſcribit Pauſanias: unde factum nomen nymphæ Ideæ, ex qua & Theodoro paſtore nata fertur Herophyle in Coryci montis antro. Ideas autem, id eſt formas rerum, non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſſimus auctor Plato, ut M. Tullius inquit, gigni negat: ſed ait, ſemper eſſe, ac ratione & intelligẽtia contineri, cætera naſci, occidere, fluere, labi, nec diutius eſſe uno & eodem ſtatu. Perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo uideri, effigiem auribus quæri. Sed ad rem. Prima carnium portio dicebatur ἑρμοῦ λαχνός, Mercurij ſors. Seruatum & illud ueteribus, ut per ſingula fercula manus abluerent. Significat id in Heliogabalo Lampridius: Paraſitis, inquit, in ſecunda menſa ſæpe cæream cœnam, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam etiã marmoream uel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis offerrẽtur uidẽda ex diuerſa materia, quæ ipſe cœnabat: quum tantum biberent per ſingula fercula, & manus quaſi comediſſent, lauarent. Qua in re amplius adnotandum: pleroſq; ex ueteribus ad manuum ablutionẽ uſos apomagdalia: id uerbum ſignat, molle panis: quòd quia mox obiicerent canibus, Lacedæmonij cynada uocabant. Significare id ipſum uidetur Athenæus quoq;: Poſt cœnam (inquit) libationes obibant, nec abluẽtes manus, uerum abſtergẽ-

tes

tes bucella,& apomagdaliam afferebat unuſquiſq; id quod faciebant,ob nocturnos in biuijs metus. Idem libro nono, apomagdalię honores nuncupat. Meminit eius uocabuli Plutarchus in Lycurgo: ſed ita, ut intellectum eius uocis neutique uideatur interpres animaduertiſſe. Innuit ipſum hoc etiam Homerus illis uerſibus,

ὡς δ' ὅταν ἀμφὶ ἄνακτα λιὼτες λαὸς ὀθύνωσιν ἰόντα
σαίνοσ' ἀεὶ γὰρ φέρεσ μειλίγματα θυμῷ.

Sunt qui apomagdaliam eſſe σίαρ finiant, ἐν ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάσσοντο ἐν δείπνοις. Auctor item Euſtathius eſt, magdaliam dici ἀπὸ τοῦ μάσσειν, eſſeq; zymoma quoddam, in quo abſterſis cibariorum ſordibus pinguioribus, inde canibus pararetur cibus. Aponiptrum & aponimma, malluuias uocabant, ſiue pelluuias quoque. Sed & peluim fortè ſic nuncupare, fuit moris: quanquam Athenienſibus aponimmata uocantibus in mortuorum ratione, aut ſceleſtorum purgatione. Cheroniptrum, idem planè quod aponiptrum. Nardo puluerem uento impactum laudat Dioſcorides, ad cheroniptrum, id eſt ad manuum ablutionem. Nam cheromactrum omolinon ſignat, uel ectrimma, id eſt extergendis manibus deſtinatum mantile. Chiromactra tamen in capitibus etiam ornamenta deferunt mulieres. Aurea cheromactra ſunt apud Herodotum libro ſecundo. Vſos porrò abluendis manibus ſmegmate ac odoratis rebus priores, Antiphanes cum Epigene prodit. Smegma, Theocriti expoſitor ſaponion interpretatur, ab σμήχω, id eſt purgo. Apud Galenum Therapeutices quartodecimo, inter expurgantia medicamina, quæ uocat is ῥυπτικά, legimus dici quædam trachomatica. Sed & de quibus dictum eſt, ſmegmata, rhymmata nuncupari legimus. Nec illud obticuero apud ueterem Homeri interpretem compertum, lebetem dici, quem poſteriores cherniben appellarint: prochoon uero, ex quo profunditur aqua: eum cherniba nuncupat Poeta. Quod uero ad odoramenta ſpectat, attendenda uehemẽter Socratis apud Xenophontem monita: nam in Sympoſio Calliæ laudans δεῖπνον ἄπεμπον, id eſt cœnam omnibus abſolutam numeris, Theamata (inquit) ac acroamata, id eſt quæ oculos & aures paſcant, adijcis quoque. Quid ſi (inquit is) & unguentum quis affundat? Minimè, ait Socrates: ut enim ueſtium alia uirilis, muliebris alia, ſic odoraminum uiro congruunt quædam, quædam uero mulieri. Nam olei odor in gymnaſiis, ſi adeſt, unguento ſuauior exiſtit: ac ſi abſit, deſideria amplius commouet. At enim ſeu liber ſeu ſeruus unguento incedat delibutus, idem concinatur odoris halitus. Qui uero ab generoſis effla tur laboribus, induſtria comparatur & tempore, ſi ſuauis ac homine libero dignus cenſeri debet. Tunc Lycon: Sanè (inquit) iuuenibus iſta permittãtur: at nos per ætatem gymnaſiorum exſortes, quid nam olere cõpar fuerit? καλοκαγαθίας per Iouem, ait Socrates, id eſt morum probitatem. Id uero chriſma non utiq; ab myropolis comparandum, ſed unde commonuit Theognis,

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
συμμίγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸ ἐόντα νόον.

Carnibus tantum ueſci ſolitos priores mane. Quadrifaria epularum diſtributio. De uomitu, & qui uomitores. Item quid comeſſatio, necnon de andrijs. Crion quid, & creagra. Harpax, lycos, crateuta, aryſanæ, aryſteres, aryſtichi, ephebus. Cyathus fluuius. Aconita uaſa. Crios, p Thyeſtis ſepulchro. Crios, id eſt aries in cælo, cur. Crimnon, poltariũ. Crimnodes urina, & nix. Corycus. Ceres Myſia. Cymbia, carcheſia. Macrobij lapſus. Optanium. An elixis uterentur carnibus ueteres. Elixæ an aſſæ magis nutriant. Carnis eſitandæ mores gentiũ uarij. Locuſta ueteres uſos in cibis. Cap. II

SCribit primo Canonis Auicenna, ſolitos antiquorum non paucos mane tantum carnibus ueſci, ac cœnæ modò panem adhibuiſſe. Tanquam illud Hieronymi comprobarent ferè: Comedant carnes (inquit) quæ carni ſeruiunt, quarum feruor deſpumat in coitum. Scribit in Antiquitatum libris Dicæarchus, Saturni tempore, carnibus reiectis, omnes frugibus ac pomis ueſci ſolitos. Triptolemi præcepta circumferuntur tria: honorandos parentes, uenerandos deos, carnibus non ueſcendum. Porrò, carnium eſum carmine deteſtatur

Orpheus. Eum non fuiſſe, qua tempeſtate in Oriente potitus imperio Pygmalion eſt, multi prodidere. Ab diluuio permiſſum, ex ſanctis coniectatur literis. Verũ, gulæ mancipati, uitæ pretia uelut exquiſitius intelligentes, epulas quadrifariam diſtribuiſſe comperiuntur: in ientacula & prandia, cœnas ac comeſſationes. Sicuti apud Græcos Philemon uſos ueteres ſcribit, acratiſmate, ariſto, heſperiſmate, dipno. Iis uero facile ſufficiebant uomitandi cõſuetudine. Quod quũ cenſoria grauitate Seneca taxaret, Edunt (inquit) ut uomant, uomunt ut edant. Dicebantur autem uomitores, qui ea uiuendi ratione uterentur, quam egregiè damnauit Aſclepiades: cui aſtipulatus Celſus Cornelius, uomere luxuriæ cauſa damnoſum prodidit. Erãt uero comeſſationes cibi potuſq; poſt cœnam hauſti ex luxu. T. Liuius libro quadrageſimo: Quin comeſſatũ (inquit) ad fratrem imus? Et alibi, Conuiuam me tibi committere auſus non ſum, comeſſatorem te cum armatis recipiam? Quintilianus: Hinc eſt ille in peſtilentia comeſſator. Quo in loco intelligere tamen poſſumus generali uocabulo dici epulatorem, compotatoremq; luxurioſum. Nam & comeſſabundus Alexandri Magni exercitus legitur apud Quintum Curtium, tanquam indulgens præter modum prodigis epulis, gulonumq; eſcariæ uoluptati. Poſſunt & comeſſationes conuiuia dici, ex collatione ſymboliſq; comparata: quæ Lacedæmonij phiditia, Cretes andria nuncuparunt. Hæc libro Politicorum ſeptimo Ariſtoteles ſcribit, eſſe oppidò quàm uetuſta, ut quæ in Creta ſint celebrata, Minoe regnante. Quin & prius multò ab Oenotriorum rege Italo, in Italia inſtituta. Illud obiter ſubnotauimus: crion, id eſt κρέιον, nuncupari creodochum uas, in quo recondantur carnes: quamuis malit eo nomine carnes intelligere Euphorion, quod Appion ſcribit, & Herodotus. At crion putat Pauſanias caniſtrum, uel lancem, uel quid eiuſmodi, in quo concidatur caro. Hinc & creagra profluit, quam etiam harpaga & lycon appellari, ſcribit idem Pauſanias. Eſt autem coquinarium inſtrumentũ, ſicuti crateuta quoq; nam ſunt eo nomine obeli, uel lapides (inquit Pauſanias) aut etiam ferreũ aliquid, cui incumbat ueru. Etiam ſi ueterum pleriſq; arriſit illud quoque, ut ueruum manubria ſic uocitentur. Traditum quoque Græcis eſt, lycos, iridis nũcupari flores, quòd labiorum lupi imaginem præferant. Crambaleam ſcribit Athenæus, dici Græcis toſtam carnem. Aryſanas & aryſteras ſiue etiam aryſtichos, pro cyathis inuenimus, aut id genus uaſis, ab hauriendo conciliata nomenclatura. Zenophanes ad hunc uſum, ephebum etiam appellauit. Apud Polybium Cyathus, fluminis eſt apud Arſinoen in Aetolia nomen. Aconita intelliguntur Græcis uaſa non illita, quæ calido diluta humore aquam in ſe trahunt. Dioſcorides libro primo ἀκόνιτον uas, interpretatur ἀπίσωτον, id eſt minimè picatum. Aconitum autem uenenum dici putat Theopompus apud Athenæum, quia apud Aconas exoriatur prope Heracleam. Quod de crio diximus, amplius ſciendum, Thyeſtis ſepulchrum dici λειοὺς, in agro Argiuo: prope quod uiſebatur regio Myſia, & Cereris Myſiæ templum, à Myſio quodam ita nuncupatæ. Crion uero, id eſt λειὸν, in cœlo dici autumant, quia quum in eo fuerit ſol, inter diem ac noctem quodam modo iudicat, quod λείνειν nuncupant. Et quòd in eo ſigno inter hyemem poſitus ac æſtatem ipſe rurſum iudicetur. Crimnon uero puls eſt, ab hordeo nuncupata, unde fieret. Poſteri πόλτον dixere, ac πολταλείον, id eſt pultem, ſeu pulticulam. Hinc λειμνώδεις, urinas nuncupant medicinam profeſſi, in quibus nubeculæ craſſamentum ſeſe oſtentet farinæ denſioris modo. Sic & comicorũ facetiſſimus, λειμνώδη ningere ait, ubi niuium deuoluntur grumi. Lego item conchas aſperiores Atticè nuncupari crios, id eſt κρέους, quas corycos dicant Macedones. Cymbia & carcheſia fuiſſe Latinis incognita ueteribus, parum diligenter tradidit Macrobius: quum apud Varronem, adſciente calculum Marcello, illud reperiatur: hoc autem etiam apud Liuium Andronicum, ſicuti commeminit Nonius,

Florem antlabant Liberi ex carcheſiis.

Quod autem de carnibus diu præſtruximus, animaduertendum amplius: heroas etiam num elixis uſos, etiã ſi Seruius improbat, quod ex Euſtathio liquet, Athenæoq; apertius, & Herodoto hiſtoria prima. Heroas (inquit Euſtathius) inducit Homerus elixis utentes carnibus, præcipuè tamen aſſis: unde & optanij inflectitur nomen, ex uſus frequentia

quentia. Signatur autem eo uerbo coquina. Incognitam nõ fuiſſe Homero hoc genus opſopœiam, auctor eſt Iulius Pollux: addit tamen, heroum pleroſq; ea non uſos. Meminit in libro De Homeri uita Plutarchus. Et De republica tertio, apud Platonem legimus, Heroũ menſis parari ab Homero non piſces, non elixas carnes, ſed aſſas, quæ concinnarentur facilius: quod comprobat Athenæus. Obſeruatum ex phyſicis illud quoque: Elixa intus fieri ſicciora, & inde nutrimenti minoris quàm ſint aſſa, in quîs humidum genuinum intus obſeptum contineatur. Quod in illis euaporet, quoniam meatus laxet elixans calor: quo argumento etiam inalbeſcit ius. Auctore porrò M. Varrone, Aſſam primò, ſecundò elixam, tertiò è iure cœpiſſe, natura docet. Cæterum, eſt utique mirum, quàm ſibi indulſerint parte hac gentiũ mores: quippe Arabas nouimus camelorum lacte ueſci, à carnibus ſuillis uero abſtinere in primis, copiæ uel raritatis utrunque ratione. At camelos deteſtantur in Septentrionem reiecti. Phryges ac Pontici, uermes albidos obeſosq; capite nigricante, qui è carioſis promuntur materijs, inter delicias habent: ac xylophagia comediſſe, luxuria eſt. Orienti & Libyæ grata præcipuè locuſta eſt, quod uerum Ioannes comprobat Baptiſta, uti inquit Hieronymus. Lacertis item uirentibus ueſci, in more Aphris eſt. Alicubi in menſam uitulos admiſiſſe, ſummũ cenſetur ſcelus. Nam & Imperator Valens legem Orienti dixerat, Ne quis uitulinã eſitaſſe carnem uellet, dum agricolationi conſultum cuperet. Nomades ac inſolens Hunnorum feritas nec ſemicrudas aſpernata carnes eſt. Sarmatis, Vandalis, ac innumeris alijs, equorum & uulpium carnes ſolatio ſunt. Iam qui & humanis ueſcerentur, Scotos gentem Britannam, ſe uidiſſe prodidit Hieronymus. Locuſtam porrò in menſam admitti, probatur Leuitici undecimo, intantum fallitur Sipuntinus.

Aduentitia cœna, quę ſit: item aduentoria epiſtola, & aduentores. Caligulæ luxuria, & Clodij. Cap. III

SEd nec illud parte hac omittendum, aduentãti principi aut amico cœnam apparari ſolitam: ea inde dicebatur aduentitia, cuius incomparabilem luxum quis non iure miretur? Duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita interdum literis proditum eſt. Cœnę hoc genus meminit in Sympoſiacis Plutarchus, dicitq; hypodecticam ex Romanæ linguæ proprietate nuncupatam. Perinde ac innuat, appellari ſolitam exceptitiam, ut qua excideretur princeps, uel amicus: uel aduẽtitiam, ut modò præſcripſimus, etiam ſi Græca uox aliud ſonare uidetur. Apud Martialem, epiſtolam legimus aduentoriã, quæ aduentanti amico mittitur obuia: ita enim ſcribit libri duodecimi Præfatione, Et ſtatui pauciſſimis diebus & familiariſſimas mihi aures tuas excipere aduentoria ſua. Sed aduentores dixit Apuleius, eos qui ſoliti ſunt in cauponam cuiuſpiam diuertere. Et nunc (inquit) ſenex ille dolium innatans uini ſui aduentores priſtinos fece ſummiſſus officioſis rhonchis raucus appellat. Trita uox ea imperitæ quoque plebi. Sunt & ſui apud Plautum meretricibus aduentores. Verum, ut ad epularum magnificentiam redeamus: nepotinis ſumptibus omnium prodigorum ingenia ſuperauit Caligula Imperator, commentus nouum balnearũ uſum, & portentoſiſsima genera ciborum atque cœnarum, ut calidis frigidiſ'que unguentis lauaretur, pretioſiſsimas margaritas aceto liquefactas ſorberet, conuiuis ex auro panes & obſonia apponeret, Aut frugi hominem oportere eſſe dictitans, aut Cæſarem. Sed in principe quam habent iſta admirationem? Clodius Aeſopi tragœdi filius, ut experiretur in gloria palati (ut inquit Plinius) quid ſaperent margaritæ, ſingulos uniones conuiuis abſorbendos dedit: quod in Sermonibus Horatius morſu Satyrico caſtigauit:

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum abſorberet, aceto
Diluſt inſignem baccam.

De griphis conuiualibus. Quæ dicantur quæſtiones cyliciæ, aut mnemoniæ. Aenos quid. Cyliceum. Sceletus Aegyptiorum. Plutarchi locus explicatur. Cap. IIII

Sympotica

SYmpotica uero, hoc eſt conuiualia, fuerunt & illa: ænigma, & griphus: illud luſum habebat, griphus uero etiam ſtudium ac curam. Soluenti, præmium erat carnis portio: imperito ac ſegni, mulcta irrogabatur, ut ſalſam hauriret potionem. Nomen inditum id genus ſermonibus obuolutis, à piſcatorum griphis ſiue retibus. Quæſtiones uero dicebãtur cyliciæ, hoc eſt ζητήματα κυλίκεια: arbitror, quia κύλιξ, poculum ſignat: unde cyliceum dicitur, poculorum repoſitorium. Theodectes uero ſophiſtes multa in ijs ſolertia præditus, mnemonias uocauit: quoniam mnemonicus foret ipſe, hoc eſt memoria potens. Griphi Lucianus meminit: Quid (inquit) ſunt homines? Dei mortales. Quid uero dei? Homines immortales. Aenigmata profers, & griphos conglutinas: equidem, ut Loxias, apertum nihil promis. Id genus uidetur quod Laſus dicebat, Crudum piſcem eſſe ὀπτόν, ex uerbi ambiguitate captato ioco: nam ὀπτὸς, aſſum indicat, & uiſibile: ſic autem Græcè totum enuntiatur, ὠμὸν ἰχθὺν ὀπτὸν εἶν. Sed operæpretium eſt, huic potiſſimũ loco ſubiecciſſe, quę Demetrius Phalereus prodidit ἢ περὶ ἑρμηνείας, ubi de orationis differit gratia, hoc eſt περὶ χάριτος λόγου: Eſt (inquit) gratia quædam, quæ dicitur παρὰ προσδοκίαν, id eſt præter expectationem: ut apud Homerum de Cyclope,

ὅπ᾽ ὕστατον ἔδμεναι οὖπερ.

id eſt, poſtremum ego utin uorabo. Neq; enim xenium id genus Vlyſſes meditabatur, neq; expectabat lector. Ariſtophanes quoq; in Nebulis de Socrate,

κἀμψας ὀβελίσκον εἶτα διαβήτην λαβὼν,
ἐκ᾽ παλαίστρας ἰμάντιον ὑφείλετο.

id eſt, quum obeliſcum incuruaſſet, mox circinum cœpit: ueſtemq; ſuſtulit ex palæſtra. Ex locis duobus gratiam hic uenatur poeta. Non enim modò præter opinionẽ illatum eſt, ſed nec præcedentibus cohæret. Anacoluthia (inquit) huiuſmodi, ſiue incõſequentia, uocatur griphus: ut apud Sophronem ῥαφανίδων βουλίας, & apud Menandrũ Meſſeniæ prologus. Griphum alio uocabulo ænon dicunt, quod ex Euſtathio eſt: uti apud Clearchum, Vir, non uir: auis, nec tamen auis: lignum, non lignum: lapis, non lapis. Significantur uero hæc, eunuchus, nycteris ſeu ueſpertilio, ferula, pumex. Qui de his plura noſſe cupit, Athenæum adeat Dipnoſophiſtarum decimo. At Aegyptiorũ mos griphos non habet, dum ſceletum, id eſt aridum iam inueteratumq; ſale cadauer conuiuio inferunt, illud incinentes, Ede, bibe, talis poſt mortem futurus. Ad quod forſan reſpicit Plutarchi id in M. Antonio, Qui adminiſtros hortabatur, largè propinare, ac epulis diſtendi: quoniam foret incertum, an in poſterũ id eſſent facturi, Auguſto ceruicibus ingruente, ac proinde ipſo iam ſceleto, & in nihilum redacto. Id quod eo adnotaui gratius, quia per inſcitiam locus eſt ab Plutarchi interprete præteritus. Aegyptij moris meminit hiſtoria ſecunda Herodotus: ſceleti, in Septem ſapientum conuiuio Plutarchus. Strabo Antæi ſceletũ nominat, libro ultimo: ſed tibiam eo nomine intelligit interpres, quod ex Plutarcho in Sertorij uita coarguitur.

Cottabiſis quid, & quid cottabus. Plutarchus explicatur. Item de latage, & cataeto. Coſymbus quid. Coſymbotę tunicæ apud Hieronymum. Crobylus. Scorpius. Cap. V

COnuialis ludus fuerat, prioribus præſertim Græcis, quem cottabiſin dicebant: nam & κοτταβίζειν eſt, eo quod ex potu ſuperfuit, ſonum elidere. In æneas uero phialas, quę latagia nuncupant, potus reſiduum iactabant, qui dicitur cottabus: quòd ſi eliſu maior æderetur ſonus, ab amaſiis diligi ſe augurabantur. Cuius rei ueſtigium Romæ ſeruatum uideri poteſt: nam Hiſtoriæ naturalis libro quartodecimo Plinius, inter legum ſcita illud item fuiſſe ſcribit, Contra bibendi fallacias, nihil ad elidendum in pauimentis ſonum ex uino reliquiſſe. Verum inibi Hermolaus ex ueteri lectione ſummum legi mauult, quàm ſonum, ut poſtremum intelligeremus potum, quem docuimus uocari cottabum: quanquam eſt & phiala ænea cottabus, aut peluis, ut alij ſcribunt, qua in id genus uterentur luſu. Nam cottabia, quod ex Athenæo diſcimus, dicebantur præmia uincenti hoc ludicri genere data: quæ non aliud fuiſſe animaduertuntur, quàm pyramuntes, hoc eſt triticeæ placen-

tulæ

tulæ,ac ſeſaminæ.Meminit eius uocabuli etiã primo Rhetorico Ariſtoteles, ab Aeneſidemo miſſa Geloni cottabia,ſcribẽs. Ariſtophanis interpres ſonum ipſum etiam cottabum dici putat.Nam poeta ipſe,methyſocottabos ita ludentes appellat,quòd iam ui no madentes id agerent.Ex quo eſt illud Plutarchi in Sympoſiacis: nam Soclarus eludens, quæ contrà dicebantur de concubitus abſtinentia, & quòd non citra periculum admittatur à cœna, ἀθλητικὰ ταῦτα εἶπεν ὦ ὀλύμπιε πάντα πάσην, ἔτι φλοιὸν ἀβίστεως ὄζοντα καὶ τὴν λιτοφαγιῶν ἐκείνην οὐκ εὐέντλα. id eſt, athletica (inquit) ſunt hæc prorſum Olympi, etiamnum cottabiſin redolentia, & nõ ſatis aptam carnium illam deglutionem. Veluti dicat,athletis quorum uita ſagina eſt, damnoſum fortè concubitum uideri, & à cœna illis periculum afferre, qui licentius ingurgitarint, exhilaratiq; à ſcurrili luſu minus abſtinuerint.Hæc ut placeant,faciunt quæ conſequuntur.Adſunt(inquit)iuuenes uxoribus copulati,quos addecet Venerea amanter exercere.Quin & paulo pòſt idem colligit,qua ratione coitu poſt cœnam minus oblædatur corpus: idq; aſtruit contingere,ſi quis non diſtento uentre,nec ebrius id peragat.Illud uero à Plutarcho prouerbiali modo enuntiatum,neminem puto latere. Auctor Critias eſt,cottaborum luſum eſſe Siculorum proprium,quin & ab eiſdem inuentum:ueluti etiam latage,nationis eiuſdem uocabulum creditur,quo ſignificari Athenæus arbitratur,quod ex potu ſupereſt in poculo. Id conuerſa manu dextra ſurſum, molliter ac per ambitum cubito innixi ſiniſtrõ, iactabant,ludentes in cottabeum.Fuit & quem catactum,id eſt κατακτὸν, cottabũ uocabant,id eſt lychnion,quod attractum denuo concidebat,eum continens quem dicũt μάνλιον, id eſt cottabi prominulam partem,quam dixerit Sophocles æneum caput.Nam plaſtinx portio intelligitur, quæ ſonum eliſu reddebat. Cottabum, medici per imperitiam (ut retur Athenæus) à balneis potionem,uel ante balneas uomitũ nuncupabant. Coſymbũ,ſeu coſymben, ſcribit Sudas inter indumenta recenſeri, unde ſunt apud Hieronymum coſymbotæ tunicæ.Iulius Pollux in tonſuræ generibus: Coſymbe (inquit) Atticum non eſt,ſed crobylus potius. Crobylum interpretantur aureum corymbum è capillis propendentem. Sunt qui putent capillorum cõtextum tendentem in acutum. Meminit Xenophon,nec omiſit Thucydides. Ab nonnullis hæc profertur diſtinctio, ut in uiris dicatur crobylus,in fœminis corymbus,in pueris ſcorpius. Hinc forſan coniectatio ſit,cur Hieronymo coſymbotæ dicantur tunicæ.

Græcorum in bibendo leges.De Iouis Olympij cratere:item heroum,& Soteris Iouis, ac Mercurij. Interim quid modiperator. Bonus deus, qui. Virgilius illuſtratur.De Thracibus & Scythis.Horatius declaratur.Pocu lorum nomina plura.Bibendi lex apud Locros. Qui bene poti ad ſcriben dum acceſſerint.Maſsilienſium mulieres eſſe hydropotas:ſicuti Mileti factitatum,& Romæ. Samagorium uinum. Italicas mulieres uinũ neſciſſe. Ecpetala pocula.Petala. Patellia.Callopatira capridij. Oenochoi. Tauri. Epenchytes. Ceryx. Oenoptæ. Ophthalmi. Euophthalma.Acratophorus Dionyſius. Vinaria uaſa nomen ſeruantia:bicus,bicarium,croſſus,gaſter,gaſterium,ceraphium,baucalium, cypellum,amphicypellum, cyphela,dicypellon,pella phiala,cyprus,hemicyprus,ſcaphos.Piſæ quid.Piſa ciuitas,unde.Paropſis. Cap. VI

GRæco more potare, interpretantur quidam grandibus meracisq; poculis ſe inuitare. Cicero in Verrem Actione tertia: Fit ſermo inter eos & inuitatio, ut Græco more biberetur, hoſpes hortatur, poſcunt maioribus poculis, celebratur omnium ſermone lætitiaq; conuiuium. Sunt qui à Marco Tullio ueterem Græciæ morem innui, cõiectent:quo toties bibere receptum erat, quoties deos & charos nominatim uocaſſent. Vtcunque, Auſonius meminit ad Symmachũ, Super menſam meam facta eſt inuitatio, non illa de ludibrij conuiuio, ut Græco more biberetur, ſed illa de Flacci ecloga: in qua propter mediam noctem & nouam lunam & Murenæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petijt uates. At in Xenophontis Sympoſio, pocula laudantur minuta & rorantia. Fuit & in Græcorum conuiuijs lex illa uetus,ſicuti Thuſculanarum quinto à Cicerone traditum

ſcimus

ſcimus, Aut bibat, aut abeat. Et rectè, inquit: aut enim fruatur aliquis pariter cum alijs uoluptate potandi, ne ſobrius in uiolentiam uinolentorum incidat: aut diſcedat. Hæc itidem in uita uidetur ſeruanda: nam iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Inoleuerat & Græcis mos alius, ut talis ſortirentur, qui conuiuio præſidens, leges decumbentibus diceret, quæ uocabantur nomi. Hic uero teſtimonio Varronis modiperator Latinè nuncupatur, ueluti modum bibendi præſcriberet. Rex etiam dicitur Macrobio: arbitror, quia Græci βασιλέα appellant. Horatius,

Nec regna uini ſortiere talis.

Eubulus ſub Dionyſii perſona monet, ſanitati primum dicari cratera, ſecundum amori & uoluptati, ſomno autem tertium, quartus uero (inquit) iam noſter non eſt, ſed iniuriæ. Panyaſis poeta, poculum primum Gratijs contribuit, horisq́ & Dionyſio: ſecundum Veneri, rurſumq́ Dionyſio: iniuriæ autem & nocumento, tertium. Cõſuetum & illud priſcis Græcis inuenio: poſt cœnam, Boni dæmonis (quem eſſe Fortunam putat Euſtathius) haurire poculũ, quod meracius erat: quæ res dicebatur, κρᾶσις ἀγαθοῦ δαίμονος. Quod in Ionia ſcribit Apoſtolius, qui et ſecundum menſis diem Boni dæmonis dictum tradit. Nam Thebis etiã uiſebatur Boni dæmonis heroum. Hinc facetiſſimus Comici iocus,

ἕλκε πλῶ τὸ δαίμονος πραμνίου.

id eſt, trahe (inquit) dæmonis pramnij: quum ſit uinum pramnium uel pretioſiſsimum. Auctor in Arcadicis rebus Pauſanias, ad ſiniſtram uiæ, quæ in montem ducit Mænalum, fuiſſe ἀγαθοῦ θεοῦ ναὸν, id eſt Dei boni templum: Quòd ſi (inquit) bona contribuunt dij hominibus, inter deos autem ſummatem eſſe Iouem nouimus: conſequutione nimirum probabili coniectare licet, eius dei eſſe cognomentum id genus. Quòd ſi eſt, Mantuani uatis interior doctrina retegitur, quum Aeneidos primo ita canit,

Adſis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.

Deam uero hanc etiam Græcis χρηστὴν dici, cõmeminit in Cœnis Macrobius. Verum ab diuerticulo repeto fabulam. Nec ignoro, eſſe qui Boni dæmonis poculũ primatem habuiſſe locum autument. Sed in hoc mira ſcriptorũ uarietas eſt. Pindari interpres ſeruatum ueteribus morem ſcribit, ut crater princeps Iouis diceretur Olympij, ſequẽs terræ heroum (cuius rei etiam Plutarcho in Cauſis mentio eſt) tertius Διὸς σωτῆρος, id eſt Iouis Saluatoris, ſi linguæ proprietas ita dici patitur: cui aſtipulari Sophocles uidetur in Nauplio,

ζεῦ πανσίλυπτε
καὶ Διὸς σωτηρίου παννυχίστου λαμπτῆρος.

Sed & in Epigonis Aeſchylus. Verum, cur cratera tertiũ Iupiter habebat Soter? nempe quòd is bibendi modus citra uinolentiã omnino ſubſtringebatur, ultrà progredienti, largius hilariusq́ ingurgitanti, intemperantis nõ deerat nota. Dicebant eundem τέλειον quoq́, de ternarij perfectione numeri, in quo principium ſit, medium & finis. In literis compertum & illud: potionem in conuiuijs principem, præfatione τοῦ δαίμονος ἀγαθοῦ ſolitam offerri, guſtandam modò quod foret meracior. Dæmona uero bonum uidentur Liberum etiam patrem accepiſſe multi. Poſtremam, quæ lymphatior erat (ſic enim ab eruditis nuncupari obſeruatum, nonnullis etiam in diuerſum euntibus) Iouis præfatione Liberatoris. Celebratum eſt & in Lemno ab Athenienſibus Seleuci Soteris poculum, quòd in eos fuiſſet is beneficus. Siculus autem Diodorus Bibliotheces quinto: Aiunt (inquit) quum purũ in cœnis uinum datur, omnes deum ſoſpitem optare bibenti: at quum à cœna dilutius hauritur, Iouem uocari Sotera: nam puri uini potus, ad inſaniam redigit: aqua Iouis mixtus, uoluptatem parit ac lætitiam, & arcet inſaniam. Aſclepiades calicem primum ad ſitim pertinere dictitabat, ſecũdum ad uoluptatem, tertium ad ebrietatẽ, quartum ad inſaniam. In Iulij Pollucis theſauris adnotatum inuenimus, potum ultimum ἑρμεῖον appellatum, hoc eſt Mercurium: unde & Homerus,

ὄφρ' ἀνὰ μνῶμαι πὼ ἀπὸ δαῖτα θάσσω.

id eſt, poſtremò autem libabant. Auctor Athenæus eſt: Mercurio, ſurgẽtes à cœna prolibare ſolitos, quia ſit ſomni præſes: poſterius uero, etiam Ioui τελείῳ: nam calicem Soteris Iouis inuenio item τέλειον nuncupari ſolitum, quæ uox perfectum indicat & abſolutum, ut diximus. Ex his uero hactenus

hactenus prolatis lux infertur plurima Horatio in Carminibus, quem ab interpretibus multifariam eruditum conuelli sæpe, animaduertas. Apud Locros Epizephyrios si quis medico nõ imperante salutis ergò meracius hausisset, perinde ac capitalem admisisset fraudem, morte scelus expiabatur: ita sanciente Zaleuco. At Alcæus & comicus Aristophanes uino madidi pangendis inuigilabant poematis. Multiq; præterea uino se proluentes in hostem depugnarũt illustrius. Apud Massilienses hydropotæ sunt mulieres: in Mileto idem factitatũ, Theophrastus scribit. Tametsi Milesios dixit Demodocus, Non esse insipientes quidem, ea tamen facere quæ agant insipientes. Sicut inquit Moralium septimo Aristoteles: Incontinentes, iniusti quidem non sunt, iniuriã tamen faciunt, sed præter electionem. Apud Romanos uino abstinet mulier libera, ut libro sexto Polybius scribit, sed serui quoq;. Item Ephebi omnes, ad annum uitæ tricesimum. Samagorij uini cotylis tribus homines quadraginta, & eo plures, inebriari solitos, scribit Aristoteles. Sunt qui uniuersim Italas mulieres uinum nescisse prodant. Romanas tamen passo uti solitas, refert Polybius. Thracum Scytharumq; proprium fuisse uidetur, capacius ingurgitare merum & ingentia exsiccare pocula. Id perobscurè significat Pollux libro sexto, ubi ait, ἀμυσίζειν esse idem ferè, quod Thracum more bibere. Verbum id apud Plutarchum expositum inuenio pro eo quod est, multum sineq; respiratione haurire, hoc est (ut ipse ait) ἀθροῶ τῇ ἀπνόυσι πίνειν. Hinc apud Horatium dictam puto Amystidem. Hic protinus sciendum, πεπίνειν nõ permixtionem modò indicare, sed & poculi gratuitum complecti munus. Anacreon,

ἀλλὰ πρόπινε ῥαδίνους ὦ Φίλε μηρούς.

Quod est, χαρίζου. Sed & Demosthenes patriam prodentes hostibus, πεπίνειν dixit. Erant & ueteribus pocula latiora, quæ uocant ecpetala, quoniã folia perampla dicuntur petala: cuiusmodi pocula etiam nuncupantur patellia: ex quibus Alciphron, patellocharona concinnauit. Sed & capridij callopatira apud Athenæum legisse uidemur. Est autem capridiũ, à capro deminutum, quo nomine aprum intelligimus. Qui potus ministerio præficiuntur, dici quidem œnochoi solent: in Neptuni tamen festo etiam tauros scio appellatos. Hellespontij, pincernam uocant epenchytem: at ueteres etiam ceryca, ut ex Homero liquet. Qui uerò œnoptæ nuncupantur, tres numero explorato res inspectoresq; erant cœnarum, an exæquo potaretur. Lychnos hi cœnantibus suggerebant, & thryallidas, id est ellychnia. Hos quidem etiam ophthalmos dixere, id est oculos. Vnde euophthalma dicuntur, quæ oculis arrident plurimũ: auctor Athenæus in Polyarchi dissertatione, libro duodecimo. Quales uerò fuerint Scytharum in bibendo ritus, nec Plato ignorasse uidetur, quando Legum primo sic scriptum reliquit: Sed de ebrietate quærendum (inquit) utrum ita uiuendum sit, quemadmodum Scythæ ac Persæ. Carthaginenses præterea & Celtiberi & Thraces mero penitus utuntur, tam uiri quàm mulieres, atq; uino item uestes perfundunt, præclarum hoc & beatum uitæ genus existimantes. De Scythis illud tamen commonuero quod scribit Maximus Tyrius: Scythas esse quidem hydropotas, quòd si ebrietatis uoluptatem requirant quandoq;, pyram construere, in eamq; herbas conijcere odoratas, ac mox circũstare & odorem uelut crateris hauriẽtes liquorem, fieri ebrios, quamobrem canere ac saltare. Persæ uerò alijs utuntur delicijs, quamuis moderatius quàm isti. Apud Phigalenses in Arcadia fuisse sacellum Dionysii ἀκρατοφόρου, Pausanias tradit. Illa porrò adnectamus capiti huic, etiam si excrescenti nimium: inter uasa uinaria recenseri à Polluce, stamnium, cadum, cadiscum, bicum, quem fuisse Homero incognitũ Eustathius prodit: sicut nec pytinas nouisse potuit. A bico, cuius meminit ἀναβάσεως primo Xenophon, arbitror fluxisse nomen nunc uulgò frequentissimũ: quanquã bicarium dicimus potius, quod est deminutum recta Græcorum forma. Sicuti etiam crossum, quo uocabulo Venetijs in œnopolijs utuntur plurimũ. Bycium uitreum legimus apud Dioscoridem libro secundo. Bicos tamen palmeos scribit Herodotus Historia prima, uino plenos Babylonem apportari solitos. ut uas capacius intelligere, necesse sit: proinde Laurentius dolia reddidit. Erat & gaster uas, & gastra fictilis Dioscoridi. Sed gasterium uocat Aristophanes, seruatq; adhuc nomen. Quanquam & gastera pro rapo dici legimus à lacedæ-

monijs:etiam ſi apud Bœotios braſſicas ita nuncupari, Nicander putat. Scaphos denicꝫ,cauitatem nauis uocat Thucydides,quam(inquit interpres)gaſtera dicimus. Cyprus & hemicyprus, uaſorum ac menſurarum genera ſunt, coquinariam facientibus perfamiliaria.Inuenio & ceraphium ab Homerico cornu,ſed & bacaulium.Addamus illud quocꝫ: cypellum dici à Græcis poculum, ὑπὸ τὰ ἔσω λύπης, id eſt ad interna proclinatum innuenscꝫ.Appellatur idem & amphicypellon,uelut undicꝫ intro inflexum. Sæpius nancꝫ ἀμφὶ præpoſitio circulariter ſignat, unde inſula quandocꝫ legitur amphialos, & tonitru amphipyron. Certè deorſum adnuentes nubes, eadem etymi ratione,cyphela nuncupare, moris eſt. Ariſtoteles uerò mellis cellas amphiſtomos eſſe dicit,id eſt geminas:in una eñ baſi,ſeu interſepto duas eſſe cellas:ſicuti (inquit) in amphicypellis,id eſt geminis poculis:una quidē intus,foris uerò altera.Ex quibus coniectatio eſt,eſſe idem amphicypellon & dicypellon,propter antithetos, id eſt oppoſitas fiſtulas & thecas mellis: tancꝫ uni modo baſi,id eſt fundo, cypella incumbant duo,ſuperne unū, infra reliquū, ut baſis ſit potui accōmoda, ubi uſus uenerit. Pella uerò etiã phialam ſignat, qua uterentur in ſacris.Quem pellam, in Theocrito nigram interpretantur:nam corporum ſuperficiem, ubi ſanguinis affluxu nigreſcat, pellama, uel pelidnoma,id eſt πελίδνωμα, uocāt.Piſas denicꝫ apud Græcos dici inuenio τὰς ποτίσας, id eſt bibulas,de uerbo πίσαι, quod ποτίσαι ſignat. Quin & Piſam ciuitatem hinc dictam opinantur plericꝫ, quoniam humectus ſit locus, & aquæ cōtinens plurimum.Id autem genus loca uocāt Græci, τὰ ποτίσῃ. Illud neutiquam prætereundum: iuſſulenta plerunꝫ de uaſorum appellari nominibus, ut paropſidas & triblia: necnon in Plauto magidas & capidas.

Quæ eſculenta quibus probarentur locis. Acipenſer. Timallus piſcis. Heliogabali guloſa inuenta. Epelane piſcis. Tageniæ quid.Pyramuntes,& ſeſamuntes, & ſeſamis. Sal tragaſæus. Cœna γνωτελὶς. Enchrides.Encryphias panis.Copaides anguillæ.Sacrificia ex piſcibus.Thynnæum ſacrum.Cylabræ heroi in ſacris ſalſamenta offerri ſolita. Strymoniæ anguillæ. Cœnas deorum quas intelligamus.Malca.Aphrogala.Decocta. Cap. VII

QVæ uerò ex eſculentis in menſa uſum haberent præcipuum, non ineptè in hac gulonia prouincia explicuerimus.Igitur ex freto murena primum à ſatrapibus eius procurationis tulit calculum: item Tarteſica. Thynnus Tyrius eximiè laudabatur. Acipenſer tanta fuit apud Romanos indicatura,ut conuiuio inferri cum corollis, ac præcinentibus conſueſſet tibijs, coronatis item qui geſtarāt.Hunc Archeſtratus, qui Sardanapali inſtituta cōſectatus eſt,eundem galeo eſſe putat Rhodio,quanquã diſcriminant inſigniter.Appion grammaticus in cōmentatione De Apicij delicijs,ellopem eſſe acipēſerem credit.Ceſtreus quocꝫ laudis emeruit multum,de quo alibi copioſe,ex Sciatho. Conchæ pelorinæ,un de fortè pòſt nuncupatæ pelorides,de quibus Martialis,

Tu lucrina uoras, me paſcit aquoſa peloris.

Sed & Horatius, Lucrina peloris.

Teutlon,id eſt beta, ex Aſcra:mænides, ex Lipara:gongyle, id eſt rapa, ex Mantinea: pectines,Methymnæi:galeus,Rhodi:pſettæ,apud Eleuſinem:apuę,Phalericæ:triglę, ſiue muli,in Ionia:anguillæ in Euboea copaides, ut in Sicilia plotæ.Sed eam copaides prærogatiuam habent,ut ex eis præcipuas etiamnum dijs immolent Bœotij,uictimarum item ritu coronatas. Et in Lydia piſces ſacrificari ſolitos, Varro ſcribit in Villaticis paſtionibus. Verum,Neptuno quocꝫ thynnum immolare ad capturæ ſpem conſuere piſcatores: idcꝫ ſacrum Thynneum uocant.Quin apud Phaſelitas Cylabræ heroi ſalſamenta offerri,accepimus. Celebratur & timallus piſcis ex Ticino amne aut Ateſi, cui à flore conciliatum creditur nomen, inuulgato etiamnum dicto de eo qui gratam redolet ſuauitatem,Aut piſcem olet,aut florem:quo pronuntiatum facetè eſt,eundem uideri odorem piſcis, qui & floris ſit. Illius enim ſpecie nil gratius, nil ſuauitate iucundius, aut odore fragrantius. Quod ipſum in piſce contingit,quem Galli epelanem uocant,in Sequanæ oſtio frequentem Rothomagū uſcꝫ, modicum alioqui, & ſquammis argenti

argenti modò niteſcentibus: ſi in propinquo ſit, putes uiolis te circumfuſum. Cui rei grauiſſimus accedit teſtis Ioannes Seluanus Mediolani uicecancellarius, ſummę inter Gallos uir integritatis, & ſi quis alius rerum experiens, ac non doctrina modò eminentiſſimus, ſed & doctorum in primis ſtudioſus, uerum Chriſtianæ religionis propugnator incomparabilis: quod in magna fortuna rarenter comperias. Maſtycatum & polentatum excogitauit omniũ princeps Heliogabalus. Quin & comedit ſæpius ex Apicij æmulatione, ut Spartianus prodit, camelorũ calcanea, criſtas gallinaceis demptas uiuentibus, pauonum linguas & luſciniarum: quòd qui his ueſceretur, epilepſiam non ſentiret. Hæc eo adnotaui libentius, quòd libro ſecundo Artis cabaliſticæ à uiro traditum erudito eſt, Neminem unquam piſcem in ſacrificijs oblatum, audiſſe. Fuere porrò & Strymoniæ anguillæ inſignes magnitudine, ſalſilago Thaſia, item Thaſiæ raphanides, caſeus Cythnius & Siculus, ſal Tragaſæus. Sunt autem apud Troiam Tragaſæ, à Tragæo ita nuncupatæ, cuius gratiæ Neptunus concreſcere inibi ſalem iuſſit. Sed ſuper hac re alibi quoq; facta mentio eſt. Apud Lucianũ obſeruauimus fuiſſe prioribus, φιτάλες ὀνομαζόμενον λειπνου, id eſt cœnam quæ diceretur abſoluta, auis una ſingulis apponebat, item ſuilla caro, necnon leporina, & piſcis quoq; ex tageno, id eſt ſartagine, ut ipſe interpretor. Nam in generibus panis recenſentur & tageniæ, qui & enchrides uocantur: dum in ſartagine coquerentur, infundebatur caſeus, oleum, mel, ſeſama. Panis ſubcinericius dicitur encryphias, ſeſamuntes item in cœna fuere eadem. Hæ uerò placentæ erant ex ſeſamo & melle. Sicuti pyramuntes ex melle item ac tritico, quod πυρὸν uocant Græci, quamuis ab ignis figura putent alij dici, quæ à lato in acutum deſinit. Pyrea uerò nemus eſt haud ita Sicyone diſſitum, in quo Cereris fuerat ſacellum πρωτασίας, & Proſerpinæ, celebritatem agentibus tantum uiris, ſicut nymphona, id eſt νυμφῶνα, mulieres modò frequentabant, ubi Dionyſii erat ſimulacrum & Cereris ac Proſerpinæ, Pauſania tradente. Seſamum intelligunt aliqui, uulgò quod dictitant riſum. Sudas ſeſamunta diſtinguit à ſeſamide, ut ſeſamis ſit, quæ & ſeſame, unde ducatur ſeſaminum oleum, quod & ſyinon apud eum eſt, quo Cyri perungerentur milites. Cœnas deorum apud Horatium ſecundo Sermonum intelligunt, quæ citra omnem ſint ſolicitudinem:

O' noctes cœnæq; deûm, quibus ipſe meiq;
Ante larem proprium ueſcor.

Ad gulæ rationem pertinet adnotaſſe illud quoq;: ephthopolium dici locum in quo cibi diſtrahantur percocti. Et qui eo ſe fouent quæſtu, nuncupãtur ephthopolæ. Nam opſodædali dicuntur, qui obſonia uariè condiunt aut quærunt. Gaſtrologi, qui de uentris ratione diſſerunt, & inde gaſtrologia. Denique ſeptimo Therapeutices Galenus, melcam & aphrogala inter ganeata in Vrbe cibaria recenſet.

Catonis, Periclis, Heliogabali qui Alagabalus uel Eleagabalus de cõuictu ſententia. Lactaria quæ. Agalacta. Pometa. Pomarij. Pentapharmacum conuiuium. Conuictorum numerus. Muſæ olim tres. Charmum Syracuſium in ſingula quæ apponerentur, uerſiculos primum concinnaſſe. Martialis diſticha quam habeant argumenti originem. Cap. VIII

MEnſam M. Cato maximè amicorum parentem atq; procreatricem exiſtimauit. At Pericles omnem cœnarum apparatum, & id genus beneficentiam facilè perpetuoq; contempſit ac reiecit, ut tam longo tempore, quo in republica eſt uerſatus, nunquam apud amicum cœnarit, præter quàm Euryptolemo nuptias celebrante, & id quoq; eatenus, ut peractis libationibus, mox abiret. Siquidem animorum elationi magnitudiniq; deprimendæ aptiſſimum eſſe conuiuium, ſanxere nonnulli: quando inibi grauitatis ſeueritatisq; expectationem ſeruare, uel difficillimum ſit. Sed enim Imperatori Heliogabalo, ſiue is ſit Alagabalus, uti uetera præferunt numiſmata, quandoquidem Syrorum uidetur uox, apud Dionem tamen Eleagabalum legimus locis aliquot, citra flatilem omnino: huic inquã Heliogabalo nulla fuit uita, niſi in uoluptatis nouæ exquiſita ratione, ut etiam æſtiua conuiuia colorib. exhiberet, ut praſinum quandoq;, alias uenetũ, & omnino reliquos

oſtentaret. Primus etiam ſchematibus libidinoſiſſimis inquinata ex argento uaſa iuſſit apponi, ac ex piſcibus iſicia fecit primus, ex oſtreis quoque ac lioſtreis, id genus item aliis. Vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eosq; reflabat, prandentibus illis, ita ut plerunq; ſub menſis repente inuenirentur prandentes. Dulciarios lactariosq; habuit eiuſmodi, ut quicquid ex diuerſis eduliis coqui exhibuiſſent uel ſtructores uel pomarij, illi modò ex dulcibus, modò ex lactarijs præberent. Lactaria obiter intellige, quæ nunc ſemidoctũ uulgus lacticinia uocat. Pomarios item apud Horatiũ inuenias,

Hic ſimul accepit patrimonij mille talenta,
Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps
Mane domum ueniant.

Pometa uerò apud Palladium. Agalacta uerò paſcua nuncuparunt ueteres medici, lacti minus accommoda: nam herbis lactis aliquo modo naturam immutari, traditũ eſt. Simonides in eum qui in conuiuio pertinacius taceret, ἐὰ μὲν inquit ἀλίθιος ἦ, σοφὸν πρᾶγμα ποιεῖς, ἐὰ δὲ σοφὸς, ἀλίθιον. Auctor Spartianus eſt, Aelium Verum imperatorem omnium primum excogitaſſe tetrapharmacum, ſeu potius pentapharmacũ, quo poſtea ſemper ſit uſus Adrianus. Cõſtabat id ſumine, phaſiano, pauone, cruſtulo, aprugno ſiue perna. Sicuti in Adriano idem commeminit. Heliogabalus piſces ſemper quaſi in marina aqua cum colore ſuo coctos conditura ueneta comedit. Idem rerum pretia conuiuiorum eſſe orexin aſtruebat. Obiter, hic Heliogabalus eſt quem ſcribit Dion, eſſe nuncupatum uariè: nam & Abitus dicebatur & Pſeudantoninus, Aſſyrius quoque ac Sardanapalus: poſtea quàm uerò trucidatus in Tiberim eſt proiectus, etiã Tiberinus. Omnibus (inquit Varro) numeris abſolutum conuiuium eſt, ſi belli conueniant homines, ſi locus ſit nõ ingratus, ſi temporis ſit habita ratio, ſi non negligens apparatus. Nec illud omiſerim, diuitum pleroſq; domos ſtruxiſſe quandoq; τριακοντακλίνους, in quibus uel triginta ſterni lectuli ualerent, & eo plures quoq;. Id quod in Sympoſiacis improbat Plutarchus, conuiuia id genus, ἄθυλα uocans, & ἄμικτα, id eſt citra amicitiam & communionem. Quæ panegyriarchum uerius requirant, quàm ſympoſiarchum. Olim non plures tribus coiſſe conuiuas, teſtatum Annalibus eſt: quando nec plures initio creditas eſſe Muſas, relatum Pauſaniæ monumentis ſcimus, meleten, mnemen, aœden, hoc eſt meditationem, memoriam, cantilenam. Archeſtrati poetæ etiamnum ſupereſt in ea re decretum, Conuiuæ aut tres, aut quatuor, aut nõ plures quinq; ſunto. aliàs manipularium, & rapto uiuentium conuentus fuerit. Iulius Capitolinus in Vero, eius tale fuiſſe conuiuium prodit, ut in eo duodecim decubuerint primum. Quanq; de conuictorum numero iactatum uulgò non ſumus neſcij: Septem cõuiuium, nouem conuitium. In Platonis Sympoſium octo coeunt & uiginti. Quinarium numerũ quando placuiſſe, libro primo auctor Athenæus eſt. Denarium autẽ Iliados ſecundo comprobaſſe Homerus deprehenditur, ubi in decadas diſtribuit rex cõuiuas, quoniã plures diſcumbere, non ferè moris eſſet, uti docuit Euſtathius. Nam & Pythagoricis conuiuijs nõ interfuiſſe plures, illuſtris auctor prodit Iamblichus. Poſtremò ſcitu dignum illud quoq;, Charmum Syracuſium, ut ſcribit Athenæus, in ſingula quæ apponerentur, uerſiculos primum concinnaſſe, ac parœmias, uti eſt de piſcibus illud,

ἥκω λιπὼν ἀιγαῖον, ἁλμυρὸν βαθὸν.

id eſt, uenio Aegæum linquens ſalſam profunditatem. Vnde Martialem arbitror argumenta mutuatum. Illa uerò huius pragmatiæ felix fuerit coronis, quod ex Xenophontis eſt Sympoſio, ſublatis menſis, conſueſſe ueteres prolibare diis καὶ παιανίζειν.

Fori uituperatio. Super multiplici Athenienſium foro aliqua. Parabyſto, & trigono. Batrachium unde, ac puniceum. Batrachis quid. Batrachos morbus. Heliæum. Palladium forum cur diceretur. De Palladio plura. Peſinus ciuitas unde.

Cap. IX

IOrum Anacharſis Scytha ad fallendum inuicem atque ad dandas auaritiæ manus deſtinatum locum eſſe dicebat, ſed & Moderatus Columella, Neminem quidem (inquit) ſicut dixere ueteres, ſtudium præſtantius eſt locupletiſſimum quenq; allatrandi & contra innocentes, ac pro nocentibus neglectum

ctum à maioribus, à nobis etiam conceſſum intra mœnia & in ipſo foro latrocinium. Quod niſi cupediis ſuffarcinatus, & ferentariis onuſtus libellis pergas, quibus dorophagos expleas, ſordidoſq; ac nummarios, luditur opera. Ineſt echeneis, ruant licet procellæ, domatur mundi rabies, infrenatur impetus. Academicis & cunctatore ipſo Fabio dicas omnia cunctatiora. Plutarchus item in libro De fœnore, eſſe forum dicit ἀσεβῶν χώρων, id eſt impiorũ regionem. Ex quo arbitror M. Catonem cenſuiſſe, forum muricibus ſternendum. Quo fit, ut deformari fœdius poſſit Marcellus Octauia Auguſti ſorore genitus, à quo fuiſſe inumbratum in ædilitate forum, ut ſalubrius litigantes conſiſterent, Plinio tradenti credimus. Auctor Pauſanias eſt, fuiſſe Athenis fora nonnulla ignobiliora, quæ parabyſton uocarent, ac trigonum. Alterum ab obſcuro urbis loco, in quo ſitum erat, nuncupatum, & minimæ quæq; agebantur lites. Alterum uerò à figura. Parabyſton Græci abſconditum, & latens dicunt, παρὰ τὸ βύω, quod ſignat claudo. Vndecim in eo iudices ſedebant, uideturq; duplex fuiſſe parabyſton, medium & maius. Lyſias maioris mentionem facit. Sed fuit & nymphicus hoc eſt ſponſalis lectus, qui uocabatur parabyſtus, cuius commeminit Hyperides ἐν τῷ πρὸς Πολέους. Batrachium uerò forum ac puniceum à coloribus appellationem trahunt. Nam etiam ſi apud Chymiſtas eſt batrachium, ex latice diuino computreſcente proueniens, in auri confectione miraculi præcipuè memorati, ſpecie ranunculi, ueneno uis tanta, uti halitu etiamnum ſolo perimat. Id ab effectu etiam chryſocollam nuncuparunt: quin ubi tument ſub lingua uenæ, genus mali uocatur batrachos. Erat tamen batrachium coloris item ſpecies, quo ante inuentas perſonas faciem obungebant, unde & batrachis inter floridi coloris enumeratur indumenta. Omnium uerò maximum, quo frequentiores conueniebãt, heliæum nuncupabatur. Fuit & palladium forum, in quo de percuſſoribus cognoſcebat. Demophoontem quoq; primũ pœnam luiſſe, palàm eſt. Sed quo crimine, incertum. Cur diceretur Palladium, explicant Græci: à Troiæ captiuitate Argiuos quoſdam cum Palladio ad Phalerum appuliſſe, quos quum incognitos peremiſſent indigenæ, mox admoniti qui forent, mandantes humi palladiũ inibi erexere, atq; inſtitutum, ut de cædibus non ſponte perpetratis quæreretur, id eſt περὶ τῶν ἀκουσίων. Dignũ uerò ſcitu, ab Pherecide Palladia dici ſimulacra omnia ἀχειροποίητα, id eſt non manu conformata, ſed & omne in terram deiectum cælitus: cuiuſmodi certè Mineruæ fuit ſimulacrum, cubitorum trium & ligneum, in Phrygiæ urbem delapſum, unde adoptatum loco Peſinuntis nomen, quod Diodorus ſcribit & Dion. Etiam ſi tradant alij, uti notatum comperi apud Herodianum, dici Peſinuntem, quia inibi conciderint multi, depugnantibus Ilo Ganymedis fratre ac Tantalo, qui Ganymedem rapuerat. Sed nec Mineruæ ſimulacrum illuc deiectum tradit Herodianus idem, uerum magnæ matris. Ioannes Antiocheus miſſum cælo Palladium prodit, ac philoſophũ Aſium ex horæ notatione, quam horoſcopum uocant, mathematicè prædixiſſe, nunquã ciuitatem eam in prædam ceſſuram, ubi id ſeruaretur intactum καὶ ἄσυλον. Traditum ab Apollodoro eſt, Ilum poſtea quàm Ilium cõdidiſſet bouem inſequutum optaſſe, ac deos comprecatum, ut ſignum obijceretur aliquod, tuncq; oblatũ ei Palladium, quod trium fuerit cubitorum, dextra tenens haſtam, colum læua cum fuſo. Non negligendum porrò quod ſcribit Procopius, apud Beneuentum eſſe ab Diomede traditum Aeneæ Palladium. Quoniam de morbo ſciſcitanti redditum foret oraculum, non prius ex morbo conualiturũ, quàm Troiano cuipiam Palladium reſtituiſſet. Vbi autem lateat id nunc, inquit, haud norunt Romani. Simulacrum oſtendunt tamen lapideum in Fortunæ fano ante Mineruæ ſtatuam æneam. Id uerò præliantis imaginem præfert & haſtam euibrantis. Nec Græcam facit uiſitationem, ſed Aegyptiam. Memoratur id quoq;, Conſtantinum imperatorem ſimulacrum hoc Byzantium tralatum in foro ab eo nuncupato defodiſſe.

De foro Theſſalico & Perſico: item uenalium. Quid cyclos, & cinclides, & cancelli. Interim quid apſis. Epiſotron. Itys. Apſimachia. Trapeza. Cindalus, cindaliſmus, paſſalus. Clauo deſtinare, & à clauo demere quid ſit. Triplex Romæ forum. De Menianis, & Menia columna, & ſolarijs. Protecta.

Protegere quid. Proiecta. Immissa. Promercale. Cap. x

SCitum est quod Aristoteles docuit Politicorum septimo: Struendum in ciuitatibus forum, cuiusmodi in Thessalia, quod dicebant ἀγορὰν ἐλευθέραν, hoc est liberum forum. Id opinor, quia esset ab omni mercatu purum. Nec eo agricolæ opifices ue, aut id genus alij, commeandi ius haberent, nisi accersente magistratuum aliquo. Eum locum putat Aristoteles θύραζε εἶναι, id est gratiæ maioris, ἐὰν καὶ τὰ γυμνάσια τὸν πρεσβυτέρων ἔχοι, id est, si & seniorum habeat gymnasia. Forum eiusmodi fuisse apud Persas Xenophon scribit, ubi regiæ essent ac principia alia. Esse quoq; in quatuor distributum parteis: quarum esset una puerorum: alia puberum: uirorum tertia, qui perfectam ætatem iam agant: quarta eorum, qui iam emeriti sint, legeq; singulos eorum suis adesse locis solitos. Pueros quum primum illuxisset, eodemq; modo perfectæ ætatis uiros: at seniores, quum per ociũ cuiq; licuisset, exceptis cõstitutis diebus, quibus adsint, necesse est. Forum autem uenalium Græcis dicitur πρατὴρ, λίθος, πωλητήριον, hoc est prater, lithos siue lapis, poleterium. Apud Herodotum etiam praterium. In noua comœdia cyclos dici inuenio, loca ubi uenderentur mancipia. Fortè etiam ubi & uenalia reliqua. Est autem cyclos propriè quidem circulus: unde Pausanias, Est (inquit) apsis: ligneus rotæ cyclos: quo is ambitur ferrũ uocatur episotron. Sunt & in retibus apsides, id est curuamina & ulnæ. Apud Homerum, apsis etiã dicitur itis. Apsimachia Plutarcho in Lycurgi uita, & Appiano esse uidetur tumultuantiũ pugna. Sunt qui eo nomine præludium pugnæ intelligant. Apsidas porrò Græci dicunt, quos Latini arcus, surrigi imperatoribus solitos. Sed & pontium fornices eodem censentur nomine. Locus uerò quem inscenderẽt uenalitij, dicitur ab Aristophane trapeza, hoc est mensa. Porrò fori iudicialis fores scribũt Græci cinclidas uocari. Cyndalos uerò quidam clauos dicunt, & cyndaloplitas clauiculos. Fuit & ludi genus cyndalismus, quem clauis exercebant, quos passalos, siue pattalos Græci quoq; uocant, nato inde adagio de ijs quæ negligentius curantur, πασσάλῳ ἀνακρεμάσαι, id est clauo destinare appendereq;. Sicut quæ amplius curanda censemus, à clauo demere: quod ex Eustathij thesauris est. Verum ad cinclidas redeo, quas Romani cancelotas uocant, uti adnotant Græci. Erant quidẽ in foro cancelli, Cicero pro Sestio, Tantus ex fori cancellis plausus excitatus, ut nunquã maior consensio, aut apertior. Hinc honestissima metaphora dictum ab eodem pro Quintio, Et me facilè uestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipsi circũdedi. Et quoniã in Romanos incidimus, sciendum, triplex olim fuisse in Vrbe forum, quod Seneca scribit: sic enim libro secundo De ira, inuenimus adnotatũ, Adijce nunc publica periuria gentiũ, circumscriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina nõ sufficiunt fora. Hinc certius illud Martialis percipitur,

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Quartum addidit Traianus: meminit Sextus Aurelius, & significat Martialis idem,

Et fora tot numeras Iane, quot ora geris.

Traiani forum scribit Ammianus Marcellinus, fuisse singularem sub omni cælo structuram, ac ut opinamur (inquit) uel numinum assensione mirabilem. Id quum Imperator Constantius spectaret, hærebat attonitus, per giganteos cõtextus mentem circum ferens, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Transitorium forum à Domitiano comparatum, Eusebius scribit, id à Tranquillo methodium dici, suspicantur aliqui, quod Traiano struente, cessarit. Sed de hoc plura mox. Meniana fuisse in foro unde spectarentur ludi, non ferè est qui nesciat. Eadem & solaria nuncupabant. Vnde ad solarium uersari, eleganter scitèq; de eo dicitur, qui spectacula frequẽter inuisat. Cicero pro Quintio: Vixit (inquit) semper incultè atq; horridè, natura tristi atq; recondita fuit: non ad solariũ, non in campo, non in conuiuijs uersatus est. Solaria uerò dici Meniana, Hieronymus scribit. De Menianis Labeo digestis De uerborum significatione: Proiecta (inquit) ea sunt, quæ ita prouehunt, ut nusquam conquiescant, cuiusmodi sunt meniana & suggrundia: quæ uerò aliquid habent, ubi conquiescant, immissa, non proiecta uocantur, ueluti tigna & trabes quæ immittantur. Protecta legimus quandoq;

quandoq; loca in domibus ſurrecta, unde ſpectare licet: ab protegendo, ideſt porrò tegendo: ſiue tectũ proijciendo. Id enim Ciceroni in Topicis protegere eſt. Sunt tamen ſolaria etiam horologia, necnon uectigalia, quæ pro ſolo penduntur, apud Iureconſultos, titulo Ne quid in publico fiat. Columnam Meniam Pædianus intelligit à Menio dici, qui quum domum uenderet Catoni & Flacco cenſoribus, ut ibi inædificaretur baſilica, ius ſibi columnæ unius exceperat, ſuper quam tectum proijceret, unde ipſe ac poſteri ſpectarent gladiatorium munus, quod tum in foro dabatur. Commeminit Marcus Tullius Actione in Verrem prima. Quanquam ænea inibi modo columna ſcribitur. Sicuti apud Plinium libro ſeptimo: A columna (inquit) ænea ad carcerem inclinato ſydere, ſupremam pronuntiauit. Sed & libro trigeſimoquarto Plinius idem: Antiquior (inquit) columnarum celebratio, ſicut C. Menio, qui deuicerat priſcos Latinos. Verum redeo ad inſtitutum, ſi illud non neglexero: promercale in uænalium ratione dici, quòd extra domeſticum uſum redundans uænui proponitur.

Forma fori Græca & Italica. De triuio & baſilica, & quid ſit baſilicam habere. Ciceronis locus aperitur. Viæ baſilicæ, prætoriæ, conſulares. Cap. XI

GRæcorum fuiſſe moris, Vitruuius ſcribit, forum quadratum conſtituere, duplicibuſq; porticibus, crebriſq; columnis, et lapideis ac marmoreis epiſtylijs exornare, in contignationibus ambulationes facere. Sed Italiæ (inquit) non eadem fuit ratio: nam à maioribus cõſuetudo tradita eſt, gladiatoria munera in foro dari, proinde ſpatioſiora diſtribuebant intercolumnia. In porticibus argentariæ tabernæ, menianaq; ſuperioribus coaſſationibus collocabantur. Forum autem, quod uocant Argentarium, omnium fuiſſe præſtantiſſimũ, conuenit. Triuium & forum ſola uidentur amplitudine differre: eſt ſiquidem triuium, puſillum uelut forum. Platonis in hoc extat decretum, ut in triuio ſpatia fiant, quò nutrices conueniant cum pueris, ſintq; unà. Credo, quia pueri ualidiores redderẽtur, uſu auræ liberioris: & nutrices laudis ſtudio, eſſent lautiores, & minus inter tot eius ipſius rei obſeruatrices errarent negligentia. Inuenio in literis, baſilicarum loca foro adiuncta quàm calidiſſimis partibus fuiſſe, ut per hyemem ſine moleſtia tempeſtatum, ſe conferre in eas negotiatores poſſent. Cæterum baſilicam principio fuiſſe locum conſtat, quo ſub tectum ad ius dicendum principes cõuenirent. Cui loco dignitatis gratia additum erat tribunal. Poſt id, quo eſſet ea quidem laxior, primarijs tectis non ſufficientibus, circumaddidere porticus patulas intrinſecus hinc atq; hinc, primũ ſimplices, mox etiam duplices. Addidere inſuper alij ſecundum tribunal, tranſuerſamq; alteram ambulationem, quam cauſidicam nuncupamus. Quod illic rhetorũ turmæ, cauſidiciq; (ut uerbo utamur uulgò frequentiſsimo, ut docuit Quintilianus) uerſarentur. Erat porrò perſimilis templo baſilica, proinde compari ferè modo exornabatur. Elegantiſſimum illud Ciceronis eſt ex primo Epiſtolarum ad Atticum, De pangendo quod me crebrò hortaris fieri nihil poteſt, baſilicam habeo, non uillam, frequentia Formianorum. Videtur autẽ adagij ratione dici, ut ad quem multi paſſim confluant conſultandi, uel quid eiuſmodi faciendi cauſa, baſilicam habere uideatur, non domum, quæ domeſticis ſolum ferè patet. Sunt enim qui partem fori, baſilicam accipiant, ad quam ſcalis pateat aſcenſus, ubi agitarentur iudicia: indeq; irrepſiſſe nomenclaturam, quoniam ὁ ἐπὶ βασιλείαις iudicem intelligant Græci, aſtipulatu etiam poetæ Heſiodi, λωροφάγους nuncupantis βασιλῆας. Hinc & baſilica celebratur Iulia, centumuiralibus cauſis dicata: unde & Martialis,

Et intranti Iulia tecta placent.

Baſilicas uias, noſtri prætorias interpretantur, & conſulares: nam quod magnum eſt, baſilicum dicitur.

Statuæ in foro Euclíæ, Mercurij, Marſiæ, Iouis, Hermæ, Hermocopidæ. Cochlides. Forum clarium, albanum, tranſitorium, methodium. Meta ſudans in Vrbe. Hippodamia forum. Quid odeum, phoros, phorologi, practores, phormus. Cur Protagoras dictus ſit Phormophorus. Pſiathi. Phormiſium. Phormio unde. Interim de Pythagoræ ac Alcibiadis ſtatuis Romæ. Quintiliani locus ex libro primo enarratur, emendaturq;. Cap. XII

NEc illud relatu indignum, apud Bœotios & Locros aram ſtatuamq́ in foro quolibet Eucliæ dicatam fuiſſe, quam plerique uel apud Sophoclem Dianam putant, nonnulli Herculis filiam: & Myrtus, id eſt μυρτοῦς, ex Menœtio natæ, ac Patrocli ſororis: quæ quum uirgo demigraſſet è uita, gentibus illis eximiè religioſeq́ culta eſt. Quin ſponſi ſponſæq́ priusq́ nuptiæ conficerentur, ex more illi rem diuinam obibant. Nam de Marſiæ ſtatua in liberis ciuitatibus, quum alij, tum Seruius commeminit, & Seneca De beneficijs ſexto: unde prodijſſe illud Martialis coniectant eruditi,

Ipſe poteſt fieri Marſia cauſidicus.

Hunc uerò ἀναβάσεως primo Xenophon prodit, cum Apolline de ſapientia in certamen auſum prodire, à deo ſuperatum ac nudatum pelle, quam in antro appenderit is: unde Marſias fluuius ex re nuncupatus ſeſe proferat. Fori quoq́ medio in Græcia plerunq́ Mercurij ſtatua excitari conſueuerat, quem inde appellabant ἐρμῆν ἀγοραῖον, id eſt forenſem Mercurium. Sed & Iouis fuit id cognomentum eodem ſtantis loco alicubi, & iuxta Herodotum in Sicilia. Id uerò inſtitutum Euſtathius putat, quia diuinum quiddam eſt, conſultationi deſtinatum forum. Credebatur ſiquidem orationis deus ac ueritatis Mercurius, quo nomine ſtatuas eius quadratas, καὶ λιθοβολεῖς, id eſt cubica ratione conformabant, innuentes, ſchema id genus in quamcunq́ decumbat partem, rectum ſtare, καὶ βαδιμον. Identidem oratio ac ueritas undecunq́ ſibi eſt aſſimilis. Contrà eſſe mendacium, πολύχρωμα καὶ πολυχιδεῖς. Hermocopidas in Atticorum nominum σωαγωγῇ, Pauſanias ſcribit nuncupatos, qui Mercurij ſtatuis quas hermas dicunt, collum & pudenda præcidiſſent. Meminit hiſtoria ſexta Thucydides. Legimus in Græcorum theſauris: reddito Romanis oracuło, prudentiſſimi ac fortiſſimi Græcæ gentis ſtatuas erigerẽt, in foro mox Pythagoræ ac Alcibiadis ex ære dedicaſſe iconas. Fuit Romæ Traiani forum de quo diximus, regione octaua, cum templo & equo æneo ac columna cochlide, cuius erat altitudo centum & uigintiocto pedum, intus erant gradus centum & octogintaquinq́, feneſtellæ quadragintaquinq́. Præterea forum Spartæ fuiſſe legimus in Plutarchi monumentis, Clarium nuncupatum: ſicuti Capuæ Albanum: quod Maximus docuit Valerius libro nono, & ſecunda in Rullum ſignificare Cicero uidetur. Tranſitorium forum lector accuratus apud grammaticum etiam Seruium reperiet. In quod libro ſeptimo, Iani ſimulacrum quod inſtituerat Numa, tralatum fuiſſe ſcribit. Quum in Antonio philoſopho Iulius Capitolinus ait, Statuas in foro Vlpio collocatas, ſunt qui Tranſitorium intelligant, quod & Traiani nuncupetur. Nonnulli putant, id etiam dici Neruæ forum: quoniam in Alexandro Cæſare ita Lampridius ſcribit, Statuas coloſſeas uel nudas, pedeſtres uel equeſtres diuis Imperatoribus in foro diui Neruæ, quod tranſitorium dicitur, locauit cum titulis & columnis æneis. Alibi idem auctor, In foro Tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atq́ humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente, Fumo punitur, qui uendidit fumum. Euſebius methodium forum enumerat, de quo diximus (ſic enim legebat Domitius, etiam ſi non ſatis conſtat ſibi, ut ex Commentario eius tertio in Syluas Papinij patet) impreſſi codices apud Euſebium præferũt odium, non methodium: ſicut apud Dionem quoq́ in Adriano, etiam ſi methodium transfert Merula. Erat autem odium, id eſt ᾠδεῖον, imagine theatri locus: in quem deferebantur poemata, prius quàm in theatro recitarentur. Theatrum fuiſſe Odium, Pauſanias ſcribit, prope quod uiſeretur enneacrunos fons, Piſiſtrati opus. Meta uerò ad methodium pertinet nihil: in Epiſtolis ad Lucilium Seneca, locum in Vrbe recenſet, quem dicerẽt Metam ſudantem. Erant autẽ metæ, ſiue metulas malis, lapides coni imagine quadam prominentes. Fuiſſe in quarta Vrbis regione, ſignificat P. Victor. Senecę uerba ſi quis expetat, hæc ſunt: Eſſedas tranſcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ferrarium uicinum, aut hunc qui ad Metam ſudantem tubas experitur & tibias, neq́ cantat, ſed exclamat. Et quia de ſtatuis in foro ſurrigi ſolitis facta paulò antè mentio eſt, addamus & id, Quintiliano laturi opem, decurtato ſæpius & labefactato: in foro item ſtatui columnas, fuiſſe ueteribus celeberrimum: quod ex trigeſimoquarto Plinij liquet, tradentis

C. Duellio

C.Duellio,qui de Pœnis naualem primus triumphum duxit,quiq; mox cõtracta uoce dici Bellius cœpit,columnam excitatam,quæ(inquit) etiã nunc eſt in foro. Proinde libro Fabij primo De orthographia, ſic lego:Quod manifeſtum eſt etiam (inquit) ex columna roſtrata,quæ eſt Duellio in foro poſita. Et ſic etiamnum codices præferũt ueteres:quanquam modò, Iulio in foro legatur. Xenophontis quoq; illud ex quarto Rerum Græcarum relatu non indignum: mortis terrore confugiſſe nonnullos Corinthi ad deorũ ſtatuas,quæ in foro ſurrectæ erant.Nam & Athenis aræ duodecim deorum in foro ſtabant,ut auctor eſt Thucydides. Illud poſt multa non negligendum, forum à pleriſque ueterum,genere pronuntiari maſculino,& eſt in Canonicis decretalibus De uerborum ſignificatione,obſeruatum. Sed & Græci ita dicunt, φόρος, ſi paroxytonon ſit.Nam ubi ὀξυτονεῖται,ideſt in poſtrema recipit accentiunculam, uentum ſignat proſperiorem.Superiore autẽ modo,etiam tributum: unde & phorologi, qui id exigunt: ſed eos etiam practoras dicunt.Nam Thucydidi ſunt hellenotamiæ, qui ab Græcis collata excipiunt tributa,cuſtodiuntq;. Phormus uerò, nil ad fori rationem: ſignificat tamen Herodoto uerbum id,ſportam ferè,aut cophinum.Nam & Protagoras philoſophus fuiſſe phormophorus traditur,ideſt ſportulifer. Verum & pro tegete, nomen quandoq; auditur id:ſiquidem φορμοποιῶ eſt,ſuper ſtoriis dormio.Apud Thucydidem hiſtoria quarta,ſcriptum aduertimus, φορμηδὸν τῶν ἐμάξας. Id exponens interpres, uelut ſi(inquit)phormos quis attexat, quos dicunt pſiathos.Hoc uerò libens adnotaui,quoniam ambiguum ſcio uideri apud Laertium in Menedemo,quum ait,lectulis æſtate pſiathos,hyeme ueruecũ pelles inſternebãt. Hinc pſiathoplocos, ſcimus appellari,qui tegetes id genus implicant. Sunt qui ſchœniam, ideſt iuncum interpretentur pſiathum.Significat autem Thucydides currui iniectos phormos nunc in longum,nunc tranſuerſim. Dioſcorides primo Medicinæ pſiathon nominat uetuſtum. Phormiſium pro muliebri pudẽdo poſitum inuenimus.At fiſcus ſparteus (inquit Donatus)& nauticum ſtramen,nuncupatur phormio,uel phormus:cuius rei uel capacitate uel utilitate, paraſito inditum nomen Phormioni apud Apollodorũ. Vlpianus Digeſtis De fundo inſtructo legato:Acetũ(inquit)quod extinguendi incendij cauſa paratur, item centonas,perticas,ſpongias,amas,ſcopas,phormiones contineri,Pegaſus ait.Forum deniq;,ingeniorũ theatrũ dici rectè,auctor M.Tullius eſt.Fuit in Piræo forum nomine Hippodamia,à Mileſio Hippodamo,qui Piræũ ſtruxit:meminit Demoſthenes. Sed ἱπποδαμείου ἀγορᾶν nuncupat Rerum Græcarũ libro ſecũdo Xenophon.

Matrimonium de naturæ profluere inſtituto. Clariſſimæ fœminæ quæ intelligantur. An in CHRISTI fide matrimonium omnino probabile ſit. Virginitatis laus:interim de Mithra,& Erichthonio. Caput XIII

QVoniam de re uxoria multæ atque interim contrariæ ſententiæ proferri ſolent placitum in præſentia eſt conſectari,quæ ſuper ea re,diuerſiſſima lectitando quandoq; congeſſimus. Primumq; ingerit ſe nobis,quod primo De legibus Plato,quum de Venereis rebus loqueretur,ſanxit: Coniunctio (inquit)maris & fœminæ,legitima naturaliſq; eſt,utpote à natura ad liberorum procreationem conceſſa. Eſt quippe in anima communior poteſtas quædam,in cuius ueniunt participatum animantes uniuerſę.Ea uerò altrix cenſetur uis,unde uelut ex fonte prorogatur uita.Huius uerò ſunt effectus tres, ſiquidem alit,auget,compar ſibi progignit ſufficitq;. Sed enim ultimum hoc priorum ferè ſcopum habet. Id uerò uiuentibus cunctis,naturæ habitum modo non egreſſis perpetuum eſt.Ni ſpontiua pergas obijcere, aut quæ arte quapiam naſcendi auſpicantur primordia: nil enim æquè dictat natura, quàm aliud quale ipſum eſt,producere;nititur enim ſummis uiribus inſita poteſtas, ut ſe ad effigiem quãdam & imaginem immortalitatis & diuinitatis componat. Vt quoniam corruptioni obnoxiũ idem numero animal nequit perſeuerare,ortu uicario mortalitati,qua fieri poteſt & patitur ratio,adminiculetur, ac uelut tibicinibus præſultam ab occaſu uendicet. Hac uerò in parte memoranda protinus Platonis præcepta ſunt, quando philoſophus is,in ea quam conſtituit republica legem fert, qua ſancitur, Ne quis ducta uxore,liberis poſt decenniũ operam det,ni forte præſtituta idoneaq; etiam

num

num deſit proles: hanc uerò ſtatuit, marem & fœminam. Quòd ſi peſtilens tabes hanc abſumpſerit, aut cæſa fuerit in prælio, legum ſcita tuentib. prorogandi ad hæc farcienda tempus elargitur. Clariſſimarũ fœminarum nomine (inquit Vlpianus) ſenatorum filiæ, niſi quæ uiros clariſsimos ſortitæ ſunt, non habent: fœminis enim dignitatem clariſsimam tribuunt mariti. Porrò qui amplius efferre matrimonium laudibus geſtiunt, non ex Plutarcho tantum proferunt, id eſſe δεσμὸν νεότητος ἀσφαλέστατον, id eſt iuuentutis uinculum tutiſsimum: ſed & primam Dei ſententiam aduocãt, Propter quod relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Cui Euangelicum ſuccinere illud uidetur, Quod deus coniunxit, homo non ſeparet. Item, Creſcite & multiplicamini. Accedunt ſanctitate illuſtrium uirorum exempla, qui ex matrimonio liberis ſuſceptis, laudi calculum adieciſſe, animaduertuntur. Præſtò eſt apoſtoli quoq; Pauli, gentium magiſtri ſententia, qua honorabiles pronuntiantur nuptiæ. Quid, quod ueteri Romanorũ ritu ſancitum ita inuenimus, Flaminem demortua uxore flaminio ſolitum abire. Quod (uelut prodidit Teius) ducentis uxorem οἶκος τέλειος, id eſt integra domus eſt. Eius autem qui ducta ſit exutus, οὐκ ἀτελὴς μόνον, ἀλλὰ καὶ πεπηρωμένος, id eſt non imperfecta ſolum, ſed decurtata omnino & oblæſa. Nam & Iuno hinc τελεία dicitur apud Aeſchylum,

ἥρα τελεία ζωὸς ζυγαίας ἅλμας.

Sic & in Nemæis apud Pindarum, quando dicitur eadem gamelia & zygia: quin & nuptias item τελείας rectè nuncupamus, quòd uitæ concinnet perfectionem. Nam ut Moralium octauo prodit Ariſtoteles, Viro & uxori ſecundum naturam ineſſe amicitia uidetur: ſiquidem homo natura coniugale amplius eſt, quàm ciuile, quanto prius & neceſſarium magis eſt domus, quàm ciuitas, & animalibus procreatio communior, & in reliquis utiq; ſocietatis hic eſt finis: coniugia uerò ſubeunt homines non ſobolis modò gratia, ſed eorum item quæ ad uitam conferunt, quamobrem amicitiæ huic emolumentum ineſt ac uoluptas. In Antigone apud Sophoclem nymphica nominantur τέλη. Et interpres adiecit, eos qui uxorem ducãt, uocari τελείους. Alij uerò (inquit Hieronymus) ſirenum cantus iſta putant, & fabulas obturatis præfarctiſq; pertranſeundas auribus: quibus CHRISTI obiectant antidotum, protinusq; ſuo ſe gladio iugulant. Et magiſtri gentium eiuſdem de matrimonio hanc proferunt ſententiam ex illius reconditis theſauris: à Corinthijs quæſitum ex eo fuerat, Ecquid poſt CHRISTI fidem cælibes eſſe deberent, & continentiæ cauſa quas haberent uxores, dimittere. Reſpondens Paulus: Bonum eſt (inquit) homini, mulierem nõ tangere: propter fornicationes autem unuſquiſq; habeat uxorem, unaquæq; uirum ſuum habeat: hoc autem dico ex indulgentia, non ex imperio, Volo enim omnes homines eſſe, ut meipſum. Et mox: Si autem ſe non continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm uri. Aduertenda uerò Apoſtoli prudentia: non dixit, Bonum eſt uxorem non habere: ſed, Bonum eſt mulierem non tangere. uelut tactus quoq; non citra periculum admittatur, ut quæ uirorum pretioſas illaqueet animas, quæ adoleſcentium auolare corda faciat. Alligabit quis in ſinu ignem, & non comburet? aut ambulabit ſuper carbones ignitos, & non ardebit? Poetarum concinunt fabulæ, Mithram & Erichthonium, uel in lapide uel in terra de ſolo æſtu libidinis eſſe generatos. At Ioſeph, qui Aegyptiæ tactum reformidauit, ac uelut rabidiſsimæ canis morſum refugit, ne pauliſper ſerperet uirus: etiam ueſtem quam ea tetigerat, perinde ac peſtiferum imbibiſſet ſuccum, confeſtim abiecit. Quod autem dictum eſt, Creſcite ac multiplicamini, ac replete terram: neceſſe fuit, prius plantare ſyluam & creſcere, ut eſſet quod mox excideretur. Quod uerò ait, Replete terram: illud altius intuentibus præmonſtratur, nuptijs terram utiq; oppleri, at uirginitate paradiſum. Nuptias ſcimus honorabiles, & torum immaculatum: ſed ita ut præſtet uirginitas & micantius uibret. Argenti nitorem matrimonium præfert: uirginitas rutilantis auri radios imitatur. Rectè quidem Verus Imperator eſſe uxorem, dignitatis non uoluptatis nomen, dictitabat. At illuſtrior ſemita eſt, qua nos non præflorata integritas ducit. Cæleſtium ignari leges de maritandis ſanciunt ordinibus, & cenſoria nota cælibes mulctant. Et in Legibus Plato, qui uxores abnuãt, ſupplicio cenſet admouendos.

At dome-

At domeſticum id genus theſaurum, quotuſquiſque non per momenta cupit alliſum obtritumq́; Certè ut aliud non ſit, ſtultiſſimū eſt compedes ſuas quamuis aureas, amare. Hierophantę ex Hieronymi doctrina euirātur Athenis. Quin Romæ monogamus ad ſacerdotium admittebatur flamen, itidem & flaminica. Apidis Aegyptij tauri ſacra obit ſemel maritus. Taceo Veſtales uirgines, Iunonis quoq́ Argiuæ, Mineruæ, Dianæq́, denicq́ Apollinis etiam. Ex quo & lyricus poeta,

Dianam teneræ dicite uirgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium.

Theutonum uxores, uictore Mario, uti Veſtæ ac Cereri dicarentur, ab conſule anxiè contenderunt: uoto excidentes, faucibus eliſis commori præoptarunt, quàm pudoris aleam adire. Tanto fœdiore, qui uiginti fuerat ſuperſtes uxoribus, eaq́ cui ſecundus & uiceſimus fuiſſet maritus.

Quàm incommodum uxorem ducere. Cap. XIIII

QVòd ſi exſpatiari parte hac uelimus, non defuerint eorum argumenta, qui miram incommodorum turbam mittunt in digitos, quę γυναικοκρατουμένους, id eſt mulieribus ſuccumbentes, ac matrimonia capeſcentes, ſubire neceſſarium eſt. Neq́ enim alius omnino eſt, qui

Stulta maritali iam porrigit ora capiſtro.

ut Iuuenalis utamur uerſiculo. Proinde inter ſophiſtas acutiſſimus Libanius quendam effingit apud iudices ſeipſum accuſantem, & cur ultimo uideretur dignus ſupplicio, promentem cauſas quòd eatenus deliraſſet, ut uxorem ducere ſibi permiſiſſet. Sūt qui ad impudentiam muliebrem amplius proruendam, nec iocis abſtineant: & ſacrarum literarum ſententijs impiè quidem, ſed ad exprimendum ipſorum ſenſum accommodatiſſimè abutantur, aſtruendo, Eſſe ſacerdotibus perſimiles fœminas, quibus ex more preces illæ in ore ſint aſſiduè, Da quæſumus, Præſta quæſumus, Concede quæſumus. Varius Geminus orator eminentiſſimus, Qui non litigat (inquit) cælebs eſt. Quin uoluptatis aſſertor illuſtris Epicurus, ſapienti uiro rarius ineunda præcepit cōiugia: quia nuptijs incommodorum numeroſa interſeratur ſeries. Solomon in Prouerbijs: Mulier (inquit) inſipiens & audax, inops panis efficitur. Cuius panis? nempe qui de cælo deſcendit: ſtatimq́ ſubiungit, Terrigenæ apud eam pereunt, & in profundum infernū incurrunt. Et alibi: Sicut in ligno uermis, ita perdit uirum ſuum uxor malefica. In deſertis habitaſſe præſtiterit, quàm cum uxore litigioſa & iracunda: quæ uelut laurus, quam uocant inſanam, iurgiorum fomes eſt perennis, & uel clauſis oculis Andabatarum more pugnax eſt. Cæterum, ſuccurrit ad hunc uſum Automedontis Græcum epigramma, quod quia lepidiſſimum eſt, etiam apponere conſilium fuit,

Ζυγαλάμων πρῶτον μὲν, ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων,
εἶτα δ' ὁμὴ γήμας, τὸ τέλεον ὃς τις ἄπαις.
ἢν δὲ μανεὶς γήμῃ τις, ἔχει χάριν, ἢν κατορύξῃ
σὺν δὲ τῷ γαμετῷ, πρῶτα λαβὼν μεγάλων.
ταῦτ' εὖ δ' ὡς, σοφὸς εἶ δι, μάλα δ' ἐπίκουρον ἔασον;
ποῦ τὸ λιχνὸν ζητεῖν, καί πόθεν ἀμοιβάδες.

id eſt, Felix primum quidem, qui nihil cuiquam debet: mox, qui uxoris expers: tertio, qui ſine liberis eſt: quòd ſi furens duxerit quis uxorem, gratiam habet, ſi humarit ſtatim nuptam, poſtquàm dotem acceperit uberem: hæc noſcens, ſapiens eſto, fruſtraq́ Epicurum ſinito, ubi uacuum quærere, & quæ monades.

Extat & diſtichon incerto ædítum auctore, quod & ipſum eiuſmodi eſt,

ἤ τις ἅπαξ γῆμας, πάλι δ' ὕδατα λέκβατα δύκῃ,
ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον.

id eſt, Si quis ducta ſemel uxore, alteras etiam attentat nuptias, naufragus enauigat bis profundum difficile.

In re uxoria gentium ritus uarij, Peranus Maſſiliæ conditor. Rhoxane Alexandri. Panis præguſtatio in nuptijs. Parochus. Nubentes cur capita obtegerent. Cuiuſmodi uxor ducenda. Cuius eſſet nuptiales faces geſtare. Epithalamiorum

thalamiorum ſpecies,ac ritus.Epiclerus puella,& epiprœcus.Item manda,pherne, phernion,hedna. Cap. XV

CAeterum nec illud ab inſtituti operis præſcripto longius abierit,ſi procorum uarios ritus carptim fuero exequutus, quando in ea re mirum eſt, quantum ſibi indulſerint gentes, præſertim barbaræ. De Parthis quippe id monumenta præferũt, libidinis titillatu uario rationis præfocante uim, uxores ſingulos habere plures, nec ulla delicta grauius adulteriis uindicare. Quamobrem à cõuiuiis non arcentur modò fœminæ,ſed omni prorſus uirorum conſpectu illis interdicitur. Solere aiunt (inquit Cicero) barbaros reges Perſarum ac Syrorum plures uxores habere. His autem uxoribus ciuitates attribuere hoc modo, Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent uniuerſos non ſolum conſcios libidinis ſuæ, uerum & adminiſtros. In Narbonenſi Gallia moris fuiſſe ueteris,aduertimus,generum inter pocula eligere. Siquidem recumbentib. qui eſſent ad nuptias inuitati, prodiens uirgo iubebatur à patre aquam porrigere ei,quem affectaret uirum. Quo argumento claſsis Phœnicum dux Peranus repente factus ex hoſpite gener Senani regis Segoregiorũ condendæ Maſſiliæ locum à ſocero accipit.Regum item mos ille celebratur,ut qui legitimo iunctus non foret toro, captiuam aliquam pro legitima haberet. Sicuti Andromachen habuiſſe memoratur Pyrrhus. Et Magnus Alexander iam Orientis ferè uictor, tantus etiamnum imperator & rex, Rhoxanem Satrapis barbari filiam incautius ardens in conuiuio uiſam, quum afferri patrio more panem iuſſiſſet, quod erat ritu Macedonico ſanctiſſimũ coeuntium pignus, quũ gladio diſiectum uterq; libaſſet, matrimonio iunxit ſibi, è captiua geniturus qui uictoribus imperaret. Panis uerò illa præguſtatio,ita gentis condito more, nimirum parabilis uictus ac frugalitatis inſigne documentum erat. In ſuperiore Libya mos irroborarat, ut mulieres haberentur cõmunes, ſic tamen ut inde ſuſceptos liberos ſimilitudinis ratione diſtribuerent. Etenim mulieribus inſitum nõnullis, uelut brutis quoq;,ut equis & bobus,filios ædere,q genitorẽ exhibeãt: cuius fuit modi Pharſalica equa cognomento Iuſta.In Græcia morem ſeruatum, Pauſanias ſcribit,ut in nuptiali curru tres modò ſederent,media ſponſa,à lateribus ſponſus, & quem uocant parochum, qui amicitia uel ſanguine foret adnexus, cuicq; deferrent plurimum. Nubentium capita uelari conſueſſe, nonnulli ſcribũt, ut ſe maritis obnoxias perpetuò futuras intelligerent, ac proinde humilitatẽ præſtarent. At in libro De patriarchis Ambroſius id pudoris gratia factitatum ſcribit. Priorem tamen ſententiã comprobat idem ſuper primã ad Corinthios epiſtolam. Thracas, qui ſupra Creſtones ſunt ita inſtitutos, Græca narrat hiſtoria, ut ſingulis uxores adſint plures, decedente uerò aliquo, grauis inter eas contentio, quam is dilexerit plurimũ, adhibitis magna cura amicis qui diſceptent, penes quã decoris eius laus ſteterit: ea uerò cultius ornata, ad tumulumq; deducta coniunctiſsimi manibus immolatur,unaq; cum marito cõtegitur humo: reliquis excellenter mœrentibus, ueluti laudis eminentiſſimę gloria exutis. Thracum aliis mos hic inoleuit, ut liberos in nundinas productos diſtrahant, uirgines non aſſeruent, ſed paſſiuo contaminari concubitu, turpe non arbitrent, quamuis ingenti cura uxores obſeruent, quas à parentibus magna æris ui cõemere,uetus conſuetudo eſt. Solon qui Atheniẽſibus leges condidit, illud perabſurdũ induxiſſe uidetur, cum uxori permiſit, ſi adrem Veneream minus idoneus uir deprehenderetur, mariti propinquos admittere.Sed ex matrimoniis idem dotes ſuſtulit. Et quoniã in ſapientes incidimus, Chilo Lacedæmonius dicere ſolebat, Vxorem humilem, apparatu modico ducendam. At Dioni Callimachus æqualem eſſe ducendam cõſuluit,Atarnitæ adoleſcentis exemplo, cui obſcurius ſignificaſſe pueri uidentur, comparem ſibi aſciſceret, τὴν ἴσην σαυτῷ ἔλαε: ſuper qua re nobile etiamnum extat Græcũ Epigramma libro tertio. Cleobuli ſenſus idem fuit: Nam ſi te(inquit)illuſtriorem duxeris,affines ut domini te infeſtaturi ſunt. Athenienſes porrò quum lue ac bellis exhauſtam ciuitatem reparare, ſobolemq; propagare cuperent,decreto legimus cauiſſe,ut urbanam quidem uxorem ciues ducerẽt,liceret autem ex altera liberos interim tollere. Ciuitatis item mos fuit eiuſdem, ſorores eiſdem prognatas

prognatas patribus uxores ducere. Sed & Iſidis exemplo ducendæ ſororis, uetereꝫ fuiſſe legẽ eiuſmodi Aegypti populis, palàm eſt. Quin & apud eoſdem in priuatis uiro mulier dominari dicitur, profitentibus in ſponſalium celebritate uiris omnibus, Eſſe uxoris arbitrio parendum. Romana præfert hiſtoria, plebiſcito quãdoq; cautum, ut ad neptes uſq; progredi liceret: ſuperior, omnino inhiberetur neceſſitudo. Ex ueteri Græcorum illud item ritu eſt, Nubentium matres in nuptijs faces tenuiſſe, quod illi δαδουχεῖν dicunt. Id ὦ φοινίσσαις monſtrat Euripides,

ἐγὼ δ' οὐ τέ σοι πυρὸς ἀφῆψα φῶς νόμιμον
ὦ γαμοις, ὡς πρέπει μητρὶ μαλιστ' εἰκάσαι.

id eſt, Neq; ego tibi lumen ſuccendi in nuptijs legitimum, ſicuti beatam addecet matrem. Sed & in Apollonij Argonauticis Iuno inquit, δαδουχῆσαι τῇ θέτιδι. id eſt, facem prætuliſſe Thetidi ob beneuolentiam, dum matris officio fungitur: ſic uero ait,

αὐτὴ δὲ σέλας χείρεσιν ἀνέχουν
νυμφίδιον, κείνης ἀγανόφρονι εἵνεκα πομπῆς.

Epithalamium uero ante thalamum concinebant uirgines hoc nomine in primis, ne compreſſæ à uiro puellæ audiretur uox. Epithalamiorum nonnulla ueſpere in noctem mediam canebantur, unde & κατακοιμητικὰ uocabant ea: ſicuti matutina, διεγερτικά. Helenes epithalamium cecinit Steſichorus, & ab eo nonnulla mutuatus Theocritus. Gamelium uero logon dicimus quandocunq; pronuntiatum, inquit Ammonius: quin & donum in nuptijs oblatum, ſic item uocamus. Illud uero dignum ſcitu quoq;, nec ullatenus prætereundum: puellam, dici à Græcis ἐπίκληρον, id eſt epiclerum, quæ uniuerſalis exq; aſſe hæres ſit, atq; ita nubat. At ἐπίπροικον uocant, id eſt epiprœcum, quæ dotem modo ad maritum ferat, quam nuncupant προῖκα: ſicuti facultates omnes, clerum. Quòd ſi patri duæ fuerint, aut plures id genus filiæ, nihilominus eodem cenſentur nomine. Sed & à nonnullis dicũtur mandæ, ab alijs etiam patruchi. Illud adnotarim obiter: dotem à Græcis nunc dici προῖκα, nunc uero phernem: ab Aeolibus etiam pherena. At phernion ſignificat piſcium ἀσπιδίδα, id eſt ſportulam. Phernas utiq; conferunt mulieres, παρὰ τὸ φέρειν μεθ' ἑαυτῶν. Hedna autem uiri. Ea item exoprœca dicunt, id eſt ἐξώπροικα. παρὰ τὸ ἥδιον τὸ εὐφραίνων, nuncupantur hedna: quod ſcribit Orion. Carthaginienſis legum lator uno modo patrimoniorum æquabilitatem maturè induci poſſe tradidit, Si dotem conferant diuites, accipiant pauperes, nec contribuant.

Diuortij ritus: quiq; uxorem dimiſerint. Dimittere uxorem, an dicatur Latinè.

Caput XVI



Xorem dimittere, ueteris non fuit inſtituti, nec probatũ poſtea eſt, quanquam Domitianus permiſerit. Affuerunt uero eiuſmodi diuortio ſacerdotes πολλὰ φρικώδη καὶ ἀλόητα καὶ σιυθρωπὰ δρῶντες. id eſt, multa horrenda atrociaq; ac triſtia obeuntes. Romulum lege cauiſſe, ſatis conſtat, ne mulieri uirum, in cuius manu mancipioq; matrimonij cauſa foret, relinquere fas eſſet: ſed uiro uxorem repudiare, ſi in liberorum ueneficio aut in adulterio foret deprehenſa, aut claues ſubiecíſſet. Quòd ſi aliter quis repudiaſſet, eius opum uxori portionem dari, reliquum Cereri eſſe iuſſit ſacrum. Sed & qui ab uxore diuerterent, ſacra dijs inferis obire. Apud Hebræos repudij ratio mutua non fuit, uti poſtea apud Romanos: uiro tantum diuertere licebat: quin & zelotypiæ illius mederi uxor cogebatur, exemplo uel fœdiſſimo, nec citra horrorem. In repudijs, id eſt renuntiationibus, uſitatiſſimi erant moris uerba ea, Res tuas tibi habeto, tuas res tibi agito. Sed nec illa reijciebantur, Conditione tua non utar: ſicuti titulo De diuortijs, adnotarunt Iureconſulti, & nos alicubi commeminimus. Dicebatur tunc & uxori nuntius remitti: nam primo Epiſtolarum ad Atticum Cicero: Vxori inquit Cæſarem nuntium remiſiſſe. Sp. Carbilius Romanorum primus ſterilitatis cauſa uxorem fertur dimiſiſſe, ac diuertentibus matrimonijs, quaſi anſam præbuiſſe: quem ſequutus eſt Sulpitius Gallus, miſſo repudij nuntio, quòd uxorem in caput ueſtem deducere, animaduertiſſet. Idem fecit P. Sempronius, quòd eius uxor ludos funebres ſpectaſſet. Eiectam mulierẽ Hieronymus intelligit, quæ à marito uiuente eijciatur. Diuertere ab uxore, Græci ἀπαλύ-

σαι dicunt, quod illis tamen ambiguũ sit uerbum. Sunt qui dimittere, opinentur haud satis huic accommodum rei uerbum: nam exercitum (inquiunt) dimittimus, sicuti dimittitur senatus, concio, amicus digredi uolens. Verum qui hoc sentiunt produntq́, falluntur. Nos neminem traducimus, omnium ferè parcimus famæ. Vt alia desint, certe Tranquillus in Cæsare, dimissam ab eo Cossutiam tradit. Abjicere, in hoc usu non reformidat Hilarius, quum mittitur renũtiatio, Conditione tua non utar. Dimitti prætorium, eleganter dicitur à Liuio, quum qui ad prætorem conuenerant, abeunt. Non prætereunda uero Pauli sententia ex secundo Institutorum libro, titulo De dotibus, Si diuortiũ citra mulieris culpam obtigisset, integra repetebatur dos. Quòd si ab uxore quid delictum foret, in liberorum singulos ab marito sexta dotis retinebatur portio, usq́ ad dimidiã modò dotis partem. Commeminit Boethius quoq́, Romanæ (inquit) ciuitatis iure in parentum arbitrio retinentur liberi, usq́ dum mancipatione soluantur tertia. Ergo si diuortium foret factum mulieris uitio, dotis parte pro liberorum mulctabatur numero.

Quid farreatio, diffarreatio ue. Absurdus Romanorum mos in concedenda uxore filijs indigenti. Confarreaturus. Caput XVII

IEgitima uero sacraq́ matrimonia priscorum religiosa sedulitas, farracea uocauit, à farris communione: quod à Græcis zean dici, sunt qui arbitrentur. Festus & Boethius scribunt, farreo libo adhibito, genus id matrimonij contrahi solitum, unde sit dicta farreatio. Sicuti quum dissoluerentur nuptiæ, diffarreatio. Hinc nouator uerborum Apuleius, confarreaturum formauit: Talis (inquit) mulieris publicitus matrimoniũ confarreaturus. Sed super re hac eruditè admodum, etiam si concise, Annalium quarto Tacitus, ex quo plura paulò transposui: Sub idem (inquit) tempus de flamine diali in locum Seruij Malluginensis defuncti legendo: simul roganda noua lege differuit Tiberius: nam patritios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur uetusto more, neque adesse ut olim eam copiam, omissa confarreandi consuetudine, aut inter paucos retenta: pluresq́ eius rei causas afferebat, potissimam, penes incuriam uirorum fœminarumq́, accedere ipsius cerimoniæ difficultates, quæ consultò uitarentur. Hactenus ex Cornelio. Erat autem uetus, diuq́ consuetum antiquis Romanis alimentum farris, uelut Græci hordeum uetustissimam putantes frugem, eius in sacris primitias dabant, οὐλὰς uocantes. Et Romani, pretiosissimũ uetustissimumq́ far arbitrati, sacrificia ignea inde ordiebantur omnia. Verum in Romanorum moribus illud perabsurdè seruatum quoq́ nouimus: quippe quum liberorum satis suscepisse uiderentur, alterius suasionibus qui filijs indigeret, uxore, cuius dedendæ recipiendæq́ ius haberent, cædebant. Quod Catonem in Martia uxore non exhorruisse, nec Lucanus tacuit. Cæterum, ut omnia lineis attingantur propioribus, auctor Topicorum secundo Boethius: Vxorem tribus haberi modis, usu, farre, emptione. At solis (inquit) pontificibus cõpetebat confarreatio. Quæ in manum per coemptionẽ conuenerat, hæc materfamilias uocabatur: quæ usu aut farre, minimè. In coemptione illud seruatum, ut uir ita scitaretur, An sibi mulier esse materfamilias uellet: quæ respondebat, Velle. Mulier itẽ sic, An sibi uir esse paterfamilias uellet: qui respondebat, Velle. Itaq́ in uiri manum mulier conueniebat, eratq́ uiro materfamilias loco filiæ. Hinc Gellius: In cuius (inquit) manu mancipioq́ alia matrimonij causa foret. Et Maro.

Teq́ sibi generum Tethys emat omnibus undis.

De huiusmodi deniq́ ritu nonnulla Marcellus. Legimus porrò Codice De episcopis & clericis, lege ultima, Seruatũ olim, si quis sponsus aut sponsa post datas & acceptas arras uoluisset diuino se deputare seruitio, compellebatur uir quidem, quæ arrarum nomine dederat, amittere: sponsa uero in duplum quod accepisset, reddere. Quod, ut iniquum, est à Iustiniano emendatum, qui & sponsalitias nominat arras titulo De episcopali audientia. Sunt ex nostris, qui ingenuè fateantur nescire se, quo nomine Græcis dicatur far, nisi hordei appellatione id complectantur. Inuenio tamen, qui chondron à Græcis nuncupari opinentur, quod à nobis dicatur far.

Cur

Cur Thales nuptias recuſaret. Curq; Veneri iungeretur Mercurius. Item in re uxoria mores diuerſi. Epaulia quid. Epactra. Epacteres. Cap. XVIII

QVoniam uero ritus ſententiasq; in hac re uarias pollicíti ſumus, ſtandum omnino promiſſis eſt. Proinde Thaleta, qui unus erat ex ſeptem, Plutarchus ſcribit, metu, quo cõfici parentes ſolent ex filiorum interitu, uel alia quauis calamitate, a nuptijs reuocatũ & liberorum procreatione. Verum demiſſo (inquit) animo atq; abiecto cẽſendus eſt, qui amittendi metu, rerum poſſeſſionem refugit. Mos ueterum is quoq; fuit, Mercurium iuxta Venerem collocare, ueluti innuerent, nuptialem uoluptatem ratione, aptoq; ſermone in primis indigere: item τὴν πειθὼ, καὶ τὰς χάριτας, id eſt Pitho, ſiue Suadelam & Gratias: ut quæ uoluntas ferebat, ab alterutro ſine pugna citraq; contentionẽ ullam inducti tranſigerent. Venerem nihilominus dictam ueteribus cõperio informe numen, quia ueſpertina mulieribus opituletur, uiris autem matutina. In Bœotia ſponſam obtegentes, aſpharagonia coronabant: nam ut ea ſuauem ex ſpina aſperrima fundit fructum, ſic noua nupta primam aſperitatem ſuam non reclinanti, nec indignanti marito urbanam iucundamq; uitæ ſocietatẽ præſtabit. Cum Perſarum regibus legitimæ uxores ad menſam accumbunt, unaq; comeſſari ſolent. At quum ludere laſciuireq;, ac ſe pluſculum inuitare colli buerit, ſummotis illis, citharíſtrias meretriculas adhibent, nec ullo modo ſinunt, uxores intemperantiæ ebrietatisq; fieri participes. In Lepta Libyæ ciuitate morem diutiſſimè ſeruatum ferunt, ut poſtridie nuptias ad ſponſi matrem petitum ollam ſponſa mittat, quam ea abnegat aſperius, quo ipſis ſtatim initijs, nouercalibus in ſocru præguſtatis moribus, ſi quid (ut aſſolet) grauius ſeſe obtuliſſet, uelut planè excitatior, æquiore ferret animo. Inoleuerat Græcis, ut poſtriduano nuptiarum die ſponſæ pater pompæ cuiuſdam imagine quadam ſponſo proferret munera egregia, quæ illi nuncupabant ἄλφιτα ἐπαύλια, id eſt dona epaulia, quòd in ſponſi aulam tunc primum diuertiſſet ſponſa. Erãt autem aurea pleraq;, ſmegmata, pectines, alabaſtri, ſandalia, thecæ, myraliptra. Sunt qui epaulia, diem ipſum poſt nuptias ſecũdum appellari, opinentur. In quo ſponſo primum ἐπαυλίζεται ἡ νύμφη. Epactra uero piſcatoria cenſentur nauigia: nam & piſcatores nuncupantur epacteres quandoq;. Fuit quandoq; & mos is ſeruatus, ut ducturi uxores nuptialia munera, & dotem ultrò ſoceris darent, quod ſcribit Porphyrio, allata hiſtoria, cur dicatur ab Horatio Ixion perfidus. A connubiali iure, nec illud feſtiuum diſparatur admodum, ex Verrij Flacci, pontificũ luris peritiſſimi, urbaniore ſententia natum: qui quoniam cautum ſciebat, Ne feriis foſſas facere nouas liceret, etiam ſi ueteres detergere fas foret: iucundè dicere ſolebat, Ferias, idoneas magis eſſe uiduis quàm uirginibus ad nubendum: ueluti foſſarum loco ueterum cenſerentur uiduę, quas feriatis diebus terſiſſe, nullum foret piaculum.

Matrimonij bonum triplex. Item de ſacramentis. Caput XIX

MAtrimonium ſcribit Aurelius Auguſtinus, quantum ad genus attinet mortaliũ, quoddam eſſe ciuitatis ſeminarium. Coniugij bona eſſe triplicia, confirmat beatus Thomas, fidem, prolem, ſacramẽtum, ne uidelicet adulterium admittatur, ſubminiſtretur humanæ imbecillitati fultura, diuortium ne fiat. Scribit idem doctor ſanctus, legis nouæ ſacramenta eſſe ſeptem, baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, unctionem poſtremam, ordinem, matrimonium. Sed ex ijs quinq; prima ad hominis unius perfectionem tendere in ſeipſo: at duo reliqua, ordinem ſcilicet & matrimonium, ad perfectionem & multiplicationem totius eccleſiæ. Per ordinem eccleſia gubernatur, & ſpiritualiter multiplicatur: at per matrimonium, augeſcit corporaliter. Dicunt porrò, matrimonium eſſe ſignum coniunctionis CHRISTI & eccleſiæ: unde recte dici ſacramentum uidetur. Nam Auguſtino tradente, eſt ſacramentum, ſacrum ſignum, uel ſacræ rei ſignum. Commune ſacramentis omnibus eſt, quòd uerbis conſiſtunt & rebus corporalibus: ſicut in CHRISTO, qui eſt ſacrorum auctor, Verbum caro factum eſt. Et ſicut caro CHRISTI ſanctificata eſt, & ſanctificandi uirtutem habet, per uerbum ſibi unitum: ita res ſacramentorum ſanctificantur, & uim ſanctificandi habent, per uerba quæ in his proferuntur. Vnde Auguſtinus

ſtinus ſuper Ioannem: Accedit uerbum ad elementũ, & fit ſacramentum. Et uerba quibus ſanctificantur ſacramenta, dicuntur ſacramentorum formæ. Res autem ſanctificatæ, ſacramentorum materiæ: ſicuti aqua, eſt baptiſmi materia, & chriſma confirmationis. Poteram de hiſce rebus plura de auctoribus exiſtimatis afferre, ſed ſuccurrit Varronianum illud, Spicilegio perfecto haud uitio uerti, ſi relinquatur ſpica.

Aetas nuptijs accommoda in ſexu utroque. Demetrij Poliorcetæ hiſtoria. Plutarchi locus reſtituitur perperam Latinitate donatus. Caput XX

Aeterum parte hac obſeruanda magnopere Ariſtotelis oracula: Quum, inquit, finis gignendi ut plurimum quidem uiris annus ſit ſeptuageſimus, mulieribus autem quinquageſimus: ita coniugandi initio ſunt, ut ætatibus ad hunc proletarium finem concurrant. Eſt autem adoleſcentium coniunctio improba filijs producendis: in cunctis enim animalibus iuueniles partus imperfecti ſunt, & fœminæ crebrius quàm mares, & parua corporis forma gignuntur. Huiuſmodi autem coniectura fuerit, quod in quibuſcunq; ciuitatibus conſuetudo eſt, adoleſcentes mares puellasq; coniugari, in eiſdem inutilia ac puſilla hominum corpora exiſtunt. In partu quoq; laborant amplius puellæ, ac pereunt plures. Ex quo reſponſum oraculi Trœzenijs datum, quidam putant, ὡς πολλὴν ἀλαφθαρμένην δεῖ τὸν γαμίσκεσθαι τὰς νεωτέρας. id eſt, ueluti ea cauſa multis obire contingeret, quòd nuptiæ fierent immaturæ. Ad continentiam quoq; utile uidetur, nuptias fieri ſeriores. Intemperatiores enim eſſe uidentur, quum puellæ Veneri aſſueſcunt: porrò & maſculorum incrementum deterius fit. Proinde annorum decem & octo puellas nuptui tradidiſſe, peroportunum eſt: maribus congruit præcipuè annus ſextus & triceſimus. Extat & ſuper hac re Heſiodicum præceptum, quo duci oportere puellam docet, ut commodius uiri aſſueſcat moribus. Nam ut in Oeconomicis Ariſtoteles ait, αἱ ἀνομοιότητες τῶν ἠθῶν ἧκιστα φιλικόν. id eſt, morum diſſimilitudo haudquaquam conflare amicitiam poteſt. Verſiculus Heſiodicus ad id pertinens, ſi quis fortè requirat, hic eſt,

παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ἵνα καὶ ἤθεα κεδνὰ διδαχθῇς.

Virum autem cenſet poeta idem, haud ita multo ætate minorem triginta annorum, aut maiorem ducere uxorem debere,

μήτε τριηκόντων ἐτέων μακρὸν ἀπολείπων,
μήτ' ὤν θεὶς μακρὸν γαμῶ· δὲ γε ὥριος οὗτος.

Non prætereunda parte hac hiſtoria iucundior, Demetrio Poliorcetæ ſuadebat Antigonus pater iuueni admodum, Phillam uxorem duceret, Antipatri filiam & Cratero olim iunctam, cuius erat apud Macedonas inſignis beneuolentia: quumq; is ut uetulam aſpernaretur, inſuſurrauit pater Euripidion illud,

ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον.

id eſt, ubi affulſerit lucrum, ibi uero uel præter naturam ducenda uxor.

ὁμοιόπτωτόν τι τῷ δουλευτέον ἠθυρρέγμονήσας.

id eſt per homœoptotum uerbo dictioni ſubſtituto: quæ eſt apud poetam, δουλευτέον. Hoc eo adnotaui gratius, quod in Demetrio Plutarchi interpres, toto (uti aiunt) cælo aberrauit, ſententia lepidiſſima planè corrupta. Ita enim membrum transfert alterum, Præterea loco & tempori ſeruiendum.

Moribus effici in primis, ut coniugalis ſeruetur amor. Catonis dictum, Ioue tonante ſe beatum eſſe. Caput XXI

Illud præterea memoriæ ſumma cura affigendum, quod ad nuptiales pertinet rationes. Quemadmodum ignis palea, uel leporinis facile ſuccenditur pilis, atque ocyus item reſtinguitur contabeſcitq;, ni robuſtior firmiorq; materia fuerit admota, qua confoueri aliq; poſſit: ita momento euaneſcere nouorum coniugum amorem, forma ſolum corporis conciliatum, niſi bonis præfultus moribus, ac prudentia coalitus, radices miſerit altius. Nam & Iure conſultus Vlpianus, Matrimonium non coitus, ſed matrimonialis affectio facit. Propterea Olympias Philippi Macedonum regis uxor, quum aulicus quidam formoſam, ſed male audientem duxiſſet uxorem: Ille (inquit) demens eſt, οὐ γὰρ αὐτῷ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἄγεται

ἔγημε. id eſt, non enim oculis uxorem accepiſſet: non digitis omnino, aut etiam oculis utiq; uxor deligenda, qui pleriſq; mos eſt, reputantibus, quàm grandem ferat dotem, non quibus ſit exculta moribus. Amatoriis porrò artibus carminibusq; coniugalis beneuolentia quærenda non eſt. Cum attonitis quippe ac labefactatis ætas agitur. Sicuti medicamentis quæ ſit piſcatio, maturè quidem & facile piſcem capit, ſed eum labefactat, & menſæ ineptum reddit. Neq; Circen ab ea potionati quicquam iuuerunt, quum ſuum aſinorumq; formam accepiſſent. Vlyſſem uero mente prædituꝫ, prudenterq; cum ipſa uerſantem incredibili amore dilexit. Præclarum & illud fuerit documentum quod in antiquis literis reperias, lunam quum abeſt à ſole, lucidam uidemus claramq;: at eidem admotã obſcurari, hebeſcereq; occultatam. Sed ediuerſo, modeſtam oportet uxorem, addecetq;, aſſiſtente uiro, ſeſe uiſendam præcipuè exhibere: at enim abſente, latitare, domum cuſtodientem. Denique ſicuti geometræ ferunt, lineas & ſuperficies non per ſe, uerum unà cum corpore moueri: ſic uxorem affectum nullum habere proprium conuenit, ſed ſtudia, curas, riſum, cõmunia habere cum uiro. Platonis celeberrima ſententia eſt, ὐυδαίμονα καὶ μακαρίαν εἶναι πόλιν, ἣν ἂν τὸ ἐμὸν, καὶ οὐκ ἐμὸν ἄκιστα φθεγγομένων ἀκούσωσι. id eſt, beatam felicemq; eſſe ciuitatem, in qua meum, non meum qui dicant, minus audiunt. Quod communibus, quoad fieri poteſt rebus, quæ quidem æſtimatione aliqua cenſeantur, uti ciues debeant. Sed multo grauius huiuſmodi uox eximenda è connubio eſt. Nam ut medici aſtruunt, in ſiniſtra parte exiſtentes plagas ad dextram ſenſum referre, ſic uxorem uiri & uirum uxoris ſentire doloris conuenit intertrimenta. Nec illud omiſerim quod Homerica nobis doctrina ſuggeritur: Helenam diuitiarum fuiſſe appetentem, at Paridem uoluptatum: Vlyſſem uero prudentia conſpicuum, modeſtia Penelopen. Quid ergo inde prouenit? Nempe horum connubiũ felix atq; optabile: at Paridis nuptiæ cum Helena, ex Græcorum Barbarorumq; calamitatibus Iliada confecere. Iunoni Nuptiali, hoc eſt τῇ γαμηλίᾳ ἥρᾳ, rem diuinam quum facerent, è uictima fel exemptum poſt aram abijcere, moris fuit receptiſſimi, innuente (opinor) eius quiſquis fuit auctore, bilem prorſus iram'ue à coniugali ſequeſtrãdam iucunditate. Vt enim uini, ſic & matronæ auſteritas utilitatis plurimũ, amarulenti nihil interfuſum habere congruenter debet. Hic illud iocoſum haud præteriero, quum in cenſura Cato ſenior Manilium ſenatu mouiſſet, quòd uxorem filia inſpectante foret oſculatus, intulit, Vxorem ſe nunquam amplexatum, ni magno tonitru ædito: unde facetum prodijt id, ὡς μακάριος ὅτι τοῦ Διὸς βροντῶντος. id eſt, Ioue tonante eſſe ſe beatum. Idem conuerberantes uxorem uel filios, τοῖς ἀγιωτάτοις ἐλέγχοις προσφέρειν τὰς χεῖρας. Quin & amplius laudandum cẽſebat, qui bonum ageret maritum, quàm qui ſenatorem magnum: nec re ulla mirabiliorem uideri Socratem, quàm quòd uxorem nactus difficilem & ſtupidos liberos, comiter ac humanè, id eſt ὡμερικῶς καὶ πράως, διετέλεσεν. Porrò inquit Moralium octauo philoſophus: Parentum uincula filij ſunt & nexus: quare celerius liberis qui carent, diſparantur: filij nanq; utriſque commune bonum: ipſum autem commune, continendi obtinet uim.

Illegitimas nuptias quas crederent priores. Aphrorum mos impudens. Super digamia nonnulla. Gorgophone. Matrimonia ſecunda quãdo primum uſurpari cœpta. Erulorum mos. Camilli poſteritas. Epigoni, progoni, apogoni.

Caput XXII

Sed redeo ad ueterum inſtituta, quibus nuptias non iure contractas exiſtimari ſolitum, accepimus, quæ non aut inter ciuem Romanũ ciuemq; Romanam ſuſciperentur, aut quibus princeps populus'ue ciuitatem uel connubium non permiſiſſet. Quo nomine ita concepti & nati, in patrum nequaquam poteſtate cenſebantur, matresq; ſequebantur potius: quoniam cum eo nuptias inire non cauiſſent, cum quo cõnubij ius foret nullum. Hinc lectum in hiſtoria quandoq; eſt, Ius Quiritium fœminis eſſe impertitum, hoc eſt Romanam ciuitatem permiſſam: iusq; connubij, ut ex matrimonio eiuſmodi æditi, haberentur legitimi ciues Romani. Cicero in Topicis: A conſequentibus (inquit) ſi mulier quum fuiſſet nupta cum eo, cum quo connubium non eſſet, nuntium remiſit: quoniam qui nati

ſunt,patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Additur id præterea: ex impari ſuſceptos item matrimonio,non patrem inſequi, ſed matrem. Ex adulterio non poteſt dici pater,inquit in primum Aeneidos Donatus. In phano Veneris, quod eſt in Aphricæ ciuitate Sica, uel hoc nomine celeberrimum, corpore proſtituto & paſſiuo concubitu dotem matronas quærere,patria conſuetudo eſt. At Romanum longè probabilius inſtitutum,quo quæ uno fuiſſent matrimonio cõtentæ, pudicitiæ corona prodibant inſignes. Quod poſt depoſitæ ſemel uirginitatis cubile, in publicum egredi neſcirent: quando matrimonium multiplex intemperantis non careat libidinis ſuſpicione. Nam & digamiæ nomẽ, ethnicis quoq; eſt habitum infame: quoniã & Dido quum ab Iarba Libyæ rege (ut inquit etiam Hieronymus) in coniugium peteretur, pauliſper diſtulit nuptias,donec urbem conderet:nec multò pòſt exſtructa, in memoriam mariti quondam Sichei pyra,maluit ardere, quàm nubere. Caſta mulier Carthaginem condidit, ſed rurſum urbs eadem caſtitatis laude finita eſt. Quin & apud maximum poetam, quanquam argumẽto ſuo deſeruientem,Dido eadem ſecundas nuptias culpam uocat: Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Propterea ad Saluinam Hieronymus idem: Neſciat (inquit) uidua digamiæ indulgentiam. Et ad Geruntiã:Non ſolum ab officio ſacerdotij digamus excluditur,ſed ab eleemoſyna eccleſiæ,dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda coniugia deuoluta eſt. Et in libro De officijs Ambroſius: Digamus uero in ſacerdotem ordinari non debet, non quia deliquerit,ſed quia prærogatiua exutus eſt ſacerdotis. Flamen unius uxoris,ad ſacerdotium admittebatur. Flaminica quoq;, unius mariti eligebatur uxor. Gorgophone Perſei filia (tradente Pauſania) omnium princeps mortuo coniuge priore,mox nupſit Oebalo,unde ſecũdis matrimonijs exordium datum. At Geneſeos quarto lectum commeminimus,Lamech primum aduerſus naturæ inſtitutum,accepiſſe uxores duas, ex quibus uni nomen fuerit Ada, alteri uero Sella. Ex eiſdem porrò libris & illud eſt, Moris quandoq; fuiſſe, ut niſi circumacto annuo curriculo, nouam nuptam reges non adirent. Nam, ut in libro Heſter obſeruatum eſt, primis menſibus ſex myrtino perungebantur oleo, reliquo ſemeſtri ſpatio unguentis ac pigmẽtorum uarietate delibutum confouebant corpus, moxq; in regium commigrabant cubiculum. Non omittendum quod de Græco penu eſt:epigonos uocari ex ſecundis cõceptos nuptijs, ſicuti progoni intelliguntur, qui ex primis: quanquam eo item uocabulo maiores accipi uidentur, uelut minores uocãtur apogoni. Apud Erulos quondam Iſtri accolas irroborarat mos uetus,uti concedente ex humanis uiro, uxor quæ uirtutis exiſtimatione aliqua foret, uel quæ ſibi quæreret gloriam, laqueo apud mariti ſepulchrum gulam frangeret, aliàs ignominiæ deformabatur nota: odijq; in uiri propinquos ſubibat crimen. Sed hæc illud minus facit mirum: quoniam eiſdem ſenes ac morbo affectos necare,humaniſſimũ cenſebatur,lignorum ſtrue ingenti ſurrecta. Scribit diuus Hieronymus ad ſua tempora ex Camilli poſteris nullam uel raram ſecundos noſſe concubitus:ceu ſibi unaquæq; illud ex triuio ingereret, ὡς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου ὠσχρέψασα. id eſt, ſus lota ad cœni uolutabrum reuerſa.

Connubium amore conſtans eſſe ueluti corpus unitum congenitumq;. Corporum genera. Species tres arationum. Cicero explicatur ad Quintum fratrem. Dipolos terra,& tripolos. Rharium. Rhus. Rharus. Syra. Sciros regio. Rhuta,unde appellata. Scirrhon. Scirrhodes. Arias poros apud Pindarum. Rhanius ager. Item matrimonij commendatio. Caput XXIII

ADnotandum uero illud impenſius ex ueteribus memorijs ſcitũ equidem, & ex ſapientum ſacrario promptum: corporum alia, uti à phyſicis aſtruitur, ἐκ διεσώτων, hoc eſt ex diſcretis conſtare,ut claſſem,ut exercitum: alia ἐκ συναπτομένων, id eſt ex coniunctis,ut domum & nauem: τὰ δὲ ἀνωμένα ἢ συμφυῆ, id eſt quædam eſſe unita & cõgenita,ut ſingula animalia. Ferè igitur connubium quod ex amantibus conſtat, unitum congenitumq; eſt. Quod uero dotis liberorumq; procreandorum gratia eſt,ex coniunctis:at concumbendi cauſa uoluptatisq; contractũ,ex diſcretis. Eiuſmodiq; ſimul habitare,non ſimul uiuere,arbitrari quiſpiam

quiſpiam poteſt. Nuptialem denique commendationem, ne quid omittam ſciẽs, & illud aliquo modo habere uidetur. Nam Athenienſes ſolitos legimus arationes tres celebrare, quas ἀρότους nuncuparent ἱερούς. Earum uero prima in Sciro erat, uetuſtiſſimarum arationum monumentum: ſecunda in Rharia: tertia ſub Pelinto, qui locus Buzygium uocabatur, hoc eſt βουζύγιον. Omnium autem harum ſacratiſſima eſt nuptialis ſatio, id eſt γαμήλιος ἄρος, atque aratio ἐπὶ παιδοτεκνώσει, hoc eſt quæ fiat ad liberorũ procreationem. At dipolos terra, id eſt bis arata, & apud Homerum tripolos, id eſt tertiata, nil ad negocium præſens. Rhariæ autem, uti obiter ſubnotemus aliquid, Stephanus meminit: Rhariũ (inquit) campus eſt in Eleuſine, & Rharia terra, & inde Ceres dicta Rharias. Nam Rhus item loci nomen apud Pauſaniam, ab aquæ ex montibus defluxu nuncupatum. Meminit & in Theſeo Plutarchus: Commonſtrant (inquit) Amazonũ thecam ſeu conditorium apud ſe Megarenſes, ad eum qui dicitur Rhus, ex foro euntibus, ὅπου τὸ βουβοτεῖον. At in rebus Peloponneſiacis Iolaus herbam πήγανον in Peloponneſo ῥυτὸν autumat nuncupari, unde rhutam dicunt Latini. Hæc uero uberius exſequuti ſumus, ut M. Tullio opem ferremus, cuius fœdiſſimè codex eſt deformatus ad Quintũ fratrem libro ſecundo: Habemus (inquit) hanc philoſophiã nõ ab Hymetto, ſed à Rharia & Sciro. Ita enim lego, nõ ut modo in laceris circumfertur exemplaribus: Ab Arria Syra. Sunt qui legere malint, Ab area Syra. Scribit Pauſanias item, Triptolemi patrem dici à nõnullis Rharum. Meminit Heſychius quoque. Sed rharũ item pro forti interpretatur. Idem & σύρω dici multitudinem tradit, καὶ σύρματα ναυμαχίας. Syriam uero, pinguiorem ueſtem craſſioremque. Erat & regio Sciros de uaticinantis uiri nomine nuncupata, qui ad Eleuſinios cum Erechtheo bellãtes ex Dodone profectus obijt in prælio, quum Palladis Scirados ſacellum excitaſſet in Phalero. Scirrhon uero inter alia, etiam caſei ſordes indicat: unde eſt Ariſtophanicum illud,

τὸ σκιῤῥὸν ἐξεδίδασκον. Meminit in χρυσῷ γένει Eupolis. Hinc & quicquid cohæret agglutinatumque uehementius eſt, dicitur ſimiliter. Scirrhon quartodecimo Therapeutices Galenus ὄγκον interpretatur σκληρὸν ἀνώδυνον, id eſt tumorem durum citra dolorem, ſed ita (inquit) ut adſit ſenſus aliquis. Quanquam erunt forſan qui hoſce malint tumores dicere ſcirrhodes: ubi uero ſenſus abeſt, ſcirrhos proprie. Scirrhus inſenſibilis curam non recipit. Qui difficulter ſentitur, nec incurabilis eſt, nec curationem admittit facilem: fit ex humore lento & craſſo, inſolubiliter induratis partibus infixo. Scirrhum hepatis (inquit ad Glauconẽ ſecundo Galenus) ab initio quidem ſanauimus ſæpe, ubi uero ad dies forte plures extẽſus fuerit, neque ipſe potui ſanare, nec alium uidi qui poſſet. Sed ne quid præteream, unde Ciceronis diluceat ſenſus, lego, In Eleuſine: quam de Eleuſinis nomine herois Mercurij & Dairæ filij nuncupatã, tradũt, agrum fuiſſe Rhamnium nomine, in quo iacta primum feruntur ſemina, enatæque primum fruges ſunt: unde inoleuerit mos, ut in diuinis rebus indidem uterẽtur hordeo, & pemmata conficerent ad ſacrorum uſus, auctor Pauſanias. Legimus & in Pindari Nemæis Arias tranſitum, id eſt ἀρείας πόρου. Sic enim ait,

ἥν θ' ἀρείας πόρου ἄνθρωποι καλέουσι.

Qua in parte adnotatũ interpretibus eſt, loca circa fretum ac Rhegium dici ἀρείας πόρου. Sed & inexpoſitum fatentur inibi poetam, proindeque obſcurum, Aria proferri debeat an ῥεία, an iunctim ἀρεῖα πόρου: neque dilucere item, nuncupetur ſic διὰ τὸ πλῆθος τῶν φυομένων, an ab eo quod ibi geſtum eſt bellum. Certe πόρου Græci nunc tranſitum dicunt: unde & Saronico ſinui conciliatum nomen, nunc uadum aut facultatem. Quod ad Buzygium attinet, inuenio Buzygiam item Athenis fuiſſe familiam, ſacerdotio præditam, à Buzyge quodam heroe, qui omnium primus iunctis bobus araſſe terram creditur. Sed à diuerticulo inſtitutum repetamus. Sacrum matrimonium uidetur Pythagoras intellexiſſe, quod ex bonis fuerit conflatum. Sacra nomina in Declamatione quadam Quintilianus, mariti intelligit & uxoris, ſicuti patris & filij. Apud eundem legas & cõiugales deos. Tu uero Iouem intellige Gamelium, cuius Hieronymus item meminit: & Iunonem item Gameliam, cuius facta paulo antè nobis mentio eſt; & Plutarchus non tacuit. Illud poſtremo ex Homerico penu ſeruandũ magnopere

uidetur, ſcribit enim domos tunc præcipue indemnes cuſtodiri, & ratione ſumma dirigi gubernariq́, ſi mulier uiri arcana non anxiè nimis atq; ſolicite rimetur ac introſpiciat, quod πολυπραγμονεῖν Plutarchus interpretatur. Nec rurſum illo inſcio quippiam ſuopte ingenio exſequi inſtiterit. Vtrumq; ex Iunonis perſona indicatur. Et prius quidem Ioue ita commonente,

ἤρη μὴ δὴ πάντας ἐμοὺς ὤϊελπτο μύθους
εἰδήσειν. Alterum Iuno ipſa commonſtrare uidetur,
μή πως μοι μετέπειτα χολώσεται, ἅλκι σιωπῇ
οἴχομαι πρὸς δῶμα βαθυῤῥόα ὠκεανοῖο.

Vocabula plura ad idē ſpectantia. Scotius qui dicat & parthenius. Quid latiar. Cicero declaratur, emaculatur Macrobius, adiuuatur Catullus. De Hymenæo paucula præter rationē multorum. Conditionē quęrere quid ſit. Profectitia dos & aduētitia. Paſtos. Paſtinum. Calyptra. Protelia. Progamia. Protelij. Proaulia. Epaulia. Apaulia. Mellonymphus. Agamij iudicium, & opſigamij, ac cacogamij. Cyamiſſare. Cyamus quid, & unde. Chamæpus ſponſa. Chamætypion. Chamæuniæ. Apotimemata. Apotimetę. Proſtimemata. Genetyllides deæ. Ilithyia. Ex dictamo corollæ cur dētur Ilithyiæ. Nympharum in ſacris mētio honeſta. Nymphia. Inateres. Aelij. Aelmon. Synnymphi. Daer. Galos. Glos. Promneſtria. Proxenetria. Nuptiatores. Nupturire. Sportulæ nuptiales. Siſymbria. κπλῶνδω. Ctilos quid. Thyrſus. Thyſthla. Interim de inateribus reſtituitur Digeſtorum locus. Thurianum obſonium. Sturio piſcis unde. Cap. XXIIII

Sed enim prius quàm parti huic coronidem impingamus, adfigantur & aliqua operæ fortaſſe leuioris, ſed Conſentinis utique & Tarentinis latura opem aliquam, etiam ſi Perſios minime iuuerint. Scotium dici inuenio apud Homerum, clandeſtino natum cōcubitu: ſicuti parthenius dicitur, qui ea ſit productus, quæ quum nuberet, credita ſit uirgo. Carmen Homeri ex Iliados ſexto hoc eſt de Bucolione,

πρόσθεν πατρὸς γένεῆ, σκήπτου δὲ ἐγείνατο μήτηρ.

Pindarici interpretes dici parthenium putant, qui clàm ex ea ſit æditus quæ cenſeatur uirgo. Scribit in Parallelis Plutarchus, Theſeum ac Romulum fuiſſe anengyos & ſcotios. Illegitimum uero dicunt anengyon, uelut ſine ſponſore, quem uocant engyon. Vxoria bibere, à Quintiliano in Declamationibus de eo dictum cui meretrix dediſſet odij potionem. Conditionem quærere ac perſpicere, in hoc propoſito eſt uxorem uenari. Cicero in Philippicis: Filiam eius ſororem tuam eieciſti, alia conditione quæſita, & antè perſpecta. Eſt & apud T. Liuium, Conditionem filiæ quærendam. Cæterum ſuper ea re affatim alibi. Eſt & illa dicendi figura apud Ciceronem in Epiſtolis ad Quintum fratrem: De noſtra Tullia (inquit) ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe: dies erant duo, qui poſt Latinas erant religioſi: cætero confectum erat, Latiar erat exiturus: ad octauum idus Apriles ſponſalia Craſſipedi præbui. Quo in loco, quia ſcio pleriſq; occurſurum Gordiano implicatiorem nodum, non diſſimulanda uerbi occultioris enarratio. Præſertim quia parerga hoc genus bonarum literarum ſtudioſis nil officiunt. Id enim uocabulum Latiar, quorundam, ut uideo, ſolertiam fallit. Sed ſcire oportet, eſſe uerbum uetus, etiam ſi non ſit frequens. Significat autem Latinarum ſolenne. Poſitum id enarratumq; inuenias apud Macrobium in Cœnis: Nam quum Latiar (inquit) hoc eſt Latinarum ſolenne concipitur: item diebus Saturnaliorum, ſed & quum mundus patet, nefas eſt prelium ſumere. Quamuis in codicibus recētioribus corruptè ſcriptum paſſim ſit, Latiarum. Ea uero forma Latiar dicitur, qua & Palatiar, pro ſacrificio quod in monte fiebat Palatino, auctore Feſto. Dotem profectitiam intelligunt Iureconſulti, quæ à patre uel parente profecta eſt de bonis eius. Aduentitiam eſſe dotem Iulianus ait, ſi quis certam quantitatem patri donauerit, ut hanc pro filia daret. Sic & profectitium peculium dicitur, quod uiuens pater filio concedit. Aduentitium quod alius, modo non in caſtris, nam hoc caſtrenſe eſt: neq; item reſpectu patris, ſed alia quauis ratione

ne. Vnicubam uocant monogamon matronam, quæ ſecunda matrimonij iura non no uit. Parapetaſma, id eſt uelum geniali incumbẽs lecto, uocatur paſtos. Paſtus uero pro cibo capitur Latinis, unde uictimarum paſtum locari ſolitum accepimus. Et Cicero, Qui eſt ſuauiſſimus animorum paſtus. Paſtinum quid eſſet, docuit Columella: ſed & pro uinea capitur quandoq;, ut quum audis, Non eſſe uno genere uitium omne paſtinum conferendum, ne annus iniquus generi, ſpem uindemiæ totius extinguat. Nam ſponſæ flammeum dicitur calyptra. Sacrificium nuptias præcedens protelia nuncupatur, & progamia, id eſt προτέλεια καὶ προγάμεια. Quanquam & ſic dicere dona licet, quę ante nuptias offeruntur: nam τέλεον, nuptias item ſignat. Sed & qui uxorem duxere, protelij ualent dici: qui anteit nuptias dies, proaulia: qui ſubſequitur, epaulia uocatur. Sunt quibus placeat, oblata ſponſæ dona dici apaulia. Protolia ſunt qui interpretentur τὰ ἀπὸ λείας πρῶτα, id eſt prædæ portiones primas, quas ferè ſortiuntur optimates, ſicuti Chryſeida Agamemnon, Achilles Briſeida Hippodamiam, Aiax Tecmeſam. Platonis autem ſententia parte hac minus negligenda, qui de nuptiali ſcribens impenſa, non quinis plures ex parte utraq; uocari præcipit, & mina grandiorem fieri impenſam uetat. Nam minarum quatuor cenſum maximũ ſtatuit. Qui necdum uxorem duxit mellonymphius appellabitur: ſicut puella, mellonympha. Agamij iudicia in multis exercebantur locis, ubi quis uxorem ducere neglexiſſet. Apud Lacedæmonios opſigamij quoq; & cacogamij. Vbi uero puella ætate iam maturior uirum appetere incipit, ſcitè admodum & operte κυαμίζειν dicitur, id eſt cyamiſſare: puto, quia cyamos non legumentum modo ſignat, ſed coleos quoq;: propterea quod ſint εἰς τὸ κύειν δένοι, id eſt utero ferendo ualidi. Eſt item cyamos prima in uberibus lactis cõcretio. Chamepus, ſponſa nuncupatur, quæ curru non ſubuehitur, uerum pedibus mariti domum petit. Nam χαμαὶ ſignat humi. Nata inde parœmia in nil agentes, ac uanè laborantes, χαμαὶ ἀντλεῖν. Chamætypeion, ſcortillum uocant, quod humi decumbens inſcenditur. Chamæunia apud Hieronymum dicitur, quum quis humi cubat: Chamæuniæ (inquit) in ſene minores fiunt. Apotimemata, id eſt τὰ ἀποτιμήματα, dicebantur hypothecæ, ſeu enechyra, hoc eſt pignora, quæ à ſponſo repoſcebant in dotis numeratæ ſecuritatem, uel etiam debiti cuiuslibet: ea uero erant uel domus uel agri. A magiſtratu petebantur apotimetæ, id eſt ἀποτιμηταὶ, ſeu æſtimatores, qui pretium inducerent ac indicaturam. Meminit Demoſthenes, meminit item Lyſias, ſi modo legitima eius oratio eſt, in qua de hoc agitur. At proſtimemata intelligũtur legibus præfinita quædam aduerſus iuris uiolatores, ſicuti epobelia apud Iſæum. In Coliade uero Atticæ regionis deas coli ſolitas γυναικομίδας, ſcribit Pauſanias: eaſdemq; eſſe putat, quæ à Phocenſibus in Ionia dicantur γυναῖδες. Has interpretantur grammatici γενέσεως ἐφόρους, id eſt generationis præſides. Inter quas Ilithyiam recenſueris, id eſt εἰλείθυιαν. Quæ ex Hyperboreis appulſa Delum Latonæ affuit parienti, ut prodit idem Pauſanias. Vnde rem diuinam Ilithyiæ obeunt Delij, à quibus didicerint cæteri. Apud Athenienſes modo eius deæ ad pedes ſummos obuelata uiſebantur ſimulacra. Dignum uero ſcitu, dictamum herbam Arato etiam dicton nuncupatã, ut Zenodotus mallotes interpretatur fœcunditatem, ac ſicuti pronunciant Græci, δίκτυον, inſigniter iuuare. Quo argumento Ilithyiæ contexebantur corollæ ex ea. Hinc cecinit Euphorion,

στεφανώσῃ θαλροῖσι σωωὶ δίκταμοισι.

Scribit Phurnutus in Deorum natura, Ilithyiam credi à multis lunam, ἀπαλῶς εἱλυμένην, καὶ θεοῦσαν πρὸς τὸν γόνον. quam aduentare mitem, ac Lyſizonon comprecentur parturientes, uti ſoluat τὸ ἐσπεζυγμένον τῶν κόλπων. Nuptiatores apud Hieronymum eſſe uidentur nuptiarum inſtructores. Matrimonia ipſa Græci nymphia uocant, quoniam pietas & religio à nymphis, ut creditum eſt, per mortales fuerint propagatæ. Cui rei argumento eſt illud quoq;: nam citra nympharum mentionem nullum obibant ſacrum, quando & nympharum una Meliſſa inuentum mõſtrauit fauum & aquam melle temperauit. Vel quod præſides aquarum deas proprie Naidas dicũt. Sed & ſic uocare inſtitutum in generationem progrediẽtes animas, quod eas humectæ naturæ opinabantur aſſidere, quæ foret theopnoos, ut inquit Numenius. Propterea dictum ab prophe-

ta

ta, Spiritum domini ferri ſuper aquas. Vnde & mortuorum animas fellis ac ſanguinis prolici effuſione. Inde uero humectum contrahi ſpiritum, qui ut nubes plerunq; craſſeſcat, ex quo uiſibiles animas euadere. Nam puræ generationem neſciũt. Hinc Heraclitus, Anima ſicca etiam ſapiẽtiſſima. Quoniam uero Naides nymphæ ſunt in corpora tendentes, inde factum ut ſobolis propagandæ cauſa iunctæ puellæ uocentur nymphæ, quando & aquis perfundi conſueuerant, ex fonte perenni aut flumine petitis. Ex eodem eſt argumento Aegyptiorum illud, dæmonas, & ſolem, ac omnes ad quos ſpectat animarum deſcendentiũ cognitio, non in ſolido conſiſtere, ſed ferri nauigio. Synnymphus uelut conſponſas duobus uocant, uel pluribus nuptas fratribus. Apud Aelium Dionyſium inateres nuncupantur. Sicut ælij, uel etiam æelij dicũtur, quibus duæ nupſerint ſorores. Aelinon uero Sophocli in Aiace maſtigophoro, ſpecies eſt luctus. Daer mariti dicitur frater: at ſoror uocatur galos, id eſt γαλως, ut ſcribit grammaticus Ariſtophanes, qui ſyngenica cõcinnauit: à nobis dici poteſt glos. Reſtituendæ uero dictiones hæ Digeſtis De cognationis gradibus apud Modeſtinum. Nam ut de alijs taceam, illud bone deus quale eſt Duobus (inquit) nuptę fratribus, ianitrices dicuntur apud Græcos. Reponendũ uero inateres, meminit eius uocabuli etiam Pollux. In Menandrijs obſeruatum item, cani in nuptijs ſolitum ad eum propè modum,

ὑμὼ ὦ ὑμεναὶ ὦ ὑμώ.

Quod in Auibus eſt ab Ariſtophane quoq; poſitum, negligenter à Catulli interpretibus prætermiſſum. Inde enim illud eſt,

O Hymen Hymenæe, ó
Hymen ó Hymenæe.

Adnotabimus obiter illud quoq;, ab eiſdem male concipi Martiani Felicis auctoritate, Hymenæum fuiſſe Veneris filium: quod Martianus ne ſuſpicatur quidem. Sed male feriati homines Tortellij deliramenta ſunt inſequuti. Aliàs ex Calliope & Apolline natum Græci Hymenæum fabulantur: quanquã Vraniam matrem intelligere Catullus mauult. ὑμέναιος item γαμήλιος dicebatur, id eſt incentio gamelia per tibias. Promneſtriam ijdem intelligunt Græci nuptiarum conciliatricem, quæ mox & proxenetria ſit nuncupata. Nupturire uerbum inuenimus in Apuleij Magia, quod eſt nuptias affectare. Apud eundem & ſportulas legimus nuptiales. Quippe (inquit) ita placuerat, in ſuburbana uilla potius ut coniungeremur, ne ciues denuo ad ſportulam conuolarent. Quum haud pridem Pudentilla de ſuo quinquaginta millia nummum in populũ expunxiſſet. In Hieronymo de uita Malchi monachi, pronubare noue poſitum inuenias: Pronubante nobis (inquit) mœſtitia. Apud Ariſtophanem ſiſymbria nominãtur folia, quibus coronarentur ſponſi: quos quia Græci nymphios uocant, inde in Ariſtophane eodem prouerbiale illud,

ὑμεῖς μὲν ἁβρὰς ζῆτε νυμφίους βίου.

id eſt, Vos igitur ſponſorum uitam ducitis. Apud Herodotũ extat perelegans uerbum λιπλοῦσθαι, quod ſignat puellam demulcere, atq; ita demũ conciliare, ut uxorem ducas, ἐκπλώσαντο τὰς λοιπὰς τῶν ἀμαζόνων. Ratio uocabuli eſt, quoniã ἔτιλος aries eſt iam mitis mãſuetusq;. Hinc apud Pauſaniã ἐκπλόμενος dicitur, qui cuipiã familiaris eſt factus. Inflectitur uero ἔτιλος à λίω, quoniam gregem ferè præcedat. Cinyrã Pindarus ἱφρέα dicit κτίλον ἄφροδίτης, connutritũ ſignificans & familiarem, ac manui aſſuetum, ab uerbo (uti ſcientiſſimis quoq; placet) κτίσαι, quo alimentum indicatur, unde orictitem dicimus educatum in montibus. Certe etiam κτιλοῦσθαι, cicurare eſt. Hinc Nicandri interpres ἔτιλας dici oues arbitratur mites ac pingues: quamuis & gregis ductor, inquit, ſic dicatur quandoq;. Inuenio nuptiales coronas dici Thyrſos, ubi acuitur ultima. Nam ſi barytona ſit dictio, tunc haſtam ſignat Bacchicam. Sed haſtas id genus ſunt qui etiam Thyſthla uocent, quanquã eo uocabulo nuncupantur ſacrificia quoq; Teleſtica, id eſt ad initiationem pertinẽtia, aut uirgæ quædam, inter quas & ferulæ ſunt. Sunt qui Bacchicas interpretentur θρῶκας, id eſt Dionyſiaca myſteria. Inueni & qui uitium folia ſic nuncupent. Meminit uocabuli Iliados Z Homerus quoq;,

Θύσθλα χαμαὶ κατέχυθεν.

Thurſianum

Thurſianum uel Thurianum obſonium eſſe prodit Athenæus, μόρ@ θαλασσίου κυνός, id eſt canis marini portionem. Nam & Plinio, uti eruditorũ coniectatio eſt, tomos nuncupatur Thurianus, ab Italiæ oppido Thuriis, quo primum ex Sicilia creditur ſubuectus: à cuius delicijs ſturioni ſit conciliatum nomen.

Pithœgia quid. Ectropias. Ectropæ. Vinum medium cur optimum, mel imum, oleum ſuperfluens. Vinalia duplicia. Λῳαῖος Bacchus. Ambroſia ſiue Brumalia feſtum. Brumus Bacchus. Meditrina dea. Proſtaterius Apollo. Bochernus pro Pado. Ambra quid. Ambroſia itẽ. Quali excepturij. Caſtellatæ. Vngues ferrei. Cap. XXV

Pithœgia (inquit Proclus) feſtum ueteribus erat, quo in uini participatum & ſeruos aduocabant & mercenarios: relinebantur enim tunc primum dolia, proinde facta re diuina, Dionyſiaci doni cõmunicatio omnibus patebat. Comprecabantur uero, ut Plutarchus inquit, ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τὸ φαρμακον τὼ χρῆσιμ γνέσθαι, id eſt innoxiam ſalubremq; ipſis fieri medicamenti potionẽ. Vndecima menſis die factitari hoc Athenis conſueuiſſe, produnt auctores. Aliubi etiam ſexta eius, qui proſtaterius uocaretur, Bono dæmoni diuina re peracta, deſinente iam Zephyri perflatu, qui oblædere uinum ac cõmouere præcipue creditur. Eum proinde quod euaſerit, firmum iam haberi conſtansq;. De pithœgijs intellexiſſe uatem Heſiodũ in agricolationis lucubratiuncula illis uerſiculis grammatica ſtatuit aſſertio,

ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος περὶ ἄκρῳ,
μεσσόθι φείδεσθαι, λειπὰ δ' ἐπὶ πυθμένι φαῦλα.

Siquidem hoc plane poetam dicere, Vbi dolium relinis, nouumq; uinum guſtas primum, ad ſatietatem unà cum mancipijs potui inſeruiendum: uaſe namq; ὠνοχοεῖ, hoc eſt non penitus pleno, uinum ferè uappa ſit, ac ectropias (Ectropæ uero calles ſunt, ac ſemitæ, ſed & oculorum affectio) in fine quoq; inutile ſit. Nam à fece infeſtatur, in meditullio autem optimum cenſetur. Proinde parcendum, & quia ingruit metus, μὴ πρὸ τοῦ λείοντος ὠνοχοήσῃ, id eſt, ne ante tempus deficiat. Meminit Heſiodicæ ſententiæ, ac enarrationis auctor ἐκλογῶν περὶ γεωργίας libro ſeptimo, adſtruens ex uicinia aeris uinum ἀσταφυλόμενον fieri ἀδφνέσφορον, quare largius hauriendum. Cæterum quod dicitur medianum uinum bonitatis laudem ſibi adoptare, forſan quæſtione non indignum uideatur minutiem quoq; rerum anxiè ſcrutãtibus, ac in re literaria uelut micrologis quibuſdam. Quando & in Cœnis Aurelius Macrobius ſuper eadem poetæ ſententia, ſancit Heſiodus inquit, quum ad medium dolij peruentum eſt, comparcẽdum, & cæteris eius partibus ad ſatietatem abutendum, optimũ proculdubio uinum ſignificans, quod in dolij conſiſteret medietate. Idipſum & Sympoſiacorum ſeptimo comprobat Plutarchus, adeo ut conformari inde ualeat prouerbium. Siquidem quod nõ euaporarit, atq; non acuerit uinum, ſed genitiuam ſeruet bonitatem, quæ guſtum allectet mirifice, medianum recte dicetur. Verum ut miſſas faciamus, quibus id adſtrui amplius ualeat auctoritates, ſuppetunt in hoc, ut Plutarchi uerbis utar, καὶ πιθανὰ ὠνοχεύματα, hoc eſt, probabilia epicherema ta. Sed enim quid ſit ab hoc philoſopho excogitatum, mox paulo ſubnectam: interim quod inter omnia plurimum arriſit, commeminero gratiſſimè. Quemadmodum utiq; mel, quoniam & craſſum ſit, ac terreſtrem prorſus naturam reſipiat, melius in imo eſt: in oleo quod ſuperfluit, ideo creditur præcellere, quoniam aerium ſit, ac proinde ſuperna ſcandat naturæ ſuæ ui: cõſimili ac compari ratione uinum in proprietatis utriuſq; participatum ueniens ab dolij mediana firmitate, ac illici ſuauitate creditur præcellere. Porrò Plutarchus: Vini (inquit) uis cum planè calida cenſeatur, ratione dictante, ad medium coire aggregariq; præcipue conſentaneũ ſit: propter eaq; inibi bonitatem confouere ac cuſtodire in primis. Quod autem peſſum it, eſtq; in imo feculenta impuritate permixtum miſcellumq;, nõ turbulentum uiſitur modo, ſed & ſapore deterius ſentitur. Quod uero in ſummo eſt, ex aeris conuicinia facile corrumpitur: quãdo illius permixtione diluitur, quã rem uini ἔκστασιν recte nuncuparis (quanquam & eo nomine nunc ſomnum dici aduertas, nunc terrorem) quo argumento ruſtici

ſtici καπρύσησι δὲ πίθους καὶ σκεπάζουσι, id eſt dolia adobruunt, ac operimẽtis muniũt, quoad eius fieri queat, à uino diſparantes uelut ſepimẽtis, aeris contagem. Vt uero de pithœgia, unde diſſertationis exordia prompſimus, paucula quędam ſubnectamus, auctor Plinius eſt, Vinalia priora deguſtandis uinis celebrari Romanis ſolita undecimo calendas Martij, altera uero ad decimumtertium calendas Septembris. Ioannes grammaticus ſuper eo poetæ Heſiodi uerſiculo, μλῶα δὲ λωαιῶνα, Ianuarium (inquit) dicit, qui λωαιὸς apud Ionas nuncupatur: quoniam πιθοίγια fiebant menſe illo, uel quia Dionyſii feſtum celebrabant, quod dicitur Ambroſia, ſed Brumalia uocant Romani: à quibus Bacchum appellari Brumũ nouimus. Bochernus ad Bacchum ſpectat nihil: quippe auctor eſt Theon, Eridanum Italiæ ab indigenis eo cenſeri nomine. Ambra uero, ſiue (uti pronunciant alij) ambar, uel ampar quoq; canínum, res eſt noſtro æuo memorabilis: ueteribus, quod ſentiunt eruditi, prorſum incognita. Sulphuris prouenit modo, aut bituminis in India & Arabia: quod ruffum eſt ac pingue, primoris cenſetur notæ: ſequens indicatura ſubalbido eſt, nigricante omnium deterrimo. Ambroſia porrò Athenienſibus, quam in Iouis Cteſii dedicatione ferendam præcipiebant, non herbam indicat, ſed ut docuit Athenæus, omnigenas fruges cum oleo & latice. A Latinis porrò populis ſeruatum traditur, ut quo die quis primum guſtaret muſtum, omínis gratia diceret, Vetus nouum uinum bibo, ueteri nouo morbo medeor. Ex qua uerborum formula, Meditrinæ item deæ conceptum nomen creditur. Quod de proſtaterio docuimus, ſciendum amplius, nuncupatione eadem ueteribus Apollinem eſſe celebratũ, quod ante ianuas ſtatueretur: meminit in Helectra Sophocles. Inſeramus denicq; huic potiſſimũ loco Píndari ex Olympijs ſententiã haud aſpernabilem, nec ita ab inſtituto diſſitam,

ἄνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων
νεοτρώπων.

Quibus quidem uinum innuit laudandum uetus, at geſtarum rerum florem nouiſſimũ quemq;. Illud plane ſuperpondium ex abundanti fuerit: Qualos exceptorios dici iuris prudentibus, in quîs comportentur uuæ. Sunt qui augurentur caſtellatas ſignificari. Apud Columellam legimus decem modias & trimodias fiſcellas picandas uindemię cauſa, ſed & ungues ferreos uuis deſecandis, ne manu decerptis, in terram diſpereant acini.

Vini fecem eſſe illius robur & conſolidationem: unde & uinum tryga uocent Græci. Phecla. Colandi uini improbatio. An recte uinũ dicamus eunuchum, caſtratum ue. Laccus quid & laccopluti. Daduchus. XXVI

QVoniam uero fecis uicinia paulo ante adſtruximus inſyncerius fieri uinum & ſapore deterius: illud ſciendum amplius, in literis reperiſſe me, fecem nuncupari κρατὸς καὶ σώματα οἴνου, id eſt robur uini, ac (ut ſic dicam) conſolidationẽ, argumentoq; eſſe, ab ea exemptum degenerare facile, ac ferè non ita diu in pleriſque locorum ætatem ferre, uelut à radice auulſum. Quamobrem uidentur priores non immerito uinum appellaſſe tryga, id eſt fecem, quod & à Diomede proditum ſcio: quanquam putent grammatici, nouum priuatim ſic dici, abuſiuè autem etiam uetus: ſicuti à præcipua quæ in eo pars eſt, hominem quandoq; animam uocamus, aut caput. Teſtimonio & illud eſt, quod τρυγᾶν dicunt, pro eo quod uindemiare eſt. Et Homerus quandoq; διατρύγιον protulit. Quo nomine ſunt, qui fructiferum intelligant. Alij loca inter uites quæ ſerũtur, uel partem ubi iam maturuerint uuæ. τρύγη certè nunc triticum ſignat aut hordeum, nunc fructum quemlibet. Thamnam uero fecem uocant ὠμοχωείως, quæ ex acinis exprimitur, poſtea quàm effluxit muſtum, quæ ruſticis in potum cedit, uti libro ſexto ἐκλογῶν πρὸς γεωργίας expoſitum comperi. Pheclam poſteriores Græcorum medici fecem quoq; uocarunt, ſed crematam priuatim. Verum ad rem. Propterea ſunt qui uinum quod ἀθρομβίου nuncupant Græci, dicere nos percolatum poſſumus, quum facco (ut Plinius inquit) franguntur uires, improbent inſigniter. Quoniam, uti Heſiodus inquit, ἀπὸ πίθου πιεῖν ἀνδρὰ δεῖ, id eſt, à dolio bibendum ipſo: quia ſic inſitum ſeruet robur ac poteſtatem. Defecatio autem illa, ἡ διύλισις, id eſt percolatio, neruos excidit, ac genuinum reſtinguit calorem

calorẽ,ut gulæ curioſitas prætereatur,ad delicias reuocantis,quod utilitati fuerat comparatum. Velut enim gallos porcoſq; excidere,quo mollior præter naturam eorum fiat caro,degeneretq; in fœminam,non ſani caſtiq; eſſe hominis uidetur, ſed Apicianis corrupti cœnis,ac Heliogabalũ reſipiẽtis: eodẽ modo, ſi uti metaphora permittimur, uinum percolantes ἐξωουχίζουσι καὶ ἀπονηλώσουσι, id eſt eunuchũ id faciunt effœminantq;.Hoc uelut ſophiſmate excogitato,ut perdẽdo nati uino plurimum ualeant ingurgitare.Quod ipſum in Naturali hiſtoria taxans ſeueriſſimè Plinius ac cenſoriè admodum: Quinimmo (inquit) ut plus capiamus, ſacco frangimus, & alia iritamenta excogitantur,ac bibendi cauſa etiam uenena conficiuntur. Quod uerò eunuchum diximus uinum,id eſt caſtratum,magno nixi auctore, ſi quis paulò licẽtius putat, ac tralationem reformidat ut deformẽ aliquo modo,propterea q; uitandam Ciceronis aſtipulatione & Quintiliani,ſciat in eo me Plinij imitationẽ nõ exhorruiſſe, apud quem libro decimonono,ſacco caſtrari uina,legimus:ſed & libro undecimo, Apes ad ictum aculeo infixo,fucos fieri ſcribit,nec mella facere, uelut caſtratis uiribus. Sed & eunuchos dici calamos comperias. Et uir elegantis eloquij Hieronymus ad Euſtochium: Quum (inquit) conſuetudine lautioris cibi propter cælorum me regna caſtraſſem. Columella rationẽ attexuit, qua canum caſtrari caudæ debeant.Illud poſtremò adijciamus, Græcis plerunq; fuiſſe in more, uti ſub terra pararẽt loca uel rotunda uel tetragona continendis uinis ac oleo quoq;.Ea uerò Laccos dicebant, id eſt λάκκους, unde & pro morte uſurpatur uerbum ſanctis literis,quoniã mortuorum conditoria eam præferant imaginem. Hinc illud:Et ſimilis ero deſcendẽtibus in laccum. Verum ſcitu dignum quod ſcribit Plutarchus, Calliæ poſteros eſſe Laccoplutos Athenis cognominatos, quòd is Callias bello Perſico in Marathonijs campis auri uim magnam terra defoſſi comperiſſet,ac inde foret ditatus,indice crudeliter perempto.Eum uerò Calliam Plutarchus,da duchum appellat,id eſt λαδοῦχον. Antiſtitẽ reddit interpres, quum tamen λαδουχήσαι ſignet λαμπαδηφορῆσαι.

Melle putredinẽ caueri.Papinij locus explicatur. Cur mel dulce ex Lucretio.Mellis uſus unde propagatus.Mel eſſe multorũ ſymbolũ, & mortis,ſicut fel uitæ.Nympharũ in ſacris mẽtio unde inſtituta. Nymphia pro matrimonijs cur.Septizoniũ.Simblium mel.Simblides,Simblæ. Simbli. Nymphæa.Omphacomeli.Melomeli. Cap.XXVII

OBrepere quandoq; ſomnũ & dormire ſub mandragora magnos uiros, alio qui tantum nõ primæ notę, quum ex pleriſq; alijs harum cõmentationum enotatis liquet abunde,ac re (quod dicitur) apud Sagram geſta certius ſit, tum uerò inde coniectatum mihi eſt, ac quod mireris, ſuper re (opinor) momẽti non ita magni, nec in cuius indagine, Lyncea Ariſtarchi cenſura uideatur eſſe opus.Papinij uerſus ſunt ex doctis illis Syluulis,libro (ni ſubſultat memoria) tertio,in Metij Celeris propemptico:

Duc & ad Emathios manes, ubi belliger Vrbis
Conditor, hybleo perfuſus nectare durat.

Videbatur adoleſcẽtibus diligentiæ haudquaquam ſopitæ,interpretẽ aliàs acutum, & lectionis (ut illa ætate) non admodum incurioſæ, nec paucæ, haudquaquam reticere debuiſſe: quid ita cecinisſet non indoctus poeta, Alexandri cadauer melle litum perſeueraſſe,putredini, ut ferè aliàs,non obnoxium. De me quęſitum Bononiæ cõmemini,quid ex libris mihi compertum ad id foret, reſpondi pro tẽpore, Eam uideri mellis poteſtatẽ, cæleſti coalitam ui, & naturæ potentiæ inenarrabili, ut citra putrefactionẽ corpora mirè cuſtodiret, quod ſcirẽ monumentis à Plinio commendatum, Claudio Cæſari allatum in melle ex Aegypto Hippocẽtaurum, quẽ ipſe uiderit. Cæterum & Naturalis hiſtoriæ ſecundo & uiceſimo libro: Mellis (inquit) natura talis eſt, ut computreſcere corpora non ſinat iucundo ſapore atq; non aſpero. Hoc autẽ in annos modò plures obtingere, ſcribit Columella.Sed & multi ſenectam longam, mulſi tantum intinctu tolerauere,nec prẽterea cibo alio,celebri Pollionis Romuli exẽplo,quẽ cẽteſimum annum excedentẽ,quum interrogaret Auguſtus,qua nam ratione maximè ui-

gorem illum animi corporisq; cuſtodiſſet, reſpondit, Intus mulſo, foris oleo. Lectū porro in Græcorum libris eſt, Cyrnios, id eſt Corſicæ inſulæ populos, eſſe πολυχρονιωτάτους διὰ τὸ μέλιτι ἀεὶ χρῆσθαι. hoc eſt, de aſſiduo mellis uſu eſſe uitæ diuturnioris: etiã ſi ridiculum nonnullis id uidetur, quando (ut ferè conſentiunt poetæ) mel Corſicum, auctore Diodoro, item notæ cenſetur peſſimæ. Scribit porrò Græcarũ rerũ quinto Xenophon, Ageſipolin Lacedæmoniorũ regẽ mortuum, in melle Spartam eſſe delatum, ac ita regio eſſe potitũ funere. Gemiſthus Plethon mellis inopia, Ageſilaum ſcribit, liquefacta cæra circumlitũ Lacedæmona eſſe delatum. Adnotatũ & illud: theologis priſcis multorum ſymbolum fuiſſe mel, quoniã ex pluribus conſtet poteſtatibus: nam ubi ſacris initiabatur (quæ Leontica uocant) quis, aquæ loco in manus mel affundebant, ab omnibus noxijs ſceleribusq; ac triſtitiã inferẽtibus ſic expurgari arbitrantes. Linguam item melle detergebant ab omni peccati labe. Apud Orpheum Saturnus ab Ioue mellis appetitur inſidijs. Inde enim conſopitur, uelut temulẽtus: ſicuti apud Platonẽ Porus nectare oppletus. Quo innuitur, per uoluptatẽ illum eſſe oblaqueatum, qua & ad generationẽ producantur diuina. Dicitur & mortis ſymbolum, mel: ſicuti fel, uitæ: unde mellis libamina terreſtribus infundebantur, quoniã per uoluptates obrepat animæ mors, quæ per amaritudinẽ reuiuiſcat: nam & dijs offerebatur fel, aut quia mors, laborum meta eſt, quibus exuberat uita. Verum, ut ſuperpondij adijciamus aliquid, ac doctrinæ uberioris: putat Lucretius De rerum natura libro ſecundo, Quæ atomorum nexu conſurgant minutulo orbiculatioreq;, dulcia progigni: quæ pinguioribus inæqualioribusq;, amarulenta. Eius carmina hæc ſunt,

Vt facilè agnoſcas, è leuibus atq; rotundis
Eſſe ea, quæ ſenſus iucundè tangere poſſunt:
At contra, quæ & amara atq; aſpera cunq; uidentur,
Hæc magis hamatis inter ſe nexa teneri.

Mellis uſum monſtraſſe primã, Græci produnt, Nympharum unam nomine Meliſſam, propagata inde apibus nomenclatura. Geſtum id in Pelopõneſo uolunt. Certè rem diuinam obibat nemo citra nympharũ gratam memoriã, ceu religionẽ monſtraſſent etiã num. Vtiq; ab eiſdẽ connubia dici nymphia uidentur, uti aliàs edocuimus. Nymphides, calciamẽta ſunt muliebria & ſponſalia. Nymphæa uerò, nympharum dicuntur tẽpla. In Ponto, Nymphæum celebratur Græcis. Sed & alibi Plinio. Ammianus Marcellinus, Ad Septizonium (inquit) celebrẽ locum operis ambitioſi nymphæum Marcus condidit imperator. Obiter Septizonij meminit in Seuero Spartianus: Opera publica (inquit) eius extant, Septizonium, & thermæ Seuerianę. Mentio eſt in Geta quoq; Antonino. Nymphæa ſunt qui lauandis mulieribus deſtinata putent loca. Meminit in Gordianis Capitolinus. Nymphis uerò antra dicantur, ob affatim deſtillantes aquas, effluentesq;. Eſt & Nymphæum Taurica ciuitas Stephano. P. Victor Vrbis regione quinta, Nymphæum ſtatuit diui Alexandri: & ſeptima, Nymphæum Iouis. Sunt qui nymphas, cõmuni nomine in Libya mulieres opinentur dici: unde & Pleiades nymphæ, nuncupatæ. Mel denicq; Siculum nuncupari ſimblium, ex Græcis & Dioſcoride didici. Nam & apes ipſæ, ſimblides uocantur: ſicuti eſt ſimbla, earundẽ theca: ſed theſaurum Attici etiam ſimblum appellant. Ne quẽ tamen fallamus: ſunt qui apud Dioſcoridem, non ſimblium ſcribant, ſed hyblæum: quia ſimblium nullum ſit. Simblum pro theca, legimus in Heſiodi Theogonia. Interpres ſcribit ſic appellari, quoniã apes dicantur ſimæ, quia ſint aculeo hebetiore: tanquã ſimobolum dicatur, in quod ſimarum, id eſt apum, laborẽ conijcimus. Omphacomeli, eſt acerbum mel: ſicuti acor ex uuis, omphacium dicitur Græcis: nam omphax, eſt acerbior uua. Melomeli, mel in quo ſeruantur cydonia mala, cuius ſapor mulſeus eſt.

Quæ ſit barbararum gentiũ ſententia ſuper cibo & potu. Vini uſus, & nocumenta eiuſdem inſignia. Abſtemiorum ratio. Cap. XXVIII

ARiſtophanes, inter comicos poetas nominis ferè præcipui, in fabula cui titulus ἀχαρνῆς, hoſce appoſuit uerſus, quos & ſubſcribendos duximus. Sic uerò habent,

ὦ Βαλβα-

οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους
οὓς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πεῖν.

Eorum uerò hìc ferè ſenſus, à barbaris gentibus eos modò uiros credi, quibus uorandi plurima, & bibendi facultas ſit. Id uerò inurbanè, immo præter hominis rationem prorſum & dici & exiſtimari, non fermè quiſquam eſt à Muſis adeo ſeiunctus, qui neſciat. Quando, ut de ciborum inutili onere interim taceam, cui tamen nauigatur ad phaſin, notiſſima eſt, ac præcipuè memorabilis Propertij ſententia:

Vino forma perit, uino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica uirum.

A ſapientiſſimis utiq; traditũ ſcimus, uino uel pauciſſimo ac dilutiſſimo utendum: cui præcepto (ut uidetur) ſanctiſſimo, ſumma aſtipulatur ratio. Omne ſiquidẽ uinum, ſed nigrum præcipuè, ſpiritoſum eſt. Quum ergo affatim hauſto, ſpiritus is ſuperna petat, ac repercuſſus, retroq; actus defluẽs uenas inflet offarciatq;, meatibus præcluſis & trãſitu impedito, qua commeat reſpiratio: etiam ſi nõ continuò mors, plerumq; tamẽ morbus excipit comitialis. Quid uerò membra hìc referam tremore ſubſultantia cõtinuo? Senſuum omnium retuſiorẽ uſum, ac quodammodo præmortuũ? Ad hæc formæ adnectitur interpolatio, uox hebes, color euariãs, ignea quadam uí ſcintillantes oculi. Anhelitus atq; animæ uitia, tinnitus aurium, fremitus narium, diſcriminum phrenitis plena, torminoſa calculi infeſtatio, moleſta deniq; podagricorum pedum ignauia cum articulorum deprauatione, exæſtuans ſtomachus, ac cruditatẽ efflans, dum in ructus ſubinde reſpirat, accedente uomitus etiamnum fœda turpitudine. Quæ omnia uinolentiæ ſunt additamenta, & uelut appendices: ut præteream quòd ſcientiſſimè ſcribit Ambroſius, abundatiore uini uſu homines, uelut immutata naturæ uí, equos fieri adhinnientes. Expende Venereorum impetum, etiam in nefaria prorumpentẽ, imaginum perquietem uiſa in primis meticuloſa, uiſus lapſitantem incertitudinẽ, inſtabiles greſſus, externatam mentẽ ac planè inanem, qua ruere opinantur cælum, nutare ſolum, & in antiquum chaos omnia redire. Quam ibí turpitudinẽ non agnoſces? Immo quæ monſtra non reformidabis? Inde fit, ut mirer minus ſeptimo Politicorum Ariſtotelem ſcribere, Pueris & nutricibus uinum haudquaquam impertiendum. Sed ut ipſe interpretor, cuilibet ætati periculoſum uinum eſt. Nam & Auerrois ſuper Auicennæ Canticis in loci eius enarratione, non ita magnificiendum uini hauſtum nimium, parciſſimè id uidetur homini conceſſiſſe. Nam priores (inquit) iuuenibus minimè uini uſum permiſiſſe aduertuntur, quòd eius ætatis uigeat præcipuè calor. Parum uerò quiddam ſenibus conceſſere ac decrepitis. Hoc autem ita fuiſſe attemperatum ſcribit, ut eſſet aromatites, adiuncto mali punici acore, aut cydoneorum ſucco & cucumeris. At ſatietatem execratus omnẽ Galenus, adipe ac ſanguine præfocatus (inquit) animus, & planè adobrutus, cæleſte aliquid peruidere nequit. Vinum docuit Græcus auctor grauis, eſſe malorum omnium metropolin: nam & Ariſtophanes, ἀφροδίτης γάλα τὸν οἶνον nuncupat. Sed & Antiphanes,

τὸ δὲ ζῆν ἐπέ μοι τί ἐστι, τὸ πίνειν φημὶ ἐγώ.

id eſt, Dic inquit, uiuere quid eſt? bibere, opinor. Dictum & illud,

κάπροπλῆρον γὰρ ἕδους χαλκοῦς ἐς, οἶνος δὲ νοῦν.

Sed & illud, τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια.

Apud Xenophontẽ in Sympoſio de hac re ſic ſcriptum cõperi, ὥσπερ γὰρ ὄντι ὁ οἶνος ἄνδρων τὰς ψυχὰς, τὰς μὲν λύπας, ὥσπερ ὁ μανδραγόρας οὓς ἀνθρώπους ποιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει. Sed cur nam ſunt abſtemij nonnulli? an ſtomachi malæ conſtitutioni acceptum referri oportet, quæ calens cum ſiccitate contrariam aquæ requirit qualitatẽ? An adiuuat & ſtomachi debilior contextus, nocumentis uini calentis obnoxius: quia ſuapte uí, diſſecandi quodammodo poteſtatẽ uinum retinet? Suffragatur & cerebri oblæſio facilis, ac uini multum euaporantis ictus, ex utriuſq; partis ſympathia: quam tertio Interiorum comprobat Galenus.

Qua item ratione ætati cuilibet impertiendũ uinum. A cibo an bibendũ.

Facilius uini perfici nimietatẽ, quàm cibi. Vinum meracius uigilias con-

cinnare,memorabili exemplo pueri cuiuſdã.Pomatiũ uinum. Cap.xxix



Aeterum,quia in medicæ ſcientiæ auctorem nobilem incidimus, pergamus porrò attexere,quæ ex eadem ſchola ingerunt ſe nobis,& nomina dant quodammodo,ut citra uitæ diſpendium præteriri uix queant. Scribit ergo (ut Platonis interim decreta prætereantur) capite octauo,doctrinæ ſecundæ,ſen tertiæ primi Auicenna,Pueris uinum ſi offeras, perinde uideri ac ſi igni aggerere ignem perrexeris,materia præſertim debili ſuccenſa: ſenioribus uerò quantum pati queant,dandum:in iuuenibus ſeruari præcipuè temperamentum debet.Nam & Hieronymus, Vinum & adoleſcentia duplex incendium uoluptatis:quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? At ſi curioſior quiſpiam fortè horum exquirat rationem amuſsitatam,poſſumus equidẽ ſic ferè ratiocinari:Pueros inſigniter uini hauſtu oblædi, quòd laxis rariſq; ſint corporibus,& de inſiti caloris exſuperantia inflammari facilè ualeãt, neruis porrò imbecillibus admodum,nec cerebro item ualido: quibus de cauſis, in uini crebriore hauſtu multiplex ſeſe nocumentũ promit.Senum uerò, aduentitium eo recaleſcit frigus, ſpirituum exhilaratur triſtitia, bilis atræ uis reprimitur redundans, ſomni cõciliatur appetentia,præfarcti recluduntur meatus,renidet deniq; ætatis laſsitudo uniuerſa.Proinde in Sanitatis moderamine Galenus: Sicuti (inquit) pueris inimiciſsimũ cenſetur uinum, ita adultiori ætati accõmodum maximè: in iuuenibus, etiam ſi genuinus craſſatur calor ut in pueris,ſolidioribus tamen membris,neruis & cerebro læſioni obſiſtitur nauiter. Quæritur tamen à peritis, An uino incaleſcat corpus,ut calido medicamento? Reſpondet Conſtitutionum tertio Galenus,Non incaleſcere,niſi ut alimonia corpori accommoda:nam ſicut igni congruens materia incendium concipit maius, ita corporibus ſimile alimentum,quæ natura calent ſatis,& robur adijcit, & inſitum profert calorem,augetq;.Cibis utiq; omnibus affine hoc,uino autem proprium in primis, ab corpore celerius demutari,uti reſina,pix,ſtupa ignibus facilè reſoluuntur.In ijs tamen mirè euariat medica ſchola. Vinum à deo hominibus cõtributum Plato ſcribit, quaſi remedium aduerſus ſenectutem,ut redire ad iuuentutem uideantur,& mœſtitiæ eos capiat obliuio.A cibo, uini eſſe inſigne nocumentum, idem ſtatuit Auicenna, ob penetrandi celeritatem,& quòd inſimul imperfectum præcipitet cibum, qui retentus diu meatus præfarcit, unde inoriatur putredinis diſcrimen. Nec ſecus magnopere ſentit Galenus ſeptimo De ſanitatis ingenio: quanquam mox,uelut eblanditus, Qui ſitiunt (inquit) nec bibunt,ſine adiumento ſupplicium ferunt:tantum uerò ingerendũ,quantum ſiti reſtinguẽdæ uel mitigandæ par ſit.Ex eiſdem poſtremò ſcholis eſt, Vino ſi infarciaris,leuius id cenſeri multò,quàm ſi cibo:quoniam facilius delabatur id, ac reſoluatur,nec pariter offarciat, nec ingeſtabili onere ita ſtomachum premat. Inde ſcitum extat Hippocratis illud Sententiarum ſecundo: Potu repleri facilius eſſe, quàm cibo. Et à uino præfarctiones eſſe moderatas, ſanxit Galenus. Attamen non diſsimulandũ, ne inde anſam ſibi arripiant bibuli:perpetem ingurgitandi uini modum, multa (quod diximus) aduehere diſcrimina,& mortiferas concinnare ægritudines. Vinum ſiquidẽ meracius, etiam uigilias inducit,præcipuè ſi ſuapte fuerit natura calidũ aut peruetus, memorabili exemplo Pergameni pueri. Nam grammaticus quidam ſingulis diebus balneum petens, unum ex pueris ſecum ducebat, altero domi relicto qui rem familiarem ſeruaret,quæq; ad uictum forent neceſſaria, peruideret: at is uehementiore quandoq; deprehenſus ſiti,nec aquæ ſuppetente copia,uetus uinum largius perpotauit:quo factum,ut in reliquum euaſerit uigil: mox febre correptus, cum perpeti uigilia oborto delirio, deſiit hominem agere. Quamobrem quum ſit exceſſus omnis planè reclinandus, hunc uel præcipue remis uelisq; refugiſſe, ſummum fuerit operæpretium: ex quo non corpus modò oblæditur, uerum animo inſigne infertur item nocumentum: adeo ut ne adultis quidem citra noxam ingeratur, ni adhibitus fuerit modus:quãdo ad iram & libidines agit præcipites, ac rationis compotem uim hebetat obturbatq; gradu deiectam. Ad bilis tamen excrementa confert uel lenienda,uel reijcienda. Siccitatẽ quoq; uel laboribus inductam immodicis, uel ætatis prouenientem temperamẽto inſigniter

mitigat

mitigat. Bilis amaræ frangit acrimoniam: ſed hæc haud requirunt pueri. Verum & cor pore ſucculento, ualidoq́ (inquit Hieronymus) poculo libens carebo, in quo ueneni deliteſcit ſuſpicio: nam rectè dictum ueteribus eſt, Pinguis uenter mentem non gignit tenuem: ſeu mauis Græcè, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ φύτευε νόον. Scribit idem, Quicquid inebriat, & ſtatum euertit mentis, clerico uitandum ſimiliter ac uinum. quando uel ex frugibus uini proliciuntur ſimulachra, uel ex pomis quoq́, quod pomatium uocant: unde Virgilius,

Atq́ acidis imitantur uitea ſorbis.

Ebrietatis malum. Alexandri uinolentia, & M. Antonij. An uera ſit Hippocratis ſentẽtia, mulieres & eunuchos podagra nõ infeſtari. Ennij mors. Vindemialis lætitia. Samagonium uinũ. Hemina. Cirrhum uinũ, & uermiculum. Cap. xxx

EBrietatem, celeberrimi è noſtris auctoribus eſſe uoluntariam dixere inſaniam: ſed ita etiamnum, ut ſi in plures paulò extendatur dies habitus is, etiam manifeſtarius euadat furor. Mirum tamen eſt, quàm multi mortalium in hanc fœditatis (ut ſic dixerim) coloniam tranſcribẽdi paſſim nomina dent. Affluunt hinc inde agminatim nõ pullati ſolum ac ex triuio, ſed terrarum quoq́ principes: & quos non irruentes hoſtium numeroſi exercitus, nec uolantia tela, aut è machinis uaſta mole, & ruinis ſaxa propulſa excuſſáue contriuere, fœda uini deſideria deiecere in imum, & uelut captos iure belli ante triumphales currus duxere catenatos. Alexandrũ uaſtiſſima terrarum tranſmiſſa ſpatia, cum hoſte barbara feritate terribili tam numeroſa prælia, tot hyemes imbrium & frigoris horrore deformes ſub pellibus tranſactæ, tot locorum ac temporum inenarrabiles penè difficultates, tot fluminum ex ignotis promicantium uaſtitas, ac denicq́ tot tantorumq́ mariũ formidabilis, & procelloſa magnitudo, inuictum tamen, ac uelut deum humano in corpore hoſpitantem, ſeruarunt. Sed enim (mirum dictu) bibendi ardor infatigabilis, & Herculaneus ille ac fatalis Scyphus condidit. Hinc fœda maieſtatis eius ſugillatio, inter pocula amicos indignatione rapida & uinolenta tranſuerberantis. Nanq́ ita prorſum habet, Eruit omne uitiũ ebrietas, intendit, profert, ac conatibus deprauatis obluctantem obſiſtentemq́ uerecundiã intrudit, ut fronte attrita uel ultra uotum, inſolenti augeſcat ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido. Iam uerò M. Antonium alioqui magnum uirum & ingenij etiam eminentis, quæ res alia in perniciem coniecit, quàm ebrietatis malum? Hæc demum medicæ artis ſummum auctorem falſum fieri Hippocratem coegit, à quo Sententiarum ſexto, proditum ſcimus: Fœminis nec capillos defluere, nec pedes laborare, niſi menſtrua defecerint. Errorem manifeſtarium, in quem non fœminea natura mutata, ſed uitio deprauata & uicta medicæ ſcientiæ conditorẽ principem impegit, agnoſcit quoq́ interpretum eminentiſsimus Galenus: Nam uacuationis (inquit) ratione, mulieres podagra immunes ſunt. Etenim citra materiæ exſuperantiam, nunquã cõſiſtit podagra: quãquam partes pati & affici ampliter poſſunt. Cæterum & hoc loco monẽdum, ut olim uera & rata ſecta hæc, & præceptio Hippocratis fuerit, Non integrè ſuppreſsis mẽſtruis, ob incertiora errata, quæ relato æuo admittebant mulieres: at nunc, ob uitæ uſum laſciuiorẽ, atq́ efferueſcẽtis luxuriæ æſtum ciborumq́ cupedias illecebres, quædã podagra tentãtur ante, quàm ſubſtiterint menſes. Nil mirum igitur: nam (ut grauiſsimè inquit Seneca) quum uirorum licentiã æquarint, corporum quoq́ uirilium aſſequutæ incõmoda ſunt. Non minus peruigilant, non minus potant, & oleo & mero uiros prouocant: uinum omne uomitu remittunt, æquè niuem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis. Cæterum promit ſe indidem altera item Hippocratis coargutio, ſed qua uel præcipuè noſtros ipſe mores coarguit: Spadones (inquit) nec podagra laborãt, neq́ calui efficiuntur: ſiquidem ſpadones, dempti teſtes mulieribus reddunt perſimiles. Quippe tempeſtate illa, uera hæc fuiſſe, probabile fit: ſed mox non inſuper ratum fuit, ob inertiſsimam deſidiam & improbam ſatietatis laſciuiam. Quidam enim citra exercitationẽ, crudi temulentiq́ prius quàm cibum arripiant, generoſioris uini hauriunt pocula, & item Venerio fungũtur munere. Dignum

porrò ex annalium memoria relatu illud: Ennium, de quo est apud Silium Apollinis celebre uaticinium illis uersibus,

Hic canet illustri primus bella Itala uersu,
Attolletq; duces cælo.

articulari consumptum morbo, quem ex immodico uini usu contraxerat. Quam rem egregiè perdocet Serenus,

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc uitio tales fertur meruisse dolores.

Ab uino nec illud resilit multum, in uindemiæ festiua lætitia, multa in dominos iocularia, uel ipsis audientibus solita iactari. Id quod ab Heliogabalo compertum primò, produnt rerum conditores nonnulli. Scribit Paulus Diaconus, Tiberium Constantinum Cæsarem ritu imperatorio rus petijsse, ut uindemiali lætitiæ operam impertiretur diebus triginta. Vini Samagonij heminis tribus, etiam si dilutis, homines numero quadraginta ebrios fieri, pronuntiat Aristoteles. Hemina, libram appendit unam: quæ geminata, sextarium reddit. Historię auctor Athenæus. Vinum inter album nigrumq;, quod medium est, cirrhum uocant Græci: ex nostris, rubrum nonnulli: quidam etiam giluum, uulgus uermiculum: quãdo & far rutilum, Columella uermiculum dicit. Hieronymus porrò quod κόκκινον Græce legerat, uermiculum conuertit.

Ebrietatis item mala. Cur uinum hausturn copiosius, perimendi uim obtineat. Interim de cicuta paucula, bis. Crepala quid sit. Vinolentiæ turpitudo. Sicera quid. Artemisium. Ephemeron pro cicuta, cur dicamus.

Caput XXXI

NEc tamen ebrietatis sola hæc pernoscuntur mala, nam & illud scimus obueniisse quãdoq;, ut uinolentus aliquis obmutesceret repente, cõuulsusq; emoreretur, ni fortè obrepsisset febris: aut quum ad eam horam ueniisset, qua crepala soluitur, facultatem recepisset loquendi. Oppletis siquidem neruis spasmus superuenit, siue conuulsio. Solet autem eos facilè uinum replere, cui calida est natura: calida nanq; peruadunt celerius. Quòd si resiccentur nerui, incalescantq;, discutitur conuulsio, quod commoliri febris ualet. Porrò sciendum, à Græcis crepalas nuncupari, ubi temetum capiti detrimenta concinnat. Nam & inde uidetur nominis etymon duci, quòd caput iactetur uibreturq;. Nam crepala, capitis luctа fluctusq; & agitatio Græco intellectu ualet. Accidit extenuatis quoq;, ut si amplius se inuitarint, morte occumbant. Quippe uita calore constat, refrigeratione inoritur mors: ut uerò cicuta, sic & merum concinnat exitium, intimo ac genuino calore sensim flaccescente, ratione tamen impari. Calorem enim insita frigoris potentia, conuellit cicuta labefactatq; & humorem occallescere facit. Vinum autem caliditatis suæ, potestate, ex qua Græci ἄθοπα οἶνον dixere, quanquam ad colorem alij referunt, naturalem macerat calorem: ac uelut igne multo, aut sole ualidius grassante, adobruitur modicus ignis & exteritur, sic à uini facultate calente insitus corpori calor, si modò exsuperans ea sit, ac præpotens. Proinde uir sanctissimus & Christianæ ueritatis assertor nobilis: Sacrilegium (inquit) reputatur ebrietas, in fœmina præcipue, sed infinito plus in Domini sponsa. Verissimum propterea illud est, Ignem in gremio gestare, qui assiduò utatur uino, Ventris ingluuies & ebrietas, tam animæ infirmitatis, quàm corporis, causam & materiam tribuunt. Adnotatum & illud in Canonicis decretis est, Distinctione tricesimaquinta: Ministris templi uinum prohiberi, ac siceram bibere, ne ebrietate grauẽtur corda eorum, ut uigeat perpetuò sensus, & tenuis sit. Vel quia uenter mero æstuans, facile despumat in libidines. Vnde Noe femora ex ebrietate nudauit. Loth autem quem Sodoma non uicit, uina uicerunt. Hinc in Apostolorũ Canonibus, episcopus aut presbyter aut diaconus aleæ, atq; ebrietati deseruiens, aut desinat aut damnetur. Apostolus uerò ait, Bonum est, uinum non bibere, & carnes non comedere. Vinum enim cum carnibus post diluuium dedicatum est. Siceram uerò, qua dictione usi paulò antè sumus, esse conuenit Hebræo sermone potionem quamlibet, inebriari qua quis potest. Græci sic, πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην, μὴ ἐξ ἀμπέλου δὲ σκευαστὸν σημαίνει. Sunt qui uinum interpre-

interpretentur dulcibus promixtum, id eſt ἡδύσμασι συμμεμιγμένε οἴνου. Solon unus è ſeptem, morte principem eſſe mulctandum, lege ſanxit, ſi deprehenderetur ebrius. At ebrios Pittacus, quum peccarent, duplici dignos incommodo ſtatuit. Non tempero mihi, quin parte iſta ſeueriorem inferam Senecæ cenſuram: Hominibus (inquit) inter oleum & uinum occupatis ad uotum dies agitur, ſi bene deſudarunt. Si in locum eius quod effluxit, multum potionis alterius ieiuno gutture ingeſſerunt, bibere ac ſudare uita cardiaci eſt. Dixit Diphilus, luxu perditos ac uino madentes tria habere capita, ſicuti Artemiſium, id eſt Dianæ ſimulacrum: quamuis apud Macedonas Artemiſius dicatur Maius menſis. Quod autem de cicuta tranſeunter attigimus, illud opera parerga ſubnectamus: In Ceo inſula, ſicuti prodit Strabo, recepti eſſe moris, ut ſexagenarij bene poti, ac coronati, ſpectatibus neceſſarijs, re diuina confecta, cicutam hauriant, quam de mortis præceleri ratione, ſunt qui ephemeron uocẽt. De hac porrò Galenus in pragmatia περὶ ληθάργου ſic ſcribit, Cicutam eſſe ſturnis alimentum, homini autem uenenum.

A quibus medicis aut philoſophis admittatur quandoque ebrietas. Panaria ebrietas. Catonis dictum in Cæſarem. Cothoniſmus quid.

Caput XXXII

MIrari uero me plurimum fateor in uinolentiæ pragmatia iſta medicæ ſcientiæ peritorum in primis quorundam, non ſine cunctatione proferendam ſententiam: quippe primo Canonis ſcribit Auicenna, Malum eſſe utique frequentem ebrietatem, quòd hepatis inde ac cerebri uitietur conſtitutio, imbecilliores fiant nerui, unde tremor & conuulſio inoriatur, & paralyſis: ſed & apoplexia, obſtipatis ſpirituum animalium meatibus, humecta cerebri poteſtate auctius redundante. Cæterum (inquit) quibuſdam uiſum, ſi menſe bis aut ſemel modo admittatur ebrietas, inſigne ſentiri emolumentum, quòd ſomni profundioris ratione, uirtutibus animalibus alleuamentum inducatur, & quies: item proliciatur ſudor, ac quæ ſuperfluunt, reſoluantur. Adde, quod Almanſoris quarto Raſis duplicem in menſe comprobat etiamnum ebrietatem, cui in Canticis adijcere calculum agnoſcitur Auicenna, quanquam ſimplex ei arridet amplius: quam tamen illius interpres Auerrois egregiè improbat. Nam etiam ſi Galeni aſtipulatu, innato calori inſigniter congruit uinum, cuius ratione in eo ſtatuitur gradu, quem cum igne oleum habet, ac lumine: tamen utriuſque redundantia ſuperfluens utrunque adobruit ac reſtinguit. Auicennæ interpres alter bene doctus, & uelut exundans fluentum ſimplicem in menſe, uerum leuem modicamq́ uinolentiam ferri poſſe, ait, ut quæ corporibus haudquaquam ſit inutilis, quæq́ ingentibus poculis ingenium omne non ingurgitet. Sed & ſingularis philoſophus Plato liberaliorem aliquando uini uſum approbaſſe uidetur primo De legibus, ſic enim retegi facilius hominum mores putat. Quin Seneca quoque ille Stoico ſupercilio mirè grauis, Nonnunquam (inquit) & uſque ad ebrietatem ueniendũ, non ut mergat nos, ſed ut deprimat curas. Quòd ſi quis hilariore fronte Dionyſio nephalia prolibare, prorſum aſpernatur, ſuccinam mihi Euripidium illud de Venere, tralatum ad uinum,

ἔσῃς μοι μέτριος δὲ πῶς ἔσῃς, μηδ' ἀκρὰς ἔσῃς.

id eſt, Adſis quidem mihi, ſed temperatum moderatumq́, nec deſis. Ac medicæ ſcientiæ non poſtremus Athenienſis Mneſitheus ebrietatem abdicandam perpetuò cenſuit quidem, ſed laxat ipſe quoque habenas nonnihil, & ſtatis temporibus hilarius inuitat: idq́ de uaſis nomenclatura cothoniſmũ appellat, quod ſcribit Athenæus. Hic obiter illud adnectam: legiſſe me alicubi, panariam dici ebrietatem pro arrogantia licentiaq́, ut plurimum quę felicium aduertuntur comites. Cato Cæſarem dicebat ſobrium acceſsiſſe ad euertendam rempublicam. Id eſſe putat Quintilianus, ut propriè dictum, id eſt, quo nihil inueniri poſſit ſignificantius: cuiuſmodi & Virgilianum illud, deductum carmen & apud Horatium,

Acrem tubam Annibalemq́ dirum.

Scythæ cur in primis uinolenti. Libycæ feræ cur æstate nõ bibant. Sitis ratio duplex. Vinolentorum accidentia ad uidendi spectantia rationem. Sitis cur amplius uexet, quàm fames. Cap. XXXIII



St tamen & parte hac gentium discrimen aliquod, immo & ferarum. Scythas omnes, quod & robusti sint, ac habitu calidiore, uinosos esse constat: adeo ut quum ad meracius bibendum quem adhortamur, illud insusurrare sit moris, ut docuit Herodotus, ὡς ἀκύθιζε, id est scythissato. Inde uero id fieri coniectandum est, quoniam non calidi modò sunt, uerum & sicci, quando & uirilis habitus talis est. Puerili uero calori genuino humecta accedit facultas, proinde uini minus sunt appetentes. Auctor primo De simplicium pharmacorum potestate Galenus, cui suffragatur Alexãder, sitim duabus effici rationibus, ἢ ἐκ πολλῆς θερμότητος, ἢ ἐκ πολλῆς ξηρότητος ἐκβοσκησάσης τὰ ὑγρά, καθάπερ ἐπὶ τῶν ὑδροπικώντων. id est, uel ex caliditate multa, uel multa ariditate, humecta depascente, uelut in ijs qui ieiunarunt. Libycas tamen feras æstate nõ bibere, produnt auctores grauissimi, ubi præcipuè inardescere sitim, consentaneum est. Hyeme autem potui indulgere multum, quum diuersa cõtingere, omnino debuerint. Verum id esse in causa, compertum est, quòd in eo mundi situ per æstatem aquæ propémodũ nullæ sunt. Proinde illis non bibere, in consuetudine est. Hyeme autem scatentibus aquis, nõ ita. Transeunte uero in naturam consuetudine, si aliò transferantur, pristinum nihilo secius morem retinẽt. Orygem habet regio eadem perpetuò sitientem, ac ex natura loci carentem potu, quum mirabili modo ad sitientium ualeat remedia. Sunt autem saluberrimi liquoris hausta uesicæ, in eius repertæ corpore. Sitim denique non sentire traduntur, quibus sint ossa concreta, & sine medullis, sed nec sudorem emittere. Verum & uoluntate uicta quandoq; sitis est. Nam senecta quosdam caruisse potu, legimus. Quod mirum utiq; est, quando sitim patimur molestius, quàm famem: quippe insitus calor, unde accẽditur sitis, uexat amplius mordetq;, quàm siccitas qua inoritur fames, estq; actu potentior multo. Humidũ porro, uitæ asseritur pabulum: nam & cibi uim ac potus uino ingenitam tradunt, sic humectis refici animalia facilius. Inde traditur, siti esse nil πολυποθητότερον, id est quòd desideria magis accendat: propterea Homerum nuncupasse, αἰγὸν πολυδίψιον, quod est πολυπόθητον. & δίψαν dicitur de cupiditate quacunq;. Inter sapientum uero placita illud est, Crapulam facilius sentire, qui dilutiusculum bibunt, quàm qui merum ex toto. Nam temperatum uinum ob tenuitatem expeditius loca plura angustioraq; subit. Addendum uero quod & potionis meracæ hauritur minus. Priorem sententiam Auicenna comprobãte, secunda primi. Sed cur nam cuncta admodum uertiginosa, id est ἄγαν στρεφόμενα ingerere sese ebrijs uidentur? Fortè quoniam haustu meri uberiore exhalatio progignitur multa euaporãtis scandentisq; ad cerebrum spiritus, à quo uniuersum concutiatur cerebrum, ac circumuertatur. Vnde uertiginibus caligant, id est ἰλιγγιῶσι σκοτοδινιῶντες. Sed & succorum item plericq;, cerebro oppleto, affectionem inducunt, quam scotomaticã dicunt, id est tenebricã. Sed cur circumferri uidẽtur omnia, nec alio agitari motu? An quia quum uapores fumidi à uino resoluti ad cerebrum inscẽderint, ab eodem ad neruos reflectuntur opticos, & oculorũ pupillas, ex qua refractione contingit sub basi cerebri, & ante oculorum pupillas circuitionis motum quendam fieri, ut in aquis conuisitur fluentibus. Quum enim obicem offenderint, reiectę in ambitum motantur. Longinqua porrò minus uident ebrij, quia spiritus opticos præ alijs esse lucidiores oportet, ac subtiliores: nunc autem intemperantiore haustu retusi tenebriciq; euaserunt. Hinc Auerrois in Pragmatia de sensu & sensili, de uidendi potestate agens: id organum haudquaquam extendi in actum affirmat, ni in statu fuerit naturali, nulla prorsum re officiente aut interpellante. Implicari autem uidendi facultatem, diuersamq; fieri ex opticorum uarietate spirituum. Quandoque enim animalis spiritus, ut libro quarto De accidenti & morbo Galenus prodit, clarus est ac perspicuus, ut æther: interdum turbidus, perinde ac fumus & nebula: porrò idem uel copiosus est, aut modicus: si multus, lucidus, clarus, aspectui subijciuntur uel remotissima, cuiusmodi fere rapto uiuentium uisus agnoscitur.

Cur

Cur uinolentis dupla ſeſe oſtentent obiecta: curq́ ſtrabis natura id minus uſu uenire, compertum ſit. Lixiuium uinum. Chaliphron, chalis, chalamides, chalamiſſare. Herpis uinum cur, & protropon. Cap. XXXIIII

QVod uero dupla ſeſe uinolentis ingerant omnia uel ſatyrici carminis aſtipulatu, inde promi poſſe ratio uidetur, quòd humectationis exſuperantia molliculi plus minus effecti oculorum muſculi, ac contracti oculos diuertunt, ac diſtrahunt, altero in ſuperna cõtruſo, in imum altero deiecto. Proinde conſequi liquidò, non in eundem uelut ſcopũ radios collimare, quæ res duplam fieri uiſionem cogit, utroq; oculorum ſua apprehendente. Quod uſu item ueniet, ſi alterum digito oculum ſuppellas, reliquum detrudas, res nanq; eo habitu conjeminari perſpiciuntur. Sed enim qui dicuntur ἐκφύσεως στραβοί, hoc eſt natura ſtrabi, haud ita afficiuntur, diuerſo ſcilicet oculorũ ſitu, dextrorſum enim ijs intenditur acies, aut leuorſum. Radio nihilominus per rectam lineam in corpus unum collineante, propterea colorem unum & qualitatem unam ad oculos referri, obiectis reſumptis, quam rem uocant ἀνπίληψιν: nec diſparari ſeiungiue opticos neruos, contingit. Qui ab oculis ad anteriorem cerebri cellam directi, ut quibuſdam placet, interſecantur. Super qua re nos alibi plura. Chaliphrona eum dictitamus, qui uino deſipiat nimio: quippe chalis meracam indicat potionem, ab uerbo χαλάω, quod remittere ſignat, ac ſubijcere. Vtique & bacchas nouimus appellari chalamidas, ut quæ in coitu ſubmittãtur. Chalamiſſare, id eſt χαλαμάζειν, id agere eſt. Dicitur item uinum herpis, quia repant ferè uinolenti. Demum chalis & herpis, peculiaria ſunt Hipponacti uerba. Sed herpin & apud Lycophronem comperiſſe uideor. Vinum protropon dicitur Græcis, ac Plinio ſponte defluens, ante quàm calcentur uuæ, Latinè lixiuiũ uocatur, ab lixiuij ſimilitudine per colum deſtillantis, madente cinere.

Odoris ex uino præſtantia. Cuiuſmodi ſit uinum à medicis, aquoſi nuncupatione ſignatum: item oligophorum & polyphorũ uinoſumq́, necnon caroticum. Item uinum tenerum, ſeu lene, necnon durum aſperumq́ ac uinoſum. Præliganeum. Tortiuum circumcidaneum. Iumentis arboribusq́ dari ſolitum uinũ. Quod ſit poetæ uice equi. Lanã facile aſpergines combibere. Aſpergines quid. Embregmata. Embroche. Iuuenalis locus, Vinum quod ſuccida nollet lana pati. Cap. XXXV

DIgnum uero ſcitu, quod à rerum peritis traditur, uini odorem præ omnibus ſeligendum: quoniam ſpiritum excellenter nutriat exhalans odor è natura, tum egregie ac uelociter alente corpus, tum uoluptate ſenſus delinente: quo in genere eſſe uinum liquet, calidum præ cæteris, humidum quoq; ac odorum & clarum: ſiquidem uenenis obluctantia ferè cuncta, uitæ ſalutaria cenſentur admodum: nec id guſtu modo, ſed & odoratu. Inter quæ uinum in primis rectè adnumeraris: nam ſicut homini uenenum eſt cicuta, conſimiliter & cicutæ uinum, non ſimul quidem, ſed hauſtum mox. Sciendum uero, ſummos artis medicæ auctores uinum extuliſſe laudibus, quod primo Canonis Auicenna ſubtile nuncupat, albumq́: quippe nec capitis dolorem concinnare, ac inſigniter humectare. Proinde bilioſis congruere præſertim, ſanguineisq́: ira item, uel inſolatione, aut exercitio ſuccenſis. At perpenſione forſan nõ indignum cenſeat aliquis, cuius nam modi uinum eſſe id arbitremur. Aquoſum uero interpretantur eruditiores, quod (docente Galeno) colore ac ſubſtantia ſimilitudinem præfert aquæ. Diaphanum quippe uiſitur, lucidum, purum, ſubtile, & aquæ multæ impatiens præcipuè. Proinde ueteribus, & Galeno in primis Therapeutices ſexto, ac Hippocrati prius, nuncupatum oligophorum, ſeu ὀλιγοφόρον, id eſt (ſi permittimur) pauciferũ. Nam ediuerſo πολυφόρον dici adnotauimus multæ patiens aquæ: cuiuſmodi uinoſum fortè appellant medicorum ſcholæ, & philoſophus Iſaac. Id ualidius intelligunt, ſole incoctum, et uentis purius defecatiusq́ factum. Idem tamen philoſophus, aquoſum cenſet uitari uinũ oportere, ac debile auſteriũq́. Vinoſum, Hippocrates οἰνώδη appellauit. Eſt uinum item tenerũ rectè dictum: nam ἁπαλὸν uocant Græci: Cato autem, lene. Huic diuerſum aptè nũcuparis durum aſperumq́.

Apud

Apud eundem Catonem uinum ex uuis miſcellis, quod operarij bibant, præliganeum dicitur. Sed & mox paulò tortiuum muſtum circũcidaneum nominatur. Homerus certè conciliandæ beneuolentiæ dulce adhibuit,

ὡς φάτο, πὰρ δὲ μελίφρονα οἶνον ἔκιρνα.

Vinum autem uehemens, & (ut Plutarchi uerbo utamur) caroticũ, ſeu καρωτικόν, Cyclopi appoſuit Vlyſſes: at σύφοντα οἶνον ad medelã. Eiuſmodi uero pramniũ eſt, quod uulnerato datur Machaoni. Sic uero Plutarchus, caroticum nuncupat uinum, ut Dioſcorides papaueris ſuccum odore caroticum tradit. Et in libro De iuuamẽto anhelitus uocatas Galenus ſcribit, caroticas uenas in collo, quoniam in eis λαρὸν fiat, hoc eſt ſtupor, & quædam priuatio ſenſus, illis amplius compreſſis, quod antè cõmonuerat Ariſtoteles, & nos aliubi cõmeminimus. Illud mirum utiq; uel Homero auctore, uinum iumentis ſolitum dari: ſic enim Hector Iliados octauo equos alloquitur ſuos, Rependite (inquit) ſi Andromache

ὑμῖν πὰρ πρόσθ' ἔθηκεν μελίφρονα τυρὸν ἔβηκεν,
οἶνόν τ' ἐγκιρὰ καὶ πίειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Inde minus utiq; mirum irrepſiſſe illud quoq; ſemel corruptis moribus, ut arbores uina potare docerent quidam: quoniam ſit compertum, maximè id radicibus prodeſſe, præſertim platani. Scribunt nonnulli, Megarenſem Stilponem extremo deficientem ſenio, merum hauſiſſe prius, quo celerior cõtingeret obitus. Extat Græcum diſtichum de pernicie, quam ſæpicule concinnat uinum,

οἶνος καὶ τὰ λοετρὰ καὶ ἡ πρὸς λύπειν ὁρμὴ
ὀξυτέρη πέμπει τὸν ὁδὸν εἰς Ἀίδαν.

Ex eo autem profluxiſſe arbitror, ex parte illud Latinè concinnatum, quod balneis inſcriptum quandoq; legimus,

Balnea, uina, Venus corrumpunt corpora noſtra,
Sed uitam faciunt balnea, uina, Venus.

At Niceratus nobili Epigrammate uinum eſſe poetis, equi magni uice canit, quod & appoſui:

οἶνός τοι χαρίεντα μέγας πέλε ἵππος ἀοιδῶ,
ὕδατος δὲ πίνων καλόν τ' ἔπος ἔπος.
ταῦτ' ἔλεγεν Διόνυσε καὶ ἔπνεεν, οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
λειτὸν, ἀλλὰ πάντων ὠδωδὼς πίθος.
τοὶ γὰρ ὑπὸ στεφάνοις μέγας ἔβρυεν, ἔσχε δὲ λιστὸν
μέτωπον, ὥστορ καὶ σὺ λιπερὸκωμάζου.

Id eſt, Vinum eleganti magnus exiſtit equus poetæ: aquam bibens nõ ferè bonum producas carmen. Hæc dicebat, ó Dionyſi, & ſpirabat, non utrem unum Cratinus, ſed uniuerſa, quum olfactaſſet dolia, utiq; ſub coronis magnus ſcaturiebat, habebatq; frontem uti & tu, croceam hedera. Illud aduertendũ: eruditioribus obſeruatum, & indicat Dioſcorides, lanas facile aſpergines combibere, ac ſordium ſuarũ pinguedinem, quæ œſypus eſt, egregiè mollire. Sunt uero aſpergines, ſeu embregmata, uel embrochæ, quæ humentia corpori inſperguntur, & ne dilabantur mox, cum lana madente admouentur. Quo argumento ab Satyrico dictum poeta,

Vinum quod ſuccida nollet Lana pati.

In aſperginum quippe uſum uenire acetum, Dioſcorides ſcribit, oleum, uinum.

Vinum ſapores ſibi ex terra adoptare. De Arcadico uino mira. Explicatur Galenus. Ariſtotelis locus in integrum reſtituitur. Cur ex minutulis uuis meracius exprimatur uinum. Cap. XXXVI

SVnt tamen qui Demoſthenis argumento, quem abſtemiũ dictitant fuiſſe, uniuerſim qui non utantur uino, acrioris eſſe naturæ arbitrentur. Cæterum illud ſanè memoratu dignum, quòd nobis in aliena tranſeuntibus caſtra pro more ex Galeno compertum eſt, in libro De anhelitus iuuamine, Vinum ex terra ſibi admixta ſapores adoptare: ſiquidem alioqui uno genere eſſent locis omnibus & regionibus & uitium, & præterea arborum reliquarum ſucci. Nunc

Nunc uero ſingularum proprietates terrarum ad ſolis contemperatæ poteſtatem miram incocti ſaporis uarietatem uſibus ſuggerunt humanis. Sed & in regione quadam Galenus inquit, Vinum ad ignem utribus appenſum obdureſcit in ſalis modum, aqua euaporante. Vbi uero terrarũ ſita regio hæc habeatur, uel quo cenſeatur nomine, non explicat pluribus auctor hic. Mihi ex Ariſtotelis Meteororũ quarto liquet, Arcadiam eſſe eam, ubi uinum οὕτως inquit ἀναξηραίνεται ὑπὸ τοῦ καπνοῦ ἐν τοῖς ἀσκοῖς, ὥς τε ξυόμενον πίνεσθαι. id eſt, ita in utribus ſicceſcit ex fumo, ut abraſum & in minuties pertritũ ebibatur. Verum hac in parte diſpiciant eruditiores, moneo, interpretum deliramẽta, quibus philoſophi nobilis conuellitur ſententia, inuoluiturq́. Sed nec Albertus, etiam ſi Magni cognomentum ſibi aſciuit, quicquam doctis auribus & acri lotis aceto dignum profert: ni mendum eſſe exemplarium, conſtanter collibeat aſſerere: quod nec diſplicet. Craſſeſcit (inquit) fumo uinũ: itaque craſſum mox ebibitur. Senſu nullo, aut ſanè Siculis gerris uaniore. Neq; putet nos ſciolus aliquis aut naſutior, ſupra crepidam iudicare, in noſtra (ni fallor) harena uerſamur, pulchreq́ intra pelliculam continemur, dum uerborum proprietatem diſcerniculo grauiore rimati, eminentiſsimis auctoribus colaphum incuti, aut inſcitiæ labeculam allini, non patimur. Apud quos ſi confringas teſſeram, ad diobolarem recidas, & pullatum circulum. Id quod tralatitium eſt, homini præſertim in ſtudijs iam conſeneſcenti. Addamus hic illud non ingratum, opinor, ex minutioribus uuis meracius exprimi uinum, dilutiori ex grandioribus, quoniã gulonum ritu plus ſibi humoris aſciſcant hæ, quàm ualeant percoquere: quod in paruis non uſu uenit.

Quod ſit muſti ac uini interſtitium. Cur minus inebriemur muſto. Dulcedinem eſſe uelut ebrietatis antidotum. Vinum medium quod ſit. Oenogala. Cap. XXXVII

AT enim quia cœpimus, exſequamur latius, quæ uaria nobis de uino præterea lectio ſuggerit. Memorabile ſiquidem eſt, quod ex Plutarchi doctrina didicimus, Sympoſiacorum tertio, ſed & in Cœnis retulit Macrobius, ad uerbum ferè tralata ſententia: etiam ſi auctore præterito, quod ipſi haud ita frequenter facimus, ut ſciant legentes, me non mancipio tantum promittere, ſed iam nunc euictionem præſtare. Vini infantiam quæ prædulcis ſentiatur, mox dum in pubertatem abit, ſuauitatis induere proprietatẽ, cui rei calculum adiecerit Homerica item aſtipulatio, quæ melli dulcedinem contribuit, uino ſuauitatem. Inde conſequens ferè uidetur, ut quum dulce tantum ſit, inſita quadam horroris ui, ad ebrietatem uſque hauriendo progredi nõ ſinat. Suffragatur & ratio alia, quando ebrietatis antidotum dulcedinem habent medicæ ſcientię periti. Quippe quos uiderint nimio plus uinolentia grauatos, uel uſque ad Plutonis cancellos, uomitu quidem alleuari iubent prius, mox aduerſus euaporantis fumi ex uini reliquijs uim, panem melle litum uorari, uelut repercuſſu malo graſſanti medeatur dulcedo. Suffragari uidetur & illud, quòd quum flatus & aquæ miſcella poteſtate grauius habeatur muſtum, nutu ſuo celerius in inteſtina dilapſum, in locis ebrietati opportunis haud ita perſeuerat, ſed tranſmiſſum laxat. Ineſſe autem muſto aquam, argumento eſt, quum in uetuſtatem proficit, decrementa ſentit perſpicua, etiam ſi augeſcit bonitate. Adijciunt medicorum ſcientiſſimi, dulce uinum eſſe natura uiſcidum, & meatus, quos Græci poros, & uniuerſim ſcholæ nuncupant, offercire præſtipareq́. Proinde ex dulci potu non ferè quicquam in caput euaporare, uia præfarcta conſtipata' que. Quamobrem Hippocratis ſententiam comprobari, tertio Regiminis acutorum, ubi adnotatum eſt, Dulcem potum minus caput aggrauare quàm uinum, & mentem percutere minus. Porrò et dulcis uini ebrioſum dicimus neminem, quoniam dulce uinum ſaporem nullum obtinet uini proprium, ſed alienum reddit omnino. Proinde φιλόγλυκυς, οὐ φίλοινός ἐστι ὁ διακρατικός, id eſt dulcis rei, nõ uini auidus dicetur uerius, qui uini dulcis deſiderio tenetur. Non prætereundum parte hac Ariſtotelis decretum ex Meteoron quarto: Vinum (inquit) quod prædulce eſt, halitum emittit: pinguiuſculum enim eſt, ac eadem quæ oleum præſtat, quandoquidem à frigore non cogitur, etiam ſi uratur; nomine quidem uinum eſt, re autem

& opere

& opere non eſt: ſuccus enim uinoſus non eſt, ac propterea temulentiam minus affert, quod reliqua faciunt: quanquam altiorem halitum non emittit, ob id etiam flammam concipit & ædit. Vinum medium pro aqua, ueteribus uidetur accipi, quoniam uinum omne aut muſtum ſit aut uetus. Nam apud Mneſitheum ita ſcriptũ fuerat, Eſſe uini genera tria, nigrũ, album, medium, quod uocant λιῤῥόν, id eſt giluum. Nouum, uetus, medium: ac efficere nigrũ uires, album urinam, medium πέψιν, id eſt cõcoctionem. Rurſum nouum refrigerare, uetus calefacere, medium uero eſſe caninum prandium. Quod in Noctibus quoq; Atticis relatum comperias. Hinc ille in Plauti Caſſina ſenariolus, Adibo caninam cœnam, ſpero meliorem fore.

Oenogala, id eſt uinum lacteum apud Hippocratem in commentario De fœminarum incommodis, pro tepido accipiunt eruditiores. Prochyma, uocant nonnulli muſtum ſponte profluens ante q̃ calcentur uuæ. Id quod ſexto Rerum ruſticarum apud Græcos adnotatum comperias. In noſtris literis, ut antè paulò attigimus, muſtum lixiuium intelligitur, quod ante q̃ prælo uuæ premantur, in lacum fluxit: ſicut tortiuum, quod à preſſura prima, uinaceorum circumciſo pede, exprimitur. Oleum muſtum, id eſt gleucinum uocant, quòd prius quàm præculcentur oliuæ profluxit.

Quibus rationibus probet Albertus contra prædicta, Muſtũ amplius inebriare q̃ uinum. Muſti impetuoſius feruentis remediũ. Cap. XXXVIII

CAeterum hac in parte nõ uideor mihi rectè facturus, ſi Magni Alberti ſententiam, ueluti per incuriam trãſmiſero. Qui præter Plutarchi, & qui illius ueſtigia ſequitur, Macrobij doctrinam muſtum amplius aſtruit ebrietatem inducere, quàm uinum. Eius opinionẽ rationesq; pluribus paulò explicabimus, quoniam propoſito noſtro mirè congruunt. Muſto (inquit) duo inſunt calores, naturalis, & aduẽtitius, qui ex loco eſt, ubi creuit, ſolis ui immiſſus. Ineſt & terreſtris ſubſtantia permixta. Mouentur autem duo iſti calores in oppoſito, unus quidem terminando partes uini naturales, qui naturalis eſt: alter uero craſſitudinem diſſoluẽdo, ac heterogeneas partes diſparando, qui accidentalis eſt, innatus ei à loco. Deinde ex illis duorum motibus calorum componitur motus, quem muſti feruorem atq; ebullitionem uocant. Quoniam uero attenuantur partes ac diuiduntur, ideo in imum abeunt feces, partibus ignis, quæ accidentales ſunt, euolantibus. Quibus eductis, reſidet humidum aereum ſpiritaliter diſsipatũ per uinum. Quæ cauſa muſtum reddit ualde ſpumoſum ante quàm reſideat humectum id aereum, quo contingente conſtipantur uini partes mox per aeris frigus, unde euadit ſuaue uinum. Tunc enim globatur quodãmodo, coitq; genuinus calor, qui euolauerat prius cum igneis illis, & aduentitijs loci partibus. Ex ijs uero manifeſtum ferè fit, cur uino facilius inebriet muſtum, etiam ſi uinum calidius longè ſit, & in muſto terreſtres ſint portiones per eſſentiam frigidæ, quæ uino inſunt haudquaquam. Tamen quia uaporoſum eſt propter humidum ſpiritale aereumq;, minimè in eo coactum conſtipatumq;: & quia euaporat, calore duplici agente, quod in uino non fit, ebrietatem ſæpe inducit: nam quod uaporoſum fumidumq; eſt, præfarcit cerebri uias, & animales uirtutes præpedit ad motum & perceptionem. Quare ebrij quoq; incertæ ſunt diſcretionis & motus, obliuioſi item fiunt ex humectatione nimia, qua delentur imagines, prius quàm firmius imprimantur in parte, quæ memoriæ uim obtinet. Verum non prætereamus quod fuerit ſuperpondij loco, ſi extra modum efferueſcat muſtum, ita ut ferè diſſiliãt uaſa, remedio eſſe aiunt præſentiſsimo, ſi caſei multum terreſtris & poroſi, portiones inieceris. Nam illius frigiditate ſuccenſus ilicò feruor remittitur reſidetq;.

Frigoris ui muſtum diutius ſeruari dulce. Vino quandoq; uigilias induci. Trœzenij uini proprietas & Achaici. Monobaſites uinum, quod & maluaſium. Falernum uinum dici modò Græcum. Vini ſymphonię tres. Centenariæ cœnæ. Centuſsis lex. Centenariæ porticus aut miliariæ. Centenaria uaſa. Centeſimæ uſuræ cur dicantur. Vinum ſchedium. Vinum pendens, & doliare. Vinariorũ corpora quæ intelligantur. Militiam capi pro multitudine. Cap. XXXIX

Quærit



Værit Plutarchus in libro cui titulus eſt φυσικὰ ἀπίαι, quid nam ſit cauſæ, quòd circumuallata frigore dolia muſtum diutius ſeruent dulce. An eſt (inquit) quia muſti digeſtio eſt ἡ εἰς τὸ οἰνῶδες μεταβολή. hoc eſt, in uinoſum demutatio ac tranſitus? At concoctionem inhibet interpellatq; frigiditas. Eam nanq; perficit caliditas. An contrà potius dicendum, eſſe uuæ propriam ſucci dulcedinem: propterea dici eam matureſcere, ubi dulcis incoqui ſapor cœperit. Frigiditas uero euaporare difflareq; non ſinens, dulcedinem quoq; continet muſti. Succurrit porrò dum floſculos hinc inde præcerpimus: quod ex Galeni De interioribus commentario ſecũdo didicimus. Seruum quendam, quum uinum uetus largius ingurgitaſſet ex ſiti, factum inde eſſe ſemper uigilem, mox uero ſubeunte febre, & ſubſequuta alienatione, functum etiam fato. De hoc ſcio & alibi à me factam mentionem. Scribit Athenæus, Trœzenium uinum ſterilitatem inducere bibentibus, ſicut in Achaia abortum. Fuit in Laconia uinum Monobaſites dictum: id maluaſium dici uulgò, coniectant eruditi, eſſe tamen Creticum. Apud Tænarũ uel modò Monobaſiam agnoſcimus, undè uino conciliatum nomen, non tam quòd ibi naſcatur, quàm quia rectà illuc aduehatur ex Creta. Celeberrimum autem uel nunc Venetijs uulgò quoq; nuncupatur Achaicum uinum. Nam quod modò Græcum dicitur, Falernum fuiſſe ueteribus ſentiunt nõnulli. Poſtremò ſcitu dignum & illud: ſicut in muſicis aſtruunt canonici, hemiolium ſymphoniam conficere, quæ dicitur διὰ πέντε, hoc eſt per quinq;: diplaſium uero eam, quæ διὰ πασῶν, id eſt per omnes: at eam quæ uocetur διὰ τεσσάρων, id eſt per quatuor, epitrito conſtare. Cõpari modo & harmonici Dionyſiaci tres peruiderũt uini ſymphonias ad aquam, per quinque, per tria, per quatuor: ſic quidem concinentes, ἢ πέντε πίνειν ἢ τρία ἢ μὴ τέσσαρα, id eſt uel quinq; bibere uel tria aut ne quatuor. Hemiolia nanq; cõſurgit ratio, ubi duæ ſunt uini partes, aquæ tres: diplaſia uero admixtis duabus: epitriti ratio eſt, cum tribus aquæ partibus una infunditur uini. Quæ ſanè in potu frugalitas centenarijs peraccommoda Romanorũ cœnis agnoſcitur: in quas ultra centum æra inſumpſiſſe, fraudi erat: quod Septimius Florens ſcribit, ex lege quam Lucilius, naſum ſtili qui cõdidit primus, lepidè prorſum centuſſem nuncupauit. At porticus centenariæ, à paſſuum numero uidentur dictæ, ſicuti miliariæ quoq; apud Trãquillum. Nam quod miliarios legimus apros apud Varronem, intellige nimirum ponderis rationem: ſicuti in centenarijs uaſis apud Lampridiũ, cuius etiam uerba duxi ſubſcribenda, ut iam nunc refractarios declinem: Primus (inquit) Heliogabalus menſas, deinde & capſas argenteas habuit: primus etiam cacabos, uaſa deinde centenaria, argentea, ſculpta, & nõnulla ſchematibus libidinoſiſſimis inquinata. Centeſimas uſuras intelligũt eruditiores, ubi duodecim uſuræ nomine centenario accedunt: quoniam menſe centeſimo ſortem aſſequitur fœnus. Quod ex Sidonij Apollinaris libro tertio dilucet: nam centeſimus in menſem nummus fœnoris nomine æſtimabatur. Centeſimas uſuras, omnium uidetur intellexiſſe minimas Cæcilius Epiſtolarum octauo: Proinde (inquit) epiſtolas mitte, appoſitis uſuris quas ego non poſſum parcius, centeſimas computabo. Vinũ dici ſchedium, in Græcis adnotatum auctoribus eſt. Id ſunt qui intelligant quodcunq;, ac uile, uel Aegyptium quoq;, quia ſit Aegypti ciuitas Schedia prope Cheræum. At Demetrius ita nuncupari Corcyræum putat. Eſt autem concretius quod in libro De diæta ſcribit Agathocles. Vinum pendens eius interſtitione dicitur, quod doliare uocant. Vinariorum corpora, pro collegijs ſcitè accipit in Alexandro Cæſare Lampridius: Vinariorum (inquit) corpora conſtituit, ac lupinariorũ & caligariorum & omnium artium. Qua in parte ſcitu dignũ: ſcriptores haud ita ueteres pro collegijs & multitudine qualibet tum rerum tum hominum, militiam uſurpaſſe. Id quod municipes mei (ut ſic dicam) uulgò item non neſciunt. Lego Collectaneorum quinto ad rem ruſticam pertinentium, apud Græcos, eſſe uitium pulcherrimam quæ dicatur merſites, & ſit Bithynia, unde fiat uinum dendrogalenum: ſicut alibi regione eadem habebatur παφλωνὸν, id eſt Tiarenum. Nam in Tio Paphlagoniæ, Tianon eſt: quod Florentinus in Georgicis ſcribit. Cæterum, quia liber hic iam extumuiſſe uidetur commodè, uelut me uocet Pythagoras, uerbum non amplius addam: nam uetus eſt ac bracteatum, Eſſe præſtantiſſimum, in re qualibet nouiſſe, quid ſit ſatis.

LODOVICI CAELII RHODIGINI IN ANTIQVARVM lectionum libros, ad illustrem philosophum & medicum Nicolaum Genuensem, Patauinum ciuem, Præfatio nona & uicesima.



Icuti operæ forsan leuioris, Antiquarum lectionum libellos auspicaturis artium bonarum studiosos uniuersim præfatione destinata, obseruanter consalutare: ac etiam nobis aduersum nasutulos parare uelut patronos, haud ab re est uisum: ita & manum iam impacturus postremam, fœcundissimum undecũq; ingenium tuum Nicolae uir clarissime, appellando, facturum me operæpretium sum arbitratus. Quod scientię magnitudine tum physica tum medica, ut interim Atticæ facundiæ claritatem, & in hisce humanioribus studijs peritiam non memorem eminẽtissimam, huic lucubrationi nostræ, quam nimio plus intumescentem bifariam (ut aliàs ferè) distribuimus: uelut anchora es futurus sacra, uel triariorum denique uice, quos in militari disciplina exercitatissimos, ac (quod sequens est) peritissimos ultimo distribui loco in acie à solertis ingenij imperatoribus, notissimum ex historia est: qui accisas paulominus res integri ipsi ac uegeti & animo & corpore in hostem magno impetu coorientes restituerent, ac dilapsos ordines reuocarent ad signa. Hoc nos consilio, uir memoratissime, in hunc te locum distulimus, qui numerosa uirtutũ serie dignus planè fueras qui uestibula teneres, clarissimis ingenij tui facibus, & eloquentiæ lumine, ac morum (ut uerè dicam) maiestate propha num ab ingressu sciolorũ uulgus grauiter reiecturus. Nec, quæ tua est in omnibus animi æquitas, & inconcussa mentis altitudo propemodum diuinæ, in primis uero in me beneuolentia (neq; enim, opinor, tibi excidimus) nostrum hoc consilium aspernabere. Siquidem animo conceptum candidissimo, candide prorsus in candidissimum amicitiæ æstimatorem promitur obseruate amanterq;. Cognitissimũ porrò tibi rerum scientissimo, quæ quantaq; in hominibus interdum egerminet prauitas, qui lingua prurientes nimis quàm licenter in alienam irruere famam nulla non hora permittũt sibi: etiam si sæpe uelut alba deprehenduntur linea, & ab Mineruæ quinquatribus naturæ decreto summoti, ac prorsum cærite cæra digni, ut est apud Horatium. Nec re notitiam aucupati magnopere alia, quàm dicacitate ac linguæ uirulentia, planè ad uenena natæ, dum pestilenti spiritu optimum quenq; afflatum uolunt, ne occipitio quidem expecta to: quanquam ὦν τῇ πορφύρᾳ πίθηκοι καὶ ὦν τῇ λεοντῇ ὄνοι, aut uerius ἀκαρνάνιοι χοῖροι, à qua fœditate quum uitæ tuæ probitas absit ex diametro, uel δὶς ἑπτὰ πασῶν, ad te nunc commode prorsum decurrimus: qui echie nocentiores, ac satyrico plurimum felle conspersos tuarum antidotis uirtutum reprimas, ac omnino diluas ita, ut impetus letifer aliàs, euanescat uniuersus, nulla non parte optima quæq; conuellens præcipuè, ac semper ὠμοῦ λειμύ. Sic enim fiet, ut dolenter agnoscant forsan, non debuisse τὰ τῶν τῶν καμηλείναν κινεῖν. Sed & quæ tua magnitudo est, si excepturũ te modò assultantem uim commonstraris, ni me amor fallit, ac πρὸς τὸ φιλόμυθον ἑλιτυφλοῖ prorsum, ab impostura resilient compauidi palantesq; succinent sibi, τείτῳ οὔτῳ ἡρακλῆς. Quod reliquum est, Nicolae doctissime, si quæ è speculationum altitudine dantur feriæ, peruelim altero saltem oculo, uel ῥᾳθυμώτορον, hasce Commentationes nostras respicias quandoq; sed ita, ne uirgulæ Aristarchi parcendum censeas, ut tanta commonitus censura stilum uertere condiscam, scripturus mox, quæ digna legi sint. Nec columnas parem structiles, sed marmoreas planè: uti omnia item ad normam respondeant, seu quadram & libellam perpendiculum' ue. Hoc nil facere gratius potes, nec quod grauissimo iudicio tuo amplius congruat. Præsertim quia uel hoc nomine gratias testatura tibi posteritas est: cuius emolumentis, etiam si in amplitudinis fastigio constitutus, suffragiũ nec subducere sustinueris. Quod si consequor, id est si per medicas ac literarias districtiones licuerit (neq; enim aliter amicorum apud te fiat ἀλαοσκοπιὴ) erit quod tantæ benignitati debeam καὶ μέχει θεῶν. At si diuinitus cõtingat, uti nostra hæc typis conformata nuper approbentur tibi undecunq; scientissimo, nec uidear parte ulla subsultare, aut ὥσπερ τὰ ἐσλαμμία πηδήσαι, sublimi feriam sydera uertice. Vale.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI NONVS ET VICESIMVS

Cuiuſmodi cenſeatur illud à Quintiliano repetitum, In triclinio choa. Inibi quid choeus & choa ac choes. De cotyla item paucula. Choicum quid. Heminæ modulus. Phagonis exemplum mirum. Bonoſi bibuli hiſtoria. Cap. I

EXTAT apud Quintilianum obſcurior nodus libro nono ita Cimmeriis obſeptus circumuallatusq; tenebris, ut à quo planè ſit intellectus explicatusq;, necdum compererim. Fabij uerba ſunt hæc: Allegoria (inquit) obſcuriore, quæ ænigma dicitur, poetæ utuntur, ſed & oratores nonnunquam. Vt Cæcilius quadrantariam Clytemneſtram, & in triclinio Choam (ſic enim ſcribo) & in cubiculo nolam. Quod autem primo & ultimo loco poſitum eſt, alia operis parte abundè (opinor) illuſtrauimus. De Choa in triclinio ſupererat, ut noſtram proferremus ſententiam, quam peropportunè huic potiſſimum loco impingemus: quoniam præcedenti commentario pleraq; de uino & uinolentis dictauimus, uti noſtra paruitas tulit. Et ænigma hoc in bibacem cõcinnatum arbitramur, cuius in hauriendo auiditas uel ſpiritu uno choam perſiccaret. Quod uero aſtruitur, ex Ariſtophane conijcimus. Apud quem in Nebulis Strepſiades Daniſtam eludens, quum dixiſſet,

ἁλσὶ δεδασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί.

id eſt, ſale perpurgatus iuuaretur utiq; hic. Infert mox,

ἓξ χοᾶς χωρήσεται. id eſt, ſex capiet choas. Eum uero locum exponens interpres: Subſannat (inquit) denuo uel ut in amphora & uino. Nam ſuprà, quum illud de ſale enarraret: Coria (inquit) pinguedine craſſiora, ſale mollita latiora fiunt, & proinde capaciora. Veluti ergo Daniſta eſſet uter, aut id genus quippiam, dixit illum Strepſiades choas ſex cõtenturum, ſi ſale permolliretur. Pergit porrò idem interpres: Choeus, inquit, menſuræ ſpecies eſt, qua uinum menſurant. Et uinario certamine ab Alexandro quandoq; propoſito, Plutarchus ſcribit: Promachum choas perſiccaſſe quatuor, uictoremq; triduo pòſt mortuum. Et Milo apud Athenæum carnis minas uiginti uorabat, totidem panis, uini choas tres hauriebat. Apud Ariſtophanem ſi circumflectitur, ut χοᾶς ſcribamus, à recto eſt choeus, per poeticam licentiam: ſi uero grauatur, eſt à nominatiuo χοή. Ariſtophanes in fabula, cui titulus ἱππεῖς,

ἀλλ' ἐξένεγκέ μοι ταχέως οἶνου χοᾶ,
τοῦ νοῦν ἵν' ἀρδέσω, καὶ λέγω τι δεξιόν.

Inibi rurſum teſtatur grãmaticus, menſuram hanc, cotylarum octo eſſe capacem. Poetæ uerba Latinè tralata ſic fermè ſonant: Sed age, choeum uini ſtatim effer mihi, ut mentem rigem & commodi promam quippiam. Apud Heſychium χόες dicuntur χῶναι, id eſt infundibula. Choicum Græci pro terreno accipiunt, Suda interprete. Vtitur eo uerbo in Ruffinum Hieronymus, Perire choicum & naſci ſupercæleſtem. Sunt qui uelut χοϊκὸν dici augurentur, quaſi puluereum. Chorícus uero ruſticum indicat planè. Chloe, Cereris eſt cognomentum apud Pauſaniam. De cotyla, ſi quis & illud fortè requirat: ita inuenimus apud Priſcianum, ſiue is fuerit Rhennius Fannius, uti doctioribus placet:

At cotylas quas (ſi placeat) dixiſſe licebit
Heminas recipit geminas ſextarius unus,
Qui quater aſſumptus fit Graio nomine chœnix,
Adde duos, chus fit uulgò qui eſt congius idem,
A quo ſextarij nomen feciſſe priores
Crediderim.

Hemina libram unam capit, duas ſeſtarius, Romanas dico duodenarias. Sunt qui ita ſtatuant: heminam pendere uncias decem, ſeſtarium uiginti, congium libras decem, urnam quadraginta, amphoram octuaginta, culeum mille ac ſexcentas. Choæ meminit Galenus primo De uirtutibus naturalibus. Sciendum uero à Theodoro choam dici ſeſtarium Latinè, à Plinio etiam congium quandoq́, ſed & ſeſtarium. Fuit & feſtum Athenis nomine choes, quod antheſterionis, Nouembrem quem interpretantur, duodecima celebrabatur die, in Lenæi Dionyſii honorem. Auctor Apollodorus eſt, anthe ſteria uniuerſim quidem uocari feſta Bacchi, priuatim uero pithœgia. Erant & choæ mortuorum libamina, quibus pretioſiſſima quæq́ infundebãt & cariſſima. Sophocles, πρῶτον μὲν ἱερὰς δὴ ἀναῤῥύτου χοὰς.

Inditum ab infuſione nomen. Feſti, quod choes uocari diximus, meminit Demoſthenes ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος. Choas uero etiam chytras, id eſt ollas interpretatur Harpocratio: ſed ut ad Quintilianũ reuertamur, ut (uelut prætexuimus) recte intelligi ænigmaticum illud de choa in triclinio poſſit, argumentis ducimur pluribus. Nam & Mediolanenſem Nouellum Torquatum Tricongij cognomen ſibi adoptaſſe, Plinius ſcribit, à tribus uini congijs uno impetu epotis. Et nos aliubi hoc opere adnotauimus, Diotimum Athenienſem cognominatum Chonem, id eſt infundibulum: quoniam ori eo appoſito, inceſſanter infuſum hauriret uinum. Nam & Aureliani tempeſtate celebratum phagonem nouimus, qui die uno aprum abſumeret integrum, panes centum, uerueuecem inſuper, ac porcellum. Bibit autem infundibulo ori appoſito, plus orca. At ex bibacitate Xenarchus item Rhodius metretes eſt nuncupatus. Diu porrò in triclinio uerſari uoracis cenſetur hominis & bibuli. Liquet id M. Tullij auctoritate ex libro De oratore (ni fallor) ſecũdo: Apud quem ille ait, Quando tandem Galba de triclinio tuo exibis? Quum tu (inquit) de cubiculo alieno. Cæterum quo pacto Ariſtophaniũ illud Sudas interpretetur, Sex capiet choas: qui ſcire cupit, librum adeat. Nobis quod dicitur, ἓξ πλοῦται, hæc attigiſſe ſatis ſuperq́ uiſum. Quod ad bibulos attinet, exemplum inſigne prætereundum non eſt: Bonoſus minutulus Romanorũ tyrannus, bibit quantum nemo alius. Inde ſcitum Aureliani dicterium: Non ut uiueret, illum eſſe natum, ſed ut biberet. Id extra omnem admirationis captum, quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus erat ac ſobrius: addo etiam, Vino nunq́ non prudentior. Amplius, quantũ hauſiſſet, reddebat ueſica ad æquilibrium. Nec pectus unquam, aut uenter, uel pars alia ex humoris ingeſti nimietate affecta eſt. Hunc ubi ad laqueum coegiſſet Probus Imperator, iactatum militari ioco, Amphoram pendere, non hominem.

Exercitum ex diuerſis ac diſſonis conflare gentibus q̃ periculoſum: itemq́ de prouerbio, iniice. Caput II

EXercitum ex uarijs diuerſisq́ hominum generibus conflare, ſunt qui ut recte prudenterq́ factum, approbent plurimum: quando nec conſpirare inter ſe facile tam diſſona moribus & lingua gens poſſit. Porrò & mandatis ducum facilius obtemperent uniuerſi. At contrà, ſi quando tumultus aut ſeditio oriatur: tunc neq́ mulcere quenquam, nec alicui modum imponere licet. Gens ignara cum impetu fertur, ubi ſemel ad iram uentum eſt, more ferarum continuè magis crudeſcit, nec ullus eſt fæuitiæ modus. Propterea ſummi uidetur diſcriminis, ueluti ex colluuione quadam, copias comparare. Suppetunt in id ex hiſtoria exempla cõpluſcula. Nunc ad manum eſt, quod eueniſſe Carthaginienſibus lectum eſt, quibus plurimus fuit mos, peregrino uti milite. Primo Punico bello in caſtris erant Hiſpani, Galli, Ligures, Baleares, Græci, Aphri, fugitiuorum & transfugarum ingens numerus. Mox finito bello, quum tumultuari exercitus cœpiſſet, nec regi poſſet, iræ, impetus, furoris omnia plena erant. Tandem raptis armis per indignationem, contempto Annone & cæteris ducibus, Carthaginem uerſus profecti, apud oppidum Tunes, quindecim millibus paſſuũ à Carthagine caſtra locant, petentes non debita modò ſibi ſtipendia, ſed etiam interfectorum in prælijs equorum ſibi pretia exſolui. Neq́ ijs contenti, multorum annorum frumentum deberi aſſerebant: denicq́ quotidie noui aliquid, quo bellum mouerent, reperiebant. Erat in exercitu Campanus quidam, qui paulò ante

antè ſeruus ex Sicilia à Romanis transfugerat, uiribus corporis atque audacia in rebus bellicis præcipuè inſignis, nomine Spendius. Hic metuens, ne ſi fœdus cum Carthaginienſibus fieret, in domini poteſtatem ueniret, ac ex legibus pœnas lueret, ſumma audacia, uerbis ac re ipſa quæcunq; moliri, quo omnia magis perturbarentur, ſeditionem quàm fœdus, bellum quàm pacem præoptare. Præterea etiam Apher quidam nomine Matho, qui liber quidem erat, ſed quòd multa ſeditioſe feciſſet, ſuppliciũ formidabat. Hic quum Aphrorum multitudinem amplius concitaſſet, extemplo omnes in concionem deliberandi cauſa uenere, ubi Spendio ac Mathone in Carthaginiẽſes uehementius inuectis, omnes facillimè aures præſtabant. Quòd ſi quis præterea aliter conſulere niteretur, non expectabant, idem'ne quod Spendius an diuerſum ſentiret, intelligere, ſed confeſtim coniectis in eum lapidibus, interficiebant, multiq; non ſolum duces ad eum modum, uerum etiam priuati homines cæſi. Nihilq; aliud in tanto tumultu per totum exercitũ audiebatur q̃ uerbum Inijce, inijce, pariter omnes clamabant: eoq; magis eorum animus ſæuiebat, quòd paulò antè ebrij à cœna ſurrexerant. Ex hiſtoria igitur, quam copioſius explicare de Polybij theſauris collibuit, nata eſt uox ſanguinaria, & feritatis barbaræ: quæ imagine prouerbij quadam optimè in eos congruet, qui moribus truculentis ac efferatis cruorem ſitientes, cædem imperant quàm primum.

Quæ ſit prouerbij origo, Non ſi te ruperis. Theocritus explicatur. Cap. III

DNeſt perſæpe homini parum perſpicaci, parumq; rerum perito, tanta animi caligo ac cæcitas, ut ſui oblitus, nec domeſticæ genuinæq; humilitatis memor magna affectet nomina, inſeratq; ſe argutis cygnis anſer obſtreperus. In id genus homines, intra pelliculam minus ſe continentes congruet appoſitiſſimè prouerbium, quod de ranũculi negotio natum, ad uſum uſq; uitæ proficit. Scita enim fabella eſt, perrexiſſe olim peringentem taurum ad aquas reſtinguendæ ſitis gratia. Erat ibi fortè ranarum, ut aſſolet, plurimum. Dum uero auidius bellua ſe aquis inſerit, ranunculos ibi attriuit aliquot. Re autem adeo tetra & formidoloſa perterritus unus confeſtim mandat fugæ præſidium, & ſedulitate mira, quantam in id genus cadere probabile eſt, peruenit ad matrem, narrat fratrum miſerabile exitiũ, ut à ſtaturoſo neſcio quo forent immaniter exculcati. At illa nimis inſcita, nimisq; exoculata, ut quæ filio aliqua uolebat uideri, tumeſcere amplius cœpit, ac flatu modò magnitudinem captare, rogans, ecquid tanta foret pernicialis bellua? Cui is, Multo maior, inquit: illa etiamnum inflari plus, ac ſubinde cœpit, cupiens omnino magnitudinem uiſam exhibere filio. At is fruſtra conari illam animaduertens, Non ſi te ruperis (inquit) par unquam futura es. Id prouerbij formam habet. Meminit Theocritus Idyllio, quod inſcribitur Bucoliaſtæ, Daphnis & Menalcas,

οὔ ποτε νικασεῖς μὲ οὐδ' ἐὰ πάσαις τύγ' ἀείδων.

quod eſt, ἐὰ διαῤῥαγέης. Ad horum uero hominum tumorem reprimendum, & inſtruendam leuitatem nimio plus ſe efferentem, Ariſtophanio antipharmaco nil commodius, quod eſt τὰ σιλύτη βλέπειν, ſcuticam aſpicere. Malo ſiquidem ſubigendi edocendiq;, ne quid ſupra crepidam, aut extra quàm ſunt, tollant cornua, illisq; ſurgant criſtæ: quoniam ut Horatius quoq; cenſoria quadam grauitate, ac ſupercilio planè ſenili, nos commonet:

Metiri ſe quenque ſuo modulo ac pede, uerum eſt. Nam & Pindarus,

χρὴ δὲ κατ' αὐχὲν' ἀεὶ πανὸς ἑρᾶν μέτρον.

Pro conditione quenq; oportet rerum ſemper modum cõcipere. Cæterum nimio plures quandoq; Sophocles, nimio plures Laodiceni, ut eſt apud Plinium Cæcilium.

Diuitum liberalium domos dici, ſolis menſam. Quæ ſit eius rei ratio. De ſolis ortu. Apollo unde dicatur. Item de ſolſtitiali herba & morbo. Plautus declaratur. Siriaſis quid. Ardores capitis in Plinio qui intellegendi. Cap. IIII

DIuitum opulentorumq; hominum domos omni rerum copia ubertim affluentes expoſitasq; inopum neceſſitatibus & alimentis, qui unus diuitiarum modus plauſu, ac feſta fronde dignus prorſum & uidetur & eſt, rectiſſimè ſolis menſam dixeris. Quod ex hiſtoria profluxit adagium, ſcribit hiſtoriæ pa-

rens Herodotus: in Aethiopia pratum esse omnium quadrupedum carne refertum, Eam uero carnem magistratus illic per noctem ponere festinabãt. Vbi uero illuxisset, cuilibet licebat illuc ad uescendum accedere, indigenis existimantibus, copiam epularum diuinitus suppeditari. Hanc solis mensam nuncuparunt, ad quam inspiciendam olim Cambyses legatos dimisit in Aethiopiam. Hanc Hieronymus famosissimam dicit. Apud Melam Pomponium de hac re ita legimus. Est locus in Aethiopia paratis semper epulis refertus. Et quia ut libet, uesci uolentibus licet, ἡλίου τραπεζαν uocant. Edulia passim apposita sunt, quæ affirmant innasci subinde diuinitus. Ad eandem ferè sententiam & in Polyhistore Iulius Solinus. Nec mirum porrò, solis mensam nuncupari locum eum, quoniam plerisq; gentibus numẽ id erat eximiæ religionis. Legimus in quadam Indorum urbe templum fuisse Solis, in quo suspensus erat Aiax eburneus & Alexandri aureæ statuæ, ex aduerso autem regis Pori statua ex ære nigro. Parietes uero templi rubris marmoribus, ignis fulgorem imitantibus obcrustati uisebantur, quibus congruè interpositum aurum radiantis fulminis nitorem referebat. Pauimentum mixtis cemento margaritis stratum: quod barbarorum plerisq; in templis seruant. Soli sacra circa meridiem obijsse quosdam, obseruauimus. Et quoniam in præcedentibus haud parum multa de sole congessimus, quæ multijuga nobis suggerebat lectio, nunc illud ueluti appendicem adijciemus, quæ de syderis eiusdem ortu senserit antiquitas. Inuenio siquidem in literis, & Mela Pomponius non prætermisit: ex summo quorundam montium uertice speculantibus penè media nocte, sparsos uideri ignes passim micare, & ut lux appropinquat, ita coire, ac se coniungere, donec magis magisq; collecti pauciores subinde, ac una ad postremum flamma ardeant. Ea quum diu clara, & incendio similis effulsit: cogit se, ac rotundat, & fit ingens globus, diuis quoq; grandis, & terris adnexus apparet. Deinde paulatim decrescens, & quanto decrescit magis, eo clarior est, fugatq; nouissimè noctem, & quum die iam sol factus attollitur. Ex hac sententia uidetur Speusippus adcredidisse, dici Apollinem, quòd eius substantia ex multis constet ignibus. Sunt ex eruditis, qui opinentur Claudianum ad eandem subobscurè historiam alluisse,

Inualidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce grauem, nec pubescentibus altè
Cristatum radijs: primo clementior æuo
Fingitur, & tenerum uagitu despuit ignem.

Cæterum prius quàm huic parti umbilicum admoueamus, illud non inscitũ (opinor) adnectamus, solstitialem breuis uitæ dici à Plauto epitheto concinno, sic enim in Pseudolo scriptum inuenias,

Quasi solstitialis herba, paulisper fui,
Repente exortus sum, repentino occidi.

Columella solstitialem uocat spinam Rei rusticæ libro secundo, uel quia solstitio proueniat, uel floreat, ut putant. Heliotropium quidem & lupinum cum sole circũagi, Plinius scribit: sed heliotropium nocte cæruleos contrahere flores, syderis desiderio. Ad quod Plautum respicere, suspicabitur aliquis, ni probabilius fortè sit, Plautum uniuersim herbas intellexisse uel flores, uno tantum perseuerantes die, aut spatio prorsum minimo: quoniam & solstitium unius tantum diei est, sole uidelicet Cancri obtinente partem primam. Plinius libro quartodecimo: Acinorum (inquit) labruscæ pars æstu moritur prius, & reliqui, qui solstitiales uocantur, uniuersi nunquam maturescunt. Est apud eundem Plautum in Trinummo solstitialis morbus. Plauti uersus hi sunt,

Tum autem Syrorum, genus quod patientissimum,
Hominum nemo extat, qui ibi sex menses uixerit:
Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.

Solstitialem uero intelligunt ægritudinem, quam siriasin uocant, quando nimia solari exustione, quæ prouenit in primis, quum astrum Sirium diuexat sol, carbunculantur arbores, & intermoriuntur: Proprium (inquit Plinius) syderationis est, sub ortu canis siccitatum uapor, quum insitæ ac nouellæ arbores moriuntur. Siriasin Plinius nunc distillationem

ſtillationem infantium interpretatur, nūc aduſtionem, quæ cauma item dicitur. Sed in hac ſolſtitiale uidetur pro ſolari poſitum ſimpliciter, ſicuti à Seruio item grāmatico poſitum animaduertimus: Tribus (inquit) humana uita continetur, natura, cui ultra centum & uiginti ſolſtitiales annos conceſſum nō eſt. Quin & Hexaemeri quarto Ambroſius: Solſtitialis (inquit) annus eſt, cum ſol expleto per omnia ſigna circuitu, in id unde curſus ſui duxit initia, recurrit. annua enim fertur eius ſpatij totius eſſe perfunctio. Aduertendū item, cum Plinius ardores capitis dicit, ſiriaſim intelligere. In infantibus priuatim Paulus Aegineta ſiriaſim intelligit, ubi cerebro circumiecta inflammātur cum membranis, recedere uiſitur ſinciput, recedere item in cauū oculi cum pallore. Quod ad diuitias attinet, unde auſpicati ſumus, Critias triginta tyrannorum unus, in Elegijs, ſcopadum ſibi opulentiam apprecabatur, μεγαλοφροσώλω δὲ κίμων, id eſt liberalitatē Cimonis animi præalti, porrò & Ageſilai uictorias.

Quæ ſit adagij ratio, Serpentem foues, & te ſerpens. Inibi de lamijs mirum. Caput V

SErpentem foues, & te ſerpens, uel (ut Græcè dicam potius) ὄφιν θάλπεις καὶ σὲ ὄφις, adagium eſt non uerius quàm frequentius, ubi quis innutrit, confouet, amplexatur, in oculis fert, quod in euidens exitium erupturum mox eſt. Prouerbij rationem paulo uberius explicabimus, quando hiſtoria mira eſt. Ea uero ita habet, Fuit Menippus Lycius annos natus quinq; & uiginti, ingenio haud inſcito, corpore item multa exercitatione ualido, ita ut formoſi athletæ liberaliſq; ſpeciem præ ſe ferret. Hunc peregrinæ mulierculæ plerique amoribus irretitum putabant: ea uero ut tum uidebatur, ſpecioſa quidem erat & præmollicula, necnon diuitijs ubertim fulta. Cæterum ea omnia oſtentationem modo exhibebāt, ueri ſuberat nihil. In eius ſe familiaritatem ad hunc modum inſinuaſſe ferebatur. Pergebat quando; Menippus Corintho Cenchreas ſolus, ecce phantaſma quoddam illi occurrit, quod ſe in mulieris ſpeciem conformauerat, atq; ex manu apprehendens Menippum: lampridem (inquit) ſe illius amore teneri implicitam: eſſe uerò ſe genere Phœniſſam, & in ſuburbano quodam iuxta Corinthum habitare. Idq; etiam digito monſtrans illuc ueniret, hortari cœpit. Quod ſi (inquit) feceris, intentam Muſicis inuenies me, & uinum bibes, quale non ſæpe aliàs, nec te riualis ulla uellicabit ſuſpicio. Pulchra ſiquidem pulchro contēta uiuam, & moriar. His blanditijs delinitus adoleſcens, etiam ſi philoſophiæ myſteriorum haud expers, amoribus tamen obniti obluctariq; non ualens, ueſperi ad mulierem pergit, ac frequenter deinceps, perinde ac ad ſuas delicias. Necdum enim cuiuſmodi phantaſma eſſet, callebat. Id intuitus uir quidam (ut ipſe interpretor) magus aut philoſophus, ut tum creditum eſt, & ſummę grauitatis ac prudentiæ, primo ſtatuarij inſtar Menippum inſpectans, hominem expēdebat contemplabaturq;. Vbi uero rimatus abunde eſt uiſus, O formoſe (inquit) & à formoſis expetite mulieribus, ὄφιν θάλπεις καὶ σὲ ὄφις, id eſt ſerpentem confoues, & is te. Quum in ijs mirabundum animaduerteret Menippum, Hoc proinde (inquit) dixi, quoniam mulier eſt tibi, quæ uxor non eſt. Sed rogo te, Ecquid ab illa te amari putas? Per louem (inquit Menippus) & quidem eximiè. An igitur (inquit is) eam tibi in matrimonium aſciſces? Equidem, reſpondit: quid enim iucundius quàm amantem ducere? Quando (inquit ille) futuras opinaris nuptias? Cito, ait: uel fortaſſe cras. Id quum uir ille inaudiſſet, obſeruans conuiuij tempus, quum iam uocati præſto forent, poſtea quàm illuc & ipſe perrexit, Vbi'nam (inquit) mulier eſt, cuius cauſa conuiuium celebraturi conueniſtis? Tunc Menippus: Prope adeſt, inquit. At is, Argentum hoc & aurum, cæteraq; domus huius ornamenta, tua'ne an mulieris ſunt? Mulieris, inquit. Ac ſemilaceram & pilarem omni no ueſtem oſtendens, Tales mei, inquit, cultus ſunt. At ille ad eos qui aderant conuerſus; Tantali, inquit, hortos uidetis, qui ſicuti ab Homero proditū eſt, ſpeciem quidem præferunt aliquam, quum tamen ſint nihil. Eiuſmodi uero ornatum hunc omnem concipiatis licet: neq; enim quæ uidetur materia ulla ſubeſt, ſed ſimulacrum modo eſt, ac imago. Quod ut uerum ſciatis, bella hæc ſponſa una eſt τῶν ἐμπουσῶν, ἃς λαμίας τε καὶ μορμολυκίας οἱ πολλοὶ ἀγοῦσι. hoc eſt, ex Empuſis, quas lamias & mormolycias plerique

putant. Sunt autem in amorem & Venerem procliues, & humanas carnes uehementer expetunt, Venereorumq; cupidine alliciunt multos, quos deglutiant mox. Hæc uero audiens illa: Age (inquit) meliora loquere, atq; inde offensior ac perturbatior philosophos paulo procacius proscidit, eos omnes delirare inquiens. Vbi uero aurea supellex & imaginarium argentum, uelut fumus effluxere, administriq; & coqui ac reliqua familia increpita euanuit, Lamia lachrymãti iam similis rogabat, ne se torqueret, ne ue quid esset fateri cogeret. Illo autem acriter instante, nec se dimissurum asserẽte, tandem sese lamiam confessa est, & uoluisse Menippum uoluptatibus delinitum obuoluere, ut eius postea corpus deglutiret. Esse namq; sibi perfamiliare formosiorum uesci corporibus, ubi ad summam sanguinis abundantiam peruenissent. Lamam uero opera parerga, ex Arabia mastichen uocant. De lamijs Chrysostomus Dion, sic in Libyca scribit fabula, esse in locis illis feras muliebri facie, etiam formosa: uberibus quoq; cum pectore speciosissimis, adeo uti nullo pictoris ingenio effingi queãt. Color spectatur præfloridus, ex oculis præcellens promicat gratia, mansuetudini adnexa. Corporis reliqua squammis prædura, ut frangere non sit: alis carẽt, sicut uoce, sed sibilum elidunt modo, draconum imagine quadam. Terrestrium censentur omnium uelocissimæ, ut celeritatem euadere nemo ualeat. Viribus cætera peruincũtur, fraude tantum homo, siquidem reteguntur pectora, quorũ illecti nitore confabulandi desiderio adeuntes rapiuntur protinus. Thebani Demetrio subblandientes Veneris Lamiæ templum excitarũt. Erat autem eo nomine illius amica.

De ære obseruata pluscula. Clauus æneus quo modo in prouerbium ueniat. Item de hydnis, hoc est tuberibus, ac hyenæ, & phocarum pellibus. Aerarij qui sint in Latina historia. Clauarum. Marculi. Plinij locus ex septimo libro restituitur. Hyades unde. Cap. VI

AEris uim multa in priscis monumentis attestari uidentur. Omnino siquidem ad rem diuinam pleraq; ænea adhiberi solita, pluscula indicio sunt, & in his maxime sacris, quibus delinire aliquos aut deuouere, aut denicq; exigere morbos uolebant. Hoc significare uidetur & Virgilius, ubi ait,

Curetum sonitus crepitantiaq; æra.

Sed & Carminius tum doctus uir, tum etiam curiosissimus, in libro de Italia secundo, prius Thuscos æneo uomere uti cum urbes conderent solitos, scribit. In Sabinis quoq; ex ære cultros quibus sacerdotes tonderentur fuisse. Quin & Græcorum uetustissimi eris sonos, tanquam rem ualidissimam, adhibere multis in locis consueuerant, sicuti in lunæ defectibus, ut uel alibi commeminimus. Cui rei locupletissimus testis accedit T. Liuius ab Vrbe cõdita libro uicesimosexto: Dispositа (inquit) in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte fieri solet, ædidit clamorem, ut auerteret etiam pugnãtium animos. Significat id & Plinius, ubi ait: Et in luna ueneficia arguente mortalitate, ob id crepitu dissono auxiliãte. Hinc uidetur etiam libro Metamorphoseon quarto Ouidius cecinisse,

Cum frustra resonant æra auxiliaria lunæ. Necnon libro septimo,

Te quoq; luna traho, quamuis temerata labores
Aera tuos minuant.

Plutarchus quoq; in Aemilio: Ea nocte (inquit) cum iam cœnassent, et quieti somnoq; indulgerent milites, luna obscurari cœpit, ac deficiente lumine, multisq; coloribus mutata, tandem nusquam apparuit: Romanis, ut consuetudo est, tinnitu æris lumẽ eius reuocantibus, & ignes multis facibus ad cælum tollentibus. Astipulatur Astronomicon primo Manilius,

Seraq; in extremis quatiuntur gentibus æra.

Metalli huius potentiam ibi quoq; poeta maximus expressisse uidetur, cum ex imitatione Sophoclis in tragœdia, cui titulus est Rhizotomi, sic libro quarto scriptum reliquit: quod & in Cœnis adnotauit Macrobius libro quinto:

Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis
Rubentes herbæ, nigri cum lacte uenení.

Inuenimus

Inuenimus & illud ſcitu digniſſimum, id fuiſſe moris uenatoribus, ut ſicubi in remotioribus ſuem deieciſſent, uel ceruum, ne computreſcerent, clauum æneum infigerent, ueluti ad auertendam putrefactionẽ remedium planè eſſet efficaciſſimum. Ex quibus omnibus natum, quod huic lucubrationi prætexuimus adagium, ut id clauum eſſe nobis æneum dicamus, quicquid eſt quo ita nitamur confoueamurq́, ut eo tanquã rídica firmiſſima aduerſus reflatum omnem obfirmati conſtipatiq́ conſiſtamus, ueluti malorum omnium aut multorum è collo amuletum geſtantes. Sed cur nam æri aduerſus putredinem in eſſe uim adeo efficacem opinemur? An quia ſtypticitatis plurimum adeſt illi materiæ? Indicio eſſe aiunt medicamenta quæ ſubſtringendi uim habeant, eius metalli rubigine à medicis potiſſimum concinnari. Quin & in fodinis æris, quæ χαλκορύχια uocant, oculos immorantium eruentiumq́ iuuari inſigniter memorant. Necnon quibus defluxerint palpebrarũ pili egregie reſtitui. Videtur enim aſpergo ſiue uapor ex chalcitide exhalans, palpebrasq́ & oculos contingens, occultè rheumata ſiſtere, ſiue fluxiones, lachrymasq́ manãtes retundere. Proinde memoriæ ab eruditis proditum eſt, βυλωόρα καὶ νώριπα χαλκὸν ab Homero nuncupari: nam euenor bene afficientem uiros indicat, aut potentem: Norops autem ſplendidi notionem habet. Auctor quoq́ Ariſtoteles eſt, uulnera quæ cuſpide ærea, quam ὠτολοραπίδα uocant, fuerint illata uel gladio, minus minusq́ afferre doloris, facilius uero etiam perſanari, διὰ τὸ φαρμακῶδες ἔχειν τι τὸν χαλκὸν ἐν ἑαυτῷ, quod medicam uim quandam in ſe obtineat æs, quam in uulnere ſtatim relinquat. Niſi quis illud quoq́ aſtruat, infixum clauum ad ſe undiq́ aggregare humorem, quoniam hæc naturæ ſit uis, ut ad affecta loca fiat defluxus, quæ dicitur epiphora: propterea eius loci ambitu conſpici οἷόν πνα μώλωπα καὶ αὐχλον, id eſt perinde ac uibicem & maculam quandam. Quo fit, ut ſumma ratione contingat, ut carnis reliquum depuratum nullam ſentiat affectionem, quicquid erat humoris praui uitiatiq́ illuc corriuato. Clauarium ad præſens inſtitutum pertinet nihil. eſt autem eo nomine militare donatiuum. Conſimile huic ferè adagium uſurpari poſſe uideo, ut qui ſuopte præſidio aduerſus potentiorem uim præmunitus præfultusq́ eſt, dicatur hydna geſtare, hoc eſt tubera, necnon hyænæ phocarumq́ pelles, quod hæc minime tangantur de cælo. Quo nomine uelorum ſumma hiſce cõmunire, nautici moris eſt. Amplius ſcribit Horus, ſi quis hyænæ pellem ſibi circũponat, intrepide per medios hoſtes trãſiturum nocumento nullo: proinde Aegyptijs ratione hieroglyphica intrepiditatis ac conſtantiæ in calamitatibus indiciũ haberi hyænæ pellem expictã. Hydna porrò Ariſtophanis interpres Pluto, bulbos interpretatur. Apud Euſtathiũ: Quidam ita (inquit) hydna quædam, uelut fungi, ſunt ὠνιγώδη. Meminit (ut Athenæum præteream) libro primo Paulus Aegineta, tradens hydnon ἄποιον μὲν ἔχειν τὸν ἀναδιδώμενον ὀξὺ αὐτῷ χυμόν, ψυχρότροφον δὲ καὶ παχύχυμον. Hydnophylla uero herbas dicũt hydnis adnatas. Hyades ad hæc ſpectant nihil. Cæterũ id adieciſſe haud opinor obfuerit magnopere, dici hyadas, quoniam literæ Υ imaginem præferentes, tauri frontem delineare uideantur: quod Græco interpreti ſcientiſſimo placitum eſt. Cæterum quando de ære cõmentati abunde ſumus, recte facturos opinamur, ſi ex ſeptimo Naturalis hiſtoriæ conuulſam lectionem ambuſtamq́ in integrum reſtituerimus: nam capite uiceſimooctauo ita modo laceri circũferuntur codices, Fiſco æris decem, captiuis uiginti milibus. Vnde non niſi abſurdus elici ſenſus queat, ut dictionis ruſticitatem præteream. Ipſe ſic legendum concipio, Ex fiſco æris decem milibus, captiuis uiginti. Nam captiuorum milia uiginti donata, ſanè haud conſentaneum fuerit. Fiſcum autem pro publica accipi pecunia, auctor Pædianus eſt. Nec me fallit tamen, dici propriè principis fiſcum: reipublicæ autem ærarium, ut ex Plinij Panegyrico liquet. Illa uero dicendi figura, decem milia æris, ſummis eſt auctoribus frequens, citra aſſium adiectionẽ: uti apud Liuiũ ab Vrbe cõdita primo, & in legibus Duodecim tabularũ: Si iniuriam alteri faxit, uigintiquinq́ æris pœnæ ſunto. Quod apud Gellium exponẽs Phauorinus: Quis erit (inquit) tam inops, quem ab iniuria facienda uigintiquinq́ aſſes deterreant? Agnoſcas expoſitionem hãc ex libro item tertio ac triceſimo Plinij capite tertio. Illud denique ad æs attinet aliquo modo, ærarios in Romana hiſtoria nuncupatos, qui plebeij ordinis, delicti nomine in

Cæritum

Cæritum tabulas à cenſoribus reiecti, nec in centuriæ albo ſcripti amplius, pro capite duntaxat, tributi cauſa æs conferebant. Sed & ærarios intelligunt milites ſtipendia facientes, itemq́ eos quorum eſt in cudendo ære functio, unde ſint apud Martialem,

Aerariorum marculi. quos malleolos interpretantur. Meminit libro ſeptimo Plinius. Prætores ærarios apud Tacitum legimus, qui quãdoq́ ærarium tractarint. In hac æris mentione tam multa illud non tranſiluerim, apud Ouidium eruditis plauſi biliorem uideri lectionem, ſi ſcribas,

Nec uerba minantia fixo
Aere legebantur. Non ligabantur, ut modo.

Proſopion habere, nõ proſopon, per adagium quid ſit. Inibi utriuſq́ uocis notio. Et quid proſoputta, & protome. Protopraxia. Cap. VII

PRoſopion habet, nõ proſopon, adagium eſt ſcitè admodum & argutè in fucatam mulierem concinnatum, quæ tectorijs, ut ſatyrici poetæ uerbo utar, lita facie, non aliud ſanè quàm perſonata eſſe uideatur, quando nugis id genus peregrinis, uice laruæ (ſi Horatiano uerbo uti permittitur) inſitam obuelant deformitatem, aut graſſantem ſenectutem, erugata cute, differre connituntur. Lucilij ad id lepidiſſimum extat Epigrãma, quod quia ſummæ uenuſtatis eſt uiſum, etiam apponendum cenſui,

τῶ λεφαλῶ βαλ πῆις, τὸ δὲ γῆρας ὅ ποτε βάλεις,
ὀδὲ παρειάων ἐυπίδας ἐκτανύσεις.
μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ καταπλάπῆς,
ὥστε πρόσωπείον, κ' ὀχὶ πρόσωπον ἔχειν.
ὀθλὴν γὰρ πλέον ὅδι, τί μαίνεαι; ὅ ποτε φῦκος,
καὶ ψιμυθος, τὸν ξεσε τῶ ἐκάβῃ ἑλένῃ.

id eſt, Caput quidem inficis, at ſenium inficies nunquam, nec genarum rugas erugabis quandoque: non igitur faciem totam pſimytho collinas, ne perſonam habere uideare non faciem: nil ſiquidem eſt amplius, quid furis? nunquam fucus & pſimythus Hecubam reddiderit Helenam. Cæterum ut uel Græcæ doctrinæ imperiti ſciant, quid proſopon, & quid proſopion, auctor eſt Iulius Pollux De uocabulis rerum libro ſecundo, quod fronti ſubiectum eſt, proſopon dici, hoc eſt faciem, ſed in homine tantũ fere: nam in reliquis (inquit) nuncupatur protome: ſicut in auibus rhynchos & rhamphos. Apud Herodotum libro ſecundo, leges proſopon pro roſtro poſitum. A proſopo autem inclinãtur multa: inter quæ etiam πρόσωπείον, id eſt proſopium, quod mormolycion (inquit) ſignat, quæ eſt perſona, ſed & proſopon quoq́ uocatur & proſopis. Nam proſoputta Athenis uas fuit æneum echino perſimile, quod in orbis ambitu, leonum proſopa habebat, ſiue boum, unde & nomen. Ariſtoteles uero De partibus animalium libro tertio non ſolum quid ſit proſopon edocet, ſed & etymon perſcrutatur, τῶν δὲ ἀνθρώπων, inquit, καλεῖται τὸ μεταξὺ τῆς κεφαλῆς, καὶ τοῦ αὐχένος πρόσωπον, ἀπὸ τῆς πρόσεως αὐτοῦ ὀνομασθὲν, ὡς ἔοικε. δῆλα γὰρ τὸ μόνον ὀρθὸν εἶναι τῶν ζώων, μόνον πρόσωθεν ὄπωπε, καὶ τῶν φανλων εἰς τὸ πρόσω δεδημιουργηται. Proſopon autem, id eſt facies, quod inter caput & collum hominis eſt, nomẽ à re ipſa accepiſſe uidetur: quod enim unus animalium homo erectus eſt, ſolus proſpicit πρόσωθεν, id eſt ante uerſus, uocemq́ item in eandẽ partẽ emittit. Quod uero protomen accipi diximus in brutis, legimus tamẽ πρότομὰς βασιλικὰς, pro iconibus regijs. Sed (ut diximus) in ratione carentibus eſt proprie protome, unde in ſummis nauium roſtris quadrupedũ audimus protomas deformatas, ereq́ circummunitas, διὰ τὸ τῶν ἐμβόλων χρείαν, id eſt propter embolorum neceſſitatem. Alibi opinor me docuiſſe, nomine eo roſtra nauium ſignificari. Inuenio item arietis bellici partem primam, qua ingruit, recte dici protomen: credo, quia bruti imaginem exhiberet: ſic enim apparabatur machina ea. Protopraxia ad hæc pertinet nihil: dicitur eo nomine exigẽdi aut agendi prærogatiua, Græcis Latinisq́.

Ariſtotelis & philoſophiæ laus exquiſita. Qui proci Penelopes. Philoſophia à quibus laceſſita. Numerorum & arithmetices ratio. Stereometria.

Caput VIII

Ariſtotelem

ARistotelem ſummum Peripateticorũ principem adeo naturalium rerum conſectatorem, auidum & ſolertem fuiſſe indagatorem produ̇t auctores celeberrimi, ut cauſam eius mortis hinc memorent profluxiſſe. Legimus quippe uirum hunc Euripi ſeptiès die ac nocte reciprocãtis naturam admiratum, cauſas altius ſecum librantem, quum minus uoti compos euaderet, animi ægritudine contraxiſſe morbum, ex quo nõ cõualuerit amplius. Sunt qui prodant in fretum dediſſe præcipitem ſe, præfatum elogium, Quoniã Ariſtoteles non cœpit Euripũ, Euripus cœpit Ariſtotelem. Adeò imbiberat ille ſummã hominis quodammodo beatitudinem uerſari in recõdita rerum ſcientia. Quam rem approbaſſe uidetur Plato quoq; nam quum forte in auditorium ueniſſet, nec adeſſet Ariſtoteles, ſuc clamauit, ἄπεστι ὁ φιλαλήθους φιλόσοφος. id eſt, abeſt ueritatis philoſophus. Cum iterum non acceſſiſſet, dicere non dubitauit, ὁ νοῦς οὐκ ἤλθεν. id eſt, non uenit intellectus. Quin ut auctor probat Philoponus, illius ædes non aliter ac lectoris ædes uocabat. Hic porrò philoſophiam tãto ſtudio amplexabatur, ut dicere nõ dubitaret, eos qui artes reliquas conſectarentur, hanc uero negligerent, eſſe Penelopes procis conſimiles: qui, ut traditum ab Homero nouimus, cũ domina potiri nequiſſent, ad ancillas diuertebãt. Quam tamẽ ſententiã Dioni aſcribũt alij, ueluti ſit philoſophia artiũ ars, & ſciẽtiarũ princeps, ac (ut M. Tullij aduocatione utamur) uitæ dux, uirtutum indagatrix, expultrixq; uitiorum, ut uel hinc perſpicuum fiat, quanto errore ducantur, qui philoſophos ut cõtumaces & refractarios inceſſunt. Hinc ergo natum adagium, ut Penelopes procos dictitemus, quoſcunq; uiliorum ſciẽtiarum aſſectatores. Nec me fallit, in quadã epiſtola Horatium aliouorſum prouerbium trahere: ita enim ſcribit,

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoiq;,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus.

Nam uoluptatibus mancipatos, nec ullam prorſus rationis lucem capientes, ac onocephalos prorſum, & mera fortunæ ludibria, eo nomine uidetur intellexiſſe, cuiuſmodi ferè eſt uiliſſimus quiſque, quem appellauit numerum, tanquam ex multis unum. Sicut Martialis,

Qui de plebe Numæ, denſaq; turba ſumus.

Quod ex illo Ariſtophanio putatur ſumptum,

ὄντες λίθοι, πρόβατ', ἄλλως ναυσιμόθοι.

Erunt tamen qui ad id forſan referendum putent, quod Tacitus in Iulio Agricola ſubmonſtrat. Numeros in re militari milites dici, qui legionibus nõ inſunt, nec ſine ſignis tamen, quando ducem agnoſcunt proprium. Commeminit Iuſtinianus quoq;, lanceas nunc uocant ſeparatas. Erant extraordinarij item milites, ſed ab numeris diuerſi: quod ex Polybio dilucet, ſed & Liuio quoq;. Hinc ut ſeruent nonnulli, apud Suetonium in Veſpaſiano fiet ſyncerior lectio, ſi reuocatis ad officium numeris parumper duxeris legendum, non muneris, quod ferè publicum eſt. Græci ectactos uocãt, uelut extra ordinem adiectos, ut cornicines ſunt, ac ſigniferi, fabri, id genus alij: meminit in Collectaneis Sudas. Sed redeo ad philoſophiam, cuius præcipuum munus eſt, indagatio atque inuentio ueritatis. Huius rei amore ac ſtudio philoſophi nomen inuentum eſt. Huius ubiq; Plato ſtudioſus atq; auidus indagator fuit. Huius limites ſeruauit ut debuit, cum de rebus diuinis humanisq; diſſereret. Id ab Ariſtotele quoq; Platonis diſcipulo accuratiſſimè cuſtoditum. Idem Plato ſapientis eſſe negauit eas artes, quæ plerunque uitæ inſeruiũt, ſiue illæ neceſſariæ, ſiue utiles, ſiue elegantes, ſiue ludicræ, ſiue auxilares ſint. Propriam uero philoſophi nõ cathedrarij, ſed ueri & antiqui, nec qui ſit palliatũ mendicabulum, aut ſcholæ modo diſcat, nec uitæ. Huius inquam ſupellectilem putat propriam, numerorum ſcientiam, quos (inquit) à natura hominis ſi remoueris, etiam ratio perpetuo perierit. Numeros autem ille non corporeos accipiebat, ſed totum ipſum poteſtatemq; paris & imparis, quatenus rerum naturæ conſentiant. Arithmeticam porrò maxime omnium (inquit) ingenium acuere, memoriã cõfirmare, animum ad omnem ſpeculationem actionemq; aptiſſimum promptiſſimumq; efficere: aitq; in Epinomide

numerum

numerum ab ipſo deo hominibus traditum, ueluti rationis diſcurſionisq; neceſſarium inſtrumentum. Poſt hoc etiam deorum atque animantium geniturae, quae theogonia zoogoniaq; uocetur. Siderum item cognitioni uacaturum dicebat, lunaeq; circuitum, quo menſes includantur, quo pleniluniа fiant, ac ſolis anfractus indagaturum, brumas & ſolſtitia peragentes. Commemorat praeterea geometriam menſuras ſpectantem, & ſtereometriam librantem pondera. Illam uero in primis neceſſariam eſſe artem, qua uerum à falſo dignoſcitur. Vt autem peruenire ad intellectum naturae eius tandem philoſophus poſſit, quae ſemper eſt, quaeq; ſub corruptione generationeq; non fluitat, hanc ei quam diximus, terendam eſſe aiebat uiam. Illud uero ſcitu dignum, Dum ſummus hic philoſophus proprium legitimi philoſophantis expingit ac componit ingenium, & congruis diſciplinis erudit ac format, non eum minus, immo multo plus uirtutis & pietatis quàm ſcientiae à philoſopho exigere. Nam quicquid ſcientiae ab hoc exigit, idcirco requirit, ut deum ipſum uerum, tam ſcientiae magiſtrum, quàm auctorem rerum, quae ſciuntur, prae caeteris ueneretur. Quae res uel praecipuè rationali animę ſalutẽ comparat. Propterea recte ueteribus traditum eſt, diſciplinae ac eruditionis caput eſſe philoſophiam. Quippe corporis gratia ſcientias duas uideri comparatas, medicinã & gymnaſticen: altera quarum ſanitatem, habitus bonitatem conciliet altera. Verum animę morbos & affectiones ſola tollere philoſophia poteſt: ſiquidem inſtruit nos haec quid pulchrum, turpe, iuſtum, iniuſtum, quid appetendum fugiendum' ue ſit, quo deniq; pacto deo fruendum, necnon parentibus, alienis, item legibus, amicis, principibus, uxoribus, filijs, ſeruis. Porrò idem hic auctor talem hunc philoſophum naſci etiam affirmabat oportere è matrimonio ſacro, hoc eſt ex optimis parentibus, non enim ex omni ligno Mercurius fit, ſicuti dicitur: Nam ſi (inquit) in Olympicis ludis ad certamẽ nemo admittitur, niſi qui parẽtes & ſtirpem generis eſſe citra labem omnem edocere potuerit, cur nõ in ſapientiae ſtudioſo ſtatuatur hoc idem? Caeterum nec id pretereundum, ut quemadmodum gentilitiae quaedam familiarium notae feruntur, ceu Seleucidarum anchora, Pelopidarum eboreus humerus, Aenobarborum rutila barba: ſic philoſophos omnes addecet plurimum, hoc in primis uelut inſigne habere, ut ſint mendacij oſores, ueritatis ſtudioſi. Sed enim Platonis deſcriptionẽ cuius' nam modi opinamur, qua philoſophiam ſtatuit eſſe mortis meditationem? Quin illud quoq; quod in Phaedone ſcriptum eſt, debere philoſophum mortem expetere? Neq; enim iſta ſignificant, expetendam eſſe animae diſſolutionem à corpore antequã praeſtitutum à deo tempus aduenerit, quod Plato nefas eſſe dicit, ſed debere unumquemq; animũ ab hac mole corporea & uitijs hincinde ſcaturientibus ſurrigere, & quantũ fieri poteſt, omni contagione carnis ſequeſtrata, in ſola profundiſſimarum rerum contemplatione uerſari. Legat qui uelit Aurelij Macrobij commentationes in Scipionis ſomnum, & bipartitam hanc mortis diuiſionem inueniet, ut altera natura accidat, altera ex uirtute proficiſcatur, quã precipi à Platone confirmat, eamq; eſſe cum animus adhuc iunctus corpori, uoluptates tamen corporis deſpicit, & omnibus uitiorum uinculis ſolutus ad nobiliora erigitur, ſtudioq; ad ſupera & naturae ſuae congrua ſublimis euehitur. Ad haec pertinent quae ſcribit Aurelius Auguſtinus in libro De uera religione, Platonem ſiquidem refert, diſcipulos ſuos edocere ſolitum, ut à Venereis uoluptatibus abſtinerent, perſuaſiſſimumq; haberent, ueritatem non corporeis oculis, aut ſenſu aliquo, ſed ſola mentis puritate uideri: ad quam percipiendã nihil magis impedimento eſſe, quàm uitam libidinibus deditam, & falſas imagines rerum ſenſibilium, quae nobis per corpus imprimuntur. Itaq; ſanandum in primis eſſe animum ad percipiendam incommutabilem rerum formam, & eodem modo ſemper ſe habentem, atq; omni ex parte ſibi ſimilem pulchritudinem. Neq; uero nomini tam ſacro, tamq; uenerabili prorſum officere debet quicquã, quod ſub eo, ſicuti colligit Fabius, maxima in pleriſq; uitia quandoq; latuerint: nõ enim uirtute ac ſtudijs, ut haberentur philoſophi, laborabant, ſed uultum & triſtitiam & diſſentientem à caeteris habitum peſſimis moribus praetendebant. Credamus item maximis auctoribus, philoſophum ab oratore non ſeiungi: nam uetus quidem doctrina, ut Cicero docuit De oratore tertio, eadem uidetur & recte faciendi & bene dicendi magiſtra

ſtra,neq; diſiuncti doctores, ſed ijdem erant uiuendi præceptores,atq; dicendi: ut ille apud Homerum Phœnix. Eloquentia uerò quum ſit una quædam de ſummis uirtutibus, tamen quo maior in ea uis, hoc magis eſt probitati iungenda, ſummæq; prudentiæ:quarum uirtutum expertibus,ſi dicendi copiam tradiderimus,nõ eos quidem oratores effecerimus,ſed furentibus quædam arma dederimus.Mox uerò nonnulli,quum ipſi doctrina & ingenio abundarent, à re autem ciuili ac negotijs animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarunt cõtempſeruntq;, quorum princeps Socrates fuit. Hinc diſſidium illud extitit,quaſi linguę atq; cordis.abſurdum ſanè ac inutile & reprehendendum,ut alij nos ſapere,alij dicere docerent.Hæc autem, ut ex Apœnino fluminum,ſic ex communi ſapientium iugo ſunt doctrinarum facta diuortia, ut philoſophi tanquã in ſuperum mare Ionium defluerent, Græcum quoddam & portuoſum: oratores autem in inferum hoc thuſcum & barbarum, ſcopuloſum atq; infeſtum laberentur,in quo etiam ipſe Vlyſſes erraſſet. Hoc ipſum & Fabius conqueritur libro primo: Scidit(inquit) deinde ſe ſtudium, atq; inertia factum eſt,ut artes eſſe plures uiderentur: nam ut primũ lingua eſſe cœpit in quæſtu, inſtitutumq; eloquentiæ bonis male uti, curam morum qui diſerti habebantur, reliquerunt. Cæterum nec illud diſcuſſione indignum: fuiſſe tamen antiquorũ tempeſtate,qui ueluti inauſpicatiſſimæ aues, tenebrarum alumnæ ac ſolis ſplendidioris lucem non ferentes noctuinis oculis, philoſophiam inceſſere,lacerare exculcareq; ſunt auſi.Quis Agrippinam neſcit Auguſtam Neronem filium eo nomine à philoſophiæ ſtudio ſeuocaſſe, quòd eam aſtrueret imperantibus inutilem? Quid Domitianum dicam? Abs quo ſummotos Italia philoſophos, adnotatum hiſtorijs eſt, nullo quidem crimine alio, niſi quod philoſopharentur? Athenienſes uerò illi doctiſſimi quidem, & ſcientiarum quodammodo parentes, ſed & uirtutis ueluti carnifices, nónne cicuta Socratem ipſum ſuſtulerunt? Proinde magna criminis parte abſoluitur Antiochia, felix quandoq; ciuitas, quam prodidere celeberrimi conditores,probroſis uocibus Romanum principem Iulianum proſcinde re non deſiiſſe: nec id alia ratione quàm quia philoſophus foret, ac barbam promitteret,qui fermè fuit temporum illorum inter philoſophos mos uetus. Nec illud excidit, Tyrannum quendam ingenio ueſano & barbaro percitum furore, quæ philoſophiam continerent, uolumina prorſum omnia cremare adortũ:ni Algazales, cuius inter eruditos non incelebre nomen eſt, commento pio, ab infando auertiſſet incepto.Hortenſius philoſophiam uituperauit.Chryſoſtomus Dion eloquentiſſimam in philoſophos orationem procudit. Taceo Sillorum opus abſinthio conſperſum, quod Timoni philoſophorum expreſſit irriſio.Sed quicquid illi dicant,uel meditentur, ſapientia profectò humana præcellit omnia, ſicuti in ſenſibus uiſus, in anima mens, in ſyderibus ſol, oculus atq; animus naturæ totius. Quæ porrò ſint eius emolumenta ſapientiæ,quæ & naturalis eſt, & dicitur, Paraphraſi in Phyſicam auſcultationem prima copioſe explicat Themiſtius.

Leænæ partus.Paroemia item, Vnum quidem,ſed leonem. Cap. IX

Æſopi fabulatoris illius egregij,quem certatim linguę utriuſq; monumenta celebrant,apologus eſt uenuſtatis lepidiſsimæ, ac documenti non contemnendi.Contendebant (inquit) olim uulpes & leæna de generoſitate, inter alia quum ueluti ineluibile uulpes obijceret,leænam unum ſemper parere,ſuum uerò multiplicem eſſe partũ,inq; eo ſibi placeret plurimum: reſpondit leæna, Parere ſe quidem unum, ἀλλὰ λέοντα. id eſt, ſed leonem. Quod & in adagium uertitur,quum uirtutem ac animi excellentiam ſpectari oportere,aſtruimus, non uilem numerum & inutilem. Quòd uerò unum duntaxat parere leænam, uidetur auctor hic comprobare. Fuit ea quidem opinio uetus, ab Herodoto confirmata libro Hiſtoriarum tertio,& in Noctibus Atticis à Gellio repetita: Leænam ualidiſsimũ fero ciſsimumq; animal ſemel in uita & unum parere, quod unà cum fœtu uterum emittat, unguibus fœtus eiuſdem proſciſſum laceratumq;. Quæ fuerit in ea re Ariſtotelis ſententia,Plinius eleganter expreſsit. Apud Philoſtratum obſeruauimus,repertam quandoque leænam uiſenda magnitudine, quæ maiore etiamnum miraculo inuenta ſit in

utero catulos octo gestare. Traduntur aũt (inquit) de leænæ partu huiusmodi, gestare eam mensibus sex, tercp omnino in tota uita parere. Parit aũt (ut aiunt) primum quidẽ tres, mox duos. Quòd si tertio parere illam cõtingat, unum duntaxat parere, tanquam natura gestiente rariora producere, quæ magnam in se feritatem habent. Necp enim fides adhibenda dicentibus, adultos in utero catulos, maternis uisceribus laniatis, nasci. Constat enim generata & generantia naturæ ui mutuo se amore prosequi, ut per eum species in rerum natura conseruetur. Scribit Auicenna, quod scitu dignum est, raro leę nam generare, & ad summum duos concipere: rationemcp esse ait, ex caloris intimi uehementia, copiosius largiuscp nutrimentum reposcentis, unde numerosior impediatur generatio. Addit quocp, non uesci nisi ex uenatione, nec uenari nisi semel in die.

Quid sit in Græco epigrammate, Ouum factus totus. De ouis paucula. Tollitur ex Cicerone obscuritas. Ouum pronuntiari & de arborum fructu. x

CApillos inficere, ueteris etiamnum fuisse moris, sæpius Plinij medicina perdocet, nec poetæ tacuerunt: nam Martialis ita scribit,

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis,
Tam subito coruus, qui modo cygnus eras.

Extat item Niciæ cuiusdam perelegans tetrastichon, quo ridetur nescio quis, uti apparet, tingendi capilli affectator summus, qui dum ei rei nimium studet, effectum sit ut uitiata cute defluxerint crines omnino, nec ullo medicamento succreuerint amplius: propterea turpiter nudato capite, ouum esse factum totum, facetissime poeta hic cauillatur: id est huiusmodi,

τὴν λιφαλὴν βαλπώγτις, ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτὰς,
καὶ λασὺς ὢν λίαν, ὠὸν ἅπας γέγονεν.
τοῦτο βαφεὺς ἐβόησε, τὸ μηκέτι κουρέα τέμνειν,
μήτε κόμην λούειν, μήτε μελαινομαλύνειν.

id est, Caput inficiẽs quidam capillos destruxit ipsos, & quamuis perhirsutus foret, ouum tamen est factus totus, proinde exclamauit infector, tonsorẽ nil amplius succidere, nec albam comam, necp item nigrefactã. De ouis quidem satis superçp alibi cõmentati sumus: nunc succurrit illud obscurius pronuntiatum à Cicerone in Epistola ad Pætum: At quem uirum? nõ eum quem tu solitus es promulside cõficere, integrã famem ad ouum affero, itacp uscp ad assum uitellinum opera ista perducitur. Vbi integram famem ad ouum afferre: non aliud esse uidetur, cp ad secundam uscp mensam cibi appetentiã producere. Dixit Naucratitas, auctore Athenæo, sicuti alias recensuimus, in conuiuijs apponi solita bina oua, quę in secunda mensa darentur, sicut lepus & turdus cum mellitis. Nec me fallit, contrariam sententiam in Sermonibus ab Horatio positam. Ouum pro arborum fructu, apud Empedoclem lector accuratus inueniet.

Quæ medicamenta, deorum manus nuncuparet Philon. Qui morbi graues præcipue. De Seruio Clodio. Medicinam esse dei donum. Medici reges. Medicinæ uituperatio. Alcteria quid. Analeptice. Gerocomice. Nosocomion. Nosocomi. Parabolani. Septica. Septæ. Medicinæ partes. Pharmacode quæ dicantur. Rhizotomi. Caput XI

PHilon medicus (ut uidetur) nobilis, quum medicamenta quædam ad medendi usum exquisitissima cõcinnaret, & regias quasdam (ut Plutarchus inquit) & alexipharmacas potestates conficeret, eas quod salutares & diuinas quodammodo sciret, θεῶν χεῖρας, ueluti adagio quodam, appellare consueuerat, hoc est deorum manus. Nam & in Auicennæ relatum momentis scio, medicaminis genus dici donum dei: sicut apud Galenum est trochiscus Iupiter. Alioqui Homero quocp auctore, morbos ad iram deorum immortalium relatos fuisse, scimus, & ab ijsdem opem posci solitam. Cæterum & ipsam medendi facultatem esse diuini muneris, profundior Hebræorum continet doctrina, quando ita præcipitur, Medicum esse honorandum, quod propter necessitatẽ illum crearit altissimus. Id ipsum comprobat in Epistola ad Abderitas Hippocrates, Medicam facultatẽ, deorum statuens munus, atque liberam, nec se inde unquam mercedem corrogasse ullam.

Quin

Quin & alibi, Medicinam esse uaticinio propinquam astruit, quod artis utriusq; unus sit Apollo parens. Quid quòd scientiæ huiusce auctores magnos diuinis etiam cultos honoribus, compertissimum est, etiam delubris excitatis, Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem? Age, nónne Hebraica traditum ueritate est, archangelum Raphaelem operam quandoq; medicam præstitisse? Proinde mirum minus, reges etiamnum præclaros appellationem eiusmodi non reformidasse, cuiusmodi fuerint Sabor & Ginges Medorum, Sabiel Arabum, Mithridates Persarum, & Aegyptiorum Hermes, ac Damasceni regis nepos Mesues: nam & Cordubæ principem quidam prodũt Auicennã. Denicq; scienter traditum: sanitatis auctorem esse deum, dei instrumentum esse naturam, sed utriusq; ministrum dici medicũ. Quidam nihilominus medendi scientiam aspernabilem adeo sunt opinati, ut eam sex mensium fecerint disciplinã. Moriens uerò Adrianus, illud uulgo frequẽs insusurrauit, Turba medicorum interfecit regem. Inter morbos autem iudicauere experimẽto, uti condocet Plinius, asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio uesicæ, proximum stomachi, tertium eorum qui in capite doleant, non ob aliud ferè morte conscita Græcis. Et noxias quidem herbas demonstratas, miror equidem, nec uenenorum tantum, quoniam ea conditio uitæ est, ut mori plerunq; etiam optimi portus sit, tradatq; Varro, Seruium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum, ueneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni, æquè quàm dolore in ea parte corporis. Pharmaca composita, in Theriacis Nicander alcteria nuncupauit, tanquam ἀκροσβητήεια, id est apocrustica, & morborum amuleta. Carmen poetæ est,

νῦν δ' ἄγε μοι ἐπίμικτα νόσων ἀλητήεια λέξω.

Illa adiecero item parerga, medendi partem quę ex morbo conualescentes curat, ab recentioribus (uti docet Galenus) analepticen uocari, uelut refectricem dicas. Nam quæ senum prospicit sanitati, gerocomice nuncupatur. Nosocomion interpretatur Hieronymus ad Oceanum, languentiũ uillam. Nosocomos dici putant, qui nosocomij præfecturam gerunt. Nam parabolanos intelligũt mendicabula ægrotis assidentia seruitij causa, quum sint propriè ascriptitij glebæ, mentio fit horum Codice De episcopis & clericis, lege Parabolani. Interpres tamen uicesimiseptimi Digestorum, parabolanos intelligi medicos ait, qui à Modestino circuitores uocentur, quoniã ciuitatem obeant ægris opem laturi. Septica, uel Septas, medicamina intelligimus erodendi potestatem habentia. Medicinæ partes faciunt tres: dogma, methodon, ἐμπειρίαν: portio prima præceptis constat, secunda illis rationẽ coaptat, experimentũ ingreditur tertia. Quum uerò in Demetrij uita Plutarchus scribit, Attalũ cognomento philomatora per otium colere consueisse herbas φαρμακώδεις, non uenenosas uerbo eo accipiendas, opinor, quod imperitè interpres facit, sed quibus citra alimentum expurgandi inest uis. Rhizotomi, Latinè dici herbarij ualent: sunt qui radicisecas malunt.

Compositum corpus cur panegyricum dicatur. Panagyris quid. Anarion. Encephalos cur. Librum magnum esse malum magnum. Cap. XII

PAnegyrica ex scito quodam adagio dici uidentur posse, quæcunq; ex pluribus aggregata sunt, panagyrin à Græcis appellari scimus, nundinas, festas celebritates, & cõuentus: nam scribit Herodotus historia sexta, Panagyres Athenis, hoc est publicos conuentus, quinto quoq; anno fieri solitos. Idem historia secunda, Panagyres, pompas, προσαγωγὰς, id est cõciliabula, ab Aegyptijs primum scribit excogitata. Hinc panegyricas orationes legimus, quæ in eiusmodi haberentur conuentibus, quas ἐπιδεικτικοὺς λόγους esse probat Quintilianus, quamuis formam suadendi haberent, & plerunq; de utilitatibus Græciæ loquerentur. Significat & panagyris locum ipsum, in quo fit hominum congregatio. Philostratus libro octauo, In panagyri templa sunt, & deorum cellæ, & stadia ad currendum. Porrò scenæ item ac gentes uisebantur plurimæ, partim ex finitimis, partim ex transmarinis regionibus uenientes. Achæi tamen κοινοβούλιον, id est publicum concilium dicebant arnarion. Multis insuper artibus & sophismatibus constabat panagyris, sed & uera quoq; sapientia & poetica, consultatorijs etiã & dialecticis orationibus & musicis cantibus. Quod

uerò ad præſens negotium facit, eleganter Plutarchus Sympoſiacorũ quarto, Corpus compoſitum,ut noſtra ſunt, πάμμιγες uocauit,id eſt mixtum, καὶ πανηγυρικὸν,hoc eſt (ut ego interpretor)ex pluribus & interim diuerſis aggregatũ concinnatumq́ ac compactum:quod cuiuſmodi ſit,Platonis potiſsimũ uerbis ex Timæo duximus ſubſignandum:Atq́ is quidem qui hæc cuncta diſpoſuit,ritè in ſuo habitu permanebat:quo quidem permanente,eius filij,quum parentis ordinem cognouiſſent,eum protinus ſequebantur:itaq́ accepto ab illo mortalis animantis immortali principio,ſuum effectorem imitati,ignis,aeris,aquæ,terræ particulas quas rurſus redderent, à mundo mutuabantur, easq́ inter ſe copulabant,haud quidem illis indiſſolubilib. uinculis,quibus ipſi fuerant colligati, ſed talibus, quæ propter paruitatem cerni non poſſent, crebrisq́ huiuſmodi clauis coniunctis,unũ ex omnibus corpus efficiebant, atq́ in hoc ipſum tum influente, tum effluente corpore animæ diuinæ circuitus illigabant. Itaq́ hi circuitus in profundum flumen immerſi neq́ tenebãt neq́ tenebantur, ſed ui ferebantur atq́ ferebant. Hactenus Plato. Tu uerò ubi uincula nominantur occulta, intellige ex Platonici doctiſsimi ſententia,craſin,id eſt temperationem,hominis eſſe adeo temperatam,eq́ loq́ perſimilem,ut uix in ea elementalium qualitatum exceſſus appareat.Subdit deinde,Circuitus animæ in mole corporis impediri.In quo meminiſſe debemus, animam noſtram ſimili ratione atq́ mundi animam contextam fuiſſe, ſimilesq́ circuitus poſsidere,Platonicè loquendo.Circuitum ergo intelligentiæ impediri ait.Rationis uerò circuitum paulò pòſt diſtrahi ſcribit, duabus præcipuè rationibus: tum quia prius quàm adultum ſit corpus,anima tota in fabrica corporis occupatur,tum quia qui extrinſecus ſenſus mouẽt,in teneriori ætate offendunt uehementius,& propter nouitatem rerum animum circa corporea reddunt admirabundum, quibus de cauſis diu & intelligentia à diuino uacat officio, & rationalis ipſe diſcurſus circa inferiora diſtractus quaſi demens turbatur & fallitur:ſicq́ totus animus peruerſam figuram ſubit,uitamq́ ducit laborioſam, dum ratio cedit ſenſibus, perinde ac ſi quis caput pro pedibus humi figat: pedes uerò pro capite in altum tollat. Alibi quoq́ idem Plato medullæ, oſsium,carnis & neruorũ rationem ita digerit, Oſsium uerò & carnis cæterorumq́ huiuſmodi ita eſt natura cõpoſita, his nempe omnibus medullæ generatio initiũ præbuit: uincula enim uitæ illius,quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ, ex eaq́ per omne diducta uinciunt fulciuntq́ corporis noſtri cõſtructionem: ipſa uerò medulla eſt ex alijs generata. Sunt quidem trianguli primi quidam & indeflexi & lenes ad ignis aeris aquæ,terræ,exactiſſimam generationem accommodatiſſimi,è quorũ generibus ſingulis deus ſecernens ſingulos,& inuicem cõtemperatos permiſcens, totius generationis mortalium ſementem fomitemq́ conſtituit, dum medullæ ex his ſubſtantiam procrearet.Et illam quidem medullæ partem,in quam uelut agrum quendam,diuinum ſemen iaciundum erat, globoſam & undiq́ teretem finxit:atq́ encephalum, id eſt cerebrum, idcirco uoluit nominari, quia unoquoq́ animali deniq́ abſoluto,uaſculum cerebri capax cephale,id eſt caput uocandum erat. Cæterũ ut ad panegyrica redeamus, in libro περὶ παίδων ἀγωγῆς inueni apud Plutarchum, nugas panegyricas, τῶν δὲ πανηγυρικῶν λήρων, ὡς ἀπῤῥωτάτω δεῖ σὺ ἡμᾶς ἀπάγειν, ὃ γὰρ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς δεῖν ἀπαρέσκειν. Cui rei aſtipulatur Euripides quoq́, quum ait,

ἐγὼ δ' ἄκομψον εἰς ὄχλον δοῦναι λόγον,
εἰς ἓλικας δὲ κἀ ὠλίγους σοφὼτέρους, οἱ δ' ἐν σοφοῖς
φαῦλοι, πρὸς ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

Idem Plutarchus,in amicitia uera nil eſſe ait ἐπιδεικτικὸν aut πανηγυρικόν, id eſt oſtentatorium,& panegyricũ.Sic Præciam,nobile ſcortum,in Lucullo panegyricam uocat, καὶ σοβαρὰν,quod uerbum elatam indicat, illo ambitionem innuente.Poſidonius apud Athenæum,Apeliconta Teium Panegyrice potius,quàm γραπτικῶς educatum ſcribit.Idem alibi, eſſe hominem dicit,

ἄθροισμα πανηδονίας καὶ πανηγυρικῶς μεμαγμένον.

Idem in Camillo, Tyrrhenorum ciuitates ait ad lucrum fuiſſe ſtructas ἐργαστικῶς, ad uictum autem πανηγυρικῶς. Quod interpretor, uel quia conuenis hinc inde pateret

ret acceſſus, uel quòd rerum omnifariam ſuppeteret copia. Hunc uerò locum oſcitanter Latinũ interpres fecit. Quo nomine cogimur ſæpe pomœria latius proferre, quàm fuerat operis inſtituti, quando Callimachi ſententiam nouimus grammatici, qui τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ.

Ignorantiæ ſugillatio. Lapis ſuper lapidem quid. De Hippocrate & Catone, ac puero barbaro, & Dati, unde datiſmus. Doctrinæ laus. Diſcendum ſemper. Cap. XIII

ARiſtippi illius uoluptatis aſſertoris, quem Diogenes βασιλικὸν λυκον, id eſt regium canem appellare conſueuerat, apophthegmata circumferuntur pleraq; non equidem inſcita. Inter alia id longe grauiſſimum: nam rogatus à quodam, qui melior euaſurus eſſet filius, ſi erudiretur, Vt nihil aliud (inquit) certè uel in theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem. Id in adagium uſq; proficit appoſitiſſimè, ſiquidem imperitus nõ ferè aliud quàm lapis, aut indomitus equus: hoc enim planè interſtitio ab indoctis eruditi diſparantur. Socraticum uerò illud eſt, Vnicum eſſe bonum ſcientiam, inſcitiam malum unicũ. At Licinius imperator, imperitiæ conceptaculum ſordidiſſimum, Literas, uirus ac peſtem publicam dictitabat. Scires illum Hippocratis ſummi in medendi arte ſententiam non cõcepiſſe animo, cuius id fuiſſe legimus in diſcendo ſtudium, ut eum non puduerit uel retrimenta guſtare, ut inde morbi naturam perſentiſceret. Quod tamen alij Aeſculapio malunt aſcribere, unde & ab Ariſtophane σκαπτόφαγος dictus eſt: quo uerbo is ſignificatur, qui ciborum ueſcatur ſuperfluitatibus. Certè Therapeutices ſeptimo Galenus prodit, Honeſtorum omnium ſemina ab Hippocrate poſteris contributa. Quid quòd Venetæ factionis homines & Praſinæ, equorum ſubinde retrimenta olfactare conſueſſe legimus: ut hinc pernoſcerent, quàm facilè cibos conficerent, bonam eorundem habitudinem ſic deprehenſuri. Adrianus uerò & ipſe moderator imperij, Græcæ doctrinę impenſe adeo intenteq; fertur inuigilaſſe, ut à pleriſque Græculus uocaretur. Nam Cato, qui mox dictus Vticenſis eſt, dum ſenatus cogeret, in curia Græcè lectitabat, ne illud, quicquid erat, temporis abſq; ulla exercitij parte honeſta elaberetur. Sed rectius fortaſſe fecero, ſi ipſius M. Tullij uerbis ex libro De finibus ſecũdo, rem ſubſignaro: Nam (inquit) in Thuſculano quum eſſem, uellemq; in bibliotheca pueri Luculli quibuſdam libris uti, ueni in eius uillam, ut eos ipſe (ut ſolebam) inde promerem: quò quum ueniſſem, M. Catonem quem ibi eſſe neſcieram, uidi in bibliotheca ſedentem multis circumfuſum Stoicorum libris: erat enim in eo (ut ſcis) inexhauſta auiditas legendi, nec ſatiari poterat: quippe qui nec reprehenſionem quidem uulgi inanem reformidans in ipſa curia ſoleret legere ſæpe, dum ſenatus cogeretur, nihil operæ reipublicæ detrahens, quo magis tum in ſummo otio maximaq; copia, quaſi helluo librorum, ſi hoc uerbo tam in clara re utendum eſt, uidebatur. Nec mirum, ſcientia perficit animã. anima enim citra ſcientiam, ueluti caput ſine cerebro dici poteſt. At puer barbarus, quum ueniſſet Athenas, magnus (opinor) ſibi uidebatur, quòd Græcas literas tres didiciſſet αβγ, quumq; in patriam remeaſſet, magno populariũ fauore exceptus, contra prætorem quendam Græcè concionantem, poſitus eſt: qui poſtea cꝫ perorauit, ut erat uocaliſſimus (quum illud Ciceronis uerum eſt, Pleroſq; ſuæ conſcios imbecillitatis ὥσπερ τῷ λεοντῇ, ὥσπερ χωλοὺς ἐφ' ἵππου πωλῶν. id eſt, ad uociferationem, uti claudos in equum inſilire) exclamare perrexit αβγ: quo clamore perterritus prætor, ſiluit. Barbari uerò ciuem ſuum uiciſſe exiſtimantes, illum magno plauſu domum reduxerũt. Cui affine illud eſt, quum Perſarum ſatrapes Datis in bello diu probatus, Græcè cuperet aliquid pronuntiare, ἅδομαι inquit καὶ τέρπομαι καὶ χάιρομαι. in barbariſmi nanq; incidit fœditatem, dicendum enim χάιρω fuerat. Amauit autem is in hoc, ut uidetur, ὁμοιοκαταλήκτου. Huiuſmodi uerò loquendi uitium dicitur λατισμός. Hinc & apud Ariſtophanem eſt, λάτιδος μέλος. Illud uerò parte hac præterijſſe non fuerit (opinor) iucundum, Qui diſcit bene, eum denicꝫ ualere item bene: uerum diſcere utiq; oportet hodie, quãdo qui cras diſcit, nunquam diſcit. Rurſumq; tandiu diſcendum, quandiu uiuimus: neq; enim fieri poteſt nimis, quod ſatis nequit fieri. Nec profeciſſe uideri abundè poteſt, cui dubitãdi etiam-

num ſupereſt locus: nos autem quandiu uiuimus, hæſitationum tendiculas nuſquam euadimus: quando & Delphici Apollinis calculo tunc primum ſapientia cunctis prælatus creditur Socrates, ubi dictitare palàm cœpit, Vnum id ſcire ſe, quòd ſciret nihil. Eurydice, id eſt iudicij profunditate fertur exutus Orpheus, quum reſpexit. Sic profectò habet, uti ab doctiſſimis enuntiatũ ſcimus, Iners ac uanus eſt uenator, qui regreditur, non progreditur. Quum diſcipulis mandaret Pythagoras, In ſpeculo ſe non ad lucernæ lumen, ſed illuſtri ſole contemplari pergerent: cum doctiſsimis nimirum eſſe conferendum innuebat pedem, unde illuceſcit clarius quantum promouerimus, quantumq; nobis ad ſummam deſit. Ariſtotelicum porrò eſt. Præſente illa quæ proprie uidetur ſcientia, non fieri perturbationem, nec à perturbatione illam trahi ſuperariq;, ſed ſenſiuam. Hinc prædicabat Socrates, Neminem ſcienter peccare.

Literæ mutæ, ex adagio quæ dicantur. Sermo an ſit homini naturalis. Prodigioſus infantis ſermo. Quintiliani locus explicatũ. An bruta ſermone poleant ullo modo. Cur uni tantum homini hæſitet lingua. Sermo ὑν ἀσκήσεως. Item prophoricus. Quando infanti detur uox. Plinius explicatur, item Papinius locis duobus.

Cap. XIIII

INter ſacra menſæ non ſæpe contingit, ut ſcientiſſimus quiſq; ac ſpectatæ uirtutis uiri admittantur, inferuntur quandoque & inſcitiores aliqui, uox quorum ſi non ſit inarticulata omnino, nõ eſt à conuiuio eliminanda prorſum, ſed ut uocales ſonoræ inſigniter mutas exiguæ alioqui uocis ſibi coagmentari patiuntur, nec ex uerbis protrudunt: quoniam etiam ſi male ſonant, nihilominus cũm alijs coeuntes orationis partes adiuuant. Eodem modo illorum confabulatio non muta doctis adglutinata ſermonibus conuiualem implebit hilaritatem. Quòd ſi decumbentes parte plurima cõtigerint id genus, ut uideri poſſint, ad lyram aſini, philoſophi ſermonem inſita hebetudine non ferentes, illud Piſiſtrati perac commodum uidetur, Quum enim is cum ſuis ſibi liberis diſſideret, poſtea q̃ animaduertit ea re inimicos eximiè lætari, aduocata concione inquit, Se quidem quantũ ualuerit, dediſſe operam, ut in uoluntatem ſuã filios adduceret, ſibiq; audientes dicto redderet, cæterum ex quo id nequeat, animum induxiſſe, illis morem gerere. Conſimili ratione uir philoſophus ac prudens, ubi conuiuas animaduerterit hebeti iudicatu ſermones paulò politiores doctioresq; minus admittere, illis ſe accommodabit, quatenus patiatur decorum, quum ſciat oratione quidem eloquentiam promi oſtentariq;. Philoſophum uerò etiam tacendo ſæpe philoſophari, nonnunquã & ludendo, imò uerò ſcommate quoq; laceſſentem laceſſitumq;. Ex his opinor, intuenti paulò accuratius patet, feſtiuè admodũ ex adagio literas mutas dici de ijs qui parum literis compti, ex ſe quidem perficere uocem nequeunt, hoc eſt doctas, graues, uiro denicq; dignas ciuili confabulationes: at enim cum eruditioribus quaſi coeuntes conſpiratu conſono, ſunt planè uelùti adiunctæ uocalibus mutæ, quibus (ut inquit Probus) ex natura ſui uocabulum ceſſit: ideo enim mutæ dicuntur, quoniam per uocales literas enuntiantur, neq; etiam per ſe ſyllabam facere poſſunt. Cæterũ in hac ſermonis mentione mirari profectò ſuccurrit, quid'nam ſit, quòd quamuis ratio hæc exprimẽdi, quicquid omnino mente conceperis, uni animantiũ uideatur ab optimo maximo contributa deo, pauciſſimi tamen comperiuntur, qui in ea re præcellant: at qui perfectus dici & haberi queat, adhuc eſſe inuentum neminem, eo cõſtantius aſtruxerimus quod M. Tullio, qui in arce ſtetit Romanæ eloquentiæ, ne ipſe quidem Demoſthenes ſatisfacere eſt uiſus. Eſt profectò aliquid conſummata eloquẽtia, ut Fabius ſentit & docet, nec ad eam poſſe peruenìri, humani ingenij natura prohibet. Audio, ſed cuiuſmodi aſſertio hæc dicenda eſt, qua potentiam aliquam deduci in actum poſſe, contenditur: quum ne ſummos quidem uiros, & (ut argumentis peruincitur) omnium ferè capaces, id nunquã impleſſe, non diffiteris ipſe. Proinde minus mirer eſſe qui ambigant, ſit'ne naturalis homini ſermo, quãdo & Lactantius inquit, cætera quæ putantur eſſe homini propria, in alijs quoq; animalibus reperiuntur: quum enim ſuas uoces propriis inter ſe notis diſcernunt atq; dignoſcunt, colloqui uidẽt. Porrò ſi eſſet naturalis ſermo, omnes loquerẽtur idiomate uno:

nam

nam quod conuenit uni naturaliter ſecundum ſpeciem, omnibus congruere, conſentaneum eſt, quæ illa continent ſpecie. Deinde Ariſtoteles ſcribit: Naſci hominẽ & mutum & ſurdum. Et alibi, audire prius pueros dicit, mox loqui. At Ariſtoteles idem non inficiatur, nõnullos ante quàm ætas ueniat, qua uocabula ſuo tempore explanare poſſint, incepiſſe loqui, & aliquid expreſſius dixiſſe, tamen rurſum obmutuiſſe, quouſq; ſolitum loquendi tempus accederet. Mirum porrò eſt quod Hali Abaragel commemorat, In regia ſe uidiſſe natũ infantem, qui uix dum uigintiquatuor uitæ horis perfectis, loqui incepit, & manu ſigna facere: qua in re uehemẽtius rege cõterrito, acceſſiſſe miraculum maius. Nam rege (inquit) aſtante, & me quoq; cum multis alijs, exclamauit infans, Sum (inquiens) infeliciter natus, ad prodendam regni amiſſionem, & gentis perniciem ac deſolationem. Quibus ille enũtiatis, cõciderit exanimis. Aegidius uerò propoſitæ quæſtionis nodum exſoluturus: Aliquid in ſuo (inquit) uniuerſali naturale eſt. Id ſi ad ſpeciem reuoces, fiet ad placitũ, ueluti fures ſupplicio afficere, naturale eſt: ſed laqueo gulam frangere, ex arbitrio. Idem de loquutione ualet aſtruí: nam loqui, & ſermone aliquid diſtinctè enuntiare, inſitum ingenitumq; homini eſt, ſed hoc uel illo modo id agere ad placitum. Alij uerò ita contendunt: ſicut uox ſpecies eſt ſoni, ſic loquutio ſpecies eſt uocis, & omnis loquutio eſt uox, ſed non contrà: & ſicut uox ſuperaddit ſono refractionem naturalem & dearticulatam in canna pulmonis, ita loquutio ſuper addit uoci dearticulationẽ ad placitum, ex quo materia loquutionis naturalis eſſe colligitur, & uox pullulãs à uocali arteria: idioma uero artis eſt, ueluti gladius: ſi materiam ſpectes, naturalis eſt: ſi formam, arte confectus. Quod uerò infantes uix dum natos in ſermonem prorupiſſe, hiſtoria prodit, portenta fuiſſe ea, fatẽdum eſt: quamuis non me fallat, conatum eſſe Ariſtotelem, uirum in omni re ſummum, phyſicam eius rei rationem adducere. Ex ijs uero quę diximus, innoteſcere amplius poteſt, quid ſit quod Oratoriarum inſtitutionum tertio Quintilianus ait, Sermonem ab ipſa rerum natura genitos protinus homines accepiſſe. Sed & in Politicis Ariſtoteles, Sermonem (inquit) homo habet ſolus omnium animalium: nam uox quidem, moleſti atq; iucundi ſignificatio eſt, quare alijs quoq; exiſtit animalibus: hucuſq; enim natura proceſſit in his, ut ſenſum habeant iucundi & moleſti, & hoc inter ſe ſignificare poſſint. At ſermo ad hoc datus eſt nobis, ut oſtẽdamus utilitatẽ & damnum, atq; ita iuſtum & iniuſtum: hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium eſt, ut boni & mali, ac iuſti & iniuſti, & aliorum huiuſmodi ſenſum habeãt ſoli. Obijciat hic fortè aliquis, animalium quædam humanã proferre uocem: ſed dicendum propriè, loquutionem eam non dici, quia non intelligant quæ pronũtiant, ſed aſſuetudine quadam id agant. Hac porrò ratione id uidetur intelligendũ, quod tertio De anima idem pronũtiauit Ariſtoteles, linguam eſſe contributam ad ſignificandũ aliquid alteri. Addit Themiſtius, Ad perceptionem item ſaporum. Quod de pueris præmature loquentibus dictum eſt, ſunt ex aſtrorum peritis qui id effici cõtendant, ſi Mercurius in aſcendente fuerit Orientalis directus, ſicuti præcelerem auditum fieri aſtruunt, ex aptitudine Saturni & Iouis cum Marte. Saturnus enim dextram aurem, Iupiter ſiniſtram ſignare uidetur ex eorum doctrina. Arbitror (inquit Platonicus nobilis) in puero regis filio, quo die natus eſt loquuto, ut teſtatur Hali, non coniunctionem planetarum quatuor in eius horoſcopo cõcurrentiũ formauiſſe uerba: nec etiam infantis animam uerba uaticiniumq; feciſſe de paterni regni calamitate paulò pòſt ſequuta, ſed dæmonem potius illic loquutũ, dæmonem inquam Mercurialem. Nam in octauo libræ gradu, horoſcopo, qui & terminus eſt Mercurij, Mercurius ipſe cũ Venere Ioueq; & Marte fertur fuiſſe coniunctus: quippe & loquentes ſtatuas magi conſtruebant, in quibus nec proprie quidem ullæ ſtatuarũ animæ, nec ſydera loquebãtur, ſed dæmones ab eodem ducti ſydere, ſub cuius imperio ſtatuæ fingebãtur. Illud fortè hac parte non fuerit ſcitu indignum, hominem ſolum inter cuncta animãtia hæſitare lingua: cuius ratio eſt, quia (ut iam præſtruximus) ſolus quoq; ſermonis eſt compos, cætera uocem tantũ obtinent: qui autẽ lingua hęſitant, uocem quidem producunt, ſed uerba copulare, ſermonemq; condere nequeunt. Verum hæc ipſa hęſitantia undènam ſit, dicat aliquis: Sunt qui mẽbri quo loquimur, refrigerationi id attri-

buant: ſic enim tanquam ſtupens & attonitum uidetur. Proinde à uino continenteq́ oratione concalefactos, uerba facilius copulare, deprehenſum eſt. Propterea in dictis particularibus Iſaac ſcriptum reliquit, Perſas & Græcos diſputare uolentes, uino amplius indulſiſſe. Sunt tamen qui hæſitantis linguæ rationem calori aſcribant nimio: eo nāq́ offenſa oberrat, quaſi in ſalebris, quo modo affici iratos homines nouimus: incendūtur enim, incitantur, anhelitant, ſpiritu redundant, ſed nimio utiq́ caloris feruore anhelant: frequens enim ſpiritus eſt, nec anticipat, quatenus ſe tempore reſpirādi poſſit promere. Melancholico præterea habitu ſunt, qui lingua hæſitant: quoniam prope re ſequi imaginationem, non niſi melancholicorum eſt: hæſitantes autem eiuſmodi homines proculdubio ſunt, impetus nanq́ dicendi præruit, anteceditq́ facultatē eorum, utpote quum animus uiſa ſequatur. Balbis etiā idem accidit, hos etenim omnes membra uoci accommodata tardiora habere, certum eſt. Indicium uerò quòd tales uinolenti redduntur, quum ſuas maxime imaginationes & oblectantia, non rationem ſequantur. Scribunt cæleſtium rerum periti, ex natura Martis & Mercurij nonnunquam contingere, ut motus interior feſtinantior celeriorq́ ſit exteriore. Illa demum fuerint auctaria, ſermonem dici aut φῶ ἀλαθέσι, qui animo concipitur, aut prophoricon, qui profertur iam auditurq́. Illud prius Acron dici quoq́ epos arbitratur. Ioannes grammaticus in Heſiodum, eſſe Mercurium arbitratur προφορικὸν λόγον, παρὰ τὸ ἑρμηνεύειν εἶναι. Dici quoque diactoron, quia explicat τὰ τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ νοῦ φαντάσματα. quo ſanè argumento & deorum dicatur à mythicis nuntius. Cæterum illud grauius multo, Plinius libro ſeptimo: Natura (inquit) hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abijcit, ad uagitus ſtatim & ploratum. Priſcorum mos fuit, ut æditos infantes terram attingere iuberent, Opemq́ deam inuocarēt, ut naſcentibus opem ferret, ſinu eos excipiens, nec uocem prius dari putabant, quàm terram attigiſſent. Leuanam quinetiā deam dicebant, quæ pueris præeſſet de terra leuandis: cuius auctor doctrinæ eſt Auguſtinus Ciuitatis diuinæ libro quarto: itē Macrobius Sympoſiacon primo, ubi de Maia inſtruitur diſſertatio. Varro De uita patrum libro ſecundo, Natus ſi erat uitalis ac ſublatus ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe. Philo item Sapientiæ ſeptimo, ipſum hoc ſignificaſſe uidetur: Et natus (inquit) accepi cōmunem aerem, & ſimiliter decidi in terram factam. Et in libro De moribus Seneca, Omnes infantes terra nudos excipit. Ex ijs Papinio lux infertur pluriima Syluarum primo in Stellæ epithalamio & Violantillæ,

Tellure cadentem
Excepi fouiq́ ſinu.

Sed & libro quinto, Syluula poſtrema,

Tellure cadentem
Aſpexi, atq́ unctum genitali carmine foui.

Quæ ſit ratio prouerbij, Mopſo certior. Mopſos fuiſſe tres. Ouidij locus explicatur ex Metamorphoſeon libris: item Senecæ ex Medea, necnon eiuſdem alter de Argo fatidica. Cap. XV

AMopſo certior, dicitur de eo qui mentis acumine ac rerum peritia præuidet quid futurum certiſſimè, & prædicit. Quando latentia & penè extra hominis captum, diuinandi præſtantia creditur Mopſus egregie peruidiſſe ac enuntiaſſe. Quo argumēto etiam uidetur Calchanti fuiſſe mortis cauſa, quum uaticinij eius claritatem mœrore confectus pati nequiſſet. Tradunt ſiquidem Calchantem hunc, augurem alioqui egregium, cum Amphilocho Amphiarai filio è Troiano bello redeūtem terreſtri itinere ad Clarij Apollinis lucum perueniſſe, qui eſt ante Colophonem ciuitatem Ionicam: quumq́ in Mopſum incidiſſet, illi huiuſmodi quiddam propoſuiſſe, uti cecinit Heſiodus,

Mirabor ſanè, poteris ſi dicere, ficus
Quot numero hæc caprificus habet, perparua licet ſit:
Mille quidem decies modius menſura, ſuperq́
Vna fit, hanc nullo poteris comprehendere pacto:
Dixit, & inuentus numerus, menſuraq́ certa eſt:

Continuo

Continuo mortis Calchanti ſomnus obortus.

Non tamen me fallit, Pherecydem ſubtexuiſſe alio modo hiſtoriam hanc: ſcribit enim, prægnanti ſue oblata, Calchantẽ interrogaſſe, quot geſtaret porculos, Hunc uerò tres, reſpondiſſe, atq; ex ijs unam fœminam. Quem ubi uera loquutum patuit, illum ægritudine mortuum. Sunt qui dicant, Calchantem de ſue propoſuiſſe, illum uerò de capri-fico: ac Mopſum uera dixiſſe, Calchantem miníme, & inde mœrore contabuiſſe. Quod prædictum Sophocles ſcribit: Tunc (inquit) Calchanti fato mortem ingruere decretoriam, quum præſtantiorem augurem offendiſſet. Cæterum hic Calchantis mortem in Ciliciam transfert. Fuit Mopſus alter Ampyci filius, quod Ouidij interpres ignorare ſe fatetur ingenuè libro duodecimo:

Nec tu crediderís tantum cecíniſſe futura
Ampycídem Mopſum, Mopſo iaculante, biformis
Occubuit, fruſtraq; loqui tentauit Odites.

Scribũt Apollonij interpretes Argonauticôn primo, Ampyci filium fuiſſe Mopſum ex Cloride. Quod & Lycophronis approbat interpres, Chlorin addens fuiſſe Orchomeni filiam. Strabo libro Coſmographię nono, Mopſos tres agnoſcit: ita enim ſcribit, Campum autem Pelaſgicum modò nuncupatũ exiſtere in Lariſſa & Gyrtone & Pheris, ibiq; eſſe Mopſium & Baben & Oſſam. Vocatum autem Mopſium non à filio Tireſiæ Mopſo uate, ſed à Mopſo Lapitha, Argonautarum nauigationis comite. Alius item Mopſus fuit, à quo Atticam appellauere Mopſopiam. Mopſii Theſſalicæ ciuitatis meminit item Stephanus: qui ſcribit etiam in Cilicia eſſe ſuper Pyramo flumine μόψου ἑδραν, ideſt Mopſi domum. Quam tamen Mopſi uiculum nuncupet Hieronymus, ubi mortuus ſit Conſtantius imperator. Vnde Mopſeates ſit gentile nomẽ. Super Mopſi morte, qui ampycides dicit à poetis, ita cecinit Apollonius Argonauticon quarto,

ἔνθα καὶ ἀμφιτυχὶδ᾽ ὠκὺν ἐξ ὀφρύος ἧκεν ὀϊστὸν
πικρὸν ἔλε πότμος, ἀδῦκέα δ᾽ οὐ φύγεν αἶσαν
μαντοσύνας, οὐ γάρ τις ἀποτροπὴ θανάτοιο.

id eſt, Vbi & Ampycidem die illa Mopſum crudelis mors abſtulit, amarulentum uerò non uitauit fatum uaticinijs, nec enim mortis euaſio ulla. Eiuſdem & Seneca mentionem faciens in Medea ita ſcribit,

Idmonem, quamuis bene fata noſſet,
Condidit ſerpens Lybicis harenis,
Omnibus uerax, ſibi falſus uni,
Concidit Mopſus, caruitq; Thebis.

Sed quia in Senecam incidimus, operæpretium eſt, intueri diligenter quàm inſcitè illius poetæ interpretes eum locum enarrent, interductu interpellato: ſcribũt enim à Seneca Græcam hiſtoriam peruerti, quoniam ſerpentis morſu non perierit Idmon, ſed ab apro percuſſus, ut ſcribit Apollonius: nec præterea cõditum in Lybia, ſed in portu Bebrycis. Ego uerò neutiquam hiſtoriæ fidem cõmutatam inuerſamq; contenderim, ſed auctoris recõditum potius ſenſum minus ab incurioſis rectè percipi: ita enim arbitror diſtinguendum, interpungendumq;,

Idmonem, quamuis bene fata noſſet,
Condidit: ut à ſententia pendeat præcedenti,
Ite nunc fortes, perarate pontum,
Sorte timenda. Hoc enim dicit, Sors iſta nauigandi formidoloſa condidit Idmona: id eſt, cauſa fuit ut periret Idmon. Poſtea infertur,
Serpens Lybicis harenis. Quod planè ad Mopſum refertur, ita ut ſerpens, ibi participium ſit, non nomen. Eſt enim uerborum ſtructura: Mopſus ſerpens, id eſt oberrans & uagabundus. Quòd autem de Idmone dicit, Quamuis bene fata noſſet: confirmatur Apollonij auctoritate Argonauticon primo, ubi loquente Idmone, hi ſubijciuntur uerſus,

αὐτάρ ἐμοὶ θανέειν συγχρῇ ὑπὸ δαίμονος ἄσῃ,
πολλόθι που πείρωσι ἐν ἀσπάσιος πωτέομαι.

At mihi

At mihi emori odiosi dæmonis fato procul sancitum est in Asidis continente. Quid si de Mopso totum id dici opinemur, interpuncta diuersim structura, interspiratacq; Etenim uideri potest Seneca Mopsum appellasse Idmona ob multã rerum & uaticinij peritiam. Nam & qui proprio nomine Thestor dicebatur, antiquitus Idmona nuncupatum, testis est Apollonij interpres ob insignem experientiã, quod Chamęleontis comprobat auctoritate. Cęterum, prior enarratio luculentior. Sudas tamẽ Idmona pro perito accipit, unde dixerunt ueteres canem ὠιδμονα θήρης, hoc est uenationis peritum. Extat & carmen Ausonij de Idmone uate:

Idmona quod uatem, medicum quod Iapyga dicunt,
Discendas artes nomina præueniunt.

Sed & à Pindaricis proditum interpretibus, scimus, Argonautas tribus usos uatibus, Mopso Ampycis filio, Idmone Abantis, denique Amphiarao Oiclis. Quoniam uerò parte hac Senecæ opem tulimus, succurrit & locus alius Tragœdiæ eiusdem, ubi execratur Chorus primum nauigationis auctorem, recensetq; discrimina quæ Argonautæ adierunt:

Demum (inquit) Orpheus tacuit torpente lyra,
Ipsaq; uocem perdidit Argo.

Incidi in cuiusdam schedicum, ita exponentis, Vocem, cantum Orphei, quia propter timorẽ & ipse tacuit. Quum ad id poeta doctissimus respexerit, quod Argonauticôn quarto Apollonius scribit, In carina nauis Argus à Pallade lignũ fuisse impactum ex Dodonide phago, quod humana uoce fungeretur quandoq;. Sic enim ait,

αὐτίκα δ' ἄφνω
ἴαχεν ἀνδρομέην γήθοσυνῆ μεσσηγὺ θεόντων
αὐδὴν ἢ γλαφυρῇσιν ὑπὸς δόρυ.

Extat & Antipatri epigrãma de nauta quodam fulmine icto, cuius nauis per se, moderante nullo, ad littus delata rem gestã significauit: nec Argoã, inquit, expetiuit carinã,

ἀγγελίῃ θείῃ, καὶ λιγυνῖ μιμήσατο
καὶ φράσεν, ἀγγοίῃ δ' οὐκ ἐπόθησε βόπιν

Reperias & alibi eius rei mentionem. Nobis satis superq; fuit locum monstrasse, ne fiducia interpretum studiosi iuuenes in aurem utranq; (ut sępe) dormirent. Certè si quis anxiè plura quærat, Lycophronis interpres Iasonem cum socijs quadragintanouem inscendisse Argo, scribit, quæ

λαλητάτην ἔχε τὴν βόπιν ἐκ τῆς δωδώνης δρυός.

id est, carinam habebat loquacissimam ex Dodonæ quercu. Propterea Lycophron alicubi λαλητρὸν κίσσαν, id est garrulam nuncupat picam. Porrò scribit uetus Arati Phænomenon interpres, Danaum ab Aegypto se fratre proripientem auxilio Mineruam inuocasse, à qua primum sit compacta nauis, quæ Argo est appellata, eaq; Argos petierit Danaus. Auctor autem Aeschylus, ab Minerua eadem materiã quandam loquentem naui insertam: quod repetit Hyginus quoq;. Mopsi denicq; historiã alicubi recẽset Plutarchus: meminit eiusdem Apuleius quoq;, sed & Lactantius grãmaticus, eatenus fuisse augurio nobilem Mopsum scribit, ut post mortem templa quoq; ei credantur dicata, quæ oraculi gratia sæpe adirent homines.

Cur prouerbio usurpemus, Amantium marsupia porri folio uinciri. Amoris potentia & laus. Cap. XVI

Amoris excellentiam alibi copiosè, ut uires nostræ tulerunt, expositimus. Nunc adagium occurrit peruetus, quo affectionis huius inenarrabilis exprimitur uis, id est huiusmodi, πρασσου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δέσμα βάλλουσιν, porri folio amãtium uincitur funda. Eo significatur irretitos amoris laqueis nõ ferè temperare sibi: sed quicquid habent, passim profundere, nihil omnino habentes pensi. Hæc enim esse illius potẽtia traditur, quin percipitur experimentis quoq;, ut nouam naturæ faciem, mores prioribus ex toto diuersos inducere ualeat. Quamobrem & Plato ὡσὰν πανὸς ὠμηστὴν nuncupauit, quòd nihil non experiatur, ut qui affectet omnia, & audeat: nam qui silentio prius ad reprehensionem usque

uſq; ſtudebat, iam efficitur garrulus. Socordem nimisq; deſidioſum uideas ſatagere, ac ſtudioſius labori ſe ſubijcere. Et quod miremur ſine fine, præparcum quoq; & μικρόλογον, hoc eſt qui minima quæq; plurimi facit, uideas: ſi in amorem inciderit, perinde ac igni ferrum, molliri ac remitti, ut tractabilior fiat & iucundior. Sed quid mirum? Inſpicienti altius paulò, & in intima naturæ ſe inſinuãti innoteſcit apertiſſime: ſicuti ex Platone ſuo nobilis colligit Platonicus, Quicquid diſcimus, quicquid excogitamus, quicquid omnino pertractamus in uita, ex amoris fontibus profluere, quibus latius manantibus ubertim rigati artes percipimus aut inuenimus. Quod niſi inueſtigationis oblectamentũ inhæreret affixum, fieri nunquam poſſet. Inueniendi quippe deſiderium fomes eſt, ac incitabulum ingeniorum. Immo uero diſciplinæ præcepta traditurus, niſi amet, munus ſuum non uidetur impleturus. Proinde qui artium magiſtrũ dixere amorem, nihil omnino à ueritatis ratione uidẽtur aberraſſe. Quin idem artis opera exſequi accuratiſſime deprehenditur & exactiſſime conſummare. Quid quod in artibus ſingulis, artifices ipſi inquirũt nil aliud quàm amorem, nec curant? Quid enim (inquit apud Platonem Eriſimachus) aliud medicina cõſiderat, quàm quo modo humores quatuor corporis amici inuicem fiant, atq; permaneant? Quos cibos ac potus cæterosq; uiuendi aut medendi uſus amet natura, atq; requirat? In gymnaſtica etiam exercitatione inueſtigandum, qui corporis habitus, quos exercendi modos, quos geſtus amet & poſtulet. In agricultura, quod ſolum, quæ ſemina, qualémue cultum exigat, quis'ue colendi modus à ſingulis expetatur arboribus. Idem obſeruatur in muſica, cuius genera duo traduntur: eſt enim graue quoddam & conſtans, eſt & aliud molle atq; laſciuum. Illud utentibus utile, hoc noxium in libris De republica & legibus Plato iudicat. Illi in conuiuio Vraniam Muſam, huic Polyhymniam præfecit. Alij prius illud genus, alij ſecundum amant. Illorum amori obtẽperandum, adhibendiq; ſoni ſunt, quos expetunt: iſtorum appetitui obſiſtendum. Illorum nanq; amor cæleſtis eſt: iſtorum uerò uulgaris. Ineſt ſyderibus & elemẽtis quatuor amicitia quædam, quam aſtronomia conſiderat, Vatum poſtremo ſacerdotumq; facultas in hoc potiſſimum uerſari uidetur, ut quæ hominum officia deo ſint amica, qua ratione Deo homines amici fiant, nos doceant. Proinde concludere ita fermè licet, Amorem in omnibus ad omnia eſſe omnium auctorem ſeruatoremq; exiſtere. Artium quoq; uniuerſarum dominum atq; magiſtrum. Ex quo ut ſolertem, omniumq; habentẽ claues eundem collaudauit Orpheus. Nos uerò illum etiam nodum dicamus perpetuum, mundi copulam: partiumq; eius immobile ſuſtentaculum, ac firmum totius machinæ fundamentum.

De Mithridatis polyphagia, & polypoſia. Item de Heraclide pycta, & Druſi Tiberij medico. Dicrota nauigia. De Mithridatis potentia, ac de Alexandri poculo, & odore corpori eiuſdem inſito. Cap. XVII

MIthridatem Ponti regem, cum quo annos duos & quadraginta à Romanis depugnatum, proditur, legimus cũ cæteris ducibus temulentũ quandoq; ac uino madentem, aut delectus habuiſſe, aut arma pertractaſſe, & cum Stratonicia oblectatum muliere. Id ſanè initio parum conſtanter, ac fide parũ integra traditum ab auctoribus, arbitrati ſumus: ſed mox dum Græca (qui mos noſter eſt) uerſaremus, compertius id exploratiusq; eſſe cœpit, in quo nobiliſſima monumenta inſimulabamus mendacij. Scribunt quippe adiuratiſſimi ex Græcis, Mithridatẽ hunc inter alia quæ ædebat ſpectacula, etiam illis certa cõſtituiſſe præmia, qui ciborum amplius in uentris baratrum conſtipaſſent, aut meri plus ingurgitaſſent, πολυφαγίαν uocant Græci, ac πολυπόσιαν. In utriſq; uero ipſum retuliſſe uictoriam, immo uerò omnium ſui temporis hominũ in bibẽdo modum exceſſiſſe. Quo argumẽto putant nõnulli eſſe cognominatum Dionyſium. Quanquam quod ad hoc attinet, ſunt qui ita credant, Infantis Mithridatis cunas de cælo tactas exuſtasq; igne cæleſti faſcias citra ullum omnino illius nocumẽtum, ueſtigium modo fulminis uiſum in fronte. Rurſum quum iam uirilitatem attigiſſet, domum in qua dormiret fulmine item ictam, ac pharetræ propendentis ſpicula delicuiſſe ignita. Vnde coniectatum uatibus eſt, ſagittandi arte illum fore præpotentem & armatura leui. Ab huiuſmodi uerò

ictibus

ictibus, ſimilitudine quadam affectionis, cognominatum Dionyſium. Hæc uerò curioſius inquiſiſſe, non fuit uacantis operæ: nam iſs plurimum infertur lucis Ciceroni pro Flacco. Cæterum quia in tanti regis uoracitatem incidimus uolentes, mirum eſt quod de pleriſq; proditur literis. Fuit Heraclides quidam pyctes non multi, quod ferendum foret, ſed infiniti propè cibi potusq; capax, non reperiebatur illi compar in potando. Verum ut ſunt humana ingenia, in peius ſemper ſolertia, alios ὦμὶ πρόπομα, hoc eſt ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, ad cœnam alios, poſtremos ὐδὶ λῶμου, ideſt ad comeſſationem. Recedentibus uerò primis protinus iungebantur ſecundi, & deinceps: at is, interſtitio nullo interiecto, omnibus ſufficiebat ſolus. Memorabile eſt quod alibi attigiſſe me commemini: Druſi Tiberij Cæſaris filij medicum ſuperaſſe in potando omnes. Id quo facilius poſſet præſtare, ingenio utebatur: ſiquidem quinq; aut ſummum ſex amaras præguſtabat amygdalas, ne ebrius effici ullatenus poſſet: quod ubi facere eſt deprehenſus, ac uetitus, mox ne minimo quidem potui ſufficiebat. Illud uerò, ut unde in hæc diuertimus, eodem redeat oratio, in Mithridate maximè mirum, uinolentum hominem tanta fortitudine, tantaq; ui in tot annos bellum cum principe rerum populo produxiſſe. Sed aderat illi, ut grauiſſimis proditum hiſtoricis eſt, audacia præſignis ac tolerantia memoranda. Aderant & naues quadringentæ, ex quibus cataphractæ centum fuere, dicrotæ centum: ſic enim naues dicunt, quæ duobus gubernaculis pariter à prora regũtur & puppi. Meminit in Epiſtolis ad Atticũ Cicero: Aphracta (inquit) Rhodiorum & dicrotum Mityleneorum habebam. Et libro decimo ſexto: Nam & ipſe Domitius bona planè habebat dicrota. Habuit porrò Mithridates idem equitum quinquaginta, peditum ducẽta & quinquaginta millia: machinarum uerò, ac omnis bellici inſtrumenti, par potentiæ eius ſumma. Depugnabant cum eo reges, dynaſtæq; Armeniæ ac Scytharum, qui circa Pontum incolunt, ſupraq; Mæotidem paludem: & cum Celtis fœdus, amicitiamq; inierat. Tanta fuit animi magnitudine, ut tot filijs ac præſidijs, & uniuerſo tandem principatu deſtitutus, quum nec amplius ad pugnandum cum Romanis par eſſet: nil tamen miſerum, nec abiectum concepit animo: ſed ad Celtas proficiſci, unaq; cum illis Italiam irrumpere ſtatuit, ſperãs multas Italiæ partes Romanis aduerſas eſſe. Certior quoq; factus, Annibalem id ipſum in Hiberia bellantem effeciſſe, & ob hoc Romanis formidabiliorem extitiſſe. Verum tam illuſtre facinus à rege meditatum exercitus ſequi recuſauit. Sanguinolentus ac crudelis in omnes fuit, nam matrem, fratrem ac filios tres impuberes, totidemq; filias interfecit. Quo fit ut minus miremur, ſatrapis urbiumq; primoribus illum ſecretò perſcripſiſſe, ut trigeſimam diem obſeruantes, omnes pariter Romanos, qui apud eos eſſent, & Italos eorumq; mulieres cum pueris & liberis, qui Romani ſanguinis eſſent, interficerent abijcerentq; inſepultos, bona cum rege diuiderent, ſupplicio propoſito iſs qui uel ſepeliſſent, uel aliter occuluiſſent. At quũ deſtinata cædi aduenit dies, per uniuerſam Aſiam calamitatum multiformes uiſebantur aſpectus. Epheſij eos, qui in Artemiſium confugerant, ſtatuas complexos per uim detrahentes crudeliter interfecerũt. Pergameni ſagittis confixerunt, qui in Aeſculapij templum ſe contulerant, Adramitani adultos impuberesq; in mare præcipitarunt. Caunij infantes ante parentum oculos contrucidantes, mox immolabant matres, & demum uiros. Statura ingenti fuiſſe traditur, ſicuti ex armorum forma, quæ delata Delphos ſunt, coniectatum eſt, ualetudine proſpera uſus, ad ultimum uitæ tempus equitabat, iaculaturq;, & per mille ſtadia, diſpoſitis per interualla equis, una die diſcurrebat. Currus ſex & decem equis agitauit, Græcis imbutus diſciplinis, & ob id ſacris Græcorum operatus, muſicæ præterea deditus. Vox eius circumfertur memorabilis, & magnitudine animi eius cõdigna. Quum enim Pomponium Luculli magiſtrum equitũ ad ſe ſaucium perductum interrogaſſet, An gratiam ſibi ſi ſaluus eſſet, uellet reddere. Siquidem (inquit) Lucullo amicus fueris, perdignam: ſi hoſtis, nullam. In hunc modum quum is reſpõdiſſet, regi ſuadebant barbari, illum interficeret. At is, Non æquum eſt (inquit) uirtutem à felicitate deſtitutam deſpicere. Cæterum de Mithridate ſatis. Illud addimus: alterum quoq; regem, & quidem celeberrimum utriuſq; linguæ monumentis, uinolentiæ ſuccubuiſſe adeo, ut inde Alexãdri poculum

culum uiſendæ capacitatis, etiam prouerbio uſurpetur. Ex quo & cuiuſdam apophthegma nobile celebratur, cui quum id porrigeretur, ἀπεώσατο φήσας οὐκ ἐθέλειν ἀλάβαστρου πῶμ' ἀσκληπιοῦ δεῖσθαι. id eſt, repulit inquiens nolle ſe, Alexandri calice exſiccato, ad Aeſculapium cogi. Sunt tamen qui prodant, ex corpore illius ſpiraſſe odorē præſtantiſſimum, adeo ut aromatica quadam ſuauitate ueſtes ſubinde opplerentur: quod inſito calori aſcribendum, eruditiores arbitrantur. Nam & terrarum aridiſſima calidiſſimaq; caſiam promere & thus, ὥσπερ γάρ τινι τῇ ὑγρᾷ ὁ θεόφραστός φησιν ὠφελεῖσθαι τὴν γνωσίαν, ὅταν ἐξαιρεθῇ τὸ βλαβερόν. id eſt, quadam nanq; humidi decoctione, Theophraſtus inquit, odorem ingenerari bonum, ubi quod noxium eſt, fuerit exemptum.

Aphrodiſium iuſiurandum. Aphrodite cur. Aphroditariū. Aloidariū. De Venere plura. Venus Vrania, ſeu cæleſtis. Venus en cepis. Cepurica. Praxis ſimulacrū. Venus armata, itē equeſtris. Libitina quid. Libitinariį. Epitymbia. Venus dicta Morpho. Mormones. Adonides duo. Venerē dici de uxore obediētiſſima. Cornices duas indicare Martem ac Venerē. Epitragia Venus. Veneris cū Marte coniunctio unde inducta. Platonis placita de re Venerea. Cap. XVIII.

APhrodiſium iuſiurandum pro uano & momenti nullius, ex adagio uſurpatur, quoniā eiuſmodi ſit amantiū adiuratio, quibus peierare, frequētiſſimi moris eſt, uel impune: quod nec in Declamatione quadam neglexit Libanius. Dicitur Aphrodiſiū, ueluti Veneriū: nam Venerē dici Aphroditem, norunt omnes, quòd ex maris ſpuma ſit enata, ut mythici credunt. Ariſtoteles uerò, quòd ſpermatis natura ſit ἀφρώδης, id eſt ſpumoſa. Quæ item ratio efficit, ut album ſit: ſpuma enim alba eſt. Hinc Aphrodiſia leguntur opera, pro laſciuis amatoriįsq; quanquam eſt Aphrodiſium, etiam Veneris templum. Heſiodus aphrogeniam uocauit deam hanc: ſicut dicitur philomedea, hoc eſt φιλομήδεα, quod ex Cæli pudendis apparuerit, quæ uocant μήδεα. Didymus putauit Aphroditem nuncupari παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς διαίτης, à uitę mollitie. β enim cognata uidetur literæ φ: nam Philippum, aliqui βίλιππον appellant: ſicut Phrygas, Brygas. Aphroditarium Aeginetæ Paulo cataplaſma eſt ex ture, amylo, ſquamma æris, ac ceruſſa: ſicut aloidarion, ex aloe concinnatum dicitur medicamentū. Inueni in Græcorum monumentis, Veneris ſtatuam effingi ſolitam cum pectine, ratione eiuſmodi, quòd Romanis quandoq; mulieribus peſtilens obrepſerit pruritus, quem uocant λυπάω, quo excidentibus pilis omnibus, nullus amplius fuerit uſus pectinum. ea re tam inuenuſta, tamq; prorſum odioſa, quum molliculæ aliàs plurimum angerentur, ubi mox Veneri uota nuncupaſſent, rurſus ſuccreuiſſe pilos ferunt, quo nomine ſimulacrum illi cum pectine ſtatuere, adiecto etiamnum barbitio, quoniam maſcula fœminina q; habeat inſtrumenta, ut præſidem nanq; generationis omnis deam uenerabātur: ideoq; ſuperiora corporis cingulo tenus maris præferebant effigiem, fœminæ uerò inferiora. Legimus & ἵππιον Venerem, id eſt equeſtrem: quæ appellatio ab Aenea filio prorepſiſſe uidetur, qui diuturna feſſus nauigatione demum inſcenderit equum, atq; ea effigie coli matrē inſtituerit. Celebrat in Attica cæleſtis Veneris (de qua item aliubi) templum, Pauſanias. Addit quoq;, Aſſyrios primum eius deæ cultum induxiſſe, quos in Cypro Paphij ſint imitati, ac Phœnices qui Aſcalonem in Palæſtina tenent. A Phœnicibus uerò Cytherios edoctos ſacra ſuſcepiſſe: quæ Ageus Athenienſibus tradiderit. Scribit idem, ſe de loco quem Hortos appellant, ſeu κήπους, & Veneris templo nullam ex antiquitate cauſam edidiciſſe: ac ne de Venere quidem, quæ iuxta templum poſita eſt, quadrangulari figura, cuiuſmodi ſunt Hermæ. Epigramma tamen (inquit) teſtimonium facit, Venerem cæleſtē, maximam eſſe Parcarum natu. Hæc eſt celebrata auctoribus Venus, quæ dicitur ἐν κήποις ἀφροδίτη. hoc eſt, in cepis Aphrodite: cuius & Lucianus in Iconibus meminit, & Plinius triceſimoſexto. Nam & cepurica legimus apud Firmicum: Loca (inquit) quādoq; cepurica & hortenſia, quādoq; fœtida & deſerta. Erat & poſt Bacchi templum Veneris ædes, ſimulacro ex ebore Veneri dicato, quod Praxis cognominabatur. Sicut alibi Veneris Melænidis templum. Legimus item prope Acrocorinthum fuiſſe templum

Veneri dicatum, in quo essent simulacra ipsa armata, & sol, & Amor cum arcu. Armatam Venerem à prioribus cultam, nõ ignorauit Fabius: quum solitos fuisse scribat, præceptores non inutili nec iniucundo genere exercitationis præparare discipulos coniecturalibus causis, quum quærere atq; exsequi iuberent, cur armata apud Lacedæmonios Venus. Eius uerò historia à Lactantio memoratur libro primo, & meminit Pausanias. Extat super ea re scitum Leonidæ epigramma, quod & apposui,

εἶπε ποτ' ἀνρώπας ποτὶ τὰν κύπριν, ἢ λαβε τύχη,
ἤξιθι τᾶς ασπαρτας, ἃ πόλις ὁπλομανεᾶ.
ἆδ' ἀπαλὸν γελάσασα, καὶ ἔσομαι ἀμφὶ ἀτυχὴς,
εἶπε, καὶ οἰκήσω τὰν λακεδαιμονίαν.
χἄμμὶν κύπρις, ἄνοπλος. ἀναιδέες οἱ δὲ λέγουσιν
ἴσορες, ὡς ἁμῖν χἄθεὸς ὁπλοφορεᾶ.

Illud uerò ad instituta uitæ etiam pertinet, non ad historiam modò & doctrinam, ueterum exquisitissima ingenia Venerem non solum præsidem natalium coluisse, uerum etiam mortis: siquidem in æde Libitinæ, quæ ad sepulturam pertinent, uendere consueuerant, Libitinam non aliud quàm Venerem esse existimãtes. Hoc autem argumento humanæ fragilitatis unumquenq; admonebant, quòd una eademq; dea, principium ac finem uitæ in potestate habeat, ut quæ ingredientibus uitam uel decedentibus præsideat. Porrò etiam Delphis Epitymbiæ Veneris exigua sanè statua ostendebatur posita, ad quã manes in parentationibus & libationibus, elicere atq; euocare consueuerant. Libitinam, à libendo dici M. Varro interpretatur, eamq; non esse aliam, quàm Venerem significat. Hinc Libitinarios dictos scimus, qui Libitinæ præessent: quos institorum loco Vlpianus esse scribit, titulo De institoria actione. Vota Libitinariorum legimus apud Senecam libro De beneficijs sexto. Ea uerò sunt, ut complures moriantur, cuiusmodi sunt & eorum, qui captandorum testamentorum artem professi sunt. Hinc eleganter apud Horatium Libitinam uitare dicuntur, qui se immortalitati uendicant:

Non omnis (inquit) moriar, magnaq; pars mei
Vitabit Libitinam.

Apud Liuium notauimus, non sufficere Libitinam dici, quum morientium uis magna est. Fuit Romæ Libitinensis porta, qua efferebantur cadauera, quoniam lege cautum foret, ne quis in Vrbe sepeliretur. Libitinensis portæ meminit in Commodo Lampridius. Colebatur & apud Lacedæmonios Venus dicta μορφὼ, quæ sedens calyptram haberet, ac pedicas. Addidisse Tyndarum eas proditur, symbolicè ut significaret, mulierum constantiam aduersus insimul habitantes. Mormonas uerò, id est μορμόνας, dicunt laruas: unde illud Xenophontis ex libro Græcarum rerum quarto, Peltastas extimescerent, uti mormonas pueruli. Cæterum scire oportet, numina apud priores uarijs de causis cognomina ducere consueuisse, sicuti à locis: nam Venerem fuisse Coliada nuncupatam à promontorio Coliade, Stephanus auctor est. Qui etiam scribit, Colios dici Sunios. Meminit Strabo Cosmographiæ nono, addens, ad eum locum naufraga enatasse spolia è classe ultima Persarum. Qua de re Apollinis extabat oraculum, Coliades mulieres remigijs horrebunt. Interdum & ab hominibus & euentu aliquo: nam in Samo Venus nuncupabatur Dexicreontis, quoniam Samias mulieres τὸν τρυφῆς καὶ ὕβρεως ἀκόλαστα ποιούσας, luxu ac petulantia perditas Dexicreon quidam ἀγύρτης, id est circulator & mendicus sacris piacularibus quibusdam expiarit: uel quia Nauclerus quum esset Dexicreon, negotiandi causa enauigarat in Cyprum: ei uerò iamiam onus in naues imposituro Venerem iussisse ferunt, aquam tantum in nauim imponeret, statimq; solueret. Illum uerò dicto audientem fuisse, & comportata in nauim aqua, profectum summa tranquillitate, & malacia deprehensum, sitientibus reliquis & mercatoribus & nautis, aqua singulis uenundata, multum inde argenti collegisse: exq; eo, statuã deæ positã, illam à suo nomine appellasse. Quòd si uerum est, non unum ditasse, sed per unum multos seruasse, Venus existimanda est. Epitragiam Venerem in Parallelis dictam Plutarchus scribit, quòd quum respõdisset Theseo Delphicus Apollo, nauigationis in Cretam ducem sibi seligeret Venerẽ, ac is ad mare capram deæ immolaret

laret, euestigio in marem ea est deformata. At hæc fortè fuerint operæ leuiotis. Sicuti illud quoq; Adonim, quem amauit Venus, ab Cypriis dici Gauanta: uti est apud Lycophronem. Duo autem fuerunt Adonides, Cyprius, & Biblius: quod non uidentes multi historiam, uel fabulosa confundunt. In Hori monumentis adnotatum, Vxorem uiro præcipuè obnoxiam obedientemq; ab Aegyptiis Venerem dici: obluctantẽ uerò pugnacemq; non ita. Quo argumẽto accipitrem fœmellam expingẽtes Venerem intelligunt de animalis natura intellectum rei promẽtes. Quanquam Martem quoq; indicantes, ac Venerem, duas item cornices expingunt, tanquam uirum & uxorem. Proinde solitaria cornix uisa ostentum ueteribus faciebat. Et in nuptiis Græci cornicem ἐκνοεὶ, κοεὶ dicebant, etiam si nescientes. Quin & cornices duæ, nuptias itidem innuunt hieroglyphice. Illud utiq; ex Aristotele Politicorum secundo, non prætereundum: uideri mythologos antiquos ideo finxisse, Venerem Marti per adulterium fuisse copulatam, quòd bellicosissima quæque gens in masculam uel fœmininam Venerem præcipuè sit procliuis: sic enim profectò scribit, ἔοικε γὰρ ὁ μυθολογήσας πρῶτος ὀκ ἀλόγως συζεύξαι τ ἄρη πρὸς τ ἀφροδίτην. ἢ γὰρ πρὸς τ τ ἀρρένων ὁμιλίαν, ἢ πρὸς τ τ γυναικῶν φαίνονται κατακόχιμοι οἱ ζιζοι. id est, uidetur (inquit) non absurde, qui primũ fabulam effinxit, coniunxisse Venerem Marti, siquidem uel masculum uel fœmininũ affectant congressum, qui bellaces sunt. Addunt Platonici hoc etiam: concupiscendi & irascendi uires esse quasi germanas: nam procliues ad libidinẽ, sunt etiam ad iram propensiores, atq; uicissim ad libidinem iracundi. Hoc uerò ex Plotini uerbis profluxisse uidetur, qui libro secundo De dubiis animæ, ita fermè scribit: Esse uerò hoc animæ uestigium, alterius uestigij cognatum essentia, id nobis argumẽto esse potest, quòd qui ob lectamenta corporea minus appetunt, corpusq; negligunt, minus ad iracundiam prouocantur, minusq; irrationali feruntur perturbatione. Addamus & aliquid, quod ad rectam uitæ institutionẽ pertineat ex diuino Platonis eiusdem ingenio, qui libro De legibus sexto, Voluptatẽ Veneream incensam dicit, quo uerbo, acumen uitij & temeritatem & furorem significat. Quẽ impetũ incensum modò ratione moderandũ, modò metu legum cohibendum præcipit. In nono uerò libro, non modò eum qui cum puero, sed etiam qui cum muliere innupta se miscuerit, mortis supplicio condemnat. Adulterum etiam lege sanxit, impunè occidi à uiro posse. At in Theæteto, Coitum illicitum iniuriam uocat, & inertem coniunctionẽ. In Phædro, hominẽ luxuriæ deditum pecudi similem dicit, flagitiosum, impudentẽ, uoluptatis non naturalis auidum. In Gorgia, dolium esse Danaidum, facetè Socrates inquit, inexplebilẽ uoluptatum satietatem, & animi luxuriam, atq; effrenatam libidinem. Monetq;, ut pro uita lasciua & libidinosa, modestiam deligamus, & paucis contenti, sobriè atq; honestè uiuamus. Et mox postremum hoc addit, Hominem temperantem, iustum, & reliquis uirtutibus præditum perfectè absoluteq; felicem esse, ac bene beateq; uiuendi compotem. Luxuriosum autem iniustum, improbum, miserum esse, atq; infelicem. Itaq; eum qui felicitatem optat, temperantiam expetere oportere: luxuriam uerò deuitare, & quanto uelociore ac præcipiti magis cursu potest, aufugere: sed nos, ut qui diu iam euagemur, tandem ad alia gradum faciamus.

Iracundia ieiuna, ex adagio quæ sit. Iræ primordia unde sint, ex Plotino. Caput XIX

IRacundiam ieiunam, usurpari posse animaduertimus, pro ea quæ propensa admodum sit & procliuis, nimioq; plus ad omnem excandescentiam parata. Vt enim ægritudine pressi in iram prolabuntur facilius, ita & ieiuni iracundiores sunt, quàm saturi. Cuiusmodi uerò sit hoc, & quam habeat rationem, hinc coniectari potest: constat nimirum, nos irasci solere non pro his tantum quæ corpus patitur, sed pro his etiam quæ chari nobis homines patiuntur. Quapropter in ipsa iracundia opus esse sensu & intelligentia quadam uidetur: itaq; ad hæc aspiciens aliquis non ex ipso uegetali, sed ex alio quopiam iracundiam ducere originem arbitrabitur. At quando affectiones quasdam corporum procliuitas ad iracundiam sequitur, & quando sanguine bileq; feruentes sunt, ad iram proniores: con

trà uerò tardiores, qui bilem ſanguinem'ue habent frigidiorem. Item bruta ultra corporum compoſitiones, ex eo duntaxat quòd aliquis læſurus appareat, in iram prorũpunt. Rurſus per hæc aliquis impetum iracundiæ ad corpoream præcipuè qualitatem: idq; quod conſtitutionem continet animalis, facilè referet. Et quando ijdem homines (ut diximus) quum ægrotant, ad iram propenſiores ſunt, quàm quum bene ualent, ſimiliter quando ieiuni iracundiores ſunt, quàm ſaturi, patet ad corpus certo modo affectũ, iram uel iræ principium pertinere, atq; bilem uel ſanguinem, quaſi animatũ, hos impetus excitare: itaq; tali hoc corpore patiente, repente moueri ſanguinem aut bilem, ſenſuq; excitato, imaginationem etiam excitari, quæ quidem experrecta prouocet animã cum tali corpore communicantẽ, ad eum ipſum inuadendum, qui moleſtiam intulit. Conſtat quin etiam animã deſuper ratione utẽtem, tunc moueri, quum illata uideatur iniuria, quaſi hæc animoſitas naturaliter inſtituta ſit, ad declaratũ hoſtem protinus inuadendum. Eſt igitur in nobis, quod abſq; ratione prouocari ſolet: prouocatumq; deinde per imaginationem conuocare ad idem etiam rationem. Eſt etiam quod exorditur à ratione, deſinitq; in illud, quod naturaliter excandeſcit. Proinde ab ipſa uegetali genitalíq; natura tam iraſcendi, quàm concupiſcendi fomes pullulare uidetur: quippe uegetalis genitalisq; natura animæ in conſtitutione humorum imprimit quoddam uitale ueſtigium: ex quo corpus uitaliter euadit affectum. In quo quidem ſic affecto ſunt perturbationes animalis corporeæ, perturbationumq; principia. In toto quidem uoluptas corporalis, & dolor. In iecore potiſſimum concupiſcendi principium. In præcordijs maximè iraſcendi exordia: ibi enim nutritio uiget, ac generatio, hic autem uigor igneus. Motus autem iracundiæ aut quaſi extrinſecus exordiuntur, aut intrinſecus. Extrinſecus ira eſt, quando illata foris corpori paſſione (ut ſic dicam) ad primũ ſenſus motum feruet uigor igneus, imaginationem mouet, & per hanc prouocat rationem. Intrinſecus autem quando ratio uel imaginatio iniuriam cogitans humorem feruentem incitat. Arbores uerò iracundiam non habere, quamuis naturam habeant uegetalem, mirum uideri non debet, quando neq; ſanguinem neq; bilem habent. Vbi enim hæc inſunt abſq; ſenſu, æſtus tantum ſuboritur, ac uelut offenſio quædam; ſenſu uerò adueniente, impetus iam inſurgit ad id quod offenderit, expugnandum.

Quæ ſit prouerbij origo, Lycia coma. De Condalo, & Mauſolo. Hyparchus qui. Proſcomia quid. Lyciorum mores. Solymi. Lycium gymnaſiũ.

Caput XX

IYciam comam, eleganter doctéq; per adagium uſurpari poſſe, animaduerto, pro ea quæ promiſſior ſit ac comptior. Legimus in Ariſtotelis monumentis, Lycios capillitium ſtudioſius fouere, & quidem, ut mulctã ſubire maluerint, quã præcidere comam. Id quoniã obſcurius eſt, nec à multis (quod ſciam) traditũ, exſequemur paulò latius. Erat apud Mauſolum Cariæ regem Condalus, cuius poſt regem, facilè erat primus dignitatis gradus, Hyparchum Græci uocant, atq; is (ut uidetur) Lyciæ præerat. Quum operæpretium arbitraretur, quàm plurimum poſſet pecuniarum ad regem mittere, aut etiam ſibi congerere, lepido commento Lycios circumſcripſit. ſiquidem intuitus illos ἀγαπῶντας τὸ τείχωμα φέρειν, hoc eſt comam gratè impendioq; enutrire, finxit ſibi à Mauſolo allatas eſſe literas, quibus iniungeretur, ut capillos mitteret εἰς πρόσκομιδα, id eſt ad proſcomia: ea uidetur fuiſſe celebritas quædam deponendæ comæ: quo nomine oportere illos attondi. Quòd ſi præſtitutam pecuniarũ ſummam exſoluere animum nõ inducerent, miſſurũ ſe, qui ex Græcia capillitium affatim afferrent. Id quum Lycij amplius perpendiſſent, & comæ delicias in magno reponerent, gratiſsimè conditionem admiſere. Atq; ex faceto mox commento magna uis pecuniarum eſt congeſta. De more autem comæ recidendæ nihil eſt quod hic uberius agamus, quando Pauſania & Homero alijſq; auctoribus, eſt id à nobis alibi explicatum. Id modò ſuccurrit, ut uerſutum Condali eiuſdem ingenium in re nummaria copioſius enarremus: ſi quando ei regionẽ peragrãti ouem quis aut uitulum attuliſſet, ſimul nomen eius qui dediſſet, ſubnotabat, ſimul etiam tempus, moxq; ut domum referret, imperabat, donec ipſe rediret. Vbi autem præteriſſet

temporis

temporis non parum, eo accerſito ἀὼ τὸ τραφὲν καὶ τῶ ἀδικαρπίαν λογισάμενο ἀπή-τα. id eſt, ipſum quod eſſet enutritum, & ſi quid inde emolumenti foret enatum, ſubducto calculo repetebat. Item ſi qua arbor in uias quas ipſi βασιλικὰς, hoc eſt regias uocant, procumberet, fructus ipſe capiens uẽdebat. Haſce uerò artes accumulandi modo non bono auri uim, utiq; à Mauſolo ſuo edidiciſſe potuerat. Scitum enim eſt, cuiuſmodi fuerit princeps, tales etiamnum ſubditos fore. Is enim ad pecuniã auidior, concione ditiorum aduocata, miſſos dixit à Perſarum rege, qui tributa exigerẽt, ſe autem ſoluendo non eſſe: proinde eſſe in magna æſtuatione. Tunc quibus id clàm datum negotij erat, exſurgentes offerre illi cœperunt, quantum quiſq; condonare poſſet. Id uerò conſpicati cæteri, ſimul uerecundia ducti, ſimul etiam perculſi terrore, multo ijs ampliora polliceri inſtiterunt. Sed ut illuc, unde in hæc diuertimus, redeat oratio: de Lycijs hoc amplius ex hiſtoria nouimus, Eos alioqui ciuiliter adeo, & continenter uixiſſe, ut quũ feliciter in Italiam uſq; mari quandoq; dominarentur, tamen nullo turpi lucro unquam ſe extulerint, iuxta patriæ morem in Lyciaci conuentus adminiſtratione permanentes. Erant autem uiginti & tres urbes, quæ ſuffragiorum erant participes. Ex quaq; ciuitate in commune collegium conueniebant, id ſtatuentes quod maxima pars comprobaſſet. Maximarum ciuitatum unaquæq; ferre poterat ſuffragia tria, mediæ duo, cæteræ unum. Solymos, à Lycijs, qui olim dicti ſint Milyæ, diuerſos Homerus facit: nam de Bellerophonte è Lycia profecto ita ſcribit,

Hic Solymis iterum præſtantibus intulit arma.

Strabo, & prima hiſtoria Herodotus, eoſdem putant. Lycium porrò Athenis habebatur gymnaſiũ: unde dictus Lycius Apollo, inibi cultus, cuius meminerit Callimachus. Fuiſſe tamen Thebis appellatione eadem gymnaſium & Apollinem Lycium itidem, in Oedipode tyranno ſignificat Sophocles, & expoſuit interpres. Lycijs illud ſingulare, ut ſe à matribus denominent, non ut mortales cæteri, à patris familia.

Prouerbiũ, Sulcus Aegypti Libyæ harenas nõ curat, quo enuntietur ſenſu. Aegypti commoditas. Agri parandi ratio. Ogmos quid, & unde. Sulcus pro aratione. Cap. XXI

SVlcus Aegypti Libyæ harenas non curat, adagium eſt, de loco non admodum quidem lato, ſed fœcundo inſigniter ac fructuoſo, qui longè anteponendus uidetur deſertis incultisq; agris ac uaſtioribus. Siquidem Aegyptus magnitudine cedit utiq; Libyæ: ſed ita, ut illius tota uaſtitas ne huius quidem aſſequatur portiunculam. Non præterit profectò nos, Aegyptum dictam eſſe ueteribus publicum orbis horreum, ſolereq; deos eò animi gratia, & ſalutis confugere. Quanquam & illud uidemur legiſſe, quod Ioſephus ſcribit, regionem illam tam munitam, & adeo fertilem, ut cunctos mortales paſcere, deos ipſos excipere hoſpitio, ſaluare poſſe gloriaretur: nunquam tamen fuiſſe ab omni æuo liberam: id quod eo uidetur mirabilius, quia illi ad laudem in primis datur, quod ſit quaq; uerſus mirum in modum munita, & inacceſſibilis penitus, hinc mari, illinc deſerti uaſtitate obiecta, dextera montibus abruptiſſimis, ſiniſtra paluſtribus aquis diffuſiſſimis. Proinde lectum in hiſtorijs eſt, Cæſarem uictorem Aegypti regnum Cleopatræ, fratriq; eius minori permiſiſſe, ueritum prouinciam facere, ne quandoq; uiolentiorem præſidem nacta, nouarũ rerum eſſet materia. Aegypti porrò prouentum illa monſtrarint ampliſſimè: nam ſcribit Cicero, Auletæ patri Cleopatræ, à quo peſſimè, ac per ſummam ignauiam regnum adminiſtrari ſolitum, ſcimus: tamen quotannis duodenũm millium, & quingenũm talentorum tributum conferri aſſueuiſſe. Quod uerò diximus, adagiũ ex Antiphili Epigrammate promptum eſt,

καρποῖς οὐ σταδίοισιν ἐρίζομεν, οὐδὲ γὰρ ἄυλαξ
ἀγνάπτου, λιβύης ψάμμου ὣς ῥέφεται.

Id eſt, Fructibus contendimus, non ſtadijs, neq; enim ſulcus Aegypti, Libyæ harenas curat. Cognatum his aliquo modo uetus illud unius ex ſeptem, adhibendum modum menſuramq; rebus. Quòd non ſolum aliud acturis, ſed & agrum paraturis dictum intelligimus, ne maiorem quàm ratio calculorum patitur, emere uelimus: nam huc perti-

net præclara noſtri poetæ ſententia,

Laudato ingentia rura, Exiguum colito.

Sed & acutiſsimam gentem Pœnos dixiſſe, conuenit, Imbecilliorẽ agrum quàm agricolam eſſe debere: quoniam quum ſit colluctandum cum eo, ſi fundus præualeat, allidi dominum. Nec dubium, quin minus reddat laxus ager non rectè cultus, quàm anguſtus eximiè. Propterea de ſe, ac Homero Virgilius noſter metaphora honeſtiſsima putatur ceciniſſe:

Illius immenſos miratur Græcia campos,

At minor eſt nobis, ſed benè cultus ager.

Illud fuerit ſuperpondium, ordinẽ ſulcorum dici ogmon: quanquam uerbo eodem uocatur ἐπίσιχ@ φυτουργία, id eſt in ſeriem digeſta arborum plantatio, ſed & ordinata educatio, inflexa dictione ab ἄγω, ut ſit ogmos, uelut agmos, more Aeolico, A tranſeunte in O. Sulcus pro aratione capitur quandoq; : hinc in Epiſtolis Cæcilius, Tantis glebis tenaciſsimum ſolum quum primum proſecatur, aſſurgit, ut demum nono ſulco perdometur. Et Plinius, Quarto ſeri ſulco Virgilius exiſtimatur uoluiſſe, quum dixit, Optimam eſſe ſegetem, quæ bis ſolem, bis frigora ſenſiſſet.

Mineruam Phidiæ, uice prouerbij ab eruditis quandoq; uſurpari. Parthenon quid. Virginem propriè dici Mineruam. Cap. XXII

MIneruam Phidiæ, prouerbio ſcito excuſſoq; uſurpamus de re cultiſſima, & quæ in excelſo loco conſpicuoq; uiſenda omnibus conſtitui debeat. Cicero, Hoc enim opus in apertum ut referas, nihil poſtulo: non enim eſt tale, ut in arce poni poſſit, quaſi Minerua Phidiæ: ſed tantum, ut ex eadem officina exiſſe uideatur: in hac eadem figura exiſſe appareat. Fuit quippe Athenis ad Acropolin Mineruæ ſtatua ex ebore à Phidia egregie elaborata. Meminit libro triceſimoquarto Plinius. Fecit, inquit, & ex ebore æque Mineruam Athenis, quæ eſt in Parthenone aſtans. Strabo, ἐν παρθῶνι τὸ τοῦ φειδίου ἔργον ἐλεφάντινον, ἡ ἀθηνᾶ. Parthenon uerò dicebatur Mineruæ templũ, auctore Pauſania & Plutarcho: quanquã eſt propriè parthenon, uirginum conciliabulum & conuentus. Virginis autem uocabulo Mineruam intelligebant. Eius templum, curante Pericle, conditũ ab Ictino eſt architecto, cuius commeminit & Vitruuius, & Strabo ſcriptũ reliquit. Mentio eſt ſimulacri eius apud Ouidium quoq; illis uerſiculis:

Arcis ut Acteæ uel eburna uel ærea cuſtos,

Bellica Phidiaca ſtat dea facta manu.

Memoratu dignũ quod in libro De mundo ſcribit Ariſtoteles, In ſcuti meditullio tanta ingenij arte ſuam effigiem Phidiã impegiſſe, ut ſi auferre quis eam conaretur, & ſtatua omnino periret. Proinde rationem habere eãdem in mundo deum, cuius ui omniũ contineatur harmonia, & ſalus.

Cur pomum Homerus dixerit ἀγλαόκαρπον, & Empedocles εὐφόρβιον. Sida quid. Rhoa. Rhœa. Rhoidiõ. Phloinę ueſtes. Phlœus. Phlogis ueſtis. Phleos. Leptychana. Calyphe. Hymenes. Lobi. Calyx. Calche. Malũ medicũ. Nerantzion. Vieta poma. Pannutia. De ocimo erudita. Ozima. Pometa quid. Cap. XXIII

DVm Græca nuper uerſaremus, fortè ſe nobis ingeſſit Homericum illud, σῦκαί τε γλυκεραὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι.

Id eſt, & ficus dulces ac pomi ſplendidum ferentes fructum. Quærebamus quid ita ſummus poetarũ, arborem pomiferam eo præcipuè epitheto cenſuiſſet ornandam, ut ἀγλαόκαρπον diceret, & Tryphonis quidem medicinæ non imperiti, ſententiam aduertimus, eum fructum ita laudibus celebrari non immerito: præſertim ſi arbori in qua æditur, comparaueris: permodica enim ea eſt, nec aſpectu admodum grata. At ipſum pomum & grandeſcit ſatis, nec inuenuſtum eſt. Eſſe quoq; quibus ita uideatur, inter arboreos fructus congeſtitiã ex omnibus huic ineſſe pulchritudinẽ: etenim tactu molle eſt, perinde ac uiolæ, oppletq; odore ſuaui quod attigerit, guſtu item iucundum, necnon illici (ut ſic dicam) inſpectu. Proinde, ut quòd

ſenſus

ſenſus omnes prouocet, iure laudari. Et hæc quidem pro ingeniorum captu non omni no improſperè uidentur excogitata. Sed cur nã Empedocles, qui poeticis floribus phi loſophiam inſperſit, ita ſibi ſcribere permiſit,

ἕνεκ' ὀψιγόνοί τε σίδαι, καὶ ὑπερφλοια μῆλα;

Nam quòd ſidas, id eſt mala punica, opſigonos uocat, ferè uidemur percipere: uerbo ſi quidem eo, tardam ſignificari maturitatem, nemo non nouit. Humectam enim arboris eius naturam ac imbecillem & uiſcidam, conſiſtere non permittit ſol, niſi ad frigus cœperit aer cõmutari. Proinde Theophraſtus, arborum hanc ſolam in umbra melius percoquere fructum ſcribit, ac celerius. Hic obiter commonitos legentes uelim, apud Xenophontem ἀπομνημονεύμασιν ſecundo, Sidam dici, quem ſcynim ſcribunt alij: In hoſpites (inquit) iniurius nemo eſt, poſtea quàm σίδης & σκείρων, ac procruſtes ex humanis conceſſere. Sed à diuerticulo repeto inſtitutum, ſi illud minus reticuero: Sidam eſſe in Bœotia locum, de quo ſit arbori conciliatũ nomen: nam & hoc argumento creduntur Epaminundæ ſuccubuiſſe Athenienſes, dum inorta foret de regione diſceptatio, quoniã Græcis alijs arbor dicitur rhoa & rhœa, at pomũ etiã rhoidion. Eſt & Pamphyliæ ciuitas Sida Stephano. At ſidion pro malicorio accipiendũ. Cur uero poma idẽ Empedocles uocauerit hyperphlœa, hoc uideri multis ambagioſum poteſt, & eo quidẽ amplius, quod ſuus eſt Empedocli mos, nõ nitida uenari epitheta, quibus ueluti floridis quibuſdam coloribus res illuſtret, ac tanquã calamiſtro inurat, ſed quæ modò eſſentiam poteſtatemq; commonſtrent, ſicuti quum ἀμφιβρότην χθόνα corpus uocat animæ circumiectum, carceris uice, & πολυαίματον τὸ ἧπαρ, hoc eſt ſanguinis multi iecur. Comperi ex grammaticis non omnino contemnendis, qui ex uiuida ui ac florida dici hyperphlœa opinentur, τὸ γὰρ ἄγαν ἀκμάζειν, καὶ τεθηλύῖαι φλοίειν ὑπὸ τῶν ποιητῶν λέγεσθαι. Phlœin ſiquidem floreſcẽdi uigendiq; uim ſignare: nam ſic Antimachus quoque φλοίζοντ' ὀπώρας dixit, τὴν τῶν καλάμων πόλιν. Aratus item quum de ſirio dicit,

καὶ τὰ μὲν ὄρωσι, τὰ δὲ φλόον ὥλεσε πάντα.

id eſt, uirorem floremq; appellauit phloon. Phloinas autem ueſtes non à phloos deductas uolunt, ſed à phleos paluſtri herba in Bœotiæ lacu Orchomeno, ut Theophraſtus inquit, quæ ſit ad nexus utilis. Veſtium eiuſmodi meminit cum Herodoto Pauſanias, ut alibi docuimus. Phlogis item ueſtis eſt genus, quam nos flammeam dicimus, unde ſint flammeariq; opifices Plauto. Dicitur eodem nomine toſta item caro: dicitur autem phleos, ab uerbo φλύειν, quod indicat facundum eſſe. Phloinis aues in Arabia Stymphalides (nam & ibi eſſe perhibentur) uiſci modo capiuntur, omni alia materia roſtris earum impari. Sunt ex Græcis, qui Dionyſio rem diuinam faciant, quem phlœon uocant. Inde igitur uideri, ut inſtitutum repetamus, hyperphlœa dici poma, quod uiridita tem maximè omnium ſeruent, ac florem: tanquam ὑπὲρ, particula intendendi uim ha beat. Alijs uero id arridet amplius, ut ὑπὲρ ſignificet parte hac, non ualde, ſed deſuper potius aut extrinſecus: hinc enim hyperthyron dicitur, quo nomine ſignatur hoſtij lapis ſuperior: & hyperoon, pro tabulato. Poeta uero etiam λῳὰ ὑπερτρόφα, quæ in uictima forinſecus obiacent, ut ἔγκατα, quæ intus. Ergo quum fructus cæteri ferè extrinſecus cortice obuallentur cõmunianturq;, qualia fermè uocant leptychana, uel calyphe, aut hymenas, & lobos, pomis intus producitur cortex, qui eſt glutinoſa tunica, hoc eſt πολλοχιτὼν, & pinguis, cui inhæret ſemen. Quod uero eſui eſt, circumiectum illi conuiſitur, ita hyperphlœon dicetur, quaſi ſuper corticem habens, quod in eſcam cedit: nam phlœon, id eſt φλοιὸν dici corticem, nemo eſt quem lateat. Calycem nuncupant, quo quippiam includitur, putamen. Nicandri interpres in Theriacis roſæ florem occluſum ſic dici opinatur. Calche uero aut flos eſt, aut animal, unde tingitur purpura. Et quia de pomis commeminimus, ſuperpondium & illa fuerint: ab Nicandri proditum interprete in Alexipharmacis: malum medicum eſſe, quod nerantzion nuncupetur. Ab Gellio præmatura poma, & ſanè putrida etiam uieta nuncupãtur. Quoniam uietus Donato interprete dicatur mollis flaccidusq;. Pannutia eſſe Plinius ait mala celeriter in rugas marceſcentia: unde Perſio factum arbitror, ut Baucis diceretur pannutia uerſu illo,

Dum ne deterius ſapiat pannutia Baucis. Nam quod ſequitur,

Quum bene diſcincto cantauerit ocima uernæ.

Sunt qui cantauerit, pro excantauerit, id eſt excluſerit, interpretentur, ex Nonio: ut ad id alluſerit poeta, quod ex Græcis ſcribunt nonnulli, tantum eſſe ocimo cum fœmina diſſidium, ut ſi ea inſciente, pultario ſubijciatur, nũquam ſit cibo manus admotura, ni ſubtrahatur. Inueni qui ozima ſcribendum putaret, ut inteſtina intelligamus iuſſulenta, quæ plerunque odore præſtent, unde & nomen. Pometa Palladio dicuntur ea forma, qua & lilieta, canneta, citreta. Sed nos in re pyrica, ut multi fortaſſe opinabuntur, nimis diu uerba facimus, quare ad alia redeundum grauiora, ne digreſsi longius, ri ſu excipiamur: quanquam nil admodum uideri ridiculum poteſt, quod à claſsicis auctoribus promptum in literas, nouimus. Sed ſunt tamen quibus etiam alabaſtrus unguenti plena putere uideatur, horũ ego delicatas aures nec rado, nec oculos tam molliter eruditos moror.

Oculi eruditi qui intelligantur. Statuarum luxus & primordia. Statuariæ partes quinq;. Imaginum diſtributio. Statuæ unde. Ethicę imagines. Statunculus. Staticulum. De pictura. Cap. XXIIII



Oculi eruditi, ut ab eo potiſsimum hæc prodeat lucubratio, quod præcedentis poſtremum eſt: ex adagio rectè dici uidentur de ijs, quorum iudicium amuſsitatum examinatumq; ac cenſorium quodãmodo in perpendendis diſcernendisq; rebus pernoſcitur, nec id in legendo ſolum: quanquam hoc fortè rarius, ſed in ſpectanda pictura nobili aut opere antiquis artificum nominibus pretioſo. M. Tullius, Auctionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod Polycleti. Miror unde ſuſtuleris, & quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem quum uideo, ſeruum te eſſe ineptiarum omnium iudico. Nõne igitur ſunt illa feſtiua? Sint. Nam nos quoque oculos eruditos habemus: ſed obſecro te, ita uetuſta habeantur iſta, non ut uincula uirorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum. quid enim cenſes? ſi L. Mumius aliquem iſtorum uideret matellionem Corinthium cupidiſsimè tractantem, quum ipſe totam Corinthum contempſiſſet, utrum illum ciuem excellentem, an atrienſem ſeruum diligentem putaret? Hactenus Cicero, cuius paulo plura conſilium fuit apponere, ut pernoſceremus quantopere attoniti plerique ſigna mirati ſint, ab eo præſertim tẽpore quo Lucius idem Mumius, de quo mentionem Cicero facit, deuicta Achaia, ſignis urbem repleuit: quamuis (ut hiſtoria teſtatum ſcimus) deceſſerit ipſe, non relicturus filiæ ſuæ dotem. Multa & Luculli inuexere. Verum Græci ipſi uſq; ad inſaniam hæc amplexati ſunt, ſiquidẽ produnt eminentiſsimi auctores, Rhodi fuiſſe ſignorum ad ſeptuagintatria millia. Nec pauciora Athenis, ac Olympiæ, Delphis etiam ſuperfuiſſe, creditum eſt. Cæterum multi ijs quæ uocãt Corinthia, in tantum capiebantur, ut ſecum, etiam circumferrent, ſicut Hortenſius orator ſphingem Verri reo ablatam, propter quam Cicero illo iudicio in altercatione, neganti ei ſe ænigmata intelligere, reſpondit, debere, quoniam ſphingem domi haberet. Circumtulit Nero princeps Amazonem. C. Ceſtius conſularis ſignum etiam in prælio ſecum habuit. Alexandri Magni tabernaculum ſtatuæ ſuſtinebant. Sunt porrò qui inter omnia ſtatuarum uſum egregium putent, quando & ornamento ueniunt ſacris & prophanis publicis item priuatisq; ædificijs. Addunt etiam mirificam eas hominibus rebusq; memoriam præſtare. Quinetiã quiſquis huius argumenti inuentor extitit primus, cum religione profectò uidentur prodijſſe. Sunt qui Hetruriæ hoc contribuant. Alij Telchines Rhodios primum opinantur ſtatuas honori diuino confabricatos. Et quod protinus ſubnotatione dignum uidetur, ita illas dicare conſueuerant, ut magicis auctæ diritatibus, nubes exiſtimarentur, imbres, & eiuſmodi alia, miranda ratione perficere, nouasq; formas animantium ad arbitrium immutare. Immo uero & fictiles quoque ſtatuas uocem eſſe nactas, primo De dubijs animæ meminit Plotinus. Siquidem magi ſtatuas loquentes conſtruere credebantur: in quibus nec propriæ ulla ſtatuarum animæ, nec ſydera loquebantur: ſed dæmones ab eodem ducti ſydere, ſub cuius imperio ſtatuæ fingebantur. Primus apud Græcos Cadmus Agenoris filius ſtatuas deorum in templis conſecraſſe fertur. Apud Ariſtotelem primas Athenis in foro poſitas

legimus

legimus Harmodio & Ariſtogitoni, quòd hi primum tyrannidem ſuſtuliſſent. Eas Alexandrum à Xerxe aſportatas reſtituiſſe Athenienſibus, meminit Arrianus hiſtoricus. Romæ tantam legimus fuiſſe ſtatuarum copiam, ut alter adeſſe populus lapideus diceretur. Nam etiam ſi uti ab lyrico proditum Simonide eſt, beatè perfecta ratione uicturo ante alia, patriam oportet eſſe glorioſam: plerique omnes nihilo ſecius æternitati ſe commendari arbitrantur ſtatuarum ſurrectione, ac eas affectant ardentius, ceu præmij plus ex figmentis æneis ſenſu carentibus indepturi, quàm ex honeſtè geſtorũ conſcientia. Quin eas auro imbracteari curãt, ut ait Ammianus. Quod Acilio (inquit) Glabrioni delatum primò eſt, Antiocho ſuperato. At interrogatus Cato, quid ita inter multos nobiles ſtatuam non haberet: Malo (inquit) bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, ꝙ quod eſt grauius, cur impetrarim muſsitare. Semiramis quod ſcitu dignum equidem cenſui, quum & lapis deficeret, & maius aliquid concupiſceret, quàm quod ære poſſet aſſequi, apud montem Mediæ, qui Bagiſtanus dicitur, in petra ſtadiorum ſeptem & decem ſuam inſculpſit effigiem, quam uiri centũ donis uenerarentur. Illud de ſtatuarijs adiecero quod prodidit Siculus Diodorus: Statuarios Aegyptios tantũ præcelluiſſe arte & ingenio, ut ex uarijs lapidibus, diuerſis poſiti locis unum ſimulacri corpus conficerent, conuentu partium adeo perfinito, ut uno loco ab eodem artifice eſſe perfectum uideretur. Eiuſmodi uero fuiſſe ferunt celebratum illud Pythij Apollinis ſimulacrum apud Samios. In hac uero mentione ſciendum, eſſe inter eruditos quibus arrideat, à Martiale primo Epigrammatum,

Hic ubi ſydereus propius uidet aſtra coloſſus.

Eum ſignari coloſſum, qui Veſpaſiano ſextum conſule, ac Tito quartũ, in ſacra eſt ſurrectus uia, altitudine centum ferè pedum, Neronis ſpecie aut Titi, quod tradũt alij. At ex grammatica ratione illud nec prætereundum: ab ſtatua, ſtatunculum inclinari, forma deminuta: ſicuti ab rana, dicitur ranunculus. Staticulum tamen neutro genere pronuntiaſſe uidetur Hieronymus: Quòd autem (inquit) uxor Loth fit ſtaticulum ſalis, in ſipientiæ eius expoſitum uidetur indiciũ. Hinc liquet (arbitror) quæ ad lectionem Plinij reſtituendam adijci queant, ijs quæ ingenioſius peruidiſſe aduertitur Hermolaus libro triceſimoſeptimo, capite decimo, de Achate. Sed illa forſan attigiſſe præſtiterit: ſtatuariam uideri in ſpecies quinq; diſtributam de rationibus ſubiectæ materię, ſiquidem lignorum uel eboris elaboratrix, tomice nuncupatur: ex quo & artifices id genus quibuſdam dicti deſectores. Quæ argillam tractat, plaſtice uocari ſolet: at quæ gypſum, paradigmatice, quoniam ab typis non abſcedit. Gypſochoos ſunt qui dicant ipſos artifices. Quæ lapides ſcalpit, colaptice nomen habet, ſeu ſcalptura: lithoxoos appellant hoſce. Poſtremò quæ cum metallis contrahit, glyphice eſt, uel ſcalptura, cuius ratio duplex: nam ſi adhibeatur cæra, deductionis ratione, agogice uocatur. Etenim ab funden di argumento chemicen, id eſt χημικὴν, alteram dixere. Ab ſtatu uero nuncupatæ creduntur ſtatuæ. Statuum autem alij ſunt recti, alij flexi, quidam & obliqui. Porrò anaglyphicem intelligunt, quum ita exſculpſimus, ut promineãt imagines: diaglyphicem uero ad impreſſuram ſpectare. Nam encolaptice, laminas cælando conformat: ſicut uaſa toreutice, ac fibulas, candelabra, id genus plura. Encauſtice uel inuſtoria, argentum, æs, uitrum expingit: unde encauſtum dicere uulgò ſmaltum poſſumus. Proplaſticem accipiunt, ubi futuri operis formas confingunt plaſtæ ex creta: nam ſi id ipſum ex cæra ſculptor facit, protypus dicitur: ſi ex ligno architectus, modulus. Sed ſatis hęc ſuperq; de ſtatuis. Nec minus inſaniæ circa picturæ opera: Pinacothecas (inquit Plinius) ueteribus tabulis conſuunt, alienasq; effigies colunt ipſi, honorem non niſi cum pretio ducentes, ut frangat hæres, furis detrahat laqueus. Palæſtras athletarum imaginibus, & cæromata ſua exornãt, & uultus Epicuri per cubicula geſtant, ac circumferunt ſecum. Dignatio præcipua Romæ increuit à M. Valerio Maximo cõſule, quum Meſſala principeps tabulam picturæ prælij, quo Carthaginenſes & Hieronem in Sicilia deuicerat, propoſuit in latere curiæ Hoſtiliæ, anno ab Vrbe condita quadringenteſimo nonageſimo: Tabulis externis auctoritatem fecit primus idem L. Mumius, cui cognomen Achaici dedit uictoria. Nam quum in præda uendenda res diſtraxiſſet, & rex Attalus

talus ſex millibus ſeſtertiûm emiſſet Ariſtidis tabulam, Liberum patrem cõtinentem, pretiũ miratus, ſuſpicatus aliquid in ea uirtutis quod ipſe neſciret, reuocauit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro poſuit. Quam primũ putant picturam externam Romæ publicatam. Hinc in foro quoq; uulgò poſitas ſcimus: hinc enim eſt Craſſi oratoris ille lepos agentis ſub ueteribus, quum teſtis cõpellatus inſtaret. Dic ergo Craſſe, Qualem me reris? Talem, inquit. oſtendens in tabula pictum inficetiſſimè Gallum, exerentem linguam. In foro fuit & illa paſtoris ſenis cum baculo, de qua Teutonorũ legatus, quanti eum æſtimaret interrogatus, reſpondit, Sibi donari nolle talem uiuum uerumq;. Sed hæc quid mirari neceſſe eſt? Cœpit mox & claſsibus familiaris eſſe pictura, immo & onerarijs nauibus, quoniam & pericula expingi placuit, immo uero etiam rogos: iuuitq; pugnaturos ad mortem, aut certè cædem, ſpecioſe uehi. Aegyptij etiam ueſtes pingebant, inter pauca mirabili genere, candida uela, poſtquàm attriuiſſent, illinebant, non coloribus, ſed colorem ſorbentibus medicamentis. Hoc quum fecere, non apparet in uelis, ſed in cortina pingi. In feruentes aquas merſa poſt momentum extrahuntur picta. Cæterum artis qua de agimus, elogium id fuerit præclarum: Pictorem quum loquitur, loqui male: at quum pictura, bene utique. Vani quippe ſit artificis, aliunde quàm ab opere plauſum expectaſſe: neque enim ex iudice uirtus profluit operis, ſed iudici opus commendat artificem. Illud fuerit ſuperpondium, quia de pictura agimus, Imaginum alias dici & eſſe artificiales, alias uero naturales. Id autem haberi interſtitium, quod quæ ab arte promuntur, & id cuius ſunt imagines, æquiuocè dicuntur. Quippe ſunt imperfectæ, neque enim picto homini animam, & inde uitam dederit ulla ars. Naturales uero uniuocæ, uiuunt nanque & primitiuis ſimiles à natura producuntur, nec differũt: niſi numero: aliud enim producens eſt, aliud productum. Quod poeta nobilis expreſſit illis uerſibus, Andromache dicente,

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago,
Sic oculos ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Inuenimus item picturas uel ſtatuas nuncupari ethicas, quibus nõ imagines modò exprimuntur, ſed mores quoque, ut tantum non ſpirare uideantur. τὰ ἤθη ab noſtris ſenſus tamen transferuntur propriè, non mores: ſed Quintilianus ſuper hac re libro ſexto plura. Ethicas perſonas intelligit Hermogenes in ſtatuum ratione, agricolas, gulones, id genus alias.

Cuiuſmodi ſit prouerbium, Equus Troianus: decq; ea re pluſcula. *Item de Epeo, ac Pryli uate. Porcus Troianus qui.* Cap. XXV

EQuus Troianus, quantum lectione magiſtra compertum mihi eſt, prouerbio ualet uſurpari pro ſocietate non in perniciem modò cuiuſpiam inita, uerum & ad bonam frugem aliquam. Cicero in Philippicis: In huius me (inquit) conſilij ſocietatem, tanquam in equum Troianum includi cum principibus, non recuſo. Alibi Cicero idem: Ex Iſocratis ludo, ueluti ex equo Troiano, innumeros principes exiuiſſe, ſcribit. Adagij ratio notiſsima: nam Græcorũ principes incluſos fuiſſe in equũ Troianũ, nemo nõ nouit, uel ex illo Virgiliano,

Huc delecta uirûm ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri.

Sed & Odyſſeæ octauo ita prius commemineratHomerus,

ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι, καὶ ἵππου κόσμον ἄεῖσον
δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησε σὺν Ἀθήνῃ.

id eſt, Sed age, tranſi, & equi decus concine Duratei, quem Epeus concinnauit cum Pallade. Lucretius quoq; in primo De rerum natura:

Nam quum Durateus Troianis Pergama partu
Inflammaſſet equus nocturno Graiugenarum.

Ex qua ratione uidetur & Valerius Flaccus libro Argonauticon ſecundo, ita ſcriptum reliquiſſe, Manet immotis nox Duria fatis.

Ex Politiani doctiſsimi uiri emendatione. M. Varro, quod ad equum ligneum attinet, Epeum eius concinnatorem fuiſſe coquum ſcribit, & Argiuis cibum curaſſe: ideoq; à

Plaute

Plauto fumicum coquinatorio epitheto nominatum. Fuiſſe uero Panopei filium tradunt, ac de equi ſubſtructione Hippotectona uocatum. Illud porrò adijciendũ: equos Durios ex poetica hiſtoria poſſe dici magnos ſtaturoſoſq́, de magnitudine uidelicet equi illius Troiani. Ariſtophanes in Auibus,

καὶ θεαγχίνης, ϕαυτίῳ δὴ ἅρματι,
ἵππῳ κατόντ' ὢν μέγεθος, ὅδε ὁ λόφος.

Ad quod reſpiciens peritiſsimus poeta ita cecinit:

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, ſectaq́ intexunt abiete coſtas.

Putant eruditi, comicum ſcientiſſimum de equo æneo, qui fuerit in Athenienſium Acropoli, ſiue arce, intellexiſſe: qui & ſi æneus foret, Durius tamen nuncupabatur, eo titulo,

χαιρέδημος δυαγγέλου ἐκ πολίλης ἀνέθηκε.

id eſt, Chæredemus Euangeli ex Cœle dicauit. Sed & hic, equi Troiani imaginem referebat. Ex hac item Troiani equi ſimilitudine in ueteribus memorijs, porcum dici Troianum inuenimus, quaſi alijs incluſis animalibus grauidũ, ut ille grauidus armatis fuit. Scribit in Cœnis ſuis Macrobius, Cinciũ in ſuaſione legis Fanniæ obieciſſe ſeculo ſuo, quod porcum Troianum menſis inferrent. Dignum uero ſcitu: fuiſſe in Lesbo uatem, Prylin nomine, Cadmi, hoc eſt Mercurij filium, & Iſſæ nymphæ, qui appulſis in Leſbum Græcis, ab Palamede permulctus donis, captiuitatis lij modũ eſt profatus, equi Durij, hoc eſt lignei ratione præmonſtrata, intra quem delituerint tria millia hominũ, quinquaginta additis: uel (quod uerius) κ γ, id eſt uigintitrib. tantũ: illud planè poeticum, hoc uero hiſtoricum. Nec prætereundum, Themiſtoclem, quum ab hippotropho Philide equum petijſſet, nec impetraſſet, eſſe interminatum, ſtatim ſe τὸν οἶκον αὐτῷ ποιήσειν δούρειον ἵππον. id eſt, eius domum ligneum equum effecturum, perobſcurè innuente, proximorum crimina & accuſationes homini ſe inducturum.

Perdicis libido in prouerbium producta, quam habeat rationem. Perdix uenator. Perdicum uerſutia. ἐκπεδίκισαι quid. Perdix, an ſit uocalis. Papinius declarat. Progne, an in hirundinẽ deformata. Luſciniæ, ſeu philomelæ docilitas. Atticoperdix. Hippopotami impietas. Ciconiæ in ſceptris imago. Iuſtitię imago. Ciceris grano Ciceronem indicatum. Vocum differentiæ in auibus. Aegyptiorum literę, id eſt hieroglypha grãmata. De perdice à Protogene picto. Perdica. Agrippa. Sitta. Pſitta. Cap. XXVI

PErdicis libidinem, uſurpari poſſe adagio ſcimus, pro efferata, turpi atque infami, demumq́ pernicioſa. Proditum à mythicis eſt, Perdicem fuiſſe uenatorem, qui ſit matris infando amore correptus, dum uerò utrinque immodeſta libido ferueret, & noui facinoris uerecundia reluctaretur, cõſumptus, atque ad extremam labem perductus memoratur. Hunc primum inueniſſe ſerram ſcribunt nonnulli: nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum. Feneſtella Martialis ſcriptum reliquit, hunc Perdica fuiſſe initio uenatorem, cui quum cruentum inſtitutum, & ſolitudinis ſtudioſa meditatio diſplicere cœpiſſet, aſſiduis agitata curſibus, ſimulq́ quòd intueretur eiuſdem ſtudioſos, Actæona, Adonin, Hippolytum peſſimo interijſſe exitio, artis priſtinæ affectui miſiſſe repudium, atque eo ſtudio deſito, agriculturæ totum ſe mancipaſſe: quo nomine, terram quaſi matrem, omnium genitricem, fertur adamaſſe: quo labore conſumptus, ad maciem prolapſus dicitur. Quòd uero cunctis uenatoribus detraheret, ſerram, ueluti linguæ uirulentiam, dicitur excogitaſſe. Matri eius indidere nomen Polycaſtem, quod interpretantur polycarpem, à fructuum numeroſitate, quos humanis uſibus terra parens producit. Cæterum, ut à fabuloſis ad hiſtoricam demigremus ueritatem, uidetur auis quoq́ adagio gradum feciſſe. Nec enim ut rerum naturæ periti tradunt, in animali alio par opus libidinis: ſi contra mares ſteterint fœminæ, ſicuti quinto De hiſtorijs Ariſtoteles ſcribit, aura ab ijs flante, prægnantes fiunt: hiantes autem exerta lingua, per id tempus æſtuant, concipiuntq́ ſuperuolantium afflatu, ſæpe uoce tantum audita maſculi: quod ab Auicenna item repetitum ſci-

mus

mus De animalibus quinto: Dimicant inter ſe mares deſiderio fœminarum, uictumq́ aiunt Venerem pati: quod quidẽ & cothurnices facere dicuntur. Addit Trogus, etiam gallinaceos aliquando; etiam ſi apud Plutarchum Gryllus ſophiſta apud Circem deformatus in brutum, negat ex brutis ullum maſculam affectare Venerem. Capiuntur quoque pugnacitate eiuſdem libidinis, cõtra aucupis indicem exeunte in prælium ducetius gregis. Perdix (inquit Hieronymus) & aliena oua calefacit, ſi furto propria amiſerit, ſed quum creuerint in nidis pulli, euolant, & ad parentes ſuos redeunt, ementitum omittẽtes. Perdices ſibi inſidiantur, et ſi afferant illos ad ſyluam qui eos habent, uocem emittunt abſconſi, ſicq́ ueniunt cæteri, ac in retia præcipitantur, pluſq́ pedibus quàm pènnis fugiunt aucupantes: & ſi ad hoc fuerint ut capiantur, ſimilem ſibi colore lapidem quærunt, & inibi ſupinos ſe componunt. Vnde & perdicis uafricia in prouerbiũ quoque producitur, de qua præclarè ut de aliis Plinius. Hinc apud Ariſtophanem formatum in Auibus uerbum inuenimus, ἐκπερδικίσαι pro eo quod eſt elabi aſtutè, atque periculum declinare,

ἐὰν δ' ὁ πούς που δῆναι τοῖς ἀτίμοις τὰς πύλας
βάλητα, πέρδιξ γὰρ ἐδω τὸ παῖδος νεόττιον,
ὡς παρ' ἡμῖν ὄδε μισχὸν ἐκπερδικίσαι.

In cuius loci enarratione grãmatici ita produnt, ἐκπερδικίσαι, ἀντὶ τοῦ πέρδικα αὐτὴ γενέσθαι. εἴρηκε δὲ ἀπὸ τοῦ πέρδικας καταλαμβανομένους ὑπὸ ἀνθρώπων, μηχανᾶσθαι τοιούτῳ σοφίσματι. λαμβάνοντες γὰρ κάρφη τοῖς ποσὶν, ὑπίσω ἑαυτῶν βίπτουσιν, καὶ οὕτως ὧν καλύπτουσι καὶ ἐκκλίνουσι. quod eſt effugere: quoniam ipſum dixit poeta perdicem debere fieri. Productum autem ἐκπερδικίσαι uerbum, quod deprehenſi perdices ab hominibus, id comminiſcuntur ſalutis cauſa: feſtucas ſiquidem pedibus capientes reſupinos ſe collocant abiiciuntq́, atque ita operti elabuntur. Idem interpres uocat perdica ὄρνεον πανοῦργον, id eſt auem peraſtutã & uafram. Quin & modo alio eiuſdem interpretatur uaframenta: Educit (inquit) pullos in paſcua. Quòd ſi hominem uiderit, ſibilo id illis ſignificat, qui confeſtim reſupinos ſe collocant: adeo ut ne ſi palpitando quidem pericliteris, aduertas. Mox ubi uenator quadamtenus eſt progreſſus, rurſum pater ſibilat, at illi euolant protinus. Hoc igitur eſt (inquit) ἐκπερδικίσαι. Perdicem uidetur Papinius docilem intelexiſſe, aptumq́ ſermoni humano enuntiando, quum Syluula quadam libri ſecundi de pſitaco Melioris ita canit,

Quiq́ refert iungens iterata uocabula perdix.

Domitius interpres ingenij longè præcellentis, eius rei rationẽ poetę ipſi excutiendam reliquit. Id quod reprehendent forſan aliqui, ac referendum putabunt non ad auis docilitatem, ſed ad uocis ſonum, qui auis eius eſt genuinus. Eſt autem λακκαβοίζειν, iridecq́ ob ſyllabæ repetitionem, quæ in eo uerbo eſt, à poeta dictum uideri, iterata uocabula à perdice referri. Eſt ſanè uerbum id perdicum uoci peraccommodum, ſed nõ omnium. Auctor Ariſtoteles eſt, differre & cæterorum animalium uocem, & eorum quæ genere eodem continentur, loci ratione: uerbi gratia, perdicum οἱ μὲν λακκαβοίζουσι, οἱ δὲ πέρδιζουσι. quod eſt, alij caccabant, ſtrident alij. Sunt hæc omnino uera, ſed ita ut Papinij ſenſum nil prorſum iuuent: quippe quæ nugalia ſint, & ut ille ait, Chryſippi ſyllogiſmis, & Platonis legibus frigidiora. Nec ad hoc commentum euertendum ullis uineis aut arietibus eſt opus: uerbis poetæ nullo negotio coarguitur. Quod ut liquidò pateat, Papinij ipſius carmina, quæ ante illud quod modò protuli leguntur, duxi ſubijcienda, quibus manifeſtum fit, recenſeri ab eo tantum, quæ humani ſermonis enuntiationi ſufficiunt aues: ſic autem habent,

Plangat Phœbeius ales
Auditasq́ memor penitus dimittere uoces
Sturnus, & Aonio uerſæ certamine picæ,
Quiq́ refert iungens iterata uocabula perdix,
Et quæ biſtonio queritur ſoror orba cubili,
Ferte ſimul gemitus.

Quòd ſi quis penultimo inductus carmine in diuerſam pedibus ſentẽtiam abeundum cenſet

cenſet,tanquam hirundo nil minus quàm humanum prorumpat in ſonum: reſpõdeo, expoſitionem illam de Prognes deformatione in hirundinem, eſſe quidem à Varrone confirmatã,& à noſtris ferè.Cæterum Græcorum nonnulli in luſciniam malunt.Quod Probus non ignorauit in Bucolicon Virgilij: & uidet Ouidius ſequutus,quũ ita canit,

Sola uirum non ulta prius mœſtiſſima mater
Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn.

Et Ioannes grammaticus in Heſiodi commentario ferè in fine, Ἡ πρόλυπι inquit ἀηδὼν γεγονῦα τὸν ἴτυν ὀδύρεται, Φιλομήλα δὲ χελιδὼν, τηρεὺς φησί μι ἐβιώσατο. Philomelæ porrò docilitatem,ſiue luſciniæ,quis ignorat? Quum ſciamus Druſum & Britannicũ Claudij filios luſcinias habuiſſe Græco atq; Latino ſermone dociles? Quo uero de perdice nil uideatur abſurdum, Plinij uerba ſubtexere libuit ex decimo Naturalis hiſtoriæ: Verum (inquit) alias addiſcere negant poſſe,quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glande ueſcuntur,& inter eas facilius,quibus quini ſunt digiti in pedibus,ac ne eas quidem ipſas primis duobus uitæ annis.Latior ijs eſt lingua omnibus, in ſuo cuiq; genere,quæ ſermonem imitantur humanum,quanquam id penè in omnibus contingit. Agrippina coniunx Claudij Cæſaris turdum habuit,quod nunquam antè, imitantẽ ſermones hominum. Ex ijs nimirum impoſſibile uideri haudquaquam poteſt, perdicem humanæ uocis expreſſiſſe ſonum. Quæ uero Plinius ſcribit, ferè ab Ariſtotele promuntur libro ſecundo De hiſtorijs,præſertim quæ ad linguæ modum pertinent.Lingua (inquit)omnibus eſt,ſed uariè, alijs enim longa,alijs breuis,alijs lata,alijs anguſta.Omnium maximè animalium poſt hominem literas proferre nonnulla auium genera queunt, uidelicet ea præcipuè quæ πλατύγλωσσα ſunt, hoc eſt quibus lingua latior eſt. Sed & Ariſtotelem imitatus Auicẽna:Aues (inquit) quæ habent linguam amplam,hominis uocem imitantur. Sed planius in Sympoſiacis Plutarchus, perdicis loquacitatem non tacuit, quin eſſe uocalem ac diſcere, comprobat idem alibi. Sed & in Laconia haberi perdices uocales,monſtrauit in Dipnoſophiſtis Athenæus,qui & Ariſtomenem Athenienſem,Adriani libertũ,dici à patrono ſolitum ſcribit Atticoperdica, quum eſſet comœdiæ ueteris hiſtrio. Idem tamen aduerſus uſuram Plutarchus quendam proſcindens, illum dicit ἀφωνότερον περδίκου, id eſt perdice magis mutum. Sed quia de uoce mentio eſt,addamus quæ primo De hiſtorijs idem prodit Ariſtoteles: Ex animantibus alia ſunt (inquit) ψοφητικά, hoc eſt quæ ſtrepitũ tantum elidunt:alia uero aphona, ſiue muta: alia φωνήεντα, quæ uocem formant: ſed ex ijs aliqua dialecton habent, id eſt loqui poſſunt:alia agrammata,quæ uocem ſolam nullis exprimendã literis reddunt:alia ſunt λωπίλα, hoc eſt loquacia: alia taciturna. Cæterum ut ad perdices redeamus,Aegyptiorum literis quæ animantium figuris, reliquiſq; huiuſmodi corporibus ac ſignis conſtabant,quod Chæremon docet atq; Horapollo: & hieroglyphicæ uocantur,uel ignorabiles à Latinis,uti Ammiano credimus propemodum: hi contumelioſos monſtrare uidentur,quoniam iſtiuſmodi aues ſenio confectæ cõtumelia ſe afficiant: ſicuti anguilla inuidiam ſignare uidetur, quæ ita bonis infeſta omnibus eſt, ut anguilla piſcibus, quorum omnium ſocietatem & communionem fugit. Hippopotami ungulæ deorſum uerſæ impium, iniuſtum ingratumq; ſignificant: idem & columbus, qui quanquam bilis expers,& in uniuerſa animantium peſtilentia ſolus illius morbi contagio uacat, in parentes ſe tamen ingratum præſtat atque infeſtum:quippe qui robuſtior factus, patrem pugnando à matre fugat, cui ipſe miſcetur. At equus ille fluuialis, quum primum per ætatem licuerit,patrem experitur uiribus,quem ſi pugna ſuperarit, ac ſibi locum cedere animaduerterit,matrem init,uita patri conceſſa. Quòd ſi uictus pater, minus ei permittat cum matre concubitum, tum patrem filius robore uiribusq; fretus interimit, ac matrem comprimit. Itaq; non abſurde ijdem Aegyptij ad inferiorẽ partem duas item pingunt eiuſdem hippopotami ungulas, quo id homines intuentes, & quod de iſtiuſmodi bellua dicitur, cogitantes, ſint in referenda gratia promptiores. Ex hac doctrina uidetur & illud eſſe depromptũ,quòd in regum ſceptris ſuperne ciconiam figurabant, infernè uero hippopotamum:quippe ſignificantes uim iuſtitiæ parere,quando hippopotamus animal ſit iniuſtiſſimum.Inuenio literas id genus (ut dixi) appellari hierogly

pha grammata, quòd ijs in rebus ſacris myſteria ſignificarentur: & Chæremon, cuius paulo antè mentionem habuimus, hieroglyphica ſcripſit. Erant inde apud Aegyptios, qui dicebantur hierogrammates, hoc eſt ἱερογραμματεῖς, qui etiam de futuris uaticinia concipiebant, unumq; ex ijs regi mirabiliter multa de Moyſi mox naſcituri excellentia prædixiſſe, proditum memoriæ eſt. Hæc immo uberius contexere libuit, ut apertius intelligeremus illud ex Lucani Pharſalia, qui doctiſſimè quod adſtruximus, ita breuiter canit,

Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Nouerat: in ſaxis tantum uolucresq; feræq;,
Sculptaq; ſeruabant magicas animalia linguas.

Inuenio illud quoq; in antiquis memorijs, Aegyptios literas quidem proprias habere quas diſcant omnes: ſed quas appellant ſacras, ſoli norunt ſacerdotes, à parentibus priuatim acceptas. Apud Aethiopas uero, quorũ coloni fuiſſe uidentur Aegyptij, ijſdem omnes utebantur figuris. Volebamus iam capiti huic impingere umbilicum, ſed collibuit, quum fortè in manibus eſſet Diodorus, adnectere quæ ille quarto Bibliotheces prodiderit, ad hoc ipſum facientia maximè: quoniam in id genus parerga libenter excurrimus, ſi præſertim ſcitius aliquid remotiusq; cõplectantur: Accipiter (inquit) rem denotat citò factam, quoniam hæc aliarum fermè omnium auis ſit uelociſſima. Tranſfertur hæc notatio ad domeſticas res quæ uelociter fiant. Crocodilus malum ſignificat. Oculus, iuſtitiæ ſeruator & totius corporis cuſtos interpretatur, alioqui iuſtitia oculatiſſima eſſe fingitur, oculo uegetiſſimo, acie perſpicaci, & cuncta perſpiciente. Quam Chryſippus effingi ſolitam prodidit, aſpectu formidabili, luminibus oculorũ acribus, neq; humilis, neq; atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate. Plato uolumine De legibus nono, Iuſtitiam omnium ſpeculatricem atq; uindicem appellat, & ita dici à priſcis ſacerdotibus tradit. Hinc legimus, quoſdam ſolis & iuſtitiæ teſtatos oculum, & in uerſipelles dici inuenimus ex adagio, Ipſos etiã oculos ſolis & iuſtitiæ facile fruſtrari poſſe. Sed ut inſtitutum repetamus, ex reliquis corporis partibus dextera manus, digitis paſſis libertatem deſignat: ſiniſtra uero compreſſis, tenacitatem atq; auaritiam. Eodem modo & cæterarum corporis partium figura atq; inſtrumenta certum quid notabant. Sed hic adnotãdum illud eſt, L. Apuleio libro undecimo Aſini aurei, literarum genus hoc dici ignorabile. Compluſcula eius auctoris uerba collibuit exſcribere. De opertis (inquit) adyti profert quoſdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris huiuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa uerba ſuggerentes, partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimq; cõdenſis apicibus, à curioſitate prophanorum lectione munita. Cornelius quoq; Tacitus libro Auguſtæ hiſtoriæ undecimo, dum de literarum diſſerit inuentoribus: Primi (inquit) per figuras animalium Aegyptij ſenſus mentis effinxerunt, & antiquiſſima monumẽta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, ac literarum ſemet inuentores item perhibent. Inde Phœnicas qui mari præpollebant, intuliſſe Græciæ memorant, gloriamq; adeptos, tanquam repererint quæ ab Aegyptijs acceperant. Ammianus Marcellinus in obeliſci mentione: Formarum (inquit) innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique uidemus inciſas, initialis ſapientiæ inſigniuit auctoritas. Idem mox paulo obeliſcum dicit ſcriptilibus effigiatum elementis. Ab ijs haud ita diſſidet, quod à Cicerone factum ſcribunt Græci. Qui in Sicilia quæſtor dijs argẽteo munere oblato, quum (uti aſſolet) adderetur epigramma, prænomen Marci, Tullijq; nomen apponi integrũ iuſſit. Ciceronis autem loco, quod ſequebatur, facetè ciceris granum ab artifice inſculpi uoluit. Cæterum, ſicut à perdice ſumus exorſi, ita in eundem deſinamus, obiter adnotabimus quæ libro quartodecimo Strabo prodidit ſuper perdice à Protogene picto: Item (inquit) ex Protogenis picturis Ialyſus ac Satyrus iuxta columnã ſtans, ſuper columna perdix erat, ad quem ita homines hiabant, quum nuper tabula eſſet poſita, ut illum ſolum admirarentur, Satyrum uero cõtemnerent, quanquam perfectiſſimum opus augebant admirationem perdices manſueti, qui à nutritoribus allati, & cõtra pictum appoſiti canebant ad picturam, & congredi geſtiebant. Protogenes rem uidens præter

opinionem

opinionem euenisse,ædituos rogauit,ut deleri auem permitterent:quod & factum est. Sciendum denique,perdica,agrippa,sitta,psitta,censeri apud Græcos aduerbiales uoces,quibus animalia dum abigunt,utantur pastores,caprarij ac bubulci.

De Harpyis quàm diuersa comperiãtur apud Græcos certatim & Latinos. Harpe quid, harpides, harpys, harpasus, harpasa, harpagia, harpage. Creagra. Lycos. Corax. Turres nauales. Caput XXVII

HArpyias malas pro nequissimis mulieribus,ueluti ex adagio usurpasse uidetur Apuleius.cuiusmodi fuerint monstrosa harpyiarũ corpora, notum abundè (opinor) ex Virgiliano carmine,

Virginei uolucrum uultus, fœdissima uentris
Proluuies,uncæque manus,& pallida semper
Ora fame.

Seruius Neptuni prodigiorum patris & terræ filias putat. Sunt qui scribant, ideo uirgines fingi, quòd omnis rapina arida sit, ac sterilis. Ideo plumis circumdatas,quòd quicquid inuaserit rapina,cælat. Volatiles autem, quòd omnis rapina ad uolandum sit celerrima. Dicitur enim aello, quasi ἑλὼν ἄλλο, id est alienum tollens,ocypete citius auferens. Celænum uero, Græci nigrum uocant. Vnde & Homerus prima Iliados rhapsodia,

ἄψαρ τοι ἄμμα μελαινὸν ἐρωήσει πρὸς ὀϊστόν.

id est, Statim niger tuus sanguis emanabit per meam hastam. Quæ omnia id demum significare agnoscimus,quòd aliena concupiscimus primò,mox expetita inuadimus, postremò inuncata semel abscondimus illatebramusque.Sed & ipsum Harpyiarum nomen,inditum à rapacitate uidetur, siquidem eo nomine indicatur Græcis rapina: unde & Harpax in Pseudoli argumento,

Venit Harpax uerus,res palàm cognoscitur.

Est & apud eundem harpagare uerbum,ut item in Pseudolo,

Neque homines magis asinos unquam uidi,ita plagis costæ callent,
Quos dum ferias,tibi plus noceas:eo enim ingenio hi sunt flagricibæ,
Qui hæc habent consilia,ubi data occasio est,Rape,clepe,tene,harpaga.

Sunt qui putent,tribus Harpyis addi ab Homero quartam nomine Thyellam. Apollonij uero interpres in illis poetæ uerbis ex Argonauticôn primo,

ἀλλὰ θύελλαι αὖτις ἁρπάγδην ὀπίσω φέρον.

id est,At Thyellæ aduersæ raptim retrò ferebant. Ita scribit, Thyellæ hiberni flatus & procellæ:unde Homerus per synonymiam Thyellas posuit, & Harpyias, hoc est procellosos flatus:

ὡς δ' ὅτε παυλαρέου κύρας ἀνέλοντο θύελλαι. Et mox,
πόφρα δὲ τὰς κύρας ἅρπυιαι ἀνηρέψαντο.

Apollonius uero operis eiusdem libro secundo, Iouis magni canes, harpyias dixit illis uersibus,

οὐ θέμις ὦ υἷες Βορέου ξιφέεσσιν ἐλάσσαι
ἅρπυιας, μεγάλοιο διὸς λαῶας.

Et mox subiungit,fugatas à Zeto & Calai coniecisse se in specu, quod in Creta uiseba-tur,sub Arginunte:quam rem Neoptolemus quoque ac Pherecydes literis commendarint.Sunt ex Græcis, qui irin harpyiarum sororem prodiderint.Pro cruentis sanguinarijsque raptoribus,pecuniæ immorientes uidetur Sidonius Apollinaris Harpyias usurpasse:Nam libẽter(inquit)incedunt armati ad epulas,albati ad exsequias, pellíti ad ecclesias,pullati ad nuptias, castorinati ad letanias. Nullum illis genus hominum, ordinum,temporũ cordi est,in foro Scythæ,in cubiculo uiperæ,in conuiuio scurræ,in exactionibus Harpyiæ,in colloquutionibus statuæ.Sunt qui Harpyiarum nomine Furias intelligant:unde etiam epulas abripere dicũtur,quod est furiarum. Hinc eleganter Horatius gulam dixit rapacibus dignam Harpyijs,intelligi uolens, gulones dignos uideri,quibus Harpyiæ furtim inuolantes edulia surriperẽt,in ipso edendi desiderio,& epularum apparatu,sicuti Phineias diripuere dapes. Apuleius, Et tamen quotidie pastus electiles comparere nusquam:nec uticq; cellam suam immanes inuolare mures uel mu-

ſcas,ut olim Harpyiæ fuere.Quod diximus,Irin credi Harpyiarum ſororem, ne conſ-
ctum quis putet,confirmatur Heſiodi auctoritate ex Theogonia:

θάυμας δ' ὠκεανοῖο βαθυῤῥείταο θύγατρας
ἠγαγετ' ἠλέκτρῳ,ἠδ' ὠκυπόην τε θύελλαν
ἠνεμόεντας δ' ἅρπυιας,ἀελλώτ' ὠκυπετάων τε.

Harpyias grãmatici apud Græcos interpretantur ἁρπακτικὰς θεὰς, id eſt rapaces deas. Harpe uero,auis eſt ſpecies rapto uiuentis,aquilæ ſimilis. Homerus,

ἠδ' ἅρπη εἰκυῖα ταναυπτέρυγι,λιγυφώνῳ.

Quanquam & eodem nomine dici falcem nouimus. Heſiodus,

δεξιτέρη δ' ἅρπην ἐλεπαίολον ἔλλαβεν ἅρπη,
μακρὴν,καρχαρόδοντα.

Hinc harpedophorus dicitur falcifer.Harpides uero calciamenta ſunt,quæ item crepi-das uocant.Dicuntur uero quaſi ῥαπίδες, quia πολυῤῥαφῇ ὑποδήματα, id eſt multipli-ci ſutura calciamẽta ſint:ſic enim apud Græcos Saluſtius præcipit.Nominis uero etiam Callimachus meminit,

ἦν γὰρ μὴν τροιζῆνι θῆκε σὺν ἁρπίδεσιν.

Harpys uero amorem ſignat, à rapacitate item nomine accerſito. Vtitur eo in Crina-gora Parthenius,

ἀμφοτέροις ὠδῖβας ἅρπυς ἐλπίσας.

At Harpaſus eſt Cariæ fluuius, ab impetu prærapido ſic nuncupatus, prius dicebatur Daphnus: meminit Apollonius Caricorum quintodecimo. Harpaſan ciuitatem à flu-uio eodem nuncupari,Stephanus ſcribit. Harpeza dicitur montis pars ima, id eſt pes: uelut ὀρόπεζα,id eſt terminans extremitas.Harpagia dicebatur locus prope Cyzicum, unde raptum memorant Ganymedem. Sed & in Illyria ciuitas monſtratur Harpyia prope Enchelyas,in quam Amphiarai auriga Baton ſe cõtulit, poſtquam is perijt:me-minit Polybius.Harpagen,inter coquinaria inſtrumenta recenſet Pollux: ſed nomine alio dici creagram putat,& lycon,hoc eſt lupum. Alij eo nomine inſtrumentum quoq; intelligunt,extrahendis è puteo uaſis accommodum.Sunt & in belli uſibus Harpagæ, ab Agrippa excogitatæ, capiendis oblaqueandisq; nauibus. Ea uero ſunt cubitorum quinq; ligna, ferro circumplexa, fibulasq; ab capite utroq; præfixas continentia, uni falx ferro curuata inhæret, alteri funes deſtinantur plurimi, falces machinis attrahen-tes,ubi in tendiculam incidit hoſtica nauis: cui intercipiendæ machinula præſtò & al-tera eſt: coraca uocant, id eſt coruum. Quod autem ad Agrippam attinet, ſunt qui ab eodem,genus id turrium adinuẽtum ſcribant, ut de tabulatis ſubitò erigerentur, ſimul ac in prælium foret uentum.Ad quod alluſerit poeta nobilis,

Tanta mole uiri turritis puppibus inſtant.

Harpagones (inquit Plinius) Anacharſis excogitauit primus,& manus Pericles Athe nienſis:auctor nobis eſt in Viris illuſtribus Nepos Cornelius, hiſce uſum ex Romanis primum imperatorem Duillium.

Aeſtiuam ægritudinem, intelligi breuem, & quæ ſit eius rei ratio,Iuuenalis locus explicatur. Caput XXVIII

AEſtiuam ægritudinem ferè omnem celeriter deſinere, obſeruatũ eſt à cla-riſſimis medicorum. Quod ut monſtraret maximus ille ac diuiniſſimus Hippocrates libro Sentẽtiarum ſecundo,ita ſcriptum reliquit:Quartanæ æſtiuæ breues magna ex parte ſunt,autũnales longæ,præſertim quæ hye-mem attingũt.Aduocauit etenim morbum quàm diutiſſimè perſeueran-tem,ex quo uelut perſpicuæ claritudinis exemplo, reliqua morborum genera inaudiri dedit.Ex doctrina igitur hac profluit adagium,ut ægritudinem mox paulo deſituram, nec procaci recurſu,aut lancinatione diuturniore corpus emaciaturam, uel confectu-ram quoq; nuncupemus æſtiuam. Scrutabar uero curioſius, qui mos ferè mortalibus inſitus eſt,dicti euentusq; rationem,ſed nec laborandum diu fuit:præſtò enim eſt ſem-per,uelut ſuccenturiatus ille artis medicæ longè ſcientiſſimus Galenus, apud quem ita ſcriptum legimus,Non quartanæ ſolum (inquit) breues æſtate ſunt, ſed cæteræ ægritu-

tudines

dines quoq; celeriter desinunt. Nam succi funduntur & eunt usquequaq; de corpore, atq; reflantur. Igitur si uires supersunt, nocua materia secreta, morbi desistunt: sin uires desunt, infesta materia pariter abducta, eæ quoq; exsoluuntur: quamobrem nullus morbus æstate tardius absoluitur. Cæterum, ut æstate materia dispergitur, atq; aboletur facultas, ita hyeme contrà accidit: succi nanq; manent intus, modo animalium quæ illa tebrant se & delitescunt, & item facultas ualens persistit: itaq; quum morbificus succus maneat, neq; morbi conuelluntur, neq; ægri intereunt, quippe ualentior facultas renititur. Ex ijs quæ medicus præstantissimus exsequitur, lux multa infertur illi Satyrico,

Iam letifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam sperantibus ægris.

CAMILLI RICHERII RHODIGINI IN LIBROS LECTIONUM antiquarum Lodouici Cælij patrui, ad spectatissimum dominum Franciscum Venetium, ciuem Rhodiginum, & nunc regulatorem benemeritum, Præfatio tricesima.

SVnt equidem uir clarissime in patria nostra Rhodigina permulti quum nobilitate tum uirtute multa præsignes, quibus cum iucunda mihi consuetudo intercedit: sed qui me arctius quàm tu amplexari, patrio affectu amplius confouere, iuuare consilijs, ope iacentem quandoq; excitare sit uisus, haud scio an quenquam ad hanc diem compererim. Nec id expressum tibi ulla ingenij nostri acrimonia, quod mihi perquàm exiguum affulsit: nec literarum locupletiore supellectile, quæ prætenuis est: sed tua te uirtus, insita morum haud fucata simplicitas, hac quam sustines persona prorsum digna bonitas publicam quodammodo materiam facit. Abs te digreditur nemo non hilarior, qui tua usurus opera domi te quæsierit: aut qui forte, nedum destinato, dum iniunctam obis functionem, tibi se ingesserit. Nec mirum, ab incunabulis enim ita imbutus, ita instructus es à patruo meo, ut sapientis ac uerè cælestis uiri primam esse curam putares, non sibi, sed toti genitum se credere mundo. Hoc etiam à nobili Venetiorum prosapia habes, quæ omnibus prodesse, nemini obesse cõsueuit. Taceo alia. Hoc præterire nequeo: Lodouicum Cælium patruum meum miris effers laudibus: huius mores, huius eruditionem probas: ab eo quicquid in te doctrinæ est, accepisse fateris: illius hortatu te Patauium studendi gratia profectum fuisse, & in ciuili lure satis profecisse prædicas. Quo fit, ut concipere nequeat animus, tanta adobrutus mole rerum, quàm tibi hisce nominibus debeam: minus multo etiam si omnia undequaq; circumspecto, qua demum ratione tot tantisq; meritis tuis paria facere, parte saltem aliqua ualeam. Nec id, quia te beneficia putem fœnerari: etenim animi altitudinem tui creuisse abundè uideor: sed quoniam meæ partes sunt, in id tota ui incubuisse, ne tanta tua bonitate fuisse uidear indignus: nam quauis pernicie peius multo reor inauspicatissimum ingrati nomen, circumfuso tamẽ tantis rerum difficultatibus lucis nescio quid sese ostentauit. Quod est, si de literaria penu quippiam fuerit promptum, quo te uicissim promereamur: quando alia desunt in præsentia tentanti omnia, & omnem (uti dicitur) funiculum mouenti. Gratius autem hoc beneficij genus tibi futurum spondet illud, quòd literarum studia sic es perpetuò amplexatus, ut in ijs præcellere animaduertaris. Te igitur præside prodeat hic Tricesimus patrui mei lucubrationum labor, postea quàm in me qualis fueris, iam hinc norint omnes.

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBER VNVS, QVI TRICESIMVS.

Seminum, quæ cerasbola dicuntur, ratio. Ateramna quæ dicantur. Problemata quæ discuti nequeunt. Lapidum partes esse teneriores, quæ terræ inhæreant. Ceratia. Carati aurificum cur dicantur. Scrupularis ratio quæ sit. Ceraſtia, cur dicta Cyprus. Sphecia. Aries Periclis monoceros. Gallinarum pericarphismus. Engea & zoophyta. Veterum pocula fuisse cornea. Amaltheæ cornu. Ceratis notiones. Ceraxoi. Ceratoglyphi. Comotę. Comotriæ. Ceroplastæ. Myes. Cornua increscere quid. Episporia quid. Epispora. Cerasbola item quæ dicantur. Ceruchi qui. Valerius Flaccus declarat. Cap. I



S T apud Platonem semel, quantum obseruauerim, uerbum hoc cerasbolus, id est λοφασβόλος. id quodam ueluti adagio usurpatum, pro eo qui inamœnis ingratisq; moribus sit, quiq; per imperitiã nullo moueatur affectu, & leges quoq; habeat derisui, illis haudquaquam obtemperando, sed cõtumaciter obnitendo. Et uocabuli quidẽ notio aperta satis, at eiusdem ratio ne[illegible] obuia fuerit, sed ut Arietini oraculi historia, fortè amplius quærenda. Sunt qui ita interpretentur: cerasbola dici propriè, quæ dura nascantur in aspretis aut leguminibus, nigra quidem colore, sed magnitudine quanta milium. Ea si leguminibus incoquantur, minimè remollescunt, nec alioqui fructum unq; ferunt. Eiusmodi produnt esse, quæ inter boum cornua dum seritur, fortè fuerint iactata: unde & cerasbola nũcupata à iactu eiusmodi. Alioqui & ateramna intelligunt, quæ cunq; incoctilia sunt & contumacia rebelliaq;. Colectaneorum secundo apud Græcos ad agricolationem spectantium scriptum inuenias: seminantibus cauendum, ne in bouis cornu decidant semina, quæ cerasbola dicunt nonnulli & ἄφορα καὶ ἀπλᾶ τὰ ποιοῦντα φασι γίνεσθαι. Sed (ut dixi) non nimis abditum hoc, neq; ab intellectu deuium. At cur ita, id est quod multos diu torsit. Multa equidem in naturæ maiestate recondita latere, fatendum est, quæ ingeniorum solertia necdum satis uidetur excussisse. Nonnulla ex ijs sum memor alia huius operis parte attigisse me. Recenset pleraq; & Theophrastus, in quibus & illud de gallinis, quod sexto De historijs etiam Aristoteles posuit, & est à Plinio repetitũ: illæ enim ouo ædito, religione quadam excutiunt sese, & circumactæ purificant, aut festuca aliqua sese & oua lustrant: pericarphismum Plutarchus uocauit: item defossum à ceruis cornu: itemq; si una aliqua caprarum ore heryngium teneat, quod nonnulli uocant origanum, alij moly, Romani capitulum mardus, grex sub sistit uniuersus. Hoc & de cerasbolis dici potest non absurdè. Quid enim fiat, neminem profectò latet, sed causam non norunt omnes. Non magis quàm in eo quod periti rerũ tradunt, ceruis salsuginosas manare lachrymas, at dulces suibus dum capiũtur: necnon cur exculcatũ apium contritumq; dum germinat, lætius mox proueniat, quod probris maledictisq; & execrationibus in cumino cõsequuntur. Cæterum ne quæstionem modò torquendis uidear ingenijs proposuisse, subiungam quod ex mutis (ut aiunt) magistris compertum mihi est. Scribunt physiologiæ non imperiti, frigiditate seminibus induci duritiem, ea nanq; premit cogitq; usq; ad rigiditatem. Ediuerso mollia laxaq; efficit calor: proinde non recte astruunt, qui dicunt, ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα, id est annus fert, non ager: siquidem loca genuino prędita calore, temperiem gratam aere addente, fructus proferunt molliores. Quæcũq; igitur serentis manu protinus rectęq; in terram decidũt semina, intra illã excepta, uelut suo sibi lecto collocataq;, calore insito amplius & humore perfrui ualent. At quæ in cornua inciderint boum, non assequuntur, quam Hesiodus tradidit, ἀείσω θυμοσωλω: sed aberrantia dilapsaq;, non tam fata uidentur, quàm proiecta incuriosè: unde accidit plerunque, ut uel frigoris iniuriam patian-

tur

tur,uel exſuccа prorſum fiant,& lignoſa tunicula,ita ut remolleſcere haudquaquã ualeant. Argumento ſint lapides,quorum partes terræ inhærentes, ἔγγεια καὶ ζωόφυτα μὲν uocant Græci,longe molliores cuſtodit calor,quàm quæ ſub dio ſunt:qua ratione lapidarij artifices lapides adobruunt,quos excolere ingenio parant, ueluti terræ caliditate quadam indipiſcantur maturitatem,cum hypæthri & ſubdiales frigoris ui obdurati artificio reluctentur. Sunt tamen zoophyta Græcis proprie inter rationalia & ratione carentia conſtituta, id eſt inter homines & bruta. Rurſus ipſum hoc inde quoq; diſcimus:etenim compertũ fermè eſt,frumenta quæ in areis ſeruata diutius fuerint,quodam ueluti callo obdureſcere. Idipſum alicubi præſtat frigidior uẽtus, dum uentilãtur, afflando. Sicuti contingere in Philippis auctores nõnulli ſunt. Inde fit,ut tanquam impoſſibilia haud reſpuenda ſint,ſi forte ruſticos quandoq; inaudias, ex duobus propinquis ſulcis,aut uerius porcis,in altera duriores cõcipi fructus. Sed & illud maximum, inter fabarum lobos alij mollia producũt,alij dura,prout frigidior uẽtus,aut aqua partem hanc attigerit magis,aut illam. Sed quoniam de cornibus quæ cerata uocant mentio hac parte facta à nobis eſt, appendicem non ingratiorem lecturis adijciamus: alioqui & operis eſt inſtituti, quo eruditionem hiſce ueluti fulturis tibicinibusq; ſurrigere obfirmareq; contendimus. Lego in ueteribus memorijs ante inuentionem poculorum antiquos cornibus ad potum eſſe uſos. Quo argumento à doctis uſurpatum inuenimus κερᾶσαι, pro eo quod eſt ὠθεῖν οἶνον, hoc eſt uinum infundere. Sic Piſander, & Homerus Iliados Θ, οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν. id eſt,& uinum fundens in ceras,ſine cornu ad potum. Cornu Amaltheæ, quæ Hæmonij traditur filia, miræ fuit naturæ, quod ſcribunt Græci, ut quem quis ſeu potum expetiſſet,ſeu cibum,citra ullum omnino laborẽ fieret eius compos. Hoc Achelous, ſuo recepto,Herculi fertur tradidiſſe. Ceratia autem ſiliquas dicũt,uulgo notas,intra quas incluſa cernuntur nominis eiuſdem ſemina,unde ſimplici aurificũ turbæ obrepſit appellatio,ut in auri & argenti ponderibus ſubinde caratos dicat. Scrupulos in ea re nuncuparũt ueteres. Nam hinc ratio ſcrupularis uocatur Plinio. Sunt & in Megaridis confinio Cerata,quod eſſe loci nomen indicat in Parallelis Plutarchus. Dicuntur uero cerata à κάρα, quo caput ſignificatur. Recte enim (ut Ariſtoteles inquit) capiti cornua mandauit natura:nec recte Aeſopi Momus uitio dat, quod non in armis taurus cornua geſtitet, unde ferire uehementius poſſit, ſed capite corporis imbecillima parte. Neq; enim ingenio perſpicaci ille Momus iſta reprehẽdit. ut enim ſi in alia quauis parte cornua haberentur,fruſtra ponderi eſſent,nulla in re utilia,multa etiam officia impedirent:ſic armis quoq; infixa,ſedem omnino ineptam tenerẽt. Gerunt quæ animal pariunt,cornua ad uim aut inferendam aut depellendam. Scribunt nonnulli ex grammaticis Græcis, cornua item pro capillis poſita inueniri,quoniam utraq; enaſcantur modo eodem. Credo,quia ungues,roſtra,pili,cornua,plectra,ſiue calcaria, & ſi quid eiuſmodi aliud eſt,ex cibo gignũtur aduentitio & augendi poteſtatẽ habente, quem tum à fœmina,tum forinſecus ſibi acquirunt. Oſſa uero in prima partium conſtitutione gignuntur ex ſeminali excremento:quumq; animal augetur,hæc incrementũ ex alimento capiunt naturali,quo partes augentur principales. Adeſt etymon quoq;, cur cerata pro capillis autument inueniri: inde enim duci uidetur nomen, ὅτι σωιχῶς κείρονται, id eſt quod præcidantur aſſidue. Vocant & cerata fluuios omneis ab Oceano delatos. Ponitur & nomen id pro gloria quandoque, παρὰ τὸ ὁρῶ τὸ ὠθυμῶ, quoniam gloriam omnes appetant. Porrò uidetur ceras ſignificare uim roburq; in ſanctis literis, honeſta ex brutis tralatione, quæ communita cornibus ſunt. Nam & Ceraſtiam dici Cypron, Xenagoras prodidit, διὰ τὸ ἔχειν πολλὰς ὀζοκάς, id eſt quia ſupercilijs abundet multis, quæ (inquit) cerata uocant. Etiam ſi me non fallit, eſſe qui ſic opinentur dici, quia inibi uiſerentur cornibus homines inſignes. Quemadmodum & Spheciam interpretantur nuncupatam,quod incolerent Spheces qui nominabantur. Legimus porrò arietis caput monocerotis,id eſt cornu unius,Pericli ex agris eſſe allatũ:quod intuitus Lampon uates,robuſtum & ſolidum in frontis meditullio ſitum, reſpondit, Ex duabus quæ in urbe uigerent factionibus, Thucydidis ac Periclis, fore ut altera obſcurata, ad unum

Periclem,apud quem uiſum foret portentũ,recideret ciuitatis potentia. Ceraxoos & ceratoglyphos appellant Græci,qui cornua expoliunt excoluntq; artifici ingenio, ac ſculpunt:ſicuti concinnandæ comæ periti, plurimum quidem comotæ dicuntur,id eſt κομωτικὰ:& fœminæ comotriæ.Sed & ceroplaſtæ uocantur,quoniã (ut præſtruximus) comas etiam cerata uocabant. Vnde de Paride apud Homerum λιπαρὰ ἀγλαὸν, id eſt coma illuſtrem uenuſtumq; interpretantur.Et apud Sophoclem, ὀρθόκρανον & φείκην, pro eo quod eſt ὀρθόθριξ,& λιπαρὰς βοὸς,pro ſetis intelligunt bubulis.Legimus item carnes ſupra frontem ad tempora nuncupari μῦας,id eſt mures,ſed & cerata dici à quibuſdam.Cornua increſcere dicuntur,cum ab ſpinoſis argutatoribus argumẽtorum ſtrophis,cuius ſunt formæ ſyllogiſmi cornuti,ſic obretimur,ut uelut pedicis explicari haud promptũ ſit.Aduerſum quos illud ex triuio regerendum,Malo nodo malus cuneus requirẽdus eſt.Diſceptatum inter primæ notæ grammaticos eſt, qui demum ſint apud Valerium Flaccum Argonauticon primo, Ceruchi.apud Græcos & Heſychium in primis comperi,ceræuchos dici rudentes,uelut τὰ κέρατα ἔχοντες,id eſt antemnarũ cornua firmantes.Suas uero habent in puppe anſas ad quas deſtinantur religãturq;:propterea tremulos dixit ceruchos per conciſionem Flaccus,

Temperet ut tremulos Zetes,fraterq; ceruchos.

Nec aliud libro undecimo indicat Apuleius,cum ait,Puppis intorta cerucho.ſic enim legendum cenſet interpres.Demum ut ad cerasbola redeamus, ita inuenio in theſauris Iulij Pollucis:Epiſporia(inquit)dicitur,cum quis in idem ſemen iniicit & alterum: quod cauẽdum eſt.Sunt & cerasbola boum cornibus circumuoluta uincula: ſed & in antiquis lyris,κόμαθοι.Epiſpora tamen Græci uocant item,quæ Maij ſeruntur menſe, omninoq; ſic dicitur ſementis prima.Epiſpora eſſe ſcribit Theophraſtus lactucam,eruca m,napy,coriannum, lapathum,anethum.Sunt qui eo nomine τὰ λάχανα intelligãt. Illud poſtremo adiecerim,arietem dici κριὸν Græcis,ἀπὸ τοῦ κόπτω.

Quæ ſit prouerbij ratio, Senilis ualetudo . Senectutẽ eſſe animæ propriã ætatem. Themiſtoclis dictum ad id. Cap. II

SEniores magna ex parte minus ægrotare quàm iuuenes, adnotatum ab Hippocrate eſt:attamen qui longi his acciderint morbi, magna ex parte inſanabiles tota uita comitantur.Hinc profluit adagium perelegans,ut ſenilem nũcupemus ualetudinem proſperam ſatis, minusq; cauſationibus obuiam infeſtamq;,uel(ſi ita mauis)quę medicam non admittat manum, nec ulla ualeat ratione perſanari:quando eiuſmodi eſſe ſenum morbos Hippocratis dicant uerba:quæ ſi quis ad amuſſim reuocet,lancemq; curioſiorem, comperiet non ſenes omnes quàm iuuenes minus ægritudinibus lancinari & conuelli:neq; enim continentes ſunt omnes moderatiq;, nec omnino parcius uictitant, & ſub rationis modulo perdomant cupiditatem.Qui uero luxu uitæ prodigalitateq; & lenocinio blanditijsq; uoluptatum,ac gulæ demulcentia laſciuiunt, & uitam conſectantur uoluptatibus delibutam,magis ægrotant,ut qui debiliores quàm iuuenes habeantur.Cæterum complures ex longis morbis inſanabiles tota uita comitari, perſpicuum eſt:ſiquidem facultas debilis eſt,ut inſuper morbi digeriem facile concoquere nequeat.Itemq; morbi diutini,frigidiores cenſent omnes,& ob eam rem ſeniores magis q̃ iuuenes infeſtãt, namq; omnes ſimilioribus morbis facilius perurgentur. Cæterum id eximiè aduertendũ, ſenectutem nihilominus animæ dici ætatem propriam & accõmodam, quando omnes quidem in ſene conflacceſcunt uirtutes,ſola lætius uiridiusq; progerminat ſapiẽtia, uitiorum conſileſcentibus incentiuis:quo nomine clariſſimus è Græciæ imperatoribus Themiſtocles,tranſmiſſis uitæ annis centum ac ſeptem,lineas iam fieri propiores ſentiens,indoluit:tum ſibi demigrandum,ſapere cum præcipuè eſſet exorſus.Hinc & poetas celeberrimos legimus,ætate iam grandi,cygneũ quiddam & cõſueto mollius blandiusq; inſonuiſſe.Hæc denicq; Abiſac illa Sunamitis eſt,quam regi Dauid quæſitam, ſacra teſtatur pagina:cuius feruore,bellacis uiri recaleſcerẽt membra, iam arata rugis & deflaccata.Auctor tamẽ in Politicis Ariſtoteles eſt, corporis minui uigorem ab anno ſexto & triceſimo,animi uero ab duodequinquageſimo.

Laſſitudinem

Laſſitudinem æſtiuam leniri balneo, hybernã uero unctione. Cothoniſmus quid. De cibi potuſq; ratione per æſtatem ac hyemem. Temporum diſtinctio ex aſtronomis & medicis. Cap. III

IT quoniam medicorum caſtra, non ut transfugæ, ſed ut exploratores ingreſſi ſumus, nauanda ſtrenuè opera eſt, ut inde ueluti poſtliminio, non redeamus, niſi ſuffertis manibus publico quidem ſtudioſorum bono, electius aliquid cultiuſq; referentes. Argumentum uero huic elucubrationi Ariſtoteles præbet, apud quem agitari quæſtionem ſcimus, unde nam ſit quod medicæ artis nõ imperiti æſtiuis laſſitudinibus balneo, hybernis uero unctione mederi ſoleant. Et ſuccurrit quidem ratio, hyberno utiq; tempore unctionem offerri propter humores mutationesq; urgẽtes: nam per calorem laxare oportet qui membra tepeſcere faciat, oleum uero calidum eſt. At in æſtate humefaciendum cenſetur, quoniam tempus id ſiccum eſt, nec metus interpellat horroris, quod ſtatus temporis ad teporem ingenuè uergit. Hinc etiã cibus parcus, potio liberalis per æſtatem admittitur; ille magis, hæc omnino, potioni namq; per æſtatem ob temporũ ſiccitatem indulgendum ex toto eſt. Parſimonia uero cibi, quæ ὀλιγοσιτία dicitur, communis quidem temporum omnium eſt, ſed magis æſtati cõuenit, ne ob habitum temporis feruentem corpus cibo immodico preſſum exeſtuet. Hinc prouerbia duo ſcitè admodum, nec ut opinor improſpere producuntur, Aeſtiue bibere: quod eſt largius uberiuſq;, cuiuſmodi affluentem potum κωθωνισμὸν uocãt Græci. Nec me fallit eruditiores, nomine potus, intelligere in eo philoſophi loco, liquidam commixtionem ex uino ſubtili, claro odorato, & aqua leui laudabiliq; hæc enim tria, corpus nutriendo reficiunt, uirtutem cuſtodiendo frigefactant atq; humectant quoq;, quod eſt eo tempore potiſſimũ, necnõ tenuitate ſua ſuperfluitates corriuant in urinam & ſudorem. Alterum uero adagium eſt, Hyemalis refectio, pro ea quæ largiore præbeatur manu, nec auariter. Ventres namq; hyeme, ſed & uere quoq; natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi: itaq; per ea tempora cibi dari copioſius debent: caloris enim natiui copia magna eſt, ut cibus proinde plenior requiratur. Argumẽto ætates ſunt, & athletæ. Quod uero hyeme accreſcat calor, Ariſtoteles quoq; inſinuauit: ſubterfugit enim præ frigore extrinſecus circumfuſo retrorſumq; æſtate ad confinem conſanguineumq; & cõſentaneum aerem aduolat: ita efficitur, ut porrectus & quaſi patefactus diffletur atq; diſpergatur æſtate, hyeme confertior coeat & conſtipatior, & item in profundum peruadat meetq;. Quocirca concoctio & ſanguificatio per ea tempora probior & ſalubrior redditur. Suffragãtur & ſomni longiores ob prolixiorem noctium tractum, id quod ad officia naturalia admodum confert. Cæterum quia paulo ſolertioribus poſſe ambiguitatem inoriri animaduerto, Sit'ne id uniuerſis animantibus commune, ut hyeme infercienda ſint amplius, ſciendum, à tractatu hoc abiungenda, quæ certis ſe temporibus in ſpecus conijciunt conduntq;: hæc enim cibum nequaquam requirunt pleniorem, quamdiu latebris delitescunt, ſiquidem ex toto ſine pabulo obdurant. Quod ſi cibum abligurĩant, ut ante latibulum, perperã concoquunt. Animantium ſiquidem quę ex natura frigent, calor euincitur brumali frigore, ita ut propemodum extinguatur, & ob eam rem pleraq; contueri liceat, exanimis ſimilia, quæ in latebris uiduata ſenſu motuq; iaceant. Quædam iſtius modi affectu prorſus exanimantur. In animantibus uero ſanguinolentioribus calidioribusq; calor in profundum colligitur conuẽtu frequentiore. Cæterum in ratione temporum attendenda magnopere medicæ ſcholæ placita, ab aſtronomis diſſidentia plurimum: quod nõ neglexit Auicẽna quoq;. Nam qui ſolis per ſigna meatum obſeruãt; ueri aſſignant initia, partẽ arietis primam, æſtati primã cancri, autumno primam libræ, hyemi primã capricorni. Medicinæ periti media ſignorũ in ijs præferunt, aquarij, tauri, leonis, ſcorpij. Nam & prima Canticæ particula, tractatu ſecundo, Auerrois inquit, Ex propinquitate ac longitudine ſolis ad nos, & eiuſdẽ diſtantia media efficiũtur anni tempora quatuor, ſiquidem ex longitudine cauſa inoritur humiditatis & frigiditatis, quæ hyemalis eſt conſtitutio, ex propinquitate ſiccitas cum caliditate, quæ propriæ æſtatis ſunt, at ex mediana ſolis diſtantia temporum ſupputatur ratio media.

Septimani tragœdi qui facie prouerbij intelligantur. Martialis locus illu
ſtratur. Abderitarum hiſtoria. Somniare per febrem quid. Cap. IIII

SEptimani tragœdi ex adagio dici ualent, qui morbo, uel etiam quauis alia cauſa in delirium prolabuntur. Prouerbij origo ratioq; ex hiſtoria eſt, ferunt Abderitas quandoq; Lyſimacho regnante, nouo quodam & mirãdo genere morbi infeſtari cœpiſſe. modus mali erat hic, primum uniuerſim graſſabatur febris prærapida ſuccenſaq;, ubi dies aduenerat ſeptimus, ijs ſanguis profluebat è naribus copioſe largiterq;, alij ſudore multo digerebantur, & hic erat febri finis. Cæterum perridicula mentem omnium obſidebat affectio, ſiquidem ad tragœdiam concitabantur, iambicaq; uocaliſſime detonabãt. Sed Euripidis Andromedam in primis, & Perſei uerba cantu percurrebãt. Prætenuibus ac præpallidis ſeptimanis iſtiuſmodi tragœdis offertiſſima ciuitas erat, uociferantium hæc & id genus alia,

σὺ δ' ὦ θεῶν τύραννε, δὶ ἀνθρώπων ὅρως.

id eſt, ó deorum hominumq; amor tyranne. In multum producta eſt inuſitata deliratio hæc, donec hyems & atrox frigus accedens, malo finem induxit. Morbi initium profluxiſſe hinc opinãtur, quod ea tempeſtate magni nominis tragœdus Archelaus, æſtatis meditullio, caloribus ſuccenſis Andromedam illic actitauit, unde febrium cauſam in theatro contraxerint Abderitæ: quumq; (ut aſſolet) tragœdiæ illius ſpectra mẽti obuerſarentur, conualeſcentes in eandem per deliriũ dilabebantur, memoriæ Andromeda inhærente, ac Perſeo cum Meduſa. Hinc adagij origo fluxit. Eo uti poſſumus, quum mentis errore, & indocto conatu opus aliquod aggrediuntur multi. Quumq;, ut Satyricus inquit,

Scribimus indocti doctiq; poemata paſſim.

ſicuti ſua tempeſtate uſu ueniſſe Lucianus prodit, quando geſtis in Armenia rebus numeroſa hiſtoricorũ prorupit ſeries, ut iam Thucydides multi, ac Herodoti, necnon Xenophontes uiſerentur. Et ueritatis aſſequeretur fidem adagio uetus, πόλεμος ἁπάντων πατὴρ, id eſt omnium pater bellum eſt: quando tantos produxiſſet rerum conditores. Ad hanc quæ de Abderitis expoſita eſt contendetim hiſtoriã alluſiſſe Valeriũ Martialem, quum Epigrammatum decimo ita ſcribit,

Si patiens fortisq; tibi durusq; uidetur,
Abderitanæ pectora plebis habes.

Nec tamen excidit alibi traditum à me, inſitam Abderitanis fuiſſe ueſaniam: quod Ciceronis eſt in Deorũ natura. Quæ ſententia etiam ſi plane ſatisfacere poteſt, non ibunt tamen inficias ſtudioſi, ſenſum poetæ hac hiſtoria iuuari egregiè. Nec illud poſtremo incurioſe prætereamus, quod ex Hieronymo eſt. Eum qui uerba profundat obſcura inuolutaq;, nec ſentẽtijs aptè cohærentibus, peſſimo elocutionis genere, dici per febrem ſomniare, uel arreptum morbo phrenetico, Hippocratis uinculo alligandum.

Somnus attonitus ex medicorum placitis qui ſit. Lethargus, & quid catalepſis, item cataſtaſis. Caput V

SOmnum attonitum elegãter ac doctè dicimus, cum quis ita obdormiſcit, ut difficulter expergefieri ualeat. Sed inquit Galenus, illorũ deliria uehementer cauenda, qui tota (ut aiunt) uia oberrãtes attonitum ſomnum incipientem, diutinum ſomnũ eſſe exiſtimant, cum recte nominetur ſomnus diutinus, ſi tẽporis ſerie duntaxat tranſiliat naturæ moderationẽ, nec difficulter, puta nequaquã altus & profundus excutitur. Talis præterea ſomnus ex frigore principis accidit ſentiẽtis, id eſt cerebri. Quod ſi frigus uehemens ſit, cœtu & cõciliatu humoris, lethargum gignit, argumento obliuionis ita cognominatum. Contrà coitione incurſuq; ſiccoris, ut ſic interim loquamur, cõmittit catalepſin nomine, quã uerbũ è uerbo exprimẽtes, prehenſiculationem appellant: datur enim nouitati uerborum uenia, dum rerũ ſeruitur obſcuritatibus. Cataſtaſin uero Galenus Therapeutices nono, aeris intelligit nos ambeũtis craſin ſiue temperamentũ, in quo & regio continetur ac item hora. Pari modo uigilia propter calorem primariæ partis ſenſoriæ cõſiſtit, ſed uel ob intemperiem atq; immoderationem ſolummodo, uel etiam ob ſucci biliioſi exſuperantiam affluentiamq;. Sunt quidam qui uelint ſomnum aſſiduè fieri moderatum, nec

unquam

unquam immodicum. Rursus alij uigiliã nunquam fieri mediocrẽ & salubrem contendunt, ac uerbum esse quod redundantiam tantũmodo indicet: sed hi, si uiuendi consuetudinem tenerent, nunquã in tantas salebras inciderent: nam pręclara Hippocratis sententia est, Somnus aut uigilia si alterutrum excessit modum, malí est. Non ab instituto aliena sunt, quæ maximus philosophus ad hæc prodidit: Quemadmodũ (inquit) morbi aliqui peruigilium & insomniam afferunt: nam comperti sunt, qui nouem dies exertis & inconniuis oculis egerint: quemadmodumq; hoc idem sæpe citra ægritudinẽ accidit, ut gracilentis & præaridis, qui naturæ suæ ratione longas uigilias patiunt, ita somni copia interim inualentibus, interim ualentibus contingit. Nam ex ijs qui febre tentantur, inuenti aliqui sunt, quos altus sopor in triduũ attinuerit. Paruuli uero tum propter cibos tum propter humorem infantilis ætatis longissimo somno utuntur.

Somni ratio ex Peripatetica doctrina. Quæ dormiant, etiam uigilare. Quę sensu careant, non dormire. An somnus sit impotentia sensuum omnium. VI

POrrò ut ad alia hinc dissita non admodum, protinus gradum struamus, Quicquid somni capax est, idem uigiliæ particeps: & retrò. Nam si somnus quędam affectio est, & quasi nodus et uinculum sensus: sensus autem omnis sentire actu potest: omnis uero potentia aliquando in actum refertur: Necessarium est, ut id quod dormit & quod potentiam habet, ut uigilet, excitetur omnino & actu euigilet. Ita nullus fit somnus, qui nõ possit rumpi, & qui (ut ita loquar) expergiscibilis non sit. Quoniam uero ex sensu, somni natura & uigiliæ dependet, & cum uires animæ habeantur distinctæ, ita ut altrix abiuncta à reliquis sit, reliquæ seorsim ab hac non possint cõsistere, certum est ea quæ augentur modo & minuuntur, ut arbores, dormire ac uigilare non posse, quia sensu deficiunt. Nam sensus à ratione uitali, quę & uegetalis dicitur essentia & potestate, interstitio plurimo & manifesto dispescitur: etiam si non id constaret, utrum subiecto & magnitudine differãt. Putat Aristoteles somnum & uigiliam esse affectiones circa cor, ubi domicilium optimatis sensus locatur, dormireq; animalia omnia. Sed quum (inquit Themistius) de animalibus loquimur, semper excipiuntur diuina: nam eorum actio iugis ęternaq;, nec tristis onerosa'ue est, & uigilia in ijs omnis, cõtrarij est expers. Vtrum uero ea, quibus filicea testa obducitur, dormiant, nemo quidem adhuc (quod sciam) fuit qui uiderit, aut argumento aliquo notauerit. Sed ratione tamen persuaderi id potest: nam animal eo finimus, quod sensum obtineat. Somnus uero immobilitas & quodammodo pedica est & obligamentum sensus. Contrà exsolutio eius, uigilia est. Non habent autem uices has plantæ: quia ubi sensus non est, ibi neq; somnus esse, neq; uigilia potest. Vbi autem sensus est, ibi dolor & uoluptas: ubi dolor & uoluptas, ibi cupiditas. Plantis nihil horum potest concedi: nulla enim ratio est, quæ cogat fateri dolere has, oblectari, concupiscere, aut sentire. Neq; item quæcunq; alescunt, necessario etiam sentiũt. Quanquam contrà est, quæcunq; sentiunt, ut necessario etiam alescant. Hæc uero alimenta quibusdam habentur, ut plantis. Hoc uero demonstrat ea ratio, quod uis quæ nutrit, munus suum gnauius exercet & expeditius, consopitis quàm uigilantibus nobis. Porrò & illud esse manifestum debet, Omnes animãtes in somno affici eodem modo, hoc est summa illa immobilitate & insensibilitate offundi. Nam si dormienti auditus in ministerio & officio sit, uisus non sit, erunt simul in eodẽ duæ res pugnantissimæ, quia scilicet dormiens aliquis sentiet, quod impossibile est. Colligi & illud potest, somnum & uigiliam ad sensum cõmunem & ad eius sensorium pertinere, id est ad ipsum cor: & quum sensus communis subiecto idem cum tactu sit, necesse est ut animalibus omnibus uigilia & somnus communicari dicatur: quia tactus quoq; communicatus omnibus est. Si uero quærat aliquis, an impotentia sensuum omnium sit somnus: respondebimus, nõ esse, etiam si omnes sensus in somno impotentes redduntur. Etenim necesse est, tactu sopito, consequi reliquos sensus consopitos esse: sed eo non ualet hoc, ut soporationem omnium sensuum causam esse somno dicamus, sed solius tactus. Nam quum princeps sensuum & quo cæteri referũtur, afficitur, necessario & satellites eius affectioni accũbunt. Contrà, si illi afficiantur, non continuo necesse est sensum principem consentire. Illud uero

argumento

argumento eſt,ſomnum nõ ea re conſiſtere,quod ocioſi omnes ſenſus ſint. Cum enim quis animo linquitur,quod genus lipopſychiam uocant,id eſt animę defectum: quanquam & ibi impotentia ſenſuum eſt,tamen ſomnus non eſt. Porrò duabus uenis in collo,quæ à iugulo ubi ſcinduntur caput ſubeũt,foris ualide apprehenſis collabuntur homines,ſenſibus ereptis,nec tamen dormire dicuntur.

Somni cauſæ,quas recenſet Ariſtoteles. Galeni ſententia aduerſus eundem. Quando primum infans alatur ut animal. Cibi demutatio in ſanguinem quomodo abſoluatur. Quo pacto uaporum ſcanſili motu inducatur ſopor.

Caput VII

CAeterum finalis ſomni cauſa ſalus eſt & conſeruatio animalium. Agens uero cauſa,ſpiritus eſt uitalis,qui in corde eſt: materia uero,uapor qui caput ſubierit,deinde in locum inferiorẽ defluxerit. Forma autem,ſitus & diſpoſitio,eſt illa membrorum & partium corporis,quę in dormientibus extra intuſcꝫ cernitur. Sed enim Galenus quarto Morbi ait, Ariſtoteles teſtatur,ſomnum fieri capite humiditate repleto: nõ tamen potuit oſtendere,quare capite humiditate repleto,primus ſenſus quieſcat. Nam eius intentio erat,primũ ſenſum eſſe in corde: ſed prętitiſſet dicere,ſomnum fieri humectato pulmone. Certe quia ſumma ſemper ratione agit natura,nec continue moueri cum uoluptate animalia poſſunt, manifeſtum eſt,ſomnum ad incolumitatem fuiſſe animalibus iunctum,& ad quietem: unde uaga & uulgo recepta translatio eſt,ut ſomnus quietis nomine indicaretur. Sed hæc ipſa neceſſitas non ſimpliciter eſt intelligenda,ſed ex poſito & adiunctione. Nam conſtituto animali,neceſſe eſt id ipſum alatur: quo conceſſo,neceſſarium eſt è cibo uaporem ſurrigi,è quo ſomnus conſequitur neceſſario. Quia uero ſentiendi & mouendi principium eſt cor,in quo & ſpiritus uitalis & refrigerationis principium continetur, conſtat ſomnum & uigiliam, quod item paulo ante attigimus, cordis eſſe affectiones. Ac dormientes quidem agitatione cordis quadam mouentur,ideo et pleraque agunt, qualia quum uigilant ſolent,quod certe ſine uiſione aliqua aut ſenſu nõ poſſet contingere. Clarum porrò eſt,oportere animal ſimul atcꝫ accipit ſenſum, tum primum ali, & creſcere in eo quod animal. Nam quando intra uterum partus eſt, enutritur quidem & creſcit,non tamẽ ut animal,ſed ut planta. Cum autem accedit ſenſus, tunc primum nutritur & augetur,ut animal. Plane alimentũ eſt id quod ex concoctione poſtremum & nouiſſimum ſubſidet: habentibus ſanguinẽ,ſanguis: carentibus ſanguine,quod uicem ſanguinis præbeat. Conceptacula ſanguinis ſunt uenæ,initium uenarum eſt cor. Deuoratus enim & ingeſtus per os cibus,indecꝫ in locos ſuos,id eſt inteſtina & uentriculum collatus,euaporatur: & ſurſum reſpirat per uenas, per quas deinde permanat ad iecur. In iecinore mutatur: & natura ſanguinis tingitur: à iecinore influit, & ſubit ad cor. In corde uincitur & conficitur pleniſſimè,inibicꝫ in ſanguinem perfectè mutatur. Ac uenæ quidem aliæ cor adeunt,aliæ à corde proueniunt. Venæ quæ adeunt cor,tanquam miniſtræ ac gerulæ ſunt, ut quæ à iecinore ad cor incoctum & imperfectũ ſanguinem conuehant,quem cor ſuſceptum ſua ui meracum & abſolutum ſanguinem reddit. At uenæ quæ à corde pertinent,cõparatæ ad alium uſum ſunt, uidelicet ut ſuccus per eas concoctus iam perfectuſcꝫ in totum corpus diſtribuatur: illud uero neceſſarium omnino eſt,quod in uaporem ſoluitur tabeſcitcꝫ,aliquatenus ſuſtolli: deinde reditum capeſcere,& inſtar Euripi refluere: nam omne calidum in ſublime natura effertur,eo locire frigeratur à cerebro,& conſiſtit, mox reciprocat & deſcendit ad cor: cuius feruore refrigerato, ſomnus obrepit. Ita efficitur ut ſomnus maxime à cibis proficiſcatur. Nam alimonia ad ſummum caput uiam molita, quamdiu fluxum cerebro immiſcet,attentat & aggrauat,hinc ſalebræ illæ uerborum incertæ,hinc oculos nare, caput uergere, erigendi ſe facultatem auferri contingit. Quum uero iam commeant cibi, & incidentes cordi calorem eius irrigant,à quo ſemper uis illa humifica & corpulenta in caput leuatur,tum profundo ſomno demergimur,& altum ſoporem flare incipimus: quo argumento Mneſimachus comicus ſomnũ eſſe parua mortis myſteria pronunciauit. quam uero humentia & corpulenta genera grauedinoſa ſint capiti, indicium illud eſt, quod

quibus

quibus ineſt uis ſomnifera, eandem grauedinem capiti afferunt, craſſitudine humoris eius qui ſurſum reſpirat: ut papauera, mandragoræ, ac temetum.

Cur uinolenti non dormiant, neq; item melancholici, aut uehementer æſtu antes. Tranquilli locus explicatur in Tiberio de oculis ex amore tumentibus. Fatigatio cur inducat ſoporem: item morborũ aliqui, & hyemale tempus. Cur ualde dormientium uox grauior, ac hyeme quoq; : & qui ſuauiſſimè dormiunt, nil ſomnient. Cur deniq; in pueritia Galli uideantur ſapientiores. Caput VIII

IN iis uerò omnibus facillimum erit, ambiguitates tollere, quæ ab ingenioſis plerunque agitari ſolent, & ab experientia originem ducunt. Nanque obſeruatum eſt, uinolentos non ferè dormire. Id & in libro Encyclicarum quæſtionum propoſuit Ariſtoteles, & Hali Practices primo, ubi in ebrietate ait, non eſſe ſomno locum, ibi nanq; fieri quod in lucernis contingit, in quas ſi præter modum infuderis oleum, reſtinguitur mox lumen. Ratio uerò euidens: nam ad ſomnum creandum calidum adeſſe humorem opus eſt: hic enim concoqui expeditè poteſt, indeq; ad caput uapores ſurriguntur, à quibus ſubinde ſomnus inducitur. Quòd ſi deeſt, exiguusq; humor, aut concoctu difficilis ineſt, ſomnus non oritur. Qua de cauſa, poſt cibum ſomnolentiſſimi fieri ob calorem ſolemus. Melancholicos uerò, & uehementer æſtuantes inſomnia tenet: alteros, quia refrigeratus humor penitus eſt: alteros, quia nullus eſt, aut certe minimus. Contingit porrò nimium uigilantibus, uti caua quæ ſubſunt oculis, protuberent. Accidit ex amore id plerunque. Hoſce uocant Græci λυλοιδῶντας, uelut οἰδιῶντας τὰ ᾠὰ, τὰ ὑπὸ τοῖς ὀφθαλμούς. Ad quod planè reſpexiſſe mihi uidetur in Tiberio Tranquillus ſic prodens, ſed Agrippinam & abegiſſe poſt diuortium doluit, & ſemel omnino ex occurſu uiſam adeo contentis & tumentibus oculis proſequutus eſt, ut cuſtoditum ſit, ne unquam in conſpectum eius ueniret. Ab huius interpretationis ſcopo exciderũt enarratores. Rei quam agimus, meminit Theocritus,

οἶδ' ὑπὸ ἴρωτος ληθὰ λυλοιδόωντε, ἰτώσια μοχθίζοντι.

Scribit Auerrois, Poſt labores obrepere ſomnum: quia dum mouentur animalia, exercenturq;, ſpargitur innatus calor eorum, & quantitas diminuitur, indeq; refrigeratur, & proinde neceſſariò ad principia recurrit, ut propriis uelut theſauris cõmuniatur aduerſus præpedientia. Ariſtoteles uerò ex Themiſtij interpretatiõe: Aliquãdo (inquit) & fatigatione multa pertentamur ſomno: cuius ea ratio eſt, quòd labor diffundit quædam in nobis, & tabeſcere facit, quæ uicem incocti alimẽti præbent, niſi colliquamentum id frigidum ſit. Ita inteſtinorũ calor, qui ex attritu laboreq; exprimitur, recrementa quædam emollit, quæ ad ſuperiorem locum redundantia ſomnum inducunt. Interdum & morbi hoc faciunt, qui ex humidis & calidis excrementis conualeſcunt: quod genus in febre & lethargo cernimus. Hyeme proculdubio ſomnolentiores ſumus, quòd aeris humectatio frigida facit, & noctes porrò lõgiores: ſicuti Hippocratẽ quoq; ſanxiſſe nouimus. Sed maior id quoq; facit cibariorum ingeſtio: nam appetentia tunc uegetior & excitatior eſt. Quoniã uero ut membris grauioribus ſimus, facit ſomnus, hinc & illud obuenire à peritioribus adnotatum eſt, ut quo tempore plus dormimus quàm uigilamus, quod hybernum profectò eſt, hoc uox efficiatur grauior: quum eñ tempus quod interuenit ad uigilandum, breue ſit, habitus corporis qui inter dormiendum committitur, permanere uſq; ad ſomni repetitionem poteſt. Igitur quum aer non ſolum interior, ſed exterior, ſit craſſior: et craſſior qui eſt, tardius etiam moueatur, tunc grauior non immerito uox eſt. Nec illud incurioſe tranſiluerim, quod Ariſtotelica lectio, magiſter mutus, mihi ſuggerit in præſentia, Qui grauiter & ſuauiſſimè dormiant, nihil admodum ſomniare: quia & ſenſus & intelligentia hominis tunc ſuo fungi officio poteſt, quum animus tranquillatur & requieſcit: qua quidem requie uel ipſa ſciendi ratio conſtare uidetur. Ex quo fit, ut amentes ſint pueri & ebrij & inſani: facit enim calor, qui nimius in his eſt, ut motu plurimo uehementiſſimoq; inquietentur, quo motu deſiſtente, prudentiores eſſe incipiunt. Qua tamen in parte commonendi amplius

ſumus,quod à doctiſſimis proditum eſt: Gallorum pueros initio ſapiẽtes uideri, mox auctiores factos deſipere. Quod educandi curæ aliqui aſcribunt, aut uerius,quum extra modum corpore ſint humectiore,calor innatus ita adobruitur ut quieſcat:propterea item orbiculatiore ſunt capite,quia nequit expandi caliditas. Ex ea uerò quiete uidentur illi quidem ſapientiores:ubi uero auxerint, humecta illa redundantia ætate iam deflacceſcente, calor inualeſcens prævalet. Proinde uehementiores illis contingunt motus,euaporante humido caliditatis ui. Adiuuare putant & capitis illam non naturalem configurationem,quam ſunt initio conſequuti. At in Italia, contraria ſe ratione habere pueros palàm eſt, unde ſcitiſſimum profluit adagium,ut Gallicam appellantes ſapientiam,præmaturam intelligamus,& quæ mox deficiẽs obbruteſcat quodammodo. Porrò ad uinolentiam quadamtenus ſpectat illud item Hieronymi,prædicandum ubiq;,ingerendumq;: Vinum(inquit)nunq; redoleas,ne fortè illud philoſophi audias, Hoc non eſt oſculum porrigere, ſed uinũ propinare. Oſculo quippe ſalutabãt priores.

Somniandi rationes aliquot. Cur melancholici per quietem turbentur præcipue. Cur quidam dormientes ambulent. Item paucula ad ſoporem pertinentia. De Platone nonnulla. Viui potiſſimum uigilia. Apud Aegas inſulam neminem dormire. Atlantes nil ſomniare. Caput IX

VT uerò ad inſtitutum redeamus, nec forum reclinare uideamur quod delegimus nobis,iactatur animus noſter maxime in ſomnis, calore ſcilicet, qui undique in partem ſe interiorem colligit,atq; ita efficitur, ut plurima uehementiſſimaq; illa obſtante iactatione,nullum interuenire ſomnium poſſit, uaporibus multis phantaſiæ organum ſcandentibus. Nec putandum,quòd animus tunc conquieſcat,& per ſe maximè ſit, quum nullum ſomnium tractetur,ut multitudinis opinio eſt.Plurimus autem motus, quum ſuauiſſime quis obdormiſcit,merito propterea eſt, quòd tunc maximè larga caloris copia in partem interiorem contrahitur. Porrò in ſomno quem cibo ingeſto, primum capimus, nulla facultas uidendi ſomnij datur, quia tunc maxime accidit, ut animus propter cibum ingeſtum concitetur.Somnium uero occurrit,quum cogitantibus nobis,& ante oculos rem ponentibus,obrepit ſomnus. Illud quoq; obiter hic adnotaſſe, operæpretium fuerit: eos qui inſtructi uirtutibus ſint,meliora ſomnia uidere,quod etiam uigilantes meliora animaduertunt.Qui deterius animo uel corpore affecti ſunt,deteriora cõcipiunt. Melancholici idcirco in ſomnis crebro excitari cõſueuerunt, quod calore *tunc largiore bilis* atræ urgente,animus moueri æquo amplius cogitur, unde exiliunt ſæpe ſurguntq; euntes huc illuc.Hincq; aucupantur eruditi cauſam, quare nonnullis quandoq; obueniat, ut etiam dormiẽtes ambulent.Id enim ferè contingit, ubi multus fuerit motus & multa perturbatio;nec tamen ualida adeo,ut etiam ſomnum conuellat.Sed quid eſt, quòd cõtemplantibus plerunq; ſomnus obrepit? Nempe quum in motu & ſollicitudine cogitatio noſtra ſit,eoq; impediatur concoctio,neceſſe eſt,craſſa eſſe euaporamenta quæ commeant.Illud utiq; ſcitu item iucundum, quum calor ad ima ſubterfugit, frigeſcunt palpebræ & frigefactæ comprimuntur & confluunt. Ita quibus palpebræ ſunt, conniuendo obdormiſcũt:nihil enim aliud cohibet,mouet, imperat, regit in corpore, quàm calor.Frigent igitur ſuperiora in ſomno,& undique corporis extrema.Contra,recaleſcunt inferiores loci,ut pedes,& interiora,ut uiſcera,& id genus alia. Expergiſcitur uero animal,ubi primum abſoluta & profligata concoctio eſt,quumq; intimus calor,qui ambeuntis frigoris metu in anguſtum ſe cõtulerat,tandem uictis difficultatibus,& ſuperior factus promicat è latebra. Sed illud relinquimus ne indiſcuſſum? quid nam ſit cauſę quòd dormientes & propere oculos diducẽtes lumen intuemur? Nempe,inquit Alexander,quòd uiſibilis ſpiritus coactus & contractus,plurimusq; effectus inter dormiẽdum,repente ac multiplex exiens,per tenebras utpote gradiẽs, ipſe ad uidendum fulgentior euadit.Legimus in Naturali hiſtoria(quod & alibi à me relatum ſcio) Tiberio Cæſari aliam quàm cæterorum mortalium fuiſſe naturam,ut expergefactus noctu, paulìſper haud alio modo, quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus.Idem ferè Tranquillus quoq; de eodem recenſet imperatore.Cæterum

nos

nos poſtea quàm multa ſatis de ſomni ratione cõgeſſimus, claudamus elucubrationẽ hanc Academicis placitis. Platonem accepimus, in cibo & potu tanta fuiſſe continentia, ut non ſolum delicatiores epulas & opipara conuiuia ſpreuerit, ſed tantum duntaxat cibi per omnem uitam ſumpſerit, quantum ſatis eſſet ad uitæ neceſſitatem. Oliuis modo Academicis, & uili pane atq; interim aqua contentum fuiſſe, prodidere. Quem victum quantum ſomni ſequi, ueriſimile eſt, tantum dormire ſolitum, ſcilicet non plus quàm quod ſatis eſſet ad euitandam ex nimia uigilia malam ualetudinem. Cæteros etiam quod ex primo libro De legibus patet, ſolebat admonere, ut nocte ſurgerent ad res tum publicas tum priuatas obeundas: ſomnum enim immodicũ & corpori & animo obeſſe dicebat, parumq; inter mortuum & dormientem intereſſe. Itaq; ut quiſq; uiuere & ſentire cuperet, ſic uigilare oportere, quantum ſalua corporis ualetudine id fieri poſſet. Hinc arbitror illa profluxiſſe Ariſtotelica ex libro De animalium generatione quinto, Somnus autem talis ſua natura eſſe uidetur, ut uiuendi & non uiuẽdi interliminium ſit, & neq; omnino ſit qui dormit, neq; non ſit: uiuitur enim potiſſimum uigilia: propter ſenſum. Et in Præfatiõe Naturalis hiſtoriæ Plinius, Dum iſta muſſitamus, pluribus horis uiuimus: profecto enim uita, uigilia eſt. Propterea Ariſtonis illud uero uerius eſt, Breue admodum uiuendi tempus eſſe homini cõtributum: nam ſomnus ue luti publicanus, dimidium aufert. At Leontinus Gorgias ſenio iam feſſus ac perimbecillis, quum in ſomnum collapſus iaceret, ac familiarium quiſpiam accedens ex eo, ut haberet, ſcitari inſtituiſſet, ἤδη inquit μὲ ὁ ὕπνος ἄρχεται παρατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. id eſt, iam me apud fratrem deponere adortus eſt ſopor. Illud uero huius fuerit uelut pragmatiæ appendix: eſſe inſulam Aegas, unde ſit deflexum Aegei maris nomen, Neptuno ſacram, In ea non ferè quẽquam poſſe conſopiri, prodidit Nicocrates, ex phantaſmatum dei occurſaculis, ſubinde quietem interpellantibus. Atlantes in Aphrica nil ſomniare, ſcribit Herodotus.

Autumnalis ægritudo qualis cenſeatur. Fructuum diſtinctio. Demetrij. Horęi. Oporæ. Salgama. Fructuaria. Salgamarij. Acrodrya. Sitometrion. Horia in cælo quid. Hyperoria. Oporophylacium. Pomarij. Oporones. Moſchos. Tenax. Oporophoræ. Caput X

HIppocrates medendi arte nunquam ſatis laudatus, libro Sentẽtiarum tertio: Per autũnum (inquit) acutiſſimi, atq; exitioſiſſimi accidũt magna ex parte morbi, uer ſaluberrimum eſt atq; non exitioſum. Eum locum ſummus auctor Galenus ad uerbũ ſic interpretatur, Vbi tempora idoneum omne retinent temperamẽtum, uer utpote temperatum per ea ſaluberrimum erit: at acutiſſimos morbos & exitioſiſſimos, quantũ in ipſam met temporis uim & naturam agitur, autumnus importat. Siquidem uer maxime temperatum modificatumq; eſt: per autumnum uero primũ quidem eadem die modo frigus, modo æſtus attepollet. Tum autem inſequitur æſtatem, in qua plerunq; ſucci torrentur, interdum uires debiles extiterunt. Porrò nõ ob id ſolum noxius autumnus cenſetur: uerum etiam quod antea euocati ad cutem, reflatiq; ſucci, per autumnum ab aeris circumcurrentis frigiditate in profundum ſubitant, cogunturq;. Sed hæc cunctis hominibus indifferenter eueniunt. At ijs qui nequaquã rectè uictitant, neq; cupiditatum dulces inſidias, reliquasq; omnes exuunt paſſiones, ceu corollarium, obuenit ex fructibus detrimentum, quorum prolubio eſitandorũ pellecti, quibusq; largè ingeſtis, malis ſuccis implentur. Cæterum quum eiuſmodi fere cenſeatur autumnus: tabidis tamen officit potiſſimum. Hoc Hippocratis corroboratur ſententia, Autumnus (inquit) tabidis malus eſt. Quod ideo putatur dictum, quoniam hoc modo affecti improtectum nudumq; præſidijs naturalibus, id eſt carnium inuolucro exutum obtinentes corpus, aſſidue iniquitate aeris offenduntur. Nam & tabidis ſpiritus uitalis, uiresq; naturales debiles fiunt. Verumtamen hoc Hippocratis loco ambigunt peritiores, an tabeſcẽtes eos modo intellexerit, quos tabe prehenſos pulmonis exulceratio infeſtet, an omnes utcũq; abſumptos. Quoniam uerò autumnum Græci oporam uocant, hinc obſeruatum nobis eſt, apud Galenum in libro περὶ τροφῶν, hoc eſt De alimentis: fructus quoſdam dici oporas: eos au-

tem uidetur trifariã diſtribuere: alios ſiquidem demetrios uocat, quo nomine frumenta leguminaq; complectitur, & id ferè genus alia. Valet autem Græcum nomen, acſi Cereales dicas Latinè. Sitometrion uerò id Græcis eſt, quod demenſum nobis. Mox aliud genus appellat horæos, ſcribitq; à Græcis horam tempus id nuncupari, quo exoritur canicula, quod eſt (inquit) ferè dierum quadraginta. Ex ijs fructibus alios eſſe tradit iamiam matureſcentes, alios uero præmaturuiſſe, alios in ſummo eſſe ſtatu, aut poſt ſtatum, aut ante ſtatum. Addit quoq; ſe putare, non ideo dici horęos, quod eo tantum tempore enaſcantur, ſed ad eorum diſtinctionem qui reconduntur. Inter horæos uero nominat cucurbitas, pepones, melopepones, cucumeres. Demum de oporis acturus eo nomine intelligere uidetur arboreos fructus, cuiuſmodi ſunt fici, uuæ, mora, ceraſa, poma, perſica, & id genus alia. Sunt qui oporas interpretentur mollioris corticis fructus. Sunt qui ſic diſtinguãt, ut ſit opora (quod dixi) quicquid extima parte lignoſi habet nihil. Acrodrya uero dicantur, quæ diuerſo ſe habent modo: ſicut libro decimo ἐκλογῶν περὶ γεωργίας adnotatum aduerti: uti eſt punicum malum, piſtacia, caſtaneę, id genus alia. Vtrunq; uero genus, ſalgami nomine intelligi collibitũ nonnullis eſt. Omnino oporas accipiunt proprie autumnales fructus, & id nominis ratione, ſed & æſtiui in eandem ueniunt decuriam. Horia in cælo, dicunt cæleſtium ſtudioſi ſtellarum fines. Nam in ſignis partes, uelut propriæ, ſtellis diuiduntur ſingulis: propterea dici audias, quum in finibus ſuis ſtella fuerat inuenta, ſic eſt, tanquam in ſuo conſtituta domicilio. Id exemplo liquere amplius poteſt: Arietis dominus eſt quidem Mars, uerum fines eius ſtellis ſic diſtribuuntur ſingulis: à prima uſq; ad ſextam partem poſſidet Iupiter: à ſeptima uſq; ad duodecimam Venus, ab tertiadecima ad uiceſimam Mercurius, à uiceſima prima uſq; ad uiceſimam quintam Mars, à uiceſima ſexta uſq; ad triceſimam Saturnus. Hyperoria intelligũtur, quæ ultra tempeſtiuitatem perducta ſpecie ac bonitate ſentiuntur exuta. Horæum legimus quãdoq; delicatum dici & molliculum: unde apud Menandrum ὡραΐζεσθαι, diffluere delicijs. Villæ pars fructuaria dicitur, quæ in cellam diſtribuitur olearíam, torcularíam, uinaríam, defrutaríam, fœnilia, & palearia. Illud quoq; adnotauero, ſalgama priores item dixiſſe, quæcunq; conditanea ad uictum noſtrum in uaſis ſeruabantur. Columella libro tertiodecimo: Hæc uaſa dedita opera fieri oportet patente ore, & uſq; ad imum æqualia, nec in modum doliorum formata, ut exemptis ad uſum ſalgamis, quicquid ſupereſt, æquali pondere uſq; ad fundum deprimatur, quum ea res innoxia penora conſeruet, ubi non innatent, ſed ſemper ſint iure ſubmerſa. Quin & in Hortorum cura, idem ita cecinit:

Tempore non alio uili quoq; ſalgama merce,
Capparis, & triſtes inulæ, ferulæq; minaces
Plantantur.

Apud eundem ſalgamarios legimus libro tertiodecimo De rapis: Deinde ſicut conſueuerunt ſalgamarij, decuſſatim ferramento lunato incidito. Salgamarios putant, qui ſalgama uendunt, aut etiam condiunt. C. Martius libros tres elucubrarat nominibus Coqui & ſalgamarij, quis urbanas menſas & lautiora inſtruebat conuiuia. Sed & Romæ fuerunt caſtra ſalgamariorum, ſicut ſaligariorum, lecticariorum & uictimariorum, quin & tabellariorum. Legimus porrò Codicis libro duodecimo, legem de ſalgamo hoſpitibus nõ præſtando, in hæc uerba, Ne quis comitum uel tribunorum aut præpoſitorum aut militum nomine ſalgami, id eſt culcitras, lignum, oleum, à ſuis extorqueat hoſpitibus. Autumnum dici putat Feſtus, quòd tum maxime coactis fructibus hominum opes augeſcant. Claudianus in Proſerpinæ raptu,

Hæc tibi ſacra datur, fortunatumq; tenebis
Autumnum, & fuluis ſemper ditabere pomis.

Ab oporis inuenio dici oporophylaciũ, pro loco ubi eiuſmodi ſeruantur fructus. Sunt & oporophorę, arbores. Sicut oporonem uocant, qui oporas emit uenditq;. Pomarios fortè dixeris Latinè, ut apud Spartianũ in Heliogabalo, ubi dulciarij quoq; nominantur & lactarij. Sed nos ſine ſufflamine decurrimus, quamobrem tranſeo ad reliqua: ſi illud in tranſcurſu non reticuero: peciolum, quo ramis inhærent fructus, uocari moſchon, & à Palladio tenacem quoq;.

Nunquam

Nunquam Hecale fies, prouerbium quo proferatur ſenſu. Cap. XI.

NVnquam Hecale fies, ſcitus adagio eſt, quo ſignificamus, nũquam à pau pertate eiuſmodi oppreſſum iri quempiam, qua olim circumuenta Heca le eſt, de qua prius q̃ aliquid promam, carmina Plautina ſubſcribemus: ex quibus prouerbij nata obſeruatio eſt. ſic enim in Ciſtellaria legimus,

Ecaſtor haud me pœnitet,
Si ut dicis, ita futura es: nam ſiquidem ita eris, ut uolo:
Nunquam Hecale fies, ſemperq̃ iſtanc quam habes ætatulam
Obtinebis.

Fuit Hecale anicula, à qua Theſeus olim adoleſcens comiter eſt hoſpitio ſuſceptus, unde ſacrum quoq̃ Hecaleſion per pagos celebre fuit Hecalo Ioui, non ſine ipſius Hecales honoribus: quam etiam Hecalenem uocabant diminuti- ua forma: quoniam ipſa quoq̃ adoleſcentem adhuc Theſea ſalutare aniliter, & huiuſce modi excipere diminutiuorum blanditijs cõſueuerat. Meminit in Theſeo Plutarchus & Philochorus. De ea iuſtũ poema Callimachus fecit, Hecalen nomine. Plinius quo- que herbas edules nominat, quas ruſtica illa Hecale apud Callimachum apponat. Me minit & Chæremon. Sudas uero ait, ἑκάλη ἡ ἡρωΐς παρὰ καλλιμάχῳ. id eſt, Hecale hero is eſt apud Callimachum. Addit quoq̃ nominis etymon ἡ πρὸς ἑαυτὸν καλοῦσα, id eſt ad ſe uocans. εἶχε γὰρ τεῖχος ἀκλίσιον. Hæc tamen uidetur fuiſſe pauperrima, quando ita canit Ouidius in libris de remedio,

Cur nemo eſt Hecalem, nulla eſt quæ cœperit Irum?

Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

Apuleius quoq̃ libro Metamorphoſeon primo, ex Politiani emendatione: Si conten- tus (inquit) lare paruulo, Theſei illius cognominis patris tui uirtutes æmulaueris, qui non eſt aſpernatus Hecales anus hoſpitium tenue. Sed & in Priapeijs epigrãmatibus:

Aequalis tibi, quam domum reuertens
Theſeus repperit in rogo iacentem.

Meminit & Petronius Arbiter,

Qualis in Actæa quondam fuit hoſpita terra
Digna ſacris Hecale, quam Muſa loquentibus annis
Battiadæ uatis uiuendo tradidit æuo.

Ex ijs quæ hactenus retulimus, & quæ ſit adagij origo innotuit abundè, necnon quæ ſit Hecale in literis utriuſq̃ linguæ. Verum quia res leuicula eſt, ac multorum (Politia no tamen duce) extrita commentarijs: quanquam hoc genus pleraque cenſeri queant, uelut haſtæ uelitum amentatæ, ad altiora præſtruamus gradum, ne planè fiat in lente unguentum: ſi id modo adiecero, non lepidè minus ac uenuſtè ad ętatem poſſe prouer bium transferri.

De Galeni ualetudine ac excellẽtia. Vitrei humores. Ephemera Galeni febris. Caput XII

GAlenum philoſophum & medicum ſingularem, cuius ſciẽtiſsima & plu- rima extant ingenij monumenta, quę genuinam ſapiunt eruditionẽ, me- moriæ proditũ à nonnullis eſt, centum & quadraginta annos uixiſſe, tan tacq̃ in cibo & potu abſtinentia uſum, ut ad ſatietatem nunquam comede rit aut biberit, nec crudum quicquam unquam guſtarit: unde ſit factum, ut odorificum ſemper anhelitum ſpiraret. Sed quod longè apud me mirabilius eſt, ci- tra ullam omnino affectionem, ſola defecerit ſenectute. Quod in humanis eſt rariſsi- mum, in tanta ſubblandientis gulæ laſciuia, & in interitum uergentis naturæ fragilita- te, ut ſilentio conterantur lancinantes hinc inde incommodorum turbines. Vtcunq̃, hinc certè adagium obrepere aduerto, ut Galeni ualetudinem dicamus, pro ea quę ul- tra humanum captum nimis ſit proſpera, nimisq̃ inoffenſa. Nec me tamẽ fallit, ni ſum forſan Curione obliuioſior, qui tribus propoſitis, ſæpe quartum addebat, uel quærebat tertium: quid aduerſus hanc aſtructionẽ noſtram proferri ab eruditioribus poſsit, tum ex Galeno ipſo, tum ex ſcriptoribus alijs. Cum Sudas auctor eſt, Galenũ modò annos uixiſſe ſeptuaginta: ita enim de eo ſcribit, ut obiter etiam ſuperpondio lectorem onu- ſtum remittamus: Galenus (inquit) arte medica celeberrimus, Pergami eſt natus, Mar

ci & Commodi ac Pertinacis imperatorum temporibus, Romæ uixit. Niconém habuit patrem, geometriæ ac architecturæ peritum. Plurima non in medicina ſolum, ſed & in philoſophia condidit uolumina. Immo uero in grãmatica & rhetorica, quæ quod omnibus ferè obuia ſunt, & uulgo notiſſima, recenſere conſilium non eſt. Vixit annos ſeptuaginta. Galenus porrò ex Græcæ linguæ proprietate quietum tranquillumq; ſignat. Cæterum Galenus ipſe de ſe ita propémodũ ſcribit libro De interioribus ſecundo: Sum (inquit) mihi conſcius, quodam tempore tanto me eſſe conflictatũ dolore, ut uentris interiora arbitrarer conuelli lancinariq;, præcipue qua meatus urinæ ſunt inter renes ac ueſicam, mox uero clyſtere uſus ex oleo & ruta, præcellenti dolore humorem deieci uitro liqueſcenti perſimilem: quod genus Praxagoras uitreos uocat humores, ſicut in pleriſq; ſubinde experimento didici. Qui etiam tradit, eſſe humorem illum frigidiſſimum: & recte ille quidem, nam ſenſu teſte comprobatur. Mirum tamen, unde nam ſit frigiditas tanta, quæ nulla ratione recaleſcat. Sed libro De ſanitatis moderatione, ita ſcriptum inuenio, quocunq; auctore æditus eſt liber is: Annis (inquit) iam plurimis nullis ferè morbis infeſtati ſumus, niſi quãdoq; laboribus nimijs ephemera febre. Attamen pueri adoleſcentesq; magnas multasq; incurrimus ægritudines: ſed anno uiceſimooctauo ætatis tranſacto, quum exploratum mihi eſſet, ſanitatis eſſe artem aliquam, eius inhærens præceptis immunẽ me morbis exſortemq; cuſtodiui, præter eam quam diximus ephemeram, quam tamen ipſam declinare poſſet liberius paulo uiuendi poteſtatem nactus. Porrò in libro De alimentis ſecundo, ubi de lactuca ſermo eſt, ſic ſcribit: Vtuntur (inquit) ea ex aqua decocta, ſicuti ego nunc incepi, poſtea quàm de prauati mihi dentes ſunt. Sed & alibi ſcribit, quum circa diaphragma laboraret, ſe ſomniauiſſe liberatum iri, ſi ſanguinem mitteret ex uena quę eſt inter pollicem & indicem, minuiſſe ſanguinem, conualuiſſe. Hæc ad præſens comperta nobis de Galeno ſunt. Suam uero ipſemet præſtantiam quodam libro patefacit, ſic propémodum ſcribens, Itaq; medicinam profeſſus ad Senectutem uſq;, nullam omnino ad hanc diem calumniam ſubij uel curando uel præſagiendo. Id quod celeberrimis medicorũ quibuſdam obtigiſſe, ſum memor. Sed & quinto Colliget Auerrois, capite de punicis granis, Galenum ita celebrat, ut experientia præcellentem prædicet ac ueridicum in primis, ut cui comparari non poſſit alius, ni forſan is inquit, qui clamat quidem: ſed quid clamet, nõ percipit ſatis, Auicennã (opinor) conuellens. Qui ſe tamen Galeni fatetur interpretem, ac ſummum quandoq; uocat artis medicę. Illud certe in tam nobili cenſura minus prætereundum, quod ſeptimo Therapeutices legimus: Veritatis ac ſcientiæ ſtudio attentiore gloriam eatenus ab tanto contemptam uiro, ut ne libris quidem à ſe diſſertiſſime ac ſcientiſsimè concinnatis nomen aſcribi ſuum pateretur. Sed in re mira ipſius uerba ſubſcribam, ἐπιθύμησα δὲ ἀληθείας καὶ ὠφελείας, οὐδὲν εἶναι νομίσας οὔτε κάλλιον ἀνθρώπῳ, οὔτε θειότερον ἔπαινον. διὰ ταῦτ' οὖν οὐδὲ ἐπεχείρησά ποτε τὸ ἐμὸν ὄνομα τῷ ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένῳ βιβλίῳ ἐπιθεῖναι.

De ſanitatis ratione adnotantur pluſcula ex medicorũ ſcholis. Quæ cenſeantur corruptionis cauſæ. Sanitatis diſtinctio. Cap. XIII

QVod uero ad corporum ualetudinem pertinet proſperiorem, illud obſeruandũ magnopere cenſeo, quod nobilis auctor literis prodidit: certa eſſe experimenta totius corporis ualetudinis, uarietate uictus inobſeruata. Hippocrates utiq; tradit, non prandentiũ exta celerius ſeneſcere. Verum id remedijs cecinit non epulis. Ne quis omnino putet medicũ principem ad crapulam nos hortari, atq; helluationem. Quippe multò utiliſsima eſt temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de ſe præfecturam ſeruo dederat, ultimoq; probro maius, in cibis triumphalibus ſedenti dicebatur, uel in capitolio epulanti, pudenda re, ſeruo ſuo facilius parere quàm ſibi. Ex medicorum autem ſcholis illa ſunt, Contemperantiam calidi & frigidi, ſicci & humidi, naturalem eſſe ſanitatem conſimilium membrorum. Cuſtodia uero compoſitionis & numeri, magnitudinis & plaſmationis naturalis ſanitas eſt inſtrumẽtorum. Corruptiones autem in nobis uel eſſe neceſſarias & innatas, ac ex nobis ipſis profluere, ueluti radicem & initium habentes, primordia generationis noſtræ

ſtræ,ſanguinem ſcilicet ac ſemen. Vel eſſe non neceſſarias. Naturales quidem aridita-
te proueniũt & euacuatione, quæ cauſæ interiores ſunt. Illæ uerò exteriores ex iis quæ
corpori aduenium, quarum una inſeparabilis eſt, ſemperq; aſſiſtens, ut continens nos
aer. Corruptio non neceſſaria per tempora quædam inordinatè copulata corporibus
lædentiaq; oritur, calefaciendo frigefactandoq; immoderatè, aut etiam arefaciẽdo hu-
mectandoq;, aut frangendo, conuellendo, perforando, articulos tranſmutando. Certe
ueluti ſerie perpetua amplius, ampliusq; areſcimus, donec decurſus ad ſtatũ fiat, nec
augeamur ulterius, oſſibus ob duritiem ab ampliori prohibitis incremento. Mox uero
præter quàm opus fuerat, omnibus areſcentibus organis, actiones deterius longè per-
ficiuntur, reddimur & tenuiores, demumq; nimium ſiccitate inualeſcente, conſeneſci-
mus, corrugaturq; corpus, membra titubant inualida. Genuini quidem caloris ui, per-
petim multam ſubſtantiæ portionem effluere ſcimus. Eſſe nanq; naturales corruptio-
nes duas, ut ſignificauimus, quas genitum corpus nullum queat euadere: alteram eſſe,
quia aſſiduè areſcimus: alteram uerò hanc, quæ ex effluxu prouenit à calore intimo.
Proinde ne confeſtim ſequatur interitus, neceſſe eſt, quantum fieri poteſt, ut ſubſtan-
tiam aliam effluenti ſimilem ſubſtituamus. Ideoq; cibis reficimur, & potu: ad eum mo-
dum quicquid ſicci humectiq; euanuit inſtaurantes, ut priſtinum integretur tempera-
mentum. Nam reſpiratione pulſuq; aereæ igneæq; ſubſtantiæ moderamentum cuſto-
dimus. Propterea præceptore nullo, natura tantum (ut ſic dixerim) prælucente, come-
dimus, bibimus, reſpiramus. Quòd ſi modo aliquo perfici poſſet, ut eiuſmodi quippiã
induceremus, quod nullatenus effluentibus diſſimile foret, perſanũ hoc & optimum
foret. Sed quia id impoſſibile, quoniam quod ab unoquoq; membrorum effluit, eiuſ-
modi natura eſt, quale membrum ipſum à quo defluit: at eorum quibus ueſcimur, nil
omnino eſt tale: inde fit, ut neceſſariò percoquantur à natura, tranſmutentur, præparen
tur, ſimiliaq; corpori efficiantur quod alitur. Quod uerò non digeritur, corpori non ac
cedit. Hæc uerò retrimenta ſunt, & ciborum ſuperfluitates. Sanitas firma conſtansq;
καθ' ἕξιν nuncupatur, fallax & incerta, ἐπὶ χρόνον. Amplius eadem tradit ſchola, duo
eſſe quæ medicina nuncupata diætetice ad ſanitatem intendat: alterum eſt, inanium re
pletio: alterum uerò, redundantium exinanitio, ne ad hũc uſum organa præſtituta ob-
ſarciantur atq; obcæcentur, néue flacceſcant, ut corpus cuſtodiatur purum, nullaq; re-
dundatia infeſtum. Ex iis porrò duobus tertium quiddam uidetur cõſequi, ne celerius
obrepat ſenilis moleſtia. Etenim ſi quæ euacuantur, reſtituamus, nec ſubſtiterint intus
noxiæ ſuperfluitates: & ſani erimus, & quod eximium eſt, diu iuuenes. Cæterum, quia
diu de ſanitate uerba facimus, nec utiq; illud, ueluti per incuriam omiſerimus. Sanita-
tem non uno dici modo ab eruditis. nanq; altera eſt, quæ optima dicitur, perfecta, ſum
ma etiam Septembribus horis, ut inquit Horatius. Altera uerò eſt, quæ ab hac deficit,
incerta, nõ perfecta, quæq; latitudinem habet multã. Duplex quoq; traditur hæc: nam
aut eſt eucratos, & ſine querela, in qua non amplius quàm oportet, corpora calida ſint
uel frigida, ſicca uel humecta, ut habitudo carnoſorum, quæ in meditullio eſt tenuis, &
modum excedentis. Altera eſt dyſcratos, & cum querela, in qua maximum eſt ab opti-
ma diſcrimen, quod perſpicuum tamen non eſt ob paruitatem. At ſimplex illa ſanitas
& perfecta, quæ eucraſiam habet certiſſimam, uel nunquam comperta in animalis cor
pore eſt, uel ſi unquam fuit, nec minimo quidem permanſit, quin uel initu oculi demu-
tata ſtatim eſt, nec eodem ſe habuit modo. Sanitatem uerò finiunt diſpoſitionem ſecun
dum naturã, quæ actionem adminiculata coadiuuet. Sicuti ægritudinem dicunt diſ-
poſitionem præter naturam, quæ actionem oblædat præpediatq;.

Morbis ex quibus cauſis appellationes ſint inditæ. Herpes eſthiomenos, id
eſt morbus ſancti Antonij, aut ſancti Martialis. Item morbus, Noli me tan-
gere. Tenaſmon. Cancer. Lupus. Hypoſarca. Morphæa. Satyriaſis. Saty-
riſmus. Satyrium. Proſedanum. Cenchrias. Phagedæna. Gangræna. Me-
lancholia. Choleræ. Caput XIIII

MOrbis uerò induntur nomina quandoq; ab affecto membro: ut pleuritis, à latere: peripneumonia, à pulmone: ſic iſchiadicus dicitur, ſic nephritis à renibus, ſic arthetica (uel ut apud Galenum ἀφθίτης) cephalea, ophthalmia, dyſenteria. Alijs uerò ab accidentibus quæ conſequũtur, ut affectionem, quæ egeſtionem qua conſuetũ eſt, fieri non permittit, tenaſmon ab inteſtinorum tormento uocitarunt, τεινεσμὸν dicunt Græci. Eſt in eo item genere palmus, apepſia, dyſpnœa, apnœa, agrypnia, coma. Recenſeri in ijs herpes item poteſt eſthiomenos, quem inoriri Auicenna ſcribit, ubi arctius cõſtringantur uulnera. A medendi peritis finiri ſolet, membri νέκρωσις, id eſt mortificatio, ac cum putredine & mollificatione diſſipatio. Eam uerò affectionem lingua dicit uernacula morbũ ſancti Antonij, uel etiam ſancti Martialis: à cancro differt, ac lupo, & eo quem facetè nuncupant noſtra tempeſtate Noli me tangere, quia membra diſſicit putredine tantum non cadaueroſa cum mollicie. Illi uerò idem utiq; efficiũt, at corroſione ac duritie. Herpes porrò eſthiomenos breuior eſt, acutiorq;. Herpes (inquit Therapeutices ſecundo Galenus) non ſemper ulcus eſt: quòd ſi adſit ulceratio, ueterem ſubinde mutat ſedem, proxima depaſcens, ac ut indicio nomen eſt, λίπλω ἕρποντος θηρίου, id eſt feræ modo ſerpentis, priora linquens obrepit alijs. Fit ex humore bilioſo flauo, ex quo in eryſipelatum genere eſt: differt tamen ſucci tenuitate. Additur herpetis genus cenchrias pictum, quoniam puſtulæ ſuccreſcant milij ſimilitudine, quod cenchrum uocant. Cognatam ijs affectionem phagedænas dicunt, inter quas chironia ſunt & telephia. Auctor idem Galenus libro ad Glauconem ſecundo: Si flaua bilis naturæ ſuæ proprietate ſeruata, cum ſanguine per totum ſeſe profuderit, affectionẽ inoriri, quam icterum uocamus. Quòd ſi in partem aliquam decubuerit ſola, herpes nuncupatur. Si uerò craſſior fuerit, cutem arrodit uniuerſam ad carnem uſq; ſubiectam: huncq; herpeta eſthiomenon appellauit Hippocrates: ſi autem tenuior, ſuperficiem modò ueluti amburit, tuncq; herpes tãtum dicitur. Spaſmũ uerò, cõuulſionem ab inſtrumentis dicunt uoluntarij motus, ad ſuum initium ui reuerſis. Plures autem morbi ab utroq; appellationem traxerunt, ut cephalalgia, otalgia, cœlophthalmia, cardialgia, odontalgia, hyſteralgia: à cauſis quoque ſæpius nomina inueniuntur impoſita, ut quæ ab omnibus dicitur melancholia, ab Gnidijs autem medicis χολέρα. Nam & hypoſarcam, quæ hydropiſeos ſpecies eſt, album phlegma uocauere. Nonnullæ item ægritudines ex ſimilitudine quadam nomen habent, ut elephas, ſiue elephantiaſis, & leuce, & cancer, ac narium morbus polypus: & morphææ, ab arbore nucis inditũ uidetur nomen, quòd frondibus eius perſimilis eſſe uideatur. Quaſdam item uerrucæ ſpecies myrmecias uocarunt: ſimili modo alopeciã. Cancri (inquit ſecundo ad Glauconem Galenus) in omnibus quidem partibus corporis fieri conſueuerũt: ſed in mamillis præſertim mulierum, quæ à natura purgationem non habent. Generantur uerò tumores hi ex atræ bilis ſuperfluitate: quæ dum ſanguis in hepate fit, fecis uinariæ proportione concipitur. Ab ſplene uerò expurgatur, qui inde alimentum cõſequitur, ſicuti ab Galeno proditum eodem eſt in cõmentatione De naturalibus potentijs. In mamillis porrò tumorem ſæpe conſpeximus, forma & figura cancro animali conſimilem. Nam ut in eo pedes ex utraq; ſunt corporis parte, ita in morbo diſtendunt uenæ, quæ cancri prorſum ſimilitudinem effingunt. Hunc (inquit) per initia ſæpe ſanauimus, ubi uerò in molem ſatis inſignem protollitur, nemo ſine manus opere potuit curare, ſed & tunc inſigne ingruit periculum profluuij ſanguinis. At ueretri inflationem nomine cuiuſdam dæmonis ſponſarum depicti nuncupauerũt, id eſt ſatyriaſin, ut interpretantur nonnulli. Satyriſmum & priapiſmũ enuntiat Galenus. At Plinius in totum inquit, Græci ubi concitationem in Venerem uolunt ſignificare, ſatyrion appellant: in coitu uerò ex labore pigritiã, proſedamum. Pauca uerò ſunt morborum nomina eſſentiam modò mali exprimentia, ut phlegmones, qui ſunt abſceſſus calidi, ſiue (ut Græci dicunt) apoſtemata, & gangræna: ſic enim uocatur τῶν μελῶν τὸ νεκρούμενον σὼν ἕλκει, id eſt morticina membrorum caro cum ulcere, uel etiam ſine ulcere, μετὰ φλεγμονῆς καὶ ἐρυθήματος λευκαινόμενον, id eſt cum inflammatione ac rubedine exalbeſcens. De gangræna ſecundo ad Glauconẽ ſic comperi: Gangrænas, inquit, nomino

nomino eas, quæ ex inflammationis magnitudine fiunt mortificationes: ſed ita, ut non integræ ſint omnino. Nam ubi prorſum eſt affectum membrum ac emortuum, ut per cuſſum uel ſectum uel aduſtum non ſentiat, recidere ſtatim, conuenit. Verum, ita affecta nigreſcunt. Quod autem medio conſtitutum modo eſt, ut tendat in mortem, gangræna eſt, ac nominatur. Scirrhi item eodem modo dicuntur, id eſt duritiæ. Item empyema, id eſt ἐμπύημα, catagma, ſpaſma, rhegma, colouoma, dothien, ionthos, phyma. Quibuſdam impoſita nomina ab artifice, à quo curata primum, ut chironio. Alijs uerò ab ijs, qui primum laborarunt, ut eſt telephium. Sed nos iam ab hiſce medicorum diuerticulis in uiam demũ reuertamur, & inſtituti reliqua exſequi pergamus, ne graculus fiat aliena laſciuiens plumula.

Quod commerciũ balneo & canis prouerbiũ quem uſum habeat. Cap. XV

QVod commerciũ balneo & canis adagio eſt elegans, in Græcis literis frequens, à Luciano uſurpatus eo ſermone qui eſt Ad ineruditũ multos emptitantem libros, dicit de ijs quę diſſociata natura ſunt, nec ſimilitudinẽ recipiunt aliquam, uel uſum, ueluti ſi nauigandi imperitus, aut equitationis omnino expers, caperet is quidem affabre conſtructam nauem, & ad ſecuritatem omnibus fultam inſtrumentis: hic uerò equum compararet Medum, uel Centaurídem, aut Coppophoron, ridiculum (opinor) uterq; ſe præſtaret, quod per imperitiam haud commodè uteretur rebus. Non ſecus ac dines ille Aſianus, cui quum pedes forent abſciſſi, qui frigoris nimietate computruiſſent per niues iter faciẽti, ut ali quo modo calamitatem leniret, ligneos ſibi pedes conficiendos curauit, quibus ſubligatis interim etiam ſeruis innixus incederet. Sed ridiculariùs in eo prę cipuè fuit, quod ſumma cura ſcienter politeq; confectas ſoleas comparabat ſubinde, quibus ligneos illos pedes præfulciret. Veluti uiſenda plane res eſſet, lignum crepidis inductum. Non diſſimile huic & illud Luciani eiuſdem, πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα, ideſt ſimia quidem ſimia eſt, etiam ſi aurea habeat ſymbola. Et imperitię nubilo adobrutus librum quidem perpetim uerſare manibus poteſt, ſed eorum tamen quæ lectitantur, nihil prorſum queat percipere, ἀλλ' ὄνος λύρας ἀκούει κιθάρᾳ τὰ ὦτα, ideſt ſed aſellus aures motans audit lyram, eſtq; ſemper τῷ ἰχθύϊ ἀφωνότερος, magis mutus & fandi magis inops, quàm piſces. Vt uerò à balneis non reſiliamus longius, prouerbij (ut opinor) ratio aperta ſatis eſt, quando humanæ infirmitati, bonumq;, ſi non & delicijs, balnea modò deſeruiunt, ad ea nil aſpirat bruta natura. Fuerit argumento etiam, quod ſunt auctore Ariſtotele, τὰ θερμὰ λουτρὰ ἱερά, ideſt balneæ calidæ ſacræ: quas tamen ſic dici ipſe putat, quia ſulfure atq; fulmine rebus ingenuè ſacris proueniant: ſacris inquam quoniam quæ miranda ſunt & occulta, ſicuti quibuſdam placet, ſacra uidentur, ut miras balnearum taceamus facultates.

Calentium aquarum rationes aliquot. Cur earundem ui lapides item progignantur. Poros quàm multa ſignificet apud eruditos. Caput XVI

ET quia in balneas incidimus, cur aquarum aliquæ caleant, quædam etiam ferueant, intãtum ut non poſſint eſſe uſui, niſi aut in aperto euanuere, aut mixtura frigidæ intepuere, cauſæ aliquot redduntur. Empedocles exiſtimat, ſicuti docuit Seneca, ignibus quos multis locis terra opertos tegit, aquam caleſcere, ſi ſubiecti ſunt ſolo, per quod aquis tranſcurſus eſt. Facere quippe dracones ſolemus, & milliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus per decliue circũdatas, ut ſæpe eundem ignem ambiens aqua, per tantum fluat ſpatij, quãtum efficiendo calori ſatis eſt. Frigida itaq; intrat, exit calida. Idem ſub terra fieri exiſtimat Empedocles. Quidam arbitrantur, & comprobat libri auctor, qui circumfertur De proprietatibus elementorum, per loca ſulfure plena introeuntes aquas calorem beneficio materiæ per quam fluunt, trahere. Quod ipſo odore guſtuq; teſtantur: reddunt enim qualitatem eius qua caluerunt, materiæ. Quod ne quis accidere miretur, uiuæ calci ſi aquam infuderis, nónne feruebit? Hæc porrò efficit ratio, ut aquæ feruidæ magna ex parte ſalſæ proueniãt, ut Ariſtoteles inquit, quia ſcilicet per terram aluminoſam percolãtur. Exuſtorum autem omniũ cinis ſalſus eſt, ſulfurq; redolet.

Democritus

Democritus calci assignauit calidorũ fontium rationem, quod nequit fieri, quoniam lapides unde fit calx, non habent excalfaciendi uim, nisi in fornace præusti. Sunt qui uento causam euentus ascribant parum scienter, quia perpetuò calet aqua, nec tamen perpetuò flat uentus: nõnulli terræ putant raritatem, sole penetrante calorem aquæ ingenerare: quod admitti posset, si solis abscessu frigesceret item aqua. Cæterum, in hac calentium aquarum ratione nónne illud eximium est, ac inuestigandum anxiè: quòd ipse etiã penè puer apud Aponum adnotaui, dum Patauij capesserem ingenij cultum, ab illis subinde lapides gigni? Hoc extra omnem admirationem mihi fuit, scaturiũt ibi feruentissimæ aquæ in supercilio nõ multum arrecto, in subiecto molendinũ est, quod uersat balinei aqua per conuallem decurrens, Volaticã, ut nunc passim dicit, in quam impetu deuoluitur aqua per arctum, uidimus totam, ueluti quodam artificio, lapidea circumtectam crusta: & quum oculis non satis crederem, duritiem materię experturus cultelli satis ualidi mucronem insigniter retusum animaduerti. Id utpote adolescenti, qui nihil admodum interioris scientiæ attentassem, miraculum est uisum. Mox repetita urbe, quum rem scholasticis quibusdam exposuissem in foro, risu exceptus sum ab omnibus ferè, tanq; inusitata nescio quæ, & absurda ac scurrilia promerem. Sed haud ita multo interstitio facto, illuc profecti mecum in rem præsentem ueriss̃ima senserũt, quæ prius inscitè ludibrio habuerant. Verum ea omnia pòst quum Plinij, tum aliorum doctrina confirmata repperi. Nam & Seneca (ut de Strabone taceam libro tertiodecimo) Naturalium tertio ad hunc modum scribit: Interest utrum loca sulfure an nitro an bitumine plena transeant. Hac ratione corruptæ cum uitæ periculo bibuntur: unde & apud Ouidium legimus,

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicatum utiq; & eius habet naturæ limum, ut corpora agglutinet ac induret, quem admodum Puteolanus puluis, si aquam attigit, saxum est. Sic ecõtrario hæc aqua, si solidum tetigit, hæret & affigitur. Inde est quòd res abiectæ in eundem locum lapideæ subinde extrahuntur. Quod in Italia quibusdam locis euenit, si uirgam, siue frondem demerseris, lapidem pòst paucos dies extrahis: circũfunditur enim corpori limus allinitur q; paulatim. Hoc minus uidebitur mirum, si notaueris Albulas, & ferè sulfuratam aquam circa canales suos cymbas q; durari. Sed summus item philosophus Encyclicarum quæstionum libro uicesimoquarto quærit, διὰ τί ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων μᾶλλον, ἢ ἐκ τῶν ψυχρῶν πήγνυνται λίθοι. idest, cur aquis calentibus potius quàm frigidis lapides concrescant atq; coagmententur. Respondet q;, prouenire quòd lapis defectu humoris consistit, calore q; potius q; frigore, humor deficit & lapidescit calore: ut etiam Empedocles ait, πῶς τε πέτρας καὶ σύλλίθους ἡ θερμὰ τῶν ὑδάτων γένηται. id est, lapides & saxa feruẽtium aquarum opera conficit. In quo tamen aduertẽdum, si defectum humidi omnino, ex toto q; intelligas, minus procedit ratio, quãdo quoquo modo lapis fiat, coagulatione seu cõgelatione, requirit humidum agglutinãs, quo deficiente, non lapis fit, sed harena uel puluis. Si uerò humecti defectum intelligimus redundantis ablationem, tunc ueritas apertius eluescet. Certè non solum calor ἀφρολιθοῖ, id est elapidat: sed frigus etiam, humorem nimio gelu absumendo, indurat, facit q; lapidem: quòd si nimium frigus ita agit, simpliciter quoq; ita agi posse, certum est. Auctor porrò in Hilarionis uita Hieronymus, littus quod Palæstinæ ac Aegypto prætenditur, per naturã molle, harenis in saxa durescentibus, asperari, paulatim q; cohærescentem sibi glaream tactum perdere, quamuis non perdat aspectum. Sed & multa super ijs in libro De metallicis, quisquis eius dici auctor debet. Adnotanda obiter & Auicennæ sententia ex fine Meteororum, ut prætereamus quæ huc spectantia Vitruuius scribit, Ex terra puràlapides non fieri, sed ex permixto, quoniam ex nimia siccitate in ea cõtinuatio non fit. Fiunt uerò ratione duplici, conglutinatione, congelatione: priore quidem quum lutum aliquod uiscosum fuerit, ac pingue, quod arescens in quandam euadit dispositionem, quæ in luti lapidis q; meditullio ferè est, mox sensim lapis concipit uerus. Scribit etiam, uirtute quadam uniuersali uegetabilia & animantia quoq; deformari in lapides posse

poſſe. Dignum uerò ſcitu, humecti addenſationem hanc in lapideam naturã dici quan doq; poron, id eſt πῶρον. unde illud ex Piſide ab grammaticis affertur, ἡ γὰς ἐκμαλλας πωροῦται, καὶ σφίγγοντα λιθώδεα τρόπῳ. Hinc & porinos dicitur lapis. Eſt & affectio quædam poros. Elei, πωρᾶν pro lugere uſurpant. Pronuntiatur & de cæco poros, nam & cæcitas nuncupatur πώρωσις. Eſt item in oſſium fractura poros, Therapeutices ſexto apud Galenum, χρὴ γὰρ inquit παχυῶαί τι φλοιώδας τροφῆς τῷ ὀσῷ, ἵνα γένηται πῶρος, id eſt ex proprio oſſium alimento oportet concreſcere quippiam, unde fiat porus. Idem mox paulo ex chymo alimenti uiſcido & bono, concinnari porum ſcribit; quæ res item πώρωσις appellatur. Et in hoc uſu apud eundem, πωροῦσθαι uerbum.

Balneorum diſtinctio & uſus. Problemata duo ad id ſpectantia. Balnei etymon quod ſit. Item eiuſdem rei delicię. Thermarum cognomenta ab heroibus ducta. Thermæ in Vrbe primæ. Cap. XVII

BAlneorum uerò, ſicuti obſeruatũ ex Archigene eſt, alia ſunt nitroſa, alia ſalſoſa, alia aluminoſa, alia bituminoſa, alia ſulfuroſa, alia ferroſa, alia calcoſa, quædam ex his ſunt compoſita. Et horum quidem omnium potes ſtas eſt arefaciendi. Quædam non arefaciunt modò, uerum etiã obſtruunt, ſicut aluminoſa: partim etiam ſalſoſa, & æris qualitatem adepta. Et hæc quidem lauacrorum ſponte prouenientium ratio eſt. Sed nec ignorandum ex Galeni doctrina, eorundem quædam eſſe dulcia, quædã qualitatis expertia, quædã ſuam quandam obtinere qualitatem. At eorum quæ alteram quandam habent qualitatem, quædam ex inſtitutione noſtra uim habent, quædam ſua ſponte uim obtinent. Balnei uſus (inquit Celſus) duplex eſt: nam modò diſcuſſis febribus, initium cibi plenioris, uinicq; firmioris ualetudini facit: modò febrem ipſam tollit, fereq; adhibeẽ, ubi ſummam cutem relaxari, euocariq; corruptum humorem cõuenit, & habitum corporis expedit mutari. Antiqui timidius eo utebantur, Aſclepiades audacius. Cæterum, hæc quæ medicinæ rationibus continentur, miſſa faciamus, quoniã noſtro inſtituto parum fortaſſe congrua uidebuntur. Illud quæramus potius, quid nam ſit quòd experimenta perdocent uerũ: ante balnei ingreſſum calidum mingimus, at in balneo diutiuſculè commorati, frigidum. Illa uerò afferri ratio poteſt, id tanquam ad alterius comparationẽ planè fieri: nam urina tepidi profectò temperamenti eſt, quæ tum primum à nobis facta, mediocriter etiam calida eſt foris. Igitur quandoquidem frigidum eſt corpus noſtrum, ipſum lotium utpote corpori comparatum, calidum eſt: in lauacro autem quãdoquidem corpus plus lotio incaluit, frigidum uidetur lotium, utcunq; calidum ſit. Dignum & illud obſeruatione eſt: quòd neutiquam ſitientes, lauacrũ ſubeuntes ſitimus. Et contrà, ſi ſitiamus, pacaẽ ſitis. Nempe ex ariditate ſitis oritur. Si ergo non ſitientes lauacrũ ſubeamus, corpus facultate uitali per cutis meatus humorem allicit, & quaſi ad ſe conuellit, atque ita contingit funditus humectari, unde præcipuè exoritur ſitis. Qui uerò ſitientes lauacrum ſubeunt, humorem corporis efferunt, diductis corporis meatibus, ſudoreq; excutiunt, nec receptum humor habet. Balneum, ex Græcis quidam interpretantur dici παρὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι τὰς ἀνίας, à triſtitiæ uidelicet laſſitudinumq; repulſu. quando & id uidetur Homerus innuere, quum ait,

λοῦσε δ' ἐκ τρίποδος μεγάλου,
ὄφρα μοι ἐκμάκτου θυμοφθόρον εἵλῃ γῆρυ.

Corroborauit in libris Confeſſionum Aurelius Auguſtinus libro nono. Sed rationibus peruincere grammatici conantur: quoniam ſi id uerum eſſet etymon, ſcribendum fuerat per ι, ſed modo per ει ſcribitur, quod ſciunt omnes, hoc eſt βαλανεῖον: propterea, inquiunt, aſtruendum eſt fieri ἀπὸ τῶν βαλάνων, quoniã balanos ſuccendere, moris fuit ueteribus, παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν. Nam Epaphroditus αὔειν exurere interpretatur, ἵνα μήποθεν ἄλλοθεν αὔοι. Sudas ſcribit, ueteres glandibus ueſci ſolitos, corticis uerò igni alimenta præbuiſſe. Et eſt (inquit) balneum, uia inſtrumentumq; ad delicias: quando ut Plinius etiam ſcribit, parietes balnearũ unguentis ſpargi nonnulli iuſſere, atq; Caium principem ita ſolitum lauari. Et ne principale uideatur hoc bonum, & poſtea quendam ex ſeruis Neronis. Nam Tranquillus de principe eodem ſcriptum

reliquit

reliquit: Nepotinis ſumptibus omniũ prodigorum ingenia ſuperauit, cõmentus nouum balnearum uſum, portentoſiſſima genera ciborum atq; cœnarum, ut calidis frigidiſq; unguentis lauaretur. Lectum in ueteribus memorijs, thermarum nomenclaturam auctoritatis gratia & exiſtimationis ab heroum illuſtriſſimo quoq; ſolitam peti: hinc Aagamemnonias legimus thermas, hinc & Achilleas apud Caſſiodorum. Sed illud grauius: Antonium Caracallam thermas ſuo inſignes nomine ſuſtruxiſſe: quarum cellam ſolearem, id eſt in qua forent balneo deſtinata ſolia, negant architectonicę conſulti, ulla poſſe exprimi imitatione. Nam ex ære uel cupro cãcelli fuere ſuperpoſiti, quibus concameratio concredebatur tota. Scribit Lampridius, Alexandrum Cæſarem luminibus thermarum addidiſſe oleum, quum prius non ante auroram paterent, & ſolis occaſu clauderentur. Scribit Dion, Mecœnatem omnium primum in Vrbe calentium aquarum natatoria ſtruxiſſe. Iureconſultus Vlpianus, Impenſarum alias uideri neceſſarias ſcribit, uelut aggeres excitare: utiles alias, ut ſtercorare: nonnullas etiam uoluptarias, cuius eſt modi balnea conſtruere.

Balnea ueterum frugi. Senecæ locus emaculatur. Epiſtomium quid, & papillæ, ac epitoniũ. Collabi, & collopes. Calloſus. Collubia, Coluthra. Epiſtoleus. Epitimium quid Iureconſultis. Cap. XVIII

ANtiquitus in uſu erant balneola peranguſta, tenebricoſa: uti Seneca inquit: neq; enim calida uidebantur, niſi obſcura. Eiuſmodi fuiſſe legimus Scipionis Aphricani balneum apud Linternum. In eo ille horror Carthaginis, cui Roma debebat quòd ſemel tantũ foret capta, abluebat corpus laboribus feſſum ruſticis, quoniam ſe exercebat opere, terramq; ut mos fuit priſcis, ipſe ſubigebat. Mox uerò quis ita lauari ſuſtinuiſſet? Pauperes ſibi uidebantur, ac ſordidi, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſiſſent, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis fuiſſent diſtincta, niſi illis undique operoſa, & in picturæ modum uariata circumlitio fuiſſet prætexta, niſi uitro abſconderetur camera, niſi thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas circumdediſſet, in quas multa ſudatione exanimata corpora demittebant: &, ut inquit idem Seneca, niſi aquam argentea epiſtomia fudiſſent. Qua in parte obiter eiuſdem codex emaculãdus eſt: nam modo impreſſi codices, epitoma præferunt, aut epitonica. Neutrũ rectè, ſiquidem uel Latinis auctoritatum tibicinibus peruincimus, epiſtomia legendum (etenim Græca id planè claret doctrina) nam libro Architectonicæ decimo Vitruuius ita ſcribit: Singulis autem canalibus ſingula epiſtomia ſunt incluſa, manubrijs ferreis collocata: quæ manubria quũ torquentur, exarea nares patefaciunt in canales. Et infra idem Vitruuius: Motione uerò uectium uehementiore, ſpiritus frequens cõpreſſus epiſtomiorum aperturis influit. Ex ijs auctoris huius uerbis, ut de Varrone taceam, manifeſtum (arbitror) dici epiſtomia, qualia nũc paſſim tonſores habent in uaſculis penſilib. capiti abluendo. Sed & inſtrumenta ea, quibus è uaſis ſubinde uina educimus, cannulas ſimplex nuncupat uulgus, epiſtomia rectè dici poſſe, animaduerto. Vnde & luxata (ut opinor) dictione, obturamentum epiſtomiorum ſpinam uocant imperiti. Haud ita ab epiſtomijs diſſentaneum, quod Varro ſcribit in uillaticis paſtionibus, Roſidus (inquit) locus fit, ſi adduxeris fiſtulam, & in eam papillas impoſueris tenues quæ eructent aquam. Sudas uerò: Collabi (inquit) panes, ſunt conſimiles citharæ collabis. Alij collabos accipiunt ἐδίδιον πλακοῦντος τετραγώνου, ἢ ἄρτου μικροῦ, id eſt placentæ ſpeciem quadrangulæ, aut minuti panis, παρὰ τὸ ἐκ μεγάλων κολοβίζεσθαι, quòd ſint ex magnis deminuti, & uelut mutilati. Collabi nanq; ſunt τὰ τῶν χοιρείων ἐπίτονια,, id eſt fidium epitonia. Apud auctores ità inuenio, collopas dici prædura in ceruice boum coria, ex quibus moris erat (inquiunt) conficere, quos uocant collabos. Sed dicitur & collops dorſuale corium, quoniam ex eo fiat colla. Vnde facetiſſimus comicus Ariſtophanes Aeſchyli duritiam monſtraturus, inquit,

οἶμαι γὰρ αὐτὸν κόλοπι ποικίλαι.

id eſt, puto ipſum collopi perſimilem. Id ſcitè admodum & doctè in adagij uſum trahi poteſt. Collopa in ſuibus, etiam καλλωσόν uſu frequentiore opinantur dici. Exiſtimo collabos

collabos in cithara eſſe clauiculos, quibus remittuntur uel intenduntur fides: & inde ab intentione cœpiſſe epitonia uocari: indeq; per ſimilitudinẽ in alijs itidem id genus eodem modo appellata. Epitonium pro incremento apud Plutarchum De liberis educandis, cõperiſſe uideor. Epitimion Græci quandoq; pro obiurgatione capiunt. Vſurpat uerbum id Iureconſultus Modeſtinus Digeſtorum uiceſimoſexto: Si quis (inquit) à parentibus prohibitus fuerit eſſe tutor, hunc neq; creari oportet, & ſi creatus non recuſauerit, prohiberi eum tutorem eſſe, manente epitimio, id eſt mandato patris mordaci iurgatorioq;. Collubia & collubias, ſunt qui pro bellarijs interpretentur, & ſic legendum coniectent in Plauto in Perſa: etiam ſi coluthra item non improbẽt, quo nomine ficos maturas accipiunt Græci, & teſtetur Philemon, ut ſcribit Athenæus. Porrò epiſtoleus ad epiſtomium pertinet nihil: eſt autem eo nomine grammatophorus, uel tabellarius. Sunt qui legatum interpretentur, unde ſit illud Plutarchi, Spartanos claſſi præfeciſſe Aracũ, Lyſandrum autẽ miſiſſe ὡς τὸλεα τῷ λόγῳ, τῷ ἢ ὅργῳ κύριον ἅπάντων.

Balnearum apud ueteres luxurioſus apparatus. Emendãtur Senecæ loca aliquot fœdè uitiata. Res quadrantaria quæ ſit. Pilicrepus apud eundẽ Senecã quid. Item alipili, libarij, & botularij, & botulus, ac diſtillarius. Quid diſtillatio, coryza, branchus, catarrhus. Arteriçũ uitium. Loca ædilem metuentia apud eundem, quæ ſint. Balnea cur item dicãtur gymnaſia. De balneo cogitare conducendo quid. Gymnaſia quid. Cap. XIX

Sed redeo ad balnea, in quibus non ſtatuas modò innumeras & columnas nihil ſuſtinentes uiſere erat: ſed eò quoq; peruẽtum eſt deliciarum, ut nihil niſi gemmas calcare uellent: ſicuti pergit Seneca, blattariaq; uocabant balnea, ſi qua non ita aperta eſſent, ut totius diei ſolem feneſtris ampliſſimis reciperent, niſi & lauarentur ſimul & colorarẽtur. Hic obiter reſtituamus alterum Senecæ eiuſdem locum fœdiſſimè corruptum: Cur (inquit) exornaretur res quadratoria, & in uſum, non oblectamentũ reperta? Legendum, res quadrantaria: quoniam qui balneas ingrederentur, quadrãtem balneatori ſoluerent. Id apertè ſignificat eo uerſiculo Iuuenalis,

Cædere ſyluano porcum, quadrante lauari.

Necnon Horatius Satyra tertia:

Dum tu quadrante lauatum Rex ibis.

Non deerunt forſan, qui artem quadratariam ab Seneca inibi potius ſignificatam putent, quæ Iureconſultis non alia uideatur, quàm marmoria. Sed illepidè omnino, ne dicam inſulſe: legant ſtudioſi modò Senecæ epiſtolam, ſcient, nil inſcitius potuiſſe excogitari, aut Senecæ diuerſum magis. Sed quoniã in Senecam ſemel incidimus, feramus illi collabenti opem pro uirili. Bone deus quàm propudioſæ irrepſerunt mendæ in epiſtolas eas quæ ad Lucilium inſcribuntur: ſed de locis alijs nunc cenſura non eſt, quod ab inſtituto alienum non eſt, id modò agamus: epiſtola eſt libro octauo, in qua tumultuoſa balneorum luxuria notatur: Si uerò pelicrepus (inquit) ſuperuenit, & numerare cœpit pilas, actum eſt. Quid ſibi hic pelicrepus uelit, non uideo: uerum certiſſima ducor coniectura, ut pilicrepum arbitrer legendum: eumq; intelligam, qui pilas, hoc eſt ſphæras aut glomos pice illitos in ignem balneorum ſiue uaporarij conijceret, ſicubi fortè reſtingueretur. In hanc ſententiam ut pedibus eam, Papinius facit Syluarum primo, in balneo Etruſci,

Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata, crepantis
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem uoluunt hypocauſta uaporem?

Meminit huiuſmodi pilarum, ut opinor, & architectus Vitruuius libro quinto, Suſpenſuræ caldariorum ita ſunt faciendæ, ut primum ſeſquipedalibus tegulis ſolum ſternatur inclinatum ad hypocauſtum, uti pila quum immittatur, nõ poſſit intus reſiſtere: ſed rurſus redeat ad præfurnium, ipſa per ſe ita flamma facilius peruagabitur ſub ſuſpenſione. Domitius uerò Papinij expoſitor, ita locum eum enarrat: Quid nũc (inquit) ego narrem tibi tabulata, quæ in ſublimi parte ædium ſunt, quo deſinunt uaporaria, haben-

tia in uertice pilam concauam, quò peruenit flamma ignis in imo ardentis, ſed languida & tenuis: ut domus ita tepeat, non autem æſtuet. Hæc ſententia an congruat, iudicẽt uolentes. Nos quod uaria ſuggerit lectio pro captu ingenij in lucem promimus: ſicut & illud quod obſeruatum doctiſsimis eſt, inter eos qui corporis curam agunt, recenſeri tonſores, balneatores, pilicrepos, alipilos, mediaſtinos, mangones, aliptas, ſeu pædotribas, ciniflones, arcularios, propolas, pigmentarios, coronarios, coſmetas, & id genus alios. Ex quibus emendatur locus alius in Epiſtola eadem: Alipedum, inquit, cogita tenuem & ſtridulam uocem, quo ſit notabilior, ſubinde exprimentem, nec unquam tacentem, niſi quum alas uellit, & alium pro ſe clamare cogit. Tu expuncto inutili uerbo, pro alipedum, lege alipilum, id eſt alarum pilos uellentem, quod auctoris ſententiæ mirè congruit. Sed & mox Seneca confluentem ad balnea inſtitorum, & cuiuſcp uiliſsimi turbam enarrans: Iam librarij, inquit, uarias exclamationes, & botularium & diſtillarium, & omnes popinarũ inſtitores, mercem ſuam quadam & inſignita modulatione uendentes. Hic mendum irrepſit in uerbum unum, reliqua perobſcura ſunt. Nam ubi librarij ſcribitur modò, legerim libentius libarij, à uendendis libis, de quibus in Faſtis Ouidius, ita ut una modo litera pereat extrita. De botulario uerò, ut noſtro beneficio pernoſcant & hoc ſtudioſi iuuenes, intelligo uerbo illo uenditores confectoresq; botulorum, ea erant farcimina, Feſto tradente. de quibus & Apicius, quiſquis is eſt, botellum ſic facies. ex oui uitellis coctis, nucleis pineis conciſis, cepam addes, porrum conciſum, thus crudum, miſcebis piper minutum, & ſic inteſtinũ farcies, adijcies liquamen & uinum, ſicq; coquas. Erat quidem botulus menſis omnibus gratus, ſed in Saturnalibus celebrabatur præcipuè, dum ex eo corona fieret pulti. Propterea libro quinto Valerius Martialis forma tamen deminuta,

Et pultem niueam premens botellus.

Sed & in Diſtichis idem poeta ſic cecinit,

Qui uenit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni ſeptem uenerat ante dies.

Supereſt apud Senecam uerbum nõ admodum uulgò notum, quod eſt diſtillarius. Scimus quidem à Latinis ferè diſtillationes dici, quæ à Græcis coryzæ, branchi, catarrhi uocentur. Quamuis hæc apud illos differant: quum ſit coryza, dum pituita tantum nares obſidet, grauedo Latinè dicta, ſicut Celſus meminit: catarrhus uerò, qui fluctio dici ualet, quum fauces palatumq;: at branchos, quũ & guttur & arteria corripitur, ob quod & artericum quandoq;, ut Paulus ſcribit, uitium id appellant. Omnia tamen hæc Hippocrates etiam coryzas uocat. Cæterum expoſitio hæc ad Senecæ ſenſum parum facit. Proinde ſciendum, diſtillationem quandoq; pro liquamine capi, quo utimur ad intinctus, ſiue (ut Græcè dicam) embãmata. Hinc Seneca ſcitè admodum & doctè diſtillarium uocauit, qui id genus cõcinnaret diſtraheretq;, quem inſignita modulatione merces ſuas uẽdere, ſcribit: qui mos adhuc paſſim ſeruatur in urbibus, Patauij præſertim. Conſuetum quoq; illud ueteribus fuit, ut uel nobiliſſimi ædiles eo fungerẽtur officio, ut loca eiuſmodi intrarent, quæ populum receptabãt exigerentq; munditias, & utilem ac ſalubrem temperaturam: non hanc, inquit Seneca, quæ nuper inuenta eſt ſimilis incendio, adeo quidem ut conuictum in aliquo ſcelere ſeruum inuitum lauari oporteat. nihil enim iam uidetur intereſſe, ardeat balneum, an caleat. Ad hæc arbitror reſpexiſſe Martialem, quum Epigrammatum tertio ita ſcribit,

Centum miſelli iam ualete quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi,
Quos diuidebat balneator elixus.

Hinc & aperitur locus Senecæ eiuſdẽ in libro De uita beata, ubi loca recenſet ædilem metuentia. Nam & alibi auctor idem: Decoquere, inquit, corpus atq; exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatũq; credidimus. Et Galenus libro Sanitatis tuẽdæ tertio, Ergo tranſire tantũ ad ſolium uſq;, non in Laconico immorari debebit, ſicuti qui citra exercitationem ſeipſos elixant. Porrò Græcorum fuit moris, in balneorum ad id exſtructis locis multiplici exercitio corpora delaſſare. Id cuiuſmodi cenſendum ſit, ex ſciẽtiſsimi illius

illius Plutarchi uerbis coniectari poterit, quæ ſubiecimus ex cõmentario Quæſtionũ Romanarum: Non aliud quicquam, inquit, Græcis ſeruitutem ac molliciem attuliſſe Romani putant, quàm gymnaſia & palæſtrã, quòd ijs langueſcant adoleſcentium animi, ac effœminentur penitus. Quæ ſi quis effugere ſtudeat, in puluerem prodire, & (ut Græcè dicam) εἰς ὑπαίθριον, hoc eſt in ſubdiale ſpatium, oportet. At qui domi & in umbra, balneis & unctionibus molliter ſe curant, hæc ſubire neceſſe eſt. Hinc emanaſſe arbitror, ut balnea etiam gymnaſia dicerentur, quod in Iudaico bello monſtrat Ioſephus, ubi de Herode ita ſcribit, Nanq; apud Tripolin & Damaſcum & Ptolemaida publicas balneas, quæ gymnaſia dicuntur, Bibli autem exedras porticus condidit & fora. Gymnaſia tamen Græci, labores dicunt uehemẽtiores, quibus inſitus augeſcit calor, uti fiat corpus tum robuſtius tum celerius: cuius eſt modi ſciamachia, id eſt ad palum exercitatio & curſus. Fuiſſe porrò & philoſophis conſtituta in balneis loca, in quibus illi diſputarent, liquidò Vitruuius edocuit: Conſtituantur, inquit, in tribus porticibus exedræ ſpatioſæ, habentes ſedes in quibus philoſophi, rhetores, reliquiq; qui ſtudijs delectantur, ſedentes diſputare poſſint. Erat item prouerbium prioribus, in pauperes qui aſſiduè frigerent tremerentq; eos nanq; de balneo cogitare & furno conducendo dictitabant: quod Horatius ſignificat,

Nec qui
Frigus collegit, furnos & balnea laudat.

Sed & Iuuenalis:

Quum iam celebres notiq; poetæ
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos
Tentarent.

Significat hæc ipſa item Ariſtophanes in Pluto.

Vocabula plura ad balneorum uſum ſpectantia: eſchara, alipteriũ, arybal lus, arytæna, cãmus, pyelos, pyanon, mare. Scholaſtica lex. Oceanus. Scho la. Emaculatur Senecæ locus ad Luciliũ de pſychrolute. Pſychrologi qui dicãtur: & pſychrologia quid. Pyulcus. Aſaminthus. Oa lutris. Balneorũ nomina per irriſionem medicorum, quæ dicantur. Chytri. Chytrini. Culinæ fuſoria. Cap. xx

VErũ priùs quàm inde reuellamur, mutuemur item aliquid à Iulio Polluce, quo ueluti ſuperpondio lector onuſtus dimittatur. Scribit ergo libro ſeptimo partem balnei dici eſcharam, aliam uerò alipteriũ, quod Latinè unctuarium ualet dici, & eſſe nomẽ utrunq; apud Alexin Caunijs, ἐν τῷ βαλανείῳ μή τι τὸ πῦρ πᾶς ἐσχάρας γὰρ καὶ λιπλεισμένον τὸ ἀλειπτήριον. quũ nec in focis, inquit, eſſet ignis, & eſſet alipterium occluſum. Eſcharan Lycurgus & Ammonius dici autumant, quæ arrecta non ſit, & citra omnem altitudinem, ſed humi aſſideat, uel cum cauitate: unde & medicos ulcera concaua eſcharas uocare. Sunt item eſcharæ, pudendorũ muliebrium labra. Cornelius Celſus Medicinæ quinto, in eryſipelarum cura: Poſt exuſtionem (inquit) putris ulceris, ſuperponenda ſunt quæ cruſtas à uiuo reſoluant, eas ἐσχάρας Græci uocant. Celſi opinionem comprobat primo Simplicis medicinæ Galenus. Pergit inde Pollux idem: Balnei uaſa, inquit, ſunt aryballus, arytæna. Vtriuſq; meminit Ariſtophanes, qui & balnei cammum dicit. Sed & pyelon quoq; nominat, quã Eupolis mactram uocarit, εἰς βαλανεῖον εἰσελθὼν, μὴ ζήλοτυπήσῃς γὰρ συμβαίνοντα εἰς τὴν μάκτραν, id eſt quum balneũ fueris ingreſſus, ne inuideris ingrediẽti tecum mactram. Pyanon uerò tritico conſtat cocto, etiam ſi omnium generum fruges paſſo percoctas pyani appellatione intelligendas putent nonnulli. Videtur pyelos fuiſſe concauus locus, in quo abluerentur: quamuis & theca rectè dicatur pyelos: ſicuti item oceanus dicebatur uaſtior locus, alueusq; maior, ita fortè ab amplitudine uocatus, & à lauantium quoq; ſtrepitu, & marino quaſi æſtu. Lampridius: Oceani (inquit) ſoliũ primus inter principes Alexander appellauit, quum Traianus id non feciſſet, ſed diebus ſolia deputaſſet. Nam & in ſanctis literis, uas capaciſsimum ab Solomone in templo dicatum, eſt mare nuncupatum. Quòd ſi quis miratur, ſciat eam Romæ fuiſſe thermarum magnitu

dinem,ut Ammianus doceat libro ſextodecimo, lauacra in Vrbe in modum prouinciarum quandoq; extructa. Erat & in balneis ſchola nomine, ſicuti cõmeminit Vitruuius: ea uerò erat labri pars ſiue aluei, à præſtolando dicta, ut occupato ab iis, qui priores ueniſſent labro, in ſchola cæteri circumſpectantes rectè ſtare poſſent. Quanquam erat & in porticibus ſchola, Plinio auctore, Alexandrum (inquit) & Philippum cum Minerua, qui ſunt in ſchola in Octauiæ porticibus & Philippi. Fortè uerò quis & appellatione ſcholæ ſodalitatem, & conuentũ aliquem id ætatis iuuenum intelligat. Nam & celebritas dicebatur, ait Macrobius, quum uel ſacrificium fiebat, uel epulum dabatur, uel ludi agebantur diis, uel feriæ obſeruabantur. In re militari ſecundam dici ſcutariorum ſcholam, aduertimus: ſed & milites quoſdam capita ſcholarum ab caſtrenſi ordine nuncupari. Et Seuerianum ſcribit Ammianus Marcellinus, ſociatum Valenti domeſticorum ſcholæ præfuiſſe. Scholam porrò & diatribam dici, ex Gellio dilucet opinor. Sed & ab Cimone Athenis primum diatribas ſubſtructas, quæ uocarentur eleutheriæ, id eſt liberales καὶ γλαφυρὰς, Plutarchus ſcribit. Diatribas, interpres diuerſoria nobis reddidit, quàm rectè, diſpiciant uolentes. Scholaſticam legem quum audis, ocioſorum intellige morem qui ſtationibus, aut aliubi fabulis nugisq; ſæpius horas conterunt bonas. Erat porrò & Romæ regione tertia, ſchola quæſtorum atq; item capulatorum. Conuenit item balneo, inquit Pollux, ψυχολουτρεῖν. Id uerbum ſignificat, frigida lauari. Quod poſitũ inuenimus apud Ariſtophanem ὦ δαιπαλδῦσιν, inquit enim ἐψυχολουτρεῖσθαι, ideſt frigida lauimus. ψυχολουσίαν legimus apud Paulum Aeginetã libro primo. Quæ nos adiuuant auctoritates, ut Senecæ deprauatum fœdè locum reſtituamus in integrum: ſic enim modò ſcriptũ inuenias libro Epiſtolarum ſeptimo ad Lucilium: Memor artificij mei ueteris frigidus cultor mitto me in mare quo modo per ſichœolutam decet, gauſapatus. Lego pſychrolutran, uel pſychroluten: ſignificat enim eum qui frigida lauatur. Nam & libro duodecimo irrepſit item menda, Ille tantus pſicholutes, qui calendis Ianuarijs Eurípum ſalutabam, qui anno nouo, quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic auſpicabar in uirginem deſilire, primum ad Tiberim tranſtuli caſtra. Scribe ut iam docuimus, pſychrolutes. In quo ſciendum, ueteres frigida tantum uſos, quum calida balnea ualetudinarijs deſeruirent. Nam pſychrologi homines dicuntur, qui boni proferunt nihil, & ſermo eiuſmodi uocatur rectè pſychrologia. Pyulcus ad inſtitutum præſens pertinet nihil. Eſt tamen eo nomine medicis accommodum inſtrumentum uel in ſinuum cura, quos uocant κόλπους, ubi diu perſeuerat ab corpore ſubiecto abſoluta & reglutinata cutis. Dicitur pyulcos, quia pus educat, meminit Therapeutices quinto Galenus. Sunt alibi in Pollucis eiuſdem theſauris uaſorum nomina hæc ad eiuſdem balnei uſum. Aſaminthus, mentio cuius eſt apud Homerum frequens. Crunus, catachytlum, Eupolis in Chryſogone,

ἀλλ' ὦ φίλε ζοῦ κατάχυτλον ῥῖνα ἔχεις.

In Cratini autem heroibus aſaminthum intelligũt cibotum, id eſt arcam, alij poculum. Poſtremò ne quid effluat per incuriam, pellem qua ſuccingerẽtur mulieres in balneis, uel qui illas abluebãt, uocatam inuenio nunc oam lutrida, nunc uerò oam per ſe. Nam Theopompus ἐν παυσί, ita ſcriptum reliquit, τὼν δὲ πόδι ζωσάμενον ὦαν λουτρίδα, ἧν δόρμου ἄβυς παρεπέτασεν. At Pherecrates ἐν ἱππῶνι, inſtrumenta pædotriuices enumerans, ἤδη μὲν ὦαν λουομένῳ περίννυτο, id eſt iam (inquit) oam præcingebãt ei qui lauaretur. Sic uerò dicebatur melota, hoc eſt pellis ouilla: unde fluxiſſe nomen, probabile eſt, hoc eſt ἀπὸ τοῦ ὄιος, id eſt ab oue. Putant alij, oam quoq; ſignificare loma, hoc eſt marginem indumentorum, περὶ τὸ πεῖραν, hoc eſt circa fimbriam, uel periſtomion & peritrachelion. Illud denicq; relatu non indignum, ſeptimo Therapeutices ab Galeno traditum: Quintum logicos riſu excipientem medicos, calidum, frigidum, ſiccum, humectum, non citra fel ὀνόματα βαλανέων, id eſt balneatorũ nomina uocare cõſueſſe. Apud Herodotum Hiſtoria ſeptima, Thermopylarum calentes aquas uocari ab indigenis χύτρους: puto quia chytrini dicuntur Græcis terræ cauitates, per quas immittantur fontes. Nec illud adieciſſe fuerit operæ uacantis, balneas, ſtabula, culinæ fuſoria procul apium caſtris diſcludi oportere.

Aſinus

Aſinus Aegyptius, quo ſenſu uenire in prouerbium poſsit. Oniſcus. Cynocephalus. Plinij locus illuſtratur de diſs atri coloris. Inibi plura de figuris deorum, & rationibus ex Porphyrio. Quá ue figura CHRISTVM deformarint priores, quem Onochelum, id eſt ὀνόχηλον dicebant. Semiſsij, & Sarmentarij, qui intelligantur. Vræus, qui & baſiliſcus. Cap. XXI

ASinum Aegyptium, uenire in prouerbium perſpicimus, pro eo qui deriſui ſit omnibus, quemq; omnes inſectentur, conuellant, lacerent. Eius ratio ex hiſtoria eſt: proditur ſiquidē memoriæ, in Aegypto flaui coloris homines ludibrio eſſe, plurimūq; uellicari: aſinos uero plerunq; in præceps dari, ſicut obuenit apud Coptitas. Vtriuſq; facti redditur ea fermè ratio, quòd ruffus foret Typhon hoſtis perpetuus Oſiridis, necnon aſini quoq; colorem præferret. Sed additur hebetudinis item, ac ruditatis ratio, necnon iniuriarum illatio frequens. Quæ cauſa gentibus item illis expreſsit, ut Perſarum regem Ochum nomine, quem miro proſequebantur odio, aſinum ſubinde appellarent. Quare is commotior, ὁ μὲν τοι ὄνος οὗτος ἔφη, ὑμῶν κατόνωχήσεται τὸν βοῦν. aſinus, inquit, hic ueſtro conueſcetur boue, protinús que Apin immolauit: ſicuti Dinon ſcriptum reliquit. Hic uero eſt Ochus is, quem Aegyptij item Machæram uocarunt, ut Plutarchus inquit. Legimus item Buſiritas & Lycopolitas, tanto eius animantis odio flagraſſe, ut tubis omnino ſuperſederent uti, tanquam ſonum ædant aſinino planè conſimilem, prorſusq; non purum id animal arbitrabantur, ſed dæmonicum, ex ea quam expoſuimus aſsimulatione. Immo uero in ſacris popana facientes τῷ τε παϋνὶ καὶ τῷ φαωφὶ μῆνός, id eſt, menſibus quos illi uocant payni & phaophi, aſinum effingūt inſignem, uinctum. Lectum tamen in hiſtoria eſt, ab Hyperboreis item Apollini aſinum immolari, cui ſententiæ aſtipulatur Callimachus,

τοῖ πουσι λιπαραὶ φοίβου ὀνοσφαγίαι.

id eſt, pingues Apollinem oblectant aſinorū iugulationes. Sed et de Hyperboreis Pindarus in Pythijs,

παῤ οἷς ποτε πόρτις ἐλαίᾳ λαγίτας
ἅλωμαι ἐσελθὼν ἑλείτας ὄνων ἑκατόμβας.

Obiter illud in tranſcurſu notauero: oniſcon Græcis interdū dici millepedam, ſeu centipedam, quam ab fabæ ſimilitudine cyamon quoque uocat Galenus: interdum uero aſellum piſcem. At Hippocrati chirurgicum eſt inſtrumentum oniſcus, luxatorum curationi accommodum. In Hori lectum monumentis eſt, Aegyptios hominem indicantes, qui peregrè nunquam ſit profectus, onocephalum expingere, quia nec hiſtorias audiat, nec quæ ἀθῆξένης fiant, perſentiſcat. Aſinaria uero feſtum erat Syracuſis, ab Aſinaro fluuio appellatione ducta, apud quem Athenienſiū imperatores Nicias & Demoſthenes capti. Agebatur Carnio menſe, quem Metagitniona uocent Athenienſes, & Maium intelligūt eruditi. Quoniam uero de Typhonis colore meminimus, ſcribit Plutarchus, Aegyptiorum hiſtoriam tradere, flaui corporis fuiſſe Typhona, Martem albi, ſubnigri Oſirim. Ex ijs inuolucrum Plinij exſoluitur ex libro ſecundo, ubi deorum irriſa multitudine, alios ex eis creditos ſcribit, iuuenes atque pueros, Bacchum uidelicet Apollinemq; & Cupidinem ſignificās, alios uero atri coloris, innuens planè quod præſtruximus. Conferunt item ad Plinianum ſenſum, quæ Porphyrius ſcribit, Quum deus (inquit) lux ſit, & ignem æthereum habitet, nulloq; ſenſu capi poſsit, lucida quidē materia aut cyſtallo pariōue lapide ad comprehendendum lumen ipſius exhortantur. Auro autem ignis, illaq; immaculata natura intelligitur. Multi uero nigris lapidibus inuiſibile illius ſubſtantiæ ſignificarunt. Hominis autem formam diſs attribuerūt, quoniam deus ratio eſt. Pulchros fingunt, propter eminentiſsimam & indeficientem illam pulchritudinem. Diuerſis præterea figuris & ætatibus, & alios ſedentes, alios ſtantes, mares alios, alios fœminas, & aut uirgines, aut matrimonio coniunctos. Diuerſo quoque amictu ſimulacra conſtituunt, ut diuerſitas deorum nō lateat. Alibi quoq; Porphyrius idem, quæ diſs atribuantur, omnia ſenſu allegorico enarranda commonens, ita ſubdit, Vniuerſus mundus Iupiter eſt, animal ex animalibus, deus ex diſs conſtitutus. Iupiter

autem eſt, inquantũ intellectus eſt, à quo uniuerſa producuntur, & qui cuncta creat intelligendo. Iouem eſſe credendum eſt uirtutem prouidẽtem atq; uiuificam, quam pila & rotundis figuris ſignificabant. Hominis uero ſimulacrum ei conſtituunt, quoniam mens eſt quæ cuncta ſeminali ratione producit: ſedere autem fingitur, ut ſtabilis uirtus atq; incommutabilis exprimatur. Nuda apertaq; habet ſuperiora, quoniam cõſpicuus intelligentijs et ſuperioribus eſt, inferiora uero teguntur, quia occultatur inferioribus creaturis. Sceptrum læua tenet, quia in his corporis partibus ſpiritaliſsimũ uitæ domicilium inuenitur: creator enim intellectus, rex, ſpiritusq; uiuificans mundi eſt. Dextra uero aut aquilam protendit, aut uictoriã: alterum, quia cæterorum deorum dominus, ſicuti aliarum auium aquila eſt: alterum, quia omnia illi ſubiecta ſunt. Sciendum uero hac parte, quod huic loco congruit præcipuè, Chriſtianæ ueritatis hoſtes, dum animæ illudunt ſuæ, ineuntq; cum Antitheo ſocietatem intimam, infando etiam picturæ genere auſos Dei ſummi ſummatem filium deformare, ac uelut in pergula prætereuntibus oſtentare aſininis auribus, pede altero inungulatum, ac togata ſpecie, cum libro in manibus, addito etiamnum ſceleſtiore titulo, ceu Chriſtianorũ is foret deus, Onochelus, id eſt ὀνόχηλος nomine. Illud uero auctarium fuerit, inſectatione eadem ab importunis hominibus CHRISTI cultores Semiſsios nuncupatos, & Sarmẽtarios, de leti genere, quòd ad aſſis dimidij ſtipites deſtinati, ſuperiectis accumulatisq; ſarmentitijs faſcibus, concremari cõſueſſent. Semiſſes uero dici homunciones, palàm eſt uel imperitioribus. Ad deos & illud pertinet, Vræum Aegyptijs dici, quem baſiliſcum nuncupent Græci: eſſe uero inter omnia ſerpentium genera (ut ſcribit Horus) immortalem, qui & citra morſum afflatu ſolo perniciem inferat: quia uero uideatur ζωῆς ἐνεργὸν καὶ θανάτου, ex auro conformatum capitibus deorum appingunt. Quin & argumento eodem indicare æuum arbitrãtur: ſicuti mundum ſignat caudam præmordens ſerpens, ſquammis ſuppunctus uarijs, quibus ſyderum præmonſtretur fulgor.

Prouerbium quod eſt, Mãtis te uidit, quem habeat ſenſum. Mantis quid.

Caput XXII

Antis te uidit, eſſe in eos adagio uideẽ, quibus faſcinator oculus mali obiecit quippiam. Proditur memoriæ in Græcorum cõmentariolis quibuſdam: eſſe mantin locuſtæ genus, quæ in ſtipulis enaſcatur, uirens colore, corpore prælongo, pedibus item prioribus prælongis, quos & agitat aſſiduè. Ex qua ratione ſunt qui putent præmacram ac prætenuem ſignificari puellam à Theocrito, illis uerſiculis qui leguntur apud eum Idyllio K,

εὗρε θεὸς τὰ ἀλιξόῃ, ἔχεις πάλαι, ὧν ἐπιθύμεις,
μάντις ὅτι τὰν νύκτα χοΐζεται ἃ λαλαμαῖα.

Ariſtarchus in commentario Lycurgi, locuſtam hãc ſcribit, ſi quod inſpexerit animal, protinus illi quippiam producere mali: unde, inquit, μάντις dicitur ὥσπερ βλαβερὸς καὶ πονηρὸν ὀφθαλμός, hoc eſt mantis uocatur, quę noxij moleſtiq; aſpectus eſt. Vel dicitur mantis, quia locuſtis aduentantibus, præſagium fit ingruentis penuriæ.

Autumnalis appetentia, in prouerbiũ uſq; producta, quam habeat rationem. Cur autumno ſcaturiãt ægritudines. Apoſiti qui. Autumni inæqualitas unde ſit.

Cap. XXIII

Vtumnalis appetentia, doctè per prouerbiũ uſurpatur pro recta aptaq; uoracitati. Eius rei nõ una uidetur ratio. Sunt enim qui ad oporas, hoc eſt fructus (de quibus nos alibi latius) huius euentus cauſam reijciant: neq; id item ſimpliciter: ſunt enim qui fructuum eſitatione multiplici, ſubduci aluum inſigniter arbitrentur, proindeq; retrimentitia, & inutili mole exinanitum corpus νεαρὰς ὀρέξεις παρασκευάζειν, id eſt nouas ualidasq; appetentias parare. Alij uero fructuũ plurimis ineſſe credunt δύσμορόν τι καὶ λιγκτόν, ſapidum quiddam mordáxque, quo laceſſatur ſtomachi uoracitas amplius, & obſonijs ullis aut bellarijs. Quando & ijs ægrotis, qui uocantur apoſiti, hoc eſt ſine cibo, aliquid oblatum eiuſmodi orexin facit. Cæterum, ratio illa quam mox promam, phyſico ſit forte congruentior. Equidẽ in ſe id unuſquiſq; experitur & ſentit, ſed & multa perdocent, genuinum familiaremq;

familiaremq́ calorem æſtatis tempore laſſeſcere, diſſipariq́ meatuũ laxitate: ingruente uero autumno, aereq́ iam frigeſcente atq́ cauſa eadem cõſtipatiore iam corpore, in ualeſcit calor idem congregatus ad interanea, occluſusq́. Quo fit ut amplius cibo ſtudeamus, quando etiam cõficimus ualidius. Addunt aliqui, ne ullatenus in hoc quæſtio num inuolucro ſint aſymboli harum ſtudioſi lectionũ, æſtate nos quidem effici ratione æſtuum λιψιλικωτέρους, hoc eſt ſiticuloſiores: proindeq́ humectatione uti uberiore. Demutata uero ardoris exuſtione, uiciſsim contraria naturam affectare, animaduertimus: propterea ωφνηλικωτέρους ποιεῖ, id eſt cibi appetentiores facit, & aridũ alimentum corporis ingerit temperamẽto. Nec tamen aſtruat quiſpiam cibaria prorſum huius eſſe effectus expertia, quando ex nouis recentioribusq́ concinnata frugibus, reliquis longè præſtare fructibus, ſit exploratiſsimum, & proinde ueſcentes allectare amplius. Ex iſs uero omnibus iam (opinor) propoſiti prouerbij quæſtioni multum lucis perſpicuè affuſum eſt. Quorum ſingula ſi ſatis fecerint minus, at iunctim ſimul'que omnia legentium implere deſideria poterũt. Autumno porrò inæqualitas maximè propria eſt, quoniam actore Auicenna, dies ſunt æſtiui quodammodo, noctes hyemales. Quæ utique poſt alias ratio efficere creditur, autumno in primis ut ſcaturiãt ægritudinum agmina. Sed cúr nam autumnalis nox uerna frigidior eſt? quũ ſecus omnino eſſe debuerit: nam ſiccior tunc ac ſubtilior uidetur aer, & ideo igneæ propior naturæ. Dicendum autem, uehementer rarum aerem non facilius modò calorem admittere, ſed & frigus, quando & aqua ignibus attenuata factaq́ ſolutior concreſcit celerius multo, quippe meatibus longè amplioribus, penetrare uehementius frigiditas poteſt.

Prouerbium, Amicus ut oleum plantis, quo enuntietur ſenſu. Quæ inocu lationem aut inſitionem minus admittãt. Oleo peruncta arbores interire. Præpingues cur generationi minus apti. Quinti apophthegmata duo. Anaxagoræ dictum paroemides. Oleum ſpicæ. Vnguentum nardinum ac petalium. Oleatum. Calcinatum. Cretare. Impaſtare. Cap. XXIIII

OLeum eſſe plantis infeſtiſsimum, prodi à rerum naturæ peritis, ſciunt, qui Græca pertractãt: quiq́ non ex pronao tãtum (quod dicitur) Muſas con ſalutarunt, uerum & in ipſa muſei cella incubarunt: propterea q́ aſſeritur, plantas ἐλαιώδεις, hoc eſt oleoſæ naturæ inoculationes, quas ἐνοφθαλμους Græci uocant, neque id genus permixtiones alias ullo modo admittere. Neq́ enim conum aut cupreſſum uel pinum, & omnino piceas peregrini quippiã, uel pati uel alere. Cui rei argumento eſt, ſi plantam quamlibet oleo inunxeris, demoritur protinus, ſicuti & apes. Commemoratas uero arbores præpingues eſſe ac oleoſas, indicio eſſe poteſt, quæ ſubinde deſudatur pix, reſinaq́. Faces quoque indidem oleoſum refundunt humorẽ, ſplendeſcitq́ in iſs pinguedo: διὸ καὶ πρὸς τὰ ἄλλα χρήσιμόν ἐστιν ἀνομοίως ἔχει, καθάπερ αὐτὸ τὸ ἔλαιον, id eſt proindeq́ aliis promiſceri nequeũt, ſicut nec oleũ ipſum. Inde ergo concinnatur adagio, in eum qui inimicus infeſtusq́ omnibus eſt, ac diſſocia bili morum feritate truculentiaq́ communionem nõ patitur. Quæ res ſi foret in quàm plurimis, tolleretur planè humana ſocietas, perirentq́ omnia, ad quę nati uidemur. Sed quod ad inſitionum rationem pertinet, ſunt qui in eo plantarum genere etiam in corticem prætenuem cauſam refundant, cuius imbecillitas cum ariditate ſedem inſitis præbere neſciat, neque (ut Græci dicunt) ἐμβίωσιν, hoc eſt, ut pluribus interpreter unum illorum uerbum, intra ſe uitæ facultatem. Afferri poteſt & ratio illa: nam quod alterius naturæ ſuſcipit rem, debet eſſe σύντροφον, hoc eſt eiuſmodi, ut mutationi non obluctetur, ſed ſuperatum facile tranſeat in ſimilitudinem, & quod in ipſo alimenti eſt, in aſcititium tranſmittat. Etenim terram exſoluimus emollimusq́, ut conciſa comminutáque tranſeat facilius, & inſita comprehendat. Tenuis uero & dura, tranſitum neſcit. Quod in plantis iſs uſu uenire compertum eſt, quarum leuiſsima ligna temperamenti, mixtionisq́ ſunt expertia. Quæ uero peregrina admittunt, feracia eſſe conuenit, & fœmineam quodammodo ſubire uicem. Cupreſſum uero & piceam & id genus alia, fructus cernimus ædere ingenerosos: ſicuti etiam præpingues hominum, corpulentioresq́ plurimum ſunt ἄτεκνοι, hoc eſt filiis progignẽdis inhabiles ineptiq́. Alimentum enim

enim uniuerſum in corpus abit, nec ſeminaria ſubſiſtit ulla ſuperfluitas. Id ipſum ferè arboribus hiſce obuenire, non latuit naturalium ſtudioſos. Ipſæ nanq; δυσωματοῦσι τοῖς μεγέθεσι καὶ αὐξάνονται, id eſt corpore ſunt (ut ſic dicam) bene habito, augeſcuntq; egregiè. Cæterum fructus uel non ferunt, aut minutum, & ſerò prorſus percoctum producunt. Quam ob rem mirandum minimè arbitrãtur, ſi aliena minus patiuntur, in quibus propria domeſticaq; exſucca cernuntur, aut nulla. Verum quia ab oleo caput hoc exorſi ſumus, & mox de eodem præflorabũtur aliqua, interim apophthegma Quinti, etiam ſi ſcurrile, inſeremus, qui percunctanti gymnaſtæ, quam unctio uim haberet: reſpõdit: Veſtis ſummouendæ. Compar Quinti & apophthegma, quod de urinis eſt inuulgatũ, Ad pictoris uticq; functionem ſpectare, illas percalluiſſe. Verum (inquit Galenus) ſcurrarum hæc fuerint ridicularia, medicæ ſcientiæ haud quaquam. Subnotemus ex Græcorum fidelia paræmiodes illud item de Anaxagoræ productum inopia, Adeum nanque ἀκαιρότοκον, id eſt fame deſtinantem mori, quum ueniſſet Pericles, ab inſtituto reuocaturus, inſuſurrauit is ὦ Περίκλεις καὶ οἱ τὸ λύχνο χρείαν ἔχοντες ἔλαιον ὠνοῦνται. ὁ Pericles (inquit) lucerna qui indigent, oleum affundunt. Sunt ex bene doctis, qui petaliũ unguentum, ſeu foliatum, aut nardinum dici uulgò oleum ſpicæ cõiectent. Ab oleo denique oleatum deduci comperimus, uti ab calce calcinatum, ab cæra cæratum, quæ noua quibuſdam ſunt, ſicuti ampulleſcere, cretare, malagmare, impaſtare.

Super olei, uini, aceti, gari natura adnotantur pluſcula nõ omiſſa quæſtio num iucunditate. Oxyngion. Oxycratũ. Vinum cur dicat Homerus ἄλοπα. Garus quid. Cap. xxv

NErum quia ab oleo prior nobis exorta lucubratio eſt, ſubnectamus breuiſſimè quod de natura uicq; eiuſdem compertũ eſt, ex magni peripatetici ſententia: à quo quæſitũ ſcimus, cur nam oleum & aqua denſeſcant frigore, at uinum acetumq; neutiq;, neq; item garus. Ad id uero diſcutiendũ inuolucrum illa ratio afferri ſolet: oleum quidem ferè eſſe qualitatis expers, & proinde temperatũ potius frigeſcere ſtatim, adeo ut inter euaporãdum frigefiat. Id uero non fit in aqua omnino, ſed utpote frigida, ſed frigidior effecta facilè coit. Garus uero utpote ſuis partibus tenuis, & calidior, non continuò frigefit: eodem modo etiã uinum. Acetum autem, ut tenuiſſimarũ partium, omnem reſpuit concretionem. Semina quidem caloris habere uinum in ſe, teſtari etiam Homerus uidetur, quum dixit ἄλοπα οἶνον, non (ut quidam putant) propter colorem. Nec excidit quid alibi commentati ſumus. Sed & oleum non minus eſſe ignitum probant alij, nec minorem habere in calefactandis corporibus uim. Nec uerum putant, quæ calidiora ſint, difficilius congelaſcere: nam ſic, quæ frigidiora ſunt, facilius gelu cogerentur. Oleo uero coaguli cauſam dicunt celerioris, quod & leuigatius & ſpiſsius eſt. Hęc ſiquidem faciliora ad coeundum uidentur, quæ leuatiora denſioraq; ſunt. Vino autem non contingit tanta mollities, & eſt quàm oleum multo liquidius. Acetum uero liquidiſsimum eſt inter humores cæteros, & tanto acerbius, ut ſit acore triſtificum, & exemplo marinæ aquæ, quæ ipſa quoq; amaritudine ſui aſpera eſt, nunquam gelu contrahitur. In quo illud opera parerga ſubnotaſſe nil obfuerit, aceti fecem dici Plinio oxyngion, quo tamẽ nomine axungiam recipere malunt Græci. Oxycratum uero aqua eſt aceto temperata, Latinis poſcam dicere moris eſt. λιεροῦσθαι miſcere eſt, quod in aquę uſu ferè dicitur Græcis. Acetum, reſtinguendi incendij cauſa parari ſolitum ueteribus, auctores habeo iuris prudentes. Omnino minus prætereunda eſt Ariſtotelis doctrina ex Meteororum quarto, Quæ (inquit) aquæ plus habent, frigoris concreſcunt ui, ut glacies: quæ autem terræ, caloris poteſtate dẽſentur, ut lateres, ſal, uitrum. Oleum coagulatur nec calore nec frigore, quia ſit aeris plenum, nec immixta ualet aqua reſiccari, non ignis item ui elixatur, quoniam uiſcida potentia nil admodum euaporat. Ad explicandam uero olei naturam & illud pertinet, quòd potum ἐμοῦ ποιεῖται, uomitum cit, & præſertim flauam bilem. Cuius ratio eſſe uidetur, quòd quum ſit leue, καὶ ἀνωφερὴς, id eſt ſuperna petens, cibos elicit ipſos, ad ſtomachum eleuans: ſtomachus uero grauatus uim egeſtiuam ad uomitum exſuſcitat, præcipuè flauam bilem, utpote leuem ac tenuiſsimam, & facilè ſurſum uer-

ſum uerſus euadentem. Quòd autem oleum ſurſum expetat, experientia ipſa manifeſtum, humido ſiquidem alicui admixtum in ſuperiores ſe eueſtigio recipit partes. Sed cur inter cætera liquida oleum non remiſcetur? quoniam γλίσχρόν ὂν καὶ ἀνωμαλίον πρὸς ἑαυτό, id eſt quum glutinoſum ſit, & in ſe reductum nequit diſſecari εἰς ἄτομα μόρια, hoc eſt in portiones minutiores, reliquiſq; ammiſceri liquoribus. Argumento eſt, quòd in terram fuſum, ipſam ilicò non ſubit. Illud uero nónne ſcitu digniſſimũ eſt, quòd quum idem ferè uideatur, diuerſiſſimum tamen effectum producit: lanæ ſiquidem oleo irroratæ candidiores euadunt, pili uero uncti nigriores: nam & lanæ, pili ſunt. Sed in promptu tamen ratio eſt, quoniam ſqualore ac ſitu obſita magis flaueſcunt: uilli autem exſiccati, & abeunte qui in ipſis eſt humido, albeſcunt. Oleum igitur impedit, minimè ſiquidem arefiunt: nec in hoc ſimiliter habere contingit, ut uillos qui ablati ſunt, comparemus cum iis qui adhuc in corpore uirent: lanæ enim attonſæ ſunt. Dignum libra illud quoq; antiquis ingeniis obſeruatum, uetus oleum effici candidius, quàm recens, ſicuti item frigidi panes albiores cernuntur, q̃ calidi. Cauſa uero nigroris (ita appello quod Græci μελανίαν) humor eſt qui poros meatusq; offarcit, ſicuti albedinem inducit ignis, ut proditur De generatione & corruptione primo, Empedocles tradidiſſe. In utriſque autem horum, ut recentibus uberius continetur humor, ſic tempore prouectis parcius in ſuperficie reſidet, propter euaporationẽ: euaporatur autem prorſus oleum uel tempore uel ſole, panis autem calore inde egrediente per refrigerationem. Humor itaq; frigidis iam euanuit, calidis adhuc ineſt. Porrò uti auctor Auicenna eſt, prima primi: Calidum agens in humidum denigrat, in ſiccum uero dealbat, ut patet in lignis & carbonibus. Frigidum autem contrario modo agit, ut thus indicat cum oſſe. Sed addendum illud quoq;, Calidum propriè compoſitum, & naturale albedinem per ſe inducere ſemper: per accidens uero etiam nigredinem, aut uaporum eleuatione, diſpergendo præfaciendoq;, uel etiã adurendo, ut Aethiopibus contingit. Vbi uero certo menſu agit operatur ue, ſicuti naturalis caloris actus præfert, albedinem inducit potiſſimum. Commonendi tamen hac parte ſumus, Oleum nouitium quidem ob inſitam aquæ uim in uirorem tendere cum fuſcedine quapiam, mox uero accepta ætate, humore iam euaneſcente (quod diximus) albeſcere. Cæterũ ubi amplius cõſenuerit, ruborem iam quendam incipit acquirere. Id quod in pinguedine inueterata planè conuiſimus. Addamus poſtremò illud item, quod magiſtra experientia exploratum eſt, & admiratione non caret: uidemus quippe, calida perfuſos aqua longe minus calorem percipere, ſi perunctí oleo fuerint. Quam tamẽ rem ea ratione prouenire, perſpicuum ferè eſt, quòd propter corporis leuitatem facile delabitur aqua, minusq; immoratur quàm ut omnino ſubire ualeat calor. Quod ut uerum fateamur, faciunt artis medicæ periti, in quorũ libris obſeruatum eſt: ſucco mercuriali & portulacæ manu illita, poſſe ferri citra nocumentum liquefactum plumbum, & quiduis alioqui perurens. Verum quia traditum ueteribus eſt, Prudentiſſimi eſſe uiri, qualibet in re noſſe modum: iam huic parti coronidem appingemus, lecturi hoc genus floſculos alios: ſi illud breuiter cõmonuerimus, quoniam gari facta mentio eſt, ab eruditis appellatione ea intelligi non feculentam materiam & ſedimentum, ſed quod in morem aquæ fluidum ſupernatat, quod & in carne accipi ualet, ut ſit nomenclatura hæc eorum, quæ ex ſalſura exſudarint exſaniauerintq;, ut Columellæ utamur uerbo.

Strumam dibapho ueſtire, quid ſit. De ſtruma, & Vatinio paucula. Strumaticum. Eſtruthiſmena quæ ſint Græcis. Struthium. Adenes. Caput XXVI

STrumam dibapho ueſtire, quantum M. Tullij uerbis coniectare poſſumus, eſt ſcelera, turpitudinem, ſordes cuiuſpiam honorum faſtigio occultare honeſtareq;. Ita enim ſcriptum legimus ſecundo Epiſtolarum ad Atticum: Pro indeiſti, licet faciant quos uolent conſules, tribunos plebis etiã, deinde Vatinij ſtrumam ſacerdotij διβάφῳ ueſtiant. Dibaphum certè purpuram ſignare bis tinctam, ueluti impendio magnifico, uideor ex Plinio didiciſſe. Porrò ueſtium id genus etiam ſacerdotibus contribui ſolitum, ex Liuio item ſcimus. Struma, ut colligunt nonnulli, extantia quædam in tergo eſt, ſicuti in pectore habeatur gibbus. Scribit Medici-

næ quinto Celſus, Strumam eſſe tumorem, in quo ſubter concreta quædam ex pure ac ſanguine, quaſi glandulæ oriãtur, quæ uel præcipuè fatigare medicos ſolent, quoniam & febres moueant, nec unquam facile matureſcant, & ſiue ferro, ſiue medicamẽtis curentur, plerunq; iterũ iuxta cicatrices ipſas reſurgant rebellentq;, multoq; poſt ſit opus medicamento. Naſcũtur uero in ceruice maxime, ſed etiam in alis & inguinibus & in lateribus: in mammis quoq; fœminarum ſe reperiſſe chirurgus Meges auctor eſt. Ab ſtruma inclinari ſtrumaticum, apud Firmicum legimus: Viceſima, inquit, pars tauri ſi in horoſcopo fuerit inuenta, ſtrumaticum faciet, exulcerata macularũ labe poſſeſſum, uel certe elephantiaca contagione pollutum. Quæ uero ἐσπουθισμένα dicuntur Græcis, ſunt ſtruthio herba repurgata, & ad candorem molliciemq; perducta. Struthium radiculam Plinius appellat. Sunt qui lanariam herbam. Hic uero illud commonẽdi obiter ſumus, eſſe glandulas apud Celſum, quæ apud Galenum frequenter etiam in ſemilatina, ſiue (ut dicã uerius) tota barbara tralatione, adenes uocantur. Addit Iulius Pollux, naſci ſtrumas citra meſenterium quoq;. Strumas ſemidoctum uulgus ſcrophulas uocat: quoniam eas Græci ab eiuſmodi bruto χοιροβόλας appellauerint. Eſt enim in ſue morbus ſtruma, ſed ab hoc diuerſus omnino, ſicuti accuratus ſtudioſusq; lector percipere ex Ariſtotele poterit. Strumoſi mentionem Iuuenalis facit, quum in Satyra decima cecinit,

Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, uel
Strumoſum atq; utero pariter gibboq; tumentem.

Vt uero & de Vatinio ſuperpondij adnectamus aliquid, auctor Macrobius in Cœnis eſt, illum à populo ludis gladiatorijs lapidatum fuiſſe. Eius item mores graphicè uidetur expinxiſſe M. Tullius: Illud, inquit, tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere, licet impune per me parietes in adoleſcentia perfoderis, uicinos compilaris, matrem uerberaris, habeat hoc primum tua indignitas, ut adoleſcentiæ turpitudo obſcuritate, ac ſordibus obtegatur. Et mox, Tu qui te Pythagoricum ſoles dicere, & hominis doctiſſimi nomen tuis immanibus & barbaris moribus prætendere, quæ tanta prauitas te mentis tenuit? quis tantus furor? ut quum inaudita ac nefaria ſacra ſuſceperis, quum inferorum animas elicere, quum puerorum extis deos manes mactare ſoleas, auſpicia contempſeris? Et item alibi: Odio enim tui, & ſi omnes ſuperare propter tuum in me ſcelus debeo, tamen ab omnibus penè uincor. Ex quibus illud expreſſum Catullo arbitrantur ad Caluum,

Ni te plus oculis meis amarem
Iucundiſſime Calue, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.

Seneca uero ad Nouatum, Vatiniũ ſcribit hominem natum & ad riſum & ad odium, ſcurram fuiſſe & uenuſtum & dicacem.

Terreſtre tonitru. Terræ motuum ſpecies. Palmatiæ, ſiſmatiæ, chaſmatiæ, mycematiæ. Cap. XXVII

TErreſtre tonitru poſitum inuenio pro terribili, tetro ac metuẽdi horroris, ſicuti in illo Græcanico, καὶ πάντα χθονίους βρονταὰς, id eſt hymnis concinite terreſtria tonitrua. Vetus ſiquidem irroborauit opinio, quicquid uiſatur formidabile ac graue, eſſe ex terra progenitum. Sunt qui eo epitheto uehementer ſonantia malint intelligi, ut quæ ſub terra fiant. Quoniam ubi inſonet terra, pertingere cælum quoq; ſonitus is credatur. Idq; genus tonitru ex alto concipi, opinentur homines. Sicuti Galieno imperante, auditum inquit Trebellius Pollio tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante: quo motu fabricæ multæ ſunt deuoratæ, multi terrore mortui. Afferuntur à Græcis & rationes aliæ, ſed quæ perpenſæ amplius nõ perinde noſcantur graues, propterea quæ ſcribuntur, haud ita plauſibiles. Illud memorabilius forſan, terræmotuum formas tradi quatuor, ſiquidem aut palmatiæ ſunt, qui humum moleſtius ſuſcitantes, ſurſum propellunt immaniſſimas moles, ut quum in Aſia emerſit Delos: aut ſiſmatiæ, id eſt σεισματίαι, qui limes ruentes & obliqui, urbes ac montes quoq; deuoluunt in planum: quo argumento ſiſmatiam Spartani ſepulchrum

ſepulchrum dixere, in quo Ephebi iacebant, gymnaſii ruina ex terræmotu eliſi. Aut chaſmatiæ, qui motu grandiore patefactis ſubitò uoratrinis, terrarum partes abſorbẽt. Sunt poſtremò, qui de mugitus ratione uocantur mycematiæ, & ſonitu audiuntur minaci, quum diſſolutis elementa compagibus ultrò aſſiliunt uel relabuntur, conſidentibus terris. Tunc enim uelut taurinum erumpere boatum, fremitusq́ ac fragores terrenos, neceſſum propè eſt. Cæterum qui mira præcipuè terræ motuum opera noſſe cupit, Dionis Traianum legat. Scribit Proclus, qui uellent terræ motuum ceſſationem, ſolitos Neptuno rem diuinam obire, quoniam dicatur Aſphalius. Sed & in eundem terræ motus refunditur cauſa, quoniam ne de terræ cauitatibus proſiliant uenti, ſæpe obſtet mare, meatus obſtipans præfarciensq́. Proinde dici Neptunum Gæechum, & Enoſichthona.

Stultorum theſaurus. Caput XXVIII

LInguæ petulantiam pleriſque ſcimus mortalium eſſe ita familiarem gratamq́, ut nullo non momento Timonianus Theoninus'ue diſtringatur dens, nunc liuore (quod late patet uitium, & eſt in multis) nunc imprudentia & genuina leuitate: unde obrepſit uenuſtus adagio, ut maledicentia ſtultorum nuncupetur theſaurus, quem in lingua cõditum gerant. Eius uero mihi auctor in Penulo Plautus eſt, cuius etiam adſcripſi uerſiculos plures, quod ſint feſtiuitatis comicę, Plautinæq́ in primis, pleniſſimi,

Iſtic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Vt quæſtui habeant, male loqui melioribus.
Viam qui neſcit, qua deueniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.
LY. Ego male loquendi uobis, neſciui uiam.
Nunc uos mihi amnes eſtis, uos certum eſt ſequi.
Si bene dicetis, uoſtra ripa uos ſequar:
Si male dicetis, uoſtro gradiar limite.

Conclamare uaſa, quid. Conuaſare. Caput XXIX

COnclamaſſe uaſa, & caſtra iam mouiſſe, per iucundam à militari negotio tralationem, de iis prouerbio dictitare conſueuimus, quos iam demigraſſe uolumus ſignificare. Id innuere Cicero uidetur Accuſationum in Verrem libro ſexto: Conquiri Diodorum tota prouincia iubet, ille ex Sicilia caſtra iam mouerat, & uaſa collegerat. Cæſar Ciuilium bellorum libro primo: Fit ab hoc certior Cæſar, duces aduerſariorum ſilentio copias caſtris educere, quo cognito, ſignum dari iubet, & uaſa militari more conclamari. Et libro tertio: Qui cum magna expectatione ueniſſet, temerè progreſſus turpem habuit exitum, & noctu, neq́ conclamatis uaſis, flumen tranſit. Sæpe item tum hic, tum hiſtorici reliqui, eo dicendi genere utuntur. Conuaſare dicuntur & qui demigraturi res componunt. Terentius, Aliquid conuaſaſſem. Hieronymus, Conuaſatis quæ à fratribus miſſa detulerat.

Sine corollario non recedere, quid. Corollarij notiones. Caput XXX

QVoniã uero in Ciceronis diſertiſſimas orationes incidimus, quibus proſciſſus Verres: ſuccurrit nunc ex eiſdem adagio alius non aſpernabilis. Quo uero ſenſus percipi eius poſſit facilius, ſubnectam Oratoris uerba: Cœnabat (inquit) apud Eupolemum, argentum is cæterum purum appoſuerat, ne purus ipſe relinqueretur, duo pocula non magna, uerumtamen cum emblematis. Hic quaſi feſtiuum acroma, ne ſine corollario de cõuiuio decederet, ibidem cõuiuis inſpectantibus, emblemata auellenda curauit. Patet ex iis (opinor) ſcitè admodum in auidiuſculos concinnari prouerbium, quibus haudquaquam eſſe ſat uidetur, ſi quod iuſtum æquumq́ eſt, indipiſcantur, niſi amplius aliquid corraſerint. Eſt ſiquidem corollarium, ut M. Varro ſcribit De lingua Latina primo, id quod additum eſt, præter quàm quod debitum, tanquam auctarium ſuperpondiumq́, id eſt ultra pondus menſuramq́ adiectum. Deducitur uox à corollis, quòd eæ, quum maximè in ſcena placuiſſent actores, dari ſolitæ forent. Quanquam & pro corollis corollaria dici inue-

nias apud Plinium primo & uicesimo libro: Paulatim, inquit, & Romæ subrepsit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis, mox & corollariis, postea lamina ærea, tenui, inaurata, aut inargentata dabantur. In priore notione est apud Ciceronem in Frumentaria: Noli (inquit) hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicorum corollariis decumam emerunt. Apud eundem dicitur corollarium nummorum. Apud Plinium item Historiæ naturalis nono, pro supernumerario positum deprehendes corollarium in Cleopatræ conuiuio. At Apuleius posticam Venerem συμβολικῶς & operte corollarium dixit: Mihi (inquit) iam fatigato de propria liberalitate Photis puerile obtulit corollarium.

Verbi quod est κόρδαξ, notio non una. Ciceroni ad Atticum lux infertur. Item quid sit illud eiusdem, Allienſis pugnę funestior dies, quàm Vrbis captæ. Vita candida efficere, quid.

Caput XXXI

Cercon, Græci uarie exponunt: nunc enim eo nomine uas intelligunt, sicuti est tripus: Alcman pro ianua uidetur ænea accipere: annulum hostij quidam interpretantur. Sed & animalis cuiuslibet cauda recte ita uidetur dici, παρὰ τὸ σκαίρειν καὶ ἕρπειν. hoc est, à saliendo obrependoq́. Aristophanes, ἰδοὺ δέχου κέρκον λαγῴ. ecce (inquit) leporis caudam excipe. Quia uero mollior delicatiorq́ est animalis eius pilus, spongiæ loco utebantur plerunq́, purgandis præsertim detergendisq́ lippitudinibus. Inde natum puto adagium, in eum qui nimis astutè subblanditur, ut nuncupetur Cercus. Auctor mihi est M. Tullius Epistolarum ad Atticum libro octauo, ubi de ciuili bello agens: Domitius (inquit) ut audio, in Cosano est quidem, ut aiunt, paratus ad nauigandum: si in Hispaniã, non probo: si ad Cneum, laudo: quouis potius certe, quàm ut Cercum uideat, quem ego prorsus aspicere non possum. Quo in loco Cæsarem intelligo, qui mira uafricie grassabatur, ut omnino arriperet principatum, arridebatq́ omnibus, & præter quàm etiam dictaret ingenium, clementiam præferebat, iniurias aut dissimulabat, aut lenissimè castigabat. Ille (inquit alibi Cicero) literas blandas mittit, facit idem pro eo Balbus, mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam. Certè ubi quem admissa noxa, mulctari leuius animaduertimus, uulpis cauda correptum fuisse, dictitare consueuimus. In codicibus modò impressis, Certum, pro Cerco substitutum mendose, inuenies: nisi cui fortè lectio illa magis arriserit, ut Circum legamus. Quo nomine, nono De historiis Aristoteles, accipitrum genus tertium intelligit: cuius & decimo libro Plinius mentionem fecerit: ut uerbi obscuritate notare Orator uoluerit, omnia rapientis Cæsaris auidius ingenium. Sunt qui cercon, animal interpretentur uites oblædens: sed & uirile item pudendum: nõnulli murem putãt syluestrem: gallum etiam alij, ad quod forsan respexerit Ciceronis ænigma. Est in eadem Epistola id quoq́ scitu notatuq́ dignissimum: Allienſis pugnæ dies, funestior est quàm Vrbis captæ. Licet acutè adagij uice hisce uti uerbis, ubi mali auctorem amplius detestamur, quàm rem ipsam qua affligimur: semper enim causæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta. Nam & diem illum semper fuisse Romanis religiosum, scimus: hunc uero quo capta Vrbs est, etiam in uulgus ignotum, hoc nanq́ ex illo malum profluxit. Est mox paulo illud quoq́ relatu nõ inutile: Ego uero (inquit Cicero) hæc efficiam ei candida uita, puto. Vbi sciendum, candida uita effici aliquid, quum citra omnẽ reprehensionem fit. Nam quod in calce ferè idem M. Tullius ita scribit. Sed acta ne agamus, reliqua paremus. iam uulgatius extritiusq́ est, quàm ut quicquam promamus ex nobis: nec præterea id genus scitamenta consectamur, etiam si ad libellam satisfactum pro uirili omnibus cupimus.

Caput XXXII

Sub manu.

Vb manu, adagio est elegans, quamuis obscuritatis non multæ. Vtitur eo in Epistolis ad Lucilium Seneca: Consilium (inquit) nasci sub die debet, & hoc quoq́ tardum est nimis, sub manu quoq́ (quod aiunt) consilium nascatur. Significatur summa temporis celeritas. Tranquillus in Augusto: Aerarium militare cum uectigalibus nouis constituit, & quo celerius ac sub manu annuntiari

tiari cognoſciq́ poſſet, quid in prouincia quaq́ gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per militares uias, dehinc uehicula diſpoſuit.

Prouerbium quod eſt, Pallenicum aſpicere, qua prodierit origine. Phlegra. Gigantum prælia. Caput XXXIII

PAllenicum aſpicere, docto prouerbio, dicitur in eum qui depugnaturus in hoſtem, generoſum quiddam uultu præ ſe ferat, ac eximiam animi altitudinem, unde formido inijciatur ex aduerſum congredienti. Eius rationem ex hiſtoria promunt, quòd ita affecti Athenienſes in Piſiſtratum coorti ſint, apud Pallenem Atticæ locum, quum is tyrannidem inuaderet. Vel Pallene dicatur, quaſi βαλλήνη, παρὰ τὸ βαλλειν λίθοις: ueluti ita dicter, perquirendum eſſe hoſtem, quem lapidibus impetas. Quid ſi ad urbem Thraciæ Pallenem referas, nuncupatam quidem ſic à Pallene Sithonis filia, & Cliti uxore: ſicuti auctor Hegeſippus eſt in Palleniacis? Antiquitus uero dicta creditur Phlegra. Incolas autem gigantas dixere, quibus conſtiterit aduerſum deos bellum. Cæterum memoriæ proditur, illuc delatum Herculem, gentis feritatem, & in ceteros odium quoddam intimum admiratum, cœpiſſe cum illis depugnare, interim uero tonuiſſe frequenter, & crebra de cælo cecidiſſe fulmina, unde obrepſerit fabellæ occaſio, cum gigantibus ibi depugnatum à dijs. Strabo autem libro quinto, in Campaniæ deſcriptione: Superioribus (inquit) annis fortunatus erat campus nomine Phlegræus, in quo res à gigantibus geſtas inuulgant fabulæ, nullam aliam ob cauſam, ut credi fas eſt, quàm quòd terra ipſa ſuapte uirtute præliorum concitatrix eſt. Sed & ſexto libro: Hinc, inquit, ad Leuca (ea enim urbs non grandis eſt) ſtadia trecenta ſunt, ibi odoris aquam fœtidi effundēs aſpicitur fons. Fabulæ tradunt, reliquos gigantes è uicina Campaniæ Phlegra, cum Hercules pulſos exagitaret (uocabantur autem Leuternij) ad ea confugiſſe loca, contractoſq́ ſubijſſe terram, & ex eorum cruore, talem effluxionem fonte contineri: eam ob rem & littus illud Leuternium uocari. Phlegram uero, ne hoc item ſubticuerimus, Cumanū agrum ideo quidam dici opinantur, quòd tractus ferè ille uniuerſus ſulfuris, ignis, & calentium aquarum copia ſit refertiſſimus.

Palæphatiam papyrum produci in prouerbium poſſe. Quo ſenſu fabuloſa pleraq́ interpretur Palæphatus: quid ue palæphatus uocabulum indicet. De Phryxo interim, & Bellerophonte. Velleris aurei ratio. Pegaſus. Sparti. Dædala quæ dicantur, item Aeola. Cur dicatur Dædalus ſimulacra feciſſe mouentia. Caput XXXIIII

QVoniam uero ducente nos ſtilo ipſo, in fabuloſa dilapſi ſumus, ſubit nunc illud, ut teſtatum apud ſtudioſos uelim, ſciēter, nec minus ornatè, libellos id genus, quibus fabellis inuoluta memorētur, quæq́ fidem non capiunt, poſſe Palæphatiam dici papyrum, ab auctore Palæphato, qui incredibilium, id eſt τῶν ἀπίστων, uolumina concinnarit. Nec me fallit, Virgilium, dum ad Meſſalam ſcribit, Palæphatiam papyrum ſimpliciter pro libris eius auctoris uideri accepiſſe, quando ita canit,

Quam mala multiplici iuuenum quot ſepta caterua
Dixerat, atq́ animo meretrix iactata, ferarum
Infamem tali meritorum more fuiſſe,
Docta Palæphatia teſtatur uoce papyrus.

Fuit Palæphatus hic Parius patria, ſiue (ut alij tradūt) Prieneus. Vixit Artaxerxis tempore: Incredibiliū libros quinq́ reliquit, quos tamen ad Athæneum quidam reijciunt: in eorum primo, Scyllæ mentio fit, quæ circumuenire hoſpites conſuerat, quam tamen aſtutia euaſerit Vlyſſes. Atq́ inibi Sirenas quoq́ fuiſſe meretriculas, idem auctor prodit, quæ deceperint nauigantes. Comperta nobis pleraq́ item alia, ſunt digna (ut arbitror) ſcitu, quæ ſuis libris complectebatur Palæphatus. Ea ſi ſubiecero, nimirum oleum & opera philologiæ non perierit. Nam quod fabuloſa tradit hiſtoria, Phryxum cum Helle ſorore fugientem nouercales inſidias, uiſum eſſe per mare uehi ab ariete uelleris aurei: quidam interpretantur fuiſſe paratam fugienti nauem, cuius inſigne aries foret.

Palæphatus uero affirmat, Arietem uocatum nutritorem, cuius ſit opera & conſilio liberatus. Non deſunt qui prodant, arietinis chartis fuiſſe librum, qui auri conficiendi ac argenti rationem contineret. Item ſunt qui ſcribant fuiſſe Pegaſum, mulieris cuiuſdam equum uelociſſimum. Idem Palæphatus Bellerophontis nauem accipit eo nomine. Multa de Spartis paſſim à poetis memorantur, eos Palæphatus ſcribit, quum proximarum eſſent regionum, aduerſus Cadmum ſubitò conſtitiſſe, ac propter repentinos quaſi de terra contractus, ex omni parte confluentes, Spartos uocatos. Repetit idem hic quæ prodita fabulis de Dædalo ſunt, qui uiſus eſt ſimulacra feciſſe mouentia, ſed primus (ut inquit idem) ſtatuarum pedes à ſe inuicem ſeparauit, aliis coniunctim eos fabricātibus. Nauí quoq; cum Icaro filio Minois impetum euitaſſe, ſcribit, & propter inueſtigabilem fugam, auolaſſe pennis eſſe exiſtimatum. Ex quo ingenioſius facta, meditataq; Dædala dicunt. Sicuti uaria uocant Aeola, de Aeoli antiqui uafricia, ut ſcribit Lycophronis interpres ſuper eo uerſu,

ἕλυσε χῆσμῶν, ὡς πρὶν ἀιόλων σόμα.

Fuit autem Dædalus Metini, uel Mitionis, ut habent alij, & Iphinoes filius, à quo Athenis Dædalidæ nuncupati. Cæterum fuit & Palæphatus alius hiſtoricus, qui Cypriaca ſcripſit, ac Deliaca: item Attica, & Arabica. Vixit hic Macedonis Alexandri temporibus. Fuit & nomine eodem Aegyptius grammaticus, aut Athenienſis, ut alij uolunt. Porrò Palæphati nomen, antiquum ſignificare uidetur, ſed & diu prædictum. Vnde olim ferè pueri in ſacello diuæ Mariæ Rhodigij Græcis characteribus CHRISTI paſſi, noſtra inſcriptione Palæphaton ſebaſma, uenerati ſumus, id eſt παλαίφατον σέβασμα. Indicat item dictio fatidicum: quando Odyſſeæ τ Homerus, quercum appellauit palæphaton.

Cuiuſmodi prouerbium ſit, Staterij paries. De Pauſania breuiter. Cicero illuſtratur. Sabini Vrbis præfecti hiſtoria. Caput XXXV

Staterij paries, prouerbium eſt quo cõmonemur, uerbis eſſe parcendum, ne (ut aſſolet, & docuit Plinius) redituras per iugulum uoces nõ ſatis prudenter effundamus. Multi enim in res odioſas ſæpe incidunt nimis incautè, ut planè temporibus ſuis Staterio accidiſſe M. Tullius ſcribit, qui ea loquutus eſt, bonis uiris ſubauſcultantibus interpoſito pariete, quibus patefactis, in iudicium q; prolatis, rei capitalis iure damnatus eſt. Huic ſimile quiddam, inquit, de Lacedæmonio Pauſania accepimus. Sed & de Sabino Vrbis primario ſcribit Dion: cui ſic delator Rhatiarius, qui ſe amicum fingebat, impoſuit, ut in Seiani gratiam ſenatorij ordinis aliquot in tectum induceret, ubi habitabat is, moxq; blandè ad animi ſecreta prodenda illiceret: quo nomine, die eodem in carcerem impactus, paulopoſt ἀκρίτως ἐφθάρη. Ex ijs patet, opinor, adagij ratio: ſed quod de Pauſania præciſe nimis, ne dicam inuolutè, dixit Orator, amplius uidetur aperiendum. Fuit Pauſanias hic Lacedæmonius, uir quidem longè præclarus, ſed tamen in omni genere uitæ uarius: nam ut uirtutibus plurimũ eluxit, ſic & uitijs eſt inſigniter adobrutus. Huius enim eſt prælium illud perilluſtre, Græcis Latinisq; monumentis certatim celebratũ, apud Plateas, quo Perſicũ imperium, duce Mardonio, in Græcia acciſum concidit. Erat hic quidem ſatrapes regius, manu promptus, & quòd in rebus bellicis maximum ſemper fuit, ingenij plenus. Ductabat porrò peditum ducẽta millia, & quidem lecta uiritim, equitum millia uiginti. Cæterum Græciæ fortuna & ducis ingenium ſolers felixq; exſuperat omnia. Sed uictoria longè clariſſima Pauſanias elatus, magnificè iam de ſe cœpit ſentire, & maiora amplioraq; cõcupiſcere. Mox & ſucceſſibus alijs elatior etiamnum, cum Perſarum rege clàm de proditione agere cœpit. At quum in ſuſpicionẽ recidiſſet, atq; eo nomine capitis eſſet accuſatus, pecunia rem tranſegit. Quum uero ad claſſem non remitteretur, ſponte ad exercitum abijt, ubi nõ mores ſolum patrios, ſed etiam cultum ueſtitumq; mutauit. Epulabatur more Perſarum, luxurioſius quàm qui aderant, perpeti poſſent. Interim Argilius quidam, quem puerum Pauſanias amore Venereo dilexerat, quum epiſtolam ab eo ad Artabazum accepiſſet, ſuſpicatus mali quippiam, Ephoris literas tradidit. At illi quamuis manifeſto proditionis crimine Pauſaniam tenerent,

non

non prius tamen adhibendam uim cenſuerunt, quàm ſe ipſe indicaſſet: itaq; huic indici quid fieri uellent, præceperunt. Fanum Neptuni eſt Tænari, id uiolari nefas putant Græci: eò is confugit, in ara conſedit, inibi λιθῳ διαφραγμαπι καλύβῳ, hoc eſt latibulum duplex diſcluſum compararunt, ex quo poſſet audiri, ſi quis quid loqueretur cum Argilio. Illuc ex Ephoris quidam deſcenderunt. Pauſanias ut audiuit Argilium confugiſſe in aram, perturbatus uenit eò, quærit quid cauſæ ſit tam repentini conſilij: huic ille quid comperiſſet ex literis, aperit. Tunc uero Pauſanias etiamnum commotior orare cœpit, ne nunciaret, nec ſe meritum de illo optime, proderet. Ea quum exciſſent Ephori, iam iamq; comprehenſuri illum forent, in Mineruæ templum, quod Chalcioecum uocant, confugit, ubi & turpiſſime interijt. Cæterum ut ad Staterij parietem redeamus: hinc Chalinus ille Plautinus in Caſina, quum receſſim ceſſiſſet ad parietem, imitatus nepam (ut ipſe ait) ad captandum ſenis cum uillico ſermonem, mox gaudio geſtiens,

Noſtra (inquit) omnis lis eſt, pulchre præuortar uiros:
Noſtro omine it dies iam, uicti uicimus.

Quo in loco adnotatum ab eruditis eſt, aſtipulante ſuccinẽteq; Pompeio Feſto, Oſculanam dici pugnam, qua uicti uincũt. Natum id à Leuino uidetur, qui à Pyrrho uictus, mox eundem deuicit. Titinnius, hæc quidem quaſi oſculana pugna eſt, qui in fugã pulſi, hinc ſpolia hoſtium colligunt.

Conuiualis hilaritas omnibus præponitur alijs, ut qua reficiatur cum ſpiritu corpus. Titilletur ſenſus, ac expergefiat ratio. Conuiuæ cuiuſmodi requirantur. Vini laus. De ferculis nonnihil. Cap. XXXVI

ITiam ſi quantum euaſuimus, in alijs quæ de conuiuij ratione inter legendum digna ſe ingeſſerant quæ non omitterentur, diu affatimq; perſequuti ſumus: ex quo tamen in Platonici eminentiſſimi nuper libellos incidimus, eruditos in primis, & Platonẽ ſuum reſipientes quidem plurimum, ſed & ſapientum quandoq; pomœria cæterorum introſpectantes, operæ precium eſſe futurum concepi, ſi indidem nonnihil præcerpſiſſem, quod antecedentia cõdiret ſcitius, & legentes dimitteret adminiculatiores. Illud uero fuerit primum: eſſe quidem in uita quæ animum allectent blandè, ac frontem remittant gratiſſimè: uerum quod conuiuio recte, nec citra modulum inſtituto, ipſum id præſtet uberius atq; affluentius, non ferè compertum. Id ut uerum ſcias, ſic collige: inter Ariſtotelis placita & medicorum eſſe conſtat (opinor) ſagax hoc & prouidum animal, quem dicunt hominem, duobus conſurgere, ac coalitum augeſcere, corporea mole ac ſpiritali anima. Sed corpori ineſſe craſſamentum quoddam membrorum, humectæq; poteſtatis, adeſſe & portionem prætenuem ſubtilemq;. Ea uero ſanguinis uapores cõplectitur, ac ſpiritus. Animæ item ineſſe duo, ſenſum ac rationem. Quæ quum ita ſint, liquet nimirum, plenam inde uoluptatis honeſtæ uim copiamq; profluere, ubi uniuerſim hiſce portionibus paria feceris. At bona utiq; alia unam uix aut ſummum duas ſpectant, conuiuium ex omnibus unum modo, & legitimum utiq;, omnibus ſatisfactum uult. Etenim quis neſcit membra hinc refoueri inſigniter, inſtaurari humores, ſpiritum refici, denique titillari ſenſum, ac rationem expergefieri quodãmodo? Hic à laboribus interquieſcimus, curas laxamus, & ſuum ingenio ſufficitur pabulum, ut beneuolentiæ gratiam mutuæ, ac magnificentiæ argumentum non repetam iucundiſſimum. Tolle conuiuantium hilaritatem, iam parte plurima euanuerit amoris fomes, amicitiæ condimentum, ac uitæ ſolatia, inde quæ fuſim progerminant. Si præſertim legitimè, ſicq; caſtè coeant conuicturi, nec omnino uentri concœnes, ſed animæ. Communio ſiquidem uitæ rectius honeſtiusq; ſtatuitur conuiuij finis, quàm poculorum licentior inuitatio, quod comprobaſſe nominis argumento uidentur Græci. Id grauius multo, ac ſapiente dignum amplius, ut alimonia promiſcua, promiſcuum fiat & mentis bonum, uoluntate comparili. Quod ipſum & Varronis omniũ doctiſſimi aſtipulatu ſanciri nimium ualet, quoniam requiſiſſe conuiuas animaduertitur gratioſos, muſicos, literatos, dum illos diligẽter indigitos mittens, Gratias cum Muſis coaptat, nec illis pauciores expetẽs, nec hiſce plu-

res. Qua ratione paulo iracundior inde ſummouendus plane uidetur, ſummouendi & quos atrior diuexat bilis, quiq; amariores nullo excandeſcũt negocio, ni ita fuerint modo attemperati benigniore, ut Stoici Zenonis, & Platonici Xenocratis ingenium reſipiant. Quos lupinorum imagine quadam miteſcentium, dum aqua macerantur, inuitatione ferunt paulo largiore mox ſolitos dulceſcere. Illud puto fallit neminẽ, uitæ quodammodo uenenum mœſtitiam uideri ac triſtitudinem. Sed & in conuictus ratione idipſum contingit ferè. Cæterum præſto præcellens eſt antipharmacum, ſiquidem caperatam mirè frontem exporrigit ſuaue clarumq; uinum. Cui tantum attribuiſſe creditur Aeſculapius, ut æqua id cum numinibus lance ſtatuerit. Et Aſclepiades cõdito uolumine, uini utilitatem deorũ uix æquari potentia ſcribit. Suffragatur & Platonis ſemper ferè diuini bracteata ſententia, ingenio ac uiribus temperato uini calore fomẽtum ſuffici mirificum approbantis. Sciendum uero ſaliares dapes ac cœnas adipoſiores cum Sardanapali plumis ab hoc genus conuictoribus non tam neſciri, quàm ut caſtis moribus uenenoſas longe peius angue uitari. Pythagorica cum pomis oluſcula renideant amplius fuſiusq;, ut quæ benignior affatim natura ſuggerit parens. Nec tamen Euclionis ſordes hiſce nos putet quiſpiam ſpectare, Commori enim uerius hoc dicatur, quàm conuiuere. Sed nimirum à mediocritate nuſquam, ne latum quidẽ unguem reuellimur. Salibus potiſſimũ ingenij condiatur exhilaretur; ferculorum ac miſſuum quicquid eſt. Ante omnia uero mentis ac morum nitoribus colluſtretur coitio, quotquot ſunt, omnium ſuauiſſima, utq; planè dicam, uitæ hilaritas & condimentum longe clariſſimum, quando nec philoſophi abſtinendum eo cenſuere: quin & priſcorum ſimplicitas, non heroes modo, ſed deos etiamnum ad hoc genus uoluptatum facile admiſit. Quas & beatis ſubinde polliceri non deſinit Magmed, Orientalium populis creditus ferè diuinus.

Apologia breuis, quid ita crebriter in Platonis uireta hoc opere diuertamus. Philoſophi eiuſdem explicatur excellentia, quamq; ſit à Chriſti placitis haud ferè diſſitus. Cap. XXXVII

POſteaquam adnuente optimo maximo deo, lucubrationibus noſtris, quarum ad diem hunc libros triginta concinnauimus, umbilicum uideor iamiam impacturus, uti mox publicum indipiſcantur: placuit hac parte multorũ occurrere opinionibus, quos inſigniter admiraturos haud ambigo, quid ita in Platonicorum muſea frequenter adeo in hiſce libellis diuertam, ut nulla non pagina Platonis nomen, perinde ac ſacrum agnoſcar uenerari. Ac uidear non quod ille facetiſſimè ait, ἀβακχανδλικίζειν, id eſt ad Euripidis morem dicere uel facere, uerum undiquaq; πλατωνίζειν, ceu mihi ſubinde Cypriani illud de Tertulliano ſuccinam, Da magiſtrum. Ego uero (etiam ſi nil me fallit, celebrem adeo in omni ſcientia uirum uoculis noſtris uel indiſertiſſimis haudquaquam indigere) quo plenè ſatisfactum ſibi opinare tur, quiſquis eius doctrinæ, ſeu theſauri potius, ad hanc horam fuit incurioſus, Beſſarionis multiplici eruditione inter Græcos eminentiſſimi ſententia eſſe contẽtus abunde poteram: apud quem Epiſtola quadam ſic adnotatum comperi, Si quid in hac induſtria noſtra uel eloquentiæ uel bonarum artium cognitionis eluxit, ſi quid fuimus, id omne uel nos à Platone accepiſſe, uel ipſum ſibi ſe defendendo ſuppeditaſſe, facile exiſtimari patimur & uolumus. Cæterum cauſæ noſtræ collibuit patrocinari latius, etiam recuſantibus, ac in auguſtioris ſcientiæ uirum impiè nonnunquam infrementibus ampliter ſapientiæ magnitudinem claritatemq; ingerendo: quam auctor eminentiſſimus in Phædro, quum de pulchritudinis ratione diſſertatio inſtitueretur, à Deo auri nomine ſignificatam petijt intentiſſimè: quòd eſſe pulchritudinem animi hanc, & proinde internã, eoq; precioſiorem opinabatur. Id uero philoſophus ſuo ſeculo ſingularis Plotinus primum, mox & Porphyrius ac Iamblichus, ut de Proculo taceã, in ſinu quidem reconditum intuiti mundiſſimo, uerum neſcio quibus obductum conuelatumq; ambagibus, ut muricatus (quod dicit) uideri poſſet greſſus, ac formidabilis prorſum conſpiciendusq;: ita expurgarũt ſæpius excoctum, ut planè puſtulatum fieret, ac obryzum defecatiſſimumq;. Vnde cuncto terrarum orbi illuxit inenarrabilis ſapientiæ amplitudo

do atq; maiestas,& quod mirari non uacat satis, Christianæ ueritatis sanguine diuino Saluatoris præpotentis sancitæ,ita uestigijs adnexa conglutinata ue,ut similitudo maior cogitari magnopere nulla possit. Quod ut uero sciamus uerius, nónne Pythagoricum legimus Numenium,quem magnus ille Origenes sacræ interpres paginæ admiratus adeo est, ut philosophis ferè anteponendum omnibus censuerit,quum Mosaica & Platonica expendisset mysteria, intonuisse altius, Platonem uideri prorsum Moysen alterum, Attica eloquentia diuinitatis arcana rimantem propandētemq; Id quod (opinor) expressit Parmenides,à quo Dei cōmonstratur unitas, rerū ideas omnium, id est exemplaria & rationes continētis,aut eminentissime producētis. Expressit cum Zenone Melissus,qui cæteris modo uisitationem facientibus,solum esse deum astruit constantissimè.Iam uero mundi natalia repetens Timæus,boni gratia illum ab artifice productum deo uaticinatur,primoq; cælum esse creatum terramq;, interfito mox aere cum aqueo elemento.Quæ omnia perseuerātiæ eum sunt habitura modum, quē summi opificis præscripserit sapientia. Sed & Dei charagma esse hominem, pronunciasse idem animaduertitur,cui terrena subijciantur uniuersa. Politicus uero cum Protagora,Menexeno,Critia eundem ex terræ uisceribus, nutu agitante diuino, eruit mirabili ratione.Ac ne quid desit,peracto mundi ambitu,etiamnum ex eisdem comprobat reuicturum. Cuius in dei assimulatione ac fruitione plenam demū futuram felicitatem, docuit Philebus: nec reticet cum Phedone Theætetus ac Phædrus. Iam & in Legum libris,esse deum rerum mensuram omnium legimus: in primis uero, si deus quandoq; hominem induat. Legimus & superbis Deum obsistere, humilibus autem benignius gratiam impertiri. Quid uero illud in Epistolis inenarrabile patris mysterium, ac filij? Sed & inibi maxima traditum pietate nouimus, diuinorum adyta rationibus penetrari haud posse.Posse autem mentis puritate,ac cum Deo assimulatione intima, quæ in animis ignem succendit, amplius coruisco promicantem lumine. An non admirabilis Heri Pamphili decimo De republica, ad uitam reuocatio, Elysiorum peramœna specie,paradisi nobis delicias expingit infinitas? Nec prætermittitur inibi expiatorius locus,animas eatenus cruciabiliter excarnificans,donec

Concretam exemit labem,purumq; reliquit
Aethereum sensum atq; aurai simplicis ignem.

Sed & infantilis limbus nec tacetur eadem parte. Verum illa Socratis documenta, cuius nam denique sunt modi? Non pili esse faciendum tempus. Immortalitatis curam omnibus anteponendam. Fortuita facile spernenda, modo quæ perpetuitatem respiunt genuinam,assequi connitamur.Illatam uero iniuriæ uim accepta longè uideri pestilentiorem. Velis remis adnitendum,ut artifici eminentissimo,

ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει,

suo restitutam candori,ab omnique prorsum defecatam labe rationalem animam,diuinitatis expressiorem imaginem synceriter,integrè sanctèq; offeramus.Quo nomine Laches spontali peccatorum confessione, ac pœnitentia nil adstruit præstabilius,quin & primo quoq; tempore omni arripiendam pede,quia diu concreta modis inolescere mirís, consentaneū est:nec medicam facile manum admittere,uel subinde recidiuam intentare.Nam ex intemperanti animorum affectione uniuersa, & quidem agminatim, mala erumpere,docuit Charmides.Quod si temperantia denuo succreuerit, succrescere & immortalitatis bonum incomparabile,quo sanè in uirenti amœnoq; perfruebantur homines hortulo, prius quàm à diuinis ad fluxam collaberentur naturam. Quod uelut ex oraculo Mosaico comprobat Critias. Nec in prauum obdurati dæmonis impostúram reticent Timæus, Phædrus, ac Diotima. Sed terras diuinitus aquarum molibus adobrutas,quum omne in præcipiti uitium staret,ad rationalis ferè interitum naturæ,ac animantium cunctarum:idem nos ex eadem(quod dicitur)fidelia commonet Critias.Cæterum quo'nam piaculo reticuerimus Academici principis sententiam nobilem,qua is ad diuinitatis intima euectus animaduertitur, quo apud animum meum non magnopere admirabilius aliud,quoq; amplius, uelut attonita hebescat mens, latentium causarum indagine certa rationem conquisitura? Tantisper, inquit diuinus

Plato

Plato, meis acquiescendum documentis cõmonitionibusq́, donec homine augustior quispiam, sacratiorq́ se se in terrarum ostentet orbe, ueritatis adyta fontesq́ arcanos reclusurus, quem uelut ducem inenarrabilem insequantur omnes. Verum ne in operis calce (tametsi mira excellentium rerum dulcedo arridet, quæ transuersum auferat animum) fiat ἀβυσσλωὸν ὦπῳόρημα: nam & Apelles pictores eos peccare dicebat, qui non sentirent quid esset satis: iam & capiti & libro coronide inducta, conticescam, uelut epilogi celeuma recinuerim, lætantium more nautarum: optimum maximum Deum apprecatus, quod uitæ supereſt etiamnum, ita liceat hisce impartiri curis, ut eius recinant laudes, & studiosorum iuuenum subseruiant emolumentis. Interim uelut in senatus missione assueuerat usurpari, hinc te moror nihil lector optime: ita nihilominus uti scias ea nos meditari, modo propius non admoueantur lineæ, ut mox hasce lucubrationes ceu tesseras frumentarias liquido computes. Receptici, quod poteram meo iure, nihil uolo. Quod erit, proferetur benignè, quieti meæ prorsum iniecta manu, ne uiuus uidensq́ uitam extritum pergam, quod ait Lucretius. Quod si forsan alicubi falli contingit, nec destinatum attingimus scopum, potiusq́ humi compascentes gracculi uidemur, quàm in sublimi aquila cõstituta, meminerint legentes quod orator nobilis scriptum reliquit: Prima sequentem honestum est in secundis tertijsq́ consistere: nam in præstantibus rebus, magna esse quæ sunt optimis proxima.

BIBLIOTHEQUE ORLEANS

FINIS

